image
not
available



Donato alla Libreria di S. Michele di Firenze
Dal Pre D. Pier Francesco Schiantapedi [illegible]. A I

THEOLOGIA
POLEMICA

A. R. P.

DON CAJETANI FELICIS

VERANI,

CLERICI REGULARIS,

IN

TRES TOMOS

DIVISA.

THEOLOGIA POLEMICA,

SEU

VINDICIÆ ECCLESIÆ CATHOLICO-ROMANÆ,



CUJUS

PRÆROGATIVÆ, MUNIA, LEGES, DOGMATA, RITUS,

Afferuntur & propugnantur

CONTRA

JUDÆOS, SCHISMATICOS, HÆRETICOS, ATHEOS,

Quorum Errores evincuntur & expugnantur,

AUCTORE

ADM. RDO. DOCTISSIMO ET EXIMIO PATRE,

D. CAJETANO FELICE VERANI,

CLERICO REGULARI, SS. THEOL. AC JURIS CAN. PROFESSORE EMERITO.



OPUS POSTHUMUM.

TOMUS PRIMUS.

Cum facultate Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,

Sumptibus GEORGII SCHLÜTER & MARTINI HAPPACH.

ANNO MDCCXIX.

EXCELLENTISSIMO
ET
ILLUSTRISSIMO
DOMINO,
DN. HIERONYMO
DE ET IN
COLOREDO,
SACRI ROMANI IMPERII COMITI
IN WALSEE,
DOMINO HÆREDITARIO
DOMINATUUM
TLASKOW, SIBENHUERTEN, STAATZ,
ET OPPOZNA,
SACRÆ CÆSAREÆ ET REGIO-CATHOLICÆ
MAJESTATIS
ACTUALI CONSILIARIO INTIMO, AUREÆQUE
CLAVIS EQUITI,
NEC NON
DUCATUS MEDIOLANENSIS SU-
PREMO GUBERNATORI,
DOMINO AC MOECENATI
PERQUAM GRATIOSO.

EXCELLENTISSIME
ET
ILLUSTRISSIME
SAC. ROM. IMP.
COMES,
DOMINE AC MOECENAS
PERQUAM GRATIOSE.

Sistitur ad Aras Gratiosæ Benignitatis *Illustrissimæ Excellentiæ Tuæ* Opus isthoc *Theologiæ Polemicæ*, insigne ab Auctore famoso, insignius à *Glorioso Nomine Tuo*, quo illud insigniri, simulque justissimis *Honoribus Tuis* sacrari permiseras. Sorti meæ gratulabar ego, cui curæ fuerat, ne tenebris obvolveretur, reperisse me fœtui huic posthumo Patronum, dicam, an Patrinum? cujus favore, celebri jam parente generatus, chartæq; pridem involutus, novercante tamen fato velut in utero diutius detentus, nunc tandem in lucem nititur prodire: At non soli mihi gratulabar ex animo, applaudebam ipsi quoq; lectissimo operi, cum *Gratiosè* annueres, ut *Tua* sub tutela patefiat Orbi, sic enim obtinuisse dicetur, quod desiderare potuit & mereri. Debentur magnorum partus ingeniorum (si genium tollas, adulationemque & quæstum) debentur, inquam, libri non Grandibus tantùm honore, auctoritate, & merito, à quibus contra Momos nancisci queant præsidium, sed inter ita magnos illis, qui litterariæ quoq; adscripti sint

Rei-

Republicæ, & legere delectentur, & lecta cognoscere. Obumbrat quidem magni Nominis umbra, ut quousque tenditur, cavillatores terreat; censores tamen non raro injustos vix pellere potest, si censurare nesciat. Quibus datum est libris magnitudinem Dignitatis, Meriti & Doctrinæ reperire in Mœcenatibus suis, eos feliciter non minus quam securè mundo se sistere credendum est.

In *Illustrissima Excellentia Tua* cuncta cognoscens fortunam meam, & operis à me promoti in lucem, me invenisse gaudebam, cum *Te* benignissime permittente ductus ad *Te Gratioso* ex ore *Tuo* hauseram facultatem illam, quòd *Magno Nomini Tuo* dicare liceat posthumum hunc partum; Si enim Dignitatem *Tuam* Auctoritatemque perpendam, inter Grandiores revera censeris utrinque. Sive inspiciam Illustrissimæ Prosapiæ *Tuæ* Nobilitatem, quæ nulli inferior, & Purpurâ claret & Mitris, magnorumque Officiorum jam Clavo admota in Sago & Toga, Castris & Aulis, Toparchiis & Dynastiis, Rerumque arduarum heroice semper, sapienterque & feliciter gestarum famâ à pluribus jam seculis innotuit orbi; nec specie-tenus solum bicipiti, eâque coronatâ insignitur Aquilâ, sed ob Imperiali Coronæ servandæ fidissima Munia, quæ ad Orientem non minus quam Occidentem frequenter obibat. Sive considerem *Tui* muneris Dignitatem, post Cæsares & Reges, Imperiique Principes tanta est, ut illorum Auctoritate in *Te* refusa supremo Regimini haud impar reperiaris. Sive trutinem magnitudinem Meritorum *Tuorum*, aut opprimor à mole, aut inopem me copia facit. Habent merita fontes suos, quos vel Virtutes vocant, vel Facta; à Virtutibus merita fluunt, quæ omnium cultu dignos faciunt & amore, quos ornant; à factis merita derivant, ut præmia jam non ex gratia conferantur, sed æquitate. Quemcumque horum fontium adeam, largissimis fluentis *Tua* Encomia propinantur & mihi & omnibus, ut licet injuria velit esse Modestia *Tua* intimioribus Virtutibus *Tuis*, occultisque earum operibus, ne Panegyrin legant, injurium tamen me cunctis esse reticendo & illas, quas celare non potes, nec ipsa me permittit obedientia, sub qua de ulla mentionem fieri prohibueras. Permittar itaque uti verbis Reginæ Sabæ ad Salomonem 3. Reg. c. 10. v. 8. *Beati Viri Tui, & beati servi Tui, qui*

adstant coram Te semper, gaudentque jucundissima *affabilitate Tua*, & residentes in ore *Tuo* Charites, & Rosas audiunt loquentes: mirantur columbinam *Mansuetudinem Tuam*, qua irritari nescius felle crederis carere; fruuntur incomparabili *Benignitate Tua*, qua singulos admittens neminem à *Te* dimittis absque solatio, vident *Temperantiam* raram ipsas inter epulas, bonorúmque omnium affluxum, & aliquid putant *Te* habere supra hominem: experiuntur *Prudentiam* superiorem filiis hujus sæculi, *Te*que præ omnibus cum serpente curam habere de capite, vel capitali animæ *Tuæ*. Suspiciunt *Liberalitatem* in pauperes, *Misericordiam* in afflictos, *Charitatem* in omnes, & expeditam in oppressores terrendos *Justitiam*, vindicandosque oppressos: Ut taceam integerrimam in conversando *Modestiam*, in agendis *Solertiam*, in fuga laudum *Humilitatem*, atque in Superos & Cœlites summam *Pietatem*: has quippe Virtutes facta magis eloquuntur, quam verba. Hinc *Te* communem vocant Patrem Orphani & Viduæ: Tutorem suum Hospitalia & Claustra; Defensorem suum Magistratus & Urbes; Vindicem suum Malefactores & Impii; Censorem suum Judices & Causidici; Amussim suam Dicasteria & Curiæ; Ideam suam Consiliarii & Ministri; solemque triplicatum meritò gratulabatur ortum sibi tota Moravia, cum in Supremum illius Capitaneum proclamabaris. Hinc maxima in *Te* Supremæ Majestatis Fiducia, cui nempe Sapientia *Tua* in Consiliis, Integritas *Tua* in commissis, Fidelitas *Tua* in promovenda Republica, & Juribus Cæsareis servandis satis est superque perspecta; ut non exigua proinde sit Augustissimi cura, quò *Te* ad semper majora natum, pro meritorum *Tuorum* excellentia provehat ad altiora. Hinc tanta super *Te* Divini Numinis Benedictio, cum sic *Te* videat profana curare, ut sacra non negligas; ita servire Regi terreno, ut Legis Divinæ nunquam immemor videaris; atque meritorum *Tuorum* reconditoria non tam in terris penes Principem & Rempublicam, quam in Cœlo reperire studeas cum Cœlitibus. Debent Isti propterea sua Patrocinia, suamque Tutelam, quos tantis honoribus *Tibi* demereris, dum Altaria, Sacella, Domosque sacras in eorum Cultum fundari, dotari, & extrui curas profusissimo ære *Tuo*, studio, & ordinatione.

Debent

Debent *Illustrissimæ Excellentiæ Tuæ* præ cæteris Clerici Regulares nostri sacrificia, precesque suas, & vota, quorum Neo-ædificatam Ecclesiam in alma Bohemiæ Metropoli ornasti sumptuoso Altari, honori Sanctorum, Philippi Nerei & Andreæ Avellini, sacrato. Debetur denique meritis *Tuis* hoc licet chartaceum, & alieno labore partum, ex argumento tamen, quod complectitur, non exiguum, & ab Auctore viginti quatuor magnis jam antehac editis voluminibus celebri commendatum, demississimi obsequii & debitæ gratitudinis Symbolum: ut enim non casu credimus magni Ecclesiæ, fideique Doctoris & Tutoris *Hieronymi* Nomen *Tibi* fuisse collatum, sed præsago plane *Majorum Tuorum* Spiritu & Judicio, qui *Te* prævideràant in sacra ac profana eruditione fore singularem, evolvendis in libris cum Hieronymo sedulum, & in defendenda Orthodoxæ Ecclesiæ fide non minori zelo dotatum, ita toti probabitur Christiano-Catholicæ, eique litterariæ Reipublicæ Opus isthoc, cum ab *Illustrissima Excellentia Tua*, utpote *Hieronymo*, approbatum viderit benignissimâ tutelâ. Novit *Te* tota ferme Europa fidissimum *Justitiæ* & *Veritatis Cultorem*; nec illius tantum Justitiæ, quæ noxiis confusionem & supplicia, meritis laudes distribuit & præmia; nec illius solum veritatis, quæ humana consortia firmat, & fœdera facta consolidat, dum linguam profert cordi semper intinctam, & ludere, fidemque frangere nescia factis promissa tuetur; Verùm superioris quoque *Justitiæ*, quæ *Cuique suum*, DEO, Ecclesiæ, Pontifici, Cœlitibus, Sacris cultum, obedientiam, irrefragibilitatem, reverentiam dare jubet, & submissionem: Sanctioris insuper *Veritatis*, cujus amore captivare docemur Intellectum in obsequium Fidei; & Politica Sophismata, ingenii subtilitates, dubiumque omne, motum plerumque aut carnali, aut inflati Spiritûs instinctu, dediscimus. Consultò igitur *Tuis* quoque *Honoribus* sacratur *Theologia ista Polemica*, in qua *Justitiæ* hujus supremæ, & sanctioris *Veritatis* doctrina defenditur, ut à *Tanto* eidem præfixo *Nomine* & cultûs exemplum, & fides integerrimæ doctrinæ transfundatur in omnes: *Illustrissimæ* verò *Excellentiæ Tuæ* ea quoque Gloria detur, quod sicuti *Majorum Tuorum* Sanguine, Marte, & Ense plurimis in partibus Catholica

firmabatur Religio, ita per hunc librum à *Te* susceptum adversus Fidei Veritatisque hostes acriùs propugnata Illustrissimam Familiam *Tuam* gloriosiorem semper reddas *ex utroque*.

Fave ergo, *Excellentissime & Illustrissime Domine Comes, Domine ac Mœcenas perquam Gratiose*, Generoso suscipiens animo hoc, etsi *Meritis Tuis* impar, gratisque in Minimum Ordinem nostrum, & me servorum infimum collatis nondum congruum, at vel ipso *Patrocinio Tuo* dignius *Te* effectum grati animi monumentum, ut, dum fovere dignaberis, *Magnanimitatis* quoque *Tuæ* specimen edas, quòd *Te* minora non despiciens, Regali, imo divino ab exemplo didiceris in offerente affectum magis æstimare quàm censum; Sic enim *Gloriæ Tuæ* amplissimè consules, & amplius experieris Supernæ Largitatis munera in *Te*, *Generosissimam Prolem*, *totamque Illustrissimam Familiam Tuam*, quam una cum Illustrissima *Kinzkiana* in Excellentissima Domina Conjuge *Tuæ* confœderata, ac in Theatinos quoque munificentissima Prosapia, Divina Providentia sospitet in secula, accrescere faciat honoribus, numero, & bonis omnibus, æternumque beet in Gloria. Ita vovet, voventque mecum Ordinis nostri Alumni, quibuscum me, annosque meos *Tibi* demisse devovens nominari semper permittar, & esse

Illustrissimæ Excellentiæ Tuæ

Humillimus obsequiosissimus Servus,

JOSEPHUS CAJETANUS KHUEN,
Cler. Reg. p. t. Visit. Generalis.

LICENTIA ORDINARII.

Nos JOANNES FRANCISCUS, *DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Frisingensis, Sac. Rom. Imp. Princeps.*

Cum opus, inscriptum: Theologia Polemica in tres Tomos divisa, à R. P. D. CAJETANO FELICE VERANI p. m. Congregationis Clericorum Regularium S. Cajetani, quondam Theologo conscriptum, à Patribus ejusdem Congregationis revisum, approbatúmque fuerit, ut illud prælo quoque subjiciatur facultatem damus per præsentes. In cujus fidem hasce per Vicarium nostrum in Pontificalibus & spiritualibus Generalem jussimus subscribi, ac Sigillo nostro roborari. Frisingæ d. 17. Junii Anno 1717.

(L.S.) JO. SIGISMUNDUS Episcopus Bellinen. Suff. & Vicarius Generalis &c.

FACULTAS ORDINIS.

D. PHILIPPUS SIFOLA.

Præpositus Generalis Congregationis Clericorum Regularium.

Hoc opus inscriptum: Theologiæ Polemicæ, à R. P. D. CAJETANO FELICE VERANI nostri Ordinis Theologo conscriptæ Tomus primus, & juxta assertionem Patrum, quibus id commisimus approbatum, ut Typis mandetur, quò ad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem, præsentes litteras manu propria subscripsimus; & solito nostro Sigillo firmavimus. Romæ die 25. Julii, Anno 1717.

(L.S.) DON PHILIPPUS SIFOLA, Præpositus Generalis Clericorum Regularium.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.



Uæ picturarum maxima solet esse sors, ea plerumque libris debetur, & potiori jure conceditur; æstimantur illæ à sola tanto magis artificis fama, quanto isthæc amplius inclarescit ab operibus, & præclari pictoris nomen conciliat: Nec absolutissimas tantum picturas commendat jam famosi artificis manus; dat hujus nomen illis quoque delineationibus pretium grande, quas æternitati aliàs pingere volentibus præcox habendi desiderium sustulit è manibus necdum perfectas. Quinimo emortua jamjam pictoris celebrati manus auget sub manibus pretium vel ideatis tantum Iconibus, & ab umbra lethali major lux accedit coloribus illis, quos miscebat olim in cineres redacta nunc manus: Phænicis nempe in morem è cineribus vitam hauriunt in æstimatione hominum, palmamque vivis eripit emortua palma: Quidni suis etiam ab auctoribus pretium acquirant libri, ut vel ideo litteraria in Republica eo majori censeantur digni honore, avidiusque conquirantur, quò prodeunt à Scriptoribus per antehac editos magis celebrato? ut enim haud imbelles nascuntur ab Aquilis columbæ, ita nec à magnis ingeniis minores expectari poterunt fœtus, quam parientibus pares: obstetricante quippe semper industria, agenteque Lucinam solertia continuo creditur prodire partus etiam posteriores, quando priores sese prodiderunt esse progenitos magno parente studio, multiplicisque lectionis influxu, & tenaci coagulante memoriâ. Nec posthumis decrescat æstimatio oportet, etsi enim aliorum solummodo operâ publicam obtineant lucem, in semetipsis tamen tam magnos dixeris esse hos fœtus, ut totum exhausisse putandi sint ingenii conatum. Invidet nonnunquam Parcarum inevitabilis livor mundo novorum operum cupido adeo fœcundum calamum, ut tamen prævisa sapientibus facile solet esse vergentis ætatis curta duratio, ita plerumque magis incitatur industria, ne parcant labori, sed studio compensent, quod vitæ decedit, redimantque brevitatem tempore sedulitate scriptionis, nec illabi permittant errores, quos in venerationem cognitæ doctrinæ expungere erubescerent posteri; nempe ut erga genitos in senectute liberos majorem semper instillat natura parentibus amorem, ut magis comptam præ cæteris velint illam prolem, quam ultimæ dederunt vires, id quod sacra testatur Scriptura de Jacob erga Joseph, sic majori solertia plerumque incubare solent Scriptores libris illis, quos facile possunt timere suorum ultimos, ideoque magis perpoliunt, uti fore credunt cæterorum coronidem.

Tale judicium, talemque fidem huic Operi Tripartito promittimus ab æquitate tua, erudite Lector, dum luci publicæ exponimus Theologiam Polemicam, quam à se conscriptam nobis reliquit Rev. ac Clarissimus Pater DON CAJETANUS FELIX VERANUS, Nicienſis, Clericus Regularis, noster quondam consodalis, nunc autem, ut speramus, lucens inter illos, qui dum ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt ut stellæ in perpetuas æternitates. Cujus enim, quantique nominis fuerit hic Auctor, non ex fama tantum, sed ipsis quoque plurimis voluminibus mundo litterario in hoc & priori seculo transmissis tibi haud ignotum esse censemus; et si lateret, quod tamen difficulter credimus, quàm magnus fuerit in doctrina, quàmque de Republica litteraria optimè meritus Vir iste, vel ex eo metire, quòd viginti quatuor Tomi bene magni in folio jamjam typo commissi nondum caperent amplitudinem scientiæ in eo latentis, tribusque aliis opus fuerit, quibus expanderet insuper ferveſcentem in ipso Catholicæ fidei zelum, ac armamentarium etiam aperiret defendendis veris dogmatibus Sacræ Romanæ Ecclesiæ, ut veluti non sufficerent alphabetica elementa, explicandæ ejus doctrinæ, ternas adhuc litteras superaddere necessum esset.

Jam instruxerat ille Rhetores sacros, profanosque Oratores, & quos symbolicæ artis, & ornatioris eloquentiæ tenet amor, bipartito *Pantheone argutæ elocutionis*, in quo plane reperies, quidquid ad cultum dictionis, ad movendos auditores, ad faciendas inscriptiones, ad ornanda palatia, ad excipiendos publico plausu Principes, ad funebres apparatus, Elogia, Genethliaca, Epithalamia, Epinicia, Eucharistica, Epitaphia, priscorúmque pertinent ritus; quorum exempla duobus editis voluminibus pro funebri pompa Serenissimi quondam Electoris Ferdinandi Mariæ; & pro ingressu martio-nuptiali felicissime regnantis Serenissimi Electoris Maximiliani Emanuelis cernere conceditur. Jam erudierat Philosophos in dialecticis, physicis, metaphysicis, naturalibus quoque, cælestibusque corporibus dignoscendis *quadripartita sat voluminosa Philosophia.* Jam docuerat Ethicos regulam ciendorum coercendorumque affectuum, quoad & virtutibus servirent, nec in vitia deflecterent tripartita Philosophia Pathetica. Jam auxerat sacratioris Jurisprudentiæ doctrinam, *quinquepartito eruditissimo Volumine Juris Canonici*, ubique locorum anxiè desiderato, & sacrorum Canonum studiosis apprime commendato. Jam instillaverat orbi sublimioris Theologiæ uberrimam, eamque planissimam scientiam *octipartito scholasticæ & dogmaticæ simulque moralis Theologiæ opere amplissimo.* Nec tamen abundantissimæ ejus doctrinæ fontem exhaurire potuerat tanta per libros jamjam effusa, & largissime effluentis eruditionis amplitudo, quin & majorem sibi semper superfuisse copiam, probarent posteriores hi Tomi, quos etsi morte præventus publici Juris facere nequiverit ipse, chartæ tamen involucro jam conditos nobis reliquit.

Quam porro in hoc posthumo opere *Theologia Polemica* posteritati transmiserit solidioris veritatis agnitionem, paginæ ipsæ loquun-

tur, quarum singulæ aliquid propinant non lectione tantum, sed ponderatione dignissimum luculentiori. Invenies in illo quæstiones enucleatas & fuso, & ponderoso ratiocinio, ne tibi argumentorum varietas desit, nec probationum nervosissimarum compendiosa nimis suppositio vires amittat. Leges non solum plurima Sanctorum Patrum, Doctorumque testimonia, Historiæ Ecclesiasticæ veriora argumenta, & præsertim Sacræ Scripturæ, utpote basis in hujusmodi Controversiis, sensum minus fallacem. Denique nihil pene, quòd pro dignitate hujus materiæ deservire potuit, & tractari debuit enucleatius, intactum remansisse reperies, ut ita cognoscas authorem Tibi, cunctisque, quos tenet aut necessitas, aut studium in Controversiis esse versatos, magno studuisse labore, ne non satis instructus ab hoc opere te recedere debuisse queraris.

Utere ergo libero ab omnibus dubiis animo opera hac eximii Authoris Tibi commodoque & utilitati Tuæ sincere, exacteque impensâ, nec Te decipiendum credas commendatione ista, quam & pro merito tanti Viri, operisque haud fucose apponimus, & pro gratitudine erga Magistrum ferme omnium nostrum debemus, & candide impendimus. Rogatum Te solummodo enixe volumus, ut cum paupertate nostra nobis impensas præli & excusionis propinquioris prohibente coacti fuerimus impressionem hujus operis aliis committere, correctioni proinde ipsi adesse nequiremus, nec errores typo- & orthographicos nobis imputare velis, nec si alicubi ipse quoque sensus fuerit corruptus, per errores, qui irrepsêre, credas, aut Authorem, aut nos culpam habere, sed distantiam, & amanuensis incuriam culpes pro Tua benevolentia, aut excuses.

Vale.



INDEX

INDEX
Librorum & Capitum.
LIBER PRIMUS
De vera Jesu Christi Ecclesia, ejúsque notis, quibus à spuria & falsa discriminatur.

CAPUT I.
Quid nomen Ecclesiæ significet, & quomodo definiatur. 2

CAP. II.
Quomodo Ecclesia in SS. Scripturis significetur. 3

CAP. III.
Quomodo Ecclesia Christi sponsa evincitur in terris existere. 6

CAP. IV.
Donatur explicatu visibilitas Ecclesiæ Catholicæ. 7

CAP. V.
An visibilis Ecclesia Catholica complectatur non solùm bonos, sed etiam malos. 9

CAP. VI.
Quotquot Christi Ecclesiam in terris visibiliter militantem deserunt, transfugæ sunt, ac veræ Religionis desertores, neque potest quisquam extra ipsam salutem consequi, sive Hæreticus sit, sive Schismaticus. 12

CAP. VII.
An Ecclesia visibilis adeo firmiter à Jesu Christo fundata fuerit, ut nunquam defecerit, nec sit defectura ab eo statu, in quo fuerat primis quingentis annis. 18

CAP. VIII.
Quænam sint Ecclesiæ proprietates, seu notæ ab Acatholicis assignatæ; & quomodo impugnentur. 21

CAP. IX.
Quamvis notæ veræ Ecclesiæ assignatæ ab Hæreticis veræ non sint notæ; adhuc tamen magis conveniunt veræ Catholicorum Ecclesiæ, quàm falsæ Hæreticorum. 28

CAP. X.
Rectus Sacramentorum usus, quem Sectarii sibi arrogant, secundum veræ Ecclesiæ notam nulli eorundem cœtui convenit, sed soli Ecclesiæ Catholicæ Romanæ. 32

CAP. XI.
Donantur explicatu veræ militantis Ecclesiæ notæ, & has soli Romanæ Ecclesiæ convenire ostenditur, & primò explicatur unitas. 39

CAP. XII.
Quomodo sola Ecclesia Romana dicatur esse sancta. 39

CAP. XIII.
Ecclesia, quam Christus fundavit in terris, Catholica est. 46

CAP. XIV.
Quomodo Romana Ecclesia sit, dicaturque Apostolica. 50

CAP. XV.
Sola Romana Ecclesia integram Jesu Christi fidem, & Apostolorum doctrinam intemeratam, & incorruptam servat, quia sola est rectè ordinata, ac legitimam habet à tempore Apostolorum Pontificum successionem. 59

CAP. XVI.
De aliis notis, quibus Ecclesia Romana Catholica evincitur Apostolica, fundata in terris à Jesu Christo. 63

CAP. XVII.
De iis, qui sunt extra Ecclesiam: & primò de Catechumenis, & Hæreticis. 67

CAP. XVIII.
An schismatici, & excommunicati sint in Ecclesia. 70

CAP. XIX.
An non solùm prædestinati, sed etiam reprobi, non perfecti & peccatores sint in Ecclesia. 74

CAP. XX.
An Hæretici occulti, qui se Catholicos fingunt, sint in Ecclesia? 81

CAP.

CAP. XXI.

An Ecclesia Romana Catholica, & Apostolica possit tota errare. 84

CAP. XXII.

De Ecclesia, quæ à Sectariis præsumitur reformata. 90

CAP. XXIII.

Ostenditur, Ecclesiam, quæ à Sectariis præsumitur reformata, carere aliis notis veræ Ecclesiæ. 93

CAP. XXIV.

Ecclesia, quæ à Sectariis præsumitur, reformata, non est columna veritatis, dissentit à doctrina Apostolorum & Patrum, & plura docet contradictoria. 97

LIBER SECUNDUS.

De Christo Fundatore, Institutore, ac Principe Ecclesiæ Catholicæ.

CAPUT I.

Ostenditur veritas Ecclesiæ Catholicæ, Deum esse unum in essentia, trinum in personis, & traditur definitio. 103

CAP. II.

Quomodo contra Hæreticos, & Judæos evincatur dari in divinis tres personas realiter distinctas; & unam earum esse improductam, alias duas productas 105

CAP. III.

Quo sensu persona improducta in divinis dicatur Pater, & aliæ duæ productæ, Filius, & Spiritus Sanctus, & quomodo Spiritus Sanctus evincatur esse Deus, contra Macedonium, & Græcos. 108

CAP. IV.

Ex tribus personis Sanctissimæ Trinitatis solus Filius carnem assumpsit in utero Virginis conceptus ex Spiritu Sancto, diciturque Christus constans ex duplici natura, divina, & humana, & una tantùm persona divina. 115

CAP. V.

Christus ut homo non est Filius DEI adoptivus, sed naturalis, unica tantum datur in ipso persona divina, & duæ naturæ, divina, & humana. 120

CAP. VI.

Ostenditur contra Hæreticos Christi divinitas in persona. 124

CAP. VII.

Probatur Christi divinitas ex pluribus aliis utriusque testamenti locis. 130

CAP. VIII.

Ostenditur Christi Divinitas ex Nominibus DEI, quæ ipsi attribuuntur, ut etiam ex proprietatibus & attributis DEI, ac operibus. 135

CAP. IX.

Ostenditur Christi Divinitas ex operationibus, quas egit, & propriæ sunt Deo. 141

CAP. X.

Asseritur Christi Divinitas ex eo, quod Scripturæ eum fateantur Filium DEI naturalem æterno Patri consubstantialem. 145

CAP. XI.

Ex Sanctis Patribus ostenditur Christus esse verus DEUS. 153

CAP. XII.

Satisfit iis, quæ contra Christi Divinitatem objiciunt Sectarii ex Sacra Scriptura, & ratione. 159

CAP. XIII.

Demonstratur Spiritus Sanctus esse verus DEUS, & consubstantialis Patri, & Filio. 179

CAP. XIV.

Satisfit argumentis Hæreticorum contra Spiritus Sancti Divinitatem. 185

CAP. XV.

Quomodo Spiritus Sanctus contra Judæos ex Veteri Testamento ostendatur verus DEUS, & quomodo ei conveniat nomen amoris, & ex quo amore procedat. 188

CAP. XVI.

An Spiritus Sanctus procedat à Filio, ubi de Schismate Græcorum, Armenorum, & Moscorum. 192

CAP. XVII.

An Pater, & Filius sint unum principium Spiritus Sancti, an vero plura? 199

CAP. XVIII.

Pro quo immediatè supponat principium, cùm dicimus, Patrem & Filium unum principium Spiritus Sancti. Referuntur, & refelluntur aliquot Authorum placita. 203

CAP. XIX.
An Spiritus Sanctus ratione suæ proprietatis personalis exigat per se pluralitatem suppositorum in principio spirante? 206

CAP. XX.
An, si per impossibile Spiritus Sanctus non procederet à Filio, distingueretur realiter ab illo. 212

LIBER TERTIUS.

Quomodo Christus sit caput Ecclesiæ, & quibus gratiis cumuletur.

CAPUT I.
An & quomodo Christus dicatur esse caput Ecclesiæ? 223

CAP. II.
An Christus ut homo specificativè sumptus sit caput omnium hominum, & Angelorum? 228

CAP. III.
An Christus sit in Ecclesia caput enormicum peccatorum & infidelium simulantium fidem. 235

CAP. IV.
Quænam sit gratia, per quam Christus constituitur caput Ecclesiæ. 249

CAP. V.
An humanitas Christi per gratiam unionis sit substantialiter Sancta. 254

CAP. VI.
Quænam sit formalitas, per quam humanitas Christi sanctificetur per gratiam unionis? 261

CAP. VII.
An personalitas verbi sub expresso personalitatis conceptu formaliter sanctificet Christi humanitatem, sitque formalis sanctitas. 267

CAP. VIII.
Ostenditur personalitatem verbi sub explicito conceptu Deitatis non simpliciter, sed ut terminatam per subsistentiam verbi sanctificare Christi humanitatem, adeo ut ly ut terminatam, non sit ratio formalis &c. 277

CAP. IX.
An Sanctitas in Christi humanitate sit infinita, & quomodo? 281

CAP. X.
An in anima Christi propter sanctitatem, quæ est effectus formalis Deitatis, fuerit gratia habitualis. 283

CAP. XI.
Ad quid necessaria fuit in Christi anima gratia habitualis. 287

CAP. XII.
Quomodo gratia habitualis se habuerit in Christo in ordine ad gratiam unionis. 297

CAP. XIII.
An In Christo fuerint omnes virtutes tum infusæ, tum per se acquisibiles. 305

CAP. XIV.
An in Christo fuerint dona Spiritus Sancti. 313

LIBER QUARTUS.

De Christi scientia, & intellectu.

CAPUT I.
An Christus ut homo in primo instanti suæ conceptionis, & unionis cum Verbo Divino habuerit scientiam perfectam. 316

CAP. II.
An intellectus humanus Christi potuerit intelligere per cognitionem increatam verbi? 323

CAP. III.
An Anima Christi, dum erat in carne possibili ante mortem, habuerit scientiam beatam? 331

CAP. IV.
De Christi scientiis infusis. 338

CAP. V.
An in Anima Christi fuerit scientia infusa quoad species, vel quoad habitum, & quæ objecta cognoverit? 343

CAP. VI.
An Christus habuerit scientiam per se acquisibilem, & quomodo? 348

CAP. VII.
De Descensu Animæ Christi ad inferos. 350

CAP. VIII.
Ostenditur, inferos esse, seu abdita receptacula subterranea, ad quæ Christus descendit? 355

CAP. IX.
Qua virtute Christus tertia die resurrexerit à mortuis? 359

CAP. X.
Quomodo resurrectio carnis nostræ evincatur. 361

CAP. XI.
Donantur explicatu plures circumstantiæ pertinentes ad judicium universale. 369

CAP. XII.
Expenduntur locus, & supplicia damnatorum. 379

CAP. XIII.
De corporibus gloriosis Beatorum eorumque dotibus. 383

CAP. XIV.
Quodnam ex usu sensuum corpora Beatorum erunt perceptura oblectamentum. 389

CAP. XV.
Quænam beati erunt post resurrectionem oblectamenta percepturi ex usu auditûs, & reliquorum sensuum corporis gloriosi. 397

CAP. XVI.
An Animæ sint Beatæ in cœlis ante corporum resurrectionem. 405

LIBER QUINTUS

De Christi præsentia post ascensionem in cœlum.

CAPUT I.
PRoponitur, & requiritur sententia Ubiquetariorum. 409

CAP. II.
Refellitur aliis argumentis dogma Ubiquetariorum. 414

CAP. III.
Exhibetur sententia Catholica, & refelluntur argumenta Ubiquetariorum. 419

CAP. IV.
Confutatur ipsa per se ubiquitas. 427

CAP. V.
Refertur, & refellitur error Sacramentariorum. 434

CAP. VI.
Evincitur contra Sacramentarios vera, & realis corporis Christi præsentia in Eucharistia. 437

CAP. VII.
Exhibentur, & rejiciuntur aliquot Sacramentariorum objectiones. 440

CAP. VIII.
An Christus fiat præsens in Eucharistia per unionem hypostaticam Personæ Verbi cum Pane, adeo ut substantia panis & vini post consecrationem maneat. 443

CAP. IX.
An Christus fiat præsens in Eucharistia per transsubstantiationem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. 452

CAP. X.
Expenditur Cœna Calvinistica de Christi præsentia in Eucharistia; & refellitur. 455

CAP. XI.
An Ecclesia justè interdixerit Laicis communionem sub utraque specie? 466

LIBER SEXTUS

De Christi Impeccabilitate, Mediatione, ac Merito.

CAPUT I.
OStenditur contra Calvinum, Deum non esse Authorem peccati. 474

CAP. II.
Refertur, & refellitur Calvinistica prædestinatio. 487

CAP. III.
Ostenditur Dei decreto non fuisse sublatam abhinc libertatem. 493

CAP. IV.
Afferitur Christi impeccabilitas contra Hæreticos, & refelluntur, quæ de Justificatione hominum asserunt Calvinistæ. 507

CAP. V.
An Christus de potentia absoluta potuerit peccare. 523

CAP. VI.
An in Christo fuerit vel potuerit esse fomes peccati. 531

CAP. VII.
Quomodo Christus exercuerit munus Redemptoris. 538

CAP. VIII.
Quibus operationibus Christus nos redemerit; & an opera justorum sint bona, & necessaria ad assecutionem æternæ salutis; & an lex divina sit servatu impossibilis. 543

CAP. IX.
An Christus satisfecerit pro debito humani generis ex toto rigore justitiæ. 556

CAP. X.
Quomodo Christus exercuerit munus Mediatoris. 566

CAP. XI. a
De Christi merito, quo tempore, & quibus meruerit. 571

CAP. XI. b
An Christus omnibus prorsus hominibus meruerit media salutis, seu an pro universis hominibus mortuus fuerit; & non pro solis electis. 576

CAP. XII.
An Christi meritum sit simpliciter infinitum. 583

LIBER SEPTIMUS.

De summo Pontifice militantis in terris Ecclesiæ.

CAPUT I.
De Pontifice veteris legis. 595

CAP. II.
De authoritate, & reditibus Pontificis veteris legis. 602

CAP. III.
De summo Pontifice in lege evangelica. 609

CAP. IV.
Quomodo, & quando Christus instituerit D. Petrum suum in militante Ecclesia Vicarium, & Primatus Petri evincatur. 616

CAP. V.
Probatur Ecclesiæ primatus soli Petro collatus ex variis privilegiis illi in scriptura tributis. 627

CAP. VI.
Regimen Ecclesiæ ex eo, quod sit Monarchicum, evincit primatiam in Ecclesia authoritatem fuisse soli Petro collatam. 638

CAP. VII.
An Petrus, & Paulus fuerint pares in regimine Ecclesiæ? 649

CAP. VIII.
An Petrus fuerit Romæ, fundaverit ibi Ecclesiam, fueritque ibi Episcopus Ecclesiæ à se fundatæ, & an fuerit Romæ mortuus. 654

CAP. IX.
Solvuntur quæ à Sectariis objiciuntur contra Petri præeminentiam supra Paulum. 658

LIBER OCTAVUS.

De Petri Successore in Primatu Ecclesiæ Catholicæ.

CAPUT I.
An primatus Ecclesiæ à Christo collatus D. Petro transeat in successores, sitque in Ecclesia nunc idem officium supremi Pastoris totius dominici gregis, quod fuit tempore D. Petri? 664

CAP. II.
An Romanus Pontifex pro tempore existens, sit legitimus D. Petri Successor? 667

CAP. III.
An conjunctio Primatus Ecclesiæ universalis cum Episcopatu Romano sit de jure divino, vel tantum ecclesiastico. 671

CAP. IV.
Ex eo, quòd ad Romanum Pontificem detur appellatio, evincitur Primatus Ecclesiæ Catholicæ in Romano Pontifice. 675

CAP. V.
Primatus in Ecclesia universali Romani Pontificis evincitur ex eo, quòd à Concilio Generali ad ipsum detur appellatio, ut à minori, & subdito ad majorem, & superiorem. 685

CAP. VI.
Supremum regimen totius Ecclesiæ Catholicæ soli inesse Romano Pontifici, ex eo evincitur, quia Concilium universale non approbatum à Romano Pontifice sit erroribus obnoxium, quod probatur ex Conciliis, Patribus, & ratione naturali, & eluuntur plures objectiones. 694

CAP. VII.

An dentur casus excepti, in quibus Concilium generale prævaleat Romano Pontifici? 709

CAP. VIII.

De regula infallibili, quæ in Ecclesia proponit, & declarat res fidei. 712

CAP. IX.

An in Ecclesia Principes sæculares aliquam habeant potestatem judicandi de doctrina religionis. 717

CAP. X.

An authoritas summi Pontificis in definiendis, & declarandis rebus fidei, in ferendis sententiis, & legibus pro tota Ecclesia, & iis statuendis, quæ ad bonos mores pertinent sive in Concilio, sive extra, sit infallibilis, idque sit de fide? 720

CAP. XI.

An authoritas infallibilis Papæ in definiendis rebus fidei sit supra, & extra Concilium generale. 726

CAP. XII.

Eadem Romani Pontificis infallibilitas extra Concilium in controversiis fidei definiendis rationibus asseritur. 732

CAP. XIII. a

Proponuntur & diluuntur, quæ in oppositum opponuntur. 736

CAP. XIII. b

Quomodo evincatur Pontificem è cathedra docentem non esse errori obnoxium, & quid propriè sit Papam docere ex cathedra. 745

CAP. XIV.

Infallibilitas Romani Pontificis docentis è cathedra asseritur authoritate Canonum, & SS. Patrum. 750

CAP. XV.

Qualem Romanus Pontifex in Principes sæculares habeat jurisdictionem, si necessitas urgeat propugnandi fidem Catholicam. 760

CAP. XVI.

Evincitur authoritate Canonum indirecta jurisdictio Romani Pontificis in Principes sæculares. 767

CAP. XVII.

Indirecta subsidiaria potestas Romani Pontificis in Principum sæcularium bona temporalia authoritate Conciliorum, & Pontificum exemplis asserta, & Patrum sententiis confirmata. 777

CAP. XVIII.

In quibus possit Romanus Pontifex dispensare legibus, & quibus servandis sit ipse obstrictus. 792

CAP. XIX.

An Episcopi in Ecclesia sint de Jure divino? 798

CAP. XX.

Evincitur contra Hæreticos, Romanum Pontificem non esse Antichristum. 801

CAP. XXI.

Ostenditur, Antichristum nondum venisse, nec esse venturum, nisi usque in finem mundi, consequenter nullum Romanum Pontificem hactenus fuisse Antichristum. 806

CAP. XXII.

Expediuntur reliqua de Antichristo, quibus demonstratur futurus verus homo. 814

CAP. XXIII.

De electione, & continuata serie Pontificum in utroque testamento, & de Cardinalibus. 821




LIBER



LIBER I.

De vera Jesu Christi Ecclesia, ejusque notis, quibus à spuria & falsa discriminatur.

PROOEMIUM.



A est vera Jesu Christi Ecclesia, quam Salomon prænoscens turri pariavit Davidicæ, & qua mille pendent clypei telis retundendis adversariorum impenetrabiles. Tametsi impugnata persæpe hæc turris fuerit nunquam tamen expugnata; quamvis à primævo suo exordio contra ipsam irruerint Ethnicorum phalanges, imo & Judæorum integri exercitus nitentes eam funditus evertere soloque æquare; pauci tamen in ea præsidiarii milites non ferreo apparatu cataphracti; sed pannosa paupertate inermes; non armis tractandis assueti, sed retibus laxandis addicti; non in castris artem bellicam edocti, sed in mari vel fluminibus squammifero gregi innocentes nectere insidias instructi eam ad victoriam propugnarunt. Pauci, seu duodecim tantùm homines non armis præmuniti, non divitiis potentes, non humana dignitate præfulgentes, non auctoritate graves, nec eloquentiæ gloria celebres, sed sine humano subsidio pauperes, sine domestica supellectile indigentes, sine temporali proventu mendici, è fluviorum ripis, & piscatu emergentes callosis ex diurno, nocturnoque labore manibus, adustis solari æstu corporibus, languentibus jejuno stomacho membris; impallescentibus longâ macie frontibus, in tuguriis, vel mapalibus nati hujus inexpugnabilis turris surrexerunt propugnatores, quin & bellum gentibus indixerunt, quas ubique locorum ut debellarent, vincerent; orbem terrarum inter se diviserunt; de victis regum cervicibus triumphos sibi erexerunt, spatia diviserunt palmas collecturi, & victrices lauros sterilescentes arenarum tractus perambulârunt; tostas ferventissimi solis appulsu regiones penetrarunt; rigentes perpetuo frigore montes inscenderunt, & quamvis seminudi, pauperes, inermes; Reges, Satrapas, Præsides Jurisperitos, Philosophos, Sapientes convicerunt, quibus persuaserunt religionem: avaris divitiarum contemptum, libidine inquinatis culturam castitatis; dignitate insignitis humilitatem, & solo æquatis dæmonum templis; excisis falsorum Numinum simulachris crucis triumphantis vexillum singulis mundi provinciis ovantes infixerunt. Voluit Christus quam pretio sui sanguinis fundavit in terris ecclesiam armis tractandis assuescere, cujus propterea manus edocuit ad prælium, & digitos erudivit ad bellum, ut disceret adversariorum persecutiones non pavere, hostium assultus compescere, inimicorum impetus coercere, arma retundere, & in tolerantiæ castris trophæum erigere victoriæ; in patientiæ campo martyrum irrigato sanguine, tormentorum exculto aratris, semina serere quæ in palmas germinarent æternæ gloriæ, non enim feriendo, sed patienter ferendo vicit, ac triumphavit, suamque ditionem longè, latèque per singulos terrarum tractus ampliavit ac victorias propagavit, quæ plures ubique fuerunt quàm virescentes arborum comæ, quàm contremiscentia ad cujuslibet favonii appulsum silvarum folia; quàm coruscantes nocte illumina accensæ in cœlis syderum faces, quàm arescentium marino in litore arenarum granuli; quamque per totam tellurem sint ora, plagæ, regiones, montes, campi, & prata. Fertur enim victrix aureo insidens currui per calcatas dœmonum cervices, protrita idolorum simulacra, solo æquata falsorum Numinum templa; per prostratas hæricorum phalanges. Etnicorum devictas turmas, Judæorum fugatas catervas, schismaticorum coercitas turbas; & per Novatorum insolescentes exercitus floxentissimo semper Marte concisas, ut in hoc opere suppeditante Deo subsidia sui auxilii exploratum faciam.

CAPUT I.

Quid nomen Ecclesiæ significet & quomodo definiatur.

1 Cclesia si nominis spectemus ethimologiam vox est origine græca evocationem ex primæva sui institutione significans: quia verò nomina & verba ad hominum placitum significant, usus invaluit, & consuetudo inolevit, ut idem nomen pro concilio, & concione usurparetur; seu pro quolibet populi conventu; in quo sensu Act. 19 habetur: *si quid alterius rei quæritis & legitimâ ecclesia poterit absolvi* Alexander Judæus expendens hunc textum ait per legitimam ecclesiam hîc intelligi conventū Ephesini populi, qui religionis causâ cultusque gratia in templum Dianæ convenire consueverat; Idque causæ, cur etiam improborum hominum concilia, & conventicula interdùm ecclesia nominentur non tamen simpliciter sed cum addito Psal. 25. ubi Regius Propheta ait: *Odivi ecclesiam malignantium. & cum impiis non sedebo.*

2 Ex communi tamen sacrarum usu scripturarum ac SS. Patrum consuetudine hæc vox ecclesia nonnisi ad Christianorum, ac fidelium significandas congregationes adhibetur; eò quia Christi fideles in admirabile Dei lumen, ac notitiam per fidem vocati sint, & excussis Ethnicismi caliginibus errorumque tenebris unum Deum verum colant, cui sua præstent obsequia, & piè, ac sanctè viventes sincero serviant affectu, ac fervente obequantur devotione.

3 Hinc Ecclesiæ nomen tripliciter sumi potest, primò cum eidem quid aliud adjicitur quod in bonam vel malam partem accipitur, quo pacto Psal. 25. dicitur *Ecclesia malignantium* & Psal. 88. *Ecclesia sanctorum.* Secundò quandò profertur simpliciter sine addito & tunc licèt interdum sumatur pro qualibet populorum congregatione ut Actor. 19. ubi de Ethnico Ephesino populo dicitur *Erat ecclesia confusa*: ex inolita tamen consuetudine, ecclesiæ nomine cœtus intelligitur Christi fidelium; ut docet D. Augustinus in Psal. 81. ubi expendens illud: *Deus stetit in synagoga Deorum* ait quod tametsi eadem sit ecclesia veteris & novi testamenti, quoad essentiam, seu cœtum vocatorum; quia tamen status novi testamenti in lege evangelica perfectior est, ac longè excellentior; ideo ut cœtus uterque sicut ritibus & sacrificiis ita & nomine distingueretur populus veteris testamenti *synagoga* vocatur, seu congregatio; Populus verò novi testamenti *ecclesia* ob discrimen inter congregari commune hominibus, & brutis animalibus; & evocari proprium hominum; ait Augustinus appositè nomen *synagogæ* populo adoptati veteris testamenti, quia Judæi divitiis, & bonis caducis inhiantes nil magis cordi videntur habere quàm opes congregare: secus Christianorum cœtus *ecclesia* dicitur, quia Christi fidelibus divitiæ, & bona temporalia, utpote fluxa vanida, & caduca sunt contemptui, & sola cœlestia desiderant, quibus æterna donati beatitate, Deum summum bonum ament, laudent, & glorificent.

4 Neque obstat, populum veteris testamenti plerisque in locis vocari ecclesiam: id enim contigit quia apud Hebræos æquè synagoga, ac ecclesia dicitur à congregando; sunt enim duo nomina Hebraicè idem significantia. Tertiò circa nomen ecclesiæ observandum superest; quia sicut civitas sumi potest pro cœtu hominum eam inhabitantium; & pro loco ipso seu domibus in quibus cives illi degunt: perinde Ecclesia interdum sumitur pro cœtu fidelium sub Christo ut capite; & nonnunquam pro loco in quo fideles fusuri preces, vel audituri concionem; vel ut divinis assistant officiis conveniunt, in quo sensu dicitur Judith. 6. *Populus intra ecclesiam oraverunt.* De ecclesia significante cœtum fidelium ait Apostolus ad Rom 16. *Salutant vos ecclesiæ Asiæ.* In hoc postremo sensu loquuntur communiter Doctores sumentes ecclesiam in bonam partem pro cœtu eorum qui divinitus vocati sunt in societatem sanctæ Religionis.

Quia verò pluribus modis cætus aliquis potest 5
virtute, ac religione conjungi in unam societatem, ideo ecclesia in hac significatione potest laxè, ac pressè sumi, ac variè itidem definiri, ut dilucidius ac distinctius procedatur. Quemadmodum tripartitur ecclesia in triumphantem in cœlesti capitolio; in militantem in castris hujus mortalis vitæ in terra ubi conflictus est continuus contra mundi delicias, carnis illecebras, & Dæmonis suggestiones; & in expiantem peccata in Purgatorio; ideo satius sui cuilibet propria adoptetur definitio. Ecclesia triumphans describi potest *multitudo Beatorum, quos beneficio divinæ vocationis immediata divinæ essentiæ intuitio, luminis gloriæ illustratio divinitus indita simul conjungit, trahitque ad amorem summi Boni.* Dicitur immediata divinæ essentiæ intuitio, beneficio luminis gloriæ illustrantis, ac elevantis intellectum creatum ad hanc claram divinæ essentiæ cognitionem, quia per id ecclesia triumphans in cœlis distinguitur à militante in terris, quia in hac fideles non nisi obscurè, & ut loquitur Apostolus in ænigmate Deum cognoscunt, per umbras & involucra creaturarum: in triumphante verò Beati à facie ad faciem Deum vident, idque beneficio luminis gloriæ illuminantis, ac elevantis intellectum Beatorum ad clarè, ac immediatè cognoscendum Deum, adeo ut juxta mensuram meritorum quisque magis vel minus clarè Deum videat, ac illis ornetur laureolis quas in terris exercitio virtutum sibi promeruerunt.

Ecclesia militans in terris pressius describi potest, 6
quòd sit: *hominum multitudo, quos verus Dei cultus, veraq; cognitio, sed obscura, seu fides in hac mortali vita conjungit:* Hæc descriptio utramque complectitur ecclesiam veteris testamenti seu synagogam Judæorum, & ecclesiam Christianorum. Utraque enim nititur fundamento ejusdem fidei in Christum Mediatorem, in quem ut futurum synagoga credidit, ac speravit; & ecclesia Christianorum credit ut jam natum, passum, & in cruce mortuum in redemptionem humani generis; vocetque propterea Apostolus Christum *lapidem angularem* utrumque parietem veteris, & novi testamenti simul nectentem.

Unde autem suum hæc ecclesia initium duxerit. 7
Driedo 4. de variis dogmatibus; Hossius in confessione Polonica cap. 22. & alii censent suam ab Adamo traxisse originem. Turre cremata in summa de Ecclesia lib. 1. cap. 25. & 27. cum communiori sententia putat Abelem huic ecclesiæ initium dedisse; huic sententiæ visus est adhæsisse S. Augustinus in Psal. 142. & lib. 15. de civit. Dei cap. 2. Verùm si termini explicentur dissidentes sententiæ facilè reconciliantur. Etenim si Ecclesia ea dicatur homi-

num

num multitudinem quam cultus Dei absolutè, & fidei in unam conjungit societatem; & præscindamus ab æternis cæremoniis, ac signis, quibus Dei cultus declaratur in hoc sensu suam ab Adamo origiem ducit. Sin verò sumatur ecclesia cum cultu indicato exteriùs, & sensibiliter per ritus, & cæremonias sensibiles; tunc non constat Ecclesiam incæpisse ab Adamo; quia evinci non potest, Adamum cæremoniam aliquam externam, ac sensibilem usurpasse ad hunc Dei cultum significandum, quamvis fortassis Adam tale signum adhibuerit: unde ecclesia cum usurpatione hujus signi sensibilis externi indicantis Numinis culpam suam ducit originem ab Abele cui ab adolescentia erat indoles comis, mansueta, & placida reverentia in parentes commendabilis, & religio in Deum magna, cui quoties per immolatas victimas supplicavit quidquid optimi in gregibus, & frugibus inerat hilari vultu, prompta manu in sacrificium offerebat; cum Cainus frater soleret perfunctorius esse in cultu Numinis cui nonnisi deteriora dicabat melioribus in proprium commodum reservatis: idque causæ cur per discretos utriusque Numinis cultus discreta fuerint & præmia consecuti: etenim super Abelis victimas divinus è cœlo favor cecidit, & eo clarior quo per flammas illustrior.

8 Ecclesia verò ut solam complectitur Christianorum multitudinem adhuc pressius describitur *multitudo hominum quos in unam societatem congregat non solùm verus Dei cultus in hac vita & vera cognitio, verùm etiam idem Baptismi sacramentum; & eadem professio Christianæ religionis.* Per postrema præsertim verba differt Ecclesia novi testamenti à veteri synagoga in lege Mosaica; quia omnes & soli Christiani ad illam pertinent sive prædestinati sint, sive reprobi; sive virtutis cultores; sive vitiis indulgentes, & cujuscunque sint conditionis dummodo fide integra credant omnia & singola quæ sunt credenda; hinc hæretici ad Christi ecclesiam non pertinent tanquam membra, quia non credunt fide integra, & omnia quæ ecclesia docet esse credenda; & licèt Christi nomine glorientur velintque & ipsi Christiani esse, ac dici, est tamen hæc nomenclatio veluti quædam tantùm dealbatio ut loquitur Augustinus extimam tantùm ornans superficiem, non intus animam neque pectoris intima penetrans: ait Augustinus lib. de Nupt. & concup. cap. 31. *Non quia videntur Ecclesiæ Christi habere nomen, ideirco pertinent ad ejus consecrationem.* Verùm licèt Hæretici membra ecclesiæ non sint, inficiari tamen non possumus, quin aliqua ratione pertineant, & ipsi ad ecclesiam ratione baptismi, & characteris: post enim susceptum baptismum per totum septennium ante usum rationis fuerunt membra ecclesiæ, à qua postea per hæresim cui adhæserunt se separunt; dicuntur propterea, & sunt membra separata ab ecclesia perinde ac manus à corpore abscissa cui antea fuerat unita. Hæc ratio cur Ecclesia hæreticos puniat. Neque adversatur Apostolo 1. Corinth. cap. 5. *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare?* quia Apostolus ibi de iis tantùm loquitur, qui nunquam in ecclesia fuerunt ut Ethnici, & infideles; hæretici autem per susceptum baptismum fuerunt in ecclesia ad quam pertinebant ut membra cathecumeni etiam si per votum baptismi coolecuti sunt divinam gratiam, ac fidem integram habeant, credantque omnia, & singula quæ ecclesia docet esse credenda pertinent & ipsi ad ecclesiam secundum meritum, quamvis non propriè secundum numerum ut cum Turre cremata sentit communior Theologorum sententia, quia nondum in re baptismum susceperunt per quem propriè dicimur ecclesiam ingredi: est enim ecclesia prout ad solos pertinet Christi fideles; cœtus, seu multitudo hominum, quos in unam societatem congregat non solum verus Dei cultus in hac vita, & vera cognitio licet obscura per fidem; sed etiam idem baptismi sacramentum, & eadem professio Christianæ religionis.

Neque hæc hominum multitudo acephala est, sed 9 sub legitimo unitur capiti, seu Romano Pontifici, qui est Episcopus totius universalis ecclesiæ longè lateque per singulas terraquei globi partes diffusæ; & ecclesiæ partiales suis itidem Pastoribus subordinatis Romano Pontifici copulentur: in quo sensu S. Cyprianus epist. 69. ad Florentianum Pupianum ait *Ecclesia est plebs sacerdoti adunata; & Pastori suo grex adhærens.* S. Augustinus in Psal. 34. & in Psal. 149. *Ecclesia est populus Dei tota orbe terrarum diffusus.* Isidorus Pelusiota lib. 11. epist. 246. *Ecclesia est Sanctorum cœtus ex certa fide, atque optima vivendi ratione collectus.* S. Thomas plerisque in locis ait Ecclesia *est congregatio fidelium* quæ definitio utrique congruit Ecclesiæ militanti, & triumphanti: illa est quæ peregrinatur in terris à solis ortu usque ad occasum laudans nomen Domini. Triumphans est in cœlis ubi fideles facie ad faciem ut loquitur Apostolus vident, quem ferventissimo affectu amant, laudant, glorificant. De utraque ecclesia ait S. Augustinus in Enchirid. cap. 56. *Una est in* fide (nimirum militans) *Altera in specie* (scilicet triumphans) *una in tempore peregrinationis; altera in æternitate mansionis: una in labore, altera in requie; una in via, altera in patria.*

CAPUT II.

Quomodo Ecclesia in SS. Scripturis significetur per varia Symbola.

1 Ecclesia Symbolicè in SS. Scripturis variè repræsentatur: etenim in veteri testamento Symbolum Ecclesiæ ponitur Paradisus terrestris Genes. 2. 8. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis* seu Ecclesiam ait Augustinus *lib. 13. de civit. c. 2.* cui non dissentitur S. Ambrosius *lib. de Paradiso* loquens: Paradisus est Ecclesia; quatuor flumina sunt quatuor Evangelia; ligna fructifera sunt Sancti; fructus opera Sanctorum; lignum vitæ Christus.

2 Secundò Ecclesiæ Symbolum fuit Arca Noetica *Genes. 7. & 8.* Noe Christus qui fundavit ecclesiam perinde ac Noe arcam ædificavit columba in Arca Spiritus S. assistens ecclesiæ; olivæ ramus Dei gratia, & benignitas ut edisserit S. Joan. Chrysostomus *tom. 6. tract. de terræ motu.*

Tertiò Rachel Symbolum præsefert ecclesiæ *Genes. 29. 30.* quia Christi sibi desponsavit ecclesiam ut notat S. Paschasius *lib. 2. in Matth.* 3

Quartò ecclesiæ symbolum est tunica polymita 4 versicoloribus intexta liciis quàm in tesseram amoris præcipui Jacob dono dederat Josepho filio præ cæteris dilecto Genes. 37. 31. S. Bernardus Apolog. ad Guilielmum Abbatem; de Josephi tunica patiata ecclesiæ ait. *Novissima quippe est, quia polymita idest pulcherrima varietate distincta: sed sanguine ap-*

 paret

paret intincta: ecclesia enim martyrum sanguine irrigata splendet nitidior in purpura. Est igitur ecclesia tunica polymita non Josephi qui liberavit Ægyptum: sed Christi qui mundum salvavit.

5 Quintò civitas ipsa Hierusalem symbolum fuit ecclesiæ cum de ipsa dixerit Isaia 60. *Ecce tenebra operient terram, & caligo populos; super te autem orietur Dominus; & gloria ejus in te videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo: & reges in splendere ortus tui*: quæ omnia à SS. Patribus adoptantur ecclesiæ militanti: quæ dum tenebræ Ethnicismi operirent terram; & caligo cæcitatis Judæam inumbraret, Bethlehemitica in caula apparuit Deus nostra indutus humanitate, cujus gloriam narrarunt Angeli pacem terræ annunciantes; & cujus lumine seu stella prævia duce reges venerunt nato in terris cœlorum regi sua in oblatis muneribus exhibuerunt obsequia; & gentes beneficio interni luminis seu divinæ gratiæ didicerunt viam perambulare salutis, cum autem gratia destituti, ac tenebris obvoluti Ethnicismi, non nisi vias percurrerent perditionis.

6 Sextò symbolicè repræsentatur ecclesia per montem Sion Psal. 2. 6. *Super Sion montem sanctum ejus* quæ verba expendens Cassiodorus ait: *Sion hebraicè dicitur specula, quæ competenter aptatur ecclesiæ, quæ ad futuras spes sufficienter instructa, promissiones Domini mentis providentia contuetur*. Peraptè symbolum ecclesiæ astruitur mons Sion; quia ecclesia ob eminentiam sanctitatis, ac fidei firmitatem mons est excelsus, ac immobilis.

7 Septimò Regina venustè, ac eleganter induta symbolum præsefert ecclesiæ Psal 44. 10. *Astitit regina à dextris tuis circumdata varietate* ait S. Bernardus in Apolog. ad Guilielmum Abbatem: *Ecclesia pluribus namque dissimilibus variatur ordinibus, ut pote regina, qua legitur circumamicta varietatibus*. Hæc varietas virtutum indicat pulcherrimam diversitatem; *ornatur ecclesia* (ait Cassiodorus) *auro Apostolorum, argento Prophetarum, gemmis virginum, cocco martyrum, purpura Pœnitentium*.

8 Octavò vestis elegans pretiosis ornata gemmis symbolum est ecclesiæ Psal. 92. 1. *Dominus regnavit decorem indutus est*, quæ verba expendens S. Anselmus ait lib. de vestitu & attribut. Dei *vestimentum Domini S. Ecclesia*.

9 Nonò Ecclesiæ symbolum exhibet Luna Psal 71. 5. *Permanebit cum sole, & ante lunam* quia ut explicat S. Chrysostomus: *Ecclesia perinde ac luna crevit in Sanctis; decrescit in peccantibus*.

10 Decimò civitas exigua obsidione vallata, & à virtute viri pauperis vendicata symbolum exhibet Ecclesiæ Eccles. 9. 14. *Civitas parva, & pauci in ipsa viri: venit contra eam rex magnus, & vallavit eam, extruxitq; munitiones per gyrum; inventusq; est in ea vir pauper, & sapiens, & liberavit urbem per sapientiam suam*. Mysticè per hanc parvam urbem ecclesia in terris militans intelligitur; quia collata cum triumphante parva est; paucique in ipsa viri sunt præsidiarii scilicet Sancti, & electi. Rex magnus, qui hanc pressa obsidet circumvallatione est Cacodæmon, qui quotidie hanc circuit civitatem, ejus cives, ut faciat sui juris. Vir pauper qui sua virtute, & consilio hostes fugavit, & urbem liberavit est Jesus Christus qui pretio cui sanguinis à Dæmonis servitute nos liberavit.

11 Undecimò est ecclesiæ symbolum Ferculum Salomonis Cant. 3. 9. *Ferculum fecit sibi rex Salomon*. Est fere u'um in hoc loco gestamen quo pompa deferri consueverat, ut quo sensit Suetonius in Cæsare; ait; Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulisse titulum *Veni vidi vici* seu inter pompæ triumphalis gestamina. Sumitur etiam ferculum pro pulpito in quo Numinis simulacrum reponebatur. Ecclesia igitur Romana cæteris dominatur ecclesiis toto orbe sparsis; & summus Pontifex veluti Salomoo præest, cujus ferculum est cathedra S. Petri è qua docet populos. Hoc Salomonis ferculum dicitur propterea factum ex cedris Libani, quia firmissimum est, nullique obnoxium corruptioni: non enim cedrus cariem sentit; & D. Petri cathedram nulla hactenus heresis labes infecit; neque portæ inferi erunt unquam adversus eam prævaliturae.

Duodecimò ponitur ecclesiæ symbolum hortus 12 conclusus Cant. 4. 12. *Hortus conclusus* quia in Ecclesia vomere exculta evangelico, sanguine irrigata martyrum, sudoribus perpluta confessorum flores germinant virtutum omnium, qui in fructus excrescunt, & maturiunt æternæ gloriæ ait S. Chrysologus ser. 98. *Hortus clausus est ecclesia, evangelii vomere orbe toto diffusa cultura; clausus stimulis disciplina, fidelium plantariis, liliis virginum, rosis martyrum, confessorum viriditate amœnus, fragrans floribus sempiternus*.

Tertiò decimo producitur Aurora symbolum ec- 13 clesiæ Cant. 6. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora*: quia ecclesia divini solis perfusa lumine tenebras excutit errorum; noctemque fugat malè operantium & diem invehit veritatis, ac divinæ gratiæ beneficio sacramentorum, quæ suis impertitur fidelibus.

Quartodecimò quadrigæ Aminadab symbolicè 14 referunt Ecclesiam Cant. 6. 11. *Conturbavit me propter quadrigas Aminadab* quia si quadrigæ Aminadab primæ maris rubri pertransierunt sicca divortia, ad terram promissionis ductura Israëlitas: ecclesia per martyrum sanguinem veluti per mare rubrum fideles perducit ad cœlestem patriam; & quo plures evehantur in cœlum pluribus gaudet pariati quadrigis, imò & curribus Psal. 67. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex*. Hugo Cardinalis per hos currus ecclesiam intelligit bonos, & virtutum culturæ addictos evehens ad cœlestem patriam.

Quinto decimò producitur ecclesiæ symbolum 15 ipse orbis terrarum Sapien. 1. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, seu ecclesiam Jesu Christi diffusam per totum orbem. Pariatur ecclesia orbi terrarum ait S. Bonaventura ob cui dilatationem, sui perfectionem; ornatum virtutum, inconcussam stabilitatem; propter compressionem, & attritionem; ob generis humani sustentationem; ob doctrinæ salutaris originem.

Sexto decimò accersitur ecclesiæ symbolum lili- 16 um florum innocentissimum ob candoris integritatem, & odoris fragratiam Cant. 2. Sicut lilium in medio spinarum ubi Augustinus lib. de unit. eccles. cap 13. *Est in Cantico Canticorum, quod de S. Ecclesia dictum omnis Christianus agnoscit: Sicut lilium in medio spinarum: ita proxima mea in medio filiarum. Unde appellat spinas nisi propter malignitatem morum? Et easdem unde filias, nisi propter communionem Sacramentorum?*

Decimo septimò vinea labore exculta sumitur pro 17 ecclesiæ symbolo Isa 5. 1. *Vinea facta est dilecto* ait D. Thomas vinea est militans ecclesia, cujus coloni sunt prædicatores, & Doctores, vites, & plantæ frugiferæ pii fideles, & fructus eorum bona opera. Decimo octavo ecclesiæ symbolum Isaiæ 26. accersitur civitas in monte posita: hæc est urbs fortitudinis Sion. Salvator in ea murus, & ante murale.

In novo testamento symbolicè repræsentatur Ec- 18 clesia

clesia per mulierem abscondentem fermentum Matth 13. 33. *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus.* Hæc mulier accipiens fermentum Ecclesiam symbolicè repræsentat ait S. Chrysologus serm. 99. *Mulier, quæ accepit fermentum ecclesia est: Fermentum quod accepit, cœlestis doctrinæ sacramentum mensuræ tres. in quibus perhibetur abscondisse fermentum, Lex, Prophetæ, Evangelia: ubi divinus sensus mystico absconditur, & celatur in verbo; ut fidelem non lateat; lateat infidelem.*

19 Secundo per montem olivarum Matth. 21. 1. *Et cum venissent Bethphage ad montem oliveti.* Mons oliveti symbolicè præsignat ecclesiam, in qua fideles oleam pacis custodientes fructificantr, & olivas producunt oleum suppeditantes quo lychnus alitur charitatis; possitque propterea quisque fidelis de se ipso asserere. *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei.*

20 Tertiò ecclesiæ symbolum accersitur paradisus Apocal. 2. 7. *Quod est in paradiso Dei mei* seu in ecclesia quæ ut paradisus quatuor evangeliorum fluentis irrigatur, flores virtutum excoluntur, & fructus maturiunt meritorum.

21 Quartò Ecclesiæ symbolum cœlum ipsum ponitur Apocal. 4. 1. *Post hæc vidi: & ecce ostium apertum in cœlo:* seu in ecclesia ut expendit Richardus Victorinus; quia Ecclesia perinde ac cœlum per cœlestem conversationem est exaltata; per fidei firmitatem, & invictam constantiam consolidata? corporali mansione usque ad terminos terræ; & spirituali dilectione ad amicos æquè ac inimicos circumquaque dilata; solis justitiæ, qui eam illustrat claritate; & justitiæ divinitus sibi collatæ splendore; & sanctorum Doctorum, atque perfectorum virorum præclara actione, quasi lumine solis & lunæ, sive innumerabilium stellarum lucidissima.

22 Quintò mulier amicta sole nobile exhibet Ecclesiæ symbolum Apocal. 12. 1. *Mulier amicta sole. & luna sub pedibus ejus.* Est ecclesia amicta sole, seu Christo ornata, qui est verus justitiæ sol gratiæ suæ radiis illuminans fideles ut veritatem fidei agnoscentes eidem firmiter, ac constanter adhæreant, errorumque nocturnas caligines excutiant, lunamque falsæ doctrinæ pedibus conterant. Est luna sub pedibus Ecclesiæ *Luna sub pedibus ejus*, non super caput, quia omnis doctrina, quæ cum fide non concordat pedibus conculcanda est, & omni habenda contemptui. Ecclesia in capite non tumidas Philosophorum sententias fovet, sed sidereo amat coronamento coruscare: *& in capite ejus corona stellarum duodecim*; seu diademate coronari ex duodecim fidei articulis compacto.

23 Sextò Navis Institoris de longe portans panem symbolum præsefert Ecclesiæ, quia hæc veluti navis perditantes fideles in fluctuante, ac procelloso hujus vitæ pelago ad malaciam ducit cœlestis portûs, & post toleratas ærumnas, post exantlatos labores ad quietem vehit cœlestis patriæ; & ne deficiant in trajectione hujus fluctuantis maris panem secum vehit Eucharisticum quem suppeditat ad vires reficiendas.

24 Septimò symbolum ecclesiæ ponitur area in qua triticum est cum palea donec cribro purgatum & à palea sejunctum reponatur in horreum; & palea igne comburatur; in ecclesia enim boni simul cum malis admixti sunt; perinde ac in arca genera omnia fuerunt animalium, ita in ecclesia varii gentium populi ut notavit S. Hieronymus advers. Lucifer. *Arca Noe typus ecclesiæ fuit; ut in illa omnium generum animalia; ita & in hac universarum gentium, & hominum mores sunt: ut ibi pardus & hædi, lupus & agni: ita & hic justi & peccatores. Habuit Arca nidos suos; habet ecclesia plures mansiones,*

25 Octavò ob hanc gentium hominumque diversitatem ponitur itidem symbolum Ecclesiæ sagena, in qua omnium piscium genera congregantur Matth. 13. 47. *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti; quam cum impleta esset educentes, & secus litus sedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt: sic inquit erit in consummatione sæculi. Exibunt Angeli & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis.*

26 Octavò symbolum Ecclesiæ ponitur etiam regnum cœlorum Matth. 25. 1. *Simile est regnum cœlorum*, (id est Ecclesia ut explicat D. Gregorius) *decem virginibus* quarum quinque erant prudentes, & quinque fatuæ, quia in ecclesia sunt viri justi virtutum cultores, qui oleo bonorum operum accensum jugiter lychnum charitatis nutriunt; & sunt vitiis indulgentes, qui desides negligunt oleum rectæ operationis sibi comparare quorum propterea lampades deficiente nutrimento charitatis extinguuntur virginibus fatuis haud impares. Vocatur Ecclesia regnum cœlorum, quia cœlestem habet regem, cui subest; cœlestem itidem habet legem, qua dirigitur; cœlestes habet sponsiones, quibus consolatur inter ærumnas, gaudet in afflictionibus, lætatur, & triumphat in persecutionibus: cœlestem habet cibum Eucharisticum quo se reficit, vires corroborat seque ad pinguedinem gratiæ nutrit. Sed si omnia quæ ecclesiæ insunt cœlestia sunt; cur non dicitur ipsa symbolicè regnum cœleste prius, quàm cœlorum? quia hebraica phrasis vocat ecclesiam regnum cœlorum, perinde ac virum fortem vocat virum fortitudinis.

27 Nonò exprimitur symbolicè ecclesia per domum ornatam, ac plurima supellectili locupletata Apostolus 2. Timot. 1. *In magna domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea; sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem; quædam autem in contumeliam.* Est ecclesia domus Dei viventis, in qua ex nuptiis redux pater familias, ubi suos invenerit servos vigilantes præcinget, & ministrabit illis: in qua sola agnus Paschalis manducatur: extra quam salus non est, neque vita, neque fides, neque justitia, neque veritas, quia in hac sola reperitur columna, & firmamentum veritatis, extra quam nulli datur Spiritus S. qui ecclesiæ semper assistit, neque permittit portas inferi adversus eam prævalere: quapropter ecclesia justissima est statio, ac unicus salutis portus, in quo nemo naufragium patitur, nemo perit, nisi malè, ac indignè vocatione sua abutatur, luridè vivat, vitiis se coinquinet. Est ecclesia splendidissima cynosura portum æternæ quietis trajicientibus fluctuans mare præsentis vitæ præsignans. Est ecclesia illud ovile ovium, quibus anteit Pastor bonus, quem oves sequuntur, ejusque vocem audiunt.

28 Pluribus aliis exprimitur ecclesia symbolis, ut per ædificium 1. *ad Timoth.* 3. ait Apostolus: *Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est ecclesia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis:* est ædificium, cujus fundamentum, artifex, & habitator Christus Jesus est, qui propterea dicitur *lapis angularis, fundamentum* præter quod nemo potest aliud ponere: si dicas hoc fundamentum esse in cœlis ad dexteram Patris; & ecclesiam in terris militante; id non inficior, sed si ædificium materiale, quia constat lapidibus, lignis calce gypso, arena, ferro, quæ singula gravitant, & deorsum in imâ tendunt

A 3 dunt

dunt terrarum; in imo, ac in terræ visceribus suum claudit, ocultatque fundamentum: Ecclesia quia ædificium est spirituale; quamvis sit in terris posita, & superstructa, ejus tamen fundamentum in cœlis est, quia sursum tendit, ad cœlestia aspirat, non terrenis inhæret scitè D. Augustinus in Psal. 29. enarr. 11. *Ecclesia Dei in imo positum tendit in cœlum. Fundamentum ergo nostrum ibi positum est Dominus Jesus Christus sedens ad dextram Patris.*

29 Dicitur etiam ecclesia *Grex ovium Christi* Joan. 10. *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde ille fur est & latro.* & Act. 22. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

30 Ponitur itidem symbolum ecclesiæ sponsa ait Apostolus 2. ad Corinth. 11. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* & ad Ephes. 5. *Viri diligite uxores vestras; sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Descendit de cœlo, & venit in mundum ut hanc sibi copularet sponsam in sempiternum, in justitia, & judicio; in misericordia, & miserationibus, & in fide: & licèt electa fuerit ab æterno; in tempore tamen collecta ex omni tribu, & lingua, & natione, proptereа lurida, fœda, ægra, deformis; cum primùm cœlestis sponsus eam sibi copulavit omnem abstersit maculam, delevit fœditatem, sanavit infirmitatem: quia ut ait S. Augustinus in Psal. 44. Hanc suam sponsam, seu ecclesiam *lavit à peccatis sanguine suo, & mundavit lavacro aquæ in verbo vitæ, ornavit etiam vestitu deaurato,* seu vestitu salutis, indumento justitiæ. Quòd si sponsus cum sua sponsa sit unum corpus; etiam ecclesia vocatur corpus Christi. Ad Ephes. 1. *Et ipsum dedit caput suum supra omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius* & ad Colossenses 1. *Adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Est autem hoc corpus mysticum, quia arcana virtute gratiæ divinæ formatum, verum, & reale, cui plura insunt membra distincta, quæ unum efficiunt corpus 1. ad Corinth. 12. *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa: omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus.*

CAPUT III.
Quomodo Ecclesia Christi sponsa evincatur in terris existere.

1 HActenus nomen, essentiam & varia symbola quibus in Ecclesia in utroque testamento veteri, & novo exprimitur, & expressa dilucidatur, expendimus; superest inquirendum, utrum de facto existat in terris, & ubi pascat, ubi cubet pulcherrima hæc mulierum, quam Christus suam delegit sponsam. Cum definiatur ecclesia cœtus fidelium Christianorum; & Lutherani, Calvistæ, Anabaptistæ, & alii Acatholici arbitrentur à se ipsis hunc constitui cœtum, & ecclesiam, examinandum est an vagetur post greges alienarum gentium non communicantium cum Catholis quos fides integra Ecclesiæ catholico-Romana doctrina, & sacramenta à Christo instituta simul unit in unum cœtum fidelium.

2 Ecclesiam Jesu Christi in terris existere nos edocent sacræ scripturæ. Apostolus ad Galat. 7. *Persequebar Ecclesiam Dei:* quod non existit nemo dicitur persequi; & eandem quam expugnare adnitebatur ecclesiam, totis postea vitibus propugnavit, ac proprio sanguine decoravit. 1. ad Timoth. 3. *scias quomodo, te oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi:* sin autem non existeret vera Jesu Christi ecclesia, quomodu diceretur quis modum edoceri rectè conversandi, ac ritè se gerendi? Hanc ecclesiæ in terris existentiam adstruit, nosque docet magister Christus Matth. 16. *Super hanc petram* (indicans suum discipulum S. Petrum) *ædificabo ecclesiam meam:* si ædificavit ecclesiam, debet existere, est siquidem terminus ædificationis ipsa existentia ædificii, & actio in ædificiis non datur fine terminn, seu existentia rei ædificatæ.

3 Respondent Acatholici allegatis scripturis, & adductis argumentis tantùm evinci, ecclesiam aliquando extitisse non verò probari de facto existere. Plura enim à priscis Romanis fuerunt ædificia Romæ, & alibi erecta ad singularem magnificentiam, quæ licet extiterim olim nunc amplius non existunt, nec ullum ex eorundem pluribus supest et apparens vestigium: ergo licèt Apostolus fuerit persecutus ecclesiam Jesu Christi, & ex eo quod Christus eam fundaverit non inde ritè infertur eandem nunc existere; ajunt jam pridem defecisse.

Contra est quia Calvinus lib. 4. Instit. cap. 1. §. 4. Concedit extra visibilem, & catholicam Ecclesiam, neminem posse salvari, nec remissionem consequi peccatorum: verba Calvini sunt *Extra ejus gremium nulla est sperandа peccatorum remissio, nec ulla salus:* atqui semper aliqui salvantur non enim in sententia Acatholicorum omnes pœnis destinantur æternis, cum fateantur posse in propriis sectis salutem æternam consequi: ergo si concedunt extra ecclesiā neminem posse salvari, & de facto aliquos salvari necesse est concedant, de facto etiam nunc existere ecclesiam fundatam à Jesu Christo Præterea Christus ecclesiā sibi sociavit sponsam vinculo indissolubili ait Apostolus ad Ephes. 5. 31. & 32. *Propter hoc relinquet homo Patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* 4

Est igitur ex Apostolo ecclesia Christi sponsa, cujus prærogativæ tres præ cæteris recensentur, ut sit fœcunda, et enim filios parturit quot sunt fideles ad Galat. 4. 31. *Non sumus Ancillæ filii, sed liberæ.* Ut semper virgo, & intemerata perseveret; Apostolus 2. ad Corinth. 11. 2. ait: *Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Ut ex latere sponsi sit sponsa progenita, seu ex latere Christi ecclesia Joan. 19. 34. *Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua.* Licet Eva ex latere Adami prodierit fœcunda non nomen virgo permansit. Quòd vinculum quo Christus sponsam ecclesiam sibi copulavit sit indissolubile, & æternum, & nunquam defecerit liquet ex illo Psal. 47. 9. *Deus fundavit eam in æternum,* si in æternum ergo in tempore non potuit deficere ut notat D. Augustinus expendens Psal. 47. inquiens, *Sed forte ista civitas* (loquitur de Ecclesia) *quæ mundum tenuit, aliquando evertetur? Absit. Deus fundavit eam in æternum:* Ergo ecclesia à Christo separari, aut divelli nequit; neque deficere. 5

6 Ecclesiam Christi sponsam adhuc in terris existere clarè itidem evincitur Matth. 16. 18. *Super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam,* ubi duo promitit; primò se ædificaturum ecclesiam supra petram; secundò

eundò quod portæ inferi non erunt adversus eam prævalituræ: si Adversarii non prævalent, ecclesia indemnis perseverat, quia non adest à quo possit destrui, vel superari. Non enim Christus fundavit ecclesiam super arenam mobilem, ac facilè cedentem vestigiis pertranseuntium; sed super firmam petram cum dixerit Matth. 7. 14. *Assimilabitur viro sapienti; qui ædificavit domum suam super petram; & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit fundata enim erat supra petram.* Si dicit virum sapientem qui domum suam ædificat supra petram; & stultum qui super arenam, eo quia hæc facile cedat, & domus corruat; ita Christus suam fundavit domum, seu ecclesiam supra petram, ut corruere, ac deficere non posset; quando tempestas suboritur, vel venti procellosi insuflant, vel flumina aquarum impetu irruunt; seu persecutiones sæviunt, Dæmones eam aggrediuntur, & gentes nituntur eam evertere.

7 Ratio itidem suadet hanc catholicæ ecclesiæ in terris existentiam. Quia decet virum principem subditos habere populos, qui sua eidem obsequia præstent, debitam reverentiam ostendant, honore eum prosequantur, & illi studio obedientiæ obsequantur, & quos vicissim Princeps sancitis legibus tegat, eorumque commodum, & quietem promoveat; inflictis suppliciis delinquentes à delictis patrandis avertat; & impertitis præmiis virtutum cultores exhilaret: Christus autem cum sit Rex regum, & Dominus dominantium debuit & suum habere populum, à quo, ut par est, coleretur, ejus leges custodirentur, honor promoveretur; & gloria extrinseca dilataretur; & vicissim Christus populum suum legibus, consiliis, ac monitis regeret, ac ad cœlestem dirigeret beatitatem, æternamque ejus quietem, & gloriam intenderet. Hic populus est cœtus fidelium seu ecclesia in terris militans, de cujus propterea existentia nequimus ambigere. Absurdum enim esset denegare Christo in terris subditos, à quibus ut par est coleretur, cum Apostolus ad Rom. 13 scribat, *Non esse potestatem nisi à Deo*; & David fateatur omnem potestatem in subditos fuisse sibi à Deo extraditam Psal. 46. *Subjecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.* Si omnis potestas Principum in subditos est à Deo, quomodo hæc eadem potestas non erit in Christo? quomodo illi non erunt proprii subditi assignandi, à quibus in terris colatur, ac debita præstetur reverentia, & obedientia?

CAPUT IV.

Donatur explicatu visibilitas Ecclesiæ catholicæ.

1 EVicimus, Ecclesiam catholicam Christi sponsam in terris existere, superest explicandum quomodo sit visibilis. Christo adhuc vivente ecclesia perinde visibilis fuit sicut Christus, & Apostoli, ac eorum discipuli; hi tunc composuerunt ecclesiam in terris existentem, cujus caput, ac summus Pontifex fuit ipse Christus, Episcopi Apostoli subordinati, ac dependentes à Christo, adeout cœtus fidelium qui tunc constituebat ecclesiam in terris existentem, fuerint Apostoli cum eorum capite Christo, & gentes quæ ad Christum convertebantur; & nulli dubium quin tunc visibilis fuerit in terris ecclesia; ut etiam post Christi necem, ejusque in cœlum ascensionem; hinc Judæi videntes Christi ecclesiam bellum eidem indixerunt, ac variis persecutionibus divexarunt. Nota & visibilis erat Ecclesia, quæ Romæ incepit florere sanctitate, & excellere cultura virtutum, cum Apostolus Paulus 1. *ad Roman.* scribat desiderare se videre dilectos Dei vocatos sanctos, qui erant Romæ: & cap. 16. plures nominet Christianos Romanam ecclesiam id temporis componentes, quibus & salutem fuit apprecatus.

2 Constat igitur Ecclesiam saltem aliquando fuisse in terris visibilem; imò & adeo conspicuam ut Prophetæ hanc visibilitatem prædixerint, quatenus ad eam gentes omnes concurrerent ad verbum audiendum, legem recipiendam, ad judicium exercendum inter populos; & ob id portas ejus die, ac nocte apertas esse ut omnibus liber pateat aditus; & quo ejus visibilitas etiam eminus conspicua fieret, in monte sublimi, qui est Christus, posita, ac fundata prædicitur, ut inexcusabiles sint patentes omnibus hujus ecclesiæ januas non ingredientes, & non ambulantes in ejus lumine: huc accersendus Micheas Propheta *cap.* 4. inquiens. *Erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, & dicent: venite accendamus ad montem Domini, ad domum Dei Jacob; & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis ejus; quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes usque in longinquum.* Domûs Domini mons præparatus in vertice montium est ecclesia, quæ ut visibilis, in terris fieret cunctis gentibus, supra verticem montium collocatur. Quòd si ecclesia non esset visibilis, quomodo gentes eam agnoscere possent? quomodo in ipsam ingredi? quomodo ab ea separati in ejus gremium redirent? quomodo fratrem & fraterna correptione non emendatum ad ecclesiam deferri Christus juberet ab ea judicandum? quomodo excludendus esset à communione fidelium Matth. 18. *Dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Ecclesia autẽ cui dicere, & loqui jubemur, debet nobis, & fratribus peccantibus esse nota, alioquin non possemus illam adire, nec cum ipsa loqui; quia nobis non innotesceret an esset ecclesia.

Rursus ut inemendatum habeam ut Ethnicum, & publicanum; debet mihi innotescere, quod ecclesiam noluerit audire; hæc autem singula debent necessariò supponere veram mihi habere notitiam ecclesiæ, quæ propterea debet mihi esse visibilis, quia de iis, quæ sub sensus non cadunt, non possum immediatam notitiam habere, sed tantum per medium aliquod priùs cognitum: ergo Ecclesia ejusque authoritas debet aliquibus inesse personis, quæ adiri ad me possint, & audiri, ut mihi innotescat, an debita iisdem præstetur obedientia; & in iisdem personis quæ ecclesiasticæ nuncupantur, fit mihi ecclesia visibilis. 3

Evincitur igitur ecclesiæ catholicæ visibilitas, eò quia sit in personis, quæ visibiles sunt, & quas possumus adire; & cum ipsis loqui; sitque propterea ecclesia Plebs sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens, ut loquitur S. Cyprianus. Si dicas mihi non innotescere an plebs illa suo adunata Sacerdoti veram habeat fidem cum possit quisque eam dissimulare. Respondetur sufficere si sciam illam hominum societatem simul esse adunatam, & suo adhærere pastori per ejusdem fidei professionem in Baptismo, & communionem aliorum sacramentorum, ac eundem divinum cultum, quæ omnia sub sensum 4

sensum cadunt: unde S. Augustinus lib. 3. contra Epistolam Parmeniani cap. 5. ait: *Nulla est securitas unitatis nisi & promissis Dei Ecclesia declaratà, quæ super montem posita, & constituta abscondi non potest: & ideo necesse est, ut omnibus terrarum partibus nota sit.* Cæterum an hic vel ille habeat veram fidem non est necesse id sciam; non enim possum de internis judicare neque discernere quis sit hypocrita, quis fidem dissimulet. alioquin homo ille qui à me accusaretur posset se excusare, ac dicere se nescire, an illi judices intus sint fideles, consequenter veri ecclesiæ pastores, & hoc subterfugio possent se ab eorum jurisdictione eximere, quo pacto negaret à se non audiri ecclesiam, quamvis Pastores non audiat: quomodo possent adiri judices de quorum legitima jurisdictione non constaret? sufficit igitur si videamus hominum cœtum per veræ, ac integræ fidei professionem, & in omnium septem sacramentorum communione Deum colentium suis adhærere pastoribus; hunc cœtum visibilem dicimus veram esse in terris militantem ecclesiam catholicam visibilem, & homines illos esse fideles.

5 Non enim ecclesia est societas quædam Angelorum, vel animarum invisibilium, quæ à corporibus sunt sejunctæ, sed hominum qui sub singulos sensus cadunt, ac propterea visibiles sunt: non enim dici potest societas hominum qui sub singulos sensus cadunt, ac propterea visibiles sunt: non enim dici potest societas hominum nisi in externis & visibilibus speciebus veros, ac reales exhibeat homines: qui in unum associantur cœtum necesse est se videant, cognoscant, audiant; neque possent socii se audire, & cognoscere nisi per signa sensibilia externa: unde cum membra ecclesiæ sint visibilia necesse est, & ipsa ecclesia sit in terris visibilis: constat enim ecclesia in terris militans ex hominibus fidelibus, quos integra fides per baptismum susceptum, & aliorum sex sacramentorum participatio in unum copulant cœtum suo adunatum Pastori seu summo Pontifici Romano, qui est Episcopus Ecclesiæ universalis diffusæ per singulas mundi partes; quæ omnia sunt visibilia; quia ut scribit Apostolus ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*; hinc S. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 11. ait: *In nullum nomen religionis, sive verum, sive falsum coagulari homines possunt nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.*

6 Contra hanc ecclesiæ visibilitatem opponunt hæretici nonum articulum fidei in symbolo Apostolorum ubi dicitur *credo sanctam ecclesiam catholicam* ex quo conficiunt istud sophisma. Quod fide creditur hoc oculo corporeo non est visibile: sed ecclesia catholica in nono fidei articulo fide creditur: ergo non est visibilis: quod enim est visibile non credimus, sed scimus, quia illud videmus, fides est ex auditu, non ex visu. hinc Lutherus in lib. de abroganda missà privata part. 1. ait. *Quis Ecclesiam nobis monstrabit? cum sit occulta in Spiritu S. & solùm credatur? sicut dicitur credo ecclesiam sanctam*: & Brentius in confess. Witenbergicâ hanc oppugnans ecclesiæ visibilitatem ait. *Vide quod Papista faciat ecclesiam visibilem, & sensibus corporeis perspectam. Delendus ergo erit ille articulus symboli Apostolici. Credo ecclesiam sanctam catholicam, & erit sic reponendus Video, & sentio Ecclesiam catholicam.*

7 Solvitur facilè hoc sophisma si observemus in symbolo non dici *credo ecclesiam simpliciter*, sed cum addito *credo ecclesiam sanctam*: sanctitas, quia occulta in spiritu invisibilis est & à nobis creditur, non videtur: ecclesia verò, quæ est cœtus hominum in unam societatem adunatus per fidem integram, ac extrinsecam, & verbalem professionem ejusdem in susceptione baptismi, & per participationem reliquorum sex sacramentorum, & adhæsionem ad suum Pastorem, seu Romanum Pontificem, est visibilis, adeo ut quæ conjunctim cum sanctitate creditur per fidem præcisa & seorsim à sanctitate sit visibilis, & cadat sub sensus. Cum igitur dicitur, quod fide credimus; hoc non est visibile, distinguendum est; non est visibile secundùm id, quod sub fidem cadit conceditur, negatur verò non esse visibile sub alia ratione, quæ sub fidem non cadit sed sub sensum æternum. Neque est quid novi aliquid credi tantùm, & non videri sub una ratione; & è converso videri, & non credi sub alia ratione. Apostoli videbant in Christo humanitatem, quam cùm oculis attingerent, cognoscebant non credebant, cum credere, seu fides dicatur esse ex auditu non visu: & in eodem Christo credebant divinitatem, quam non videbant: ita in ecclesia credimus sanctitatem, quam non videmus & videmus cœtũ fideliũ qui cadit sub sensum visûs. Rursus in susceptione baptismi videmus externam aquam, & ablutionem; & non videmus, sed credimus internam vim regenerandi. In susceptione sacramenti pœnitentiæ audimus ministrum hujus sacramenti proferentem verba absolutionis, non verò videmus ipsam remissionem, quam credimus. In sacris scripturis videmus chartam, literas, & credimus, quæ in iisdem legimus: alia sexcenta possent facilè exempla congeri.

Si dicas in illo cœtu visibili hominum posse plures 8
fidem tantùm dissimulare, & non pertinere ad ecclesiam, ut membra illius cum revera non sint fideles. Adhæc respondetur cum distinctione; possent aliqui dissimulare fidem, & non esse membra ecclesiæ secundùm internum affectum transeat: secundùm externam doctrinam quam audiunt, & dissimulant profiteri negatur, quia hæc doctrina quâ cœtus hominum simul in unam adunantur societatem, percipiunt sacramenta, & obediunt summo Pontifici ut pastori, est doctrina ecclesiæ, quam constituit. Dupliciter potest intelligi nos fide credere ecclesiam. Primò ut fide credamus singulos homines in ea existentes esse verè fideles, sanctos, & interno affectu sectari doctrinam Christi; & hoc est falsum, quia plures possunt in ecclesia visibili esse hypocritæ, ac dissimulare exteriùs fidem, cui interno affectu minimè adhæreut. Secundò ut fide credamus, in ecclesia tradi, & conservari doctrinam Christi; & homines per susceptum baptismum, & professionem externam fidei integræ in unum coire cœtum, qui propriè sit ecclesia, & hoc sensu credimus omnes quotquot continentur in hoc cœtu pertinere ad ecclesiam, quod verum est: quia sufficit si per professionem fidei integræ, per participationem omnium sacramentorum, & per adhæsionem æternam, & obedientiam quàm præstant summo Pontifici, simul copulentur, tunc censentur membra ecclesiæ etiam qui ex hoc cœtu fidem tantùm dissimulant exteriùs, licèt interno affectu eidem non adhæreat; quapropter cum dixerunt hæretici hos non pertinere ad Ecclesiam, respondi transeat hoc, quia verum non est si ritè explicetur: quotquot enim profitentur fidem integram exteriùs sunt ex vi talis professionis membra ecclesiæ, ad quam pertinent, tametsi hypocritæ sint, & in corde infideles.

Secundò possumus contra Acatolicos aliter expli- 9
cate præfatum articulum nonum in Symbolo Apostolorum,

stolorum, ut ecclesiam, ceu cœtû fidelium videamus: ejus doctrinam audiamus, sed ejus veritatem non videamus, sed credamus cœtum fidelium legitimo Pastori adunatum per participationem sacramentorum, & professionem integræ fidei videmus; sed hunc cœtum esse veram ecclesiam non videmus, cum id non cadat sub sensum, sed credimus, seu fide apprehendimus. Videmus ecclesiam, seu cœtum fidelium, sed Spiritum Sanctum quo regitur non videmus, sed credimus. Apostoli Christum esse verum & realem hominem viderunt; sed esse filium Dei vivi crediderunt.

Tertiò aliter etiam explicatur præfatus articulus nonus Symboli Apostolici apud S. Cyprianum: quia credimus unam sanctam ecclesiam, seu quòd non sint plures; sed unica tantùm, in qua haberi possit sanctitas una fides, unum verum, & legitimum baptisma: una sine macula absque ruga perfidiæ, quia doctrina ejus vera est, à Deo tradita, & revelata, & per Apostolos, ac eorum discipulos per totum orbem propagata post Christi in cœlum ascensionem, ac Spiritus Sancti acceptionem, adeout fide credamus hæc omnia, ut & locum, unde inceptura erat, diffundi, cum hæc fuerimus à Christo edocti Luc. 24. *Dixit eis, quoniam sic oportebat Christum pati, & resurgere, & prædicari in nomine ejus pænitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Jerosolima, vos autem testes estis horum.* In Actibus etiam Apostolorum Christus suos alloquens discipulos ait cap. 1. *Accipietis virtutem Spiritus Sancti supervenientis in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.* Est igitur fide divina credendum quod Ecclesia Christi sit una tantum, sancta, immaculata, in quam ob assistentiam Spiritus S. portæ inferi non sint prævaliturae, sitque duratura usque ad finem mundi. Sed præter hæc omnia quæ credimus de ecclesia, pleraque alia sunt quæ videmus; siquidem videmus hominum cœtum suo adunatum Pastori, seu summo adhærentem Pontifici, cujus doctrina pascitur, videmus aquæ effusionem in suscipientibus baptismum; sacramentorum administrationem, fideles communicare & sacram suscipere synaxim, unà convenire ad preces fundendas in ecclesiis.

CAPUT V.
An visibilis Ecclesia catholica complectatur non solùm bonos, sed etiam malos.

1 Dicendum est in Ecclesia catholica visibili bonis, & sanctis permixtos esse hypocritas, malos, invidos, ac peccatores, assentiuntur huic asserto catholici omnes: imò & ipse Calvinus lib. 4. Instit. §. 7. ubi loquens de ecclesia Jesu Christi ait: *In hac autem plurimi sunt permixti hypocritæ, ambitiosi, avari, invidi, maledici*; & §. 23. asserit Christi ecclesiam esse quidem sanctam verum & simul esse ex bonis, & malis permixtam; & ad id evincendum adfert parabolam, in qua Ecclesia reti similis dicitur, in quo genera omnia piscium colliguntur; neque seligontur donec sagena fuerit ad littus deducta. Perinde qui in ecclesia colliguntur boni, & mali, quamvis in hac vita non separentur, sejunguntur tamen in litore alterius vitæ, ut & in extremo judicio, ubi æternus Judex separabit malos de medio Justorum, & hædos ab ovibus. SS. Patres hoc idem adstruunt Augustinus tract. 6. in Joannem ait: *Nos fatemur in ecclesia catholica, & bonos, & malos esse; sed tanquam grana, & paleas*, quia licet palea admixta sit in campo, & spica frumento in area, tamen adigitur palea vel bacillis, vel jumentorum conculcatione separari à frumento, quod asservatur in horreis; & palea extraditur igni comburenda: in Ecclesia justi frumento pariantur in horreis cælestis patriæ asservando; improbi vero paleæ flammis addicendæ gehennalis fornacis, & æternùm comburendæ; quia improbi æternùm torquebuntur igne gehennæ. Sunt igitur in ecclesia visibili catholica permixti boni, & mali, quod repetit S. Augustinus serm. 107. de tempore inquiens. *Habet ecclesia in se fortes, habet infirmos, habet justos, habet & injustos*; & in Psal. 47. expendans cœtum fidelium qui construit ecclesiam ait: *Nunc populus Dei censentur omnes qui portant sacramenta ejus: sed non omnes pertinent ad misericordiam ejus. Omnes quippe sacramentum baptismi Christi accipientes, Christiani vocantur: sed non omnes dignè illo sacramento vivunt.*

2 Hanc veritatem SS. Patres pluribus symbolis, variisque figuris petitis ex sacris scripturis demonstrarunt contra Donatistas. Figuram vel symbolum Ecclesiæ complectentis bonos, & malos unà permixtos exhibent arcam Noëticam, quæ non munda tantùm, sed etiam immunda complectabatur animalia; habetur Eccles. 7. 2. *Ex omnibus animalibus mundis tolles septena, & septena masculum, & fæminam; de animantibus verò immundis duo, & duo, masculũ & fæminam.* Asseritur Arca Noëtica symbolum Ecclesiæ, quia sicut ex animalibus illa duntaxat non perierunt aquis diluvii, quæ fuerunt arcam ingressa: periode ex hominibus nemo salutem consequitur, montemque declinat æternam, nisi qui per januam baptismi ecclesiam ingrediatur.

Secundò producunt sagenam missam in mare congregantem ex omni genere piscium Matth. 13. 47. *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti, quam cum impleta esset educentes, & secus littus sedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt: sic erit in consummatione sæculi, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis.* Intelligitur Parabola; sagena missa in mare ecclesiam designat, quæ inter procellas persecutionum perinde ac si esset in mari, fluctuat, non mergitur. Pisces in sagena congregati fideles in ecclesia indicant; quorum boni, qui cultura virtutum addicti floruerunt, sanctitate separantur à malis, & cœlesti donantur beatitate; & mali qui vitiis indulserunt, mittuntur in gehennam ignis æternum cremandi, & excruciandi. 3

Tertiò Symbolum hujus in ecclesia permixtionis bonorum, & malorum ponitur excultus ager, in quo unà cum frumento germinat simul & zizanium Matth. 13. 14. *Simile factum est regnum cælorum* (seu ecclesia in terris militans) *homini, qui seminavit bonum semen in agro suo; cum autem dormirent omnes venit inimicus hominis & superseminavit zizania in medio tritici.* Homo qui bonum semen seminavit in agro suo Christus est, qui frumentum sanæ doctrinæ in sua sparsit ecclesia, ut fructus æternæ refectionis produceret; ejus inimicus qui in medio tritici zizanium superseminavit est cacodæmon, qui per falsas suggestiones illexit ad malum, & malitiam in- 4

verit, fovitque. Frumentum sunt sancti, & electi in ecclesia; qui congregantur in horreo cælestis Patriæ, ac patris familias: zizania sunt mali qui corruptis moribus degenerarunt à frumento. Matth. 13. 30. *Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.*

5 Quartò symbolum hujus permixtionis malorum in ecclesia cum bonis adducuntur decem in evangelio virgines, quarum quinque erant prudentes, & quinque fatuæ, quæ cum neglexerint sibi comparare oleum, quo nutrirent lycnum charitatis exclusæ fuerunt è domo cælestis sponsi Matt. 25. *Simile est regnum cælorum* (seu ecclesia catholica) *decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso: quinque autem ex eis erant fatuæ & quinque prudentes: Sed quinque fatuæ non sumpserunt oleum secum: prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Fatuæ virgines malos indicant in ecclesia bonis permixtos, coi per prudentes virgines innuuntur: quia probi, & in ecclesia sancti, oleam excolunt virtutis, & ex qua per pia exercitia fructus seu olivas colligunt, è quibus in torculari mortificationum oleum eliciunt pacis, quatenus omnes in homine affectus rectè concordant cum portione superiori, quo oleo lycnus nutritur charitatis, & splendor conservatur sanctitatis. Fatuæ virgines, seu qui in ecclesia mali sunt, ac improbi, quia oleum negligunt virtutis excolere, nec fructus colligunt, oleum non curant habere, quo destituti, lycnus charitatis extinguitur, &
6 splendor deficit sanctitatis.

Quintò figura ecclesiæ exhibetur ovile, in quo ovibus permixti sunt hœdi Matth. 25. *Congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ad invicem; sicut pastor segregat oves ab hœdis; & statuet oves quidem à dextris suis; hœdos autem à sinistris.* In ovili Christi supremi Pastoris, seu in ecclesia oves sunt, qui morum innocentia, vitæ simplicitate Christo obediunt pastori, cujus vestigia sequuntur, & ejus voci obsequuntur: hœdi verò separandi ab ovibus sunt, qui indulgentes vitiis, & carnis spurcitiis inquinati malè olent: hi qui in ecclesia ovibus permixti vicerunt, ab iisdem segregabuntur suppliciis
7 addicendi æternis.

Sextò hujus permixtionis in ecclesia malorum cum bonis symbolum est convivium nuptiale à Patrefamilias institutum ad quod cum bonis, etiam mali fuerunt ingressi Matth. 22. 9. *Ite ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis vocate ad nuptias. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt malos & bonos.* Convivium nuptiale in domo sua, seu ecclesia Christus paravit, cum sacramentum Eucharistiæ instituit, quo fideles se reficerent, vocavit ad convivium bonos, & malos, illos ut ad uberiora virtutum, & gratiæ corroborarentur incrementa; mali ut resipiscentes, & divina refecti gratia fortiores, ac vegetiores insurgerent contra vitia; & in exercitiis firmarentur virtutum. Sed quid defatigor in congerendis figuris, symbolis hujus in ecclesia permixtionis malorum cum bonis? cum magister Christus discipulum suum proditorem Judam pejorem pessimis, aliis permixtum optimis suis discipulis, & præscivit & toleravit? Cum constet 1. *Corinth.* 5. Incestuosum Corinthium fuisse in ecclesia, è cujus sinu eum per anathematizationem D. Paulus ejecit à cœtu aliorum fidelium, seu excommunicavit, exclusitque ab Ecclesia anathematizatum? cum idem Apostolus fuerit conquestus de falsis fratribus, quos inter gemeret: sunt igitur in ecclesia mali bonis permixti, ac tolerati; non tamen malorum crimina fovet, à quibus abhorret, & propter quæ gemit, ac Numini supplicat jugi præcum fusa, quatenus peccantes, ac versantes in umbra mortis velit suæ gratiæ lumine illustrare, & ma-
lum videant à quo avertantur. 8

Quamvis tamen in Jesu Christi ecclesia sint mali permixti bonis; non tamen sunt eodem modo in eadem comprehensi; quia Boni sanctitate splendentes, & virtutum culturâ florentes ita sunt in ecclesia, seu domo Dei; ut ipsi etiam sint eadem domus: secus mali non sunt domus Dei, nec pertinent ad compagem domûs, sed tantùm dicuntur tolerari in domo Dei in contumeliam, contemptumque eorundem: sicut in domo Prænobilis sunt vasa aurea, & argentea in honorem; & alia fictilia, vel lignea in contumeliam: Boni in domo Dei sunt veluti vasa aurea, gemmea, argentea; mali vasa lutea, lignea, fictilia; illa in honorem, hæc in proprium dedecus, ut explicat S. Augustinus lib. 7. De Baptismo contra Donatistas cap. 11. Præterea Boni, & justi, seu electi dicuntur pertinere ad ecclesiam non solùm secundùm statum, quem nunc ipsa ecclesia habet in terris, verùm etiam secundùm illum quem erit in perpetuum habitura in cœlis; seu justi, & electi pertinent ad ecclesiam militantem in terris, & triumphantem in cœlis: mali autem quamvis sint in ecclesia militante; non tamen erunt in triumphante, à qua ob patrata scelera exulabunt, non enim pertransibit per illam ulma incircumcisus, & immundus: erit enim ecclesia in cœlis triumphans gloriosa, & tota pulchra, & speciosa non habens maculam, neque rugam. Unde mali ita sunt in ecclesia permixti bonis, ut simpliciter non sint membra ecclesiæ sed cum addito diminuente dicantur membra putrida, & veluti mortua. Licèt Fidei professione in baptismo, perceptione sacramentorum, ac communione cum bonis conjungantur, non tamen spiritu gratiæ & charitatis vivificantur, nec conjuncti sunt cum bonis, & ecclesiæ capite; adeout dicantur pertinere ad ecclesiam secundùm corpus, non secundùm spiritum gratiæ, & charitatis; sintque de corpore ecclesiæ non de spiritu ejusdem.

Quid verò dicendum de iis fidelibus, qui pro tem- 9
pore aliquo perseverant in gratia, à qua postea per peccatum mortiferum excidunt, & iterum per resipiscentiam pristinæ restituantur gratiæ; à qua iterum cadunt, & tandem in statu peccati mortiferi moriuntur. Respondetur hos justos temporales ut loquitur S. Augustinus esse vera, ac sana ecclesiæ membra prò illo statu, quo perseverant in gratia, & secundum præsentem justitiam, quia tunc per gratiam, & charitatem Christo ecclesiæ capiti ritè cohærent; & vitæ spiritualis, quam suis subministrat membris, sunt participes: non ita sunt membra sana ecclesiæ pro alio tempore, quo labuntur in peccatum lethale, & in illo perseverant, quia tunc cùm destituantur spiritu, & vita gratiæ, sunt membra mortua in ecclesia. Imò quia decedunt in statu peccati lethalis, non sunt de ecclesia secundùm Dei præscientiam, & prædestinationem æternam; seu non sunt membra ecclesiæ triumphantis; sed tantùm militantis pro tempore, quo perseverant in gratia; non pro alio, quo per inquinantur lethali noxa. E converso plures sunt, qui tametsi secundùm præsentem justitiam non sint de ecclesia, eò quia nondum fuerint eam ingressi per susceptionem baptismi, quem tamen erunt aliquando suscepturi, ac piè victuri, ac morituri in statu gratiæ sanctificantis; sunt de ecclesia, & sunt membra viventia ejusdem secundùm Dei præscientiam, & prædestinationem æternam.

Notatu

10 Notatu dignum censeo, quòd si interdum à sacris scripturis, vel Patribus tribuitur ecclesiæ visibili quod non nisi justis, bonis, & prædestinatis convenit; id esse tropicè intelligendum per synecdochen, quatenus sumitur in ecclesia quod præstantius, & excellentius est, & tribuitur toti ecclesiæ; hac responsione D. Augustinus *lib. 3. contra Parmenianum cap. 3.* confutat errorem catharorum, & Donatistarum, cui postea adhæserunt Anabaptistæ censentes ecclesiam ex iis duntaxat hominibus constare, qui gratia, & charitate perfecti sunt, & nulla sunt infecti peccati labe, quod apertè adversatur scripturis. Christus enim Matth. 18. loquens de christiano in ecclesia delinquente, & peccati labe temerato ac propterea corripiendo, ut se emendet, ait: *Si te non audierit; dic ecclesiæ: sin autem ecclesiam non audierit sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus:* Ideo corrigitur, quia peccavit; ideo pervicax, & inemendatus defertur ad ecclesiam corripiendus, & puniendus, quia subjicitur jurisdictioni ecclesiæ, estque verum illius membrum: ex quo clarè convincitur, non constare ecclesiam ex solis justis, qui gratia, & charitate perfecti sunt. Quod si Patres quandoque negent peccatores esse membra ecclesiæ, eorum sensus est, quòd non sint membra sana, & perfecta, quæque vigeant vita perfecta spirituali, seu gratia, & charitate, non verò negant simpliciter, & absolutè esse membra ecclesiæ; quia ratione fidei quam à Christo capite percipiunt, vera sunt ecclesiæ membra.

11 Hinc refellitur etiam error Joannis Wiclephi, & Joannis Huss. Qui damnati fuerunt in Concilio Constantiensi eo quia docuerint ecclesiam constare ex solis prædestinatis, & justos non esse membra ecclesiæ visibilis, si de numero non sint prædestinatorum; eò quia Matth. 13. comparetur ecclesia visibilis sagenæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti ubi dicitur: *Sic erit in consummatione sæculi. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis* si mali comprehendebantur in sagena seu ecclesia, hæc non constat ex solis prædestinatis, è quorum medio Angeli separabunt malos, seu præscitos. Rursus Matth. 25. dicitur: *Simile est regnum cœlorum* (seu ecclesia ut explicat D. Evegetius) *decem virginibus, quarum quinque erant prudentes, & quinque fatuæ:* ergo ecclesia non constat ex solis prædestinatis, cùm virgines fatuæ, quæ in ecclesia comprehendebantur, fuerint à cœlesti sponso exclusæ à thalamo, seu cœlesti gloria.

12 Rejicitur etiam error eorum Acatholicorum asserentium ecclesiam constare tantùm ex justis, quamvis aliquibus sint peccatis obstricti: quia si loquantur de peccatis lethalibus, qui hisce inquinantur non sunt justi, quia in statu peccati mortiferi carent gratia sanctificante, & justificante, per quam denominatur quis justus: non enim sunt, nec dicuntur justi, qui gratia justificante privantur, si loquantur de peccatis venialibus falsum est, ecclesiam constare ex solis justis quamvis aliquibus sint obstricti peccatis venialibus; quia per peccata venialia non excluduntur justi à cœlesti beatitudine, & ecclesia visibilis ex iis etiam constat, qui ob peccata lethalia excluduntur à gloria. Matth. 13. ubi ecclesia visibilis comparatur sagenæ missæ in mare & ex omni genere piscium congreganti, constat in hac sagena, seu ecclesia comprehendi etiam coinquinatos peccato lethali, qui propterea separabuntur ab Angelis de medio justorum Matth. 13. *Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt Angelos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis,* In gehennam non mittuntur nisi injusti ob peccata mortifera: ergo ecclesia visibilis, & in terris militant sagenæ pariata comprehendit bonos & malos, justos, & injustos.

Præterea si ecclesia constaret ex solis perfectis vel ex solis prædestinatis, aut justis, ejus regimen radicitùs everteretur; quia nec superiores cognoscerent suos subditos, neque suam possent in ipsos jurisdictionem exercere; nec subditi suos possent superiores cognoscere, quibus obsequerentur; sicque regimen ecclesiæ sus deque verteretur, & funditus everteretur: quia cùm nemo videat gratiam sanctificantem, & justificantem quâ constituimur sancti, & justi, nullus posset certò scire, quis sit perfectus, quis prædestinatus vel reprobus; propterea si omnes deberent esse justi; hi cum non cognoscerentur, neque posset cognosci superior, cui subditi obsequerentur, quia posset semper dubitari an sit justus, & prædestinatus consequeretur dubitaretur, an esset membrum ecclesiæ non comprehendentis nisi justos, & prædestinatos; & si dubitetur an sit membrum ecclesiæ, dubitatur etiam an sit caput, & superior; proinde subditi non possent certò cognoscere in ecclesia superiorem; nec iste subditos cum non nisi per revelationem sibi à Deo factam possit certò scire an sint justi, & prædestinati: sicque totum everteretur regimen & ecclesiæ gubernatio: ergo regimen ecclesiæ exigebat ut in ipsa bonis essent mali permixti. 13

Si dicas ecclesiam in canticis describi totam pulchram, & formosam, non habentem maculam, neque rugam. Respondetur id verum est quoad doctrinam, & institutionem; non quoad omnia, & singula ejus membra, quasi hæc omnia debeant esse sine omni ruga, & macula; cum justus dicatur septies in die cadere. Vel posset aliter responderi membra ecclesiæ debent esse sine ruga, & macula præparativè ad ecclesiam triumphantem in qua omnes erunt sine macula conceditur: formaliter in ecclesia visibili, & militante in terris negatur; quia in ipsa pluries in die etiam justi cadunt, & maculas licet leves contrahunt. Huc accersendus S. Augustinus cujus est hæc doctrina ait lib. 2. Retract. cap. 18. *Ubicunque commemoravi ecclesiam non habentem maculam neque rugam; non sic accipiendum, quasi jam sit, sed qua præparatur ut sit: quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias, & infirmitates membrorum suorum, habet unde quotidie tota dicat: Dimitte nobis debita nostra.* 14

CAPUT VI.

Quotquot Christi ecclesiam in terris visibiliter militantem deserunt transfugæ sunt, ac veræ religionis desertores: neque potest quisquam extra ipsam salutem consequi sive hæreticus sit, sive schismaticus.

1 Evicimus ecclesiam Catholicam omnes illos, & solos comprehendere, qui in Christi fidem lustrali baptismi aqua abluuntur, ac Christiani initiantur, ac per eandem professionem fidei integræ ac participationem aliorum in ecclesia sacramentorum in unum consociantur cœtum visibilem, qui propriè ecclesia catholica nuncupatur, sive postea boni sint, sive mali; prædestinati, vel præsciti. Superest inquirendum an discedentes ab hoc cœtu sint religionis desertores, & ecclesiæ transfugæ, & an possint ita sejuncti ab ecclesia salutem consequi.

2 Dicendum est tanti Christum fecisse ecclesiam à se in terris constitutam visibilem, ut pro transfuga, ac desertore habeatur, qui semel eidem adscitus contumaciter ab illa sejungitur; adeo ut discessio ab ecclesia à Christo instituta in terris, & Christi abnegatio enormissimum sit crimen. Id vel ipsi hæretici coguntur fateri. Nam Calvinus *lib. 4. Instit.* 5. *cap.* 1. §. 10. ait: *Discessionem ab ecclesia Dei, & Christi abnegationem esse, quo magis à tam scelerato dissidio cavendum est. Nec ullum atrocius fingi crimen potest, quàm sacrilega perfidia violare conjugium, quod nobiscum unigenitus Dei Filius contrahere dignatus est.*

3 Ratio petitur ex eo, quia extra ecclesiam à Christo in terris institutam nemo potest salutem consequi; ergo qui voluntariè, & contumaciter se à Christi ecclesia separat, cœtúmque deserit fidelium, in baratrum omnium malorum, seu æternam se præcipitat damnationem, quod est malorum omnium maximum, seque avertere à summo Bono; sibique viam ad illius assecutionem occludere absque spe perveniendi ad finem ultimum, ob quem fuerunt homines conditi à Deo. Imò ita separati ab ecclesia similes sunt membris à reliquo corpore abscissis, quæ putrescunt emortua; fœtentque corrupta.

4 Si dicas, in ecclesia Catholica esse plures malos, ac fugiendos, eo quia degravatis suis moribus alios corrumpant iisdem adhærentes. Respondetur malorum societatem esse quidem declinandam, non tamen consortium bonorum, neque ecclesiam, quamvis iisdem permixti sint mali, ut evincit S. Augustinus lib. de fide, & operibus cap. 5. & lib 2 contra Cresconium cap. 3 3. ubi ostendit à nemine ecclesiam in terris visibilem, & à Christo fundatam esse deserendam, quamvis in ea plures sint mali; & in alia citat illud Cypriani: *Quamvis in ecclesia videantur esse zizania, non tamen impediri debet, aut fides, aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in ecclesia cernimus, ipsi de ecclesia recedamus. Nobis tantummodo laborandum est, ut frumentum esse possimus, ut cum cœperit frumentum dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro & labore capiamus. Apostolus in ecclesia sua dicit: In domo magna non solùm vasa sint aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem honorata, quædam inhonorata. Nos operam demus, ut vas aureum, vel argenteum simus.*

5 Quia verò ecclesia catholica à Christo in terris fundata est una tantùm, cum dicat cœlestis sponsus Cant. 6. *Una est columba mea*; & Christus quam instituit ecclesiam, vocet *unum ovile*: Et Apostolus unum corpus ad Ephes. 1. *Et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et cap. 4. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus spiritus, sic ut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma*, quotquot à communione hujus ecclesiæ excluduntur sive hæretici, sive schismatici salutem non consequuntur sed pœnis destinantur æternis. Excludit enim ecclesia Jesu Christi è suo gremio hæreticos, & schismaticos, qui propterea nequeunt salutem consequi, ut luculenter edisserit S. Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ inquiens: Ecclesia una est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur: Quomodo solis radii multi, sed lumen unum, & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum: Et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licèt diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in Origine. Avelle radium solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit: A fonte præcide rivum, præcisus arescet. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa per orbem rotum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit: profluentes largiter rivos latiùs expandit. Unum tamen caput est, & origo una, & una mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est, pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc non servat Deo, hæc filios regno, quos generavit assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatur adulteræ jungitur, à promissis ecclesiæ separatur. Nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est: hactenus S. Cyprianus.

Ut igitur quis æternam consequatur salutem non sufficit, si credat Christum mediatorem Dei, & hominum, eúmque colat, sed ulteriùs necesse est versetur in ecclesia, seu cœtu fidelium, qui per susceptionem baptismi, & sacramentorum ecclesiæ, ac professionem fidei integræ copuletur in unam societatem cujus superior, & caput sit Christus in cœlis, & summus Pontifex, in terris legitimè electus ejus Vicarius visibilis; nisi enim fuerit quis de numero hujus cœtus, seu ecclesiæ, quam Christus cùm adhuc in terris viveret instituit, & ex Apostolis, ac eorum discipulis collectam variæ postea gentium nationes susceperunt, non poterit æternam salutem consequi. 6

Tametsi plures nomine glorientur christiani, cujusmodi sunt hæretici, & schismatici, qui Christum fatentur mediatorem inter Deum, & homines, passum, & mortuum pro redemptione humani generis, adhuc ab ecclesia sunt extorres, quia sejuncti 7

à ecc-

à cœtu catholicorum ecclesiam non audiunt, neque per professionem fidei integræ quoad omnia, quæ docuit Christus, ejus discipuli, & ecclesia catholica, coëunt in unam societatem cum aliis veris Ecclesiæ membris, propterea dicuntur hæretici, & schismatici versari extra ecclesiam, & extorres à cœtu catholicorum non posse æternam salutem consequi, nisi resipiscant per professionem fidei integræ ecclesiam audiant, cui obtemperent, adhæreantque in singulis quæ ut dogmata fidei ipsa docet, sive hæc scripta sint; sive per majorum traditiones ad ipsam derivata. Hæretici enim in eo sunt hæretici, quia ecclesiam non audiunt docentem quænam sint fidei dogmata; neque credunt plura à Christo instituta, & revelata, quæ ab ipso instituta, & revelata fuerunt. Hæreticus propriè is est, qui ecclesiam fidei dogmata tradentem audire detrectat, ejusque negat authoritatem; ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 10. artic. 1. Ubi asserit hæresim esse infidelitatis speciem ad eos pertinentem, qui Christi fidem & legem, quamvis profiteantur, ejus tamen dogmata corrumpunt, perperam interpretantur & detorquent in sensus dissentientes ab illis ecclesiæ catholicæ.

8 Hinc solet hæresis definiri *voluntarius error intellectus cum pertinacia contra aliquam fidei veritatem* sicut actus fidei est assensus, seu actus intellectus, quo assentimur alicui revelato: ita hæresis fidei opposita est error intellectus, quo hæreticus dissentitur objecto revelato, cui deberet assentiri: quo fit ut proferens prupositionem hæreticam, cui non assentitur, non sit hæreticus; Rursus error debet esse cum pertinacia, quia si quis erraret circa fidem, non diceretur formaliter hæreticus, nisi accesserit pertinacia, quæ non attenditur penes durationem temporis, vel obfirmatam pertinaciam in errore: sed ex cognitione, & animadversione definitionis ecclesiæ contrariæ tali errori; unde ille est formaliter hæreticus qui cognoscens, & sciens aliquod fidei dogma doceri, & servari ab ecclesia catholica Romana ei non vult assentiri; ut etiam qui ita est affectus ut contrarium crederet si argumentis convinceretur, vel si à viris doctis ita clarè, ac distinctè proponeretur ut cognosceret verum tale dogma; quia hic recederet à definitione ecclesiæ, cum sciret contrarium ab ipsa fuisse definitum: neque fides cum sit argumentum non apparentium exigit hanc claritatem, neque ut argumentis quis convincatur.

9 Imò hæresis labe is est etiam infectus, qui positivè dubitat in rebus fidei ab ecclesia definitis, ut si dubitet an dogma aliquod fidei definitum ab ecclesia sit certum, ac verum: quia tunc voluntariè errat, contra fidei veritatem, quatenus judicat incerta, & dubia, quæ certa sunt & vera, quia ab ecclesia definita. Qui verò ex sola ignorantia errat circa res fidei; si ita affectus sit, ut se sentiat paratum errorem deserere, ac obedire ecclesiæ si errorem cognoverit, vel definitionem ecclesiæ acceptare, non esset formaliter hæreticus, quamvis erraret esletque hæreticus materialis: quia aliud est errare; & aliud esse formaliter hæreticum; tametsi omnis hæreticus: non tamen omnis errans est hæreticus, ratio enim hæreseos non consistit in errore simpliciter; sed in errore cum pertinacia simul, seu renixu voluntatis resistentis regulæ fidei, & ecclesiæ definienti dogma aliquod de fide. Hinc moris semper fuit in ecclesia, quò errans circa res fidei priùs moneretur ut pertinaciam relinqueret, quam si foveret, declareretur hæreticus; ita actum fuisse cum Ario, Nestorio, Euchichete, Pelagio, & postremis temporibus etiam cum Luthero, Calvino, & aliis hæresiarchis satis exploratum est.

Requiritur igitur contumacia in errore cognito 10
quòd sit contra definitionem ecclesiæ, ut sit quis formaliter hæreticus: unde D. Augustinus epist. 162. scribit. *Qui sententiam suam quamvis falsam, atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia præsumptionis suæ pepererunt; sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem corrigi parati, cum invenerint: nequaquam sunt inter hæreticos computandi*: quia cum errore non habetur pertinacia. Si tamen sciret contrarium fuisse definitum ab ecclesia catholica, teneretur statim suum deponere errorem, ac resipiscere, alioquin fieret pertinax.

Hisce præmissis, & dilucidè explicatis liquet hæ- 11
reticos omnes cujuscunque sint sectæ esse extra ecclesiam, neque posse salutem consequi. Idque evincitur ex D. Paulo 1. *Thimot.* 1 ubi ait. *Quidam circa fidem naufragaverunt, ex quibus est Hymnæus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.* Hymnæus, & Alexander quia in hæresim lapsi, & transfugæ à vera religione, & extra ecclesiam extraditi sunt Satanæ cruciandi in gehenna. Apostolus sub allegoria naufragii explicat defectionem à fide; à qua discedentes naufragium patiuntur æternæ submersionis in gehennali pelago tormentorum. Cùm ecclesia omnes complectatur gentium populos ob invectam multitudinem quandoque aliqui fiunt desertores & transfugæ, quatenus aliqui ab ipsa discedentes illam nituntur impugnare: Idque causæ cur ecclesia *Lucæ* 5. reti parietur quod præ multitudine piscium rumpebatur. Non tamen credas, ecclesiam ullum posse inde pati naufragium, quia imo in emolumentum fidelium resultant hæreticorum invecti errores. Ob id scripsit Apostolus 1. Corinth. 11. 19. *oportet, & hæreses esse* scilicet ad exercitationem fidelium qui errores impugnaturi acuunt ingenia, sacras expendunt scripturas, in quarum studio plurimum proficiunt: hinc D. Anselmus ait. *Ideo Providentia divina multos diversi erroris hæreticos esse permisit: ut cum nobis insultant, & interrogant ea quæ nescimus, vel sic discutiamus pigritiam, vel divinas scripturas nosse cupiamus.*

Excluduntur igitur hæretici ab ecclesia, à qua de- 12
fecerunt transfugæ, & extorres, ut communiter docent SS. Patres: S. Cyrillus Hierosolymitanus Cathechesi 18. illuminatorum ait. *Propriè, & verè aliquis esse dixerit ecclesiam malignantium, conventicula Hæreticorum, Marcionitarum dico, & Manichæorum, & reliquorum. Propterea nunc confirmans fideles tradidit, ut dicas: Et in unam sanctam Catholicam Ecclesiam. Ut illorum quidem fœda conventicula fugias; perseveres autem in Catholica Ecclesia, in qua & renatus es. Quòd si fortè veneris in civitates, non quæras simpliciter, ubi sit ecclesia; sed ubi catholica Ecclesia. Hoc enim proprium nomen est sanctæ hujus, & matris omnium nostrum, quæ est sponsa Domini nostri Jesu Christi unigeniti filii Dei.* Sunt igitur hæretici extra ecclesiam catholicam, in qua non perseverant, sed à qua excludunt extorres. Irenæus itidem lib. 3. cap. 3. asserit Polycarpum multos hæreticos ad ecclesiam coovertisse, ergo quia antea non erant conversi, sed aversi & extra ecclesiam. S. Cyprianus epistola ad Jubuianum ait Hæreticos, cum sint extra ecclesiam, tamen vendicare sibi authoritatem ecclesiæ more simiarum, quæ cum homines non sint; tamen homines videri volunt: de quibus

loquens S. Hieronymus in decalogo contra Luciferianos ait: *Sic ubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Jesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, ut Cionitas, Valentinianos &c. Scito non ecclesiam Christi Marsi, sed Antichristi esse synagogam.*

13 Ratio id quoque evincit, quia ecclesia est cœtus visibilis fidelium coëuntium in unam societatem, seu corpus mediante professione unius fidei integræ, & earundem legum, ac rituum observatione sub uno capite Christo, & ejus in terris Vicario summo Pontifice legitimè electo, ac aliis subordinatis pastoribus: & quotquot hoc modo non uniuntur, ab ecclesia excluduntur, extra quam non possunt salutem consequi. Huc accersendus S. Optatus Milevitanus lib. 3. inquiens. *Domus Dei una est, qui foras exeuntes partem facere voluerunt, parietem fecerunt, non domum, quia non est alter Deus, qui alteram domum inhabitet: Ideo parietem dicuntur fecisse falsi vates, in quo si janua fuerit collocata, quicunque intraverit foris est. Neque lapidem angularem habere potest unus paries; qui lapis est Christus, duos in se suscipiens populos; unum de gentibus, alterum de Judæis, qui modo pacis jungit utrumque parietem. Nam quot commoda habet domus, tot incommoda paries. Domus inclusa custodit, tempestatem retundit, pluviam diffundit, latronem, aut furem, aut bestiam non admittit: sic & Ecclesia catholica omnes filios pacis gremio, & sinu suo complectitur. Contra paries, qui est ædificatus ruinosus nec lapidem angularem sustinet, & januam sine causa habet, nec inclusa custodit. Pluvia undatur, tempestatibus caditur: nec potest arcere latronem, nec venientem prohibet furem. Paries enim res de domo est, sed domus non est. Et pars vestra quasi ecclesia est, sed catholica non est.* Alloquitur Donatistas.

14 Posset tamen objici quia ecclesia habet, & exercet jurisdictionem in hæreticos, quos propterea punit: ergo quia sunt de ecclesia, & in ecclesia, cui ut subditi subjiciuntur; alioquin non pertineret ad ecclesiam eos judicare, & punire cum scripserit Apostolus Paulus 1. Corinth. 5. *Quid mihi est, de iis qui foris sunt?* quatenus ad ecclesiam non pertinet de iis qui foris sunt, seu extra ecclesiam. Præterea Hæretici sunt baptizati, retinent characterem baptismi, & ordinis si sint Sacerdotio initiati: ergo sunt de ecclesia, & in ecclesia, non extra ecclesiam. Sed contra, quia tametsi hæretici non sint de ecclesia, neque in ecclesia à qua exierunt, & sunt transfugæ, adhuc sunt sub jurisdictione ecclesiæ, quatenus hæc habet jus eos cogendi ut revertantur in ecclesiam à qua defecerunt: etiam milites sacramento militiæ semel addicti subjiciuntur jurisdictioni strategi vel Præfecti militiæ, cui nomen dederunt, & si transfugæ, ac desertores se transferant ad partes adversariorum, quamvis sint extra primum exercitum, puniuntur, privantur bonis, si quæ reliquerunt in militia, à qua defecerunt; & puniuntur etiam ipsi, si capi possunt: quia licèt sint extra exercitum, cui se addixerunt, adhuc ad ipsum pertinent, & ad ipsum tenentur reverti ex vi jurisjurandi præstiti. Perinde hæretici quia vel per se immediatè, vel per suos antecessores mediatè fuerunt fidem catholicam professi, tenentur illam servare, ac in eadem perseverare, & ab illa discedentes sunt transfugæ, desertores, propterea ab ecclesia adigi possunt ut revertantur, & si detrectent, potest illos punire, quamvis sint extra ecclesiam. Judicat ecclesia de iis qui intus sunt, vel esse deberent, & non sunt, quia defecerunt extorres transfugæ, & desertores. Neque obstat allatum è D. Paulo, quia Apostolus ibi loquitur de iis qui ita sunt foris, ut nunquam nec per se immediatè, nec per suos prædecessores mediatè pertinuerunt ad ecclesiam; nec unquam fuerunt intus ut tunc erant Ethnici.

Ad aliud quod addebatur de charactere baptismi, 15
& sacerdotii perseverante in hæretico. Respondetur indelebilitatem characteris baptismi, & sacerdotii non sufficere ad constituendum aliquem in ecclesia; sed ulterius requiri professionem fidei integræ, ac unionem cum capite ecclesiæ visibilis in terris seu summo Pontifice. Solus igitur character propriè non unit hominem cum capite, sed tantum est signum potestatis, ac cujusdam unionis; & ratione characteris cognoscentur in inferno, qui lustrali baptismi aqua fuerunt abluti, ac sacerdotio initiati. Quòd si solus character sufficeret ad constituendum aliquem in ecclesia, sequeretur in inferno esse ecclesiam. Demum character solus non potest exteriùs unire subditos ecclesiæ cum capite, nec consequenter cum ipsa ecclesia, quia character non est quid sensibile cum non cadat sub sensûs; & hæc unio cum sit externa, debet sensibilis esse ut docet D. Thomas. Imò nec potest character unire interiùs, quia non est actus; nec habitus operativus, sed solum signum: hinc D. Augustinus lib. de unitate ecclesiæ cap. 4. ait: *Totus Christus caput est, & corpus. Caput unigenitus Dei filius, & corpus ejus ecclesia, sponsus & sponsa duo in carne una. Quicunque de ipso capite ab scripturis sanctis dissentiunt; etiamsi in omnibus locis inveniantur, in quibus ecclesia designata est, non sunt in ecclesia. Et rursus quicunque de ipso capite scripturis sanctis consentiunt, & unitati ecclesiæ non communicant non sunt in ecclesia, quia de Christi corpore, quod est Ecclesia ab ipsius Christo testificatione dissentiunt, ne eorum communio non sit cum toto, quocunque diffunditur, sed in aliqua parte separata inveniatur, manifestum est, eos non esse in catholica Ecclesia.*

Ad schismaticos etiam quod attinet, sunt & ipsi 16
extra ecclesiam, ex qua per scissuram egrediuntur aliam sibi constituentes veluti partialem, ac separatam ecclesiam, est enim schisma veluti scissura, qua ecclesia scinditur, ut ait Pelagius Papa in 24. quæst. 2 & can. schisma, ubi ait *schisma dici quia facit scissuram in ecclesia, & eam, quæ est catholica decanserens, & ab ea se dividens partialem ecclesiam vult constituere: non enim, qui schismatici sunt, diversa sentiendi judicium, id est dogmatum dissensio, sed quodam delatu criminum contra Sedem Apostolicam credentes pessima divisit opinio.* Hinc liquet discrimen inter hæreticum, & schismaticum: quia licèt non sit hæreticus quin etiam sit schismaticus; non tamen omnis schismaticus ex vi schismatis præcisè, & simpliciter est hæreticus ut edisserit S. Ambrosius *in cap. 3. ad Titum* ubi inter hæresim & schisma id asserit interesse discriminis, quia hæresis perversum semper aliquod dogma comprehendit: schisma verò propter Episcopalem dissentionem ab ecclesia pariter separat.

Verùm licet schismaticus differat ab hæretico; 17
vix ullus est schismaticus, qui in suo propugnando schismate non fiat hæreticus: eò enim ipso quòd schismaticus se separat ab ecclesia catholica Romana, se separat à capite veræ ecclesiæ catholicæ seu à summo Pontifice legitimè electo, cui detrectat debitam præstare obedientiam, & aliud sibi constituit ecclesiæ caput; quo pacto negat audiendam esse veram ecclesiam quod est error in fide & hæresis Matth. 18. *Si ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* In hunc erro-

errorem referente Spondano anno Christi 254. prolapsi fuerunt Novatiani, & Donatistæ, qui ecclesiam priùs in partes sciſſerunt, à qua postea notaliter defecerunt transfugæ, & desertores detrectantes Romano parere Pontifici, quem propterea noluerunt audire. Donatistæ non negârunt dari in terris aliquam Christi ecclesiam sed contendebant eos episcopatu excidiſſe qui cum Cæciliano electo tunc legitime Episcopo Carthaginenſi communicarent, proinde etiam cum ecclesia Romana. Cathari itidem negarunt ſanctum Cornelium, qui anno Christi 250. creatus fuerat legitimus Pontifex, eſſe caput ecclesiæ, eo quia aſſeverunt communicâſſe cum lapſis in persecutione Decii Imperatoris: cumque prærecensiti omnes ſchismatici ſuum pertinaciter ſchiſma propugnarent in hæresim formalem turpiſſimè lapſi fuerunt.

Cum igitur Schismatici ſcindant ecclesiam in plu-
18 res partes ſe ab ecclesia ſeparant, ſuntque propterea extra ecclesiam: quia hæc eſt una tantum non multiplex; integra non ſciſſa, nec in partes dilacerata: hanc ecclesiæ unitatem nos docuit magiſter Christus cum Joan. 10. ecclesiam à ſe inſtitutam, & fundatam in terris vocavit *unum ovile*, & Apoſtolus ad Rom. 12. *Unum corpus* ob unitatem capitis ſpiritus, fidei ſpei & baptiſmatis. Ad Epheſ. 1. *Et ipſum dedit caput ſupra omnem ecclesiam, quæ eſt corpus ipſius.* & cap. 4. *Solliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una fides unum baptiſma.* Cæleſtis ſponſus ecclesiam ſuam ſponſam Cant. 6. vocat *Unam ſponſam, unam amicam, unam columbam.* Schiſma autem, quod eſt unum ſcindit in partes: & pars ſciſſa, & ſeparata ab alia non eſt pars ipſius, à qua ſeparatur ſed quid aliud extra ipſam; ergo ſchiſmatici cum per invectum ſchiſma ſe ab ecclesia ſeparent, ſe conſtituunt extra ecclesiam ut diſſerit S. Auguſtinus lib. de Fide, & Symbol. cap. 10, inquiens. *Credimus & Sanctam Ecclesiam utique Catholicam. Nam & hæretici, & ſchiſmatici congregationes ſuas ecclesias vocant. Sed hæretici de Deo falſa ſentiendo ipſam fidem violant: Schiſmatici autem diſſenſionibus iniquis à fraterna charitate diſſiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter neque hæretici pertinent ad ecclesiam catholicam, quæ diligit DEUM. Nec ſchiſmatici, quoniam diligit proximum: & ideo peccatis proximi facilè ignoſcit.*

Schiſmaticos perinde ac hæreticos eſſe extra ec-
19 clesiam adſtruunt communiter SS. Patres, & Pelagius Papa id ex profeſſo oſtendit de ſchiſmaticis in ſuis decretis. Hinc ecclesia univerſalis in Paraſceve orat Deum pro hæreticis, & ſchiſmaticis, ut eos Deus ad ecclesiam catholicam revocare, & unire dignetur: ergo quia ecclesia univerſalis credit, hæreticos, & ſchiſmaticos eſſe extra ecclesiam, alioquin preces non funderet ut unirentur ecclesiæ: idque etiam evincit S. Auguſtinus epiſt. 185. aliàs 50. inquiens: *Ecclesia Catholica ſola corpus eſt Christi, cujus ille caput eſt Salvator corporis ſui. Extra hoc corpus neminem vivificat ſpiritus: quia, ſicut dicit Apoſtolus, Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Non eſt autem particeps divinæ charitatis, qui hoſtis eſt unitatis. Qui ergo vult habere ſpiritum ſanctum, caveat foris ab ecclesia remanere; caveat in eam ſimulanter intrare: aut ſi jam talis intravit, caveat in eadem ſimulatione perſiſtere, ut veraciter coaleſcat arbori vitæ.* S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum in capitulo 39. loquens expreſsè de Hæreticis, & ſchiſmaticis excluſis ab ecclesia & æterna ſalute ait. *Firmiſſimè tene & nullatenus dubites, quemlibet Hæreticum ſive Schiſmaticum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatum, ſi ecclesiæ catholicæ non fuerit aggregatus, quantaſcunque eleemoſynas fecerit nullatenus poſſe ſalvari. Omni enim homini, qui ecclesiæ catholicæ non tenet unitatem; neque baptiſmus, neque eleemoſyna; neque mors pro nomine Christi ſuſcepta proficere poterit ad ſalutem, quamdiu in eo hæretica, vel ſchiſmatica pravitas perſeverat, quæ ducit ad mortem.* Hæretici igitur ac ſchiſmatici quamvis aſſerant ſe pro Christo ſanguinem libenter fundere, ac mortem ipſam appetere, ſi pertinaciter perſeverent extra ecclesiam non ſe ſubjicientes capiti ecclesiæ, æternam non conſequuntur ſalutem, quia decedunt extra ecclesiam ut ſcribit S. Cyprianus lib. 4. Epiſt. 9. ad Florentinum Papianum inquiens. *Ecclesia eſt plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo grex adhærens: unde ſcire debes Epiſcopum in ecclesia eſſe; & ecclesiam in Epiſcopo; & ſi qui cum Epiſcopo non ſint in ecclesia non eſſe.*

Ratio hoc idem evincit. Quia ecclesia eſt una 20
unione membrorum inter ſe, & cum capite, ratione cujus conſtituitur, unum corpus, ut ſcribit Apoſtolus ad Romanos 12. *Unum corpus ſumus alter alterius membra:* hanc autem unionem inter membra, & caput ſchiſmaticus tollit cum ſe ab unione capitis & aliorum membrorum ſeparat; ergo ſe per ſchiſma ſejungens ab ecclesia, ſe conſtituit extra ecclesiam, & nequit ſalutem conſequi. Conſiſtit enim unitas eſſentialis ecclesiæ in conjunctione membrorum inter ſe, & cum capite mediante profeſſione fidei integræ. Multiplex poteſt in ecclesia excogitari unitas. Primò ratione principii ejusdem, ſeu Dei vocantis Joan. 6. v. 44. *Nemo poteſt ad me venire niſi pater meus, qui miſit me, traxerit eum.* Secundò ratione finis ultimi, hæcque veritas ſignificatur per denarium omnibus, & ſingulis diurnis operariis promiſſum. Matth. 20. 8. *Voca operarios & redde illis mercedem incipiens à noviſſimis uſque ad primos.* Tertiò ratione mediorum ad finem, ſeu ratione fidei, Legum, Sacramentorum juxta illud ad Epheſ 4. *Una fides, unum baptiſma.* Quartò ratione Spiritus Sancti, à quo tanquam externo & ſeparato Rectore univerſa ecclesia gubernatur. 1. Corinth. 12. *diviſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus.* Quintò ratione unius, ac ejusdem capitis tanquam interni, & conjuncti Rectoris: ſiquidem omnia & ſingula ecclesiæ membra eidem Christo, & ejus vicario tanquam capiti obediunt, & ab eodem diriguntur: ad Epheſ. 1, *Ipſum dedit caput ſuper omnem ecclesiam.* Joan. ult. *Simon Petre paſce oves meas.* Sextò ratione connexionis membrorum inter ſe, & præcipuè cum capite, ut membro principali ad Rom. 12. *Unum corpus ſumus, alter alterius membra.* Has inter uniones duæ poſtremæ conſtituunt corpus ecclesiæ, quia membra uniuntur ſuo capiti; & aptè copulantur inter ſe; ex qua bina connexione corpus reſultat ecclesiæ; per primam ecclesia non tam eſt una, quàm ex uno: per ſecundam non tam eſt una, quàm ad unum; per tertiam non tam eſt una, quàm per unum; per quartam non tam eſt una, quàm ſub uno. Per quintam verò & ſextam propriè eſt una, ſeu unum corpus in quo ſingula membra ſibi bene cohærent; quatenus cœtus fidelium per eandem profeſſionem fidei integræ, & participationem omnium ſacramentorum juxta unius cujusque capacitatem paret ſuo capiti, cui unitur. Schiſma autem opponitur binis unitatibus poſtremis conſtituentibus corpus ecclesiæ. Tunc enim habetur ſchiſma quando in uno corpore fit ſciſſura, & unum membrum non vult ampliùs eſſe membrum illius corporis, nec ſub illius capite nec ampliùs vult alteri membro copulari, à quo ſejun-

sejungitur: quo pacto tollit unitatem essentialem, ac destruit ecclesiam ipsam, quantum est ex se, cum ab ipsa sejungatur; maneatque extra ecclesiam.

21 Si dicas, ecclesiam esse congregationem Catholicorum; & Nicolaum Papam definivisse dist. 10. Schismaticos esse catholicos, consequenter pertinere ad ecclesiam, & non esse extra ecclesiam. Respondetur, ecclesiam esse congregationem catholicorum adhærentium ecclesiæ capiti, cui copulantur: non verò catholicorum per schisma, & scissuram separatorum à capite, & aliis ecclesiæ membris. Præterea Schismatici propriè non dicuntur catholici, quia in ecclesia catholica non profitentur fidem cum aliis catholicis sub eodem capite. Prætetea Nicolaus Papa in illa dist. 10. non definivit ecclesiam, sed tantùm ab ecclesia noluit exclusos hæreticos: appositè S Augostinus lib. de Fide, & Symb. cap. 10. *Credimus & Sanctam ecclesiam utique catholicam: nam & Heretici, & Schismatici congregationes suas Ecclesias vocant. Sed Heretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant. Schismatici autem discissionibus iniquis à fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus.*

22 Dices schismaticos nolentes subesse summo Pontifici Ecclesiæ Romanæ, neque cum hac communicare; adhuc velle subesse Christo, qui caput veræ ecclesiæ à se in terris institutæ, ac fundatæ: ergo per schisma non separantur à capite ecclesiæ catholicæ. Tum quia licèt schismatici nolint communicare cum ecclesia Romana in terris, volunt tamen communicare cum ecclesia triumphante in cœlis: ergo non tollunt unitatem ecclesiæ, neque absolutè dicuntur esse extra ecclesiam. Tum quia si quis nollet subesse suo episcopo particulari suæ provinciæ, vel civitatis, vellet tamen subesse Papæ, eique in omnibus pertinentibus ad fidem, & religionem obedire, & communicare cum ecclesia Romana universali, is non diceretur esse extra ecclesiam, quia adhuc esset membrum ecclesiæ catholicæ Romanæ.

23 Sed contra, quia semel, quòd nolit quis subesse Romano Pontifici, & detrectet communicare cum ecclesia catholica Romana, seu universali non potest communicare cum ecclesia triumphante in cœlis, neque uniri Christo capiti ecclesiæ, Quia Christus constituit in ecclesia militante suum Vicarium Pontificem Romanum legitimè electum, cui vult fideles omnes, quotquot sunt in ecclesia, subesse, adhærere, ac obedire in iis omnibus, quæ pertinent ad religionem, adeo ut detrectantes obedire ac adhærere summo Pontifici legitimè electo, non obediant Christo præcipienti talem obedientiam; quòd si nolint Christo obedire, quomodo dicendi sunt subesse Christo cui non obediunt? ait Christus Luc. 10. 16. loquens cum suis discipulis seu ecclesia in terris militante: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit me spernit, qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me:* ergo qui non audit, sed spernit caput ecclesiæ militantis, nec audit sed spernit caput ecclesiæ triumphantis; & qui detrectat per schisma subesse Romano Pontifici legitimè electo non dicitur subesse, ac obedire Christo, nec eum audire, cum non audiat suum in terris Vicarium.

24 Hinc falsum est schismaticos nolentes in terris communicare cum ecclesia Romana, velle communicare cum ecclesia triumphante in cœlis. Quia sicut Christus est summum caput influens in membra ecclesiæ influxum internum, seu fidem, gratiam, charitatem: ita Romanus Pontifex legitimè electus ita est caput ecclesiæ militantis, ut influat in membra ecclesiæ influxum exteriorem, seu doctrinam fidei, & sacramentorum; & qui non participat hunc influxum, non est membrum ecclesiæ. Ad aliud quod addebatur de se separante ab Episcopo particulari alicujus provinciæ vel civitatis, & adhærente summo Pontifi ac ecclesiæ universali, Respondetur, hanc separationem oriri posse ex multiplici causa, ut ex eo quod non credat habere potestatem, & jurisdictionem in subditos: vel quia putet in ecclesia non dari plures Episcopos subordinatos summo Pontifici. vel quia existimet doctrinam fidei non esse ab episcopo particulari tradendam, & explicandam populo; & qui ob has causas se separat ab ecclesia, & episcopo particulari, se itidem separat ab ecclesia, & Episcopo universali, seu summo Pontifice; quia cum Pontifex, & ecclesia doceat esse instituendos episcopos particulares per provincias, & civitates particulares subordinatos, ac dependentes à summo Pontifice, cujus vices gerant in locis particularibus docentes populos, ac iisdem ministrantes sacramenta, cum non possint hæc immediatè præstari à summo Pontifice, qui nequit ubique locorum per longe lateque diffusam ecclesiam esse corporaliter præsens; hoc pacto negaret doctrinam ecclesiæ; imò & Jesu Christi, qui plures instituit episcopos, & Apostolos, qui variis in locis gentes instruerent; propterea se separaret ab ecclesia per schisma: quia ut appositè scribit S. Cyprianus lib. 4. epist. 9. *Frustra sibi blandiuntur ii, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes, obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt cum ecclesia, quæ Catholica una est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique connexa, & cohærentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata.*

25 Vel se separat à particulari Episcopo, eo quia sit hæresis labe infectus, vel schismatus, & tunc non se separat ab ecclesia si Romano Pontifici adhæreat, & cum tota catholica ecclesia communicet; quia non tenemur imò prohibemur cum hæreticis & schismaticis communicare. Ex hisce liquet schismaticos esse extra ecclesiam, & non posse æternam salutem consequi, quia ut asserit S. Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ: *Schismatis macula, nec per sanguinem martyrii deletur.* Quòd si dicas schismaticos sanctè ac piè vivere; Dei & ecclesiæ præcepta omnia observare, nemini esse offensioni, pauperibus opitulari, frequentiùs suas ad Deum preces fundere; proinde non esse credendum eos æternum damnari. Contra est quia semel quòd sejunguntur à summo Pontifice, separantur etiam ab universali ecclesia catholica extra quam nemo potest salutem consequi; quia ut cælestis sponsus loquens de sua sponsa in terris seu ecclesia ait: *Una est columba mea perfecta mea.* Et Christus munere functus pastoris vocat Ecclesiam à se institutam, & fundatam *unum ovile:* & Apostolus ad Ephes. 1. *Unum corpus* si igitur ecclesia est una tantùm: quotquot ab hac sejunguntur, sunt extra ecclesiam à Christo in terris fundatam, & non possunt salutem consequi, ut expresse asserit S. Augustinus Epist. 51. ad Donatistas scribens: *Quisquis ab Ecclesia hac catholica fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet; hoc solo scelere, quòd à Christi unitate sejunctus est, non habebit vitam: sed ira Dei manet super eum.*

26 An verò excommunicati ab ecclesia sint & ipsi extra ecclesiam; putarim procedendum cum distinctione; si consideretur excommunicatus quoad effectum externum excommunicationis est extra ecclesiam quatenus non communicat cum ipsa, ut liquet ex ipso nomine excommunicationis, significat enim excommunicatio extra communionem; eo quia per illam separetur homo à communione fidelium,

lium, & à participatione præsertim Eucharistiæ, quæ per antonomasiam communio dicitur: unde Christus loquens de excommunicatis juxta communionem expositionem ait Matth. 18. *Si ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*: & cum Ethnici sint extra ecclesiam, perinde etiam excommunicati saltem quoad effectum excommunicationis: unde Apost. 1. Corinth. 5. 2. *Cur non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestri, qui hoc opus fecit?* & paulò infra v. 6. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit. Rursus v. 11. *Nunc autem scripsi vobis non commisceri, si is qui frater nominatur est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare. Nam eos qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis*: loquitur Apostolus de excommunicatis ob recensita delicta, & asserit esse extra ecclesiam, quoad effectum excommunicationis.

27 Hinc D. Augustinus *lib. de unitate eccles. cap. ult.* ait excommunicari esse visibiliter præcidi à corpore ecclesiæ: & *lib. de corrept. & Gratia. cap. 15.* asserit per excommunicationem separari ab ovibus sanis morbidam, ne per plures serpant dira contagia: tribui etiam solet S. Augustino hæc sententia quæ habetur *11. quæst. 3. can. omnis*, ubi dicitur *omnis Christianus, qui à Sacerdotibus excommunicatur satanæ traditur: quomodo? quia scilicet extra ecclesiam est diabolus, sicut in ecclesia Christus.* Augustino assentitur D. Anselmus qui expendens præcitata verba Apostoli ad Corinth. 5. explicat tradere hominem Satanæ perinde esse, ac per excommunicationem è gremio ecclesiæ, seu à communicatione fidelium pellere. S. Hilarius explicans illud Matth. 18. *si ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*; asserit Deum eodem modo egisse cum populo Israel. Primò populum corripuit inter se & ipsum solum, quando apparuit illis cum Majestate in monte Sinai. Secundò adhibuit secum duos testes legem, & prophetam. Tertiò dixit ecclesiæ, cùm misit Christum summum ecclesiæ Pontificem, qui Judæos objurgaret. Tandem quia ecclesiæ Pontificem noluerunt audire, eos deseruit, habuitque ut Ethnicos, & publicanos: unde liquet fieri sicut ethnicum, & publicanum perinde esse ac per excommunicationem separi ab ecclesia, seu excludi à communione fidelium, ut exponunt Chrysostomus Theophilactus, Hieronymus & alii SS. Patres. Quia per excommunicationem privantur excommunicati omni commercio spirituali, quod habent homines inter se; ut docet Tertullianus *in Apologet cap. 39.* proinde excluduntur ab ecclesia, cum qua non communicant. Secundò quia perinde se habet excommunicatio in testamento novo; sicut pœna mortis in veteri: sed per mortem separabantur notaliter à republica; ergo etiam nunc excommunicati ab ecclesia: hinc S. Augustinus quæst. 39. in Deuter. *hoc nunc agit in ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio* & confert illud Deuter. 24. *Auferes malum de medio tui.* Cum eo quod dicit Apostolus 1. Corinth. 15. *Auferte malum ex vobis ipsis.* Tertiò qui ab ecclesia non infligitur pœna gravior excommunicatione, ut observavit Augustinus lib. de corrept. & gratia cap. 15. & per per excommunicationem excluditur homo ab ecclesia; quia excludi à consortio fidelium est gravissima in ecclesia pœna. Demum quia in absolutione excommunicati proferuntur illa verba: *Restituo te unitati Ecclesiæ, & membrorum participationi.* Nam restituitur nisi quod fuerat sublatum: neque restituitur quis pristinæ dignitati nisi fuisset prius illa privatus: ergo excommunicatus saltem quoad effectum excommunicationis est extra ecclesiam.

Sin verò consideretur excommunicatus quoad 28 affectum, & desiderium excommunicati, non est extra ecclesiam: quia retinet baptismum, cujus character est indelebilis; servat eandem professionem fidei integræ, & totalem obedientiam summo Pontifici legitimè electo, & subjectionem aliis legitimis ecclesiæ prælatis: immò potest etiam manere cum Dei amicitia si fuerit injustè excommunicatus, neque patraverit peccatum grave quod ei imputatur, & ob quod fuit excommunicatus. Præterea potest excommunicatum sui peccati pœnitere, & per actum veræ contritionis sincerè resipiscere; quamvis adhuc maneat ab ecclesia excommunicatus. Quòd si ita resipiscens moriatur, quamvis ab ecclesia excommunicatus, consequitur æternam salutem; ergo quia quoad affectum, & desiderium est intra, non extra ecclesiam, cùm nemo salutem consequatur nisi sit intra ecclesiam; appositè S. Augustinus *lib. de vera Relig. cap. 6.* ait *Sæpe etiam sinit Divina providentia expelli de congregatione Christiana viros probos, quam contumeliam, vel injuriam suam, cum patientissimè pro ecclesiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel schismatis, vel hæresis moliti fuerint; docebunt homines, quàm vero affectu, & quanta sinceritate charitatis Deo serviendum sit. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns.*

Præterea Ecclesia infligit excommunicationem 29 ut pœnam medicinalem ad eum finem ut peccantes arceantur à delictis patrandis, & resipiscant si non virtutis amore, saltem timore pœnarum: hinc D. Paulus *ad Thessal. cap. ult.* scribit. *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur, & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.* Non enim ecclesia per inflictam excommunicationis pœnam intendit homines à numero separare salvandorum; quia imo ea pœna potius intendit eos juvare, ut resipiscant, & à delictis patrandis exterreantur: est enim excommunicatio censura ecclesiastica, ac pœna gravissima, maximè pertimescenda; & non facilè infligenda, neque frequenter ferenda ne flacci fiat à viris præsertim principibus. Hinc S. Leo Papa epist. 89. ad Episcopum Viennensem scribit. *Nulli Christianorum facilè denegetur communio, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod in magnis reatus ulciscens invitus, & dolens quodam modo debet inferre animus vindicantis.*

CAPUT VII.

An ecclesia visibilis adeo firmiter à Jesu Christo fundata fuerit, ut nunquam defecerit, nec sit defectura ab eo statu, in quo fuerat primis quingentis annis.

1 NOn est sensus, an in ecclesia Catholica Romana à Christo in terris instituta possint aliqui particulares de cœtu fidelium seu unus vel alter deficere; cùm certum sit Arium, Nestorium, Eutichetum, Pelagium, Donatum, & proximiores nostris temporibus Lutherum, Calvinum, Zvvinglium; & plures alios ejusdem furfuris defecisse ab ecclesia catholica Romana in hæreses vel recèns adinventas, vel ex antiquis renovatas prolapsos: sed sensus est, an ecclesia, prout coalescit ex integro cœtu fidelium cum suo capite, & inferioribus prælatis, unquam defecerit, vel sit defectura ab illo primævo statu, in quo fuerat à Jesu Christo instituta.

2 Dicendum est ecclesiam catholicam Romanam nunquam defecisse, neque posse deficere ab illo eodem statu, in quo à JESU Christo fundata in terris fuit.

3 Evincitur assertum contra Acatholicos ex scripturis, & Christi promissionibus. Loquens enim Christus de sua ecclesia ait Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* Ideo posset deficere, quia adversarii possent contra ipsam prævalere, eamque evertere; sine contrariis ecclesia se ipsam non destruit: sed de fide credendum est adversarios nunquam adversus eam prævaluisse, nec esse prævalituros ex promissione Christi, qui non potest falli, nec nos fallere: ergo ecclesia in terris militans nunquam defecit, nec erit defectura ab illo statu, in quo fuit à Christo condita. Hinc Apostolus scribens ad Timoth. 3. ait *Ut scias quomodo te oporteat conversari in domo Dei, quæ est ecclesia Dei vivi columna, & firmamentum veritatis.* Eatenus posset ecclesia deficere, quia posset à Doctrina Christi deflectere, ac à via veritatis declinare, ac in errorem prolabi, quia quamdiu perseverat in doctrina Christi, non deficit: sed nequit ecclesia à Christi doctrina deficere, quia ab hac non deficit nisi in errorem prolabatur, ac deficiat à veritate, cui error opponitur, qui mendacium inve-hit: ergo si posset ecclesia deficere ab illo statu, in quo fuerat à Christo condita, non esset columna, nec firmamentum veritatis contra SS. scripturas.

4 Secundò nequit ecclesia visibilis deficere si manuducatur, ac regatur à Christo suo institutore, ac fundatore; non enim Christus qui est ipsa via, veritas, & vita potest à via veritatis deflectere, neque ecclesiam per vias obliquas erroris ducere: sed Christus est semper cum sua ecclesia, eique præsens per directionem, ac gubernationem: ait ipsè alloquens suam ecclesiam, seu Apostolos, & cœtum fidelium tunc existentium Matth. ult. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi:* & cùm Apostoli, & alii fideles constituentes cœtum fidelium, & ecclesiam visibilem non essent in terris permansuri, & victuri usque ad consummationem sæculi, sed brevi morituri, concludendum necessariò est sua dixisse verba ad ecclesiam, seu cœtum fidelium existentium, vel qui essent extituri; proinde fuerunt verba directa ad ecclesiam perpetuò duraturam in eodem statu, in quo tunc erat, cùm Christus promisit ei suam assistentiam, & directionem: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi:* & cùm non fuisse mansurus quoad corpus reale, quod post passionem ascendit in cœlum, debet necessariò intelligi Christi promissio, quòd sit perpetuò mansurus quoad directionem, gubernationem, assistentiam, qua sit illi auxilia suppeditaturus, ne unquam deficiat à primævo statu, in quo fuit instituta, & condita: igitur præfata promissio à Christo facta intelligitur de ecclesiæ perpetua duratione, ut eam intellexit Leo I. in Epist. 2. ad Pulcheriam Augustam, cui communiter assentiuntur SS. Patres.

Tertiò D. Paulus ad Ephes. 4. hoc idem confirmat 5
inquiens: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, & mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Asserit Apostolus mansura in ecclesia eadem ministeria Pastorum, ac Doctorum ad continuam ædificationem corporis Christi, quæ tunc erant in ecclesia cùm epistolam illam direxit ad Ephesios; & eadem ministeria esse perseveratura usque ad diem judicii: cùm igitur ministeria illa Pastorum, ea Doctorum sint visibilia in ecclesia visibili, erit hæc perseveratura usque ad finem mundi in eodem statu, in quo fuerat à Christo condita, consequenter nunquam defecit, nec erit defectura. Quòd ministeria Pastorum, & Doctorum necessaria sint in ecclesia visibili, & mansura, usque ad finem mundi adstruunt SS. Patres Hieronymus contra Luciferianos: ait *Ecclesia non est, quæ non habet Sacerdotes.* S. Cyprianus lib. 4. epistol. 9. *Scire debet, Episcopum in ecclesia esse, & ecclesiam in Episcopo; & si cum Episcopo non sint, in ecclesia non esse: quia Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens.* Hoc idem fatentur ipsi sectarii Acatholici Calvinus lib. 4. Instit. cap. 3. §. 4. expressè ait: *Sequuntur Pastores, & Doctores, quibus carere nunquam potest ecclesia.*

Ratio hanc veritatem etiam evincit. Quia ec- 6
clesia nequit existere sine fide: sed fides est ex auditu ad Rom. 10. v. 14. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt: quomodo autem audient sine prædicante? quomodo autem prædicabunt nisi mittantur.* Si igitur fides necessaria est in ecclesia, ut nomen Domini invocetur, & fides est ex auditu, & non potest audiri sine Pastore, & Doctore: sequitur evidenter necessitas, ut sint semper in ecclesia Pastores, & Doctores, qui Christi doctrinam doceant populos. Præterea ecclesia fuit à Christo instituta cum sacramentis, sine quibus propterea esse nequit: sed ministrare sacramenta pertinet ad Episcopos & Pastores: ergo si non potest ecclesia destitui sacramentis; nec Pastoribus. Rursus in qualiber bene instituta Republica requiritur ordo, quo aliqui præsint, & alii subsint; aliqui gubernent, & alii obsequantur: ergo hoc ordine non debuit ecclesia carere; adeout in ipsa alii sint Pastores, & alii oves hinc Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos pascere ecclesiam Dei.*

Quod verò ecclesia à Christo instituta non possit 7
deficere ab illo eodem statu in quo fuit instituta, ne-

cesse

cesse est adigantur vel ipsi Novatores concedere asserentes, neminem posse salvari extra ecclesiam visibilem; & cùm fateantur, aliquos semper salvari; necesse est fateantur dari de facto in terris hanc ecclesiam visibilem. Præterea Christus conjunxit sibi ecclesiam visibilem ut sponsam vinculo indissolubili juxta Apostolum ad Ephes. 5. v. 31. & sequent. *Propter hac* (seu matrimonium) *relinquet homo patrem, & matrem suam, & adherebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in ecclesia*: ergo ecclesia ex Apostulo separari, aut divelli à Christo non potest. Evincitur etiam ex verbis Christi Matth 16. 18. *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Duo Christus promittit, se ædificaturum ecclesiam supra petram: & quòd portæ inferi non sint prævalituræ adversus eam; seu quòd adversaria nunquam poterunt eam expugnare, nec evertere; ad quod alludit id quod Matth. 7. 24. dixerat sapientem esse, qui ædificat super petram, & stultum qui super arenam: & etiam additur causa, quia ædificans super arenam exortâ aliquâ procellâ operam perdit, quatenus ex ventorum impetu dissipantur pulveres, & arenæ, & corruit ædificium constructum super arenam; non super petram quod erat firmum contra impetus procellarum: ergo cùm Christus promiserit se ædificaturum ecclesiam supra petram non super arenam, non poterit deficere; quia adversarii nunquam adversus eam erunt prævalituri; alioquin Christus ædificâsset suam ecclesiam super arenam, quod esset injuriam eidem irrogare. Hinc David prophetico spiritu prævidens hoc ecclesiæ ædificium dixit Psal. 47. 9. *Deus fundavit eam in æternum* seu ut in æternum staret, nunquam corrueret, deficeret nunquam; unde S. Augustinus expendens verba Davidis ait. *Sed fortè ista civitas,* (seu ecclesia) *quæ mundum tenuit, aliquando evertetur? Absit. Deus fundavit eam in æternum. Si ergo fundavit eam in æternum, quid times ne cadat firmamentum?*

8 Rursus in Psal. 101. concione 2. contra Donatistas blaterantes totam ecclesiam visibilem à Christo in terris institutam & fundatam defecisse, ac periisse; & solis quibusdam justis tunc piè ac sanctè viventibus in Africa remansisse, adeout modicus ille hominum cœtus totam constitueret Christi ecclesiam in terris visibilem ait. *Sed illa ecclesia, quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit. Hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem. Illa non est, quia tu in illa non es? Vide, ne tu ideo non sis.* Et nonnullis interjectis per etropæiam introducit ipsam ecclesiam alloquentem Donatistas inquiens. *Quamdiu ero in isto sæculo? annuncia mihi propter illos qui dicunt, fuit, non est: apostatavit, & periit ecclesia de omnibus gentibus: Et annunciavi; ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi.*

9 Concedunt Acatholici ecclesiam Romanam primis quingentis annis post Christi passionem fuisse quidem illam in terris visibilem institutam, & fundatam à Christo, sed postea, ob morum corruptelam, vitiorúmque indulgentiam defecisse. Verùm si intelligatur, quòd sola ecclesia Romana, quæ tunc temporis Romæ tantum extitit, fuerit ecclesia catholica, & universalis, hoc falsum est; quia etiam aliæ plures ecclesiæ extra urbem Romam pertinebant ad ecclesiam catholicam visibilem à Christo institutam; ut fuerunt Ecclesia Antiochena, Alexandrina, & aliæ plures. Sin verò pro ecclesia Romana intelligatur tota illa fidelium multitudo, quæ Romano adhærebat Pontifici, & omnes illæ extram urbem Romam ecclesiæ, quæ cum Romana communicabant, in hoc sensu verum est, solam ecclesiam Romanam primis quingentis annis post Christum fuisse visibilem, & catholicam institutam, & fundatam à Christo: nec dissentit Calvinus cùm dixerit: *Romanam ecclesiam fuisse matrem omnium ecclesiarum,* quatenus omnes particulares ecclesiæ, quæ per varias mundi partes dispersæ existebant ecclesiæ Romanæ, ac summo Pontifici adhærebant, ut membra totius corporis ecclesiæ visibilis, cujus caput est summus Pontifex legitimè electus. In hoc sensu SS. Patres pro ecclesia Romana intellexerunt ecclesiam catholicam visibilem universalem diffusam per totum orbem ut S. Hieronymus contra Rufinum *Apolog. 1. circa initium*, D. Ambrosius de obitu satyri fratris, & plures alii, qui texentes cathalogum episcoporum, qui in ecclesia catholica sibi invicem successerunt, semper de ecclesia Romana loquuntur, ut de catholica universali, ut liquet ex Irenæo, Optato, Augustino, Epiphanio, Eusebio Cæsariensi, non enim recensuerunt successionem episcoporum suarum particularium ecclesiarum; sed tantùm successores ecclesiæ Romanæ, eò quia solus summus Pontifex legitimè electus sit caput totius ecclesiæ catholicæ visibilis.

10 Quòd verò post illos quingentos annos perseveraverit ecclesia catholica Romana, clarè evincitur, ex Episcopis in illa successoribus, ac legitimè electis. Floruit enim post quingentos illos annos Gregorius Papa doctrina, & sanctitate, insignis, & cui tanquam legitimo capiti ecclesiæ catholicæ institutæ à Christo, & in terris fundatæ totus Christianus orbis conjunctus erat, ut liquet ex epistolis, quas direxit ad Episcopos orientis, Africæ, Galliæ, Hispaniæ, Italiæ. Rursus post obitum Gregorii celebratum fuit Concilium œcumenicum sextum, quod Acatholici ut legitimum, & sacro sanctum habent, ut patet ex Confessione Tigurinorum, & ex centuriis Magdeburgentium fuit hoc concilium coactum Constantinopoli sub Agathone Papa anno post Christum 681. in quo omnia membra, seu ecclesiæ omnes particulares rectè cohæserunt cum suo capite Romano Pontifice.

11 Eandem ecclesiam quæ fuit primis illis quingentis annis post Christum, etiam nunc florere, & nunquam defecisse facilè evincitur primò directè. Si ecclesia Romana defecisset ab illo statu in quo floruit primis quingentis annis, post Christum; deberet assignari in quo defecerit: sed nihil potest assignari quoad doctrinam, sacramenta, & alia ecclesiæ essentialia à Christo instituta, quod ecclesia Romana non semper fideliter custodierit, & incorruptè servaverit: ergo eadem ecclesia Romana, catholica, quæ floruit primis quingentis annis floruit semper usque ad nostra tempora, & florebit usque ad consummationem sæculi, ex Christi promissione. Minor liquet: quia quicquid ecclesia Romana nunc docet de præcipuis mysteriis fidei, seu de præsentia Christi corporis in Eucharistia; de necessitate baptismi suscipiendi ab infantibus, de sacrificio missæ, de merito bonorum operum, invocatione Sanctorum; cœlibatu Sacerdotum; de Sacramentis, jejunio, satisfactione, de traditionibus, de scripturis caonicis: hæc omnia etiam docuit primitiva ecclesia quingantis illis annis post Christum: ergo ecclesia Romana non defecit à primitiva doctrina ecclesiæ, ut in sequentibus clarè per inductionem probabitur.

12 Dices, ecclesiam defecisse tempore Arii, & aliorum ecclesiæ Pastorum, qui à doctrina Apostolorum deflexerunt: ait enim S. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos ingemuisse totum orbem, eò quia se Arrianum esse admiratus est. Verba D. Hieronymi sunt,

sunt. *Ingemuit totus orbis, & se Arianum esse admiratus est.* D. Basilius *epist.* 69. & 70. D. Bernardus *serm.* 35. *in cant.* etiam deplorant vitia ecclesiæ.

13 Sed contra, tametsi aliqui in ecclesia prælati particularium ecclesiarum defecerint, ut Arrius, qui negavit Verbi Divini consubstantialitatem cum Patre æterno, seu Christi Divinitatem. Macedonius, qui negavit Spiritus Sancti divinitatem. Nestorius, qui duas posuit in Christo personas; Eutyches, & Dioscorus, qui unam dumtaxat in Christo asseruerunt naturam. Pelagius qui negavit peccatum originale, & necessitatem gratiæ. Donatistæ blaterantes filium minorem Patre, & Spiritum Sanctum minorem filio, & baptismum Catholicorum irritum esse: non tamen ecclesia universalis, de qua est quæstio, legitur unquam errâsse, ac defecisse à doctrina primitivæ ecclesiæ. Tum quia in symbolo Apostolorum unus ex fidei articulis est, quod detur ecclesia visibilis Sancta, & catholica: sed articulus fidei ita est verus, ut pro nullo eventu possit falsò asseri; perinde ac impossibile est Primam veritatem, seu Deum falsum asserera: ergo ecclesia catholica semper fuit, & nunquam defecit; cum ecclesiæ fideles semper protulerint eundem fidei articulum symboli *credo sanctam ecclesiam catholicam.* Si defecisset, non fuisset, nec potuissent fideles eam credere visibilem sanctam, unam, catholicam, & Apostolicam, ac magistram: igitur falsum est, ecclesiam post primos quingentos annos defecisse. Rursus certum est, neminem posse æternam salutem consequi extra ecclesiam visibilem: Acatholici verò concedunt quod semper aliqui salventur: ergo tenentur concedere existentiam ecclesiæ catholicæ visibilis, quæ nuoquam defecerit à primitiva ecclesia, quæ floruit primis quingentis annis post Christum.

14 Respondent aliqui ex Acatholicis post primos quingentos annos extitisse solam ecclesiam invisibilem. Sed contra, quia si fuisset invisibilis non potuissent homines illam ingredi, neque salutem in ipsa consequi: ingressus enim in ecclesiam visibilem per susceptionem baptismi est necessarius ad salutem: perinde ac tempore Noë, cujus arca est Symbolum ecclesiæ, qui non fuerunt arcam ingressi, perierunt: si ecclesia est invisibilis non possunt homines videra ubi est, nec eam ingredi. Respondent, homines constituentes ecclesiam invisibilem esse paucos justos, & occultos. Sed contra. Quia homines isti pauci constituentes ecclesiam invisibilem vel palam suam profitentur fidem, & abstinent ab idolorum cultu val non: si palam profitentur, ergo constituunt ecclesiam visibilem, non invisibilem: si palam non profitentur suam fidem: ergo nulla datur in terris ecclesia: quia ibi non est vera ecclesia, ubi nulli sunt boni, nulli qui salvantur, nulli qui palam profitentur fidem JESU Christi: quia ut scribit Apostolus ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* & Matth. 10. *Omnis qui negaverit me coram hominibus negabo eum coram Patre meo:* repugnat igitur ecclesiam existere & carere forma visibili; seu ore confessionem non fieri ad salutem.

15 Præterea certum est, ecclesiam visibilem gubernari à Christo, ut ejus capite, institutore, ac Fundatore, perinde ac mulier gubernatur à viro qui ajus dicitur caput, ut scribit Apostolus ad Ephes. 5. *Vir est caput mulieris, sicut Christus est caput ecclesiæ;* & quia gubernator debet invigilare ac adesse, ne qui suo subsunt regimini, pereant; ideo Christus, ne sua deficiat ecclesia, ei semper assistit Matth. ult. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi:* ergo si ecclesia erraret in dogmatibus fidei, vel morum, error tribueretur Christo ejus gubernatori, ac directori: sicut enim vir tenetur ita uxorem gubernare, ac dirigere, ut in nullum errorem incidat; ita Christus suæ adhærens sponsioni tenetur omnem errorem in fide, & moribus removere ab ecclesia, & non sinere ut erret. alioquin error ecclesiæ diversæ, Christo tribueretur Directuri, ac gubernatori, quod esse nequit. Demum si ecclesia in terris visibilis posset errare in doctrina fidei, & morum, seu in necessariis ad salutem, iniquum esset præceptum audiendi ecclesiam, eique assentiendi Matth. 18. *Si non audierit eos dic ecclesiæ: sin autem ecclesiam non audierit sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*, quia teneremur assentiri ejus erroribus. Imposita igitur est omnibus obligatio audiendi, ac assentiendi ecclesiæ, quia per Dei assistentiam non potest errare in iis, quæ necessaria sunt ad salutem: ex eo igitur quòd præcipiamur audire ecclesiam, & illi assentiri, sequitur hanc non posse errare in dogmatibus fidei, nec iis quæ pertinent ad salutem, alioquin obligaremur illi doceoti errores assentiri: Hinc D. Bernardus serm. 79. io cant. expendens illud *Tenui eam, nec dimittam, donec introducam in domum matris meæ* ait *Ista est, & tunc, & deinceps non deficit genus humanum Christianum, nec fides de terra, nec charitas de ecclesia, venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in eam, & non cecidit, eo quòd fundata esset super petram, petra autem erat Christus. Itaque neque verbositate Philosophorum nec cavillationibus hæreticorum, nec gladiis persecutorum potuit ista, aut poterit aliquando separari à charitate Dei.* Neque possunt hæc intelligi de ecclesia invisibili, quia contra ipsam non possunt invehere gladii tyrannorum, neque verbositas Philosophorum, neque cavillationes hæreticorum: ergo sermo est de ecclesia in terris visibili, contra quam portæ inferi nunquam erunt provalituræ. 16

Indirectè ostenditur etiam indefectibilitas ecclesiæ visibilis ex legitima successione episcoporum, quia sicut per quingentos illos annos post Christum semper episcopi legitimè electi ecclesiæ universalis & primitivæ consenserunt, ita deinceps usque ad nostra tempora: nulla enim est ecclesia præter Romanam, quæ hactenus habuerit legitimam successionem episcoporum, & consenserit cum primitiva ecclesia in doctrina fidei: argo eadem ecclesia, quæ floruit primis illis quingentis annis post Christum, etiam nunc floret, & nunquam defecit, sed intemerata perseverat. Sectæ enim Calvinistarum, & Lutheranorum, aliorumque Acatholicorum non possunt hanc successionem ostendere, cùm vel legitimos Sacerdotes & episcopos nun habeant; vel originem suam nonnisi à Calvino, Luthero, & aliis hæresiarchis traxerint; non enim hæreticorum ecclasiæ consentiunt in doctrina fidei cum primitiva ecclesia, quæ floruit primis illis quingentis annis, ut Calvinus fatetur se dissentire à primitiva ecclesia in pluribus præsertim de libero arbitrio *lib.* 2. *Inst. cap.* 2. §. 4. de cooperatione liberi arbitrii cum gratia *lib.* 2. *c.* 3. §. 7. de Persona Mediatoris *lib.* 2 *c.* 14. §. 3. de Justificationa *lib.* 3. *c.* 11. §. 3. da Concupiscentia *lib.* 3. *cap.* 3. §. 10. de Satisfactione *lib.* 3. *cap.* 4. §. 38. de oratione pro defunctis *lib.* 3. *cap.* 15. de Merito *lib.* 3. *c.* 15. §. 2. de traditionibus *lib.* 4. *cap.* 12. §. 23. de solemni Pœnitentia *lib.* 4. *cap.* 12. §. 8. de Quadragesima *lib.* 4. *cap.* 12. §. 20. de Laicis baptizantibus in necessitate *lib.* 4. *cap.* 15. §. 20. Ex quibus apertè constat. ecclesiam Calvinistarum dissentire à primitiva ecclesia, quæ floruit illis quingentis primis annis post Christum. Sola igitur eccle-

sia Romana semper visa est consentire cum primitiva ecclesia.

17 Si dicas, Synagogam, quæ erat in ecclesia visibili, illius temporis defecisse; proinde posse etiam ecclesiam in terris visibilem deficere. Contra est quia non probatur totam Synagogam defecisse; licèt pars aliqua defecerit: sicut & in ecclesia defecerunt Arrius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, Pelagius, Lutherus, Calvinus, & alii quamvis universalis Romana ecclesia nunquam defecerit. Præterea dato etiam & non concesso totam Synagogam defecisse, adhuc negatur consequentia. Primò quia Deus non promiserat synagogæ peculiarem assistentiam sicut eam promisit ecclesiæ Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversum eam.* Matth. ult. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Secundò quia synagoga non erat ecclesia universalis, sed particularis, quæ potuit deficere; sicut propter schisma vel hæresim defecerunt plures particulares ecclesiæ non adhærentes Romanæ universali.

18 Dices ex Daniele inferri ecclesiam defecturam Daniel. 9. *Deficiet sacrificium, & hostia* & Luc. 18. *Filius hominis cum venerit, putas inveniet fidem?* sed contra, quia Daniel, ut communiter interpretantur SS. Patres, non fuit loquutus de Ecclesia instituta à Jesu Christo, sed de eversione Hierusalem, & cessatione sacrificii Judæorum ut exponunt Chrysostomus, Theophylactus, Hieronymus, Augustinus, Clemens Alexandrinus, & communiter sacri Interpretes cum ipsis Hebræis, qui communiter verba Danielis intelligunt de eversione Hierusalem.

19 Quòd si interdum SS. Patres visi sunt deplorâsse errores, & quasi lapsum ecclesiæ, ut Hieronymus in dialogo contra Luciferianos ubi ait: *Ingemuit totus orbis, & se Arianum esse admiratus est:* id exaggerativè, ac tropicè dixit, quia hæresis Ariana tunc non nisi in oriente grassabatur, & posuit partem pro toto orbe: præterea vocat Arrianos illos Præsules, qui Concilio Ariminensi interfuerunt, & ob ignorantiam vocis græcæ *homousion* fuerunt ab Arrianis decepti dolo, & astutia præsertim Valentis, & Ursacii: unde Patres dolo arrianorum decepti non fuerunt formaliter hæretici, sed tantùm materialiter. Quod si aliqui fuerunt decepti, alii imò & potior pars catholicorum steterunt pro veritate fidei catholicæ, & anathemate percusserunt omnes adhærentes hæresi Arrii. Uno eodemque anno trecentesimo quinquagesimo nono Constantius Imperator duas toto orbe indixit Synodos, unam Seleuciæ in oriente, alteram Arimini in occidente. In hanc convenerunt trecenti quinquaginta Episcopi catholici, ut refert Severus Sulpitius, & octoginta Ariani, in quibus insigniores fuerunt Valens Ursacius, & Auxentius invasor ecclesiæ Mediolanensis pulso in exilium Dionysio: in hoc conciliabulo invalide coacto à Constantio, quamvis interfuerit Legatus Liberii Papæ Vincentius Capuæ Episcopus, eodem jam dudum perfunctus officio in Concilio Nicæno, non tamen fuit à Pontifice Romano hoc conciliabolum Ariminense confirmatum, nec approbatum; quinimo damnatum ut illegitimum: & Concilium sine ecclesiæ visibilis capite nullius est authoritatis; propterea ex Concilio Ariminensi non probatur, ecclesiam defecisse; sed potius hanc contra portas inferi stetisse firmiorem, nec quidquam fuisse læsionis pactam: quia iidem episcopi decepti ab Arianis cùm primùm admoniti fallaciam, dolumque agnoverunt Arianorum, reliquerunt, errorem que correxerunt.

Quod ad S. Basilium attinet, liquet in Epistola illa 20 69. non deplorare ullam ecclesiæ defectionem, nec catholicorum vitia, sed tantùm ærumnas, quibus tunc temporis ecclesia divexabatur ob persecutiones hæreticorum: neque invehit in illa epistola contra Episcopos Catholicos, sed contra Arrianos. D. Bernardus itidem sermon. 35. in cant. deplorat in catholicis morum vitia, non doctrinæ Christianæ corruptelam; quia ut noverat S. Bernardus *Ecclesia* 5. Timoth. 3. *est columna, & firmamentum veritatis:* neque errare potest propter assistentiam Spiritus S. unde habetur regula: Eum non errare qui credit, quod credit ecclesia, ex qua regula D. Augustinus definivit, quæ docet, & credit ecclesia, orandum esse pro mortuis *lib. de cura pro mortuis cap.* 2. 2. Parvulos esse baptizandos *epist.* 28. *ad Hieronymum.* 3. Parvulis prodesse fidem eorum, à quibus ad baptismum perferuntur, ac verba fidei proferuntur lib. 3. de libero arbitrio cap. 33. 4. Hæreticos non esse rebaptizandos *lib.* 1. *contra Cresconium cap.* 33. 5. Hæreticis, & Schismaticis spem salutis non esse præcisam si resipiscant *lib.* 28. *contra Faustum cap.* 1.

CAPUT VIII.

Quænam sint Ecclesiæ Proprietates, seu notæ ab Acatholicis assignatæ, & quomodo impugnentur.

1 HActenus donavimus explicatu naturam ecclesiæ visibilis à JEsu Christo in terris institutæ, ac fundatæ, supersunt explicandæ ejus proprietates, seu notæ, quibus vera ecclesia JEsu Christi à falsa secernitur, & cùm omnes sectarii arbitrentur se veræ esse membra ecclesiæ, ac posse salutem æternam consequi; inquirendum hic est ubi pascat, ubi vigeat pulcherrima hæc mulierum, seu ubi in terris sit vera ecclesia; ad quod dignoscendum necesse est expendamus, quæ sint proprietates, seu notæ veræ ecclesiæ in terra visibilis, hisce cognitis facilè erit veram ecclesiam à falsis sectariorum secernere. Sunt autem hæ proprietates, quæ in symbolo Constantinopolitano exprimuntur nimirum ut sit *una, catholica, & Apostolica*, hisce tribus in Symbolo Apostolorum additur alia, seu *sancta*: dicimus enim credo in unam sanctam, catholicam, & Apostolicam ecclesiam.

Prima igitur ecclesiæ proprietas est, ut sit *una*, 2 quæ nota habetur in Symbolo Nicæno fidei, & ex Patrum communi sententia desumitur ex illis canticorum verbis *una est columba mea perfecta mea*. quæ verba communiter à SS. Patribus intelliguntur de ecclesia, quam Christus etiam vocat *unum ovile* & Apostolus *unum corpus* ad Ephes. 1. *Et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius* & cap. 4. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, & Pater omnium*, quibus verbis Apostolus edisserit ecclesiæ unitatem contineri in unitate principii, seu Dei vocantis; in unitate finis, seu

vitæ æternæ, quam speramus, & ad quam vocati sumus: in unitate mediorum, quorum beneficio vitam æternam consequimur, suntque hæc media baptismus, professio fidei integræ, & perceptio aliorum sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, quâ fideles omnes reficiuntur, viresque corroborant: ait Apostolus 1. Corinth. 12. *Unus panis, & unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane, & calice participamus.* Rursus dicitur ecclesia una etiam unitate charitatis, & doctrinæ ad Philip. 7. *Unanimes in charitate id ipsum sentientes* de hac unitate charitatis dicitur Actor. 4. *Erat multitudo credentium cor unum, & anima una.*

3 SS. Patres hanc ecclesiæ unitatem communiter adstruunt. S. Cyprianus lib. de unitate ecclesiæ pulchrè ait. Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo solis radii multi, sed lumen unum; & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum: & cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licèt diffusa videatur exundantis copiæ largitate; unitas tamen servatur in origine. A velle radium solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fructus geminare non poterit. A fonte præcide rivum, præcisus arescit. Sic & ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit: unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit: unum tamen caput est, & origo una, & mater una fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est, & pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo servat; hæc filios regno, quos generavit, assignat. Quisquis ab ecclesia segregatur, adulteræ jungitur, à promissis ecclesiæ separatur. Nec perveniet ad Christi prœmia, qui relinquit ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Hactenus S. Cyprianus explicans unitatem, seu primam ecclesiæ proprietatem. Hæc autem unitas intelligenda est de unitate totius, quia ratione diversi loci, aut temporis non dubium est, quin plures ecclesiæ dici possint; sed omnes hæ particulares ecclesiæ membra sunt unius totalis, suntque una ecclesia unitate totius.

4 Si dicas, quemlibet sectarium etiam asserere ecclesiam suæ sectæ esse unam unitate totius, & ab unitate fidei propriæ sectæ, ac doctrinæ. Respondetur quemlibet Sectarium putare quidem ecclesiam suæ sectæ esse unam, non tamen posse probare hanc unitatem suam, originem ducere à JEsu Christo institutore veræ ecclesiæ, neque semper ecclesiam sectariorum fuisse à tempore Apostolorum, quia nulla est ecclesia Sectariorum, quæ plures non contineat errores, negetque plura, quæ Apostoli in ecclesia JEsu Christi docuerunt & instituta à Christo. Unde Lactantius lib. 4. Divin. Instit. cap. 30. ait *Cum Phryges, aut Novatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, aut seu quilibet alii nominantur, Christiani esse desinunt, qui Christi nomine amisso, humana, & externa vocabula induerunt. Sola igitur Catholica ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc est domicilium fidei; hoc templum Dei: quò si quis non intraverit, vel à quo si quis exiverit, à spe vitæ, ac salutis æternæ alienus est.* Hæretici satagunt quidem eas proprias ecclesiæ, seu sectæ tribuere proprietates, quibus aliquo pacto videantur ostendere se esse in ecclesia instituta à Christo, quamvis non omnes conveniant, in notis ecclesiæ assignandis. Quidam enim unum solum veræ ecclesiæ signum esse statuunt, perfectam scilicet populi Dei sanctitatem, innocentiam, ac vitæ integeritatem; & asserunt eam tantum esse veram ecclesiam, in qua omnes à minimo ad maximum cognoscunt Deum, in qua omnes sunt justi, per quam non transeat incircumcisus, neque immundus, in qua nemo peccat: quam omnes, qui viderint, cognoscunt, eam esse semen, cui benedixit Dominus: quæ est sancta, immaculata sine macula, absque ruga. Hæ sunt proprietates, quæ olim à Novato, & Novatianis, deinde Donatistis, Anabaptistis nostris etiam temporibus fuerunt veræ ecclesiæ tributæ. Alii duas tantùm assignant veræ ecclesiæ proprietates; sanam evangelii doctrinam, & rectum usum sacramentorum; tales sunt qui Augustanam, ut vocant, confessionem sequuntur. Hanc sententiam docuerunt etiam Brentius, Calvinus, & alii. Centuriatores ad has duas addunt alias duas; perseverantiam in confessione fidei usque ad mortem, & obedientiam ad ministrum verbi. In hac sententiarum varietate, illa duo jactant Acatholici, & quasi in prima constituunt acie, scilicèt verbi Dei, ac doctrinæ evangelicæ incorruptam professionem, ac sacramentorum convenientem divinæ institutioni usum.

5 Verùm quamvis assignatæ ab Acatholicis ecclesiæ notæ tales sint, ut sine ipsis non esset ecclesia, quæ propterea iisdem carere non possit, non tamen sequitur, esse veras, ac proprias ecclesiæ notas, quibus distinguitur à falsa: etenim leges, magistratus, & judicia talia sunt, sine quibus respublica non posset stare: non tamen leges, magistratus, & judicia sunt notæ alicujus reipublicæ: Quamvis cibus, potus, somnus, talia sint sine quibus humana natura non posset consistere; non tamen hæc sunt insignia, & propriæ notæ naturæ humanæ; sed potius quædam accidentia omnibus animantibus communia: Perinde vitæ integritas, & sanctitas huic vitæ competens: & purum verbum Dei, legitimus, rectusque sacramentorum usus; perseverantia item, & obedientia Pastori, & Prælato & alia hujusmodi talia sunt, sine quibus ecclesia Dei non esset; non tamen inde sequitur, esse notas, ac proprietates veræ in terris ecclesiæ fundatæ à Christo. Quia sicut veram ecclesiam visibilem à Christo institutam existere in terris ex sacris scripturis & verbis Christi ostendimus, ut liquet ex præcedentibus, ita ejus notæ & proprietates non debent à nobis singi, vel pro libito assignari, sed ex sacris scripturis ostendendæ sunt: sed sectarii assignatas ecclesiæ notas non ostendunt ex scripturis, sine quibus loqui in hac materia deberent erubescere: ergo cùm ex scripturis non probent vitæ integritatem, aut purum verbum Dei, aut legitimum sacramentorum usum, aut perseverantiam, aut obedientiam in fide esse notas, ac proprietates veræ ecclesiæ; non assignant veræ notas ecclesiæ ut distinctæ à falsa.

6 Quòd ecclesia non sit sine scripturis, sine legitimo sacramentorum usu, & aliis hujusmodi adductis ut ecclesiæ notis à sectariis, facilè ex sacris scripturis veteris, & novi testamenti ostenditur: sed esse notas, & proprietates ecclesiæ ut distinctæ à falsa nullibi inveniri poterit in scripturis; quin potius contrarium; ubi vera sit ecclesia hæc omnia quærenda esse, quia ad ipsam se habent consequutivè. Priùs debet inveniri vera ecclesia Christi, & ostendi per sacras scripturas; non verò per suggestiones Acatholicorum: unde Christus Matth. 24. *Si ergo dixerint vobis ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus nolite credere: ubicunque enim fuerit corpus, ibi congregabuntur aquilæ:* sensus est. Ubi vera Ecclesia, ibi sacri Evangelistæ,

gelistæ, & eorum interpretes, ibi verbum Dei, ibi verus sacramentorum usus. Rursus Matth. 5. *Non potest abscondi civitas* (seu ecclesia) *super montem posita.* semel reperta vera ecclesia, facilè ejus proprietates, & qualitates, Sanctitas, cultura virtutum, legitimus usus sacramentorum, vera doctrina, perseverantia, obedientia, & si quæ sunt hujusmodi, facilè reperiuntur in ipsa, quia ejus splendor, non potest tenebris occultari. Præterea D. Paulus 1. Timoth. 3. scribit *Ecclesia, quæ est columna veritatis.* sed cujusnam veritatis columna, & firmamentum est ecclesia? num objectorum, quæ cadunt sub sensus? nequaquam: quia hæ veritates fiunt statim sensui obviæ; num columna, & firmamentum est veritatis, quæ habetur per demonstrationem; sed hæc veritas Philosophorum, & etiam Ethnicorum est: ergo ecclesia est columna, & firmamentum illius veritatis, quæ ex scripturis petitur, & confirmatur. Non igitur scriptura ecclesiam, sed ecclesia scripturam tanquam columnam & fundamentum judicat, & fulcit: ecclesia semel agnita veram scripturam ostendit; scitè Tertullianus *de Præscriptionibus contra hæreticos* ait: *Ubi apparuerit esse veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ: illic erit veritas scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum Christianarum.*

7 Præterea non solùm nullo SS. Scripturarum testimonio probare possunt sectarii, notas ab ipsis assignatas eas esse, quibus vera ecclesia distinguitur à falsa, sed nec etiam ex ullo Concilio universali, vel particulari. Nulla hactenus fuit Synodus œcumenica, quæ asseruerit traditas ab Acatholicis notas eas esse, per quas vera ecclesia secernitur à falsa, imo nec ullum concilium provinciale has notas, seu signa distinctiva ecclesiæ veræ à falsa protulit; neque ullus ex SS. Patribus illa signa ut distinctiva veræ à falsa ecclesia protulit. Commendârunt quidem SS. Patres summisque laudibus sacram scripturam docuerunt, fidem principem in ecclesia occupare sedem; fuerunt usi sacrâ scripturâ ad convincendos falsitatis hæreticos ac eorumdem sophysmata retundenda, cùm scripserit D. Paulus 1. Timoth. 3. *Omnem doctrinam divinitus inspiratam utilem esse ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus:* notas tamen esse distinguendi veram ecclesiam à falsa nusquam asseruerunt. In ipso ecclesiæ exordio pugnarunt contra Valentinum, & Marcionem, & reliquos Gnosticos Irenæus, & Tertullianus, qui pluribus argumentis, multisque sacrarum scripturarum testimoniis veritatem catholicam propugnârunt, & eorumdem errores confutarunt, falsis illorum Sectas expugnârunt: non tamen illis signis veram ecclesiam quam propugnârunt, à falsis hæreticorum discriminârunt.

8 Si dicas, veritatem doctrinæ, & legitimum sacramentorum usum necessariò veræ inesse ecclesiæ; id non inficior, sed nego idoneas esse notas ad dicernendam veram ecclesiam à falsa. Quamvis ecclesia esse nequeat sine veritate doctrinæ, neque sine legitimo, rectoque sacramentorum usu: non tamen inde sequitur, veritatem doctrinæ, rectumque sacramentorum usum esse proprietates, seu notas distinctivas veræ ecclesiæ à falsa. Idque evidenter demonstratur: quia quæ sunt communia pluribus ecclesiis veræ, & aliis falsis non possunt esse propria unius tantùm: veritas autem doctrinæ, & rectus Sacramentorum usus possunt esse communia ecclesiæ veræ, & aliis falsis: ergo nequeunt esse proprietates, neque notæ distinctivæ ecclesiæ veræ à falsis. Minor probatur, quia plures ecclesiæ falsæ Acatholicorum possunt convenire cum catholica in recto usu omnium Sacramentorum, ut etiam in veritate doctrinæ, quæ tamen falsæ sunt. Etenim vel loquuntur de veritate doctrinæ partialis, vel totalis, neutra veritas potest esse nota distinctiva veræ à falsa ecclesia. Non veritas doctrinæ partialis: quia potest pars doctrinæ cum recto usu sacramentorum esse communis ecclesiæ veræ & falsæ: ergo nulla doctrinæ pars cum recto usu sacramentorum potest esse proprietas, symbolum, nota, quâ ecclesia vera distinguitur à falsa. Siquidem hæretici, licèt possint retinere singularem partem doctrinæ unà cum recto usu sacramentorum, adhuc possunt aliam partem doctrinæ negare. Non enim hæretici negant omnes fidei articulos; sed ut eorum ecclesia sit falsa, sufficit, si unum vel alterum fidei dogma negent: ex quo patet posse quamlibet doctrinæ, & usum rectum sacramentorum esse communem utrique ecclesiæ veræ, & falsæ: quia ut aliqua ecclesia sit falsa, sufficit, si in ipsa pertinaciter negetur aliqua tantùm fidei sententia: ut enim probavimus *Tom. 6. in Theologia* in tractatu de fide, qui negat unum solum fidei articulum, à tota deficit fide.

9 Hinc falsum est, quod Acatholici arbitrantur, alios sectarios, quamvis in rebus fidei, & in fide maximis à se diffideant & ab ecclesia catholica, non esse exclusos à vera Ecclesia Jesu Christi, eo quia in pluribus aliis veræ doctrinæ partibus conveniant. Putant diffidentes ab ecclesia catholica in pluribus fidei dogmatibus cujusmodi sunt: Per bona opera non comparari vitam æternam: nec bona opera esse necessaria, eo quia Christus per meritum suum infinitum nobis vitam promeruerit æternam. Fas nobis non esse quidquam boni ad obsequium Dei ullo facere; & si id præstemus, idololatriam à nobis committi. Opera justorum esse peccata digna damnatione eò quia derogent passioni, & meritis Christi infinitis. Beneficio divinæ gratiæ non deleri peccata. Vota castitatis, & paupertatis evangelicæ non esse necessario servanda; & alia plura, quibus diffident ab ecclesia catholica, adhuc hisce non obstantibus, esse in vera ecclesia, eò quia in pluribus aliis dogmatibus conveniant in veritate doctrinæ cum ecclesia catholica, ut sentiunt Luterani, Calvinistæ, Zvingliani & alii censentes hæreticos, & Catholicos posse salvari quisque in propria secta.

Quòd non sufficiat ad assecutionem salutis, si hæretici conveniant in aliqua parte doctrinæ cum Catholicis, ex eo liquet, quia ut sit quis in vera ecclesia, & non in falsa, non sufficit professio fidei mutilæ, seu partialis, ut falsò arbitrantur Sectarii, sed necessaria est professio fidei integræ, quam Apostolus *ad Hebræos* 11. vocat fundamentum rerum sperandarum, seu basim salutis nostræ. Est hoc fundamentum fidei integræ ab initio ad ecclesiæ veræ structuram positum, ait Apostolus 1. Corinth. 3. *Fundamentum positum, præter quod nemo potest aliud ponere, quod est Christus Jesus,* qui per fidem nulla ex parte falsam, & fictam, sed integram & quavis parte vivam, & absolutam inhabitat in cordibus nostris. Ab hoc fundamento, seu fide undequaque integra si quis vel in minima parte decidat; tametsi persistat in aliis partibus, fit omnium reus, ut asserit D. Jacobus de transgressore legis, proinde excidit à fidei fundamento consistente in fide integra, estque extra veram ecclesiam, à cujus unitate deficit, ut explicant, docentque communiter SS. Patres Græci, & Latini, ut Gregorius Nazianzenus *in tractatu de fide interprete Ruffino.* D. Basilius apud Theodoretum *lib. 4. Hist. eccles.* Athanasius *in Symbolo fidei.* Hieronymus *lib. 3. Apol. contra Ruffinum,* Augustinus *lib. 18. de civit. Dei. c. 1.* &c 10

& alii communiter. Nulla igitur doctrinæ Christi singularis pars potest esse nota, symbolum, & proprietas, qua vera ecclesia secernatur à falsa, eo quia possit utrique esse communis.

11 Superest evincendum neque universam doctrinæ fidei veritatem esse hoc Symbolum ac notam distinguendi veram ecclesiam à falsa. Pro quo juvat prænotare, quinque desiderari conditiones ut aliqua ratio dicatur propria rei, & distinctiva illius ab omni alia; quarum prima est ut ea natura sua sit cognita, perspecta, & evidens; quæ enim obscura sunt nullam possunt lucem adferre, qua unum secernatur ab alio. non enim proprietates rei de qua quærimus debent tantùm cognosci à viris doctis, & eruditis; sed etiam debent innotescere rudibus, & idiotis, imò potiori ratione; quia sicut argumenta, & demonstrationes habentur pro viris doctis; ita pro indoctis, & rudioribus, eò quia sint ingenio hebetiores, debent rerum proprietates iisdem claré innotescere. Secunda conditio ut sint proprietates seu notæ distinctivæ clariores, ac longè illustriores, magisque obviæ, quàm sit res ipsa, cujus sunt proprietates, vel notæ: quia si essent æquè obscuræ non ducerent ad rei cognitionem; unde debent clariores esse. Tertia ne sint communes aliis rebus distinctis à re, quam investigamus alioquin per proprietatem communem non possemus devenire in cognitionem rei, quam quærimus. Quarta. ut ubicunque sit talis proprietas; sit etiam ipsa res, à qua non possit sejungi, quia debet cum eadem identificari. Quinta ut non tantùm proprietas illa, vel nota sit cognita, sed etiam propalam, ac in aperto posita, adeout se primo aspectu obviantibus offerat.

12 His positis argumentos, ut ratio aliqua dicatur proprietas seu nota distinctiva rei, quam quærimus, debet includere prærecensitas quinque conditiones: sed universa doctrinæ fidei veritas, quæ dicitur nota distinctiva veræ ecclesiæ à falsa, caret prærecensitus conditionibus: ergo non potest esse proprietas distinctiva veræ ecclesiæ à falsa. Major liquet: quia nota sufficiens ad dignoscendam veram ecclesiam, debet omnium hominum generi, & conditioni esse accomodata, seu captu omnibus etiam rudioribus facilis; quia cùm omnes homines docti, & idiotæ, perspicaces, & rudiores divinitus vocentur ad ingressum ecclesiæ, debet omnibus statim innotescere, quæ nam sit hæc ecclesia, & ubi degat, proinde debent ejus notæ statim omnibus innotescere, cùm per notas proprias veræ ecclesiæ hæc dignoscatur ut distincta à falsis. Minor ostenditur: quia universa fidei doctrina non sit statim omnibus obvia, nec omnium captui est facilè accommodata, nec omnium hominum conditioni aptata: non enim omnes sunt ingenio perspicaces, nec omnes intelligendis Divinis Scripturis æquè faciles, ac prompti unde Apostolus ad Ephes. 4. scribit: *Sed quosdam dedit Doctores.* Non igitur omnes sunt doctores, qui possint prudenter de universa fidei doctrina in tam multis, variisque quæstionibus, quæ controvertuntur judicare, & adversariorum argumenta solvere, technas illudere, difficultates explanare: neque omoes sciant, quomodo fides necessaria ad salutis assecutionem defendatur contra Acatholicos, Judæos, Gentiles, & alios quosque extra ecclesiam: ait D. Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 1. *Hac scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud enim est scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam æternam: aliud autem, quemadmodum hoc ipsum, & piis opituletur, & contra impios defendatur: quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.*

Præterea quomodo universa doctrinæ fidei veritas potest dici veræ ecclesiæ nota, si hæc debet omnibus, æquè doctis, ac rudibus esse perspicua, & universa doctrinæ fidei veritas non solū captum excedit rusticorum, & rudium, verùm etiam intelligentiam fugit ipsorum Doctorum Acatholicorum, ac Theologorum, qui totum vitæ tempus impenderunt in studio hujus veritatis inveniendæ, ac deprehenduntur evidenter errâsse, cùm sibi contradicant, & quæ ab aliquibus asseruntur, ab aliis negantur. Doctores Calvinistæ sectæ negant realem Christi præsentiam sub speciebus eucharisticis docentes esse ibi tantùm figurativè. Lutherani verò Theologi affirmant esse verè, & realiter, & non figurativè in ipsa manducatione. Affirmare autem, & negare Christi præsentiam sub speciebus eucharisticis quorum, si unum est verum, necesse est aliud sit falsum, ac errare doctores adstruentes hanc sententiam falsam, neque ipsis perspicuam esse universam doctrinæ fidei veritatem, quæ propterea nequit asseri ecclesiæ veræ nota, seu proprietas, quæ debet omnibus esse perspicua: quòd errent doctores Sectarii circa doctrinæ veritatem, adeo exploratum est, ut vel ipsi hæretici id fateantur: ait enim Lutherus in defensione verb. cænæ. *Hæreticos serio censemus, & alienos ab ecclesia Dei esse Zvinglianos, & Sacramentarios omnes.* Si igitur Doctores, & Theologi Sectarii errant in doctrinæ, & fidei veritate, quomodo rusticis, indoctis, hebetibus ingenio, quique nullam impenderunt operam studiis, perspicua erit universa doctrinæ fidei veritas; si hæc est nota ecclesiæ veræ, ut distinctæ à falsa, debet perspicua esse omnibus, ut cognoscant veram ecclesiam ut distinctam à falsa, & illam ingrediantur, in qua verum cultum Deo exhibeant: ergo universa doctrinæ fidei veritas non est proprietas, seu symbolum distinctivum ecclesiæ veræ à falsa, cùm universa doctrinæ fidei veritas perspicua non sit doctoribus sectariis, neque à fortiori rusticis. Plures enim sunt doctrinæ fidei veritates, de quibus hodie Acatholici partim cum Catholicis, & partim inter se contendunt, ut sunt controversiæ de peccato originali, de justificatione hominis. De bonis operibus an meritum contrahant, prosintque ad assecutionem salutis; An cultus exhibendus sit Sanctis, ac eorum imaginibus. De Sacramentis à Christo institutis numerum congluant septenarium, & aliæ plures quæstiones, quæ tametsi explicentur rusticis, vix earum percipiunt veritates, cùm de iisdem vel ipsi Doctores Sectarii contendant, minime inter se se consentientes. Quomodo rudes, & rustici, qui nullam studiis operam dederunt, poterunt comprehendere veritatem fidei de peccato originali, de unione duarum naturarum in Christo, de transubstantione substantiæ panis in corpus Christi sub speciebus Eucharisticis, hæ & aliæ plures doctrinæ fidei veritatea non sunt statim obviæ, nec perspicuæ, ut statim à rusticis, & illiteratis percipiantur: ait enim rusticus, quamvis à meo Pastore nomina audierim harum fidei veritatum, certus tamen sum, & mihi constat non intelligere me, quid sit peccatum originis, quid justificatio impii, quid transubstantiatio panis in corpus Christi, quid esse circumscriptum, vel incircumscriptum: & nihilominus meus Pastor docet me, eum esse in vera JEsu Christi ecclesia, cui explorata est universa fidei doctrinæ veritas, eo quia hæc sit vera proprietas seu symbolum dignoscendi veram ecclesiam ut distinctam à falsa: ergo si prudenter judicem, non sum in vera ecclesia, cujus proprietas mihi non est explorata. 13

Secunda conditio requisita ad proprietatem rei etiam deest: quia nota, seu proprietas rei non solùm 14
debet

debet esse perspicua; sed etiam cognitu facilior re, quam quærimus; ideo dicitur nota rei, quia facilius in ejusdem rei ducit notitiam: sed difficilius est scire, an huic vel illi hominum cœtui explorata sit universa doctrinæ fidei veritas, quàm an hic, vel ille hominum cœtus constituat ecclesiam JEsu Christi in scripturis sacris descriptam: ergo universa doctrinæ fidei veritas, seu incorrupta omnino fidei doctrina non est idonea nota dignoscendi ecclesiam veram: si enim ecclesia ex aliquo alio judicio cognosci faciliùs potest quàm ex cognitione, quòd universa doctrinæ fidei veritas sit in hoc potiùs quàm alio cœtu; perspicuum est, hanc incorruptam fidei doctrinam, seu universam doctrinæ fidei veritatem non esse notam distinctivam ecclesiæ veræ à falsa. Quòd autem cognoscatur ex alio judicio, ex eo evincitur, quia ecclesia JEsu Christi est fidelis custos, & magistra totius fidei veritatis, quam nos docet; & priùs cognosci debet magister, quàm ejus doctrina, quia hæc sequitur, explicatur, docetur à Magistro, qui faciliùs cognoscitur, quàm ejus doctrina captu difficilior: cathecumeni, & pueri priùs debent addiscere, quæ sit vera JESU Christi ecclesia secundum scripturas sacras, & symbolum Apostolorum; postea edocentur ejus doctrinæ veritates, quibus adversantur errores, quos docent aliæ sectæ, seu ecclesiæ falsæ: non enim pueri, & cathecumeni capaces sunt cognoscendi universam doctrinæ fidei veritatem, ut ex hac cognita veluti ex nota veræ ecclesiæ hanc dignoscant, ut distinctam à falsa, huc accersendus S. Augustinus *lib. 2. contra Faustum*
14 *cap. 25.* ubi interrogans Cathecumenum de ratione cavendi doctrinæ errores ait. *Quo ergo signo manifesta adhuc parvulus, & nondum valens liquidam à tot erroribus discernere veritatem; quo manifesto indicio tenebo ecclesiam Christi, in quam jam credere tanta rerum antea prædictarum manifestatione compellor.* Sibi persuaserat D. Augustinus faciliùs à rudi cathecumeno cognosci posse, quæ sit ecclesia Christi, in qua vitandi sint doctrinæ errores, quàm universam doctrinæ fidei veritatem, à tot erroribus sejunctam, ac depuratam.

15 Neque illius est momenti distinctio adhibita ab aliquibus Acatholicis asserentibus universam doctrinæ fidei veritatem & natura sua, & secundùm se esse notiorem ecclesia, & id sufficere, ut sit ejus nota, qua secernatur à falsa, quamvis secundùm nos sit ignotior, Nam hæc distinctio fundatur in ignorantia terminorum seu notioris, & minus noti. Illud enim natura sua dicitur notius, quod est perfectius quàm à nostro intellectu cognoscatur, qua pacto dicitur notius secundùm se, seu magis cognoscibile, quàm à nostro imbecilli intellectu cognoscatur; quia ultra id, quod à nobis de tali re cognoscitur, adhuc plures & plures alias continet perfectiones cognoscibiles, quæ à limitato nostro intellectu non cognoscuntur. Notius verò secundum nos illud dicitur quod spectata nostri intellectus imbecillitate, & humana conditione faciliùs à nobis cognoscitur: hinc quia res perfectissimæ ob debile nostri intellectus lumen excedunt nostrum captum; adeout impares simus iisdem percipiendis, quantum sunt cognoscibiles; idque opportunè explicat Aristoteles *lib. 2. metaph. cap. 1. tex. 1.* exemplo noctuæ respectu solis: intellectus noster ad ea, quæ sunt perfectiora seu notiora secundùm se, & ex natura sua se habent, perinde ac oculus noctuæ ad lumen solis: quamvis sol ex natura sua, & secundùm se sit quid notissimum, ac maximè omnium visibile, ab oculo tamen noctuæ vix potest videri, unde sol ex natura sua est notior non respectu oculi noctuæ. Sed cùm de rei alicujus nota, seu proprietate quærimus, hæc debet quoad nos plus habere cognoscibilitatis, ac esse notior quoad nos, quàm sit res, cujus est nota, seu proprietas: ergo nota ecclesiæ debet quoad nos esse notior quàm ipsa ecclesia. Cum igitur nostri intellectus spectata imbecillitate universa doctrinæ fidei veritas non sit notior secundùm nos ipsa ecclesiâ, non potest esse ecclesiæ nota, quæ debet esse notior re, cujus est nota. 16

Præterea absurdum est, illud assignare pro nota alicujus rei, quod cum ipsa re, quæ inquiritur, abditum, & obscurum est ut si quæreretur quænam arbor fructum sanitati magis accommodatum producat, responderetur, eam esse arborem, quæ fructum producit salubriorem; inepta enim, & ridicula esset responsio; quia de hoc quæritur quænam sit illa arbor, cujus fructus sunt salubriores, magisque sanitati accommodati; esset responsio petitio principii. Pari pacto cùm quæritur, qualis hominum cœtus constituat ecclesiam, si respondeas, eum esse qui incorruptam possidet, ac servat universam doctrinæ fidei veritatem; petis principium, non satisfacis interrogationi; quia de hoc quæritur, quinam sit ille hominum cœtus, qui incorruptam servet universam doctrinæ fidei veritatem, sitque juxta Apostolum columna, & firmamentum veritatis, seu ecclesia JESU Christi, adversus quam portæ inferi nunquam erunt prævalituræ. Scimus, universam doctrinæ fidei veritatem pertinere ad ipsam ecclesiæ substantiam, sine qua non esset vera ecclesia, est enim Ecclesia cœtus fidelium, qui universam doctrinæ fidei veritatem inviolatam possidet, tuetur, propugnat: unde respondere interroganti, quisnam hominum cœtus sit vera ecclesia; esse eum, qui tenet incorruptam fidei doctrinæ universam veritatem, est petitio principii.

Hoc idem alio potest exemplo declarari. Si in- 17
terrogentur Acatholici, an illa sit vera ecclesiæ prærogativa, in qua tantùm possunt homines salutem consequi, & extra quam nullus potest æternæ particeps esse salutis, debent non repugnare D. Petro qui eatenus ecclesiam pariavit Noëticæ arcæ, quia sicut soli degentes in arca salvi fuerunt; & cæteri omnes extra arcam deluvii aquis submersi perierunt: ita soli existentes in vera JEsu Christi ecclesia salutem consequuntur; & alii extra ecclesiam non fiunt æternæ salutis participes: idque causæ, cur dixerit D. Augustinus lib. 4. de Symbolo cap. 10. *Non potest Deum in cœlis habere patrem, qui non habuerit ecclesiam in terris matrem.* Si iterum percunctemur Acatholicos, quis hominum cœtus sit in terris vera ecclesia: si respondeant eum esse cœtum, extra quem nemini contingit æternam consequi salutem, est hæc responsio petitio principii, quia de hac quæritur, quisnam sit cœtus ille, in quo tantùm potest quis æternam consequi salutem: unde alia nota opus erit assignare, ex qua possit quis cognoscere dari in terris aliquem hominum cœtum qui sit vera ecclesia; & in hoc solo cœtu posse hominem æternam consequi salutem. Pari pacto cùm quæritur, qualis hominum cœtus sit vera ecclesia, si respondeant, in quo incorrupta universa doctrinæ fidei veritas servatur, & in quo tantùm potest quis æternam salutem consequi, respondent per petitionem principii, quia de hac quæritur, quisnam sit ille hominum cœtus, in quo tantùm potest quis æternam salutem consequi: unde alia nota est assignanda, quâ dignoscamus veram in terris ecclesiam, in qua universa doctrinæ fidei veritas contineatur ait Augustinus in Psal. 57. *In ventre ecclesiæ veritas manet. Quisquis ab hoc ventre separatus fuerit, necesse est, ut falsa loquatur. Necesse est inquam ut falsa loquatur, quisquis aut*

concipi noluit, aut quem conceptum mater excusſit.

18 Demum ſigna, & indicia eccleſiæ à Chriſto in terris inſtitutæ, ac fundatæ, talia debent eſſe, quæ eam omnibus oſtendant, demonſtréntque, ac quaſi digito indicent non ſolùm iis, qui membra ſunt ejusdem eccleſiæ, quique in vera Chriſti eccleſia verum cultum Deo exhibent; ſed etiam aliis extra veram eccleſiam Judæis, Gentilibus, hæreticis, Atheis, univerſisque linguis & nationibus, ut eam facilè cognoſcant, poſſintque, ſi velint illam ingredi, & in illa Deo ſervire, ac æternam ſalutem conſequi. Certum enim eſt, omni tempore aditum ad Chriſti eccleſiam iis omnibus patere, qui extra illam ſunt, ut poſſint, ac debeant ad ipſam ſe aggregare, ac ſalutem conſequi, ait enim DEUS per Iſaiam. c. 60. *Aperientur portæ tuæ jugiter die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim, & regnum quod non ſervierit tibi peribit*: ſi igitur portæ eccleſiæ patent omnibus populis, & nationibus debent notæ veræ eccleſiæ ut diſtinctæ à falſa perſpicuæ eſſe, ſeu faciles cognitu omnibus; hæc autem ratio non poteſt ſcripturis ſacris, neque ſacramentis, neque aliis ſignis veræ eccleſiæ ab hæreticis aſſignatis convenire: ergo nequeunt eſſe ſigna, vel notæ veræ eccleſiæ ut diſtinctæ à falſa.

19 Ad Sacram enim Scripturam quod attinet, certum eſt, hanc non eſſe omnibus ſtatim exploratam; ſed potiùs captu difficilem, qua de cauſa Chriſtus Matth. 15. verbum Dei, ſeu Sacram Scripturam æquiparat theſauro abſcondito in agro, eò quia non ſit inventu, ſeu captu, & intellectu facilis; ſed tantùm viri docti, & cœlorum ſcribæ proferant nova, & vetera: adeout non ſimpliciter legendæ ſint Scripturæ, ſed diligenter perſcrutandæ ac perveſtigandæ, ut nos monet Chriſtus inquiens *Scrutamini Scripturas; ipſa enim teſtimonium perhibent de me.* Idque haud obſcurè indicat S. Joannes, qui Sacram Scripturam libro æquiparat ſcripto intus & foris, & ſignato ſigillis ſeptem *Apocal. c. 5.* inquiens. *Et vidi in dextero ſedentis ſuper thronum librum ſcriptum intus, & foris ſignatum ſigillis ſeptem: & vidi Angelum fortem, & prædicantem voce magna: quis eſt dignus aperire librum, & ſolvere ſignacula ejus? Et nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum, neque reſpicere illum. Et ego flebam multum: quoniam nemo inventus eſt, aperire librum, nec videre eum: & unus de ſenioribus dixit mihi: Ne fleveris. Ecce vicit Leo de Tribu Juda, radix David aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.* Hunc librum non alium fuiſſe quam evangeliorum, & Sacræ Scripturæ, ediſſerit ipſe Joannes ſubjungens; *Et vidi & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem tanquam occiſum.* Joannem fuiſſe loquutum de libro Sacræ Scripturæ colligi poteſt ex verbis D. Petri ſcribentis: *Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia ſcriptura propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu Sancto inſpirante locuti ſunt ſancti Dei homines.* Prophetiæ, evangelia, & reliquæ ſacræ ſcripturæ; non voluntate humana, ſeu non homine ſuggerente, ac dictante; ſed Spiritu Sancto inſpirante ſcriptæ ſunt, quarum propterea ſenſus adeo ſublimes ſunt, & humanus intellectus adeo imbecillis, ut captu ſint eidem difficiles, requiraturque ad earumdem intelligentiam plurimum ſtudii, ac Dei opitulantis, ac illuminantis auxilium. Idque ex eo liquet, quòd inter tot hæreſes nulla ſit, quæ ſibi verbum Dei, ejusque germanum ſenſum non uſurpet.

20 An verò hic vel ille ſit verus ſenſus ſcripturæ, non eſt facile ſectariis dijudicare, alioquin non diſſentirent inter ſe; neque hæreſis hydra in tot capita repullulaſſet. Cùm igitur Scriptura, ſeu univerſa doctrinæ fidei veritas ſit inveſtigatu, captuque difficilis, nequit eſſe eccleſiæ veræ nota, de cujus ratione eſt, ut intellectu ſit facilis omnibus, à quibus poſſit vera eccleſia cognoſci, & ſi velint in eam ingredi, cujus portæ propterea ſemper patent. Similem diceres textum Scripturæ Sacræ illis tabellis canaliculatim fabrefactæ, eoque artificio pictæ, ut ſi è medio, rectaque linea aſpiciantur, pulcherrimam repræſentant pictam imaginem in qua mireris colorum varietatem, membrorum ſymmetriam, vultûs amabilitatem, brachiorum artificiora compeodia; crura veluti in nodum contracta; colores ſive fictitios, ſive nativos ſvaviſſimè inductos, ac variè temperatos, ſin verò ex dextero latere eandem aſpicias tabellam, megeram ex crebo emerſam tibi exhibet; ſi ex ſiniſtro, aliud horrendum monſtrum: perinde Scriptura Sacra ſi SS. Patrum oculo è gremio, medioque eccleſiæ aſpiciatur, pulcherrimam catholicæ veritatis imaginem nobis aſpiciendam exhibet; ſin verò obliquè è lateribus extra medium eccleſiæ Sectariorum oculo eadem aſpiciatur, interpretetur ſcriptura, monſtroſos errores, horrenda mendacia exhibentur: ex quo colligimus verum ſcripturæ ſenſum non omnibus perſpicuum eſſe, ſed ab iis tantùm percipi, qui in eccleſia catholica degentes oculis SS. Patrum ſcripturas aſpiciunt, adhærentque eorumdem interpretationibus, ac doctrinis.

21 De recto Sacramentorum uſu non omnium itidem eſt judicare, & ſtatuere, ſed paucorum ſcribente Apoſtolo 1. ad Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Dei, & diſpenſatores myſteriorum ejus; hîc jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.* Quærit Apoſtolus fidelem diſpenſatorem; quia etiam juſti, & ſancti in hac vita ſubinde errarunt, & cùm ſibi ſtare viderentur, deprehenſi ſunt cecidiſſe. Exiſtimabat Helias tot inter ſui ævi vitia & ſcandala ſolum ſe juſtum, verumque Dei cultorem; ſed audivit verba illa 3. Reg. 19. v. 18. *Reſiduos ſervavi mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt curvata ante Baal, quorum omnium os non adoravit eum oſculans manum ſuam.* Crediderat Jonas Propheta ſe ſolum in civitate Ninive gratum Deo, & nullum in ampla illa urbe eſſe, qui placare valeret iram omnipotentis Dei; & tamen à DEO cujus oculi vident æquitatem ſe deceptum audivit. Jon. 4. *Tu doles ſuper hederam, in qua non laboraſti, neque feciſti, ut creſceret, quæ ſub una nocte nata eſt, & ſub una nocte periit: & ego non parcam Ninive civitati, in qua ſunt plusquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt, quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam, & jumenta multa?* Idque cauſæ cur Apoſtolus 1. Corinth. 4. ſcripſerit. Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium; & tunc laus erit unicuique à Deo.

22 Non igitur Sacra Scriptura, ſeu univerſa doctrinæ fidei veritas, neque rectus Sacramentorum uſus notæ poſſunt veræ eccleſiæ eſſe, quibus diſtinguitur à falſa. Cùm enim eccleſia à Chriſto in terris fundata dicatur in ſcripturis eſſe civitas ſupra montem poſita, ſeu reſpublica rectè ordinata: & ipſa ſcriptura ſit hujus civitatis lex; & Sacramenta depoſitum & Theſaurus, ut ſcribit Apoſtolus 1. Timoth. 6. Et civitas quævis, ac Reſpublica ſit nobis notior, magisque perſpicua quàm ejus leges, arcana munimenta, opes, ac depoſita, quæ plerumque neque civibus ejusdem urbis, & Reipublicæ ſunt notæ; cum plures inveniantur

antur

antur cives, qui leges, & instituta suæ civitatis minimè noverunt: & paucissimi sint, quibus ærarii divitiæ, civium opes innotescant: Sicut igitur leges, instituta, sanctiones urbis non dixeris ejus notiones, cùm civitas sit magis perspicua, magisque nota suis legibus, monumentis, sanctionibus, ac divitiis non solùm exteris, verum etiam suis propriis civibus: sequitur neque Sacras Scripturas quæ sunt ecclesiæ leges, neque rectum usum Sacramentorum, quæ sunt ejus divitiæ, ac depositum, esse notas ecclesiæ veræ ut distinctæ à falsa.

23 Præterea scriptura communis est tum veræ ecclesiæ, tum falsæ, proinde non potest esse nota distinctiva ecclesiæ veræ à falsa. Nulla enim, neque fuit tam fœda, tam absurda, tam præpostera tamque impia hæresis, quæ sibi, & pro se non usurpet, ac usurpaverit sacras scripturas in proprios sensus, & errores: neque ulla est hæresis quæ recto Sacramentorum usu non glorietur; quomodo ergo Sacræ Scripturæ seu universa fidei veritas, & rectus Sacramentorum usus erit nota distinctiva veræ ecclesiæ à falsa, si hæc est nota, est utrique communis? sub primis ecclesiæ sæculis monstra potius hominum, quàm homines erant Valentinus, Marcion, Manichæus, & alii ejusdem furfuris, qui ob doctrinæ absurditatem, vitæ impuritatem, morésque corruptos, apostatæ veritatis, serpentum advocati, Pandoræ exitiales, Sophistæ perversissimi à SS. Patribus audierunt: vel muta animalia hominum umbras præferentes, ac pepones ab Irenæo *lib. 1. cap. 5.* utente Homericó vocabulo dicuntur: & à Clemente Alexandrino lib. 7. Strom. agrestes, & ioanes amigdalæ adulterantes veritatem, regulæ ecclesiæ fures, principes, & duces mysteriorum impiorum, animalia immunda, quæ licèt bifidas habeant ungulas, non tamen ruminant; Vaniloqui mentis seductores, verbi Evangelici caupones, sycophantæ, fructus mortiferi, progenies maledictæ, inimici crucis Christi, sementum diaboli, inimici seminarium, cippi, & sepulchra mortuorum, mali operarii, canes muti, sed tabido dente lerbale vulnus infligentes, dracunculi squammosi, aspides basilisci, scorpiones, thoës astuti & aliis dicteriis impugnantur; & tamen hi omnes sacris innituntur scripturis, quas ad proprium sensum trahere conantur, ait Irenæus lib. 1. cap. 1. *Fide digna aptare conantur his quæ dicta sunt, vel parabolas dominicas, vel dictiones propheticas, aut sermones Apostolicos, ut figmentum illorum, non sine teste esse videatur: ordinem quidem, & textum literarum supergradientes, & quantum in ipsis est solventes membra veritatis. Transferunt aut, & transfigunt, & alterum ex altero facientes: seducunt multos ex his, quæ aptant ex divinis eloquiis male composito phantasmate. Similia facientes his, qui controversias sibimet ipsis qualibet proponunt: post deinde conantur Homericis versibus meditari eas, ita ut idiotæ putent ex illa declamata temporali controversia, Homerum versus fecisse: qui autem scit Homerica carmina cognoscit quidem versus, argumentum autem non cognoscit.*

24 Asserit Epiphanius, Marcionem universum evangelium D. Lucæ, omnesque D. Pauli Epistolas ad suum falsum dogma ita transtulisse, ut putares illod idem Lucam, & Apostolum Paulum docuisse. Quid ni Manichæus adeo imperitè, ac depravatè scripturas in sensum impium, ac blasphemum detorsit, ut se Spiritum S. esse verbis Domini suis probaverit Auditoribos. Marcus à quo Marcatiorum secta suam traxit originem, teste Epiphanio, se scientissimum, perfectissimum, & virtutibus omnibus apprimè instructum dixit, ac è summo cœlo in terram descendisse ut refert Irenæus *lib. 1. cap. 8.* Helcesartæ tempore quo vixit Origines, non tantùm contenti erant sacræ scripturæ libris; sed librum etiam de cœlo in terram delapsum à se possideri dictitabant; quem quis legisset, & credidisset, aliam longè remissionem peccatorum acciperet ab ea, quá Christus peccata remisit, ut narrat Eusebius *lib. 6. histor. cap. 38.* Refert Irenæus lib. 1. cap 20. Simonem Magum à plerisque fuisse Deum habitum, ac docuisse se ipsum esse, qui inter Judæos, quasi filius apparuerit; in Samaria quasi Pater, & reliquis gentibus ut Spiritus Sanctus. Marcionis discipuli se reliquis perfectiores asserebant, eum attigisse gradum perfectionis, ut nemo posset ipsi exæquari, neque altitudini cognitionis, qua ipsi Scripturæ veritatem exploratam habuerunt. Quòd si tam perditi homines Sacram Scripturam in sensus detorserunt falsissimos, non putemus Nestorium, Macedonium, aliósque hujus furfuris in saniorem sensum eas fuisse interpretatos. Tametsi inter sese discrepent sectarii, omnes tamen gloriantur veros se esse Sacræ Scripturæ interpretes, apud degentes in sua tantùm secta universam doctrinæ fidei veritatem esse. Omnes utuntur Sacris Scripturis & singuli iisdem abutuntur: huc accersendus Vincentius Lirinensis *lib. de heres. cap. 35.* ubi ait: Hic fortassis aliquid interroges: an & hæretici divinæ scripturæ testimoniis utantur. Utuntur planè, & vehementer quidem: nam videas eos volare per singula quæque Sanctæ legis volumina, per Moysis, per regnorum libros, per psalmos, per Apostolos, per Evangelia, per prophetas. Sive enim apud suos, sive alienos, sive privatim, sive publicè, sive in sermonibus, sive libris, sive in conviviis, sive in plateis, nihil unquam penè de suo proferunt, quod non etiam scripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samozateni opuscula, Priscilliani, Eunomii, Joviani reliquarúmque pestium, cernes infinitam exemplorum congeriem, prope nullam omitti paginam, quæ non novi, aut veteris testamenti sententiis fucata, & colorata non sit. Sed tanto magis cavendi, & pertimescendi sunt, quanto occultiùs sub divinæ legis umbraculis latitant. Sciunt enim fœtores suos, nulli ferè cito esse placituros, si nudi, & simplices exhalentur: atque idcirco eos cœlestis eloquii, veluti quodam odore aspergunt, ut ille, qui humanum facilè despiceret errorem, divina non facilè contemnat oracula. Itaque faciunt, quod hi solent, qui parvulis austera quædam temperaturi pocula, priùs ora melle circumliniunt; ut incauta ætas, cùm dulcedinem præsenserit, amaritudinem non reformidet. Quòd etiam his curæ est, qui mala gramina, & noxios succos, medicaminum vocabulis præcolorant, ut nemo ferè, ubi suprascriptum remedium legerit, venenum suspicetur: hactenus Lirinensis.

25 Quòd si sectariis objicias, ipsos sensus corrumpere Scripturarum, perversè eas interpretari, & in crassissimos eas detorquere errores. Hoc totum est quod Sectarii tibi objiciunt, ac in Catholicos retorquent asserentes universam doctrinæ fidei veritatem, ipsos tantùm possidere. Non igitur Sacra Scriptura, nec universa doctrinæ fidei veritas assignanda pro veræ ecclesiæ nota, quâ distinguitur à falsa, cùm nulla sit hæreticorum secta, quæ sibi sacram non usurpet scripturam, quæ non glorietur à se possideri universam doctrinæ fidei veritatem. Si hæc nota esset veræ ecclesiæ, non deberent lites oriri, neque controversiæ institui, sed dissentiones auferri, quia deberet perspicuè nobis ostendere, quæ nam sit vera ecclesia, cujus dicitur Scriptura esse nota, seu symbolum. Cùm omnes Sectarii sibi usurpent Sacram Scripturam sit-

que hæc omnibus hæreticis communis, quam quisqoe in eos sensus distorquet. qui eidem magis arrisesint, neqoit nota esse seu symbolum, quo vera ecclesia distinguitur à falsa. Audiatur Tertullianus lib. de Præscriptionibus adversus hæreses cap. 40. inquiens, *Nec pertelucor dicere, ipsas quoque Scripturas, sic esse ex Dei voluntate dispositas; ut hæreticis materias subministrent, cùm legam, oportere hæreses esse quæ sine scripturis esse non possunt.* Quod si absque scriptura hæreses esse uoo possunt: ergo scripturæ communes sunt omnibus sectariis, consequenter nequeunt esse symbolum, quo vera ecclesia à falsis distinguatur: nota siquidem debet esse particularis rei, cujus est nota. Pergit Tertullianus. *Sed quæritur, à quo intellectus interpretur eorum, quæ ad hæreses faciant? à diabolo scilicet, cujus sunt partes intervertendi veritatem: qui ipsas quoque res sacramentorum Divinorum in Idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam, utique credentes, & fideles suos, expiationem delictorum de lavacre repromittit, & sic adhuc initiat mithra signat illic in frontibus milites suos: celebrat, & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio redemit coronam. Quid? quod & summum Pontificem in unis nuptiis statuit? Habet & virgines, habet & continentes? Cæterum si Numæ Pompilii superstitiones revolvamus, si sacerdotalia officia, insignia, & privilegia, si sacrificalia ministeria, & instrumenta, & vasa ipsorum sacrificiorum, ac piaculorum, & votorum curiositates consideremus; nonne manifestè diabolus morositatem illam Judaicæ legis imitatus est? Qui ergo ipsas res, de quibus sacramenta Christi administrantur, tam æmulanter adfectavit exprimere in negotiis idololatriæ, utique & idem, & eodem ingenio gestiit, & potuit instrumenta quoque divinarum rerum, & Sacramentorum Christianorum, sensum de sensibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, prophanè & æmulè fidei attemperare. Et idee neque à diabolo immissa esse spiritualia nequitia, ex quibus etiam hæreses veniunt, dubitare quis debeat: neque ab idololatria distare hæreses, cùm & authoris, & operis ejusdem sint, cujus & idololatria. Deum aut fingunt alium adversus creatorem; aut si unicum creatorem confitentur, aliter eum disserunt, quàm in vero est. Ita omne mendacium de Deo, variatio quodam modo sexus est idololatria.*

Demum evincitur, universam doctrinæ fidei veritatem non posse notam esse ecclesiæ veræ ut distinctæ à falsa: Universa doctrinæ fidei veritas, non potest esse nota idonea illios rei, quæ est quædam pars doctrinæ fidei, esset enim secundum illam partem nota sui ipsius; proiode ac quoad illam partem esset nota sui ipsius: sicqoe se ipsa esset prior, & posterior; magis & minus nota, quæ omnia ob contradictionem, quam involuont oequeunt esse. Sed una quædam pars doctrinæ fidei est, quod ille cœtus hominum sit vera ecclesia quæ revera est; quòd enim cœtus omnium Catholicorum, qui summo Romano Pontifici subjiciuntur, ac obediunt sit vera ecclesia, est veritas fidei: ergo universa doctrinæ fidei veritas non potest esse oota ecclesiæ, alioquin idem esset nota sui ipsius, prius & posterius, magis, & minus perspicuum: quia universa doctrinæ fidei veritas comprehendit omnem doctrinæ fidei veritatem, alioquin oon esset universa doctrinæ fidei veritas: ergo cùm hæc veritas particularis, hic cœtus hominum catholicorum, & vera ecclesia sit pars universæ fidei veritatis, sequitur maoifestè, quud hæc eadem pars esset nota sui ipsius, consequenter prior, & posterior, magis, & minus perspicua, quæ sunt cootradictoria. Quòd si dicas, non esse notam sui ipsius ut pars est, eò quia sit nota ecclesiæ universa doctrinæ fidei veritas. Contra est, quia vel hæc universa doctrinæ fidei veritas includit haoc veritatem partialem hic cœtus hominum catholicorum est vera ecclesia, vel eam non ioclodit: si primom ergo veritas eadem partialis utpote pars universæ veritatis doctrinæ fidei esset nota sui ipsius, prout est pars totius veritatis, in qua includitur ut pars. Si non includit hanc veritatem partialem, ergo nota ecclesiæ ooo est universa doctrinæ fidei veritas, quia illa veritas nóo est universalis, nec totalis, qoæ non includit omnes veritates partiales, quia ex ipsis constituitur totalis, & si una desit non est amplius totalis. 26

CAPUT IX.

Quamvis notæ veræ ecclesiæ assignatæ ab hæreticis veræ non sint notæ, adhuc tamen magis conveniunt veræ catholicorum ecclesiæ, quàm falsæ hæreticorum.

1 DUæ sunt præcipuæ notæ, quæ à sectariis veræ tribuuntur ecclesiæ, quibus à falsa secernitur, & ad quas reliquæ ab iisdem assignatæ reducuntur, scilicet universa doctrinæ fidei veritas: & rectus Sacramentorum usus: superest ostendendum, utramque prærogativam cœtui catholicorum qui Romano subjiciuotur, & obediont Pontifici, seu veræ ecclesiæ catholicæ potiori jure convenire, quàm cuilibet alteri ecclesiæ. Gloriantur Acatholici puram putam evangelii doctrinam à se possideri, eò quia ipsi soli intelligunt verba evaogeliorum in proprio sensu, & hanc doctrinam ab ipsis tantùm ut depositum, ac thesaurum conservari, ac velle propterea evangelistas audiri. Examinandum propterea est, an Sacram Scripturam apud se semper conservent, ac servaveriot, & an universam doctrinæ fidei veritatem possederint, val tantum partem: num verum, ac germanum earumdem sensum, & interpretationem fuerint assecuti, vel tantum partem vel prorsus nihil, An aliquid docuerint quod scripturis, ac earum veritati sit contrarium.

Dicendum est, depositum, seu thesaurum Sacræ Scripturæ, ejusque genuinum, ac verum sensum, hoc est universam doctrinæ fidei veritatem, illum solum hominum cœtum, qui subjiciuntur, ac obediont Romano Pontifici legitimè electo, qui Catholici aodiunt, semper custodisse, & conservâsse, non vero ollum alium hominum cœtum extra ecclesiam catholicam Romanam. 2

Ostenditur, quia si verbum DEI est depositum hominibus concreditum, ut fideliter, & illibatum conservetur; quinam fideliùs, ac sanctiùs illud custodierunt quàm Apostoli, & eorum discipuli, & successivè cœtus ille hominom, qui Christo & ejos Vicario D. Petro, Lino, Clementi, Cleto, Anacleto, Evaristo, aliisque successivè legitimè electis in militaote ecclesia ad vices gerendas Christi & D. Petri, se sobjecit, ac paruit in iis omnibus, quæ ad doctrinam fidei pertinent, & ad scripturarum intelligentiam spectant? Hic autem hominum cœtus fuit ecclesia catholica, quæ verbum Dei veluti depositum, ac thesaurum sibi 3

con-

concreditum ſervavit incorruptum, cuſtodivit fideliter, propugnavit fortiter contra aggreſſores nitentesque ſurripere, vel corrumpere. Quis enim ſcripturam, & aerum ejus ſenſum explicatum à magiſtro Chriſto ſuis diſcipulis; & ab iſtis ſuis ſucceſſoribus ſanctiùs ſervavit per annos mille ſeptingentos, quàm eccleſia catholica, ſeu cœtus ille hominum, qui doctrinam Chriſti Apoſtolorum, ac eorum diſcipulorum, aliorumque ſucceſſorum per continuatam ſeriem uſque ad id tempus fideliter cuſtodivit, ac ſervavit. Quis Sacro Sancta evangelia, Chriſti præcepta, & conſilia ſervavit, antequam Sectarii ſe è ſinu matris eccleſiæ ſepararent, antequam Lutherani, Calviniſtæ, Zvingliani, Anabaptiſtæ, Huſſitæ, & alii ſectarii orirentur, quàm cœtus ille hominum, qui ſummo Romano Pontifici ut Chriſti Vicario, & legitimo D. Petri ſucceſſori ſe ſubjecit, paruitque in iis omnibus quæ ad univerſam doctrinæ fidei veritatem pertinent: & hic cœtus nimirum illa eſt eccleſia, quam Chriſtus fundavit, & adverſus quam promiſit portas inferi non prævalituras, ac duraturam uſque ad conſummationem ſæculi, ſeu uſque in finem mundi: ſi igitur antequam naſcerentur in mundo Lutherus, Zvinglius, Calvinus, Joannes Huſs, & alii ab eccleſia transfugæ, ac diſertores, fuit in terris eccleſia fundata à JEſu Chriſto, quæque non poteſt deficere, neque errare in vera fide ob aſſiſtentiam Spiritus Sancti docentis eam omnem veritatem; hæc eadem perſeverat etiam nunc, eritque perſeveratura uſque in finem mundi; omnia & ſingula, quæ docuit, antequam naſcerentur Lutherus, Calvinus, Zvinglius, aliique novatores ab eccleſia catholica transfugæ, etiamnum docet, & ſemper docuit ut accepit ab Apoſtolis; adeo ut univerſam doctrinæ fidei veritatem, quam Apoſtoli ſuſceperunt ab eorum magiſtro Chriſto, & ab Apoſtolis eorum ſucceſſores & ab iſtis alii ſucceſſores nunquam interrupta ſerie uſque ad id tempus docuerit; alioquin eccleſia catholica à Chriſto fundata ſupra firmam petram corruiſſet, everſa, contra Chriſti promiſſionem: ergo univerſa doctrinæ fidei veritas magis convenit illi hominum cœtui, qui ſubjicitur Romano Pontifici, eique obedit in iis omnibus, quæ pertinent ad doctrinam fidei, quàm cuilibet alteri hominum cœtui.

4 Si verbum Dei, ſeu univerſam doctrinæ fidei veritatem tribuere perinde eſt; ac verbum Dei ſemper ſervâſſe veluti in depoſito ſibi concredito, ſola eccleſia catholica Romana hanc univerſam doctrinæ fidei veritatem incorruptam ſervavit per mille ſeptingentos & amplius annos, antequam Novatorum cœtus inſurgerent doctrinam fidei non ſervaturi, ſed expugnaturi, non defenſuri, ſed everſuri; ſola enim eccleſia catholica Romana fuit, quæ per ſuos filios hæreticorum impetus coërcuit, ab eorundem technis, ac fraudibus univerſam doctrinæ fidei veritatem defendit: imò & contra Ethnicos, & tyrannos proprio ſanguine propugnavit.

5 Mirum ſanè quòd Novatores ſibi arrogent evangelium illudque à nullo alio poſſideri, quàm ab iiſdem, quibus tantùm puta puta veritas evangelii ſit explorata. Si ipſi ſoli evangelium poſſident, à quonam acceperunt? à Jeſu Chriſto reſpondent. Mediatène, vel immediatè. Hoc ſecundum non dicunt, quia Chriſtus illis non apparuit, ut ſua extraderet evangelia; ergo mediatè; ſeu mediante eccleſia, cujus caput fuit Chriſtus ipſe, antequam pro nobis fuiſſet crucem, necémque paſſus, & poſt Chriſtum ejus Vicarius D. Petrus, & illius ſucceſſores legitimè electi uſque ad id tempus, & membra fuerunt Apoſtoli, Evangeliſtæ, aliique fideles ſucceſſivè ſemper tenentes univerſam doctrinæ fidei, & evangeliorum veritatem; ergo Novatores, qui gloriantur à ſe ſolis poſſideri evangelia, ac eorum veritatem ab iiſdem ſolis intelligi, evangelia immediatè acceperunt ab eccleſia Catholica Romana, quæ veluti theſaurum ſibi concreditum ſervavit, cuſtodivit juxta ſenſum, & doctrinam explicatam ab ipſis Apoſtolis, Evangeliſtis, ac Sanctis Patribus ſucceſſivè uſque ad id tempus: unde non Novatores, ſed eccleſia catholica veluti in depoſito indemnem ſemper ſervavit univerſam fidei catholicæ veritatem, pro cujus defenſiona non timuerunt fideles tyrannorum minas, nec carnificum ſupplicia.

Reſpondent Novatores Evangelium fuiſſe qui- 6
dem, ſed ſenſum evangelii verum fuiſſe corruptum; & ab ipſis inſtauratum; & priſtinæ integritati, ac veritati reſtitutum: Verum ſi ita eſt, in quibus ſcholis, ſub quibus magiſtris didicerunt hunc eſſe verum evangelii ſenſum: quis ipſis dixit eccleſiam catholicam erraſſe circa verum evangelii ſenſum? Reſpondent, ab ipſomet evangelio ſe didiciſſe verum Evangelii ſenſum: Verum Evangelia æquè loquuntur fidelibus ac infidelibus, æquè patent Eccleſiæ catholicæ Romanæ, ac cuilibet Novatorum Sectæ: quidni eccleſia catholica à tempore Apoſtolorum, ac eorum diſcipulorum ſucceſſivè ſemper docuit hunc eſſe verum ſenſum evangelii, quem etiam nunc docet; Novatores verò tantùm à ducentis circiter annis aſſeruerunt ſenſum evangelii non eſſe, quem tenuit, & etiamnum tenet eccleſia Romana ſed quem ipſi docent: ergo ne paucos Novatores à vera fide transfugas, ac deſertores debemus toti præferre eccleſiæ, tot Sanctis Patribus pietate, & doctrina illuſtribus; tot doctoribus ſcientiæ, morúmque innocentia clariſſimis; tot martyribus, qui proprio ſanguine evangelii veritatem propugnârunt, & morte ipſa confeſſi ſunt? Si antequam orirentur Novatores, erat in eccleſia Romana evangelium, vel hæc erravit in vero ſenſu evangelii vel non: ſi primum ergo portæ inferi prævaluerunt adverſus eam, proinde Chriſti promiſſio vera non fuit, quod abſit: ergo Spiritus Sanctus non edocuit veritatem Chriſti eccleſiam contra ſcripturam, quod aſſeri nequit. Si eccleſia Romana non erravit circa verum ſenſum evangelii: ergo Acatholici negantes ſenſum evangelii, quem docuit, ac docet eccleſia catholica Romana, ſibi contradicunt, & coguntur fateri falſum illum evangelii ſenſum, quem ipſi docent: quia ille ſenſus eſt neceſſariò falſus, qui opponitur ſenſui vero: non enim idem ſecundùm idem poteſt eſſe ſimul verum, & falſum.

Eſt igitur evangelium poſſeſſio eccleſiæ catho- 7
licæ Romanæ; eſtque theſaurus illi concreditus, quem Romæ Petrus Lino, Linus Clementi, Clemens Cleto, & ſic alteri ſucceſſori & ſic ſucceſſive cuilibet Romano Pontifici legitimè electo conſignavit; & Alexandriæ à Mario traditus Aniano, ab hoc Abilio, Hieroſolymis à Jacobo fratre domini Simoni Cleophæ filio, qui frater Salvatoris dicitur. Antiochiæ à Petro Lucæ, ab hoc Zachæo, ab iſto Evodio. Cretæ à D. Paulo Timotheo, & iſta de aliis eccleſiis, in quibus Apoſtoli, & eorum diſcipuli evangelium, ac univerſam doctrinæ fidei veritatem, ut theſaurum ſuis reliquerunt Succeſſoribus cuſtodiendum, ac fideliter ſervandum; quod deinceps ſucceſſores aliis ſucceſſoribus præſtiterunt ad præſens uſque tempus, adeo ut ſola eccleſia catholica, ſeu univerſalis Romana ſit, quæ à tempore Apoſtolorum evangelii theſaurum ſemper poſſederit, ac ſervaverit incorruptum in omnibus eccleſiis Romanæ addictis; quamvis non defuerint Lupi rapaces cucullis, atque ſuperciliis tan-

quam velleribus ovium obtecti, ementitis sacris ordinationibus, atque ecclesiasticis titulis, qui, dum se sponsæ amicos simulant, ejusdem insidiantur honori; dormitante siquidem Timotheo vel aliis intento negotiis depositum evangelii, vel sustulerunt, vel corruperunt, ac pro sua propria possessione in vulgus prodiderunt: & eadem Sacra Evangeliorum Scriptura quæ per plures, & plures annos integra, & incorrupta à vera ecclesia conservata fuit, & illibata custodita, ut in omnibus linguis, ac idiomatibus cusa, & centies recusa, ne apice quidem uno immutato suam semper nativam servaverit puritatem, retinuerit candorem, ipsi Novatores se illius asserentes veri possessores, eam deturpaverint, in sensus erroneos detorserint, suúmque candorem turpissimè denigraverint, pravis versionibus adulteraverint, novis interpretationibus, atque castigationibus contaminaverint, falsisque commentariis corruperint, adeout non ampliùs ejus videas speciositatem; ejus cognoscas sinceritatem, ejus deprehendas ingenuitatem: ita enim temerariis censuris mutilarunt, ut non capita quædam Sacræ Scripturæ tantùm sustulerint, verùm etiam integras canonicas epistolas; imò & ipsum Sanctissimum Joannis Evangelium, & integros Machabæorum libros, aliásque Canonicas scripturas abrogare, ac ut spurias damnare non fuerint reveriti, nón aliam ob causam, nisi quia suis non faverint erroribus, suásque blasphemias redarguerint: hi non possessores fuerunt evangelii, sed impii corruptores, quos alloquens ecclesia apud Tertullianum *lib. de Præscript.* ait. *Qui estis? quando, & unde venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion jure sylvam meam cædis? qua licentia Valentine fontes meos transvertis? qua potestate Apelles limites meos commoves. Mea est possessio; quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis? Mea est possessio, olim possideo (prior possideo habeo) origines firmas, ab ipsis authoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum: Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certè exhæreditaverunt semper, & abdicaverunt ut extraneos, ut inimicos.*

8 Objiciunt tamen Novatores, ecclesiam plura docere, & ad ipsa obligare Christianos, quæ in evangelio minime reperiuntur, ipsos verò puræ puræ veritati evangelii inhærere: proinde ipsos esse veros evangelii possessores. Sed contra quia universum Dei verbum in duo partitur genera ut docent Paulus, & Joannes testes omni exceptione majores, scilicet in scriptum calamo, & ore prolatum. Scribit enim Apostolum 2. ad Thessal. 2. *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*: igitur quæ ecclesia docet, quæ non sunt in evangelio, seu calamo scripta ab evangelistis, nec ab Apostolis, fuerunt à Christo ore prolata, & suis dicta discipulis, à quibos in posteros fuerunt derivata, & in ecclesia semper fideliter custodita, ac servata, ut ab Apostolis, qui ea à Christo audierant, fuerunt successoribus extradita. Joannes itidem à calamo seu scripto ad vivam vocem suos revocat; quod postea SS. Patres unanimes, communique consensu docuerunt. Idque testatur Dionysius Areopagita ab Apostolo Paulo accepisse ait ipse *lib. 1. de Ecclesiast. hierarchia cap. 1. Nostra hierarchia vis omnis in verbis, quæ à Deo tradita sunt, cernitur. Sanctissima autem venerationeque dignissima verba ea esse dicimus, quæ nobis à sacrosanctis nostris præceptoribus in sanctis viris institutione, quamagis à materia abhorreres, proximaque jam quodam modo esset, ac similis cœlesti hierarchiæ, ex mente in mentem verba corporeo illo quidem, sed quod minus est materia particeps, sine scripto studiorum nostrorum duces, principésque didicerunt.* S. Irenæus à Polycarpo Jannis discipulo edoctus; eadem responsione Gnosticos confutat. *lib. 3. c. 4.* inquiens *Quid enim, & si quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, non ne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum, & reliquidum est? quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oporteret ordinem sequi traditionis quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias?* Quæ igitur ecclesia docet, quæ in scripturis, seu evangelio non reperiuntur, eadem tradita fuerunt ab Apostolis ecclesiæ, in qua fuerunt semper fideliter servata, & à majoribus ad successores nunquam interrupta serie derivârunt. Quæ verò in evangelio fuerunt calamo scripta, ea ecclesia catholica interpretatur, & docet in eo sensu, sicut Apostoli, & eorum discipuli fuerunt interpretati ac docuerunt; adeout ecclesia eumdem semper servaverit ac docuerit fideles sensum; quem postea Novatores corruperunt erroribus, fœdarunt extorsis interpretationibus. Has traditiones semper fuisse in ecclesia catholica custoditas, & fideliter servatas, asserunt communiter SS. Patres S. Basilius *in lib. de Spiritu S. cap. 7.* ait. *Quæ in ecclesia prædicantur; quædam habemus à doctrina scripto prodita: quædam rursus ex Apostolorum traditione, in mysterio, hoc est, in occulto tradita recepimus. Quorum utraque parem vim habent ad pietatem; nec his quisquam contradicit: quisquis sanè, & tenuiter expertus est quæ sint jura ecclesiastica. Nam si consuetudines quæ scripto prodita non sunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur rejicere, imprudentes, & ea damnabimus, quæ in evangelio necessaria habentur ad salutem; imò potiùs ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus:* habentur à SS. Patribus paris authoritatis, quæ prædicantur è doctrina scripto prodita, & ore prolata à Christo ejusque discipulis; eò quia semper sint verba prolata à Christo suam docente ecclesiam: hinc D. Augustinus *epist. 86. ad Cassulanum dist. 11. cap. in his* loquens de traditionibus Majorum, quæ in ecclesia servantur ait, *In his, de quibus nihil certi statuit divina scriptura, mos populi Dei, & statuta majorum pro lege tenenda sunt.* Vult traditiones, & consuetudines in ecclesia servandas esse perinde ac leges scriptas: & causam affert D. Basilius loc. cit. inquiens *Hæc est ratio, cur quædam citra scripturam tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum.*

Constat igitur verbum aliod esse calamo exara- 9
tum, & aliud ore prolatum ab ipso Magistro Christo suos docente discipulos, qui ut audierunt à Christo, aliis prodiderunt, eos docturi omnem veritatem sive calamo scriptam sive ore prolatam; & hujusmodi traditiones successivè in alios derivarunt. Quis igitur hanc utramque partem verbi Dei possedit ac fideliter nunquam interrupta serie custodivit? cœtusne fidelium in ecclesia catholica Romana? an cœtus Sectariorum negantium omnes traditiones, & corrumpentium veros, ingenuosque scripturarum sensus, torquentesque in errores contra Christi doctrinam textus scripturarum? quis incorrupta fide, & integritate usque ad hodiernum diem veram Christi doctrinam sive calamo scriptam, sive ore prolatam, quam suos Magister Christus edocuit Apostolos, & isti suos discipulos, à quibus successive in alios derivavit, cœtus ne sectariorum? à quibus & sensus verus verbi scripsi fuit corruptus; & verbum prolatum, seu traditum è medio sublatum; an ecclesia catholica Ro-

misna; quæ semper doctrinam ab Apostolis traditam, & à conciliis œcumenicis, aliisque per singula sæcula approbatam, ut doctrinam veram Christi, & Apostolorum sanctè servavit, & fideliter custodivit? damnant Novatores ecclesiam catholicam Romanam ex eo vel maximè, quia innitatur traditionibus; seu verbo ore prolato, quod negant; & verbo scripto integro, qood ipsi mutilant, delent, abrogant, si suis non faveat erroribus. Quis igitur potiori jore possidet utrumque Dei verbum scriptum, & traditom? oon oe ecclesia catholica Romana, quæ verbo utrique, ut ab Apostolis explicato, & tradito, semper adhæsit: ergo notæ, quæ à Sectariis veræ tribuuntur ecclesiæ soli conveniuot ecclesiæ catholicæ Romanæ, quæ utrumque verbom semper possedit, custodivit, & docuit eodem prorsus sensu, quo illud edocuerunt Apostoli à Christo magistro edocti, & Apostolorum discipuli, ac eorum successores, & per singula sæcula Sancti Patres, & tota, ac universa ecclesia in conciliis congregata ad id usque temporis. Non igitur Sectarii verbi Dei scripti & traditi, neque sacræ scripturæ possessione catholicam Romanam ecclesiam vincunt.

10 Si dicas Sectarios possidere Scripturas interpretatione magis perspicua, ac vero sensu. Contra est, quia ecclesia catholica Romana eos semper Scripturæ interpretes sequuta est, qui Christum magistrum docentem & explicantem verum sensum scripturarum suis viderunt oculis, auribusque propriis audierunt, hoc est Sanctos Apostolos, ac eorum discipulos, & eorum proximè successores, qui temporibus illis, quibus contenta in verbo Dei sive calamo scripto, sive ore prolato gerebantur, vixerunt, fueruntque testes oculati, & enarrârunt sine fuco verborum candidè, sive phaleris eloqueotiæ sincerè, & quorum doctrinam admiratus est universus orbis, quorum sanctitatem venerati sunt etiam infideles, quorum probitatem vitæ approbavit, confirmavitque Deus pluribus patratis miraculis, & quorum doctrinam tot sæculorom decursus, totque Synodorum, ac doctissimorum hominum consensus comprobavit, qoos nec amor, nec odium, quæ plerumque humana judicia corrumpunt, ac pervertunt; neque ullus humanus sensus, vel affectus pulsant; sed sola veritas movet, & desiderium æternæ salutis tenet. Eorum interpretatiooes, ac doctrinas ecclesia catholica Romana semper tenuit, & etiamnom tenet, eo quia communis sit SS. Patrum doctrina, & communis in ecclesia ad nos derivata à Christo, ejusque discipulis, ac eorum successoribus prælatis in ecclesia catholica. Sectarii verò non communi ecclesiæ interpretationi adhærent, non SS. Patrom doctrinam seqountur, sed propriis particularibus adhærent opininnibus, qoibus decipiuot, & alios fallunt; cum dicat S. Petrus Scripturam non esse privatæ interpretationis: hinc Clemens Romanus Epist. 5. Scribit ad rem nostram. *Relatum est etiam nobis, quòd quidam in vestris partibus commorantes adversentur sanis doctrinis, & (prout ipsis videtur) non secundùm traditionem Patrum, sed juxta sensum suum docere videntur. Multas enim quidam (ut audivimus) vestrarum partium secundùm ingenium hominum, ex his quæ legunt verisimilitudines capiunt; & ideo diligenter observandum est; ut lex Dei, quùm legitur, non secundùm propriam ingenii intelligentiam legatur, vel doceatur. Sunt enim multa verba in scripturis divinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem quisque sibi sponte præsumpsit; sed fieri non oportet: non enim sensum, quem extrinsecus adulteretis alienum, & extraneum debetis quærere, aut quomodo ipsum scripturarum authoritate confirmetis; sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis. Et ideo oportet ab eo intelligentiam discere scripturarum, qui eam à majoribus secundùm veritatem sibi traditam, servavit, ut ipse possit ea, quæ rectè suscepit competenter asserere.* Quis à sana mente ita alienus, ut interpretationem Scripturam traditam à Luthero vel Calvino, vel Serveto, vel Brandata, vel aliis recentioribus Novatoribus præferat illi Sanctæ Romanæ ecclesiæ catholicæ? quam tradiderunt Apostoli, & eorum discipuli Policarpus, Ignatius, Dionysius. Irænæus, & eorum discipuli, & deinceps alii successores, à quibus ad nos usque derivavit, & quam Synodus œcumenica Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, & Chalcedooensis approbârunt, ratamque habuerunt ut puram, ac sinceram emanatam à Christo, quam docoerunt Apostoli, & eorum discipuli, & successivè quotquot in ecclesia catholica Romana verum cultum Deo exhibuerunt. Hinc Tertullianus lib. de Præscript. ait. *Unde autem extranei, &* inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unosquisque de suo arbitrio adversus Apostolos aut protulit, aut recepit? Illic igitur & scripturarum, & expositiouum adulteratio deputanda est, ubi diversitas invenitur doctrinæ. Quibus fuit propositum aliter docendi eos, oecessitas instituit, aliter disponendi instrumenta doctrinæ. Aliàs enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent, per quæ docerent hæresim.

Respondent Sectarii ab ipsis non edoceri hære- 11
ses, sed sinceram Scripturæ doctrinam explicari, ac propugnari, & ipsos puris inniti scriptoris seu verbo Dei calamo exarato; proinde ab ipsis tantùm possideri sacram scripturam, cujus verum sensum attingunt, & edocent homines. Verùm quàm distent à veritate quam profiteri asserunt, ex eo deprehenditur, quia vel ipsæ sacræ scripturæ, quarum se jactant possessores, eos apertæ falsitatis redarguunt. Docet enim scriptura omnem hominem esse mendacem, & solum Deum veracem, ad Rom. 3. v. 4. *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax.* Sed Novatores hoc negant, seque solos non posse errare blaterant, tametsi omnes Synodi, omnesque SS. Patres, & ecclesia tota Romana diversum sentiant, oppositum doceant. Inculcat Scriptura ut Præpositis nostris etiam discolis obediamus non tantùm propter metum; sed propter conscientiam ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Sectarii vero asserunt nemini esse obediendum. Docet Scriptura Christum Dominum, priusquam in cœlum ascendisset, Petro ejusque Successoribus Claves regni cœlorum, seu universum ecclesiæ regimen tradidisse, terque repetitis vocibus munus pascendi suas oves concredidisse, & quia D. Petrus erat brevi moriturus, nomine Petri, etiam suis successoribus, seu cuilibet summo Pontifici legitimè electo. Joan. ult. v. 15. *Simon Joannis diligis me? ait illi etiam Domine tu scis, quia amo te. Dicit pasce agnos meos.* Sectarii autem hoc regimen ecclesiæ traditum soli Petro negant. Docet Scriptura, Christum Dominom in discipulos suos insufflâsse, eique Spiritum S. dedisse, ut quorumcumque dimiserint peccata dimittantur illis, & quorum retinuerint retenta sint Joan. 20. v. 24. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* 1
Novatores hanc peccatorum remissionem negant, docentque ad expianda, ac delenda peccata solam sufficere fidem, Docet Scriptura laudandum esse Dominum in sanctis ejus, laudandum in firmamento virtutis ejus, nimis hooorandos esse amicos Dei, nimis confortatum esse principatum illorum Psal. 150.

Psal.

Psal. 138. Sed Novatores Sanctorum cultum, & honorem idololatriam esse dicunt. Docet scriptura B. Virginem Christi matrem Beatam ab omnibus gentibus fore deprædicandam Luc. 1. *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est:* sed Sectarii Matrem Dei Angelica voce salutare censent piaculum. Docent Scripturæ, justum ac pium esse orasse pro defunctis, ut à peccatis solvantur. 2. Machab. cap. 12. v. 46. *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur:* Sed Acatholici negant, ullum posse defunctorum animas emolumentum percipere ex fusis viventium precibus; ullum ex oblatis sacrificiis levamen. Docet scriptura: Annam Phanuelis filiam perseverasse in templo, jejuniis, & orationibus servivisse Deo, 1. Reg. cap. 1. v. 8. Porro illa flebat, & non capiebat cibum. Hortatur D. Paulus 1. Corinth. 7. fideles ad culturam præclaræ virtutis castitatis, & continentiæ, optatque omnes esse, sicut ipse fuit, scilicet castos, & continentes: sed Acatholicis virtus castitatis est exosa, & suadent omnibus nuptias, quas præferunt continentiæ, ac cœlibatui. Docet D. Paulus ad Ephes. 5. Sacramentum esse matrimonium, & quidem magnum inter Christum scilicet, & ecclesiam: sed Acatholici negant matrimonium, fuisse à Christo elevatum ut esset verum Sacramentum, illudque è cathalogo expungunt sacramentorum. Docet Christus Matth. 5. Beatos esse pauperes spiri-
3 tu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beatos esse mites, quia ipsi possessuri sint terram. Beatos esse lugentes, lacrymisque madidos, quoniam ipsi consolabuntur. Beatos esurientes, & sitientes justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beatos misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beatos mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beatos asserit pacificos, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. Beatos qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Sed Sectarii è contra asserunt, docentque virum justum in prædictis omnibus operibus peccare, & perperam agere. Præcipit Christus eos omnes gaudere, & exultare, qui propter ejus nomen persecutiones sustinent, dolores, & cruciatus tolerant, & adversa quæque læto animo patiuntur, eo quia eorum merces copiosa sit in cœlis; sed Novatores docent nullam esse homines mercedem accepturos ex bonis operibus, vel peractis, vel toleratis. Asserit Deus, Joan. 5. eos esse donandos vita æterna qui bona opera egerint, & eos detrudendos in ignem gehennalem, qui malè erunt operaturi; & explicans, quæ sint hæc opera ait: Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi & dedistis mihi bibere &c. Sed id negant sectarii docentes solam fidem necessariam esse ad salutem. Promittit Christus Joan. 6. se daturum suam veram carnem, illumque verum sanguinem nobis in cibum & potum, in refectionem animarum: sed Calvinistæ volunt, Christum nobis non dare suum verum corpus, sed tantum figuram, quamvis expressè protestetur Christus se daturum verum suum corpus; & non sicut Moyses dedit manna in deserto scilicet in umbra, & figura, quatenus manna fuit figura corporis Christi, sed verè, & re ipsa; non obstante hac protestatione adhuc Calvinus mordicus docet in sola figura nos sumere corpus, & sanguinem Christi, quatenus panis, & vinum perinde ac manna elevantur, ut sint figura corporis, & sanguinis Christi. Docet Scriptura Marc. 16. Nisi quia crediderit, & baptizatus fuerit, eum salvari non posse. Sed Calvinus id negat, & asserit parvulos, si ex Christianis parentibus nati fuerint, sanctos decedere sine baptismo, & æternam consequi vitam, vel omnino non damnari. Docet Scriptura Oseæ 13. Perditionem nostram ex nobis esse, salutem autem à Domino. Sed hoc inficiatur Calvinus asserens sola Dei prædestinatione homines salvari, aut damnari. Docet Scriptura Genes. 4. Sub nobis esse appetitum nostrum, nosque Dominos illius esse, & si bene egerimus, nos mercedem recepturos; sin autem malè in foribus peccatum nostrum adfuturum. Deum hominem constituisse in potestate sua; proposuisse illi bonum, & malum, ut ad quodcunque extenderit manum, det illi; animam ejus in manibus ejus semper sitam esse, ac posse, prout magis placuerit, & pro libero suæ voluntatis arbitrio bene vel malè agere. Sed Sectarii omnem liberi arbitrii rationem evertunt. Docent Scripturæ debere quemlibet in timore, & tremore propriam operari salutem, eo quia nemo sciat utrum amore, vel odio dignus sit. Sed Novatores negant; asseruntque neminem damnari, nisi qui credere nolit. Quomodo ergo à se solis dicuntur sacræ scripturæ possideri; si sacras scripturas negant? quomodo pura puta evangelii veritas ab ipsis solis edoceri; si evangelii veritatem inficiantur? Quomodo asserunt verbum Dei scriptum ipsis tantùm fuisse concreditum, ab ipsis tantùm fideliter explicari, ac incorruptum servari: si verbum Dei nituntur delere, corrumpere ac penitus evertere? Quomodo integram & incorruptam sibi arrogant scripturam si illam mutilant dilacerant? quomodo incorruptam, si illam fœdè violant, ac in sensus distorquent à veritate alienos? quomodo gloriari possunt, se puram putam veritatem evangelii docere, si ipsam evangelii veritatem vel manifestè negant, vel ab ipso evangelio adorituntur expungere? Igitur ex ipsis signis, quibus Sectarii asserunt apud ipsos esse veram ecclesiam à Jesu Christo in terris fundatam satis luculenter evicimus ipsos exclusos à vera esse ecclesia; & signa veræ ecclesiæ, quæ ipsi assignârunt, magis convenire ecclesiæ catholicæ Romanæ, imò & ipsi soli posse tribui, quàm ulli alteri hominum cœtui.

CAPUT X.

Rectus sacramentorum usus, quem Sectarii sibi arrogant, ut secundam veræ ecclesiæ notam nulli eorumdem cœtui convenit; sed soli ecclesiæ catholicæ Romanæ.

1 Mirum dictu Acatholicos Novatores de recto Sacramentorum usu præsumere gloriari, ut de vera ecclesiæ nota apud ipsos manentis, ac efflorescentis; cum ipsi Sacramentis bellum indixerint, omnique majori nisu conentur vel omnia, vel saltem eorum plura evertere, prosternere, & ab ecclesia excludere. Quomodo gloriantur de recto sacramentorum usu, si ipsa sacramenta negant, & in ipsum septenarium sacramentorum numerum invehunt, quem expugnent, prosternant, evellant? Illyricani, & Geneventes duo tantùm asserunt in ecclesia dari sacramenta, quorum usu etiam ipsi abutuntur.

Illyricus enim, & Calvinus, non nisi duo dicunt esse Ecclesiæ sacramenta. Lipsienses tria. Witembergenses quatuor. Imò sunt etiam qui unum duntaxat admittunt sacramentum, & alii nullum: fueritque propterea ex sectariis quispiam, qui à catholico sciscitatus, cur septenarium sacramentorum numerum non assererent, quem, cæteræ omnes Ecclesiæ æquè in oriente ac occidente à tempore Apostolorum semper servarunt? Ferunt facetè respondisse: septenarium hunc numerum ab ipsis fideliter custodiri, & quidem eo emolumento, ut numerus septenarius apud ipsos fœcundus alia duo pepererit probro sterilitatis excusso; idque videns Novatorum inconstantiam ut evinceret dixit: Witembergæ quatuor numerantur sacramenta, Lipsiæ, Magdeburgi duo, quæ in unum simul collecta novem efficiunt.

Si dissentiunt Novatores & crassissimè errant circa Sacramentorum numerum; si ignorant, quæ, & quanta fuerint à Christo Sacramenta instituta quomodo gloriari possunt de recto eorundem usu? quomodo ex hoc usu præsumunt veram dignoscere Ecclesiam ut distinctam à falsa? Usus supponit necessario rem, qua quis utitur; sectarii autem negant Ecclesiæ Sacramenta, quæ supponunt, non fuisse à Christo instituta; & eorundem aliqui eo devenerunt inscitiæ, ut vel unum tantùm, vel etiam nullum dari sacramentum asseruerint, si nullum datur sacramentum, non possunt Sacramentis uti; quis re illa dicetur uti, quam putat non dari? Usus sequitur ad rem quâ utimur; & si sacramenta non sunt, quomodo possunt Novatores iisdem uti; & si illis non utuntur, quomodo ea recto usu sacramentorum possunt cognoscere eorum ecclesiam veram esse fundatam à Jesu Christo?

Si respondeant, non ab omnibus negari omnia septem sacramenta, sed tantùm aliqua plura vel pauciora juxta diversa Novatorum placita, illis verò, quæ concedunt, rectè uti, & ex eorundem recto usu dignoscere eorum Ecclesiam veram. Contra est, quia semel, quòd ex septem Sacramentis negant unum vel alterum, jam deficiunt à fide integra, seque constituunt extra Ecclesiam Jesu Christi, in qua juxta scripturas, Apostolos, Ss. Patres & concilia omnia hactenus celebrata in variis mundi partibus Christus septem instituit Sacramenta. Quòd si Ecclesia Jesu Christi septem continet Sacramenta, omnis alia Ecclesia, quæ non continet hæc septem Sacramenta, nequit esse vera Ecclesia Jesu Christi: atqui extra Ecclesiam Jesu Christi non datur rectus usus Sacramentorum: quia ut Sacramenta rectè ministrentur & suscipiantur, requiritur sanctitas in Ministro, & extra Ecclesiam Jesu Christi non datur hæc sanctitas. Rursus in suscipiente requiritur debita dispositio, quæ extra Ecclesiam, & professionem integram fidei non datur; non enim cum peccato infidelitatis absque resipiscentia datur dispositio ad rectum Sacramentorum usum; existens enim in peccato lethali non rectè, sed sacrilegè Sacramenta suscipit, quorum propterea usus rectus esse nequit, sed sacrilegus abusus. Tandem sectarii carent veris & legitimis Sacramentorum ministris; non enim eorum Pastores sunt consecrati, nec ipso sacri Ordinis Sacramento fuerunt initiati, cùm hoc Sacramentum inficientur, ac è numero sustulerint sacramentorum contra communem consensum orientalium, & occidentalium. Ad rectum sacramentorum usum necessarius est minister debitè ordinatus.

Ut aliqua de singulis in specie sacramentis proferam, à Baptismo exordiar quia janua esse dicitur, per quam Ecclesiam ingredimur. Quamvis Apostoli ritus, & ceremonias ministrandi Baptismum posteros edocuerint, ac ipsimet exercuerint, adhuc tamen Novatores ausi sunt has abrogare, veluti humanæ traditionis superstitiones, Gnosticos imitati, de quibus ait Irenæus lib. 1. cap. 18. adversus Hæreses. *Alii hæc omnia recusantes, dicunt non oportere inenarrabilis, & invisibilis virtutis ministerium, visibiliter, & corruptibiliter perfici creaturas: & ea quæ mente concipi non possunt, & incorporalia, & insensibilia, per sensibilia & corporalia. Esse autem perfectam redemptionem ipsam agnitionem inenarrabilis magnitudinis.* Quos Ecclesia Catholica à primis suæ institutionis temporibus adhibuit ritus, Acatholici sustulerunt, scilicet exorcismos, exsufflationes, cruce signationes, manuum impositiones, sathanæ abrenuntiationes, aurium & narium apertiones, pacis, & osculi porrectiones, sacras unctiones, vestium mutationes, lucernæ gestationes & plures alias ceremonias quarum meminit prima Constantinopolitana synodus, eò quia tunc temporis scilicet ante mille, & quadringentos annos fuerint in usu: ait œcumenica synodus canul. *Primo die Christianos facimus: secundo catechumenos: deinde tertio exorcisamus sive adjuramus ipsos ter simul in faciem eorum & aures insufflando: & sic eos cathechisamus, sive initiamus, & curamus, ut longo tempore versentur in Ecclesiis & audiant scripturam, & tunc eos baptizamus.* Ecce quot ritus adhibuit primitiva Ecclesia edocta ab Apostolis, & eorum discipulis in collatione baptismi; quos tamen Novatores veluti humanæ traditionis superstitiones sustulerunt. Eosdem ritus recenset D. Augustinus in symbolo ad catechumenos, eo quia Ecclesia Catholica suis temporibus consuaverit eos adhibere, ait ipse: *Omnia sacramenta, quæ acta sunt, & aguntur in vobis per ministerium servorum Dei exorcismis, orationibus, canticis spiritualibus, insufflationibus, cilicio inclinatione cervicum, humilitate pedum, pavis ipse eum securitate appetendus: hæc omnia, ut dixi, esca sunt, quæ vos reficiunt in utero, ut renatos ex baptismo hilares vos exhibeat Mater.* Non solum Ss. Patres sub primis Ecclesiæ militantis sæculis hos ritus in collatione baptismi adhibendos recensuerunt, sed etiam ut ab ipsis Apostolis derivatos in singulas Ecclesias Catholicorum tradiderunt; sitque propterea Apostolorum traditio, non vana superstitio: quin imo ea iisdem ritibus veluti ex rebus notissimis, & his quæ ab omnibus citra dubium concederentur, veluti ex ipso Dei verbo seipro primarias hæreses refutâcunt, ut præstitit contra Marcionem Tertullianus, qui proximis Apostolorum temporibus floruit; probans enim creaturam Dei non esse malam ait lib. 1. contra Marcionem. *Ille neque aquam sumebat Creatoris, quâ suos abluit, neque oleum, quo suos unxit, neque mellis, & lactis satietatem, quâ nos infantavit.* Demonstrat Tertullianus ex iisdem ritibus, veluti ex certissimis Divinæ vocis testimoniis futuram corporum nostrorum resurrectionem verbis illis lib. de carnis resurrectione: *Sed & caro abluitur, ut anima emaculetur: caro ungitur ut anima muniatur. Caro manuum impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur: caro corpore, & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari à mercede, quæ opera conjungunt.* Eo tempore quo Carthagine floruit S. Cyprianus, Episcopi per Africam probaturi hæreticos non posse baptizare, utebantur eo argumento; quia non potuerant exorcizare, S. Augustinus ostensurus parvulos

vuloa infectos esse peccato originali, utitur eo argumento; quia alioquin Ecclesia illos non exorcizaret, nec exsufflaret,& docet, eam antiquissimam esse Ecclesiæ traditionem, quâ parvuli exnrcizantur, & insufflantur; hocque eodem argumento pluribus utitur in locis,ut lib. 2. de origin. peccato,cap. 4. lib. 1. de nuptiis,& concupiscentia cap. 2. & cap. 18. lib. 1. contra Julianum cap. 2. & lib. 6. cap. 2. Eodem argumento utuntur alii Ss. Patres S. Chrysostomus serm. de Adam & Eva optatur lib. 4. contra Donatistas. Luculenter Basilius Magnus in libro de Spiritu S. ex ceremoniis ab Ecclesia Catholica ex Apostolorum traditione adhibitis urget contra hæreticos,& asserit hos ritus veras este Apostolorum traditiones inquiens cap. 27. *Consecramus aquam baptismatis,& oleum unctionis, praeterea ipsum, qui baptismum accipit ex quibus scriptis ? nonne à tacita secretaque traditione? Ipsam porro olei inunctionem, quis sermo scripto prodidit docuit? Jam ter immergi hominem,unde est traditum? reliqua item qua fiunt in baptismo, veluti renuntiare Satana, & Angelis ejus; ex qua scriptura habemus? nonne ex privata hac, & arcana traditione? nonne ex doctrina hac, quam Patres nostri in silentio, quòd curiosos, & otiosos submonet servarunt?* De iisdem baptismi ritibus plura scribunt Ss. Patres etiam primitivæ Ecclesiæ præsertim S. Dionysius Areopagita lib. de eccles. Hierar. cap. 2. & 7. Clemens Romanus lib. 3. de Constit. Apost. c. 28. & sequent. & lib. 7. cap. 23. 28. 41. & sequent Justinus Martyr. quæst. 137. Thopbilus Antiochenus lib. 1. ad Antolycum Origenes lib. 5. in Epist. ad Rom. Chrysost. homil. 22, in e. ad Corinth. & homil. 6. ad Coloss. Nazianzenus orat. ad S. Baptisma, Arnobius in commentariis in Psal. 4. 22. 82. 9. 232. & 134. Optatus Milevitanus lib. 2. 3. & 8. contra Parmen. Ambrosius lib. 1. de sacram. c. 1. Hieronymus contra Luciferian. & alii innumeri; ut inde conjiciamus quanta impudentia, & inscitia sectarii prærecensitas ceremonias, quas Ecclesia Catholica in baptismo ministrando ex Apostolica traditione semper adhibuit, non erubescant abrogare, ut humanæ traditionis superstitiones; quin imò eorum aliqui cò devenerunt, ut docuerint aquam ad abluendum baptismo initiandum necessariam non esse; & verba à Christo præscripta quendam esse magicum usum: neque invocationem Ss. Trinitatis, per quam baptismus conficitur esse necessariam. Et eorum plures non unam tantùm vel alteram baptismi ceremoniam, vel etiam partem negant, sed totum etiam abrogatum baptismi Sacramentum nec ipso Christiano nomine gaudentes, belluarum potius gregi, quàm hominum cœtui aggregandi.

Confirmationem, seu manuum impositionem esse verum Sacramentum novæ legis, liquet ex sacris scripturis Actor. 8. *Cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei miserunt ad eos Petrum, & Joannem, qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum S. Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum.* Hanc manuum impositionem esse verum Sacramentum novæ legis, probatu est facile. Est siquidem sacramentum signum sensibile constans ex rebus, & verbis, & operatorium gratiæ sanctificantis: Hæc autem manuum impositio est signum sensibile constans ex rebus, ex verbis, seu impositione manuum, crismatione & verbis ab Episcopo prælatis, quæ omnia sunt signa sensibilia, & quidem operativa gratiæ sanctificantis Act. cap. 19. *Et cum imposuisset illis manus Paulus; venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Igitur confirmatio seu manuum impositio est verum sacramentum novæ legis. Varia sortitur hoc sacramentum nomina, quæ à materia sumuntur, quæ est manuum impositio, & chrisma. A. S. Augustino lib. 3. de Baptismo contra donatistas cap. 16. vocatur *manûs impositio* à S. Isidoro Hispalensi lib. 11. de Ecclesiast. officiis cap. 26. *sacramentum chrismatis*, à S. Dionysio Areopagita *unguenti mysterium.* Ab aliis *Chrisma spiritualis unguenti, Chrisma sanctum, Chrisma supercaleste, Chrisma salutis.* Quia verò per hoc sacramentum signo, & sigillo crucis in fronte, & impresso in anima charactere, veluti Christi milites obsignamur à S. Cornelio Papa & Martyre epist. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib. 6. histor. eccles. cap. 43. vocatur *sigillum quo accipitur spiritus sanctus.* Ab effectu, quo hoc sacramentum constituit hominem sanctum, ac perfectè Christianum à Sancto Dionysio loc. cit. S. Ambrosio lib. 3. de sacram. cap. 2. & aliis dicitur *sacramentum plenitudinis gratia.* Ab alio effectu qui est collatio roboris *confirmationis sacramentum.* Primus omnium, quòd sciam, nomine Confirmationis donavit hoc sacramentum S. Ambrosius in libro de his, qui mysteriis initiantur cap. 6. quo nomine postea usi sunt D. Leo, Gregorius, & reliqui posteriores Patres; quia per hoc sacramentum fideles confirmantur in fide, & robustiores fiunt ad confitendum, ac glorificandum nomen Domini Jesu Christi, & ad resistendum hosti tartareo, ac tentationes retundendas.

Quamvis in Baptismo non solùm omne peccatum tam originis, quam propriæ actionis remittatur, & nobis detur spiritus sanctus nos regenerans in novam creaturam: ac propterea si lustrali baptismi aquâ abluti statim decederemus ex hac mortali vita, ad immortalem migraremus æterna donandi beatitate: si tamen diutius in hac vita immoremur, in quâ hostes Tartarei nos adoriuntur expugnaturi ad eorum assultus coërcendos, impetus retundendos, & quò firmiores stemus, corroborari indigemus; præsertim cùm non solùm dæmones contra nos insurgant; verùm & ipsa caro adversus spiritum perduellis; & ipsæ cupiditates quas in sinu fovemus, internum in nostram perniciem bellum moveant; ut & mundus suis illecebris *erroribus, ac terroribus*, ut loquitur S. Augostinus, corroborari indigebamur per sanctum Chrisma, seu sacramentum hoc confirmationis, quod sectarii propriæ salutis incuti, & Dæmoni, carni, ac mundo cedentes penitus abrogarunt, eunt que inficias. sicut liquet in Exodo, quod filii Israelis, quamvis ab Ægyptiaca jam soluti servitute, ac plena donati libertate post transitum maris rubri, & submersionem persequentis Pharaonis; pluribus aliis fuerunt beneficiis cumulati, scilicet expansione nubis in protectionem eorum, & ignis ut luceret eis per noctem, deinde cælesti obsonio, mannæ manducatione, & aquæ potu de petra percussa effluentis; Ita Christus tametsi per baptismum à Dæmonis nos liberaverit famulitio, aliis nos voluit beneficiis, ac sacramentis cumulare; ne per desertum hujus vitæ deficeremus; sed corroborati hostiles insultus retunderemus, eorumque impetus coërceremus. Hinc Clemens Epist. 4. de Confirmatione ait: *Omnibus ergò festinandum est sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo, id est septiformem gratiam spiritus sancti percipere, quia incertus est uniuscujusque terminus vita. Cùm autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformi spiritus gratia ab Episcopo (ut memoratum est) confirmatus, quia aliter perfectus esse Christianus nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos si non necessitate, sed incuria remanserit (ut à*

B. Petro

B. Petro accepimus, & cæteri sancti Apostoli præcipiente Domino docuerunt) & demum ex operibus bonis ostendat in se similitudinem ejus, qui eum genuit Patris Quomodo igitur sectarii possunt se jactare de recto sacramentorum usu si sacramentum Confirmationis abrogarunt, sine quo perfecti Christiani non efficimur: sine quo spiritus sanctus nobis non datur. Sed quid mirum si tam luride desipiant, tam crassè errent, cùm careant, ac destituantur sacramento, cujus beneficio nobis traditur spiritus sanctus; non inquam mirum si spiritu sancto non agantur, cùm detrectent spiritum sanctum sibi dari mediante sacramento Confirmationis? Non glorientur de sacræ scripturæ possessione, quam destruunt, mutilant, imminuunt, corrumpunt: non sibi eblandiantur de recto sacramentorum usu, quem abrogant. Audiant S. Hieronymum in Dialogo adversus Luciferianos. *An nescis Ecclesiarum esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis, ubi scriptum sit? In actibus Apostolorum. Etiam si scripturæ authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, authoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt.* Hæc cum dixisset nomine Luciferiani respondet d. Hieronymus. *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem manuum impositurus excurrat*: & nonnullis interjectis subdit. *Quòd si hoc loco quæris. Quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos asserimus in vero baptismate tribui? Disce hanc observationem ex ea authoritate descendere, quòd post Ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit, Et multis in locis, idem factitatum reperimus ad honorem potiùs Sacerdotii, quàm ad legis necessitatem.* Cùm Luciferianus assereret Sacramentum Confirmationis esse Juris divini, manus ei dedit Hieronymus idem affirmans, ac docens per manus impositionem Episcoporum accipi Spiritum Sanctum. Quòd verò addat: ad honorem potiùs sacerdotii, quàm ob legis necessitatem multis in locis usurpatum, ut Episcopus in minores urbes manum impositurus excurreret, id Episcopalis officii, honoris, ac ministerii esse significat, ut manus imponat super baptizatos: non tamen ex legis necessitate, quasi sacramentum Confirmationis necessarium sit ad salutem, perinde ac est necessarius baptismus.

Objiciunt tamen Novatores, quia si nulla necessitate factum est, ut baptizato manus imponeretur in Spiritum Sanctum, ut asserit d. Hieronymus, sequitur Chrisma, seu Confirmationem non esse Sacramentum institutum à Christo, sed meram ceremoniam, ac ritum Ecclesiasticum. Contra est, quia tametsi nulla necessitate factum sit, ut baptizato manus imponatur in Spiritum Sanctum, qui detur in remissionem peccatorum, sicut datur sacramentum baptismi, sine quo peccata non remittuntur nec per alia sacramenta: Licèt per baptismum detur Spiritus Sanctus in remissionem peccatorum, adeout baptizatus accipiat gratiam sanctificantem, ut asserebat S. Hieronymus contra Luciferianum; non tamen negat per sacramentum Confirmationis dari Spiritum Sanctum ad robur, ac virium spiritualium incrementum, ad coërcendos dæmonis assultus. Quamvis Sacramentum Confirmationis non sit simpliciter necessarium ad salutem, necessitate medii; adeout non confirmatus per manuum impositionem ab Episcopo nequeat salutem consequi, sicut non baptizatus hanc non consequitur; adhuc tamen confirmatio non est simplex ceremonia, sed verum sacramentum, quo confertur Spiritus Sanctus in corroborationem virium spiritualium ad resistendum Dæmoni, mundo, & carni. Si iustes d. Hieronymum asserere, Confirmationem esse tantùm legem Ecclesiasticā ait enim urgens Luciferianum: *sed quale est, ut leges Ecclesiæ ad hæresim transferas* &c. Contra est quia Hieronymus his verbis non asserit Confirmationem fuisse lege tantùm Ecclesiastica institutam: sed Ecclesiæ legem, secundùm quam Episcopus ad minores urbes excurrit confirmaturus baptizatos, ut fieri semper consuevit, tùm Episcopi propriam Diœcesim visitant, non probare baptismum Christi sine Spiritu Sancto esse posse, quod Luciferianus asserebat, docente Hieronymo per baptismum conferri Spiritum Sanctum in remissionem cujusvis peccati sive originis sive actionis, seu gratiam sanctificantem: & per confirmationem iterum conferri Spiritum S. in corroborationem virium spiritualium, ut possimus inimicorum assultus coërcere ac tentationes superare.

Pœnitentiam itidem Novatores è Cathalogo expungunt sacramentorum, cùm tamen constet hoc sacramentum à Christo post resurrectionem institutum fuisse. Tametsi Christus initio suæ prædicationis pœnitentiam indixerit hominibus, ut determinatos modos actuum significaret, qui ad hoc sacramentum necessariò requiruntur: dixit enim Christus Mat. 4. *Pœnitentiam agite appropinquavit enim regnum cœlorum.* Quod verò ad officium pertinet ministri hujus sacramenti, statuit, cùm dixit Petro Mat. 16. *Tibi dabo Claves Cœlorum*: institutionem verò hujus sacramenti significavit, cùm dixit Mat. 18. *Quæcunque ligaveris super terram erunt ligata, & in cœlo, & quæcunque solveris super terram erunt soluta, & in cœlis.* Hæc enim verba ad hujus sacramenti pertinere institutionem declaravit Tridentina synodus Sess. 14. Cap. 1. & can. 10. ubi habetur *sacramentum tunc propriè instituit, cum à mortuis excitatus insufflavit in discipulos dicens: Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*, ita docet Tridentina synodus *cap. 1 Sess. 14. Si* quæras cur tantùm post resurrectionem fuerit hoc sacramentum institutum, & non potius antea. Responsio statim habetur: quia cùm hoc sacramentum suam obtineat efficaciam ex virtute Passionis & resurrectionis Christi, cujus sanguis nostra delevit peccata, ejusque pretium nos redemit: conveniens erat, ut post resurrectionem Salvatoris plenè, ac perfectè institueretur, ac ejus virtus promulgaretur juxta illud Lucæ ult. *Sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Acatholici verò hoc inficiuntur sacramentum pœnitentiæ, quasi deroget virtuti, se efficaciæ passionis Dominicæ, quæ plenissimè sufficit ad remittenda peccata omnia: quapropter decantatam illam in omni antiquitate Exomologesin, seu plenam, & sinceram peccatorum omnium confessionem, vocem ab Apostolis, virisque Apostolicis à primo militantis Ecclesiæ exordio commendatissimam damnant, repudiantque, ac si esset quid recèns inventum, cujus tamen laudes recensent antiquissimi in Ecclesia Patres, Tertullianus lib. de Pœnitentia ait: *Tantum relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumacia. actus pœnitentiæ, qui magis græco vocabulo exprimitur, & frequentatur. Exomologesis est, quâ delictum Domino confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, & confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur; itaque exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est.*

Quamvis Sacramentum pœnitentiæ non sit simpliciter necessarium ad salutem, est tamen necessarium iis, qui post Baptismum in peccatum aliquod lethale lapsi sunt, ut docet Concil. Trid. Sess. 14. Cap. 1. Quapropter à SS. Patribus vocari solet Sacramentum pœnitentiæ *secunda post naufragium tabula* ducta metaphora à navi procellosos pelagi fluctus trajiciente, quæ si scopulis illisa disrumpatur, & naufraga pereat, nullum aliud superest nautis præfugium, nisi tabulam aliquam effractæ navis arripere, ne mergatur fluctibus obrutus: perinde si deperdita fuerit Baptismi innocentia, ne quis pereat, ad pœnitentiæ tabulam necesse est confugiat, cujus beneficio æternum declinat naufragium: quapropter Concilium Trid. Sess. 14. Cap. 2. ait: *Sacramentum pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, sicut nondum regeneratis ipse Baptismus.*

Ratio cur Christus inter Sacramenta pœnitentiam retulerit, sitque propterea pœnitentia verum Sacramentum, duplex solet adferri, quarum prima est, ut nobis constaret de remissione peccatorum, quam nobis Deus pollicitus fuerat per Prophetam suum Ezechielem Cap. 33. *Si impius egerit pœnitentiam à peccato suo &c. vita vivet, & non morietur*: & quia vix quisque sibi de proprio fidit judicio; ne anxii semper essemus, dubitantes de vera pœnitentia à nobis peracta; ut Dominus huic nostræ occurreret perplexitati, propelleret anxietatem; pœnitentiæ Sacramentum instituit, ut auditâ à Sacerdote sententiâ absolutionis, firmius consideremus esse nobis peccata remissa ob fidem virtuti Sacramentorum præstandam: cùm ex Scripturis constet Christum huic pœnitentiæ Sacramento virtutem indidisse remittendi peccata Matth. 18. *Quæcunque solveritis super terram erunt soluta, & in cælo*, meritò confidimus esse nobis peccata remissa virtute hujus Sacramenti, cùm Deus non possit falli in suis verbis, nec nos fallere. Verba enim absolutionis censenda sunt prolata à Christo per suum ministrum legitimè absolventem: sicut Christus dixit Paralytico, Matth. 9. 2. *Confide fili remittuntur peccata tua*: ita eadem & nos fiducia freti ad hoc pœnitentiæ accederemus Sacramentum, ut ritè confessi, ac pœnitentes crederemus nobis remissa esse peccata. Altera ratio est, quia cùm non possimus salutem consequi nisi per Christi passionem, nobis utilissimum fuit hoc pœnitentiæ Sacramentum institui, cujus virtute, ac efficientiâ Christi Sanguis ad nos defluens post Baptismum peccata, quæ patravimus, deleat, & Christo reconciliaremur: *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo.* Videant nunc Sectarii si Sacræ Scripturæ sint possessores, cùm eas in sensus detorqueant veritati derogantes, vel mutilent, aut negent: Videant si rectus Sacramentorum usus apud ipsos vigeat, cùm Sacramenta ipsa inficientur, negéntque.

Eucharistiæ Sacramento etiam abutuntur novatores, docentes sub Eucharisticis speciebus, vel perseverare substantiam panis, ut Lutherani; vel communicantes figuram tantùm sumere corporis Christi, non verum, & reale corpus ut Calvinistæ. Certum est enim ex duplici potissimum causa institutum fuisse à Christo Eucharistiæ Sacramentum. Primò ut sit perennis quædam memoria, & annuntiatio mortis, & Crucis JESU Christi ac illius Sacrificii, quod in Ara Crucis voluit immolari, ut nos à servitute peccati, ac æternâ damnatione liberaret. Secundò ut cibo & potu nos reficeret, virésque animæ contra hostium assultus corroboraret. Primam hujus Sacramenti proprietatem Acatholici inficiantur, quin veluti idololatriæ Sacrilegium damnant, & expunctam volunt. Cùm tamen hujus Sacrificii modus & ritus ex ipso Apostolorum prodierit ore, & per eorundem discipulos successivè semper viguerit in Ecclesiis. Et licèt Sectarii communicantes utantur utrâque specie, non tamen se reficiunt, quia non sumunt Corpus, & Sanguinem Christi, cujus tantùm figuram credunt Calvinistæ à se sumi, & alii Sectarii veris, ac legitimis careant Sacerdotibus, à quibus tantùm uti à Ministris Christi vera fit Consecratio. Nil ipsis prodest utrâque specie uti, cùm corporis, & Sanguinis Christi destituantur refectione, careántque re hujus Sacramenti. Non est igitur apud ipsos rectus Sacramentorum usus; sed pertinacissimæ contumaciæ scelus; cùm detrectent Apostolis, eorúmque discipulis, SS. Patribus, & Ecclesiæ Catholicæ obedire, & præferant suas particulares, falsásque opiniones, tot Conciliis Œcumenicis sub primis Ecclesiæ sæculis celebratis, quibus doctrina JESU Christi explicata fuit juxta sensum Apostolorum, qui immediatè eam à Magistro Christo acceperunt. Ergone Apostoli, Concilia, SS. Patres, qui singulis sæculis floruerunt sanctitate, & doctrinâ, & Ecclesia universa Ecclesia Catholica crassissimè, ac lucidè semper erravit circa Sacramenta à Christo instituta, ejúsque doctrinam suis traditam discipulis, & ab ipsis successivè aliis in Ecclesia usque ad id temporis; & soli Novatores, Lutherus, Calvinus, Zuinglius & alii hujusmodi homines, quos scimus morum corruptione vitiis indulsisse ac virtutum studia longiùs abegisse, veritatem docent circa Christi doctrinam, ac instituta Sacramenta? quis prudens poterit id sibi persuadere? Quis sanæ mentis asserat Lutherum & Calvinum veros doctrinæ Christi magistros, & omnes SS. Patres deceptos? Nonne id perinde esset; ac tenebras lucem adstruere, & diem meridiano jubare corruscum, lucidam esse noctem illunem tetra obcæcatam caligine?

Quod ad Sacramentum attinet Ordinis, certum est, sacrum ordinem in Ecclesia esse Sacramentum, quo potestas aliqua spiritualis traditur ordinato, sive ad sacrosanctum Christi Corpus consecrandum, sive ad alias functiones, & ministeria Ecclesiastica obeunda. Hunc sacrum Ordinem in Ecclesia Catholica verum esse Sacramentum; ex eo probatur est facilè, quia illi competit vera, ac germana Sacramenti definitio; est enim signum efficax rei sacræ, seu signum sensibile, ac visibile invisibilis gratiæ: signum visibile in hoc Sacramento est manûs impositio, & certorum instrumentorum contactus; quod visibile signum, seu elementum accedentibus verbis fit Sacramentum, quo confertur invisibilis gratia, cujus beneficio ordinatus charactere signatur spirituali, & potestate consecrandi Christi Corpus in Eucharistia, ac reliqua Sacramenta ritè ministrandi. Hunc sacrum in Ecclesia ordinem conferre gratiam docet Apostolus 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est; quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii* seu Episcopi qui te mecum inauguravit ut interpretatur S. Joan. Chrysostomus. Imò D. Paulus hanc eandem veritatem altiùs impressurus menti Timothei subdit. *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Qualis sit hæc gratia, postea explicat inquiens: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris; sed virtutis, & dilectionis; & sobrietatis*: Quæ verba significant internam, & occultam Spiritus Sancti subministrationem, gratiámque collatam in ordinatione, ut explicat Tridentina Synodus Sess. 23. Cap. 3. Ad hanc eandem gratiam

refer-

refertur, quod Christus dixit Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum*. Per sacri Ordinis collationem cùm detur potestas sacri Ordinis exequendi, etiam additur gratia, quâ ordinatus ad sacram illam functionem ritè obeundam præparetur, ac instituatur. Rursus hanc gratiam pertinere ad hominis sanctificationem, ex eo liquet, quia Spiritus Sanctus omnis sanctificationis est author, ut explicat S. Cyrillus lib. 12. in Joan. Si dicas gratiam collatam Timotheo fuisse gratiam Prophetiæ, quæ à gratia distinguitur sanctificante. Contra est, quia gratia collata Timotheo, non ait Apostolus, esse gratiam Prophetiæ, sed per Prophetiam, hoc est secundùm præcedentem de illo Prophetiam, de quo explicatiùs dixerat Cap. 1. *Hoc præceptum commendo tibi, Fili Timothee secundùm præcedentes in te Prophetias, ut milites in illis bonam militiam*: Scilicet secundùm revelationem prius factam, quâ indicatum fuerat fore Timotheum Ecclesiæ utilem Sacerdotem, & Episcopum esse inaugurandum. Hisce textibus adactus fuit Calvinus fateri Ordinem sacrum in Ecclesia verum esse Sacramentum, quamvis pluries id antea negâsset: postea vult haberi excusatum, si in Sacramentorum Cathalogo Ordinem sacrum non posuerit, eò quia non sit Sacramentum omnibus Christianis commune, sed paucis tantùm qui sacris initiantur Ordinibus. Liquet igitur ex sacris Scripturis, Apostolicâ traditione, & unanimi Patrum consensu sacrum in Ecclesia Ordinem verum esse Sacramentum, quamvis ex Novatoribus plures id negent, qui falsitatis convincuntur à S. Augustino *lib.* 2. *contra epistolam Parmeniani* cap. 13. ubi Sacramentum Ordinationis ita comparat cum Sacramento Baptismi, ut utrumque Sacramentum esse demonstret, & quâdam Consecratione homini dari asserat, illud, cùm homo sacra Baptismi aquâ abluitur; Istud cùm ordinatur; & ait neutrum esse iterandum, ne injuria fiat Sacramento: Legatur D. Augustinus loc. cit. Mihi sufficit adferre definitionem Tridentinæ Synodi Sess. 23. Cap. 3. Can. 3. *Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo institutum: vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum Ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quemdam eligendi Ministros verbi DEI, & Sacramentorum, anathema sit.*

Extremam itidem Unctionem verum in Ecclesia esse Sacramentum, liquet ex sacris Scripturis Jacob. 5. ubi Apostolus Jacobus explicans legem hujus Sacramenti ait; *Infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio Fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & si in peccatis sit remittentur ei*: Ex quibus verbis perspicuè apparet extremam Unctionem in militante Ecclesia esse verum Sacramentum; quia hoc est signum sensibile perpetuum vim habens delendi peccata, & gratiam sanctificantem conferendi; & ex verbis Apostoli Jacobi constat, extremam unctionem esse signum sensibile perpetuum vim habens conferendi gratiam sanctificantem. Signum sensibile habetur cum oleo, & unctione, prænscriptâ verborum formâ inungitur infirmus; adeo ut oleum, & unctio sint materia, & verba forma hujus Sacramenti. Neque hoc Sacramentum, seu, ut loquuntur Acatholici, ritus ungendi infirmos, duobus tantùm primis sæculis viguit in Ecclesia. Nam ex SS. Patribus, & Ecclesiasticis historiis claret, hoc sacramentum à tempore Apostolorum ad novum usque tempus semper fuisse in usu. Vim conferendi gratiam sanctificantem in hoc sacramento ostendit D. Jacobus ex eo quòd juncta extrema unctio orationi remittit peccata: Jacob. c. 5. *Ungentes eum oleo (seu infirmum) in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini. multum enim valet deprecatio justi assidua.* Quamvis Apostoli, eorum Discipuli, & successivè SS. Patres per singula sæcula docuerint extremam unctionem verum esse sacramentum, Sectarii nihilominus more Simiarum imitati veteres Gnosticos maluerunt hoc sacramentum è cathalogo sacramentorum expungere, quàm Apostolis, SS. Patribus, sacræ scripturæ, & Ecclesiæ pluries in Conciliis congregatæ assentiri. Licèt SS. PP. summis laudibus hoc extremæ Unctionis sacramentum exceperint, ac commendaverint; Novatores rident, pravisque interpretationibus sacras pervertunt scripturas, & SS. Patrum corrumpunt effata, negántque Confirmationem, Ordinem, & extremam Unctionem nullibi in scripturis vocari sacramenta; quasi sit purum nomen, quod sacramentum constituit; & non essentia. Mirum tamen, quòd eorum plures fateantur Baptismum, & Eucharistiam vera esse sacramenta, quamvis nullibi in scripturis sacris legatur expressè esse sacramenta: quòd si Baptismum, & Eucharistiam vera dicunt sacramenta esse; eò quia Apostoli, eorum discipuli, & SS. Patres semper docuerint vera esse sacramenta: cur idem non asserunt de reliquis sacramentis, cùm Apostoli eorum Discipuli, & communiter SS. Patres docuerint septenarium sacramentorum numerum? Si sequuntur judicium Ecclesiæ de aliquibus, cur non de omnibus? cùm sit Ecclesia columna veritatis, & ob assistentiam Spiritûs Sancti non possit falsum docere fideles?

Mirum etiam quòd sectarii è cathalogo sacramentorum expungant matrimonium, quod ab Apostolo Paulo expressè vocatur sacramentum & quidem magnum, Ad Ephes. 5. *Viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua: qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, & fovet eam; sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis ejus de carne ejus, & de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo Patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Quòd verò Apostolus dicat *Sacramentum magnum est*; non ad ipsam Christi, & Ecclesiæ conjunctionem est referendum, sed ad ipsum matrimonium seu conjunctionem viri cum sua uxore, & sensus sit; quòd viri, & mulieris conjunctio, cujus Deus est Author, sanctissimi illius vinculi, quo Christus cum Ecclesia conjungitur, sit symbolum; & propterea sacramentum, seu sacrum signum; vel signum sensibile, cui vis indita à DEO fuit causandi gratiam. Pronomen enim *hoc* refertur ad id quod proximè præcesserat de humano conjugio, de quo præcipuè agebatur ab Apostolo in præcitato loco; idque declarat etiam textus Græcus, ubi non legitur *in Christo, & in Ecclesia*: sed *in Christum, & in Ecclesiam*, ex quo liquet Christum, & Ecclesiam esse terminum significationis illius mysticæ; adeo ut matrimonium sit symbolum, vel mysterium, cujus significatio refertur ad Christum, & Ecclesiam.

Hinc matrimonium verum esse novæ legis sacramentum, docuerunt unanimes semper SS. Patres. Et Lucius III. cap. ad abolendam extra de Hæreticis, matrimonium inter cætera Ecclesiæ sacramenta enumerat, & perpetuo anathemate eos innodat, *Qui de sacramento Corporis, & sanguinis Domini Jesu Christi,* vel

vel de baptismate seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire, aut docere non metuunt, quàm sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, & observat. Dupliciter potest matrimonium spectari. Primò ut est officium naturæ: ac definitur *viri & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas individuā vitæ consuetudinem retinens.* Maritalis conjunctio comprehendit consensum internum, & pactio externa verbis expressa ab utroque conjuge, copulam, qua matrimonium consummatur: nil tamen horum vim matrimonii propriè habet nisi obligatio illa, seu nexus, qui significatur vocabulo conjunctionis: unde dicitur *maritalis conjunctio*, quâ vir & mulier simul obligantur, ad simul convivendum. Additur inter legitimas personas: quia exclusi à lege, seu naturali ut pueri, eunuchi, frigidi, & in primo gradu consanguinitatis: seu positiva, ut consanguinei in secundo, tertio, & quarto gradu vel ex alio impedimento matrimonium validè non contrahunt. Dicitur *viri, & mulieris* ad excludendam Polygamiam, in lege veteri Judæis permissam. Adduntur postremæ particulæ *individuam vitæ societatem retinens*: quia matrimonium est vinculum indissolubile, quo vir & uxor inseparabiliter conjunguntur: in hoc enim vinculo vis matrimonii consistit: quapropter solet etiam definiri matrimonium *contractus legitimus maris, & fæmina ad simul convivendum, & ad prolis generationem:* adeò ut consensus sit causa effectrix matrimonii, ut explicat Eugenius IV. in Decreto unionis Armenorum post Concilium Florentinum edito: ratio est, quia consensus, ac pactio sunt actus se habentes per modum fluxus, sunt enim actus transitorii, & matrimonium se habet per modum permanentis, quamdiu vir, & fœmina vixerint; unde matrimonium formaliter consistit in obligatione, vinculo, & mutuo nexu, qui ex consensu interno, & pactione externa inter virum, & mulierem oritur: hæc enim obligatio est, quæ remanet, quamdiu vir & mulier vixerint.

Secundò definitur matrimonium, ut est Sacramentum *signum sensibile conjunctionis Christi cum ecclesia à Christo institutum promissionem habens gratiæ, personas legitimè conjunctas ad individuam* vitæ societatem unientis. Christus enim strictissimam significaturus necessitudinem, quâ ecclesiæ adnectitur, & suæ erga nos immensæ charitatis signum aliquod certum daturus, hujus mysterii divinitatem hac sancta conjunctione matrimoniali, qua mas & fœmina simul copulantur, declaravit. Cùm ex humanis necessitudinibus nulla sit vinculo matrimonii strictior; hæc ut nobis significaretur, adferunt Sacræ Scripturæ similitudinem unionis Christi cum ecclesia; quia sicut Christus charitate, & benevolentia conjungitur ecclesiæ suæ sponsæ, quam amore prosequitur, ac beneficiis cumulat; ita conjuges debent charitate, & benevolentia uniri. Quòd vero huic Sacramento matrimonii vis insit conferendi gratiam, evincitur ex illo Matth. 19. *Quòd ergo Deus conjunxit, homo non separet*, ad unius significationem benedixit nuptiis, quas & primò ex suis miraculis illustravit, cùm in Cana Galilææ iisdem interfuit, & deficiente vino, aquam in vinum convertit generosum, quo sponsi participes fierent hujus beneficii, seu gratiæ iisdem impertitæ, ut observavit S. Cyrillus lib. 2. in Joan. inquiens: *Ut nativitatis nostra principium, quantum ad carnem attinet, hoc est, matrimonium sanctificaret. Oportebat certè quoniam totam hominis naturam ad melius restaurabat; non solum natis jam hominibus benedicere; verùm etiam nascituris gratiam præparare: & aditum illorum ad hanc vitam authoritate miraculi, & præsentia sua Sanctum efficere. Præterea in doloribus parere filios, ad mulierem propter peccatum dictum fuit: quomodo igitur aliter depellenda erat hæc maledictio, ne condemnata videretur Nuptiarum Sanctimonia, quam Salvatoris præsentiâ, qui cùm sit verum gaudium priscum nuptiarum mærorem præsentia sua depulit. Nascituris gratia præparatur, quando matrimonium quod est aditus ad hanc vitam, benedicitur.*

Non igitur sectarii glorientur à se possideri sacras Scripturas, cùm has mutilent, deleant, vel corrumpant, ac in sensus detorqueant à veritate prorsus alienos. Quomodo ab ipsis servantur indemnes, ac in propria puritate, si ipsas erroribus inficiunt, si fœdè deturpant; si pertinaciter eas negant, si suis videantur erroribus favere. Quomodo possunt de recto gloriari sacramentorum usu; si ipsa sacramenta è catalogo expungunt sacramentorum? Quomodo se jactant veram Jesu Christi Ecclesiam in terris fundatam apud ipsos florere, ejusque notas, ac proprietates esse possessam à se sacram Scripturam, ac rectum Sacramentorum usum, si hæc inficiantur, & illam mutilant, corrumpunt, ac destruunt? Dicunt Scripturas interdum esse captu difficiles, ac propterea variè, ac diversimodè explicari. Sed si captu sunt difficiles, cur non audiunt Ecclesiam Catholicam per totum orbem diffusam in conciliis congregatam, è cathedra docentem? hæc enim ob sibi promissam in sacris Scripturis assistentiam Spiritus Sancti non est erroribus obnoxia. Hinc Moses Deuter. 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus.* Asserit Moses controversias ortas in populo Dei dijudicandas esse ex lege Domini, juxta judicium eorum qui populo præsunt in spiritualibus, cujusmodi sunt concilia œcumenica coacta ex pastoribus ecclesiarum particularium cum suo capite sive summo Pontifice, & præsertim Romanus Pontifex docens ex cathedra. Respondent Sectarii Scripturas captu difficiles esse intelligendas juxta particulares revelationes sibi à Spiritu sancto indicatas. Sed quomodo sciunt eos edoceri à Spiritu Sancto? Privata Spiritus Sancti revelatio, quamvis certa sit in se, nobis tamen nota esse non potest, nisi per divina testimonia, vel per miracula, quæ nobis confirment talem revelationem. Præterea videtur sectariis captu difficile in Euchristia sub speciebus panis, ac vini esse verum, & reale corpus, & sanguinem JESU Christi; Calvinus negat esse verum Christi corpus, sed tantùm figuram; Lutherus affirmat in ipso actu manducationis; quod igitur hic affirmat, alius negat; & ex duobus contradictoriis si unum est verum, necesse est, aliud esse falsum: ergo si æquè Calvinus ac Lutherus privata Spiritus Sancti revelatione movetur ad proprio asserto assentiendum; sequitur manifestè ab ipsis fieri Spiritum sanctum mendacii magistrum: quod absit. Quis fidem mihi faciat non mentiri Anabaptistam, cùm se à Spiritu sancto afflatum dicit, ut hoc vel illud faciat: quanam via possum dignoscere moveri à Spiritu lucis, & non potius ab illo tenebrarum?

CAPUT

CAPUT XI.

Donantur explicatu veræ militantis Ecclesiæ notæ & has soli Romanæ Ecclesiæ convenire ostenditur & primò explicatur Unitas.

HActenus rejecimus notas seu proprietates à Sectariis tributas ecclesiæ; supersunt nunc expendendæ veræ notæ ex quibus evincamus solam Romanam ecclesiam esse, quæ à Jesu Christo instituta, ac fundata in terris fuit, cùm Petrum suum discipulum alloquens dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*: ex quibus verbis inferimus; solam illam congregationem, seu cœtum hominum, qui D. Petro, ejusque successoribus legitimè electis seu Romano Pontifici pro tempore existenti subjicitur, & paret, esse veram Christi ecclesiam, cùm enim Petrus esset brevi moriturus, & Christi ecclesia perpetuò duratura, non solam Petri personam constituit suæ ecclesiæ militantis vicarium, sed etiam ejus legitimos successores, seu quemlibet Romanum Pontificem legitimè electum; adeò ut cùm dixit & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam; non significaverit personam, sed dignitatem Petri, id est, summum in terris Pontificatum. Etenim illa sola hominum congregatio est ecclesia Jesu Christi in terris fundata, cui conveniunt proprietates, & notæ Ecclesiæ à Christo fundatæ, hæ autem notæ soli competunt Ecclesiæ Romanæ: quia hæc sola est una, & sancta, & catholica, & Apostolica, & rectissimè ordinata, & visibilis; seu hominum aspectui perpetuò exposita. Ille autem solus hominum cœtus qui in regimine spirituali subjicitur, ac paret Romano Pontifici, seu sola ecclesia Romana est una, sancta, catholica, Apostolica, rectissimè ordinata, & visibilis cumulativè, ut ex præcedentibus liquet: & ex dicendis clarius constabit: ergo sola Romana ecclesia est vera ecclesia à Jesu Christo in terris instituta, & fundata.

Si dicas ecclesiam Jesu Christi esse cœtum hominum baptizatorum, cùm Christus homines in suam congregaturus ecclesiam jusserit suos discipulos peregrè proficisci per varias mundi partes; ut baptizarent Gentes in nomine individuæ Trinitatis. Contra est, quia hæc definitio tantùm indicat essentiam ecclesiæ Christianæ seu eorum, qui Christi Evangelium suscipiunt, & per baptismum regenerantur; sed quia ex istis adhuc plures Christo non credunt in omnibus, quæ dixit, ac docuit; ideo veræ Ecclesiæ fiunt desertores, & transfugæ, transeuntes ad alios hominum cœtus; unde ut veram assignes ecclesiam à Christo fundatam, non sufficit indicare cœtum baptizatorum; sed debent indicari accidentia; quæ sint proprietates veræ ecclesiæ; cui soli conveniant saltem cumulativè, alioquin per hujusmodi accidentia non posset dignosci vera ecclesia ut distincta à falsis. Rursus debent hæc accidentia esse cognitu facilia; imò & clariora ipsa re, cujus sunt notæ, seu proprietates, adeo ut qualis hominum baptizatorum cœtus hic, vel ille sit ecclesia à JESU Christo in terris instituta, & fundata, nobis innotescat per has notas seu proprietates, quæ secundùm certissimas scripturas illi competant in eo statu, in quo debuit existere post disseminationem evangelii factam ab Apostolis, ac eorum discipulis, quo tempore floruit ecclesia in pluribus mundi partibus. Neque enim est necesse ut illico in ipso suo ortu, seu in primâ infantia habuerit omnes has notas; siquidem ante prædicationem Evangelii non diffundebatur per singulas mundi partes; sed coarctata paucis in locis & personis effloruit, & per prodigia; ac signa visibilia, seu miracula seipsam manifestavit; hanc tunc notam miraculorum authut Deus assignavit Matt. 16. *Eos qui crediderint; hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis serpentes tollent &c.* Hæc autem miraculorum frequentia non videtur nunc in ecclesiis fieri; sed aliqua semper Deus per suos famulos ut ministros operetur miracula; quibus eorum sanctitas approbetur. Quamobrem præter miraculorum patrationem; nunc assignantur aliæ notæ, ac proprietates, quibus vera ecclesia à Jesu Christo in terris fundata dignoscitur, & à falsis distinguitur. Suntque hujusmodi notæ, seu proprietates sex scilicet ut sit *una, catholica, sancta, Apostolica, rectè ordinata, & visibilis.* Quamvis in Ecclesia ut loquitur Irenæus lib. 2. cap. 4. *cælestis doctrina veritas custodiatur*: sitque ecclesia depositoria sacrarum Scripturarum. Non tamen universam doctrinæ fidei veritatem, neque verum Sacramentorum usum inter ecclesiæ notas recensemus, ut fusè contra sectarios ostendimus in præcedentibus. Sunt enim notæ ecclesiæ non temerè juxta cujusvis arbitrium fingendæ, vel assignandæ, sed desumendæ ex sacro symbolo Apostolorum, in quo continentur: est hoc symbolum, in quo ut in incorrupto fidei nostræ compendio comprenduntur duodecim fidei nostræ catholicæ articuli; sitque propterea Christiani populi per totum orbem diffusi tessera. In hoc enim symbolo post unius Trini Dei confessionem; post recensitam Christi nativitatem, passionem, mortem, & resurrectionem nobis proponitur credenda ecclesia, ut tutissimus nostræ salutis portus, ejusque notæ seu proprietates significantur, ut quæ & qualis sit, cognosci, & à falsis, fucatisque distingui possit: adeout non sufficiat, nos qualemcunque ecclesiam credere: sed necesse sit eam ipsam credamus; qualis ab ipsis Apostolis; virisque Apostolicis; qui à Spiritu Sancto acti, & edocti sunt, nobis proponitur credenda.

Prima igitur nota veræ ecclesiæ in sacro symbolo Apostolorum est, ut sit una, & hanc notionem profitemur edocti à Spiritu Sancto Cant. 6. *Una est columba mea, perfecta mea: una est matri sua, electa genetrici sua: viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicaverunt, & Reginæ laudaverunt eam.* Hanc Ecclesiam Christus Joan. 10. vocat *unum ovile*, & D. Paulus ad Ephes. 1. *Et ipsum dedit caput suprà omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius*, vocat ecclesiam unum corpus mysticum, seu cœtum hominum catholicorum, à quo excluduntur hæretici, schismatici, & Ethnici, qui per baptismi januam non fuerunt ecclesiam ingressi; unde S. Cyprianus *lib. de unitate ecclesiæ*, ait; Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur: quomodo Solis radii multi, sed lumen unum, Rami arboris multi; sed robur unum tenaci radice fundatum: Et cùm de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licèt diffusa videatur exundantis, copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine: Avelle radi-

radium solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, & fructus germinare non poterit: à fonte præcide vivum, præcisus arescet; sic & Ecclesia Domini luce perfusa per urbem totum radios suos porrigit: unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur; nec unitas corporis separatur: ramos suos in universam terram copiâ ubertatis extendit: profluentes largiter rivos latius expandit; unum tamen caput est, & origu una & una mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, Spiritu ejus animamur. Adulterari non potest, Sponsa Christi incorrupta est, & pudica; Unam domum novit, unitis cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo servat, hæc filios regno, quos generavit assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est. Hactenus Cyprianus de unitate Ecclesiæ. Hanc eandem Ecclesiæ unitatem asseruerunt SS. Patres præsertim Augustinus, qui integrum librum de unitate Ecclesiæ eleganter scripsit; Hieronymus, Ambrosius, & alii, qui plures da unitara Ecclesiæ lucubrationes ediderunt.

Hæc autem notio unitatis qua sola ecclesia, seu cœtus hominum qui Romano Pontifici subjiciuntur, & parent, dicitur una, potissimum consistit in doctrinæ fidei consensione, quatenus sola ecclesia Romana à tempore Apustulorum una ac eadem semper fuit in consensione doctrinæ fidei; quam à suo Pastore seu Romano Pontifice docente ex Cathedra populi accipiunt; hæcque doctrina una semper fuit, ac eadem, quam magister Christus suos edocuit Discipulos, à quibus in successores derivavit ad nostra usque tempora, eritque perseveratura usque ad finem mundi in ecclesia Romana quæ propterea fuit semper, est & erit una, quatenus semper docuit, docet, et docebit unam eandemque fidei doctrinam in ipsa à Christo, & Apostolis derivatam. Sola enim ecclesia Romana unum supremum in terris pastorem cognoscit, à quo hanc doctrinæ fidei unitatem addiscit; est enim ecclesia Romana ut eam definit S. Cyprianus lib. 4. epist. 10. ad Florent. *Plebs sacerdoti adunata, ac pastori sua grex adhærens.* Et quia facile est in ecclesia cognoscere quid summus Pastor, seu Romanus Pontifex è cathedra doceat circa fidei doctrinam; perinde facillimum est ecclesiæ retinere unum eundemque consensum circa doctrinam fidei. Sectarii verò quia explicationem doctrinæ fidei non committunt uni certæ authoritati veluti ex divina assistentia infallibili; sed unicuique scripturam solam ut unicam, & sufficientem fidei regulam proponunt, necesse est, in tot ferè diversas sententias circa doctrinam fidei dividantur, quot sunt capita; hæcque ratio cur hæretici in tot multiplicentur, ac dividantur sectas inter se pugnantes contrarietate: siquidem nil proclivius est hominibus præsertim imperitis quàm varias ac oppositas de sacra scriptura, quam solam sibi sequendam proponunt, opiniones invehere: quinimo intra eandem sectam diversimode sentiunt de sensu sacræ scripturæ hæretici, & defectu Authoritatis docentis unam & eandem à Christo, & Apostolis traditam doctrinam fidei.

Sola igitur ecclesia Romana semper una fuit, est, ac erit, quatenus unum semper & idem de rebus fidei sensit: quos enim sensus accepit ab initio circa doctrinam fidei, eosdem semper constanter servavit, servit, & erit servatura. propterea ipsa sola est una quæ semel à Christo, Apostolis, & eorum successivè discipulis, ac SS. Patribus doctrina fidei imbuta eandem semper conservat, ac tuetur, nec unquam mutavit, non enim unquam more parvulorum fluctuavit, neque vento doctrinæ visa est in diversa circumferri; sicut hæretici circumferuntur per diversos doctrinarum errores; qui cum puris innitantur scripturis quarum legitimos sensus minimè percipiunt, & quisque proprio sensu velit eas esse intelligendas, ne videatur ingenio aliis cedere necessum fuit ut plures orirentur dissensiones, plures sententiæ, etiam in una & eadem secta: addo ut de secta donatistarum dicat D. Augustinus lib. 1. de Baptis. contra donatistas cap. 6. *in minutissima frusta concissam fuisse* quatenus Donatistæ in plures abierint sententias, quasi quot capita, tot diversi scripturarum sensus. Quod de aliis Hæreticis asserit Tertullianus *lib. de Præscipt.* ubi ait: *Variant enim hæretici inter se, dum unusquisque pro suo arbitrio modulatur quod accepit; quemadmodum ea pro arbitrio composuit ille, qui tradidit. Quare idem licuit Valentinianis, quod Valentino; Marcionistis quod Marciani de arbitrio sua fidem innovare. Denique inspecta omnes hæreses in multis cum authoribus suis dissentientes deprehenduntur.* Secus in Ecclesia Romana eandem fidei doctrinam, qua semel à Christo Apostolis, eorumque discipulis imbuta fuit; indemnem custodivit; inviatiatam servavit, & incorruptam contra sectarios propugnavit; en quia summo Pontifici legitimè electo, cui docenti ex cathedra infallibilitas doctrinæ inest, ob specialem assistantiam Spiritus Sancti promissam in scripturis, qua de causa definita fuit Ecclesia Romana à S. Cypriano *Plebs Sacerdoti adunata, & grex Pastori suo adhærens* quem cùm audit ex cathedra docentem, unitatem retinet doctrinæ fidei; sive enim Ecclesia proficiat, ac dilatetur per diversas mundi partes; siva in una provincia incipiat oriri in germine, in alia adolescat in herba; in alia flavescat ad maturitatem; semper unum ac idem est frumentum, quod satum incrementum subivit: profecit quidem Ecclesia; propagata fuit sed una semper ac eadem fuit fidei doctrina, non permutatiu. Huc accersendus à primis Ecclesiæ sæculis Vincentius Lirinensis ubi cap. 28. expendens hanc Ecclesiæ Romanæ unitatem ait: Ad profectum pertinet, ut in se ipsa unaquæque res amplificetur, ad permutationem verò, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet, & multum proficiat, tam singulorum, quàm omnium, tam unius hominis, quàm totius Ecclesiæ, ætatum & sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum, quæ, licèt annorum processu numeros suos evolvant, & explicent; eadem tamen, quæ erant, permanent. Multum interest inter pueritiæ florem, & senectutis maturitatem; sed iidem tamen ipsi fiunt senes, qui fuerant adolescentes; ut quamvis ejusdem hominis status habitusque mutetur, una tamen, ac eadem natura, una, eademque persona sit. Parva lactentium membra, magna juvenum, eadem ipsa sunt tamen. Quot parvulorum artus, tot virorum; & si qua illa sunt, quæ ævi maturitate pariuntur; jam in seminis ratione præfata, ut nihil novum postea proferatur in senibus quod non in pueris jam antea latitaverit. Unde non dubium est, hanc esse legitimam, & rectam proficiendi regulam; hunc ratum, ac pulcherrimum crescendi ordinem; si eas semper in grandioribus partes, & formas, numerus detexat ætatis, quas in parvulis Creatoris sapientia præformaverat. Quòd si humana species in aliquam-

aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem, aut certè addatur quippiam membrorum numero, vel detrahatur, necesse est, ut & totum corpus vel intercidat, vel prodigiosum fiat, vel certè debilitetur. Ita etiam Christianæ Religionis dogma, sequatur has decet profectuum leges; ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate: incorruptum tamen, illibatumque permaneat, & universis partium suarum mensuris, cunctisque quasi membris ac sensibus propriis plenum, atque perfectum sit: quod nihil prætetea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam sustineat definitionis varietatem: Exempli gratia: seminârunt majores nostri antiquitus in hac Ecclesiastica segete triticeæ fidei semina: iniquum valde, & incongruum est, ut nos eorum posteri pro germana veritate frumenti subdititium Zizaniæ eligamus errorem. Quin potius hoc rectum, & consequens est, ut primis, atque extremis sibimet discrepantibus, de incrementis triticeæ institutionis, triticei quoque dogmatis frugem demetamus: ut cùm aliquid ex illis seminum primitiis accessu temporis evolvatur, & nunc lætetur, & excolatur, nihil tamen de germinis proprietate mutetur: addatur licèt forma, Species, distinctio; eadem tamen cujusque generis natura permaneat, Absit enim, ut rosea illa Catholici sensus plantaria in carduos spinasque vertantur. Absit inquam, ut in isto spirituali paradyso de cynamoni, & balsami surculis, Lolium repente, atque aconita proveniat. Quodcunque igitur in hac Ecclesia, DEI agricultura, fide patrum satum est; idem filiorum industria decet ut excolatur, & observetur; hoc idem floreat, & maturescat: hoc idem proficiat, & perficiatur. Fas est enim, ut prisca illa cœlestis Philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur: sed nefas est, ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licèt evidentiam, lucem distinctionem; sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem. Nam si semel admissa fuerit hæc impiæ fraudis licentia, horreo dicere, quantum excidendæ atque abolendæ religionis periculum consequatur. Abdicata enim qualibet parte Catholici dogmatis, alia quoque, atque item alia, ac deinceps alia, & alia jam quasi ex more, & licito abdicabuntur, Porro autem singulatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut totum pariter repudietur? sed è contra, si novitia veteribus; extranea domesticis, & profana sacratis admisceri cœperint, proserpat hic mos in universum necessum est; ut nihil posthac apud Ecclesiam relinquatur intactum, nihil illabatum, nihil integrum nihil immaculatum; sed sit ibidem deinceps, impiorum, ac turpium errorum lupanar, ubi erat antea castæ, & incorruptæ sacrarium veritatis. Sed avertat hoc à suorum mentibus nefas divina pietas, sitque hoc potius impiorum furor. Christi verò Ecclesia, sedula, & cauta depositorum apud se custos, nihil in iis unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena; sed omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter, sapienterque tractando, si quà sunt illa antiquitus informata, & inchoata, accuret, ut poliat: si qua jam expressa, & enucleata consolidet, firmet: si qua jam confirmata, & definita custodiat. Denique quid unquam aliud Conciliorum decretis enisa est; nisi ut quod antea simpliciter credebatur hoc idem postea diligentius crederetur? quod antea lentius prædicabatur, hoc idem postea instantius prædicaretur? quod antea securius colebatur, hoc idem postea felicius excoleretur? Hoc inquam semper, neq; quicquam præterea hæreticorum novitatibus excitata, conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi ut quod priùs à majoribus sola traditione susceperat; hoc deinde posteris etiam per scripturæ chirographum consignaret, magnam rerum summam paucis literis comprehendendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem, non novum fidei sensum novæ appellationis proprietate signando. Hactenus Lirinensis.

Germinavit parvula suis sub initiis, veluti in cunabulis ecclesia, viruit in terris sata, adolevit incrementis roborata, crevit profecit propagata per singolas propemodum mundi provincias; nusquam tamen in aliam permutata se ipsam destruxit, nec more viperarum suos parturiens fœtus se ipsam interemit; sed una semper, et eadem in se, suisque filiis, ac successoribus perseveravit, illibata incorrupta; neque quidquam unquam adversum doctrinis, vel dogmatibus, quæ in primis suis cunabulis hausit à Christo suo Institutore, vel ebibit ab Apostolis, eorumque discipulis asseruit, vel docuit: sed una semper, & eadem quoad fidei doctrinam fuit si parvula germinaret in cunis, si grandior viveret in adolescentia, sive adultior maturesceret ætate provectior: nec unquam pro pisce serpentem; pro pane lapidem, pro ovo scorpionem porrexit; sed unam eandemque quovis tempore simplicem, ac sinceram fidei doctrinam, quam à Christo, & Apostolis didicit contra tyrannorum minas, Carnificum gladios, persecutionum procellas, & mortem ipsam millenis armatam tormentis asseruit, docuit, propugnavit; quin imò proprio irrigata sanguine efflotuit vegetior; crevit robustior, seque propagavit diffusior. Una igitur semper fuit, eritque ecclesia Romana non nomine tantum, non natura, & numero hominum, sed doctrina fidei, sensu, dogmate, ac iisdem rerum speciebus omnibus, quibus à primævo suo exordio imbuta fuit. Hinc S. Clemens Alexandrinus lib. 8. ait: *Una verè est ecclesia antiqua, in cujus cathalogum referuntur ii, qui sunt justi secundùm propositum* Lactantius lib. 4. divin. Instit. cap. 30. *Cum Phryges, aut Novitiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, aut Antropiani, seu quilibet alii nominantur, Christiani esse desinunt, qui Christi nomine amisso humana, & externa vocabula induerunt. Sola igitur ecclesia catholica est, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis. Hoc est domicilium fidei. Hoc templum Dei, quod si quis non intraverit, vel à quo si quis exierit, à spe vitæ, ac salutis æternæ alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione oblandiri,* Optatus Milevitanus lib. 3. ait. *Domus Dei una est, qui foras exeuntes partem facere voluerunt, parietem fecerunt, non domum; quia non est alter Deus, qui alteram domum inhabitet.* Studuerunt pluries sectarii hanc ab ipsis discissam, ac laceratam Ecclesiæ unitatem aliquo pacto in suis Synodis resarcire, ut tandem pacem cum Catholicis promoverent; sed eam voluerunt pacem inire, qualem legimus quondam inter Caipham, Pilatum, & Herodem compositam fuisse ad per breve tempus ad interficiendum Christum. Non sufficit quamcunque invehere unitatem; sed talis esse debet unitas, quæ ex ejus principiis, & natura sua oriatur seclusa quovis syncretismo; seu laxitate.

Quemadmodum in omni animante duo assignantur principia, anima & corpus, ex quibus unum coalescit animal; ita tamen ut internæ facultates consentiant animæ, cui subjiciantur; & membra corporis capiti, cui obediant; & in hac debita subjectione, &

consensione inferiorum cum superioribus unitas resultet in animantibus: perinde principia unitatis Ecclesiæ esse dixeris spiritum, & unitatem capitis, cui consentiat cœtus fidelium, seu membra inferiora; hæc enim perfecta consensio spiritus est unus Sacræ Scripturæ sensus, quem docuerunt Apostoli, & successivè eorum Discipuli, & SS. Patres, & Ecclesia Romana incorruptum, ac inalteratam semper servavit; Scriptura enim sine hoc sensu vero nobis ab Apostolis & SS. Patribus tradito, non est causa unitatis, sed perversitatis in hæreticis, qui relicto vero sensu juxta proprium arbitrium interpretantur Scripturas. Unde Paulus 2. Corinth. 3. *Litera occidit, spiritus vivificat*; ac si diceret sensum, & spiritum sacræ scripturæ animam esse Ecclesiæ, ejusque unitatem: Unde ad Ephes. 4. ait idem Apostolus: *Unum corpus, & unus Spiritus; sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ:* Et sicut unitas spiritûs sita est in uno eodemque sensu sacræ scripturæ, quem nos docuerunt Apostoli, & eorum Discipuli; perinde unitas corporis consistit in subjectione membrorum, seu fidelium ad suum Caput seu Romanum Pontificem; illa est veluti unitas spiritûs, hæc corporis, & ex utraque fit *unum corpus, unus spiritus* ut loquitur Apostolus Paulus: Rationem hujus unitatis spiritûs adfert D. Petrus 2. Petr. 1. ubi alloquens fideles primitivæ Ecclesiæ ait: *Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scriptura propriâ interpretatione non fit. Non enim voluntate humanâ allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*, cùm sacra scriptura fuerit à Spiritu Sancto dictata, & ejus sensus ab eodem Apostolis inspiratus; sequitur hunc in Ecclesia fuisse semper unum, qualem nos docuerunt Apostoli, & eorum Discipuli successivè; & hæc est unitas spiritûs in Ecclesia. Unitas enim corporis est unitas Pastoris, ut nos docuit Christus Joan. 10. *Et erit unum ovile, & unus Pastor.* Neque putes aliter esse hunc Pastorem, nisi S. Petrum ut fungentem munere in Ecclesia summi Pontificis, cui repetitis vicibus dixit Christus: *Pasce oves meas, pasce agnos meos*; & quia D. Petrus erat brevi moriturus, & Ecclesia usque ad finem mundi perseveratura, & quamdiu sunt oves, tamdiu est necessarius Pastor, qui eas pascat; ideo tùm Christus dixit Petro ut Pontifici, seu ejus Vicario in Ecclesia militante *pasce oves meas* nomine Petri dixit cuilibet ejus successori, seu Romano Pontifici legitimè electo, qui propterea est Caput, cui subjiciuntur omnes fideles quoad ea, quæ docet ex Cathedra circa verû sensum sacræ scripturæ.

Vera igitur Ecclesia à JESU Christo in terris instituta est quæ unum Catholicum, & universalem omni tempore, & loco sacræ Scripturæ fuit sensum sequuta, & sequetur unam eamdémque semper interpretationem; quæ unum supremum semper habuit Pastorem, non numero, sed dignitate, licèt summi Pontifices utpote homines, ut cæteri mortales, sint brevis ævi, morti obnoxii: Dignitas tamen perseverat una, & eadem transiens semper ad Successorem legitimè electum: quæ demum unam habet consensionem Capitis cum suis membris; sitque terra unius labii, sit totius multitudinis credentium cor unum, & anima una, unum Caput, una consensio membrorum cum ipso. Secus extra Ecclesiam Catholicam in qualibet Secta defectu hujus unitatis seu consensionis cum Capite docente ex Cathedra, seu ex assistentia Spiritûs S. non permittentis Pontificem docentem ex Cathedra fallere in explicandis sacris Scripturis juxta sponsionem factam in iisdem Scripturis; necesse est variæ, ac inter sese pugnantes sint sacræ Scripturæ interpretationes, & quot homines, tot senten-tiæ; adeò ut hæc unitas soli competat Romanæ Ecclesiæ: Hinc Tertullianus lib. de Præscript. *Hæreses dicta græcâ voce ex interpretatione electionis, quâ quis sive ad instituendas, sive ad suscipiendas Scripturas utitur. Ideo & sibi damnatum dixit hæreticum, quia in quo damnatur, sibi elegit. Nobis verò nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus authores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent elegerunt; sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignaverunt.* Et S. Cyprianus Epist. 69. ad Florentium loquens de hac unitate Ecclesiæ. *Unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo* (seu summo Pontifice Romano) *& si cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse, & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt: quando Ecclesia quæ Catholica una est, scissa non sit, neque divisa; sed sit utique connexa & cohærentium sibi invicem Sacerdotum glutine copulata.*

Neque ad unitatem Ecclesiæ sufficit simpliciter, si una sit quoad causas & principia; verùm etiam requiritur ut ubique locorum inter omnes, & in omnibus mundi partibus sit una; adeo ut quocunque veneris, unam semper, & eamdem cognoscas, sive homines sint Europæi, sive Asiani, Africani, vel Americani; adeo ut Spiritus Ecclesiæ Dei homines diversarum nationum, & linguarum efficiat eumdem habere sensum quoad intelligentiam Scripturarum, Traditionum, ac eorum quæ docentur à summo Pontifice docente ex Cathedra; Hinc Ecclesia implorat divinum Spiritum. *Veni Sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende; qui per diversitatem linguarum cunctarum, gentes in unitate fidei congregasti.* Et Act. 2. *Audivimus illos unusquisque lingua nostra loquentes magnalia DEI.* Seu in sensu nostro intelligentes sacras Scripturas, & credentes omnia, quæ sunt credenda, ut Dei magnalia enarrentur.

Neque obstat si dicas, Ecclesiam Græcam in oriente diversos habere ritus à latina in occidente. Quia licèt quoad cæremonias, & ritus accidentaliter differant; non tamen quoad Fidei articulos substantialiter discrepant; utriusque enim Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ est una, ac eadem Fides, ratione cujus in utraque natione Ecclesia sit semper una ac eadem. Hanc unitatem luculenter explicat D. Paulus scribens ad Ephes. 4. ubi ait: *Unum corpus, & unus Spiritus, sicuti vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus; una Fides, unum Baptisma, unus Deus, & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.*

Caput hujus unitatis est (juxta Apostolum) ut credatur unus Pater super omnia, seu ut sit una præcelsæ divinitatis Confessio; unus de vero Deo sensus; & non ut olim apud Ethnicos multiplex numen, vel nullum ut Atheus. Secundò ut sit unus Dominus; seu una de Filio ejus unigenito Fides; adeo ut sit Christus secundùm divinitatem æterno Patri, veróque Deo consubstantialis, non verò minor Deo, nec ejus instrumentum tantùm, nec sola creatura cæteris nobilior, nec purus, & simplex homo; id enim perinde foret, ac Christum dividere; sed ut credatur Christus esse verus Deus, & verus homo. Tertiò ut una, ac eadem sit Fides, seu commune omnium fidelium Symbolum, unáque communis ejus expositio, ac interpretatio; neque necesse sit inquirere, quem quis Fidei ducem sequatur, ut non id quisque credat quod vult, & quantum vult, & quomodo vult, sed quod, & quantum, & quomodo illi, ut

credat

credat præscriptum à Christo, ejúsque Apostolis, ac cæteris successoribus in Ecclesia Catholica, & SS. Patribus ac Conciliis, ut decrevit Ephesina Synodus inquiens: *Constituit sanctum Concilium, ut nemini liceat aliam Fidem, vel proferre, vel conscribere, vel componere, quàm eam, quæ præstituta, ac præscripta est à SS. Patribus, qui in Nicænorum urbe cum auxilio Spiritûs Sancti coacti fuerunt. Qui autem audeant aliam Fidem vel componere, vel producere, vel proferre, volentibus converti ad agnitionem veritatis, sive ex Gentilitate, sive ex Judaismo, sive alia quacunque secta; ut hi siquidem Episcopi, aut Clerici sint, isti ab Episcopatu; hi à Clero removeantur, ac prohibeantur. Sin autem laici sint, ut extremâ detestatione, & execratione percellantur.* Hoc Canone docent SS. Patres post illa Concilia Oecumenica Nicænum, & Constantinopolitanum, Fidem Christianam ab Ephesina Synodo ita conclusam, ut nil amplius à quopiam addi, vel demi liceat. Quartò ut sit unum Baptisma seu eadem Sacramenta, ac idem numerus eorundem, nec plura, nec pauciora quam septem, quorum fundamentum est Baptismus, sine quo reliqua non subsistunt; possintque æque infantes, parvuli, ac ætate provecti quovis tempore baptizari in nomine Patris, Filii, & Spiritûs S. Quintò debet itidem eadem esse spes vocationis, seu eadem Fides immortalitatis animarum, gloriæ in paradiso, & pœnarum in purgatorio, vel Gehenna. Rursus debet Ecclesia esse una eo genere unitatis, quo sacræ literæ præscribunt, nimirum ut plures quamvis diversæ speciei unà conveniant; quo pacto Apostolus 1. Timoth. 2. vocat Ecclesiam *Domum omnipotentis Dei* Isaias urbem in qua cives simul conveniunt in iisdem legibus servandis sub uno eodémque magistratu, ac regimine Isai. 26 *Urbs fortitudinis Sion, Salvator ejus murus, & antemurale.* D. Paulus unum corpus ad Rom. 12. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra, habentes autem donationem secundùm gratiam quæ data est nobis, differentes:* Et 1. Corinth. 12. ait: *Sicut enim Corpus unum est, & membra habet multa; omnia autem membra Corporis, cùm sint multa unum tamen corpus sunt; ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus.* Docet Apostolus, Ecclesiam Dei esse quidem unam; ita tamen, ut neque ex uno tantùm membro, neque ex uno hominum genere constet, sed ex pluribus convenientibus, tamen in una, eadémque Fide quâ omnes credunt ea omnia, quæ Christus, Apostoli, eorum Discipuli, Concilia, & SS. Patres docuerunt esse credenda. Hâc unitate gaudet sola Ecclesia Catholica Romana, quæ ita est una, ut semper & in quovis loco sit una ac eadem, quoad omnia & singula hactenus recensita, quæ propterea est vera Christi Sponsa, Germana Regis Filia. Reliquæ Novatorum sectæ non conveniunt in se quoad mysteria credenda, neque semper easdem credunt, sed variant, adeo ut Princeps Georgius olim Saxoniæ Dux dicere consueverit. Quid hoc anno mei vicini Wittembergenses credant de Christianæ religionis articulis, scio quid verò anno proximè sequenti sint credituri nescio. Eo quia quotannis variarent in fidei dogmatibus. Ratio cur tam facilè Hæreticorum conventicula varient quoad Fidei dogmata, est, quia sacræ Scripturæ, & Fidei explicationem nulli certæ authoritati ea divina assistentia infallibili committunt; sed unicuique solam, & simplicem Scripturam, ut sufficientem Fidei regulam proponunt ex quo necesse est, diversæ prodeant opiniones, ac explicationes inter sese pugnantes; & ideo non retinent doctrinæ Fidei unitatem, quia non sequuntur in doctrina rationem accommodatam ad unum semper ac idem invariabiliter credendum: Licèt dicant sacram Scripturam esse intellectu facilem; non tam conveniunt in una eadémque intelligentia, etiam quoad dogmata Fidei, cùm possint Scripturæ diversis modis intelligi, & de facto diversimodè intelligantur ab Acatholicis, inde plures oriuntur Acatholicorum sectæ; & intra unam eamdémque sectam diversæ opiniones ac sententiæ contrariæ articulis nostræ Fidei.

Præterea quamvis omnes & singuli intra eamdem sectam convenirent in explicatione Scripturæ, adhuc illa secta careret unitate, quæ est nota veræ Ecclesiæ; quia hæc unitas consistit in actuali consensu tantùm, sed potissimum in ratione accommodata ad retinendum consensum ponenda est hujusmodi unitas, quæ ratio est ipsa regula, & authoritas in Ecclesia declarandi, quæ sint de Fide credenda, quæ authoritas inest Conciliis unà cum suo capite, seu summo Pontifice; vel in solo summo Pontifice seorsim à Concilio docente ex Cathedra, quia tunc ob assistentiam Spiritûs non est errori obnoxius, in quo sensu D. Paulus vocat Ecclesiam *Columnam veritatis*; & S. Cyprianus definit Ecclesiam veram à JESU Christo institutam, & in terris fundatam esse plebem Sacerdoti adunatam; & gregem Pastori suo adhærentem ait ipse lib. 4. Epist. 10. ad Florentinum *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, ac Pastori suo grex adhærens.* Nulli autem Hæreticorum sectæ inest hæc authoritas in supremo eorum Pastore declarandi dogmata Fidei, quæ a singulis Sectariis æquè credantur, neque ulli Hæreticorum Pastori promissa est assistentia Spiritûs Sancti, ut non possit errare; quia hæc assistentia & infallibilitas tantùm D. Petro, ut Ecclesiæ Vicario ejúsque Successoribus legitimè electis promissa fuit, & quia unitas quæ veræ Ecclesiæ est nota, potissimum consistit in hac authoritate in summo Pontifice, cui adunata sit plebs, veluti grex suo Pastori, à quo sinit se dirigi, ac duci; sequitur manifestè unitatem quæ veræ Ecclesiæ est nota soli competere Ecclesiæ Romanæ, quæ propterea ratione ejusdem unitatis differt à qualibet alia Ecclesia.

CAPUT XII.

Quomodo sola Ecclesia Romana dicatur esse sancta.

SAnctitas insignis est veræ Jesu Christi Ecclesiæ notio, ac proprietas, qua dignoscitur ut distincta à cæteris aliis Ecclesiis, vel Sectis sacer Sponsus *Cant.* 6. loquens de militante sua Ecclesia, ac Sponsa in terris ait: *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Hinc Apocal. cap. 21. Joannes ait: *Ego Joannes vidi sanctam Civitatem Hierusalem* (seu Ecclesiam Jesu Christi militantem in terris) *novam descendentem de cœlo à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Apostolus ad Ephes. 5. *Diligite uxores vestras, sicut & Christus* dile-

dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam, aut aliquid hujusmodi; sed ut sit sancta, & immaculata. Hæcque causa cur Princeps Apostolorum vocet fideles Ecclesiæ gentem sanctam 1. Petri 2. *Vos autem genus electum, gens sancta.* vocantur fideles *gens sancta* quia Deo consecrantur, ac dedicantur: quæ enim Deo consecrantur, vel divino cultui dicantur, quamvis corporea sint, vocantur sancta, ut fuerunt in lege veteri vestes, vasa, altaria: primogeniti itidem qui Deo devovebantur, sancti dicebantur Exod. 13. Luc. 2. *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* Quòd si gens Judaicè, quia Dei cultui addicta vocatur ab Apostolo Paulo *Sancta* ad Rom. 11. *Quòd si delibatio sancta est, & massa: Et si radix sancta, & rami.* Licèt Judæi labiis Deum honorarent, & corde longè ab eo essent, quanto potiori jure Ecclesia dicenda erit sancta, quæ Deo vero servit, eumque adorat. David quia præviderat in spiritu fideles Ecclesiæ, eos sanctos edixit Psal. 140. *Cantate Domino Canticum novum, laus ejus in Ecclesia Sanctorum.*

Sancta itidem dicitur Ecclesia, quia ejus sanctitas per firmitatem, & constantiam in Fide JESU Christi declaratur, contra quam nunquam portæ inferi valuerunt prævalere, nullis enim neque persecutionibus, neque cruciatibus, neque erroribus opprimi potuit, sed velut sydus tenebris obsitum enituit hæc sanctitas clarior: ut innuit Augustinus lib. 7. Confess. cap. 19. inquiens: *Improbatio Hæreticorum fecit emi ere, quid Ecclesia tua sentiat, & quid habeat sana doctrina.* Ob hanc firmitatem, & constantiam in sanct tate, & Fide Ecclesia seu cœtus Catholicorum sem er à Christo instituere ad nostra usque tempora floruit, & rigatur Martyrum sanguine vegetior crevit, ac uberius subivit incrementu n, florebitque usque ad consummationem sæculi: secus non legimus sectas Hære icorum fuisse diuturnas, neque ad plura sæcula floruisse sed illorum errores da nnato se obliteratos fuisse. Re ecti enim fuerunt Sim nMagus & Eunomius censentes solam fidem sine operibus sufficere ad salutem. Aerius docens sacrifi ium, & orationes pro defunctis iisdem non prod sse. Vigilantius matrimonium præferens cœlibat ii. Donatistæ, & alii Hæ eti i putantes Ecclesiam errare posse, & alii apud S. Epiphanium lib. 3. Tom. 1. de Hæres. S. Damascenus lib. 1. de Hæresibus. S. Hieronymus contra Vigilantium

Objiciunt tamen Hæretici in cœtu fidelium qui Romano Pontifici subjiciuntur, ac patent plures, & plures esse peccatores vitiis indulgentes, ac noxis multis coinquinatos: proinde cœtus iste hominum qui Romano subj ciuntur, ac obediunt Pontifici, seu Ecclesia Catholica Romana sancta non est, alioquin peccatores in ipsa sancti essent; quo nil absurdius. Præterea denominatio fieri debet à potiori parte; & in Ecclesia etiam ex religiosis plures sunt peccatores, & ex sæcularibus valde probabile est peccantes numero excedere justos, & sanctos: Igitur Ecclesia Romana non est dicenda sancta, cùm plures in ipsa sint qui peccent. Sed contra quia ex pluribus causis meritò denominatur Ecclesia Catholica sancta. Primò quia omnes in ea fideles DEO sunt consecrati, ejúsque cultui sub titu sancto addicti; ob quam causam Christi Vicarius Apostolorum Princeps vocat fideles seu cœtum illum hominum, qui Romano subjiciuntur Pontifici, & constituunt Ecclesiam Catholicam, genus electum, gentem sanctam 1. Petri 2. *Vos autem genus electum, gens sancta.*

Secundò, quia tametsi plures sint in Ecclesia peccatores, potior tamen pars est sancta, ut in cœlis Angeli, & Beati, in terris qui flammis expiatoriis purgantur, qui hi decesserunt in statu gratiæ. Et ex hominibus viatoribus licèt plures semel, & iterum peccaverint, tamen resipuerunt, & beneficio pœnitentiæ, ac lacrymarum, quas sanctus dolor elicuit, quas noxarum maculas contraxerant, eluerunt, ac prorsus deleverunt. Religiosi qui addicti sunt culturæ virtutum, quamvis ab omni peccato non sint immunes, à noxia tamen gravioribus sunt liberi; adeo ut paucissimi sint, qui lethali culpa inquinentur, séque à summo Bono, cujus famulatui sunt addicti, avertant: ex sæcularibus itidem plures, & plures mortalium criminum sunt expertes, ac sanctè vivunt, & scelera ac graviora peccata damnant, reprehendunt, corrigunt sanctis adhortationibus, exemplis, ac probitate quâ ipsi splendēt. Rustici ut plurimum simplices sunt, ac innocentes.

Tertiò quia ille hominum cœtus, qui dicitur Ecclesia Catholica populus efficitur, ac dicitur Dei ob professionem sanctitatis, ob fidem quâ simul conveniunt, & unà copulantur sub uno Capite Christi Vicario, seu Romano Pontifice, unius doctrinæ omnes assentiuntur, cujus mandatis obtemperant, cujus directioni subjiciuntur; & ob Baptisma, quo renascuntur fideles, ac sanctificantur: ab hisce omnibus simul sumptis cœtus fidelium denominatur sanctus, quamvis ex eodem plures peccent. Sicut in humana, & civili republica qui artem aliquam profitentur, quamvis non omnes artis præcepta servent, nec artis exercitio semper occupentur, adhuc nomen artificum retinent, & quidem ejusdem artis, quam profitentur, ac retinent: Unde Apostolus Paulus 1. Corinth. 1. vocat Corinthios *sanctificatos, ac sanctos*, quamvis ex ipsis aliqui fuerint peccatores quos 1. Corinth. 3. ut carnales redarguit, & ut deditos contentionibus increpat.

Quartò denominatur Ecclesia sancta ratione capitis, ac sui Institutoris Christi Domini, qui ut scribit Apostolus *est sanctus sanctorum*, & cui Ecclesia conjungitur, ut proprio capiti, & quidem per Fidem ratione cujus dicitur habitare in cordibus nostris ad Ephes. 5. *Qui se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata*, in quam propterea nunquam potuerunt hæreses prævalere, neque schismata eam labefactare, neque ulla secta superare, neque ulla ratio extinguere, quamvis contra ipsam adhuc in cunabulis vagientem insurrexerint Principes, Imperatores, & Potentes in sæculo, qui tormentorum acerbitate, sanguinísque effusione adnixi sunt eam extinguere; proprio enim irrigata sanguine germinavit vegetior, floruit lætior, quia ut ait David Psal. 47. *Deus fundavit eam* (seu Ecclesiam) *in æternum non commovebitur.* Neque potest ulla hæresi infici, ac deturpari, quia Psal. 86. *Fundamenta ejus in montibus sanctis* & Psal. 103. *Et fundasti eam super stabilitatem suam; non inclinabitur in sæculum sæculi*, adeo Ecclesia pluries licèt oppugnata fuerit, nunquam tamen expugnata, ut ipsamet fatetur per Regium Prophetam Davidem Psal. 128. *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea* scilicet potentes in sæculo igne & ferro armati; Hæretici & Schismatici, dum adhuc adolescerem, contra me sæpe irruerunt, pluries me totis viribus impetiverunt; sed nunquam prostrarunt, nunquam vicerunt, quòd si in capite amputatis martyribus, vel membratim dissectis visa fuerit cecidisse, tunc surrexit robustior, evenit sublimior, floruit vegetior

getior

getior; quia ut ait Regius Propheta Psal. 87. *Fundamenta ejus in montibus sanctis: Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Est Ecclesia Civitas DEI firmissimis munita propugnaculis, cujus præsidiarii milites sunt sancti, non armis onerati, sed virtutibus insigniti; cujus Gubernator est Christus Isaiæ 26. *Urbs fortitudinis tuæ Filia Sion. Salvator in ea murus, & antemurale.* Quamvis hanc urbem obsidere, expugnare, evertere, solóque æquare conati sint Tyranni ferro, & igne armati; Judæi fidem impugnantes, Schismatici obedientiam ac debitum obsequium denegantes, ejúsque unitatem scindentes; Hæretici Scripturas adulterantes, veritatem obscurantes, ac inficientes, ac pravè interpretantes, inque sensus improprios detorquentes, vicit tamen Ecclesia sanctitate insignita; imò suos prostravit ipsa oppugnatores, quibus ad uberiora sui profectûs incrementa, & ad illustriorem suum usa est triumphum, huc accersendus est S. Augustinus de vera Relig. cap. 6. *Gentibus quidem utitur ad materiam operationis suæ; Hæreticis ad probationem doctrinæ suæ; Schismaticis ad documentum stabilitatis suæ; Judæis ad comparationem pulchritudinis suæ.* Figuram Ecclesiæ culturâ virtutum insignis, & sanctitate illustris visi sunt prætulisse Filii Israel in Ægypto à Pharaone oppressi, ac vexati, qui quantò arctiùs premebantur, tantò numerosiores propagabantur, adeo ut Ecclesia, ut ait D. Augustinus Ser. 181. *oppugnari possit non expugnari* ob sanctitatem, quâ munitur.

Quintò dicitur sancta ratione Spiritûs Sancti, qui in ipsa est veluti cor in humano corpore, à quo influxus vitæ dimanant qui per reliqua diffunduntur corporis membra: manet enim Spiritus S. in Ecclesia quam dirigit, ne erret; gubernat, ne deficiat; munit sua gratia, ne suis ab adversariis quicquam patiatur detrimenti; & in ea hoc pacto *manebit in æternum*; possitque propterea quisque fidelis dicere cum Davide Psal. 86. *Custodi animam meam quoniam sanctus sum*, quæ verba expendens S. Augustinus ait: *Audeat, & Corpus Christi, audeat & unus ille homo clamans à finibus terræ cum capite suo dicere, quoniam sanctus sum: accepit enim gratiam sanctitatis, gratiam baptismi, & remissionis peccatorum* quamvis peccatores fuerint fideles, abluti tamen fuerunt, & sanctificati: ait Apostolus; *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Subdit Augustinus: *Si ergo sanctificatos dicit, dicat & unusquisque fidelium sanctus sum. Non est ista superbia elati, sed Confessio non ingrati. Si dixeris te ex te esse sanctum superbus es: Rursus fidelis in Christo, & membrum Christi, si te dixeris non esse sanctum ingratus es.* Et nonnullis interjectis alloquens fidelem ait. *Dic Deo tuo, sanctus sum, quia sanctificasti me: quia accepi, non quia habui; quia tu dedisti, non quia ego merui.* Prætereà scribit Apostolus ad Galat. 3. *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Seu membra facti estis Christi, quod si membra facti Corporis Christi, & dicunt se sancta non esse, jam ejus capiti sunt injurii, cujus corporis membra sancta non esse dicunt: quomodo sub Capite sancto corpus, & ejus membra sancta non erunt? Est igitur Ecclesia sancta, cujus Caput seu Christus est sanctor, cujus director, & gubernator, seu Spiritus Sanctus, est itidem sanctus non sinens à sanctitate Ecclesiam aberrare.

Sextò est Ecclesia sancta, quia ipsa sola habet legitimum cultum Sacrificii, & salutarem usum Sacramentorum, quæ sunt instrumenta efficientia causativa gratiæ sanctificantis; adeo ut extra Ecclesiam nemo sanctus sit, eò quia non detur gratia sanctificans. Hinc S. Augustinus lib. 21. de Civit. Dei Cap. 21. ait: *Vera justitia non est, nisi in ea republica, cujus Conditor, Rectórque Christus est. In ea duntaxat civitate est vera Justitia, de qua Scriptura sancta dicit. Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei.* Hæc autem Respublica, hæc Civitas, est Ecclesia Jesu Christi, Ecclesia Catholica Romana. Quamvis extra Ecclesiam plura dentur Dei dona, etiam supernaturália, quibus vult Deus omnem hominem salvum fieri; non tamen datur gratia justificans, neque vitæ sanctitas, nec remissio peccatorum, nec pignus hæreditatis æternæ: hæc enim dona non dantur nisi fidelibus, qui beneficio Baptismi ingressi sunt Ecclesiam; *Hi enim sunt hæredes Dei, & Cohæredes Christi*, ut scribit Apostolus ad Rom. 8. Hi dicuntur hæredes, quibus dicitur Genes. 25. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* Spiritus adoptionis sine charitate, & gratiâ sanctificante non datur: & extra Ecclesiam non est charitas, nec gratia sanctificans: ait D. Augustinus lib. de patientia cap. 28. *Non habent Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligunt unitatem.*

Septimò dicitur ecclesia sancta ob doctrinam sanctam, quam semper docuit, in cujus dogmatibus nihil non sanctum continetur, quam sanctitatem prævidens regius Propheta dixit *Lex Domini immaculata convertens animas.* Est sancta quia nulla unquam hæresi fuit contaminata, quod Propheta Ezechiel prædixerat cap. 44. *Vir pollutus non transibit per illam*, seu non permittet Ecclesiam ulla unquam coinquinari hæresi, nullo corrumpi errore, quo à veritate deflectat: & licet sponsa esse dicatur, est tamen virgo, & casta ab omni hæreticæ fornicationis fœtore, & corruptione alienissima. Imò non solùm ab omni est hæresis labe deputata, & prorsus aliena, verum etiam ab omni radice, a qua possit hæresis pullulare; adeo sancta sunt principia, & fundamenta suæ doctrinæ, ut nullum possint hæresis germen fovere, nullumque permittere: non enim talia sunt principia aliarum sectarum, præsertim Lutheranorum, & Calvinistarum docentium nil esse recipiendum præter ea, quæ clarè, & expressè continentur in Sacris Scripturis; & privatum sensum cujuscunque in Scripturæ interpretatione sequendum esse, dummodo preces priùs in Deum fuderit, opemque imploraverit Spiritus Sancti, ex quo uno principio sequitur tot oriri diversas sententias, quot varia sunt capita: & dum putant, se edoctos à Spiritu Sancto, in contradictoria delabuntur, quibus Spiritum Sanctum magistrum faciunt erroris. Etenim Calvinistæ credunt, docentque corpus & sanguinem Christi non nisi figurativè esse in Eucharistia, ac communicantes non sumere nisi figuram corporis, & sanguinis Christi. Secus Lutherani asserunt, & credunt communicantes sumere verum, & reale corpus Christi, verum, & realem ejus sanguinem; licet non conveniant postea cum catholicis, eo quia extra actum manducationis non credant sub speciebus eucharisticis esse corpus, & sanguinem Christi. Et quia credere esse, & non esse realiter sub speciebus eucharisticis verum & reale Christi corpus sunt contradictoria, quæ nequeunt ambo esse vera, necesse est, alterum esse falsum: quod si Calvinistæ, & Lutherani edocentur à Spiritu Sancto, ut ipsi putant necesse est asserant, esse Spiritum S. Magistrum erroris, quo nil detestabilius, nil dictu magis horrendum & blasphemum. Rursus docent, Conciliorum & Synodorum parvam vel nullam habendam rationem, Sancti Patres nullo præcipuo Spiritus Sancti dono illustratos fuisse. Libertatem de fide decernendi æquè penes omnes permanere. Magistratus spirituales, in

fide, & moribus nullam coërcendi vim habere, quæ principia sunt, in quibus veluti in semine, & radice omnes hæreses continentur; neque priùs repullulare desinent donec radicitùs evellantur. Secus in Ecclesia Catholica fideles eas credunt Scripturarum interpretationes, quas concilia cum suo capite edocuerùnt, vel Pontifex docens ex cathedra, cui promissa est specialis Spiritus Sancti assistentia, ne erret. Hinc fideles ad ecclesias confluunt, ut veritatem audiant, quam sequantur, & cui adhæreant, addiscant bene vivere, ut possint perpetua felicitate, ac beatitudine donari; nam ut loquitur Augustinus lib. 11. de civit. cap. 28. *Nihil ibi turpe, ac flagitiosum imitandum proponitur, ubi veri Dei, aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.* Nil fœdum, nil flagitiosum tradit ecclesia, cujus lex est immaculata convertens animas, sapientiam præstans parvulis: quæ virtuti debitam non aufert mercedem; quæ ab omni errore libera non nisi vera, & sancta fideles edocet ut scribit S. Hieronymus Epist. ad Renatum, *Romana quidem sedes habet hoc divinitus sibi concessum privilegium, ut ab omni hæretica labe fieret semper alienissima, illique mirè restitit semper. Nam & in Hierosolymitano Patriarchatu Eutychius Irenæus, Hilarius, Ariani, & Joannes Origenista Patriarchæ sederunt. In Antiocheno Paulus Samosathenus hæresiarcha Petrus Grapheus Eutichianus, Macharius, Macharius Monothelita, & alii. In Alexandrino Georgius, & Lucius Ariani, Dioscorus Euthychianus, Cyrus Monothelita, & alii. In Constantinopolitano Macedonius, Nestorius, Sergius hæresiarcha, & plerique alii. Romana autem ecclesia illa fuit perpetua gloriatio, de qua scribit Agatho Pontifex maximus in Epist. ad Constantium Imperatorem, quæ in sexta Synodo Constantinopolitana Act. 4. lecta fuit, & postea Act. 8. ab omnibus approbata. Hæc est inquit vera fidei regula, quam & in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit, & defendit: Hæc est spiritualis mater vestri tranquillissimi Imperii Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur; nec hæreticis novitatibus depravata succubuit; sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata finetenus permansit; secundùm ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum principi aperuit inquiens: Petre, Petre Ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Et paucis interjectis *Nicolaus I. Epistola ad Michaelem: Privilegia inquit istius sedis perpetua sunt divinitus radicata, atque plantata; impingi possunt, transferri non possunt, quæ ante imperium vestrum erant, permanent, Dei gratia hactenus illibata, manebuntque post nos, quousque Christianum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt.* Hoc idem fatentur unanimes sancti Patres præsertim Theodoretus in epist. ad Renatum Presbyterum Romanum inquiens. *Tenet sancta ista sedes gubernacula regendarum cunctis orbis Ecclesiarum, tum propter alia, tum quia semper hæretici fœtoris expers permansit: Atque ea causa fuit, cur orientales Episcopi sanctiores in rebus fidei, atque in persecutionibus, quas ab Imperatoribus, & à Græcis patiuntur ad Romanos Pontifices confugerunt, S. Athanasius ad Julium S. Joannes Chrysostomus ad Innocentium primum, Ignatius tertius ad Nicolaum, Theodoretus ad Leonem, Maximus ad Martinum, & cæteri, quare literis à Romanis Pontificibus acceptis suas sedes recepêre, & quanta esset à Christo successoribus Petri collata potestas re ipsa monstratum est.*

Quod si dicas plures Acatholicorum sectas honestati morum studere, culturæ virtutum esse addictas. Verùm si ita est, laudo quidem, si cum virtutum exercitio charitas adnectaretur, & gratia, qua sancti essent per fidem: sed quia sectarii sunt, & fide carent, sanctitate non clarent; etiam Encratitæ, cathari, Angelici continentes fuisse leguntur, & tamen quia hæresi infecti damnantur. Sola igitur Romana Ecclesia hac gaudet nomenclatione quâ sancta est, & dicitur.

CAPUT XIII.

Ecclesia, quam Christus fundavit in terris, Catholica est.

NOn solùm ecclesia Christi est una tantùm in terris, & sancta, ut hactenus evicimus, verùm etiam catholica, quæ vox Græca idem sonat, ac Latinè universalis, quâ nomenclatione jure merito insignitur Ecclesia Romana à Christo fundata, cui ut Christi Vicarius primus omnium præfuit S. Petrus, & post illum successores legitimè electi ad nostrum usque tempus, adeò ut unam eamdemque servaverit doctrinam, eadem dogmata, quæ Christi discipuli ab initio docuerunt, & ab eorum Magistro Christo acceperunt. Hæc eadem ecclesia catholica est, seu universalis, quia toto terrarum orbe diffusa est, & evangelii propagatio omnibus gentibus destinata Matth. ult. *Docete omnes gentes* Psal. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, quòd si fortassis in orbe terrarum aliqua sit gens, cui nondum sit Evangelium promulgatum; ante mundi finem ejus erit prædicationem auditura. Non enim Ecclesia à Christo in terris instituta terminorum coërcetur angustiis, neque unius provinciæ aut regni clauditur terminis, ut contingit conventiculis, ac sectis hæreticorum; sed gentes omnes sive immanitate barbaras, sive mansuetudine urbanas, omnes homines sine famulatio servos, sine emancipatione liberos, mares, fœmellas, parvulos, ætate provectos, pauperes, divitiis affluentes charitatis complectitur sinu, fovetque sana doctrina, alitque Christi corpore, quibus & spondet cœlorum regnum Apocal. 5. *Redemisti nos Deus in sanguine tuo ex omni tribu & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum.*

Adeò hæc notio, quâ vera Christi ecclesia catholica est, & vocatur, propria est illi, ut vel ipsi adversarii per hanc præcipuè proprietatem eam à suis conventiculis, ac sectis distinguant; neque per ecclesiam catholicam quid aliud intelligunt, quàm ecclesiam Romanam, cui Papa præest, & à quo catholicos etiam Papistas vocant: ait S. Augustinus lib. de vera Relig. cap. 7. *Tenenda est nobis Christiana Religio, & ejus ecclesiæ communicatio, quæ catholica est, & catholica nominatur, non solùm à suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint, nolint enim ipsi quoque hæretici, & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud, quàm catholicam vocant. Non enim possunt intelligi,*

nisi

nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur. Quamvis quotquot baptismi aqua sunt abluti ac Christi dicantur legem profiteri, Christiani esse velint, ac nominari sive Lutherani sint, sive Calvinistæ, vel Anabaptistæ aut ex quavis alia secta, non tamen Catholici vocantur, neque dici volunt, sed tantùm Christiani; secus quotquot subjiciuntur, parentque Romano Pontifici, nomine vocantur Christiani, & cognomine Catholici, quâ appellatione ab hæreticis intelliguntur distincti; ut notat *S.* Pacianus epist. ad Sympronianum de catholico nomine inquiens: *Certè non est ab homine mutuatum, quod per sæcula tanta non cecidit: catholicum istud nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit authores.* Ecclesia igitur Christi catholica est, & nuncupatur, seu universalis, eò quia diffusa sit per totum orbem, quatenus jussit Christus Apostolos prædicare evangelium omni creaturæ Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes*, quod cùm Spiritu prophetico prævidisset David, dixit Psal. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum.* Non solùm ratione locorum, sed etiam temporum ecclesia Christi dicitur catholica; quia fideles qui à protoparente Adam ad hanc usque diem fuerunt, vel cœlesti beatitate donati, & qui in terris nunc vivunt, & victuri sunt usque ad finem mundi in veræ fidei professione, & Christiana unitate ad eandem pertinent, & pertinebunt Ecclesiam, quæ supra fundamento Apostolorum, & Prophetarum superædificata est ipso angulari lapide Christi Jesu.

Rursus dicitur catholica, seu universalis ob doctrinam eamdem quam per totum universum, & quocunque in loco, provincia, docet fideles, qui in eandem ubique locorum consentiunt unanimes, & concordes absque discrepantia sine variatione; huc accersendus Vincentius Lirinensis in Comment. advers. Hæreses cap. 3. ubi ait: *In ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est etenim propriè, ac verè catholicum, quod ipsa vis nominis, ratióque declarat, quæ omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiat, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo: si hanc unam Fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem vero ita, si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos Majores, & Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque si in ipsa vetustate omnium, vel certè pene omnium sacerdotum, pariter & magistrorum definitiones, sententiásque sectemur.*

Quòd verò sola Ecclesia Romana dicatur, ac verè sit Catholica, est probatu facile; quia ille solus coetus hominum, qui subjiciunt, parentque summo Pontifici Romano legitimè electo, quique propterea est in terris, seu militante Ecclesia Christi Vicarius ut Catholicus, quia ille solus communicat in fidei, & religionis Christianæ instituto cum omnibus per totum orbem terrarum gentibus: Solus enim hominum cœtus, qui Romano paret Pontifici, communicat in professione fidei integræ, & credit quod ubique ab omnibus Christi fidelibus creditur: ergo ille solus cœtus hominum qui parent Pontifici Romano, seu sola Ecclesia Romana est Catholica: hæc enim est illa quæ continuo succrescit, & propagatur per totum orbem: hæc est illa vitis, cujus palmites extenduntur usque ad mare Psal. 79. hæc illa lucerna quæ non delitescit sub medio, sed splendet super candelabrum & per totum orbem suos diffundit radios: unde S. Augustinus Epist. 172. ad Honoratum Donatistam ait: *Quoniam Ecclesiam Dei*, quæ Catholica dicitur sicut de illa prophetatum est: per orbem terrarum diffusam videmus: arbitramur nos non debere dubitare de tam evidentissima impletione Sanctæ Prophetiæ. Nam in capite Sacrosancti Psalterii scriptum est de filio Dei: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

Dicitur etiam Ecclesia Catholica, & universalis respectu salvandorum, eo quia universim omnes qui salutem æternam consequi volunt, necesse sit per januam baptismi ingrediantur Ecclesiam, subjiciantur, ac pareant Romano Pontifici, consentiant doctrinæ, cui integrè adhæreant: hac de causa symbolum Ecclesiæ Catholicæ producitur Arca Noëtica: sicut illi duntaxat diluvium evaserunt, & salvi commune naufragium declinârunt, qui Arcam ingressi in eadem permanserunt; perinde hi tantum æternum naufragium evadunt, non in aquis diluvii, sed in gehennæ incendiis, qui Ecclesiam ingressi in ea perseverant virtutum studio addicti: pulchrè S. Cyprianus lib. de unit. Ecclesiæ ait. Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem. Si potuit evadere quisquam, qui extra Arcam Noë fuit; & qui extra Ecclesiam foris fuerit evadet!

Quòd si Ecclesia Catholica ea est, quam nobis Patriarchæ adumbrarunt, Prophetæ prædixerunt, & sacræ scripturæ judicârunt, sola Ecclesia Romana Catholica est, ac vera à Jesu Christo fundata supra firmam petram: status enim Ecclesiæ Catholicæ promittitur Abrahæ: cùm Deus ei dixit Genes. 22. *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & veluti arenam, quæ est in litore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum; Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedivisti voci meæ.* Hanc eandem Ecclesiæ notam, & prærogativam Deus Patriarchæ Isaaco innuit, cùm Genes. 26. *ei dixit: Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quòd obedivit Abraham voci meæ.* Hæc eadem Ecclesiæ Catholicæ prærogativa promissa fuit Patriarchæ Jacob Genes. 21. *Dilataberis ad orientem, & occidentem, & septentrionem, & Meridiem, & benedicentur in te, & semine tuo omnes tribus terræ.* Talem futuram Ecclesiam in terris militantem, scilicet Catholicam, seu universalem prædixerunt iidem Prophetæ David Psal. 71. *Loquens de Ecclesia à Christo fundanda ait, & dominabitur à mare usque ad mare, & à flumine usque ad fines orbis terrarum,* seu à flumine Tiberis, in quo residet Ecclesiæ militantis Jesu Christi Vicarius Romanus Pontifex, dilatabitur per omnes terrarum partes, provincias, & regna: *Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei: & benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum, & replebitur majestate ejus omnis terra,* Psal. 21. *Convertentur ad dominum universi fines terræ, & universæ familiæ gentium.* Isai 60. *Tunc videbis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad Te multitudo maris; fortitudo gentium venerit Tibi.* Micheæ 2. *Potestas ejus à mari usque ad mare, & à fluminibus usque ad fines terræ* seu per totam terræ latitudinem, per singula terrarum spatia, Zachariæ 9. *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus dicit Dominus exercituum.* Non solùm Patriarchæ, & Prophetæ hanc Romanæ ecclesiæ notam & prærogativam

gativam prædixerunt; sed etiam ipse Magister Christus suos edocuit discipulos, cum dixit Marc. 16. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Luc. 24. *Oportuit Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Hinc Act. 2. habetur. *Stupebant autem omnes, & mirabantur dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Judæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphiliam, Ægyptum, & partes Libiæ, quæ est circa Cyrenem, & advenæ Romani, Judæi quoque, & eorum socii Cretes & Arabes, audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem dicentes: quidnam hoc est?* Ss. Patres etiam ab initio ecclesiæ hanc asseruerunt notam, ac prærogativam militantis in terris. S. Irenæus lib. 1. adversus hæresea cap. 2. ait: ecclesia per universum orbem, usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, at in unum Jesum Christum Filium Dei incarnatum pro nostra salute; & in Spiritum Sanctum, qui per Prophetas prædicavit dispositiones Dei, & adventum, & eam quæ est ex Virgine generationem, & passionem, & resurrectionem à mortuis, & in carnem, in cœlos ascensiones dilecti Jesu Christi Domini nostri, & de cœlis in gloria Patris, adventum ejus ad recapitulanda universa, & resuscitandam omnem carnem humani generis, ut Christo Jesu Domino nostro, & Deo, & Salvatori, & Regi secundum placitum Patris invisibilis omne genu curvetur, cælestium terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur ei; & judicium justum in omnibus faciat. Spiritualia quidem nequitiæ, & angelos transgressos, atque apostatos factos, & impios, & injustos, & iniquos, & blasphemos homines in æternum ignem mittat: justis autem & æquis, & præcepta ejus servantibus, & in dilectione ejus perseverantibus, quibusdum quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia, vitam donans incorruptam loco muneris conferat, & claritatem æternam circumdet. Hanc prædicationem cum acceperit; & hanc fidem ut prædiximus, Ecclesia, & quidem in universum mundum disseminata diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, & similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens, & unum cor, & consonanter hæc prædicat, & docet, & tradit quasi unum possidens os. Nam & si in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una, & eadem est: at neque hæ, quæ in Germania sunt fundatæ ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt! neque hæ, quæ in Hiberis sunt; neque hæ quæ in Celtis: neque hæ, quæ in oriente: neque hæ quæ in Ægypto: neque hæ quæ in Libia: neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ: sed sicut sol creatura Dei in universo mondo unus, & idem est: sic & lumen prædicatio veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad veritatis cognitionem venire. Hactenus Irenæus. Cui assentitur Tertullianus libro contra Judæos ubi loquens de propagatione, ac universalitate veræ Ecclesiæ, quæ propterea Catholica dicitur, hæc habet veluti describens terrarum amplam Geographiam. *Cui enim aliæ* gentes crediderunt Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum, & Asiam, Pamphyliam immorantes Ægyptum, & regionem Africæ, quæ est trans Cyrenem inhabitantes, Romani & *incolæ*; tunc & in Jerusalem Judæi, & cæteræ gentes, ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversæ nationes; & Britanorum inaccessa Romanis loca, Christi verò subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & Provinciarum, & Insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus possumus. In quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat: utpote ante quem omnium civitatum portæ sunt apertæ, & cui nullæ sunt clausæ, ante quem seræ ferreæ sunt comminutæ, & valvæ æreæ sunt apertæ. Quanquam & ista spiritualiter sint intelligenda, quod præcordia singulorum variis modis à Diabolo obsessa fide Christi sint reserata, attamen perspicuè sunt adimpleta, utpote in quibus omnibus locis populus nominis Christiani habitet. Quis enim omnibus regnare potuisset, nisi Christus Dei Filius? qui omnibus in æternum regnaturus nunciabatur. Hæc Tertullianus, qui tamen cum primis floruerit Ecclesiæ temporibus, ut & Irenæus non omnes, & singulas mundi partes recensuerunt in quas nostris temporibus propagata fuit, & in quibus cœtus fidelium per totam propemodum Americam æquè meridionalem, ac septentrionalem eundem cultum sub iisdem ritibus cultum Deo exhibet, ut & in pluribus Africæ provinciis, & Insulis, ac in longè, lateque diffuso sinarum Imperio *Statu* scribit S. Basilius Epist. 72. *In fide; ipsum orbem inspicite, & videte quam modica sit illa portio, quæ heresis morbo laborat. Reliqua verò universa Ecclesia, quæ ab orbis finibus usque ad fines Evangelium recepit, sanam hanc, & rectam fidem sectatur, à cujus communione, ne excidatis petimus.*

Reliqui Ss. Patres unanimi consensu hanc eandem Ecclesiæ universalitatem adstruunt ostensuri, Ecclesiam Romanam Catholicam esse. S. Augustinus contra Epistolam Fundamenti ait. *Ut omittam syncerissimam sapientiam, multa sunt alia, quæ in Catholica Ecclesia gremio me justissimè teneant. Tenet consensio populorum, atque gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta vetustate firmata. Tenet ab ipso sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum. Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic illa ecclesia sola obtinuit, ut cùm heretici se Christianos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam perveniatur, nullus hæreticorum, vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Tenenda est nobis Christiana Religio, & ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur non solùm à suis; verùm etiam ab hominibus inimicis velint, nolint, vel ipsi quoque hæretici, & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quàm Catholicam vocant. Non enim possunt discerni, nec intelligi nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.*

S. Hieronymus Epist. ad Damasum Papam *stultum est eum parvo loco, vel abscondito quærere, qui totius mundi lumen est. Ecclesia porro Catholica ibi est, ubi est fides Catholica. Fides autem Catholica ea est, quæ per orbem universum juxta Christi præceptum eadem semper annunciatur: neque vel tempo-*

re vel locis unquam variatur, à qua si quis dissentiat, is Catholicus non est, quod singularem quandam opinionem, non unam communem omnium fidem amplecti videtur. Et contra Luciferianum comparat Ecclesiam Romanam soli suis illustranti radiis universas, ac singulas mundi partes, sufficiatque unus omnibus terrarum locis. Periode Ecclesia Romana vera Evangelii doctrina illuminat omnes homines, omnesque gentes ad Jesum Christum trahit, cooveritque: ait ipse *Poteram omnes propositionum tuarum rivulos uno ecclesiæ sole siccare.*

S. Cyprianus probat Novatianos esse hæreticos, eò quia non conveniunt cum Ecclesia Catholica inquiens lib. de unit Ecclesiæ. *Constat eos cum corpore ecclesiæ non convenire*: qui enim Catholici sunt unam, ac eandem ubique locorum tenent fidem, ut notat Vincentius Lyrinensis adversus hæres, inquians. *Ecclesia Catholica, ad quam non una natio, non unus Angulus, sed multitudo Maris convertitur, id teneamus quod ab omnibus, quod ubique quod semper creditum est.* Optatus Milevitanus contra Parmenianum ante medium ait. *Cum manifestum sit, & ipsa luce clarius, nos tum tot innumerabilibus populis esse. & tot nobiscum provincias, jam videtis vos in parte unius, aut alterius regionis positos & ab Ecclesia vestris erroribus separatos: frustra vobis solis hoc nomen Ecclesiæ cum suis dotibus vendicare.* Sibi vendicant hæretici nomen Christianorum, eò quia & abluti sint aquis baptismi, quo Christo regenerati ejus fidem profitentur, sed quia non integrum, sed mutilatam & corruptam, nec capiti velint ecclesiæ subjici, nec parere; ideo Christiani tantùm dici volunt, quo nomine à Paganis distinguuntur, & Judæis sed veri Christi fideles in Ecclesia Romana, nomine verè dicuntur Christiani, quo ab Ethnicis distinguuntur & Judæis, cognomine autem Catholici audiunt, quo ab hæreticis, uniuscunque sectæ secernuntur: & per totum orbem sparguntur; quia ut prævideratu Spiritu Regius Propheta Psal. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum* loqnutus fuit de Apostolis Christi discipulis, qui fidem prædicarunt in mundum universum, juxta Christi preceptum: *euntes prædicate omni creaturæ baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Marc. 16. Idque per Apostolos impletum fuisse perspicuum est: quin imò & continua in dies Evangelii propagationa per orbem usque ad sæculi consummationem implebitur, non tamen ab hæreticis: sed à solis Catholicis, de quibus vera est Davidis Prophetia, ut enim notavit Nicephorus lib. 14. cap. 40. nunquam legimus ab ulla hæreticorum secta fuisse Evangelium gentibus prædicatum, & propagatum; sed à solis Catholicis, seu membris Ecclesiæ Catholicæ fuisse id præstitum; sicut etiam hodie in amplissimis Orientis, & Occidentis regionibus Asiæ, Africæ, & Americæ ab Ecclesiæ Romanæ ministris, & operariis in vinea Jesu Christi, quam rigavit sanguine suo, seu redemit merito suæ passionis, ut fructus produceret æternæ salutis, quia ut ait Tertullianus lib. de præscript. *Negotium enim est hæreticis non ethnicos convertendi: sed nostros evertendi. Hanc magis gloriam captant si stantibus ruinam; non si jacentibus elevationem operentur* & propterea quàm sint Apostolis dissimiles, judicat præfatus Tertullianus loc. cit, inquiens: *Apostoli de mortuis vivos suscitabant: isti de vivis mortuos faciunt.*

Si objicias, Ecclesiam Romanam non propagari per omnes & singulas mundi partes, proinde nec esse universalem, neque dicendam esse Catholicam siquidem in Asia legem Mahumeti ferè omnes homines sequuntur & servant præsertim in Asia minori, & tota Perside, si paucos excipias Catholicos, & alios schismaticos. In Africa eadem Mahumeti lex ferè per singulos provincias servatur, & Pauci sint ibi etiam Catholici, In Indiis Orientalibus, licèt floreat in aliquibus locis Ecclesia Romana. Numerus tamen Ethnicorum est absque comparatione longè major. In America itidem quamvis fides Jesu Christi propagata fuerit per singula propemodum marina litora, in partibus interioribus sunt adhuc ferè omnes Ethnicismi involuti caliginibus. Non igitur Romana Ecclesia videtur esse universalis.

Contra est quia cum Ecclesia Romana dicitur universalis, seu Catholica, non ita intelligitur, ut ubique terrarum debeat omnes homines comprehendere; id hactenus non fuisse, nec esse futurum visus est Saul figuram quamdam præsignasse in regno suo; quia tametsi universus populus secutus fuerit Saulem; non defuerunt tamen filii Belial qui transfugæ recesserunt ab eo 1. Reg. 10. *Et abiit cum eo pars exercitus, quo tetigerat Deus corda. Filii verò Belial dixerunt: Num salvare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera.* Neque enim Ecclesia Romana dicitur Catholica, eo quia nulli amplius debeant in mundo Judæi esse, nulli pagani, nulli amplius hæretici, cùm hisce contrariis, ac oppositis splendeat clarior, clareat illustrior. Idque videtur finisse adumbratum in filiis Israel, qui licèt terra promissionis potiti fuerint, adhuc Deus reliquit Philistæos, Chananæos, & alios plures adversantes Israeli, ut ipsum erudirent, ac exercerent in cultura virtutum Judic. 3. *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, & omnes qui noverant bella Chananæorum: & postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* Ne igitur fideles si adversariis carerent, insolescerent rebus prosperis, minusque virtute clarerent, Deus permittit hæreticos, Mahomeranos, Paganos, quibus erudiantur, ac studio exerceantur virtutum, idque causæ cur d. Paulus 1. Corinth. 2. scripserit: *oportere hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant* seu splendeant clariores exercitio virtutum. Hinc D. Augustinus tom. 2. de supremo Mundi die Epist. 80. luculenter id edisserit inquiens. *In quibus ergo gentibus nondum est Ecclesia, oportet. ut fit non ut omnes qui ibi fuerint credant: omnes enim gentes promissæ sunt, non omnes homines omnium gentium: non enim omnium est fides. Credit quidem omnis gens in omnibus, qui electi sunt ante constitutionem mundi, in cæteris non credit & credentes odit: quomodo enim, & illud implebitur. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: nisi in omnibus gentibus sint, & qui oderint, & quos oderint? quo pacto igitur ab Apostolis est prædicatio ista completa, quando adhuc usque sunt gentes, quod certissimum est nobis, in quibus modo cœpit, & in quibus nondum cœpit impleri? Non itaque sic dictum est Apostolis: Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Judæa & Samaria, & usque ad extremum terræ, tanquam ipsi soli, quibus tunc loquebatur, tantum munus fuerint impleturi: sed sicut eis solis videtur dixisse, quid dicit: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi: quod tamen eum universæ Ecclesiæ promisisse, quæ aliis morientibus, aliis nascentibus hic usque in sæculi consummationem futura est, quis non intelligat?*

Cùm igitur dicitur Ecclesia Catholica, seu universalis, ita intelligitur, ut nulla sit mundi pars, nulla provincia, nulla natio, in cujus aliqua portione non sint fideles, seu Ecclesia Romana, quæ propterea Catholica nuncupatur; ita tamen ut in aliquibus partibus Ecclesia Catholica magis, in aliis minus dilatetur, sintque fideles in aliquibus partibus plures, in aliis pauciores, ubique tamen semen hoc benedictum sparsum crescat ac floreat, unde David Psal. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Psal. 85. *Omnes gentes, quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram Te Domine.* Est fides Catholica, ex multiplici ratione. Quia à Christo Fundata in terra eadem semper invariata permanet Matth. ult. Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Quia per singulas mundi partes propagata fuit. Quia universaliter perfecta est, & in nullo claudicat ut notat D. Augustinus lib. de Genes. cap. 1. Quia ejus doctrina ubique terrarum, est una, & eadem, in quam omnes fideles sine variatione consentiunt. Quia Gentes omnes non nisi in una, & sola Ecclesia Catholica possunt salutem consequi.

CAPUT XIV.

Quomodo Romana Ecclesia sit, dicaturque Apostolica.

Romana Ecclesia non solùm Catholica dicitur in symbolo Constantinopolitano, verùm etiam Apostolica, eò quia à Christo per Apostolos instituta, ac fundata ut & propagata, adeout ejus doctrina non sit recens: neque post mortem Apostolorum orta in terris; sed Apostoli, ut isti à Magistro Christo eam didicerunt, propagârunt, ac in omnem orbem terrarum disseminârunt; & per continuam Episcoporum, ac Prædicatorum seriem ad nos usque dimanâvit: adeout illi Catholici in orbe terrarum semper habiti sint, qui Ecclesiis Apostolicis, & præsertim Romanæ Ecclesiæ communicârunt, Hæretici verò, & Schismatici, quia dissident ab hac doctrina, nec communicant cum Romano Pontifice legitimè electo, ac vero S. Petri successore, adeo avulsi sunt ab Ecclesia JEsu Christi, & expuncti è cathalogo Catholicorum.

Fuisse, ecclesiam fundatam supra fundamentum Apostolorum à Christo ejus institutore liquet Matth. 16. *Ego dico tibi Petre: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Hinc Apostolus Paulus vocat fideles superædificatos supra fundamentum Apostolorum ad Ephes. 4. *Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo JEsu.* quod ædificium constructum supra fundamenta Apostolorum viderat etiam Joan. *Apoc.* 21. ubi ait, *Veni, & ostendam tibi sponsam uxorem agni, & murus civitatis fuit, habens fundamenta duodecim, & in ipsis XII. nomina duodecim Apostolorum, & agni.* Dicitur ergo Romana Ecclesia non solùm *una, sancta, Catholica* sed additur etiam in symbolo Constantinopolitano *Apostolica*, eò quia fundata à Christo & per Apostolos propagata & ad nos usque promanata, adeout per successionem Episcoporum eadem Evangelii doctrina ab Apostolis disseminata etiam nunc germinet, ac floreat in Ecclesia Romana, quæ propterea est eadem ac Apostolica, seu ab Apostolis propagata.

Ad hanc Apostolicam Ecclesiam veluti ad tutissimum portum confugerunt singulis temporibus veteres Patres, quoties vel procellæ persecutionum, vel fluctus intumescentes hæresum insurrexerunt, eò quia huic soli promissus sit Spiritus veritatis, qui non potest falli, nec nos fallere, propterea hanc ut murum aheneum hæresum arietibus, ac infidelium machinis opposuerunt; ut Tertullianus, qui hoc telo Gnosticorum copias confodit; Cyprianus, qui hoc propugnaculum objecit Novatianis conantibus fidem labefactare, evertere: D. Hieronymus, qui hoc clypeo omnia retudit hæreticorum jacula. D. Augustinus qui hoc gladio Donatistas, Manichæos, Pelagianos prostravit. Hinc Ecclesiæ Catholicæ adhærere suos subditos voluerunt Imperatores Gratianus, Valentinianus, Theodosius, qui decretum evulgârunt, hujus tenoris, *Cunctos populos, quos Clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus Religione versari, quam D. Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat: quamque Pontificem Damasum sequi claret. Et Petrum Alexandriæ Episcopum virum Apostolicæ sanctitatis, hoc est secundùm Apostolicam disciplinam Evangelicamque doctrinam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unam Deitatem sub parimajestate, & sub pia Trinitate credamus. Hanc legem sequentes Christianorum Catholicorum nomen jubemus amplecti reliquos verò dementes, vesanosque judicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere divinâ primùm vindictâ, post etiam motus animi nostri, quem ex cælesti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos.* Illa igitur ecclesia est, ac denominatur Apostolica, quæ fidem, dogmata, & doctrinam sequitur Apostolorum, & quia hujusmodi est Ecclesia Romana, quæ eandem integram fidem, & doctrinam, quam Apostoli edocuerunt servat, ac fideliter custodit, meritò Apostolica est ac denominatur: etenim per continuam Pontificum successionem eandem fidem, quam docuit D. Petrus, docuerunt etiam ejus successores Linus, Clemens, Cletus, Anacletus, Evaristus, Alexander, & alii successores in Romano Pontificatu ad nostra usque tempora, ut etiam concilia œcumenica & SS. Patres, ac in Ecclesia Doctores: si igitur sub Clemente XI. servatur in ecclesia eadem integra fides, eadem prorsus Apostolica Doctrina, quæ servata fuit sub Innocentio XII. sub Alexandro VIII. sub Innocentio XI. & sic deinceps sub reliquis prædecessoribus Romanis Pontificibus usque ad D. Petrum, sequitur evidenter Ecclesiam esse Apostolicam, eò quia semper servaverit, ac integrè custodierit fidem, & dogmata Apostolorum. Ritè quis evincit antiquam nobilitatem, eo quia ostendat ejus Patrem, Avum, Proavum, Abavum, Atavum, & alios plures natu majores in eadem familia fuisse omnes ex ordine equestri usque ad stipitem, & munia obiisse nobilia officia exercoisse, quibus soli nobiles insigniuntur, rectè probat se nobilem esse; Perinde ille hominum cætus qui cum Romana Ecclesia communicans, paret Romano Pontifici, quia probat fidem à se integram servari, ac doctrinam custodiri, quam summi Pontifices Romani semper servârunt ac docuerunt ab hodierna die ad tempus usque, quo S. Petrus Christi Vicarius rexit in terris militantem Ecclesiam,

clesiam, rectè dicitur, & est Ecclesia Apostolica. Hanc probandi rationem ut aptissimam servârunt SS. Patres, Irenæus lib 3. adversus hæreses cap. 4. ait: *Traditionem ab Apostolis, & annunciatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad eos, indicante confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam præterquam oportet colligunt.*

Hanc eandem prorsus fidem integram, ac doctrinam, quam hodie custodit, ac docet Romana Ecclesia, docuisse ac servasse eandem Ecclesiam Romanam præcedentibus annis, & sæculis usque ad tempora Apostolorum, ac propterea doctrinam & fidem ecclesiæ, esse hodie eandem prorsus, quam docuerunt Apostoli, ex eo evincitur, quia quoties post tempora Apostolorum aliquid innovatum fuit contra fidem, vel doctrinam Apostolorum, quam integram servavit semper, & etiam nunc servat Ecclesia Romana, hæc semper totis viribus se opposuit propugnatura fidem integram, & doctrinam Apostolorum, neque permisit labefactari, & contrarium doceri in Ecclesia ab iis quæ Apostoli docuerunt, quorum propterea fidem, & doctrinam integram, & incorruptam semper servavit, servat, & servabit, cum dixerit Christus S. Petro ut ejus in militante Ecclesia Vicario, consequenter & nomine Petri ejus successoribus vicem Christi in ecclesia gerentibus *Ego rogavi pro Te Petre, ut non deficiat fides tua.*

Dices jam ab ipso Ecclesiæ exordio Apostolicam doctrinam corrumpi cœpisse, ac adulterari sequentibus temporibus. Contra est quia licèt ab uno vel altero cœperit doctrina Apostolorum adulterari, nunquam tamen tota ecclesia cum capite eam corrupit, vel adulteravit, quinimò tota ecclesia singulis temporibus invectos ab adulterantibus, & corrumpentibus doctrinam Apostolicam errores damnavit, abegit, & fideles ab iisdem avertit, & incorruptam, ac integram semper servavit, ac servat Apostolicam doctrinam, & fidem. Non inficior plures quovis tempore etiam in ipso ecclesiæ exordio fuisse corruptores doctrinæ Apostolicæ, transfugas ad desertores fidei, qui per disseminatos errores conati sunt corrumpere Apostolicam Doctrinam, ut tempore Apostolorum Simon Magus nuncupatus à peritia magicæ disciplinæ, cui S. Petrus maledixit, ex quia ab Apostolis pecuniâ voluerit Spiritum Sanctum emere. Hic enim docuit creaturam non à Deo, sed à quadam virtute finita, & creata fuisse traductam ex nihilo ad esse, & alios effudit errores, quos impugnârunt SS. Patres præsertim Irenæus, & Augustinus, & ut alios taceam Apostolicæ doctrinæ corruptores etiam sub primis ecclesiæ initiis. Anno Christi 68. Nicolaitæ ita nuncupati à Nicolao Diacono, qui (ut perhibentur,) unus fuit ex illis septem, quos Apostoli Diaconos ordinârunt, usus fœminarum communes dixerunt, & quædam fabulosa crediderunt de mundo, quem volnerunt non à Deo conditum, sed à quibusdam potestatibus factum: ait Isidorus: Nicolaitæ dicti à Nicolao Diacono Ecclesiæ Hierosolymitorum, qui cum Stephano, & cæteris constitutus est à Petro qui propter pulchritudinem relinquens uxorem, ut, qui vellet, eâ uteretur, versa est in stuprum satis consuetudo, ut invicem conjugia commutarentur; quòd tam in lege veteri, quàm in evangelio damnatur: etenim *Levit.* 20. Mœchus & adultera morte damnantur. Matth. 19. probibet adulterium *non adulterabis*. Imò etiam ipsum desiderium *qui videt mulierem ad concupiscendum jam mœchatus est in corde suo.* Deut. 5. *Non concupisces uxorem proximi.* Imò etiam simplex fornicatio liberi cum libera prohibetur D. Paulus ad Ephes. 5. *Omnis fornicator, aut immundus non habet partem in regno Dei,* 1. Corinth. 5. *Fugite fornicationem.* Anno 74. Christi Menandriani à Menandro Mago discipulo Simonis asserebant mundum non fuisse à Deo conditum, sed ab Angelis contra illud Genes. 1. *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Circa annum Christi 110. Anacleto Pontifice Saturniniani ita nuncupati à Saturnio perhibentur in Syria revocâsse errores Simonis; & rursus docuerunt, mundum ab Angelis factum præter DEI conscientiam, contra scripturas Genes. 1. *In principio creavit Deus cœlum, & terram* ad Hebræ. 4. *Cujus oculis omnia nuda sunt, & aperta* Daniel 13. *Tu nosti omnia antequam fiant.* Psal. 43. *Ipse novit abscondita cordium.* Circa annum 120. tempore Evaristi Basilidiani à Basilide dicti non crediderunt Christum à Judæis occisum fuisse, tot cœlos posuerunt, quot numerat annus dies; mundum non esse conditum à Deo; & alios plures docuerunt contra fidem errores, contra evidentem scripturarum veritatem. Sedente in cathedra D. Petri eodem Pontifice Evaristo. Gnostici ab excellentia scientiæ sic vocari juxta Isidorum asseruerunt, animam esse Dei naturam ac de illius substantia, quod hæreticum est; quod enim est de substantia Dei, est Deus; & anima cùm sit pars hominis, est quid finitum & creatum ac consequenter imperfectum. Rursus anima est mutationi obnoxia, quoad scientiam, & ignorantiam, velle, & nolle; non ita Deus Malachiæ 3. *Ego Dominus & non mutor.* Rursus duos asseruerunt Deos bonum unum, alterum malum contra scripturas. Deuter. 6. *Audi Israel Dominus Deus tuus unus est,* 1. Corinth. 8. *Unus est Deus ex quo omnia.* Sub iisdem primis temporibus ecclesiæ Carpocratitæ juxta Isidorum asseruerunt Christum fuisse tantùm hominem de utroque progenitum sexu contra symbolum Apostolorum *conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.* Jan. 1. *& verbum caro factum est.* Peccati turpitudinem licitam esse; contra scripturas Psal. 118. *Ab omni via mala prohibui pedes meos.* seu averti à peccato omnia mea desideria. Præterea Deus non odit quæ licita sunt; sed odit iniquos Psal. 118. *Iniquos odio habui* quibus per Isaiam 5. dicit Deus *Væ qui dicunt malum bonum.* Ex Carpocratitis aliqui asseruerunt Christum fuisse quidem Dei filium, non tamen naturalem, sed adopticum contra scripturas Joan. 1. 5. *Scimus, quia filius Dei venit in mundum, & dedit nobis Spiritum, ut cognoscamus, verum Deum, & simus in filio ejus* scilicet in filio ejus per naturam, & veram divinitatem non per adoptionem: hinc Joannes cit. *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Valentiniani ex Isidoro tempore Telesphori summi Pontificis circa annum 145. docuerunt, Christum de virgine nihil corporis assumpsisse, sed tantùm per eam tanquam per fistulam transiisse contra scripturas Joan. 1. *Deus erat Verbum & verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Isai 3. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel, quod interpretatur nobiscum Deus.* D. Paulus ad Rom. 1. *Qui factus est ex semine David secundum carnem.* Hinc Joan. 2. Virgo Maria vocatur *Mater Jesu* quia ex ejus purissimo sanguine ope Spiritus Sancti Christi humanitas formata fuit. Præterea docuerunt Deum creatorem habuisse initium temporis, quod etiam est hæreticum; quia si habuit initium temporis, necessariò fuit tempus quando non erat, & tunc intelligitur traductus de non esse ad

esse, ac proinde factus, & non à se; cùm nihil producat se ipsum, operari enim semper supponit esse, ad quod sequitur sicque esset, antequam esset, & fieret quod est impossibile, ut argnmentatur D. Augustinus 1. de Trinit. Cap. 1. Præterea Deus increato ab initio temporis non potuit fieri, quia non fuit à quo fieret, si enim fuisset aliquid hoc fuisset Deus ante initium temporis à se ipso; Liquet igitur initium temporis non potuisse Creatorem habere; sed hunc esse æternum Psal. 101. *Tu autem Domine in æternum permanes* Proverb. 9. *Antequam quicquam faceret* æternitaFilius cum æterno Patre erat *cuncta componens.*

Rursus circa annum Christi 155. Hygino Pontifice Marcitæ negârunt carnis resurrectionem, & asseruerunt Christum non verè sed tantùm putativè fuisse passum: utrumque adversari Scripturis liquet. Psal. 15. de Christi Resurrectione dicitur: *Caro ejus non vidit corruptionem* Luc. 24. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* ait S. Augustinus serm. 143. de tempor. *Hanc Resurrectionem in se ipso Caput nostrum Christus ostendit, & exemplum Fidei nobis præstitit, ut hoc sperent membra in se quod præcessit in capite.* Fuit hoc Resurrectionis mysterium Ethnicis Philosophis ignotum, quamvis iisdem speculo naturæ lumine innotuerit animæ nostræ immortalitatis: sed à Deo revelatum S. Jobo Job. 19. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: Et rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt; & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Hæc mortuorum resurrectio eò facilius credi debet, quò nobis constat in utroque testamento plures mortuos fuisse resuscitatos ab Elia, & Elisæo, à Christo, ab Apostolis, & à pluribus aliis sanctis viris. Quòd si semen terræ frumentum sepultum, mortuum, ac putrefactum reviviscit, germinat, crescit, ac multiplicat: cur non etiam caro nostra 1. Corinth. 15. *Seminatur in corruptione resurget in incorruptione. Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Quamvis in sacris Scripturis caro significet integrum hominem Joan. 1. *Verbum caro factum est:* Hoc tamen loco significat solum Corpus; quia anima est immortalis nulli corruptioni obnoxia, quia igitur anima non moritur, neque dicitur resurgere, sed sola caro, & hac de causa in symbolo Apostolorum non hominis, sed carnis confitemur resurrectionem, quia homo constat ex anima spirituali, & carne; & non illa, sed hæc moritur, & resurgit. Præterea quoad secundam Marcitarum hæresim liquet ex sacris Scripturis Christum non putativè, sed verè, & realiter fuisse passum Matth. 20. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, ac flagellandum, & crucifigendum, & tertiâ die resurget.* Luc. 24. *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Passus est non solùm corpore, sed etiam animâ quoad inferiorem partem humanorum affectuum Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem:* quamvis in Christo natura humana juncta fuerit personæ divinæ, sensit tamen passionis acerbitatem, quia in una Christi persona utriusque naturæ humanæ, & divinæ proprietates servatæ fuerunt; Hinc S. Leo Epistol. ad Flavianum: *Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est: Verbo scilicet operante quod Verbi est; & carne exequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis.*

Tempore Victoris I. Papæ circa annum 196. Melchisedechitæ vocati ait Isidorus quia crediderint Melchisedech Sacerdotem DEI non hominem fuisse sed virtutem DEI ut refert D. Hieronymus Epist. ad Euangelum inquiens: *Melchisedech quidam existimârunt fuisse non hominem, sed Spiritum Sanctum pro eo quod scribat Apostolus* ad Hebr. 7. quòd: *Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogia, nec initium dierum, nec finem vitæ habens, assimilatur Filio DEI, manet Sacerdos in æternum:* Quem errorem confutat S. Augustinus in Psal. 109. quia qui homo non est, non potest esse Sacerdos, adeo ut Christus non sit Sacerdos secundùm divinitatem; sed tantùm secundùm humanitatem, seu ut est homo, & obtulit victimam, seu carnem assumptam, quâ pro nostris peccatis satisfaceret divinæ Justitiæ; unde esse Sacerdotem non convenit DEO, neque DEI Filio secundùm divinitatem, nec Angelo, sed homini, & Christo secundùm humanitatem. Hinc S. Augustinus 10. de Civit. cap. 6. ait: *Christus Sacerdos magnus, qui se ipsum obtulit in Passione pro nobis, ut tanti capitis Corpus essemus secundùm formam servi obtulit. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est: quia secundùm hanc mediator: in hac Sacerdos est, in hac Sacrificium est. Et decet, ut homo secundùm carnem sensibilis esset Sacerdos, qui offerret panem & vinum, verum Sacrificium, Corpus, ac carnem, & Sanguinem Christi, ut sacrificium carnis & Sanguinis conficeretur à Sacerdote homine composito ex anima & corpore, in carne & sanguine.* Sacrificium igitur non nisi per Sacerdotem in forma hominis offertur, non verò in forma DEI, neque Angeli; & Melchisedech fuit purus homo, non virtus divina, ut probat D. Hieronymus in Epist. ad Evangelum, eò quia vixerit in terra, ait ipse: *Si ergo Salem est civitas, & vallis Regis, sive campus, in quo erat habitatio Regis, oppidum juxta Scithopolim, quod usque hodie vocatur Salem juxta quod Joannes baptizabat quia aquæ multæ erant ibi: manifestum est, hominem fuisse, qui in terrena valle, & urbe modica regnavit.* Fuit igitur Melchisedech homo Rex Salem, & Sacerdos offerens panem, & vinum, in quo assimilatus est Christo Filio Dei.

Valesii tempore Fabiani Papæ, & Martyris, seu circa annum Christi 246. putârunt non posse quemquam Deo servire nisi se ipsum carnaliter castraret, ac propterea se ipsos, ac suos hospites castraverunt, existimantes ita debere se Deo servire. Qui tamen error fuit ab Ecclesia statim damnatus, quia crudeliter in se ipsos læviebant, séque manifesto periculo occisionis plerumq; ætate provecta exponerent, neque in hoc potuerunt DEO placere, nec illi servire cum Exod. 20. præcipiat, *Non occides* scilicet neque te, neque alium ut exponit D. Augustinus 1. de Civit, cap. 21. sed serviunt diabolo qui ex Joan. 8 *Homicida fuit ab initio.* Licèt Matth. 19. laudentur Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum Cœlorum, non tamen id intelligi debet de Eunuchis, qui carnaliter se castraverunt cultro ferreo, vel alio materiali instrumento: sed de Eunuchis qui spiritualiter se castraverunt per votum castitatis, ejúsque observantiam, seu per abstinentiam ab omni usu carnali, & per continentiam: quo pacto religiosi, & omnes voventes castitatem, & continentes seà quavis voluptate carnali, dicuntur Eunuchi & castrati propter regnum Cœlorum.

Novatiani à Novato Romano præsbytero nuncupati sub Cornelio Papa, & Martyre circa annum 254. hæresim instituerunt, quâ detrectabant Apostatas suscipere, & resipiscentes non admittebant; & baptizatos repabtizabant; contra Scripturas Matth. 17. *Si peccaverit in te frater tuus increpa illum: si pœnituerit dimitte illum*, seu toties, quoties peccantem pœnituerit.

tuerit, Matth. 16. Petrum post trinam negationem Christus suscepit plorantem, & resipiscentem, ad cujus exemplum debemus apostatas resipiscentes recipere, ac reconciliare Ecclesiæ. Rebaptizare baptizatos adversatur unitati Baptismi ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*, eò quòd semel tantùm conferatur In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S.: additur etiam ratio Joan. 13. quia *qui lotus est semel*, scilicet per lustralem Baptismi aquam: *non indiget nisi ut pedes lavet*; seu contractas peccatorum maculas ex imbecillitate carnis, quæ per pedes indicatur, abstergat lacrymis resipiscentiæ in piscina lactæ exhomologesis.

Sabelliani à Sabellio Discipulo Noeti nuncupati sub Sixto Papa & Martyre circa annum 260. confuderunt in DEO personas docentes unam tantùm dari personam divinam, quæ esset Pater, & Filius, & Spiritus S. quod est hæreticum, ut evincit D. Augustinus 1. de Trinit. cap. 1. quia eadem persona non generat se ipsam alioquin esset antequam intelligeretur esse: & in divinis Deus Pater generat Filium Psal. 2. *Filius meus es tu ego hodie genui te* id est ab interno ut infert Apost. ad Hebr. 1. Joa. 10. *Ego & Pater unū sumus* unde plures personæ recensentur in plurali esse quid unū in substantia, & essentia. Joan. 8. ait Christus. *Non sum solus, sed & qui misit me, Pater*, scilicet est mecum: sin autem una ac eadem persona esset Pater, & Filius, tunc esset solus, quia ubi una tantùm datur persona, hæc dicitur sola esse. Joan. 1. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum sunt* recensentur in Deo tres personæ distinctæ in ratione personæ, quæ dicuntur esse quid unum in ratione naturæ; & essentiæ.

Cùm igitur Ecclesia suo ab initio per sequentia semper sæcula in id incubuerit studii, ut errores omnes quotquot irrepserunt contra Fidem, Sacras Scripturas, & veram Apostolorum doctrinam, impugnaverit, damnaverit, ac prorsus deleverit; inferendum procul dubio est, Ecclesiam Romanam per suos Pontifices intemeratam semper servâsse, ac servare Apostolicam doctrinam, ac eamdem prorsus Fidem integram, quam ipsi docuerunt, ac propterea à doctrina, ac Fide Apostolorum, quam intemeratam, ac incorruptam servat, esse Apostolicam dicendam: Hinc S. Irenæus lib. 3. advers. Hæreses cap. 4. ait, *Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facilè est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli quasi in depositorium dives, plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis, ut omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc enim est vitæ introitus: omnes autem reliqui fures sunt, & latrones, propter quod oportet devitare quidem illos: quæ autem sunt Ecclesiæ cum summa diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem. Quid enim? etsi de modica aliqua quæstione disceptatio esset; nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt; & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum, & liquidum est? Quòd si Apostoli Scripturas non reliquissent; nonne oporteret ordinem sequi traditionis, quam ipsi tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesiam?* Si igitur quoties ex fidelibus aliqui ab integra Christi Fide, vel Apostolorum doctrinâ aberrârunt, eosdem Ecclesia juxta divinas promissiones primum monuit, ut corrigerentur, postea persistentes in erroribus damnavit, proscripsit, anathematizavit; idque à tempore Apostolorum successivè per sequentia sæcula; idque ut doctrinam Apostolorum ad nos usque derivatam, servaret indemnem & Fidem JESU Christi custodiret integram, ac intemeratam: Jure merito Romana Ecclesia hanc eandem Apostolicam doctrinam hæreditario jure dicitur possidere, ac propterea nuncupatur Apostolica. Huc accersendus Tertullianus lib. de præscript. cap. 20. ubi ait: *Apostoli primùm per Judæam contestatâ Fide in Jesum Christum, & Ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam ejusdem Fidei nationibus promulgaverunt, & proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traductionem Fidei, & seminia doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidiè mutuantur, ut Ecclesiæ fiant. Ac per hoc, & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot, & tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & Apostolicæ; dum una omnes probant unitatem.* Si quæras quænam speciatim sint, quæ Apostoli prædicaverint, & quæ iisdem Christus revelaverit; respondet Tertullianus ea non posse nobis innotescere, nisi per easdem Ecclesias quas Apostoli fundârunt; adeo ut doctrina Apostolica sit eadem, quam Ecclesiæ ab Apostolis vel vivâ voce, vel per Epistolas acceperunt, & Romana præsertim Ecclesia semper incorruptam, ac integram custodivit, & etiamnunc custodit, servabitque usque ad consummationem sæculi. Pergit Tertullianus: *Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Apostolicis matricibus, ac originalibus Fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem, quod ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit: omnem verò doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei* & paucis interjectis *communicamus cum ecclesiis Apostolicis*. Et cap. 36. asserens ibi Apostolicam esse Ecclesiam, ubi Apostolorum est doctrina, ait: *Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsident; apud quas ipsæ authenticæ eorum literæ recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum: si non longè es à Macedonia habes Philippos; habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces habes Romam. Ista quidem felix ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Ubi Petrus passioni Christi adæquatur: ubi Paulus Joannis exitu coronatur: ubi Apostolus Joannes, postquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque ecclesiis contesserarit.*

Respondent Sectarii sub primis Ecclesiæ initiis perseverâsse in Ecclesia Romana Apostolicam doctrinam, sed postea fuisse corruptam. Quòd si ab iisdem sciscitaris quo tempore, & à quo in Romana Ecclesia fuerit Apostolica doctrina corrupta, circa Authorem corruptionis nullum assignant, nec possunt. Circa tempus, asserunt aliqui fuisse Apostolicam doctrinam in Ecclesia corruptam quingentis abhinc annis: Alii septingentis abhinc ferè annis; & abhinc ferè mille, & alii circa tempora S. Gregorii, quo tempore ajunt Fidem JESU Christi in Ecclesia Romana defecisse. Ita sentiunt Wolfgangus Musculus in locis commun. cap. 12. de Eccles. Lotherus in supputatione annorum mundi. Illyricus in Cathalogo test. verit. in Præfat. Verum hæc ipsa temporum varietas eos redarguit mendacii, & falsitatis. Fuit enim tempore Gregorii in Ecclesia Romana, & in aliis Catholicis una ac eadem Fides, cujus integritatem Constantinopoli ubi fuerat à Pelagio Pontifice

missus, defendit contra Eutichium Patriarcham, qui scripserat contra veram, ac tractabilem corporum resurrectionem; & ita nervosè eum convicit ut Imperator jusserit ejus librum flammis comburi Donatistas etiam in Africa, Arianos in Hispanis repressit, Agnoitas Alexandria ejecit; & detrectavit dare pallium Syagrio Augustodinensi, nisi Neophytos hæreticos expelleret ex Callia. Gothos etiam hæresim Arianam deserere coëgit. Unde tantùm abest quòd tempore Gregorii Fides in Ecclesia Romana defecerit, ut potius in reliquis mundi partibus fuerit propugnata & doctrina Apostolorum latius disseminata: misit enim Gregorius in Angliam Augustinum, ac alios doctissimos ac pios Monachos, quorum opera regnum illud ad JESU Christi Fidem convertit, dictus propterea à Venerabili Beda Angliæ Apostolus. Post tempora Gregorii, ut etiam antea Ecclesia Romana in id semper incubuit studii usque ad nostra tempora, incumbetque usque ad consummationem sæculi, ut Fidem integra, ac doctrina Apostolorum indemnia, ac illæsa semper servetur. Ob idque quotquot insurrexerunt contra Fidem, ac Apostolorum doctrinam, Ecclesia Romana propterea verè Apostolica impugnavit, ac damnavit.

Quia verò hæc veritas ostensiva nequit evinci, nisi recensitis hæresibus, quas Ecclesia quovis tempore semper impugnavit, ut illæsam servaret Apostolorum doctrinam, ac Fidem integram; placet hic attexere errores, si non omnes, saltem præcipuos ab Ecclesia damnatos. Circa annum 230. post enarratas paulò superius hæreses, quæ sub Ecclesiæ primis initiis damnatæ fuerunt; insurrexerunt Originiani dicti ab Origine. Notat D. Augustinus lib. de hæres. 42. & 43 duos fuisse Origenistarum Sectarios, eò quia duo fuerint Origines, quorum unus nefanda docuit, & patravit; alter Doctor fuit toto orbe celebris, qui ferè totam S. Scripturam fuit interpretatus, de quo ait D. Hieronymus: *Origenes cùm in expositione Scripturæ sacræ cunctos vincat; se ipsum in canticis canticorum vincit.* Is tamen postea erravit, quia asseruit Angelos, & animas ante creationem mundi peccâsse, qui error, quia contra S. Scripturam, damnatus ab Ecclesia fuit Genes. 1. 31. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Si postquam Deus mundum condidit, vidit cuncta quæ fecerat, esse valde bona: ergo Angeli, & animæ non peccârunt ante mundum, seu creaturas conditas, cùm Angeli & animæ sint etiam creaturæ à Deo factæ, & à Deo visæ, seu cognitæ bonæ unà cum aliis creaturis quas fecerat. Neque protoparentes Adam, & Eva peccârunt ante mundum conditum, sed postquam fuit terrestris paradisus a Deo conditus, in illo enim cùm morarentur, peccârunt *Genes.* 3. Ante peccatum Angeli jam erant in cœlo, & protoparentes in terrestri paradiso, ubi peccârunt; & quia neuter locus peccatum sustinet, Angeli peccatores, & protoparentes expulsi fuerunt illi è cœlo, isti è paradiso. Rursus in lib. cui titulus *Periarchon* asseruit animas detineri in corpore veluti in carcere, quod falsum est, quia anima non violenter, sed naturaliter est in corpore organico, cujus est actus seu forma. Genes. 1. legimus Deum formâsse hominem de limo terræ quantum ad corpus, & spirâsse in faciem ejus spiraculum vitæ, seu creasse in ipso animam rationalem. Præterea docuit Angelos malos aliquando à suis pœnis liberandos esse, quod est hæreticum contra illud Christi Luc. 16. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus*, si tormentum ignis est æternum, ergo nunquam erit cessaturum. Alios docuit errores in præfato libro Periarcho, seu de principiis, quos tamen postea retractavit, & ipsum pœnituit. De Origine scribit D. Hieronymus, quod ubi scripsit bene, nemo scripsit melius; & ubi malè, nemo pejus. Planctum Origenis transtulit divus Hieronymus ex Græco in Latinum, in quo deflet suos errores quos resipiscentiæ spongia lacrymis imbuta, & madida abstergit, ac delet.

Pauliniani à Paulo Samosateno nuncupati circa annum 314. contra doctrinam Apostolorum docuerunt, ut refert D. Augustinus de hæres. hæres. 44. Christum non semper fuisse, quod est hæreticum quoad divinitatem; quia licet quoad humanitatem fuerit in tempore natus de virgine ad Galat. 3. *At ubi plenitudo temporis venit; misit Deus Filium suum factum ex muliere*, quoad divinitatem tamen fuit ab æterno Psal. 18. *In æternum permanet verbum tuum*, seu filius æterni Patris, qui nostram assumpsit humanitatem, ut nos redimeret à servitute peccati. Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, per quod omnia facta sunt*, & de Christo Apostolus ad Hebræos 1. intelligit illud Psal. *In principio Tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.* Secundò errarunt Pauliniani quia dixerunt, Christum fuisse purum hominem, ex quo errore orta postea fuit hæresis Arianorum, quæ visa est quasi totum orbem infecisse: contra doctrinam Joan. 1. ubi de Christo ait: *Ego testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.* Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Hanc eandem hæresin excitarunt postea Photiniani à Photino Episcopo hæretico nuncupati anno 344. & ulteriùs errârunt, quia asseruerunt Christum ex Maria non virgine natum, sed cognita à S. Josepho contra sacras Scripturas, & doctrinam Apostolorum Matth. 1: *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet enim filium, & vocabis nomen ejus Jesum*, Isai. 7. *Ecce virgo habebit in utero filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur, nobiscum Deus* Luc. 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbravit Tibi: ideoque quod ex Te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei.*

Manichæi à Manichæo dicti, vel quia ob insanam doctrinam maniâ visi sunt laborâsse, ut enim refert D. Augustinus hæres. 46. posuerunt duo principia, bonum unum, alterum malum: cùm tamen de fide sit unum tantum dari principium, se DEUM creatorem cœli, & terræ, ac rerum omnium in iisdem. Hunc errorem rejicit Augustinus de Natura Boni cap. 1. Quia omnis natura in quantum natura, est quid bonum; ut omne bonum est à principio Bono, proinde omnis rerum natura non potest esse nisi à principio bono: hinc de Deo ait David Psal. 118. *Qui fecit cœlum & terram, & omnia, quæ in eis sunt.* Genes. 1. *viderat omnia, quæ fecerat, & erant valde bona.* Rursus Manichæi vetus testamentum respuerunt, & novum tantùm in parte receperunt. Et Faustus Manichæus negavit totam Genealogiam Christi, Manichæorum errores recenset D. Augustinus, & nervosè confutat in 33. disputationibus, quæ comprehenduntur in volumine contra Faustum, qui asserebat Evangelium Jesu Christi incipere à prædicatione, non ab ejus generatione contra Scripturas D. Paulus 2. Timoth. 2. *Memor esto Dominum Jesum Christum surrexisse à mortuis ex semine David secundum Evangelium meum.* Vocat suum Evangelium generationem Christi ex semine David, seu Evangelium omni-

omnium fidelium: Unde Angelus ad pastores ait; Luc. 2. *Evangelizo vobis gaudium, quod erit toti populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David.* Hinc D. Paulus loc. cit. loquentes, & annunciantes contra sanctum Evangelium anathematizat; quia in hoc quod evangelio obsistant, Christi Evangelium subvertunt; *Licet Angelus de cœlo evangelizet vobis, præter id, quod evangelizavimus vobis, anathema sit: Sicut prædixi, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit;* & indicans causam anathematis addit: *Notum enim facio vobis fratres, quia evangelium, quod est evangelizatum à me, non est secundùm hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Manichæi igitur, quia aliud docuerunt, quàm evangelizaverit D. Paulus; scilicet Christum non natum, ab Apostolo anathemate feriuntur: quia D. Paulus evangelizavit Christum natum ex virgine, ex semine David. Ad Rom. 1. *Paulus servus Jesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.*

Arriani nuncupati ab Arrio presbytero Alexandrino circa annum Christi 351. suis erroribus adeò ingens excitavit incendium ut ferme totum Christianum orbem adusserit, de quo ait D. Hieronymus: *quia à principio modica scintilla non fuit statim extincta, fere totum orbem incendit.* Negarunt Arriani Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unius esse substantiæ, & essentiæ contra doctrinam Apostolorum & Sacras Scripturas Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus.* Joan. c. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres* in personis, *unum sunt* in essentia, & substantia. Filium docebant esse creaturam Patris; & Spiritum Sanctum à Filio creatum: contra Sacram Scripturam, quia cùm Deus sit à se, & creatura ab alio, sequitur, creaturam non esse Deum, consequenter Filium, & Spiritum Sanctum non esse Deum contra illud Joan. 1. *Deus erat verbum, & per ipsum facta sunt omnia:* sed ut argumentatur S. Augustinus Lib. de Trinit. cap. 1. *Si* Verbum Dei Filius esset creatura, esset factum per se ipsum, quod repugnat: ergo Verbum Dei Filius non est creatura, sed principium, & causa efficiens creaturæ. Hinc Prov. 8. Filius Dei dicitur Sapientia increata ab æterno, & ante omnia concepta, & genita. Neque Arriani intellexerunt verba Christi loquentia de propria Trinitate, quæ Judæi statim intellexerunt Joan. 5. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor,* & quia se fatebatur unum Deum cum Patre, quærebant Judæi eum interficere: ergo Filius non est creatura, sed verus Deus; & ideo Judæi quærebant eum interficere, quia asserebat se Patrem Deum habere, ac illi æqualem esse, seu ejusdem essentiæ, naturæ, & substantiæ. Hinc errârunt itidem Arriani, eò quia filium patre minorem asseruerint, quia cùm sit ejusdem naturæ, ac Deitatis cum Patre, nequit esse minor Patre, alioquin idem esset minus se ipso, quod repugnat. Objiciebant illud Joan. 14. ubi Christus ait *Pater major me est:* sed respondet d. Augustinus, Christum fuisse loquutum de sua humanitate, quæ minor est, non verò de sua divinitate, qua est æqualis Patri: Unde Apostolus ad Philip. 2. *Cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo.* Non igitur Christus est minor Patre secundùm formam Deitatis; sed secundùm habitum humanitatis. Errârunt itidem, quia cum Græcis asseruerint Spiritum Sanctum tantùm à Patre procedere, non à filio, quod adversatur scripturis Joan. 16. ubi Christus ait loquens de Spiritu Sancto: *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet.* Dicitur Spiritus S. accipere à Filio, quia ab ipso procedit: unde dicitur non solum Spiritus Patris, sed etiam Filii ad Galat. 4. *Misit Spiritum filii sui in corda nostra.* Hinc Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio est dogma fidei definitum in Conciliis œcumenicis Lugdunensi secundo sub Gregorio X. & Florentino sub Eugenio IV. Hinc Ecclesia in symbolo Constantinopolitano profitetur, & canit de Spiritu Sancto. *Qui à Patre Filioque procedit* & in symbolo S. Athanasii, *Spiritus Sanctus à Patre, & filio non factus, nec creatus, nec genitus sed procedens.* Particula illa *filióque* non à Patribus Concilii Constantinopolitani inserta fuit symbolo; sed sequentibus sæculis ab Ecclesia ad majorem fidei explicationem; quia Spiritum Sanctum ex Filio procedere virtualiter continetur in illa sententia *qui ex Patre procedit*, quæ continetur in Concilio Constantinopolitano, à Nicæno non dissentiente, quod explicationis causa habet. Præterea errarunt asserentes, filium non esse æternum; contra illud Joan. *In principio erat verbum;* seu in principio æternitatis; quia cùm filius sit Deus consubstantialis Patri, est æternus: hinc David Psal. 108. *Tecum principium* scilicet æternitatis; *ex utero* seu ex mea substantia; *ante Luciferum* seu ante omnia, & ab æterno *genui Te*, ut explicat D. Augustinus ad orof. quæst. 1. Hinc de Filio egrediente à Patre per æternam generationem, dicitur Michææ 5. *Egressus ejus à diebus æternitatis.*

Priscillianistæ circa annum 380. plures finxerunt errores contra Sacras Scripturas, quos Ecclesia damnavit. Primò censuerunt animam nostram esse particulam divinæ substantiæ, quod est hæreticum; quia quod est substantia Dei, est æternum infinitum, quia Deus est æternus infinitus; & anima nostra limitata est, & finita in tempore, à Deo creata, neque fuit antequam nos geniti essemus. Genes. 1. Deus dicitur fecisse animam rationalem, quam spiravit in caput Protoparentis. Rursus Genes. 1. homo dicitur conditus ad imaginem, & similitudinem Dei, quòd si ad imaginem & similitudinem, est quid distinctum, cùm similitudo non detur nisi inter plura distincta S. Augustinus 14. *de Trinit. c.* 8. ex eo quod homo factus sit, infert animam esse factam, cùm per ipsam factus sit homo ad imaginem, & similitudinem Dei. Rursus errarunt docentes cùm Manichæis mundum à principio malo factum, quod superius rejectum fuit. Præterea esum carnis ut quid immundum damnant contra Evangelium Luc. 16. ubi pius Pater laudatur, eò quia filio prodigo resipiscenti parari jusserit vitulum saginatum; & de re turpi, ac immunda nullus laudatur. Nuptias itidem damnarunt, cùm Apostolus 1. Cor. 7. matrimonium ut bonum commendet; & Christus in Evangelio præcipiat, non esse separandos, quos Deus conjunxit.

Jovinianistæ à Joviniano Monacho nuncupati, contra quem S. Hieronymus duos scripsit libros, docuerunt omnia peccata esse paria, quod est hæreticum; quia quo malitia est major, eò peccatum est gravius; & Christus peccatum in Spiritum S. ratione suæ gravitatis dicit irremissibile. Hanc peccatorum inæqualitatem Christus etiam significat, Joan. 10. cùm respondit Pilato: *Propterea qui tradidit me tibi majus peccatum habet.* Deuter. 25. etiam dici-

dicitur, quòd juxta mensuram peccati erit plagarum modus, unde peccata sunt in gravitate inæqualia. Apocal. 28. *Quantum glorificavit se*, seu quantò plus, *& in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum.* Præterea statum virginitatis æquarunt nuptiali contra Apost. 1. Corinth. 7. ubi expressè præfert virginitatem nuptiis, sicut Consilium perfectionis inquiens: *Præceptum non habeo sed consilium do*: unde Augustinus de conditione viduitatis sit: *Supergreditur virginitas supra conditionem naturæ humanæ, per quam homines Angelis assimilantur.* Alios invenerunt errores quos D. Hieronymus confutavit.

Pelagiani à Pelagio Monacho dicti circa annum 405. asserebant liberum arbitrium absque ope divinæ gratiæ sufficere ad promerendam æternam gloriam contra Scripturas, Evangelium, & Apostolicam doctrinam. Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi datum ei fuit à Patre meo qui in cœlis* hoc est nemo potest ad Deum accedere, neque æternam gloriam consequi nisi per donum gratiæ Spiritûs Sancti. Unde Apostolus Paulus 1. Corinth. 15. scribit. *Gratia Dei sum id quod sum & gratia ejus in me vacua non fuit: sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego sed gratia Dei mecum.* Gratia siquidem supernaturalis perficit liberum arbitrium, cui impertitur facultatem operandi supernaturaliter, & meritoriè; Unde Apostolus ad Tit. 3. *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abundè per JESUM Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ:* Ex Apostolo gratia non solùm præbet libero arbitrio facilitatem; sed etiam dat facultatem operandi meritoriè supernaturaliter vitam æternam: ait Apostolus: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit, ut justificati gratia ipsius hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ.* Hanc Pelagianorum hæresim fusè impugnavi in Theol. Tom. 5. Tract. de Gratia. Rursus docuerunt, charitatem donum Dei non esse contra Sacras Scripturas 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater* imo est charitas excellentius donum, quia ipsa ædificat, adeo ut scientia 1. Corinth. 8. inflet, & ad Ephes. 5. *Fides quamvis sit donum Dei, sine charitate non prodest*: Si igitur scientia, & fides sine charitate deficiunt; illa inflat, hæc non prodest; & cum charitate hæc prodest, & illa juvat; sequitur charitatem esse perfectius donum. Præterea negârunt orationes, quas Ecclesia facit pro infidelibus, ut ad Fidem convertantur, quidquam habere valoris, contra S. Scripturam Genes. 20. ubi Deus dicit Abimeleco Regi infideli de Abrahamo. *Propheta est, & orabit pro te.* Rursus asseruerunt gratiam Dei dari hominibus secundùm eorum merita contra Scripturas ad Rom. 11. *Si autem gratia jam non ex operibus, alioquin gratia, jam non est gratia* quia ex Augustino est gratia, quia gratis datur. Plures alios invenerunt errores quos egregiè impugnavit S. Augustinus lib. de Natura, & Gratia, & alii Patres.

Nestoriani à Nestorio Episcopo Constantinopolitano nuncupati circa annum 430. Negârunt Christum Deum de Virgine natum, asserentes Christum ut purum hominem natum de Virgine, non ut Deum; hinc duas in Christo posuerunt personas unam Christi, alteram Dei, quod est hæreticū, quia Deus factus est homo. Joan. 1. *Et Verbum caro factum est & habitavit in nobis.* Si Deus factus est caro in utero Virginis: jam Christus non ut simplex tantùm homo, sed etiam ut Deus natus est ex Virgine. Tum quia una natura non prædicatur de alia distincta, nec in concreto, neque in abstracto, neque proprietas unius de alia, nisi ambæ naturæ sint in uno eodémque supposito, seu Persona, ut docet Damascenus lib. 3. sed caro prædicatur de Verbo, seu Deo Joan. 1. *Verbum caro factum est*, seu Filius Dei factus est homo; unde Christus de se ait Joan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum* scilicet ab æterno, non tamen secundùm humanitatem, sed ratione divinitatis. Et 1. Joan. 5. de Christo dicitur: *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in Filio ejus: Hic est verus Deus, & vita æterna:* Ex quo constat, Christum esse verum Deum, & non per adoptionem; & in Christo esse duas naturas humanam & divinam, & unam tantùm personam divinam, ratione cujus una natura prædicatur de alia. Alios invexerunt errores, quos impugnârunt in Ecclesia Catholica SS. Patres præsertim S. Gennasius Episcopus Marsiliensis.

Eutychiani dicti ab Eutyche Archimandrita, seu Abbate Constantinopolitano circa annum 451. asseruerunt, Jesum de Virgine natum in vero corpore non carneo, quia carnem ex Virgine non traxit, sed corpus de cœlo habuit, quod inclusum in utero Virginis in similitudinem hominis formatum fuit: Hoc autem non solùm Scripturis adversatur, sed etiam veræ Philosophiæ; quia Corpus cœleste separatum à qualibet cōtrarietate à Philosopho I. de cœlo, & mundo probatur esse substantia incorruptibilis, & quinta substantia separata à quatuor elementis: sed Corpus Christi fuit passibile, crucifixum, & mortuum. Præterea si fuit Corpus cœleste vel de novo creatum; fuit pars cœli inde avulsa, & scissa: Primum non dicitur quia Deus de novo non dicitur creare corpora cœlestia: neque secundum, quia cœlum non frangitur neque disrumpitur, neque patitur; & Corpus Christi fuit vulneribus fractum, flagellis cæsum, & tormenta, ac dolores passum Matth. 28. *Oportet pati Filium hominis:* quia igitur Christus passus est pro nobis, & peccata nostra ipse tulit in corpore suo, cujus livore salvati, & sanati sumus 1. Pet. 2. habuit Corpus carneum, & passibile, non cœleste, quod est impossibile, & incorruptibile. Præterea quis dicat, cœlum lacte virginis ali, lanceâ perforari, & crucifigi. Præterea Corpus Christi verè carneum fuisse testatur ipse Christus Matth. 26. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Luc. 24. post Resurrectionem ait Christus: *Palpate, & videte, quoniam spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Joan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Si dicas D. Paulum 1. Corinth. 5. scribere, *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Respondetur, Christum dici de cœlo cœlestem, non quod corpus habuerit, ex materia cœlesti compactum, sed quia ipse Dei Filius de cœlo descendit, quando homo in terris factus est: hinc Joan. 3. *Qui de cœlo descendit super omnes est.* Tum quia si Corpus Christi fuisset ex cœlesti materia compactum, non induisset humanitatem, sed substantiam cœlestem neque fuisset verus homo, neque Filius hominis contra S. Scripturas Matth. 24. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli.*

Hactenus Ecclesia Catholica Romana, & Apostolica indemnem servavit Fidem Jesu Christi, & Apostolorum doctrinam quotquot insurrexerunt hæreses, impugnavit, ac profligavit, ac radicitùs extirpavit; & quidem ante Gregorium I. qui sedit anno 590. & post Gregorium eadem Ecclesia, quotquot aliæ fuerunt hæreses exortæ, non minori robore rejecit, ac totaliter avulsit, vel damnavit; neque permisit ullo tempore doctrinam Apostolicam in Romana Ec-

na Ec-

a

na Ecclesia labefactari; neque Fidem in ulla corrumpi parte. Anno circiter 1176. Albanenses excitârunt hæreses Manichæorum de duplici principio, bono uno, altero malo, Armenorum, quod Filius in divinis sit minor Patre; & Spiritus Sanctus sit minor Filio: & alios plures ab Ecclesia antea damnatos errores excitârunt, quos Ecclesia Romana iterum damnavit, ac eorundem fautores, & defensores anathematizavit.

Valdenses seu pauperes de Lugduno circa annum 1170. plures itidem invexerunt hæreses, contra Apostolorum doctrinam, & fidem, quam Magister Christus suam edocuit Ecclesiam. Fuit Valdensis civis quidam Lugdunensis in Gallia divitiis affluens, qui ut pauper fieret, ac vestigia sequeretur Christi, & evangelicam servaret paupertatem, omnia reliquit; sed ex prava Scripturarum intelligentia in plures impegit errores, & Valdenses per Schisma in hæresim prolapsi fuerunt, quia ut ait Apostolus 2. Timoth. 4. *Discedent à fide attendentes spiritibus erroris, ac doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, cauteriatam habentium conscientiam prohibentium nubere.* Asseruerunt Valdenses, ipsos non subesse Romano Pontifici, neque aliis Prælatis Romanæ Ecclesiæ, contra Scripturas, quibus constat, Christum constituisse D. Petrum Caput & suum Vicarium in militante Ecclesia, & D. Petri Successores Caput omnium fidelium Luc. 22. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; tu autem aliquando conversus confirma fratres tuos* Joan. ult. *Pasce oves meas*; & sicut oves subjiciuntur Pastori, ita fideles Petro, & ejus Successoribus. Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Valdenses igitur spernentes Ecclesiæ Pastores, & Præsules, contemnunt Christum. Præterea certum est Christum fundâsse suam Ecclesiam, ut stabilis, ac firma maneret usque in finem mundi & non solùm pro vita Petri, sed etiam eorum Successorum; Hinc Matth. 28. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*. Secundò docuerunt omne juramentum esse illicitum, quod est hæreticum: quia Deus non præcipit peccatum, Psal. 4. *Irascimini, & nolite peccare*: præcipit tamen juramenta sibi reddi Levit. 19. *Reddes autem Domino juramenta tua* Num. 30. *Si quis se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit, implebit*: ergo juramentum, cujus impletio à Deo præcipitur, non est illicitum, nec peccatum. Imò Deus præscribit etiam formam jurandi Deuter. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies, & per nomen illius jurabis.* Idque repetit Deuter. 10. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ipsique adhærebis, jurabísque in nomine illius*: ergo jurare in Dei nomine est licitum. Psal. 109. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum.* Isa. 44. *Sicut in diebus Noe, istud mihi est, qui juravi, ne inducerem aquas diluvii ultra supra terram: sic juravi ut non irascar tibi.* Requiruntur tamen ad licitum juramentum veritas, justitia, necessitas; scilicet veritas mendacio opposita; defectu alicujus ex istis conditionibus juramentum non est licitum, in quo sensu Christus Matth. 5. *Ego autem dico vobis non jurare omnino* Jacob. 5. *Ante omnia fratres mei nolite jurare neque per cœlum neque per terram.* Plures alias invexerunt hæreses contra Scripturas, & doctrinam Apostolorum, quas Ecclesia Romana verè Apostolica rejecit, damnavit, integram servatura fidem JESU Christi, ac incorruptam Apostolorum doctrinam.

Pseudo-Apostoli sequuti Gerardum Segarellum Parmensem, qui captus condemnatus ab Ecclesia Romana fuit, & combustus circa annum 1260. plures docuerunt errores, quorum primus fuit asseruisse, totam authoritatem à Christo collatam Ecclesiæ Romanæ fuisse jam evacuatam ob malitiam Prælatorum; & Romanam Ecclesiam non esse amplius Ecclesiam Dei, quod hæreticum est, & contra Scripturas Psal. 44. de Christo capite militantis Ecclesiæ, ac de ejus Vicario pro tempore dicitur *Sedes tua Deus in seculum seculi*, Matth. 16. ait Christus Tu es Petrus, & super hanc petram, id est supra dignitatem Pontificiam, & Christum 1. Corinth. 10. *Petra enim erat Christus*; vel supra Petri, ejúsque Successorum veram Confessionem firmæ fidei *ædificabo Ecclesiam meam.* Absit scribit D. Paulus ad Hebr. 5, quod fundamentum Ecclesiæ nutet, cùm Christus rogaverit Deum Patrem, ne unquam deficeret: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Et Luc. 22. *Exauditus est pro tua reverentia.* Hos Pseudo-Prophetas præviderat Apostolus Paulus 2. Corinth. 12. scribens: *Nam hujusmodi Pseudo-Apostoli sunt operarii subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi: ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Rursus asseruerunt potestatem à Deo datam primitivæ Ecclesiæ totam in eorum Sectam devolutam, ac ipsos habere potestatem, quam Petrus Apostolus habuit, ac servare vitam, paupertatem, & perfectionem Christi, ac Apostolorum; nec teneri obedire Romano Pontifici. Qui errores sunt hæreses repugnantes sacræ Scripturæ. Quia negantes obedientiam Divo Petro ejúsque Successoribus, nequeunt statu esse perfecto, neque versari in statu salutis; qui. *Non sunt oves Christi, cujus vocem non audiunt: nec de ovili, cujus Christus est ostium,* Joan. 10. Tum quia Joan. ult. Christus commisit oves suas pascendas Petro, & ejus Successoribus: unde negantes Romano Pontifici hanc facultatem; & nolentes eidem obedire non sunt ex ovili Christi, nec ejus oves in dextera, sed sunt hœdi diaboli in sinistra damnationis, ut habetur Matth. 25. Præterea non omnes, qui imitantur Apostolos in cultu virtutum, iisdem inest potestas Apostolorum; etenim Act. 4. multitudo credentium, quorum erat cor unum, & anima una, & omnia reliquerunt nil proprii habentes, fuit Apostolos imitata, non tamen potestatem habuerunt Apostolorum. Plures alios Pseudo-Apostoli somniârunt errores adversantes sacris Scripturis, quos propterea Ecclesia Romana servatura integram JESU Christi Fidem, ac illæsam Apostolorum doctrinam damnavit.

In plures Pseudo-Apostolorum errores impegerunt etiam Abbas Joachim, & Petrus Joannis, de quibus prædixerat Apostolus 1. Timoth. 4. *In novissimis diebus discedent quidam à Fide attendentes spiritibus erroris, & doctrina dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium.* Posuit Abbas Joachim tres status, primum in quo homines secundùm statum carnis vixerunt, & incœpit ab Adam usque ad Christum. Secundum in quo inter carnem & spiritum, in quo vixerunt homines usque ad S. Benedictum. Tertium in quo vivunt secundùm spiritum à B. Benedicto usque ad finem mundi: & in his tribus statibus posuit tres ordines; primum Conjugatorum ab Adam usque ad Abrahamum: Secundum Clericorum ab Ozia, qui de tribu Juda incensum obtulit, & hic ordo perseveravit usque ad Christum, qui est Rex, & Sacerdos: Tertium Monachorum. Abbati Jochimo adhæsit Petrus Joannis Ordinis Fratrum Minorum Diœcesis Biterensis. Qui tamen errârunt, quia in veteri Testamento Abel quia justus, & ad ejus oblata respexit Deus, vixit spiritualiter, non carnaliter; & etiã Enoch, qui legitur ambulâsse corã Domino, & translatus fuit in paradisum, ut etiam Noe de quo Gen. 6. legitur invenisse gratiam coram Domino: & plures alii vixerunt spiritualiter præsertim Prophetæ, & Helias qui claruit igneo curru in paradisũ translatus, & Joan. Bapt. de quo Luc. 1. *Et ipse præ*

præcedit illum in spiritu, & virtute Eliæ: & de eodem Christus ait: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* In tertio statu, in quo dicuntur homines vivere spiritualiter, plures non solum carnaliter, sed & bestialiter vixerunt, & etiamnum vivunt, de quibus ait Apostolus ad Rom. 8. *Qui in carne sunt*, seu secundum carnem vivunt: *Deo placere non possunt* & ibidem: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Præterea errârunt asserentes ordinem clericorum non diu perseveraturum; quod adversatur S. Scripturis, in quibus Christus Matth. ult. ait: *Vobiscum sum usque ad consummationem seculi*: Tum quia ministrare sacramenta ad ordinem clericorum ex officio, non Monachorum pertinet. Plures alios etiam propriis Abbas Joachim, & Petrus Joannis invexerunt errores, quos Ecclesia Romana servatura illæsam Apostolorum doctrinam damnavit.

Circa Annum 1315. inventi fuerunt errores Beguinorum, & Beguinarum, quorum secta detecta fuit circa annum Christi 1315. Isti quos Ecclesia Romana & sua secta damnaverat, sanctos, & justos asserebant, censebantque eos passos propter justitiam; in quo consentiebant erroribus hæreticorum, & cum iisdem mori merebantur. Secundo asseruerunt Christum nihil habuisse in proprio, nec in communi quod est hæreticum cum Joan. 13. Christus dicatur loculos habuisse. Hinc D. Augustinus Homil. 60. in Joan. ait: Habebat ergo Dominus loculos, & à fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Et tunc primùm Ecclesiæ pecuniæ forma est instituta. In primitiva ecclesia erant omnia communia, & Apostoli erant dispensatores tam spiritualium, quàm temporalium. Hinc hi sectarii errârunt docentes, perfectionem evangelicam exigere nihil possidere nec in proprio, nec in communi, & asserentes hæreticum esse credere, quod Ecclesia Romana super hoc statuit & ordinavit. censentes posse Ecclesiam docentem ex cathedra errare contra Apostolum vocantem ecclesiam columnam veritatis. Plures alios errores contra authoritatem & potestatem summi Pontificis sparserunt, quos omnes Romana ecclesia damnavit, expunxit, servatura illæsam doctrinam Apostolorum.

Demum circa annum Christi 1518. orta fuit Hæresis Lutheranorum, & postea Calvinistarum, Zvvinglianorum. Anabaptistarum, & aliorum, qui antiquas & jam pluries damnatas ab ecclesia hæreses excitârunt, quas Ecclesia in Concilio Tridentino iterum damnavit, & anatematizavit, ut indemnem servaret doctrinam Apostolicam sibi ab initio ecclesiæ concreditam ab ipsis Apostolis, ac contra omnes, & singulas hæreses quovis tempore egregiè propugnatam, & indemnem semper servatam. Igitur ex hactenus narratis clarè constat ecclesiam Romanam verè esse Apostolicam, cùm doctrinam sibi ab Apostolis communicatam intemeratam, & ab omni labe illæsam custodierit, ab hæresibus immunem servaverit, & quotquot ab hac discesserunt doctrina, juxta divinas promissiones represserit, proscripserit, anatematizaverit, non solùm ante tempus Gregorii, & statim sub initiis ecclesiæ; sed etiam post Gregorium quovis tempore ad nostra usque tempora, & doctrinam Apostolicam intaminatam, & incorruptam semper viguisse in Romana ecclesia.

Quòd verò sectarii asserant, Ecclesiam Romanam sub primis temporibus fuisse quidem Apostolicam, seu fideliter custodivisse doctrinam sibi ab Apostolis extraditam; sed postea errore communi ab Apostolica, & vera fidei doctrina à legitima Christi ecclesia declinasse, id evincendum ab iisdem esset; & assignandi authores hujus defectionis, quos Ecclesia Romana non damnaverit, & anatematizaverit: sed iisdem adhæserit; ut etiam ostendenda illa Romanæ ecclesiæ doctrina, quæ Apostolicæ opponatur, & quando hæc defectio contigerit: nisi hæc ostendantur, & evincantur, meræ censendæ sunt sectariorum calumniæ efficta in odium Ecclesiæ Romanæ Catholicæ; & Apostolicæ. Non recensuimus privatos ferè omnes errores, quibus ab Ecclesiæ exordio aliqui seductores adnisi sunt doctrinam Apostolicam in ecclesia Romana adulterare, & integritatem fidei labefactare, quos tamen ecclesia, Romana Catholica, & Apostolica semper egregiè quovis tempore usque adhuc impugnavit, & doctrinam Apostolicam propugnavit, quam incorruptam jugiter servavit. Præterea cùm hæreses esse in utilitatem cedat ecclesiæ, *ut qui probati sunt manifesti fiant* ut scribit Apostolus 1. *Corinth.* 11. & Spiritus veritatis sit in æternum mansurus in ecclesia: deberet error, quo Romana ecclesia defecit ab integritate fidei & à doctrina Apostolica, manifestus fieri, ut qui probati sunt, à reprobis his distinguantur, ac manifesti fiant juxta Apostolicum: non enim Petri navicula potest nemine animadvertente, ac vidente paulatim hiscere, rimasque sensus fugientes aperire, donec fluctibus tandem obruatur: non enim ecclesia Romana potest hujusmodi erroribus inquinari, qui non cognoscantur, nec damnentur. Cùm sit ecclesia Matth. 5. *Civitas supra montem posita*, & luce solis clarior: necesse est, appareant, qui in ipsa irrepunt errores, oriuntur defectus, grassantur hæreses: sicut occultari nequit in perampla urbe epidemica lues, quæ se ipsam prodit in civium clade.

Quamobrem doctrina, quam hodie ecclesia Romana servat, docet, custodit, est prorsus eadem, quam ab Apostolis ab initio accepit, quam propterea quovis tempore contra sectarios propugnavit; asserere Romanam ecclesiam defecisse ab Apostolica doctrina; & non assignare quonam tempore, sub quo Pontifice, quo authore, qua via, vel qua vi, quibus incrementis hæc in ecclesia Romana defectio ab Apostolica doctrina incœperit, prævaluerit, & non solùm Romanam urbem, sed & urbem totum infecerit; perinde est ac ædificium in aëre construere absque ullo fundamento, quod nequit subsistere. Dicunt sectarii institutum sacrificandi eucharistiam, morem invectum invocandi sanctos, colendi sacras imagines turpissimam esse idololatriam, & contra doctrinam Apostolicam: ex quo inferunt, ecclesiam Romanam defecisse à doctrina Apostolica. Sed contra si tempore Apostolorum institutum sacrificandi Eucharistiam non viguisset, quomodo Christus in ultima cœna suum corpus dedisset discipulis ad manducandum, ac suum sanguinem ad bibendum? quomodo injunxisset Apostolis in sui commemorationem manducare suum corpus, ac bibere suum sanguinem? quomodo ecclesiam Eucharistiam tempore Apostolorum, & post ipsos tolerâsset, si à Christo non fuisset instituta, & ab Apostolis propagata per varias mundi partes? Quomodo permisisset cultum sacrorum imaginum, ac invocationem sanctorum, si hæc omnia non accepisset a Christo, & Apostolis cùm constet ecclesiam à primis temporibus semper obstitisse cuilibet in ecclesia novitati, ut illæsam, puram, & incorruptam servaret, quam ab Apostolis accepit, doctrinam? Quis Pontifex qualis cœtus fidelium non rejecisset usum sacrarum vestium, institutum sacrificandi eucharistiam, cultum sacrarum imaginum, si hæc omnia non semper fuissent in usu

in

in ecclesia, & persuasio semper invaluisset fuisse hæc omnia ab Apostolis derivata in ecclesiam ? Si quis nostris temporibus vellet more Judæorum oves, & boves, aliasque pecudes immolare Deo in ecclesia, vel pro Numinibus venerari canes, volucres, equos; quia vel Pontifex, vel cœtus fidelium id permitteret, approbares ? pari pacto neque fuisset permissus & approbatus cultus sacrarum imaginum, neque institutum sacrificandi, nec invocatio sanctorum, nisi hæc omnia fuissent in ecclesia à tempore Apostolorum in usu, & ecclesia ab ipsis Apostolis fuisset ita edocta.

Si dicas, non solam ecclesiam Romanam esse Apostolicam, sed etiam reliquas, quæ per universum orbem doctrinam servant, & sequuntur Apostolorum; ab quia ibi sit ecclesia Apostolica, ubi ex doctrina Apostolorum; id non inficior; sed quamvis reliquæ per orbem ecclesiæ servantes, ac sequentes doctrinam Apostolorum sint & ipsæ Apostolicæ, speciali tamen nomenclatione ecclesia Romana dicitur Apostolica per quandam excellentiam, quia non solùm servat, & custodit doctrinam sibi ab Apostolis concreditam, sed etiam quia fundata fuit à Principibus Apostolorum Petro, & Paulo, qui pro Christo ibi sanguinem fuderunt: & etiam ob Christi promissionem. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua* & de S. Paulo *Elegi eum mihi ut sit vas electionis, & portet nomen meum coram gentibus*; vel quia cùm reliquæ patriarcales Ecclesiæ defecerint à doctrina Apostolorum, ut Antiochena, Alexandrina, Jerosolimitana, hæc nunquam defecerit, sed puram integram, & incorruptam semper servaverit, & contra hæreticos propugnaverit. Apostolica igitur dicitur Ecclesia quæ à Christo per Apostolos fundata est, & propagata, quæque doctrinam sibi ab Apostolis extraditam fideliter custodit, servat, propugnat contra Novatores, & per continuam Episcoporum successionem ad nos usque perducit, perducetque in posteros usque ad consummationem sæculi.

Contra hanc continuatam Episcoporum successionem objiciunt sectarii commentum illud è trivio arreptum, ab hæreticis confictum de Joanne Papa fœmina, quá sedente Episcoporum successio cessavit. Sed contra quia ob incapacitatem non potest fœmina eligi in pontificem, & quoties subjectum est incapax formæ, hæc in illud nequit introduci; proinde tametsi fœmina vel per errorem vel per malitiam electa fuisset in Pontificem electio per se fuisset nullius roboris, & omnino nulla, ac si nunquam fuisset facta; propterea toto illo tempore, quo fœmina sederet, cathedra vacaret, donec eligeretur vir in pontificem; neque inde successio episcoporum interrumperetur, sed tantùm vacaret ad tempus perinde ac in omnibus electionibus post mortem Pontificis, donec Cardinales congregentur, & eligatur successor; ut etiam in schismate, quando plures eliguntur Pontifices, intelligitur cathedra D. Petri vacare, donec res melius examinetur, vel fiat nova electio legitima. Cæterùm fœmina esse nequit summus Pontifex, tametsi millies eligeretur quia cùm nequeat fœmina esse vir, neque potest capax esse Pontificatûs, nisi fortassis, novum quoddam institueretur imperium, quale desideravit Caligula, qui, referente Dione, equum suum, cui nomen erat velocissimus, tantopere amavit, ut eum crebro secum ad cœnam invitaverit, hordeum in vase aureo ei apponeret, vinumque funderet in vasis aureis, ac per salutem illius, velocitatem, & fortunam juraret: neque hisce contentus, eum ad honores, ac dignitates reipublicæ promovere decreverat, ac facturum illum consulem pollicitus fuit; & fecisset subdit Dio, si diu equus ille velocissimus nomine vixisset. Præterea vel fœmina esse potest in militante Ecclesia Papa, vel non: si primum: ergo per ipsos Episcoporum continuata successio non cessavit, nec fuit extincta per Joannem papam fœminam: si secundum: ergo Joannes papa fœmina nunquam fuit, quia per sectarios non potuit esse: quod enim esse non potuit; non fuit; alioquin si semel fuisset, potuisset esse. Præterea cùm dicant sectarii Joannem papam fœminam sedisse in Petri cathedra post schisma Græcorum inde deducitur esse fictum inventum: quia cùm Græci post schisma fuerint Latinis infensissimi, & præsertim sedi Apostolicæ Romanæ, contra quam virus suæ acerbitatis evomuit; non prætermisisset hujus Joannis papæ fœminæ meminisse, hocque probrum, ac dedecus latinis objicere, quibus alia plura apposuerunt, idque ad incrementum, Latinorum infamiæ, fidemque nostram imminuendam; si minimum tanti convicii argumentum habuissent, non pepercissent illud Latinis objicere; præsertim cùm à Latinis fuerit aliquando Græcis objectum habuisse Patriarcham fœminam; retorsissent; proculdubio hoc dedecus in Latinos. Græcos autem habuisse Patriarcham fœminam, & hoc dedecus fuisse iisdem objectum à Latinis constat & Leone Papa IX. cap. 23. contra Michaëlem Patriarcham Constantinopolitanum ait Leo. *Absit autem, ut velimus credere, quod publica fama non dubitat asserere, Constantinopolitana ecclesia contigisse, ut Eunuchos contra primum Sancti Concilii Nicæni capitulum passim promovendo, fœminam in sede Pontificum suorum sublimâsse aliquando. Hoc tam abominabile scelus, detestabileque facinus, & si enormitas ipsius, vel honor, fraternaque benevolentia non permittit nos credere; considerata tamen incuria vestra, erga Sanctorum censuram canonum, qui Eunuchos & aliqua corporis parte imminutos, non solum ad clericatum, sed ad Pontificatum etiam indifferenter, ac solemniter adhuc promovetis, fieri potuisse arbitramur.* An non Græci simile convicium retorsissent in Latinos, si fuisset?

CAPUT XV.

Sola Romana Ecclesia integram Jesu Christi fidem, & Apostolorum Doctrinam intemeratam, & incorruptam servat, quia sola est rectè ordinata, ac legitimam habet à tempore Apostolorum Pontificum successionem.

CUm rerum omnium sapientissimus opifex Deus in suis opificiis, quæ ad extra posuit, suam bonitatem creaturis communicaturus vel maximè ordinem amaverit, & invexerit, omnia sub pondere, mensura ac numero fecerit, ac distribuerit; suam itidem militantem in terris Ecclesiam fundâsse ordinatissimam nulli potest dubium esse, cùm dicatur Cant. 6. *Pulchra ut luna, electa ut sol,* terri-

terribilis ut castrorum acies ordinata, & Apostolus ad Rom. 13. scribat *ordinata esse, quæ à Deo sunt*: neque simpliciter ordinata, sed eo ordine, quo delectatur cælestis sponsus; & quem Apostoli præscripserunt: hanc verò ordinatissimam ecclesiam esse solam Romanam sanctam, & Apostolicam; ex eo liquet, quia in ea semper fuit, est, & erit Pastor, & ovile ita præcipiente Christo Joan. 10. *Et erit unus pastor, & unum ovile.* In hoc ovili ex ovibus aliquæ debent esse spirituales, aliæ seculares, aliæ religiosæ, idque ex sacris literis constat 1. Petri 2. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo; & cùm apparuerit princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.* Ordinem ovium spiritualium scribit D. Paulus ad Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas; alios verò Evangelistas; alios autem pastores, & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Ordo ovium sæcularium etiam indicatur 1. Petri 2. *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus, quasi ab eo missis ad vindictam malefactorum; laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.*

Liquet igitur ex scripturis ordinem ecclesiæ maximè in differentia, & varietate statuum, officiorum, seu administrationum, quæ in eadem, exercentur, consistere. Hæc enim differentia oritur partim ex multiplicitate, ac varietate obligationum; quibus ex fidelibus alii ad unum, & alii ad aliorum vitæ institutum astringuntur; & partim ex differentia gratiarum, ac potestatum, quæ ad varias functiones in ecclesia obeundas distribuuntur, ut scribit Apostolus, ad Corinth. 12. *Divisiones gratiarum sunt, & divisiones operationum, & divisiones administrationum.* Has ob varias obligationes tria distinguuntur in ecclesia statuum genera, quibus fideles quoad vitæ institutum distinguuntur, & in sacris scripturis indicantur; alius enim est status conjugatorum, qui sola communi obligatione servandæ legis divinæ adstringuntur; hæcque vitæ ratio à Christo approbata est Matth. 19. Marci 10. Alius est status Episcoporum, & Presbyterorum, à quibus ratione officii & dignitatis specialis vivendi regula requiritur. Alius est status religiosorum, quorum vitæ institutum complectitur obligationem servandi castitatem, paupertatem, & obedientiam, & culturæ incumbere virtutum: singuli status satis luculenter commendantur in sacris scripturis; secundi status passim meminit Apostolus 1. Tim. 3. ad Titum 1. Tertii Christus, & obedientiæ Luc. 9, 2. Castitatis Matth. 19, 1. Paupertatis Matth. 19. Luc. 9. Præterea ex differentia earum operationum, quæ ex lege Dei ordinaria necessariæ sunt in ecclesia ad assecutionem beatitudinis, oritur pluralitas officiorum ecclesiasticorum: suntque hujusmodi operationes in triplici genere, & versantur circa sacramentorum administrationem divini verbi prædicationem; & circa regimen animarum; hæc tria operationum genera D. Dionysius Areopagita significat per verba purgandi, illuminandi, & perficiendi; & ait purgationem fieri prædicatione verbi divini; illuminationem administratione sacramentorum, quibus anima splendore divinæ gratiæ illuminatur: & perfectionem culturâ heroicarum virtutum, & ad eos vel maximè pertinet, à quibus alii reguntur, & præsertim ad Episcopos, quos propterea S. Dionysius vocat perfectores. Ad munus concionatoris obeundum ii in ecclesia se liguntur, qui fandi energia, persuadendi efficacia idonei deprehenduntur ad hominum prædura corda emollienda, & flectenda ad officia pietatis, & exercitia virtutum; neque cujusvis est concionatoris munus sibi usurpare; administrationi sacramentorum sacerdotes destinantur, charitate in Deum, & proximum ferventes, cultura virtutum commendati, & secundum varios gradus qui in ordinis continentur sacramento. Rursus neque regendi autoritas, seu alios gubernandi potestas omnibus convenit, sed iis tantum, quorum prudentia discretio, & sapientia commendantur; neque æquè hæc facultas in omnibus extenditur, sed in aliquibus est laxior, in aliis angustior, & limitatior. Potestas enim Pontificis extenditur in totum orbem, Patriarchæ in suas provincias, Episcoporum in suas Diæceses, Parochorum in suas ecclesias; & hi omnes uni Pastori summo secundùm Christum subjiciuntur, & parent.

Hac ordinata diversitate vitæ statuum, officiorum, ac graduum dicitur ecclesia Psal. 44. induta *vestitu deaurata circumdata varietate.* Est enim hic ordo Hierarchicus insigne ornamentum ecclesiæ Jesu Christi, ut passim SS. Patres eleganti calamo eam describunt, videanturque in hoc argumento triumphare; & D. Paulus hunc ordinem explicat ad Ephes. 4. *Alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Doctores, & Pastores in consummationem sanctorum, ut efficiatur omnis homo perfectus* ut scribit ad Colos. 1. Finis enim hujus ordinis in ecclesia, est, ut fideles perficiantur, & proficiant in studio virtutum evangelicarum, quibus æternam consequantur in cœlis salutem. Illa igitur est in terris vera JEsu Christi Ecclesia sancta, Catholica, & Apostolica, quæ ordine hoc Hierarchico floret, vigetque ordinata, alioquin falsæ essent Sacræ Scripturæ dicentes, hunc ordinem permansurum in Ecclesia usque ad consummationem sæculi; dum ecclesiam comparant corpori, regno, civitati, Reipublicæ, exercitui ordinato, & eam vocant castrorum aciem ordinatam; sed in nullis sectariorum Ecclesiis hic ordo Hierarchicus reperitur: quia nullum Novatores agnoscunt supremum pastorem, cui obediant, ejusque judicio, ac sententiæ acquiescant, neque distinctos Apostolorum, Evangelistarum, pastorum, doctorum, religiosorum gradus ac status varios habent; quin potius rejiciunt hanc statuum vitæ varietatem; vota solemnia, & simplicia obedientiæ paupertatis, & castitatis oderunt: nullam ministrorum instituunt differentiam, sed omnes apud ipsos etiam uxorati, quod ad muneris authoritatem attinet, possunt esse sacerdotes, & ministri evangelii, imò simul pastores, & oves: non sunt, qui Christi consilia sequantur in professione castitatis, paupertatis, & obedientiæ quibus *per viam excellentiorem* ut loquitur Apostolus 1. Corinth. 12. ad æternæ salutis assecutionem contendant: in eorum ecclesiis nullus fermè ornatus, nullæ vel paucissimè cæremoniæ ad divinum cultum promovendum. Nullas habent ordinationes, nullam graduum ecclesiasticorum differentiam; & si quid ordinis videntur tenere, in eo nihil sanctum splendat, nihil Deo dicatum apparet: sed omnia ad solum civile ministerium referunt, solis divitiis congerendis inhiantes, solisque bonis temporalibus comparandis studentes. Cùm igitur in Ecclesia Romana, & aliis Ecclesiis Catholicis, & Apostolicis per totum terrarum orbem hæc ordinis hierarchici

ratio

ratio floreat, vigeat, & integra perseveret; & in ecclesiis sectariorum nullus appareat ordo, oulla statuum vitæ differentia; sed totius Babelica quædam confusio, io qua Job. 10. nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, concludendum est solam ecclesiam Romanam, catholicam, verè esse Apostolicam.

Quod verò ad legitimam attinet Ministrorum, ac Pontificum successionem à tempore Apostolorum, primisque ecclesiæ initiis, hæc in sola Romaoa ecclesia semper viguit, defuit nunqoam; sitque propterea hæc legitima ministrorum successio, vera proprietas vera ecclesiæ fundatæ in terris à Jesu Christo, ejusque certa oota. Cùm unitas corporis unitatem exigat capitis, oe acephalum sit corpos, ounquam debet hoc suo privari capite, seu rectore; & quia ecclesia nunquam defuit, nunquam suo debuit capite destitoi. Ecclesiæ igitur præcipuus Rector, & nunc invisibilis est Jesus Christus sedens io cœlis ad dexteram æteroi Pateis. Rector visibilis ecclesiæ est, qui nunc io terris in militante ecclesia vicem gerit semperque gessit per suos majores, ac geret per successores Christi. Hoc visibile caput necessariò ad veram Jesu Christi ecclesiam in terris militantem edisserunt sancti Patres. S. Irenæus lib. 3. adversùs hæreses cap. 3. ait: *Quoniam longum valde est, omnium ecclesiarum enumerare successiones, maxima, & antiquissima, & omnibus cognita à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundata, & constituta ecclesia, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Apostolorum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquàm oportet colligunt. Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio:* loquitur Irenæus de ecclesia Romana, & de onitate servanda, præsertim io fide, & communione, ad quod asserit oecessariam esse traditionem ab Apostolis acceptam, & hanc per legitimas successiones Episcoporom ad nos usque traductam, semperque in Romaoa Ecclesis conservatam, cujus ioter reliquas ecclesias potentior est principatus sacer, cùm ab Apostolis Petro, & Paolo fundata sit, ad quam propterea reliquæ per orbem ecclesiæ debent cooveoire communione, veneratione, obedientia.

Hanc legitimam ministrorum successionem in Romana ecclesia firmissimom esse argumentum ioferendi ipsam solam esse veram Jesu Christi ecclesiam sanctam, catholicam, & apostolicam, clarè deducitur ex epistola 4. D. Pauli ad Ephesios, ubi Apostolus innuit veram fidei doctrinam atque adeo communicatiooem cum legitima Christi Ecclesia ab hujusmodi pastorum, & doctorum ministerio non posse separari: Declarat enim Apostolus consilium Dei fuisse, ut in ecclesia militante in terris perpetuo essent pastores, rectores, doctores, à qoibus fideles vera apostolica doctrina instruerentur: quòd si fideles quovis tempore in Romana ecclesia vera debent apostolica doctrina erudiri; quovis tempore debuerunt in eadem esse ministri, rectores, doctores, qui non solum apostolicam callerent doctrinam, sed etiam eam alios edocerent, ac dominicum gregem pascerent; id aotem non contingeret, nisi per legitimam mioistrorum, Pontificum, doctorom successionem hæc apostolica doctrina incorropta fuisset in Romana ecclesia servata, ac propagata; ideoque legitima ministrorum successio satis apertè probat Romanam ecclesiam apostolicam esse: alioquin si aliquo tempore ab Apostolis ad nos omnes legitimè ecclesiæ Romanæ ministri à vera fide defecissent; potuisset etiam evenire, ut cum mioistris omnes itidem fideles aberrâssent, cùm oves sequantur voces pastorum: atqui ecclesiam totam posse errare, ac deficere est contra sacras Scripturas, ubi ecclesia dicitur *columna veritatis*, & D. Petro, ac ejus successoribus promittitur à Christo manuductio, ne erret: ergo si Scriptura non potest errare, oeque nos fallere, perspicuum est non posse omnes ecclesiæ Romanæ ministros deficere vel errare.

Hoc eodem argumeoto SS. Patres usos esse videbatur contra hæreticos sui temporis, eo qoia ex continua, & legitima Episcoporum successione à tempore Apostolorum intulerunt Romanam Ecclesiam sanctam Catholicam, & Apostolicam, Tertullianus lib. de Præscript. ait: *Edant origines suarum ecclesiarum: evolvant ordinem Episcoporum, ita per successiones ab initio decurrentes, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, auctorem habuerit; vel antecessorem* D. Augustinus contra epistolam fundamenti cap. 4. ait: *Tenet me in Ecclesia Catholica ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopum successio Sacerdotum*, & contra Donatistas ab hac successione eos redarguit ioquiens post medium. *Numerate Sacerdotes primò ab ipsa sede Petri; & in ordine illorum Patrum, quis cui successerit videte.* Firmissimum visum est Augustino hoc argumentum petitum à legitima Episcoporum successione à tempore Apostolorum ad nostra usque tempora, quia noverat ab hac successione noo potuisse veram fidem sejungi, neqoe apostolicam doctrinam divelli: hinc Augustinus lib. 2. contra Petilianum texit ordinem hujus successionis ioquiens: *Si enim ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: Petro enim successit Linus, Lino Clemens: Clementi Anacletus: Anacleto Evaristus: Evaristo Alexander: Alexandro Sixtus: Sixto Thelesphorus: Telesphoro Iginus: Igino Anicetus. Aniceto Pius: Pio Soter: Soteri Eleutherius: Eleutherio Victor: Victori Zephyrinus: Zephyrino Calixtus: Calixto Urbanus: Urbano Pontianus: Pontiano Antherus: Anthero Fabianus: Fabiano Cornelius; Cornelio Lucius: Lucio Stephanus: Stephano Xystus: Xysto Dionysius: Dionysio Felix: Felici Eutychianus; Eutychiano Gajus: Gajo Marcellinus: Marcellino Marcellus: Marcello Eusebius: Eusebio Miltiades, Miltiadi Sylvester: Sylvestro Marcus: Marco Julius: Julio Liberius: Liberio Damasus: Damaso Siricius: Siricio Anastasius. In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus reperitur, sed ex transverso ex Africa ordinatum miserunt, qui paucis præsidens Afris, in urbe Roma Montensium, vel Luzupitarum vocabulum propagavit. In illum autem ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc eandem cathedram sedet: etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret ecclesiæ, & innocentibus Christianis, quibus Dominus providens ait de præpositis malis: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Ut certa sit spes fidelibus, quæ non in homine sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur: sicut isti dis-*

sipati sunt, qui legunt in codicibus sanctis ecclesias, quibus Apostoli scripserunt, & nullum in eis habent Episcopum. Eodem argumento legitimæ successionis ministrorum à tempore Apostolorum usque ad proprium, & præsens utuntur reliqui sancti Patres ad evincendum Ecclesiam Catholicam Romanam solam esse Apostolicam, eò quia semper integram servaverit Jesu Christi fidem; & incorruptam Apostolorum doctrinam ad nos usque derivatam, condemnatis semper erroribus, quos sectarii quovis tempore invexerunt.

Quòd si tantam vim posuerunt SS. Patres in hac legitima ministrorum successione, ut censuerint hoc unum argumentum abundè sufficere pro evincenda Fide, & doctrina Apostolorum in sola Romana Ecclesia; & nonnisi sexaginta octoginta, vel centum enumerârunt Summos Pontifices in hac legitima successione; quantò firmiùs ac ineluctabile ipsis esset idem argumentum nostris hisce temporibus, si recenserent supra ducentos, & quinquaginta Romanos Pontifices à D. Petro continuatâ semper legitimâ successione sedentes in eadem D. Petri Romana Cathedra? ac in ea egregiè semper propugnâsse JESU Christi Fidem, & Apostolorum doctrinam, & expugnâsse, damnâsse, ac totaliter prostrâsse, quotquot à Novatoribus, ac Sectariis fuerunt hæreses per orbem terrarum invectæ? Neque ullius est roboris, quod mussitat Calvinus contra hoc argumentum legitimæ successionis Pontificum in Romana ecclesia: ait eatenus sanctos Patres fuisse usos hoc argumento, & quia quotquot ab ipsis numerabantur Pontifices, fuerunt sanctitate, & culturâ virtutum insignes, vel martyrio purpurati, & ex ipsis nullus hactenus à recta fide defecerat. Nam imbecillitas hujus responsionis ex eo statim deprehenditur, quia superius ostendimus primis illis temporibus plures fuisse hæreses ortas: quòd si hæretici illius temporis credidissent veram fidem, ac doctrinam Pontificum, & ecclesiæ Romanæ; utique credidissent omnia, quæ reliqui tunc credebant fideles, proinde non fuissent hæretici, nec ut tales ab ecclesia damnati, & proscripti. Respondent alii hanc ministrorum successionem veterem Synagogam Christo, & ejus Apostolis potuisse efficacius objicere. Sed quid ni. An non omnia quæ magni momenti in veteri lege contigerunt, typus & figura fuerunt eorum, quæ in nova lege evenerunt? Cùm dicat Apostolus Paulus figuram novæ legis fuisse veterem: igitur secundum Apostolum, illa veteris legis successio, fuit umbra, & typus illius successionis, quæ in lege nova futura erat. Hinc sicut in lege veteri veritas doctrinæ manente successione usque ad Christum deducta est; & quamvis plures ex illis regibus, ac ministris fuerint viri nequissimi, nunquam tamen successio interrupta fuit nec degeavari potuit dicente Christo Matth. 23. *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia igitur quæcunque dixerint vobis, servate, & facite: secundùm verò opera eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt.* Ita in lege evangelica manente eadem successione Pontificum à D. Petro ad nostrum usque tempus, perseveravit in eadem, & erit perseveratura fides integra Jesu Christi, & incorrupta Apostolorum doctrina, quamvis in cathedra D. Petri dicant Sectarii subinde sedisse viros non laudati vitæ instituti, quique potius vitiis fuerint coinquinati; quia ut prædixerat Isaias cap. 59. *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui dicit Dominus amodo, & usque in sempiternum.*

Hæc legitima ministrorum successio necessaria erat in Ecclesia militante: quia potestas ut perfecta sit, non ab homine, sed à DEO esse debet vel immediatè, vel mediantibus iis, qui à DEO missi sunt, à quibus ut à Christi ministris conferatur ordinatio, ac potestas: neminem enim debere sibi sumere honorem, nisi vocatus sit à DEO tanquam Aaron, scribit Apostolus ad Hebræos 6. in militante autem Ecclesia Episcopatus, Sacerdotium, & alii Ordines Ecclesiastici annexam secum essentialiter habent potestatem, sine qua Ecclesia non esset, & hæc potestas nequit esse perfecta, nisi à Deo fuerit profecta; vel immediatè ut iis fuit collata, quibus dixit Christus *Sicut misit me Pater ita & ego mitto vos*: vel mediatè seu mediantibus Christi ministris, ut collata fuit iis omnibus, qui à missis à Christo eam acceperunt. Hinc Apostoli à DEO missi immediatè à Christo eam susceperunt: Matthæus verò & D. Paulus quia ab Apostolis à Christo missi fuerunt ordinati nonnisi mediatè eam susceperunt; ut etiam Titus & Timotheus quia à D. Paulo ordinati: Hinc Cyprianus ad Antonianum lib. 4. scribit. *Novatus in Ecclesia non est, quia se ipsum ordinavit, à seipso incœpit.* De Cornelio autem ait: *Factus est Episcopus à plurimis collegis nostris, qui tunc in Urbe Roma erant, qui ad nos literas honorificas, & laudabiles, & testimonio sua prædicationis illustres de ejus ordinatione miserunt.* Sectarii vero hanc potestatem conficiendi Corpus, & Sanguinem Christi, absolvendi à peccatis nec immediatè recipiunt, nec mediatè seu nec ab Ecclesia Romana Apostolica, à qua tantùm potest hæc potestas derivari: ergo Sacramentum non conficiunt Eucharistiæ, nec Ordines sacros conferunt, neque absolvunt defectu potestatis, & ab Ecclesia JESU Christi excluduntur.

Id igitur interest discriminis orthodoxum inter & hæterodoxum, seu inter catholicum & acatholicum seu hæreticum, quia licet neuter Deum alloquatur, neque Deum audiat materialiter, ac sensibiliter loquentem: licèt neuter signa, & miracula adat; Catholicus tamen, quamvis Deum sensibiliter loquentem non audiat, nec miracula perpetret, Apostolorum tamen, & SS. Patrum ac aliorum qui miracula ediderunt, & immediatè fuerunt à Christo missi, doctrinam, & fidem incorruptam servat, propugnat, & ad eos se refert, ad quos os Domini locutum est; & suos ostendit ordinatores, ad quos os Domini locutum est, scilicet Apostolos, D. Petrum & ejus Successores, à quibus potestas ordinandi communicatur Episcopis communicantibus cum Ecclesia Romana, à quibus ordinantur Sacerdotes ubique terrarum conficientes in Eucharistia Corpus, & Sanguinem CHRISTI, absolventes à peccatis, & alia ministrantes Sacramenta; adeo ut Catholicus verè possit cum Tertulliano dicere: *Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis authoribus, quorum fuit res? ego sum hæres Apostolorum, sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt semper, atque abdicârunt, ut extraneos, & inimicos.* Acatholicus verò à nullo habente potestatem hanc conferendi eam accipit, neque ad ipsum os Domini fuit immediatè loquutus, neque signa, & miracula perpetravit ipse, nec ab aliis qui hæc signa ediderint, potestatem acceperunt, vel qui successerint ad Apostolos, quorum Fidem corrumpunt, quorum doctrinam inficiantur: etenim ut ait S. Irenæus: *Ante Valentinum non fuerunt qui sunt à Valentino: neque ante Marcionem qui sunt à Marcione: neque omnino erant aliqui sensus maligni, quos supra enumeravimus, antequam initiatores, & inventores perversitatis eorum fierent.* Hoc idem repetere de omnibus Sectariis possumus

sumus

sumus; quia ante Lutherum, Calvinum, Zuinglium non fuerunt Lutherani, Calvinistæ, Zuingliani, & ita dereliquis hæreticis: *Origines suarum Ecclesiarum* (sit Tertullianus lib. de præscript.) *evolvant ordinem Episcoporum, ita per successiones ab initio decurrentes, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, authorem habuerit, vel antecessorem.* Claré igitur demonstratum est, solam Ecclesiam Romanam Catholicam & Apostolicam esse.

CAPUT XVI.

De aliis notis, quibus Ecclesia Romana Catholica evincitur Apostolica, fundata in terris à JESU Christo.

Præter recensitas Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ proprietates hactenus expensas, plures aliæ dantur notæ, quæ superfunt explicandæ, quarum prima est continua assistentia & præsentia Spiritûs Sancti eam regentis, gubernantis, vivificantis, & consolantis, neque finentis eam errare, sed docentis quæ circa fidem debeat promulgare, circa Apostolicam doctrinam fideles instruere; idque ipsi pollicetur per Isai. cap. 30. *Et dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam brevem, & non faciet avolare à te ultra doctorem tuum; & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis. Hæc est via ambulate in ea, & non declinetis neque ad dextram, neque ad sinistram. Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis auri tui, & disperges ea, sicut immunditiam menstruata.* Quia Christus ipse hanc Spiritûs Sancti assistentiam, & directionem suæ sponsæ promisit Ecclesiæ Juan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Cognoscitur autem ab Ecclesia ex fructibus ejus Spiritûs Sancti, quos recenset D. Paulus ad Galat. 5. inquiens: *Fructus autem Spiritûs sunt charitas Gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, Fides, modestia, continentia, castitas.* Charitas autem, quæ princeps est Spiritûs Sancti fructus, describitur ab Apostolo 1. Corinth. 13. *Patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt: non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Has omnes virtutes à tempore Apostolorum ad nostra usque tempora semper floruisse in Ecclesia testantur tot viri plenissimi in eadem sanctitate illustres, tot Martyres proprio sanguine purpurati, tot Confessores caltura omnium virtutum celebres; tot Virgines lilio castitatis ornatæ; & communiter religiosorum cœtus ac fideles omnes studio virtutum addicti.

Secunda nota ex eo discernitur, quia Ecclesia Romana deprehenditur esse talis, qualis describitur, vel adumbratur nobis in sacris Scripturis esse Sponsa cœlestis Sponsi, à quo propterea vocatur *Soror mea sponsa; Filia Regis; mater pulchra dilectionis, agnitionis, & sanctæ spei:* mox columba, amica, vel domûs domina, cujus facies decora, cujus genæ turturis, se continentiam redolentes; cujus oculi columbarum; cujus labia favus distillans, suntque doctores & prædicatores, cujus ubera pulchriora vino; suntque Sacramentorum ministri, & pastores animarum D. Bernardus in Cant. cujus manus distillant myrrham, suntque fideles virtutum studiis addicti; cujus pedes speciosi, seu missi ad evulgandum, & propagandum Evangelium, quorum pedes dicuntur evangelizare bona, evangelizare pacem; & sicut hæc in Ecclesia prærogativæ ejus sanctitatem, pulchritudinem, ac splendorem ostendunt; ita arctissimam ejus cum cœlesti Sponso necessitudinem, ac conjunctionem indicant; à quo propterea Cant. 4. dicitur speciosa, tota pulchra, sine ruga, sine macula, pulchra ut luna, electa ut sol; & ne censeretur latere in obscuro, ac esse penitus invisibilis, ut perperam asserunt Sectarii Calvinus Lutherus, Brentius, non solùm splendere dicitur ut sol; sed etiam Matth. 5. mons in vertice montium, & civitas in monte posita, quæ abscondi non potest: Si esset obscura, quomodo in monte posita? Si invisibilis, & omninò latens, quomodo dicitur aurora, sol, luna, & lux ipsa? Psal. 18. *Dens in sole posuit tabernaculum suum*, seu militantem Ecclesiam ut splendore, imo solari jubare coruscans omnibus luceret: sed Sectarii fugientes in tenebras ajunt Ecclesiam esse in terris invisibilem, & latere in tenebris, quas quærunt ut malè agant, ut sit S. Augustinus qui alloquens Sectarium ait: *Quid tu hæretice fugis in tenebras, quid latitare conaris, omnis enim qui malè agit odit lucem, & non venit ad lumen, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lumen, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.* Ejus dignitates, & divitiæ describuntur in sacris Scripturis Psal. 47. vocatur *Imperatrix Regina* Psal. 111. dicitur divitiis affluere. *Gloria, & divitiæ in domo ejus, & justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Est enim Ecclesia dives divina gratia, dives Sacramentis, referta virtutibus, plena meritis. Cant. 6. explicatur ejus ornatus non confusus sed ritè ordinatus, *ut castrorum acies ordinata*: ejus portæ dicuntur ex gemmis constructæ pretiosis: Tob. 13. *Portæ Hierusalem ex sapphiro, & smaragdo ædificabuntur; & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus.* Celsitudo illius innuitur Psal. 86. *Fundamenta ejus in montibus Sanctis. Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Ejus præclara gesta Psal. 86. *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei:* Si igitur Ecclesia Catholica talis est, qualis in sacris litteris describitur, est vera & Apostolica.

Tertia nota petitur ex ejus robore, & invicta fortitudine, quâ pugnare quidem potest, non expugnari: unde dicitur in Scripturis urbs fortitudinis Sion, acies castrorum ordinatorum, civitas in monte posita, columna & firmamentum veritatis.

Quarta ex ejus fœcunditate, & propagatione: dicitur enim Psal. 127. Vitis abundans in lateribus Domus Domini, quæ extendit palmites suos ad mare, & propagines suas usque ad terminas terræ; imò non solùm vitis sed & vinea integra exculta ac plena vitibus florentibus; vinea est Ecclesia propter vitem, quæ est Christus ut expendit S. Bernardus, propter agricolam, qui est æternus Pater; propter fulcra, quibus per claviculos palmites hærent, suntque Sacerdotes, & Episcopi Christo adhærentes; propter sepem continuæ successionis, qua vinea per totum circuitum clauditur; & propter vinum optimum, qui sunt Martyres, & Sancti Confessores, in ecclesiæ vinea florent virtutes, maturiunt fructus bonorum operum.

Quin-

Quinta est ejus conformatio perfecta non solum ad legem evangelicam; verùm etiam ad primævam naturæ & rationis, quæ est participatio legis divinæ, quam Deus scripsit in cordibus nostris, Psal. 4. *Signatum est super nos lumen tuum Domine*, seu scripta in cordibus nostris lex æterna; unde D. Paulus ad Rom. 2. *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Et alibi ait, *Condelector enim lege DEI secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Ecclesia itaque quæ proba, & juxta naturæ legem videt, observatque circa culturam virtutum, & vitiorum fugam apertis ulnis amplectitur, tametsi ab Ethnicis hæc exerceantur, ab illis enim non dedignatur addiscere tanquam ab iis, quibus hæc Deus revelavit teste Paulo, adeo ut veluti ab injustis Possessoribus, ut loquitur Augustinus ea accipiat, ac veneretur.

Septima nota sunt dona Spiritus Sancti, quibus Ecclesia afficitur, & ornatur: sunt enim veluti unguentum pretiosum, quod primo descendit in caput Summi Pontificis Aaron, seu Jesu Christi, deinde in barbam, & vultum illius seu in Apostolos, ac demum in Universa membra Ecclesiæ ac in ultimam vestimenti ejus oram: Utitur hoc signo Irenæus lib. 2. cap 51. & Justinus in Dial. contra Triphonem. Hæc autem dona Spiritus Sancti enumerat Isaias, *Et requiescet super illum Spiritus Domini sapientiæ & intellectus, consilii, & fortitudinis spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Hinc cœtus ille hominum, qui hisce destituitur donis, procul dubio est extra Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam, & quia Sectæ Calvinistarum, Lutheranorum, aliorumque Novatorum carent hisce donis, quæ probare non possunt, procul dubio sunt extra Ecclesiam Jesu Christi, quia non habentes Spiritus Sancti dona, ut ait D. Paulus, non sunt ejus: Secus Ecclesia Romana, quia hisce donis ornatus, & corroboratur in Sanctis suis meritò Sancta Catholica, & Apostolica est, & nuncupatur, in ipsa enim homines pietate, & cultura insignes tanta sapientia & intellectu præditi reperiuntur, tanto consilio & fortitudine, tanta sapientia, & pietate ac tanto timore Dei, ut supra reliquos emineant sanctitate, & pietate.

Octava est veri divini cultûs perpetua conservatio, idque prævidens David Psal. 83. ait: *Beati qui habitant in domo tua Domine in sæcula sæculorum laudabunt te*, quod de externo cultu intelligitur, & consistit in rebus, personis, circumstantiis, sacrificiis, publicis precibus, quibus nomen Domini invocatur, benedicitur, & auxilium ab ipso petitur Genes. 26. *Dabo Posteris tuis universa, Regiones has, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eò quòd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta mea, & mandata mea, & ceremonias legesque servaverit.* Comprehendit etiam divinus cultus, qui viget in Ecclesia Romana, vota tum simplicia, tum solemnia, quæ emittunt Religiosi, & continentes, de quibus David Psal. 75. *Vovete, & reddite Deo vestro munera,* Obsecrationes etiam & orationes, postulationes, & gratiarum actiones vel pro susceptis beneficiis, vel pro salute proximi, & Principum in eodem cultu continentur, 1. Timot. 2. *In obsecrationibus orationibus, postulationibus, gratiarum actionibus pro omnibus hominibus pro Regibus, & omnibus, qui sunt in sublimitate.* Personæ verò cultui divino addictæ sunt Pontifices; Presbyteri, Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Lectores, Ostiarii, Exorcistæ, Monachi, Eremitæ, Virgines & Viduæ. Circumstantiæ divini cultus sunt templa, altaria, vasa, & vestitus sacer, dies festi, publicæ supplicationes, pœnitentiæ, & indicta jejunia, quæ omnia in Ecclesia Romana vigent, & florent, & quidem à primis suis Fundatoribus usque ad id tempus, adeo ut nullæ persecutiones, nullæ hæreses, valuerint hunc cultum extinguere.

Nona est ipsa communio Sanctorum, de qua 1. Joan. 1. *Ut & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & Filio ejus Jesu Christo.* Est enim sanctorum communio societas illa omnium Ecclesiæ membrorum sive in terris adhuc militantium, sive in purgatorio pœnas luentium, sive in cœlo regnantium tum inter se, tum in Christo capite, & Institutore Ecclesiæ: hinc Joan. loc. cit. *Si in luce ambulamus sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, & Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Secundò significatur communio Sacramentorum, quia hisce veluti sacris vinculis fideles Christo copulantur: & beneficiô Sacramentorum Christus merita sua, & præsertim passionis, & mortis membris suis communicat: fructus enim meritorum Christi ab iis omnibus participatur, qui ritè & dignè Sacramenta suscipiunt, Primum autem ex Sacramentis est Baptismus, qui janua dicitur, per quam Ecclesiam ingredimur, & jus ad alia Sacramenta obtinemus, & ad Eucharistiam accedimus, qua corpori & sanguini Domini communicamus, & Christo concorporales facti sumus, ut loquuntur Sancti Patres ac cum Ecclesiæ capite ejusque membris reliquis arctiùs unimur, etenim unus panis, & unum corpus multi sumus, qui de uno pane, & calice participamus. Tertio per Sanctorum communionem intelligitur itidem communio omnium honorum, non eorum tantùm, quæ homines Deo charos, & custos constituunt, sed etiam gratiarum, quæ nobis gratis dantur, inter quas recensentur scientia, prophetia, donum linguarum, & miraculorum, quæ interdum etiam hominibus malis, & peccatoribus à Deo conferuntur ad publicam suæ Ecclesiæ utilitatem: siquidem unitas Spiritus Sancti; à quo Ecclesia regitur, id præstat, ut quidquid in eam collatum est, commune sit omnibus. Hujus spiritualis communicationis idoneam similitudinem exhibet Apostolus 1. Corinth. 12. inquiens; sicut in corpore multa membra sunt; omnia autem non eundem actum habent, & tamen omnia in communem corporis utilitatem suas obeunt functiones, & omnia membra adeo aptè inter sese connexa sunt, ut si patiatur unum membrum compatiantur & reliqua, & si bene affectum sit unum, congaudeant cætera per totum corpus membra: ita ait Apostolus, sumus corpus Christi & membra de membro, quia in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, & omnes in uno Spiritu potati sumus nec potest unum membrum alteri dicere, opera tuâ non indigeo. In Ecclesia unicuique membro proprium est munus assignatum, adeo ut alii fungantur munere Apostolorum, alii Doctorum, alii Prophetarum; & quisque suo donatur præmio juxta Christi promissionem Matth. 10. *Qui accipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem accipiet Prophetæ.* Est enim Ecclesia fidelium congregatio, & unum corpus ex multis membris compactum cujus caput est Christus: ipsum enim Deus dedit Caput

super

super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius: & ibi habetur membrorum inter se societas, ubi operatio cujusque membri cedit in commodum totius corporis, & omnia membra uno Spiritu vivunt, & sub uno capite inter se connectuntur, ut noo sit schisma in corpore, hinc D. August. Tract. 32. in Joan. ait: *Accipimus & nos Spiritum Sanctum, si amamus Ecclesiam, si charitate compaginamur, si Catholico nomine, & fide gaudemus. Quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum Sanctum, qui datus est, ut ait Apostolus 1. Corinth. 12. ad manifestationem, quatenus alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii donatio curationum in uno Spiritu, alii operatio virtutum in eodem Spiritu.* Beneficio hujus communionis alter alterius in Ecclesia, fideles onera portant, unusquisque secundum gratiam, quam accipit, quam & aliis communicat, quia fideles, ut habetur 1. Petri 4. sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei illam aliis administrant. Rursus per communionem Sanctorum intelligitur etiam ejusdem fidei, ac Religionis professio, in qua decesserunt Sancti, quam professi sunt proprio sanguine Martyres, & ad quam Prophetea Apostolus Paulus ad Heb. 13. fideles hortatur, inquiens: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Demum hæc Sanctorum commonio significat sacrum commercium suffragiorum, meritorum, bonorum operum inter omnia Ecclesiæ membra per unum Spiritum vinculo charitatis simul colligata: fideles enim sive jam decesserint, & ex piatorio igne crucientur in purgatorio, sive adhuc in militante Ecclesia vivant, quia charitate conjuncti, & sancta societate confœderati participant de suffragiis, bonisque operibus aliorum. Omnes enim fideles participes sunt communionis sanctorum, non tamen æqualiter, sed juxta mensuram fidei, & charitatis unius cujusque, siquidem uberiorem fructum ex hac sacra societate percipiont, qui plus in eam conferunt bonisque spiritualibus magis abundant, Matt. 13. *Omni habenti dabitur, & abundabit.* Etenim Christus, qui Ecclesiæ est caput, bona cuique secundùm merita distribuit quamvis merita ipsa fidelium sint etiam Dei miserentis dona: Hinc ab hac communione sanctorum omnes excluduntur, qui non sunt in Ecclesia, neque ejus membra. Juxta enim Sanctos Patres præsertim Cyprianum, & Aogustinum non participat de meritis sanctorum, qui cum sanctis in Ecclesia non communicat, neque Deum Patrem habebit, qui Ecclesiam Matrem habere noluit.

Decima Ecclesiæ nota est in eadem virtus miraculorum, quam Deus suis solet charioribus fidelibus impertiri Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur, signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis, serpentes tollent: etsi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt:* & D. Paulus ad Heb. 2. *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cùm initium accepisset, enarrari per Dominum ab eis qui audierunt in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus secundùm suam voluntatem:* hæc autem signa, cùm non fiant in aliis Sectis, sola Ecclesia Catholica vera. & Apostolica est, ait Tertullianus: *probent se novos Apostolos, eadem signa edant* (loquitur de hæreticis) *volo igitur & virtutes eorum proferre, nisi quod agnoscam, & maximam virtutem illorum, qua in perversum Apostolos æmulantur. Illi enim de mortuis vivos faciebant: isti de vivis mortuos faciunt.* Ab hac nota fatetur D. Augustinus se detineri in Ecclesia, eò quia signa supernaturalia nequeant esse, nisi à Deo, quia vires excedunt totius naturæ, proinde per hæc signa clarè manifestat Deus Ecclesiam Catholicam veram esse & apostolicam, & ejus caput esse JEsum Christum Filium ejus, ait Augostious: *Me tenet in Ecclesia authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata:* & alibi hæreticos expellit, ut falsi dogmatis sectatores, & hisce signis destitutos inquiens: *Si nec scripturarum authoritatis antiquitas, nec miraculorum potestas, nec morum sanctitas, nec rationis veritas vos asserit: abite confusi, & redite confessi.*

Undecima veræ Ecclesiæ dos est lumen, & veritas prophetiæ, ut prædixerat Deus per Prophetam Joelem 2. *Et erit post hæc, effundam spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ. Senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt.* & d. Paulos 1. Corinth. 12. *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem: alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundùm eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus.* Et 1. ad Tessal. 5. ait: *Spiritum nolite extinguere. prophetias nolite spernere. Omnia autem probate, & quod bonum est tenete.* Imò & ipse Christus se missurum Prophetas spoponderat Matth. 23. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas sapientes.* Fuerunt igitur in Ecclesia Catholica semper viri dono prophetiæ præditi, qui clades, pestes, bella, hostium irruptiones, ut etiam pacem, tranquillitatem, & alia in Ecclesiis bona multò ante prædixerint: has revelationes, & visiones de futuris persæpe in Ecclesia factas narrant Polycarpus, & Cyprianus: hisce prædictionibus plenæ sunt vitæ Sanctorum, & præsertim S. Brigittæ, pleni sunt annales Ecclesiastici: & has prædictiones esse veram notam veræ Ecclesiæ Jesu Christi Catholicæ, & Apostolicæ, constat ex scripturis Isajæ 44. *Hæc dicit Dominus Rex Israel, & Redemptor ejus Dominus exercituum. Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus. Quis similis mei vocet, & annuntiet, & ordinem exponat mihi, ex quo constitui mihi populum antiquum; ventura & quæ futura sunt, annuntient eis.*

Duodecima nota est verior semper profectus in fide, culturâ virtutum, & studio pietatis: crevit enim semper Ecclesia de virtute in virtutem crevit dilatatione, & propagatione Evangelii, crevit numero sanctorum, qui per patrata miracula testimonium daot Ecclesiam Romanam veram Catholicam, & Apostolicam esse, & in ea tantum posse homines æternam consequi salutem: suam habuit Ecclesia veluti infantiam, & tunc lacte indiguit, de qua Salomon Cant. 8. *Soror nostra parvula est:* & maturior facta plurimus peperit cœlo, de qua dicitur Eccles. 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis, & magnæ spei:* habet & senectutem Psal. 91. *Senectus mea in misericordia uberi:* neqoe mirum si crescat jugiter, decrescat nunquam, proficiat semper, nunquam deficiat, habet enim rectorem, & custodem, de quo Isajæ 46. ait: *Qui portamini à meo utero,*

qui gestamini à meo sinu usque ad senectam ego ipse & usque ad canos ego portabum. Ego feci, & ego feram, & ego portabo, & salvabo: Sed si Ecclesia Romana Catholica, & Apostolica semper proficit, nunquam deficit, è converso quotquot hactenus in orbe terrarum fuerunt hæreses grassatæ, semper deprehensæ sunt defecisse, non profecisse. & quamvis earum principia interdum magnifica apparuerint, exitus tamen semper miserabiles fuerunt, quia ut scribit Apostolus 2. Tim 3. *Mali autem homines, & seductores proficient in pejus errantes, & in errorem mittentes.* Idque Evangelica parabola de tritico, & Cizanio pulchrè delineat, siquidem cizanium licèt natum simul cum tritico creverit, tempore tamen messis in fasciculos colligatum cizanium extraditum fuit flammis ad comburendum, cùm triticum in horreum fuerit congregatum, ac servatum Matth. 13. *Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet cizania? & ait illis inimicus Homo hoc fecit. Servi autem dixerunt, vis, imus, & colligimus ea? & ait: non ne forte colligentes cizania eradicetis simul cum eis & triticum, sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus colligite primum cizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.*

Tertia decima nota petitur ex eo, quia Ecclesia Romana Catholica omnem semper respuit novitatem, & fidelis fuit vetustatis custos, ac Apostolicæ doctrinæ propugnatrix, & id semper secuta fuerit, quod cum majorum instituto, ac doctrina conjunctum est; unde Basilius magnus ait: *Fidem nos, nec per alios nobis noviter præscriptam amplectimur, neque nos ipsi mentis nostræ incerta nobis proponere audemus, ne humana putentur esse potius verba; sed quæ à Sanctis Patribus didicimus, hæc interrogantibus tradimus.* Postea conqueritur, quòd Novatores nihili faciant Patrum sententias, habeantque contemptui prædecessorum dogmata; neque curent Majorum traditiones, inquiens: *Contemnuntur Patrum sententiæ, & dogmata, Apostolicæ traditiones annihilantur, novorum hominum inventa introducuntur. Episcopum autem illum esse dicit qui custos doctrinæ Patrum: omnis novitatis est hostis.* Hinc D. Ambrosius ait: *servemus præcepta Majorum, ne hæreditaria signacula ausu rudis temeritatis violemus.* Proprium semper fuit Ecclesiæ Catholicæ deposita Sanctorum Patrum, & commissa incorrupte servare; ac profanas novitates damnare; & ut dixit Apostolus, eos anathematizare, qui præterquam quòd scriptum est, audent annuntiare. Refert Sozomenus lib. 2. cap. 12. Quòd temporibus Theodosii Magni dum Ariana hæresis, ex rectis Apostolicæ doctrinæ gladio capitibus tecens hidra renasci, ac repullulare cœpisset; résque in disceptationem deducta fuisset; propositum à Nactario Archiepiscopo Constantinopolitano fuit Arianis Sinesii suasu, num veterum doctrinam admitterent; num SS. Patribus, & Conciliis œcumenicis crederent; num fidem haberent scriptis tot virorum, qui pietate, charitate, & cultura insignes cum opinione Sanctitatis hinc decesserunt: cùmque respondissent se illis omnibus plenam habere fidem: quæsitum ab iisdem iterum fuit; num eandem & ipsi doctrinam profiterentur, & eorum doctrina eadem cum illa sit, quam SS. Patres profitebantur: hoc ultimũ, cùm probare non possent, victi, & rejecti fuerunt.

Quarta decima Ecclesiæ Apostolicæ dos est, quia amica, & cultrix virtutis extrema semper declinavit, nec ad dextram, neque ad sinistram propendens; sed mediam semper occupavit sedem; media recta, ac tuta incessit viâ juxta Dei præceptum Deuter. 5. *Non declinabis neque ad dextram, neque ad sinistram* & media hac in via doctrinam semper possedit Apostolicam: Idque probatu est facile: quia si Ebion, & Corinthus docuerunt à Christianis legem veterem esse simul servandam cum lege Evangelica: & Manichæus legem malam esse, & à Malo Deo latam fuisse asseruit; Ecclesia Catholica media incedens, legem quidem Sanctam esse fatetur; jugum tamen veteris legis Evangelica mitigat libertate, & rigorem temperat humanitate à Christo assumptâ, ut divinæ pro hominibus satisfaceret justitiæ, & figurarum umbras suo propulsaret splendore. Si Manichæus Christi negavit humanitatem; & Arius ejus divinitatem: Ecclesia utrumque asserit, creditque Christum verum esse hominem, & verum Deum. Si confundebat in Divinis Sabelius naturas, & personas, & simplicia asserebat nomina; & Eunomius, ac Macedonius hæc omnia distrahebant; Ecclesia medium occupans, naturas in Christo Divinam concomitanter & humanam primariò confitetur, & unam asserit personam divinam in Christo, & tres in Deo distinguit, ac personarum nomina. Multiplicabat naturas, & personas in Christo Nestorius: & hæc omnia confundebat Euthiches: sed Ecclesia Romana Catholica naturas distinguit; & unitatem personæ fatetur. Novatus semel in lethalem noxam lapsos, quamvis resipiscentes, docebat non esse ampliùs recipiendos: Lutherus verò esse suscipiendos absque pœnitentia, sine resipiscentia: Ecclesia autem media incedens via, peccatores suscipit resipiscentes, amplectitur pœnitentes; & respuit præsumentes. Sidesperavit Novatus, præsumpsit Lutherus; Ecclesia media via incedens sperat. Si pelagius opera meritoria vitæ æternæ soli libero arbitrio solisque viribus humanis tribuit; & è converso Lutherus, & Calvinus nihil operis meritorii tribuunt libero arbitrio; sed totum docent esse divinæ gratiæ: Ecclesia Catholica medium occupans locum, utrunque declinat extremum, & gratiam simul nectit cum libero arbitrio, & docet opus meritorium vitæ fieri à gratia divina, & libero arbitrio; seu ab hoc non nude sumpto, sed ut informato divina gratia, à qua elevatur ad statum supernaturalem & corroboratur. Si Capharnaita Nestorius, & Lutherus mortuam Christi carnem comedebant: Si Zvinglius, Oecolampadius, & Calvinus nullam, sed tantum figuram carnis: Ecclesia Catholica Christi veram, & vivam carnem fidelibus in Eucharistia porrigit comedendam. Si Encratitæ quovis tempore jejunabant; & Lutherus jugiter epulabatur; Ecclesia jejunat statis temporibus, & moderatè comedit, vires que reficit absque læsione sobrietatis. Matrimonium ut turpe quid damnabant Gnostici, & solam virginitatem laudabant; è converso Lutherus virginitatem reprobat, & solum approbat matrimonium: sed Ecclesia Catholica media incedens via matrimonia approbat, & virginitatem cum Apostolo laudat, ac suadet; & doctrinam Apostolicâ in suo medio semper tuetur.

Quinta decima quia cùm oppugnata quovis tempore ab hæreticis fuerit & impugnata; nunquam tamen expugnata; sed semper victrix, ac propugnatrix steterit veritatis: ait ipsa Ps. 128. *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea etenim non potuerunt.* Hoc est *Filii Matris meæ pugnaverunt contra me:* quos per baptismum habui fratres, proterviâ meos effecit hostes. Quemadmodum Ecclesiæ Catholicæ Sponsus Christus Jesus L. 2. dicitur positus in signum, cui semper contradicitur. & adversus quem reges terræ & principes conspirasse legimus dicentes Psal. 2. *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum:* seu dirumpamus

inus vincula, quibus Ecclesia Catholica arctè suo copulatur Sponso Christo: ita conveniens erat, ut Ecclesia suo similis Sponso signum fieret, cui Hæretici quovis tempore contradicerent; qua de causa scripsit Apostolus *oportet hæreses esse.* Cùm igitur Romana Ecclesia talis sit, quam sæculis omnibus, etiam à tempore Apostolorum Sectarii impugnaverint semper, expugnaverint nunquam: & quamvis inter se dissidentes sibique vicissim oculos, ut ajunt, confodientes; dant tamen sibi mutuò manus, simulque conveniunt, ut Romanam Ecclesiam evertant; ejusque Supremum Pastorem, ac Christi Vicarium in sua militante Ecclesia exturbent, eradicent; Signum evidens est eam solam omnibus Sectariis, cujuscunque sint Sectæ, esse exosam, ac invisam; eò quia arbitrentur ea sola stante, necesse sit Sectæ omnes corruant, Hæreses omnes dissipentur; & quoad hoc videtur Ecclesiæ contingere, quod olim Ethnicis. Refert Tertullianus *de Præs.* consuevisse olim Romanos Ethnicos. Deos omnes vanos gentium colere, uno excepto vero Numine Creatore cœli & terræ; eo quia censuerint Deos esse colendos, ut cultus iisdem non displiceret; quòd si verum Deum Conditorem mundi numero reliquorum Numinum adscivissent, eum debuissent cultum exhibere, qui eidem placeret; & quia verus Deus, unus tantum est, neque consortium patitur alterius, ideo cultus, qui ei placuisset; omnem alium debuisset excludere cultum exhibendum gentium Numinibus; ne igitur reliqua gentium Numina à tali cultu excluderentur, maluerunt, verum DEUM non colere, quàm cæteris falsis displicere Numinibus. Perinde Sectarii omnes falsitates, ac errores reliquarum Sectarum, & hæresum tolerant, imò & iisdem dant manus, ac confœderantur, quamvis sibi contradicant; & quod illi affirmant, negent illi, & veluti omnia figmenta exosculantur; & solam Ecclesiam Catholicam, & verè Apostolicam explodunt; quia si semel illi adhærerent; eique assentirentur reliquæ omnes falsæ Sectæ, omnésque hæreses corruerent, delerentur. Londini in Anglia ad triginta circiter grassantur Hæreticorum Sectæ, inter sese discrepantes, & contrariæ quoad dogmata; seque tamen tolerant, imò & amico fœdere uniuntur omnes contra unam, & solam Religionem Catholicam, quam neque pati volunt, neque tolerare.

Sexta decima nota, quia sola Ecclesia Romana etiam ex consensu Hæreticorum est Canon, & regula veritatis quamvis Sectæ omnes Hæreticorum diffideant, opponanturque Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, quam nituntur radicitus evellere, ac extinctam superent; ipsam nihilominus in controversiis suis, ac dissidiis seligere solent ut regulam ad dirimendas controversias ad ipsam inter procellas quæstionum confugiunt veluti ad cinosuram, ut portum optatæ quietis appellare valeant. Quando enim inter Sacramentarios Anabaptistas, Arianos, Eboinitas & alios, difficultates circa Religionem oriuntur, & inter se dissentiunt; illi proximiùs ad veritatem accedere, ac melius sentire creduntur, ac minus errare, qui ab Ecclesia Romana Catholica minus dissentiunt; unde vel nolentes tenentur fateri veram JESU Christi Fidem, veram Apostolorum doctrinam in sola Romana, & Catholica Ecclesia conservari, & custodiri; adducunt enim in documenta Fidem suorum majorum qui vixerunt ante Lutherum, & Calvinum, aliosque Hæresiarchos. Id contigisse in Transilvania fatentur plures; post enim exclusam ab illis Regionibus Fidem Catholicam; cùm dissidia inter Sectarios exorta fuissent; tandem ad documenta suorum majorum confugerunt, & aliquot Sacramenta, ac ceremonias Catholicas dicuntur restituisse, & veluti postliminio eam absoletam iterum vocasse, ac in patriam post exilium admisisse.

Decima septima ex eo petitur, quia Christus voluit gentes omnes erudiri in Fide, & audire Evangelium à Ministris suæ propriæ Ecclesiæ, quam ipse fundavit, hinc David Psal. 47. id prævidens ait: *Deus in domibus ejus cognoscetur, cùm suscipiet eam. Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt, convenerunt in unum, ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: tremor apprehendit eos, ibi dolores ut parturientis in spiritu vehementi conteres naves Tharsis, sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum in civitate Dei nostri, Deus fundavit eam in æternum:* Atqui Propagatores Evangelii fuerunt Apostoli, & eorum Discipuli: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*, & post Apostolos quotquot propagârunt Evangelium, missi fuerunt ab Ecclesia Catholica, cui & aggregati fuerunt, hinc Actor. 15. ait D. Petrus: *Viri fratres vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum evangelicum, & credere. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit dans illis Spiritum Sanctum, sicut & nobis, & nihil discrepat inter nos & illos fide purificans corda eorum:* Hoc idem semper ab Ecclesia Romana factum fuit, quatenus misit suos fideles in exteras provincias propagandæ Fidei causâ: Sic D. Petrus misit fideles, qui Italos, Hispanos, Gallos, Dalmatas, Pangnones, & Scitas, ac alias plures gentes ad Christi Fidem perduxerunt: Eleuterius Papa per Fugacium, & Damianum Britaniam Evangelium edocuit, Cœlestius per Palagium, Scotiam, Tholosates per Exuperium, sic Agapitus misit in Daniam, Stephanus in Boemiam, Hadrianus in Norvegiam, Nicolaus I. in Bulgariam, Gregorius II. in Germaniam, Moraviam, & Poloniam, ut testantur historiæ Ecclesiæ, & annales earundem gentium, qui referunt, quo tempore, quo anno, quo summo Pontifice provinciæ per orbem terrarum Christianam susceperint Religionem; & non solùm per Europam, Asiam, & Africam, verùm etiam ad Indos, & novum orbem missi ultimis temporibus fuerunt, qui Evangelium populos illos edocerent.

CAPUT XVII.

De iis, qui sunt extra Ecclesiam. Et primò de Catechumenis, & Hæreticis.

Certum est, non baptizatos esse extra Ecclesiam, de quibus propterea ait Apost. 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Ubi generatim illi omnes intelliguntur esse extra Ecclesiam, qui lustrali Baptismi unda non fuerunt abluti, neque per Baptismum nomina sua Christo dederunt: Est enim Baptismus janua, per quam solam patet accessus, & ingressus in Christi Ecclesiam: qui ingressus omninò necessarius est, ut dicatur quis membrum Ecclesiæ, & esse in Ecclesia, nõ enim ut quis sit in Ecclesia, & salutẽ cõsequatur, satis est si in Christum credat, & eũ colat, sed ulterius, necesse est, ut baptizetur, ac cœtui aggregetur fide-

fidelium, sitque in Ecclesia, quam Christus in terris vivens instituit, & ex Apostolis, ac Discipulis primùm collectam, postea ex variis nationibus, populisque per Fidem, & Sacramentorum Communionem adjunctis dilatavit, auxitque, & per singulas mundi partes diffudit. Quòd si dicas Catechumenos, tametsi nondum sint aquâ Baptismi abluti, adhuc posse salutem consequi, si moriantur in eo statu, in quo credunt in Christum, & in Romanam Ecclesiam, quam tamen nondum sunt ingressi. Respondetur Catechumenos non esse in Ecclesia actu, & propriè, sed tantùm in potentia, quia ex Concilio Florentino in Armenorum instructione homines tunc tantùm dicuntur fieri membra Christi, ac esse de Corpore Ecclesiæ, cùm baptizantur, quod & sancti Patres communiter docent. Chrysostom. homil. 24. in Joann. ait Catechumenum alienum esse à fideli, nihilque habere commune cum eo, & Tertull. lib. de præscript. reprehendit hæreticos, eò quia non distinguunt catechumenos à fidelibus: & cyrill. lib. 12. in Joan. cap. 50. censet, catechumenos esse adhuc Christianos, perinde ac erant apud Judæos circumcisi, quibus propterea prohibitum erat vesci Agno Paschali: & Gregorius Nazian. orat. in sanctum Lavacrum ait: Catechumenum esse in vestibulo pietatis, nec adhuc posse vocari fidelem nisi intus per Baptismum ingrediatur Ecclesiam: Augustinus etiam Tract. 4. in Joann. & aliis in locis distinguit Catechumenum à fideli, & quia Ecclesia est cœtus fidelium Catechumenus nec propriè, nec impropriè dici potest esse in Ecclesia. Tum quia quotquot sunt in Ecclesia jus habent ad Sacramenta suscipienda, & ad alia quæ communia sunt fidelibus existentibus in Ecclesia; & Catechumenus nullum habet jus ad ista, propterea propriè, & actualiter dici non potest esse in Ecclesia.

Dices Catechumenum posse salutem consequi, & salvari, si in eo statu decedat, in quo credit in Christum, & omnia, quæ docet Ecclesia Catholica, proinde esse in Ecclesia non extra illam: siquidem ex Concil. Later. Cap. 1. *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omninò salvatur*: Ergo si Catechumenus in præfatu statu decedens salutem consequitur, dicendus est esse in Ecclesia, non extra illam. Respondetur, quòd tametsi Author libri de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 74. expressè asserat, catechomenos nondum ablutos aquâ Baptismi non salvari; nihilominus ex sanctis Patribus plures docent catechumenos ita decedentes salutem consequi, & D. Ambrosius illa orat. de obit. Valentiniani expressè affirmat, catechumenos posse salvari: Erat enim Valentinianus adhuc catechumenus, cùm de hac vita migravit. Melchior Canus assignat rationem, cur catechumenus possit salutem consequi, quia tametsi non sit in Ecclesia, quam propriè Christus instituit, vult tamen esse in Ecclesia, quæ comprehendit omnes fideles ab Abel usque ad finem mundi: quæ tamen ratio non videtur satisfacere, quia post Christi Adventum nulla est vera Ecclesia, nisi illa, quæ propriè dicitur Christiana, & Catholica. Quamobrem exactius respondetur, si catechumeni dicantur esse in Ecclesia Christi in voto tantùm, quamvis nondum in re, ac propterea posse cum solo voto salutem consequi, perinde ac qui in voto tantùm sunt baptizati, & non in re, & dicitur Baptismus Flaminis, unde ad Consilium Lateranense respondetur, nullum posse salvari nisi sit in Ecclesia vel in re, vel in voto. Neque obstat, si dicas, Ecclesiam Christi æquiparari Arcæ Noeticæ, extra quam nemo, nec in re, nec in voto fuit salutem consecutus, Respondetur, hanc similitudinem arcæ in omnibus non convenire cum Ecclesia, etenim etiam à d. Petro 1. *Petr.* 3. baptismus comparatur arcæ Noeticæ, & nihilominus constat, cum solo baptismo in voto & non in re plures fuisse salutem consecutos, & Ecclesiam colere plures Martyres, licèt nondum fuerint aqua baptizati, sed tantùm voto, & sanguine.

An verò Hæretici, qui in re fuerunt lustrali baptismi unda abluti, dicendi sint esse in Ecclesia, vel extra illam? Videtur esse difficultas. Notandum, quòd, ut quis sit infidelis, & hæreticus, non sit opus; ut cùm sciat, aliquod à Deo fuisse revelatum, illud neget, aut dubitet, id enim clarissimum est, & in hoc casu negaret Deum veracem esse, quod vix cadit in hominem sanæ mentis: unde infidelis est, si negat aliquid esse à Deo revelatum, non quia sciat pro certo à Deo fuisse revelatum, sed quia non admittit regulam, cujus beneficio posset, imò & deberet, quæ revelata sunt à Deo, cognoscere: hæc autem regula agnoscendi divinas revelationes est Ecclesia Catholica, & Apostolica, quia hæc omnia revelata à Christo, & Apostolis fideliter semper custodivit, & custodit contra quoscunque Hæreticos: hinc qui nolunt Ecclesiam Catholicam consulere, nec illi adhærere, nolunt canonem, seu regulam adhibere cognoscendi à Deo revelata, & quæ tenentur credere. Hinc hæreticus is propriè dicitur, qui Ecclesiam docentem fidei dogmata audire detrectat, ejusque authoritatem negat, ut docet d. Thomas 2. 2. q. 20. a. 1. ubi ait: Hæresim esse infidelitatis speciem ad eos pertinentem, qui Christi fidem professi sunt, sed ejus dogmata corrumpunt; hinc qui tempore Apostolorum insurrexerunt Hæretici, ideo fuerunt infideles, & Hæretici, quia neglexerunt audire doctrinam Apostolorum, & Ecclesiæ illius temporis: & quia etiam nostris temporibus negligunt Acatholici doctrinam Christi intelligere ab Ecclesia Catholica, ideo infideles, & hæretici habentur, sola enim Ecclesia Catholica veram Christi, & Apostolorum doctrinam, ejusque interpretationem ab ipsis Apostolis factam custodit, servatque incorruptam. Quapropter hæresis definitur *voluntarius error intellectus cum pertinacia contra aliquam fidei veritatem*, quia sicut actus fidei est assensus intellectus, ita hæresis opposita fidei, est error intellectus. Additur cum pertinacia, quia si quis erret circa res fidei etiam culpabiliter, sine tamen pertinacia, non est propriè hæreticus: non tamen pertinacia attenditur penes durationem temporis, vel ob firmatam pervicaciam in errore, sed attenditur ratione cognitionis, adeo ut Hæreticus cognoscat contrarium doceri ab Ecclesia, & nihilominus velit in suo errore persistere: unde ad hæresin requiritur pertinacia, & assensus, quia si quis proferret propositionem hæreticam sine assensu intellectus, non diceretur hæreticus, nec incurreret pœnas latas contra Hæreticos. Imò est etiam Hæreticus qui positivè dubitat in rebus fidei, quia tunc voluntariè errat contra fidei veritatem, quatenus dubitat in certa, & dubia, quæ certa sunt, & vera. Non tamen est hæreticus, qui ex ignorantia crassa errat circa res fidei, sed ita affectus est, ut paratus sit corrigi, & obedire Ecclesiæ cognito errore, seu rei veritate ex definitione Ecclesiæ: quia aliud est errare & aliud hæresi coinquinari, tametsi omnis hæreticus erret, non tamen omnis, qui errat, est hæreticus, nisi fortassis materialiter; quia essentia hæresis non consistit in solo errore, sed etiam in pertinacia, & renisu voluntatis resistentia regulæ fidei: qui verò ex ignorantia crassa errat circa res fidei, sed est paratus obedire, & corrigi cognito errore, non dicitur habere voluntarium errorem eum pertinacia. Huc accersendus Augustinus Epist. 162. ubi ait: *Qui sententiam suam quamvis falsam atque perver-*

perversam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia præsumptionis suæ pepererunt, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceptarunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, dum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos computandi.

An verò Hæretici propriè sint extra Ecclesiam, putat Alphonsus de Castro lib. 2. de justa Hæreticorum punitione c.24. esse membra & partes Ecclesiæ, quamvis palam falsam doctrinam profiteantur. Nititur, quia Ecclesia judicare, & punire potest Hæreticos, & Judex non potest ritè punire nisi eos, qui suæ subjiciuntur jurisdictioni, ergo si Hæretici subjiciuntur jurisdictioni Ecclesiasticæ, & judicantur ab Ecclesia, eidem subjiciuntur, ac sunt in Ecclesia, quia ut ait Apostolus 1. Corinth. 5. *Quid mihi est de iis, qui foris sunt, judicare.* Verùm hæc sententia communiter rejicitur, ut falsa, quia scriptura contrarium docet 1. ad Timot. 1. Apostolus Hæreticos æquiparat naufragis inquiens. *Quidam circa fidem naufragaverunt.* Per metaphoram naufragii lapsos in hæresin intelligit, sumpta metaphora similitudinis à navi, quæ in scopulum illisa in parte aliqua disrumpitur, & ex ea aliqui in mare decidunt: hoc idem etiam declaratur per parabulam discissi retis præ multitudine piscium Luc. 5. quoties enim viri baptizati in hæresin dilabuntur, dicuntur Christi rete discindere, Petri naviculam frangere, & ab aliis fidelibus separari.

Esse hæreticos extra Ecclesiam clarè deducitur ex sacris scripturis 1. Timot. 1. *Quidam circa fidem naufragaverunt*, ex quibus est Hymenæus, & Alexander *quos tradidi Sathanæ ut discant non blasphemare*, & ad Titum 3. Apostolus fidelibus injungit, ut Hæreticum devitent, inquiens: Hæreticum hominem post unam, vel alteram correctionem devita, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est: sin autem hæreticus esset in Ecclesia cum cæteris fidelibus, Apostolus istis non perciperet eos devitare, neque Episcopus deberet eos anathemate percutere, & à communione fidelium separare, quia tenetur Episcopus, quotquot sunt in sua Ecclesia pascere, ut oves suas. Sancti Patres hoc idem asserunt, etenim Irenæus lib. 3. cap. 3. affirmat Policarpum plures Hæreticos ad Ecclesiam perduxisse, ergo quia erant extra Ecclesiam, non enim ducuntur ad ovile oves, quæ sunt in ovili, sed quæ per campos, vel montes errarunt. Tertull. itidem lib. de præscript. asserit Marcionem, cum vellet ad Ecclesiam reverti, conditionem accepisse, ut quos perverterat Ecclesiæ restitueret, ergo quia tam Marcio, quàm alii ab ipso perversi erant extra Ecclesiam, alioquin non debuissent redire ad Ecclesiam, qui enim sunt domi, non dicuntur domum redire, sed tantùm qui domo egressi forum & plateas civitatis deambularunt. Cyprianus itidem in Epist. ad Jubajanum ait: Hæreticos cùm sint extra Ecclesiam sibi adhuc vendicare authoritatem Ecclesiæ more simiarum, quæ cùm homines nun sint, adhuc, quæ hominis sunt, satagunt imitari: ergo hæretici non sunt fideles, quos tamen nituntur imitari, proinde sunt extra Ecclesiam, non in Ecclesia, quæ nonnisi fideles comprehendit. D. Hieronymus in Dialog. contra Luciferianos ait: *Sic ubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non à Domino JEsu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, ut puto Marcionistas, Valentinianos, Mentenses, sive Campenses, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam.* Hoc idem etiam expresse docet D. Augustinus lib. de unit. Eccles. cap. 4. ubi ait: *Qui non credunt Christum in carne venisse de Virgine Maria ex semine David, aut in corpore ipso resurrexisse, in quo crucifixus, & sepultus est, non utique sunt in Ecclesia.* Ergo hæretici non credentes unum vel alterum fidei articulum dicuntur esse extra Ecclesiam. Ratio etiam id evincit, quia Ecclesia definitur cœtus fidelium sub uno Pastore Christi Vicario, cui obsequuntur, ut capiti, & qui per professionem unius fidei, & observantiam Legum, ac rituum, simul conveniunt, ac copulantur: & quia Hæretici fideles non sunt, nec Christi Vicario in Ecclesia militanti obediunt, nec per observantiam legum simul uniuntur, non possunt dici de corpore Ecclesiæ, nec esse membra illius, proinde non sunt in Ecclesia.

Neque obstat fundamentum oppositæ sententiæ, quia, tametsi Hæretici non sint in Ecclesia, sed Ecclesiæ transfugæ adhuc ratione suscepti baptismi deberent esse in Ecclesia, ad quam proinde pertinent, perinde ac milites desertores, qui ab exercitu auffugerunt, tametsi non sint in exercitu, adhuc pertinent ad Præfectum exercitûs, & ob juramentum præstitum, & susceptam pecuniæ solutionem deberent esse in exercitu, ideòque capti judicantur, & puniuntur à Præfecto exercitûs. Hinc etiam Pastor portet ovem, quæ non est in ovili, sed errat per sylvas, & campos, iterum adigere ad ovile: eodem pacto Ecclesia judicat de iis, qui intus sunt, vel esse deberent: & Apostolum 1. Corint. 5. loqui de iis, qui nunquam per susceptum baptismum fuerunt Ecclesiam ingressi, cujusmodi sunt Gentiles, Judæi, & alii non baptizati. Si dicas Hæreticos per susceptum baptismum servare characterem, & quidem indelebilem, ratione cujus uniuntur Christo, respondetur, quòd quamvis character baptismi sit indelebilis, non tamen inde sequitur, hæreticum esse in Ecclesia ob characterem, quia is non sufficit ad constituendum aliquem in Ecclesia, alioquin sequeretur, quòd Christiani omnes, quotquot torquentur igne gehennali, adhuc in inferno essent in Ecclesia, ac propterea communicare in Ecclesia cum fidelibus, quod falsum est. Character igitur non unit hominem cum capite, sed est signum potestatis, & unionis cujusdam, ratione cujus in inferno Christiani ab Ethnicis cognoscuntur distincti. Præterea quia character cùm sit invisibilis, non unit exterius, & ex D. Thoma cùm non sit actus nec habitus operativus, neque unit interius, proinde nullo modo unit Hæreticos cum capite Christo.

Posset tamen objici parabola de cizaniis Matth. 13. siquidem in eodem agro tria reperiuntur granum, paleæ, & cizania, hæc enim tria, ut exponit Augustinus, & alii Sancti Patres indicant probos, pravos, Catholicos, & hæreticos, & ager significat Ecclesiam, ut docet Cyprianus lib. 3. Epist. 3. Verùm Sancti Patres per cizania in illa parabola non intelligunt Hæreticos, sed homines malos, seu peccatores, in Ecclesia, ut asserit S. Cyprianus lib. 3. Epist. 3. & lib. 4. Epist. 2. & Augustinus loc. cit. Tum quia Cyprianus in eadem Epistola, in qua asserit cizania esse in Ecclesia, fatetur hæreticos non esse in Ecclesia, & ne sibi contradicat, per cizania non potest intelligere hæreticos, sed tantùm peccatores, qui sunt in Ecclesia: agit enim Cyprianus in Epistolis illis contra Novatianos detrectantes recipere peccatores resipiscentes, ac pœnitentes timentes, ne communicarent peccatis aliorum, & ad hunc timorem excutiendum adfert parabolam de cizaniis in eodem agro, quapropter per cizania intelligit ipsos peccatores, non verò hæreticos. Præterea posset respon-

responderi cum D. Augustino quæst. 11. in Matth. per agrum in illa parabola non significari ecclesiam sed universum, præsertim cùm Christus explicans parabolam dicat agrum esse mundum, & hac explicatione possunt per zizania intelligi hæretici, sed inde non sequitur esse in ecclesia, sed tantùm in mundo, non enim quotquot sunt in mundo, sunt in ecclesia, quia etiam Gentiles, Judæi, & alii non baptizati sunt in mundo, & non in ecclesia. Sed finis parabolæ erat ostendere in mundo semper esse aliquos malos nec posse ulla humana diligentia ita mundum expurgari ante diem judicii: ut non semper sint aliqui, perinde ac in eodem agro simul cum tritico sunt etiam zizania. Eodem pacto solet ex Sanctis Patribus responderi ad illud D. Pauli 2. Timoth. 2. *In magna domo sunt vasa aurea, & argentea, & lignea, & fictilia.* nomine magnæ domus Chrysostomus, Theophylactus, & alii intelligunt mundum, in quo sunt fideles, & infideles, Catholici, & hæretici. Alii Patres quamvis nomine domus magnæ intelligant ecclesiam, ut Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, & alii non tamen per vasa lignea, & fictilia intelligunt hæreticos, sed fideles peccatores, seu Catholicos indulgentes vitiis, inhiantes divitiis, qui veluti vasa fictilia hisce terrenis sunt agglutinati & veluti essent lignei, seu arbores, radices desideriorum suorum non nisi in terra figunt. Rursus quamvis diceremus per vasa fictilia, & lignea Apostolum intellexisse hæreticos, eò quia Apostolus tunc fuerit loquutus de hæreticis, *quorum sermo*, ut ait D. Paulus, *serpit ut cancer; ex quibus sunt Hymenæus, & Philetus*, qui à veritate exciderunt; respondetur, dato etiam & non concesso Apostolum ibi per vasa lignea, & similia intellexisse hæreticos; adhuc D. Augustinus *lib. 3. de Baptis. cap. 19.* explicat quomodo in hac interpretatione esset intelligendum hæreticos esse in ecclesia; scilicet antequam per pertinaciam separarentur ab ecclesia, tunc enim ob prava desideria, & propensionem ad malum veluti vasa lignea, & fictilia erant in ecclesia; non verò postquam per hæresim se ab ecclesia separarunt: & ait, verba illa *sunt vasa lignea, & fictilia* non esse referenda, non esse nectenda, ad illa *alia, quorum sermo ut cancer serpit, ex quibus sunt Hymenæus, & Phyletus* qui à veritate exciderunt, & subvertetunt fidem: sed esse referenda ad debiles, infirmos, & ad vitia, & pravitatem proclives, qui tamen nondum per hæresim sunt ab ecclesia separati; non verò ad eosdem ut jam per hæresim separatos.

CAPUT XVIII.

An schismatici, & excommunicati sint in ecclesia.

Quamvis quilibet hæreticus sit simul schismaticus, quatenus proscissus, ac separatus ab ecclesia, ac cœtu fidelium; non tamen quilibet simpliciter schismaticus, est semper formaliter hæreticus: quia schismaticus ratione schismatis formaliter, & præcisè non errat in articulis fidei, neque in doctrina orthodoxa, sed tantùm resistit superioribus ecclesiæ, quibus detrectat parere; quo pacto schisma scindit, ac separat membra à capite; est enim schisma græcè idem ac latinè scissura. hinc Pelagius Papa in 24. quæst. 1. & can. schisma asserit *schisma dici, quia facit scissuram in ecclesia, & eam quæ est Catholica deserens; & ab ea se dividens, partialem ecclesiam vult constituere: non enim qui schismatici sunt diversa sentiendi judicium, id est dogmatum dissentia, sed quadam delata crimina contra sedem Apostolicam credentes pessima divisit opinio.* Hoc idem docuerant SS. Hieronymus, & Ambrosius in cap. 3. ad Titum asserentes id interesse discriminis inter schisma, & hæresim: quia schisma ob dissentionem Episcoporum ab Ecclesia Catholica separat, quatenus ejus capiti detrectat schismaticus subjici, & obsequi; tametsi fidei omnia alia dogmata teneat, ac propugnet, ut asserit S. Ambrosius orat. in obitu satyri fratris, ubi de Lucifero Calaritano, ejusque sectatoribus schismaticis ait: *Nam etsi fidem erga DEUM tenerent, tamen erga DEI ecclesiam non tenerent, cujus patiebantur veluti quosdam ortus dividi, & membra lacerari*: unde schisma est tantùm quædam scissio, & dilaceratio facta in ecclesia ab iis, qui in reliquo omnia fidei Christianæ dogmata tuentur: hæresis verò est peccatum dogma contrarium alicui articulo fidei præter separationem membri à capire. Unde licèt schismaticus quatenus præcisè talis tantùm scindat, ac separet membrum ecclesiæ à capite, & per hoc differat ab hæretico, qui ultra separationem à capite negat aliquem fidei articulum, & suum errorem pertinaciter defendit; in rei tamen veritate vix fieri potest, ut schismaticus non sit etiam hæreticus; adeo ut licèt speculativè possit esse schisma sine errore in fide, quatenus schismaticus credit, quæ in divinis continentur scripturis, & per traditiones Apostolorum habentur in ecclesia, ac legem Christi, ac doctrinam profitetur; & tantùm separatur à capite visibili ecclesiæ, seu à summo Pontifice Christi vicario in sua militante ecclesia, cui detrectat obedire: practicè tamen & moraliter vix potest contingere, ut schismaticus non sit simul hæreticus: quia eo ipso quòd schismaticus detrectat se subjicere, ac parere summo Pontifici, & cum eo communicare, se separat ab ecclesia, & communione cæterorum fidelium; idque vel quia credit Pontificem non esse Christi vicarium in militante ecclesia, ac proinde non teneri fideles ei obedire, & id asserere est hæreticum, & contra scripturas; in quibus Christus dedit claves regni cœlorum Petro, ut ejus Vicario, ac ejus pro tempore successoribus, rursus injunxit Petro, ac ejus successoribus pascere doctrina, exemplo, & prædicatione suas oves, adeo ut summus Pontifex sit in ecclesia dominici gregis Pastor, cui tenentur oves obedire, ac ejus vocem audire, & hoc negare perinde est ac divinas inficiari scripturas, quod est hæreticum: vel non vult obedire Pontifici, à quo se separat quia putat eum esse malè electum; & tum nisi probet malam electionem, non excusatur ab hæresi; quia non supposito defectu in electione, de fide est hunc regnantem summum Pontificem, ut Clementem XI. esse verum in ecclesia militante Christi vicarium. Quòd si schismaticus se ab ecclesia separet, eo quia putet esse idololatria pollutam, etiam in hoc casu non excusatur ab hæresi, quia de fide est totam ecclesiam nunquam defecturam à fide promissionem illi à Chri-

Christo factam: cum sit ecclesia ex Apostolo *columna veritatis*, ac de ratione columnæ sit stare, non potest tota ecclesia excidere à veritate, seu errare in fide: Sic Novatiani, ac Donatistæ prius per schisma se ab ecclesia separarunt, postea in hæresim fuerunt turpiter prolapsi, ut refert Spondanus ad annum Christi 254. & postea notatum fuit in Catharis, & Donatistis. Isti non negabant dari aliquam Christi Ecclesiam, sed asserebant, defuisse esse Episcopos, qui communicabant cum Cæciliano, (qui electus fuerat Episcopus Carthaginensis, & accusabatur de traditione librorum sacrorum ab eis: & Cathari negabant, S. Cornelium esse legitimum Pontificem, eo quia cum lapsis (ut ipsi ajebant) in persecutione Decii communionem habuerit: uterque postea in propugnando schismate lapsus est in hæresim. Quòd si schismaticus se tantùm separaret ab una particulari Ecclesia, & communicaret cum aliis; tunc si remaneat unitus aliis Ecclesiis Catholicis, non est schismaticus simpliciter, sed tantùm secundum quid, & diminutè respectù tantùm illius Ecclesiæ, à qua se separat.

Dicendum est Schismaticum se separantem à toto corpore Ecclesiæ Catholicæ non esse in Ecclesia. Idque evincitur facile ex sacris scripturis, ubi Ecclesia Joan. 10. dicitur *unum ovile* ad Rom. 12. *una sponsa* Cant. 6. *una columba*, sed schisma hanc unitatem solvit, & quod erat unum, scindit in partes; & pars scissa à corpore uno non est ampliùs in eo corpore, quia illi non unitur: ergo Schismaticus non est in Ecclesia. Si dicas hanc partem scissam esse & ipsam Ecclesiam quandam, licèt separatam ab alia. Contra est, quia vera Ecclesia JEsu Christi non est multiplex, sed una tantum; quia Joan. 10. ovile Christi est unum tantum, proinde qui se separat per schisma ab Ecclesia Romana Catholica, & Apostolica, quæ est vera Ecclesia JEsu Christi, non est amplius in Ecclesia: & hunc esse sensum totius Ecclesiæ, ex eo conjicitur, quia Ecclesia Catholica in Parasceve orat pro hæreticis, ut eos DEUS ad Ecclesiam Catholicam revocare dignetur: ergo quia censet eos esse extra Ecclesiam; alioquin si essent in Ecclesia, non esset opus, Deum rogare, ut ope suæ gratiæ revocarentur in Ecclesiam; is revocatur in locum, in quo non supponitur esse, & à quo abscesserat. Accedit etiam, quòd Catechismus Romanus in explicatione Symboli Apostolici separat Schismaticos ab Ecclesia, & excludit à communione fidelium, eo, quia non sint uniti tanquam membra suo capiti, à quo per schisma sejunguntur.

Sancti Patres hoc etiam eleganter edisserunt. S. Cyprianus lib. de unitate ecclesiæ ait: *Ecclesia una est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur:* quomodo solis radii multi sed lumen unum, *& rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum: Et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt: numerositas licèt diffusa videatur exundantis copia largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis à corpore divisionem lucis unitas non capit: Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit: A fonte præcide rivum, præcisus arescet. Sic & ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur: ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latiùs expandit: Unum tamen caput est, & origo una, & mater una fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est, & pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo servat; hæc filios regno, quos generavit, assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatur, adulteræ jungitur, à promissis ecclesiæ separatur; nec perveniet ad Christi regna: qui relinquit ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est.* Eleganter Cyprianus, & multiplici accommodata similitudine edisserit, quomodo Ecclesia Catholica & Apostolica licet una tantum spargatur tamen per totum orbem; & ab illa una veluti radii a sole, dimanent, ac splendeant reliquæ particulares Ecclesiæ cum ipsa communicantes; & quæ ab ipsa separantur sive per hæresim, sive per schisma veluti rami ab arbore præcisi, amputati, ac separati, non possint fructus parere vitæ æternæ, neque posse pervenire ad præmia Christi, & tanquam alienos, profanos, & hostes esse habendos æquè hæreticos, & schismaticos.

Divus Augustinus lib. de fide, & symbolo cap. 10. expresse ostendit, Hæreticos & Schismaticos non esse in Ecclesia Christi inquiens: *Credimus & Sanctam Ecclesiam, utique Catholicam: nam & Hæretici & Schismatici congregationes suas Ecclesias vocant, sed Hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant: Schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec Hæretici pertinent ad Ecclesiam Catholicam, quæ diligit Deum, neque Schismatici quoniam diligit proximum; & ideo peccatis proximi facile ignoscit.* Et lib. de Unit. Eccles. cap. 4. ait: *Totus Christus caput & corpus est. Caput unigenitus DEI filius, & corpus ejus Ecclesia, sponsus & sponsa duo in carne una. Quicunque de ipso capite ab scripturis sanctis dissentiunt, etiam si in omnibus locis inveniantur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in ecclesia. Et rursus quicunque de ipso capite scripturis sanctis consentiunt, & unitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia, quia de Christi corpere, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt.* Et nonnullis interjectis subdit: *Quicunque ab ecclesia ita dissentiunt, ut eorum communio non sit cum toto, quacunque diffunditur, sed in aliqua parte separata inveniatur, manifestum est, eos non esse in Catholica Ecclesia.* Et epistola 208. ad Feliciam Virginem ait: *In Catholica Ecclesia, quæ non in sola Africa sicut pars Donati, sed per omnes gentes sicut promissa est, dilatatur, atque diffunditur in universo mundo, sicut dicit Apostolus ad Colos. 1. Fructificans & crescens, & boni sunt, & mali. Ab ea vero separati, quamdiu contra illam sentiunt, boni esse non possunt; quia etsi aliquos eorum bonos videtur ostendere, quasi laudabilis conversatio, malos eos facit ipsa divisio, dicente Domino, qui non est mecum, adversus me est; & qui mecum non colligit, dispergit.* Et epistola 185. ait: *Ecclesia Catholica sola corpus est Christi, cujus ille caput est salvator corporis sui. Extra hoc corpus neminem vivificat spiritus; quia sicut dicit Apostolus, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Non est autem particeps divinæ charitatis, qui hostis est Unitatis. Qui ergo vult*

habere

habere Spiritum Sanctum caveat foris ab Ecclesia remanere, caveat in eam simulatus intrare: aut si jam talis intravit, caveat in eadem simulatione persistere ut veraciter coalescat arbori vitæ.

Sanctus Fulgentius lib. 1. de remiss. peccat. cap. 22. hoc idem adstruit comparans Ecclesiam domui Rahab quoad vitæ subsidium recipiendum inquiens: *Sicut in Jericho quisquis extra domum Rahab fuit, nullum potuit adipisci vitæ subsidium: sic extra Ecclesiam Catholicam nullus accipiet indulgentiam peccatorum. Et sicut intra ecclesiam Catholicam corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem: sic extra eandem ecclesiam malam credulitas non reputatur ad justitiam, sed ad pœnam: & prava confessio non acquirit salutem confitenti, sed ingerit mortem. Extra hanc ecclesiam nec Christiani nomen aliquem juvat, nec baptismus salvat, nec mundam Deo sacrificium offertur, nec peccatorum remissio accipitur, nec æternæ felicitas invenitur. Una est enim Christi ecclesia, una dilecta, una columba, una sponsa:* Scilicet est una unione membrorum inter se & cum suo capite, quam unionem tollit schismaticus, discindit Hæreticus separans se, ille à communione capitis, hic à toto corpore, & uterque ab unitate Ecclesiæ sejunctus à præmio excluditur vitæ æternæ. Est Ecclesia multipliciter una; primò ratione principii Joan. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eam.* Secundò ratione finis ultimi, & hæc unitas indicatur Matth. 20. per denarium diurnum promissum omnibus operantibus. Tertiò ratione mediorum, seu fidei, Sacramentorum, legum, ut ait Apostolus ad Ephes. 4. *Una fides unum baptisma.* Quartò ratione ejusdem Spiritus Sancti à quo ut à Rectore universa Ecclesia regitur, & gubernatur, unde d. Paulus 1. ad Corinth. 12. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* Quintò ratione ejusdem capitis tanquam interni, & conjuncti rectoris, siquidem omnes Ecclesiæ Catholicæ per varias mundi Provincias divisæ, & propagatæ eidem Christo ut Ecclesiæ Catholicæ fundatori, & capiti conjunguntur, & adhærent? ur & Romano Pontifici, ut vices gerenti ipsius Christi in militante Ecclesia: fuit enim summus Pontifex constitutus supremus Past or totius dominici gregis, quando Christus dixit D. Petro Joann. ult. *Simon Petre pasce oves meas*: neque tantùm personæ Petri injunctum fuit munus pascendi oves Christi, sed etiam ejus dignitati qua fuerat constitutus Princeps Apostolorum, & Christi Vicarius, cui propterea traditæ fuerant claves regni cœlorum? unde nomine Petri munus pascendi dominicum gregem concreditum fuit cuilibet successori ejusdem, quia cum Petrus fuisset brevi moriturus, & Christi oves mansuræ usque ad consummationem sæculi, post mortem Petri caruissent suo Pastore visibili in terris, quod non est dicendum, quia cùm oves Christi sint visibiles indigebant pastore visibili, cujus voces audirent, ejus directione gubernarentur. Sextò est Ecclesia Catholica una ratione connexionis membrorum inter se, & cum capite, seu Romano Pontifice, quia ut scribit Apostolus ad Rom. 12. *Unum corpus sumus alter alterius membra.* Ex recensitis sex unitatibus duæ postremæ propriè constituunt Ecclesiam unam, quia per primam Ecclesia una est ex uno principio per secundam est ad unum finem; per tertiam est per unum finem cum media ad eundem tendant finem. Per quartam Ecclesia una est sub uno, seu Spiritu Sancto dirigente. Per quintam autem, & sextum propriè est unum corpus, una societas, unus populus. Et quia schismaticus ex eo quòd nolit communicare cum capite, nec illi obedire, se à capite separat, consequenter destruit duas ultimas unitates, seque segregat ab Ecclesia. Hinc Optatus lib. 1. contra Parmenianum loquens de schismaticis ait. *Deserta Matre Catholica impii filii, dum foras excurrunt, & se separant, ut vos fecistis, à radice matris Ecclesiæ invidiæ falcibus amputati errando rebelles abscedunt.*

Si dicas Ecclesiam à Nicolao Papa de consecrat. dist. 1. Can. *Ecclesia.* definire Ecclesiam esse congregationem Catholicorum, & schismaticos qua simpliciter tales esse Catholicos, utpote credentes omnes scriptuas, Evangelia, & omnia revelata, consequenter esse de Ecclesia. Contra est, quia schismatici, tametsi credant omnes fidei articulos, quia tamen detrectant parere summo Pontifici romano, à cujus obedientia se separant; non sunt uniti capiti consequenter neque corpori Ecclesiæ Catholicæ, cujus membra omnia uniuntur capiti, à quo diriguntur, consequenter non sunt propriè Catholici. Præterea quamvis credant omnes fidei articulos, quia tamen hanc fidem non profiteotur in Ecclesia Catholica, à qua per schisma separantur, ideo nec propriè dicuntur Catholici, qui isti fidem suam profitentur intra Ecclesiam Catholicam, cujus sunt membra unita capiti. Præterea vera Ecclesiæ definitio, quæ communiter traditur, est, ut sit cœtus fidelium legitimis Pastoribus adunatus, seu ut loquitur S. Cyprianus Epist. 69. ad Florentinum Pupianum *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens.* Et secundùm Sanctum Isidorum lib. 11. Epist. 256. *Ecclesia est Sanctorum cœtus ex certa fide atque optima vivendi ratione collectus.* Unde cùm Nicolaus definivit Ecclesiam Catholicorum congregationem tantùm, voluit excludere hæreticos ab Ecclesia, ut etiam præstitit Innocentius in cap. Firmiter de summa Trinit. & fide Catholica, cùm definivit Ecclesiam esse *fidelium congregationem*, ut notat Bellarminus lib. 3. Cap. 5. ideo enim tantùm exprimuntur Catholici, & fideles, quia hæretici, nec fideles sunt, nec Catholici. Cæterùm in integra definitione Ecclesiæ Cœtus fidelium, seu Catholicorum dicitur adhærere suo capiti, perinde ac grex suo adhæret pastori: & quia schismatici non adhærent capiti Ecclesiæ Catholicæ, seu romano Pontifici, cui detrectant obedire, non includuntur in definitione Ecclesiæ, neque sunt de Ecclesia.

Si instes, Schismaticos detrectare quidem parere romano Pontifici, & communicare cum Ecclesia Romana: velle tamen obedire Christo ut supremo capiti Ecclesiæ Catholicæ ac illi subesse, ac velle communicare cum illius Ecclesia, quæ est in cœlis, proinde non discindere unitatem Ecclesiæ. Contra est, quia eo ipso, quòd quis se separat ab obedientia romani Pontificis, cui detrectat subesse, repugnat, hunc velle subesse & obedire Christo capiti Ecclesiæ? quia Christus injungit fidelibus omnibus obedire suo in militante Ecclesia Vicario quoad ea, quæ pertinent ad regimen Ecclesiæ, & salutem animarum, unde detrectans obedire romano Pontifici detrectat Christo obedire, qui L. 10. ait de Pastoribus suæ

suæ ecclesiæ: *Qui vos audit, me audit*, consequenter, qui non vult audire Romanum Pontificem, nec ei subesse, non vult Christum audire, nec illi obedire, consequenter non sunt de ecclesia, sed extra ecclesiam. Hinc D. Fulgentius lib. de fide ad Petrum inter capitula ad regulam veræ fidei pertinentia cap. 39. excludit Hæreticos, & schismaticos ab ecclesia catholica inquiens: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites quemlibet Hæreticum, sive Schismaticum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatum, si ecclesiæ catholicæ non fuerit aggregatus quantascunque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari. Omni enim homini qui ecclesiæ catholicæ non tenet unitatem, neque baptismus, neque eleemosyna quamlibet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta proficere poterit ad salutem, quamdiu in ea hæretica vel schismatica pravitate perseverat, quæ ducit ad mortem.*

An verò excommunicati sint & ipsi extra ecclesiam, videtur esse difficulias, est enim excommunicatio tantùm censura ecclesiastica, seu pœna injuncta ob delictum aliquod, quamvis non sit hæresis, neque schisma, significat enim excommunicatio extra communionem, eò quia per ipsam separetur homo à communione fidelium, & à participatione præsertim Eucharistiæ, quæ antonomasticè communio dicitur. Solet etiam alio nomine excommunicatio vocari anathema, & differt ab excommunicatione solùm ratione cujusdam solemnitatis majoris: desumitur nomen hoc anathema ab *Ana*, quod significat sursum, & *thesis*, estque positio desumpta similitudine ab antiquis, qui capta in bello appendebant sejuncta à cæteris, seu posita extra res alias.

Dicendum est excommunicatos non esse in ecclesia, idque desumi ex scripturis Matth. 18. *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, ubi Christus loquitur de excommunicatis, ut communiter interpretantur sancti Patres, & explicant Doctores, & cùm Ethnici non sint in ecclesia, neque excommunicati dicendi sunt de ecclesia. Hinc Apostulus 1. Corinth. 5. *Cur non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestri. qui hoc opus fecit.* Loquitur Apostolus de gravissimè delinquente, quem vult separari à cœtu fidelium, ne isti communicent cum viro nefario: & infra ait: *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit*, & hac de causa voluit virum nequam ac perditum separari à cœtu fidelium, ac privari eorum communione, propterea subdit: *Auferte malum ex vobis ipsis*: ex quibus constat, excommunicationem esse censuram ecclesiasticam, qua homo baptizatus ob patratum grave aliquod delictum privatur communione & consortio fidelium, ac participatione Sacramentorum, hinc D. Augustinus lib. de unit. eccles. cap. ult. ait: Excommunicari perinde esse ac visibiliter præcidi à corpore ecclesiæ, & lib. de corrept. & gratia cap. 15. ait: Per excommunicationem ovem morbidam separari ab aliis sanis, ne per plures serpant dira contagia: & cap. 11. quæst. 3. can. *Omnis.* citatur sententia Augustini, quæ est, *omnis Christianus, qui à sacerdotibus excommunicatur, sathanæ traditur, quomodo? quia scilicet extra ecclesiam Diabolus est, sicut in ecclesia Christus*, cui adhærens S. Anselmus in cap. 5. 1. ad Corinth. edisserit, tradere hominem sathanæ per excommunicationem perinde esse ac de ecclesia pellere. Quòd si anathemate vel excommunicatione percussus traditur sathanæ, qui est extra ecclesiam, jam separatur ab ecclesia, & non est amplius in ecclesia.

Solet etiam id evinci ex illo Matth. 18. ubi Christus ait: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*, asserunt sancti Patres, Christum fuisse locutum de excommunicatis, quòd si Ethnici non sunt in ecclesia, sed extra illam, ita excommunicati non dicuntur de ecclesia. Et D. Hilarius explicans præfata verba ait: Deum ita egisse cum populo Israëlitico, sicut Christus monet agendum cum Ethnicis & Publicanis; primò enim corripuit populum inter se & ipsum solum, quando apparuit illis cum majestate in monte Sinai. Secundò adhibuit duos testes, id est legem, & Prophetas, quando apparuit cum Moyse, & Elia. Tertiò dixit Ecclesiæ, quando misit Christum summum Pontificem Ecclesiæ, qui Judæos objurgaret. Quartò & quia Judæi noluerunt Christo obedire, neque in illum credere, neglexit eos, ac deseruit ut Ethnicos, & Publicanos, ex quibus conjicitur fieri sicut Ethnicum, & Publicanum perinde esse ac per excommunicationem separari à populo Dei, & non amplius peculiari directione, & providentia gubernari à Deo. Ratione itidem evincitur excommunicatum non esse in ecclesia, quia qui sunt in ecclesia participant de bonis spiritualibus, quæ ab eadem suis impertiuntur fidelibus: & per excommunicationem privatur homo omni bono spirituali impertito ab ecclesia & reliqui fideles, quotquot sunt in ecclesia participant inter se, ut loquitur Tertul. in Apologet. cap. 39. proinde percussus ab ecclesia anathemate vel excommunicatione, cùm non communicet cum cæteris fidelibus, & privetur omni commercio spirituali, quod habent fideles inter se, non est in ecclesia: sicut exules, & ejecti è civitate dicuntur privati commercio, & societate civium, & illis bonis, quæ participant cives illius urbis, neque exul à civitate dicitur esse in civitate sed extra: ita per excommunicationem ejicitur homo ab ecclesia tanquam exul, & extorris ab illa, privatur omni commercio, quod est inter fideles ecclesiæ, qui sunt in ecclesia, non participat de bonis spiritualibus, quæ impertiuntur iis, qui sunt in ecclesia, ex quibus clarè deprehenditur percussum anathemate, vel excommunicatione non esse in ecclesia, sed exulem ab ecclesia, & extra illam. Tum quia excommunicatio in lege evangelica, perinde se habet, ac in lege veteri pœna mortis, perinde si per mortem separantur occisi à tota Republica, & commercio superstitum: perinde anathemate vel excommunicatione percussus separatur à fidelibus, qui sunt in ecclesia; hanc similitudinem, & paritatem adfert D. Augustinus quæst. 39. in Deuter. apud Bellarminum lib. 3. de ecclesia militante cap. 6. ait Augustinus: *Hoc nunc agit in ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio*: Scilicet in lege veteri, quia per excommunicationem homo nil agit in ecclesia nilque ab eadem accipit, nullum ab illa influxum recipit, & perinde se habet, ac si mortuus esset. Tum quia cùm ecclesia abhorreat à sanguine, nullam potest pœnam graviorem infligere delinquentibus, quàm excommunicatione percutere delinquentem, ut asserit D. Augustinus lib. de corrept. & gratia, cap. 15. Quòd si excommunicatus censetur mortuus, ac omni influxu ecclesiæ ad ipsum derivato destitutus, sequitur excommunicatum non esse de ecclesia, cujus influxum non percipit, sed ejicitur per excommunicationem de ecclesia gravius enim est projici de ecclesia, quàm quælibet alia pœna inflicta manentibus in Ecclesia. Præterea quia ut docet D. Augustinus, excommunicatio ob pœnæ gravitatem non potest infligi, nisi contumacibus, & detrectantibus se corrigere, ut docet lib. de vera Relig. cap. 6. & cum Augu-

Augustino etiam inferunt Theologi ex illo Matth. 18. *Si ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus, & Publicanus*: Et quia Ethnicus est extra ecclesiam, & nihil habet commune cum fidelibus in ecclesia perinde excommunicatus habetur ut ejectus ab ecclesia & destitutus quovis influxu emanato ab ecclesia in fideles existentes in illa. Hinc cum reconciliantur excommunicati, dicuntur restitui unitati ecclesiæ, ac participationi membrorum, inde conjicitur fuisse excommunicatum ab ecclesia separatum, & ab ejus unitate sejunctum, alioqin non diceretur restitui unitati ecclesiæ.

Neque obstat, quod anathemate, & excommunicatione perculsus adhuc retineat Baptismum, ac Fidei professionem, velitque subjici suis Prælatis legitimis, ac cognoscere summum Pontificem, ut Caput Ecclesiæ catholicæ, ac propterea velit eidem obedire, & etiam paratus sit satisfacere pro patrato delicto, & pœnitentiam agere, imò & etiam enixim rogare, ut absolvatur ab excommunicatione: ergo excommunicatus videtur ante sibi impertitam absolutionem esse in Ecclesia, contra est, quia excommunicatus ante absolutionem cum iis omnibus prætecensitis est tantùm in Ecclesia desiderio, & voto, non verò re, & participatione bonorum & externâ communicatione cum aliis fidelibus: hæc enim est quæ propriè constituit hominem esse de Ecclesia visibili & militante in terris: audiendu. est Augustinus lib. de vera relig. cap. 6. ubi ait: *Sæpe etiam sinit divina sapientia expelli de congregatione christiana etiam bonos veros, quam contumeliam, vel injuriam suam cum patientissimè pro Ecclesiæ pace tu'erint, neque ullas novitates, vel schismata, vel hæresis moliti fuerint. Docebunt homines quàm vero affectu & quantâ sinceritate charitatis Deo serviendum sit. Hos coronat in occulto pater in occulto videns.*

Si dicas, excommunicationem esse medicinam spiritualem institutam in utilitatem eorum, qui excommunicantur, adeo ut Apostolus scribat ad Thessalon. ult. *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur, & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.* Respondetur excommunicationem abscindere quidem hominem ab ecclesia, non tamen tollere potentiam resipiscendi, & revertendi iterum ad Ecclesiam: Ecclesia igitur per excommunicationem separat quidem ab Ecclesia, ac gravem hanc delinquentibus infligit pœnam, sed ut corrigantur; terrorem incutit, ut emendentur, & resipiscant, & pœnitentiam agant: in quo sensu ecclesia intelligitur excommunicationem ferre in utilitatem eorum, qui excommunicatione feriuntur, quatenus optat, ut confusione perfusi, ac humiliati corrigantur.

CAPUT XIX.

An non solùm Prædestinati, sed etiam reprobi, non Perfecti, & Peccatores sint in Ecclesia?

Non solùm prædestinatos, sed etiam reprobos pertinere ad ecclesiam, si baptizati sint, & fideles, non hæretici neque schismatici, ac verè esse in ecclesia contra Joannem Huss, Wiclefum, & Calvinum claret ex sacris Scripturis; in quibus & interpretatione sanctorum Patrum ecclesia comparatur convivio, ad quod sederunt tum boni, tum mali, prædestinati, & reprobi non habentes vestem nuptialem, qui propterea jussu Patrisfamiliàs, seu ex sententia æterni judicis *Matth.* 22. projiciuntur in tenebras exteriores; ideòque in fine parabolæ concluditur: *Multi sunt vocati, pauci electi* omnes quidem vocantur in ecclesiam ad audiendum verbum Dei, ad divinum epulum eucharisticum, quo vires Spirituales reficiant, ac æternam consequantur salutem; sed pauci sunt electi, quia negligunt vires spirituales reficere, medijs abutuntur, quibus possent salutem consequi, & propterea operantur, proinde expuncti ob mala eorum opera è cathalogo Prædestinatorum reprobi sunt. Rursus ecclesia, & ejus fideles solent etiam æquiparari decem Virginibus, quarum quinque fuerunt prudentes, quia aptarunt lampades suas oleo misericordiæ, & splenduerunt ipsæ lumine bonorum operum, arserunt flammâ charitatis, propterea meruerunt copulari cœlesti sponso, seu ingredi regnum cœlorum; aliæ quinque fuerunt fatuæ, quia neglexerunt sibi comparare oleum, seu exercere opera misericordiæ, quæ propterea fuerunt exclusæ à nuptiis cœlestis sponsi; seu prudentes ex numero fuerunt Prædestinatorum, & fatuæ reprobis adscitæ, licèt fuerint omnes in eadem domo, seu in Ecclesia. Præterea comparatur ecclesia in Scripturis Ovili, in quo unà cum ovibus reperiuntur, & hœdi, illæ prædestinatos, isti reprobos præsignant, ut explicat parabolam ipse Christus. Deum Matth. 3. ecclesia area comparatur, in qua cum tritico inveniuntur, & paleæ Matth. 3. *Per n*[illegible] *dabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igni inextinguibili*, per triticum electos, & per paleas reprobos significati, qui gehennali destinantur igni, communiter ediscerunt cum sanctis Patribus Interpretes, & doctores, à Christo Matth. 3. patiatur itidem ecclesia sageuæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti, quorum aliqui mittuntur in caminum ignis, qui proinde non erant de numero prædestinatorum, cùm adjiciantur gehennæ flammis æternum torquendi. D. Paulus etiam 1. Corinth. 5. jussit expelli ab ecclesia incestuosum, ut reprobum; & quamvis eum ejecerit, ut corrigeretur, ac in ecclesiam iterum reverteretur emendatus; non tamen legimus incestuosum illum resipuisse, & ad ecclesiam fuisse reversum, & sententia communior est incestuosum illum decessisse impœnitentem, & ut reprobum detrusum in gehennalem carcerem puniendum cum reprobis. Præterea Apostolus 2. Timoth. 2. comparat ecclesiam laxæ, magnæque domui, in qua sunt diversi generis, ac diversæ materiæ vasa in honorem, ornatum, vituperium, & contumeliam ait D. Paulus: *In magna domo sunt vasa aurea, & argentea, & lignea, & fictilia, quædam in gloriam, & quædam in contumeliam* per vasa aurea intelligi in ecclesia electos, & per lignea & fictilia reprobos ediscerunt sancti Patres; electi enim sunt in ecclesia in honorem, & ornatum propterea similes dicuntur vasibus aureis; reprobi verò in contumeliam. Certum est etiam Judam proditorem fuisse in ecclesia, & de ecclesia, cùm fuerit unus ex duodecim Apostolis, qui sequuti fuerant Christum: atqui certum est Judam damnatum fuisse, cùm post sui magistri proditionem actus in desperationem laqueo se suspenderit, sibique mortem intulerit; ergo liquet

quet in ecclesia cum prædestinatis esse itidem reprobos: hinc D. Augustinus perpendens Judam Apostolatûs dignitate insignitum, & D. Paulum minas spargentem contra fideles, & persequentem ecclesiam Dei ait tract. in Joan. *Secundum præscientiam, & prædestinationem, quàm multæ oves foris, quam multi lupi intus* scilicet plures prædestinati pro tempore sunt extra ecclesiam; & plures reprobi de ecclesia, & in ecclesia. Demum D. Paulus conqueritur de falsis fratribus, qui erant in ecclesia, & ait gemuisse inter illos: ergo non dubium quin in ecclesia sint prædestinati & cum ipsis etiam plures reprobi: & hos, licèt malos, ecclesia tolerat quamvis eorum sceleribus non deturpetur, eorum peccatis non labefactetur, eorum vitiis non corrumpatur, à quibus ecclesia semper abhorruit.

Aliter tamen boni & electi dicuntur esse in ecclesia, & aliter mali, & reprobi: Boni enim, & electi ita sunt in Domo Dei seu in ecclesia tanquam ornamenta, & vasa aurea, columnæ ex lapide pretioso, quæ simul fulciunt, & ornant: reprobi verò sunt in eadem ut vasa fictilia in contumeliam posita: neque pertinent ad structuram, & compagem domus, seu ecclesiæ: uterque igitur est in ecclesia solùm secundùm statum, quem nunc habet, sed etiam juxta illum quem erit in perpetuum habiturus, quando non pertransibit amplius per illam incircumcisus, & immundus sed apparebit gloriosa non habens maculam, neque rugam ut loquitur D. Augustinus in Brevi collat. cum Donatistis collat. diei tertiæ cap. 9. scilicet Electi, & prædestinati post migrationem ex hac vita erunt in ecclesia gloriosa: mali verò & reprobi in illa damnatorum, quatenus in gehenna erit cœtus fidelium, qui malè vixerunt & propterea se reprobos effecerunt: potest respectu horum fidelium reproborum dici gehenna ecclesia damnatorum, quamvis acephala sit ecclesia sine capite, cùm Christus sit tantùm in ecclesia beatorum. Rursus in militante ecclesia reprobi sunt quidem membra ejusdem non tamen simpliciter, sed cum addito veluti diminuente, seu membra mortua, quoties sunt in statu lethalis peccati, tunc enim licèt fidei professione, & communione cum bonis conjunguntur, non tamen spiritu gratiæ, & charitatis, sunt cum illis & Christi capite conjuncti, quapropter dicuntur reprobi existentes in peccato lethali pertinere ad ecclesiam secundùm corpus spectatam, non secundùm spiritum: imò neque reprobi sunt de ecclesia secundùm Dei præscientiam & prædestinationem æternam, nec pertinent ad Jerusalem cælestem ad ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, in quo sensu ait D. Augustin. lib. 3. de Doct. Christ. cap. 32. *Non enim revera Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum.* E converso plures pro tempore non sunt de ecclesia, tametsi per præscientiam Dei sint de electis, eò quia nondum aqua fuerint baptismi abluti, qui tamen postea abluti piè & sanctè vivunt, talis fuit Apostolus Paulus, tales plures alii, qui persequentes ecclesiam postea facti sunt ejus membra & piè viventes meruerunt donari cælesti gloria, unde Augustinus Tract. 45. in Joan. cum dixisset secundùm Dei præscientiam multas oves esse foris, seu extra ecclesiam, & multos lupos intus postea subdit: *Quid est, quod dixi, quàm multæ oves foris, quàm multi modò luxuriantur, casti futuri? Quàm multi blasphemant Christum, credituri in Christum, quàm multi se inebriant, futuri sobrii, quàm multi rapiunt res alienas, donaturi suas: verumtamen vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quàm multi intus laudant blasphematuri; casti sunt fornicaturi; sobrii sunt se vino postea sepulturi stant casuri: non sunt oves (de prædestinatis enim loquimur, de his loquimur, quos novit Dominus, qui sunt ejus) & tamen ipsi quamdiu rectè sapiunt, Christi vocem audiunt. Ecce audiunt isti, non audiunt illi; & tamen secundùm prædestinationem non oves isti, oves illi.* Improbi igitur sunt ecclesiæ membra sicut Judas erat ex Apostolorum collegio, scilicet ut explicat D. Augustinus Tract. 61. in Joan. *Numero non merito; specie non virtute; commixtione corporali, non vinculo spirituali; carnis adjunctione, non cordis unitate; secundùm communionem sacramentorum sunt ex nobis; secundùm suorum proprietatem criminum non sunt ex nobis.*

Quamobrem non solùm prædestinati, sed etiam reprobi per fidei professionem sunt in ecclesia alioquin si soli prædestinati essent de ecclesia, fideles non possent cognoscere, quis esset ex ipsis frater, quis advena; neque pastores possent oves suas cognoscere, neque ab istis cognosci, quia nemo seclusa revelatione scire potest, an sit de numero prædestinatorum, sicque omnia sursum deque verterentur in ecclesia, omnia forent incerta: nemo sciret, quæ sint veræ scripturæ, quæ vera sacramenta, cùm hæc omnia pendeant ex testimonio veræ ecclesiæ, ut notat Bellarminus lib. 3. de ecclesia cap. 7. de eccles. Si dicas ecclesiam Cant. 4. dici similem horto concluso, fonti signato, puteo aquæ vivæ, hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ viventis; quæ omnia D. Augustinus lib. 5. de baptis. cap. 27. intelligit de solis electis consequenter ex Augustino reprobi, nequeunt dici membra ecclesiæ, nec esse in ecclesia. Sed contra quia ut notat Bellarminus loc. cit. persæpe scriptura tropicè quod convenit parti tantùm per synecdochen, tribuit toti, quapropter 27. Latrones crucifixi cum Christo dicuntur blasphemâsse, cùm tamen unus ex illis blasphemias protulerit, non alius, & D. Paulus ad Philip. 2. ait: Omnes quærere, quæ sua sunt, cùm tamen etiam tempore D. Pauli plures fuerint, qui mundi divitias habentes contemptu sua propria spreverint, nec quæsierint, piè, & sanctè viventes, & Deo arctiùs addicti. Præterea hortus, fons, & puteus indicati in canticis non solent interpretari de tota ecclesia, sed sola Beata Virgine, quæ fuit hortus conclusus, quatenus omnigena virtute floruit, & integra servata virginitate Christum peperit, illa fuit fons signatus, quatenus Deus eam speciatim omnium gratiarum cumulavit donis, quapropter salutata fuit ab Angelo gratia plena: illa dicitur puteus aquæ viventis ob excultæ humilitatis profunditatem, qua meruit eligi in DEI matrem, & aquam vivam, seu Christum meruit in utero deferre. Dicitur Christus aqua viva, quia sicut hac absterguntur linteamina maculæ delentur, & indumenta purgantur, & mundantur, perinde Christus natus ex Maria Virgine nostras abstersit animas, & maculam originalis peccati aqua baptismi delevit. Sunt etiam qui præfata Cantic. verba intelligunt de qualibet anima perfecta.

Dices à Sanctis Patribus ecclesiam æquiparari arcæ Noëticæ, quia sicut existentes in sola arca, fuerunt salvi facti, ita nonnisi existentes in ecclesia, in quam fuerint ingressi per baptismum, æternam non consequuntur salutem; ob hanc similitudinem docet D. Augustinus lib. 5. de baptis. c. ult. Arcam Noeticam esse figuram baptismi: sed in arca non fuerunt, nisi qui salvandi erant ex aquis: ergo in ecclesia

non sunt, nisi prædestinati, proinde reprobi non pertinent ad ecclesiam neque sunt in ecclesia: sed contra, quia tametsi arca Noëtica dicatur figura ecclesiæ, cùm tamen in omnibus convenit cum ecclesia: est enim figura ecclesiæ, quia si tempore diluvii non fuit arca naufragium passa, ita nec inter persecutionum procellas fuit ecclesia damnum passa, alioquin sicut in arca præter homines fuerunt etiam bruta animalia, quæ non dicuntur salutem consecuta, ita dici posset in ecclesia præter electos dari etiam reprobos, qui minimè consequuntur. Quòd si dicas bruta animalia non fuisse æternam salutem consecuta ob incapacitatem, fuisse tamen in arca à submersione & naufragii servata, adhuc contra est, quia arca Noetica non solùm comparatur cum ecclesia, sed etiam cum baptismo, qui est janua ejusdem ecclesiæ, 1. Petri 3. hinc si quotquot sive ex hominibus sive ex brutis fuerunt arcam ingressi; submersionem, & naufragium declinârunt, inde sequeretur ob similitudinem cum arca & baptismo, quòd omnes per januam baptismi ingressi Ecclesiam salvarentur, ac declinarent æternæ mortis naufragium, quod est falsum, cùm ex historiis ecclesiasticis constet plures baptizatos fuisse damnatos. Quamobrem per hoc tantùm dicitur figura ecclesiæ, quia sicut extra arcam nemo potuit salvari, ita neque extra baptismum, & ecclesiam, ut notat D. Hieronymus epist. ad Damasum de tribus Hypostasibus.

Si dicas Christum non esse caput cætus fidelium, qui in gehenna detrusi torquentur damnati, sed tantum cætus fidelium, qui æternam consequuntur salutem, ergo si Christus est caput ecclesiæ, sequitur in hac tantùm electos comprehendi, non reprobos, quia soli prædestinati salutem consequuntur æternam. Contra quia tametsi in aliquo sensu dici possit, Christum non esse caput fidelium in gehenna damnatorum, quatenus in illo carcere sunt detrusi, est tamen etiam eorum caput, quatenus isti cùm viverent, baptismum susceperunt, & ecclesiam ingressi aliis fidelibus fuerunt adsciti, licèt luridè vixerint, vitiis indulserint, & per patrata scelera æternam meruerint damnationem; quamobrem Christus, cùm sit caput totius sui corporis mixti seu omnium fidelium simul colligatorum vinculo professionis fidei, est etiam caput fidelium, qui torquentur in gehenna, quatenus isti cùm viverent vinculo ejusdem professionis juncti fuerant cum aliis membris capiti Christo. Præterea cùm Christus dicitur caput ejus ecclesiæ, intelligitur caput illius ecclesiæ, quam ipse instituit, & fundavit, & quia aliæ ecclesiæ infidelium, vel hæreticorum, vel etiam Synagogæ Judæorum distinguuntur ab ecclesia Christi, ideo Christus non dicitur illarum caput, sed tantùm illius ecclesiæ, quam ipse instituit & solvavit; neque est necesse, ut omnes quotquot sunt in ecclesia Christi, salventur, sed satis est, si plures constituentes ecclesiam æternam consequantur salutem, quia illi plures constituunt cætum fidelium professione fidei Christo capiti adhærentium, & est genuina definitio ecclesiæ, quæ æternam consequitur salutem. Dices ecclesiam Joan. 10. dici ovile, & Christum Pastorem ovium in eodem: atqui Augustinus Tract. 55. in Joan. expressè asserit per oves significari tantùm prædestinatur, proinde hi soli dicendi sunt de ecclesia. Sed contra, quia si ecclesia dicitur esse ovile, in hoc non solùm oves, sed etiam hædi continentur, etsi Augustinus per oves intellexit prædestinatus, per hædos reprobos vult significari, qui propterea unà cum ovibus sunt in ecclesia: sit tamen Joan. 10. mentio tantùm ovium, quia istæ sunt in ovili principales, & propter ipsas constituitur ovile, hædi enim sunt accessorii, ut inserviant ovibus. Præterea licet per oves interdum intelligantur soli prædestinati Matth. 25. ubi separantur ab hædis, & & Joan. 10. ubi oves supremi pastores dicuntur ejus vocem audire, aliquando tamen significant tam bonos, quàm malos, qui sunt in ecclesia, quo pacto Christus Joan. ult. injunxit Petro, ut pasceret oves suas, seu fideles omnes, quorum plures mali erant, quapropter David Psal. 73. innuit iram Dei super oves suas, seu malalos, qui sunt in ecclesia *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ.* Idque causæ, cur Ezechiel. 34. describantur Dei oves non omnes bene vegetæ, nec sanæ, sed aliæ pingues, aliæ macilentæ, alia sanitate fruentes, aliæ ægritudine infectæ, si igitur oves DEI omnes comprehenduntur in suo ovili, inde conjicitur ex ovibus alias esse bonas, alias malas, seu ex fidelibus, qui sunt in ecclesia, alios esse prædestinatos, & quosdam præscitos, & reprobas.

Videntur tamen majorem difficultatem ingerere aliquot textus divinæ scripturæ, in quibus Christus asserit habere oves, quæ non sunt ex suo ovili Joan. 10. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili*, & Joan. 11. JESUS moriturus erat pro gente, & non solùm pro gente, sed etiam ut filios DEI, qui erant dispersi congregaret in unum: in hisce enim locis prædestinati dicuntur oves, & filii DEI, tametsi in erroribus Ethnicorum versarentur, quapropter prædestinati, quamvis nondum per baptismum fuerint ingressi ecclesiam, adhuc dicuntur prædestinati, & cùm hi sint de ecclesia sequitur non solos baptizatos esse de ecclesia, sed etiam alios, qui nondum sunt baptizati, unde D. Paulus. 2. Timoth. 2. ait: *Firmum DEI fundamentum stat habens signaculum hoc: novit Dominus qui sunt ejus*, & 1. Joan. 2. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, quia si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum* scilicet in ecclesia, ergo antequam exirent de ecclesia, & dum erant in ecclesia, non erant de ecclesia, qui non fuerunt ex prædestinatis, alioquin mansissent cum ipsis in ecclesia, ex quo claret reprobos non esse in ecclesia, nec de ecclesia, etiam antequam exirent, eò quia non erant ex prædestinatis; licèt enim viderentur esse in ecclesia, antequam an illa exirent, propriè tamen in illa non fuerunt. Sed respondetur cum Bellarmino lib. 3. de ecclesia cap. 7. Ovem Christi posse multipliciter sumi. Primò ratione prædestinationis præscindendo à quovis statu, sive ante sive post baptismum susceptum; secundò ratione præsentis justitiæ, & desumitur distinctio ex D. Paulo scribente ad Roman. 8. *Qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus*: & tamen 2. Timot. 2. de prædestinatis sit; *Novit Dominus, qui sunt ejus*, ex quo liquet eundem hominem posse esse, & non esse Christi ovem penes diversa, si enim sit prædestinatus, divitus ovis Dei, sin verò spiritu ejus destituatur, seu careat gratia sanctificante sitque in statu lethalis culpæ, non est ovis DEI, hoc idem docet D. Augustinus lib. de baptis. cap. 3. inquiens: *secundùm præscientiam multi etiam qui apertè foris, sunt & Hæretici appellantur, multis, & bonis Catholicis meliores sunt*, scilicet in præscientia DEI prævidentis Hæreticos, & existentes extra ecclesiam conversos iri & per culturam

virtu-

virtutum fieri meliores pluribus Catholicis tepescentibus in pietate, & charitate: in quo sensu ait Augustinus Tract. 45. in Joan. *Secundum præscientiam & prædestinationem quàm multæ oves foris, quàm multi lupi intus?* hoc idem fusiùs reperit lib. de bono persever. cap. 8. & de corrept. & gratia cap. 9. Verùm qui tantùm secundùm præscientiam dicuntur esse in ecclesia, quàm nondum per baptismum sunt ingressi, hi non dicuntur actualiter esse in ecclesia, sed tantùm potentiâ, quatenus licèt actu non sint, erunt tamen per susceptionem baptismi: & è converso qui existentes actu in ecclesia in præscientia Dei dicuntur foris esse, non actualiter, sed in potentia, quatenus deficientes, & in reprobum sensum dati perversè vivunt, ac damnantur. Hinc cùm Apostolus. 2. Timoth. 2. ait: *Novit Dominus, qui sunt ejus*, intelligit D. Paulus de iis, qui sunt ejus per prædestinationem, non verò de tota Ecclesia. Præterea possunt homines dici oves Christi veritate essentiæ, seu formæ vel veritate finis, & permanentiæ: priori modo hi dicuntur filii Dei, & oves Christi, qui cùm sint in statu gratiæ, informantur charitate, quia 1. Joan. 4. *Omnis qui diligit ex DEO natus est*: rursus veritate essentiæ, seu formæ dicitur membrum Christi, qui de Spiritu Christi vivit. 1. Corinth. 12. *In uno spiritu omnes vos in unum corpus baptizati estis*. Veritate finis dicitur DEI, qui perseverando in bonis operibus, & statu gratiæ æternam consequitur gloriam: & qui non perseverant, tametsi videantur esse filii DEI, revera tamen non, quia filiationes non consequuntur hæreditatem, quia juncta Apostolum ad Galat. 4. *Quòd si filius, & hæres per DEUM*, vult enim Apostolus filium DEI habere jus ad hæreditatem filiorum DEI, consequenter veritate finis eos tantùm esse filios DEI, oves & membra Christi, qui æternam consequuntur salutem: & ratione ejusdem finis illi non sunt oves Christi, nec filii DEI, qui æternam non consequuntur hæreditatem: hac distinctione adhibita clarè intelligitur, quomodo reprobi pro eo tempore, quo in ecclesia perseverant in statu gratiæ, & informantur charitate, sint veritate essentiæ, & formæ filii DEI, oves, & membra Christi, & veritate finis, non sint filii DEI, nec oves Christi, ut etiam è converso prædestinatus pro eo tempore, quo vel nondum est baptizatus, vel non est in statu gratiæ, veritate essentiæ, & formæ non est filius DEI neque ovis Christi, veritate tamen finis, quia est prædestinatus, & filius DEI.

Quid verò dicendum sit de non perfectis, Pelagiani, & Anabaptistæ arbitrati sunt non esse in ecclesia, nec ad illam pertinere, quod tamen falsum est, quia si hi dicuntur imperfecti, qui non amissa divina gratia, neque deperdita charitate aliquot leviores errores committunt, certum est, plures in ecclesia hoc pacto esse imperfectos cùm dicat Joannes *Justus septies in die cadere*: etenim si & justus justitiam non deperdidit, neque à statu gratiæ excidit, consequenter perseverat filius DEI, & membrum Christi, cùm sit baptizatus proinde verè est in ecclesia, quamvis cum aliquibus imperfectionibus; si enim excipiamus Christum impeccabilem, & B. Virginem præservatam ab omni labe, omnes alii justi in aliquam saltem imperfectionem ceciderunt, cùm justus septies in die cadat, alioquin si in hoc sensu non perfecti excluderentur ab ecclesia nulla daretur ecclesia, quæ definitur cœtus fidelium, qui vinculo professionis fidei sunt simul copulati, & uniti capiti & hæc pluralitas fidelium absque omni prorsus imperfectione non assignaretur, quia B. Virgo non constituit hunc cœtum, licèt sit de cœtu fidelium, non tamen est multiplicitas fidelium: & Christus est caput hujus cœtus: ergo si non perfecti totaliter excluderentur ab ecclesia, nulla daretur ecclesia, quia non assignaretur hæc multitudo fidelium, qui omni prorsus careret imperfectione, & peccato veniali: censuerunt Pelagiani peccata venialia constituere hominem DEO inimicum, quod est falsum, quia cum peccato veniali cohæret gratia sanctificans, quæ solùm per lethale deperditur, & per conversionem ad creaturam; & aversionem à DEO, peccatum autem veniale non est aversio à DEO, nec conversio ad creaturam, sed tantùm retardatio accessûs ad DEUM: unde peccatum veniale cohæret cum sanctitate, & filiatione DEI, hinc David. Psal. 31. *Tu remisisti impietatem peccati mei, pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Scilicet sanctus, seu existens in gratia sanctificante, & informatus habitu charitatis orabit DEUM pro remissione peccati sui non quidem lethalis, alioquin non esset sanctus, qui oraret, sed pro veniali: quia Proverb. 24. *Septies in die cadet justus, & resurget*: Si justus, jam sanctus & in statu gratiæ resurget, jam remittitur ejus peccatum Eccles. 7. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*, seu non cadat in peccatum aliquod veniale, ratione cujus excidat è numero perfectorum excludentium omnem imperfectionem, ut putabant Pelagiani. Tum quia Christus jubet omnes orare ut à DEO remittantur debita, seu peccata propria: *Dimitte nobis debita nostra*, si omnes sic orant ex mandato Christi omnes in aliquam imperfectionem, & peccatum veniale labuntur. Hinc 1. Joan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quapropter si excipiamus Christum, & B. Virginem nemo est, qui possit gloriari hanc vitam egisse absque ulla prorsus imperfectione, ac peccato veniali, quo licèt non fuerit à DEO aversus, neque ad Creaturam conversus, fuit tamen retardatus aliquo modo. ab accessu ad DEUM finem ultimum: hinc Concilium Milevitanum Can. 7. & 8. decrevit justos non solùm ob humilitatem, sed per veritatem, & non solùm pro aliis, sed etiam pro se dicere in oratione dominica: *Dimitte nobis debita nostra*; hoc idem communiter docent sancti Patres Chrysostomus in Psal. 39. *Non ex perfectis universa constat ecclesia, sed habet etiam otio, & socordiæ deditos.* Sanctus Cyprianus serm. de eleemos. ait: *Quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est.* Sanctus Hieron. lib. 2. contra Pelagius. ait: *Justos esse concedo, sine omni autem peccato esse non assentior*, quia ut observat Sanctus Gregor. Nazianz. orat. 2. in Julian. *Omnis prorsus peccato vacare supra humanæ naturæ modum Deus constituit.* Quinimò S. Augustinus lib. de spirit. & litera cap. ult. ait, posse hominem ex privilegio Dei specialissimo vivere absque ulla imperfectione seu peccato veniali; attamen re ipsa neminem esse, qui sic vivat, vel vixerit excepto Christo, ejusque Matre Maria Virgine: & contra duas Epistolas Pelag. cap. 14. ait: *Nullus est in Ecclesia, qui rectè posset ordinari minister, si dixisset Apostolus; si quis sine peccato est, ubi vixit, si quis sine crimine est: aut si dixisset, peccatum nullum habens*

tes, ubi dixit, nullum crimen habeates. Multi quidem baptizati fideles sunt, sine peccato autem in hac vita neminem dixerim: Cui assentitur S. Gregorius lib. 21. Moral. cap. 9. inquiens: *In hac vita quidem multi sine crimine; sine peccato esse nullus valet.*

Videntur tamen in contrarium obstare duo sacræ Scripturæ textus, quorum primus est Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te* quæ verba solent intelligi, & explicari de ecclesia Catholica, præsertim à Concilio Toletano 4. cap. 1. ubi ait ecclesiam sine macula, absque ruga esse. Alius textus petitur ex Apostolo Paulo ad Ephes. 5. *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam aut aliquid hujusmodi*, quem textum præfatum Consilium Toletanum etiam intelligit de Ecclesia Catholica hujus temporis: Verùm inde non evincitur, fideles in Ecclesia immunes esse à qualibet imperfectione, à quovis peccato etiam veniali, sive ambo textus intelligantur de Ecclesia secundùm partem tantùm, seu respectu animarum justarum; sive de tota Ecclesia: Hoc enim secundum dici nequit, quia constat plures peccatores fideles fuisse in Ecclesia, & etiamnum esse, ut superius evicimus; ubi diximus tempore Christi Judam proditorem fuisse membrum Ecclesiæ munere insignitum Apostolatus; & nihilominus fuisse reprobum ac peccatorem; & in historiis Ecclesiasticis legimus frequenter plures sanctos fuisse peccatores, ut sanctus Petrus, qui trinâ negatione Magistrum suum negavit, & plures alios, qui de patratis peccatis pœnitentiam egerunt, quâ veniam impetrârunt peccatorum, & sanctè postea vixerunt culturæ virtutum addicti. Quòd neque ratione animarum justarum possit dici Ecclesia sine omni macula imperfectionis; absque omni ruga peccati venialis, evincitur facilè: quia anima justi ideo dicitur tota pulchra, ut macula non sit in ea, quia nullo inficitur peccato gravi, nullâ denigratur mortiferâ labe; etenim peccata lethalia sunt, quæ maculam relinquat, quâ se avertunt à summo bono: venialia enim, & imperfectiones leves non avertunt, neque propriè dicuntur maculas relinquere: & animam justi dici totam pulchram ratione peccati mortiferi, non respectu peccati venialis, cùm Eccles. 7. dicatur: *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Licèt in S. Scripturis vir justus interdum dicatur perfectus, vel immaculatus, Genes. 5. *Noe vir justus fuit atque perfectus.* Ad Philip. 3. *Quicunque perfecti sumus hoc sentiamus* Psal. 17. *Et ero immaculatus cum eo.* Psal. 118. *Beati immaculati in via*, intelliguntur hi, & alii textus ejusdem rationis de perfectione, munditie, & puritate immuni à labe, & noxa gravi, quæ avertit creaturam à Deo; non verò de immunitate à quovis peccato veniali, ac levi imperfectione quæ non avertit à Deo, cùm justus Proverb. 24. dicatur septies in die cadere, & resurgere: eo ipso quòd homo non se avertit per gravem noxam à Deo, est justus, quamvis non careat peccato aliquo veniali, propterea dicitur justus atque perfectus, ut fuit Noe; dicitur immaculatus, quia ambulat in veritate, seu in vera Fide, nullâ lethali culpa infectus, ut ait Apostolus ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, ut essemus sancti, & immaculati in fide.*

Ad alterum desumptum ex Apostolo ad Ephes. 5. Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, posset facilè responderi, D. Paulum non loqui de Ecclesia fidelium viatorum in hac mortali vita, sed de ecclesia comprehensorum in cœlis, seu beatorum, quia Apostolus expressè loquitur de ecclesia gloriosa qualis est ecclesia beatorum in cœlis; & ita intelligunt Apostolum sancti Patres S. Augustinus lib. de perfectione justitiæ. D. Hieronymus in cap. 13. Hieremiæ. S. Bernardus *serm. 3. de Festo omnium Sanctorum.* Præterea si dicamus Apostolum loqui de ecclesia militante in hac vita, non de gloriosa in alia, ut Concilium Toletanum videtur intellexisse, adhuc posset responderi Apostolum tropicè per synedochen tribuere toti ecclesiæ, quod uni tantùm ejus parti congruit: qui enim fideles in ecclesia florent culturâ virtutum immunes à peccato lethali, dicuntur gloriosi ratione gratiæ sanctificantis, cujus pulchritudo est tanta, ut eos constituat gloriosos, quatenus beneficio ipsius habent jus ad gloriam æternam, quâ post mortem donantur; adeo ut justi in ecclesia militante sint gloriosi inchoativè, seu in semine seu gratia sanctificante, quæ dicitur semen gloriæ, quatenus hæc ex illa germinat; & in hoc sensu fideles justi sunt in ecclesia immaculati, & ecclesia est sine macula absque ruga scilicet inchoativè, ac in semine ratione gratiæ sanctificantis, quâ in ecclesia justi condecorantur.

Ad peccatores quod attinet certum præter justos esse itidem in Ecclesia peccatores etiam graves, & non solùm occultos, sed etiam manifestos, ac notos, licèt contrarium asseruerint Novatiani, & Donatistæ. Id enim satis apertè constat ex Scripturis, ac pluribus Christi parabolis, quas superius innuimus, præsertim ex arca Noë, in qua munda, & immunda comprehendebantur animalia Genes. 7. ex sagena missa in mari, in qua congregantur omnium piscium genera bona, & mala Matth. 13. Ovilis in quo includuntur oves simul & hædi; illæ symbolum justorum; isti peccatorum, qui sensui indulgent, & voluptatibus carnis sunt dediti Matt. 25. Convivii nuptialis, ad quod boni & mali sunt invitati, Matth. 20. decem virginum, quarum quinque erant prudentes, & quinque fatuæ Matth. 25. Præterea certum est, esse in Ecclesia graves peccatores ita pertinacea, ac obduratos in sua protervia, ut fraternâ indigeant correctione, ut emendentur; & intolerantur, donec per sententiam Prælatorum ejiciantur præcisi Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corrige eum inter te & ipsum solum*, & paucis interjectis: *quòd si non audierit, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*; ubi Christus loquitur de propria Ecclesia sua, quem instituit in terra: Et constat in hac sua Ecclesia inveniri peccatores adeo protervos, & pertinaces in peccatis suis gravibus, ut prius debeant fraternâ corrigi charitate, deinde persistentes in sua pertinacia ejici ab Ecclesia, & haberi ut Ethnicos & publicanos: sin autem tolerantur in Ecclesia, donec corrigantur: ergo in Ecclesia permittuntur, ac sunt unà cum justis, etiam gravissimi peccatores, qui mereantur ab ipsa ejici ob inflexibilem pertinaciam. Præterea D. Paulus scribens ad JESU Christi Ecclesiam quæ erat Corinthi ait 1. Corinth. cap. 5. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem Patris sui aliquis habeat*, annon iste incestuosus fuit nequissimus peccator? annon fuit in Ecclesia Christi? annon igitur in Christi Ecclesia dantur ex fidelibus, qui gravissimis se inquinant sceleribus, deturpant se gravissimorum maculis peccatorum? Deinde Christus ipse Matth. 23. præcipit suis fidelibus, ut in Ecclesia obediant Præpo-

stitis

sitis malis, & exequantur, quæ dicunt, & docent, sed non agant, quæ ipsi faciunt; & Matth. 24. ait *Eum esse Præpositum malum qui percutit conservum, comedit & bibit cum ebriosis*, & alia perpetrat peccata ob quæ erit graviter puniendus ait enim: *Veniet Dominus ejus, in die quâ non sperat, & dividet eum; partemque ejus cum hypocritis ponet*. Dices cum Donatistis: ergo Christi Ecclesia non est una tantùm, sed duplex, una in terris mixta bonis, & malis, & alia in cœlis comprehendens solos bonos. Respondetur hanc objectionem referri à D. Augustino in Breviculo collationum, & respondet Catholicos Episcopos respondisse ab ipsis non institui duas Christi Ecclesias; sed duo tantùm distingui tempora Ecclesiæ: ait Augustinus: *Eandem unam, & sanctam Ecclesiam dixerunt, nunc esse aliter, tunc aliter futuram; nunc habere malos mixtos, tunc non habituram: Sicut non ideò duo Christi sunt, quia aliquando mortalis, aliquando immortalis fuerit Christus*: Hæc distinctio est notatu digna, quia evertit dogma Calvinistarum fingentium duas Ecclesias.

Ratio itidem evincens dari in Ecclesia Catholica, & Apostolica fideles malos, & peccatores admixtos bonis petitur ex ipso Sacramento Pœnitentiæ, frustra siquidem fuisset à Christo hoc Sacramentum institutum nisi darentur in Ecclesia peccatores, qui sint de Ecclesia: finis siquidem, ob quem fuit Sacramentum pœnitentiæ institutum, is fuit, ut mali fideles resipiscerent, & à peccatis præsertim lethalibus patratis post Baptismum absolverentur; quapropter hoc Sacramentum dicitur secunda tabula post naufragium, quatenus post naufragium seu peccatum letale perpetratum non pervenitur ad portum æternæ salutis, nisi beneficio Sacramenti pœnitentiæ, quod ministratur peccatoribus, qui sunt in Ecclesia. Præterea si peccatores non essent de Ecclesia, eo ipso quòd Prælati Ecclesiæ in aliquod prolaberentur grave peccatum, excluderentur ab Ecclesia, nec amplius essent de Ecclesia, proinde exciderent dignitate & officio, nec fideles subditi tenerentur ei amplius obedire: imò etiam ipsi subditi cùm primùm peccarent, non essent amplius de Ecclesia: & si peccata essent occulta, non posset certò sciri, quinam essent de Ecclesia; & qui non essent: ne igitur hæc oriantur incommoda, concludendum in Christi Ecclesia esse simul justos, & peccatores: hinc S. Cyprianus lib. 3. epist. 3. ad Maximum scribit, *Non debet aut Fides, aut charitas vestra, ut quoniam zizania in Ecclesia esse cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus*. Per zizania graves intelligit peccatores: & D. Augustinus tract. 6. in Joann. ait: *Nos fatemur in Ecclesia Catholica & bonos, & malos esse; sed tanquam granum, & paleas*, illud in horreum congregandum; istæ ut in ignem projiciantur gehennæ. Augustino adhæret S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 43. inquiens. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, aream Dei esse Catholicam Ecclesiam, & intra eam usque ad finem sæculi frumenta mixtas paleas contineri; id est bonis malos Sacramentorum Communione misceri.*

Solent tamen in oppositum objici in aliquot sacræ Scripturæ textus Isai. 52. loquens de Ecclesia militante ait: *Non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus, & immundus* & nonnullis interjectis præcipit fidelibus ut cum peccatoribus nullam ineant societatem; seque ab illis segregent, neque illos tangant: *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus*: Causam hujus recessûs indicat D. Paulus 2. Corinth. 6. *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? quæ conventio Christi ad Belial*. Verùm D. Augustinus lib. contra Donatistas cap. 8. respondet Isaiam esse intelligendum de Ecclesia triumphante in cœlis, non de militante in terris. Sed alii sancti Patres censent, & forsan probabilius, Isaiam fuisse loquutum secundùm historicum sensum & egisse de temporali persecutione Judæorum: & sensus est, ut explicat Bellarminus *lib. 3. cap. 9.* cùm à captivitate redieris, non adjiciet ultra, id est in longum tempus, aliquis infidelis persecutor per terras tuas, eas vastando pertransire. Alii tamen arbitrantur Isaiam fuisse loquutum in sensu mystico de Ecclesia, & prædixisse fore, ut portæ inferi nunquam sint prævalituræ contra Ecclesiam Romanam Catholicam, & Apostolicam; dicunt per incircumcisos, & immundos esse dæmones intelligendos, cùm nullam debeant fideles Christi habere cum eis societatem, sed debere de medio eorum statim exire; quia ut ait Apostolus *quæ conventio Christi cum Belial?* seu dæmone. Si dicas eos tantùm esse in Ecclesia qui sunt membra corporis Christi; & nequissimos peccatores non esse membra corporis Christi; eò quia membra corporis Christi vivunt uno eodemque spiritu, quo vivunt reliqua membra ejusdem corporis; & graves peccatores non vivere tali spiritu, eò quia careant gratiâ sanctificante, unde Apostolus ad Rom. 8. *Qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Et 1. ad Corinth. 12. In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus: proinde cùm peccatores non habeant spiritum, seu careant gratiâ sanctificante, non sunt membra corporis Christi. Contra est, quia quamvis nequissimi peccatores non habeant spiritum Christi, eò quia careant gratiâ sanctificante, adhuc sunt membra corporis Christi, non tamen viva, sed mortua, quia carent spiritu vivificante. Respondent alii, peccatores non esse simpliciter membra corporis Christi, sed tantùm secundùm quid, esse tamen de Ecclesia, & in Ecclesia tanquam humores peccantes & vitiati, perinde ac in corpore humano sunt humores, qui propriè non dicuntur membra corporis; & tamen sunt in corpore & de corpore. Ita Melchior Canus, Joannes à Turrecremata lib. 1. cap. 57. Unde peccatores quamvis nequissimi sunt in Ecclesia, & simpliciter fideles, & Christiani, quia non sunt nec denominantur fideles à gratia sanctificante, nec ab habitu charitatis, sed à Fide integra, quam in statu peccati conservant.

Si dicas in Symbolo Apostolorum Ecclesiam dici sanctam, proinde constare tantùm ex sanctis, quales non sunt nequissimi peccatores, qui propterea non sunt in Ecclesia. Sed contra quia Ecclesia non denominatur sancta, eò quia omnes fideles sint sancti; sed quia ejus leges, ejus ritus, ejus Sacramenta sancta sint. Ad constituendam, ac denominandam Ecclesiam sanctam tria sufficiunt; scilicet Baptisma quod sanctum est. Professio christiana, quæ sancta est ratione dogmatum, doctrinæ, morum, ac præceptorum: & unio membrorum inter se, & cum capite quoad ea, quæ ad religionem pertinent, quæ tametsi sit tantùm extrinseca, sancta est. Posset etiam dici sancta propter plures sanctos fideles qui in illa reperiuntur: neque obstat si dicas plures etiam in Ecclesia contineri nequissimos peccatores, proinde posset ab iisdem etiam denominari nequissima: quia denominatio desumenda est à parte meliore, ac nobiliori, non ab ignobiliore, ac deteriore; alioquin cùm homo constet ex anima rationali, & carne, sicut definitur rationalis, ita posset definiri carnalis, quod non conceditur, quia caro, & pars deterior conveniens singulis brutis.

Dices,

Dices, nequissimos peccatores non habere Deum Patrem, quia ab ipso se avertunt ut inimici, & non ei adhærent ut filii; ergo neque habent Ecclesiam matrem, quia ut ait S. Cyprianus lib. de unit. Ecclesiæ: *Non habet Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem*: Et similiter non habet Ecclesiam matrem qui non habet Deum Patrem: sed nequissimi peccatores non habent Deum Patrem, quia, ut ait Apostolus ad Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*, peccantes autem non aguntur spiritu Dei, quia Dei spiritus est gratia, quâ peccantes destituuntur, proinde non aguntur spiritu Dei, neque sunt filii Dei; ergo neque filii Ecclesiæ, in qua propterea non sunt, quia justi non sunt; adeoque soli justi sunt filii Ecclesiæ & sunt de Ecclesia. Sed contra, quia peccatores sunt filii Ecclesiæ primò, quia ab Ecclesia fuerunt regenerati per Baptismum: Secundò sunt filii Ecclesiæ ratione doctrinæ, quo pacto Apostolus 1. Corinth. 4. vocat Corinthios filios, quia eos erudierat in Fide, ac docuerat Evangelium; & ad Galat. 4. ait: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* & in hoc sensu, quotquot sunt in Ecclesia, sunt Filii Dei, & Ecclesiæ, eo quia fide integrâ credunt in Deum, & veram Dei doctrinam servant & propugnant; & hi possunt esse justi, & peccatores; in quo sensu dicitur Isaiæ 1. *Filios enutrivi, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me.* Præterea peccatores quamvis non dicerentur esse in Ecclesia, ut filii, adhuc possent dici in Ecclesia ut famuli: non enim in domo tantùm est pater cum filiis, sed etiam cum servis & ancillis; & sicut filii manent semper domi, cujus sunt hæredes succedentes ad patrem; & famuli, & ancillæ tantùm pro tempore, cùm soleant dimitti, ac mutari; perinde justi sunt in Ecclesia ut filii; peccatores verò ut servi, qui non manent in æternum ut filii: & sicut domi filii, & servi vivunt concordes, quatenus famuli, & ancillæ obediunt filiis ut dominis: perinde in Ecclesia justi & peccatores vivunt concordes obtemperantes mandatis supremi Pastoris, à quo per schisma non separantur dicente Davide in Psalmis *Deus qui inhabitare facit unanimes in domo.*

Difficiliora explicatu videntur verba D. Augustini *lib. 2. contra Cresconium cap. 21.* ubi ait: *Ac per hoc etiam nesciente Ecclesia propter malam pollutamque conscientiam damnati a Christo, jam in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra damnata.* Videtur Augustinus expressè excludere à membris Christi & ab Ecclesia peccatores, eò quia damnati sunt: hoc idem repetit plerisque aliis in locis præsertim *lib. 4. de Baptismo cap. 3. lib. 2. contra Pelagianum cap. ult. lib. de verit. Ecclesia cap. ult.* Hinc propter hæc verba Augustini Calvinus, & Brentius duas finxerunt Ecclesias, unam justorum, alterum peccatorum. Sed contra salvis verbis D. Augustini nulla necessitas urget has duas fingendi Ecclesias, sed tantùm distinguendi diversa tempora, potest enim Ecclesia considerari prout militat in terris; & ut triumphat in cœlis, & sensus Augustini est, quòd licèt Ecclesia militans promiscuè contineat justos, & peccatores; hos tamen Christus ob pollutam conscientiam damnat, ut non sint futuri de Ecclesia triumphante in cœlis, in qua nonnisi boni, ac justi comprehendentur: Idque Augustinus explicat exemplo Christi, qui ante resurrectionem fuit morti obnoxius, & post resurrectionem immortalis. Ita Ecclesia quæ in hac vita bonos continet & malos, in alia nonnisi justos comprehendet. Ecclesia ut militans in terris se fatetur nigram, & formosam Cant. 1. *Nigra sum sed formosa sicut tabernacula cedar, sicut pelles Salomonis* non dicit de præterito se nigram fuisse; sed de præsenti se nigram fatetur, sed simul & formosam, seu nigram sicut tabernacula cedar propter peccatores qui eam denigrant, quatenus existentes in Ecclesia, & malè agentes eam devenustant, ejusque candorem denigrant: sed quamvis denigrata, adhuc est simul formosa, sicut pelles Salomonis propter bonos, & justos, à quorum virtutibus plurimum haurit ornamenti, ac pulchritudinis. Ecclesia verò in cœlis triumphans, se fatetur totam pulchram sine macula absque ruga Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, & hanc pulchritudinem Ecclesiæ triumphantis, seu gloriosæ in cœlis edisserit Apostolus ad Ephes. 5. inquiens. *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, ut aliquid hujusmodi.* Dices Ecclesiam nunc militantem in terris esse Corpus Christi, & fideles, qui sunt in Ecclesia, esse membra hujus Corporis: ergo peccatores non sunt in Ecclesia: quia non sunt membra Corporis Christi, etenim illa non dicuntur membra Christi, in quibus Christus nihil operatur: & in impiis, & peccatoribus nihil operatur, quia sunt destituti gratiâ sanctificante, per quam membra Christi vivunt, & operantur. Sed contra quia ideo Christus non operatur, non influit in impios, & peccatores, quia sunt membra emortua, & arida utpote destituta gratia sanctificante, quæ est vita, quâ membra Corporis Christi vivunt, & operantur.

Possunt tamen adhuc objici plures sacræ Scripturæ textus, in quibus videtur significari, peccatores non esse in Ecclesia justorum; estque objectio Magdeburgensium distinguentium duas Ecclesias, bonorum unam, aliam malorum: & nituntur, quia Matth. 5. justitia discipulorum distinguitur ab illa Pharisæorum. Matth. 6. Pii, ac veris virtutibus ornati distinguuntur ab hypocritis, quorum sanctitas est tantùm umbratilis, & fucata Matth. 7. distinguuntur perambulantes per viarum angustias, ab aliis currentibus vias laxas. Rursus ibidem distinguitur domus fundata super firmam petram ab alia fundata super arenam; sed peccatores non sunt in Ecclesia fundata supra petram, quia per peccata se avertunt à Christo, qui est Petra, supra quam fundatur Ecclesia justorum, petra autem erat Christus, ergo peccatores non sunt in Ecclesia justorum. Sed contra quia ex nullo præcitato Scripturæ loco probatur, peccatores non esse in Ecclesia, vel duas esse Ecclesias, justorum unam, aliam peccatorum: sed tantùm in una eademque Ecclesia esse justos, & impios. Idque nos edocuit Christus Matth. 13. ubi boni & sapidi pisces distinguuntur à malis, ac insipidis, & tamen omnes uno eodemque rete, una eademque sagena comprehenduntur, *simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti*; per sagenam, in qua omnia piscium genera congregantur, intelligitur Ecclesia, in qua congregantur boni, & mali fideles, ut explicant sancti Patres. Non igitur in præcitatis locis Scripturarum significantur duæ Ecclesiæ distinctæ, una justorum, altera peccatorum, sed una tantùm, in qua congregantur boni, & mali fideles simul uniti per professionem ejusdem fidei & communicationem eorundem Sacramentorum, adeo ut in eadem Ecclesia sint perambulantes angustam viam virtutum, & currentes per viam laxam vitiorum, & qui fingentes sanctitatem exterius; interius in corde vitia fovent, suntque hypocritæ, Rursus non sunt

duæ

duæ domus, sed unica tantùm, quam inhabitant probi, & improbi, illi adhærentes firmæ petræ, isti arenæ vanitatum: sicut in Ecclesia non omnes fideles audiunt verba Christi, nec ea faciunt, ita non omnes dicuntur ædificare domum suam, seu animæ ædificium spirituale supra petram, eùm plures mundi fluxa, & instabilia bona quærant, ædificentque propterea supra arenam; hinc Christus ait: *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.*

CAPUT XX.

An Hæretici occulti, qui se Catholicos fingunt, sint in Ecclesia?

Hæretici occulti dicuntur, qui fingentes Catholicam Religionem exterius, quatenus intersunt sacris, participant, ac percipiunt Sacramenta exterius, interius tamen in corde aliter sentiunt, adhærentes uni vel alteri Hæreticorum sectæ. Interdum enim contingit, ut ob bonum aliquod temporale hæreticus emittat professionem Catholicæ professionis, fingat se Catholicum, & communione Sacramentorum veris fidelibus permisceatur, qui tamen pertinax perseveret in sua hæresi, suisque in corde falsis adhæreat dogmatibus. Censent plures hujusmodi hæreticos occultos non pertinere ad veram Ecclesiam JESU Christi, ita docent Calvinistæ, & etiam alii.

Verùm dicendum est, eos, qui solâ externâ professione conjuncti sunt cæteris fidelibus, esse in Ecclesia. Si ex signis omnibus externis non distinguantur ab aliis fidelibus, intersint saltem diebus Festis Sacro, percipiant statis temporibus Sacramenta, & reliqua omnia exterius exerceant, sicut reliqui fideles, ita docent plures cum Petro à Soto cap. de Eccles. & in Apologia pro Confessione Catholica part. 1. cap. 11. Melchior Canus lib. 4. de loc. Theol. cap. ult. Bellarminus lib. 3. de Ecclesia milit. cap. 10. qui hanc veritatem ostendit ex verbis illis 1. Joan. 2. *Et nunc Antichristi multi facti ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Loquitur Joannes de Hæreticis, quos vocat Antichristos, & asserit: antequam exirent è cœtu Catholicorum, non fuisse Catholicos animo, & voluntate, eò quia aliter senserint in corde, ac fuerint exterius professi, quatenus se postea quales in animo fuerint, manifestârunt. & tunc exierunt è cœtu fidelium, & qui antea erant in Ecclesia, quatenus exterius cæteris fidelibus permixti, & quasi facti iidem cum ipsis postea per apertum schisma exierunt, ac se ipsos segregârunt à cœtu reliquorum fidelium. Et quamvis D. Augustinus subinde verba illa Joannis: *sed non erant ex nobis* interpretetur de prædestinatione, nihilominus in Commentatio præfati textus 1. Joan. 2. explicat præfata verba de Hæreticis occultis se fingentibus ob commodum aliquod temporale fideles & Catholicos, ait enim Tract. 3. in Epist. Joan. *Omnes Hæretici, omnes Schismatici ex nobis exierunt, id est ex Ecclesia exeunt; sed non exirent, si ex nobis essent: antequam exirent, ergo non erant ex nobis, si antequam exirent, non erant ex nobis; multi intus sunt, non exierunt, & tamen Antichristi sunt.* Et nonnullis interjectis explicans quomodo Hæretici occulti sint in Ecclesia subdit. *Et qui intus sunt, certè sunt in Corpore Domini nostri JESU Christi, quando adhuc curatur Corpus ipsius; & sanitas perfecta non erit, nisi in resurrectione mortuorum, sic sunt in Corpore Christi, quomodo humores mali; quando evomuntur, tunc relevatur Corpus; sic & mali quando exeunt, tunc Ecclesia relevatur, & dicit, quando eos evomit, atque prorsus corpus, ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me, quid est, non erant ex me? non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant, cùm inessent.*

Ratio etiam petitur, eò quia Ecclesia non judicat de internis, estque visibilis, & manifesta Michææ 4. *Erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob: & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis ejus: quia de Sion egredietur lex & verbum Domini de Jerusalem, & judicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes usque in longinquum* Isaiæ 60. *Surge illuminare Jerusalem; quia venit lumen tuum, & Gloria Domini super te orta est. Et ambulabunt gentes, in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui &c. Et aperientur portæ tuæ jugiter: Die ac nocte non clauduntur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur, Gens enim, & regnum quod non servierit tibi, & peribit, & gentes solitudine vastabuntur. Ecclesia Civitas est super montem posita.* Christus Dominus *in sole posuit tabernaculum suum*, seu ut expendit D. Augustinus *in manifestatione Ecclesiam suam non in occulto, non qua lateat, non velut operta: ne fortè fiat sicut operta super greges hæreticorum.* Quòd si Ecclesia est visibilis, & manifesta jam est cœtus omnium illorum fidelium, qui sensibiliter, & manifestè simul copulantur sub uno Capite Christo, & ejus Vicario summo Pontifice sub communione eorundem Sacramentorum, ac protestatione ejusdem Fidei: & quia Hæretici occulti sensibiliter, & manifestè exterius aggregantur huic cœtui sub eadem professione Fidei, ac Communione Sacramentorum, dicendi sunt membra Ecclesiæ, quamvis mortua, & arida propter occultam hæresin, quâ destituuntur gratia sanctificante, quæ est vita vivificans membra Ecclesiæ. Quòd si Hæretici occulti aggregati sensibiliter & exterius cœtui fidelium sub eadem professione Fidei & Communione Sacramentorum non essent in Ecclesia, nullam in eadem haberent jurisdictionem, nullam authoritatem, ex quo plura orientur inconvenientia, ut notant sancti Patres præsertim Cyprianus lib. 1. Epist. 6. Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 2. D. Hieronymus in Dialog. contra Luciferian. Augustinus in Enchrid. cap. 65. eò quia qui non est de Ecclesia, non est membrum Ecclesiæ, & qui non est membrum Corporis, necessa potest Caput ipsius, cùm repugnet esse Caput Corporis, & non esse membrum ejusdem: modò ponamus Episcopum aliquem esse occultum hæreticum, si is communicans cum cæteris Catholicis in eadem professione Fidei, & externâ Communione Sacramentorum non esset in Ecclesia, nec esset Caput ejusdem in sua Diœcesi, consequenter nulla illi inesset authoritas, nulla jurisdictio: Hinc omnes actus jurisdictionis ab illo emanati nullius essent valoris, & ingens inde orietur confusio, quia cùm fideles non possint judicare de internis, nec scire,

scire, an eorum Pastor, & episcopus sit in corde & occultè Hæreticus, non essent certi, an fuerint ritè absoluti, & actus, quos episcopus exercuerit, fuerint validi, hinc magna esset in ecclesia perturbatio, ingens confusio. Quamobrem dicendum est, occultum Hæreticum, sive episcopus sit, sive summus Pontifex, dummodo communicet cum cæteris fidelibus in eadem externa professione Fidei, & Communione Sacramentorum, esse in ecclesia, & non amittere jurisdictionem, nec dignitatem episcopi vel Pontificis, donec ipse ab ecclesia sensibiliter, manifestè, & publicè se separet, vel hæreseos convictus ab aliis separetur, quia tunc sensibiliter, & manifestè exit ab ecclesia, sejungitur à cœtu fidelium, deperdit esse membrum ecclesiæ, proinde etiam Caput suæ Diœcesis, & amittit dignitatem, & jurisdictionem: ergo Hæretici occulti sunt in ecclesia, & membra ipsius, licèt mortua & arida, quapropter Origines Homil. 31. in Josue ait: *Etiam hic in Jerusalem id est in Ecclesia sunt quidam Jebusæi, qui, & fide, & actibus perversi sunt.* Quòd si perversi fide, ergo deficientes in fide, & propterea Hæretici occulti, cùm apparenter sint in ecclesia, hinc subdit: *Neque enim dicimus de iis, qui manifestè, & evidenter criminosi sunt, ut non de Ecclesia expellantur*, cui adhærens Augustinus lib. 3. de Baptis. cap. 18. ait: *Hujus fraternæ charitatis inimici sive apertè foris sint, sive intus esse videantur, Pseudo-Christiani sunt, & Antichristi, inventis enim occasionibus foras exeunt, sed etiam si occasiones desint, cùm intus videntur ab illa invisibili charitatis compage separati sunt.* Et licèt Augustinus asserat, Hæreticos occultos videri esse in Ecclesia, non tamen vult solùm apparenter esse in Ecclesia & non in re; sed ait non esse in Ecclesia eo modo, quo sunt justi & pii, quia hi sunt in Ecclesia ut membra Corporis Christi viva, & sana; illi verò ut membra mortua, & arida; vel esse in Ecclesia, & membra unita Capiti, & cum aliis membris tantùm unione extrinseca, sensibili, & visibili exterius, non verò unione internâ simul, & externâ: alioquin si revera neque extrinsecè essent in Ecclesia, non dicerentur egredi ab Ecclesia, quando postea se manifestant hæreticos: Augustinus verò expressè censet eos exire foris inventis occasionibus; nemo dicitur è domo, vel templo exire, nisi prius fuerit domi vel in templo, à quo exit & quamvis invisibiliter seu per internam, & occultam hæresim fuerint separati à cœtu fidelium; non ita visibiliter extrinsecè; & hoc sufficit ut dicantur esse in Ecclesia, quia hæc non est invisibilis, sed visibilis, & sensibilis, & ut hæretici occulti dicantur esse in hac Ecclesia, sufficit si sensibili, & externa professione fidei, & communione Sacramentorum sint uniti capiti seu summo Pontifici, cui obediunt, & reliquo cœtui fidelium.

Dices nos credere sanctam Ecclesiam Catholicam; ergo hæc est invisibilis, quia fides est argumentum non apparentium, proinde si credimus sanctam Ecclesiam Catholicam, hæc non est apparens, nec visibilis. Sed contra, quia quòd Ecclesia sit sancta, sitque vera, credimus, quia neque sanctitatem, neque ejus veritatem videmus, sed tantùm credimus: quòd verò Ecclesia sit cœtus fidelium legitimo Pastori adunatorum, ac Communione eorundem Sacramentorum, & professione ejusdem Fidei simul unitorum: hoc videmus; unde videmus Ecclesiam; non videmus, sed credimus ejus veritatem: videmus Ecclesiæ Corpus, non videmus Spiritum Sanctum, à quo regitur, & gubernatur: videmus cœtum fidelium suo adunatum Pastori, videmus professionem ejusdem fidei integræ, & Communionem Sacramentorum: sed non videmus hunc cœtum esse veram Ecclesiam, sed hoc credimus. Apostoli videbant Christum esse hominem; sed non videbant hunc hominem esse Filium æterni Patris, sed id credebant. In Ecclesia iisdem videmus confici Sacramenta, sed non videmus, sed tantùm credimus virtutem Sacramentorum: ita Ecclesiam, seu cœtum fidelium videmus, sed ejus sanctitatem, & veracitatem non videmus, sed credimus.

Semel tamen suscepto Baptismo, receptâ Christi Fide, admissis Scripturis sacris, quibus Ecclesiæ characteres, & notæ describuntur, quibus constat Ecclesiam Romanam Catholicam esse veram Ecclesiam, quam Christus fundavit supra petram seu dignitatem S. Petri, ejusque Successorum, seu supra dignitatem Vicariatûs Christi in sua Ecclesia militante, approbatis etiam vaticiniis, quæ in Scriptura sacra habentur de Christi Nativitate, Vita, Miraculis, Passione, Resurrectione, reliquisque mysteriis; manifestum est, JESUM Nazarenum crucifixum, esse verum Messiam nobis promissum in Scripturis per Prophetas, mundi Redemptorem, ac Mediatorem Deum inter & hominem: & sicut nullam excusationem habent Judæi propriæ infidelitatis, qui in Christum non credunt, quem crucifixerunt, & ejus signa, & miracula viderunt, quibus infirmis restituit sanitatem, cæcis à nativitate aperuit oculos, claudis dedit gressum, paralyticis incolumitatem, leprosis munditiem, & vitam mortuis quatriduanis, & aliis pluribus: ita Hæretici & Schismatici, non agnoscentes Ecclesiam Romanam Catholicam pro vera Ecclesia à JESU Christo fundata, cui propterea non credunt, nec ipsi obsequuntur, nec ejus Capiti summo Pontifici Romano adhærent, inexcusabiles sunt; quia & ipsa fiunt miracula per viros pientissimos & sanctos, quos DEUS assumit, ut instrumenta ad ostendendam suam omnipotentiam & patranda miracula, quibus non solùm visum cæcis, claudis gressum, sed & ipsis mortuis vitam restituit; sunt enim miracula signa evidentia credibilitatis, cùm pura creatura solius naturæ viribus nequeat operari supernaturaliter; & infidelis non soleat à DEO assumi ad operandum miracula in testimonium suæ omnipotentiæ, & veræ Fidei, ac Ecclesiæ suæ militantis in terra. Hinc D. Augustinus lib. 11. contra literas Petiliani cap. 32. *Ecclesia vera neminem latet.*

Præterea esse in Ecclesia Hæreticos occultos, qui sint membra Ecclesiæ, licèt mortua, & arida infert Augustinus ex Christi turbatione, quando Judas exivit è cænaculo ait ipse Tract. 61. in Joan. cap. 13. *Hoc nobis Dominus significare suâ turbatione dignatus est, quòd scilicet falsos fratres, & Dominici agri illa zizania, ita necesse est usque ad messis tempus inter frumenta tolerari, ut quando ex eis aliqua separari etiam ante messem urgens causa compellit, fieri hoc sine Ecclesiæ perturbatione non possit. Hanc perturbationem Sanctorum suorum per Schismaticos, & Hæreticos futuram quodammodo prænuncians Dominus præfiguravit in se ipso, cùm exituro inde homine malo, & commixtionem frumenti, in qua diu fuerat toleratus, separatione apertissimâ recisuro, turbatus est non carne, sed spiritu.* Quòd si Ecclesiæ analogiam velimus ab humano corpore petere, cui Apostolus ad Roman. 12. similem Ecclesiam facit: sicut in corpore dantur membra vivida, sana, ac probè vegeta; & alia infirma, ac debilia; plura exterius visibilia, & alia interius occulta; quædam quæ vivunt, & non sentiunt; alia quæ sentiunt, & vivunt; ita non repugnant, in corpore Ecclesiæ esse membra plura, quæ

vivunt

vivant gratia sanctificante, quæ dicitur semen vitæ æternæ; & aliæ quæ non vivant, destituti gratia,& fide; inde clarior emicat analogia petita à corpore humano. Adde quòd si hæretici occulti non essent in ecclesia, hæc non esset in terris visibilis, quia sensibilis professio integræ fidei, unio inter membra ecclesiæ per communionem eorumdem Sacramentorum, adhæsio fidelium suo pastori, & aliæ notæ sensibiles, ac visibiles, quibus ecclesia in terris militans constituitur visibilis, non essent amplius signa distinctiva veræ Ecclesiæ fundatæ à Christo ab aliis ecclesiis falsis, quia hæ notæ reperiuntur in hæretico occulto, in quo non essent signa veræ ecclesiæ, cùm supponeretur esse extra ecclesiam, quæ propterea cùm non haberet notas sensibiles, foret invisibilis, quod adversatur sacris Scripturis, & fidei. Matth. 16. ait Christus: *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, ubi Petrus, super quem fundavit ecclesiam, est visibilis, Sacramenta videntur confici, & ministrari.

Hinc Apostolus ad Eph. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii in ædificationem corporis Christi:* ecce quomodo corpus Christi, seu ecclesia construatur ex membris visibilibus, cujusmodi sunt Apostoli, Prophetæ, Evangelistæ, Pastores, & Doctores; si partes ædificii sunt sensibiles, & visibiles, totum ædificium constans ex iisdem est visibile. Lutherus lib. de servo arbitrio ad Erasmum objicientem non esse credibile, Deum per tantum temporis deseruisse suam ecclesiam, cùm promiserit se nunquam eam relicturum Matth. ult. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, quæ verba fuerunt directa ad Apostolos, & reliquos discipulos, qui constituebant ecclesiam visibilem; & quia Apostoli non erant interis victuri usque ad consummationem sæculi, sed brevi morituri, ideo Christus fuit alloquutus ecclesiam visibilem, seu fideles, qui successivè, & pro tempore constituunt ecclesiam. Respondit Christum non fuisse fallacem in suis promissis, neque unquam deseruisse suam ecclesiam: sed hanc non esse Papam, neque Episcopos, neque Doctores, neque Clericos, & Monachos, neque reliquam Catholicorum turbam: sed quosdam tantùm vivos pios, quas quasi reliquias Deus conservat, & semper aliquos ex hisce piis hominibus constituentibus veram ecclesiam esse immundo, & Christum cum ipsis; & quia hi homines pii non cognoscuntur, & sunt occulti ex studio humilitatis, inferebat, ecclesiam non esse in terris visibilem, sed esse spiritualem, & sola fide perceptibilem; ajebat lib. de abroganda missa privata part. 1. *Quis ecclesiam nobis monstrabit, cùm sit occulta in spiritu, & solùm credatur? sicut dicitur; Credo Ecclesiam sanctam*, quibus verbis superius satisfecimus, ostendentes ecclesiam esse visibilem, quatenus videmus cœtum fidelium, qui suo sunt adunati pastori, & per sensibilem professionem fidei integræ, ac communionem Sacramentorum inter se copulantur, quæ omnia sunt visibilia, & constituunt veram ecclesiam visibilem, cujus sanctitatem, & veritatem credimus, non videmus. Lutherani postea cognoscentes absurda, quæ ex ecclesia invisibili sequerentur, eam visibilem dixerunt; sed aliter explicantes hanc visibilitatem, ut re invisibilem faciant, & tantùm nomine visibilem dicant.

Objiciuntur tamen nobis ab Acatholicis aliquot Scripturæ Hieremiæ 31. ubi Propheta indicans discrimen inter ecclesiam veteris, & novi testamenti, ait illam fuisse visibilem, quia ejus leges scriptæ fuerunt in tabulis lapideis, quæ erant visibiles; hanc vero in corde, quod nobis non est visibile: ait Propheta: *Dabo legem meam in cordibus eorum, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Sed contra, quia Hieremias, ut liquet ex ejus verbis, non confert ecclesiam Christi cum Synagoga, sed legem evangelicam cum veteri testamento, lex enim evangelica est charitas, à qua tota lex pendet; & charitas est in corde scripta: si instes charitatem, & alias virtutes Theologales esse invisibiles in ecclesia, respondetur inde non sequi ecclesiam esse invisibilem; sed tantùm continere plura visibilia, & aliqua invisibilia, sicut homo constat ex corpore visibili, & anima invisibili, & tamen dicitur, & est homo visibilis; ita ecclesia constat ex visibili cœtu fidelium suo adhærentium Pastori, ex publica fidei integræ professione, & communione sacramentorum, & aliis, quæ cadunt sub sensus, suntque visibilia, & denominant ecclesiam visibilem, quæ etiam continet virtutem invisibilem sacramentorum; Spiritum sanctum invisibilem, à quo regitur, sanctitatem & veritatem, quam credimus, non videmus.

Objicitur secundò Joan. 4. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate*, sed contra quia inde tantùm sequitur in ecclesia, fideles duplici cultu adorare Deum, interno, & externo; non verò ecclesiam esse invisibilem; quia ut diximus, etiam homo constat ex anima invisibili, & corpore visibili, & tamen est, & dicitur visibilis. Præterea respondet Bellarminus lib. 3. de Ecclesia militante cap. 15. Deum in illo Joannis textu non agere de loco orationis, sed tantùm de modo, & ritu; alioquin fuissent prohibiti Apostoli orare in templo, quod dici nequit: quia constat ex Act. Apost. 3. Petrum, & Joannem post acceptum Spiritum Sanctum ascendisse Hierosolymæ in templum ad horam orationis nonam. Unde sermo non est de oratione, sed de ritu, & modo orandi, ut sensus sit: neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem ritu Samaritanorum, & Judæorum; sed ritu Christianorum, qui ritus est adorare in spiritu & veritate. S. Chrysostomus & alii sancti Patres illud *in spiritu*, apponunt cæremoniis Judæorum, quæ corporales erant: & illud *in veritate* iisdem cæremoniis ut erant umbræ, & figuræ rerum futurarum D. Tomas, & alii apponunt illud *in spiritu* ritui Judæorum, qui præcipuè externus, & corporalis erat; & illud in veritate ritui Samaritanorum, qui falsus erat, eo quia cum vero Deo colerent simul deos falsos: secus cultus Christianorum debet præcipuè esse spiritualis, ex corde sincerus, & purus sine ullo errore, non falsus; qui tamen cultus non excludit cæremonias externas corporales, quæ promovent cultum spiritualem.

Objicitur tertiò illud Apostoli ad Hebr. 12. *Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem; sed ad Syon montem, & civitatem Dei viventis*, ubi Apostolus comparat synagogam monti Sinai visibili; & ecclesiam monti Sion spirituali. Sed contra quia sancti Patres Chrysostomus, Theophylactus, & D. Thomas per montem Syon intelligunt ecclesiam triumphantem in cœlis, non militantem in terris. Confert Apostolus Synagogam cum ecclesia, & asserit illam accessisse ad montem Sina corporeum, quatenus per imagines corporales ibi Deum viderent; hanc verò ad montem Syon spiritualem,

lem, seu ad gloriam beatorum ut si non re, saltem spe Deum videret facie ad faciem.

Objicitur quartò 1. Petr. 2. *& ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias Deo*: ex quibus verbis inferunt Acatholici ecclesiam esse spiritualem, quia à D. Petro dicitur domus spiritualis; consequenter esse invisibilem. Sed contra, quia dupliciter potest aliquid dici spirituale; primò ratione propriæ substantiæ, quatenus est quid spirituale, quo pacto Angelus dicitur spiritualis. Secundò ratione finis, in quem dirigitur, quo pacto dicuntur spiritualia, quæ in Deum diriguntur ut finem: Sic homo dicitur spiritualis, quamvis corpore constet, eò quia vivat secundùm Deum, & omnes suas operationes dirigat in Deum, & hoc secundo modo ecclesia dicitur spiritualis, & simul visibilis, sicut etiam 1. Corinth. 2. dicitur homo spiritualis 1. Corinth. 15. *corpus spirituale*. 1. Petr. 2. vocantur *hostia spirituales*, quatenus offeruntur Deo, ad quem diriguntur ut finem

CAPUT XXI.

An Ecclesia Romana Catholica & Apostolica possit tota errare?

Aliud est Ecclesiam posse deficere, & aliud posse errare: Deficeret, si omnino cessaret, quo pacto contendunt hæretici defecisse initio mundi, cùm protoparentes peccârunt, eo quia cùm non fuerint tunc alii homines in illis saltem virtute continebatur tota ecclesia. *Secundò* tempore Mosis asserunt totam ecclesiam iterum apostatâsse. Tertiò etiam tempore Heliæ defecisse, eo quia 3. Reg. 19. ait Helias; *Relictus sum ego solus. Et Dominus ad eum. Reliqui mihi septem millia virorum in Israel, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Quartò Daniel 9. prædicitur hæc cessatio ecclesiæ *deficiet hostia & sacrificium.* Luc. 18. *Filius hominis cùm venerit, putas, inveniet fidem in terra?* Hierem. 3. *Nolite confidere in verbis mendacii dicentes templum Domini, templum Domini.* Quintò Concilium Basileense generale deposuit à Papatu Eugenium ut hæreticum & elegit Felicem; & soluto Concilio iterum Eugenius in cathedram ascendit absque canonica electione; ergo ab illo tempore Cardinales, Episcopi ac Sacerdotes fuerunt invalidè ordinati, & ecclesia defecit. Sed contra ad primum respondetur protoparentes non constituisse ecclesiam formaliter, sed tantùm initiativè quia hæc est cœtus fidelium adhærens suo Pastori visibili; & tunc non aderat Pastor visibilis, cui niterentur protoparentes, quando peccârunt, imò nec cœtus fidelium, quia duo homines licèt constituant numerum pluralem, hic tamen distinguitur à cœtu, qui dicit multitudinem & plures quàm duos. Præterea aliud est peccare, & aliud deficere à fide, cùm non omnia, qui peccat, excidat à fide neque separetur ab ecclesia. Ad secundum totam ecclesiam non defecisse, quia non omnes Israëlitæ cultum exhibuerunt vitulo aureo conflato ab Aarone suasu Hebræorum, & ope dæmonis, sed tantùm aliquos ex populo qui debitam luerunt pœnam. Nec id temporis Aaron erat Pontifex, ut constat ex Exod. 40. & omnes Levitæ negârunt cultum vitulo. Ad tertium à tempore Heliæ respondetur esse discrimen inter populum Judaicum, & Christianum Catholicum, quia iste constituit veram ecclesiam universalem, extra quam nemo potest salutem consequi; non ille, quia extra populum Judaicum plures fuerunt salutem consequuti, ut in lege naturæ Melchisedech, & Job. deinde extra Synagogam Cornelius, Centurio, & alii. Præterea falsum esse Synagogam totaliter defecisse ante Christi adventum: Neque Helias loquitur de toto populo Judæorum, sed tantùm de illis Judæis, qui subjiciebantur Regi Samariæ: Siquidem tempore Heliæ regnârunt in Hierusalem, Asa, & post ipsum Josaphat Reges optimi, sub quorum regimine populus perseveravit in vera religione, & Sacerdotes debitum cultum vero Deo dederunt: unde cum Dominus dicit, *reliqui mihi septem millia virorum* addidit *in Israel*, quia ut notat Bellarminus lib. 3. de Eccles. cap. 16. Israël tunc ii dicebantur, qui erant sub Rege Samariæ: qui verò subjiciebantur Regi Hierusalem, dicebantur Judas: ex quo constat tempore Heliæ totam synagogam non defecisse; & errâsse Melanchtonem dicentem in loc. comm. cap. de ecclesia tunc temporis ecclesiam fuisse in solo Helia, & Helisæo, & paucis Sacerdotibus. Ad quartum Danielem fuisse loquutum de cessatione synagogæ, cui debuerat succedere ecclesia fundata à Jesu Christo. Ad illud Luc. 18. respondent Hieronymus, Augustinus lib. de verit. ecclesiæ cap. 13. ibi loqui de excellenti sanctitate, & fide, quæ non nisi in paucis reperitur. Alii etiam cum Theophylacto intelligunt verba illa, *putas, inveniet fidem in terra?* De tempore Anti-Christi, quo perpauci erunt fideles. Ad aliud Hieremiæ respondent D. Augustinus epist. 80. ad Esich. Hieronymus in cap. 24. Matth. & alii prophetiam Hieremiæ prævidisse tempus Antichristi. Ad quintum de Concilio Basileensi respondent communiter tale concilium initio quidem fuisse legitimum, quia Legati aderant Pontificis, & plurimi Episcopi; Sed quo tempore Eugenium deposuit, & alium elegit, fuit conciliabulum schismaticum seditiorum, nullius authoritatis, ut dicitur in Concilio Lateranensi ult. sess. 11. proinde Eugenius fuit semper verus, ac legitimus Pontifex, tum quia cùm primum cœpit concilium Basileense agere de Eugenii depositione, Legati Pontificis discesserunt, ut etiam ferè omnes Episcopi, & tantùm Cardinalis Arelatensis sibi assumpsit munus præsidendi, qui ad supplendum numerum Episcoporum, qui discesserunt, plures Presbyteros introduxit, fueritque propterea concilium illud potius Presbyterorum quàm Episcoporum. Tum quia eodem tempore congregabatur Florentiæ alterum concilium, in quo præsidebat summus Pontifex, & cum eo sedebant Episcopi Latini, & Græci longè plures quàm fuerant congregati in Basileensi; imò unà cum Græcis aderat eorumdem imperator; uti & legati Imperatoris Latinorum, ut refert Æneas Sylvius in historia concilii Basileensi, cui ipse interfuit, & addit epidemicam luem tunc fuisse Basileæ grassatam, quæ causa fuit, ut Patres vel extincti peste fuerint, vel discesserint. Præterea Concilium Basileense continuatum postea Lausanæ se subjecit Nicolao Papæ, à quo sententia contra Eugenium fuit revocata.

Errare autem differt ab eo, quod est deficere; quia hoc significat totaliter desinere, & errare tantùm

tum deflectere à rectitudine, & veritate; & potest quis non desistere, & mentiri, seu discordare à veritate; quæritur modò an Ecclesia tota ut comprehendit universalem cœtum fidelium, possit errare, ac deflectere a Fide, quam nos docuerunt Apostoli, & eorum Discipuli; & Ecclesia indamnem, ac incorruptam hactenus custodivit, & contra Sectas omnes Hæreticorum propugnavit semper victrix, nunquam victa: Unde difficultas non est, an in Ecclesia Romana Catholica unus vel alter particularis possit errare in Fide, id enim est certum, cùm plures Catholici de facto erraverint prolapsi in hæresim; etenim Lutherus, Calvinus, Zuinglius, & alii erant antea Catholici, qui postea errârunt docentes hæreses. Calvinus *lib. 4. cap. 8. §. 11. & sequent.* Fatetur totam & universalem Ecclesiam non posse errare, si duæ adhibeantur restrictiones, quarum prima est, dummodo Ecclesia non proponat dogmata extra Scripturas, seu si rejiciat traditiones non scriptas, & solùm usurpet pura, & simplicia verba sacræ Scripturæ: quod si quæratur, quomodo possimus dignoscere, quòd Ecclesia proponat semper fideliter, quæ continentur in sacris Scripturis; respondet id dignosci, quando utitur Scripturis in rebus necessariis ad salutem, non in aliis: Secunda restrictio est; ut Ecclesiam non posse errare intelligatur de tota universali Ecclesia, non autem de Episcopis repræsentantibus Ecclesias.

Dicendum est, Ecclesiam Romanam Catholicam, seu totam multitudinem Christianorum comprehendentem Pastores omnes Catholicos unà cum suis ovibus non posse absolutè errare non solùm in rebus necessariis ad salutem, sed nec etiam in aliis, quæ docens ex Cathedra proponit ut credenda, vel agenda, sive quæ proponit, habeantur expressè in Scripturis, sive non: adeo ut quæ fideles omnes in Ecclesia Catholica credunt esse de Fide, sint necessariò vera, & de Fide: & quæ docent omnes Episcopi in suis particularibus Ecclesiis Catholicis, sint etiam vera, & de Fide.

Assertio est probatu facilis, quia certum est de Fide Christum Ecclesiam à se fundatam, & institutam regere, & gubernare, quapropter suis Discipulis, ac eorum in eadem Ecclesia Successoribus promisit suam specialem assistentiam. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Hinc Augustinus in Psal. 101. Concion. 2. disputans contra Donatistas asserentes totam Ecclesiam visibilem errâsse; ac periisse, & quosdam dumtaxat viros justos & pios permansisse in Africa, ubi constituunt Ecclesiam invisibilem, eò quia justi isti non cognoscantur, ait per Prosopopœiam introducens ipsam Ecclesiam loquentem. *Quamdiu ero in isto sæculo? annuncia mihi propter illos qui dicunt, fuit, etiam non est, apostatavit, & periit Ecclesia de omnibus gentibus; & annuntiavit nec vacua fuit vox ista: quis annuntiavit mihi, nisi ipsa via? quando annuntiavit? Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*; Christus autem in suis promissis verax est, & non potest nos fallere; proinde assistit speciali præsentia, & gubernatione suæ Ecclesiæ usque ad consummationem sæculi: sed absurdum est, arbitrari Christum, qui suam Ecclesiam à se fundatam, institutam, & quam peculiari assistentia gubernat, permissurum, ut ipsa tota Ecclesia, quatenus toto orbe diffusa, publicè profiteatur aliquod dogma, quod sit contra Fidem, vel Evangelium: alioquin non esset cum suis fidelibus, qui suam constituunt Ecclesiam usque ad consummationem sæculi, & si tota Ecclesia errâsset; quomodo veraciter dixisset? *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi?* Si de Fide est, Christum in suis promissis non posse errare, nec nos fallere; de fide etiam est totam Ecclesiam Catholicam non posse errare: unde D. Bernardus serm. 79. in Cant. expendens illud Sponsæ, *Tenui eum, nec dimittam donec introducam illum in domum matris meæ* ait ad rem nostram: *Ita est, & tunc, & deinceps non deficit genus Christianorum, nec Fides de terra; nec charitas de Ecclesia. Venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in eam, & non cecidit, eo quod fundata esset supra firmam petram, petra autem erat Christus. Itaque neque verbositate Philosophorum, nec cavillationibus Hæreticorum, nec gladio persecutorum potuit ista aut poterit aliquando separari à charitate Dei.* Hinc Ecclesia universa, ut complectitur omnes fideles, supremum Pontificem, ut Caput visibile ejusdem; & omnes inferiores Pastores cum suis ovibus, dicitur esse firmamentum veritatis, quod non mutat, non cadit, sed stat firmum 1. Timoth. 3. *Ecclesia DEI est columna, & firmamentum veritatis*: Quòd si columna veritatis: ergo stat in veritate, cùm proprium sit columnæ stare, & fulcire: Ecclesia enim ita stat, ut simul fulciat fideles, ne cadant. Respondet Calvinus Ecclesiam dici columnam veritatis; eo quia *sit fida custos veritatis Dei*: Sed contra quia si per veritatem Dei intelligit sacras Scripturas: inde sequitur, Christi Ecclesiam non esse unam; sed quot sunt Bibliotecæ, librorum officinæ, in quibus servatur sacra Biblia, vel etiam venum præstant; omnes enim tam Bibliotecæ, quàm librariorum officinæ hoc pacto dicerentur columnæ veritatis, quia custodirent sacras Scripturas, quod est absurdum. Neque Apostolus meminit ullius Scripturæ, sed simpliciter dicit esse columnam, & firmamentum veritatis. Tum quia aliud est munus custodis, & aliud officium columnæ: de ratione custodis est invigilare, ne fures vel alii domum ingrediantur, fores claudere, de ratione columnæ fulcire, sustentare domum, ne cadat: unde D. Paulus vocans Ecclesiam columnam veritatis significat veritatem Fidei niti Ecclesiæ authoritate, ac verum esse, quidquid Ecclesia docet, probat, & approbat. Præterea Ecclesia erat toto illo tempore, antequam exaratæ essent Scripturæ, proinde tunc temporis non potuit dici nec esse columna propter solam custodiam Scripturarum; tum quia si Apostolus per columnam voluisset custodiam indicare Scripturarum, minus propria fuisset comparatio; & exactius vocasset Ecclesiam scrinium, arcam, armarium veritatis, cùm in istis locis custodiantur res etiam pretiosissimæ. Respondet secundò Calvinus D. Paulum vocare Ecclesiam *columnam veritatis*; eò quia conservat tanquam fidissima custos prædicationem verbi Dei scripti, ut docet ipse *lib. 4. instit. cap.* 1. §. 10. vel ut ait in Commentario: *Quia veritatem præconio suo celebrat, quia puram, & sinceram retinet, quia ad posteros transmittit*: Sed contra quia Ecclesia jam non esset una tantùm contra symbolum, sed quot sunt Hæreticorum Sectæ, quia quælibet Secta suos habet præcones putantes annuntiare populo purum, & simplex Verbum Dei scriptum.

Ex eo igitur quòd Ecclesia Romana Catholica gubernetur à Christo, tanquam à suo capite, & à Spiritu Sancto tanquam ab anima, ut infertur ex illo D. Pauli ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*; Et ad Ephes. 4. *Unum corpus, & unus spiritus*: Et ad Ephes. 5. *Vir est Caput mulieris, sicut Christus Caput Ecclesiæ*, sequitur non posse errare, & esse columnam, ac firmamentum veritatis, ut scribit Apostolus 1. Timoth. 3. quia si erraret in dogmatibus Fidei, vel in moribus dirigendis

fidelium, error tribueretur Christo dirigenti Ecclesiam & Spiritui Sancto vivificanti, & moventi quod absit: sicut si discipulus erret in iis, quæ addiscit à Magistro, error discipuli tribuitur magistro, à quo censetur derivare. Hinc Joan. 16. ait Christus suis Discipulis: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Neque obstat quod respondet Calvinus, Christum, & Spiritum S. docere quidem Ecclesiam omnem veritatem simpliciter necessariam, non verò delere omnem nævum: neque inde sequi tribui Christo errorem, nec Spiritui Sancto, quia iisdem non tribuitur ignorantia Ecclesiæ. Nam contra est; quia sicut vir qui ex Apostolo est Caput Ecclesiæ, licèt non teneatur removere ab Ecclesia omnem ignorantiam; tenetur tamen removere omnem errorem, ex quo grave malum potest in domo oriri, quamvis uxor ratione ignorantiæ excusetur: perinde Christus tenetur removere omnem errorem ab Ecclesia, ex quo grave malum oriretur in Ecclesia; & talis esset error in Fide, si permitteretur irrepere. Hinc Christus promiserat suæ Ecclesiæ, nunquam permissurum, ut portæ inferi sint prævalituræ contra ipsam: Unde S. Athanasius in oratione quâ docet unum esse Christum, expendens illud ex Evangelio. *Tu es Petrus, & super hunc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam,* ait: *Fidelis sermo, & non vacillans promissio: Ecclesia invicta res etiam si infernus ipse commoveatur; etiam si qui in inferno sunt immundi spiritus, & principes tenebrarum tumultus faciant.* Cui assentitur Cyrillus Alexandrinus lib. 4. Dialog. de Trinit. post initium inquiens. *Petrum opinor per agnominationem aliud nihil, quam inconcussam, & firmam discipuli fidem vocavit, in qua Ecclesia Christi ita fundata, & firmata esset, ut non laberetur, & esset inexpugnabilis inferorum portis in perpetuum manens.*

Eadem veritas ex eo evincitur, quia sub pœna anathematis tenemur credere Ecclesiæ in omnibus, quæ nobis proponit credenda, & agenda. Matth, 18. *Quòd si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus, & publicanus:* Et Concilia itidem anathemate percutiunt detrectantes parere Ecclesiæ decretis: sed tam gravis pœna non esset commensa delicto, essetque supra meritum culpæ, proinde ratione excessus esset contra justitiam præscribentem juxta gravitatem culpæ esse pœnam infligendam, & culpa non esset tam gravis, quæ mereretur anathemate percuti, quia si Ecclesia posset errare in iis, quæ proponit credenda, qui illis non assentiretur; tantùm non assentiretur rebus dubiis, incertis, & interdum falsis; & non assentiri rebus dubiis non est delictum, quod mereatur anathemate feriri. Respondet Calvinus, ideo Christum jussisse, ut fideles audirent; quia sciebat Ecclesiam suam, & à Christo fundatam nihil docturam extra verbum Dei scriptum in lege veteri, & evangelica. Sed contra quia falsum supponitur, cùm dicitur Ecclesia non docere quidquam extra verbum scriptum. Plura enim docet Ecclesia suos fideles, quæ scripta non fuerunt, ut quod Christus dixerit *melius esse dare quàm accipere*, id enim nobis est traditum, non scriptum: docet Ecclesia epistolam ad Laudicenos non esse verbum Dei Joann. 2. & 3. apertè asserit se plura ad dicendum habere, quæ noluit scribere, sed ore tenus docere ait ipse: *Multa habens scribere nolui per chartam, & atramentum:* ergo Apostolus plura dixit, docuitque suos discipulos in Ecclesia, quæ non fuerunt scripta: & discipuli hæc eadem à Joanne accepta docuerunt Ecclesiam, ex quo liquet falsum esse Ecclesiam à Christo fundatam nil docere extra verbum scriptum, cùm certum sit Apostolum Joannem fuisse in vera JESU Christi Ecclesiâ, ut etiam ejus discipulos, qui tamen omnes docuerunt in Ecclesia quæ non fuerunt scripta. Ignatius etiam apud Eusebium lib. 3. hist. cap. 36. hortabatur omnes de Ecclesia inhærere tenaciùs traditionibus Apostolorum, quas tamen, ut refert Eusebius, cautelæ gratia postea scripsit, & asserit fuisse ab ipso relictas literis exaratas, seu scriptas, ex quo clarè constat non fuisse ab Apostolis scriptas: proinde Apostolos in Christi Ecclesia plura docuisse fideles, quæ scripta non erant.

Præterea ex eo quòd ecclesia sit sancta, sequitur non posse errare, quia si sancta, sanctè docet fideles, proinde, quæ vera sunt; alioquin si erraret, vel ignoranter vel scienter: si primum, Christo ut Capiti, ac rectori ecclesiæ tribueretur error, si esset dogma contra Fidem, ut superius ostendimus: si secundum, ergo ipsa non esset sancta, quia falsa scienter doceret fideles, quos deciperet: ex symbolo autem Apostolorum fatemur, & de fide credimus Ecclesiam esse sanctam edocti etiam à Principe Apostolorum 1. Pet. 2. ubi vocat fideles gentem sanctam inquiens: *Vos autem genus electum, gens sancta.* Dicitur Ecclesia sancta primò quia Deo consecrata, & dedicata; quâ ratione etiam in lege veteri quæ Deo dedicabantur, & offerebantur sancta dicebantur Exod. 13. *Omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur.* Gens etiam ipsa Judaica, quia divino cultui addicta ab Apostolo dicitur gens sancta ad Rom. 11. *Quòd si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami;* Quàm potiori jure Ecclesia Romana Catholica sancta est dicenda; cùm verò Deo serviat *in spiritu & veritate.* Secundò est sancta ratione Capitis Christi, qui est *sanctus sanctorum*, & cui fideles veluti membra suo Capiti conjungunt, adhærent; ad Ephes. 5. ait D. Paulus. *Qui se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata.* Tertiò dicitur sancta, eo quia ipsa sola habet legitimum cultum Sacrificii, & usum salutarem Sacramentorum, per quæ, veluti per divina instrumenta Deus suam nobis gratiam communicat. Ut autem ad præsens pertinet institutum. Quartò dicitur & est sancta ratione doctrinæ, quatenus nihil falsum unquam docuit, neque docebit, quia portæ inferi nunquam adversus eam erunt prævalituræ, dicaturque propterea Ecclesiæ Doctrina lex Domini immaculata convertens animas; & populos doceat quomodo per semitas justitiæ debeant ambulare, ne errent, deflectantque à rectitudine, à cultura virtutum.

Adstruunt hanc veritatem unanimi consensu sancti Patres quorum aliquot placet hîc attexere; ut Acatholici eorum assertis acquiescant, & non propriis fidant opinionibus, quibus miserè decipiuntur. Eusebius Cæsariensis lib. 1. de præparat. evang. cap. 3. ait: *Certum est, Salvatorem nostrum prædixisse doctrinam suam in testimonium omnium gentium per universum terrarum orbem prædicatum iri; & Ecclesiam, quæ postea virtute sua constituta est, invictam, atque inexpugnabilem fore: usque unquam futurum, ut à morte superaretur; sed firmam semper fore, semper & immobilem tanquam in lapide stabilitam atque fundatam.*

Chrysostomus serm. 29. qui est de Pentecoste. *Hic Sanguis Christi irrigat Ecclesiam; & ideo plantaria ejus marcescere non possunt, nec amittunt folia arbusta ejus. Non subjacet necessitati temporis, nec est conditioni obnoxia, ut per æstatem coma foliorum tegatur;*

hyeme

hyemet amittatur, Non tenetur temporum qualitate, sed spiritus eam sancti gubernat gratia; & ideo non senescit, nec contrahitur, & multis impugnantibus non opprimitur.

Ambrosius lib. 4. Ex amer. cap. 2. expendens illud Psal. 103. *Fecit lunam in tempora, & Sol cognovit occ sum suum* pulchrè ad rem nostram scribit. *Plerique hunc locum mysticè de Christo & Ecclesia videntur accipere, quod agnoverit Christus proprii Corporis passionem, qui ait: Pater venit hora, clarifica filium tuum, ut ille occasu suo omnibus donaret vitam æternam, qui perpetuæ mortis urgebantur occasu. Et Ecclesia tempora sua habeat persecutionis, & pacis. Nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit, obumbrari potest, deficere, errare non potest*: quia regitur à Christo, ejus Capite, movetur à Spiritu Sancto animante.

Hieronymus explicans verba Isaiæ cap. 4. *Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine & pluvia* ait: *Hunc locum Judæi ad Antichristum referunt, quem per turbinem, & tempestatem significari existimant: quando eos Dominus à potentissimo adversario defensurus sit. Nos autem omnia referamus ad primum Adventum Christi, de quo & in Psalmis legimus: Protexit me in abscondito tabernaculi sui, in petra exaltavit me, super quam fundata Ecclesia, nullâ tempestate concutitur, nullo turbine ventisque subvertitur.*

Augustinus in Psal. 47. expendens verba Davidis. *In Civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri*; seu in Ecclesiis Christi; ait: *Sed fortè ista civitas, quæ mundum tenuit aliquando evertetur? Absit, Deus fundavit eam in æternum: quid times ne cadat firmamentum.* Et lib. 1. contra Cresconium cap. 33. aia; *Scripturarum à nobis tenetur veritas, cùm id facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas, ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.*

Supersunt solvenda quæ ab Hæreticis solent in oppositum objici. Primò dicunt tempore Zepherini Papæ Ecclesiam saltem Romanam errâsse, eò quia Zephetinus approbaverit hæresim Montani, ut refert Tertullianus contra Praxeam post initium. Secundò objiciunt Liberium Papam, qui ut referunt Athanasius, & Hieronymus tædio pertæsus exilii Arianæ hæresi subscripsit. Tertiò Felicem II. quem Arianum vocat D. Hieronymus in Cathal. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Quartò Leonem I. qui Epist. 79. ad Nicet. excusat à culpa mulieres illas, quæ censentes proprios maritos in captivitate detentos non amplius reversuros aliis nupserunt; quinimò tametsi veri, eorumdem visi postea fuerint reversi, adhuc asseruit posse eam secundo marito manere, si primum noluerint. Quintò Gelasium Papam lib. contra Eutichem ubi docuit in Sacramento Eucharistiæ unà cum Corpore, & Sanguine Christi manere simul substantiam panis. Sextò Anastasium, qui communicavit cum Photino Diacono Thesalonicensi communicante cum Achatio Hæretico, ob quod crimen dicitur à Deo punitus. Septimò objiciunt Vigilium Papam, qui referente Liberato scripsit epistolam ad Theodorum Augustum, in qua confirmat hæresim Monothelitarum. Octavò Honorium I. qui ut Monothelita damnatus fuit in sexto Synodo. Nonò Gregorium III. qui concessit, ut possit vir aliam uxorem ducere, si propter aliquam infirmitatem non possit conjugale debitum reddere; & asserunt hoc idem fuisse etiam à Gregorio I. concessum Angliæ ad Fidem conversis. Decimò objiciunt Stephanum VI. & Sergium III. qui irritaverunt omnia acta Formosi prædecessoris, & Joannem IX. qui irritavit acta Stephani VI. & Sergii III. & approbavit acta Formosi. Undecimò objiciunt Cælestinum tertium, qui docuit Matrimonium altero conjuge in hæresim prolapso dissolvi, cùm tamen oppositum definitum sit in Tridentino Sess. 24. can. 5. Duodecimò objiciunt Joannem XXII. qui docuit animas Sanctorum ante diem Judicii non esse DEUM visuras in cœlesti patria cùm oppositum definitum fuerit in Concilio Florentino in decreto Eugenii IV. Hæc sunt principaliora quæ congerunt contra Romanam Ecclesiam, & ejus Pastorem.

Sed contra quia Romana Ecclesia potest dupliciter considerari. Primò pro illa sola Ecclesia particulari, quæ olim fuit Romæ, & nunc etiam perseverat Romæ, de cujus diœcesis sunt Romani qui in spiritualibus, ac sacris suscipiendis ordinibus dependent à Cardinali Vicario Pontificis pro illa tantùm particulari diœcesi. Secundò consideratur pro collectione omnium fidelium, qui toto terrarùm orbe sunt diffusi; & sicut olim post emissam professionem Fidei susceptumque Baptismum adhæserunt Romano Pontifici Pastori totius dominici gregis, ita etiam nunc eidem adhærent, & sub hac consideratione Ecclesia Romana dicitur Catholica, seu universalis, quia toto orbe diffusa; Pontificia quia Romano Pontifici subjecta; Romana à loco, ubi solet Pontifex degere, velut alii censent, à nobiliore parte sui, & quia Romæ passi fuerint Martyrium Principes Apostolorum Petrus, & Paulus; & plures alii fideles, quorum reliquiæ ibi asservantur; Apostolica eo quia Principem Apostolorum D. Petrum, & Doctorem gentium D. Paulum habuit Magistros, & incorruptam semper servavit, & etiam nunc servat doctrinam Apostolicam, quam propugnavit contra Imperatores persequentes, contra Hæreticos insurgentes: dicitur etiam Dominicus grex diffusus per totum orbem, cujus Pastor fuit olim à Christo electus, & constitutus S. Petrus, cùm ei dixit *Pasce oves meas*; adeo ut fuerit D. Petrus Vicarius Christi, Caput, Pastor, & Rector totius Ecclesiæ Catholicæ, cui cum pari potestate successerunt & etiam nunc succedunt Romani Pontifices canonicè electi. Ex eo autem quòd Romana Ecclesia sit universalis, & Catholica ipsa comprehendit, sibique subjicit reliquas omnes Ecclesias particulares diffusas per totum orbem, quarum propterea est Caput.

Idque expressè fatentur sancti Patres Athanasius epist. ad Marcum Papam ubi scribit: *Nunc ergo, quia præfata septuaginta Concilii capitula ab Arianis sunt igne combusta, optamus, ut à vestræ sanctæ Sedis Ecclesiæ authoritate, quæ est mater, & Caput omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem, & recreationem fidelium orthodoxorum percipere per præsentes legatos mereamur.* S. Cyrillus lib. 4. Epist. 8. ad Cornelium Papam ait: *Nos enim singulis navigantibus, ne cum scandalo navigarent, rationem reddidisse nos scimus, & hortatos esse, ut Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem agnoscerent, ac tenerent.* D. Bernardus Epist. 131. ad Mediolanenses ait: *Romana Ecclesia valde clemens est, sed nihilominus potens. Plenitudo siquidem potestatis super universi orbis Ecclesias singulari prærogativa Apostolicæ Sedi donata est.* Imò vel ipse Calvinus fassus est, hanc prærogativam fuisse Romanæ Ecclesiæ concessam lib. 4. Instit. cap. 7. §. 24. ait: *Fuerit sanè olim Roma omnium Ecclesiarum mater: verùm postquam Antichristi Sedes facta est, desiit esse quod erat.* Et quia membra suo debent capiti

adhæ-

adhærere; ita omnes particulares ecclesiæ diffusæ per totum orbem, ne errent, Romanæ debent adhærere Ecclesiæ quoad dogmata fidei, & credere, ac agere, quæ ipsa proponit credenda, & agenda. Ut docent sancti Patres Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 3. ubi assignans causam, cur potius describat successionem Episcoporum Ecclesiæ Romanæ, quam aliarum ecclesiarum particularium ait: *Ad hanc enim ecclesiam nuper potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenisse ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* D. Hieronymus ad Demetriadem cap. 9. scribit: *Illud te pio charitatis affectu præmonendum puto, ut sancti Innocentii, qui apostolicæ cathedræ successor est, teneas fidem: nec peregrinam, quamvis tibi prudens, callidaque videaris, doctrinam recipias.* Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum ait: *Negare non potes, scire te, in urbe Roma primam cathedram episcopalem Petro collatam esse, cum qua totus orbis in una communionis societate concordat.*

Rursus Pontifex potest itidem dupliciter considerari, ut est homo particularis, seu persona privata; & ut est persona publica, seu caput totius Catholicæ Ecclesiæ, & à Patribus tam Græcis quàm Latinis, dicitur *Christi Vicarius*, ut à D. Anselmo ad cap. 16. Matth. *Caput Ecclesiæ* à Hieronymo in Psal. 15. *Universalis ecclesiæ caput* Athanasius Epist. ad Marc.. *Caput fidelium, & Pastor dominici Gregis* Augustinus lib. quæst. veteris & novi testamenti quæst. 75. *Gubernator totius universalis ecclesiæ* D. Maximus, qui homil. 3. in Natali Apostolum Petri & Pauli ait: *Quanti igitur meriti apud Deum suum erat Petrus, ut ei post remigium naviculæ parvæ, totius ecclesiæ gubernacula traderentur.* Quæstio non procedit de Pontifice, ut est privata persona; certum enim est, Pontificem ut particularem hominem, & privatam personam perinde ac reliquos particulares homines, ac personas privatas esse erroribus obnoxium: Sed quæstio est de Pontifice, ut est persona publica, Christi Vicarius in militante ecclesia, Pastor totius dominici gregis, & ut docet ex cathedra: & in hoc sensu dicimus Romanum Pontificem, consequenter, & ecclesiam catholicam non posse errare in proponendis rebus fidei; quia Romanus Pontifex canonicè electus habet eandem authoritatem, quæ à Christo fuit collata D. Petro, qui fuit primus Pontifex institutus: sed authoritas D. Petri in proponendis rebus fidei fuit infallibilis ex promissione ei facta à Christo Luc. 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*: hæc autem promissio non fuit facta Petro ut privatæ personæ, sed ut capiti totius ecclesiæ, ut personæ publicæ, pastori totius dominici gregis, ut liquet ex illo Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam*, quibus verbis Christus non denotat personam, sed officium personæ publicæ, seu dignitatem Pontificis in D. Petro, & ejus successoribus, quam dignitatem ita Petrus accepit, ut futurus esset utilis toti ecclesiæ, ac officio fungeretur personæ publicæ; quia Christus indefinitè dixit Petro: *Pasce oves meas*, ergo si summo Pontifici inest eadem authoritas, quæ à Christo collata fuit D. Petro, sequitur Romanum Pontificem, ut pastorem totius dominici gregis docentem ex cathedra non posse errare in proponendis rebus fidei. Neque potest dici, Christum tantum rogâsse pro Petro, ne deficeret ejus fides, non verò pro illius successoribus, quia rogavit pro Petro, ut erat Pastor totius dominici gregis, ut erat petra seu dignitas, supra quam ædificavit Ecclesiam suam; & quia sine fundamento non stat ædificium; & ecclesia erat mansura usque ad consummationem sæculi, debuit etiam ejus fundamentum manere; quia dominicus grex manebit usque ad finem mundi, ita ejus Pastor; alioquin cùm Petrus brevi moriturus non bene consultum fuisset ædificio ecclesiæ, neque ovibus dominici gregis, quia mortuo Petro, mansisset ecclesiæ ædificium sine fundamento; & oves dominici gregis sine pastore; ergo Romano Pontifici, ut successori D. Petri ac pastori dominici gregis inest eadem authoritas, quæ fuit à Christo collata D. Petro, quæ cùm fuerit infallibilis, periculo errandi minimè obnoxia, eò quia Christus rogaverit, ne deficeret ejus fides, etiam Romanus Pontifex ut Pastor totius dominici gregis in proponendis rebus fidei ex cathedra est infallibilis, non obnoxius periculo errandi.

Ad Pontifices quod attinet, qui ab hæreticis supponuntur errâsse, Respondent communiter non esse certum, an Zepherinus approbaverit Montani errorem, plures enim gravissimi Doctores id negant, & solus Tertullianus hoc videtur asseruisse; unde non plus habet authoritatis assertio Tertulliani, quàm haberet alia privata persona. Præterea nullibi reperitur, Zepherinum proposuisse ecclesiæ universali errorem Montani, ut dogma fidei, proinde dato etiam & non concesso, quod erraverit, non tamen ut Pontifex, sed ut persona privata. Ad secundum de Liberio pariter respondent communiter Liberium ad excutiendum tædium posuisse quidem subscribere hæresin Arrianorum ut privatam personam, non ut Postorem Domini gregis, cùm nunquam hæresim Arrianorum proposuerit universali ecclesiæ ut dogma fidei; quod etiam ex metu subeundæ pœnæ dicitur præstitisse Marcellinus, cum falsis diis thus obtulit. Ad tertium aperte ostendit Bellarminus lib. 4. de Pontif. illum nunquam Arrianum fuisse, tametsi cum Arrianis communicaverit, eo tempore, quo adhuc in exilio vivente Liberio verus Pontifex non erat. Cùm primùm postea cæpit verus esse Pontifex, non solùm à communione Arrianorum abstinuit, verùm & Constantium Imperatorem, ut hæreticum condemnavit, ut probat Bellarminus loc. cit. Ad quartum Leonem in cit. epist. tantùm asseruisse, potuisse eam mulierem alteri nubere ex suppositione, quòd existimaverit priorem maritum obiisse, redeunte tamen priore marito, expressè ait teneri mulierem ei, ut proprio marito, adhærere. Ad quintum ostendit Bellarminus librum illum non fuisse Gelasii, sed Gennadii, qui talem librum direxit ad Gelasium Papam. Ad sextum Anastasium communicâsse cum Photino hæretico, ut privatam personam; non quòd ut Pontifex, & persona publica proposuerit docens ex cathedra talem errorem credendum ut dogma fidei, nullibi id legitur, à nullo hoc asseritur. Ad septimum Vigilium scripsisse quidem illam epistolam ad Theodoram Augustam ut privatam personam, non ut Pontificem, ac Pastorem universi dominici gregis, quia nunquam eam proposuit docens & cathedram credendam ut dogma fidei, id nullus unquam asseruit. Deinde respondent alii eam scripsisse ut Antipapam operâ Belizarii vim inferentis & ex mandato Imperatoris excellentia à sede apostolica Sylverium verum Pontificem. Ad octavum probat nervosè Bellarminus loc. cit. Honorium primum non consensisse in errorem Monothelitarum, neque unquam eum proposuisse ecclesiæ, ut credendum de fide; unde dato etiam & non concesso quod erraverit,

rit, non tamen ut Pontifex docens ex cathedra, sed ad summum ut privata persona. Ad nonum, Engenium III. non concessisse propter quamcunque infirmitatem posse virum uxorem suam dimittere, sed tantùm ob illam infirmitatem, quæ constituit conjugem impotentem ad reddendum debitum. Et Gregorium I. tantùm concessisse Anglis ut in quarto gradu consanguinitatis conversi ad fidem non separarentur, & in hoc potuit Pontifex dispensare. Ad decimum probat Bellarminus Stephanum VI. & Sergium III. errâsse, non in quæstione juris, sed facti, de quo dubium non est posse Pontificem errare. Ad undecimum respondent controversistæ Cœlestinum III. ut Pontificem & pastorem universi Domini gregis nihil docuisse ex cathedra, nihil proposuisse toti Ecclesiæ nec decrevisse, sed tantùm ut privatum doctorem suam protulisse sententiam, ut in privatis colloquiis plerumque Pontifices faciunt, non quòd tunc velint docere ex cathedra. Ad duodecimum pariter respondent communiter Joannem XXII. tantùm ut privatam personam censuisse animas Sanctorum ante resurrectionem non esse visuras intuitivè divinam essentiam, ut liquet ex Extravag. quæ incipit Benedictus Deus. Constat igitur neque ecclesiam Romanam, neque Pontifices canonicè electos & docentes ex cathedra unquam errâsse; proinde stat, non posse Ecclesiam Romanam Catholicam errare, neque deficere.

Suppetias adhuc Sectarii pro sua propugnanda sententia petunt à testamento veteri, cùm ex novo causâ ceciderint. Dicunt primò, tempore Michææ Prophetæ omnes, quotquot erant CCCC. excepto Michæa erraruut, ut constat ex lib. 3. Reg. 22. proinde etiam ecclesia illius temporis erravit; quia prophetæ illi, qui errarunt, cum suis asseclis constituebant ecclesiam; solus enim Michæas non sufficiebat ad custodiendam ecclesiam, quia hic cœtus plurium fidelium, & unus tantùm fidelis non constituit numerum pluralem. Secundò, ecclesiam universam errâsse fatetur Isaias Propheta Isa. 56. *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi.* Tertiò quia in passione Christi summus Sacerdos cum omnibus sacerdotibus, & senioribus populi Marc. 14. condemnaverunt Christum Innocentissimum, ac eorum benefactorem esse dignum mortis; & totus populus seductus à Sacerdotibus clamavit, *crucifige, crucifige eum*, Marc. 15. Quartò quia tempore passionis Christi Domini omnes Apostoli fugerunt se avertentes ab eorum magistro Christo, Petrus eum negavit, & reliqui Apostoli amiserunt fidem Marc. ult. *Exprobavit incredulitatem eorum, & duritiem cordis*, & Matth. 26. Redarguens magister Christus errorem discipulorum ait: *Omnes vos scandalum patiemini in me.* Hinc Alexander de Alef. 3. part. quæst. ult. art. 2. Joannes de Turrecremata lib. 1. de Eccles. c. 30. censent in passione Domini non mansisse veram fidem, nisi in sola Virgine Maria Christi matre; idque edisserunt significari per illam candelam, quæ sola accensa conservatur in triduo ante Pascha in matutinis precibus seu nocturno officio.

Verùm prætecensita non evincunt totam ecclesiam errâsse. Ad primum respondent Controversistæ cum Bellarmino lib. 3. de eccles. milit. cap. 17. illos quadringentos Prophetas non fuisse veras Prophetas, sed Pseudo-Prophetas, adeò ut id non lateret ipsum Achabum eos consulentem cùm lib. 3. Reg. cap. 22. Rex Josaphat interrogans, num esset hic aliquis Propheta Domini, respondit Achab. non esse, nisi unum ipsi adversum, eò quia non nisi malum ei prædiceret: dixit Josaphat: *Non est hic aliquis Propheta Domini, per quem interrogemus Dominum*, cui respondit Achab: *remansit unus, sed ego audivi eum, quia non prophetat mihi nisi malum.* Præterea illi Pseudoprophetæ fuerunt tantùm in Samaria, & Judæi persistentes in veteri lege adhuc diffusi erant per totam Judæam, & præsertim congregati Jerosolymæ, ubi degebant Sacerdotes, quibus ex officio incumbebat respondere ad consulta, quæ petebantur circa legem Domini. Ad secundum petitum ex Isaia respondetur Prophetam figuratè fuisse locutum, ac sumpsisse totum pro parte, cùm enim speculatores, qui ibi dicuntur, cœci fuerint plures, nescientes quid agerent, Propheta exaggerativè, & quodammodo hyperbolicè dixit: Ejus speculatores cæcos omnes, & universos nescivisse. Ad tertium respondetur Sacerdotes illos, & Pontifices non fuisse totam ecclesiam, cùm plures alii fuerint Judæi Jeresolymæ, & per totam Judæam. Præterea Christo præsente, & docente error Sacerdotum non obfuit ecclesiæ, quæ post mortem Christi debuit in lege evangelica constitui, & cum morte Christi etiam mori sacerdotium veteris legis, quod Propheta Jeremia prævidit dicens cap. 18. *Peribit lex à Sacerdote, verbum à Propheta, consilium à sapiente.* Quòd verò populus Judaicus clamaverit crucifige, crucifige eum, respondetur non omnes Judæos ita clamâsse, sed tantùm qui aderant, plures enim alii non erant in illo tribunali, sed vel domi, vel in foro, vel plateis Hierosolymæ, & extra illam civitatem per totam Judæam diffusi erant Judæi: unde ex eo, quòd aliqui erraverint, non sequitur ecclesiam totam errâsse. Ad Apostolos quod attinet, respondet Bellarminus loc. cit. id temporis nondum fuisse Episcopos consecratos, sed tantùm designatos, & partes materiales ecclesiæ, quæ errori sunt obnoxiæ: neque in ipsis solis continebatur ecclesia Christi, cujus statua cum obligatione suscipiendi baptismum incæpit tantùm die Pentecostes, quando absolutis omnibus mysteriis nostræ redemptionis cœperunt Apostoli in Jerusalem publicè promulgare fidem Christi, & baptismum: hinc tametsi Apostoli tempore passionis Christi errâssent, inde non sequeretur ecclesiam totam errâsse circa fidem. Cæterum non videtur probabile Apostolos amisisse eo tempore fidem JESU Christi: nam quod D. Petrus timore correptus dixisset se non novisse hominem, inde non sequitur, amisisse fidem in Christum, & non censuisse vere, quæ ab ejus Magistro audierat. Et quamvis fuerint reprehensi, id tantùm fuit de fide resurrectionis, quam non habuerunt, nisi postquam Dominus resurrexit, quamvis enim Christus se resurrecturum dixisset Apostolis, hi tamen arbitrati sunt eum tunc loqui figuratè, proinde non intellexerunt, non crediderunt, cùm enim Christus Luc. 18. dixisset: *Occident eum, & tertia die resurget, subdit Lucas & ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab iis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* Petrus etiam & Joannes cùm primùm audierunt à Magdalena sublatum fuisse corpus Domini de monumento, statim cucurrerunt ad ipsum, & cùm vidissent linteamina, & sudarium, putârunt ejus corpus fuisse ab aliquo sublatum: siquidem Joan. 20. *Nondum sciebant Scripturas, quia oportebat eum à mortuis resurgere.* Eatenus existimârunt corpus Christi ab aliquo sublatum, quia non sciebant eum debuisse à mortuis resurgere. Tum quia cùm Christus dixisset Petro Luc. 22. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, non videtur probabile Petrum eadem nocte fuisse incredulum, & fidem Magistri perdidisse.

Neque obstat, quòd Marci ult. Christus exprobraverit incredulitatem Discipulorum : nam Christus non exprobravit Discipulos eò quia fidem perdiderint, quam habuerant, sed quia tardi fuerunt ad credendum, quod nondum crediderant, quod propriè non fuit peccatum infidelitatis, ut notat Bellarm. loc. cit. Ad aliud Matth. 26. *Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista*, respondetur, inde non deduci infidelitatem discipulorum, sed timorem quo correpti aufugerunt non dubitando de fide, sed timendo tormentum, & pœnam ex occasione Dominicæ passionis, unde fuit fuga ex timore orta, non ex infidelitate. Quod addebatur de Beata Virgine, quæ sola fidem integram servavit in die passionis Dominicæ ob exemplum candelæ, quæ in triduo ante pascha in officio nocturno sola conservatur accensa, respondetur per talem candelam non significari ob ecclesiâ Beatissimam Virginem, neque per lumen illud fidem perseverantem in sola Virgine die passionis Christi Domini, nam Rupertus lib. 5. de divin. offic. cap. 26. refert: Moris in ecclesia fuisse suo tempore, ut etiam ultima candela extingueretur, & addit cap. 28. Moris itidem fuisse in triduo illo, ut extinctis omnibus luminibus iterum ex lapide, & calybe scintillæ ex percussu lapide elicerentur, & novus ignis accenderetur. Unde satiùs respondetur per omnia illa lumina, quæ in fine cujuslibet Psalmi paulatim solent extingui, significari Prophetas, qui diversis temporibus fuerunt à Judæis interempti, qui propterea occisis Prophetis cæcitatis tenebras accersiverunt cæcutientes & ipsi; & per ultimam candelam significari Christum, quem occidentes sibi densissimas tenebras accersiverunt: & per novum lumen ex scintillis excussis à percusso lapide accensum significari novum lumen Ecclesiæ Christianæ: seu lumen Evangelii, quod à Christo, qui lapis est angularis, & petra à Judæis percussa emanavit. Sin verò omisso antiquo in ecclesia ritu velimus hodiernæ consuetudini stare Abulensis quæst. 14. Prolog. in Matth. respondet apud Bellarminum loc. cit. per ultimam candelam significari Beatam Virginem; in qua sola piè creditur fuisse in illo triduo fidem explicitam resurrectionis: sed inde non sequitur Apostolos omnes erràsse, vel prolapsos fuisse in infidelitatem, quia adhuc non tenebantur credere explicitè resurrectionem nisi post legitimam ejus promulgationem, præsertim cùm Discipuli, qui aberant à Jerosolyma, & nihil de Christo audierunt, non potuerunt hoc infideles dici.

CAPUT XXII.

De Ecclesia, quæ à Sectariis præsumitur reformata.

Disservimus in præcedentibus de Ecclesia Romana Catholica, cujus proprietates, & notas, seu veros charecteres, quibus cognoscitur esse vera ecclesia à JESU Christo in terris instituta, & fundata expendimus. Quia verò Hæretici nostro tempore se jactant reformâsse ecclesiam JEsu Christi, ac esse ipsos in vera ecclesia reformata, & in ea consequi æternam salutem: discutiendum breviter est, num ecclesia Hæreticorum sit ecclesia Jesu Christi ab ipsis, ut ajunt, reformata.

Dicendum est, Ecclesiam Lutheranorum, Calvinistarum, Anabaptistarum, Zvvinglianorum, & aliorum extra ecclesiam Romanam non esse institutam à JEsu Christo, proinde non esse sectarios in vera ecclesia, nec posse salutem consequi.

Probatur quia ecclesia à JEsu Christo instituta, & fundata in terris, ut evicimus in præcedentibus, habet suas notas, seu proprietates, & characteres, quibus cognoscitur: est enim visibilia, est una tantùm sancta, Catholica, & Apostolica, quæ non potest deficere, nec errare quoad dogmata fidei & regulam morum, atqui ecclesia Sectariorum non habet has notas, consequenter non est ecclesia à Jesu Christo in terris instituta, & fundata, tametsi ab ipsis vocetur, & præsumatur reformata. Quòd non sit visibilia, fatentur ipsi docentes ecclesiam esse tantùm in aliquibus viris piis, quibus inest Spiritus sanctus: pietas autem, & Spiritus Sanctus non sunt res visibiles, consequenter ecclesia quæ ab Hæreticis præsumitur reformata, non est vera ecclesia JESU Christi in terris.

Quòd neque sit una, ex eo liquet, quia Hæretici præsumentes esse in ecclesia reformata dissentiunt inter se in dogmatibus fidei, Lutherani enim & Calvinistæ dissentiunt, quia illi docent, & credunt in manducatione Eucharistiæ sumere verum corpus & sanguinem Christi realiter & non tantùm figurativè, tametsi errent, eò quia credant sumere etiam veram substantiam panis, & vini, secus Calvinistæ docent in illa mandocatione non sumi verum corpus & sanguinem Christi realiter sed tantùm figurativè: sumi autem, & non sumi verum, & reale corpus, & sanguinem Christi sunt contradictoria dissentientia, consequenter Lutherani, & Calvinistæ non conveniunt, sed extremè dissentiunt, & ita de aliis eorundem dogmatibus, & aliis Sectis, quæ inter se distinguuntur per diversa dogmata circa fidem, quæ docent: etenim Matthias Hoe minister Lutheranus in quodam libello, quem Lipsiæ edidit septendecim recenset articulos, in quibus Lutherani dissentiunt à Calvinistis, & sunt de verbo Dei, de ipso Deo, de persona Christi, de Spiritu Sancto, de officio Christi, de peccato, de libero arbitrio, de lege, de evangelio, de justificatione, de fide justificante, de ministro verbi, de pœnitentia, & contritione, de sacramentis in genere, de baptismo, de cœna Domini, de prædestinatione. Et hæc omnia recensita ostendit, & confirmat præfatus Hoe ex ipsis Calvinistarum verbis. Rursus dissentiunt in canone scripturæ: Calvinistæ enim in suo canone ponunt epistolam ad Hebræos, epistolam Jacobi, & Judæ una cum Apocalipsi Joannis, quæ omnia excluduntur à Lutheranis, eò quia Lutherus asserat epistolam ad Hebræos in pluribus contrariam esse doctrinæ Apostolorum, & Evangelistarum: epistolam Jacobi *stramineam* vocat, epistolam Judæ non fuisse scriptam ab Apostolo, sed ab aliquo alio post tempora Apostolorum: Apocalipsin etiam rejicit dicens non esse librum Apostolicum, nec Propheticum: hinc Lutherani, & Calvinistæ, & ita dicendum de aliis Sectariis, novos habent canones, quos tamen ex Patribus, & antiquis scriptoribus probare non possunt, consequenter diversas instituunt ecclesias omnino dissentientes, & contradictoria docentes, & cum ecclesia à Christo instituta, & fundata in terris, sit una tantùm, eorum ecclesiæ dici nequeunt ecclesia Christi reformata, sed potiùs ecclesia dilacerata, & deturpata. Rursus dissentiunt in ritibus sacramentorum: Lutherani

enim in administratione baptismi adhibent exorcismum, & plures alias cæremonias quæ apud Catholicos sunt in usu, quæ tamen a Calvinistis rejiciuntur, ut superstitiosæ, & habentur derisui. Ut verba Calvini adferam ait ipse lib. 4. Instit. cap. 15. §. 19. *Quod ad externum symbolum pertinet, utinam genuina Christi Institutio valuisset, quantum par erat, ad cohibendam hominum audaciam. Quasi enim res esset contemptibilis ex Christi præcepto aqua baptizari; inventa est benedictio, vel potiùs incantatio, quæ veram consecrationem pollueret. Additus postea cereus cum chrismate: exsufflatio verò januam ad baptismum aperire visa est. Etsi autem me non latet, quam vetustæ sit adventitiæ hujus farraginis origo, respuere tamen mihi, & piis omnibus fas est, quidquid ad Christi institutionem addere ausi sunt homines &c.* quia igitur Lutherani, & Calvinistæ, ut & reliqui Sectarii multipliciter dissentiunt quoad dogmata fidei, sequitur evidenter non posse esse membra unius ecclesiæ, sed diversæ, quo argumento cùm convincantur Lutherani, detrectant societatem admittere cum Calvinistis, quos ut Hæreticos execrantur, quamvis Calvinistæ fingant se fratres Lutheranorum, dicantque eandem cum illis religionem amplecti uno excepto dogmate de cæna Domini, quo ab ipsis dissentiunt. Constat igitur Ecclesiam Lutheranorum, & Calvinistarum non esse unam, sed plures, & diversas, neque Lutheranos, & Calvinistas esse membra unius duntaxat ecclesiæ, cùm dissentiant in fide, in canone scripturæ, & in ritibus sacramentorum, proinde eorum ecclesias non esse unam ecclesiam institutam à JEsu Christo in terris, & præsumptam ab ipsis reformatam.

Quòd si ecclesia Sectariorum esset vera ecclesia fundata à Christo, ab ipsis reformata, utique esset sancta, atqui ecclesiæ sectariorum non sunt sanctæ, quia ea ecclesia non est sancta, quæ tradit doctrinam repugnantem sanctitati: & ecclesia ab Hæreticis præsumpta reformata tradit doctrinam adversantem sanctitati: siquidem ecclesia, quæ præsumitur reformata à Calvinistis, docet DEUM esse Authorem peccati, nec ullum peccatum patrari ab hominibus, nisi DEO instigante, & impellente. Rursus præcepta decalogi esse servatu impossibilia, neque ab ullo quantumvis justo servari hactenus potuisse, neque servari posse. Deinde bona opera, nullius esse valoris, & meriti apud Deum: imò ait Calvinus nihil aliud esse nisi sordes, inquinamenta, & meram iniquitatem. Et ut alia plura reticeam falsa dogmata sanctitati, & scripturis repugnantia, ait Calvinus prædestinatos necessariò salvari, quidquid boni, vel mali egerint, & reprobos necessariò damnari: quæ omnis procul dubio repugnant sanctitati; & etiam exhibent liberiùs peccandi. Nam credens DEUM instigare, & impellere ad peccatum censet tenerí ipsi obtemperare, ac consequenter assentiri pravis suggestionibus, ac tentationibus, & peccatis. Credens præcepta, & Decalogum observatu esse impossibilia, putat frustra posse cavere à fornicationibus, adulteriis, furtis, & homicidiis, qui arbitratur bona opera nullius esse valoris coram DEO, negligit bene agere, imò adhærens sententiæ Calvini, quod nihil aliud sint quam sordes & inquinamenta, in id potiùs incumbit studii, ut à bonis operibus abstineat, ne inquinetur. Demum credens prædestinatos necessario salvari, & reprobos damnatum iri credit esse æternam gloriam consecuturum, tametsi suis indulgeat cupiditatibus, & nullum sit pratum, quod non pertranseat ejus luxuria, quomodo ergo ecclesia hæc omnia docens erit dicenda sanctitati addicta, & vera JESU Christi Ecclesia ab ipsis hæreticis reformata. Hinc vel ipse Lutherus Calvini dogmata fuit detestatus in Concion. 2. Domin. 1. Adventus. in postilla domestica germ. edita ait ipse; *Mundus ex hac doctrina quotidie redditur deterior. Jam homines singuli septenis Diabolis obsidentur, cùm antea tantùm unico obsessi fuissent. Diabolus jam catervatim in homines ingreditur, ut nunc in tam splendida evangelii luce sint avariores, callidiores, injustiores, crudeliores, protervioresquàm priùs in papatu fuerunt:* ergo ecclesia, quæ ab Hæreticis præsumitur reformata, non est sancta, consequenter neque à JEsu Christo instituta.

Neque Ecclesia ab Hæreticis præsumpta reformata dici potest Catholica; quia Ecclesia Romana ex triplici titulo dicitur Catholica. Primò quia toto orbe est diffusa. Secundò ratione temporis, quia erit duratura ad finem mundi. Tertiò ratione gentium, quia nulla gens extra illam potest æternam consequi salutem, & quotquot salvantur, debent illam ingredi per Baptismum, & in ea detineri per Fidem integram: Ecclesia autem quæ ab Hæreticis præsumitur reformata, nulla ex his modis est universalis; consequenter nequit esse, nec dici Catholica: non enim Ecclesia Calvinistarum, vel Lutheranorum est toto orbe diffusa, cùm Hæretici Lutherani, non sint in Asia, Africa, Indiis, imò neque in America, Hispania, Lusitania, Italia, in quibus locis non permittuntur Calvinistæ, neque Lutherani. Non enim ministri Calvinistæ, vel Lutherani mittuntur in exteras Provincias, Asiæ, Africæ, Americæ, cùm vix de una Provincia Germaniæ mittuntur in aliam, sed manent domi ut olim Donatistæ, quapropter non sunt afflati Spiritu Sancto, quo olim erant Apostoli, qui accipientes Spiritum Sanctum proficiscebantur in mundum universum prædicantes Evangelium omni creaturæ: secus Catholici æque Religiosi, ac Presbyteri seculares mittuntur per mundum universum propagare Evangelium, & Christi Religionem. nequa ullum regnum est, vel provincia, adeò dissita, & barbara, ad quam non penetraverint, & etiam num penetrent Catholici promulgatores Evangelii. Respondet ad hæc ministros Lutheranos, & Calvinistas legitimè impediri & excusari, si ut Catholici in exteras non proficiscantur regiones evangelii propagandi causa, eò quia ipsi sint uxorati, & Sacerdotes Catholici sint cœlibes, omninò liberi à domesticis curis, à vinculo matrimonii, ab obligatione nutriendæ uxoris, & educandi filios. Sed si Catholici liberè se abstinent ab uxoribus, si cœlibem profitentur vitam virtutis amore, cur ministri Lutherani liberè non respuunt vinculum matrimonii, cur statum vitæ cœlibis non præferunt matrimonio: vel tametsi sint uxorati, cur ex earum consensu non sequuntur consilium Christi in Evangelio, *Omnis qui reliquerit domum, aut uxorem, aut filios propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Cur non imitantur Apostolos, qui relictis uxoribus, & omnibus per mundum universum profecti sunt propagandi Evangelii causa? Neque Ecclesia, quæ ab Hæreticis præsumitur reformata, dici potest Catholica ratione temporis, quia ut ait Christus Matth. 12. 22. *Omne regnum divisum contra se desolabitur:* Et Ecclesia quæ præsumitur reformata, est contra se divisa, cùm alia sint dogmata, quæ docet Lutherus, alia quæ Calvinus, & alia quæ alii. Neque Ecclesia præsumpta reformata fuit, antequam nascerentur Lutherus, & Calvinus, cùm tamen semper extiterit Ecclesia Catholica instituta, & fundata à Christo in terris, & in qua

qua semper servata fuit indemnis, & incorrupta doctrina Apostolica, ut in præcedentibus evicimus, unde neque ratione temporis præteriti, neque futuri Ecclesia quæ præsumitur reformata dici potest Catholicá. Neque est talis ratione gentium, quæ sint æternam salutem consecuturæ, quia Ecclesia reformata suum tantùm habuit initium tempore Lutheri, & Calvini: seu post mille quadringentos, & alios plures annos post institutam à Christo, & fundatam in terris Ecclesiam Catholicam; & Apostolicam; & cùm antequam nascerentur Lutherus, & Calvinus plures fuerint sanctitate insignes cœlestem beatitudinem consecuti, sequitur extra Ecclesiam ab Hæreticis præsumptam reformatam plures fuisse æternam consecutos salutem: secus Lutherani, & calvinistæ non possunt assignare ullum, qui in Ecclesia ab ipsis præsumpta reformatâ fuerit æternam salutem consecutus; & si aliquem assignent, id nonnisi temerè, & absque ullo fundamento asserere possunt; ut nec etiam ullum qui miracula patraverit, è quibus ejus sanctitas persuadeatur.

Neque Ecclesia præsumpta reformata dici potest Apostolica: quia Christi Ecclesia ex quadruplici causa dicitur Apostolica. Primò quia suum ab Apostolis initium duxit. Secundò quia ab Apostolis per totum orbem fuit propagata. Tertiò quia est juxta verum sensum Apostolorum. Quartò quia retinet successionem Episcoporum ab ipsis Apostolis derivatam, & nunquam interruptam: Hæ autem causæ non possunt Sectariorum præsumptæ reformatæ accommodari: ergo neque potest eidem convenire nomenclatio apostolicæ: etenim Ecclesia, quæ præsumitur reformata, suum ab Apostolis non duxit initium, sed tantùm à Discipulis Lutherani, & Calvini, qui hanc instituerunt Ecclesiam ab ipsis præsumptam reformatam, proinde non fuit propagata ab Apostolis. Quòd neque sit juxta sensum, & mentem Apostolorum, ex eo liquet, quia Apostoli docent sacram Scripturam esse plerisque in locis captu difficilem 2. Petr 13. ṽ. 14. *Propter quod satagite immaculati, & inviolati inveniri in pace: & Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini: Sicut & charissimus frater noster Paulus scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant; sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Lutherus verò contrarium docet: etenim in præfatione assertionis omnium articulorum à Leone I. damnatorum ait: *Scriptura ipsa per se est certissima, facillima, apertissima, sui ipsius interpres.* Rursus Apostoli nullibi docuerunt Deum incitare quenquam ad peccatum, sed neminem tentare, neque provocare ad malè agendum Jacob. 13. *Nemo cùm tentatur, dicat; quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat:* Et Calvinus appositum suos edocuit discipulos lib. 1. Instit. cap. 18. §. 2. ait: *Unde apparet certâ destinatione Dei fuisse impulsos*; loquitur de Assyriis, quos ait à Deo fuisse impulsos ad flagitia militaria: Et cit. loc. §. 4. ait: *Homo justus Dei impulsu agit quod sibi non licet*; quod perinde est, ac hominem justum Dei impulsu peccare. Præterea Apostoli nos edocent homini inesse liberum arbitrium; ut liberè matrimonium inire, hanc, vel illam puellam uxorem ducere; vitam cœlibem servare. 1. Corinth. 7. 36. *Quod vult faciat; non peccat si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo servare virginem suam benè facit.* Lutherus verò & Calvinus unanimi consensu contrarium docent; scilicet in nulla actione inesse homini liberum arbitrium, sed à solo Deo, tum ad bene, tum ad male operandum impelli: ait enim Lutherus in assert. art. 36. *Liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re; quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali aut boni, sed omnia sub Deo sunt, contra quem nihil possumus: quod & Poeta voluit, quando dixit certa stant omnia lege.* Calvinus itidem lib. 2. Instit. cap. 23. §. 6. & 8. Duo ponit principia, cum quibus libertas arbitrii cohærere non potest; primum est quia docet omnia, quæ in hoc mundo contingunt, fieri Deo ita volente, & ordinante; Secundùm voluntatem Dei esse ipsam rerum necessitatem; ex quibus principiis infert voluntatem hominis agere ex necessitate; & hominem necessitari ad opera tam bona, quàm mala. Rursus docent Apostoli Deum optare, ac sincerè non voluntate fucata velle, ut omnes homines salvi fiant 1. Timoth. 2. 1 *Obsecro primùm omnium fieri orationes pro omnibus hominibus. Hoc enim acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Contrarium docet Calvinus lib. 3. Inst. cap. 21. §. 1. ubi docet ex voluntate Dei præscitos damnari, & prædestinatos salvari ait Calvinus: *Palam est, Dei nutu fieri, ut aliis ultro offeratur salus: aliis ab ejus aditu arceantur.* Apostoli nobis suadent bona opera 2. Petri 1. 10. *Quapropter fratres magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Secus Calvinus & Lutherus damnant bona opera, quin imo Lutherus docet hominem justum bene operando peccare; ait in assert. artic. 32. *In omni opere bono justus peccat:* Et Calvinus lib. 2. Instit. c. 12. §. 4. ait: *Omnia hominum opera nihil sunt, nisi inquinamenta, & sordes.* Apostoli docent Fidem sine operibus mortuam esse Jacob. 2. 2. *Vis autem scire ô homo inanis, quoniam Fides sine operibus mortua est.* Sed Lutherus docet Fidem sine operibus vivam esse, & operari salutem lib. de captiv. Babyl. cap. de Baptismo ita loquitur: *Vides quàm dives sit homo Christianus sive baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere: nulla enim peccata possunt eum damnare nisi sola incredulitas.* Et lib. de libertate christiana post initium ait Lutherus: *Anima sola fide, & nullis operibus justificatur.* Calvinus etiam lib. 3. Instit. cap. 4. §. 18. ait: *Fidelium peccata venialia sunt, non quia mortem non merentur; sed quia non imputantur.* Ex quo sequitur fideles posse salutem consequi, quamvis lethaliter peccent, & in peccatis absque debita præmissa pœnitentia, & retractatione, seu resipiscentiâ decedant. Docent Apostoli præcepta Decalogi non esse servatu impossibilia; D. Paulus ad Philip. 4. 13. *Omnia possum in eo qui me confortat.* 1. Joan. 5. 3. *Hæc est Charitas Dei, ut mandata ejus custodiantur: & mandata ejus gravia non sunt:* Sed Calvinus docet esse observatu impossibilia lib. 2. Instit. cap. 7. *Sit extra controversiam, impossibile esse in hac carne legis implementum.* Lutherus in confutatione rationis latomiani ait: *Tot Scripturæ testimonia probant mandatum esse impossibile nobis, ut nihil manifestius.* Docent Apostoli peccata tolli per lavacrum Baptismi Act. 2. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESU Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.* Oppositum docet Calvinus lib. 4. Instit. cap. 15. §. 10. ubi ait: *Jam perspicuum est, quàm falsum sit per Baptismum salvari nos, & eximi à peccato originali.* Docent Apostoli, Christum Dominum post mortem descendisse ad inferos; quod confirmat S. Petrus ex illo vaticinio Regii Prophetæ: *Non derelinques animam meam in inferno.*

Cal-

Calvinistæ negant hunc dissensum; & verba Davidis interpretantur: *Non derelinques cadaver meum in inferno*: Ita Beza in comment. illius Psalmi. Docent Apostoli esse admittendum non solùm verbum scriptum; sed etiam traditum; seu Scripturas sacras, & traditiones ab Apostolis in Ecclesia derivatas 2. ad Thessal. 2. 14. *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem sive per epistolam nostram*: Sed Calvinus & Lutherus contenti solo verbo scripto, quod interpretantur prout ipsis magis placet: Traditiones asserunt non esse admittendas: ait Lutherus contra Regem Angliæ: *Quidquid ultra verbum Dei producitur: Hoc nostri sit arbitrii damnare.* Ergo si Ecclesia quæ præsumitur reformata à Luthero, Calvino, & aliis Sectariis, tantùm abest ut doceant doctrinam Apostolicam, ut oppositum semper doceant, ac doctrinam quam Apostoli docuerunt Ecclesiam Jesu Christi, omninò excludant ab Ecclesia præsumpta ab ipsis reformata; quomodo hanc suam Ecclesiam vocare possunt Apostolicam? & si non est Ecclesia una, nec sancta; sequitur evidenter non esse Ecclesiam à JESU Christo institutam, & fundatam, eo quia caret notis, proprietatibus, ac characteribus quibus Ecclesia JESU Christi cognoscitur à fidelibus.

CAPUT XXIII.

Ostenditur, Ecclesiam quæ à Sectariis præsumitur reformata, carere aliis notis veræ Ecclesiæ.

CUm in præcedentibus ostenderimus veram JESU Christi Ecclesiam Catholicam & Apostolicam esse Sponsam Christi, ostendendum est, hanc nomenclationem, & prærogativam non convenire Ecclesiæ, quæ à Sectariis præsumitur reformata: quia illa Ecclesia non est Sponsa Christi, quæ non est una, sancta, Catholica, & Apostolica: & in præcedenti capite evicimus Sectariorum Ecclesiam non esse unam, nec sanctam, nec Apostolicam: proinde sequitur nec esse Sponsam Christi. Respondent Acatholici Ecclesiam Romanam Pontificiam tantùm primis quingentis annis fuisse veram, ac legitimam Christi Sponsam; sed postea cœpisse paulatim prostitui, & corrumpi, & in deterius semper fuisse prolapsam, ut tandem tempore Lutheri, & Calvini adultera deprehensa fuerit, & à Christo repudiata; & in ejus locum successivè Ecclesia reformata venerit. Sed quàm falsa, quàm absurda sint hæc, ex eo facilè evincitur; quia inde sequeretur; quòd Christus post illos quingentos annos usque ad tempus Calvini, & Lutheri; seu per mille annos caruisset suâ Sponsâ, & loco Sponsæ habuisset adulteram; & quod ex hac adultera nati fuissent Lutherus, & Calvinus, qui propterea spurii essent, non legitimi Ecclesiæ Christianæ filii; & Ecclesia hæc reformata esset eorum noverca, non mater. Præterea falsa essent, quæ de indissolubili conjunctione Christi cum Ecclesia prædixerunt Prophetæ, & Apostoli; nullum posset discrimen assignari inter Ecclesiam, & Synagogam, quia utraque ob adulterium fuisset repudiata: cùm tamen Ecclesia casta, & fidelis suo semper adhæreat Sponso 2. Corinth. 11. *Despondi vos uni viro Virginem castam exhibere Christo*. Et ad Ephes. 5: *Viri diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam*: Si semper eam dilexit, ergo ut castam, non ut adulteram, & Apostolus loquens de matrimonio ait: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & Ecclesia*. Hanc autem conjunctionem Sponsi Christi cum sua Sponsa Ecclesia prædixerat Deus per suam Prophetam Oseam Oseæ 2. *Desponsabo eam mihi in sempiternum in justitia, & judicio, in misericordia, & miserationibus, & in Fide*. Siquidem Filius æterni Patris exivit à Patre, venit in mundum, nostram assumpsit ex Mariâ Virgine ope Spiritûs Sancti humanitatem, ut Ecclesiam sibi in Sponsam copularet ab æterno electam, in tempore collectam ex omni tribu, & lingua & natione. Hinc Augustinus serm. 12. de tempore loquens de Christo, & ejus Sponsa, ait: *Hic est speciosus formâ præ filiis hominum, sancta Filius Mariæ, sancta Sponsus Ecclesiæ, quam similem suæ genitrici reddidit; nam & nobis eam Matrem fecit, & Virginem sibi custodivit. Ad hanc quippe dicit Apostolus, optavi vos uni viro Virginem castam exhibere Christo. De qua rursus dicit: Matrem nostram; non ancillam, sed liberam, cujusmodi filii deserti magis, quàm ejus, quæ habet virum. Est ergo Ecclesia, sicut Mariæ perpetua Virginitas, & incorrupta fœcunditas.* Et Serm. 119. de tempore ait: *Virgo est Ecclesia, & parit. Dicturus es mihi fortè: Si Virgo est, quomodo parit filios? Respondeo: & Virgo est, & parit. Mariam imitatur, quæ Christum Dominum peperit. Nunquid non Virgo sancta Maria; & peperit, & Virgo permansit? sic & Ecclesia & parit, & Virgo est.* Est Ecclesia Mater omnium fidelium, qui in ipsa continentur, quos parturit cœlo; & simul Virgo est, & casta, ac incorrupta, non quidem per solos quingentos annos, quos enumerant Lutherus, & Calvinus, sed perpetuò, adeò ut in utroque similis sit Mariæ Dei Genitrici, quæ perpetuò Virgo fuit ante vel post partum: quamobrem sicut hæreticos infectos damnavit Ecclesia asserentes Mariam Dei genitricem non semper mansisse Virginem: ita habendi sunt Hæretici asserentes Ecclesiam non semper mansisse Virginem: est igitur Ecclesia Christi Sponsa Virgo, & incorrupta, quia nunquam defecit à Fide Jesu Christi, nunquam erravit in doctrina Apostolica, quam intemeratam semper custodivit, & custodiet, & est itidem Mater, quia nos per Baptismum gignit spiritualiter.

Hinc Ecclesia Romana Catholica, & Apostolica vel maximè diligenda est ab omnibus fidelibus quia si parentes, à quibus carnaliter geniti fuimus, colere, & amare tenemur, multò magis Ecclesiam Matrem Christi Sponsam, quæ nos in spiritu gignit, non in vitam morti obnoxiam, sed gratia præservandam à morte æterna in vitæ spem immortalis, nosque suo sinu fovet corpore, & sanguine sui Sponsi, seu Christi Domini alit, potat, viresque suppeditat, quibus per incrementa virtutum properemus ad cœlestem patriam: Hæc est illa Mater simul & Magistra, quæ semitas virtutum nos edocet, verbo Dei instruit, lapsos erigit, & devios ad viam revocat salutis, hinc Salomon Proverb. 1. *Audi fili mi, disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ*, nos hortatur ad observantiam præceptorum ecclesiæ non timore pœnæ, sed amore justitiæ. Hunc in Matrem ecclesiam amorem testari debet quilibet fidelis, & ejus dictis, ac præceptis, judiciisque acquiescere; Ipsa enim, nonnisi quæ nobis prosunt ad

salutem præcipit, nonnisi nostrum intendit emolumentum, ac propterea illam audire, & ejus voci, ac præceptis acquiescere jubet Christus, *qui in Cathedra unitatis* ut ait D. Augustinus epist. 105. *doctrinam posuit charitatis.* Signa autem nostri amoris in tam beneficam matrem sunt, si illius malis, & calamitatibus compatiamur, si illius incrementis, & prosperitate lætemur, si preces fundamus, ut Deus eam pacificare, custodire, & adunare toto terrarum orbe velit: si talenta nobis à Deo impertita in ejus utilitatem impendamus, nostros sudores in ejus commodum fundamus, si plures exantlemus labores ad ejus promovendam propagationem: si ad conservandam ejus tranquillitatem, quidquid nobis superest virium conferamus, si corruptos mores pharmaco fraternæ correctionis corrigamus: & si nos ipsos in virtutum exercitio urgeamus, ne simus paleæ in area vineæ dominicæ, sed frumentum; ne vasa simus in contumeliam in domo cœlestis sponsi, sed in honorem; ne in corpore Christi simus corrupti humores, vitiata membra, sed sana, viventia, & capiti connexa per fidem vivam. Neque ii dicuntur ecclesiam diligere, qui ab ejus fide dissentiunt, ut expendit Augustinus in Psal. 54. inquiens: *Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi, quoniam in multis erant mecum* (inquit Propheta) *Baptismum habebamus utrique, in eo erant mecum, Evangelium utrique legebamus, erant in eo mecum: festa Martyrum celebrabamus, erant ibi mecum: Paschæ solemnitatem frequentabamus, erant ibi mecum: sed non omnino mecum. In schismate non mecum: In hæresi non mecum: sed in his paucis, in quibus non mecum, non eis prosunt multa, in quibus mecum. In omnibus sacramentis mecum, in una charitate non mecum. Vel inter multos erant mecum.* Etenim per totum terrarum orbem pauca sunt grana, multæ sunt paleæ; Quid ergo ait? *In palea mecum erant*, in tritico non mecum *erant. Et propinquat palea tritico, de uno semine exit, in uno agro radicatur, una pluvia nutritur, eundem messorem patitur, eandem triturationem sustinet, eandem ventilationem expectat, non in unum horreum intrat.*

Rursus Ecclesia, quæ à Sectariis præsumitur reformata, non est domus Dei, consequenter neque vera ecclesia a Jesu Christo in terris instituta, & fundata, quia hæc est domus Dei, quatenus peculiari modo Deus eam inhabitat per specialem assistentiam, & gubernationem, & tota Trinitas eam regit, gubernat, & munit, Pater per miracula, Filius per sacramenta, & Spiritus Sanctus per dona gratiæ, adeo ut ex triplici hoc capite possit etiam cognosci, quænam in terris sit vera Christi Ecclesia, & quæ spuria: ex miraculis id facilè dignoscitur, in ecclesia enim vera Jesu Christi miracula solent fieri & quidem in duplici genere: alia ad ostendendam, & illustrandam alicujus fidelis pientissimi, & qui excelluit in cultura virtutum sanctitatem, & quædam in confirmationem fidei, vel promissionis Dei, vel doctrinæ, quam profitemur: primi generis sunt, pleraque miracula, quæ fuerunt patrata in veteri lege, ut in Elisæo, ad cujus contactum ossium mortuus suscitatus est, & in lege evangelica plura hujus generis miracula producuntur, & enarrantur à D. Augustino lib. 22. de civit. Dei cap. 8. Miracula posterioris generis frequentiora sunt in utroque testamento veteri, & novo: in veteri Sara sterilis, & nonagenaria filium peperit ex Abrahamo extrema confecto senecta, Noë cum familia sua commune evasit naufragium; Rubus in vertice Orebi montis citra combustionis læsionem arsit, flammis circumseptus est splendidus, coram Pharaone virga Moysis prodigiosa metamorphosi in serpentem versa est; & aquas Ægypti in sanguinem: mare rubrum indicto divortio sinu scidit alveum suum, aperuit, & marini fluctus in aëre suspensi exsiccatam semitam proficiscenti populo extra submersionis periculum adoptavit. Manna aëre serenato de cœlo pluit, quo propriis indigentiis ad famem propulsandam populus consuleret: morsi à serpentibus pharmacum repererunt in solo aspectu ænei serpentis. Duo Aaronis filii igne de cœlo in terram demisso combusti fuerunt: & Core Dathan, & Abiron vivi à terra absorpti, & ad inferos missi. Sol ad imperium Josuæ stetit, ut victus in pugna caderet Amorhæus. Elias à Deo impetravit, ne tribus annis & dimidio plueret; per aliquot dies à corvo pastus fuit; puerum mortuum excitavit; quinquagenarios Principes cœlesti igne in cineres redegit, aquas Jordanis pallio divisit, & per turbinem in cœlum raptus fuit. Neque minora patravit miracula ejus discipulus Helisæus, qui aquas corruptas & infectas purificavit in Jericho: cùm ob prolata convitia quadraginta duobus pueris maledixisset; statim ab ursis discerpti, ac devorati fuerunt: modico oleo multiplicato plura opplevit vasa: mulieri Sunamitidi filium hæredem impetravit, & eundem ob solis æstum exsiccatum, & mortuum pristinæ restituit vitæ: paucis panum frustulis centum viros, qui præ fame ad necem trahebantur, exsaturavit: ac plures superfuerunt reliquiæ; Naamanum Principem seu Præfectum exercitus Regis Syriæ à lepra mundavit: famulo suo Gezi futura prædixit, & quæ in absentia contigêre, aperuit; ferrum super aquam citra periculum mersionis natare jussit: occultas insidias Regis Syriæ manifestavit Regi Israël, ut sibi caveret: hospes immissa cæcitate prostravit; & plura alia leguntur in veteri testamento ejusdem generis miracula. In novo etiam nota sunt omnibus Christi miracula, quibus ex quinque panibus, & duobus piscibus quinque millia hominum in deserto saturavit, ad vitam mortuos quatriduanos, & jam ex putore contactu fœtentes revocavit, & alios plures jam mortuos pristinæ restituit vitæ; paraliticis dedit sanitatem, cæcis à nativitate visum, claudis gressum, & alia plura effecit miracula, quæ ab Evangelistis narrantur. Apostoli itidem plura patrâsse miracula legimus in eorum actis. & post Apostolos per singulas ætates à viris piis, & cultura virtutum claris plura fuerunt miracula patrata, quæ narrantur ab Eusebio lib. 5. Histor. cap. 5. Orosio lib. 7. hist. cap. 15. Basilio lib. de Spirit. Sanct. cap. 29. Hieronymo lib. de vir. illustr. Augustino lib. 22. de civit. Dei. cap. 8. Ut & Gregorius in dialog. Beda in histor. Angl. Baronius in annal. ecclesiast. & alii passim in vita sanctorum: & moris est in ecclesia; ut nullus quamvis omnibus insignitus virtutibus, & cum opinione sanctitatis mortuus solemni apotheosi declaretur sanctus, ut fideles per totum orbem ei cultum exhibeant, nisi priùs per plura patrata miracula Deus ejus sanctitatem probatam velit in terris: & quemadmodum per singulas ætates fuerunt viri in ecclesia, qui cum opinione sanctitatis decesserunt, postea sancti declarati, nulli est dubium, quia in Ecclesia Romana Catholica, & Apostolica plura quovis tempore fiant miracula à Deo in comprobationem sanctitatis fidelium, qui sincero amore ei inserviunt, & cultura virtutum splendent sanctitate. Secus in ecclesia, quæ à Lutheranis, & Calvinistis præsumitur reformata, non patrantur similia miracula, cùm scripserit Erasmus in Diatribe de libero arbit. *Nullum*

eorum

terum adhuc extitisse, qui vel equum claudum sanare valuerit. Legimus quidem tentâsse Lutherum interdum ab obsesso ejicere dæmonium, sed frustra imperavit, nec diabolus ei obtemperavit, rem hanc narrat Fridericus Staphylus in absoluta responsione contra Jacobum Schmidelinum inquiens: Possum ego redigere mihi in memoriam anno 1545. dæmoniacam quandam puellam è Misniæ ditione adductam Wittebergam ad Lutherum ea spe, ut Lutherus veluti tertius Elias puellam istam à malo dæmone esset liberaturus; & quamvis Lutherus ad hoc admirandum & magni momenti opus initio non parum difficilem se ostenderet; tandem jussit puellam duci in sacrarium ecclesiæ parochianæ Wittebergensis, illic coram aliis plerisque doctoribus, & eruditis viris (inter quos ego tunc quoque juvenis magister aderam) dæmonem cœpit adjutare, & exorcizare: sed id tamen more suo, non eo qui apud Catholicos receptus, & usitatus est. Cùm autem ille diu multumque convocâsset dæmonem, cedere ille noluit, sed eas in angustias (sit venia verbo) Lutheri caligas redegit, ut is quàm primùm è sacrario se proripere vellet. At quid accidit? malignus ille dæmon usque adeo fores sacrarii obstruxerat, ut neque forinsecus, neque intrinsecus aperiri possent: Quæ res Lutherum in majores etiam angustias adduxit, ita ut jam ad fenestram properaret sperans se per eam posse effugere, atque exilire. Verùm obstabant illi cancelli ferrei, sicque compulsus est unà nobiscum tamdiu inclusus hærere, donec per cancellos ferreos ab edituo nobis oblata esset securis, mihique ceu juniori viro tradita, ut ea fores infringerem. Quod equidem tunc conatus sum, & ad effectum perduxi. Interea verò visu admirandum erat, ut Lutherus angoribus correptus sursum, deorsum cursitare atque instar ovis parturientis huc, illucque se inverteret, hactenus Staphylus. Cùm igitur vera miracula, quæ esse talia verè probentur, non fiant in ecclesia, quæ præsumitur reformata, infertur Christum eam non cognoscere pro sua ecclesia, cùm eam non approbet ut legitimam, per vera & probata miracula, sicut approbat, ut suam Ecclesiam Romanam Catholicam, & Apostolicam.

Præterea vera Ecclesia à Christo in terris instituta, & fundata cognosci etiam solet ex numero, & administratione sacramentorum, quæ à Christo fuerunt instituta. In Ecclesia enim Romana Catholica, & Apostolica septem enumeramus sacramenta à Christo instituta, quæ fidelibus administrantur; quæ per traditionem accepimus ab antiquis Patribus, ut narrat D. Augustinus, qui de baptismo, & Eucharistia scribens ad Januarium ait epist. 118. cap. 1. *Christus sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis societatem populi novi colligavit: sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus: communicatio corporis, & sanguinis ipsius, & si quid aliud in canonicis Scripturis commendatur.* Sacramenti confirmationis meminit lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. inquiens: *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut & ipse baptismus.* Sacramenti ordinis lib. 2. contra epistol. Parmeniani cap. 13. inquiens: *Utrumque sacramentum seu baptismus, & ordo quadam consecratione utrumque homini datur; illud cùm baptizatur; istud cùm ordinatur; ideoque in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterare.* Sacramenti Pœnitentiæ meminit lib. 1. de adulter. conjug. cap. 26. & 28. inquiens: *Eadem est causa baptismi, & reconciliationis, sine quibus sacramentis homines credunt se non debere exire de corpore.* Per reconciliationem Augustinus intelligit sacramentum Pœnitentiæ, quo resipiscens Deo reconciliatur Sacramenti matrimonii lib. 1. de nupt. & concupiscent. cap. 10. inquiens: *Hujus sacramenti res est, ut mas, & fœmina connubio copulati, quamdiu vivunt inseperabiliter perseverent.* Et tandem Extremæ Unctionis serm. 115. de tempore, ubi ait: *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus, & sanguinem Christi, ille, qui ægrotat, accipiat, & inde corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est, impleatur in eo; infirmatur aliquis? inducat Presbyteres, & orent super eum ungentes eum oleo.* Ecce quomodo D. Augustinus recenseat septem Sacramenta, quæ in Ecclesia Romana à Christo instituta ministrantur fidelibus. Secus Lutherani, & Calvinistæ, in sua Ecclesia, quam præsumunt reformatam, plura rejiciunt sacramenta, & duo tantùm retinent, baptismum, & eucharistiam: quinimò si baptismum solùm excipias, nullum in Ecclesia præsumpta reformata est sacramentum, siquidem Eucharistiam Calvinistæ non admittunt ut continentem verum & reale corpus Christi, & ejus sanguinem, sed tantùm utriusque figuram; & Lutherani extra manducationem negant præsentiam corporis Christi in Eucharistia: neque in Ecclesia præsumpta reformata habetur legitima consecratio, essentialiter requisita ad conficiendum hoc sacramentum, defectu ministrorum, qui apud ipsos non sunt legitimè consecrati; legitimi ministri sacramentorum præsertim Eucharistiæ nonnisi in Ecclesia Romana Catholica instituuntur.

Solet etiam dignosci vera JESU Christi Ecclesia in terris instituta, & fundata ex donis gratiæ, quæ à Spiritu Sancto conferuntur, quæ tametsi plurima sint, ad tria possunt capita reduci, scilicet ad donum pacis, concordiæ, & unionis; quæ dona in Ecclesia Romana Catholica deprehenduntur data Act. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una:* quia donum pacis, concordiæ, & unionis, fuit à Sancto Spiritu eis impertitum, & D. Paulus ad Ephes. 4. 3. *Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Secundum donum est continentiæ, & virginitatis, Matth. 19. 11. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum:* scilicet non gladio ferreo, sed continentiæ professione, quatenus abstinent à nuptiis, & cœlibem profitentur statum sejunctum à societate mulierum. Et D. Paulus 1. Corinth. 7. hanc continentiam adhortatus ait: *Volo omnes vos esse, sicut me ipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo.* Tertium donum est voluntariæ paupertatis, & abdicationis divitiarum, rerumque omnium, quæ pluris in mundo fiunt Matth. 19. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me:* hæc autem dona, quæ reperiuntur in Ecclesia Romana Catholica, penitus exulant ab Ecclesia, quæ à Lutheranis, & Calvinistis præsumitur reformata, non enim in ea deprehenditur donum pacis, & unionis, cùm inter ipsos semper sint dissensiones circa fidei dogmata, in quibus non concordant, nec possunt convenire, neque inter ipsos frequentiùs auditur quàm *perturbarentur conscientia nostra, si vobis assentiremur:* Et Lutherani semper detrectarunt cum Calvinistis convenire, & habiti semper ab ipsis fuerunt, ut hæretici execrandi, ac declinandi, fugiendi. Neque

hæc

hæc dissentio tantùm est inter Lutheranos & Calvinistas: sed etiam Calvinistæ, quamvis ejusdem sectæ, inter se dissentiunt. Alia siquidem dogmata credunt, & docent Arminiani; alia Gommaristæ, alia Vortiani, alia Anglicani, & alia Venatoriani; neque dissentio est de rebus levioris momenti, sed de præcipuis nostræ fidei articulis, ut de Infinitate, & immeritate Dei, de Christi divinitate, de prædestinatione, Gratia, Libero Arbitrio, de Authore peccati, & aliis hujus generis, adeout fuerit, qui dixerit tot esse Ecclesias Calvinistarum, quot inter ipsos capita. Respondent ipsi etiam inter Catholicos esse hæc dissidia, ut inter Thomistas, Scotistas, Nominales, & alios, licèt omnes sint ejusdem religionis Catholicæ: ergo non mirum, si Calvinistæ inter se dissentiant. Sed contra, quia Catholici quoad fidei articulos, doctrinam Apostolicam, & quæ de fide à summo Pastore docente ex cathedra, omnes conveniunt; & totum dissidium tantùm est vel circa modum explicandi fidei dogma, ut de fide credamus Dæmonea torqueri ab igne in gehenna; sed in explicando, quomodo torqueantur, non conveniunt, alii docent per alligationem ad ignem, alii per qualitatem fœdativam. Alii per detentionem in igne, veluti in carcere, unde variantur modi explicandi; non variatur fidei dogma. Vel dissentiunt tantùm in quibusdam subtilitatibus extra fidei dogma. Præterea etiamsi Catholici dissentirent non tamen sunt pertinaces, sed acquiescunt Pontifici Romano docenti ex cathedra, vel decretis concilii generalis. Etiam ab initio ecclesiæ, tempore Apostolorum orta fuit dissentio de circumcisione, & lege Mosaica; sed statim indicto Hierosolimis Concilio lis fuit decisa, dissentio cessavit: & si qua fuit alia dissentio in ecclesia suborta die paschatis, de libris canonicis, de baptismo ab hæreticis collato; vel de gratia, libero hominis arbitrio, de legis divinæ observantia, deque sacramentorum numero, fuit controversia statim ab ecclesia decisa vel per concilia generalia unà cum capite; vel ab ipso summo Pontifice docente ex cathedra, à quo sine concilio fuerunt ut falsæ damnatæ plures propositiones Michaelis Bai, Jansenii, & aliorum: & inde pax non fuit in ecclesia turbata, sed tranquillitas conservata: hinc D. Augustinus lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 18. ait: *Restat ut hoc de Baptismo piè credamus, quod universa ecclesia à sacrilegio schismatis remota custodit. In qua tamen si aliud alii adhuc de isto quæstione salva pace sentirent, donec universali concilio unum aliquid eliquatum sincerumque placuisset, humana infirmitatis errorem cooperiret charitas unitatis, sicut scriptum est: quia charitas cooperit multitudinem peccatorum.* Secus hæretici si semel erraverint, pertinaces persistunt, senescunt, moriuntur in suo errore, nisi ope divinæ gratiæ illuminati, & adicti recipiscant ad meliorem frugem conversi: quia destituuntur summo Pontifice, cujus sententiæ acquiescant; neque comitia ab ipsis congregata hactenus valuerunt eorum lites dirimere, dissentiones sopire, nec opinionum varietates concordare, animosque reconciliare; & nisi ad fidem Catholicam, à qua exciderunt, fuerint conversi, nunquam erunt pacem, & unionem experturi.

Donum aliud quod in Ecclesia Catholica solet Spiritus Sanctus, si non omnibus, saltem pluribus, impertiri est illud perpetuæ continentiæ per emissum castitatis votum, quo à vinculo matrimonii soluti, à curis domesticis liberi commodius Deo inserviunt, expeditiùs culturæ vacant virtutum: quia ut ait D. Paulus 1. ad Corinth. 7, 7. *Volo vos omnes esse, sicut me ipsum*, id est cœlibes, solutos à vinculo matrimonii, & continentes, & adfert causam subdens. *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ domini sunt quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Hac de causa fuerunt semper in ecclesia, qui perpetuam servarent continentiam etiam à tempore Apostolorum, ex quibus tametsi aliqui fuerint uxorati, antequam à Christo vocarentur ad apostolatum; vocati tamen abstinuerunt ab usu matrimonii, & continentiæ studiosi perpetuam postea servârunt castitatem, ut etiam Apostolorum Discipuli, & qui constituti fuerunt in ordine ecclesiastico, & clericati, ut etiam Anacoritæ, Eremitæ, Monachi, & omnes in ecclesia sacri religiosorum ordines, in quibus omnes utriusque sexus emittunt solemne votum castitatis, & vivunt continentes, & de quibus prædixerat Joan. Apocal. 14, 4. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt.* Hoc autem continentiæ donum non reperitur in ecclesia, quæ ab Acatholicis præsumitur reformata, nulli in illa Sacri Religiosorum ordines, in quibus homines servent castitatem, profiteantur continentiam, imò etiam ipsi ecclesiæ ministri, qui populum docent evangelium, explicant scripturas contra concilia Christi, & Apostolorum, uxores ducunt, cum mulieribus se coinquinant: Non solliciti sunt quomodo placeant Deo; sed quomodo satisfaciant uxoribus, in quibus præcipuam ponunt felicitatem; de quibus scripsit Erasmus in epistola ad Patres inferioris Germaniæ. *Quis non jure miretur, hos novos evangelistas non posse vivere sine uxoribus!* undenam tanta carnis rebellio, tantus concupiscentiæ æstus, tanta luxuriæ indulgentia in se jactantibus non alio spiritu agi quàm Christi? Respondent sectatores teneri ministros evangelii uxores ducere; eò quia Deus Genes. 1, 28. dicat: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*; docuit enim Lutherus hoc esse præceptum divinum ait ipse lib. de vita conjugali. *Hoc non est præceptum, sed plus quam præceptum, quod non possumus impedire, vel prætermittere: sed proinde necessarium est, quàm edere, & bibere, expuere, purgare, & evigilare. Sicut in meu manu non est ut sim mas; ita minimè situm est in me, ut sim sine muliere:* & postea subdit: *quod si non vult uxor veniat ancilla.* Quid turpius? quid inhonestius? ac incontinentius? sub mundi initium voluit Deus ut homines multiplicarentur; non tamen quòd omnes quovis tempore deberent uxores ducere; & virtutem abigere castitatis: debent homines quovis tempore uxores ducere, ut humanum conservetur; sed ad id non est necesse, ut omnes sint uxorati; sed sufficit, si uxores ducant, qui non habent donum continentiæ, ut docet Apostolus Paulus: si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quàm uri; habentes verò donum continentiæ non tenentur uxores ducere, sed possunt juxta Christi, & Apostoli consilium servare continentiam. Si dicant ministros ecclesiæ præsumptæ reformatæ carere hoc continentiæ dono, ut & reliqui de tali ecclesia, qui omnes propterea consultius uxores ducunt; ergo inde evidenter sequitur in ecclesia præsumpta reformata non dari donum continentiæ, proinde Spiritum Sanctum in ea non habitare per sua dona, sicut habitat in ecclesia catholica. Quòd si dicant plures habere donum hoc continentiæ; cur ergo illo non utuntur, cur non abstinent ab usu fœminarum? præsertim ministri, qui evangelium interpretantur, explicant, & docent populum. Cur Christi, & Apostoli consilio non obediunt?

Caret etiam ecclesia, quæ ab Catholicis præsumitur

sumitur reformata, alio dono Spiritus Sancti, seu dono evangelicæ paupertatis, quo dono excelluisse, Christum certum est cum Matth. 8. 20. dicatur: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Apostolos itidem hoc dono præditos fuisse, ex eo deprehenditur, quia Petrus Matth. 19. 27. ait: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Reliqui etiam fideles hoc donum possederunt; cùm divenderent possessiones, & earum precium ante pedes Apostolorum deponerent, ut divideretur, prout singulis opus erat Actor 2. 45. *Possessiones, & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout uniquè opus erat.* Hoc idem donum etiamnum possident in Ecclesia Catholica sacri religiosorum ordines, & ipsi religiosi, qui relictis omnibus, quæ possidebant, in communi vivunt. Secus ab ecclesia, quæ præsumitur reformata, hoc donum evangelicæ paupertatis omnino exulat: hæretici siquidem, licet ministri, & prædicantes, cùm uxores duxerunt, filios genuerint, divitiis inhiant, in quibus congregandis omne adhibent studium, semper solliciti de congerendis pecuniis, quibus commodum proprium, & uxorum, ac totius prolis promoveant; ut observavit Erasmus in Epistola ad Wilbaldum inquiens: Duo tantum quærunt novi evangelici, censum, & uxorem; cætera præstat illis Evangelium, hoc est potestatem vivendi, prout ipsis magis libuerit.

CAPUT XXIV.

Ecclesia quæ à Sectariis præsumitur reformata, non est columna veritatis, dissentit à doctrina Apostolorum, & Patrum, & plura docet contradictoria.

EX eo, quod Ecclesia præsumpta reformata de facto erret in dogmatibus fidei, dissentiatque à doctrina Apostolorum, & à vera Jesu Christi Ecclesia instituta, & fundata in terris, sequitur tantùm abesse, quòd sit columna veritatis, ut potius ejusdem veritatis sit dissipatrix. Illa enim Ecclesia non est columna veritatis, quæ à veritate potest dissentire: sed Ecclesia, quæ præsumitur reformata, pluribus est erroribus obnoxia, imò & infecta; & quidem esse erroribus obnoxiam, non diffitentur Sectarii asserentes, totam Christi Ecclesiam posse errare; & Ecclesiam Pontificiam, quæ ab initio tempore Apostolorum; & primis quinque sæculis fuit vera Christi Ecclesia, de facto errasse: volunt enim Ecclesiam Pontificiam seu Romanam non subito, & ab initio statim, sed sensim defecisse à fide, & ex casta, & pudica factam fuisse adulteram, licet ejus errores latuerunt Christianos, ac prorsus occulti fuerint, donec post decem sæcula à Luthero, & Calvino detecti, tandem ipsi Christi Ecclesiam reformaverint, errores & superstitiones abegerint, & à Zizanio expurgaverint: atqui Ecclesia hæc ab ipsis præsumpta reformata est vera, ut ipsi putant, Christi Ecclesia: ergo est erroribus obnoxia, & potest deficere; sicut asserunt veram Christi Ecclesiam post primos quingentos annos sensim, latenter, & occultè errasse, ac defecisse à fide Christianis illius temporis minimè advertentibus: cùm enim Ecclesiam præsumptam reformatam dicant veram esse Christi Ecclesiam, necesse est, fateantur esse erroribus obnoxiam, ac posse deficere, cùm id affirment de vera Christi Ecclesia, quæ fuit primis quinque annis post Christi natalitium: si igitur Ecclesia, quæ præsumitur reformata, est erroribus obnoxia, & potest deficere, jam non est columna veritatis, quia de ratione columnæ est stare, non cadere, fulcire, non deficere: proinde neque esse potest vera Christi Ecclesia, quia hæc juxta Apostolum, est columna, & firmamentum veritatis. Præterea si vera Christi Ecclesia potest latenter errare, ac occultè deficere, quomodo Sectarii possunt certi esse, quòd latenter eorum Ecclesia non erret, & occultè non defecerit? ergo velint, nolint, necesse est, fateantur, nihil saltem certi habere ipsos de sua Ecclesia, & fide. Si Ecclesia Romana tametsi per quinque prima sæcula fuerit sequuta verbum scriptum, imò & etiam traditum, adhuc in sententia hæreticorum potuit errare, & de facto etiam erravit saltem occultè: etiam Ecclesia, quæ præsumitur reformata, quamvis sequatur verbum scriptum, poterit errare, ac latenter, & occultè deserere verbum DEI scriptum, cui se jactat inniti, tametsi Sectarii id non advertant, ut contigit Catholicis in eorum opinione post quingentos primos annos. Quòd si ipsis non advertentibus jam occultè erraverit, & latenter Ecclesia præsumpta reformata jam defecerit, quomodo possunt certi esse de illorum fide?

Quòd si respondeant Ecclesiam reformatam sequi verbum scriptum, & ipsos Sectarios certos esse, quod non erraverit, nec erret, etiam Catholici respondent, Ecclesiam Catholicam sequi verbum DEI, & quidem verum, & purum non corruptum, neque perversè interpretatum: modò quis hanc controversiam dirimet? quis litem decidet? quis Judex erit infallibilis, si utraque Ecclesia Catholica & præsumpta reformata est erroribus obnoxia, & potest deficere? Si dicant, ipsum judicem infallibilem esse ipsummet verbum DEI; contra est, quia ipsum verbum DEI scriptum asserit, Ecclesiam esse columnam veritatis, contra quam portæ inferi nunquam erunt prævalituræ; sed Catholici hoc fatentur, hoc credunt: ergo sententia judicis est in favorem Catholicorum. Sectarii enim docent, Ecclesiam à Christo fundatam non esse columnam veritatis, eò quia post quingentos primos annos occultè erraverit, & latenter defecerit. Si dicant, hunc Judicem esse Ecclesiam ergo contra se judicant, quia sententia Ecclesiæ non est verbum DEI scriptum, sed explicatio verbi scripti DEI. Deinde cùm deberent assignare judicem infallibilem, assignant Ecclesiam, quam dicunt esse erroribus obnoxiam; quod si tota Ecclesia potest errare, quanto magis singuli de Ecclesia seorsim? Scio ab aliquibus eorum duas assignari Ecclesias, unam visibilem permixtam ex bonis & malis; invisibilem aliam comprehendentem solos prædestinatos; & asserere illam esse erroribus obnoxiam, non istam: sed contra hæc responsio contradictoria includit; quia si Ecclesia visibilis comprehendit bonos, & malos;

malos; & boni sint prædestinati, & mali reprobi, sequitur, prædestinatos contineri in Ecclesia visibili; proinde si in eorum sententia tota Ecclesia visibilis potest errare, ac deficere; etiam prædestinati possunt errare; & quia isti dicuntur constituere Ecclesiam invisibilem; hæc per ipsos esset, & non esset erroribus obnoxia. Prædestinatos esse in Ecclesia visibili, ex eo evincitur facile: quia quotquot æternam consequuntur salutem, sunt membra Ecclesiæ visibilis, extra quam nemo salvatur; & cùm omnes prædestinati salventur, debent contineri in Ecclesia visibili, quæ propterea, esset, & non esset erroribus obnoxia.

Præterea consideremus Ecclesiam Romanam Catholicam post primos illos quingentos annos, quando in falsa Sectariorum opinione dicitur sensim cœpisse deficere, ac latenter; & occultè erràsse; & tempore Lutheri & Calvini fuerunt errores detecti, & Ecclesia ab iisdem reformata, seu ab erroribus expurgata. Vel eo tempore tota Ecclesia visibilis erravit in fide, antequam nascerentur Lutherus, & Calvinus: vel non erravit; si dicatur hoc secundum, ergo non indiguit expurgari erroribus, neque debuit reformari: si dicatur primum, ergo omnes, & singuli, qui in ipsa continebantur, etiam errarunt: sed inter istos, erant etiam prædestinati, qui dicuntur constituere Ecclesiam invisibilem; ergo hæc etiam erravit: ecce quomodo sibi iterum contradicunt. Deinde vel tota Ecclesia, quæ ab ipsis præsumitur reformata, & cujus sunt membra Lutherani, & Calvinistæ potest errare in fide latenter, & occultè, seu ipsis non advertentibus: vel non: si dicant hoc secundum, quomodo possunt probare Catholicam Ecclesiam ante Lutherum, & Calvinum erràsse, cum ipsa dicatur ab Apostolo columna, & firmamentum veritatis? si potest occultè, & latenter errare; quomodo scire possunt, quòd de facto nun erraverit, ac defecerit à veritate? ergo necesse est, ut sint incerti, ad dubii de sua fide. Idque præsertim, quia Ecclesia hæc reformata à Sectariis dissentit in doctrina ab antiquis Patribus, qui floruerunt in ipso exordio Ecclesiæ post Apostolos, imo & ab ipsis sacris scripturis, quas distorquent in sensus improprios & falsos, ut fatetur Princeps Apostolorum 2. Petri 3. 16. *Depravant scripturas ad suam ipsorum perditionem.*

Calvinus lib. 2. Inst. cap. 3. §. 20. docet, non esse in potestate liberi arbitrii resistere divinæ gratiæ inquiens de divina gratia: *Voluntatem movet, non qualiter multis seculis traditum est, & creditum, ut nostra postea sit electionis, motioni obtemperare aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo*, quod adversatur Scripturis Actor. 7. 51. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*, si voluntas resistit gratiæ, ergo hæc non necessitat voluntatem, non cogit liberum arbitrium; sed relinquit in sua libertate, ut possit, si velit, assentiri, vel dissentiri. Hinc Josuæ 24 15. *Servite Domino, sin autem malum vobis videtur, ut Domino serviatis, optio vobis datur, eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis.* Eccles. 15. 17. & 18. ait DEUS homini libero. *Apposui tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi*: quia Calvinus hunc scripturæ textum cognovit, opponi sue gratiæ efficaci, cui docet, non posse à voluntate resisti: respondet, verba hæc Ecclesiastici esse intelligenda de solo primo homine, ejusque statu naturæ integræ, non de homine in statu naturæ lapsæ, & corruptæ. Docuit Calvinus adjutorium gratiæ permittentis humanæ voluntati libertatem ad utrumlibet, limitatum fuisse in solo statu naturæ integræ; sed contrarium ex contextu clarè apparet, verba sunt absoluta, absque ulla restitutione, alioquin si liceret ita interpretari scripturas, nil certi ex iisdem haberemus. Rursus docet Calvinus lib. 2. Inst. c. 3. §. 3. gratiam non operari, & redarguit D. Chrysostomum; ait ipse: *Non rectè a Chrysostomo scriptum est, nec gratiam sine voluntate, nec voluntatem sine gratia quidquam posse operari*, quod est apertè contra scripturas. 1. Corinth. 15. v. 10. *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem sed gratia DEI mecum*, seu ut explicat D. August. lib. de gratia, & libero arbit. cap. 5. *Non solus ego, sed gratia DEI mecum: ac per hoc nec gratia DEI sola, nec ipse solus, sed gratia DEI cum illo.* Rursus contra symbolum Apostolorum, & communem sanctorum Patrum doctrinam inter aniles fabulas recenset descensum animæ Christi ad limbum Patrum, ait enim lib. 2. Instit. cap. 16. §. 9. *Hæc fabula tametsi magnos Authores habet, & hodie quoque à multis serio pro veritate defenditur, nihil tamen quam fabula est, nam concludere in carcere mortuorum animas puerile est: Christi autem animam illuc descendere, ut eas manumitteret, quid opus fuit?* Quid opponitur sanctis Patribus, Ignatio Justino, Irenæo, Athanasio, Cyrillo, Basilio, Cypriano, Ambrosio, Augustino, & aliis communiter: imò & etiam ipsis scripturis Psal. 15. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: quæ verba Davidis Sanctus Petrus explicat de JEsu Christo descendente ad limbos Patrum, ait Actor. 2. *Providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in infernq, neque caro ejus vidit corruptionem.* Advetsatur etiam Apostolo Paulo ad Ephes. 4. ubi ait: *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Hinc descensus animæ Christi ad limbum Patrum est dogma fidei, quod docuerunt Patres omnes antiqui, Græci, & Latini, quorum testimonia proferre nimis prolixum foret, & sufficit legere tantùm Hilarium in Psal. 138. S. Hieronymum in cap. 4. epist. ad Ephes. Augustinum epist. 164. S. Gregorium Magnum lib. 12. Moral. cap. 7. Neque quidquam de summa Christi dignitate, & potestate detractum est, cum ad inferos descendit, cùm dicatur illuc descendisse *inter mortuos liber*, & victor ut dæmones sua potestate debellaret, & eorum spolia eriperet, ac sanctos Patres justosque omnes, qui ante ejus passionem, & mortem obierant è limbo solutos, secum in cœlum adduceret, quod iisdem aperuerat per suam passionem, & sanguinem effusum pro redemptione humani generis: tum enim impletum fuit, quod resipiscenti Latroni dixerat in cruce: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Hinc David Psal. 67. hunc prævidens Prophetico Spiritu descensum, & ascensum in cœlum ait:, *Cantate DEO, Psalmum dicite nomini ejus; iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* Postea subdit: *Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant,*

sperant, qui habitant in sepulchris, deinde ait: *Ascendisti in altum, cœpisti captivitatem, accepisti dona in hominibus*: hanc Davidis Prophetiam D. Paulus ad Ephes. cap. 4. v. 8, explicat de Christo, & ad Colos. cap. 11. loquens de Christo triumphante, de tartareis potestatibus ait: *Exspolians principatus, & potestatẽ traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Quòd si quæras, cur Christus voluerit post mortem ad inferos descendere, respondet D. Paulus, ut etiam in illa tenebrarum regione perinde ac in cœlo, & in terris suam ostenderet potestatem, declararet virtutem ad Philip. 2. *Ut in nomine JESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Est limbus Patrum subterranea regio, in qua animæ sanctorum fuerunt detentæ, donec Christus pretio sui sanguinis genus humanum redimeret, cœlum eidem aperiret, & animas justorum, quæ antea detinebantur in illa subterranea regione, secum adduceret in cœlum, differebatur enim illis beatitudo usque ad Christi adventum, quia cœlum, quod peccatum originale hominibus clauserat, nondum sanguis Christi aperuerat, & ut loquitur Apostolus ad Hebr. 9. *Nondum propalata erat Sanctorum via.* Cæterum locus iste, qui limbus Patrum à Theologis vocatur, à Christo in Evangelio Luc. 16. vocatur sinus Abrahæ, in quem Lazari anima ab Angelis fuit delata: & fuit locus quietis, ac consolationis, ut nomen ipsum sinus videtur significare, & etiam verba ipsa Abrahæ ad Epulonem Luc. 16. *Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Hinc Christus descendens ad inferos, nullum pertulit cruciatum, neque privationem gloriæ, seu beatitudinis passus est. Causam hujus descensus adfert sanctus Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum cap. 30. inquiens: *Restabat ad plenum nostra redemptionis effectum, ut illuc usque homo sine peccato à DEO susceptus descenderet, quousque homo separatus à DEO peccati merito cecidisset, id est ad infernum, ubi solebat peccatoris anima torqueri; & ad sepulchrum, ubi consueverat peccatoris caro corrumpi: sic tamen, ut nec Christi in sepulchro corrumperetur, nec inferni doloribus anima torqueretur, quoniam anima immunis à peccato non erat subdenda supplicio, & carnem sine peccato non debuit vitiare corruptio:* & hoc sufficiunt contra Calvinum blasphemantem animam Christi inferni cruciatus pertulisse.

Præterea Calvinus lib. 3. Instit. cap. 5. §. 10. asserit contra doctrinam veterum Patrum, & scripturas non esse preces fundendas pro defunctis inquiens: *Cum mihi objiciunt adversarii ante mille & trecentos annos usu receptum fuisse, ut precationes fierent pro defunctis, eos vicissim interrogo, quo DEI verbo, qua revellatione, quo exemplo factum sit.* Et postea asserit veteres Patres, qui pro mortuis orârunt, id præstitisse absque ullo exemplo inquiens: *Atque ipsi etiam Veteres, qui preces fundabant pro mortuis, legitimo exemplo hic se destitui videbant.* Quod quam alienum sit à veritate ostendit D. Augustinus in lib. de cura pro mortuis cap. 1. Ex illo Machab. ubi legimus fuisse pro mortuis oblatum sacrificium, quo exemplo etiam utitur D. Prosper lib. de promissionibus, & prædictionibus DEI part. 2. cap. 40. Plura alia docet Calvinus omnino dissentanea doctrinæ antiquorum Patrum, & etiam scripturis, & præsertim contra Augustinum. Asserit Calvinus

concupiscentiam in actu primo, seu pronitatem illam in natura corrupta ad concupiscendum esse peccatum originale; & motus concupiscentiæ procedentes ab ipsa pronitate esse peccata lethalia, etiam ante consensum voluntatis; & eosdem motus, quamvis involuntarios & primo primos, ut loquuntur Theologi, prohiberi in lege decalogi, per illud præceptum non concupisces: ex quibus principiis plura deducit contra fidem scilicet peccatum originale non tolli per baptismum, eò quia pronitas illa ad concupiscendum perseveret post baptismum, ita docet lib. 2. Instit. cap. 1. §. 8. & lib. 4. cap. 15. §. 10. Secundò infert opera omnia justorum esse inquinata, & immunda ob contagionem peccati originalis perseverantis semper etiam in hominibus justis, ut asserit lib. 3. Instit. cap. 12. §. 4. & 11. Hinc infert legem decalogi esse observatu impossibilem, eò quia nemo sit, qui servare possit præceptum illud, *non concupisces* ob pronitatem naturæ manentem in hominibus ad concupiscendum. Docet etiam lib. 3. Instit. cap. 11. §. 4. & 23. ob eandem pronitatem ad concupiscendum sequi hominem non esse justum, per justitiam inhærentem, eò quia hæc non possit cohærere cum peccacato originali, sed tantùm homines esse justos imputativè, & extrinsecè, quæ omnia adversantur sacris scripturis, doctrinæ Apostolicæ, & sanctorum Patrum.

Liquet etiam Lutherum dissentire ab antiquis Patribus, quos etiam non erubescit habere contemptui, ait enim in colloquiis mensalibus cap. 57. se contemnere, ac nihili facere antiquorum Patrum doctrinam, inquit ipse: *Hieronymum legere licet propter historiam, nam de fide ac vera religione ac doctrina nec verbum quidem in ipsis scriptis extat. Originem jam dudum diris devovi. Chrysostomum nullo loco habeo; non est nisi loquaculus. Basilius nihil valet, totus est Monachus, ne pilo quidem illum redimerem: Apologia Philippi Melanctonis superat omnes Ecclesiæ Doctores, etiam Augustinum.* Et infra subdit: *Videte quales de fide tenebræ sint in Patrum scriptis, nam quando articulis ille de hominis justificatione tenebris obductus est, fieri omnino nequit, ut majores errores vitentur, Sanctus Hieronymus scripsit in Matthæum, & Epistolam ad Galatas, & ad Titum, sed quàm frigide? Ambrosius sex libros super Genesin Mosis, sed quàm jejunos? Augustinus nihil singulare habet de fide.* Dissentit Lutherus ab antiquis Patribus præsertim in articulo de fide, & justificatione, neque id mirum debet videri, cùm fingat ipse homines justificari per solam fidem, seu per hoc, quòd certò sibi persuadeat, nulla peccata quantumvis enormia sibi nocere, aut imputari; neque se posse damnari ob patrata enormissima scelera, nisi nolit credere: hanc justificationem per fidem nullus sanctorum Patrum docuit, eò quia præter fidem requiratur gratia sanctificans intrinsecè inhærens, & afficiens hominem resipiscentem, ex quibus constat Ecclesiam præsumptam reformatam dissentire à doctrina Apostolica, quam & docuerunt antiqui Patres, qui floruerunt post Apostolos in ipso Ecclesiæ exordio, & quia tunc Ecclesia primis scilicet quinque sæculis in sententia Sectariorum fuit vera, & legitima Ecclesia à Christo in terris instituta, & fundata, sequitur evidenter Ecclesiam præsumptam reformatam dissentire à doctrina veræ, ac legitimæ Ecclesiæ JEsu Christi.

Præterea si perpendamus Ecclesiam Reformatam, constabit plurima includere contradictoria: & quidem plures sunt contradictiones, quæ in doctrina Lutheri deprehenduntur, quæ fideliter & accuratè collectæ sunt partim à Joanne Cochlæo in suo opere, cui titulus *Lutherus Septiceps*, & partim ab aliis. Calvinus plura etiam docet contradictoria, etenim lib. 1. Instit. cap. 18. §. 3. asserit DEUM Authorem peccati inquiens: *Jam satis apertè ostendi DEUM vocari eorum omnium Authorem, quæ isti censores volunt, otioso tantum ejus permissu contingere.* Differit nominatim de cæcitate, & tyrannide Acabi, de incestu Absalonis, de convicio Semei de Apostasia decem Tribuum, de cædibus, & rapinis Chaldæorum, de rabie, & furore Judæorum in Christum, & de iniquissima Pilati sententia, quorum omnium Authorem esse DEUM asserit, & Catholicos respondentes ea omnia contigisse, non ex concursu speciali DEI, sed tantùm ex generali ac permissione, contemnit, ac ridet. Contrarium postea docet in Instructione contra Libertinos cap. 14. inquiens: *Temulenti isti à DEO omnia fieri perstrepentes eum mali Authorem constituunt*, cùm antea docuisset: DEUM esse Authorem peccati, nunc negat, eum esse Autorem mali: & suæ assertionis adferens rationem subdit: *Cum DEO nihil magis proprium sit, quàm sua bonitas, ipsum à se abnegari oporteret, & in Dæmonem transmutari, ut malum efficeret, quod ei ab aliis tribuitur*: & in præfatione libri de æterna prædestinatione circa finem libri ait: *Etiamsi rerum omnium prima causa sit DEI voluntas, peccati tamen eum esse Authorem nego.*

Secunda Calvini contradictio continetur in ejus doctrina de divinitate, & essentia Christi. etenim in libro contra Valentinum Gentilem docet nomen DEI per excellentiam ad solum Patrem pertinere: solum Patrem propriè dici Creatorem cœli, & terræ, & Filium nonnisi impropriè, hinc redarguit, ut impropriam locutionem Symboli Niceni dicentis *DEUM de DEO, lumen de lumine.* Ex quibus deducitur docuisse Calvinum Patrem esse Filio majorem & excellentiorem, ac putasse Filium non esse verum DEUM, nequidem ejusdem substantiæ, & essentiæ cum Patre, quæ fuit hæresis Arianorum contra scripturas Joan. 10. 30. *Ego & Pater unum sumus*, seu quid unum in natura, & essentia, ac substantia. Contrarium docet ad cap. 1. Joan. 5. 1. ubi asserit, Christum esse verum Deum, & ejusdem essentiæ cum Patre inquiens: *Hoc exordio æternam Christi divinitatem prædicat, ut sciamus æternum esse DEUM, qui manifestatus est in carne*, & nonnullis interjectis subdit: *Ne quis de divina Christi essentia scrupulus maneat, clarè asserit, esse DEUM*, unde quod prius negaverat, hoc idem affirmat.

Tertiò de persona Christi rectè docet cum Catholicis, unam dari in Christo tantùm seu divinam, & duas naturas, ait enim ad cap. 1. Joan. 5. 14. *In hoc fidei capite duo præcipuè tenenda sunt: sic in unam personam coaluisse duas in Christo naturas, ut unus atque idem Christus verus sit DEUS, & homo: alterum verò non obstare personæ unitati, quin distinctæ naturæ maneant, ita ut divinitas quidquid sibi proprium est, retineat, humanitas etiam seorsim abeat, quod in eo competit.* Contrarium postea docet lib. 2. Instit. cap. 13. §. 9. ubi cum Nestorio asserit, duas esse in Christo personas, & duas naturas scilicet personam Verbi, & personam Mediatoris, & hanc humanam esse fatetur, illam divinam inquiens: *Etsi autem Mediatoris personam non attingo, sed differo in eum locum, ubi de redemptione agetur*: & § 23. adferens sententiam aliorum ait: *Excipiunt si vero est DEI Filius, absurdum esse censeri personæ Filium: ego utrumque verum esse respondeo DEI nempe esse Filium, quia sermo est à Patre ante sæcula genitus (nondum enim de Mediatoris persona nobis sermo est) & tamen explicandi causa habendam esse rationem personæ, ut nomen DEI non simpliciter sumatur, sed pro Patre.* Clarius etiam hanc Mediatoris personam indicat, ut distinctam à Verbo, seu DEI Filio §. 24. ubi ait: *Nam ex quo manifestatus est in carne Christus, Filius DEI, vocatur non tantum quatenus ante sæcula genitus ex Patre fuit æternus sermo: sed quia Mediatoris suscepit personam.* Verbum, seu Sermonem Patris distinguit à persona Mediatoris, consequenter duas personas cum Nestorio asserit in Christo.

Quartò in parvo Catechismo articulum Symboli, *credo sanctam Ecclesiam Catholicam*, asserit esse intelligendam de Ecclesia invisibili, seu prædestinatorum, qui dicuntur à Calvino constituere Ecclesiam invisibilem, quatenus scire non possumus, quinam sint prædestinati, & qui reprobi ait Calvinus: *Sequitur quarta pars, in qua confitemur, nos credere unam sanctam Ecclesiam Catholicam*, & explicans, de qua ipsa Ecclesia loquatur, addit: *Quid est Ecclesia? est corpus & societas fidelium, quos DEUS ad vitam æternam prædestinavit.* Contrarium postea docet lib. 4. Instit. cap. cap. 1. §. 2. ubi docet per Ecclesiam Catholicam, quam Sanctam tenemur credere in Symbolo, esse intelligendam Ecclesiam visibilem, in qua reprobi, & prædestinati simul permixti sunt, inquiens: *In Symbolo, ubi confitemur, nos credere Ecclesiam, id non solum ad visibilem, de qua nunc agimus, refertur, sed ad omnes quoque electos DEI, in quorum numero comprehenduntur etiam, qui morte defuncti sunt.* Eundem Symboli articulum, quem dixerat esse intelligendum de Ecclesia invisibili, seu prædestinatorum tantùm, postea docet esse intelligendam de Ecclesia visibili, in qua reprobi, & prædestinati permixti sunt.

Quinto lib. 4. Instit. cap. 1. §. 4. docet, neminem posse æternam consequi salutem, nisi beneficio baptismi Ecclesiam visibilem ingrediatur, inquiens: *Quia nunc de Ecclesia visibili disserere propositum est, discamus vel uno matris elogio, quàm utilis sit nobis ejus cognitio, imò necessaria, quando non alius est in vitam ingressus, nisi nos ipsa concipiat in utero, nisi pariat, nisi nos alat suis uberibus, denique sub custodia, & gubernatione sua nos tueatur, donec exuti carne mortali similes erimus Angelis*: & postea addit: *Extra ejus gremium nulla est speranda peccatorum remissio, nec ulla salus.* Sed contrarium postea docet in eodem cap. §. 7. & lib. 4. Instit. cap. 16. §. 24. & 25. ubi cum dixisset antea: Neminem admitti in Ecclesiam visibilem, nisi per baptismum, postea docet filios fidelium salvari sine baptismo, quod perinde est ac salutem consequi, tametsi non ingrediantur Ecclesiam visibilem, quod est loculenta contradictio, scilicet neminem posse salvari, nisi sit in Ecclesia visibili,

visibili, & aliquos posse salvari, quamvis non sint in Ecclesia visibili.

Sextò de necessitate baptismi aquæ lib. 4. Instit. cap. 15. §. 19. asserit extare præceptum Christi de baptismo aquæ, quod colligitur ex illo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI*, quod approbans Calvinus docet dari præceptum DEI de baptismo aquæ, sed postea id negat in Commentario cap. 3. Joan. ubi ait: *Nullo modo adducor, ut Christum de baptismo verba facere credam*, & addit Spiritum, & aquam pro eodem poni, unde contradictio est asserere, baptismum aquæ esse necessarium, ex præcepto Christi & baptismum aquæ non esse necessarium ex præcepto Christi.

Septimò sibi etiam contradicit in Eucharistia, quia in cap. 11. ad Corint. docet, corpus Christi esse præsens in Eucharistia, inquiens: *Christus visibile illud signum nobis porrigendo una dat etiam nobis suum corpus, neque enim fallax est, qui vacuis signis nos ludat. Proinde illud mihi est extra controversiam, veritatem hic cum suo signo conjunctam esse*, seu verum & reale Corpus Christi eum symbolo, seu speciebus panis conjunctum esse. Et lib. 4. Instit. cap. 17. §. 10. ait: *Omnino hæc tenenda est regula, ut quoties symbola videns à DEO instituta, illic res signata veritatem adesse certo cogitent, ac sibi persuadeant*; & §. 23. expressius *In sacra cœna jubet me sub symbolis panis, & vini corpus, & sanguinem sumere, manducare, & bibere. Nihil dubito, quin & ipse verè porrigat, & ego recipiam.* In libello itidem de cœna Domini ait: *Necesse est, nos in cœna verè corpus & sanguinem Christi recipere*: & nonnullis interjectis: *intelligimus, Christum nobis in cœna veram propriamque corporis, & sanguinis sui substantiam donare.* Quid clarius, quid expressius ad significandum in Eucharistia nos sumere verum, & reale corpus Christi Domini, verum & realem ejus sanguinem; seu veram, ac realem substantiam sui corporis, & sanguinis? Et nihilominus contrarium postea docet in contentione de Re Sacramentaria, ubi in fine ait: *Cum signa hic in mundo sint, oculis cernantur, palpentur manibus. Christus quatenus homo est, non alibi quàm cœlo quærendus est*: deinde subdit: *Quia tamen corpus Christi finitum est, & cœlo, vel loco continetur, necesse est à nobis tanto locorum intervallo distare, quanto cœlum abest à terra.* Quæ contradictio clarior, quam asserere verum, & reale corpus Christi secundùm propriam substantiam, ut & sanguinem esse, & non esse in Eucharistia?

Octavò in Psychopannychia expendens verba Apostoli 2. Corinth. 5. 1. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex DEO habemus, non manufactam æternam in cœlis*: ait: *Hæc verba sine interprete loquuntur, non sensuros DEI præsentiam, cùm ab hoc corpore separabimur*: & addit: *Electi DEI, qui ex hac vita transierunt, Deo fruuntur ad satietatem. citra fastidium* non dicit DEO fruentur de futuro, sed DEO fruuntur de præsenti, quia non post diem judicii universalis, sed statim DEUM vident, & beatitate donantur, idque probat etiam ex scripturis ad Philipp. cap. 1. v. 23. ubi Apostolus apertè testatur: *nos frui Christi præsentia, cum dissolvimur*, & 2. Corint. v. 8. explicans D. Paulum ait: *nihil molius, quàm emigrare à corpore, ut perveniamus ad Dei contubernium.* Contrarium docet lib. 3. Instit. cap. 25. §. 6. inquiens: *Scriptura ubique jubet, pendere ab expectatione adventus Christi, & gloriæ coronam eo usque differt*, & iterum addit: *Animæ piorum militiæ labore perfunctæ fruitionem promissæ gloriæ expectant.* Plures aliæ deprehenduntur in scriptis Calvini contradictiones præsertim de libero arbitrio, de fide justificante, de certitudine justitiæ, adeo ut nihil certi, nihil firmi, & stabilis possit statui ex doctrina Calvini; idque causæ, cur Calvinianæ Sectæ adhærentes unà non conveniant, sed perpetuis dissentionibus inter se pugnent, & perpauci sint, qui simul conveniant in Doctrina de DEO, de libero arbitrio de Justificatione, & prædestinatione, ut suis locis DEO dante ostendemus.



 LIBER

LIBER II.

DE
Christo Fundatore, Institutore, ac Principe Ecclesiæ Catholicæ.



Essentiam, proprietates, notas, seu peculiares characteres, quibus Ecclesia Catholica constituitur, & dignoscitur ut vera à JEsu Christo instituta, & fundata, ac distincta secernitur ab Ecclesia, quam Sectarii præsumunt reformatam à Luthero, & Calvino, donavimus explicatu, & omnem aliam Sectariorum Ecclesiam evicimus esse spuriam. Superest ut dissertationem hic instituamus de illius fundatore, & supremo capite, seu Christo, contra quem fœdus visæ sunt iniviste hæreticorum turmæ ejus divinitatem, ac majestatem oppugnaturæ; & veluti in duo divisæ agmina, seu cornua fortiora Ducem prioris cornu se Michael servetus Hispanus effecit. Is cùm in scholis Lutheranorum, quibus nomen dederat, frequenter audiret Verbum DEI esse Filium æterni Patris, de Lutherano cœtu animo ferociens admissuri se dixit, quòd tum Lutherani, tum Calvinistæ in rebus parvi momenti bellum indixerint Ecclesiæ Romanæ Catholicæ, seu circa sacramenta, purgatorium, vota emissa; & circa primum, ac præcipuum fidei mysterium convenirent cum Catholicis, seu in personis distinctis SS. Trinitatis, ut etiam circa Christi personam: inde tetro perfusus Spiritu, simulque audacia temerarius, libros quosdam promulgavit, quibus titulus erat *de Erroribus Trinitatis*, quorum summa erat, nullam in DEO dari distinctionem personarum; & Christum tantùm dici Filium DEI, quia ex ipsa DEI substantia caro ejus in utero Virginis concepta, & conformata fuerit, quo errore personarum Trinitatem negavit cum Sabellio, & Christi naturas confudit; & cum Eutychete dixit, Christum non fuisse in utero Virginis conceptum ex sanguine & substantia Mariæ Virginis, ope Spiritûs Sancti; sed ex ipsa DEI substantia efformatum, quem errorem sequuti postea fuerunt Ministri Transylvaniæ, sed servetus Genevæ igni extraditus debitas suis sceleribus pœnas luit. Secundi agminis dux fuit Valentinus Gentilis Italus Cosentinus, qui auditâ Calvini eruditione, & doctrina permotus rerum novarum, relictâ patria ex Calabria fuit Genevam profectus auditurus Calvinum docentem nova dogmata; sed non diu inter ejus discipulos toleravit enumerari; Spiritu & ipse elato inflatus ægrè tulit, Calvinum unà cum suis asseclis in articulis fidei quoad personas Trinitatis cum Papistis concordare, expungi ab illo cathalogo voluit, & novum excogitare dogma, quod à Servetiano discreparet, sed à Catholica doctrina penitus differret: siquidem docuit, inesse DEO non solum tres personas realiter distinctas, verum etiam tres naturas tres divinos, ac sempiternos Spiritus numero differentes essentiali, quam sententiam Nicephorus Philippono antea tribuerat. Verùm cùm observasset hanc Numinum Trinitatem nullo posse fundamento inniti; & in scripturis sacris nil frequentius asseratur, ac reperiatur, quam unum tantùm esse DEUM creatorem cœli & terræ, præter quem nullus alius sit, nec fuerit, nec possit esse DEUS, & errore Philipponi in hæresim prolapsus Arianorum; quatenus solum DEUM patrem asseruit; & Filium, & Spiritum Sanctum non esse essentiam divinam, neque ejusdem substantiæ cum Patre, sed esse essentiæ proles longè inferiores ab ipsa essentia. Cùm verò Valentinus occuparetur Genevæ in recoquenda Arianæ hæresis Cambre, Calvinus Genevæ & ipse tunc temporis degens Valentino se opposuit, qui hæreseos redarguitur reus, & ad tribunal hæretici Magistratus citatur; sed Valentinus metuens Calvini severitatem, incendiumque Serveti adactus suum retractare assertum, ex Judicum sententia ad publicam subeundam pœnitentiam compulsus, depositis vestibus, solo tectus indusio nudis pedibus, detecto capite accensam deferens manu facem, præeunte præcone, fere singulas civitatis plateas perambulavit non sine populi derisu: dein supplex à Magistratu veniam rogavit, à quo jussus fuit libros à se scriptos flammis extradere, & ipse jurare non abiturum Geneva, nisi priùs salutato Magistratu: sed ipse post recantatam solemniter palinodiam clanculum Geneva se proripuit; & pervagatis pluribus regionibus in Gallia Helvetia, Polonia, in quibus novum Zizanium Arianismi seminare adnixus est: tandem anno undecimo post mortem Serveti Bernæ in Helvetia à Zvvinglianis captus capitis damnatus pœnas & ipse dedit suæ temeritatis. Plures alii eodem teterrimo agitati Spiritu Christo surripere divinitatem studuerunt, quam nos ut contra Sectarios asseramus, ac propugnemus initio hujus libri de divinis agemus personis, pòstea de Christo coalescente ex persona divina, Filio consubstantiali æterno Patri, & natura humana, seu nostra humanitate, quam ope Spiritus Sancti ex sanguine purissimo Mariæ Virginis conformatam assumpsit in eodem Virginis utero; sitque propterea Christus compactus ex una tantùm persona divina, & duplici natura divina, & humana verus DEUS, & verus homo.

CAP.

CAPUT I.

Oſtenditur veritas Eccleſiæ Catholicæ, Deum eſſe unum in eſſentia trinum in perſonis, & traditur definitio perſonæ.

CONfeſſio Eccleſiæ Catholicæ aſſerta in quatuor œcumenicis ac celeberrimis toto orbe conciliis Nicæno, Epheſino, Chalcedonenſi, & Conſtantinopolitano, & ab omnibus ſanctis Patribus, ſemper fuit, DEUM unum eſſe in eſſentia, & trinum in perſonis, quas ſcriptura plerisque in locis commemorat, & unamquamque harum perſonarum eſſe verum DEUM per unam eandemque eſſentiam, & naturam omnibus tribus perſonis communem; adeo ut licèt tres ſint perſonæ, quarum una non eſt alia, non tamen ſint tres Dii, ſed unus tantum Deus ratione unius eſſentiæ, & naturæ, quæ eadem prorſus eſt in tribus divinis perſonis. Neque ſummæ DEI unitati, & ſimplicitati perſonarum Trinitatis afficit: neque eſſentiæ, ac naturæ unitas & ſimplicitas ternarium perſonarum deſtruit numerum; ſed unitas in eſſentia, ſubſtantia, natura, & Deitate rectè cohæreat cum Trinitate in perſonis, quæ perſonæ ſint ſubſiſtentes, ſuisque proprietatibus diſtinctæ, & non tantùm tria pura nomina, vel tres operationes, aut tres energiæ, ut olim perperam opinati fuerunt Naëtus, Praxea, & Sabellius; adeo ut non ſolùm Pater, ſed etiam verbum Patris, ſeu Filius, & Spiritus Sanctus ſint veræ perſonæ ſubſiſtentes, quarum una quæque diſtinguatur ab aliis duabus. Hanc veritatem docet Eccleſia Catholica, quia ita fuit ſemper edocta, à ſacris ſcripturis 1. Joanis 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* Joan. 20. *Ego & Pater unum ſumus,* ſcilicet unum neutraliter, ſeu in eſſentia natura, Deitate; non unus maſculinè, quia in perſonis diſtinguuntur, ſuntque plures. Neque novum teſtamentum hanc veritatem ediſſerit; ſed etiam ſacræ ſcripturæ veteris legis eandem nos edocent Pſal. 32. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritus oris ejus, omnis virtus eorum.* Ubi & communiter explicant SS. Patres; nomine Domini intelligitur Pater, ſeu prima perſona Trinitatis, cui tribuitur creatio rerum, quamvis ſit creatio indiviſum trium perſonarum opus: per verbum Domini, Filius nobis ſignificatur, ſeu ſecunda Trinitatis perſona, quia per Filium facta ſunt omnia. Spiritus oris ejus, eſt Spiritus Sanctus, ſeu tertia Trinitatis perſona, cui ſingulari quadam ratione perfectio tribuitur operum divinorum. Hinc Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM:* ſeu Verbum erat in principio, antequam res ulla creata eſſet; *ac Verbum erat apud DEUM,* quia hoc Verbum erat DEUS, per quem res omnes creatæ ſunt; erat etiam hoc Verbum apud DEUM Patrem diſtinctum, ratione paternitatis à Verbo ſeu Filio, cùm nemo dicatur eſſe apud ſemetipſum, ſed apud alium, ſi congruè loquamur. Poſtea ſubdit Joannes: & *Verbum caro factum eſt,* ſcilicet Filius, non Pater, neque Spiritus Sanctus, quia eſt perſona diſtincta à Patre, & Spiritu Sancto. Luculenter itidem totum Trinitatis myſterium nobis explicat Magiſter Chriſtus Joan. 14. *Si cognoviſſetis me, & patrem meum cognoviſſetis.* Poſtea addit alloquens diſcipulum ſuum, *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum.* Rurſus *non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Demum judicaturus tertiam perſonam ait: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit nobis:* ecce quomodo Pater & Filius licèt ſint quid unum in eſſentia, natura, ſubſtantia ac Deitate adhuc ſint duæ perſonæ inter ſe diſtinctæ; & Paracletus ſeu Spiritus Sanctus ſit alia perſona diſtincta à Patre & Filio. Hanc Eccleſiæ Catholicæ veritatem etiam confirmat Chriſtus Joan. 8. *Solus non ſum, ſed & ego, qui miſit me Pater. Et in lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium verum eſt. Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de me ipſo: Et teſtimonium perhibet de me, qui miſit me Pater.* Sin autem perſona Filii non eſſet diſtincta à perſona Patris, non rectè congrueret legis ſuffragium *in ore duorum, vel trium ſtare omne verbum;* perſona etiam Spiritus Sancti diſtincta à Patre ſatis apertè indicatur Joan. 14. *Et alium Paracletum dabit vobis,* loquitur Filius, & promittit alium Paracletum dandum à Patre; & cùm inter Datorem, & donatum detur eſſentialiter relativa diſtinctio, ſequitur Spiritum Sanctum, ut donatum diſtingui à Patre Donatore, & Filio ut promittente alium Paracletum: ergo inſunt Deo tres perſonæ diſtinctæ in una ſimpliciſſima eſſentia, natura, Deitate, & ſubſtantia. Hinc Joan. Epiſt. 1. cap. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt:* ubi *unum* eſſentiæ, naturæ, ſubſtantiæ, ac Deitatis ſignificare unitatem: numerus ternarius diſtinctionem perſonarum, ſitque propterea DEUS unus in Deitate, ſubſtantia, & eſſentia, & trinus in perſonis; ſitque divina eſſentia eadem prorſus in una perſona, quàm in tribus ſimul, neque minor in una, quàm in tribus.

Hinc S. Athanaſius in Symbolo ait: *Fides autem Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur,* ſeu tres perſonas in una, & eadem eſſentia, natura, ſubſtantia, & Deitate; & unam eandemque ſimpliciſſimam eſſentiam, ſubſtantiam, & Deitatem in tribus perſonis, neque ſit in illis, quid majus, aut minus, nihil prius aut poſterius, ſed omnes perſonæ coæternæ ſibi ſint, & coæquales, & tantùm in proprietatibus perſonarum diſtinguantur. Pater enim ingenitus eſt & æternus, principium ſine principio. Filius à Patre ante omnia ſæcula genitur & principium de principio; Spiritus Sanctus à Patre & Filio ab æterno procedit: & alia ſit perſona Patris, alia perſona Filii, & alia Spiritus Sancti; ſed Patris & Filii, & Spiritus Sancti una ſit divinitas, æqualis gloria coæterna majeſtas: qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus: quia in unaquaque perſona eſt una tantùm, ac eadem ſimpliciſſima eſſentia, natura, ſubſtantia, & Deitas, quæ non poteſt ſibi eſſe inæqualis, nec minor, nec major ſe ipſa, nec prior, nec poſterior. Perſonæ enim ſunt tantùm relativæ, & nonniſi relativè diſtinguuntur: relativum enim dicitur, quod ad aliud dignoſcendum refertur, adeo ut cognito uno relativo deveniamus in notitiam alterius. Perſonæ igitur nomina retinent relativa, quia Pater refertur ad Filium, quæ ad intra ab æterno generat Pſalm. 2. *Filius meus es Tu: ego hodie genui Te,* ſeu in æternitate, quæ non habet præteritum, neque novit futurum: & Pater & Filius ad Spiritum Sanctum, quem ad intra ſpirant; procedit enim Spiritus Sanctus à Patre & Filio, ut ab uno Spiratore. Hinc Concilium Toletanum 11.

In relativis personarum nominibus Pater ad Filium. Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad utrosque refertur. Quæ cùm relativè tres personæ dicantur; una tamen substantia creditur. Et nonnullis interjectis in relatione personarum numerus cernitur, in Divinitatis verò substantia, quid enumeratum sit, non comprehenditur. *Ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt; & in hoc numero carent, quod in se sunt.* Unde Athanasius in Symbolo, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus, non tamen tres Dii, sed unus est DEUS.

Quia igitur veritas Ecclesiæ Catholicæ est, confiteri Deum esse unum in essentia, natura, substantia, Deitate: & trinum in Personis verè distinctis: & Filium in utero Virginis ope Spiritus Sancti assumpsisse nostram humanitatem, ac factum fuisse hominem; & propterea Christum Dominum esse verum Deum, & verum hominem; quatenus Christus constat ex persona divina, seu Filio æterni Patris, & natura humana, sintque in Christo duæ naturæ, divina & humana, & una tantùm persona divina, quam veritatem hæreticorum plures impugnarunt: ideo ut contra eosdem evincatur, quomodo Christus Ecclesiæ Catholicæ in terris Fundator sit verus DEUS, & verus homo, ostendendum est quid, & quot sint personæ divinæ, quomodo sint unus Deus: si quis enim audiens hanc veritatem Ecclesiæ Catholicæ, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus tres personæ distinctæ sunt unus Deus*, statim scire cupit, quisnam sit ille Filius æterni Patris, qui factus sit homo, vocatur Christus: nisi enim prius probatum sit dari in Deo has tres personas; & ostendatur, qualis sit persona filii assumentis in utero Virginis nostram humanitatem, anceps semper hæret animus; neque convincuntur hæretici, non acquiescentes sacris scripturis, explicandum est, quid sit Persona.

Sumi solet nomen personæ tum à Philosophis, tum à Theologis, pro individuo naturæ intellectualis: quia semel quod natura est in aliquo individuo, seu existit incommunicabiliter, habet quandam determinatam apparentiam, & cognonibilitatem sui ipsius, ratione cujus sit cognonibilis, ac cæteris conspicua, ut edisserit Damascenus cap. 13. Dialect. inquiens: *Persona est, quæ per suas actiones, & proprietates perspicua est*, quæ tamen definitio, nisi quid aliud addatur, videtur captu difficilis; quia etiam natura quælibet singularis per suas actiones, & proprietates est perspicua: & tamen non omnis hujusmodi natura est persona; ut patet in natura humana à verbo divino assumpta, quæ per suas proprias actiones, & proprietates naturæ perspicua est, siquidem elicuit actiones proprias naturæ humanæ, per quas Christus cognoscebatur esse verus homo; & tamen natura humana Christi licèt singularis, & individua, ac perspicua per suas actiones, & proprietates non fuit persona, cùm nos fides doceat, unam in Christo fuisse tantum persooam divinam, quæ assumpsit in utero Virginis natutam humanam: putârim igitur definitioni traditæ à Damasceno addendum esse: *quæ cùm in se, & per se existat, incommunicabiliter sit perspicua per suas actiones & proprietates.* Est enim persona, ut docet D. Thom. *1. part. quæst. 29. art. 2.* subsistentia incommunicabilis, seu *substantia intelligens individua incommunicabilis*, ratio incommunicabilitatis necessaria est, ut significetur individua esse illa substantia, quæ persona dicitur. Potest individuum dupliciter sumi, unn modo illud dicitur individuum, quod est in se determinatum, & singulare, quatenus non potest dividi in plura, alioquin non esset amplius quid unum, sed multiplex: & in hoc sensu natura singularis, ut est hæc numero natura est individua, quatenus non dividitur in plures naturas; sed hoc pacto sumpta natura individua non est persona, siquidem natura humana à verbo divino sumpta fuit singularis, & individua, & tamen de fide est non fuisse personam, cùm una tantùm fuerit in Christo persona divina. Secundò potest individuum sumi absolutè, & concretè, quatenus non solùm est hoc singulare determinatum, sed etiam subsistit per se, & in se, & non in alio, & habet suum terminum ultimum io toto complexu substantiæ, adeo ut perinde se habet ratio personæ ad naturam singularem, sicut punctum ultimum ad lineam: & in hoc secundo sensu substantia intelligens individua, seu incommunicabilis est persona.

Si dicas, individuum esse nomen secundæ intentionis, perinde ac nomen generis, vel speciei, prædicati, vel subjecti; quia hujusmodi denominationes sunt extrinsecæ, & habentur ab intellectu. Contra est, quia individuum adhuc dupliciter sumitur primo pro fundamento remoto, secundæ intentionis: Secundò prout formaliter significat ipsam secundam intentionem: & individua substantia in definitione personæ sumitur priori modo, non ut formaliter significat secundam intentionem. Quòd si petas, cur individuum, cum sit nomen secundæ intentionis, debeat in definitione personæ usurpari, prout denotat fundamentum remotum secundæ intentionis formalis, & non prout significat ipsam secundam intentionem formalem, D. Thomas respondet, id oriri ex penuria nominum primæ intentionis, ait ipse quæst. 9. de potentia art. 2. ad. 5. & quæst. 29. art. 1. ad 3. ubi ait: *Et simpliciter nomina intentionum possunt accipi ad definiendum res secundum quod accipiuntur pro aliquibus nominibus rerum, quæ non sunt posita, & sic hoc nomen individuum ponitur in definitione personæ, ad significandum modum subsisteidi, qui competit substantiis particularibus.* Si urgeas nomen personæ quoad significatum, idem esse ac suppositum rationalis naturæ; & *suppositum* esse nomen secundæ intentionis, consequenter adhuc personam esse nomen secundæ intentionis. Contra est, quia tametsi nomen suppositi naturæ rationalis supponat pro persona, non tamen necesse est, quòd significet idem, quia ex eo, quòd aliquid supponat, pro eodem non inde sequitur idem significare. Rursus quamvis concedamus nomen suppositi significare personam, non tamen inde sequeretur, personam esse nomen secundæ intentionis, quia suppositum in hoc sensu tantùm sumeretur ad significandum fundamentum remotum secundæ intentionis, seu ipsum modum subsistenti incommunicabiliter, ex quo non sequetetur, nomen personæ significare formaliter secundam intentionem.

Hinc cùm persona à Boëtio lib. de duab. natur. cap. 2. definitur: *Rationalis naturæ individua substantia*, per individuam substantiam intelligitur substantia incommunicabilis, seu ipsum fundamentum remotum secundæ intentionis importans modum subsistendi incommunicabiliter, & existendi in se, & per se, non in alio. Definit Boëtius personam naturam rationalem non solùm, ut includatur ea natura, quæ ratiocinatur per discursum componendo, & dirigendo, verùm etiam quæ simpliciter

pliciter est prædicta intellectu, sive hæc creata fuerit sive increata, & ut excludatur substantia carens ratione, quis neque leo, neque equus, neque canis persona dicitur, sed tantum suppositum, quod latius patet quàm persona, quia licèt omnis persona sit etiam suppositum, non tamen vice versa omne suppositum est persona: siquidem suppositum significat aliquod per se subsistens, & præscindit ab eo, quod sit ratione præditum vel non: persona verò tantùm extenditur ad naturam rationalem: dicitur individua substantia ut excludatur accidens quod sive expunctuale sit sive corporeum non dicitur persona, tametsi existat seorsim à quovis subjecto, ut accidentia Eucharistica: rursus hæc substantia debet esse individua, seu incommunicabilis alteri ut significetur individuum completum ut perfectum substantiæ per se naturaliter subsistentis, & propriâ hypostasi terminata, adeo ut non habeat rationem partis, nec in aliquo alio exsistat, sed tantùm in se ipso, ex quo sequitur naturam humanam in Christo per se propriè non habere personam, eò quia non exsistit per se absolutè, & independenter, sed in alio, seu in verbo divino à quo hypostaticè terminatur. Rursus neque anima rationalis est propriè persona, quia non est per se substantia completa, sed potius pars seu forma naturæ humanæ: his positis.

Dicendum est nomen personæ ut definitæ à Boetio convenire Deo in sensu proprio, & id esse dogma Fidei contra Transylvanos, & Illyricos: quis quamvis nomen personæ expressè non reperiatur in Scriptura, habetur in ipsa proprium significatum personæ, scilicet ratio Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, de quibus prædicantur, quæ in creatis fundantur inesse personali: Hinc communis sensus Ecclesiæ Catholicæ semper fuit tria supposita divina vocari tres personas, ut liquet in Concilio Lateranensi sub Innocentio III, *in confessione Fidei cap. firmiter*, & *cap. damnamus*: In Toletano II. *in Symbolo Fidei*: & in Florentino *sess.* 18. & 19. Idque etiam constat ex Symbolo Athanasii, in quo expressè habetur alia persona Patris, alia Persona Filii, & alia persona Spiritus Sancti. Patres itidem communiter hanc asseruerunt veritatem præsertim Augustinus *Lib.* 11. *de Civit. cap.* 24. & *lib.* 5. *de Trinit. cap.* 8. Hieronymus *epist.* 57. Cyprianus *serm. de Nativit. Christ.* & passim Hilarius *lib. de Trinit.* & *lib. de Synod.* & alii. Ratione etiam facilè evincitur, quia Deus est natura intelligens perfectè subsistens, & determinata quoad modum subsistendi: hæc autem prædicata propriè conveniunt personæ, consequenter nomen personæ tribuendum est Deo ad significandum talem modum subsistendi, quia cùm ex creaturis manuducamur ad cognitionem divinorum, ac perfectiones divinas explicemus per voces, & conceptus, quibus significamus perfectiones creatas: rectè possumus uti nomine personæ ad significandum talem modum subsistendi in Deo, proinde ad significandam personam propriè sumptam præsertim, cùm hæc ut definitur à Boëtio, & explicatur à Theologis, dicat in DEO perfectionem depuratam ab omni imperfectione, quæ debet inesse DEO, quia utpote infinitus in omni genere perfectionis debet includere omnem perfectionem depuratam ab omni imperfectione, quinimo cùm ratio personæ definitæ à Boëtio sit perfectio simpliciter simplex excludens omnem defectum, debet necessariò poni in DEO, non solùm eminenter causaliter, verùm etiam formaliter, & propriè.

Si dicas personalitatem esse modum naturæ, à quo possit natura sejungi, ut in humanitate Christi, quæ propriâ personalitate humanâ destituta subsistit per subsistentiam divinam seu in Filio qui assumpsit humanitatem consequenter personalitatem includere defectum, & non posse DEO tribui, siquidem nullum prædicatum divinum possit à DEO separari, cùm omnia divina prædicata identificentur cum DEO, qui est eus summè necessarium. Contra est, quia tametsi personalitas creata possit separari à creatura creata, ac propterea includat defectum; non tamen personalitas increata, quia hæc est perfectio inseparabilis à divina essentia, natura, & Deitate: Personalitas enim ea vi proprii conceptûs præcisè præscindit ab eo, quod sit modus, vel non separabilis, vel inseparabilis, sed tantùm dicit naturam completam, & incommunicabilem, licèt ut contracta ad personalitatem creatam sit modus separabilis, contracta verò ad personalitatem divinam est entitas perfectissima: sicut quamvis sapientia ut contracta ad creaturam sit accidens in DEO tamen est substantia: perinde quamvis ratio personæ sit in creatura modus, & includat defectum, in Deo est perfectissima entitas excludens omnem defectum, & transiens in perfectionem simpliciter simplicem. Præterea aliud est loqui de personalitate in abstracto, & aliud de persona in concreto; siquidem personalitas formaliter distinguitur à natura, non ita persona in concreto, quia hæc intendit tum naturam, tum personalitatem.

Si dicas cum Laurentio Valla *Lib.* 6. *elegantiarum cap.* 34. personam non significare substantiam, sed statum, qualitatem, & perfectionem. Contra est, quia tametsi nonnunquam significet statum, vel dignitatem, ut cùm quis dicitur agere personam Proregis, vel Consulis, in quo sensu Tertullianus *lib.* 5. *contra Marcionem*, vocat Christum personam Patris, hoc est imaginem Patris: non tamen semper significat rationem status, vel dignitatis, sed ipsam individuam substantiam naturæ rationalis, ut in definitione Boëtii.

CAPUT II.

Quomodo contra Hæreticos, & Judæos evincatur, dari in divinis tres personas realiter distinctas; & unam earum esse improductam, alias duas productas.

Cum ostenderimus in præcedentibus dari in Deo propriè rationem personæ, adeo ut in divinis detur aliqua persona, quæ propriè sit talis; superest nunc examinandum, an hæc ratio personæ multiplicetur in divinis, & an dentur in DEO tres personæ in unica essentia, seu naturâ, quæ sit prorsus eadem numero in tribus personis, & ratione cujus tres personæ sint unus Deus: huic tamen doctrinæ, quæ est primum Christianæ Fidei fundamentum, videtur adversari principium illud dialecticum: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, ex quo sequitur quòd si personæ in divinis sunt prorsus idem cum divina essentia, debent esse idem inter se, ac proinde non dari plures personas saltem inter se di-

stinctas; cùm divina essentia non distinguatur à se ipsa: hâc difficultate pressi Ethnici, & Hæretici in extremos prolapsi sunt errores: illi enim personarum negârunt distinctionem, quia Fidei lumine destituti, & solo naturæ lumine præditi Deum agnoverunt sine pluralitate personarum, quem errorem secuti sunt Judæi, & Machometani, & plures alii tum veteres, tum recentes Hæretici. Alii è converso adstruentes personarum distinctionem unitatem negârunt essentiæ, ut Arius, Eunomius, eorúmque Sectatores, putantes solum Patrem esse Deum, Filium verò & Spiritum Sanctum quasdam præexcellentes creaturas: quem errorem suam traxisse originem à schola Platonica refert D. Thomas 4. *contra gentes cap.* 6. docuerunt siquidem Platonici dari unum summum Deum Patrem Creatorem rerum omnium, à quo putârunt primitus effluxisse mentem quandam præexcellentem, quam Idæam rerum omnium vocabant.

Verum Fidei dogma est dari in Deo tres personas realiter inter se distinctas; hæc enim realis personarum distinctio definita fuit in quatuor toto orbe celeberrimis Conciliis Niceno, Ephesino, Calcedonensi, & Constantinopolitano, & hanc doctrinam semper edocuit Ecclesia, & Sancti Patres, & habetur expresśè in Symbolo Athanasii; alia est enim Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Contra Judæos concedentes vetus Testamentum probari solet hoc principale Fidei nostræ dogma ex illo Genes. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*, scilicet Deus Pater in principio, seu in verbo, ac secunda persona creavit cœlum, & terram quia per Verbum dicuntur omnia facta, *Joan.* 1. Unde Deus Pater per Verbum seu secundam personam, vel in Verbo, seu Filio creavit cœlum, & terram. Tertia persona significatur, cum subditur, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: His verbis utuntur communiter Sancti Patres ad probandum Mysterium Trinitatis, seu dari tres Personas in Deo, ut August. *lib. de Genes. ad litteram cap.* 1. Hieronymus *lib. Hebraicar. quæst.* ubi demonstrat hebraicè *in principio* poni *in filio*, ac sensum esse in filio creavit Deus cœlum & terram, unde quod latinè legitur *in principio*, hebraicè dicitur *in filio*: & quia non datur filius sine patre, ideo Deus qui dicitur in principio creâsse cœlum, & terram, significat Deum Patrem juxta lectionem hebraicam in filio creâsse cœlum & terram; & cùm expresśè postea nominetur spiritus Domini, qui ferebatur super aquas, clarè significantur tres personæ divinæ inesse Deo. Quòd si dicas per illud *in principio* à sanctis Patribus non intelligi in Filio, sed initio temporis, proinde non posse ex allagato textu evinci dari in divinis tres personas. Contra est, quia eadem Scripturæ verba subinde duos habent sensus etiam litterales, neque id inconveniens esse probat D. Thomas *in cap.* 1. *Genes.* quapropter illud in principio potest sumi in uno sensu literali temporaliter pro initio temporis, & in alio sensu causaliter scilicet in filio: quo pacto etiam Spiritus Domini quamvis significet in sensu literali aërem, aut ventum; adhuc in eodem sensu literali significat etiam personam seu Spiritum Sanctum. Secundò contra eosdem Judæos approbantes, & retinentes Psalmos Davidis hæc eadem veritas ostenditur ex Psal. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, ut enim explicant sancti Patres per nomen Domini Pater intelligitur, seu prima persona Trinitatis, cui tribuitur creatio rerum, licèt opera ad extra sint totius Trinitatis: per Verbum Domini significatur Filius, seu secunda persona Trinitatis, quia per Filium facta sunt omnia: *per spiritum oris ejus* satis apertè indicatur Spiritus Sanctus, seu tertia persona Trinitatis, cui singulari quadam ratione tribuitur divinorum operum perfectio. Tertiò hanc divinarum Personarum pluralitatem sancti Patres ex plerisque aliis locis veteris Testamenti inferunt, præsertim ex illo Isaiæ 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth.* Ubi tres personæ significantur per illam vocem ter repetitam *Sanctus*, & unitas essentiæ naturæ, seu deitatis per alia verba *Dominus Deus Sabbaoth.* Rursus probant itidem ex illo Exodi 3. *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob misit me ad vos*: Cùm enim immediatè superius dicatur *Dominus Deus Patrum vestrorum* per hæc verba in singulari *Dominus Deus* significatur unitas Trinitatis, & per nomen Deus Trinitas personarum ut explicat Glossa interlinearis inquiens: *Hic attestantur tres approbati, & examinati testes, quorum testimonium verum est, nomine trinum testium, tres Trinitatis personas intelligens designatas repetito nomine Deus.*

Contra Hæreticos approbantes, & tenentes sacras Scripturas novi Testamenti, hoc idem dogma nostræ Fidei evincitur ex illo Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, ubi Scriptura dicit *in nomine* seu in singulari, non in *nominibus* in plurali, ut nimirum significetur unitas essentiæ, naturæ, substantiæ divinæ, ac Deitatis, quæ est una, ac eadem numero in tribus personis, quæ exprimuntur per illa verba in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, hinc Joan. 1. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*: Ubi tres personæ non possunt expressius significari in una, & eadem Deitate seu essentiâ, naturâ, & substantiâ ratione cujus tres personæ divinæ dicuntur esse unum significans naturæ, substantiæ, ac Deitatis unitatem, sintque propterea Deus unus in Deitate, & trinus in personis, seu Patre, Verbo, & Spiritu S. & hæc est Fides Catholica ait Athanasius in Symbolo, *ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur*, seu tres personas in una; & eadem essentia, natura, substantia, Deitate.

Hinc suppositâ fide ratio etiam manifestè evincit hunc Fidei articulum: quia cùm non possit idem à se ipso procedere, debet necessariò dari principium, à quo procedat, quia, ut ait August. lib. 1. de Trinit. cap. 1. *Qui putat ejus esse potentia Deum, ut se ipsum ipse genuerit, eò plus errat, quòd non solùm Deus ita non est, sed nec spiritualis, nec corporalis creatura: nulla enim omninò res est, quæ se ipsam gignat, ut sit*: Atqui in divinis datur processio unius personæ ab alia: semel quòd datur Filius, necesse est, detur etiam Pater, à quo Filius procedat, & cùm detur Spiritus Sanctus procedens à Patre & Filio, debet ab ipsis distingui; cùm eadem persona non possit à se ipsa procedere, sed ab alia distincta. Dari in divinis unam personam procedentem ab alia passim in Scripturis sacris significatur *Joan. cap.* 8. ubi Christus loquens de se ipso ait: *Ego enim ex Deo processi, & in mundum veni*: quibus verbis duplex indicatur processio, una æterna secundùm divinitatem, illis verbis ex Deo processi, & alia temporalis, cùm subditur, *& in mundum veni*, quia ut scribit Apostolus ad Galat. 4. *Misit Deus Filium suum natum ex muliere factum sub lege.* Processio itidem Spiritus S. expresśè significatur Joan. 15. *Cùm autem venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*, ex quibus constat dari in DEO processionem, quâ Filius procedit à Patre, & Filio, consequenter dari tres personas realiter distinctas, cùm non possit una persona procedere

à se

à se ipsa: has verò tres personas esse ejusdem essentiæ, & naturæ etiam constat ex Scripturis Joan. 10. ubi Christus de se ipso ait: *Ego & Pater unum sumus*, per verba illa *ego & Pater* satis apertè significatur distinctio personalis; & per alia verba *unum sumus* denotatur unitas essentiæ, quod intelligitur de unitate substantiali essentiæ, ut communiter explicant Sancti Patres. Rursus Spiritum Sanctum ejusdem esse essentiæ, & naturæ cum Patre, & Filio ostendit Joannes 1. Joan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*, hoc est unius essentiæ, naturæ, substantiæ, & Deitatis, tota siquidem identitas divinarum personarum habetur ratione ejusdem naturæ. Non tamen hæc unitas cum omni proprietate dicitur singularis, aut individualis, quia unitas cum omni proprietate singularis est etiam incommunicabilis & unitas divinæ naturæ est communicabilis, & communicatus tribus personis, quæ licèt realiter simpliciter identificentur cum divina persona, distinguuntur tamen inter se realiter ratione producentis, & producti, hinc Hilarius l. de Trinit. circa finem ait. *Patrem singularem Deum prædicare sacrilegum est*. D. Ambrosius 5. de fide ad Gratianum cap. 1. ait: *Quod ad substantiam pertinet non est singularitas, sed unitas, singularitas ad personam pertinet, unitas ad naturam*, & D. Augustinus quæst. 9. veter. Testamenti ait; *Unus quidem Deus sed non singularis*, seu non est singularis cum totali sua proprietate includente incommunicabilitatem, quia Deitas, seu divina essentia ita est in Patre, ut eadem communicetur ad intra Filio, & Spiritui Sancto, sintque tres personæ unus Deus.

Quòd verò ex his tribus personis Pater sit improductus solet à Theologis evinci: quia si omnes divinæ personæ essent productæ, utique ab aliqua alia persona producente, cùm non sit possibile productum sine producente: vel igitur essent productæ ab alia persona creata, vel increata: primum implicat; quia independens, imparticipatum, ac infinitum, cujusmodi sunt personæ divinæ: non potest produci ab aliquo participato, dependente & finito alioquin productum excederet suum principium producens, & secundùm mensuram excessûs in producto daretur productum sine producente, onum correlativum sine alio, quod repugnat; & cùm personæ divinæ excedant in mensura infinita quodlibet ens creatum, daretur mensura infinita producta sine producente, quod implicat contradictionem, quia secundùm mensuram excessûs essent productæ ex suppositione, & non essent productæ quia non essent ab ullo producente, siquidem finitum, & dependens non potest continere nec virtualiter, & causativè infinitum, & independens. Neque possunt omnes tres personæ divinæ produci à persona aliqua increata; quia vel hæc persona esset improducta, vel non: Si primum jam conceditur in divinis persona aliqua improducta: Si secundum, vel hæc persona esset producta ab alia creata vel increata, vel à se ipsa; primum repugnat ut jam ostensum est, quia infinitum, independens, & imparticipatum non potest contineri, neque produci à principio finito, dependente, ac participato: Secundum neque potest asseri, quia si esset producta ab alia persona increata, vel daretur processus in infinitum; eò quia hæc alia persona, ut & quævis alia assignabilis semper esset producta ab alia; vel deveniendum tandem esset ad aliquam improductam, quam asserimus dari in divinis. Neque posset dici producta à se ipsa, quia repugnat, idem posse à se ipso produci: cùm igitur de Fide sit dari in divinis duas personas productas, necesse est, detur aliqua alia improducta.

Neque urget si dicas, posse duas res in diverso genere causæ se invicem causare, ut ultima dispositio quæ causat formam; & hæc ultimam dispositionem, consequenter non repugnare omnes tres divinas personas se invicem producere. Contra est quia repugnat posse duas personas se invicem producere in eodem genere causæ: quia ex vulgato Philosophico axiomate, quod est causa causæ, est causa causati, & si in eodem genere causæ possent duæ res vel personæ se invicem causare, effectus esset causa suæ causæ, proinde deberet præsupponere suam causalitatem, quâ constitueretur in esse causæ, quod est absurdum, quia omnis causa est prior sua causalitate; omnis effectus debet præsupponere causalitatem in sua causa; & causalitas, quâ producta fuit causa effectûs, est ipsa causalitas alterius causantis causam effectus, ergo præsupponeret suam causalitatem, cùm supponat suam causam; & causaret, antequam intelligeretur causari ipsa ab alia causa; & intelligeretur operari, antequam esset: sit operari non sequeretur ad esse, sed hoc ad operari. Non enim potest intelligi, quomodo causa quoad propriam entitatem, & existentiam sit prior suo effectu aliqua prioritate; & in eodem signo accipiat entitatem à suo effectu; quod enim nondum existit, repugnat dare alteri existentiam, quia daret, quod non habet, ageret, antequam esset; unde Aristoteles 4. met. c. 4. tex. 16. *Quæ non sunt, quonam pacto aut loquentur aut ambulabunt*, Neque potest idem esse productivum actûs primi sui ipsius: & si duo in eodem genere causæ possent se mutuo causare; idem esset productivum actûs primi sui ipsius; siquidem actus primus causati est ipsa virtus causæ, qua causatum causatur à sua causa, quæ virtus identificatur cum entitate causæ: proinde eo ipso quòd causa produceret entitatem effectûs, à quo ipsa supponeretur produci, produceret etiam virtutem identificatam cum entitate talis effectûs, & cùm hæc virtus sit actus primus causæ productæ, idem esset productivum actûs primi sui ipsius: & esset in actu secundo, antequam intelligeretur esse in actu primo. Neque in diverso genere causæ possunt duo se vicissim causare, si causatum præsupponat existentiam suæ causæ, ut in casu nostro. Quia semel quid causæ ad hoc, ut causent, exigant existere; si possent se mutuò causare in diverso genere causæ; idem existeret, antequam reciperet existentiam à sua causa; & prius operaretur quàm intelligeretur existere: etenim effectus, qui habet esse à sua causa illud non recipit, nec participat, priusquam illi communicetur à causa: ergo si effectus causaret suam causam necessariò deberet operari antequam haberet esse à sua causa, quia hæc non potest operari antequam accipiat esse, & virtutem operandi; & hanc virtutem acciperet à suo effectu.

Præterea dari in divinis personam improductam ex eo iridem demonstratur: quia cùm DEUS sit una simplicissima entitas indivisa, impartibilis, indistincta, omnia debent in DEO identificari inter quæ non est oppositio: in divinis autem nulla alia dari potest oppositio, quàm relativa; quæ nequit alia esse quàm producentis, & producti: adeo ut in DEO nequeant personæ distingui, nisi relativè in ratione producentis, & producti sitque una principium alterius; proinde non possunt dari duæ personæ improductæ; quia eo ipso quòd essent duæ personæ improductæ, una non produceretur ab alia; neque opponerentur relativè in ratione producentis, & producti, consequenter si distinguerentur, entitas unius non esset

entitas alterius, quia distinctio quæ non habetur ratione producentis, & producti, debet oriri ex diversis entitatibus, quæ propterea essent plures in DEO, quod repugnat alioqnin Deus non esset simplicissimus in entitate. Et licèt attributa in sententia scotistarum distinguantur inter se, & ab essentia, non tamen distinguuntur ut plures entitates, sed tantùm ut formalitates unios, & prorsus ejusdem simplicissimæ entitatis: entitativè enim non distinguuntur; quid verò sint formalitates, explicuimus abunde in tomo 1. Philosophiæ, & quarto Theologiæ.

Præter unam personam improductam dantur etiam in divinis duæ productæ, nec plures, nec pauciores, & ex eo evincitur quia in ente summe spirituali, ut est DEUS, tantùm potest esse duplex processio ab intra scilicet una per intellectum, alia per voluntatem: quia ens spirituale non habet nisi duo principia productiva ad intra, intellectum, & voluntatem: & quia intellectus divinus intelligendo, seu generando, & voluntas spirando habeant actus sibi omnino adæquatos, necessarios, ac immutabiles: adeout intellectus non possit habere nisi unicum actum simpliciter infinitum in ratione intelligendi; ut & voluntas nisi unicum actum infinitum simpliciter in linea amandi; sequitur duas tantùm dari processiones activas, quibus totidem respondent personæ productæ: & has personas distingui inter se realiter relativè definitum fuit de fide in Concilio Florent. sess. 19. coll. ult. Ratio etiam naturalis id evincit, quia inter personam producentem & productam; gignentem, & genitam debet esse realis distinctio: & in Divinis Pater verè generat ad intra filium Psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodiè genui Te* & ex Psal. 109. *Ex utero ante Luciferum genui Te* seu ex intellectu ab æterno genui Te. Rursus Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio ut ab uno spiratore, ut habetur in symbolo Athanasii: ergo in Divinis dantur tres personæ realiter relativè inter se distinctæ, una improducta, & aliæ duæ productæ. Quæ enim à parte rei opponuntur relativè, verè à parte rei realiter distinguuntur: non enim idem potest sibi ipsi à parte rei relativè opponi: sed Pater, Filius, Spirator sunt nomina relativa quæ significant directè relativè opposita, consequenter personæ per talia nomina significatæ debent relativè distingui. ita tamen ut realiter entitativè identificentur inter se, & cum divina essentia, & natura, ut constat *ex cap. damnamur de summa Trinitate* & ex 1. Joan. 5. *Hi tres unum sunt.* Et Joan. 10. ubi Christus loquens de se ipso ait *Ego & Pater unum sumus.*

CAPUT III.

Quo sensu persona improducta in divinis dicatur Pater, & aliæ duæ productæ, Filius & Spiritus Sanctus, & quomodo Spiritus Sanctus evincatur esse Deus contra Macedonium & Græcor.

Pater in divinis dicitur prima persona improducta, non quod in Deo sit aliquid prius, & posterius, majus aut minus; sed quia prima persona est principium sine principio, & fons totius Deitatis, quàm Pater cum aliis duabus personis communicat, & ipse à nullo accipit, quapropter dicitur etiam à Sanctis Patribus, & ecclesia *ingenitus*, quod nomen usurpatur ut character, & nota primæ personæ conducens ad ejusdem notitiam: & quia nomen Patris est relativum ad Filium, & significat principium alicujus quod per veram generationem producatur: ideo in divinis una tantùm est persona, quæ per veram generationem aliam producit ad intra, proinde una tantùm datur persona generans, cui propriè non metaphoricè convenit nomen Patris. Cæterum respectu creaturarum nomen Patris convenit Deo adeo ut quò creatura aliqua est perfectior, & similior Deo, eò Deus dicatur magis propriè Pater talis creaturæ: qua ratione magis propriè dicitur Deus Pater creaturæ rationalis, cui impertitur gratiam sanctificantem, quæ est participatio divinæ naturæ, & gloriæ, sunt enim hujusmodi dona supernaturalia, quæ constituunt creaturam rationalem Filium Dei: hinc nomen Patris dupliciter intelligitur in divinis, quatenus convenit Deo respectu creaturarum, & prout est proprium unius personæ respectu alterius: priori modo convenit tribus personis totius Trinitatis non minus quàm nomen Creatoris, Provisoris, Rectoris rerum omnium creatarum: sicut enim primum hominem, à quo familia propagatur vel cujus consilio, ac imperio regitur, Pater dicitur: perinde quia Deus est sapientissimus Opifex rerum omnium, quas è nihilo traduxit ad illud esse & eam mensuram entitatis, & perfectionis, quam participant, rectè dicitur Pater Omnipotens omnium creaturarum quas regit, providet, ac gubernat; in quo sensu Deuter. 22. dicitur: *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te.* Malach. 2. *Nunquid non Pater unus omnium nostrum? nunquid non Deus unus creavit nos?* Matth. 6. *Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi.* & Luc. 6. *Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est.* Magis tamen propriè, ac specialiori quadam ratione dicitur Deus Pater creaturæ rationalis, quatenus hæc per gratiam, & gloriam participat dona supernaturalia, quæ sunt participationes naturæ divinæ, hinc Apostolus ad Roman. 8. *Non accepertis spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Aba Pater,* & 1. Joan. 3. *Hanc charitatem dedit Pater ut Filii Dei nominemur, & simus.* Cui suffragatur Apostolus ad Hebr. 2. *Quòd si filii, & heredes, heredes quidem DEI, coheredes autem Christi, qui est primogenitus in multis fratribus: propter quam causam non confunditur fratres nos vocare dicens: nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te.* Nomen tamen Patris priùs convenit DEO, seu primæ personæ, ut hæc generet ad intra filium, secundariò respectu creaturarum ad extra, ut indicat Apostolus ad Ephes. 3. *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri JESU Christi ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terris dominatur*: & hæc prioritas, qua prima persona priùs nominatur Pater respectu Filii ad intra, quàm respectu creaturarum ad extra, tripliciter procedit primò tempore, quia Filius ad intra generatur ab æterno, & creaturæ ad extra nonnisi in tempore sunt productæ. Secundo dignitate, quia Filius est infinitè dignior perfectior, & nobilior omnibus creatu-

ria,

cis. Tertiò ratione, quia in divinis necessaria sunt priora libera: & generatio Verbi ad intra est necessaria, & productio creaturarum ad extra libera: & hoc triplici titulo nomen Patris priùs convenit primæ personæ in ordine ad filium genitum ad intra quàm respectu creaturarum, quæ ad extra producuntur.

Hinc nomen Patris propriè, & non metaphoricè in divinis dicitur de prima persona improducta; quia certum est de fide dari in divinis Filium à Patre genitum ad intra, eique consubstantialem, ut habetur in symbolo Niceno: & Filius debet essentialiter supponere Patrem, à quo generetur, adeo ut repugnet dari filium in sensu proprio, quin illico respondeat Pater in sensu proprio, proinde in divinis datur persona improducta, cui propriè, & non metaphoricè convenit nomen Patris; hinc Christus Matth. 16. *Caro, & sanguis non revelabit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*, & Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* ubi vocat primam personam Patrem, qui est totius Deitatis principium, ut loquitur Sanctus Augustinus *lib.* 4. *de Trinit. cap* 20. Filius enim, & Spiritus Sanctus, tametsi eandem habeant cum Patre Deitatem, filius tamen eam habet à Patre improducto, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, ut ab uno Spiratore, qua ratione Pater dicitur principium sine principio, & fons totius Deitatis, quam eam aliis personis communicat, & ipse à nullo eam recipit, cùm sit expers principii, in quo sensu ait Christus Joan. 17. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti JESUM Christum*, unde Apostolus 1. ad Corinth. 8. *Nobis unus Deus Pater ex quo omnia, & unus Dominus JESUS Christus per quem omnia, & nos per ipsum.* Et licèt interdum solus Deus verus vocetur Pater, id non intelligitur exclusivè ad alias personas divinas, sed ad exclusionem creaturarum vel idolorum, quæ ab Ethnicis credebantur Numina, & pro Diis colebantur, sicut non sequitur Patrem non esse Lucem veram, eò quia de Christo dicatur Joan. 1. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: ita ex eo, quòd Pater dicatur solus verus Deus, non sequitur Filium non esse verum Deum, ut falso putârunt Hæretici; Ariani.

Cæterum vocabulum Patris est notionale primæ personæ, quia hæc sola generat ad intra Filium, Pater enim sine initio & fine semper est Pater, & semper ad intra generat Filium. Non tamen est nomen notionale Patris adæquatè: quia Pater non solùm generat ad intra Filium, sed etiam unà cum filio spirat Spiritum Sanctum, & nomen Patris tantùm explicat primam personam generare filium, non verò spirare Spiritum Sanctum, consequenter non explicat adæquatè esse notionale primæ personæ. Præterea nomen Patris præcisè sumptum non explicat innascibilitatem, quæ etiam est propria notio Patris: etenim nomen Patris præcisè & ex propria ratione tantùm explicat originem activam, qua Pater generat Filium ad intra, & quia Pater ita est persona generans, ut ipse sit persona ingenita, & excludat omnem processionem ab alio, ideo hæc negatio omnis processionis explicatur per innascibilitatem, quæ significat negationem omnis processionis ab alio.

Quòd ad secundam personam attinet de fide est esse verum Filium DEI naturalem, & ejus numerò essentiæ cum Patre, proinde esse consubstantialem, & coessentialem Patri, eique æqualem. Hæc eadem secunda persona non solùm Filius, sed etiam *Verbum* dicitur sumpto verbo pro conceptu mentis expressivo objecti cogniti per modum imaginis, in quo sensu Filius Dei propriè & sine ulla metaphora dicitur Verbum Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: hoc est ab æterno Verbum semper producitur à Patre, & est apud Deum, & Deus est Verbum, quatenus eadem essentia, natura, substantia, & Deitas, quæ est in Patre, eadem prorsus simplicissima, & indistincta sit in Verbo seu Filio, qui in tempore satisfacturus divinæ justitiæ ad redimendum hominem à servitute peccati naturam assumpsit humanam, & *Verbum Caro factum est*, neque Joannes fuit locutus metaphoricè, cum direxerit suam narrationem, ut explicaret, quomodo Incarnatio facta fuerit in persona Filii Dei. Tum quia quidditas, & proprietas Verbi in eo consistit, quod sit terminus expressus, & productus per intellectionem, & repræsentet objectum, & maneat in intelligente: & Filius DEI ad intra est verus terminus expressus, & productus per intellectionem divinam veluti expressa imago rei intellectæ, seu substantiæ Patris, & manet in Patre, cum eandem essentiam & naturam habeat cum Patre, ut liquet ex illo Joan. *Ego & Pater unum sumus*: unde quidditas Verbi ut abstracta à Verbo creato, & increato consistit præcisè in ratione termini intellectualis expressi, ac producti ab intelligente. Differt tamen Verbum creatum ab increato, quia illud est accidens, & actus informans per inhæsionem, & est quid distinctum realiter à principio producendi. Verbum autem divinum est substantia per se subsistens, & licèt relativè distinguatur à persona producente non tamen ab ejus essentia, neque comparatur ad ipsam ut actus ad potentiam qua informetur. Rursus Verbum creatum producitur ex indigentia intelligentis, quatenus intelligens per productionem Verbi constituit sibi objectum præsens, & proportionatum quod intelligat: Secus Verbum divinum non producitur ex ulla indigentia, sed ex sola fœcunditate naturæ, quia in divinis Pater non dicit ad intra Verbum, ut intelligat; sed quia intelligit dicit Verbum, adeo ut priùs origine quam Pater Verbum dicat ad intra, sit Pater perfectissimè intelligens, & omniscius: unde Verbum divinum quia consubstantiale Patri non prolativum, sed substantiale vivens, & æternum: unde Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: quòd si Deus est Verbum, necesse est Verbum divinum sit substantiale vivens æternum, ut rectè infert S. Athanasius orat. 2. contra Gregales Sabel. *Si Deus Verbum in mente habet, non autem revera ex ipso genitum ut Deum de Deo, quomodo poterit esse apud Deum Verbum, aut quomodo Deus fuerit? non enim Verbum in mente hominis conceptum, homo est apud hominem cum neque vivat, neque subsistat.* Et ex eo, quòd Verbum divinum sit Patri consubstantiale, consequenter sit vivens, & æternum; ratio Verbi diversimodè dicitur de Verbo divino, & creato: quia Verbum in creatis significat conceptum mentis, accidentalem inhærentem suo principio; in divinis Verbum est substantiale vivens, ac ejusdem naturæ cum producente, adeo ut Verbum divinum infinitè distet à Verbo creato in omnibus, in quibus possent proportionaliter convenire. Hinc Filius in divinis propriè est Verbum, quia in scripturis secundæ personæ Trinitatis utrumque nomen Verbi, & Filii tribuitur. 1. Joan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*: loco Filii, qui est correlativus Patri ponitur Verbum, quod propterea idem est ac Filius, & Joan. 1. *Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis*; & de fide est

solum Filium æterni Patris nostram assumpsisse humanitatem, ergo Filius est formaliter Verbum, quo vocabulo utitur Joannes intendens explicare Christi nativitatem, & æternam generationem, quia nomine Verbi, quod caro factum est, intellexit Filium: quapropter sancti Patres pro eodem sumunt Verbum, Filium, & secundam personam Trinitatis, ait Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 14. *Verbum Dei Patris unigenitus Dei Filius.* Quòd si Verbum non esset formaliter idem, ac Filius darentur in divinis quinque relationes reales: siquidem relatio Verbi ad dicentem ad intra non esset eadem cum relatione Filii ad Patrem, sed in divinis non dantur nisi quatuor relationes reales Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & passiva, ergo si relatio Verbi est eadem formaliter cum relatione Filii: Verbum in divinis est idem formaliter ac Filius. Tum quia Verbum divinum procedit per modum naturæ intellectualis, & ita procedere, perinde est, ac procedere ut est Filius intellectualis, proinde Verbum divinum Filius & secunda persona in Deo sunt idem. Tum quia notitia naturaliter producta à memoria fœcunda est Verbum, & in divinis secunda persona est notitia naturaliter genita à memoria fœcunda Patris, proinde est formaliter Verbum, & Filius æterni Patris. Quòd si dicas esse de ratione Verbi constituere intellectum, à quo procedit actu intelligentem, & secundam personam non constituere Patrem, à quo procedit, intelligentem, cùm Pater esset perfectissimè intelligens, & omniscius, tametsi per impossibile non produceret Verbum ad intra contra est, quia de ratione Verbi præcisè non est constituere intellectum, à quo procedit intelligentem, adeo ut eatenus in creatis intellectus Verbum producat, ut sibi constituat objectum præsens, & proportionatum ad illud intelligendum, dicaturque propterea intellectus creatus Verbum producere ex indigentia, ut possit Intelligere: Intellectio siquidem se habet consecutivè ad Verbum mentaliter dictum. Sed dato etiam quòd in creatis de ratione Verbi esset constituere intellectum, à quo procedit actu intelligentem, adhuc esse discrimen, quia in creatis intellectus producit Verbum ex indigentia, ut intelligat, propterea constituit intellectum, à quo procedit actu intelligentem, sed in divinis quia potentia productiva ad intra, non producunt ex indigentia, sed es summa fœcunditate Pater non producit Verbum, ut intelligat, quia sic per impossibile Pater Verbum non produceret, adhuc perfectissimè intelligeret sine verbo, quod propterea non habet constituere Patrem, à quo procedit, actu intelligentem. Si instes primam personam in divinis intelligere omnia Verbo, proinde Verbum constituere Patrem intelligentem. Contra est, quia quando Pater dicitur in divinis intelligere omnia Verbo, sensus non est, ut Pater actu constituatur intelligens per ipsum Verbum; sed Patrem intelligere omnia Verbo appropriatè, seu principiativè, quatenus omnia per Verbum dicuntur facta, non verò formaliter. Si instes Patrem esse sapientem sapientia, quam in se habet, & hanc sapientiam esse formaliter Filium à se genitum, quia Pater habet sapientiam genitam. Contra quia Pater est summè sapiens sapientia, quam habet formaliter non verò sapientia, quam habet originativè: & sapientiam genitam non habet Pater formaliter, sed tantùm originativè, quatenus est origo sapientiæ genitæ; alioquin si Pater esset sapiens sapientia se habente originativè, sequeretur intelligere ex indigentia, & generare sapientiam, ut intelligeret, quod non conceditur.

Cæterum Verbum in divinis propriè sumptum dicitur tantùm notionaliter, quia in Scripturis Verbum divinum semper significatur personaliter, seu notionaliter pro secunda persona, & nunquam essentialiter, unde Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, quæ verba à sanctis Patribus explicantur de prima persona Trinitatis, cùm idem Joannes paulò infra subdat: *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: certum est enim de fide solam secundam personam assumpsisse humanitatem. Et 1. Joan. 1, habetur. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*, ubi Verbum sumitur pro Filio consequenter personaliter, seu notionaliter, non verò essentialiter, quia secunda persona dicitur Verbum non verò divina essentia, Joannes enim loquens de secunda persona Apocal. cap. 19. ait: *Nomen ejus erat Verbum Dei*; Quòd si dicas, Verbum in Scripturis dici tantùm de secunda persona per appropriationem. Contra est, quia personæ divinæ non contradistinguuntur inter se per appropriationem, sed per proprias formales rationes, adeo ut Verbum in divinis non per appropriationem, sed formaliter dicatur de secunda persona, ut claret ex Joan. 1. ubi Verbum dicitur Caro factum, & de fide est, solam secundam personam nostram assumpsisse humanitatem, unde Verbum proprii & formaliter dicitur de Filio, de quo subdit Joannes. *Et vidimus gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Hinc Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 2. ait: *Verbum de Verbo dici non potest, quia non simul ambo Verbum, sed solus Filius*: sin autem Verbum in divinis posset dici essentialiter, non rectè Augustinus dixisset, solum Filium esse Verbum, quia prædicata essentialia communia sunt tribus personis, quapropter etiam Pater posset dici Verbum, sicut dicitur Deus, ex quo liquet Verbum in divinis dici tantùm nocionaliter de secunda persona non verò essentialiter: ut definitum fuit in Conciliis præsertim *Nicano* §. *sancta, & magna*, in Chalcedonensi *cap.* 5. *in def.* 2. & in Constantinopolitano 2. *act.* 2. *can.* 4. Ratio etiam id suadet, quia de ratione verbi mentalis est, ut sit repræsentatio actualis objecti non utcunque, sed ut producta ab intelligente, sitque præterea verbum mentale essentialiter, productum; & hoc prædicatum productum non dicitur essentialiter, sed tantùm nocionaliter, non enim quæ sunt essentialia producuntur in Deo, sed tantùm communicantur aliis personis divinis, quibus communia sunt, & de quibus prædicantur: ergo si ratio Verbi in divinis est producta, non potest dici essentialiter, sed tantùm notionaliter, & personaliter.

Hinc Filius in divinis verè & propriè dicitur esse imago Patris, ut Apostolus ad Hebr. ubi de Christo ait: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*, ad Colos. 1. de eodem Christo dicitur. *Qui est imago Dei invisibilis*, & in plerisque aliis Scripturæ locis tum veteris, tum novi testamenti Filius dicitur imago Patris, adeo ut inde occasionem desumpserint sancti Patres vocandi Filium imaginem, & characterem Patris, ut D. Athanasius *orat.* 2. *contra Arian*, ubi vocat Verbum divinum: *Splendorem, characterem imaginem Patris*, & D. Hilar. lib. 2. de Trinit. sub init. vocat Filium divinum *Imaginem invisibilis Dei, & formam Patris ingeniti.* D. Ambrosius itidem lib. 10. in Luc. vocat secundam personam divinam *Plenam Dei imaginem*, quia ut aliquid sit imago ex communi conceptu requiritur, primò ut sit simile prototypo: secundò ut sit ab eo expressa, & producta, qua ratione D. Augustinus ovum dicit ovo simile esse, non tamen esse ejus imaginem, eò quia ovum ab ovo non sit productum.

Ter-

Tertiò ut sit expressa, & producta ex intentione repræsentandi Prototypum, & defectu hujus conditionis ignis B. productus ab igne A. quamvis sit illi similis, non tamen est ejus imago, quia in hoc effectu simili natura non intendit nisi solam propagationem speciei, & ad rationem imaginis naturalis requiritur, ut sit ab vivente cognoscitiva cum de ratione imaginis sit repræsentare, id à quo formatur: in formatione autem imaginis debet formans procedere exemplariter, quod non fit, nisi cognoscat in ipso rationem imaginis, quam producat cum intentione repræsentandi: hinc in iis, qui operantur per intellectum non intenditur à natura sola propagatio speciei, sed etiam repræsentatio generantis in individuo, hæcque est ratio, cur Filius in humanis censeatur quædam imago Patris, & hic dicatur superstes vivere in Filio, Hinc Ecclesiast. 30. *Mortuus est Pater ejus, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se*, quia generans intellectuale non solùm ea intentione naturæ producit aliquid sibi simile, sed ulterius aliquid, quod ipsum exprimat, quapropter Genes. 5. dicitur Adam genuisse seprem *ad imaginem, & similitudinem suam.* Hæ autem omnes conditiones concurrunt in Verbo divino, quia cùm sit verus æterni Patris Filius, est etiam vera imago Patris, & quia procedit formaliter per intellectum & in sapientia genita & cognitio actualis Dei, ex vi suæ formalis processionis repræsentat perfectissimè Patrem.

Ad tertiam personam quod attinet hæc propria nomenclatione dicitur Spiritus Sanctus, quod nomen dupliciter sumi potest, primò ut deducitur à spiratore; secundò à spiritualitate; in hoc secundo sensu propriè & rectè prædicatur æquè de Patre, & Filio, ac de Spiritu Sancto; quia ut Christus Dan. 4. ait: *Spiritus est Deus*, & *Spiritus oris nostri Christus*, unde Spiritûs nomen ut deductum à spiritualitate est quid commune omnibus divinis personis, quia unaquæque persona divina est Spiritus, & etiam unaquæque sancta: quin imò in hac significatione etiam Angeli, qui cœlesti donantur beatitate, & animæ piorum, ac justorum, dici possunt Spiritus, & Sancti, quia sunt substantiæ spirituales, & ob pietatem, ac culturam virtutum sunt glorificati in cœlesti patria. Sin autem nomen Spiritus deducatur à Spiratore, & spiratione in hoc sensu tertia persona in divinis dicitur Spiritus Sanctus ex accommodatione sacræ Scripturæ, & communi usu ecclesiæ: ut D. Thomas *quæst.* 36. *art.* 2. duas assignat rationes depromptas ex D. Augustino, quarum prima est, quia sint tertia persona procedit à Patre, & Filio; ita tribuendum ei erat nomen, quod esset commune Patri & Filio, cujusmodi est nomen Spiritus, cum Pater & Filius sint unus ac idem Spiritus, quoad substantiam cum tertia persona. Secunda ratio est, quia nomen Spiritus ex primæva sua significatione significat quasi habitum impellentem; & quia impellere, & movere voluntatem in rem amatam est proprium amoris: & tertia persona utpote procedens per voluntatem sit verus amor Patris & Filii, & ab utroque spiratur rectè, & propriè vocatur Spiritus: additur sanctus, quia sanctitas convenit illis rebus, quæ in Deum ordinantur; & omnia ordinare in Deum proprium est amoris; unde Spiritus dicitur sanctus, non quòd hæ voces sumantur divisim, quia etiam Pater & Filius sunt Spiritus, & sunt Sancti; sed quatenus coalescunt in unam. Sumpto igitur Spiritu Sancto pro tertia persona, quæ est amor procedens per voluntatem in utroque testamento veteri, & novo nobis significatur Psal. 50. *Spiritum Sanctum tuum, ne auferas à me* Sapient. 9. *Sensum tuum quis sciet, ni tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis.* Eccles. 1. *Ipse creavit illam in Spiritu Sancto.* Matth. 1. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*, Luc. 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne.* Matth. 28. injungit discipulis baptizare gentes *in nomine Patris & Filii, & Spiritûs Sancti.* Potest etiam alia adduci ratio, cur tertia persona in divinis vocetur Spiritus Sanctus; quia cum secunda persona proprium nomen habeat, voceturque filius cujus æternus à Patre ortus propriè generatio dicitur; adeoque & primæ personæ nomen congruat Patris; & tertia persona procedat à Patre, & Filio ut ab uno spiratore, proprium nomen convenienter desumit à suo principio, spiratione, & processione vocaturque Spiritus Sanctus: Hinc D. Augustinus lib. 11. de civit. Dei cap. 24. ait: *Cùm sit Pater Spiritus, & Filius Spiritus; & Pater Sanctus, & Filius Sanctus, propriè tamen ipse vocatur Spiritus Sanctus, tanquam sanctitas substantialis, & consubstantialis amborum* & lib. 15. de Trinit. asserit, tertiam Trinitatis personam meritò Spiritum Sanctum, & charitatem propriè vocari; *quia cùm sit communis ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter.*

Hanc tertiam personam, seu Spiritum Sanctum esse verum Deum Patri, & Filio æqualem, est dogma fidei & evincitur ex sacris Scripturis Act. 5. ubi cùm S. Petrus dixisset: *Anania, cur tentavit satanas cor tuum mentiri Spiritui Sancto*, mox indicans, Spiritum Sanctum esse verum Deum subdit: *Non es mentitus hominibus sed Deo* quem prius Spiritum Sanctum vocaverat, statim asserit esse Deum. D. Paulus 2. ad Corinth. 6. vocat Fideles templum Spiritus Sancti: *Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritûs Sancti:* & postea subdit, *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*, quæ verba referuntur ad Spiritum Sanctum, ut notat S. Augustinus epist. 66. & c. 3. ejusdem epistolæ ait: *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis; & si quis templum Dei violaverit, disperdet eum DEUS: templum enim Dei sanctum est.* D. Augustinus infert fideles esse templum Dei, eò quia sint templum Spiritus Sancti, qui propterea est formaliter verus Deus. Tum quia Scripturæ tribuunt Spiritui Sancto prædicata, & perfectiones quæ nonnisi Deo possunt convenire: tribuitur enim immensitas propria solius Dei, Sapient. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Psal. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Tribuitur itidem omnipotentia Sapient. 7. *Spiritus Sanctus habet omnem virtutem.* Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus virtus eorum.* Et D. Paulus 1. ad Corinth. 5. *Spiritus sanctus operatur omnia in nobis*, tribuitur etiam comprehensio propria Dei, 1. Cor. 2. *Non solùm scrutatur omnia, sed etiam profunda Dei*, ubi scrutari significat perfectè comprehendere, quo pacto Psal. 7. Deus dicitur *scrutans cor, & renes*, & ad Rom. 8. *Scrutator cordium*, seu comprehendens totum hominem, ejusque cogitationes mentis; quia in eodem loco dicitur, *nemo novit, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei:* hoc est, nemo perfectè comprehendit Deum, nisi ipse Deus, nisi Spiritus Dei. Tribuitur etiam Spiritui sancto præscientia futurorum propria solius Dei Sapient. 7. *Spiritus Domini prospicit omnia*, scilicet præterita, præsentia, & futura. Tributur etiam authoritas supra ecclesiam universalem Actor. 20. *Attendite vobis, & universo gregi,*

in quo posuit vos Spiritus Sanctus regere ecclesiam Dei. Cui autem conveniunt proprietates alicujus naturæ, convenit etiam ipsa natura, quia cum ipsa proprietates identificantur, & ab ipsa metaphysicè fluunt: ergo cùm Spiritu Sancto conveniant Dei proprietates, convenit etiam illi Deitas.

Ex hisce Scripturis nervosissima, & invicta sancti Patres argumenta construxerunt, quibus impugnarunt, everterunt, soloque æquarunt hæresim Macedonii, & hæreticos Macedonianos asserentes, Spiritum Sanctum non esse Deum, sed creaturam; & præ cæteris Augustinus in Enchir. cap. 56. ait *Spiritus sanctus, si creatura non creator esset, profectò creatura rationalis esset; ipsa enim est summa creatura. Et ideo in fides regula non poneretur ante Ecclesiam, quia & ipse ad Ecclesiam pertineret in illa ejus parte, qua in cælis est. Nec haberet templum, sed & ipse templum esset. Templum autem habet, de quo dicit Apostolus, nescitis, quia corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo? de quibus alio loco dicit, nescitis, quia corpora vestra membra sunt Christi. Quomodo ergo Deus non est, qui templum habet? aut minor Christo est, cujus membra templum habent? neque enim aliud templum ejus, aliud templum Dei est, cum idem dicat Apostolus: Nescitis, quia templum Dei est, quod, ut probaret, adjecit. Et Spiritus Dei habitat in vobis, Deus ergo habitat in templo suo, non solum Spiritus sanctus sed etiam Pater, & Filius.* Hinc Concilium Generale Romanum sub Damaso I. Hæresim Macedonii asserentis, Spiritum sanctum esse creaturam damnavit, & ejus authorem anathematizavit. Et Patres illius Concilii ad hanc Macedonii hæresim radicitus ab Ecclesia evellendam in eodem voluerunt characteribus, quos nulla ætas potis esset unquam delere, inseri: *Credimus in Spiritum Dominum, & vivificantem ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum; & conglorificandum, qui loquutus est per Prophetas.* Ex eo quod concilium decreverit vocari Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum, declaravit Spiritum Sanctum æqualem aliis duabus personis divinis, & ejusdem esse naturæ substantiæ, ac Deitatis, eo ipso quòd vivificat, impertitur vitam creaturæ rationali, seu gratiam, qua vivit Deo, eique unitur: anima enim Deo coojuncta excellentiùs vivit, quàm corpus ex conjunctione cum anima, à qua vitam haurit: quia scripturæ hanc animæ conjunctionem cum Deo tribuunt Spiritui Sancto, ideo Spiritus sanctus dicitur vivificans, quia est causa, cur anima Deo vivat.

Hinc rejicitur etiam hæresis Serveti, & ministrorum Transylvaniæ asserentium Spiritum Sanctum non esse rem subsistentem, sed tantùm impulsum quemdam divinum; qui error adversatur D. Paulo 1. ad Corinth. 12. *Hæc omnia operatur unus ac idem Spiritus dividens singulis prout vult*; quod autem operatur, prout vult, debet esse aliquid subsistens, & operans per intellectum & voluntatem: hinc scripturæ tribuunt proprietates Dei Spiritui Sancto; & cùm proprietates identificentur cum natura, satis apertè ostenduut Spiritui sancto inesse eandem naturam, ac Deitatem, ut in aliis divinis personis. Respondent Transylvani tribui Spiritui sancto proprietates Dei non per auctoritatem, sed per ministerium: sed contra quia operans pro ut vult, non operatur ministerialiter, seu ad voluntatem alterius principalis; sed ipse operatur principaliter. Minister Principis quia tantùm operatur ministerialiter, debet non prout vult, operari, sed juxta mandata Principis, qui solus dicitur agere, & jubere prout vult: ergo si Spiritus sanctus operatur prout vult, non operatur per ministerium, sed auctoritativè. Tum quia cùm Spiritus sanctus nulli dicitur operari pro ut vult, significatur libertas nulli alteri subjecta, ut sancti Patres explicant verba Apostoli.

Objiciunt tamen hæretici Christi verba Joan. 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à se ipso, sed quæcunque audiet, loquetur*: hoc autem est proprium munus ministri loqui, quæ ipse audit à Principe, & quæ vult Princeps, ut loquatur. Sed contra quia sensus verborum non est, Spiritum sanctum eo tantum posse loqui, quæ audit instar legati, & ministri; qui ab alio mittitur, & docetur quid loqui, quidque agere debeat; sed sensus est Spiritum sanctum non habere scientiam à se ipso, sed eam accipere à Patre, & Filio, à quibus procedit ut ab uno spiratore; ait D. Augustinus tract. 99. in Joan. *Audire illi scire est: scire verò esse: quia ergo non est à semetipso, sed ab illo, à quo procedit, à quo illi est scientia, ab illo scientia, ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud, quàm scientia*: & licèt Joan. 6. Christus loquatur in futuro non de præsenti; *Quæcunque audiet, loquetur.* Nil officit, quia æternitas complectitur omnium temporum differentias, & illa audientia æterna est, quia ab æterno Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio: hinc D. Augustinus loc. cit. subdit: *Illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna scientia, in eo autem quod sempiternum est sine initio, & sine fine, cujuslibet temporis verbum ponitur, sive præteriti, sive præsentis, sive futuri, non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa immutabilis, & ineffabilis non recipiat, fuit, & erit, sed tantùm est: tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas, & nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus, & fuit, & erit, & est. Fuit, quia nunquam defuit, erit, quia nunquam deerit; est, quia semper est, semper itaque audit Spiritus sanctus, quia semper scit: ergo & scivit, & scit, & sciet: ac per hoc & audivit, & audit, & audiet: quia hoc est illi audire, quod scire, & scire illi hoc est quod esse: ab illo igitur audivit: & audit, & audiet, quia hoc est illi audire, quod scire; & scire illi hoc est, quod esse. Ab illo igitur audivit, audit, & audiet, à quo est: ab illo est, à quo procedit*, hactenus Augustinus.

Objiciunt Acatholici etiam illud Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*, scilicet per Verbum, per quod facta sunt omnia: sed terminus ille *omnia* est universalis includens quidquid est. Proinde Spiritus sanctus simul cum creaturis factus est, proinde non est Deus sed creatura facta per Verbum, ut putavit Servetus. Sed contra, quia licèt omnia dicantur facta per Verbum, non tamen inde sequitur, Spiritum sanctum esse creaturam, quia ut docet Athanasius, Spiritus sanctus non enumeratur inter ea, quæ facta sunt: ait enim in symbolo loquens de Spiritu sancto: *Non est factus, nec creatus, neque genitus, sed procedens*: nequit substantivè esse eadem res cum eo, à quo fit; & cùm Spiritus sanctus sit realiter simpliciter eadem res substantivè cum essentia, & natura Verbi divini, non potest enumerari inter ea, quæ per Verbum facta sunt. Hinc Nazianzenus orat. 37. asserit. Omnia per Verbum divinum esse quidem facta, non tamen

men omnia simpliciter, sed tantùm ea, quæ verè facta sunt, & id colligi ex eodem contextu Joannis, sic enim ; Omnia esse facta per Verbum, *quod factum est* : & licet aliqui dispungant, ponantque distinctionem ad illud verbum *nihil*, alii tamen non ponunt distinctionem usque ad sequentes voces inclusivè *quod factum est*, adeo ut sensus sit, quòd omnia per verbum sint facta, quæ verè facta sunt : & cum Spiritus Sanctus non sit factus, sed procedat à Patre, & Filio, ideo per verbum non dicitur factus, ut explicat Nazianzenus *Orat.* 37. cui adhæret Chrysostomus *homil.* 4. *in cap. Joan.* asserens: Hæreticos esse, qui punctum ponunt statim post illa verba sine ipso factum est nihil, vult enim punctum esse ponendum post illa verba, quæ immediatè sequuntur, scilicet quod factum est, sitque sensus; sine ipso factum esse nihil, quod factum est. Cùm igitur Spiritus Sanctus non sit factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens, satis apertè constat non posse comprehendi inter ea, quæ facta sunt per Verbum, alioquin etiam Pater diceretur factus per Verbum.

Objiciunt etiam Hæretici illud ad Roman. 8, *Spiritus Sanctus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus* : Sed qui postulat, necesse est sit inferior eo, à quo postulat, ergo si Spiritus Sanctus postulat à Deo, est inferior Deo, consequenter non est Deus. *Sed* contra quia ut explicant sancti Patres, Spiritus Sanctus non postulat pro nobis in sensu formali sed tantùm in sensu causali, sitque propterea sensus Spiritum *Sanctum* pro nobis postulare, seu facere nos postulare, quatenus impertitur nobis suam gratiam, quâ nos movet ad postulandum, non coactè, sed liberè, ut exponit Augustinus *lib.* 1. *contra Maximinum & epist.* 105. Hinc *Spiritus Sanctus* dicitur quidem pro nobis postulare gemitibus inenarrabilibus, non tamen immediatè, & per se formaliter, sed tantùm mediatè causaliter, quatenus excitat nos interius, ut postulemus, in quo sensu D. Paulus ad Galat. 4. etiam scribit : *Pater misit Filium Spiritum Filii sui clamantem Abba Pater*, scilicet excitantem nos, ut clamemus Abba Pater, ut edisserit Augustinus *epist.* 101. cum Nazianzeno *Orat.* 36. Ratio ex eo peti potest, quia tametsi opera Trinitatis ad extra sint indivisa, & communia tribus personis; opera tamen gratiæ, ut sunt orationes, deprecationes, supplicationes, specialiter attribuuntur *Spiritui Sancto* per quandam appropriationem; in quo sensu dicitur Deuter. 13. *Tentat vos Deus, ut sciat an eum diligatis* & sensus est, ut faciat scire, quia Deus non potest quidquam ignorare, cùm sit omniscius. Quamobrem hæc & similia *Scripturæ* testimonia, quæ nobis objiciuntur ab Hæreticis, intelligenda sunt cum sanctis Patribus in sensu causali, non formali.

Objiciunt ulterius illud Amos 4. ubi DEUS dicitur *creare spiritum, & enuntiare homini eloquium suum*, ex quo inferunt Spiritum Sanctum esse creaturam, non DEUM, sed contra quia ibi nomine Spiritus, non intelligitur Spiritus Sanctus, sed ventus vel aer exagitatus, ut explicant Sanctus Basilius *lib.* 3. *contra Eunomium*, D. Augustinus *lib.* 1. *de Spiritu S. cap.* 7. D. Athanasius *epist. ad Serapionem*, & communiter Sancti Patres: quia in vulgata eruditione latina non legitur Spiritus, sed ventus, qui jungitur cum montibus, formans montes, & creans ventum, & faciens nebulam matutinam. Quamobrem Propheta Amos ibi non loquitur de Spiritu S. sed de vento, qui jungitur cum turbine, & procella: in quo sensu etiam intelligitur illud Exodi 15. *Flavit Spiritus & operuit eos mare*, seu flavit ventus, qui mare quassavit, cujus procella eos demersit; in eodem sensu intelligitur illud Psal. 147. *Flavit Spiritus ejus, & fluent aquæ* scilicet ventus australis, qui solet pluvias excitare, flavit, & aquæ delapsæ sunt è cœlo.

Ex eo itidem inferunt Hæretici Spiritum S. non esse DEUM, eo quia in Scripturis interdum fiat sola mentio Patris, & Filii, omisso Spiritu Sancto Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti JESUM Christum* ex quo perperam inferunt Spiritum Sanctum non esse DEUM. Nam contra est, quia quamvis in uno vel altero loco non fiat mentio Spiritus Sancti, in pluribus tamen aliis significatur expressè: ut Marc. 16. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ubi *in nomine* posito in singulari denotatur una Deitas, & unus DEUS communis tribus personis Patri, Filio, & Spiritui Sancto; Baptismus autem non potest conferri in nomine creaturæ, sed solius DEI, proinde Spiritus Sanctus est verus DEUS plerisque etiam in aliis Scripturæ locis fit mentio Spiritus Sancti, ut Joan. cap. 16. *Si non abiero Paracletus non veniet, sin autem abiero, mittam eum ad vos.* Et rursus *cum veniet Paracletus, ille vos docebit omnem veritatem.* Præterea ex antecedente negativo, seu ex eo, quòd non fiat mentio de Spiritu Sancto, valeret inferre Spiritum Sanctum non esse Deum, etiam ex illo argumentandi modo possemus inferre Filium non esse DEUM, quia subinde in Scripturis fit mentio de solo Patre, & Spiritu Sancto, & non de Filio Matth. 10. *Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Non rectè igitur ex antecedente negativo infertur illatio ad exclusionem alicujus, proinde non est necesse, quòd, quoties in Scripturis nominatur una persona mentio semper fiat alterius: neque sequitur personam, cujus non fit mentio, non esse DEUM, ex quibus constat Spiritum Sanctum esse verum DEUM, cùm expressè dicat Joannes *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Hinc neque obstat, quod objiciunt ex illo Matth. 11. *Nemo novit Patrem, nisi Filius*: quia si inde inferretur Spiritum Sanctum non esse DEUM, posset per instantiam etiam probari Filium non esse DEUM, etenim 1. Corinth. 2. dicitur: *Nemo novit secreta DEI nisi Spiritus DEI*, unde sequeretur solùm Spiritum Sanctum esse DEUM. Respondetur igitur directè per illum terminum *nemo* non excludi divinas personas, sed tantùm creatas, ut communiter expendunt Sancti Patres. Neque urget illud aliud desumptum ex Joan. 18. ubi Spiritus Sanctus dicitur non loqui à se ipso: *Non loquetur Paraclytus à se ipso, sed quæcunque audierit, loquetur*, ex quo inferunt Spiritum Sanctum non esse DEUM, & ab ipso distingui, eo quia in loquendo dirigatur ab alio. Sed contra, quia eatenus Spiritus Sanctus, non dicitur loqui à se ipso, non quia dirigatur ab alio, à quo distinguatur in natura, sed quia est ab alio & procedit à Patre, & Filio, ut ab uno Spiratore, à quo accipit essentiam, & virtutem omnem, in quo sensu etiam Filius dicitur non loqui à se ipso Joann, 14. *Verba, quæ ego loquor vobis? à me ipso non loquor*, & cap. 7. *Doctrina mea non est mea, sed ejus, qui misit me*, quatenus Verbum per veram generationem ad intra producitur à Patre, unde sicut ex eo quòd Verbum non loquatur à semetipso, non inde infertur Verbum non esse Deum: ita nec ex eo, quòd Spiritus Sanctus non loquatur à se ipso, sequitur Spiritum Sanctum non esse Deum, utrumque enim verum est, scilicet Spiritum Sanctum esse Deum, eo quia unam eandemque cum Patre, & Filio habeat essentiam,

riam, naturam, substantiam, & Deitatem; & non loqui à se ipso, eò quia procedat à Patre, & Filio. Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio est dogma Fidei in Conciliis generalibus, Lugdunensi II. sub Gregorio X. & Florentino sub Eugenio IV. declaratum contra errorem Græcorum, qui in iisdem Conciliis ejurato schismate tandem professi sunt cum Ecclesia Latina processionem Spiritus Sancti à Patre & Filio, quam antea pertinaciter negabant. In Concilio siquidem Florentino convicti fuerunt à latinis Patribus perspicuis testimoniis æquè Græcorum, ac Latinorum Sanctorum Patrum asserentium Spiritum S. à Patre, & Filio, seu quod perinde à Patre per Filium procedere, & esse ex substantia Patris, & Filii: ex Scripturis etiam luculenter, & expressè elatet Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere Joan. 16. ait Filius de Spiritu Sancto: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis:* Unde omnia quæ Patris sunt, illi etiam sunt, proinde quidquid à Patre accipit Spiritus Sanctus, à Filio etiam accipit, scilicet potestatem, scientiam, essentiam, naturam, substantiam, Deitatem, & omnia, quæ relativa non sunt. Evincitur hæc veritas ex illo Joan. 15. *Quem ego mittam vobis à Patre*, ut etiam ex illo 17. *Si abiero mittam eum ad vos*, scilicet ut significaret illum date, & mittere: & cùm in duobus præcitatis locis loquatur Filius, manifestè sequitur Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, ut ab uno Spiratore: siquidem in divinis missio non potest significare, nisi originem, & processionem personæ missæ ab ea, quæ mittit: non enim persona divina propriè mittitur, nisi ab ea, à qua procedit. Omnis siquidem missio vel est per imperium, quo pacto servi mittuntur ab heris: vel per consilium, & hoc modo non bene valentes à Medicis mittuntur ad balneum: vel per naturalem emanationem, quo pacto influxus mittuntur à syderibus in hæc sublunaria, & fructus ab arbore: atqui repugnat Spiritum Sanctum mitti à Filio per imperium, vel consilium, quia id arguit minoritatem in sapientia, & potentia, & cùm Spiritus Sanctus sit æquè potens, ac sapiens, quam Filius, sequitur, quòd missio Spiritus Sancti à Filio sit tantùm per naturalem emanationem, unde Augustinus *lib. 4. de Trinit. cap.* 10. ait; Filium mitti nihil aliud esse, quàm Filium nasci: & Spiritum Sanctum mitti aliud non esse, quàm Spiritum Sanctum procedere, ut etiam docet D. Anselmus *epist. de process. Spirit. Sancti, cap.* 7. Cùm igitur certum sit de fide Spiritum Sanctum mitti à Filio, est itidem de fide Spiritum S. procedere à Filio, cùm mitti à Filio nihil aliud sit, quam procedere à Filio. Hoc argumento pressi Græci respondebant Spiritum Sanctum mitti à Filio tantùm meritoriè, eò quia illum nobis meruerit, verùm si hæc responsio valeret, posset etiam dici de Patre, quòd mittatur, eò quia Filius etiam Patrem nobis meruit, ut faceret mansionem apud nos. Hinc respondetur mereri Spiritum Sanctum non esse propriè mittere, sed tantùm impetrare, & verba Scripturæ accipienda sunt in sensu proprio, non verò extorquenda in sensus improprios: cùm igitur verbum mittere significet etiam originem, & naturalem emanationem, in quo sensu dicimus propriè arborem mittere flores: cùm in Scripturis Filius dicitur mittere Spiritum Sanctum, in sensu proprio non potest aliter intelligi, quàm de missione originis, quatenus Spiritus Sanctus verè procedit à Filio, quia mittere per imperium, vel per consilium indicat imperfectionem removendam à Spiritu Sancto. Alii Græci respondebant Filium in Scripturis dici mittere Spiritum Sanctum, non quòd hic procedat à Filio, sed quatenus Filius elargitur hominibus dona quæ dicuntur Spiritus Sancti. Sed hæc interpretatio adversatur Scripturæ, quia hæc non loquitur de donis Spiritus Sancti, sed de ipsa persona Spiritus sancti: alioquin, perinde Filius diceretur mittere Spiritum Sanctum ac Patrem, siquidem dona, quæ Deus largitur creaturis, sunt opera ad extra, quæ sunt indivisa, & communia tribus personis: unde eodem modo Filius diceretur mittere Patrem, quo dicitur mittere Spiritum Sanctum, quod est falsum. Filius igitur mittit eodem modo, & eadem missione, quâ mittit Pater, qui mittit per naturalem emanationem, ac communicationem propriæ naturæ Deitatis, alioquin, si una persona eatenus diceretur aliam mittere, quia confert ejus opera, inde sequeretur, quòd Pater, & Filius mitterentur etiam à Spiritu Sancto; siquidem quæ Spiritus S. communicat creaturis, sunt etiam propria Patris, & Filii. Sed adhuc respondebant Græci verbum mittere in Scripturis non posse significare processionem unius personæ ab alia, alioquin inde sequeretur, quòd Filius procederet à Spiritu Sancto, etenim Isaiæ 48. ait Filius: *Nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus*, si igitur Filius fuit missus à Domino, seu Patre, & Spiritu ejus si verbum mittere significaret processionem unius personæ ab alia, Filius procederet à Patre, & Spiritu Sancto, & cap. 61. ait itidem Filius: *Spiritus Domini super me ad annuntiandum mansuetis misit me:* ergo si verbum mittere significaret processionem unius personæ ab alia, Filius æquè procederet à Spiritu Sancto, ac à Patre. Verùm id non sequitur, quia ut communiter explicant sancti Patres, Isaias Propheta in præcitatis locis fuit locutus propheticè de Christo secundùm naturam humanam, non verò secundùm divinam, ut liquet ex contextu.

Præterea ex pluribus aliis locis Scripturæ clarè ostenditur processio Spiritus Sancti à Patre, & Filio Joan. 16. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*, & cap. 17. *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt*, & Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*: Quòd si omnia, quæ habet Pater, habet etiam Filius, cùm Pater habeat vim spirativam in actu secundo, quo spirat Spiritum Sanctum, eandem vim spirativam debet habere Filius, qui propterea una cum Patre spirat Spiritum Sanctum, & hac ratione deducunt sancti Patres processionem Spiritus Sancti etiam à Filio, ut S. Athanasius *Dialog. 5. contra Maced.* Cyrillus Alexandrinus *lib. 11. in Joann. cap. 2.* & communiter alii, quia Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Patris, quia procedit à Patre Matth. 10. *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri:* Atqui Spiritus Sanctus dicitur etiam Spiritus Filii ad Rom. 8. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, & ad Galat. 4. *Misit Spiritum Filii sui in corda vestra*: Ergo si Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Patris, eò quia procedit à Patre, cùm etiam dicatur Spiritus Filii, procedit etiam à Filio, tum quia si Spiritus Sanctus est Spiritus Patris, & Filii, jam dicit relationem ad utrumque, proinde procedit ab utroque quia non potest relativè dici in ordine ad Patrem, & Filium nisi per ipsam processionem ab utroque. Demum quia divina persona non accipit quidquam nisi ab illa, à qua procedit, & cùm Spiritus Sanctus accipiat à Filio Joan. 16. ubi Christus loquens de Spiritu Sancto ait: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet omnia quæcunque habet Pater mea sunt: propterea dixi vobis quia de meo accipiet.* Unde de fide est Spiritum Sanctum accipere à Filio: vel igitur accipit esse substantiale, vel tantùm ipsam scientiam, ut respondebant Græci; si primum ergo Spiritus San-

ctus

ctus verè procedit à Filio, à quo accipit esse substantiale, naturam, essentiam, & Deitatem; si dicatur secundum, cum scientia in Deo non sit accidens inhærens substantiæ, sed sit ipsa substantia Dei, & ipsa Deitas, etiam sequitur Spiritum Sanctum accipere à Filio proprium esse substantiale. Si dicas Spiritum Sanctum non accipere à Patre eandem Deitatem, quam accipit Filius, alioquin sicut Filius dicitur generari à Patre, ita & Spiritus S. quod est falsum, & absurdum. Respondet D. Augustinus *Tract. 99. in Joan.* Spiritum Sanctum tantùm procedere, non generari à Patre, alioquin esset & ipse Filius, & duo darentur in divinis Filii, ait ipse: Quoniam si & ipse Filius diceretur, quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorum, nisi Patris & Matris. Absit autem ut inter DEUM Patrem, & DEUM Filium tale aliquid suspicemur. Quia nec Filius hominum simul & ex Patre, & ex matre procedit: sed cùm in matrem procedit ex Patre, non tunc procedit ex matre, & cùm in hanc lucem procedit ex matre, nun tunc procedit ex Patre, Spiritus autem Sanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit: quamvis hoc Filio Pater dederit, ut quemadmodum de se, ita hec de alio quoque procedat. Neque enim possumus dicere, quòd non sit vita Spiritus Sanctus, cùm vita Pater, vita sit Filius, ac per hoc sicut Pater, cum habeat vitam in semetipso dedit & Filio habere vitam in semetipso sic ei dedit vitam procedere de illo, sicut procedit & de ipso hactenus Augustinus qui libro 5. de Trinitate cap. 12. affert etiam rationem cur Spiritus Sanctus non sit Filius; quia scilicet *procedit non quomodo natus, sed quomodo datus: neque enim natus est, sicut unigenitus, nec factus ut per Dei gratiam nasceretur in adoptionem ut nos. Sicut autem Pater, & Filius unus Deus, & ad creaturam relativè unus creator, & unus Dominus, sic relativè ad Spiritum Sanctum unum principium.* Quid verò sit procedere ut natum, & ut datum, respondetur Unigenitum procedere ut natum, quia procedit per generationem, & Spiritum Sanctum per spirationem, adeo ut sola processio Filii sit generatio, non processio Spiritus Sancti, Dicitur autem Filius procedere per generationem, quia procedit per intellectum, quæ est assimilativa potentia, est enim de ratione generationis procedere in similitudinem naturæ genitoris: secus Spiritus Sanctus ex vi suæ formalis processionis non procedit similis producenti; quia procedit per voluntatem, quæ non est assimilativa potentia; sed tantùm producit terminum per modum amoris, & impulsus: ex quo fit quòd sola processio Verbi sit generatio, & solum Verbum sit genitum, & Filius dicatur natus, seu genitus, & Spiritus Sanctus ut datus; quia amor est ex vi suæ formalis rationis beneficus, ac sui communicativus, proinde procedit ut datus per vim amoris.

CAPUT IV.

Ex tribus personis Sanctissimæ Trinitatis solus Filius carnem assumpsit in utero Virginis conceptus ex Spiritu Sancto, diciturque Christus constans ex duplici natura divina & humana, & una tantùm Persona Divina.

Quamvis incarnatio Verbi divini sit opus ad extra Excellentissimum, & opera ad extra sint totius Trinitatis, sintque propterea omnes tres personæ sanctissimæ, ac individuæ Trinitatis, solus tamen Filius dicitur Incarnatus, seu nostram assumpsisse humanam naturam ope Spiritus Sancti in utero Virginis Matris. Joan. 1. *Verbum* (seu Filius, & secunda Persona individuæ Trinitatis) *caro factum est* seu assumpsit nostram humanam naturam; qui ut dixerat Archangelus Gabriel ad Mariam Virginem. *Non erit impossibile apud DEUM omne Verbum:* non verò omnes tres personæ dicuntur incarnatæ, quia tametsi eadem natura, essentia, substantia, & quidditas communis sit tribus personis; non tamen proprietas relativa unius personæ alteri convenit; Paternitas enim quæ est proprietas Patris, soli convenit Patri, ut & filiatio soli filio; & spiratio passiva soli Spiritui Sancto: quo fit, ut personæ divinæ per has proprietates relativas distinguantur inter se, & aliquid factum dici & esse possit ab una Persona, ut non dicatur factum ab alia; quamvis omnes tres personæ divinæ dicantur operari simul ad extra, sitque quodlibet opus ad extra totius Trinitatis: analogiam habes in anima, simul operante cum corpore; quando enim corpus se reficit, comeditque, quamvis hæc actio comestionis sit simul ab anima operante cum organis corporis, non tamen anima dicitur comedere, ac se reficere, sed solum corpus, atque exemplum productum à D. Fulgentio contra sermonem Fastosi Ariani, & in responsione ad quæstionem Ferrandi ubi ait *in illa itaque comestione una & anima, carnisque operatio; sed solius est carnis acceptio. Sic humana natura totius quidem Trinitatis opere facta, à solo tamen Filio fuit in unitatem persona suscepta:* pares analogiæ depromuntur à singulis operationibus prodeuntibus à singulis membris corporis humani, oculus non solus sed simul cum anima videt: pedes non soli, sed simul cum anima ambulant; manus non solæ, sed unà cum anima dicuntur palpare, moveri; & nihilominùs videre proprium dicitur oculi, ambulare pedum, palpare manuum. D. Fulgentius alia similitudine hoc edisserit inquiens loc. cit. *Vox corporea, quâ spirituale verbum cordis nostri; seu locutio interior producitur, ut ad audientium naturam perferatur, simul fit à memoria, & à cognitione, & à voluntate: sed à sola cogitatione, seu interiore suscipitur verbo. Sic humana Christi natura à tribus sanctissima Trinitatis personis facta est: sed à solo Filio in unitatem persona assumpta est:* sicut alia est proprietas oculi, & alia manus; & licèt anima concurrat ad actionem utriusque, visio tamen unitur cum sola proprietate oculi, ut etiam operatio manûs cum sola proprietate manûs, quamvis anima simul cum oculo concurrat ad eliciendam visionem; & cum manu, ad producendam ejus operationem; hac similitudine utitur S. Hildephonsus alloquitur Beatam Virginem inquiens; *Tota invisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in Te: sola Persona Filii Dei in corpore suo nascitura, carnem assumet de te:* quia

solus Filius carnem assumpsit, & factus est homo ratione proprietatis relativæ.

Beata Virgo igitur facta est vera Mater DEI, quia eodem temporis instanti DEUM & hominem concepit, seu Christum Jesum, cui substantiæ suæ portionem communicavit, & purissimum suum sanguinem suppeditavit, quo Spiritus Sanctus ex Virginea substantia efformavit corpus Christi, quòd Virgo Mater novem mensibus virgineo suo gestavit in utero; & expleto tempore peperit, ut ei prædixerat Angelus Luc. 1. *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum:* hoc est, concipies in utero de Spiritu Sancto, ut significetur Verbum DEI carnem factum non assumendo corpus à DEO creatum, aut ex quavis substantia utcunque formatam; sed in utero Virginis Matris compactum ex purissimo ejus sanguine, ut scribit Apostolus ad Galat. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.*

Hinc convincuntur Hæretici Manichæi, & Marcionitæ, qui negârunt, Dominum nostrum JEsum Christum veram carnem assumpsisse, sed tantùm quoddam corporis simulacrum, phantasticum, & solum apparens, contra quos Joan. 1. dicitur *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Et ne hæc caro censeretur phantastica, & solùm apparens, ait Christus: *Palpate & videte quia Spiritus carnem, & ossa non habent* jussit discipulos suos certiores fieri de vera, & reali sua humanitate ad omnem delendam dubitandi suspicionem; quia si vera, & realis non fuisset caro, quam assumpsit, tota Christi vita, fuisset prolixa mendaciorum congeries: & ipse qui est via, veritas & vita, humanum genus decepisset, quia inanis, & ludificatoria fuisset redemptio humani generis; quia sine vera carne verè non fuisset passus, verè non fuisset nostram operatus salutem, verè non resurrexisset; & cuncta spes nostra interciperetur, totumque everteretur opus nostræ Redemptionis, spes exaresceret consequendi æternam salutem: miracula Christi, quorum testes fuerunt plura hominum millia, fuissent omnia falsa quod nil poteft nequius excogitari, nil iniquius dici. Tum quia si Christi caro non fuisset vera, in Eucharistia illa non pasceremur; neque corpora nostra essent membra corporis Christi contra Apostolum Paulum. Hinc D. Augustinus confutaturus hæreticos asserentes Christi carnem fuisse tantùm apparentem, & phantasticam, non veram & realem: & Filium æterni Patris tantùm assumpsisse veram rationalem animam ait Serm. 99. *Si Dominus noster JESUS Christus tantummodo animam suscepisset; membra ejus non essent nisi anima nostra: quia verò corpus suscepit, per quod caput etiam est nobis, qui ex corpore, & anima constamus; profectò illius membra sunt, & corpora nostra.* Marcionistæ ut negarent veram fuisse, ac realem Christi carnem, exaggerabant carnis immunditias, alui excrementa, conceptionis spurcitias, quæ singula indigna, ac indecentia asserebant æterni Patris esse Filio, qui propterea non nisi carnem phantasticam, & inane corporis simulacrum assumpsit, ne veræ carnis immunditiis inquinaretur. Quid? quod Deum timuerint carnis assumptæ potuisse immunditiis coinquinari, quando ipse solem planetarum Principem condidit qui licèt suos demittat radios per totius telluris immunditias, per lutosas viarum semitas, per fœtida animalium stercora, per corrupta brutorum, hominumque cadavera: per cloacas spurcitiis oppleta, nil inde contrahit maculæ, quâ inquinetur, nil corrupti quo malè oleat, nilque immundi, quo proprio detrahatur Splendori; nunquid *omnia munda mundis?* si solares radii fœtores cloacæ pertranseuntes nulla contaminatione sordescunt, nullo fœtore malè olent; *Quanto minus* ait S. Augustinus lib. de fide, & symbolo cap. 4. *Poterat pollui Verbum Dei non corporeum, neque visibile de fœmineo corpore, ubi humanam carnem suscepit cum anima, & spiritu, quibus intervenientibus habitat Majestas Verbi ab humani corporis fragilitate secretius? Unde manifestum est, nullo modo potuisse Verbum Dei maculari humano corpore quo nec ipsa anima humana maculata est. Non enim cùm regit corpus, & vivificat, sed cum ejus bona mortalia concupiscit, de corpore anima maculatur.* An anima quia corpori conjuncta, corporeas inde contrahit qualitates? si igitur anima in homine spiritualis, licèt corpori unita, nil haurit corporei, quò ejus detrahatur spiritualitati; cur timendum erit, ne Verbum divinum summè spirituale contaminatione aliqua sordescat ex assumptione veræ, ac realis carnis; nunquid rationalis anima in humana carne, quam vivificat, potentior & defæcatior Verbo Dei cum illa carni adnectatur citra timorem inde aliquid contrahendi, quo ejus dignitas minuatur; & Verbum ex eo quòd veram, & realem carnem assumeret, cui copularetur, maculas contraheret, ac fœda sordesceret contaminatione? Quin imò mendacio potius diceretur Deum contaminari, si ejus Verbum veram, & realem carnem non assumpsisset in utero Virginis, cùm pluries in Sacris Scripturis nobis promiserit in testamento veteri venturum Messiam ad redimendum humanum genus; & in novo habeamus eum jam venisse Joan. 1. *Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: neque Verbum factum fuit caro inanis, simulata, & tantum apparens ad ludificandos hominum oculos; quia verè Christus fuit, passus pro nobis, verum suum sanguinem fudit in redemptionem humani generis, alioquin redemptio nostra inanis fuisset, & deceptoria, quo singula falsa sunt & impossibilia, perinde ac impossibile est, Deum posse mentiri & non esse Deum. Non igitur indignum fuit Verbum Divinum assumpsisse veram, & realem carnem humanam quia ut scitè Tertul. lib. 3. contra Maricionem. *Nulla substantia digna est, quam Deus induat. Quodcunque induerit, ipse dignum facit, sine mendacio tamen, & & ideo quale est, ut dedecus æstimaveris veritatem potius quam mendacium carnis* & lib. de Carne Christi ait: *Quid dimidias mendacio Christum? totus veritas fuit. maluit crede nasci, quàm ex aliqua se parte mentiri.*

Hinc rejicitur etiam hæresis Apolinaris, & ejus Discipulorum asserentium carnem à DEI Filio non fuisse in tempore assumptam, sed ab æterno concreatam: quia inde sequeretur falsum esse Archangelum Gabrielem salutâsse B. Virginem eique mysterium incarnationis prædixisse, & falsum itidem esset, Christum natum fuisse ex Maria Virgine, cùm hæc non fuerit ab æterno, sed tantùm in tempore, sicque tota Christiana Religio everteretur, & scripturæ mendacii accusarentur. Præterea si ab æterno fuisset caro concreata, hæc esset consubstantialis Dei Filio, & Patri quoque utpote consubstantialis Filio esset itidem consubstantialis carni; neque Incarnatio Verbi, neque Mariæ puerperium fuissent necessaria: hæc etiam absurda sequerentur ex hæresi Apolinaris, ut ostendunt sancti Patres præsertim Athanasius *Epist. ad Epictet.* S. Gregorius Nazianzenus *orat.* 4. S. Ambrosius *lib. de Incarn. cap.* 6. & fusiùs Theodoret. *dialog.* 3. cui titulus *Impatibilis.* Rejicitur hæresis Valentini docentis Christum è cœlo suam detulisse carnem,

carnem, & per uterum Virginis quasi aquam per fistulam transiisse, ac in mundum venisse nilqua ex Virgine sumpsisse, quem errorem ante Valentinum docuerunt alii Hæretici, præsertim Apelles, qui putavit, Filium Dei è cœlo descendisse, & ex cœlesti substantia sibi carnem construxisse ei innixi fundamento, quia Christus Joan. 3. dicat: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Ex quo inferunt Christum Dominum cum sua carne, & tota humanitate descendisse priùs de cœlo, & postea in cœlum ascendisse, & cap. 6. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Cui errori eò firmiùs nitebantur, quia Apostolus 1. ad Corinth. cap. 15. scripserit: *Primus homo de terra terrenus? secundus homo de cœlo cœlestis*, ex quibus Verbis intulerunt Hæretici, quòd sicut in paradiso terrestri primus homo terrenus, seu Adam ex materia terrestri compactus fuerit, ita secundus homo quia cœlestis, nonnisi ex materia cœlesti, seu ex carne syderea, vel aërea construi debuit. Sed hæc hæresis orta fuit ex perversa scripturarum intelligentia, quia præcitati textus tantùm significant Christum de cœlis descendisse ratione personæ, & naturæ divinæ, non verò ratione corporis assumpti, quod eatenus cœleste dicitur, quia assumptum à Verbo, quod cum æterno Patre in cœlo specialiùs dicitur immorari: & etiam ratione virtutis, & conceptionis, quia Christus conceptus fuit in utero Virginis de Spiritu Sancto, & ejus corpus formatum à Spiritu Sancto, non verò dicitur corpus cœleste ratione substantiæ quasi compactum fuerit ex syderea substantia, cùm ex Virginis sanguine, & substantia verè compactum, & formatum fuit: siquidem scripturæ clarè asserunt corpus Christi fuisse ex humana carne compactum, ex ossibus, sanguine, & membris aliis requisitis ad integritatem humani corporis: Substantia enim syderea, & cœlestis, ut docent communiter Philosophi non potest quidquam pati, nec corrumpi: & corpus Christi passioni fuit obnoxium Joan. 8. *Nunc me quæritis interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum:* legimus etiam in evangeliis Christum in utero Virginis conceptum fuisse, in lucem editum, & cùm viveret in terris, cum hominibus esurivisse, sitivisse, defatigatum fuisse ex itinere passum flagellationes, spineam coronam, crucis afflixionem, & fudisse sanguinem, ac tandem mortuum fuisse, ut vitam æternam nobis impertiret: quas passiones nullus hactenus Philosophorum materiæ cœlesti attribuit, nec carni sydereæ, quapropter de fide est carnem Christi compactam fuisse ex substantia Virginis, & non è cœlo in terras delapsam, unde D. Paulus loquens de Filio Dei scribit ad Roman. 1. *Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem*, si ex semine David certè ex humana substantia Virginis Matris, quæ ex semine David descendebat, & S. Joan. Epist. 1. ait; *Omnis Spiritus, qui confitetur JEsum Christum in carne venisse, ex DEO est. Et omnis Spiritus, qui solvit JEsum ex Deo non est.* Neque obstat illud Joan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo*, quia hæc verba intelliguntur de persona, & natura Christi, quæ dicitur descendisse de cœlo, ut habetur in symbolo Apostolorum; in eodem sensu dicitur etiam panis de cœlo, si enim intelligatur de pane Eucharistico, cum in ipso contineatur Christus secundùm divinitatem, & humanitatem, seu corpus, & sanguinem, deducta denominatione à nobiliori, & præstantiori, seu à divinitate, dicitur panis vivus, qui de cœlo descendit, quia persona Filii utpote consubstantialis Patri ab æterno vivit cum Patre in cœlis, ubi specialiùs dicitur Deus manere; licèt per immensitatem sit ubique in cœlo, & terra: sin verò per panem de cœlo intelligeretur Manna, quod pluit in deserto, quod saporem rerum omnium habuit, potest per panem de cœlo intelligi manna, quod pluit de cœlo in terram. Intolerabilis etiam fuit alius execrandus error Apolinaris asserentis naturam hominis in Christo tantùm semiplenam fuisse, scilicet ex sola carne absque anima, eò quia ejus vices suppleret Verbum, quod carnem assumpsit, quod adversatur sacris scripturis Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Joan. 10. *Et animam meam pono pro ovibus meis. Ego ponam animam meam, ut iterum sumam eam, nemo tollit eam à me*, & Psal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, quibus verbis David Propheticè prævidens Christi humanitatem nomine Christi loquitur, ac ejus humanitatem completam ex anima, & corpore præsignificavit, siquidem per sanctum tuum videre corruptionem corpus intellexit, quod ex sua natura est corruptioni obnoxium, & quia assumptum à Verbo corruptionem nescivit; neque Christi corpus fuit inanime, cùm viveret, perinde ac cæteri homines sentiret, & aliis obiret officia, quæ corpora verè animata præstant, unde dixit: *Non derelinques animam meam in inferno*: hinc sanctus Fulgentius *lib. 1. ad Trasimundum cap 15.* loquens de Christo Mediatore inter nos, & Deum & ejusdem cum Deo, & similiter ejusdem nobiscum substantia ostendit, totam assumsisse humanitatem compactam ex anima; & corpore, alioquin non esset ejusdem cum hominibus substantiæ, si parte aliqua hominem componente destitueretur, & tantùm assumpsisset carnem sine anima, quia sola caro non est humana substantia, cùm humanitas præter carnem comprehendat etiam animam: ait S. Fulgentius: *Quia idem Deus totam in se naturam hominis suscepit & idem homo totam in se habet substantiam Deitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus à DEO, inter Deum irascentem hominemque peccantem, talis utique Mediatoris debuit intervenire persona, quæ ad propitiandum Deum hominis totum verumque in se Deum de Deo natum haberet; & ad reconciliandum hominem Deo, totum verumque in se de homine natum hominem contineret.* Ratio itidem id suadet, quia cùm per peccatum totus homo infectus fuerit in animo, & corpore, ac pluribus obnoxius miseriis, & calamitatibus; oportebat, ut totus homo assumeretur à Filio æterni Patris, ac repararetur.

Monothelitæ tametsi convicti ex scripturis luce meridiana clarioribus Verbum divinum totam assumpsisse humanitatem completam ex anima, & corpore, adhuc tamen docuerunt, unicam tantùm in Christo fuisse voluntatem, & operationem propriam divinitatis: quæ hæresis est etiam expressè contra scripturas *Matth.* 26. ubi Christus propriam voluntatem naturæ humanæ assumptæ, ut distinctam à voluntate Patris, seu à voluntate divina, quæ etiam illi inerat cum divinitate, expresse distinguit, inquiens: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, ubi clarè distinguit voluntatem propriam humanitatis à voluntate propria divinitatis Luc. 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat*, & Joan. 6. ait Christus: *Descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam sed voluntatem ejus qui misit me:* ex quibus & aliis scripturæ locis constat esse dogma fidei Catholicæ inesse Christo duas voluntates, duasque operationes distinctas divinam, & humanam, eò quia eidem insunt duæ naturæ, & quidem completæ in esse naturæ, seu cum suis

potentiis, unde sicut natura divina constituitur per intellectum, & voluntatem, ita etiam in natura humana anima rationalis, ne suis destitueretur potentiis, debuit in Christo voluntatem habere, & intellectum, adeo ut natura humana in Christo propriâ tantùm fuerit personalitate destituta, fueritque tantùm in Christo una persona verbi divini, ratione cujus natura humana subsistebat. Hocque fidei dogma declaratum fuit in sexta Synodo generali Constantinopolitano sub Agathone Pontifice contra hæresin Monothelitarum. Licèt duæ fuerint in Christo voluntates nunquam tamen inter se contrariæ, & repugnantes, quia humana voluntas fuit in Christo semper perfectissimè conformis divinæ, unde Nazianzenus *orat. 36.* adferens rationem, cur in Christo voluntas humana fuerit semper divinæ conformis ait: *Nam velle hominis assumpti à Deo non fuit contrarium Deo utpote totum deificatum*, quia enim tota natura humana in Christo fuit assumpta à Verbo, à quo fuit dignificata & quodammodo deificata, non potuit non perfici eo majori gradu perfectionis, cujus erat capax: & quia perfectio voluntatis humanæ, quò similior est voluntati divinæ, eò est major; & quò proximius accedit ad voluntatem divinam, est perfectior, ideo voluntas humana in Christo ut dignificata à Verbo divino, & perfectione cumulata non potuit non esse conformis divinæ voluntati in omnibus, eique perfectissimè assentiri; Hinc D. Leo Papa serm. 54. de Passione Domini expendens verba Christi in horto: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, eleganter efferit, hanc conformitatem voluntatis humanæ in Christo cum divina inquiens. *Prima petitio infirmitatis est, secunda virtutis. Illud optavit ex nostro, hoc elegit ex proprio, nec enim æqualis Patri Filius omnia esse DEO possibilia nesciebat, aut ad suscipiendam Crucem sine sua in hunc mundum descenderat voluntate, & hanc diversarum affectionum compugnantiam perturbata quodammodo ratione pateretur. Sed ut suscipientes susceptaque natura esset manifesta distinctio, quod erat hominis, & divinam desideravit potentiam quod erat DEI ad causam respexit humanam. Superiori igitur voluntati, voluntas cessit inferior, & citò demonstratum est, quid posuit à trepidante erari, & quid non debeat à medente concedi.*

Liquet igitur Verbum divinum in utero Matris assumpsisse corpus humanum non cœleste, & sydereum, ac totam completamque naturam hominis comprehendentem animam rationalem, & corpus, quod dicitur conceptum de Spiritu Sancto, quatenus Spiritus Sanctus ex purissima Virginis substantia Corpus Christi efformavit, ut Fides Catholica docet; quamvis enim operationes ad extra communes dicantur totius Trinitatis, uni tamen possunt personæ attribui aliquæ operationes per appropriationem, quæ aliis non tribuuntur, quo pacto mundi creatio per appropriationem Patri tribuitur; humani generis redemptio Filio, & sanctificatio Spiritui Sancto quoad opera ad extra; imò quoad operationes ad intra Patri tribuitur potentia, Filio sapientia, & amor Spiritui Sancto; Hinc quamvis tota Trinitas indivisè operata sit Mysterium Incarnationis Verbi, ut annuntiavit Angelus Virgini Mariæ Luc. 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque quòd nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ubi per altissimum intelligitur Pater, qui fons est totius Deitatis, & per virtutem altissimi Filius cognoscitur, qui propriè carnem assumpsit, quam sibi in unitate personæ copulavit, ac solus factus est homo, unde quamvis Pater & Filius Mysterium fuerint Incarnationis operati per appropriationem tamen solus Filius dicitur incarnatus, ac propriè carnem assumere, & Spiritui sancto tribuitur reformatio Christi Corporis ex purissima Virginis substantia, in quo sensu dicitur Christus conceptus de Spiritu sancto.

Plures etiam solent rationes assignari, cur Spiritui sancto Christi conceptio tribuatur, quarum prima esse potest, quia Spiritus sanctus totus amor est, & cùm per Mysterium Incarnationis singularis DEI amor erga nos homines ostenditur, tùm habeatur Joannes 3. *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.* Ideo conceptio Christi, seu Incarnatio Verbi per appropriationem Spiritui sancto conveniebat: hinc sanctus Leo serm. 23. divinam bonitatem, & benignitatem cognoscens in hoc Mysterio Incarnationis ait: *Semper quidem diversis modis, multisque mensuris humano generi divina bonitas consuluit, & plurima providentia sua munera omnibus retro sæculis clementer impertiit: sed in novissimis temporibus omnem abundantiam solitæ benignitatis excessit, quando in Christo, ipsa ad peccatores misericordia, ipsa aderrantes veritas, ipsa ad mortuos vita descendit, ut Verbum illud coæternum, & coæquale Genitori in unitatem Deitatis suæ naturam nostræ humanitatis assumeret, & Deus de Deo natus, idem etiam homo de homine nasceretur.* Sicut igitur Spiritus sanctus totus amor est, qui oritur ex bonitate diffusiva sui in alios: & hæc DEI bonitas maximè ostenditur nobis per Mysterium Incarnationis, ideo per appropriationem conceptio Christi in utero Virginis rectè tribuitur Spiritui sancto, perinde ac potentia Patri, & sapientia Filio. Alia ratio est, quia natura humana fuit à Verbo divino assumpta non ex propriis meritis, sed ex sola gratia, non enim natura humana ullum contraxerat meritum, ut à Verbo divino assumeretur, cùm per peccatum damnata fuerit, unde Augustinus in *Enchirid. cap. 36. Quid enim natura humana in homine Christi meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? quæ bona voluntas, cujus boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt quibus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo? nunquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, cùm singulariter promereretur Deum? nam ex quo est homo non aliud cœpit esse homo, quàm Dei Filius: & hoc unicus & propter Deum Verbo, quod illo suscepto caro factum est, utique Deus: ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis, & caro; ita sit Christus una persona Verbum, & homo. Unde naturæ humanæ tanta gloria nullis præcedentibus meritis sine dubitatione gratuita, nisi quia magna hic, & sola Dei gratia fideliter, & sobriè considerantibus evidenter ostenditur, ut intelligant homines per eandem gratiam se justificari à peccatis, per quam factum est ut homo Christus nullum habere posset peccatum*, hinc Evangelista cum dixisset *Joan. 1. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, statim subdit: *Et vidimus gloriam ejus quasi unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis, unde quòd Verbum caro factum est, hoc est plenum gratia.* Gratia autem per appropriationem tribuitur Spiritui sancto, de quo canit Ecclesia *Gratia Spiritus sancti illuminet cor, & corpora nostra.*

Tum quia Spiritus sanctus est donum Dei, & quidem æquale donanti; & quia per Mysterium Incarnationis Deus dedit hominibus Filium suum etiam æqualem danti, rectè Mysterium Incarnationis per appropriationem tribuitur Spiritui sancto. Demum potest & alia assignari ratio, quia opera supernaturalia, & excedentia humanum captum tribuuntur

Spi-

Spiritui sancto, veluti Dei digito operanti, quæ supra naturam nobis indulgentur, & quia Incarnatio est miraculorum omnium maximum, rectè Spiritui sancto per appropriationem tribuitur, & dicitur Christus conceptus de Spiritu sancto. Tum quia Spiritus sanctus per appropriationem dicitur sanctus, non ita Pater, & Filius, quamvis utraque persona sancta sit, & quia mysterium Incarnationis sanctissimum erat ob sanctitatem excellentem, quâ homines debuerant sanctificari, ac restitui pristinæ gratiæ sanctificanti: conveniens erat, ut sanctitas mysterii personæ tribueretur, quæ specialius sancta esset: Spiritus enim sanctus vocatur Spiritus sanctificationis; & sicut homines per Spiritum sanctum sanctificantur, ut sint filii Dei adoptivi: ita Christus per Spiritum sanctum fuit in sanctitate conceptus ut esset Filius DEI naturalis, unde Apostolus ad Roman. 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis.* Assumpiam à se naturam sanctificavit Christus, ut habetur Joan. 17. *Et pro eis sanctifico me ipsum; ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Sanctificatur autem Christus in Spiritu sancto, quem accipit, quatenus homo est; quatenus enim est Deus, dat sibi, quatenus ut Deus sibi identificat eamdem naturam, ac Deitatem communem Patri & Filio; adeo ut ipse qui dat sit ipse qui accipit, & ut loquitur D. Fulgentius in respons. ad interrog. 3. Ferrandi: *Quia potens est ad mensuram dare, ideo non potuit ad mensuram accipere. In forma enim Dei manens Spiritum dat: & formam servi accipiens, spiritum accipit: Sed quia ipse ad mensuram dat, ideo non ad mensuram accipit. Ad mensuram enim dat multis filiis; sed non ad mensuram accipit unicus Filius, quia sic est verus homo, ut sit verus Deus.* Hinc Christus dicitur unctus, quatenus accepit divinitatem; unxit enim eum Deus Spiritu sancto, & virtute: neque quid aliud fuit hæc unctio, quàm natura divina communicata humanæ Christi. Fuit hæc unctio oleum exultationis; quo Christus unctus est pro consortibus suis. Et per hanc unctionem factus est Christus immunis non solùm à quovis actuali peccato; verùm etiam à potentia peccandi 1. Petri 2. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*: quia Christi unctio cum peccato non potest cohærere; propterea Apostolus ad Hebr. 7. ait: *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cœlis factus.* Christi anima vera erat lux splendidior cunctis astris, propterea nulla potuit peccati umbra obscurari; nullis imperfectionis caligine denigrari; perinde ac ferrum totum candens ita permeatur igne per singulas partes extimas, & intimas, ut in nulla admittat frigus, sed in omnibus candeat; perinde hæc unctio divinitatis ita animam Christi penetravit; ita singula corporis membra permeavit ut una, & eadem persona, ut & Deus simul & homo, omnipotens quidem ut Deus, sed impotens ad peccatum ut homo unctus divinitate. Hinc S. Hyppolitus Martyr apud Theodoretum Dial. 1. ait: *Arca ex lignis quæ putrescere nequeunt compacta, fuit ipse Salvator. Illa quippe putredine intactum, & corruptela tabernaculum significabat ipsius, quod nullam peccati putredinem genuit: nam David quia peccavit dicit:* Putruerunt *& corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Dominus enim impeccabilis erat, ex lignis carinam non sentientibus, quà homo fuit, hoc est è Virgine & Spiritu sancto intus & foris tanquam purissimo divini Verbi auro undequaque tectus.* Quod si columba reversa ex aquis mansit super arcam, etiam Spiritus sanctus, qui in mundi exordio ferebatur super aquas, dicitur super Christum quievisse, eumque constituisse impeccabilem. Neque obstat D. Paulum 2. ad Corinth. 5. de Christo dixisse: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecisse.* Nam inde non sequitur Christum peccâsse; sed tantùm factum fuisse hostiam, seu victimam pro peccato; quatenus ut victima, ut agnus voluit duci ad occisionem, ut pretio sui sanguinis nos redimeret à servitute peccati, in sacris scripturis præsertim in veteri lege peccata vocabantur Sacrificia oblata pro peccatis, in quo sensu Oseæ 4. *Peccata populi mei comedent sacerdotes.* Et Apostolus 2. Corinth. 5. cùm dixisset: Obsecramus pro Christo reconciliari Deo statim subjunxit: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut simus justitia Dei in ipso* scilicet Deus, cui eramus reconciliandi, fecit Christum Sacrificium pro peccatis ut DEO reconciliati, maneret in nobis DEI Gratia, qua sumus filii Dei adoptivi.

Quamvis in humanis, qui alium concipit hominem sit, dicaturque ejus Pater; non tamen Spiritus sanctus dicitur Pater Christi, licèt fuerit Christus conceptus de Spiritu sancto; sed ratione divinitatis dicitur Christus æterni Patris Filius unicus, & ratione humanitatis Filius unigenitus Virginis Matris. Ratio est quia non eo ipso, quod unum oritur de alio, statim est ejus Filius; sed ulterius requiritur ut sit ejusdem generis, ac ex vi suæ originis ejusdem similitudinem habeat: etenim qui baptizantur dicuntur nasci ex aqua, & Spiritu sancto, & tamen nemo dixerit eos esse filios aquæ; sed dicuntur filii Dei, ratione gratiæ sanctificantis, quæ est participatio naturæ divinæ, per quam sumus filii Dei per adoptionem, & matris Ecclesiæ ratione participationis bonorum Ecclesiæ spiritualium. Hinc neque omnes qui dicuntur filii, necesse est sint ab illis nati, & geniti, ut liquet in filiis adoptivis, qui assumuntur à Patre à quo non fuerunt geniti, cum jure ad percipiendam hæreditatem post adoptantis mortem: ita Christus quamvis conceptus de Spiritu sancto, non dicitur Filius Spiritus sancti, quia non fuit genitus ex substantia Spiritus sancti, sed de operatione, qua Christi Corpus de substantia Virginis fuit in ejus utero efformatum; unde Christus ratione humanitatis est proprius Filius unigenitus Mariæ Virginis, & ratione divinitatis Filius verus, naturalis & consubstantialis æterni Patris. Hinc dicitur Christus natus ex Maria Virgine, quæ verè & propriè dicitur Mater Christi; quia in eodem prorsus instanti quo fuit Christus conceptus, Beata Virgo communicavit portionem suæ potissimæ substantiæ, quâ Spiritu sancto operante compactum fuit Christi Corpus: Hinc Evangelista Matthæus cap. 1. describens Christi Genealogiam cum dicit natum de Maria Virgine, consequenter ejus Filium esse fatetur; cùm enim eam perduxisset usque ad sanctum Josephum ait: *Virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus*: & Luc. 2. *Impleti sunt dies ut pareret, & peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio; quia non erat ei locus in diversorio.* Sancta Elisabetha sancto itidem plena Spiritu eam salutavit Matrem DEI inquiens visitata à Virgine Maria: *Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me.*

Apostolus etiam *ad Rom.* 9. vocat Christum Filium DEI natum ex Maria Virgine inquiens *Filium Dei factum ex muliere* seu natum ex Virgine Maria, ex cujus purissima substantia fuit Corpus Christi compactum operatione Spiritus sancti; adeo ut Maria Virgo verè fuerit Mater DEI contra Nestorium Episcopum Constantinopolitanum negantem Virginem Mariam DEI genitricem dici posse: quæ hæresis damnata fuit in generali Concilio Ephesino. Dicta semper

fuit

fuit Virgo Maria ab exordio Ecclesiæ à sanctis Patribus Mater Dei; non quidem divinitatis; sed Verbi incarnati, quis enim Verbum est Deus, ex eo quòd Maria Virgo fuerit Mater Verbi divini incarnati, rectè Ecclesia eam semper vocavit Matrem DEI: adeout non dicatur Mater solius carnis, sed hominis DEI; neque obstat, si dicas, Virginem Matrem non genuisse Deum; quia sufficit si genuerit illum hominem, qui simul fuit Deus & homo Christus JEsus; qui constat ex Verbo divino, & humanitate: quid ni? etiam in puris humanis mater non generat nisi carnem, animam enim rationalis utpote spiritualis non generat Mater, sed creatura Deo, & nihilominus dicitur Mater totius hominis constantis ex anima & corpore: perinde Virgo Maria, quamvis non genuerit Verbum divinum, quia tamen genuit hominem constantem ex Verbo divino, & humanitate, seu ex DEO & homine continente simul corpus & animam rationalem rectè dicitur Mater DEI.

CAPUT V.

Christus ut homo non est Filius DEI adoptivus, sed naturalis, unica tantùm datur in ipso persona divina, & duæ naturæ, divina, & humana.

QUia credimus de Fide, Christum unica tantùm subsistere subsistentia divina, seu unicam tantùm in illo dari personam divinam, seu Filium æterni Patris, quæ natura humana propria destituta personalitate & subsistentia subsistit, ideo tenemur etiam eadem Fide credere Christum non esse Filium adoptivum DEI, sed naturalem. Ratio petitur ex ipsa definitione adoptionis, quæ definitur esse extraneæ personæ electio ad hæreditatem adeundam post mortem adoptantis, vel prout magis libuerit adoptanti. Sed persona Christi non est, neque dici potest persona extranea Deo adoptanti, sed de Fide est esse legitimum, & naturalem Filium æterni Patris & Dei æterna generatione ad intra genitum, & siquidem persona Christi Verbum æterni Patris, quod appropriativè carnem assumpsit in utero Virginis Joan. 1. *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, homo factus adeo ut ille homo qui dicitur Christus sit persona divina, Filius æterni Patris ab æterno genitus; unde Luc. 1. *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur*, & nonnullis interjectis: *Ideoque quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei*, non adoptivus, sed absolutè vocabitur Filius id est naturalis: unde Joan. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis & vidimus gloriam ejus quasi unigeniti à Patre.* Prius asserit Verbum carnem factum, & ut hominem habitâsse cum nobis, & nos ejus gloriam seu miracula, quæ fecit, vidisse; & postea asserit hominem non fuisse Filium adoptivum, sed unigenitum à Patre, seu unum tantùm Filium naturalem genitum ab æterno Patre, non duos filios, naturalem unum, & adoptivum alterum. Fuit igitur Filius naturalis Dei, de quo Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.* Imò & Christus ipse se fassus fuit Filium Dei naturalem: cùm enim Joan. 9. interrogâsset Jesus cæcum à nativitate cui visum restituerat in templo, an crederet in Filium Dei; & ille respondisset, *quis est, Domine, ut credam in eum*: dixit ei Jesus: *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est*: & tunc qui visum receperat, reposuit: *Credo Domine, & procidens adoravit eum.* Etiam ipse Pater æternus pluries asseruit hominem illum, qui vocabatur Jesus Christus, fuisse Filium suum naturalem Matth. 3. loquens de Christo ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* hoc est Filius taotùm unicus, non adoptivus, sed naturalis, in quo per generationem æternam mihi complacui, eum propterea dilexi, & ipse me amavit ex quo mutuo amore procedit Spiritus sanctus, qui amor est, & complementum Trinitatis. Et Luc. 9. *Hic est Filius meus dilectus*, si Filius dilectus, ergo amatus à Patre, & Filius cùm Patrem quoque amat ex amore mutuo Patris & Filii procedit Spiritus sanctus, qui amor est à Patre, & Filio, ut ab uno Spiratore, ex quo liquet unicum tantùm dari in divinis Filium, qui assumens carnem humanam factus fuit homo, & vocatur Jesus Christus, qui propterea non Filius adoptivus, sed verè filius naturalis Dei fuit: Hinc D. Leo Papa serm. 94. in homil. de Transfig. inducens Patrem æternum loquentem, & terrificantem Christum esse Filium suum naturalem ait: *Hic est Filius meus non adoptivus, sed proprius; non aliunde creatus, sed ex me genitus; nec de alia natura mihi factus comparabilis, sed de mea essentia mihi natus æqualis*, & D. Petrus cùm interrogaretur à Christo, quem se esse crederent homines ex instinctu cœlestis Patris respondit, *Tu es Christus Filius Dei vivi*: non enim opera, & miracula, quæ Apostolis testibus egerat Christus, potuerunt à puro homine fieri, unde & ipse Apostolus Paulus ad Roman. 8. vocat Christum proprium Dei Filium, quem Pater æternus nobis donavit, ut assumens humanam carnem fieret homo, ut pretio sui sanguinis nos redimeret à servitute peccati, *qui proprio Filio suo pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, vocat Christum Filium Dei absolutè, seu Filium naturalem non adoptivum: quia Filius naturalis splendor est gloriæ Patris, & figura substantiæ ejus, & eum vocat D. Paulus ad Heb. 1. inquiens: *Per quem novissimè locutus est, quem constituit heredem universorum, per quem fecit hæc sæcula, & est splendor gloriæ Patris, & figura substantiæ ejus.* S. Joannes itidem epist. 1. cap. 5. expressiùs vocat Christum Filium Dei naturalem, & ait esse verum Deum inquiens: *Et simus in vero Filio ejus.* Vocat Christum verum Filium Dei, scilicet naturalem, non adoptivum, seu ejusdem substantiæ, naturæ, & Deitatis cum Patre: unde subdit: *Hic est verus Deus, & vita æterna*: non potuit expressius significare Christum esse verum, & naturalem Filium DEI.

Idque causæ, cur Concilia generalia toto orbe celeberrima Nicænum scilicet, & Constantinopolitanum in symbolo decreverunt, ut dogma fidei exprimere verba illa: *Unum Dominum JEsum Christum Filium Dei unigenitum, qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus homo factus est.* Quòd si dicas Christum in Scripturis vocari Ministrum, & formam servi indutum, Luc. 22. *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat*, & Apostolus ad Philip. 2. sic suscepisse formam servi, quod etiam dixerat Isaias cap. 49. *Et nunc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi*: ex quibus, & aliis Scripturæ locis.

Felix

Felix Vrgellitanus, & Elipandus Tholetanus Hispaniæ Episcopi docuerunt Christum non solum Filium Dei adoptivum esse, sed etiam servum conditionalem, quos errores confutârunt Paulinus Aquileensis Episcopus, & Alcuinus, qui ad hujusmodi hæreses impugnandas libros quosdam doctissimos scripserunt, quapropter Adrianus I. Pontifex Romanus epistolam scripsit, quam ad Episcopos Hispaniæ direxit ad radicitus præfatas hæreses extirpandas. Non enim ex eo quod subinde Christus in Scripturis vocetur servus, sequitur esse Filium adoptivum tantùm, & inferiorem Patre quasi servili conditione ab ipso distinctum, siquidem quæ de Christo in sacris Scripturis prædicantur, quædam illi conveniunt, ut Deus est, ac verus Filius naturalis unigenitus æterni Patris, & ejusdem substantiæ, naturæ, & Deitatis cum Patre, & alia dicuntur de Christo, ut homo est, & naturam habet humanam, cujus proprietates, munia, & infirmitates accepit: quo fit, ut Christus, ut est persona divina ejusdem essentiæ, naturæ, & substantiæ cum æterno Patre, dicatur omnipotens, æternus, immensus, hæc enim prædicata ei conveniunt ob naturam divinam: & cum Christus è converso dicitur passus, defatigatus ex itinere, & mortuus, hæc & alia hujusmodi prædicata ei conveniunt ratione utriusque naturæ, divinæ, & humanæ, tale est prædicatum *Domini nostri*: siquidem ut Filius æterni Patris, & eidem consubstantialis est etiam Deus, proinde Dominus noster, quia cum Patre, & Spiritu sancto est rerum omnium Dominus, quia dominium rerum omnium, & quidem absolutum, & despoticum, ac totale tribus divinis personis convenit, cùm tota Trinitas operata sit mundi totius creationem. Rursus etiam ut homo Christus dicitur *Dominus noster*, quia ut homo pretio sui sanguinis nos redemit à servitute peccati, & liberavit à tyranide dœmonis, & proprium Domini est, servos suos redimere, ac sibi vendicare ad repetendum jus in eosdem, unde Apostolus ad Philip. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS Christus in gloria est Dei Patris.* Ubi Apostolus vocat Christum, ut hominem secundùm naturam humanam factum obedientem usque ad mortem, & mortem crucis, Dominum, eo quia ob contumelias, opprobria, vulnera, & mortem, quam passus est Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, seu nomen Domini nostri, ut in nomine ejus omne genu flectatur, & omnis lingua id confiteatur, quia Dominus JESUS Christus est in gloria Dei Patris etiam secundùm naturam humanam, qua fuit homo factus, & mortem passus: unde & ipse Christus post resurrectionem, seu ascensum in cœlum ait de seipso. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*, sicut homo habet omnem potestatem in cœlo, & in terra, utique datum est etiam illi omne dominium, quia potestas plena dominium includit: & is propriè est Dominus aliorum, qui suam potestatem, & dominium potest in illos exercere. Neque dicas hoc dominium fuisse Christo datum tantùm post resurrectionem in præmium eorum, quæ passus fuit in opere nostræ redemptionis. Nam tametsi non fuisset Christus passus, neque mortuus, adhuc esset Dominus noster ob unitatem personæ sustentantis, & terminantis duas naturas divinam & humanam, proinde adhuc propriè illi conveniret titulus *Domini nostri*. Imò & omnium rerum conditarum esset Dominus, cùm tota Trinitas mundum creaverit, & opera ad extra communia sint tribus personis: magis tamen specialius dicitur Dominus noster, seu hominum, & fidelium, qui ei inserviunt, quapropter Christiani in symbolo profitentur credere in JESUM Christum Dominum nostrum: hinc liquet responsio ad allatos textus scripturæ, quia Christus non secundùm personam, sed tantùm secundùm naturam humanam dicitur formam servi accepisse, fuisse subditum parentibus: ad aliud, quod addebatur ex Isaia cap. 49. *Formans me ex utero servum sibi:* respondetur, quòd sicut in utero, & ex utero formatum fuit ejus corpus ex substantia Virginis, & ex utero natus homo, & habitu inventus ut homo, ita secum traxit, & accepit unà cum carne proprietates, quæ conveniunt naturæ humanæ, quamvis gratia, & veritate semper plenus esset, quia in ipso omnis plenitudo veritatis corporaliter inhabitavit; & caro per se servilem conditionem contrahat ideo Christus prout habitu inventus est, ut homo secundùm naturam humanam tantùm non verò ratione personæ, subinde dicitur formam servi accepisse, & formatus ex utero servus. In hoc sensu Prophetæ in veteri testamento interdum vocârunt Christum servum in umbris tamen figurarum, sed postquam cessârunt umbræ & figuræ, & splendor veritatis illuxit, Christum servum non dicimus, sed Dominum, & Patrem nominamus, unde Apostolus dicens eum accepisse formam servi *non ex conditione servitutis* id intelligitur, *sed ex humilitatis obedientia, qua factus est Patri obediens usque ad mortem:* ut scribit Adrianus I. ad Episcopos Hispaniæ: Non enim Christus necessitate servili obedivit, sed voluntaria obedientia se subjecit, sicut seipsum sualponte pro nobis obtulit. Quamobrem Christum ut Dominum nostrum adoramus, eique gratias agimus, eò quia pretio sui sanguinis voluerit nos à servitute peccati, à tyrannide dœmonis redimere.

Non solùm titulus Domini, sed etiam Prophetæ, Sacerdotis, & Regis Christo convenit: quia Christus unctum significat, & habetur nomen officii, & honoris, & moris fuit, ut Prophetæ, Sacerdotes, & Reges ungerentur; nomini autem Christi adnectitur etiam aliud Jesus quod nomen servatorem significat, fuit enim Christus Mediator inter Deum & hominem, non quidem ut Deus, sed ut homo, ut ait Augustinus lib. de peccato orig. cap. 28. *Per hoc ergo Mediator, per quod homo: inferior Patre, per quod nobis propinquior; superior nobis per quod Patri propinquior: quod apertiùs ita dicitur, inferior Patre, quia in forma servi; superior nobis, quia sine labe peccati.* Hinc Christus ratione humanæ naturæ officium exercuit Mediatoris, æterno Patri satisfecit, ac solvit pretium sui sanguinis, ut nos redimeret, quia & sacrificium se obtulit: & quamvis hæ omnes actiones, & passiones suam infinitam æstimationem, & valorem non ex humana natura, sed ex sibi unita divinitate contraxerint, adhuc tamen Christus fuit verus Mediator inter Deum, & hominem, quia ut talis debuit ex duabus constare naturis, quibus Deus simul esset, & homo, quo facto participans de utroque se constituit Mediatorem inter nos & Deum, ut notat D. Augustinus lib. 9. de civit. cap. 15. inquiens: *Mediatorem inter nos, & Deum, & mortalitatem oportuit habere transeuntem, & beatitudinem permanentem; ut per id, quod transit, congrueret morituris, & ad id, quod permanet, transferret ex mortuis.* Nomen igitur

Jesus proprium est Mediatoris inter Deum, & hominem, & significat Salvatorem non quidem ad placitum hominum, ut solent nomina significare, sed ex Dei consilio, ac precepto, fuit hoc nomen illi impositum Luc. 1. *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus JESUM*, imò non solùm Mariæ injunctum fuit ab Angelo nomen JESU imponere Filio, quem erat paritura, sed etiam hoc idem injunctum fuit Josepho Matth. 1. *Joseph Fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, pariet enim filium, & vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quapropter hoc nomen JESU impositum fuit Filio suo, seu Christo octavo die cùm fuit circumcisus, *Tunc enim circumcisus fuit, ut verus Abraha filius, & JEsus vocatus tanquam verus Filius Dei*, ut ait S. Bernardus *serm. 1. de circumcisione Domini.* Neque sine sanguine hoc nomen acquisivit Christus, cùm in circumcisione illum fuderit, & quidem tanto pretio, quando mundus ipse redimitur: hinc hoc nomen JESUS nulli est, postmodum hominibus datum, quia nullus est, qui possit Salvator esse: ante Christi nativitatem nomen Jesus impositum fuit filio Navæ, qui Moysi successit, populumque à Moyse ex Ægypto liberatum in terram duxit promissionis, quod ipsi Moysi negatum fuerat: eodem etiam nomine vocatus fuit Josedech filius Sacerdotis, ut etiam filius Sirac, verùm nulli ex Patribus veteris testamenti ita propriè, ut Salvatori nostro hoc nomen fuit impositum, quia ipse solus omnium hominum, quotquot fuerunt in lege veteri; sunt, & erunt in lege evangelica, est Salvator ipse enim omnes liberat, non quidem à fame, ut olim liberati fuerunt Judæi Ægyptiaco, & Babylonico dominatu oppressi, sed à tyranide dæmonis ab umbris æternæ mortis. Hinc aliud nomen non est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, sed hoc nomen tantùm Christo convenire debet, cùm ipse solus sit via, veritas, & vita, ait enim de se ipso, *Ego sum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me, ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Neque vocatur tantùm Jesus, sed additur Christus seu unctus, quia Filius Dei justitiam dilexit, & odio habuit iniquitatem, propterea Deus unxit eum Psal. 44. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitia præ consortibus tuis*, loquitur David de Redemptore nostro, qui unctus fuit divinitate, de quo etiam dixerat Isaias cap. 61. *Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit Dominus me ad annuntiandum mansuetis me*: quia verò Redemptor noster unctus fuit divinitate, & Christus vocatus fuit etiam summus Propheta, & Magister edocens nos Dei voluntatem, quam exequeremur, quod Moyses populo prædixerat Israëlitico Deuter. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*, & aliquibus interjectis subdit: *Ait Dominus, mihi Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, qua pracepero illi: qui autem verba ejus, qua loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Quapropter Christus alloquens Judæos ait Isaiæ 55. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit*: & Deus Isaiæ 30. *Et non faciet avolare à te ultra Doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*, unde Christus se missum dicit, ut veritatem prænuntiet, fuitque propterea summus Propheta & Magister ex testimonio Dei dicentis per Isaiam: *Ecce testem populis dedi eum, Ducem ac Præceptorem Gentibus*: ut Propheta futura prædixit, ut Præceptor fidem, & cultum exhibendum uni soli Deo vero docuit, ut etiam viam, qua ad salutem perveniamus æternam: & præmium nostrorum laborum, estque ipsum regnum cœlorum, docuit gentes verum Dei cultum, quatenus ab idololatria eos extraxit, & transtulit ad veram fidem, & lumen Evangelii Isaiæ 42. & 49. *Dedi te in fœdus populi in lucem Gentium, ut sit salus mea usque ad extremum terra*, hinc ipse Christus fatetur se in mundum venisse, ut gentes doceret verum Dei cultum, & agnoscerent Deum Patrem, ejusque Filium, & Spiritum sanctum, & baptizarentur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti Joan. 1. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*, seu ut æternam salutem consequantur per cognitionem veri Dei ad obsequia ei præstanda, ait enim Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum, & quem misisti JESUM Christum.* Rursus Christus ut Præceptor docuit gentes, qualis sit ipse Magister, & præmium laborum non esse quærendum in hac vita, sed in alia, eò quia fluxa & inania sint omnia in terris, & vera, & perennia, quæ habentur in cœlis, & hoc præmium, quod debeamus sperare, regnum dixit cœlorum, ad quod etiam perveniendum viam docuit in illo præsertim sermone, quem docens in monte habuit ad discipulos, quibus expoluit omnia præcepta, quibus vita Christiana instituitur. Hanc Christi doctrinam summatim explicat D. Augustinus lib. de vera religione cap. 16, inquiens: *Satellites voluptatis, divitias perniciosè populi appetebant; sed ipse Magister Christus pauper esse voluit. Honoribus, & imperiis inhiabant; Rex fieri noluit. Carnales filios magnum bonum putabant; tale conjugium prolemque contempsit. Contumelias superbissimè horrebant; omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur; qua major injuria quàm justum innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur; flagellatus, atque cruciatus est. Mori metuebant; morte mulctatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant; crucifixus est. Omnia qua habere cupientes possidere desiderabant, carendo vili fecit.* Ecce quomodo Magister Christus edocuit nos transitoria bona nihili facere, & tantùm æterna desiderare, ac iisdem inhiare.

Non solùm Christus Propheta, & Magister fuit, sed etiam sacerdotali insignitus dignitate qua suo fungeretur Salvatoris officio, seque ut Sacerdos sacrificium offerret æterno Patri, & hostia fieret, qua genus humanum reficeretur, redimeretur, ac æternam consequeretur salutem: Sacerdos itaque Christus inunctus fuit, non quidem ex ordine Aronico, ex quo in veteri lege Leviticæ tribus fuerunt sacerdotes, sed ex illo ordine, de quo David Psal. 109. prædixerat: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, hæc autem sacerdotalis dignitas non convenit Christo ab æterno ut Deo, sed in tempore ut homini, hoc est secundùm humanam naturam, quam assumpsit in utero Virginis: hinc D. Paulus ad Hebr. 5. *In diebus carnis sua preces, supplicationesque ad eum qui posset illum salvum facere à morte cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus est pro sua reverentia.* Non ab æterno functus est Christus sacerdotio functus, sed tantùm in diebus carnis suæ, & quidem ab initio, ac statim cùm primum in utero Virginis carnem assumpsit, quia

tunc

tunc preces, & supplicationes ad Deum Patrem direxit: neque statim à sacerdotii functione cessavit, sed toto vitæ tempore hoc continuavit officium usque ad mortem cùm in cruce veluti in ara voluit se offerre sacrificium æterno Patri ad Hebr. 9. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Ut sacerdos se ipsum obtulit; & ut victima voluntariam mortem subivit, quo pacto per proprium sanguinem introivit semel in sancta æterna redemptione inventa, hoc est in ipsum cœlum, ubi semper interpellat pro nobis, ut sacerdos noster. Unctus etiam fuit in Regem justitiæ, & pacis, ut testatur ipse passim in sacris scripturis Psal. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Fuit unctus Rex in eminenti montis sancti fastigio, quia ejus regimen nonnisi ad summas virtutes erat homines promoturum. Hinc Zachar. 9. *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator, ipse pauper, & ascendens super asinam & super pullum filium asinæ.* Angelus iisdem qui mysterium incarnationis annunciavit Mariæ Virgini, filium, quem pariturа erat, in regem prædixit unctum. Luc. 1. *Et regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*, quia erit in æternum regnaturus, cujus sedes ad dextram æterni Patris parata erat: quin imò in extremo, & ultimo judicio, cùm venerit judicaturus gentes omnes, etiam ut rex sententiam proferet Matth. 25. *Tunc dicet rex his, qui à dextris ejus erunt.* Neque putes regnum Christi temporale esse mutationum vicissitudinibus obnoxium; quia est regnum spirituale, & æternum, non terrenum, ac temporale ait ipse Joan. 18. *regnum meum non est de hoc mundo*, quia illi non obtigit humano jure; quamvis à præclarissimis in mundo regibus suam traheret originem: sed regiam hanc dignitatem accepit à Deo, qui sua divitate eum unxit regem, ac illi contulit quicquid potestatis, amplitudinis, excellentiæ, ac dignitatis hominis natura recipere, ac capere potuit: seu totius mundi, ac creaturarum omnium regimen dedit, quæ propterea in die judicii ei subjicientur: hinc David Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo*, seu Deus Pater Christo, cujus persona unigenitus est ejus filius, *sede à dextris meis* seu ad dexteram throni mei regii, *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: unde oportet Christum regnare, donec suos inimicos propriis subjiciat pedibus; seu iniquos omnes, qui per patrata scelera à summo bono se averterant, sub pedibus ponat conculcandos, & in gehennam detrudendos æternum torquendos. Justos enim post generalem omnium hominum resurrectionem, & electos omnes Deo Patri offeret, cui se ipsum secundùm assumptam naturam cum corpore mystico in æternum se profitebitur subjectum; in quo sensu dicitur: *quòd ipse filius, seu Christus* secundùm naturam humanam *subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit DEUS omnia in omnibus* secundum personam, quæ est ejusdem naturæ, substantiæ, ac Deitatis cum Patre. Regnum igitur, quod à Christo fuerat in terris inchoatum, in cœlum perficitur, in quo sensu dixit Matth. 28. *Data mihi est omnis potestas in cælo & in terra*; hoc est in terra, quia Ecclesiam à se institutam, & in terris fundatam regit admirabili providentia, qua ab omni hostium violentia eam tuetur, legum suavitate per viam salutis suos trahit fideles, *jugum enim ejus suave est, & onus leve*; non sarcinis premimur onerati, sed aliis munimur ornati; quia non solùm æternum nobis spondet in cœlis regnum, sed etiam, ut illuc ascendamus, media nobis suppeditat.

Rursus ex eo quòd Christus sit verus DEUS, & verus homo; seu homo unctus divinitate, ac subsistens per subsistentiam filii unigeniti æterni Patris, sequitur, duas inesse Christo naturas, divinam, & humanam, adeout persona Christi sit ipse unigenitus æterni Patris, ejus numero naturæ, essentiæ, substantiæ, ac Deitatis cum Patre, cui propterea Nicæna synodus dixit esse consubstantialem, & coæternum contra Arium Presbyterum Alexandrinum asserentem personam Christi non esse Deum, neque Patri consubstantialem; sed Christum esse nobilissimam creaturam, quæ aliquando non fuit, & de non esse traductam ad esse perinde ac reliquæ creaturæ: contra quam hæresim Nicæna Synodus decrevit, ut fideles tanquam dogma fidei crederent, personam Christi esse verum filium unigenitum æterni Patris, eique consubstantialem ab eo genitum ab æterno, non factum; & hoc dogma fidei jussit inseri symbolo fidei, ut Fideles Christiani crederent *In unum Dominum Jesum Christum Filium Dei ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt*: quæ omnia inferuntur ex verbis Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, hoc est, ab æterno æternus Pater generat filium: quia cùm sit omniscius, ab æterno gerat semper per intellectum verbum exprimens omne cognoscibile, non quomodocunque sed perfectissimè & comprehensivè: *Et Verbum erat apud Deum* quia Verbum seu filius unigenitus æterni Patris, quia generatur per intellectum, dicitur verbum, quo Deus ad intra dicendo generat filium. *Et Deus erat Verbum* quia Filius est consubstantialis patri, seu ejusdem prorsus naturæ, essentiæ, substantiæ, ac Deitati, ratione enim hujus consubstantialitatis ita filius est in Patre, ut etiam Pater sit in filio: *Hoc erat, in principio apud Deum*; seu Deus Pater in principio, seu ab æterno semper generat ad intra filium, in quo sensu credimus in symbolo personam Christi esse filium Dei ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: quia addit Joannes *omnia per ipsum facta sunt.* Quòd Unigenitus æterni Patris ab æterno genitus in tempore assumpserit naturam humanam, & in Christo una ac eadem persona divina duas supposite naturas, divinam, & humanam asserit iisdem Joannes verbis illis. *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis* seu homo factus, & vocatus Christus, seu unctus divinitate mansit cum hominibus, quos redimeret à servitute peccati ac duceret viam salutis præeunte ipso exemplis, & doctrinis, qui propterea dicitur *via, veritas & vita* quia sequentes Christum ad vitam perveniunt æternam; & hi dicuntur suæ oves Joan. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt* seu doctrinæ Christi adhærent, & quia Pastorem sequuntur ad æternam perveniunt vitam: *Et ego vitam æternam, do illis, & non peribunt in æternùm, & non rapiet quisquam de manu mea.* paucis interjectis subdit Christus: *Ego & Pater unum sumus*, loquitur neutraliter *unum* ut significet unam naturam, unam essentiam, unam substantiam, & unam solam Deitatem in Patre, & Filio, seu in distinctis personis, proinde non dixit *unus* sumus, quia unus in masculino significâsset unam tantum personam. Ex eo autem quod in Patre & Filio sit una ac eadem essentia, natura, substantia, & Deitas, sequitur ambas personas esse immensas, omnipotentes, æquales, ac habere totam plenitudinem omnium perfectionum, Pater enim generando ad intra Filium per intellectum

dicendo Verbum, communicat illi non partem suæ substantiæ, sed totum suum esse, totam substantiam, naturam, essentiam, Deitatem, & omnia præter relationem paternitatis, hocque divinæ generationis Mysterium adeo est captu difficile, ut Isaias admirabundus dixerit cap. 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* Sciat Christianus Filium Dei ad intra genitum esse ab æterno à Patre; sciat fidelis hunc Filium esse ejusdem essentiæ, naturæ, substantiæ, & deitatis cum Patre, sed nolit discutere, quomodo à Patre generetur distinctus in persona, indistinctus in substantia, natura, & essentia. Audiat Athanasium orat. 3. contra Arianos *Indecorum est*, ait ipse, *quærere quomodo ex Deo Verbum existat, aut quomodo sit Dei splendor, aut quomodo generet Deus, & quis sit modus generationis Dei. Insanus sit qui talia audeat; cùm inexplicabilem rem, ac divinæ naturæ propriam, soliqué ipsi, & ejus filio cognitam oratione sua declarare conetur.* Divinam generationem solus ex Evangelistis Joannes attigit aquilino suo intuitu cùm dixit Joan. 1. *In principio erat Verbum*, cùm enim Pater ab æterno cognoscat perfectissimè seipsum *Verbum* exprimit, quod perinde in Deo est, ac Patrem ad intra generare Filium, ait Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 14. Verbum illud non est sonus transiens, aut exterior locutio, non est Verbum prolatitium; sed genitum per interiorem locutionem, seu cognitionem perfectissimam, ac perfectissimè assimilativam. Symbola divinæ generationis nostro qualicunque modo accommodata captui. A Sanctis Patribus peti solent ex igne & luce, eò quia unigenitus æterni Patris dicatur *Candor lucis æternæ*, ignis enim lucem emittit; & lux ab igne emittitur; seu splendor de igne, & ignis de splendore existit: splendor igni coævus, & ignis splendori coævus: adeo ut si daretur ignis æternus, daretur quoque splendor æternus igni coævus. Aliud Symbolum petitur ex virgulto in aqua nato, ac enutrito, & ejus imagine in pellucida unda apparente; eò quia æterni Patris Filius dicatur *Speculum sine macula Dei Majestatis; & imago bonitatis illius*, aqua veluti tersum speculum repræsentat virgulti imaginem, & imago non existit sine virgulto. Si speculum videas, te ipsum seu tui imaginem in ipso vides, quæ de speculo existit, si qui aspicit existat: potest semper existere imago in speculo, cum aspiciente se in eodem, sitque proinde imago coæva aspicienti se in speculo, pleraque alia id generis symbola adduci possunt, quæ tamen licèt quodammodo explicent coævitatem vel coæternitatem Patris & Filii, non tamen modum generationis ad intra, est enim Mysterium excedens humanum captum.

C A P U T VI.

Ostenditur contra Hæreticos Christi Divinitas in persona.

TAmetsi ex Hæreticis plures vocaverint, dixerintque Christum unigenitum Patris Filium, negârunt tamen personam Christi esse Verbum illud, cujus meminit Joannes, & de quo loquitur Evangelista Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum* quia negârunt personam Christi esse Deum, & consubstantialem Patri æterno; & asseruerunt Christum dici unigenitum DEI Filium, eò quia sit creaturarum perfectissima, & nulla sit tantæ perfectionis, sicut Christus JEsus; & propter hanc perfectionum excedentem, ac superabundantem mensuram, quâ Christus reliquas omnes superat creaturas putârunt dici unigenitum DEI Filium; non verò ob personam Christi, quæ sit Verbum illud, de quo loquitur Joannes, *& Deus erat Verbum*; ita docuerunt Samosateniani, ut testatur S. Athanasius orat. contra Arianos in illud *Deus ex Deo* circa finem inquiens: *Quidam ex discipulis Samosatensis dividentes Verbum a Filio dicunt, Christum quidem esse Filium: Verbum tamen alium Filium, ejusque occasionem arripiunt ex verbis Petri dicentis: Verbum misit filiis Israel pacem evangelizans per JEsum Christum. Hic est omnium dominus, ajunt enim, Verbum ita loquutum per JEsum Christum, quemadmodum in Prophetis solet. Ac proinde aliud Prophetam esse, & aliud Dominum* distinxerunt Verbum, de quo loquitur Joannes à Christo JEsu; illud asserunt Dominum; & Christum Prophetam, per quem fuit Verbum, seu Dominus locutus; adeo ut aliud sit Verbum, de quo loquitur Joannes, & aliud Verbum, quod fuit Christus loquutus filiis Israel, Verbum de quo loquitur Joannes, dixerunt esse consubstantiale Patri; non ita Verbum, quod loquutus fuit Christus, quia dixerunt Christum fuisse tantùm Prophetam missum à Verbo filiis Israel evangelizare pacem; Verbum Christi evangelizantis pacem dixerunt Sabelliani non esse rem subsistentem; sed simplicem quandam Dei Conceptionem de carne suo tempore induenda, verbo mentis nostræ, ac cogitationi similem, ut testantur D. Athanasius & S. Basilius, ille in orat. contra Sabellium; hic in serm. contra Sabellianos. Valentinus itidem censuit alium esse Filium à Verbo, illum dixit distinctum à Patre; & Verbum, de quo loquitur Joannes consubstantiale Patri, cujus hæresis meminit Irenæus *lib. 1. cap. 1.* & Theodoretus *in epitome divin. decret. de Filio*, ubi ait: *Nec ut volunt Valentini fabulæ alium esse dicimus unigenitum, & alium Verbum, & alium Christum, & rursus JEsum.*

Nestoriani quamvis concesserint Verbum esse veram personam, negârunt tamen esse personam omninò eandem, quæ est Christus unigenitus DEI Filius, sed aliam esse dixerunt, quæ neque nasci ullo modo ex Virgine, neque pati, aut mori potuerit: quæ hæresis etiam tribuitur Theodoro Mopsuesteno. D. Augustinus de hæres. cap. 30. meminit etiam hæreseos Alodianorum, qui Verbum detrectârunt cognoscere, & recipere respuentes Joannis Evangelium, cujus Apocalypsin noluerunt recipere, negârunt enim Verbum esse personam consubstantialem Patri, ait Augustinus: *Quidam Alodiani sic dicti, quia Verbum recipere noluerunt, nec Dominum cognoscere, respuentes Joannis Evangelium, cujus nec Apocalypsin accipiunt.* Michael Servetus non solùm Verbum Patri consubstantiale negavit, verùm & totum mysterium Sanctissimæ Trinitatis, ratus posse atheismum inducere & ait: *Temerarium esse de Verbo seu sermonem facere Filium*; & cùm illi objiceretur illud Joan. 1. *Et Verbum caro factum est*: ait Verbum Dei ideo dici factum carnem, quia suas dispositiones in carne manifestandas Deus decrevit: & reprehendit Catholicos, qui ex illis Joannis verbis: *Verbum erat apud Deum* inferunt, esse Verbum personam distinctam à Deo Patre: Hinc JEsum Christum hominem factum vocat Servetus Verbum Patris, non quòd persona Christi sit consubstantialis Patri, sed quatenus instar Verbi indicat mentem Patris, non tamen quòd Verbum hoc sit illud, quod erat in mente divina, sed

quid

quid aliud distinctum a creatum, quapropter negavit personam Christi Deum esse.

Ut autem hujusmodi errores, ac hæreses confutentur, juvat observare Verbum divinum posse propriè ac notionaliter sumi, & tropicè figurativè, notionaliter, & propriè est conceptus divinæ mentis, seu illa expressio, quam divinus intellectus, ac Pater intelligendo se ipsum producit ad intra: ex eo enim, quòd ab æterno Pater se ipsum primariò cognoscat; & secundariò creaturas omnes tum possibiles, tum existentes, tum præsentes, ac futuras in se ipso hæc omnia repræsentet; & hæc repræsentatio dicitur Verbum divinum, non quòd sit accidens quoddam distinctum ab intellectu, ut est Verbum mentis creatæ, quod potest abesse, & adesse, quia Verbum divinum ita procedit ab intellectu, ut cum ipso identificetur, sitque ejusdem prorsus substantiæ, essentiæ, naturæ, & Deitatis cum Patre, à quo nonnisi relativè ratione generantis, & geniti, producentis, & producti distinguitur. Tropicè & figurativè Verbum divinum multipliciter dicitur, quidquid enim refertur ad ipsum Verbum divinum propriè dictum, sive ut effectus, sive ut signum ejus, Verbum divinum dici potest, quo pacto sacra Scriptura, ut & quælibet ejus pars, prout indicat conceptum, seu Verbum mentis divinæ dictantis Moysi, & Prophetis, & aliis, qui instinctu Spiritus Sancti sacros Scripturæ libros scripserunt, dicitur Verbum Dei, seu Verbum dictatum à Deo, & hoc Verbum, cùm fuerit in tempore dictatum hominibus scribentibus, non est Verbum illud, de quo ait Joannes: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, quia hoc Verbum, quod erat in principio, est consubstantiale Patri, qua ratione addit Joannes; *Et Deus erat Verbum*: est enim hoc Verbum Dei à Deo dictatum, & ab hominibus scriptum quid omninò distinctum, & in tempore productum, hinc Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 11. ait: *Quod factum est ad illum, vel ad illum Prophetam, & de quo dictum est: Verbum autem Domini crescebat, & multiplicabatur. Et de quo iterum dictum est. Igitur Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi.* Et iterum: *Cùm accepissetis a nobis Verbum auditus fidei, accepistis non ut Verbum hominum, sed ut est verè Verbum Dei, & innumerabilia similiter*, inquit Aug. *in Scripturis dicuntur de Dei Verbo, quod in sonis multarum, diversarumque linguarum per corda, & ora disseminatur humana:* Quæ instinctu Spiritus S. etiam fiunt: figuratè Dei Verba dici possunt, in quo sensu 1. Reg. 3. ait Deus ad Samuelem: *Ecce ego facio Verbum in Israel, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus*, Et Archangelus Gabriel annuntians Mysterium Incarnationis Virgini vocat hoc Mysterium faciendum Verbum Dei Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne Verbum.* Ipsa enim divina gratia, quâ creatura rationalis à Deo vocatur, ut se avertat à peccato, resipiscat, & ad Deum convertatur, dicitur etiam Verbum Dei loquentis ad cor hominis: unde Verbum divinum metaphoricè sumptum multiplex est, sed propriè dictum non est nisi unicum perfectissimè continens universam scientiam æterni Patris, quæ nonnisi unica, & simplicissima est, & hoc Verbum est, de quo ait Joannes: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, est enim Verbum hoc propriè sumptum ejusdem naturæ, essentiæ, substantiæ, & Deitatis cum Patre, à quo producitur, seu est idem Deus, qui cùm non sit nisi unus, hoc Verbum nequit esse nisi unum: secus Verbum figuratè dictum multiplex est & varium, ut jam diximus, etenim Isaiæ 59. Deus loquens cum Ecclesia ait: *Verba mea, quæ posui in ore tuo*, ait verba mea in plurali, quia Verbum Dei metaphoricè, & figuratè sumptum multiplex est, & varium. Verbum autem, quod contra Hæreticos dicimus carnem factum Joan. 1. *Et Verbum caro factum est*, est secunda persona Sanctissimæ Trinitatis consubstantialis Patri, & ejusdem prorsus naturæ, essentiæ, & Deitatis: Et hanc personam propriè & notionaliter sumptam asserimus esse personam Christi JESU. Hâc distinctione Verbi propriè, & metaphoricè, seu figurativè sumpti facilè corruit fundamentum, cui innitebantur Hæretici; quòd enim Petrus Actor. 13. dixerit: *Verbum misisse filiis Israel, ut pacem evangelizaret per JESUM Christum*, non intelligitur hoc Verbum missum esse Verbum propriè, & notionaliter sumptum esse distinctum à JESU Christo, sed intelligitur de Verbo figurativè sumpto: Hinc Athanasius orat. contra Arianos ait: *Stulti, & quidvis potius quàm Christiani, non enim absunt, dum talia de Deo fabulantur, ut Deum hominem quempiam esse suspicentur? utpote quem ita inducunt loquentem, quasi quis priora verba posterioribus mutet, & quasi unum ex Deo verbum non sufficiat, quod universam mundi ex voluntate Patris creationem, curamque & providentiam sustineat.* Et rursus: *Non multa verba sunt ut unumquodque eorum insufficiens habeatur, sed unum verbum, ut illud solum intelligatur esse perfectum.* Liquet igitur Verbum divinum sumptum propriè esse secundam personam Trinitatis, & hoc Verbum factum fuisse carnem, seu assumpsisse naturam humanam, ac esse JESUM Christum, qui propterea est simul verus Deus, & verus homo, cùm enim Christus sit Filius Dei propriè, est etiam Deus propriè, hinc Isaiæ 40. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domino, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*, seu *Christi*. D. Paulus ad Hebr. 1. ad convincendos Judæos, quòd Christus fuerit verus Dei Patris Filius, eique consubstantialis consequenter Deus, argumentum deducit ex Psal. 2. qui de Christo intelligitur *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* & ne putârent Judæi Messiam esse Filium Dei tantùm per adoptionem, & eo modo, quo Israel dictus est primogenitus Dei, subdit: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, apprehendite disciplinam*, ubi in textu Hebraico habetur, *osculamini Filium*, hoc est in signum subjectionis osculamini manum Filii, aut pedem; quòd si dicas septuaginta Interpretes vertisse *apprehendite disciplinam*. Respondetur illos ad sensum, non ad verba respexisse, quia tunc verè Christum colimus, & adoramus, quando ejus doctrinæ inhæremus. Rursus in sequentibus verbis ejusdem Psalmi 2. *Ne quando irascatur Dominus*, in textu Hebraico non intelliguntur verba illa referri ad Patrem, sed ad Filium ex quo sequitur vocem istam *Dominus* à septuaginta interpretibus additam, esse referendam ad Filium, ad quem etiam diriguntur sequentia: *Cùm exarserit in brevi ira ejus beati omnes, qui confidunt in eo*, ex quo Psalmo deducitur argumentum, Messias, quem Hebræi expectabant, ut sibi promissum, est Filius Dei adorandus ab omnibus Regibus, & quibus ille irascitur, hi omnino pereunt, & qui in illo confidunt, salutem consequuntur: sed Deus est, qui peccantes in infernum detrudit & resipiscentibus, seu in divina bonitate confidentibus salutem impertitur; ergo Messias Judæis promissus est verus Deus, quia solus Deus verus habet imperium in vitam, & mortem. Tum quia confidens in homine non benedicitur, sed maledicitur Jeremiæ 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine*, ergo si confidentes in Messia salutem consequuntur, non maledicuntur, nec confidunt in ho-

mine, sed io vero Deo, proinde Messias est verus Deus. Rursus Isaiæ 48. ait Christus: *Accedite ad me, & audite hoc, non à principio in abscondito locutus sum: ex tempore, antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus ejus.* Ubi loquitur Filius æterni Patris, eique substantialis, quia Pater non dicitur missus, nec haber aliam personam, à qua mitti possit, unde est Filius, qui mittitur à Patre, & cùm hic missus sit Dominus Deus, qui fecit cœlum & terram, consequenter Christus est verus Deus, & verus homo. Respondet Franciscus David hunc locum Isaiæ non posse intelligi de Christo, alioquio Christus fuisset ante Incarnationem, & 1. *Joan.* 4. dicitur spiritum Antichristi esse, qui asserit, Christum fuisse extra, & antecarnem. Quia D. Paulus ad Hebr. 1. scribit: Deum novissimè locutum esse in Filio, ergo locus Isaiæ non est intelligendus de Christo, quia dicit se à principio locutum esse. Rursus quia illud *ibi eram* à Patribus intelligitur de loco, ubi erat, seu de monte Sina, & Apostolus ad Galat. 3. ait: Legem datam in monte Sina per Angelos, & non per Christum. Sed contra quia Joannes non dicit Christum fuisse ante carnem, sed solùm Antichristum esse, qui negat Verbi divini incarnationem, seu Christum, ut negârunt olim Ebion, & Cherinthus, & cum ipsis etiam Transylvani, verba enim Joannis sunt Joan. 1. *Omnis Spiritus, qui confitetur JESUM Christum in carne venisse ex Deo est, & omnis Spiritus, qui solvit JESUM, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Neque quid aliud potest significare solvere JESUM, quàm dividere verbum à carne Deum, ab homine Christo, ac asserere Filium Dei non esse factum verè Filium hominis sed in eo duntaxat veluti in templo fuisse immoratum: neque per Jesum in carne venisse aliud possumus intelligere, quàm Verbum Dei veram, & realem carnem in unitatem suæ hypostasis assumpsisse, ac verum hominem factum fuisse.

Ad aliud desumptum ex Apostolo ad Hebr. 1. ubi scribit Deum novissimè locutum esse in Filio respondetur, D. Paulum non negare Verbum Dei locutum ante Incarnationem, cùm in veteri Testamento fuerit locutus Patriarchis, & Prophetis: est enim Verbum Dei per Apostolum ipse Filius unigenitus æterni Patris, eidem consubstantialis, proinde verus Deus qui fuit locutus Moysi, & Prophetis: unde Apostolus ad Hebr. 1. tantùm vult, Deum ultimis temporibus locutum fuisse humanâ voce, & ore corporali per Filium suum unigenitum hominem factum, cùm in lege veteri loqueretur per ora Prophetarom. Ad aliud de lege data in Sina monte per ministerium Angelorum respondetur, legem fuisse in Sina datam à Deo Patre, Filio, & Spiritu S. quia opera ad extra communia sunt totius Trinitatis, sed quia Filius in tempore erat carnem humanam sumpturus, non desunt ex Sanctis Patribus apud Bellarminum *de Christo lib.* 1. *cap.* 5. qui intelligant de Christo prævíso, sicut dicitur Isa. 48. ex tempore *antequam fierent ibi eram, & nunc Dominus meus misit me*, hoc est citm fierent, ibi eram secundùm personam, ut verterunt septuaginta Interpretes, & D. Hieronymus vertit, *antequam fieret, ibi eram, & postea misit me ad assumendam carnem*, subinde Scripturæ tempus præteritum sumunt pro præsenti, ut & futurum, ut plura id testantur Scripturæ loca.

Alius est locus in veteri Testamento clarior, Isaiæ 35. *Deus ipse veniet, & salvabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus, & soluta erit lingua mutorum*, Hæc verba esse intelligenda de Christo lioqui ea illo Matth. 11. ubi Christus respondit Discipulis Joannis: *Euntes nunciate Joanni cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant*, unde verba Isaiæ ad literam de Christo verificantur, quia per nullum Prophetam Deus hæc signa fecit, non enim Moyses, Julue, Elias, & ejus Discipulus Elisæus leguntur curâsse cæcos, surdos, mutos, & claudos; quæ sunt signa expressa ab Isaia, & quæ fecit Christus non unâ tantùm vice, sed pluries, tum quia Isaias loquitur de futuro inquiens: *Deus ipse veniet*, quod de Christo tunc venturo intelligebatur, quia Prophetæ, qui signa fecerunt, ut Moyses, Julue, Elias, & Elisæus, ante tempora Isaiæ vixerunt: Hinc Christus ex signis à se factis, & quæ alii non fecerunt, se ipsum manifestat Joan. 15. *Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit*, unde præcitatus Isaiæ locus clarè loquebatur de Christo tunc venturo, ut communiter exponunt Sancti Patres Augustinus *lib. de quinque hæresibus cap.* 6. Athanasius *lib. de humanitate Verbi post medium* Cyrillus *in locum Isaiæ* 35. & *lib.* 4. *in Joann. cap.* 28. Eusebius *lib.* 6. *de mons. cap.* 21. Rursus Zachariæ 2. habetur clarè de Christo Dei Filio naturali. *Hæc dicit Dominus exercituum; post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos, qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei; quia ecce ego levo manum meam super eos, & erunt præda his, qui serviebant sibi, & cognoscetis, quia Dominus exercituum misit me, lauda, & lætare filia Sion quia ego ecce venio, & habitabo in medio tui, dicit Dominus, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in illa die, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui & scies, quia Dominus exercituum misit me ad te*, hunc locum esse intelligendum de Christo probant Eusebius *lib.* 5. *de monstrat. cap.* 25. & *sequent.* Augustinus *lib.* 20. *de Civit. Dei cap. ult.* Ambrosius *lib.* 2. *de fide cap.* 3. respondent Sectarii hunc locum non esse ad rem, ut intelligatur de Christo, eò quia sit vaticinium de futuro, quamvis Propheta loquatur in præterito, & quia loquitur de conversione gentium facta post Christi Ascensionem. Sed contra, quia Sancti Patres non ponunt vim in tempore præterito, aut futuro, sed in eo, quod quidicit se missum à Domino exercituum vocet etiam se ipsum Dominum exercituum: & quia constat unicum tantùm esse Dominum exercituum, seu Deum, exinde manifestè sequitur Christum ex veteri Testamento probari, esse verum Deum, & verum hominem, seu esse unum, & eundem Deum, ac Dominum exercituum cum Patre suo, cum quo eandem habet naturam, essentiam, substantiam, & Deitatem, & non nisi per solam personalitatem ab eo distinguatur.

Ex novo Testamento clarissimè ostenditur Christum esse verum DEUM secundùm personam, & verum hominem ratione naturæ humanæ assumptæ à Verbo divino, etenim D. Petrus interrogatus à Magistro Christo, quid dicerent homines de ipso ex DEI revelatione respondit Matth. 16. *Tu es CHRISTUS Filius DEI vivi*, asseruit Petrus Christum esse Filium verum, & naturalem Dei, quòd ut ostenderet clarius addidit *Dei vivi*, eò quia proprium sit viventium Filium sibi similem in natura gignere; hinc Joan. 3. Christus dicitur *Filius unigenitus* & 1. Joan. 5. *Filius verus*, quapropter Apostolus ad Roman. 8. eum vocat Filium proprium æterni Patris, & ad Hebr. 1. Filium naturalem, & ut eum distinguat à filiis adoptivis, eum vocat imaginem paternæ hypostasis, quod filiis per adoptionem assumptis non conveniti imò & Christus ipse accusatus, quòd se fecisset Filium Dei ac propterea morti esset adducendum Joan.

19. *Nos*

19. *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*, suam ostendit divinitatem, quia Judæi illum non accusâssent si tantùm se dixisset Filium DEI adoptivum, quia tunc se tantùm justum esse dixisset, quia justi per gratiam sanctificantem participant naturam divinam, suntque filii DEI per adoptionem, oude accusârunt, eò quia se fecerit verum, & naturalem, ac proprium DEI Filium, unde Judæi dixerunt Joann. 8. *Unum Patrem habemus Deum*, quia noluerunt credere Christum esse DEUM, & quia Christus contra hanc accusationem nihil respondit, nec eam diluit, sed ut veram admisit, & in eadem Coufassione mori voluit, se manifestavit silentio illo verum DEUM, seu Filium unigenitum, proprium, & naturalem æterni Patris, eique consubstantialem.

Respondent ministri Transylvani Christum esse filium verum, & proprium DEI, eò quia fuerit conceptus de Spiritu Sancto Luc. 1. *Spiritus Sanctus superveniet in Te*, loquitur Angelus ad virginem, *& virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nascetur ex Te Sanctum, vocabitur filius.* Sed contra quia si ex eo præcisè Christus diceretur filius DEI, quia non fuerit conceptus ex semine humano, sed ope divina, nou posset dici filius unigenitus, quia non esset uuicus; siquidem sine ope humana geniti, seu conditi fuerunt primi parentes Adam, & Eva in muudi exordio, & quidem à solo DEO, unde non esset Christus alio specialiori modo filius proprius DEI, ac fuerunt Protoparentes, & Angeli, qui sicut non sunt consubstantiales DEO, ita neque persona Christi, quod est hæreticum, & contra scripturas. Deinde si ex eo diceretur Christus filius proprius DEI eo quia conceptus fuit in utero Virginis de Spiritu Sancto, seu ope Spiritus Sancti, non æterni Patris esset filius unigenitus, sed Spiritûs Sancti, cujus ope dicitur genitus, quod est hæreticum cum Joan. 15. Spiritus Sanctus dicatur procedere à Filio, non filius à Spiritu Sancto. Rursus ex eo quòd Christus dicatur genitus in utero Virginis de Spiritu Sancto, per hoc non potest esse filius proprius, & naturalis, quia hic generatur de substantia Patris qui gignendo filium portionem propriæ substantiæ ei communicat; & DEUS ex propria substantia non genuit filium in utero Virginis; sed ab æterno DEUS Pater cognoscendo perfectissimè se ipsum generat filium sibi coæternum. Hinc D. Paulus ad Hebræos 7. vocat Christum sine parentibus, & David Psal. 109. alloquens Christum ait: Tu es Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, hoc est sine Genealogia; quod intelligi debet sine Patre in terris, & sine matre in cœlis, juxta communem Patrum expositionem. Neque obstant huic interpretationi verba illa *Virtus Altissimi obùmbravit Tibi*, quia Virtus altissimi est ipsum Verbum æterni Patris, quod in uterum Virginis descendit, ut patet Joan. 1. Et verbum caro factum est, & explicant Sancti Patres Ambrosius serm. 5. in Psal. 118. Eugcnius in Moral. lib. 18. cap. 12. D. Bernardus supra *missus est:* adeout Christus verè, & propriè dicatur Filius naturalis Altissimi, & Filius proprius Mariæ Virginis, quatenus ratione personæ est filius proprius & naturalis æterni Patris, ac ei substantialis; & ratione naturæ humanæ compactus, & formatus ope Spiritus Sancti fuit de purissima materia, & substantia Virginis Matris. Alii etiam respondent conceptionem de Spiritu Saucto non esse causam, sed tantùm signum, cur Christus dicatur Filius DEI; quia ut docet D. Bernardus serm. 2. super *missus est*, Decvicit, ut si filius DEI, vellet fieri filius hominis, non nisi ex virgine nasceretur; & si Virgo paritura esset, non nisi DEUM pareret.

Rursus ostenditur Christi divinitas ex eo quòd Joannes dicatur ante Christum præcedere in Spiritu & virtute Eliæ, & dicatur convertere multos filiorum Israel ad Dominum Deum ipsorum Luc. 1. de Joanne dicitur. *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illum in Spiritu, & virtute Heliæ*, Hoc est Joannes plures Israelitas convertet ad Christum, quem vocat Dominum Deum ipsorum: per Dominum Deum Israel etiam heretici intelligunt verum Deum; & cùm Angelus vocet Christum Dominum Deum Israel; sequitur evidenter, Christum esse verum Deum: ita explicant Sancti Patres Ambrosius, Beda, Euthymius in hunc locum, & præsertim Irenæus lib. 3. cap. 11. Neque illa verba *& ipse præcedet ante illum*, possunt ad alium referri, quàm *ad Dominum Deum Israel*, quæ sunt verba immediatè ante prolata, & significat Christum, quem Joannes præcessit in Spiritu & virtute Heliæ; non enim Joannes præcessit Deum sine addito, alioquin Deus non esset æternus, quia duratione præcederetur è Joanne; sed præcessit Deum hominem, seu Christum, qui est Dominus Deus filiorum Israel, ad quem multos erat Joannes conversurus. Cùm igitur constet Joannem præcessisse ante Christum, non ante Deum Patrem, & Act. 13. ait Paulus; *Eduxit Deus Israel Salvatorem Jesum prædicante Joanne ante faciem adventus ejus baptismum pœnitentiæ* & ad hunc Salvatorem JEsum esset conversurus multos Israelitas, sequitur hunc Salvatorem JESUM esse ipsum Christum, qui dicitur Dominus DEUS Israelitarum: Multos filiorum Israel ad Dominum DEUM ipsorum, seu ad Salutarem JESUM, qui est Christus, ac Dominus DEUS. Hinc Joan. 1. *Cum vidisset Joannes JESUM*, eum salvatorem mundi statim confessus fuit, inquiens: *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi* & Andreas Joannis discipulus conversus ad Christum sequutus est eum.

Joan. 10. ait Christus *Ego & Pater unum sumus*, dicit in neutro *unum* quod significat unum in natura, essentia, substantia, Deitate, si enim dixisset masculinè *unus*, denotâsset personam, sed *unum* in neutro indicat DEUM: hoc scripturæ testimonio Patres intulerunt contra Arium, ejusque asseclas negantes Christum esse DEUM; Ministri tamen Transylvaniæ conati sunt illud verbum *unum* in neutro explicare de unitate concordiæ, amoris, & charitatis. Idque probant ex Joan. 17. ubi dicitur de Apostolis. *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus*, & cùm Apostoli non potuerint esse quid unum in natura & substantia; tantùm de unitate per concordiam, pacem, amorem, & charitatem potest intelligi textus Joannis: perinde cùm Christus Joan. 10. dixit *Ego & Pater unum sumus*, dicunt hoc unum esse intelligendum de unitate concordiæ, ac charitatis. Verùm verba Joan. 10. esse intelligenda de unitate essentiæ, naturæ, substantiæ, ac Deitatis docent communiter sancti Patres, præsertim Basilius lib. 1. in Eunom. circa finem: & S. Chrysostomus in hunc tractatum Christus enim probaturus, oves suas non perituras, argumentatur hoc pacto: *Nemo potest rapere oves de manibus Patris mei* & adferens causam subdit, *quia ipse major omnibus est*

ac

ex quo infert, ergo neque poterit ullus eas rapere de manu mea, & assignans rationem ait Joan. 10. *Ego & Pater meus unum sumus*, dixerat Paulus ante Joan. 10. 17. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me; & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum; & non rapiet quispiam de manu mea:* & paucis interjectis; *& nemo potest rapere de manu Patris mei: ego & Pater unum sumus:* hoc autem argumentum non validè concluderet, nisi Patri æterno & personæ Christi, seu filio inesset una, ac eadem potentia: & cùm in Deo potentia non distinguatur ab essentia, natura, substantia & deitate, sequitur manifestè in Patre, & persona Christi esse unam, & eandem essentiam, naturam, & deitatem, ac proinde Christum esse verum Deum in persona, & verum hominem in natura. Tum quia cùm primum Judæi audierunt, Christum dixisse: *Ego & Pater unum sumus. Tulerunt lapides, ut jacerent in eum*, ergo quia credebant, Christum se dixisse verum Deum, & unum cum Patre; non enim tulissent lapides, si intellexissent, Christum dixisse, se unum esse cum æterno Patre, per concordiam, & charitatem; quia tantùm intulissent, Christum in omnibus se conformare divinæ voluntati, ob quod dignus fuisset laude & præmio, non pœna.

Respondent tamen Ministri Transylvani lib. 2. cap. 8. Christum sequentibus verbis suam declarasse sententiam ac sensum explicuisse ejusdem, subdit enim nonnullis interjectis. In lege vestra scriptum est; *Ego dixi, dii estis: Si ergo eos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est; quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum*, ubi Christus se fatetur Deum, quemadmodum dii vocabantur ii, ad quos sermo Dei factus est: sed isti non sunt ejusdem naturæ, substantiæ, & deitatis cum Deo vero, sed tantum per adhæsionem ratione concordiæ, & charitatis; sicut omnes justi, qui per gratiam sanctificantem participantes naturam divinam dicuntur filii Dei per adoptionem: ergo ex eo quòd Christus dicat Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus*, non sequitur, personam Christi esse consubstantialem Patri, sed tantùm esse quid unum ratione concordiæ, & charitatis. Sed contra, quia ut observat D. Hilarius lib. 7. de Trinit. Christus præcitatis verbis fuit argumentatus à minori ad majus; quia si illi vocantur dii, ad quos sermo Dei factus, & dono Dei participant gratiam Dei, suntque à Deo Principes aliorum constituti per authoritatem, ac dignitatem à Deo acceptam: quanto potiori jure possum ego vocari Deus, quamvis sum homo, cùm Pater me singulari dono sanctificaverit, in ipsa mea conceptione in utero Virginis uniendo naturæ meæ humanæ suam divinam hypostasim Verbi divini, seu filii sui unigeniti, quem ab æterno generat ad intra. Cæterùm cùm Judæi dixissent: *De blasphemia lapidamus, quia tu homo cùm sis, facis te ipsum Deum*, Christus respondit, se non solum Deum esse, sed etiam hominem verum; idque declaravit per suam unctionem, quâ in sua conceptione hypostasis Verbi divini naturam suam humanam assumpsit, adeò ut hæc non nisi per Verbi divini hypostasim fuerit supposicata, ac substituerit, eo quia caruerit personalitate propria humana, quapropter declaravit, quomodo sit verus Deus ratione personæ divinæ, & verus homo ratione naturæ humanæ; quod verò per personam Verbi divini sibi hypostaticè unitæ esset verus Deus, id probavit ex operibus soli Deo propriis, & quæ ipse faciebat, nec posset facere, si esset solus homo; propterea dixit: *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere*, & ex iisdem operibus ritè intulit se DEUM verum esse, inquiens: *ut cognoscatis, quia ego in Patre, & Pater in me est*: neque mutua hæc inhabitatio potest intelligi absque identitate naturæ. D. Chrysostomus expendens præfata verba Christi ad Judæos respondet Christum dupliciter voluisse accusationem Judæorum confutare. Primò quia tametsi esset purus homo, adhuc nullam protulisset blasphemiam dicendo se Deum esse; cùm in Scripturis plures ipsi minores vocentur dii; & postea probasse se verum esse Deum ex operibus, quæ solus Deus facere potest, quia sint illi propria; & ipse etiam facit.

Ostendit etiam Christus suam divinitatem ex fide eadem, quà vult, ut credamus in Deum, & in ipsum Joan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Si enim esset pura, & simplex creatura, non potuisset nobis injungere, ut in ipsum crederemus, sicut credimus in Deum; quia Deus est ipsa veritas, quæ nec falli potest, nec nos fallere: & simplex, ac purus homo fallax est, & mendaciis obnoxius, ac propterea *omnis homo mendax* seu potens mentiri, eo quia non sit prima veritas, ut Deus: Hinc Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 12. ex præcitatis Christi verbis infert, Christum esse verum Deum, quem Judæi colebant: quia si non esset ipse verus Deus, non posset sibi arrogare eandem fidem, quæ soli Deo debetur, quia non esset prima veritas, quæ nec fallere, nec falli posset. Neque ullum facessit negotium, illa particula disjunctiva *Et* quia Christus studiò eam posuit propter naturam humanam, ratione cujus distinguebatur à Deo: unde sensus est: si creditis in Deum, etiam in me credite; quia tametsi ob naturam humanam videar vobis homo, mea tamen persona humana non est, sed divina, seu Verbi æterni Patris ejusdem essentiæ, naturæ, substantiæ, ac deitatis cum Patre; sintque propterea in me duæ naturæ, divina, & humana & unica tantùm persona verbi divini, ideoque si *in Deum creditis, & in me credite*, cùm sim ipse Deus, in quem vos creditis, & non sim solus homo quapropter Joan. 14. subdit; *Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis*, quia eadem essentia, natura, substantia, & Deitas Patris est etiam mea Deitas, substantia, natura, & essentia: hinc alloquens Philippum suum discipulum ait Joan. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*, quia in me, & in Patre est una ac eadem deitas. Ex quibus verbis Cyrillus lib. 9. cap. 37. etiam ostendit contra Arianos Christum esse verum Deum, & unum cum Patre, alioquin posset Pater cognosci sine Christo quoad personam & Christus sine Patre; quod si non possit persona Christi cognosci, quin cognoscatur Pater, sequitur eandem Patris deitatem, esse deitatem personæ Christi: hinc Christus videtur redarguere quasi veritatem discipulorum, eo quia ipsum non cognoscerent Joan. 14. *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me*; quia cùm ipsum cognoscerent hominem, ac eorum magistrum, superetat, ut eum etiam cognoscerent Deum in persona, & unum in deitate cum Patre; quapropter dixit Philippus Joan. 14. *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*, seu erimus pleni gaudio & æterna beatitate donari, si digni facti fuerimus videre Patrem, quem credebant verum Deum; cui Christus respondit: *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum:* sin autem Christus non fuisset verus Deus, non satisfecisset petitioni Phi-

Philippi optantis, videre Patrem. Neque ullius eſt momenti, quod reſpondent hæretici cum Franciſco David, & Miniſtris Tranſylvanis, Chriſtum hominem fuiſſe imaginem Dei, ac proinde videntes Chriſtum, in ſua imagine vidiſſe Deum. Nam contra eſt, quia Philippus cupiebat videre Deum, ſicut eſt in ſe; & cùm ſit Spiritus, non optabat videre quid corporeum, ut erat Chriſtus ratione humanitatis, & corporis; non enim ille Beatus, qui videt creaturam; ſed qui intuitivè, & facie ad faciem, ut loquitur Apoſtolus, cognoſcit creatorem, ut eſt in ſe; hinc Chriſtus non fuit loquutus de ſuo humano corpore, cùm reſpondit: *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum*, ſed de ſua perſona, quæ ejuſdem erat Deitatis cum Patre.. Hæretici autem negantes, Chriſtum eſſe Deum, non concedunt eſſe imaginem naturalem Patris, ſed loquuntur de imagine corporali, & viſibili, quæ omnino diſſimilis eſt exemplari; nil enim creatum poteſt perfectè aſſimulari Deo, ac Spiritui, unde Jeſa. 40. *Quam imaginem ponetis ei?* & 3. Reg. 8. dicitur: *Non eſt ſimilis tibi Deus*, ſi nulla creatura eſt ſimilis Deo, qui videt imaginem in creatura, non videt Deum. Præterea cùm videmus imaginem aliquam venuſtè, & eleganter delineatam, excitatur ſtatim in nobis deſiderium videndi originale, ſeu exemplar, an reſpondeat imagini, & quomodo in ſe ſit, proinde Philippus petiit videre Patrem æternum, ut eſt in ſe in Spiritu.

Plura alia ſunt ſcripturæ loca, ex quibus ſolet probari Chriſti Divinitas, ait Joan. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum ſunt: & tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua & ſanguis:* ex quibus verbis Chriſtus probatur eſſe verus Deus, & verus homo, ad quod evincendum producuntur teſtimonia divina & humana: non enim cùm ait: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo*, per illud in cœlo non intelligitur locus cœleſtis, ſed qualitas teſtimonii, quia etiam Angeli cœlum inhabitant, & non ſemel Chriſto teſtimonium dederunt; unde cùm Joannes dicat, tres tantum eſſe, qui teſtimonium dant in cœlo, non locus, ſed qualitas indicatur teſtium, ſeu ſignificantur tres divinæ perſonæ ut diſtinctæ à teſtibus creatis, & humanis: & ſicut Spiritus, aqua, & ſanguis ſunt teſtimonia terrena, & comprobarunt veram Chriſti humanitatem, quando in Chriſti nece ex ipſius Spiritus, ex latere aqua, & ſanguis fluxerunt: ita Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus ſunt perſonæ divinæ, quæ teſtimonium divinum perhibuerunt de vera Chriſti divinitate in Baptiſmo, & transfiguratione. Apoſtolus ad Philippenſens 2. loquens, de Chriſto ait: *Qui cùm in Dei forma eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſeipſum exinanivit, formam ſervi accipiens*, ubi Dei forma ſignificat eſſentiam juxta communem Patrum tum veterum tum recentiorum ſententiam; ita docent S. Athanaſius Serm. 4. contra Arianos, Nazianzenus orat S. de Theologia, Niſſenus lib. de Serm. in monte explicans primam beatitudinem, Hilarius in Pſal. 138. Cyrillus lib. 3. Theſauri cap. 1. & ſeq. Hieron. in cap. 1. ad Titum, Auguſtinus contra Maximinum cap. 5. Hinc D. Ambroſius Epiſt. 47. interrogans, quid eſt in forma Dei? reſpondet, in natura Dei: quòd dicat; *non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo*, explicat Chriſtus, æqualitatem cum Deo non eſſe illi ab extrinſeco, & accidentalem, ſed ſibi connaturalem, intrinſecam, & eſſentialem, quia perſona Chriſti cùm ſit conſubſtantialis Patri, & illi omnino æqualis in natura, eſſentia, ſubſtantia, & Deitate; natura divina, & perfectiſſima æqualitas cum Deo non potuit ei ab extrinſeco obtingere, quaſi ab alio rapta, ſed illi eſſentialis & omnino ab intrinſeco fuit, unde falſum eſt, quod reſpondent Miniſtri Tranſylvani, Chriſtum eſſe æqualem Patri, eò quia illum ad ſuam evexerit æqualitatem: hæc enim reſponſio adverſatur Scripturæ Jeſa. 42. *Ego gloriam meam alteri non dabo:* præterea impoſſibile eſt, creaturam fieri æqualem Deo, ſeu finitum in finito, temporaneum æterno, limitatum immenſo: unde quòd perſona Chriſti eſſet æqualis Deo, non rapinam arbitratus eſt, quia cùm eſſet in forma Dei, ſeu eſſet in Deo per identitatem ejuſdem eſſentiæ, & naturæ illi naturaliter, & eſſentialiter conveniebat æqualitas cum Deo; ſed quia ſimul erat homo ob naturam humanam compactam, ex anima rationali & corpore humano; ideo ſubjungit, *ſed ſemetipſum exinanivit. formam ſervi accipiens*, quaſi diceret, cùm ſim Deus, me ipſum exinanivi, accipiens formam ſervi, ſeu naturam humanam. Rurſus ad Galat. 1. Apoſtolus diſtinguit Jeſum Chriſtum à puro homine, conſequenter eum aſſeruit ſupra hominem, & Deum eſſe oſtendit, inquiens: *Notum vobis facio Evangelium, quod prædicatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem: neque enim ego ab homine illud accepi, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti*, quem opponat homini, fatetur ipſum non eſſe purum hominem, ſed etiam Deum: ſi dicas inde non ſequi, eſſe etiam Deum, eo quia poſſet eſſe Angelus inferior Deo. Contra eſt, quia Apoſtolus Chriſtum non ſolùm hominibus opponit, verùm etiam Angelis: ait enim: *Si nos, aut Angelus de cœlo evangelizaverit vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Hinc D. Paulus ad Rom. 9. ſcribit: *Ex quibus Chriſtus eſt ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula:* hoc eſt Chriſtus, qui ſecundum carnem eſt homo ex ſtirpe David; ipſe tamen eſt ſecundum perſonam ſuper omnes creaturas, quia eſt Deus benedictus in ſæcula, adeo ut ſit Chriſtus verus Deus, & verus homo. Præterea Joan. 20. Thomas Apoſtolus, Vir Iſraelita, dixit Chriſto, *Dominus meus, & Deus meus*, vocavit Chriſtum Dominum, & Deum ſuum; quia ex ſignis & miraculis, quæ nulla potuit creatura facere, rectè intulit, Chriſtum ita eſſe hominem, ut ſimul ſit Deus D. Chryſoſtomus, ait tunc, cum D. Thomas verba hæc protulit impletum fuiſſe illud Pſal. 76. *Manibus meis Deum quæſivi, & non ſum deceptus*, loquitur David in illo Pſal. De vero Deo, quem manibus cupiebat palpare, ſeu Chriſtum verum Deum, verumque hominem. Rurſus Joan. 16. *Omnia quæ Pater habet, mea ſunt:* ergo eſſentiam, naturam, ſubſtantiam, Deitatem Patris habet Filius, ſeu Verbum divinum: ſed hoc Verbum eſt ipſa perſona Chriſti, Joan. 1. *Et Verbum caro factum eſt*, ſeu factum eſt ille homo, qui dicitur Chriſtus, qui propterea habet eamdem eſſentiam, naturam, ſubſtantiam, ac Deitatem cum Patre, eſtque Jeſus Chriſtus verus Deus, & verus homo. Reſpondent hæretici, id intelligendum eſſe de rebus, quæ ſunt ad extra, cujuſmodi ſunt bona creata, quorum cùm fuerit Chriſtus conſtitutus Dominus à Deo, *Dominus univerſorum tu es*: perinde ac omnia, quæ ſunt mariti, dicuntur eſſe uxoris; quæ ſunt Patris, dicuntur eſſe Filii uniti; & deinde non ſequitur Filium eſſe Patrem; neque uxorem maritum: ergo neque ex eo, quod omnia, quæ ſunt Patris, dicantur eſſe filii, ſequitur Chriſtum eſſe verum Deum. Sed contra, quia conſequentia non ritè infertur, deberet enim inferri, ergo Filius

non est Pater: & tunc distingueretur consequens, non est Pater secundum rationem relativam Filii, concederetur; secundum essentiam, naturam, substantiam, & omnia absoluta, negaretur; & hac distinctione adhibita Christus ratione personæ ostenderetur verus Deus. Secundo respondetur, verba Christi Joan. 16. esse intelligenda de perfectionibus Spiritui Sancto intrinsecis, absolutis; id enim clarè dedocitur ex verbis præcedentibus, dixerat enim Filius: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*: ergo quod Spiritus Sanctus accipit à Filio, est commune Patri, & Filio: sed Spiritus Sanctus accepit à Filio scientiam; cum dicat Filius: *de meo accipiet, & annunciabit vobis*: ea autem quis annunciat, quæ scit; & paulo superius dicitur: *Non loquetur à se; sed quæcunque audiet, loquetur*. Scientia autem in divinis est eadem Patris & Filii: & in Deo scientia non distinguitur ab essentia, & natura, ac substantia Dei: ergo eadem essentia. natura. & substantia, quæ est in Patre, est etiam in Filio ac Christo, cujus persona est Filius, seu Verbum Divinum caro factum, quatenus in utero Virginis assumpsit naturam humanam.

CAPUT VII.

Probatur Christi divinitas ex pluribus aliis utriusque testamenti locis.

Tametsi in præcedentibus evicerimus Christi divinitatem ex sacris scripturis, contra Hæreticos negantes, Christum esse verum Deum, quia tamen hoc fidei dogma est præcipuum fundamentum, cui fides Catholica innititur: placet iterum aliis testimoniis depromptis ex utroque testamento idem dogma corroborare: etenim Baruch 3. habetur: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo, posthac in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*: ex quibus verbis Christi divinitatem ostendunt communiter Patres, tum Græci, tum Latini, Athanasius *lib. de suscept. natur. contra Apolinarium*, Basilius *lib. 4. contra Eunomium*, Gregorius Nazianzenus *orat. 4. Theologic.* Eusebius *lib. 6. demonstr. evang. cap. 19.* Cyrillus *lib. 10. contra Julianum*, Theodoretus *in orat. quòd Christus sit Deus.* Augustinus *lib. 9. de civit. Dei cap. 33.* Hilarius, Ambrosius, Cyprianus, Fulgentius, & reliqui Latini Patres: qui per Deum nostrum intelligunt Christum, cui alter non est similis, & qui legem disciplinæ dedit Israel: & post hæc in terris visus est, quia verbum caro factum est, etenim unigenitus Patris in terra visus, habitavit in nobis, ut habetur Joan. 1. Quod verò Ministri Transylvani asserant, librum Baruch non esse canonicum, gratis asseritur, cùm omnes sancti Patres, & ipsa Ecclesia librum Baruch semper habuerint pro canonico, & Clemens Alexandrinus *lib. 2. Pædag. cap. 3.* vocet hunc librum Baruch divinam scripturam. Neque ullum facessit negotium, quòd iidem Sectarii respondent, Baruch fuisse locutum de sapientia, quæ postea in terris visa est, non de Filio aliquo æterno, tunc existente: nam licèt loquatur Baruch de sapientia, cujus meminit D. Paulus 1. ad Corinth. 1. & qua asserit Christum fuisse locutum, hæc tamen sapientia non distinguitur in Deo ab ipsa Deitate, substantia, & natura Dei, adeo ut Verbum æterni Patris, qui dicitur sapientia ejusdem, sit eadem substantia, essentia, & Deitas Patris, & quia hoc Verbum assumpsit postea naturam humanam Joan. 1. *Et verbum caro factum est*, ideo hæc sapientia, qua Christus fuit locutus, fuit ipse Filius Dei unigenitus, ac ipsa persona Christi, qui propterea est verus Deus Israel, cui non est alius Deus similis, ut ait Baruch: *Et qui legem Israel dedit monte Sina.*

Secundò ex Isaia 35. probatur, Christum esse verum Deum, ait enim Isaias: *Deus ipse veniet, & salvabit nos, & tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & lingua mutorum soluta erit*: loquitur Isaias de ipso vero Deo Israelis, & ait: Quod ipse Deus veniet, scilicet verus Deus, & non alius: & hunc Deum, qui venit, cum Verbum caro factum est, esse Christum docent sancti Patres asserentes, venisse in hunc mundum, ut salvos faceret peccatores: & ipse Christus fuit, qui Surdis fuit auditum impertitus, cæcis visum, claudis gressum, mutis loquelam, hinc Matth. 11. *Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis, & vidistis, cæci vident, claudi ambulant &c.* hinc Apostolus ad Titum 2. scribit: *Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi*, unde loquitur de Christo, quem vocat magnum Deum, scilicet verum Deum, de quo David Psal. 94. *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos.* Quòd verò Ministri Transylvani cum Erasmo asserant, Apostolum ad Titum non vocare Christum magnum Deum, sed tantum Patrem à Christo distinctum. Contra est, nam Apostolus apertè loquitur de illo magno Deo, qui erat redempturus humanum genus, unde non fuit locutus de Patris adventu, sed de Christo, quem vocat Salvatorem nostrum, quem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum. Præterea quòd Apostolus dicat nos expectare beatam spem, & adventum gloriæ Magni Dei, per hunc adventum intelligit Apostolus gloriosum Christi adventum, de quo ait: *Videbunt Filium hominis cum Majestate, & virtute multa.* Hinc Joan. 5. ait: *Ut simus in vero Filio ejus, hic est verus Deus, & vita æterna*, quod testimonium Athanasius disputans contra Arium vocat demonstrationem, & asserit. Non potuisse evidentius Joannem loqui, ut assereret Christum verum esse Deum, quia sicut de Patre dixit, hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum; ita de Filio ait, hic est verus Deus, & vita æterna: quòd verò Erasmus asserat per illa verba, hic est verus Deus, non Filium, sed Patrem indicari omnino gratis, & sine ullo fundamento asseritur contra authoritatem sanctorum Patrum, quia illud pronomen substantivum *hic*, ad illam personam refertur, quæ vocabulo substantivo proximè significata erat, quæ persona est Filius, cujus fidem nobis Joannes commendat, tum quia in textu Græco legitur, *ut simus in vero ejus Filio, hic est verus Deus*, scilicet Filius, qui naturam assumpsit humanam, & Christus dicitur.

Evincitur etiam Christi divinitas ex illo Isaiæ 52. *Dicit Dominus jugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquebar. ecce adsum.* Sed Deus Israel vocans Judæos populum suum, Christus intelligitur, qui per susceptam humanitatem paulò post adfuit, & habitavit in nobis, ut expendunt sancti Patres, Ambrosius *lib. 2. de fide cap. 3.* Hieronymus in hunc locum, Eusebius *lib. 6. demonstr. Evangel.* Hinc Isaias verbis præcedentibus prædixerat

dixerat redemptionem per eundem Christum faciendam inquiens: *Hæc dicit Dominus gratis venundati estis, & sine argento redimemini*, quia Christus non pretio auri, & argenti, sed pretioso suo sanguine erat humanum genus redempturus, hinc describens Christum perficientem opus redemptionis nostræ, ait: *Quàm pulchri super montes* scilicet Judææ *pedes annuntiantis, & prædicantis pacem*: & nonnullis interjectis: *Gaudete, & laudate simul deserto Jerusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem, paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium.* Per Dominum verum Deum Isaias intellexit, & quia hic erat redempturus populum suum sine argento, non tamen sine pretio sanguinis, hic Deus Christus intelligitur, qui pro peccatis hominum sanguinem fudit, ac mortem subivit, ut homines mortuos peccato vivificaret. Hinc Apostolus ad Roman. *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*, vocat Christum Deum benedictum, eò quia ab Hæbreis ita fuit vocatus verus Deus Matth. 14. *Tu es Christus, Filius Dei benedicti*, ubi Caiphas vocat Deum benedictum, & Christum interrogat, an sit ejus Filius. Rursus Apostolus non solùm vocat Christum Deum benedictum in sæcula, verum etiam ipsum fatetur esse super omnia: *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*, ut nulla subreperet dubitatio, nam Christus esset verus Deus, quia si est super omnia, necessario debet esse omnium primus, à quo reliqua omnia dependeant, ac consequenter est verus Deus, hinc præcitatis Apostoli verbis S. Patres communiter inferunt, Christum esse verum Deum.

Quapropter falsò fuit Erasmus verba Apostoli interpretatus, cum dixit adhærens hæresi Arianorum ex verbis Apostoli non probari Christi divinitatem, eò quia ut ipse ait: *Si post voculam secundùm* carnem *addatur punctum*, illud, quod sequitur, *qui est super omnia Deus. intelligitur dictum non de Christo, sed de Patre.* Nam contra est, quia omnes Codices Græci, & Latini ponunt tantum virgulam post illud secundùm carnem, non verò punctum integrum. Præterea tametsi poneretur punctum, non tamen illud, quod sequitur, qui est Deus, potest ad aliam personam referri, quam ad illam Christi, siquidem illud vocabulum *qui* est relativum accommodandum ad id, quod antecessit, & Apostolus in toto illo capite fuit tantùm locutus de Christo, non de Deo Patre. Præterea cùm Apostolus ibi ex expressè affirmet, Christum esse super omnia, apertè sequitur esse Deum, alioquin non esset super omnia, quia supra personam Christi esset Deus, si igitur Christus est super omnia ex Apostolo, ejus persona debet necessario ex eodem Apostolo Deus esse, seu consubstantialis Patri, ac ejusdem essentiæ, ac naturæ, & substantiæ cum Deo. Hinc Joan. 1. loquens de persona Christi seu Verbo divino, quod nostram assumpsit carnem, cùm Verbum caro factum est, ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Est enim hoc verbum ipse unigenitus Dei Filius, qui nostram induit humanitatem, ut Joannes manifestè declarat, unde constat Verbum, seu Filium unigenitum Patris esse ipsum Deum verum, qui est Pater, apud quem à principio erat, cùm Joannes dicat: *& Deus erat Verbum*, non enim de diversis loquitur Diis Joannes, sed de uno, eodémque Deo, ex quo liquet, quòd cùm idem Verbum, quod erat Deus, carnem assumpserit, *& Verbum caro factum est*, seu Verbum, quod erat Deus, sequitur, Christum compactum ex verbo, & carne, ex Filio unigenito æterni Patris. & natura humana esse verum Deum, & verum hominem.

Neque ullius est momenti, quod respondent Ministri Transylvani, Verbum, cujus meminit Joannes, non esse quidquam æternum, quod fuerit ante Christum, & quòd carnem sumpserit, quam antea non habuerit: sed esse ipsum Christum secundùm carnem tantùm, quatenus manifestavit voluntatem Patris, eo pacto, quo Joannes dicitur esse *vox clamantis in deserto*; Nam cùm Joannes expressè dicat: *Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, non potest intelligi hoc Verbum esse quid distinctum à Deo, cùm Deus dicatur Verbum ipsum, seu idem cum Verbo: In Christo enim distinguitur persona ab ipsa natura, quæ cum humana sit passa, & mortua, non est Deus, bene tamen ipsa persona in Christo, seu Verbum, quod naturam humanam assumpsit, est verus Deus, seu Verbum, quod erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Præterea in Cantico Zachariæ Luc. 1. Joannes Baptista vocatur Propheta Altissimi: *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Per Altissimum nonnisi Christus hic intelligitur, ante cujus faciem præibit. Quòd si Christus est altissimus, infertur esse verus Deus, de quo David Psal. 82 *Tu solus Altissimus super omnem terram*: si enim est Altissimus, non potest alius esse altior illo, & si non esset Deus, haberet alium altiorem se, consequenter non esset ipse altissimus.

Plura etiam possunt scripturæ testimonia adferri, quæ absque ulla controversia loquuntur de vero Deo, & conveniunt Christo, David Psal. 77. ait: *Quoties exacerbaverunt eum in deserto, & in iram concitaverunt Deum in inaquoso, & conversi sunt, & tentaverunt eum, & sanctum Israel exacerbaverunt.* Tunc enim tentaverunt, quando populus locutus fuit contra Moysem, & Dominum dicens: *Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine, deest panis, non sunt aquæ, anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes.* Hunc autem Dominum esse Christum, declaravit postea Apostolus 1. Corint. 10. inquiens: *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt*: Unde illum Dominum, quem Israelitæ tentarunt, in deserto Apostolus vocat Christum.

Quòd verò Ministri Transylvani respondeant, Christum tunc fuisse tentatum ab Israelitis non in se, sed in sui figura, sicut Apostolus ait: Omnia in figura contigisse illis. Est à vero alienum, quia non potest intelligi, in qua figura fuerit tunc Christus tentatus, quia qui ibi tentatus fuit, dicitur Dominus: *Locutus est populus contra Dominum, & Moysen*, & per Dominum Deus verus intelligitur, & Deus, qui tunc fuit tentatus, non fuit figura Christi, sed ipsa persona, quia inauditum est, Deum fuisse figuram, seu umbram Christi, unde Dominus, qui tunc fuit tentatus, fuit ipse Christus; non Deus fuit figura Christi, sed ipsa persona Christi, quæ est verus Deus.

Quòd verò Apostolus dicat omnia illi populo contigisse in figura, ac proinde tantùm in figura fuisse Christum ab illo populo tentatum; Respondetur, hæc quæ ita contigerunt, fuisse partim cultûs cæremoniæ variæ, & partim beneficia, vel pœnæ. quibus Deus illum populum afficiebat, quia Apostolus de hoc genere rerum postea generatim dicit, omnia in figura illis contigisse, de quo prius dixerat. 1. Corinth. 10. *In figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut illi concupiverunt*: quibus verbis apertè loquitur de beneficiis, & suppliciis, quibus nos affecit, vel misericorditer, vel juste ad punitionem, ut nos deterreret à pravis cupiditatibus; & ad bonorum operum exercitia nos excitaret; hinc

Apostolus ait; *Patres illos omnes sub nube fuisse, & omnes mare transivisse*, quod magnum fuit Dei beneficium, eos liberasse à famulitio Pharaonis: sed non solùm horum meminit beneficiorum, sed etiam supplicia recenset, quibus in deserto ob patrata delicta puniti fuerunt: & hæc omnia in figura contigerunt illis, quibus eorum scelera divinitus vindicantur, quia Apostolus ait, ea omnia scripta esse ad correptionem nostram, beneficia scilicet, & pœnæ; non ipsa per se peccata aut merita dicuntur scripta.

Rursus quòd Ministri Transylvani explicent verba Psalmi 77. esse intelligenda, ne nos tentemus Christum, sicut illi Deum, non potest hæc interpretatio accommodari verbis Apostoli, qui nullum alium commemorat Deum, nisi Christum, quem significat ab illis tentatum fuisse: unde cùm Apostolus non distinguat Deum in Christo à vero Deo, omnino falsò dicitur non Christus, sed Deus tentatus.

Tum quia Apostolus asserit, Christum ut Deum adfuisse illi populo in deserto, proinde tentarunt eum in se ipso, & non in figura, ait enim: *bibebant de spirituali consequente eos petra, postea autem erat Christus*: & sensus Apostoli est, aquam è petra fluentem, & quam Israelitæ bibebant, non fuisse beneficium illis impertitum ab illa petra visibili materiali, sed beneficium emanatum à petra invisibili, seu à Christo, qui propter suam divinitatem illis ubique præsens erat, ejus enim potentia divinitatis petram in aquas illas convertebat, hinc Chrysostomus expendens verba Apostoli ait: *Non enim ipsius petra natura aqua scaturiebat: siquidem antea scaturisset, sed alia quædam spiritualis petra omnia operata est, seu Christus, qui præsens ubique omnia fecit miracula.*

De Christo etiam intelliguntur verba illa Isaiæ 45. *Convertimini ad me, & salvi eritis omnes fines terræ, quia ego Deus, & non est alius, in memetipso juravi, egredietur à me justitiæ verbum, & non revertetur, quia mihi curvabitur omne genu.* Apostolus Paulus scribens ad Roman. 14. ait: hunc Deum, qui solus est verus Deus, esse ipsum Christum, cui omnes gentes curvabunt genu, ait Apostolus: *Omnes stabimus ante tribunal Christi, scriptum est enim mihi curvabitur omne genu.* Hoc est, omnes gentes genu curvabunt ante Christi tribunal. Neque audiendi sunt Sectarii dicentes hæc & similia de Christo dici in novo testamento, non ut Christus asseratur Deus unus, & solus, sed tantum quia Christus sit complementum omnium promissionum divinarum: nam contra est, quia aliud est per Christum impleri divinas promissiones, & aliud, Christo omnes gentes curvabunt genu, ex eo enim, quòd Christus fuerit passus, mortuus, & redemerit genus humanum, descenderit ad inferos, resurrexerit, & in cœlum ascenderit, dicitur complementum divinarum promissionum, quòd verò Christo curvetur omne genu, significatur ejus divinitas adoranda, & colenda ab omnibus gentibus, etenim si cui curvatur omne genu, est verus Deus, Israel ex Esaia Christus est, cui ex Apostolo curvabitur omne genu, ergo Christus est Deus Israel. Respondent ad hoc Ministri Transylvani, & præsertim Servetiani ex eo, quòd Christo curvetur omne genu, non inferri Christum esse verum Deum, sed tantùm quandam habere præeminentiam sibi communicatam, quo pacto ad Philipp. 2. dicitur accepisse: *Nomen super omne nomen, ut omne genu illi flectatur.* Contra est, quia Apostolus expresse ait, quòd omnes erimus staturi ante tribunal Christi, qui Christus est Deus ille, de quo scriptum est: *Mihi curvabitur omne genu*: omnis enim prærogativa & præeminentia Deo Christo communicata, nisi sit divina hypostasis, & persona divina consubstantialis aliis divinis personis, & ejusdem essentiæ, & naturæ, substantiæ, & Deitatis, non sufficeret, ut esset verus Deus. Solent etiam ad comprobandam Christi divinitatem, adferri verba Isaiæ 9. *Vidi Dominum sedentem super solum excelsum, & elevatum, Seraphin stabant supra illud sex alæ uni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem, & duabus pedes, & duabus volabant, & clamabant alter ad alterum Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth plena est omnis terra gloria ejus.* Dominum hunc Deum Sabbaoth visum ab Isaia in hac majestate, & gloria esse Christum, declarat Joannes Evangelista, dicens Joan. 12. *Propterea non poterant credere*, (scilicet Christo miracula facienti) *quia iterum dixit, Isaias excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos*: & postea subjungit: *hæc dixit Isaias: quando vidit gloriam ejus*, (scilicet Christi) *& locutus est de eo.* Hæc dixerat Isaias in eodem capite, ubi vidit Dominum sedentem super solium, scilicet Christum, qui propterea est Dominus, & verus Deus, de quo Joan. Apocal. 4. dixit: *vidisse se sedentem in cælo super sedem*, cui fuerat acclamatum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Quæ verba non possunt intelligi, nisi de Christo, qui venturus est in majestate sua, & sessurus super sedem suam, seu in suo tribunali in die judicii; quia tunc sedebit Christus ut Judex, & ad ipsum pertinebit tale tribunal.

Plura alia congeruntur scripturæ loca, quibus ostenditur certum de fide, Christum esse verum Deum, Isa. 40. *Vox clamantis in deserto parate viam Domino rectas facite semitas Dei nostri.* Parare viam Domino, perinde est ac parare viam Deo, cùm Propheta subdat, *rectas facite semitas Dei nostri.* Illi jubemur parare viam, cui præcipimur facere vias rectas, scilicet vias Dei: atqui omnes Evangelistæ hunc Dominum, & Deum asserunt esse Christum, cui Joannes Baptista, qui vox clamantis ab Isaia dicitur, præparavit viam, quatenus prædicavit in deserto Christum venturum, & populos excitavit ad pœnitentiam, ad exercitia virtutum, Isai. 44. *Hæc dicit Dominus Rex Israel, & Redemptor ejus, Deus exercituum: ego primus & ego novissimus, & absque me non est Deus. Quis similis mei?* Per Deum exercituum, Primum, & Novissimum hic intelligi Christum, fatentur omnes SS. Patres. Eo quia in Apocal. 4. Christus de se ipso dicat: *Ego sum primus, & novissimus, & vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum.* Respondent Sectarii illa verba: *Sum primus, & novissimus, & vivus, & fui mortuus*, non posse tribui Deo, qui cùm semper fuerit ab æterno, non potest dici novissimus, neque quòd fuerit mortuus: sed contra, quia hæc omnia conveniunt Christo secundum duas naturas, quas comprehendit, seu continet divinam, & humanam, & prout est simul Deus, & homo; secundùm naturam divinam est Deus exercituum; secundùm naturam humanam est novissimus, qui fuit mortuus: secundùm utramque naturam simul est Dominus Rex Israel, & Redemptor ejus. Psal. 96. ait David: *Adorate Deum omnes Angeli Dei*, quod impletum in Angelis adorantibus Christum, adeo ut per adorare Deum, David intellexerit adorare Christum, estque explicatio D. Petri, qui ad Hebr. 1. ait: *Cum iterum introduceret primogenitum in orbem terræ dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus*, per primogenitum introductum in orbem terræ, Paulus intelligit Christum adorandum ab Angelis verum Deum.

Deum. Quòd Sectarii respondeant, Christum esse adorandum, ut Altissimi Filium, cui Deus non suam communicavit Deitatem, nec substantiam, sed tantùm quamdam excellentiorem præeminentiam supra reliquas creaturas; id adversatur explicationi Apostoli dicentis, Christum esse illum Deum, quem Angeli debent adorare; & Angeli non jubentur adorare purum hominem, quamvis præexcellentem, quia semper esset inferior Angelis saltem quoad naturam humanam, sed verum Deum; proinde ex textu Isaiæ, & explicatione D. Pauli Christus est verus Deus. Isaiæ 8. *Deum exercituum ipsum sanctificate, ipse sit pavor vester, & ipse terror vester. Et erit vobis in Sanctificationem: in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus Domibus. Israel in laqueum, & offensionem habitantibus Hierusalem: & offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur.* Per lapidem hunc offensionis, & petram scandali, in quam qui offendit, conteritur, intelligitur Christus, qui propterea vocatur Dominus exercituum ad incutiendum terrorem, ut verba Isaiæ interpretatur Simeon, apud Evangelistam Lucam 2. inquiens: *Positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel:* Loquitur Simeon de Christo infante in terris recèns nato; de quo D. Paulus ad Rom. 9. etiam scribit: *Israel sectando justitiam, in legem justitiæ non pervenit. Quare? quia non ex fide. Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram Scandali.* D. Petrus ex eadem Isaiæ sententia, hanc petram scandali, & lapidem offensionis explicat de Christo, cui noluerunt Judæi credere, & quibus fuit scandalo, & offensioni, 2. Petr. 2. *Lapides quem reprobarunt ædificantes, hic factus est in caput Anguli, & lapis offensionis, & petra scandali his, qui offenderunt in verbo, nec credunt, in quo, & positi sunt.* Fuit Christus Judæis lapis offensionis, quia cum esset lapis angularis utrumque parietem veteris, ac novi testamenti simul construens, Judæi in hunc angularem lapidem detrectantes credere, Deum offenderunt, quem contumeliis, ac injuriis affecerunt. Exod. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Judas Apostolus per Dominum Deum Israel expressè vult significari Jesum Christum, ait ipse in sua Epistola Canonica: *Commonere vos volo, scientes semel omnia, quoniam Jesus populum suum de terra Ægypti salvans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit: Angelos verò, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* Hac interpretatione nil potest esse clarius: Concedunt omnes, Deum, qui populum Israëlis eduxit ex Ægypto, Deum verum esse, quod etiam Moyses in suo cantico edixit, inquiens: *Dominus dux ejus fuit, & non erat cum eis Deus alienus:* quia Deus verus populum illum eduxit ex Ægypto: hic autem Deus verus, ut expressè fatetur Sanctus Judas Apostolus in sua canonica, fuit Jesus Christus: ergo est Christus verus Deus. Si dicas, Christum tunc temporis nondum fuisse natum, siquidem tempore Moysis non erat Christus, qui non nisi post plura secula natus fuit in Bethleem ex Maria Virgine: ergo qui eduxit populum ex Ægypto, non potuit esse Christus. Sed contra, quia tametsi tempore, quo populus Israeliticus liberatus fuit ex famulitiis Pharaonis, non fuerit Christus, seu nondum extiterit ratione naturæ humanæ, seu corporis compacti ex anima rationali, & humana carne: extitit tamen ratione personæ, adeo ut fuerit persona Jesu Christi, quæ eduxerit populum ex Ægypto, atqui persona Christi est persona Filii unigeniti æterni Patris, seu Verbi divini, quod nostram assumpsit humanitatem, quando Joan. 1. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, &c.* quia Filius unigenitus æterni Patris est ejusdem naturæ, essentiæ, substantiæ, ac Deitatis cum Patre: sequitur evidenter, personam Christi esse verum Deum.

Probatur etiam Christi Deitas ex illo, Exodi 20. *Dixit præterea Dominus ad Moysem: Hæc dices filiis Israel, vos vidistis, quod de cælo loquutus sum vobis,* (quando scilicet populi perterriti, ac timore perculsi, eo quia viderint accensas lampades, & corruscantia fulgura, & audierint de cœlo voces, & sonitus buccinæ) *non facietis Deos argenteos.* Per hunc Dominum, qui loquutus fuit ad Moysem, Apostolus Paulus intelligit verum Deum, quem asserit fuisse Jesum Christum. Ad Hebræ. 12. ait: *Non accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem, & turbinem, & caliginem &c. sed accessistis ad Syon montem, & civitatem Dei viventis, cælestem Hierusalem, & Ecclesiam primitivorum, & judicem omnium Deum, & spiritus justorum perfectorum, & Testamenti novi mediatorem Jesum, & sanguinis aspersionem, melius loquentem quàm Abel.* Et postea subjungit: *Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt recusantes eum, qui super terram loquebatur, multo magis nos, qui de cælis loquentem nobis avertimus; cujus vox movit terram tunc, nunc autem repromittit dicens: adhuc semel & ego movebo non solum terram, sed & cælum:* Ait Apostulus Deum loquentem in montis fastigio ad Moysem fuisse Jesum Christum, Judicem omnium, ac novi Testamenti mediatorem, & secundum personam verum Deum, qui tunc in monte loquutus est, & legem dictavit Moysi: unde Christus secundùm personam fuit, qui populum liberavit è servitute Pharaonis, ut censent Irenæus lib. 4. c. 2. Tertullianus lib. contra Praxæam. Justinus in dialogo cum Triphone. Hinc Angelus, per quem dicit Stephanus Actor. 2. legem datam fuisse, Christus fuit, qui dicitur *Angelus novi Testamenti*, quod Apostolus magis declarans ait: *Lex posita est, ordinata per Angelos in manu Mediatoris:* Hunc autem Mediatorem esse Christum, explicat idem Apostolus: hoc pacto intelligitur, quomodo per ministerium Angeli alicujus creati, vel etiam aliquorum lex posita fuerit: & quòd Christus Angelus increatus novi Testamenti, seu Filius æterni Patris una cum Patre, & Spiritu Sancto eandem legem tulerit: ut probat pluribus argumentis S. Athanasius Serm. 4. contra Arianos. Non enim Christus est pura creatura, ac purus homo, sed persona Christi est Filius unigenitus æterni Patris, cui est consubstantialis, unam, eandemque cum ipso essentiam, naturam, substantiam, & Deitatem habens, sitque propterea Christus verus Deus, & verus homo, & ut est persona divina, tulerit legem, quæ propterea dicitur à Christo posita: non esse Christum purum hominem, evincit ipsemet Matth. 22. ubi cum Christus congregâsset Pharisæos, eósque interrogâsset, quid ipsis videretur de Christo, & cujus Filium esse crederent, responderunt David, quibus statim objecit illud Psalmi 109. ait illis: *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo Filius ejus est? & nemo poterat ei respondere verbum.*

Noluit Christus hoc argumento Pharisæos convincere, se nullo modo esse Filium David; siquidem revera erat ex stirpe, & progenie Davidis secundùm carnem assumptam, & naturam humanam, quam induit, sed egregiè probavit præter Filium Davidis, secundùm naturam humanam esse itidem Filium æterni Patris, eique consubstantialem, ac proinde verum DEUM ratione personæ: hac de causa David propheticè Christum prævidens vocavit eum Dominum suum, seu DEUM, quod non fecisset, si Christus esset purus homo ex sua stirpe descendens: hoc argumento non solum convicti Pharisæi obmutuerunt, verum etiam necesse est, tandem confusi obmutescant, Ariani, & alii Sectarii negantes Christi divinitatem, quam D. Basilius etiam evincit lib. 4. contra Eunomium ex illo Apostoli ad Philipp. 2. *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens:* ex quibus verbis Apostoli argumentatur in hunc modum, si Filius, est creatura DEI, omnis autem creatura est serva Creatoris, servus est Christus, non Filius DEI: non igitur accepit formam servi, cùm Dominus esset, sed erat servus, ostendit Basilius, quòd si Christus esset purus homo, non acciperet formam servi contra Apostolum, quia natus esset servus, perinde ac quilibet alius purus homo, qui non dicitur accipere formam servi: id enim, qui accipit, quod antea non habebat, unde si Christus natus fuisset purus homo, non posset dici, accepisse formam servi, quia nunquam sine hac forma fuisset: unde concludendum est, Christum esse verum hominem, & verum DEUM, quam veritatem ipsamet divina sapientia ostendit Eccles. 24. inquiens de se ipsa: *Ego ex ore altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam:* hanc autem sapientiam ex DEO genitam esse Filiom æterni Patris unigenitum: & Christum esse hanc sapientiam edisserit Apostolus. 1. Corint. 1. inquiens: *Christus DEI virtus, & DEI sapientia:* & cùm dicatur Filius genitus ante omnem creaturam, sequitur evidenter, Christum non fuisse puram creaturam, alioquin non fuisset ante omnem creaturam, cùm ipsemet esset pura creatura. Hinc Christus antequam nasceretur, erat subsistens aliqua persona nobilior, ac longè perfectior homine, & Angelo, proinde non pura creatura, sed DEUS, idque innuit D. Paulus, ad Hebr. 2. ioquiens: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ:* si enim semper fuisset purus homo, non apprehendisset humanam naturam, ex progenie Abrahæ, quia nemo dicitur apprehendere, quod est, vel si non fuisset Angelis præstantior, non opus fuisset, Apostolum meminisse naturæ Angelicæ, quam non apprehendit, quia si fuisset purus homo, non potuisset naturam Angelicam apprehendere, & superfluom esset explicare, ipsum non assumpsisse, quod assumere non poterat: quòd si Christus fuit persona præstantior, ac excellentior omnibus Angelis, sequitur oon esse puram creaturam, sed etiam DEUM, quia supra omnes Angelos, qui sunt puri Spiritus in ratione creaturarum purè spiritualium, non datur nisi DEUS, quia natura Angelica præstantior est omnibus creaturis, ergo Christus ita est homo secundùm naturam humanam, quam assumpsit, ut etiam sit DEUS in persona, quia solus DEUS præstantior est omnibus creaturis, unde Apostolus ad Hebr. 1. loquens de Christo, ait: *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit:* quibus verbis intulit Apostolus Christum virtute, potentia, natura, & persona antecellere omnibus creaturis, ac esse DEUM, & non ex ordine, & numero simplicium creaturarum, ut argumentatur S. Athanasius Serm. 3. contra Arianos, ex illo Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil,* etenim si creaturæ omnes sunt per ipsum seu Verbum factæ: vel ipsum quoque Verbum factum est, & est pura creatura, & sic per ipsum non essent omnia facta, quia ipsum Verbum se ipsum facere non potest, vel daretur aliud verbum, per quod hoc verbum factum esset, & de hoc alio verbo recurreret idem argumentum, ex quo evidenter infertur, Verbum, per quod facta sunt omnia, esse DEUM, genitum à Patre non factum ut creaturam, atqui hoc ipsum Verbum factum est homo, qui dicitur Christus, ait enim Joan. 1. *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis:* fatetur D. Athanasius hoc argumento Patres in Concilio Nicæno Arianos, contra quos tunc potissimè agebant, convicisse. Verba Athanasii Serm. 3. contra Arianos, quia memoratu digna hic subjiciuntur, ait ipse: *Si DEI Verbum, opus quoddam, ac creatura est, dicite, mihi vos Ariani, qua manu, aut quanam sapientia opus istud confectum est? omnia enim opera, quæ facta sunt manu, & sapientia DEI facta sunt, loquente ipso DEO per Isaiam: Manus mea fecit hæc omnia. Davide quoque attestante: In operibus manuum tuarum meditabar, ergo si in manu, & sapientia DEI, omnia quæ facta sunt, absolutionem acceperunt, & scriptum est, omnia per Verbum facta esse, & circa eum factum esse nihil.* Et rursus: *Unus est Dominus Jesus, per quem omnia, in quo omnia, evidens conspicuumque est, illud opus esse non posse, quippe qui ipse sit manus, & sapientia DEI, id cognoscentes etiam Martyres illi Babylonii, Ananias, Azarias, Misael, refutant Arianorum impietatem, dicentes enim benedicant omnia opera Domini Dominum, tum ea, quæ in cœlo sunt, tum ea, quæ in terris, in ea summa omnes creaturas, ut opera annuntiarunt, sed in numero eorum, Filium ipsum non posuerunt. Non enim dixerunt: & tu Verbum benedic, & hymnum cane, tu sapientia, ut ostenderent, alia omnia esse ex eorum catalogo, quæ & opera sunt, & hymnum canunt; Verbum contra, non esse opus aut ex cœtu canentium, sed potiùs una cum Patre decantari, & adorari, & divinis laudibus celebrari, cùm sit & Verbum illius, & sapientia, & operum architectus,*

Ostenditur etiam Christi divinitas ex illo Psal. 94. *Ipse est Dominus DEUS noster, & nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus, hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra sicut in irritatione secundùm diem tentationis in deserto:* per Dominum DEUM nostrum intelligi Christum verum Pastorem fidelium, edisserit D. Paulus ad Hebræ 3. ubi clarè ostendit, hunc DEUM nostrum esse ipsum Christum, ait ipse: *Moyses fidelis erat in tota domo ejus, tanquam famulus: Christus verò tanquam Filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spem usque firmam retineamus:* quapropter ait: *sicut dicit Spiritus Sanctus, hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto,* & hæc Apostoli explicatio convenit cum alia, quam habet 1. Corinth. 10. ubi interpretatur, DEUM Israel in deserto à populo tentatum fuisse Jesum Christum, & oos monet, ut oolimus eum modò tentare, sicut tunc tentatus à populo illo fuit: unde oulli dubium, quio ex Apostolo Paulo, fideli interprete sacræ scripturæ Christus sit verus Deus, quòd etiam evincitur ex illo Joelis 2. *Ego Dominus Deus vester, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ,* ubi

per

per Dominum Deum Christus intelligitur, quia ipse Spiritum Sanctum post suam in cœlum ascensionem misit ad Discipulos, ut illis promiserat, ita verba Joelis explicat sanctus Petrus Actor. 2. inquiens: *Dextera Dei exaltatus, & promissione Spiritus Sancti accepta à Patre effudit, quem vos videtis, & auditis*, scilicet Spiritum Sanctum: & paulo superius dixerat, hoc est, quod dictum est per Joelem Prophetam: *Et erit in novissimis diebus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem*, unde nulli dubium, quin Dominus noster, qui fuit locutus per Joelem Prophetam, sit Christus Dominus, qui propterea est verus Deus. Quinimo ipsemet Christus suammet confitetur Deitatem, cùm Joan. 17. dixit: *Et nunc clarifica me Pater apud temetipsum claritate, quam habui apud te, priusquam mundus esset*, ex quo liquet, Christum ante mundum conditum habuisse claritatem divinitatis ac proinde non fuisse purum hominem, sed & verum Deum, qui ante mundum conditum non fuit homo, sed tantùm Deus, cujus unigenitus Filius est persona Christi, hinc Joannes Baptista dixit Joan. 1. *Qui post me venit, ante me fuit*, loquitur enim de Christo, quem Joannes Baptista, dixit fuisse, antequam in mundo nasceretur, si enim fuit ante Joannem, tametsi post ipsum fuerit natus, erat, antequam nasceretur, sed non erat ut purus homo, ergo ut Deus, ut edixit Joannes Evangelista tùm dixit: *In principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, fuit ergo Christus, antequam nasceretur in ipso Deo Patre, ut ejus Filius unigenitus, quapropter Christus ipse Joan. 8. dixit: *Antequam Abraham fieret, ego sum*, quia persona Christi fuit in principio consubstantialis Patri æterno, proinde erat Christus verus Deus, & verus homo, & ut verus Deus verè fuit, antequam Abraham fieret, hinc Apostolus 2. Corinth. 8. *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset dives: ut illius inopia vos divites essetis*: Vult Apostolus Christum, Jesum divitus omnibus affluxisse, antequam illius inopia nos divites essemus, seu antequam nostram assumeret humanitatem, nosque redimeret à servitute peccati, nosque repleret cœlesti gratia, ac nobis cœlum aperiret, ut æterna donaremur beatitate, æternis divitiis cumulati: quod si Christus antequam nasceretur, seu sua humanitate nos divites effecit, ipse jam erat ditissimus, sequitur evidenter fuisse ditissimum secundùm personam, quam erat consubstantialis Patri.

CAPUT IIX.

Ostenditur Christi Divinitas ex nominibus Dei, quæ ipsi attribuuntur, ut etiam ex proprietatibus, & attributis Dei, ac operibus.

CErtum est nomen Regis Regum, ac Domini Dominantium soli Deo vero tribui in scripturis, 1. Timoth. 6. *Qui solus est potens Rex Regum, & Dominus Dominantium*: atqui hæc eadem nomina tribuuntur Christo à Joanne in Apocal. 17. *Agnus vincet illos, quoniam Rex Regum est & Dominus Dominorum*, loquitur enim de Christo, quem vocat Regem Regum, seu verum Deum: & cap. 19 ait: *In femore scriptum habet Rex Regum, & Dominus Dominantium*. Unde errant Ministri Transylvani lib. 2. cap. 5. asserentes hæc nomina tantùm Patri convenire, quia Joannes loquitur de Christo, ac Filio unigenito æterni Patris, ut explicant sancti Patres, qui propterea est verus Deus, qui Deuter. 6. dicitur: *Dominus Deus tuus, Dominus unus est*, & Deuter. 32. *Videte quòd ego sim solus*, scilicet Deus & Dominus, & Joan. 17. *Ut cognoscant te solum Deum verum*: hæc autem nomina propria solius Dei tribuuntur in scripturis etiam Filio: nomen unius Domini. 1. Corinth. 8. *Nobis est unus Dominus Jesus Christus*. Nomen veri Dei Joan. 5. *Hic est verus Deus*. Nomen Dominatoris in Epistola Judæ: *Solum Dominatorem, & Dominum nostrum Jesum Christum negantes*, ergo si nomina propria veri Dei tribuuntur Christo, sequitur Christum esse verum Deum. Aliud nomen, quod Deo tribuitur, est nomen altissimi David, Psal. 82. *Tu solus altissimus in omni terra*: atqui hoc idem nomen etiam tribuitur Christo Luc. 1. *Tu puer Propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*, dicitur Joannes Baptista, Prophera altissimi, seu Christi, cujus nativitatem prævivit paraturus illi vias, cum prædicaret in deserto Christi adventum, si igitur Joannes dicitur esse futurus Propheta altissimi, seu Christi, jam nomen quod vero Deo tribuitur, etiam Christo tribuitur, qui propterea est verus Deus, tum quia D. Paulus ex eo probat convenire Christo nomen altissimi, eò quia ei conveniat *nomen super omne nomen*, ex quo infert Apostolus, Christum esse verum Deum, unde scribens ad Roman. 9. ait: *Ex quibus est Christus, qui est super omnia Deus*: quid clarius ad ostendendam Christi divinitatem, si Christus est super omnia, necesse est, sit altissimus, & si est altissimus, nullum altum debet supra se habere, consequenter sequitur evidenter Deum esse alioqui supra ipsum esset ipse Deus, & non esset Christus super omnia, quod adversatur Apostolo Paulo. Rursus evincitur Christus verus Deus, eò quia dicatur invisibilis proprium nomen veri Dei: nam tametsi in symbolo dicamus, Deum esse factorem visibilium, & invisibilium, hoc tamen nomen nonnisi Deo vero tribuitur. 1. Timot. 1. *Invisibili soli Deo honor, & gloria*, & cap. 6. *Qui lucem habitat inaccessibilem*, quod dicitur de solo Deo: atqui etiam Christus dicitur invisibilis ratione personæ, Matth. 11. *Nemo novit Filium nisi Pater, nec Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*: & ad Coloss. 1. *dicitur imago Dei invisibilis*; & quamvis ibi dicatur imago Dei invisibilis, quia tamen hæc imago, seu verbum est ejusdem substantiæ cum Deo; rectè Christus dicitur Deus invisibilis, quia etiam ipsa imago est invisibilis, estque simillima exemplari; hinc Apocal. 19. *Et nomen habet scriptum, quod nemo novit, nisi ipse, & nomen ejus est Verbum Dei*. Cùm igitur persona Christi sit ipsum Verbum, quod assumpsit naturam humanam, *& Verbum caro factum*, Joan. 1. sequitur, nomen Invisibilis Deo congruere, neque solum Verbum esse invisibile; sed etiam Patrem & Spiritum Sanctum. Aliud nomen quod Deo tribuitur, est *Deus gloriæ*, sive *Rex gloriæ*. Actor. 7 *Deus gloriæ apparuit Patri nostro Abrahæ*, quæ verba communiter sancti Patres intelligunt de vero Deo Israel: atqui hoc idem nomen tribuitur etiam Christo ab Apostolo Paulo 1. Corinth. 2. ubi de Christo expressè ait: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Et David Prophetico Spiritu prævidens Christi à mortuis resuscitati ascensum in cœlum, dixit Psalm. 23. *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*, quæ verba Justinus in Dialogo cum Triphone, Ambrosius lib. 4. de fide cap. 1. Hieronymus, Augustinus, & alii intelligunt de Christo.

Demum

Demum ex eo Christus ostenditur esse verus Deus, quia in sacris scripturis vocatur simpliciter Deus Jesaiæ 9. *Vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus fortis.* Joan. 20. *Dominus meus, & Deus meus.* Ad Rom. 9. *Qui est super omnia Deus.* Apocal. 4. *Dominus Deus omnipotens qui erat, qui est, & qui venturus est.* Loquitur de Christo, qui venturus est judicaturus vivos, & mortuos. Joan. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quia ille pro nobis animam suam posuit,* loquitur de Christo, qui in sua passione animam suam, seu vitam posuit pro nobis, solvens pretium sui sanguinis, ut nos redimeret à servitute peccati. Quòd si Ecclesia in terris militans est Ecclesia Christi, qui eam fundavit, ac instituit, etiam ut talis institutor vocatur Christus absolutè Deus, Actor. 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo:* Ergo ex eo, quòd Christo tribuatur, absolutè hoc nomen *Deus* sequitur, Christum esse verum Deum, quia scripturæ non solent absolutè vocare Deum, nisi verum Deum, ut notavit Irenæus lib. 3. cap. 6. inquiens: *Neque Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apostoli, eum qui non essee Deus, definitivè & absolutè Deum nominassene aliquando, nisi esset verus Deus,* & cap. 8. subdit: *Soluta igitur hac illorum calumnia, manifestè ostensum est, quoniam nunquam Propheta, neque Apostoli alium Deum nominaverunt, vel dominum appellaverunt præter verum & solum Deum.* Et quia Christus à Scripturis, & Apostolis vocatur absolutè Deus, est verus Deus.

Imò non solùm nomen Dei, verùm etiam naturæ divinæ proprietates tribuuntur Deo: istæ sex præsertim recensentur: *Immensitas, immutabilitas, æternitas, bonitas, sapientia, potentia*; & has proprietates tribui Christo, liquet ex scripturis: etenim Immensus dicitur Deus Psal. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis,* ex eo quod ejus magnitudo nullo claudatur termino, excurrit in immensum, alioquin finem haberet: & 3. Reg. cap. 8. *Si cœli cœlorum Te capere non possunt, quanto minus domus hæc.* At hæc eadem immensitas Christo tribuitur. *O Israel quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus. Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus,* Baruch. 3. Antea dixerat: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum. Hic adinvenit viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est:* Loquitur Propheta de Christo, cui attribuit immensitatem propriam naturæ divinæ. Qui enim in terris visus est, & cum hominibus conversatus fuit Filius Dei, qui nostram assumpsit humanitatem, Joan. 1. *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Hunc textum urget Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 26. inquiens: *Quis est iste magnus, & non habens finem, excelsus, & immensus, qui super terram visus est, & inter homines conversatus est? Video quos æstus, quas angustias patiaris. Times dicere, Pater est, ubi audis, super terram visus est, & cum hominibus conversatus est. Times dicere Filius est, ubi audis, non habet finem excelsus, & immensus. Tu enim Patrem tantummodo contendis esse immensum. Quid es acturus, quid responsurus homo, qui non vis esse Catholicus, ut Christum sic accipias in forma servi super terram visum, & inter homines conversatum, ut tamen in forma Dei, in qua invisibilis mansit, confitearis immensum.* Convincit Augustinus Maximinum Arianum, & simul Ministros Transylvanos, qui attributa, & proprietates naturæ divinæ soli Patri attribuebant, ad exclusionem filii, quem negabant Patri consubstantialem. Præterea illa persona est immensa, quæ eodem tempore in cœlo est, & in terra: hinc Deus, quia immensus ait Hier. 23. *Cœlum, & terram ego impleo,* Christus itidem fuit in cœlo, ratione personæ, & simul in terra, ratione ejusdem personæ, & naturæ humanæ in terris assumptæ, unde Joan. 3. ait: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo:* si persona Christi est simul in cœlo, & in terra, est immensus, & Deus.

Immutabilitas tribuitur Deo, quia oritur ex immensitate, ac immutabilitate: siquidem si Deus est immensus, non potest moveri, quia implet cœlum & terram, & quia est infinitus in toto genere entis, nequit ei ulla fieri accessio, quia complectitur omnia, & quia hæc continet per essentiam, non potest quidem perdere, perinde ac non potest suam amittere essentiam. Hinc Deus est immutabilis in essentia, substantia, natura, loco, intelligentia, & affectu. Hanc Dei immutabilitatem D. Thomas evincit, primò ex eo, quod Deus sit actus purus, nil habens admixtum potentialitatis, quia potentia ob defectum actûs, quem tantùm continet in potentia, opponitur actui puro; & quidquid aliquo modo mutatur, dicitur esse in potentia; proinde ex eo, quòd Deus sit actus purus, nulli est obnoxius mutabilitati. Secundò quia Deus est omnio simplex, & expers omnis compositionis; & in eò quòd mutatur, est semper aliqua compositio, quia per mutationem res successivè est sub diversis terminis, uno recedente, & altero succedente. Tertiò ex eo, quòd sit Deus infinitus in omni genere, ac complectatur totam plenitudinem perfectionum. Hanc Dei immutabilitatem ex pluribus etiam evincitur scripturis Numer. 23. Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur. Malach. 3. *Ego Dominus, & non mutor.* Jacob. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio,* sed hæc immutabilitas, quæ soli Deo convenit, propria est etiam Christi secundùm divinitatem, seu ratione personæ. Nam David loquens cum Christo ait Psal. 101. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli,* quia opera ad extra sunt totius Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & quia Filius assumpsit naturam humanam, & factus est homo, qui dicitur Christus Joan. *Et verbum caro factum est*; ideo Christi persona initio cum aliis divinis personis terram fundavit: sequitur loqui David cum Christo: *Ipsi peribunt, Tu autem permanes; & omnes sicut vestimentum veterascent; & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Sanctus Athanasius Serm. 2. contra Arianos ex hac Christi ratione personæ immutabilitate infert in Christo divinitatem, & asserit esse verum Deum. Hinc Christus ut persona Verbi Divini, seu Filius æterni Patris, ac verus Deus, cùm naturam nostram assumpsit, & factus est homo Christus, qui ab infantia crevit ætate & sapientia, qui plura & quidem gravissima passus est, flagellis cæsus, injuriis lacessitus, contumeliis affectus, alapis percussus, cruci affixus, vulneribus confossus, morte exinanitus, resurrectione gloriosus, & ascensione victor, nullam tamen mutationem secundùm personam subivit, sed immutabilis semper perseveravit: unde S. Augustinus lib. 1. Confes. cap. 6. *Rerum omnium instabilium stant causa, & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines, & omnium inactionabilium, & temporalium sempiterna vivunt rationes.* Loquitur Augustinus de Dei immutabilitate quoad cogitationes, consilia, voluntatem, naturam & alia omnia prædicata intrinseca:

hinc

hinc S. Prosper sent. 145. *Æterna, & incommutabilis est voluntas ejus; nec consilio alternante variatum: in qua simul est quidquid in rebus creandis, vel ordinandis præcessit, aut sequitur* scitè Boëtius: *Immotusque manens dat cuncta moveri.*

Contra hanc Dei, & personæ Christi immutabilitatem objiciunt Sectarii. Voluntas Dei non est necessitata ad operandum ad extra, sed operatur omninò liberè, proinde est indifferens ad ponendam vel non ponendam creaturam; ergo accedente creatura, accedit in Deo hoc, quod est velle creaturam; ergo tunc mutatur, quia aliter se habet, ac antea se habuerit, antequam vellet creaturam ponere. Sed contra quia in tota æternitate, ac temporis imaginarii infinitate non potest ullum assignari temporis instans, in quo Deus non voluerit liberè creaturam, quam in tempore ponit ad extra: ante mundi creationem non erat Deus indeterminatus ad creandum mundum, sed ab æterno seipsum liberè determinavit ad creandum mundum; adeò ut non sit assignabile instans, in quo non velit liberè mundum, vel quamlibet in mundo creaturam in tempore. Quamdiu enim Deus fuit, hoc per totam æternitatem semper divina voluntas liberè voluit, & quicquid in tempore traducitur de non esse ad esse, & ex nihilo extrahitur ad participandum illud esse, quod habet pro tempore, quo existit; illud idem Deus ab æterno liberè voluit. Non enim in divina voluntate potest assignari aliqua indeterminatio, cui succedat libera determinatio; sed hæc libera determinatio est ab æterno, proinde divina voluntas quando liberè vult, vel non vult aliquid ad extra, non mutatur ad intra: Si quidem ad omnem mutationem duo requiruntur instantia sibi succedentia, in quorum priore res sit sub uno contradictorio, & in posteriore sub altero; ut cùm Petrus ex volente exercitium virtutis fit volens hoc idem exercitium: quia cùm omnia mutatio simplex per se primò & intrinsecè sit inter contradictoria, quæ non possunt simul esse in eodem instanti, necesse est, ut insit diversis instantibus, quorum unum succedat alteri: & quia in Dei æternitate, quæ est indivisibilis tota simul, non possunt assignari duo instantia, quorum unum præcedat aliud, & in uno divina voluntas sit indeterminata, & in alio determinata, sequitur quod divina voluntas non possit mutari. Si dicas, voluntatem liberè operantem in primo instanti naturæ intelligi indeterminatam ad liberè operandum vel non operandum, & esse sui juris, & in secundo instanti naturæ intelligi determinatam; proinde ratione hujus successionis mutari. Contra est, quia hæc non sunt instantia durationis, sed tantùm rationis; in quibus prius & posterius non dicit ordinem successionis, ut determinatio succedat ad indeterminationem, sed tantùm est ordo emanationis, quo pacto proprietates intelliguntur fluere à natura, quamvis nullum possit intelligi instans temporis, in quo sit natura, & non sint simul proprietates: hæc autem metaphysica emanatio, cùm non sit inter contradictorios terminos, non est mutatio in natura, quæ in nullo instanti temporis potest existere sine suis proprietatibus. Neque obstat, si dicas, proprietates fluere à natura necessariò, quia divina voluntas utpote una simplicissima & infinita excludit pluralitatem actuum, estque unus actus simplicissimus æquivalens omnibus volitionibus, & nolitionibus, quo pacto idem actus est volitio, & nolitio, neque quando intelligit velle vel nolle, producitur novus actus, consequenter non mutatur. Hinc Deus ex omni æternitate, seu ante infinitum tempus intelligitur, determinatus ad omnia futura, & non futura. Hinc solus Deus est immutabilis; & reliqua mutabilia; adeo ut immutabilitas nulli possit creaturæ communicari; sicut neque immensitas; Unde Apostolus 1. ad Timoth. 6. ait solum Deum habere immortalitatem: Angeli quamvis sint immortales, non tamen sunt tales ex natura sua, sed ex gratia ut ait Damascenus lib. 2. de fide cap. 3. inquiens. Immortalis est angelus, non natura, sed gratia. *Nam omne quod cœpit, desinere suapte natura potest.*

Æternitas Deo convenit, ut proprium attributum, quo pacto apud Danielem cap. 7. vocatur: *Antiquus dierum*, & à D. Dionysio cap. 10. de divinis nominibus dicitur: Ante ævum, ante tempus, scilicet ab æterno, ait: *Ipse est omnium ævum, & tempus ante dies, ante ævum, ante tempus*, quod intelligitur de omni tempore etiam comprehensibili à creatura, adeò ut ante mundum conditum semper fuerit absque principio, eò quia æternitas nullo clauditur termino, nullum habet initium, & fine caret, quapropter definitur à Boëtio *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio:* hæc tamen definitio est potius causalis, quàm formalis: possessio enim vitæ est perfectus quidam modus habendi, per quem vita non speratur de futuro, sed possidetur de præsenti: hæc autem vita interminabilis non solùm in futurum, ut imposterum desinere nequeat, sed etiam in præteritum, ut nunquam hæc vitæ possessio incœpisse potuerit: debet enim hæc vita interminabilis carere initio, & fine, seu esse æterna æque à parte ante, ac à parte post: hinc quamvis Angeli utpote spirituales, ut etiam animæ rationales non possint corrumpi, sintque si non ex natura sua, saltem per gratiam, eò quia cùm tali prærogativa conditi fuerint, sintque propterea æterni à parte post, quatenus carebunt fine, non tamen æterni sunt à parte ante, quia cùm fuerint à Deo conditi, suum habuerunt initium. Rursus hæc possessio interminabilis vitæ est tota simul, eò quia caret partibus, quæ succedunt post alias partes, & totam suam extensionem habet collectam in unicum instans æternitatis, in quo includuntur omnes differentiæ temporis futuri, præsentis, & præteriti, adeò ut instans æternitatis comprehendat, quidquid per infinitos sæculorum tractus concipi potest extensum, quapropter hæc possessio vitæ interminabilis dicitur esse tota simul: perinde ac immensitas Dei colligit in punctum impartibile, ab intrinseco totam Dei magnitudinem, quæ absque termino per singulas mundi partes diffunditur, adeò ut non minus habeat in uno puncto loci, quàm in spatio per centena millia milliariorum extenso: ita æternitas Dei durationem, quæ infinito tempore coextenditur, colligit in unicum momentum, seu instans, in quo tota duratio possidetur: sicut immensitas se habet ad punctum loci, ita æternitas ad punctum temporis, exigit enim, ut omnia comprehendantur præterita, præsentia, & futura in unico æternitatis momento: & hæc æternitas soli Deo propriè convenit, quia omnia creatura suum initium habet, eò quia ex nihilo traducta est ad participandam illam mensuram bonitatis, quam Deus ei communicat, hinc nulla creatura potest esse Deo coæterna, ut evincunt Patres, præsertim Augustinus lib. 12. de civit. cap. 15. inquiens: *Tempus quoniam mutabilitate transcurrit, æternitati immutabili non potest esse coæternum: ac per hoc etiam si immortalitas Angelorum non transit in tempore, tamen eorum motus, quibus tempora peraguntur ex futuro in præteritum transeunt, & ideo Creatori nequeunt esse coæterni.* Hinc sanctus Ambrosius lib. 6. Hexaemeron cap. 2. *Quid*

tam inconveniens, quam ut æternitatem operis cum Dei omnipotentis conjungeret æternitate: & sanctus Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. *Hic Deus, qui sine initio semper est, quia summè est, dedit rebus à se creatis, ut sint, non tamen sine initio: quia nulla creatura ejusdem est naturæ, cujus est Trinitas unus Deus, à quo creata sunt omnia: hinc nulla creatura potest esse Deo coæterna, quia cùm traducatur ex nihilo, habet necessariò suum initium durationis.* Si igitur æternitas à parte ante, & post ita soli Deo convenit, ut nulli possit creaturæ congruere: & hæc eadem æternitas convenit personæ Christi, sequitur manifestè Christum esse verum Deum, etenim persona Christi, seu Verbum caro factum, quòd est sapientia æterni Patris, est ab æterno Proverb. 8. de se ipsa ait sapientia æterni Patris seu Verbum caro factum. *Ab æterno ordinatus sum, & ex antiquis antequam terra fieret, & nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram*, & recensitis cunctis ferè creaturis hæc sapientia Filii seu Verbi asserit cum Deo Patre omnes creaturas condidisse, ex quo sequitur hanc sapientiam non posse esse creaturam, alioquin se ipsam creâsset, & aliquando non fuisset: ergo ex æternitate carente initio, & fine evincitur Christum esse verum Deum, quod etiam probat D. Augustinus lib. contra Felicianum, Arianum cap. 7. ex ipsa definitione creaturæ, inquiens: *Creatura est ex eo, quod adhuc non est, aut aliquando non fuit, rei cujuslibet corruptibilis, quantum in se est, Patris omnipotentis Dei voluntate facta substantia*: hæc autem definitio nullo pacto convenit personæ Christi, quia fuit antequam creaturæ producerentur, seu extraherentur è nihilo. Quod si Ariani credidissent creaturam posse esse DEO coæternam, facilè dixissent Filium esse quidem creaturam, sed æternam, sed Ariani non putârunt possibilem creaturam æternam, ac eorum propterea axioma de Filio erat: *aliquando erat, quando non erat*, ut refert S. Athanasius *serm. 2. contra Arianos*, quia enim Christum dixerunt puram creaturam, noluerunt esse coæternum Deo.

Evincitur etiam Christi æternitas ex illo Micheæ 5. *Egressus ejus a diebus æternitatis*, etenim sancti Patres Hieronymus, Theodoretus, & Rupertus per egressum ejus intelligunt æternam generationem verbi, neque ullum facessit negotium, quòd respondent Ministri Transylvani illa verba *à diebus æternis* explicare satis apertè, mentem Prophetæ esse talem egressum non fuisse ab æterno, sed tantùm ab initio mundi conditi, eò quia dies tunc incœperint, quando conditus à Deo fuit mundus, primi enim dies eatenus dicuntur æterni, quia per continuam successionem dicuntur semper durare: ex quo inferunt Sectarii factam tunc quoque fuisse de Christo futuro promissionem, ac ejus egressum dici à Propheta *à diebus æternitatis*. Sed contra quia quamvis vox illa in æternum interdum in Scripturæ significet longum, & continuum tempus, non infinitum à parte ante: æternitas tamen in abstracto semper immensam durationem significat: & quamvis Propheta dixerit à diebus æternitatis, id significat, quod à duratione ipsius æternitatis fuerit egressus ejus: posuit enim dies pro duratione æternitatis sine principio, absque fine. Præterea quod Sectarii per egressum ejus intelligant promissionem de Christo futuro, id est depravare sensum Scripturæ, aliud siquidem est egressus Christi, & aliud promissio de Christo egressuro, alioquin illud Prophetæ: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur Dux, qui regat populum meum Israel*: possent enim hæc verba interpretari non de ipsa nativitate Christi, sed de illius promissione, quæ esset in Bethlehem aliquando facienda. Sicut igitur cum Propheta ait: *Ex te mihi egredietur Dux*, non intelligitur de promissione nativitatis Christi, sed de ipsa nativitate futura in Bethleem, perinde cùm Propheta ait egressum esse à diebus æternitatis, debet intelligi non fuisse locutum de promissione nativitatis, sed de ipsamet nativitate, quæ sit ab æterno: hæc autem nativitas est ipsa generatio Verbi, quod postea carnem assumpsit, & est persona Christi, quæ propterea est Patri coæterna: communiter enim sancti Patres interpretantur verba Prophetæ de æterna Christi generatione, ait Apostolus, Christum fuisse heri, & hodie, & in sæcula, hoc est heri, quia semper fuit, hodie, quia semper est, & in sæcula, quia semper erit; ex quo apertè falsitatis arguitur Servetus sectariorum Antisignanus asserens Joannem de Verbo incarnato nunquam dicere *est*, sed tantùm *erat*; ac si Verbum ante incarnationem nunquam fuisset, cùm Joannes Apocal. sæpius de Christo repetat, *qui erat, qui est, & qui venturus est*, & Apostolus hac de causa ad Hebr. 7. consimilem Melchisedech dixerit Christum ait: *Nec initium dierum, neque finem habuerit*, & in hoc consistit similitudo, quia sicut Melchisedech in Scripturis commemoratur sine initio, & fine, ita Christus, ut Deus, nec initium suæ durationis habuit, neque finem, tametsi secundùm humanitatem assumptam initium habuerit, & mortem subierit: cùm enim Christus dicitur coæternus Deo, ac verus Deus, non de natura humana assumpta id intelligitur, sed de ipsa persona Christi, quæ est increata sapientia, Filius unigenitus æterni Patris, & Verbum, quod caro factum est, & habitavit in nobis, ratione cujus Christus est verus Deus, coæternus Patri æterno, hinc Basilius lib. 4. ad Eunomium expendens verba Apostoli ad Collos. 1. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes*, ait: *Si Christus prima creatura est ex tempore facta, debuit dicere Apostolus; & ipse factus est ante omnia; At cùm dixerit, & ipse est ante omnia, ostendit ipsum quidem semper esse, creaturam autem factam esse.* Præterea si Christus aliquo temporis intervallo, seu durationis instanti fuisset Patre posterior, ait Basilius lib. 2. contra Eunomium inde secuturum falsam esse Scripturam, ait Basilius: *Falsa est Scriptura, quæ dicit sæcula per ipsum facta esse, & omnia per ipsum facta esse, comprehensis nimirum etiam sæculis in omnibus. communis enim consuetudo aut temporibus, aut sæculis omne intervallum subjicit.* Quid verò Ariani argumententur, apud D. Athanasium Filium non esse coæternum Patri, eò quia sit à Patre, quod argumentum postea renovârunt Samosateniani dicentes, quod est ab alio, est illo posterius, sed Filius est à Patre, ergo posterior est Patre. Nam respondent Patres, non esse necesse, ut quod ab alio est, sit posterius eo, à quo est, quod evincunt pluribus exemplis præsertim de Luce, quæ est à sole, & non est illa posterior, neque rivus est posterior fonte, & alia solent similia exempla congeri, quibus evincitur non esse necesse ut, quod ab alio est, sit tempore posterius illo. Sed de ratione illius quod ab altero est, tantùm est ut non existat, nisi ex vi alterius, ex quo consequitur, & est posterius posterioritate naturæ, non semper duratione temporis.

De Deo prædicatur ipsa bonitas, per quam se communicat aliis bonum, ut docet D. Thomas 1. p. q. 5. art. 1. & q. 48. art. 2. dicitur propriè, quod est perfectum, & bonitas rei ipsius perfectio, quæ duplex est, alia naturæ, alia moris, illa perfectio simpliciter dicitur, hæc virtus, & sanctitas.

hinc

hinc in DEO triplex potest bonitas considerari, scilicet bonitas naturalis, moralis, & beneficentiæ, quæ benignitas dicitur, bonitas naturalis in Deo est excellentia naturæ divinæ, quatenus habet omnem plenitudinem perfectionis in genere entis, adeoque completur etiam sanctitatem, & benignitatem, & alia divina attributa pertinentia ad naturæ divinæ perfectionem. Bonitas moralis est in Deo summa sanctitas. Et bonitas beneficentiæ est, qua se communicat creaturis, quibus impertitur illud esse, quod habent. Et hanc bonitatem DEI convenire etiam Christo asserunt Evangelistæ Joan. 10. *Ego sum Pastor bonus*, Matth. 20. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum*, & Sapient. 7. vocatur Filius æterni Patris, seu persona Christi: *Candor lucis æternæ, & speculum sine macula claritatis Dei, & imago bonitatis illius.* Ariani apud Athanasium, & recentiores Sectarii Samosateniani, & Servetus cum ministris Transylvanis negant, hanc bonitatem inesse Christo, qui ita loquitur Luc. 18. *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi solus Deus*: Nam Christus, non negavit se bonum esse ex propria sententia, sed tantum voluit redarguere principem illum, à quo fuerat interrogatus: *Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo?* quasi diceret Christus, cùm tu non credas me esse Deum, perperam me vocas bonum, quia nemo bonus nisi solus Deus, huc accedendus Athanasius in Dialog. da Trinit. contra Anomeos: *Non dixit Christus, ne me bonum dicito, sed quid me dicis bonum? Illud enim bonitatem tolleret: istud autem perinde est, ac si diceret: quorsum me dicis bonum, nec tamen confiteris me esse Deum? ut & illud quid me compellatis Domine, Domine, nec facitis, quæ dico.*

Sapientia est etiam aliud attributum conveniens Deo, estque sapientia, ut docet D. Thomas 1.2. q. 9. art. 1. notitia veritatis non quævis, sed per supremas, & primas causas, & in Deo dari banc sapientiam citra dubium est, quia Deus omnia novit per supremas causas, seu per notitiam propriæ essentiæ, quæ est omnium suprema causa efficiens, finalis, exemplaris, & fundamentalis: ex eo enim, quòd comprehendat suam essentiam ex vi hujus comprehensionis clarissimè, ac distinctissimè cognoscit creaturas omnes sive possibiles, quas ipse per se potest facere, sive futuras, quas statuit producere, sive existentes, quibus communicavit eam bonitatem, quam possident. Rursus cognoscit omnia in particulari, & quæ singula illorum agere, vel pati possunt, imò & singula, quæ in quavis occasione essent factura, si talis daretur, imò etiam clarissimè cognoscit, quidquid ea ipsa in omnem æternitatem possit contingere, & erit eventurum; hinc D. Dionysius de divinis nominib. cap. 7. ait: *Non enim ex rebus ipsis ea discens novit ea divina mens: sed ex se ipsa & in se ipsa secundùm causam omnium scientiam, & notionem, & essentiam, & ante comprehendit: non singulis secundum cujusque speciem intendens, sed secundum unicam causæ complexionem cuncta sciens, & continens; sicut & lux secundùm causam in se ipsa tenebrarum notionem anticipat, non aliunde, quàm ex luce tenebras noscens.* Quatuor modis potest intelligi quòd Deus cognoscat res creatas in sua essentia. Primò tanquam in causa necessaria, ex qua creaturæ secundùm esse actuale necessariò sequuntur, & hoc modo non dicitur Deus cognoscere in sua essentia creaturas actu existentes, quia creaturæ non ponuntur ad extra necessariò, sed liberè. Secundò quòd cognoscantur in sua essentia tanquam in causa libera prædefiniente omnia futura in particulari; Sed quia Deus non prædefinit peccata, non potest hoc modo dici cognoscere peccata. Tertiò intelligitur DEUS cognoscere omnia, quæ fiunt, & possunt fieri in sua essentia, tanquam in causa libera volente illa permittere, sine cujus permissione non possent fieri, & & in hoc sensu conceditur, quòd Deus in sua essentia cognoscat omnia etiam peccata in suo decreto permissivo. Quartò tandem intelligitur Deus cognoscere omnia in sua essentia tanquam in causa, partim necessaria, partim libera, & hoc pacto dicitur cognoscere omnes possibiles complexiones, & omnia ex hypotesi futura, posita enim hac cognitione, & accedente decreto libero, quo vult creare causas liberas, & permittere eas suis motibus in talibus circumstantiis statim in suo decreto libero, & permissivo videt, quid absolutè futurum sit, idque prius ratione, quam videat effectum in se existentem; cùm enim hæc visio sit infinitæ efficaciæ in attingendo objectum, extendit se etiam ad ipsum effectum, ut in re existit: in hoc sensu dicitur Deus cognoscere omnia in se tanquam in causa propinqua, vel remota, decernente, vel permittente. Et hanc sapientiam propriam Deo tribuit Apostolus Paulus Christo ad Coloss. 2. *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei* & 1. Corinth. 1. vocat Christum Dei sapientiam. Neque obstat, quòd Christus interrogatus, quando dies judicii continget, responderet, se id nescire. Matth. 24. *De die autem illa nemo scit, nec Filius hominis nisi solus Deus.* Nam respondent Sancti Patres Athanasius orat. in illud omnia mihi tradita sunt à Patre. Cyrillus lib. 9. thesaur. cap. 4. Ambrosius in cap. 17. Lucæ id dixisse ratione naturæ humanæ; quia ut homo id nesciebat, sed tantùm ut Deus, quia interrogatio facta fuit Christo ut homini, rectè respondit de die illa neminem scire, neque Filium hominis, nisi solum Patrem. Neque inde sequitur Christum, neque ut Filium æterni Patris, seu Deum id scire: quia quando sermo est de re quæ alicui personæ divinæ secundùm essentiam, & non secundum originem convenit, non excluduntur, sed includuntur aliæ personæ, quia ejusdem sunt essentiæ, ac naturæ divinæ, ut notavit S. Augustinus lib. 3. contra Maximum: ex quo sequitur, quòd si semel aliquid Deo, vel alicui personæ tribuitur ut Deo; idem aliis etiam conveniat personis, eò quia omnes tres personæ divinæ sunt unus Deus; & quia sapientia convenit Patri ut Deo ad Rom. 16. *Soli sapienti Deo honor, & gloria per Jesum Christum.* Ideo ait Augustinus: *Deo qui est ipsa Trinitas, propterea solus sapiens esse dicitur, quatenus solus secundùm suam substantiam sapiens est.* Docet igitur D. Augustinus totam Trinitatem ab Apostolo dici solùm sapientem Deum; cui Trinitati per Christum ut hominem quodammodo dicitur gloria data; *Quia* ut ait Augustinus lib. 3. contra Maximum cap. 13. *Ipse præcepit baptizari Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ubi præcipuè commendata est hujus individua gloria Trinitatis.*

Potentia itidem soli Deo tribuitur ad Timoth. 6. ubi loquens de Deo ait Apostolus *qui solus est potens*, seu omnipotens; passim enim Deus in sacris Scripturis vocatur omnipotens Matth. 19. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Marci 10. *Omnia possibilia sunt apud Deum.* Luc. 1. *Non est impossibile apud Deum omne Verbum*: Hinc in Symbolo Apostolorum *credimus in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.* Estque hic articulus fundamentum Religionis Catholicæ, cui uni cætera omnia innituntur, cujusmodi sunt dogmata de creatione mundi, de conservatione, gubernatione creaturarum, de Verbi divini Incarnatione, de Eucharistia, Sacramentis o-

mnib , Resurrectione mortuorum, visione beatifica, & alia similia dogmata. Ratio etiam peritur ex eo, quia nolla creatura potest se ipsm traducere ex nihilo ad participandum illud esse, quod possit; nec una semper ab alia in infinitum potest produci, eò quia daretur unum correlativum sine alio, aliquod productum sine producente; etenim si concedamus unam creaturam semper fuisse productam ab alia in infinitum, plures essent creaturæ productæ, quàm producentes; quia ultima creatura successivè producta hodiè esset tantùm producta, & non producens, cùm supponatur successivè ultima producta hodie, & nondum producens aliam, aliæ verò omnes retro productæ esseot simul producentes, & productæ ex suppositione, proinde daretur productum sine producente, quod cùm dici nequeat, cogimur confiteri dari Deum omnipotentem, dari unum principium improductum, à quo creaturæ omnes productæ fuerint ea nihilo, & cui propterea conveniat omnipotentia, quæ est divina potentia, quâ Deus potest facere ad extra, quæ factibilia sunt: & quamvis omnipotentia respiciat res omnes producibiles, ut principiom earumdem causativum: non tamen fundat in se à parte rei ullum respectum realem ad creaturas existentes: quia tametsi sit potentia rerum omnium causativa, adhuc tota relatio, qoàm res productæ, vel produribiles dicunt, fundatur in ipsis rebus, & tantùm terminativè respicit omnipotentiam divinam, quæ proinde dicitur tantùm terminare relationes reales fundatas in creaturis: quia si omnipotentia diceretur referri ad creaturas relatione in se fundata; hujusmodi respectus esset tantùm rationis, non realis; quia divina prædicata nulli sunt reali mutationi obnoxia.

Rursus licèt Deus dicatur omnipotens, eò quia omnia possit, non tamen ad quodlibet utcunque se extendit; sed tantùm ad ea, quæ non inducunt imperfectionem in principio, à quo sunt, vel fiunt: quo pacto mentiri potest esse à creatura, non à Deo, qoi cùm sit ipsa veritas, nequit mentiri, nec nos fallere. Ex eo autem quòd Deus non possit omnia facere, quæ creatura; non animadvertentes malum morale esse defectum, non quid positivum factibile, perperam intulerunt potentiam Dei non esse absolutè, & simpliciter infinitam, quo pacto Israelitæ in deserto auditi sunt obmurmurâsse. *Nunquid poterit Deus nobis parare mensam in deserto.* Et Judæi etiam litigabant ad invicem dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* S. Augustinus autem lib. 83. quæstionum quæst. 82. id dat perniciosissimæ iniquitati inquiens. *Et esse Deum, & justum & omnipotentem esse, perniciosissimæ iniquitatis est dubitare.* Hinc Genes, 17. *Ego Dominus omnipotens* & cap. 43. *Deus autem meus omnipotens.* Idque ratione etiam evincitur: quia posse sequitur ad esse, ideoque quò perfectius est esse, eò & excellentius, ac præstantius est posse; ut liquet inductione: animalia quia habent perfectius esse, quàm vegetabilia, sunt excellentiora quoad posse: homo quia habet esse excellentius quàm bruta, est etiam præstantior quoad posse, ac perfectius agit quàm bruta. Angelus quia homini præest quoad esse etiam quoad posse est excellentior: quia posse intelligitur fluere ab esse, ut ejus proprietas; & si à causa excellentiori præstantiores prodeunt effectus etiam per modum proprietatis; quò perfectius est esse, eò præstantius est operari: sed esse Dei est perfectissimum, & omnino illimitatum in omni genere: quia omnis limitatio provenit à mensura passiva influxûs finiti ab alio, & Deus excludit hunc influxum passivum consequenter limitationem, & includit totam plenitudinem perfectionum: ergo & ejus posse debet esse simpliciter illimitatum. Hoc autem attributum omnipotentiæ Deo proprium in sacris Scripturis tribuitur etiam personæ Christi Apocal. cap. 1. *Ego sum Alpha, & omega principium, & finis dicit Dominus Deus, qui erat; qui est, & qui venturus est.* Omnipotens Persona Christi erat, quia ante mundum conditum per infinita sæcula semper fuit apud Patrem æternum, cui est consubstantialis Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* De præsenti est: quando *Verbum caro factum est*: Venturus est, cùm in fine mundi apparebit judicaturus vivos, & mortuos. Cap. 4. *Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est*: expressè Christo attribuitur omnipotentia; & cap. 11. *Gratias tibi agimus Domino Deus omnipotens, qui es, & qui venturus es*, qui venturus est, non alius à Sanctis Patribus intelligitur quàm Christus, de quo dicitur in Symbolo Apostolorum, *qui venturus est judicare vivos & mortuos.*

Objiciunt Ariani, & ministri Transylvani illud Joan. 5. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Sed hoc textu tantùm sequitur potentiam Filii esse à Patre, & eamdem cum potentia Patris, ut explicant S. Gregorius Nazianzenus orat. 4. de Theologia, & D. Ambrosius lib. 4. de Fide cap. 3. sicut Filius ab æterno generatur à Patre, à quo accipit eamdem essentiam, naturam, & Deitatem, & cui propterea est consubstantialis; ideo simul cum natura divina accipit etiam proprietates, & attributa ejusdem naturæ divinæ, consequenter omnipotentiam. Non enim Joan. 5. dicitur non potest Filius facere quidquam nisi Pater jubeat, aut juvet; *Sed nisi viderit Patrem facientem* ideoque subjungit, *quæcunque Pater facit; hæc & Filius similiter facit:* quia Patris & Filii una ac eadem est natura, una ac eadem omnipotentia; proinde Filius similiter facit, quæ Pater facit. Dicitur etiam Filius facere quod viderit Patrem facientem; non quia ut discipulus addiscat à Magistro, quid faciendum sit, & modum, seu artem illud faciendi: sed quia scientia Filii est à Patre, non per doctrinam, sed per generationem, sicut à Patre Filius accipit essentiam, naturam, substantiam, & eamdem Deitatem: ita accipit proprietates naturæ, quibus accensentur scientia, omnipotentia, æternitas, bonitas, & alia divina attributa.

Ministri Transylvani ex eo quòd legerint Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, intulerunt in Christo omnipotentiam non esse ab æterno, neque ex natura; sed ex dono gratiæ, & ex tempore. Sed contra quia illa verba *data est mihi omnis potestas*, perinde significant, ac personæ Christi ab æterno æternus Pater cum essentia divina, substantia, & Deitate communicavit omnipotentiam, quâ unà cum Patre & Spiritu Sancto omnia creavit in cælo & in terra, eo quia opera ad extra communia sunt totius individuæ Trinitatis, in quo sensu rectè explicatur, quomodo personæ Christi data sit omnis potestas in cælo, & in terra ab æterno, & ex natura, non ex dono gratiæ, ut perperam interpretantur Sectarii, putantes Filium non æqualem neque consubstantialem Patri, sed inferiorem. Alii respondent verba Joannis esse intelligenda de Christo ut homine, non ut Deo; cùm Christus sit verus Deus, & verus homo; dicunt ut homini datam esse omnem potestatem in cælo, & in terra ex dono gratiæ, & ex tempore; ut Deo ab æterno, & ex natura sua. Prima tamen responsio mihi videtur magis congrua.

CAPUT IX.

Ostenditur Christi Divinitas ex operationibus, quas egit, & propriæ sunt Deo.

AD evincendam Christi divinitatem efficax, ac firmum peti solet argumentum ex ipsis operationibus, quas egit: si enim ea egit, quæ solus Deus facere potest, consequens est ut sit Deus, quia nulla creatura potis est agere, quæ ipse egit: & persona Christi, quæcunque æternus Pater egit seu Deus Pater, eadem fecit Joan. 5. *Quæcunque Pater facit, eadem, & similiter Filius facit.* Plures sunt operationes, quæ Deo Patri tribuuntur ut creatio, conservatio, cognitio sui ipsius, cognitio occultorum cordis, ac futurorum, salvatio, sanctificatio, electio seu prædestinatio ad gloriam, justificatio, & remissio peccatorum, glorificatio, suscitatio mortuorum in novissimo die, vocatio ad veram fidem, illuminatio ad cognitionem veritatis, regere, ac gubernare pios, consolari afflictos per internam gratiam, constituere, ac mittere operarios ad excolendam Ecclesiæ vineam, instituere Sacramenta; operari in iisdem principaliter, ac facere miracula excedentia vires totius naturæ: atqui has omnes operationes egit persona Christi; & nulla creatura pura, & simplex potest principaliter eas facere: ergo sequitur, personam Christi esse verum Deum, & Christum non esse simplicem creaturam. Quòd opus creationis sit proprium veri Dei, probatur facilè ex Scripturis in quibus verus Deus vult discerni à falsis Numinibus, eò quia creaverit cœlum & terram Isaiæ 44. *Ego sum Dominus extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Si solus extendit, seu creat cœlos, vult per hoc opus distingui à falsis diis: unde Hier. 10. *Dii qui non fecerunt cœlum, & terram, pereant de terra, & de cœlo* & D. Basilius adferens rationem, cur hac dira imprecatione expellantur, ac segregentur à vero Deo, citat illud Psal. 95. *Quoniam omnes Dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit.* Quia Dii gentium non fecerunt cœlum, & terram, carent divinitate, & sunt dæmonia: quia solus Dominus seu Deus cœlos fecit. Atqui persona Christi seu unigenitus Filius æterni Patris cœlos creavit, & terram, quia opus creationis utpote indivisæ Trinitatis est commune tribus personis: hinc persona Christi Proverb. 8. loquens de mundi creatione ait. *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Scilicet simul cum æterno Patre vero Deo, & cui sum consubstantialis, eram, & ex nihilo traduxi ad esse cœlum tot rutilantibus gemmis splendidum, quot lucentibus, ac scintillantibus stellis coruscum; idque causæ, cur Joan. 1. dicatur *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, scilicet per unigenitum æterni Patris, per Verbum divinum, seu personam Christi facta sunt omnia, & sine ipso creatum est nihil; quod cùm expendisset Apostolus, scripsit ad Colos. 1. *In ipso condita sunt universa in cœlis, & in terra, visibilia, & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive Principatus sive Potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Scilicet in Christo Jesu, ut se expressius explicat 1. Corinth. 8. inquiens. *Unus Dominus Jesus Christus per quem omnia.* Unde ad Hebræos 1. alloquens Christum ait. *Et tu initio Domine terram fundâsti, & opera manuum tuarum sunt cœli* vocat Christum Dominum seu verum Deum, eo quia creaverit cœlum, & terram. Quapropter David Psal. 38. ait: *Verbo Domini cœli firmati sunt:* neque per Verbum Domini quid aliud intellexit, quàm ipsum Christum, quia hoc idem Verbum, quo cœli firmati sunt, nostram assumpsit humanitatem, quando Joan. 1. & Verbum caro factum est: ergo cùm opus creationis proprium solius Dei tribuatur in sacris Scripturis Christo, evidenter constat ipsum esse verum Deum.

Respondent nihilominus Ariani per Filium quidem omnia fuisse creata cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt, non tamen per Filium ut causam principalem; sed per Filium tanquam per administrum, vel commissarium. Recitat S. Athanasius serm. 3. contra Arianos hanc sententiam inquiens: *Ajebant enim, Deum volentem creatitiam naturam producere, cùm videret eam puritatis suæ, & architectationis participem esse non posse, condidisse primò unum, quem appellavit suum Filium, & Verbum, ut illo condito reliqua deinde per ipsum condi possent.* Sed contra hanc Arianorum assertionem nervosè, ac efficaciter argumentatur S. Athanasius: quia si Pater rerum omnium architectationem commisit Filio: vel id præstitit quia non potuit ipse Pater per se immediatè alia creare, & tunc esset impotens, miser, ac deficiens in potentia, consequenter deficeret à ratione veri Dei. Vel quia Pater dedignatus est alia creare, & hoc dici nequit, quia rerum minimarum procurationem habuit, *ut passerum qui asse veneunt* Matth. 6. *& aliorum volatilium cœli, quorum omnium curam gerit Pater cœlestis* Matth. 10. Vel quia non potuit creatitia natura vim Dei Patris sustinere, ut Ariani putabant; & exinde sequeretur, neque Filium potuisse ab ipso Patre creari; neque Filium alia creare, quia in sententia Arianorum etiam Filius fuit creatitiæ naturæ. Præterea S. Athanasius manifestè evincit ut falsum, Deum Patrem per se immediatè non condidisse cœlum, & terram, ac omnia, quæ in eis sunt; etenim Job. 9. *Qui extendit cœlos solus* seu creavit Psal. 146. *Qui producit in montibus fœnum* Proverb. 8. *Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyssos, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens* & Joan. 5. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Præterea ut docent Sancti Patres, res quæ non est in se, & per se infinitæ virtutis, non potest quidquam creare, seu ex nihilo traducere ad esse. Unde si Filius fuit creatura, ut fingebant Ariani, non potuit creare utpote destitutus virtute infinita.

Alii concedentes Filium simul cum Patre creâsse cœlum, & terram, Proverb. 8. *Cum eo eram cuncta componens*, dixerunt tamen Patrem omnia creâsse ut causam principalem, & Filium non nisi ut instrumentum, quia Apostolus 1. Corinth. 8. scribit: *Nobis autem unus est DEUS Pater, ex quo omnia, & unus Dominus JESUS Christus per quem omnia* asserunt illam particulam *per* indicare causam instrumentalem, cui solet accommodari. utuntur hoc argumento Ministri Transylvani. Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Ad Hebr. 1. *per quem fecit & sæcula* ad Coloss. 1. *Omnia per ipsum creata sunt.* Adferunt etiam Concilium Syrmiense, ut orthodoxum à S. Hilario receptum in lib. de Synodis nam can. 3. & ult. Concilium asserit Filium Dei

Patri miniſtrâſſe in creatione mundi; quod etiam docent Irenæus lib. 3, cap. 8. Tertullianus lib. de Trinit. Euſebius lib. 1, Hiſtor. cap. 1. & 2.

Sed contra, quia ex ſcripturis clariſſimè conſtat, Filium creâſſe mundum, ut cauſam principalem unà cum Patre & Spiritu Sancto Joan. 5. *Quæcunque Pater facit, hæc & ſimiliter Filius facit* ſi ſimiliter, ergo eodem modo, proinde ſi Pater creat ut cauſa principalis, etiam Filius debet ut cauſa principalis creare, alioquin non diceret, & Filius *ſimiliter* facit: ſed ſufficeret, ſi diceretur, & Filius facit: Si igitur ſimiliter, ergo ut cauſa principalis. Idque ex eo firmatur, quia Filius creavit ut DEUS Pſal. 32. *Verbo Domini cœli firmati ſunt* ſeu creati: ſed DEUS creavit ut cauſa principalis, ut liquet ex Apoſtolo ad Hebræ 1. *Et tu initio Domine terram fundaſti & opera manuum tuarum ſunt cœli* ergo etiam Filius qui dicitur Verbum Domini, ſeu æterni Patris, cui eſt conſubſtantialis. Tum quia Apoſtolus ad Hebræ. 1. verba Davidis Pſal. 101. *Tu initio Domine terram fundaſti*, accommodat filio: & verba illa non poſſunt intelligi de cauſa inſtrumentali, & miniſterialiter, quia hoc idem aſſerit David de Deo Iſrael, qui ut fatentur ſectarii, non ut cauſa miniſterialis, ſed ut principalis creavit mundum; & cùm Ariani per Deum Iſrael intelligant Patrem, qui eſt cauſa principalis mundi conditi, & cùm filius ſit illi conſubſtantialis, ut ſuperiùs demonſtravimus, ſequitur Filium creare ut cauſam principalem ut diſſerit Apoſtolus, qui ad Hebr. 1. conferens Chriſtum cum Angelis, ait, id intereſſe diſcriminis, quia Angeli ſunt miniſtri, & Chriſtus non eſt miniſter: ait Apoſtolus *cui dixit aliquando Angelorum: ſede à dextris meis? non ne ſunt omnes adminiſtratorii Spiritus in miniſterium miſſi?* Ratio itidem petitur ex definitione cauſæ principalis, & inſtrumentalis; illa enim eſt, quæ primariò, & in virtute propria agit, ut ignis producens alium ignem eſt cauſa principalis alterius ignis, quia primariò, & virtute propria producit alium ignem. Cauſa inſtrumentalis verò ſubordinatur principali, in cujus virtute agit: quo pacto calor eſt cauſa inſtrumentalis, qua ſubſtantia ignis producit alium ignem, calamus eſt inſtrumentum, quo manus ſcribit: atqui filius creat in virtute propria mundum Joan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, Proverb. 8. *Quando appendebat fundamenta terræ, cùm eo eram cuncta componens*, quod intelligitur per ſe, & virtute propria, quia opera ad extra communia ſunt tribus perſonis, & in individuo Trinitatis: cum enim tres perſonæ divinæ ſint unus Deus creator cœli, & terræ, & DEUS virtute propria, & ut cauſa principalis mundum creet, ita etiam Filius, & Spiritus Sanctus, Filius enim accipit à Patre eandem naturam, eſſentiam, ſubſtantiam, & Deitatem, proinde eandem prorſus virtutem, ratione cujus eſt æquè Filius cauſa efficiens principalis creaturarum, ac ipſe Pater hinc Apoſtolus. 1. Corinth. 1. ait: *Chriſtus autem eſt ipſa DEI Virtus*, loquitur de Chriſto ratione perſonæ, quæ eſt DEI Filius, Verbum æterni Patris, quod aſſumpſit carnem humanam Joannis 1. *Et Verbum caro factum eſt*, unde ſi Filius habet eandem prorſus virtutem cum Patre in ordine ad creaturas, æquè Filius eſt cauſa principalis mundi conditi ſicut Pater, conſequenter Chriſtus, cùm ſit ipſa Dei virtus, ut loquitur Apoſtolus, eſt cauſa principalis mundi conditi, conſequenter eſt verus Deus, ſicut Pater. Tum quia ideo Pater ut cauſa principalis intelligitur mundum creâſſe, quia ſuo arbitratu operatus eſt, ut ipſi magis placuit quod non convenit inſtrumento, quod dependenter à cauſa principali operatur: ſed Filius etiam imperio ſuo, ſeu voluntate fuit operatus Baruch. 3. *Qui emittit lumen & vadit vocat illud, & obedit ei cum tremore. Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, vocatæ ſunt, & dixerunt, adſumus, & luxerunt ei in jucunditate qui fecit illas.* Sancti Patres hæc intelligunt de Filio æterni Patris, qui in terris viſus eſt, ſeu de Chriſto, qui perinde operatur ex proprio arbitrio, ſicut Pater dicitur enim Joan. 5. *Sicut Pater quos vult, vivificat, ita & Filius, quos vult, vivificat.* Proinde ut cauſa principalis operatur Filius, ſicut Pater, ſcilicet proprio arbitrio, & virtute propria, conſequenter operatur ad extra ut cauſa principalis, quia inſtrumentum non agit virtute propria, ſed motu agentis principalis; hinc de Chriſto operante imperio ſuo, & propria voluntate, ac virtute ait Evangeliſta Luc. 8. *Quis eſt hic? qui imperat ventis, & mari, & obediunt ei*, ergo nulli dubium, quin Chriſtus ut cauſa principalis virtute, & imperio operetur ad extra, quapropter Apoſtolus ad Hebræ. 1. loquens de Chriſto ait: *Portans omnia verbo virtutis ſuæ.* Tum quia inſtrumentum non eſt principium, & finis ultimus operis, Filius autem eſt principium, & finis Apocal. *Ego ſum alpha & omega principium, & finis.* Quinimò ipſe Chriſtus Iſaiæ 48. de ſe ipſo ait: *Propter me faciam*, ſcilicet propter ſe ut finem. Demum quia ut conſtat ex prædictis, Filio convenit omnipotentia Patris, ergo eidem convenit creare ad extra creaturas æquè principaliter ac Patri, & cùm creatio ſit operatio, quæ ſoli DEO convenit, perſpicuum eſt, Chriſtum eſſe verum Deum.

Hinc corruit argumentum, cui Sectarii innituntur, neque ullum faceſſit negotium, quòd ſubinde in ſcripturis Pater dicatur feciſſe omnia per Filium Joan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, & Apoſtolus 1. Corinth. 8. *Unus Dominus JEſus Chriſtus per quem omnia*, nam inde non ſequitur Patrem per Filium ut cauſam inſtrumentalem feciſſe omnia: ſiquidem illa particula *per* adnectitur Filio, ut ſignificetur principium medium, ſeu principium de principio, ſicut explicat Baſilius *lib. de Spiritu Sancto cap. 5.* Sicut etiam particula *in* adjungitur Spiritui Sancto, eo quia in ipſo nectuntur Pater, & Filius tanquam in mutuo utriuſque amore: idque manifeſta ratione oſtendit D. Athanaſius lib. de communi eſſent. divinit. ubi oſtendit in ſcripturis particulas *ex, per, in*, tribui omnibus perſonis modò Patri, nunc Filio, & etiam Spiritui Sancto, & DEO uni, quapropter per has particulas non ſignificatur cauſa inſtrumentalis, alioquin omnes perſonæ, imò & Deus unus eſſent cauſæ inſtrumentales, quod dici nequit, quod enim Deo tribuantur omnes illæ particulæ, liquet ex ſcriptura ad Gallat. 4. ubi loquens de Deo, ait: *Quoniam ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, rurſus particulam *per* tribui Patri liquet. 1, Timoth. 1. *Quòd ſi Filius & hæres per DEUM*, & Corinth. 1. *Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus*, Imò Filio non ſolùm tribuitur particula *per*, ſed etiam *ex* ad Epheſ. 4. *Creſcamus in illo, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum eſt:* & hæc eadem particula *ex* tribuitur etiam Spiritui Sancto Joan. 4. *Ex Spiritu ſuo dedit nobis*, ut etiam particula *de* Matth. 1. *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt:* ergo præfatæ particulæ *per, ex, de, in*, quæ in ſcripturis ſubinde tribuuntur, ſeu adjunguntur Filio, vel Spiritui Sancto, non ſignificant perſonam illam, cui eſt particula

aliqua

aliqua ex iisdem adnexa, esse causam instrumentalem, vel minùs principalem operationum, quæ à Deo fiunt ad extra. Præterea ideo particula *per* adnectitur Filio, & Pater dicitur per Filium creare, quamvis non creet, ut causa minus principalis: quia Filius est sapientia Patris, qui rectè dicitur per suam sapientiam operari, & quia sapientia in Patre non distinguitur ab ipso Patre, est etiam per se subsistens, proinde etiam ipsa sapientia ut causa principalis creat ad extra creaturas. Posset etiam responderi Patrem per Filium creare mundum, eò quia virtutem per quam Filius creat, Pater per generationem communicavit Filio, & quidem eandem prorsus simplicissimam, quæ est in Patre, adeo ut eadem prorsus virtus in Patre, & Filio, æquè principaliter mundum creet, in quo sensu etiam intelligitur, quomodo Pater non solùm per se, verum etiam per Filium mundum creet, hinc videtur S. Clarii imbecillitatem argumenti, cui innituntur ad persuadendum simplicioribus, Filium non creare ut causam principalem, & Christum esse verum Deum. Quod verò ad concilium attinet Syrmiense, in quo dictum fuit, Filium in creatione mundi ministrâsse Patri, inde non probatur, Filium esse causam minùs principalem, quia Pater non imperavit Filio, ut princeps imperium exercet in suos ministros, sed dicitur, Filium ministrâsse Patri, quatenus is fuit, per quem Pater non secundùm imperium, neque ullam in operando inæqualitatem, sed secundùm originem creavit unà cum Spiritu Sancto mundum, quia cùm Filius sit sapientia Patris, qui dicitur operari per suam sapientiam, hæc etiam dicitur ministrare Patri, quæ operatur, quamvis hæc locutio non sit totaliter propria, siquidem Minister is propriè dicitur, qui ex imperio Principis operatur, & Filius non secundùm imperium, sed secundùm originem Patri ministravit, & in hoc sensu locuti fuerunt Irenæus, Eusebius, & Tertullianus. Cùm igitur scriptura manifestè & expressè asserat per Christum factum esse mundum Joan. 1. ait: Mundum ipsum per Christum factum esse, seu cœlum, & terram, & omnia quæ in eis sunt, sequitur evidenter Christum esse Deum, eò quia operatio creationis, quæ soli Deo convenit, sit etiam propria ipsius Christi, quem D. Paulus ad Coloss. 1. illum vocat primogenitum ante omnem creaturam, quatenus creaturas omnes ipse creavit: *In ipso enim condita sunt universa in cœlis & in terra visibilia, & invisibilia sive throni, sive dominatione, omnia per ipsum creata sunt.* Et ad Hebr. 1. asserit Filium *initio* seu in prima creatione *terram fundâsse, & opera manuum ejus esse cœlos.* Rursus ait: Per ipsum facta esse sæcula, eò quia initio temporis fuit ante tempus quod creavit in motu cœlorum quapropter ait Filius, de se ipso Proverb. 8. *Quando Pater appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.*

Aliæ operationes, quæ soli Deo propriè conveniunt, sunt post creationem conservatio rerum conditarum, unde Actor. 17. *In ipso vivimus, movemur & sumus*, & hoc Apostolus tribuit etiam Christo ad Coloss. 1. *Omnia in ipso constant.* ad Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Tertia actio Deo propria est illa cognitio, qua se ipsum perfectè comprehendit, ut ait Apostolus 1. Corinth. 2. *Quæ sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei, qui in ipso est*, & ad Roman. 11. *Quis cognovit sensum Domini?* Sed Christus hanc eandem cognitionem sibi tribuit, ait enim Matth. 11. *Nemo novit Patrem nisi Filius*, & Joan. 10. *Sicut me novit Pater, & ego cognosco Patrem.* Ergo Christus non est purus homo, sed & verus Deus. Quarta est cognoscere ex se occulta cordium, & quæ futura sunt ad Hebr. 7. *Ego Dominus scrutans corda, & renes.* Isa. 45. *Annuntiate nobis futura, & dicemus quia Dii estis*, sed hæc cognitio est etiam propria Christi Joan. 2. *Ipse enim sciebat, quid esset in homine*, & ipsemet ait de se ipso Apocal. 2. *Ego sum scrutans corda & probans renes*, quibus verbis clarè demonstrat se eundem esse Deum Israel, qui propria virtute omnia novit, hinc Christus Joan. 13. ait: *Hoc dixi vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum.* Tum quia Christus fuit verus Propheta, qui plura prædixit futura, unde 1. Petr. 1. dicitur: *De qua salute scrutati sunt, & exquisierunt Prophetæ scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi prænuntians eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias.* Quinta actio est salvatio animarum Isaiæ 43. *Ego sum Dominus, & non est absque me Salvator*, & cap. 45. *Deus Justus, & salvans non est præter me.* Oseæ. 13. *Ego sum Dominus Deus, & Salvator non est præter me:* a qui opus Salvationis vel maximè Christo convenit, cui Angelus tribuit salvare populos à peccatis Matth. 1. *Vocavi nomen ejus Jesum ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Nomen enim JEsu salutem significat, & ne Sectarii dicant eum salvare ut causam instrumentalem vel ut Ministrum, ait Apostolus cap. 1. *Qui portat omnia verbo virtutis suæ, per semetipsum purgationem peccatorum faciens*, illud *per semetipsum* satis apertè connotat Christum ut causam principalem salutem impertiri hominibus. tum quia D. Paulus conferens Christum cum Angelis, illos servos vocat, & Christum Dominum, hinc Isa. 35. habetur *Deus ipse*, hoc est per se, non per Legatos *veniet, & salvabit nos.* Tum quia Apostoli non Christi Conministros se dixerunt, quasi Christum novissent esse ministrum Patris: sed se ipsos Ministros Christi vocârunt; quia cognoscebant Christum verum esse Deum, & non ministrum Dei. 1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo ut ministros Christi & in ejus nomine gentes baptizabant, mortuos vitæ, cæcos visui surdo auditui, infirmos sanitati restituebant. Quia vero Christus fuit verus Deus, & verus homo, per humanam naturam mediatoris etiam exercuit officium, satisfecit Patri, obtulit sacrificium, probra, & vulnera toleravit, sanguinem fudit pretium nostræ redemptionis, mortem subivit, ut nobis vitam impertiret æternam: & quia hæc omnia infiniti fuerunt valoris, oportuit, ut personæ Mediatoris ex duabus constaret naturis, ac esset simul verus Deus; & verus homo, unde Augustinus lib. 9. de Civit. Dei. cap. 15. *Mediatorem inter nos & DEUM, & mortalitatem oportet habere transeuntem, & beatitudinem permanentem, ut per id, quod transit, congrueret, moriturus, & ad id, quod permanet, transferret ex mortuis.* Proprium igitur nomen Mediatoris est JESUS Salvatorem significans, non quidem fortuitò, aut hominum judicio, ac voluntate inditum fuit hoc nomen JESUS Christo Mediatori, sed DEI consilio, & præcepto: siquidem Angelus annuntians Mariæ Incarnationis mysterium, dixit Luc. 1. *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus JEsus.* Imò etiam Virginis Sponso Angelus injunxit, ut puero nascituro nomen imponeret JEsus Matth. 1. *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus JEsum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis*

peccatis eorum, unde tantæ est dignitatis hoc nomen, ut hoc audito flectatur omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum; & quia est nomen salvationis Habacoch. 3. ait: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo JEsu meo.* Fuit hoc nomen impositum puero octavo die à nativitate, quo tempore non obnoxius legi legem voluit implere: pulchrè S. Bernardus serm. 1. de circumcis. Domin. *Circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis; & nomen quod est super omne nomen, gloriam indicat majestatis. Circumciditur tanquam verus Abrahæ Filius, JEsus vocatur tanquam verus Filius Dei, neque enim instar priorum meus iste Jesus nomen vacuum aut inane portat. Non est in eo magni nominis umbra, sed veritas.* Quòd si cùm esset in sinu Patris, voluerit se humiliare, in terras descendere, infirmitates nostræ humanitatis assumere, sanguinem pretium nostræ redemptionis fundere, & mortem subire, ideo debebatur ei nomen, quod esset super omne nomen ut ait Apostolus ad Philip. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris:* quia Christus igitur in mundum venit, ut salutem mondo impertiret, & homines salvaret, rectè infertur ejus Deitas, cùm nemo possit homines salvos facere, nisi solus Deus. Sexta Dei propria actio est sanctificatio Levit. 21. *Ego sanctus sum Dominus qui sanctifico vos:* & Christus etiam non solum sanctus ipsemet fuit, sed etiam sanctitatem fuit hominibus impertitus, quia sicut fuit ipse Filius naturalis Dei Patris, ita per sanctitatem voluit homines filios Dei fieri adoptivos, ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret*, & ad Hebræ. 2. loquens etiam de Christo ait: *Qui enim sanctificant, & qui sanctificantur ex uno omnes.* Septima operatio DEO propria electio est prædestinatorum, ad Ephes. ait Apostolus de Deo: *Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti.* Hanc eandem operationem convenire Christo habetur Joan. 15. *Ego scio, quos elegerim.* Octava operatio propria Dei est justificatio, & remissio peccatorum, unde Apostolus ad Roman. 8. scribit, *Deus qui justificat*, & Isa. 43. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas*, & Marc. 2. *Quis potest peccata remittere nisi solus Deus?* atqui hæc operatio convenit etiam Christo de quo Isaias 53. *In scientia sua justificabit multos, ut sciatis, quia Filius hominis habet potestatem remittendi peccata.* Hinc Joan. 1. dicitur tollere peccata mundi, & Apostolus ad Hebræ. 1. clarè ait: *Per semetipsum purgationem peccatorum faciens.* Nona operatio, quæ Deo tribuitur, est glorificatio Psal. 85. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, hinc Christus Joan. 10. ait: Vitam æternam do eis & Apostolus 1. Timoth. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa justus Judex, non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus.* Decima operatio propria DEI est suscitare mortuos in novissimo die Joan. 5. *Pater suscitat mortuos, & vivificat*, sed hæc eadem operatio etiam tribuitur Christo. *Sic & Filius, quos vult vivificat*, ut ait Joannes eodem cap. 5. Tum quia Christus ipse Joan. 6. hanc operationem sibi adscribit inquiens: *Ego resuscitabo eum in novissima die.* Undecima operatio est vocatio gentium ad veram fidem per internum lumen Joan. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum.* Sed hæc eadem vocatio etiam tribuitur Christo Joan. 10. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere.* Quinimò hanc eandem operationem Christus sibimet attribuit Apocal. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso*, pulsat enim per internum lumen per gratiam, cui homines assentiantur, & convertantur ad veritatem. Duodecima Dei propria operatio est mentis interna illuminatio ad agnoscendam veritatem Isa. 54. *Erunt omnes docibiles Dei*, & Matth. 16. *Caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater qui in cælis est.* Sed homines illuminare etiam Christo tribuitur, de Joan. 1. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, loquitur enim de Verbo caro facto, seu de persona Christi. & Matth. 11. *Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*, scilicet per internum lumen, per mentis illuminationem, quapropter Luc. 24. habetur *Aperuit illis mentem, ut intelligerent scripturas*, seu eos illuminavit, ut viderent verum scripturæ sensum. Decima tertia operatio est interna gubernatio spiritualis animorum, quapropter ait David Psal. 22. *Dominus regit me, nihil mihi deerit:* hæc eadem operatio etiam Christo tribuitur, cùm ipse dicat Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere*, & Matt. 18. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, & hoc est proprium regnum spirituale Christi, de quo ipse apud Joan. 19. ait: *Regnum meum non est de hoc mundo*, & cum interrogaretur à Pilato, *Num esses Rex, respondit, tu dicis, quia Rex sum ego.* Quarta decima est interna consolatio piorum in afflictionibus, angustiis, & tribulationibus 2. Corint. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra:* & Christus perinde nos consolatur Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et 2. ad Corinth. 1. *Per Christum abundat consolatio nostra* & ad Philip. 2. *Si qua ergo consolatio in Christo.* Quinta decima est institutio, & missio operariorum ad excolendam ecclesiæ vineam, ad colligendam messem bonorum operum Hier. 3. *Misi ad vos Prophetas.* 1. Corinth. 12. *Quosdam posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos.* Hæc eadem operatio etiam Christo tribuitur. Joan. 20. *Et ego mitto vos* Ad Ephes. *Et ipse quidem dedit quosdam Apostolos.* Sexta decima est Sacramentorum institutio: Deus enim circumcisionem in lege veteri instituit Genes. 17. Hoc est pactum meum. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum.* Et Christus etiam instituit sacramenta novi testamenti Matth. 28. Euntes docete omnes gentes: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæ mandavi vobis.* de sacramento confirmationis Act. 8. *Cùm audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm fuerunt in nomine Domini JEsu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* De Sacramento Eucharistiæ Matth. 26. *Accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit deditque discipulis dicens: Accipite, & comedite. Hoc est corpus meum.* Et ita de reliquis testamentis testatur scriptura eorum institutorem esse Christum. Decima septima est operatio efficax ex usu sacramentorum Deuter. 30. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum.* Et de Christo Joan. 1. *Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* Decima octava patratio miraculorum Psal. 71. *Deus facit mirabilia magna solus*, Psal. 85. *Facies mirabilia tu es*

Deus

Deus solus Psal. 135. *Qui facit mirabilia magna solus*; quod intelligitur propria authoritate: quia etiam Apostoli, Prophetæ, aliique viri pii miracula effecerunt, sed non authoritate propriâ, sed per invocationem Dei ut notat S. Hilarius. Atqui etiam Christus propriâ authoritate plura effecit miracula. Marci 4. dixit Mari: *Tace obmutesce*, & cap. 9. *Surde, & mute Spiritus; ego præcipio tibi exi ab eo*, & statim exivit. Joan. 5 *Quæcunque Pater facit, ea similiter, & Filius facit*, ibid. *Sicut Pater suscitat mortuos, ita & filius quos vult suscitat*, & quia proprio arbitratu, ideo propria virtute, principaliter & authoritativè mortuos suscitat, consequenter ut causa principalis, quo pacto jussit Lazarum exire è sepulchro, quamvis quatriduanum. Joan. 11. *Lazare veni foras*, eum propria authoritate suscitavit. Quinimò non solùm Christus per se, propriâ virtute, & authoritativè patravit miracula; sed etiam aliis potestatem, ac virtutem impertivit patrandi miracula, quæ in nomine ejus ab aliis patrata postea fuerunt Matth. 10. Marc. ult. Cùm igitur ex Scripturis constet operationes omnes proprias Dei, & quas ad extra efficit, fuisse itidem à Christo factas, nulli dubium, quia Christus sit verus Deus: hoc enim argumento ut efficacissimo utebatur ipse Christus inquiens Joan. 10. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia ego in Patre, & Pater in me est.* Pater est in Filio, & Filius in Patre, quia ambæ personæ sunt consubstantiales, ejus naturæ, essentiæ, substantiæ, & deitatis, & quia persona Christi est ipsum Verbum, quod carnem assumpsit, nulli dubium quin Christus sit verus Deus.

CAPUT X.

Asseritur Christi Divinitas ex eo quòd Scripturæ eum fateantur Filium DEI naturalem æterno Patri consubstantialem

Filiatio, à qua Filius suam sortitur nomenclationem, duplex est, adoptiva una, altera naturalis, utriusque meminit sacra Scriptura, adoptiva est per gratiam, & electionem alterius personæ distinctæ secundùm naturam, adeo ut adoptatus Filius sit distinctus à Patre adoptante, non solùm in persona, verùm etiam in natura, quæ sit alia numero ab illa adoptantis; de hisce filiis adoptivis loquitur Joannes 1. dicens: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, scilicet per gratiam sanctificantem, quæ est quædam participatio naturæ divinæ dans jus ad Christi hæreditatem. Filiatio naturalis, est secundùm naturam, ut Isaac fuit filius naturalis Abrahæ, & Jacob filius naturalis Isaaci; quia pater per communicationem propriæ substantiæ generat Filium naturalem in quo propterea dicitur Pater superstes vivere, & per hoc differt Filius naturalis ab adoptivo, quia adoptio est personæ extraneæ electio, & libera assumptio ad propriam hæreditatem adoptantis; & non est necesse, ut adoptatus sit genitus ex substantia adoptantis: Secus Filius naturalis exigit generari ex propria substantia Patris decisa in uterum genitricis. Christus autem non persona extranea, sed verus propriusque Dei Filius, natura, & æterna generatione, non voluntate, & electione, estque propterea persona Christi æterni Patris unigenitus Filius, seu secunda persona Sanctissimæ Trinitatis, consubstantialis Patri, seu ejusdem essentiæ, naturæ, substantiæ se Deitatis cum Patre, cujus propterea est verus Filius naturalis; ut asserunt Sacræ Scripturæ. Luc. 1. de Christo nato dicitur, *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur*, & nonnullis interjectis: *Ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius DEI.* Non dicit Angelus vocabitur Filius Dei adoptivus, sed absolutè Filius Dei, quia est ejusdem naturæ, ac substantiæ cum Patre, cujus est Verbum, seu sapientia ab æterno Patre genita; & in tempore in terris visa Joan. 1. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, quasi unigeniti à Patre*, non dicit Evangelista quasi duorum filiorum, quorum unus sit adoptivus, & alter naturalis; sed simpliciter quasi unigeniti à Patre: quia Verbum caro factum est Filius unigenitus æterni Patris, proinde Filius naturalis, non adoptivus. Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: Non extraneum, & adoptatum, sed Filium suum unigenitum: & hic Filius est Deus homo, seu Christus; qui pro salute hominum opprobria sustinuit, vulneratus est, passus, sanguinem fudit, seu pretium solvit nostræ Redemptionis divinæ justitiæ, ac mortem subivit, vitam nobis æternam impertiturus. Hinc Christus Salvator cùm cæco à nativitate obviâsset in templo, & ei visum restituisset, eum interrogavit, num crederet in Filium Dei. *Tu credis in Filium Dei?* & respondente illo. *Quis est, Domine ut credam in eum?* Tunc reposuit Christus: *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.* Tunc cæcus interrogatus respondit: *Credo Domine, & procidens adoravit eum.* Quinimo etiam Pater cœlestis testatus est esse Christum Filium suum naturalem Matth. 3. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Et Luc. 9. *Hic est Filius meus dilectus* quæ verba expendens Sanctus Leo Papa Homil. 94. de Transfiguratione Domini ait. *Hic est Filius meus, non adoptivus, sed naturalis, non aliunde creatus, sed ex me genitus, nec de aliena natura mihi factus comparabilis, sed de mea essentia mihi natus æqualis.* Hanc in Christo naturalem divinitatem, ac filiationem si vel ipsi à nativitate cæci viderunt, Sectarii tamen se oculatissimos jactantes minimè agnoverunt, & videre noluerunt, cùm tamen sacræ Scripturæ ubique deprædicent Christum verum Deum, ac Filium naturalem æterni Patris. Petrus interroganti Christo, quem se esse crederent homines, cum quibus comederet, ambularet, consuetudinem contraheret, & æterni Patris instinctu respondit: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Et D. Paulus scribens ad Rom. 8. proprium seu naturalem Dei Filium eum vocat & Evangelista Matthæus 16. ait: *Qui proprio filio suo*, seu naturali, *non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Et D. Paulus 1. ad Hebræ. eumdem Filium, quem Deus misit in mundum: *& per quem novissimè loquutus est, quem constituit hæredem universorum*, fatetur eundem esse: *Per quem fecit & sæcula*; & qui *splendor est gloriæ Patris, & figura substantiæ ejus.* Idque causæ cur S. Joannes ep. 1. cap. 5. eum vocet verum Filium Dei. *Et simus in vero Filio ejus; hic est verus Deus, & vita æterna.*

Quòd si sacras velimus percurrere Scripturas, plura fient statim obvia testimonia, quæ personam Christi Filium Dei naturalem esse fatentur. D. Paulus ad Hebræ. 1. Cui aliquando Angelorum dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, hoc est hodie in æternitate, quæ cùm careat initio, & fine, ac partibus, quæ sibi succedant, dicitur hodie, seu de præsenti, quia Pater in æternitate semper generat ad intra Filium

um. Et huic Filio suo minimè pepercit; sed pro salute hominum tradidit illum. Ad Rom. 8. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Hinc Deus Pater ostensurus nobis hunc, quem vocat Filium suum, cui non pepercit, esse verum Filium suum naturalem, & non adoptivum, eum dixit genitum ante Luciferum, seu ante omnem creaturam rationalem, quæ sola capax est adoptionis in Filium Dei Psal. 109. *Ex utero ante Luciferum genui te* seu ex memoria, ac mente mea fœcunda cognoscendo me ipsum ante Luciferum, seu ante omnem creaturam genui *Verbum* seu unigenitum Filium meum, quem tradidi pro salute hominum quando Joan. 1. *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Ad Hebræ. 1. *Qui cum sit splendor Patris, & figura substantiæ ejus.* Si est idem splendor Patris; si eadem substantia infinita consequens est, sit propriè Filius naturalis, quia hic distinguitur ab adoptivo, qui est persona extranea electa, & adoptata in filium. Persona autem Christi non est persona extranea, sed ejusdem substantiæ, naturæ, ac Deitatis cum Patre Joan. 1. *Misit Deus Filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Id est misit Filium suum naturalem, qui nos redimeret à peccato, & per gratiam sanctificantem fieremus filii DEI adoptivi. Joan. 1. *Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Esse in sinu patris perinde est, ac esse patri consubstantialem, consequenter filium naturalem, & ejusdem substantiæ cum Patre: hic igitur Filius naturalis enarravit, cùm caro factus nos edocuit viam salutis; ac explicuit mysteria regni cœlestis. Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis.* Vocat Christum unigenitum, seu Filium naturalem, quia si gloria Patris est eadem cum gloria unigeniti, etiam substantia utriusque personæ est eadem; quia Dei gloria non distinguitur ab ipso Deo; non enim extra Deum potest quidquam excogitari, à quo Deus suam hauriat gloriam. Hinc Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Hoc testimonio utuntur Sancti Patres ad comprobandam Christi divinitatem. Sanctus Athanasius serm. 3. contra Arianos, Cyrillus, Augustinus, Ambrosius. Quapropter Lucæ 1. dicitur de Christo, *Et vocabitur Altissimi Filius*, dicitur Filius absolutè quia verus, proprius, ac naturalis, & hoc testimonium confirmatur Matth. 3. ubi apparente in terris Spiritu Sancto in columbæ specie audita est vox Patris attestantis Christum esse Filium suum, in quo sibi bene complacuit, in ejus æterna generatione, qua cognoscendo se ipsum generat Verbum, quod carnem assumpsit Joan. 1. *Et Verbum caro factum est*, adeo ut Verbum æterni Patris sit persona Christi, & Filius Dei naturalis: quapropter Deus Pater Matth. 3. dicit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Idque confirmavit ipse Filius Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis; qui credit in illum, non pereat.*

Ex prærecensitis testimoniis sacræ Scripturæ clarè constat Christum esse Filium Dei naturalem, ac verum Deum consubstantialem Patri, & non Filium adoptivum, & per gratiam, ut sunt homines, & Angeli. Siquidem solus Christus dicitur Filius unigenitus, cùm plures alii per gratiam sint filii adoptivi. Si igitur Christus non per gratiam sed per generationem est Filius Dei ad Hebræ. 1. *Filius meus es Tu: ego hodie genui te*, liquet esse verum Filium naturalem, non per adoptionem, ut inferunt Sancti Patres, præsertim Athanasius serm. 3 contra Arianos; qui etiam probat Christi divinitatem orat. de dicto illo Deus, ex Deo, prope finem, ex eo quòd dicatur genitus *ante Luciferum* seu ab æterno ante omnes creaturas; & confutat Arianos explicantes illud ante Luciferum, quasi diceret ante lucem divinam, seu circa mediam noctem, quasi horis antelucanis eum genuerit: Si antequam esset tempus, Pater se ipsum intelligendo Verbum generavit ad intra, quod postea factum est caro Joan. 1. *Et Verbum caro factum est*, sequitur illud *ante Luciferum* non posse intelligi de horis antelucanis. Præterea ita Filius ab æterno ante Luciferum dicitur genitus, ut dicatur semper manere in sinu, seu substantia Patris ut notat S. Athanasius; quapropter nominatur *Filius Dei vivi & Altissimi* seu Filius naturalis: & cùm licèt tot sint Sancti, qui per gratiam sunt filii Dei adoptivi, nullus assignetur, qui dicatur Filius Dei vivi, & Altissimi, claret, Christum esse Filium Dei excellentiori modo, quàm unquam fuerit homo, vel Angelus, ut ex instituto probat D. Paulus in epistola ad Hebræos; proinde non esse Filium Dei adoptivum, sed naturalem, & verum Deum; quia per Christum, ut docet Apostolus ad Galat. 3. alii adoptionem obtinent Filiorum Dei, ac participant rationem filiationis, proinde debet Christus esse Filius Dei excellentiori modo, quàm sint filii adoptivi: quod evincit Sanctus Athanasius serm. 2. contra Arianos expendens illud Psalmi 44. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participatoribus tuis*: ait Athanasius alloquens Sectarios: *Videte Ariani, & saltem hinc cognoscite participatores Domini cæteros omnes Psalmistam appellasse. Si enim unus ex non entibus creatus esset, fuisset & ipse unus ex istis Participatoribus: sed cùm eum ut Deum æternum suo hymno celebravit Psalmista inquiens: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi &c. & reliqua omnia ex eo partem capere, declaraverit, quid aliud intelligendum quàm alium illum esse à rebus creatis?* Respondebant tamen Ariani teste Athanasio, & Eunomiani teste D. Basilio lib. 2. contra Eunom. *Christum dici unigenitum Dei Filium, eò quia ipse à sole Deo ingenito creatus est.* Quam sententiam renovârunt Servetus, & Ministri Transylvani asserentes Christum esse unigenitum, & naturalem Filium Dei, quia sine virili semine à solo Deo, & ex ipsius Dei substantia in utero Virginis conceptus est, ex quo inferebant Deum esse Patrem naturalem ipsius Christi, eò quia vices viri in ejus generatione suppleverit: & hunc esse verum sensum de Christi generatione ostendunt ex eo, quia Angelus annuntians Mariæ Mysterium Incarnationis dixerit Luc. 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi ideoque quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* Servetus vim facit in illo adverbio *ideoque*, quasi sit ratio, cur Christus Filius Dei vocetur. Huic objectioni, seu potius corruptæ intelligentiæ sacræ Scripturæ occurrit S. Basilius contra Eunomianos, eò quia Christus dicatur unigenitus non quasi à solo Deo genitus, sed quia solus genitus est, ideoque ex communi appellatione unigenitus dicitur: non enim sufficit, ut Christus dicatur unigenitus Filius, si sine divina opera genitus sit, sed requiritur, quòd solus sit à Patre æterno genitus ex propria substantia quoad personam, quia quoad naturam humanam Christi corpus efformatum fuit ope divini Spiritus ex purissimo sanguine Virginis in ejus utero. Non sufficere ad rationem unigeniti, ut à solo Patre sit genitus, probat D. Athanasius exemplo Adæ, qui à solo Deo productus fuerat, & tamen non dicitur Filius Dei unigenitus, quamobrem ratio unigeniti non est in eo posita, quòd is à solo Deo producatur, sed sita est in modo productionis, quo

Pater

Pater eandem essentiam, naturam, substantiam, & Deitatem communicet Filio unigenito naturali, & vivo exemplari Patris. Quòd verò respondeant Ministri Transylvani ex sententia Serveti Christum unigenitum Dei Filium naturalem dici, quia sit progenitus ex ipsa Dei substantia, facilè convincuntur falsitatis, quia esse Christum ex substantia Dei vel solùm importat esse productum ex virtute, & efficacia divinæ substantiæ, veluti causæ tantummodo efficientis, vel importat Christum constare etiam ex ipsa Dei substantia, adeo ut ex illius substantia, & deitate Christus constituatur. Neutrum potest ut verum defendi, non primum, quia hoc pacto Christus perinde diceretur Dei Filius, ac quælibet alia creatura, quæ virtute, & efficaciâ Dei ut causæ solummodo efficientis producitur, quo pacto productio, seu generatio Christi non distingueretur à productione Adæ, qui initio mundi conditi à sola virtute, & efficacia DEI productus fuit in paradiso terrestri: & sicut Adam à solo Deo conditus non dicitur unigenitus, & naturalis Dei Filius, ita neque Christus hac ratione dicendus esset unigenitus, & naturalis Dei Filius. Neque secundum est consonum veritati si intelligatur, ut volunt Ministri Transylvani, quòd Christus non ex alia constet natura, nisi ex ea, quam accepit ex Virgine, quia hoc pacto, ut intendebant Ariani, Christus esset pura creatura. Sin autem intelligatur Christum esse ex substantia Dei, & ex sua essentia, & natura, ac deitate constitui, & à Virgine nihil substantiæ accipere, id falsum itidem est, & hæreticum, quia Christus ita fuit verus Deus, ut etiam fuerit verus homo, quatenus Filius Dei unigenitus in utero Virginis ope Spiritûs Sancti induit naturam humanam, adeo ut Spiritus Sanctus ex purissimo Virginis Sanguine Corpus efformaverit, non tamen per se subsistens, sed per Verbum divinum tali corpori hypostaticè unitum Joan. 1. *Et Verbum caro factum est*, scilicet assumpsit nostram humanitatem, seu Corpus à Spiritu Sancto efformatum ex purissimo Virginis Sanguine, quæ humanitas licèt propriâ careret personalitate, subsistebat tamen subsistentia ipsius Verbi divini. Quòd si Ministri Transylvani concedunt Christum esse Filium Dei naturalem, eò quia sit ejusdem naturæ cum Deo Patre jam nobiscum conveniunt, quia Christi persona, cùm sit unigenitus Dei Filius, est Patri consubstantialis, sed ulterius necesse est, concedant, Christum etiam naturam humanam assumpsisse, ac esse verum Deum, & verum hominem. Neque rectè intelligunt verba Angeli Luc. 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, non enim his verbis significavit, ut putant Ministri Transylvani sine viri opera Virginem esse concepturam purum hominem, & quidem talem, quales solent virili opera concipi: sed sensus verborum est, ut Virgo esset conceptura talem hominem, qui simul esset, & ipse Dei Filius à Deo Patre genitus ab æterno, idque adstruit Angelus subjungens, *ideoque & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei*, hoc est quod nascetur ex te, & fuit in utero tuo conceptum, & efformatum à Spiritu Sancto absque ope virili, ac propterea Sanctum vocabitur Filius Dei, eò quia persona Verbi divini ei hypostaticè unita constituat hominem nasciturum verum Deum ratione personæ, & verum hominem ratione humanitatis assumptæ. Quærunt tamen Sectarii, num ipse Christus quia homo, & quà conceptus ex Virgine sit Filius Dei, & responsio fit statim obvia, quia ille homo Christus, qui conceptus est ex Virgine, qui natus, passus, crucifixus, & mortuus, est Filius Dei altissimi unigenitus, & naturalis, eò quia hic homo constat ex persona divina, & natura humana, sintque propterea in hoc homine duæ naturæ divina, & humana, & unica tantùm persona divina, qua humana natura subsistit, unde cùm hic homo sit Verbum divinum caro factum, dicitur esse Filius Dei altissimi unigenitus, & naturalis: & sicut ut persona Verbi non fuit hic homo passus, sed tantùm, ut homo habens naturam humanam, quæ tamen cùm subsistat per personam divinam, rectè hic homo passus, & crucifixus dicitur Filius Dei altissimi unigenitus, & naturalis, quia denominatio Filii non desumitur ex natura humana, sed ex ipsa hypostasi divina in natura humana, quam complet, & supposit. Neque obstat, si dicas Christum, ut hominem secundùm naturam humanam præditum etiam fuisse divina gratia, ratione cujus alii homines dicuntur Filii Dei adoptivi, ac proinde saltem ratione divinæ gratiæ, qua afficiebatur, fuisse Filium Dei adoptivum. Contra est, quia hic homo Christus, nec etiam ut præditus divinæ gratiæ dici potest Filius adoptivus, quia Filius per adoptionem debet esse extraneus per electionem, non generationem, proinde debet diversam naturam à Patre participare, quo pacto non dicitur Filius naturalis, sed tantùm adoptivus: at hic homo Christus est Dei Filius, non per electionem, sed per veram generationem ad intra, nec est persona extranea, sed Patri consubstantialis, cujus propterea eandem essentiam, naturam, substantiam, & deitatem possidet, ratione cujus dicitur Filius naturalis, hinc D. Ambrosius lib. de Sacrament. Domin. Incarnat. cap. 8. ait: *Adoptivum Filium non dicimus Filium esse natura*; quamobrem cùm Christus homo sit Filius Dei naturalis, non potest dici Filius adoptivus, quia denominatio Filii desumitur ab hypostasi, non à natura.

Ergo, quòd Christus sit Filius unigenitus Dei Patris naturalis, & non adoptivus, sequitur ipsum esse æqualem, & consubstantialem Patri, quapropter Apostolus ad Philipp. 2. ait: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens:* Ex quo loco Sancti Patres Christi divinitatem, & ejus æqualitatem cum Patre evincunt. Cùm dicatur ab Apostolo esse in forma Dei, seu præditus natura, & essentia Dei, ut explicant Sancti Patres præsertim Athanasius *serm. 4. contra Arianos.* S. Basilius *lib. 1. & 4. contra Eunomium.* S. Gregorius Nissenus *orat. 5. de Theolog.* Cyrillus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, & alii communiter, unde si Christus eandem continet naturam, & essentiam Dei Patris, sequitur esse Patri consubstantialem, & æqualem. Præterea quia Apostolus hanc æqualitatem asserit esse sine rapina, adeo ut Christus ultra propriam, sibique naturalem dignitatem non arrogaverit sibi quidquam extraneum, proinde non fuit arbitratus rapinam esse se æqualem Deo, quia hæc æqualitas erat sibi debita. Præterea Apostolus asserit Christum licèt æqualem Deo se ipsum exinanivisse, ac formam servi accepisse, ergo quia antea non erat servus naturâ, sed erat verus Deus, & non creatura, quia pura creatura est essentialiter serva, ut ostendit D. Basilius lib. 4. contra Eunomium. Respondent ministri Transylvani, per formam Dei, in qua dicit Apostolus Christum esse, non significari in eo loco Dei essentiam, sed imaginem, seu similitudinem quandam Dei visibilem, quæ erat ipsa Christi humanitas singularibus Dei donis affecta. Alii etiam cum Erasmo asserunt, per formam Dei esse intelligendam speciem externam operum divinorum, quæ Christus mirabiliter patrabat. Tum quia Christus quam-

um. Et huic Filio suo minimè pepercit; sed pro salute hominum tradidit illum. Ad Rom. 8. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Hinc Deus Pater ostensurus nobis hunc, quem vocat Filium suum, cui non pepercit, esse verum Filium suum naturalem, & non adoptivum, eum dixit genitum ante Luciferum, seu ante omnem creaturam rationalem, quæ fuit capax est adoptionis in Filium Dei Psal. 109. *Ex utero ante Luciferum genui te* seu ex memoria, ac mente mea fœcunda cognoscendo me ipsum ante Luciferum, seu ante omnem creaturam genui *Verbum* seu unigenitum Filium meum, quem tradidi pro salute hominum quando Joan. 1. *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Ad Hebræ. 1. *Qui cum sit splendor Patris, & figura substantiæ ejus.* Si est idem splendor Patris; si eadem substantia infinita consequens est, sit propriè Filius naturalis, quia hic distinguitur ab adoptivo, qui est persona extranea electa, & adoptata in filium. Persona autem Christi non est persona extranea, sed ejusdem substantiæ, naturæ, ac Deitatis cum Patre Joan. 1. *Misit Deus Filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Id est misit Filium suum naturalem, qui nos redimeret à peccato, & per gratiam sanctificantem fieremus filii DEI adoptivi. Joan. 1. *Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Esse in sinu patris perinde est, ac esse patri consubstantialem, consequenter filium naturalem, & ejusdem substantiæ cum Patre: hic igitur Filius naturalis enarravit, cùm caro facta nos edocuit viam salutis: ac explicuit mysteria regni cœlestis. Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis.* Vocat Christum unigenitum, seu Filium naturalem, quia si gloria Patris est eadem cum gloria unigeniti, etiam substantia utriusque personæ est eadem; quia Dei gloria non distinguitur ab ipso Deo; non enim extra Deum potest quidquam excogitari, à quo Deus suam hauriat gloriam. Hinc Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Hoc testimonio utuntur Sancti Patres ad comprobandam Christi divinitatem. Sanctus Athanasius serm. 3. contra Arianos, Cyrillus, Augustinus, Ambrosius. Quapropter Lucæ 1. dicitur de Christo, *Et vocabitur Altissimi Filius*, dicitur Filius absolutè quia verus, proprius, ac naturalis, & hoc testimonium confirmatur Matth. 3. ubi apparente in tertis Spiritu Sancto in columbæ specie audita est vox Patris attestantis Christum esse Filium suum, in quo sibi bene complacuit, in ejus æterna generatione, qua cognoscendo se ipsum generat Verbum, quod carnem assumpsit Joan. 1. *Et Verbum caro factum est*, adeo ut Verbum æterni Patris fit persona Christi, & Filius Dei naturalis: quapropter Deus Pater Matth. 3. dicit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Idque confirmavit ipse Filius Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum, non pereat.*

Ex prærecensitis testimoniis sacræ Scripturæ clarè constat Christum esse Filium Dei naturalem, ac verum Deum consubstantialem Patri, & non Filium adoptivum, & per gratiam, ut sunt homines, & Angeli. Siquidem solus Christus dicitur Filius unigenitus, cùm plures alii per gratiam sint filii adoptivi. Si igitur Christus non per gratiam sed per generationem est Filius Dei ad Hebræ. 1. *Filius meus es Tu: ego hodie genui te*, liquet esse verum Filium naturalem, non per adoptionem, ut inferunt Sancti Patres, præsertim Athanasius serm. 3 contra Arianos; qui etiam probat Christi divinitatem orat. de dicto illo Deus, ex Deo, prope finem, ex eo quòd dicatur genitus *ante Luciferum* seu ab æterno ante omnes creaturas; & confutat Arianos explicantes illud ante Luciferum, quasi diceret ante lucem divinam, seu circa mediam noctem, quasi horis antelucanis eum genuerit: Si antequam esset tempus, Pater se ipsum intelligendo Verbum genuavit ad intra, quod postea factum est caro Joan. 1. *Et Verbum caro factum est*, sequitur illud *ante Luciferum* non posse intelligi de horis antelucanis. Præterea ita Filius ab æterno ante Luciferum dicitur genitus, ut dicatur semper manere in sinu, seu substantia Patris ut notat S. Athanasius: quapropter nominatur *Filius Dei vivi & Altissimi* seu Filius naturalis: & cùm liceit tot sint Sancti, qui per gratiam sunt filii Dei adoptivi, nullus assignetur, qui dicatur Filius Dei vivi, & Altissimi, elatet, Christum esse Filium Dei excellentiori modo, quàm unquam fuerit homo, vel Angelus, ut ex instituto probat D. Paulus in epistola ad Hebræos; proinde non esse Filium Dei adoptivum, sed naturalem, & verum Deum; quia per Christum, ut docet Apostolus ad Galat. 3. alii adoptionem obtinent Filiorum Dei, ac participant rationem filiationis, proinde debet Christus esse Filius Dei excellentiori modo, quàm sint filii adoptivi: quod evincit Sanctus Athanasius serm. 2. contra Arianos expendens illud Psalmi 44. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participatoribus tuis*: ait Athanasius alloquens Sectatores: *Videte Ariani, & saltem hinc cognoscite participatores Domini cæteros omnes Psalmistam appellasse. Si enim unus ex non entibus creatus esset, fuisset & ipse unus ex istis Participatoribus: sed cùm eum ut Deum æternum suo hymno celebravit Psalmista inquiens: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi &c. & reliqua omnia ex eo partem capere, declaraverit, quid aliud intelligendum quàm alium illum esse à rebus creatis?* Respondebant tamen Ariani teste Athanasio, & Eunomiani teste D. Basilio lib. 2. contra Eunom. *Christum dici unigenitum Dei Filium, eò quia ipse à solo Deo ingenito creatus est.* Quam sententiam renovarunt Servetus, & Ministri Transylvani asserentes Christum esse unigenitum, & naturalem Filium Dei, quia sine virili semine à solo Deo, & ex ipsius Dei substantia in utero Virginis conceptus est, ex quo inferebant Deum esse Patrem naturalem ipsius Christi, eò quia vices viri in ejus generatione suppleverit; & hunc esse verum sensum de Christi generatione ostendunt ex eo, quia Angelus annuntians Mariæ Mysterium Incarnationis dixerit Luc. 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi ideoque quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* Servetus vim facit in illo adverbio *ideoque*, quasi sit ratio, cur Christus Filius Dei vocetur. Huic objectioni, seu potius corruptæ intelligentiæ sacræ Scripturæ occurrit S. Basilius contra Eunomianos, eò quia Christus dicatur unigenitus non quasi à solo Deo genitus, sed quia solus genitus est, ideoque ex communi appellatione unigenitus dicitur: non enim sufficit, ut Christus dicatur unigenitus Filius, si sine divina opera genitus sit; sed requiritur, quòd solus sit à Patre æterno genitus ex propria substantia quoad personam, quia quoad naturam humanam Christi corpus efformatum fuit ope divini Spiritus ex purissimo sanguine Virginis in ejus utero. Non sufficere ad rationem unigeniti, ut à solo Patre sit genitus, probat D. Athanasius exemplo Adæ, qui à solo Deo productus fuerat, & tamen non dicitur Filius Dei unigenitus, quamobrem ratio unigeniti non est in eo posita, quòd à solo Deo producatur, sed sita est in modo productionis, quo

Pater

Pater eandem essentiam, naturam, substantiam, & Deitatem communicet Filio unigenito naturali, & vivo exemplari Patris, Quòd verò respondeant Ministri Transylvani ea sententia Serveti Christum unigenitum Dei Filium naturalem dici, quia sit progenitus ex ipsa Dei substantia, facilè convincuntur falsitatis, quia esse Christum ex substantia Dei vel solùm importat esse productum ex virtute, & efficacia divinæ substantiæ, veluti causæ tantummodo efficientis, vel importat Christum constare etiam ex ipsa Dei substantia, adeo ut ex illius substantia, & deitate Christus constituatur. Neutrum potest ut verum defendi, non primum, quia hoc pacto Christus perinde diceretur Dei Filius, ac quælibet alia creatura, quæ virtute, & efficaciâ Dei ut causæ solummodo efficientis producitur, quo pacto productio, seu generatio Christi non distingueretur à productione Adæ, qui initio mundi conditi à sola virtute, & efficacia DEI productus fuit in paradiso terrestri; & sicut Adam à solo Deo conditus non dicitur unigenitus, & naturalis Dei Filius, ita neque Christus hac ratione dicendus esset unigenitus, & naturalis Dei Filius. Neque secundum est consonum veritati si intelligatur, ut volunt Ministri Transylvani, quòd Christus non ex alia constet natura, nisi ex ea, quam accepit ex Virgine, quia hoc pacto, ut intendebant Ariani, Christus esset pura creatura. Sin autem intelligatur Christum esse ex substantia Dei, & ex sua essentia, & natura, ac deitate constitui, & à Virgine nihil substantiæ accipere, id falsum itidem est, & hæreticum, quia Christus ita fuit verus Deus, ut etiam fuerit verus homo, quatenus Filius Dei unigenitus in utero Virginis ope Spiritûs Sancti induit naturam humanam, adeo ut Spiritus Sanctus ex purissimo Virginis Sanguine Corpus efformaverit, non tamen per se subsistens, sed per Verbum divinum tali corpori hypostaticè unitum Joan. 1. *Et Verbum caro factum est*, scilicèt assumpsit nostram humanitatem, seu Corpus à Spiritu Sancto efformatum ex purissimo Virginis Sanguine, quæ humanitas licèt propriâ careret personalitate, subsistebat tamen subsistentia ipsius Verbi divini, Quòd si Ministri Transylvani concedunt Christum esse Filium Dei naturalem, eò quia sit ejusdem naturæ cum Deo Patre jam nobiscum conveniunt, quia Christi persona, cùm sit unigenitus Dei Filius, est Patri consubstantialis, sed ulterius necesse est, concedant, Christum etiam naturam humanam assumpsisse, ac esse verum Deum, & verum hominem. Neque rectè intelligunt verba Angeli Luc. 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, non enim his verbis significavit, ut putant Ministri Transylvani sine viri opera Virginem esse concepturam purum hominem, & quidem talem, quales solent virili opera concipi: sed sensus verborum est, ut Virgo esset conceptura talem hominem, qui simul esset, & ipse Dei Filius à Deo Patre genitus ab æterno, idque adstruit Angelus subjungens, *ideoque & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei*, hoc est quod nascetur ex te, & fuit in utero tuo conceptum, & efformatum à Spiritu Sancto absque ope virili, ac propterea Sanctum vocabitur Filius Dei, eò quia persona Verbi divini ei hypostaticè unita constituat hominem nasciturum verum Deum ratione personæ, & verum hominem ratione humanitatis assumptæ. Quærunt tamen Sectarii, num ipse Christus quia homo, & quà conceptus ex Virgine sit Filius Dei, & responsio fit statim obvia, quia ille homo Christus, qui conceptus est ex Virgine, qui natus, passus, crucifixus, & mortuus, est Filius Dei altissimi unigenitus, & naturalis, eò quia hic homo constat ex persona divina, & natura humana, suntque propterea in hoc homine duæ naturæ divina, & humana, & unica tantùm persona divina, qua humana natura subsistit, unde cùm hic homo sit Verbum divinum caro factum, dicitur esse Filius Dei altissimi unigenitus, & naturalis: & sicut ut persona Verbi non fuit hic homo passus, sed tantùm, ut homo habens naturam humanam, quæ tamen cùm subsistat per personam divinam, rectè hic homo passus, & crucifixus dicitur Filius Dei altissimi unigenitus, & naturalis, quia denominatio Filii non desumitur ex natura humana, sed ex ipsa hypostasi divina in natura humana, quam complet, & supponitat. Neque obstat, si dicas Christum, ut hominem secundùm naturam humanam præditum etiam fuisse divina gratia, ratione cujus alii homines dicuntur Filii Dei adoptivi, ac proinde saltem ratione divinæ gratiæ, qua afficiebatur, fuisse Filium Dei adoptivum. Contra est, quia hic homo Christus, nec etiam ut præditus divinæ gratiæ dici potest Filius adoptivus, quia Filius per adoptionem debet esse extraneus per electionem, non generationem, proinde debet diversam naturam à Patre participare, quo pacto non dicitur Filius naturalis, sed tantùm adoptivus: at hic homo Christus est Dei Filius, non per electionem, sed per veram generationem ad intra, nec est persona extranea, sed Patri consubstantialis, cujus propterea eandem essentiam, naturam, substantiam, & deitatem possidet, ratione cujus dicitur Filius naturalis, hinc D. Ambrosius lib. de Sacrament. Domin. Incarnat. cap. 8. ait: *Adoptivum Filium non dicimus Filium esse natura*; quamobrem cùm Christus homo sit Filius Dei naturalis, non potest dici Filius adoptivus, quia denominatio Filii desumitur ab hypostasi, non à natura.

Ex eo, quòd Christus sit Filius unigenitus Dei Patris naturalis, & non adoptivus, sequitur ipsum esse æqualem, & consubstantialem Patri, quapropter Apostolus ad Philipp. 2. ait: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens:* Ex quo loco Sancti Patres Christi divinitatem, & ejus æqualitatem cum Patre evincunt. Cùm dicatur ab Apostolo esse in forma Dei, seu præditus natura, & essentia Dei, ut explicant Sancti Patres præsertim Athanasius *serm. 4. contra Arianos*, S. Basilius *lib. 1. & 4. contra Eunomium*. S. Gregorius Nissenus *orat. 5. de Theolog.* Cyrillus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, & alii communiter, unde si Christus eandem continet naturam, & essentiam Dei Patris, sequitur esse Patri consubstantialem, & æqualem. Præterea quia Apostolus hanc æqualitatem asserit esse sine rapina, adeo ut Christus ultra propriam, sibique naturalem dignitatem non arrogaverit sibi quidquam extraneum, proinde non fuit arbitratus rapinam esse se æqualem Deo, quia hæc æqualitas erat sibi debita. Præterea Apostolus asserit Christum licèt æqualem Deo se ipsum exinanivisse, ac formam servi accepisse, ergo quia antea non erat servus naturâ, sed erat verus Deus, & non creatura, quia pura creatura est essentialiter serva, ut ostendit D. Basilius lib. 4. contra Eunomium. Respondent ministri Transylvani, per formam Dei, in qua dicit Apostolus Christum esse, non significari in eo loco Dei essentiam, sed imaginem, seu similitudinem quandam Dei visibilem, quæ erat ipsa Christi humanitas singularibus Dei donis affecta. Alii etiam cum Erasmo asserunt, per formam Dei esse intelligendam speciem externam operum divinorum, quæ Christus mirabiliter patrabat. Tum quia Christus quamvis

um. Et huic Filio suo minimè pepercit; sed pro salute hominum tradidit illum. Ad Rom. 8. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Hinc Deus Pater ostensurus nobis hunc, quem vocat Filium suum, cui non pepercit, esse verum Filium suum naturalem, & non adoptivum, eum dixit genitum ante Luciferum, seu ante omnem creaturam rationalem, quæ sola capax est adoptionis in Filium Dei Psal. 109. *Ex utero ante Luciferum genui te* seu ex memoria, ac mente mea fœcunda cognoscendo me ipsum ante Luciferum, seu ante omnem creaturam genui *Verbum* seu unigenitum Filium meum, quem tradidi pro salute hominum quando Joan. 1. *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Ad Hebræ. 1. *Qui cum sit splendor Patris, & figura substantiæ ejus.* Si est idem splendor Patris; si eadem substantia infinita consequens est, si propriè Filius naturalis, quia hic distinguitur ab adoptivo, qui est persona extranea electa, & adoptata in filium. Persona autem Christi non est persona extranea, sed ejusdem substantiæ, naturæ, ac Deitatis cum Patre Joan. 1. *Misit Deus Filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Id est misit Filium suum naturalem, qui nos redimeret à peccato, & per gratiam sanctificantem fieremus filii DEI adoptivi. Joan. 1. *Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Esse in sinu patris perinde est, ac esse patri consubstantialem, consequenter filium naturalem, & ejusdem substantiæ cum Patre: hic igitur Filius naturalis enarravit, cùm caro factus nos edocuit viam salutis; ac explicuit mysteria regni cœlestis. Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis.* Vocat Christum unigenitum, seu Filium naturalem, quia si gloria Patris est eadem cum gloria unigeniti, etiam substantia utriusque personæ est eadem; quia Dei gloria non distinguitur ab ipso Deo; non enim extra Deum potest quidquam excogitari, à quo Deus suam hauriat gloriam. Hinc Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Hoc testimonio utuntur Sancti Patres ad comprobandam Christi divinitatem. Sanctus Athanasius serm. 3. contra Arianos, Cyrillus, Augustinus, Ambrosius. Quapropter Lucæ 1. dicitur de Christo, *Et vocabitur Altissimi Filius*, dicitur Filius absolutè quia verus, proprius, ac naturalis, & hoc testimonium confirmatur Matth. 3. ubi apparente in terris Spiritu Sancto in columbæ specie audita est vox Patris attestantis Christum esse Filium suum, in quo sibi bene complacuit, in ejus æterna generatione, qua cognoscendo se ipsum generat Verbum, quod carnem assumpsit Joan. 1. *Et Verbum caro factum est*, adeo ut Verbum æterni Patris sit persona Christi, & Filius Dei naturalis: quapropter Deus Pater Matth. 3. dicit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Idque confirmavit ipse Filius Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis; qui credit in illum, non pereat.*

Ex præcensitis testimoniis sacræ Scripturæ clarè constat Christum esse Filium Dei naturalem, ac verum Deum consubstantialem Patri, & non Filium adoptivum, & per gratiam, ut sunt homines, & Angeli. Siquidem solus Christus dicitur Filius unigenitus, cùm plures alii per gratiam sint filii adoptivi. Si igitur Christus non per gratiam sed per generationem est Filius Dei ad Hebræ. 1. *Filius meus es Tu: ego hodie genui te*, liquet esse verum Filium naturalem, non per adoptionem, ut inferunt Sancti Patres, præsertim Athanasius serm. 3 contra Arianos; qui etiam probat Christi divinitatem orat. de dicto illo Deus, ex Deo, prope finem, ex eo quòd dicatur genitus *ante Luciferum* seu ab æterno ante omnes creaturas; & confutat Arianos explicantes illud ante Luciferum, quasi diceret ante lucem divinam, seu circa mediam noctem, quasi horis antelucanis eum genuerit: Si antequam esset tempus, Pater se ipsum intelligendo Verbum generavit ad intra, quod postea factum est caro Joan. 1. *Et Verbum caro factum est*, sequitur illud *ante Luciferum* non posse intelligi de horis antelucanis. Præterea ita Filius ab æterno ante Luciferum dicitur genitus, ut dicatur semper manere in sinu, seu substantia Patris ut notat S. Athanasius: quapropter nominatur *Filius Dei vivi & Altissimi* seu Filius naturalis: & tùm licèt tot sint Sancti, qui per gratiam sunt filii Dei adoptivi, nullus assignetur, qui dicatur Filius Dei vivi, & Altissimi, claret, Christum esse Filium Dei excellentiori modo, quàm unquam fuerit homo, vel Angelus, ut ex instituto probat D. Paulus in epistola ad Hebræos; proinde non esse Filium Dei adoptivum, sed naturalem, & verum Deum; quia per Christum, ut docet Apostolus ad Galat. 3. alii adoptionem obtinent Filiorum Dei, ac participant rationem filiationis, proinde debet Christus esse Filius Dei excellentiori modo, quàm sint filii adoptivi: quod evincit Sanctus Athanasius serm. 2. contra Arianos expendens illud Psalmi 44. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participatoribus tuis*: ait Athanasius alloquens Sectarios; *Videte Ariani, & saltem hinc cognoscite participatores Domini cæteros omnes Psalmistam appellasse. Si enim unus ex non entibus creatus esset, fuisset & ipse unus ex istis Participatoribus: sed cùm eum ut Deum æternum suo hymno celebravit Psalmista inquiens: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi &c. & reliqua omnia ex eo partem capere, declaraverit, quid aliud intelligendum quàm alium illum esse à rebus creatis?* Respondebant tamen Ariani teste Athanasio, & Eunomiani teste D. Basilio lib. 2. contra Eunom. *Christum dici unigenitum Dei Filium, eò quia ipse à solo Deo ingenito creatus est.* Quam sententiam renovârunt Servetus, & Ministri Transylvani asserentes Christum esse unigenitum, & naturalem Filium Dei, quia sine virili semine à solo Deo, & ex ipsius Dei substantia in utero Virginis conceptus est, ex quo inferebant Deum esse Patrem naturalem ipsius Christi, eò quia vices viri in ejus generatione suppleverit: & hunc esse verum sensum de Christi generatione ostendunt ex eo, quia Angelus annuntians Mariæ Mysterium Incarnationis dixerit Luc. 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi ideoque quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* Servetus vim facit in illo adverbio *ideoque*, quasi sit ratio, cur Christus Filius Dei vocetur. Huic objectioni, seu potius corruptæ intelligentiæ sacræ Scripturæ occurrit S. Basilius contra Eunomianos, eò quia Christus dicatur unigenitus non quasi à solo Deo genitus, sed quia solus genitus est, ideoque ex communi appellatione unigenitus dicitur: non enim sufficit, ut Christus dicatur unigenitus Filius, si sine divina opera genitus sit, sed requiritur, quòd solus sit à Patre æterno genitus ex propria substantia quoad personam, quia quoad naturam humanam Christi corpus efformatum fuit ope divini Spiritus ex purissimo sanguine Virginis in ejus utero. Non sufficere ad rationem unigeniti, ut à solo Patre sit genitus, probat D. Athanasius exemplo Adæ, qui à solo Deo productus fuerat, & tamen non dicitur Filius Dei unigenitus, quamobrem ratio unigeniti non est in eo posita, quòd is à solo Deo producatur, sed sita est in modo productionis, quo

Pater

Pater eandem essentiam, naturam, substantiam, & Deitatem communicet Filio unigenito naturali, & vivo exemplari Patris. Quòd verò respondeant Ministri Transylvani ex sententia Serveti Christum unigenitum Dei Filium naturalem dici, quia sit progenitus ex ipsa Dei substantia, facilè convincuntur falsitatis, quia esse Christum ex substantia Dei vel solùm importat esse productum ex virtute, & efficacia divinæ substantiæ, veluti causæ tantummodo efficientis, vel importat Christum constare etiam ex ipsa Dei substantia, adeo ut ex illius substantia, & deitate Christus constituatur. Neutrum potest ut verum defendi, non primum, quia hoc pacto Christus perinde diceretur Dei Filius, ac quælibet alia creatura, quæ virtute, & efficaciâ Dei ut causæ solummodo efficientis producitur, quo pacto productio, seu generatio Christi non distingueretur à productione Adæ, qui initio mundi conditi à sola virtute, & efficacia DEI productus fuit in paradiso terrestri: & sicut Adam à solo Deo conditus non dicitur unigenitus, & naturalis Dei Filius, ita neque Christus hac ratione dicendus esset unigenitus, & naturalis Dei Filius. Neque secundum est consonum veritati si intelligatur, ut volunt Ministri Transylvani, quòd Christus non ex alia constet natura, nisi ex ea, quam accepit ex Virgine, quia hoc pacto, ut intendebant Ariani, Christus esset pura creatura. Si autem intelligatur Christum esse ex substantia Dei, & ex sua essentia, & natura, ac deitate constitui, & à Virgine nihil substantiæ accipere, id falsum itidem est, & hæreticum, quia Christus ita fuit verus Deus, ut etiam fuerit verus homo, quatenus Filius Dei unigenitus in utero Virginis ope Spiritûs Sancti induit naturam humanam, adeo ut Spiritus Sanctus ex purissimo Virginis Sanguine Corpus efformaverit, non tamen per se subsistens, sed per Verbum divinum tali corpori hypostaticè unitum Joan. 1. *Et Verbum caro factum est*, scilicèt assumpsit nostram humanitatem, seu Corpus à Spiritu Sancto efformatum ex purissimo Virginis Sanguine, quæ humanitas licèt propriâ careret personalitate, subsistebat tamen subsistentia ipsius Verbi divini. Quòd si Ministri Transylvani concedunt Christum esse Filium Dei naturalem, eò quia sit ejusdem naturæ cum Deo Patre jam nobiscum conveniunt, quia Christi persona, cùm sit unigenitus Dei Filius, est Patri consubstantialis, sed ulterius necessè est, concedant, Christum etiam naturam humanam assumpsisse, ac esse verum Deum, & verum hominem. Neque rectè intelligunt verba Angeli Luc. 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, non enim his verbis significavit, ut putant Ministri Transylvani sine viri opera Virginem esse concepturam purum hominem, & quidem talem, quales solent virili opera concipi: sed sensus verborum est, ut Virgo esset conceptura talem hominem, qui simul esset, & ipse Dei Filius à Deo Patre genitus ab æterno, idque adstruit Angelus subjungens, *ideoque & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei*, hoc est quod nascetur ex te, & fuit in utero tuo conceptum, & efformatum à Spiritu Sancto absque ope virili, ac propterea Sanctum vocabitur Filius Dei, eò quia persona Verbi divini ei hypostaticè unita constituat hominem nasciturum verum Deum ratione personæ, & verum hominem ratione humanitatis assumptæ. Quærunt tamen Sectarii, num ipse Christus quia homo, & quà conceptus ex Virgine sit Filius Dei, & responsio fit statim obvia, quia ille homo Christus, qui conceptus est ex Virgine, qui natus, passus, crucifixus, & mortuus, est Filius Dei altissimi unigenitus, & naturalis, eò quia hic homo constat ex persona divina, & natura humana, suntque propterea in hoc homine duæ naturæ divina, & humana, & unica tantùm persona divina, qua humana natura subsistit, unde cùm hic homo sit Verbum divinum caro factum, dicitur esse Filius Dei altissimi unigenitus, & naturalis: & sicut ut persona Verbi non fuit hic homo passus, sed tantùm, ut homo habens naturam humanam, quæ tamen cùm subsistat per personam divinam, rectè hic homo passus, & crucifixus dicitur Filius Dei altissimi unigenitus, & naturalis, quia denominatio Filii non desumitur ex natura humana, sed ex ipsa hypostasi divina in natura humana, quam complet, & supposital. Neque obstat, si dicas Christum, ut hominem secundùm naturam humanam præditum etiam fuisse divina gratia, ratione cujus alii homines dicuntur Filii Dei adoptivi, ac proinde saltem ratione divinæ gratiæ, qua afficiebatur, fuisse Filium Dei adoptivum. Contra est, quia hic homo Christus, nec etiam ut præditus divinæ gratiæ dici potest Filius adoptivus, quia Filius per adoptionem debet esse extraneus per electionem, non generationem, proinde debet diversam naturam a Patre participare, quo pacto non dicitur Filius naturalis, sed tantùm adoptivus: at hic homo Christus est Dei Filius, non per electionem, sed per veram generationem ad intra, nec est persona extranea, sed Patri consubstantialis, cujus propterea eandem essentiam, naturam, substantiam, & deitatem possidet, ratione cujus dicitur Filius naturalis, hinc D. Ambrosius lib. de Sacrament. Domin. Incarnat. cap. 8. ait: *Adoptivum Filium non dicimus Filium esse natura*; quamobrem cùm Christus homo sit Filius Dei naturalis, non potest dici Filius adoptivus, quia denominatio Filii desumitur ab hypostasi, non à natura.

Ex eo, quòd Christus sit Filius unigenitus Dei Patris naturalis, & non adoptivus, sequitur ipsum esse æqualem, & consubstantialem Patri, quapropter Apostolus ad Philipp. 2. ait: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*: Ex quo loco Sancti Patres Christi divinitatem, & ejus æqualitatem cum Patre evincunt. Cùm dicatur ab Apostolo esse in forma Dei, seu præditus natura, & essentia Dei, ut explicant Sancti Patres præsertim Athanasius *serm. 4. contra Arianos*, S. Basilius *lib. 1. & 4. contra Eunomium*, S. Gregorius Nissenus *orat. 5. de Theolog.* Cyrillus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, & alii communiter, unde si Christus eandem continet naturam, & essentiam Dei Patris, sequitur esse Patri consubstantialem, & æqualem. Præterea quia Apostolus hanc æqualitatem asserit esse sine rapina, adeo ut Christus ultra propriam, sibique naturalem dignitatem non arrogaverit sibi quidquam extraneum, proinde non fuit arbitratus rapinam esse se æqualem Deo, quia hæc æqualitas erat sibi debita. Præterea Apostolus asserit Christum licèt æqualem Deo se ipsum exinanivisse, ac formam servi accepisse, ergo quia antea non erat servus naturâ, sed erat verus Deus, & non creatura, quia pura creatura est essentialiter serva, ut ostendit D. Basilius lib. 4. contra Eunomium. Respondent ministri Transylvani, per formam Dei, in qua dicit Apostolus Christum esse, non significari in eo loco Dei essentiam, sed imaginem, seu similitudinem quandam Dei visibilem, quæ erat ipsa Christi humanitas singularibus Dei donis affecta. Alii etiam cum Erasmo asserunt, per formam Dei esse intelligendam speciem externam operum divinorum, quæ Christus mirabiliter patrabat. Tum quia Christus quamvis

um. Et huic Filio suo minimè pepercit; sed pro salute hominum tradidit illum. Ad Rom. 8. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Hinc Deus Pater ostensurus nobis hunc, quem vocat Filium suum, cui non pepercit, esse verum Filium suum naturalem, & non adoptivum, cum dixit genitum ante Luciferum, seu ante omnem creaturam rationalem, quæ sola capax est adoptionis in Filium Dei Psal. 109. *Ex utero ante Luciferum genui te* ieu ex memoria, ac mente mea fœcunda cognoscendo me ipsum ante Luciferum, seu ante omnem creaturam genui *Verbum* seu unigenitum Filium meum, quem tradidi pro salute hominum quando Joan. 1. *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Ad Hebræ. 1. *Qui cum sit splendor Patris, & figura substantiæ ejus.* Si est idem splendor Patris; si eadem substantia infinita consequens est, sit propriè Filius naturalis, quia hic distinguitur ab adoptivo, qui est persona extranea electa, & adoptata in filium. Persona autem Christi non est persona extranea, sed ejusdem substantiæ, naturæ, ac Deitatis cum Patre Joan. 1. *Misit Deus Filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Id est misit Filium suum naturalem, qui nos redimeret à peccato, & per gratiam sanctificationem fieremus filii DEI adoptivi. Joan. 1. *Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Esse in sinu patris perinde est, ac esse patri consubstantialem, consequenter filium naturalem, & ejusdem substantiæ cum Patre: hic igitur Filius naturalis enarravit, cùm caro factus nos edocuit viam salutis: ac explicuit mysteria regni cœlestis. Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis.* Vocat Christum unigenitum, seu Filium naturalem, quia si gloria Patris est eadem cum gloria unigeniti, etiam substantia utriusque personæ est eadem; quia Dei gloria non distinguitur ab ipso Deo; non enim extra Deum potest quidquam excogitari, à quo Deus suam hauriat gloriam. Hinc Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Hoc testimonio utuntur Sancti Patres ad comprobandam Christi divinitatem. Sanctus Athanasius serm. 3. contra Arianos, Cyrillus, Augustinus, Ambrosius. Quapropter Lucæ 1. dicitur de Christo, *Et vocabitur Altissimi Filius*, dicitur Filius absolutè quia verus, proprius, ac naturalis, & hoc testimonium confirmatur Matth. 3. ubi apparente in terris Spiritu Sancto in columbæ specie audita est vox Patris attestantis Christum esse Filium suum, in quo sibi bene complacuit, in ejus æterna generatione, qua cognoscendo se ipsum generat Verbum, quod carnem assumpsit Joan. 1. *Et Verbum caro factum est*, adeo ut Verbum æterni Patris sit persona Christi, & Filius Dei naturalis: quapropter Deus Pater Matth. 3. dicit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Idque confirmavit ipse Filius Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in illum, non pereat.*

Ex prærecensitis testimoniis sacræ Scripturæ clarè constat Christum esse Filium Dei naturalem, ac verum Deum consubstantialem Patri, & non Filium adoptivum, & per gratiam, ut sunt homines, & Angeli. Siquidem solus Christus dicitur Filius unigenitus, cùm plures alii per gratiam sint filii adoptivi. Si igitur Christus non per gratiam sed per generationem est Filius Dei ad Hebræ. 1. *Filius meus es Tu: ego hodie genui te*, liquet esse verum Filium naturalem, non per adoptionem, ut inferunt Sancti Patres, præsertim Athanasius serm. 3 contra Arianos; qui etiam probat Christi divinitatem orat. de dicto illo Deus, ex Deo, prope finem, ex eo quòd dicatur genitus *ante Luciferum* seu ab æterno ante omnes creaturas; & confutat Arianos explicantes illud ante Luciferum, quasi diceret ante lucem divinam, seu circa mediam noctem, quasi horis antelucanis eum genuerit: Si antequam esset tempus, Pater se ipsum intelligendo Verbum generavit ad intra, quod postea factum est caro Joan. 1. *Et Verbum caro factum est*, sequitur illud *ante Luciferum* non posse intelligi de horis antelucanis. Præterea ita Filius ab æterno ante Luciferum dicitur genitus, ut dicatur semper manere in sinu, seu substantia Patris ut notat S. Athanasius: quapropter nominatur *Filius Dei vivi & Altissimi* seu Filius naturalis: & cùm licèt tot sint Sancti, qui per gratiam sunt filii Dei adoptivi, nullus assignetur, qui dicatur Filius Dei vivi, & Altissimi, claret, Christum esse Filium Dei excellentiori modo, quàm unquam fuerit homo, vel Angelus, ut ex instituto probat D. Paulus in epistola ad Hebræos; proinde non esse Filium Dei adoptivum, sed naturalem, & verum Deum; quia per Christum, ut docet Apostolus ad Galat. 3. alii adoptionem obtinent Filiorum Dei, ac participant rationem filiationis, proinde debet Christus esse Filius Dei excellentiori modo, quàm sint filii adoptivi: quod evincit Sanctus Athanasius serm. 2. contra Arianos expendens illud Psalmi 44. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participatoribus tuis*: ait Athanasius alloquens Sectarios: *Videte Ariani, & saltem hinc cognoscite participatores Domini cæteros omnes Psalmistam appellasse. Si enim unus ex non entibus creatus esset, fuisset & ipse unus ex istis Participatoribus: sed cùm eum ut Deum æternum suo hymno celebraverit Psalmista inquiens: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi &c. & reliqua omnia ex eo partem capere, declaraverit, quid aliud intelligendum quàm alium illum esse à rebus creatis?* Respondebant tamen Ariani teste Athanasio, & Eunomiani teste D. Basilio lib. 2. contra Eunom. *Christum dici unigenitum Dei Filium, eò quia ipse à solo Deo ingenito creatus est.* Quam sententiam renovârunt Servetus, & Ministri Transylvani asserentes Christum esse unigenitum, & naturalem Filium Dei, quia sine virili semine à solo Deo, & ex ipsius Dei substantia in utero Virginis conceptus est, ex quo inferebant Deum esse Patrem naturalem ipsius Christi, eò quia vices viri in ejus generatione suppleverit: & hunc esse verum sensum de Christi generatione ostendunt ex eo, quia Angelus annuntians Mariæ Mysterium Incarnationis dixerit Luc. 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi ideoque quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* Servetus vim facit in illo adverbio *ideoque*, quasi sit ratio, cur Christus Filius Dei vocetur. Huic objectioni, seu potius corruptæ intelligentiæ sacræ Scripturæ occurrit S. Basilius contra Eunomianos, eò quia Christus dicatur unigenitus non quasi à solo Deo genitus, sed quia solus genitus est, ideoque ex communi appellatione unigenitus dicitur: non enim sufficit, ut Christus dicatur unigenitus Filius, si sine divina opera genitus sit, sed requiritur, quòd solus sit à Patre æterno genitus ex propria substantia quoad personam, quia quoad naturam humanam Christi corpus efformatum fuit ope divini Spiritus ex purissimo sanguine Virginis in ejus utero. Non sufficere ad rationem unigeniti, ut à solo Patre sit genitus, probat D. Athanasius exemplo Adæ, qui à solo Deo productus fuerat, & tamen non dicitur Filius Dei unigenitus, quamobrem ratio unigeniti non est in eo posita, quòd is à solo Deo producatur, sed sita est in modo productionis, quo

Pater

Pater eandem essentiam, naturam, substantiam, & Deitatem communicet Filio unigenito naturali, & vivo exemplari Patris, Quòd verò, respondeant Ministri Transylvani ex sententia Serveti Christum unigenitum Dei Filium naturalem dici, quia sit progenitus ex ipsa Dei substantia, facilè convincuntur falsitatis, quia esse Christum ex substantia Dei vel solùm importat esse productum ex virtute, & efficacia divinæ substantiæ, veluti causæ tantummodo efficientis, vel importat Christum constare etiam ex ipsa Dei substantia, adeo ut ex illius substantia, & deitate Christus constituatur. Neutrum potest ut verum defendi, non primum, quia hoc pacto Christus perinde diceretur Dei Filius, ac quælibet alia creatura, quæ virtute, & efficaciâ Dei ut causæ solummodo efficientis producitur, quo pacto productio, seu generatio Christi non distingueretur à productione Adæ, qui initio mundi conditi à sola virtute, & efficacia DEI productus fuit in paradiso terrestri: & sicut Adam à solo Deo conditus non dicitur unigenitus, & naturalis Dei Filius, ita neque Christus hac ratione dicendus esset unigenitus, & naturalis Dei Filius. Neque secundum est consonum veritati si intelligatur, ut volunt Ministri Transylvani, quòd Christus non ex alia constet natura, nisi ex ea, quam accepit ex Virgine, quia hoc pacto, ut intendebant Ariani, Christus esset pura creatura. Si autem intelligatur Christum esse ex substantia Dei, & ex sua essentia, & natura, ac deitate constitui, & à Virgine nihil substantiæ accipere, id falsum itidem est, & hæreticum, quia Christus ita fuit verus Deus, ut etiam fuerit verus homo, quatenus Filius Dei unigenitus in utero Virginis ope Spiritûs Sancti induit naturam humanam, adeo ut Spiritus Sanctus ex purissimo Virginis Sanguine Corpus efformaverit, non tamen per se subsistens, sed per Verbum divinum tali corpori hypostaticè unitum Joan. 1. *Et Verbum caro factum est*, scilicèt assumpsit nostram humanitatem, seu Corpus à Spiritu Sancto efformatum ex purissimo Virginis Sanguine, quæ humanitas licèt propriâ careret personalitate, subsistebat tamen subsistentia ipsius Verbi divini. Quòd si Ministri Transylvani concedunt Christum esse Filium Dei naturalem, eò quia sit ejusdem naturæ cum Deo Patre jam nobiscum convenitur, quia Christi persona, cùm sit unigenitus Dei Filius, est Patri consubstantialis, sed ulterius necesse est, concedant, Christum etiam naturam humanam assumpsisse, ac esse verum Deum, & verum hominem. Neque rectè intelligunt verba Angeli Luc. 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, non enim his verbis significavit, ut putant Ministri Transylvani sine viri opera Virginem esse concepturam purum hominem, & quidem talem, quales solent virili opera concipi: sed sensus verborum est, ut Virgo esset conceptura talem hominem, qui simul esset, & ipse Dei Filius à Deo Patre genitus ab æterno, idque adstruit Angelus subjungens, *ideoque & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei*, hoc est quod nascetur ex te, & fuit in utero tuo conceptum, & efformatum à Spiritu Sancto absque ope virili, ac propterea Sanctum vocabitur Filius Dei, eò quia persona Verbi divini ei hypostaticè unita constituat hominem nasciturum verum Deum ratione personæ, & verum hominem ratione humanitatis assumptæ. Quærunt tamen Sectarii, num ipse Christus quia homo, & qui conceptus ex Virgine sit Filius Dei, & responsio fit statim obvia, quia ille homo Christus, qui conceptus est ex Virgine, qui natus, passus, crucifixus, & mortuus, est Filius Dei altissimi unigenitus, & naturalis, eò quia hic homo constat ex persona divina, & natura humana, sintque propterea in hoc homine duæ naturæ divina, & humana, & unica tantùm persona divina, qua humana natura subsistit, unde cùm hic homo sit Verbum divinum caro factum, dicitur esse Filius Dei altissimi unigenitus, & naturalis: & sicut ut persona Verbi non fuit hic homo passus, sed tantùm, ut homo habens naturam humanam, quæ tamen cùm subsistat per personam divinam, rectè hic homo passus, & crucifixus dicitur Filius Dei altissimi unigenitus, & naturalis, quia denominatio Filii non desumitur ex natura humana, sed ex ipsa hypostasi divina in natura humana, quam complet, & supposidat. Neque obstat, si dicas Christum, ut hominem secundùm naturam humanam præditum etiam fuisse divina gratia, ratione cujus alii homines dicuntur Filii Dei adoptivi, ac proinde saltem ratione divinæ gratiæ, qua afficiebatur, fuisse Filium Dei adoptivum. Contra est, quia hic homo Christus, nec etiam ut præditus divinæ gratiæ dici potest Filius adoptivus, quia Filius per adoptionem debet esse extraneus per electionem, non generationem, proinde debet diversam naturam a Patre participare, quo pacto non dicitur Filius naturalis, sed tantùm adoptivus: at hic homo Christus est Dei Filius, non per electionem, sed per veram generationem ad intra, nec est persona extranea, sed Patri consubstantialis, cujus propterea eandem essentiam, naturam, substantiam, & deitatem possidet, ratione cujus dicitur Filius naturalis, hinc D. Ambrosius lib. de Sacrament. Domin. Incarnat. cap. 8. ait: *Adoptivum Filium non dicimus Filium esse natura*; quapropter cùm Christus homo sit Filius Dei naturalis, non potest dici Filius adoptivus, quia denominatio Filii desumitur ab hypostasi, non à natura.

Ex eo, quòd Christus sit Filius unigenitus Dei Patris naturalis, & non adoptivus, sequitur ipsum esse æqualem, & consubstantialem Patri, quapropter Apostolus ad Philipp. 2. ait: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*: Ex quo loco Sancti Patres Christi divinitatem, & ejus æqualitatem cum Patre evincunt, Cùm dicatur ab Apostolo esse in forma Dei, seu præditus natura, & essentia Dei, ut explicant Sancti Patres præsertim Athanasius *serm. 4. contra Arianos*. S. Basilius *lib. 1. & 4. contra Eunomium*. S. Gregorius Nissenus *orat. 5. de Theolog.* Cyrillus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, & alii communiter, unde si Christus eandem continet naturam, & essentiam Dei Patris, sequitur esse Patri consubstantialem, & æqualem. Præterea quia Apostolus hanc æqualitatem asserit esse sine rapina, adeo ut Christus ultra propriam, sibique naturalem dignitatem non arrogaverit sibi quidquam extraneum, proinde non fuit arbitratus rapinam esse se æqualem Deo, quia hæc æqualitas erat sibi debita. Præterea Apostolus asserit Christum licèt æqualem Deo se ipsum exinanivisse, ac formam servi accepisse, ergo quia antea non erat servus naturâ, sed erat verus Deus, & non creatura, quia pura creatura est essentialiter serva, ut ostendit D. Basilius lib. 4. contra Eunomium. Respondent ministri Transylvani, per formam Dei, in qua dicit Apostolus Christum esse, non significari in eo loco Dei essentiam, sed imaginem, seu similitudinem quandam Dei visibilem, quæ erat ipsa Christi humanitas singularibus Dei donis affecta. Alii etiam cum Erasmo asserunt, per formam Dei esse intelligendam speciem externam operum divinorum, quæ Christus mirabiliter patrabat. Tum quia Christus quam-

Pater eandem essentiam, naturam, substantiam, & Deitatem communicet Filio unigenito naturali, & vivo exemplari Patris. Quòd verò respondeant Ministri Transylvani ex sententia Serveti Christum unigenitum Dei Filium naturalem dici, quia sit progenitus ex ipsa Dei substantia, facilè convincuntur falsitatis, quia esse Christum ex substantia Dei vel solùm importat esse productum ex virtute, & efficacia divinæ substantiæ, veluti causæ tantummodo efficientis, vel importat Christum constare etiam ex ipsa Dei substantia, adeo ut ex illius substantia, & deitate Christus constituatur. Neutrum potest ut verum defendi, non primum, quia hoc pacto Christus perinde diceretur Dei Filius, ac quælibet alia creatura, quæ virtute, & efficaciâ Dei ut causæ solummodo efficientis producitur, quo pacto productio, seu generatio Christi non distingueretur à productione Adæ, qui initio mundi conditi à sola virtute, & efficacia DEI productus fuit in paradiso terrestri: & sicut Adam à solo Deo conditus non dicitur unigenitus, & naturalis Dei Filius, ita neque Christus hac ratione dicendus esset unigenitus, & naturalis Dei Filius. Neque secundum est consonum veritati si intelligatur, ut volunt Ministri Transylvani, quòd Christus non ex alia constet natura, nisi ea ea, quam accepit ex Virgine, quia hoc pacto, ut intendebant Ariani, Christus esset pura creatura. Sin autem intelligatur Christum esse ex substantia Dei, & ex sua essentia, & natura, ac deitate constitui, & à Virgine nihil substantiæ accipere, id falsum itidem est, & hæreticum, quia Christus ita fuit verus Deus, ut etiam fuerit verus homo, quatenus Filius Dei unigenitus in utero Virginis ope Spiritûs Sancti induit naturam humanam, adeo ut Spiritus Sanctus ex purissimo Virginis Sanguine Corpus efformaverit, non tamen per se subsistens, sed per Verbum divinum tali corpori hypostaticè unitum Joan. 1. *Et Verbum caro factum est*, scilicèt assumpsit nostram humanitatem, seu Corpus à Spiritu Sancto efformatum ex purissimo Virginis Sanguine, quæ humanitas licèt propriâ careret personalitate, subsistebat tamen subsistentia ipsius Verbi divini. Quòd si Ministri Transylvani concedunt Christum esse Filium Dei naturalem, eò quia sit ejusdem naturæ cum Deo Patre jam nobiscum conveniunt, quia Christi persona, cùm sit unigenitus Dei Filius, est Patri consubstantialis, sed ulterius necesse est, concedant, Christum etiam naturam humanam assumpsisse, ac esse verum Deum, & verum hominem. Neque rectè intelligunt verba Angeli Luc. 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, non enim his verbis significavit, ut putant Ministri Transylvani sine viri opera Virginem esse concepturam purum hominem, & quidem talem, quales solent virili opera concipi: sed sensus verborum est, ut Virgo esset conceptura talem hominem, qui simul esset, & ipse Dei Filius à Deo Patre genitus ab æterno, idque adstruit Angelus subjungens, *ideoque & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei*, hoc est quod nascetur ex te, & fuit in utero tuo conceptum, & efformatum à Spiritu Sancto absque ope virili, ac propterea Sanctum vocabitur Filius Dei, eò quia persona Verbi divini ei hypostaticè unita constituat hominem nasciturum verum Deum ratione personæ, & verum hominem ratione humanitatis assumptæ. Quærunt tamen Sectarii, num ipse Christus quia homo, & quà conceptus ex Virgine sit Filius Dei, & responsio fit statim obvia, quia ille homo Christus, qui conceptus est ex Virgine, qui natus, passus, crucifixus, & mortuus, est Filius Dei altissimi unigenitus, & naturalis, eò quia hic homo constat ex persona divina, & natura humana, sintque propterea in hoc homine duæ naturæ divina, & humana, & unica tantùm persona divina, qua humana natura subsistit, unde cùm hic homo sit Verbum divinum caro factum, dicitur esse Filius Dei altissimi unigenitus, & naturalis: & sicut ut persona Verbi non fuit hic homo passus, sed tantùm, ut homo habens naturam humanam, quæ tamen cùm subsistat per personam divinam, rectè hic homo passus, & crucifixus dicitur Filius Dei altissimi unigenitus, & naturalis, quia denominatio Filii non desumitur ex natura humana, sed ex ipsa hypostasi divina in natura humana, quam complet, & supposiat. Neque obstat, si dicas Christum, ut hominem secundùm naturam humanam præditum etiam fuisse divina gratia, ratione cujus alii homines dicuntur Filii Dei adoptivi, ac proinde saltem ratione divinæ gratiæ, qua afficiebatur, fuisse Filium Dei adoptivum. Contra est, quia hic homo Christus, nec etiam ut præditus divinæ gratiæ dici potest Filius adoptivus, quia Filius per adoptionem debet esse extraneus per electionem, non generationem, proinde debet diversam naturam à Patre participare, quo pacto non dicitur Filius naturalis, sed tantùm adoptivus: at hic homo Christus est Dei Filius, non per electionem, sed per veram generationem ad intra, nec est persona extranea, sed Patri consubstantialis, cujus propterea eandem essentiam, naturam, substantiam, & deitatem possidet, ratione cujus dicitur Filius naturalis, hinc D. Ambrosius lib. de Sacrament. Domin. Incarnat. cap. 8. ait: *Adoptivum Filium non dicimus Filium esse natura*; quamobrem cùm Christus homo sit Filius Dei naturalis, non potest dici Filius adoptivus, quia denominatio Filii desumitur ab hypostasi, non à natura.

Ex eo, quòd Christus sit Filius unigenitus Dei Patris naturalis, & non adoptivus, sequitur ipsum esse æqualem, & consubstantialem Patri, quapropter Apostolus ad Philipp. 2. ait: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*: Ex quo loco Sancti Patres Christi divinitatem, & ejus æqualitatem cum Patre evincunt. Cùm dicatur ab Apostolo esse in forma Dei, seu præditus natura, & essentia Dei, ut explicant Sancti Patres præsertim Athanasius *serm. 4. contra Arianos*, S. Basilius *lib. 1. & 4. contra Eunomium*. S. Gregorius Nissenus *orat. 5. de Theolog.* Cyrillus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, & alii communiter, unde si Christus eandem continet naturam, & essentiam Dei Patris, sequitur esse Patri consubstantialem, & æqualem. Præterea quia Apostolus hanc æqualitatem asserit esse sine rapina, adeo ut Christus ultra propriam, sibique naturalem dignitatem non arrogaverit sibi quidquam extraneum, proinde non fuit arbitratus rapinam esse se æqualem Deo, quia hæc æqualitas erat sibi debita. Præterea Apostolus asserit Christum licèt æqualem Deo se ipsum exinanivisse, ac formam servi accepisse, ergo quia antea non erat servus naturâ, sed erat verus Deus, & non creatura, quia pura creatura est essentialiter serva, ut ostendit D. Basilius lib. 4. contra Eunomium. Respondent ministri Transylvani, per formam Dei, in qua dicit Apostolus Christum esse, non significari in eo loco Dei essentiam, sed imaginem, seu similitudinem quandam Dei visibilem, quæ erat ipsa Christi humanitas singularibus Dei donis affecta. Alii etiam cum Erasmo asserunt, per formam Dei esse intelligendam speciem externam operum divinorum, quæ Christus mirabiliter patrabat. Tum quia Christus quam-

vis ob suæ naturæ præstantiam, & excellentiam esset imago quædam visibilis Dei, & etiam opera quædam divina efficeret, non tamen æqualitatem cum Deo sibi arrogavit, cùm potius se ipsum demiserit, & ea fecerit, quæ ad servum pertinent. Sed contra quia Christus in sententia Apostoli non arrogavit sibi æqualitatem cum Deo; sed tantùm non est arbitratus rapinam esse se æqualem Deo; quia hæc æqualitas ei erat essentialiter debita ob eamdem prorsus naturam, essentiam, substantiam, & deitatem; quod autem est alicui essentiale, id non putatur possideri ex rapina, quæ est violenta usurpatio boni alterius indebiti rapienti: unde Apostolus tantùm aperuit Christi naturam, qualis esset; & Christus sine ulla arrogantia potuit id fateri, & aliis significare; sicut sine arrogantia dicitur quisque veritatem aperire, & dicere, quis sit, & qualis ejus essentia & natura. Quòd verò per *formam Dei* ut loquitur Apostolus ad Philip. 2. intelligatur DEI essentia & natura non solam imaginem, vel speciem externam, docent communiter Sancti Patres præsertim Basilius lib. 1. & 4. contra Eunomium ubi ex instituto probat, formam Dei, in qua Filius esse dicitur, non esse aliquam figuram, aut imaginem, sed ipsam divinam essentiam. Idque ex eo evincitur, quia sicut in eadem Apostoli sententia per formam servi, quam Christus accepit, intelligitur vera, & realis natura hominis; & non imago, vel figura humana, nec opera tantùm naturæ humanæ exterius egisse: ita per formam debet intelligi essentia, natura, substantia Dei, & non solùm quædam imago, vel figura naturæ divinæ, aut solùm agere opera divina ut perperam interpretabantur sectarii. Non enim, si forma significat naturam, eò quia Christus dicatur homo, est ratio, cur in eadem sententia non debeat significare naturam divinam, si Christus ab Apostolo dicitur verus Deus, & verus homo: Hinc Christus sine omni suspicione arrogantiæ potuit se æqualem Patri existimare; quia cùm esset Christus natura divina præditus, adeò non putavit rapinam, se æqualem Deo esse, & fateri, quòd tametsi se exinaniret formam servi accipiens, adhuc æqualitatem suam cum Deo esset retenturus: sicut in scena quamvis equestris vir agat personam rustici, adhuc retinet nobilitatem natalium: neque arbitratur rapinam, si in illo habitu rusticali se nobilem dicat, quia nobilitas ei convenit independenter ab illo habitu rusticali.

Adhuc Ministri Transylvani respondent cum Serveto: Christum esse quidem æqualem Deo Patri, non tamen naturâ, sed quadam communicatione, adeò ut divinitas, & omnipotentia sit in Christo per communicationem, non per naturam, ut in Patre. Sed contra quia hæc responsio includit duo contradictoria se destruentia: Siquidem asserit Christum esse æqualem Deo Patri; & non esse illi æqualem: quia eo ipso quod per communicationem Christus possidet Deitatem, & omnipotentiam non est æqualis Patri, qui non per communicationem, sed per naturam habet Deitatem, & omnipotentiam: perfectius est habere deitatem, & omnipotentiam per naturam, quàm per communicationem, quia hic dependet à communicante, cui non potest esse æqualis: Unde Christus ea suppositione esset æqualis Deo Patri, & non esset illi æqualis, quod est luculenta contradictio. Etenim qui natura est Deus, procul dubio sua perfectione infinitè excellit illi, qui naturâ non est Deus. Præterea Deus non communicat, neque potest communicare suam omnipotentiam alteri, qui non est Deus suâ naturâ, quia omnipotentia est proprietas, quæ exigit radicari in natura ea se infinita, & quidquid est extra Deum, non est Deus, nec quid infinitum, sed pura creatura finita, & limitata, incapax omnipotentiæ, neque potest suam deitatem alteri à se communicari; unde ait Deus per suum Prophetam Isaiam; *Gloriam meam alteri non dabo.* Dices ergo ex hac responsione neque Christo potuit divinitas communicari, quia natura humana in Christo fuit finita. Sed contra quia tametsi natura humana in Christo finita fuerit, tamen per hypostasim divinam sibi unitam fuit simul prædita natura divina; cui conveniebat divinitas non per communicationem, sed naturâ, ut & omnipotentia; quamobrem rei secundùm naturam suam creatæ, nisi in eadem hypostasi sit simul natura divina; non potest eidem communicari divinitas; & quia Ariani, & Ministri Transylvani negabant in Christo hypostasim divinam; falsò asserebant fuisse divinitatem Christo communicatam, & per illam communicationem esse æqualem Patri.

Hæc eadem æqualitas clarè iisdem evincitur ex illo Joan. 5. *Quærebant eum Judæi interficere, quia non solùm solvebat sabbathum; sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* S. Athanasius censuit Joannem non tantùm ex sententia Judæorum, sed ex seipso addidisse verba illa; *Æqualem se faciens Deo*, quod si ita est Evangelista proprio ore fatetur Christum æqualem Deo, aliis non indigemus testibus pro hac veritate illustriùs demonstranda. D. Athanasio adhæsit S. Joannes Chrysostomus homil. 38. in Joan. ubi expendens verba Joannis ait; non dixit æqualem se dicens Deo: sed æqualem se faciens Deo: verba Chrysostomi sunt: *Non dixit dicens, sed faciens: non enim verbotenus; sed frequentiùs operibus se Deo æqualem ostenderat:* Non igitur ex sententia Judæorum Christus se faciebat Deum: Sed Judæi ex operibus hoc inferebant, quia ea operabatur, quæ solus DEUS poterat operari; & id Evangelista ex propria sententia narravit, ut causam indicaret, cur voluerint Judæi eum interficere, ita censet S. Hilarius lib. 7. de Trinit. ante medium. *Non nunc Judæorum sermo ab iis dictus refertur. Expositio hæc potiùs Evangelistæ est, causam demonstrantis, cur Dominum interficere Judæi vellent.* Quòd si velimus, Evangelistam narrâsse ex sententia Judæorum, quòd Christus æqualem se fecerit Deo; quia Christus non correxit eorum sententiam, id argumentum est Judæos veritatem dixisse, quia revera Christus erat verus Deus: Ait D. Chrysostomus homil. 38. in Joan. *Si enim aliter sensisset, sed Judæi sic perperam intellexissent, falsam correxisset opinionem; nec id Evangelista silentio prætermisisset. Ut cùm videret verba illa: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud; aliter à Christo dicta, hoc est de carne sua, aliter à Judæis intellecta, de suo videlicet templo, illorum corrigens suspicionem Evangelista subjunxit: Hæc autem dicebat de templo corporis sui:* Ergo cùm nec Christus, neque Evangelista correxerint sententiam Judæorum, eam existimârunt veram, quia Christus erat verus homo, sed etiam verus Deus, ob hypostasim Verbi divini suppositantis naturam humanam Christi. Silentium Christi suam confitebatur divinitatem; & si aliter res se habuisset, non tacuisset Evangelista: Sicut non tacuit, quando discipuli putârunt Christum dixisse Joannem non moriturum, eorum opinionem statim correxit dicens: *Non dixit Jesus: non moritur, sed sic eum volo manere:* Ergo quia Judæi rectè censuerunt de Christi divinitate, non fuerunt correcti ab Evangelista.

Aliud

Aliud testimonium petitur ex illo Joan. 17. ubi Christus ait: *Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt,* si quæ sunt æterni Patris, sunt etiam personæ Christi; sicut è converso omnia quæ sunt personæ Christi, sunt etiam Patris, quia propria Patris est divinæ essentia, natura, substantia, deitas, & omnia attributa, sequitur hæc omnia esse iisdem propria personæ Christi, ex quo sequitur, Christum esse verum Deum, ac esse æqualem Deo Patri: quia si omnia Patris sunt etiam Filii, nil potest assignari, in quo Pater antecellat Filio, sitque eo major. Neque obstat, quod respondent Ariani, Christum Joan. 17. non omnia omnino sibi arrogere, sed omnes duntaxat Apostolos suos esse dicere. Nam ut rectè notat S. Athanasius, Christus non dixit omnes mei tui sunt, sed in neutro *omnia tua mea sunt* significaturus omnia, quæ sunt Patris, ut essentia, natura, substantia, Deitas, attributa, & perfectiones omnes, quarum plenitudo est Pater, omnia hæc esse iisdem Filii, qui utpote consubstantialis Patri est illi omnino æqualis: quapropter Joan. 10. ait Christus: *Ego & Pater unum sumus*, dicit *unum* in neutro singulari, ait D. Augustinus tract. 36. in Joan. ut significet unitatem essentiæ, naturæ, substantiæ, deitatis, & omnium perfectionum, ex hoc testimonio ait Augustinus corruere hæresim Arii, & Sabellii, dicit *sumus* in plurali, ut distinctionem significet personarum, quam Sabellius negabat: & D. Athanasius serm. 4. contra Arianos utitur iisdem verbis Christi ad demonstrandam consubstantialitatem Patris & Filii. Christus mentiri nequit, quia est ipsa veritas: *Ego sum via, veritas, & vita:* unde si dicit: *Ego & Pater unum sumus*, necesse est, ut Pater, & Filius sint unum vel ratione essentiæ, vel ratione personæ; sed non ratione personæ, quia duæ enumerantur Pater, & Filius, & propterea in numero plurali Christus dicit *sumus:* ergo ratione essentiæ, naturæ, substantiæ, deitatis, quæ omnia sunt in Deo unum: proinde Pater & Filius quoad essentiam sunt quid unum, quia Filius est consubstantialis, & omnino æqualis Patri. Neque urget, quod respondent Ariani, & Ministri Transylvani Patrem & Filium non esse unum naturæ, sed concordia. Nam ut nun S. Athanasius serm. 4. contra Arianos inde sequeretur, quod Angeli, Beati, & viri sancti, qui per omnia concordant cum divina voluntate, essent perinde ac Filius unum cum æterno Patre; & tamen nullus Angelorum, vel hominum hactenus dixit: *Ego & Pater æternus unum sumus:* neque *ego in Patre, & Pater in me est*, sed ut loquitur Athanasius: *omnes dicunt: quis similis sibi in diis Domine, aut quis æquabitur Domino in filiis Dei?* Præterea S. Basilius lib. 1. contra Eunomium ex ipsa loci circumstantia manifestè probat, Christum fuisse loquutum de unitate secundùm potentiam & naturam, eo quia loquebatur de electis ad æternam gloriam, quos similes dicit ovibus: cùm enim dixisset de iis, qui crediderunt, *non rapiet quisquam eos de manu mea: ut nemo potest eos rapere de manu Patris mei*, postea quasi adsereos rationem, & censem, subjungit. *Ego & Pater unum sumus; planè unum pro æquali & eodem juxta potentiam accipiens.* Præterea cùm expressè Christus loquatur de ovibus suis, seu de electis quos nemo poterit eripere de manu sua, nec de manu Patris sui, necesse est, loquatur de unitate potentiæ, pro inde & de unitate essentiæ; cùm in Deo potentia non distinguatur ab essentia: alioquin si Christus fuisset loquutus de unitate concordiæ, non essentiæ, & potentiæ, non rectè intulisset, neminem posse eos rapere de manu sua, & de manu Patris sui: quia posset Christus quamvis voluntate concordans cum Patre, esse minus potens, adeò ut rapienti non posset resistere, ut liquet in famulo, qui licèt voluntate concordet cum hero, cujus nutui paret, est tamen hero inferior, ac minus potens. Ideo igitur oves, quæ non rapiuntur de manu Patris, nec rapiuntur de manu Filii, quia ut ait D. Augustinus tract. 48. in Joan. *Quia manus Patris, manus Filii est* seu potentia, & essentia Patris, potentia, & essentia Filii. Addit D. Augustinus adeò clarè fuisse Christum locutum, ut Judæi intellexerint eum fuisse loquutum de unitate non concordiæ, sed naturæ, essentiæ, substantiæ, deitatis, & potentiæ, & aliarum perfectionum; & cùm nec Christus, nec Evangelista eorum opinionem correxerint, sed silentio ratificarint ut veram: ideo Joan. 10. *Sustulerunt Judæi lapides, ut lapidarent eum*, quasi blasphemiam protulerit, unde nonnullis interjectis subdunt: *De bono opere non lapidamus, sed de blasphemia: quia tu homo cùm sis, facis te esse Deum.* Judæi verum sensum verborum Christi statim intellexerunt, nec potuerunt aliter intelligere ob claritatem, quâ fuit loquutus; & nihilominus Ariani, & ministri Transylvani malunt cæcutire, ne videant veritatem, nolunt intelligere, ut pertinaciùs in tenebris sui erroris jaceant, maneantque in umbra mortis, ut notavit etiam S. Augustinus loc. cit. inquiens: *Ecce Judæi intellexerunt; quod non intelligunt Ariani: ideo enim irati sunt, quoniam intellexerunt non posse dici: Ego & Pater unum sumus, nisi ubi æqualitas est Patris, & Filii.* S. Athanasius orat contra Arianos de dicto illo Deus ex Deo ait, Christum per illa verba Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus* se manifestâsse Judæis verum Deum: Quia dixit, *Filius Dei sum:* esse autem unum per concordiam non est perinde ac esse Filius illius; alioquin famulus concordans voluntate cum hero esset ejus filius. Exercitus concordans in castris cum supremo Præfecto seu Imperatore esset filius Imperatoris, quo nil ineptius potest excogitari: Non igitur per illa verba *Ego & Pater unum sumus*, Christus significavit unitatem concordiæ, sed essentiæ, naturæ, substantiæ, & deitatis, ac potentiæ; quia ibi affirmat, se facere opera Patris: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, operibus credite.* Quid clariùs ad evincendum, eandem potentiam Patris esse in Filio? quòd si una ac eadem potentia est in Patre, & Filio: ergo etiam una, ac eadem essentia, & natura, unà in Deo potentia non distinguatur ab essentia, & natura: hoc idem confirmat Christus cum Joan. 10. subjungit: *Operibus credite, ut cognoscatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Concordare autem cum alio non est esse in illo; quis dicat, subditos esse in principe, eo quia concordent cum voluntate Principis? Ergo satis constat, Christum fuisse loquutum de unitate essentiæ, & naturæ; non concordiæ. Neque obstat Christum dixisse Joan. 10. *Nonne scriptum est in lege vestra: Ego dixi, dii estis: si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura; quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi Filius Dei sum?* ex quibus Ariani intulerunt, Christum esse tantùm Filium Dei adoptivum, sicut sunt Sancti. Nam tantùm abest, ut Christus se fateatur Filium Dei adoptivum, ut potius argumento ducto à minori ad majus clarè, & efficaciter se probet Filium Dei naturalem, & æqualem Deo, etenim ita argumentatur: Si in lege vestra illi dicuntur dii, ad quos sermo vocalis, seu materialis factus: ille erit plusquam Filius adoptivus, seu erit filius naturalis, ad quem non

sermo materialis factus, sed ipsemet est ipsum Verbum formale Dei: sed talis est CHRISTUS: Siquidem Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & hoc Verbum, quod est Deus, ex eodem Joanne, est ipsa persona Christi, seu Verbum incarnatum; *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: ergo Christus est verus Deus naturalis æqualis Patri. Pulchrè hoc idem argumentum edisserit sanctus Augustinus tract. 48. in Joan. ubi ait: *Si sermo Dei factus est ad sanctos homines, ut dicerentur dii; ipsum Verbum Dei, quod est apud Deum, quomodo non est Deus? Si per sermonem Dei fiunt homines dii, si participando fiunt dii, unde participant, non est Deus? Si calefacti quodammodo igne salutari dii dicuntur & efficiuntur: unde calefaciunt, non est Deus? lumina illuminata dii sunt, lumen quod illuminat, non est Deus?* Christus igitur ostensurus se non per participationem, ut alios, sed per essentiam Deum esse, adeoque non protulisse blasphemiam, cùm se Dei Filium dixit: mox intulit argumentum à divinis operibus, quæ ipse faceret similiter ac Pater: ex eo igitur quòd alii secundùm scripturas vocentur Dei, eò quia sermo Dei factus ad ipsos fuerit; rectè Christus, & potiori jure se dixit filium Dei, non adoptivum, ut alii, ad quos fuit sermo Dei factus, sed naturalem, eò quia Verbum Dei non fuerit ipsi factum; sed fuerit ipse Verbum Dei non factum, sed genitum: huc accersendus S. Hilarius lib. 7. de Trinit. post medium inquiens: *Non impudenter usurpare videtur, quòd Dei Filium se dixerit, cùm præcellat cæteros, qui cognominare se Deos non religiosè possunt*. Adhuc instant Ministri Transylvani; quia Joan. 10. legimus de Christo, *quem Pater sanctificavit, & misit in mundum*, ex quo inferunt, personam Christi missam à Patre in mundum fuisse tantùm sanctam per gratiam, non per naturam. Sed contra, quia duplex est sanctificatio, una accidentalis, & adventitia, quam qui participant, fiunt filii Dei adoptivi: alia essentialis ex natura, & generatione, & hac sanctitate Deus Pater sanctificavit Filium, quem misit in mundum, quatenus eum generando ad intra communicavit illi eandem suam essentiam, naturam, sanctitatem, substantiam, & deitatem, & omnes perfectiones absolutas: & hic Filius ita à Patre sanctificatus, est filius ejus naturalis, consubstantialis, ac æqualis Patri. Datur etiam alia sanctitas sita in unione hypostatica naturæ divinæ, & humanæ & hæc sanctitas constituit verum Deum, & verum hominem; & de hac sanctitate loquens de Christo Apostolus ad Rom. 1. ait: *qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis*, & Apocal. 3. vocatur Sanctus Sanctorum.

Sed ad hæc adhuc non acquiescunt Ministri Transylvani; quia Joan. 10. Christus ait de suis discipulis, ac fidelibus, *ut sint unum, sicut & nos unum sumus*: sed discipuli, & fideles non possunt esse unum in essentia, & natura, quia sunt plura individua realiter distincta; unde rogat, ut sint unum concordia: ex quo inferunt, filium tantùm concordia esse unum cum Patre; non verò natura, essentia, & substantia; alioquin Christi assimilatio vim non haberet, & esset disparata. Contra tamen quia Christi similitudo non consistit in eò præcisè, quod sicut Pater & Filius sint unum in natura; sic & fideles sint unum concordia; sed similitudo in eo consistit, quod sicut Pater & Filius natura, & essentia unum, naturaliter, & essentialiter consentientes sunt per naturam: ita fideles per gratiam, & charitatem mutuam simul consentiant, ne sint inter ipsos dissidia, & jurgia: eleganter hoc edisserit S. Athanasius serm. 4. contra Arianos ante medium, cujus verba placet hic attexere: ait ipse: *Mos est Scripturæ divinæ, res naturales hominibus in similitudinem, & exemplum proponere. Id autem facit, ut ex illis naturalibus motus, ac mores hominum, seu mali, seu boni, qui ultro voluntate suscipiuntur, magis appareant. In malis quidem moribus, ut cum dicit, Psal. 31. Ne sitis sicut equus, & mulus. In bonis cum dicit Matth. 10. Sitis prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Quæ quidem verba ideo loquutus est, non ut & nos naturaliter fieremus serpentes, & columbæ: sed ut jumentorum impetus, atque motus irrationales effugeremus, serpentisque prudentiam, & ex columba mansuetudinem mutuaremur. Ex rebus etiam divinis similitudinem hominibus decerpens Salvator ait Matth. 7. Sitis misericordes, ut Pater vester cœlestis misericors est, & Matth. 5. Perfecti estote, ut Pater vester cœlestis perfectus est. Non ut essemus tale aliquid, quale Pater est: quod fieri nequit, cùm creaturæ simus. Sic igitur non ut nos essemus, qualis est ipse, dictum est à Christo. Ut sint unum, quemadmodum & nos sumus: sed pro nostra natura, quatenus fieri potest, ut inde formulam, & similitudinem mutuemur. Ille quidem natura, & ex vero unum est cum suo Patre. Nos autem unum inter nos affectu, & animo efficimur, habentes pro Archetypo exemplari naturalem unitatem Filii cum Patre.* Hactenus Athanasius: Insigne est etiam illud Joan. 5. ad evincendam Filii æqualitatem cum Patre. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.* Evincit Joannes his verbis tres personas divinas esse, unum in essentia, natura, substantia, & deitate; sicut Joan. 10. Filius asserit, esse unum cum Patre: *Ego & Pater unum sumus*, scilicet ejusdem essentiæ, naturæ, substantiæ, ac deitatis, quæ omnia in Deo sunt, quid unum; ad evincendam igitur Christi divinitatem vocantur in testes omnes tres personæ divinæ; *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* Si quæras, quid testificentur, certè ipsam consubstantialitatem Filii, & Spiritus Sancti cum Patre; cum subjungat: *& hi tres unum sunt*: ergo Filius qui est persona Christi, est Patri consubstantialis, proinde Christus est æqualis Deo, & est ipse Deus. Tum quia tres personæ divinæ testificantur Christi divinitatem & æqualitatem cum Deo in Baptismo, & transfiguratione. Præterea scribit S. Hieronymus lib. 2. de Fabul. hæretic. D. Joannem compulsum fuisse suum scribere Evangelium pro asserenda Christi divinitate ab Ebionitas negantes Filium esse ejusdem essentiæ, ac naturæ cum Patre: hæcque causa, cur suum exorsum sit Evangelium à Christi seu Verbi divinitate Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* Et post aliqua interjecta expressè ait hoc verbum Deum factum fuisse carnem, seu illum hominem, qui dicitur Christus, qui propterea est verus Deus ratione verbi, seu personæ Filii unigeniti æterni Patris, & naturæ divinæ; & est verus homo ratione naturæ humanæ assumptæ: hoc idem confirmat Joan. 20. inquiens: *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quòd JESUS est Filius Dei, & ut credentes vitam æternam habeant in nomine ipsius. Hoc enim Capitulum* ait D. Augustinus tract. 122. in Joan. *velut libri hujus indicat finem.* Fuit enim scopus Joannis in scribendo suum Evangelium ostendere Christi divinitatem, quam Ebionitæ iverunt inficias, quam redarguit erroris Christus ipse Joan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum*, quia Patris, & Filii una ac eadem est natura, essentia, substantia, & dei-

tas,

tus, ut asserit S. Athanasius orat. in illud, Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Hinc Concilium Nicænum contra Arianos conclusit Filium esse homousion Patri, seu ei consubstantialem. Refert D. Ambrosius lib. 3. de Fide cap. 7. occasionem usurpandi hoc vocabulum homousion Patribus Concilii Nicæni dedisse Eusebium Nicomediensem Arianum, qui in quadam Epistola scripserat: *Si verum Dei Filium, & increatum dicimus, homousion cum Patre incipimus confiteri* & cum hæc epistola lecta in illa Synodo Nicæna, Patres eadem usi sunt: *Quia* ut loquitur Ambrosius, *viderunt adversariis esse formidini, ut tanquam evaginato ab ipsis gladio ipsorum nefanda caput hæresis amputarent.* Si dicas hanc vocem homousion in Synodo Antiochena contra Paulum Samosatenum ante hæresim Arianam rejectam fuisse. Respondet D. Athanasius loc. cit. fuisse tunc vocem homousion rejectam in alio sensu: quia Paulus Samosatenus Filium confitebatur quidem homousion Patri, seu ejusdem substantiæ cum Patre secundùm speciem, non secundùm numerum, quasi divina substantia in duas posset dividi partes, quarum una non est alia, perinde ac ex massa farinæ fiunt plures panes numero distincti, non speciè, cùm sint omnes ex eadem farinæ massa; & in hoc sensu rectè fuit vox homousion rejecta à Synodo Antiochena. In Synodo vero Nicæna vox homousion fuit usurpata in hoc sensu, ut significaret filium esse ejusdem substantiæ cum Patre non specie, sed numero, unde D. Hillarius lib. de Synod. sub fin. ait: *Male homo Husion Samosatenus confessus est: sed nunquid meliùs Ariani negaverunt? Octuaginta Episcopi olenim respuerunt, sed trecenti decem, & octo nuper receperunt.* Illi igitur octuaginta Episcopi Antiochenæ Synodi rejecerunt vocem Homousion in sensu Samosateni intelligentis Filium esse quidem ejusdem substantiæ, specificè tamen, non numericè cum Patre, quod cùm visum fuerit Patribus illis octuaginta delyrium, in hoc sensu vocem illam rejecerunt: quam in alio sensu Patres Nicænæ Synodi receperunt, quatenus per illam vocem Filius significatur esse ejusdem numerò substantiæ cum Patre.

Oritur tamen difficultas, quomodo Filius cùm sit ejusdem substantiæ, seu essentiæ, naturæ, & Deitatis cum Patre, dicatur se exinanivisse, ac formam servi accepisse, cùm enim Deus nullum habeat superiorem & servus dicat relationem ad Dominum, ut superiorem non videtur, quomodo Christus dici possit formam servi accepisse dicente Apostolo ad Philip. 2. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Respondetur eorum, quæ de Christo in sacra scriptura prædicantur quædam dici de ipso, ut est Deus, & alia ut est homo; est enim Christus persona una tantùm divina, complectens tamen duas naturas, divinam, & humanam, subsistentem non per propriam, sed per subsistentiam divinam, adeo ut in Christo sint duæ naturæ, & unica tantùm persona: hinc cùm Christus dicitur omnipotens æternus, immensus, hæc prædicata illi conveniunt, ut est Deus, quia à natura divina eadem habet: secus cùm Christus dicitur passus, mortuus, & suscitatus, hæc prædicata ei conveniunt tantùm ut est homo, quia ea habet à natura humana: sunt etiam alia prædicata, quæ Christo conveniunt, ut complectitur utramque naturam divinam, & humanam simul, tale est prædicatum Domini nostri, quia sicut Christus, ut Deus est Dominus, quatenus cuilibet creaturæ impertitus est, quidquid boni continet, ita etiam ut talis homo, subsistens subsistentia divina, & noster Redemptor, quia morte sua nos vivificavit, & pretium sui sanguinis solvit, ut nos à famulitio Dæmonis & à servitute peccati redimeret. Hinc Apostolus ad Philip. 11. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris:* Unde JESUS Christus ut includens utramque naturam divinam, & humanam ab Apostolo vocatur Dominus: & ut sibi datam esse omnem potestatem in cœlo, & in terra fatetur ipsemet Christus post resurrectionem de se ipso dicens: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra:* quinimò tametsi mortem pro nobis non subivisset, adhuc Dominus omnium diceretur ob unitatem personæ complectentis duas naturas divinam, & humanam, unde tenemur credere *in Jesum Christum Dominum nostrum:* est enim noster Dominus, quia solvit pretium sui sanguinis, ut nos redimaret à famulitio Diaboli: & licèt Dominus dicat correlationem ad servos quos habet sub sua potestate, & dominatu, non tamen nos vocat servos sed amicos, & fratres, quæ tamen vocabula non sunt æqualitatis, sed charitatis, non cognationis, sed submissionis. Cùm ergo utramque Christus naturam divinam, & humanam comprehendat, si secundùm naturam divinam dicitur Deus æternus, immensus, omnipotens: secundùm humanam assumptam à Verbo dicitur servus, eò quia natura humana per se serva est, cui convenit subjectio, & servitus, eò quia creata sit à Deo, in quo sensu Christus apud Isaiam se fatetur secundùm naturam humanam natum servum Isaiæ 49. *Et nunc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi.* Non tamen hæc servitus est genere conditionis, quatenus genus servitutis originem trahit ex peccato, estque ejus pœna, sed est servitus orta ex charitate, quatenus liberè, & ex puro amore in hominem voluit unigenitus æterni Patris naturam humanam assumere, & formam servi induere, ut ait Apostolus ad Philip. 2. Duplex enim est genus servitutis, unum ex conditione propria, aliud ex charitate, & libertate, primum genus, quia originem trahit ex peccato, dignitati Filii Dei repugnat, quia hoc genere servus non habet jus ad hæreditatem Domini, nec eadem conditione cum eo, cui subjicitur, censetur: unde Apostolus indicans discrimen inter Angelos, & Christum ait, illos esse servos, & Ministros Dei, Christum verò Dei Filium ad Hebræos 1. *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te: & ad Angelos quidem dicit, qui facit Angelos suos spiritus, & ministros flammam ignis:* & iterum conferens Christum cum Moyse Filium dicit longè præstantiorem esse; quòd ex eo evincit, eò quia Moyses famulus sit. & Christus Filius ad Hebræ. 3. *Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus in testimonium eorum quæ dicenda erant: Christus verò tanquam Filius in domo sua.* Cùm igitur Apostolus ait Christum assumpsisse formam servi, id intelligitur ratione naturæ humanæ, & de servitute, quæ non sit servitus servili conditione suam trahente originem ex peccato, quia hæc servitus Christo etiam ratione naturæ humanæ repugnat. Hinc D. Augustinus tract. 3. in Joan. expendens illa verba: *Lex per Moysem data est, & gratia, ac veritas per Jesum Christum facta est.* ait ipse: *Per servum lex data est, reos facit: per Imperatorem indulgentia data est, reos liberavit.*

beravit. Lex per Moysem data est: non sibi aliquid amplius servus assignet, quàm quod per illum factum est. Electus ad magnum ministerium tanquam fidelis in domo, sed tamen servus, agere secundùm legem potest, solvere à reatu legis non potest. Augustino adhærens S. Leo Papa sermon. 11. de nativit. Domini cap. 3. ait: *Assumpta est de Matre Domini natura, non culpa, creata est forma servi sine conditione servili: quia novus homo sic contemperatus est veteri, ut & veritatem susciperet generis, & vitium excluderet vetustatis.* Quamobrem Christus Dominus tametsi formam servi induerit, non tamen servus fuit conditione servili, sed virtute charitatis, adeo ut in forma servi fuerit Dominus, quia Christus non necessitate, sed voluntate, & charitate formam servilem induit, quia in Christo, quidquid gestum est, totum fuit voluntatis, & nihil necessitatis, siquidem teste Apostolo factus est obediens usque ad mortem, voluntaria tamen humilitate, non servili necessitate, unde Isaias loquens de morte Christi ait: *Oblatus est, quia ipse voluit*, & licèt scriptum esset in capite libri, ut Dei voluntatem faceret, ipse tamen ex charitate paratissimus dixit, *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Nec Pater ex alio impulsu quàm puri amoris Filium misit in mundum. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, & Filius nulla necessitate coactus, sed sola libertate, & charitate sponte sua exinanivit se ipsum, factus obediens usque ad mortem. Quamobrem hæc forma servi non fuit ex necessitate, nec ex conditione servili, sed ex voluntate, & charitate, neque enim potest Christus dici servus conditione servili, cùm ipse nos à servitute redemerit, idque causæ, cur nullus Evangelistarum, imò neque Apostolorum Christum vocet servum, sed Dominum, & Salvatorem: sic Thomas palpans vulnerum cicatrices dixit, *Dominus meus, & Deus meus*, & D. Petrus *Domine tu mihi lavas pedes*, & reliqui Apostoli *Domine adauge nobis fidem.* D. Paulus etiam semper Dominum JESUM, & Dominum nostrum vocat.

Hinc scripturæ Christum Dominum fatentur dignum cultu divino, eò quia verus sit Deus, perinde ac Pater Joan. 5. habetur, *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*, hinc Athanasius lib. de communi essentia divinitat. ait: *Non permisit Christus dividere honorem sibi debitum ab honore, qui debetur Patri.* Quòd si idem cultus, & honor, qui Patri æterno debetur, idem etiam debetur Filio, sequitur Filium esse Patri qualem ac illi consubstantialem; quia si Christus eadem gloria, majestate, ac dignitate Deitatis est præditus, sicut Pater, ac idem propterea cultus est debitus Filio, quo prosequimur Patrem, sequitur non esse Filium majestate, & divinitate distinctum à Patre, sed tantùm ratione filiationis, seu relativè, proinde Filius æquè est DEUS sicut Pater: D. Athanasius id evincit ex duobus scripturæ locis inter se collatis, quorum primus habetur Matth. 16. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui*, & alter Matth. 25. *Cùm autem venerit Filius hominis in majestate sua*, ubi Christo tribuitur eadem gloria, ac majestas Patris, proinde idem cultus, & eadem Deitas. Hinc quæ Patri tribuuntur in ordine ad cultum, & alia attributa, eadem etiam Filio, in quem credimus, & speramus, quem super omnia diligimus, cui obedimus ob æternam mercedem, cujus iram timemus, eique ut beneficiorum authorem gratias agimus: eum adoramus, ei ut Domino servimus, hæc enim, & alia hujusmodi soli Deo convenire perspicuum est: quòd etiam conveniant Filio, & Christo Domino nostro, liquet ex scripturis Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in illum non pereat.* Et de fide Joan. 14. ait Christus *Creditis in Deum, & in me credite*, quo loco suam ostendisse divinitatem probat D. Augustinus Tract. 67. in Joan. ubi ait: *Consequens est enim, ut si in Deum creditis, in me credere debeatis, quod non esset consequens, si Christus non esset Deus*, si enim ex eo, quòd credimus in Deum, tenemur & in Christum credere, sequitur Christum esse Deum, in quem tenemur credere. Quòd teneamur etiam sperare in Christum liquet ex Isaia 11. *Erit radix Jesse & qui exurget regere gentes in eum gentes sperabunt*, & David Psal. 2. Vocat Beatos sperantes in Christo, *Beati omnes, qui confidunt in eo.* Quòd etiam teneamur amare Christum supra omnes creaturas, liquet ex illo Matth. 10. *Qui amat Patrem, & Matrem adhuc autem & animam suam plus quàm me, non est me dignus.* Si enim tenemur amare Christum plusquàm Patrem, Matrem, & animam propriam, tenemur illum diligere supra omnes creaturas proinde ut Deum, qui solus est, supra omnes creaturas. Tenemur itidem Christo obedire Matth. 7. *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabitur viro sapienti.* Quòd debeamus etiam timere ejus iram, nos monet Apostolus. 1. Corinth. 10. *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt*, hinc idem Apostolus ad Gallat. 6. ait: *Absit mihi gloriari nisi in Christo*, & ad Philip. 3. *Gloriamur in Christo Jesu non in carne fiduciam habentes*, quòd etiam debeamus gratias agere Christo pro beneficiis nobis impertitis, liquet ex eodem Apostolo. 1. ad Timoth. 1. *Gratias ago ei, qui me confortavit Christo*, & Apoc. 11. *Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es*, loquitur enim Joannes de Christo venturo ad judicandum vivos, & mortuos. Esse itidem Christum adorandum patet ex illo Matth. 2. *Procidentes adoraverunt eum*, & ex illo Apostoli, *Adorent eum omnes Angeli ejus.* Christo itidem servimus tanquam famuli Domino, tanquam creaturæ Creatori, unde Apostolus ad Col. 3. *Domino Christo servite*, Quinimò non solùm homines, sed ferventius Angeli Christo inserviunt Matth. 4. *Et Angeli ministrabant ei*, quæ verba expendens Athanasius serm. 3. contra Arianos ostendit Christum Dominum esse verum Deum, ait ipse: *Serviebant ei Angeli ut diverse, alienoque ab illis natura, & adoratur ab illis, non ut gloria tantùm major, sed ut aline discretus, & sejunctus à conditione tum creaturarum reliquarum, tum etiam ipsorum Angelorum Patri tantummodò æqualis secundùm rationem substantiæ. Si enim, quia gloria sublimior, adoratur, par erat ut omnia inferiora superioribus se in adoratione inclinarent. At non ita est. Petrus enim Cornelium adorare se volentem inhibuit dicens. Quoniam & ego homo sum. Angelus quoque ad Joannem: Vide ne feceris, conservus enim tuus sum. &c. At Christus Discipulos se adorare permittit, & quisnam sit, eos instruit: Vos vocatis me Magister, & Domine, & benedicitis, sum etenim. Thomam item sic alloquentem eum: Dominus meus, & Deus meus, his verbis uti concedit, nihilque impedimenti ei opponit.* Ex quibus omnibus clarè ostenditur Christum Dominum esse verum Deum.

CAP.

CAPUT XI.

Ex Sanctis Patribus ostenditur Christum esse Verum DEUM.

Quamvis Sectarii parum videantur patribus tribuere, nihilominus, quia pro se citant & plurimi faciunt authoritatem patrum, qui floruerunt ante Concilium Nicænum, ut fuerunt Ignatius, Justinus, Dionysius Areopagita, Clemens Martialis, ideo cùm ex sacris Scripturis satis perspicuè ostenderimus Christum esse simul verum Deum, & verum Deum, superest, ut contra Sectarios hanc eandem veritatem confirmemus authoritate patrum, & aliorum testimoniorum extra Scripturas sacras, ut ubique veritas Catholica, & Fidei dogma splendeat contra Sectarios conantes præcipuum hoc nostræ Fidei fundamentum evertere. Si igitur recolamus patres, qui floruerunt primo sæculo à Christi nativitate, Clemens Romanus pontifex lib. 3. Constitution. cap. 26. expressè ait: *Patrem sine medio genuisse Filium ante omnia,* quod perinde est, ac filium non esse à patre factum, sed naturaliter & necessariò ex patre prodire, quia ut scitè explicat D. Basilius lib. 4. contra Eunomium: Nihil factum est immediatum opus artificis, quia semper debet operatio mediate, quo pacto inter Deum, & creaturas mediat voluntas creandi in Deo: siquidem non eo ipso, quòd DEUM intelligimus, immédiatè ponitur creatura ad extra, sed posito Deo immediatè ponitur ejus Verbum, quod propterea non est factum à creatura, sed est genitum ab æterno. Præterea cap. 17. postquam recitâsset illud Trisagium Sanctus, Sanctus, Sanctus illud explicat inquiens: *Sanctus Deus Pater, Sanctus Filius, & Sanctus Spiritus,* adeò ut Trisagium illud evincat tres personas divinas esse unum Deum: & in fine cap. 28. de Deo ait: *Tibi omnis gloria, & honor, & adoratio Patri, Filio, & Spiritui Sancto & nunc, & semper & in omnia sæcula sæculorum.* Sanctus Dionysius Areopagita Apostoli Pauli discipulus lib. de divinis nominib. cap. 1. ait: *Itaque in omni ferme Theologica Tractatione summam divinitatem sanctè celebrari videmus, ut singularem quidem atque unicam propter simplicitatem, & unitatem, illam impartibilem ac Trinitatem verò propter superessentialis fœcunditatis in suppositis tribus expressionem.* Et pluribus interjectis subjungit hanc summam essentiam in una suarum hypostaseon carnem humanam assumpsisse, quod perinde est, ac unigenitum Filium æterni patris naturam assumpsisse humanam, & factum esse hominem illum, qui dicitur Christus, de cujus propterea divinitate non dubitârunt patres, qui ante Concilium Nicænum in primo sæculo à Christi nativitate floruerunt. Hanc eandem veritatem edocuit Sanctus Martialis, qui dicitur fuisse unus ex Christi discipulis, siquidem in Epistola prima directa ad Burdegalenses cap. 20. ait: *Nihil discretum in divinitate Trinitatis sentiatis.* Vult enim in divinitate Trinitatis personas patris, filii, & Spiritus Sancti unius, ac prorsus ejusdem esse essentiæ, naturæ, substantiæ, ac deitatis, quapropter subjungit, *Et hæc Pater, Filius, & Spiritus Sanctus in personis tria divisa, in divinitate unius eius individuum est.* An verò hæc Epistola scripta fuerit ab illo S. Martiali, qui dicitur fuisse discipulus Christi, plures dubitant; sed id non facit ad rem, cùm sufficiat, si Author illius rectè censuerit de Christi divinitate; & fuerit aliquis ex Patribus primi sæculi.

S. Ignatius Martyr Joannis Apostoli discipulus, proinde unus ex Patribus primi sæculi in Epistola ad Philippenses scribit: *Non in unum trinominem, neque in tres incarnatos, sed in tres ejusdem honoris credendum esse dicit.* Et aliquibus interjectis subdit. *Si vere Deus, & homo est, cur iniquum vocas Dominum gloriæ, qui naturâ invariabilis est:* Et in Epistola ad Philadelphienses: *Si quis dicat unum esse Deum, & confiteatur Christum Jesum, sed eundem nudum esse hominem putet, hujusmodi serpens est, fraudem, & errorem prædicans in exitium hominum; & est hujusmodi inops sensu, cognomento Ebion.* Alludit ad nomen *Ebion*, quod hebraicè inopem significat: in quo sensu Ministri Transylvani putantes Christum esse purum hominem, novi dici possunt Ebionitæ inopes intelligentiâ circa Christi personam, quam ignorant. Præterea in Epistola ad Antiochenos scribit. *Abjicite omnem gentilem, & Judaicum errorem, ut nec multitudinem introducatis Deorum: nec prætextu unius Dei negetis Christum. Moyses enim Dei famulus fidelis, dicens Dominus Deus tuus, Deus unus est, & unum, & solum prædicans Deum, continuò confessus est. & Dominum nostrum dicens: Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham, à Domino ignem, & sulphur.* Et nonnullis interjectis subdit. *Omnis qui annunciat unum solum Deum, & tollit Christi divinitatem, is est diabolus, & hostis omnis justitiæ.* Expressè asserit Christi divinitatem, & fatetur Christum esse verum Deum: & verum hominem contra Ministros Transylvanos docentes, Christum non esse æternum, sed temporalem, non esse verum Deum, sed purum hominem: & etiam contra Tritheitas, & Arianos, qui tametsi faterentur Christum esse æternum, negârunt tamen verum esse Deum. Hinc liquet, quàm falsò Ministri Transylvani asserant S. Ignatium Martyrem docuisse Christum fuisse purum hominem, cæteris tamen præstantiorem, sed non verum Deum ea innixi authoritate, qua in Epistola ad Magnesianos scribit de Christo. *Unum, & solum verum Deum Patrem suum annunciavit:* ex quo inferebant, Christum se purum hominem dixisse; & solum Patrem esse Deum. Sed contra, quis ex eo quòd solum verum Deum Patrem suum annunciaverit, non separavit Filium, & Spiritum à ratione Deitatis, cùm omnes tres personæ sint ejusdem essentiæ, naturæ, ac deitatis; sed tantùm separavit omnem alium Deum, qui cum Patre non est ejusdem substantiæ, naturæ, ac deitatis: adeout sensus verborum Ignatii sit, Patrem Christi esse illum verum Deum, qui est unus, & verus Deus solus, non excludendo Trinitatem Personarum, eò quia omnes personæ sint ejusdem prorsus naturæ, essentiæ, substantiæ, ac deitatis cum Patre: sintque propterea tres personæ unus, ac verus Deus. Neque Ignatius Martyr quid aliud dixit, quàm quòd Christus ipse dixerat Patri suo. *Ut cognoscant te solum verum Deum,* quia solus Pater ut consubstantialis Filio, & Spiritui Sancto est verus Deus; unde non excluditur Filius Patri consubstantialis, sed omnis alius Deus, qui non est ejusdem numerô essentiæ, naturæ, substantiæ, ac deitatis cum Patre, quales fuerunt Dii gentium. Neque obest, quòd Ignatius Epistola ad Tarsenses scribat Christum esse Filium Creatoris; quia etiam ipse Chri-

ftus eſt Creator: quia Pater gignendo Filium communicavit etiam cum eſſentia, & natura ſuam omnipotentiam, quâ una cum Patre, & Spiritu Sancto creavit mundum: ad Philip. de Christo ait: *Si enim revera agnoviſſet, ſciviſſet, quòd ex aque poteſt rerum Conditor univerſarum, & facere quod non eſt, & mutare quod eſt:* Quibus verbis fatetur Chriſtum eſſe rerum omnium Conditorem: quod dæmon ignorabat. Si dicas Ignatium in Epiſtola ad Antiochenos diſtinguere Deum à Chriſto dicens: *Valete Deo & Chriſto;* quia tantùm diſtinguit Chriſtum ratione naturæ humanæ; non ratione perſonæ. Si objicias Ignatium in Epiſtola ad Epheſios fateri verum, & ſolum Deum eſſe inviſibilem, ait enim: *Medicus autem noſter eſt ſolus verus Deus ingenitus, & inviſibilis:* ergo cùm Chriſtus utpote homo non ſit inviſibilis, ſed viſibilis, non eſt Deus: ſed contra quia Ignatius ita dixit ſolum verum Deum ingenitum, & inviſibilem, ut non excluſerit Chriſtum genitum, & viſibilem: ſiquidem in eadem Epiſtola addidit: *Habemus autem etiam Medicum Jeſum Chriſtum ante ſæcula unigenitum Verbum:* unde illa particula *ſolus* non fuit excluſiva relativè ad Chriſtum; ſed relativè ad Deos gentium, qui non ſunt ejuſdem eſſentiæ, naturæ, & ſubſtantiæ cum Deo Patre. Hinc D. Athanaſius in lib. de Synodis citat verba Ignatii, & ſimul illa explicat dicens, *Unicus eſt Medicus noſter corporalis, & ſpiritualis, genitus, & ingenitus in homine Deus*, per ingenitum intelligit increatum: unde Ignatius non negat Chriſtum eſſe verum Deum.

Patres ſecundi ſæculi aſſerentes Chriſtum verum Deum, verumque hominem ſunt Juſtinus, Athenagoras Irenæus; Clemens Alexandrinus. Etenim Juſtinus in lib. de vera, & recta Fide ait: *Unus verè eſt Deus omnium, qui in Patre, Filio, & Spiritu Sancto cognoſcitur. Quoniam enim ex ſua natura, & eſſentia Patris Filium generavit, & ex eadem proceſſit, profectusque eſt Spiritus, jure ac meritò ea, quæ unius, ejuſdemque eſſentiæ ſunt, unius etiam atque ejuſdem habeatur divinitatis:* & nonnullis interjectis ſubdit: *Nulla ratio communitatem Patris cum Filio, ac Spiritu Sancto, etiam ſi Pater ingenitus ſit, poterit ullo modo divellere:* Per communitatem intelligit rationem deitatis, quæ communis tribus perſonis divinis: hinc nonnullis interjectis addit, *Reſtat igitur, ut demonſtremus, quomodo una ſit Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti eſſentia* & probat divinitatem, ſeu rationem deitatis convenire æquè eſſentialiter tribus perſonis divinis. Præterea Juſtinus in Apologia ad Antoninum pium pro Chriſtianis; explicans illud Exodi 3. ubi Deus petenti Moyſi, quis eſſet reſpondit: *Ego ſum, qui ſum. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob* ait: *Hæc verba dicta ſunt ad perſuadendum Dei Filium, & Apoſtolum Jeſum Chriſtum eſſe, qui prius Verbum erat, & ſpecie ignis apparuit:* & poſtea ut oſtendat Filium eſſe Patris virtutem; ait: *Virtutem ortam eſſe à Patre dixi, & poteſtate, & conſilio, non deciſione, & deliberatione, quaſi eſſentia Patris dividatur.* Rurſus in Apologia ad Senatum loquens de Deo Patre ait: *Porrò Filius ejus, qui ſolus propriè dicitur Filius, Verbum ſimul cum illo ante creaturas, & exiſtens, & naſcens, quoniam per eum primitus cuncta condidit, & ornavit,* vocat Chriſtum proprium æterni Patris Filium, qui cum Patre omnia condidit. Hoc idem luculentius, ac prolixius oſtendit in dialogo cum Triphone, ubi Patrem & Filium ejuſdem eſſe naturæ, eſſentiæ, ſubſtantiæ ac deitatis probat, inquiens: *Virtutem eam à Patre nullo pacto disjungi, ac ſecerni poſſe loquens, eò quia Scriptura dicat ego in Patre, & Pater in me eſt:* & aliquibus interjectis addit: *Virtutem iſtam, quam Deum ſermo propheticus vocat, non ita ut ſolis lumen nomine tantùm numerari, verùm numero quoque aliud quoddam eſſe ſupra explicui, virtutem hanc dicens de Patre genitam, non per reciſionem velut ab eſſentia Patris diſpartitam, prout omnia alia diviſa, & ſecta non eadem ſunt, quæ antea fuerunt, quàm ſcinderentur.* Hinc à vero omninò alienum eſt, quod Sectarii attribuunt Juſtino ipſum in dialogo cum Triphone aſſeruiſſe, Chriſtum eſſe alium Deum diſtinctû à mundi Conditore, quaſi Filius unà cum Patre mundum non creaſſet; cùm omnes fateantur opera ad extra communia eſſe totius Trinitatis. Juſtinus non docet, Chriſtum eſſe alium Deum diſtinctum à mundi Creatore; ſed tantùm aſſerit eſſe diſtinctam Perſonam, conſubſtantialem Patri, qui dicitur mundi Conditor, ſimul cum Filio, & Spiritu Sancto; ſunt enim tres perſonæ divinæ ejuſdem eſſentiæ, naturæ, ſubſtantiæ, ac deitatis, conſequenter unus Deus.

Athenagoras itidem in Apologia ad Antoninum Imperatorem hanc Chriſti divinitatem probat inquiens: *Filius Dei ratio, & Verbum eſt Patris in forma, & efficacia. Ab ipſo namque, & per ipſum facta ſunt omnia, quod unum ſint Pater, & Filius, & quod Filius ſit in Patre, & Pater in Filio:* & poſt aliqua interjecta addit. *Primum germen Patris eſt Filius, non tamquam factum, à primordio enim Deus mens æterna exiſtens habuit in ſe ipſe rationem, & Verbum.* Et nonnullis interjectis addit: *Quis igitur non obmuteſcat, ſi Atheos vocari nos audiat, qui dicimus Deum Patrem, & Filium Deum, & Spiritum Sanctum; illorum & in unione virtutem, & in ordine diſtinctionem demonſtrantes?* & poſt multa concludit, *ut æqualis honore, & poteſtate cognoſcamus Deum, & Verbum ejus, & Spiritum Sanctum.* Quòd ſi tres perſonæ divinæ Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus ſunt æquales honore, & poteſtate, neceſſariò debent eſſe ejuſdem eſſentiæ, naturæ, ſubſtantiæ, ac Deitatis, alioquin ſi diverſas haberent naturas, diverſas etiam haberent poteſtates; ac diverſus iiſdem deberetur honor: ergo tres divinæ perſonæ ſunt unus Deus, & Filius æqualis Patri, ejuſdem eſt cum illo ſubſtantiæ.

Irenæus lib. 4. cap. 11. ait: *Ipſe Chriſtus cum Patre vivorum eſt Deus, qui & loquutus eſt Moyſi, & qui Patribus manifeſtatus eſt*, & lib. 3. cap. 8. ait: *Neque Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apoſtoli, eum qui non eſſet Deus, definitivè, & abſolutè dixiſſent, neque nominaſſent aliquando Deum, niſi eſſet verus Deus, neque Dominum appellaſſent, niſi qui dominatur omnium Deum Patrem, & Filium ejus.* Et cap. 19. *Annunciaverunt Apoſtoli hunc eſſe Chriſtum Filium Dei æternum, eorùm Regem.* Si eſt Filius æternus Dei, neceſſariò fuit ante omnem creaturam, cùm nulla creatura fuerit ab æterno: conſequenter Chriſtus non poteſt eſſe pura creatura, purus homo: ſed verus Deus, & homo; eſtque ut Filius æternus ejuſdem naturæ, ac ſubſtantiæ cum Patre æterno; & ut homo natus in tempore. Hinc cap. 20. *Excluſa eſt* inquit, *omnis contradictio dicentium: Si ergo tunc natus eſt, non erat antea Chriſtus. Oſtendimus enim quia tunc non cœpit Filius Dei exiſtens ſemper apud Patrem.* Objiciebant Ariani, Deum eſſe æternum, & Chriſtum factum in tempore, conſequenter non poſſe Deum eſſe, neque dici, alioquin eſſet, antequam naſceretur, ſeu eſſet antequam eſſet, quod eſt luculenta contradictio: ad quod reſpondit Irenæus, hanc contradictionem excludi, eò quia ratione perſonæ fuit æternus, ut & ratione naturæ divinæ; fuiſſet verò in tempore ſecundùm naturam humanam, quam aſſumpſit in tempore: Unde cùm penes divina fuetis

tit, & non fuerit æternus, nulla inde oritur contradictio, quæ debet esse de eodem secundum idem.

Floruit etiam in secundo sæculo Clemens Alexandrinus propugnator egregius Christi divinitatis, qui propterea audiendus est quid dicat lib. 1. Pædagogi cap. 6. in princ. ubi ait. *Filium, cùm Deus esset, nihil didicisse fuit consentaneum. Neque enim major Verbo quis fuerit. An non ergo vel inviti fatebuntur Verbum perfectum ex perfecto Patre natum?* & aliàs. *Laudemus Patrem & Filium, Filium inquam pædagogum, & magistrum, unà cum Sancto Spiritu, qui unum est omnia, in quo omnia, per quem omnia, cui gloria nunc & in sæcula sæculorum.*

Quamvis Origenes visus sit sententiæ favisse Arianorum negantium Christi divinitatem, & docentium Christum esse puram creaturam, licèt cæteris præstantiorem, ac longè excellentiorem: nihilominus satis perspicuè constat ipsum Christi divinitatem, asseruisse, ac propugnasse, adeo ut censeat Ruffinus in prologo pro Origene sententias Arianas, quæ scriptis immixtæ Origenis leguntur, studio ab iisdem Arianis insertas fuisse. Idque ex eo probabile est, quia D. Athanasius auctoritatem Origenis pluries Arianis objecit ad eorum argumenta refellenda. Sin autem Athanasius novisset Origenem cum Arianis sensisse, illis non objecisset ejus authoritatem: unde perquam probabile est, ab Arianis fuisse sententias illas olentes Arianismum post obitum Origenis ejus insertas scriptis. Quòd enim Origenes non faverit Arianis liquet ex ejus scriptis: etenim in commentario ad cap. 9. Epist. ad Rom. Christi propugnans divinitatem ait: *Miror quomodo quidam legentes quod Apostolus ait: Unus Pater ex quo omnia. & unus Dominus Jesus Christus per quem omnia; negent Filium Dei Deum debere profiteri, ne duos Deos dicere videantur. Et quidem de hoc Apostoli loco facient in quo apertè Christus super omnia Deus esse præscribitur? sed non advertunt, quibus ita sentiunt, quòd sicut Dominum Jesum Christum non ita unum esse Dominum dixit, ut ex hoc Deus Pater non esse Dominus dicatur: ita etiam Deum Patrem non ita Deum unum esse dixit, ut Dei Filius, Deus non credatur: unus autem uterque est Deus.* Argumentatur Origenes: Si ex eo quòd ab Apostolo Christus vocetur Dominus, non sequitur Patrem non esse itidem Dominum: ita ex eo quòd vocet Patrem Deum unum, non sequitur quòd Christus non sit Deus: unde concludit: *Unus autem uterque est Deus*, scilicet Pater, & Filius, quia ut ipse ait: *Ego & Pater unum sumus*, scilicet idem prorsus in natura, essentia, substantia, & deitate; & 1. Joan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt*, scilicet in essentia, substantia, & deitate: unde rectè dixit Origenes: *Unus autem uterque est Deus*, quia Pater, & Filius ejusdem sunt essentiæ, substantiæ, ac deitatis, proinde licèt sint duæ personæ, unus tamen est Deus. Pergit Origenes. *Qui autem est super omnia supra se neminem habet; non enim post Patrem Filius, sed de Patre*: seu de eadem substantia, essentia, & deitate patris; suntque propterea pater, & Filius unus Deus; estque Filius coæternus patri, & non post patrem Filius. Hinc subdit Origenes. *Manifestè ostenditur natura Trinitatis, & substantia una, quæ est super omnia.* Hanc Origenis sententiam pro Christi asserenda divinitate citat D. Athanasius in Epist. de Nicænæ Synodi decretis: quia si filius est supra omnia, nullum habet superiorem, qui sit supra se; neque ipsum Patrem: non enim post patrem filius ait Origenes, quia filius est patri coæternus, & consubstantialis; proinde subdit, *sed de Patre*, hoc est de eadem substantia, & deitate patris, suntque propterea Pater, Filius, & Spiritus Sanctus una essentia, una natura, una substantia, una Deitas, & tres personæ divinæ unus Deus: quâ ratione ait Origenes *manifestè ostenditur natura Trinitatis, & substantia una.* Pergit Origenes paucis interjectis. *Quando enim Deus, qui secundùm Joannem Evangelistam lux dicitur, splendore caruit suæ majestatis ut quis audeat Filio principium adscribere, quasi antea nondum existenti? Quando autem non erat ineffabilis illa, innominabilis, inenarrabilisque Patris substantiæ imago, formaque ratio, quæ Patrem agnoscit? Cogitet secum quicunque audet dicere; erat, quando non erat Filius. Erat quando ratio non erat, quando vita non erat.* Quia Ariani objiciebant S. Athanasio non posse ab ipso probari authoritate Patrum Christi divinitatem, & Filii consubstantialitatem cum Patre. Ipse plures recitavit Patres, imò quotquot illis temporibus floruerunt sanctitate, & doctrina postea ait. *Ecce nos demonstramus hujusmodi sententiam* (scilicet de Christi divinitate, & consubstantialitate Filii cum Patre) *à Patribus ad Patres, quasi per manus traditam esse. Vos autem novi Judæi, & discipuli Caiphæ, quos verborum vestrorum Patres, ac Majores demonstrabitis, cùm ne unum quidem ex prudentioribus, aut doctis in auctorem citare possitis?* Hanc Filii consubstantialitatem contra Arianos etiam propugnavit S. Gregorius Thaumaturgus ante quintam Synodum in orat. de eodem. Affirmat enim Filii consubstantialitatem inquiens: *Verum Filium veri Patris, Deum ex Deo, invisibilem, ex invisibili æternum ex æterno, quia trinitas perfecta Majestate, æternitate, & regno minimè dividitur*: & paucis interjectis subdit. *Neque serviens quid, neque factum, neque additititium in trinitate reperitur.*

Ex Patribus qui floruerunt in tertio sæculo Dionysius Romanus Pontifex egregius assertor, ac propugnator consubstantialitatis Filii cum æterno Patre plura scripsit volumina, quâ Christi evincit divinitatem, & de quibus D. Athanasius in Epistola de sententia Dionysii Alexandrini ait. *Porro ex Dionysii Episcopi Romani voluminibus contra eos, qui Filium Dei opus, aut creaturam asseverant, scriptis clarè ostenditur, hæresim Christo rebellium Arianorum non ita primum, sed olim ab omnibus damnatam fuisse.* Rursus in Epistola de Nicænæ Synodi decretis S. Athanasius recitat verba Dionysii Romani Pontificis, qui floruit tertio sæculo Anno 260. qui ait: *Audio quosdam apud vos divini verbi Magistros, hujus sententiæ Professores, qui ex diametro, ut si dicam, pugnant cum placitis Sabellii: Ille enim cum blasphemia dicit Filium esse Patrem, Patremque Filium: isti autem quodammodo tres Deos constituunt, dum in tres substantias alienigenas sanctam unitatem dispartiuntur. Uniri enim, necesse est omnium Deo Dei Verbum, & in eodem hærere, versarique Spiritum Sanctum, & Sanctam Trinitatem in unum omnium Deum omnipotentem veluti in verticem, & principem consummari, & coalescere. Marcionis enim vani loqui eloquentia Sectionem, divisionemque Monarchiæ in tres principatus instituit, sed diabolica institutio est, non autem verorum Christi discipulorum, & acquiescentium Salvatoris præceptis. Hi enim ut Trinitatem prædicari à sacris literis planè sciunt, ita tres esse Deos à veteri, aut novo Testamento induci nequaquam agnoscunt. Cæterùm nõ minus culpaveris eos, qui Filium Dei opus credunt, & factum esse*

Dominum opinentur : cùm sacra eloquia generationem ei congruentem, non autem formationem, aut creationem testimoniis suis attribuant. Postea subdit: *Blasphemia igitur illa non vulgaris, sed maxima habenda est, si Dominum dicas manufactum.* Et nonnullis interjectis. *Non igitur dividenda est in tres deitates admirabilis, & divina unitas : neque sub nomine creationis imminuenda est Domini dignitas, & immensa Majestas. Sed credendum est in Deum Patrem; Et in Filium ejus JESUM Christum, & in Spiritum Sanctum, unirique Deo totius universitatis verbum : Ego enim, inquit, & Pater unum sumus, Et ego in Patre, & Pater in me est : ita enim, & divina Trinitas, & sancta prædicatio professioque Monarchiæ conservari poterit.* Refert Athanasius Dionysium Papam alia scripsisse volumina contra asserentes Filium Dei esse creaturam, & opus à Deo factum, & clarè ostendere hæresim Arianorum oon esse nomen inventum, sed recoctam cambrem.

Eodem sæculo Dionysius Alexandrinus accusatus apud Dionysium Papam, quòd Filium Dei creaturam dixisset, scripsit Apologiam, qua se purgaret, ex eadem quædam citat Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 29. inter quæ hæc ponit: *Jam quia splendor est æterna lucis, omnibus modis, ipse quoque æternus est* ad probandam Filii æternitatem ponit exemplum lucis, quæ ab æterno emanaret à Sole, si sol ab æterno fuisset, quamvis lux intelligatur emanare à Sole ut à suo principio. Perinde quamvis io divinis intelligatur Filius generari à Patre, & Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio, adhuc omnes tres personæ æternæ sunt consubstantiales. Subdit nonnullis ioterjectis, *Hoc pacto unitatem, quæ indivisibilis est in Trinitatem dilatamus; & Trinitatem, quæ diminui non potest, in unitatem consummamus; & tamen scilicet accusamur, quasi qui dicamus, Filium unum esse ex numero rerum factarum, & nequaquam Patri suo consubstantialem.* Et infra : *Ostendo falsum esse crimen, quod mihi objiciunt, quòd Christum Deo consubstantialem esse negassem.*

S. Cyprianus itidem eodem sæculo expressè fatetur Christi divinitatem, & Filium Patri dicit consubstantialem inquiens in tractatu de idolorum vanitate ultra medium : *Unus omnium Dominus est Deus : neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cùm sola omnem teneat potestatem.* Probat divinam essentiam non posse partiri in diversas personas, eò quia nequeat consortem habere; sed eandem numero posse communicari Filio, & Spiritui sancto: & aliquibus interjectis ait: *Hic Deus noster, hic Christus est*, quia oon distinguit Deum Patrem à Filio quoad naturam, essentiam, substantiam, & deitatem; adeo ut persona Christi & Pater æternus sint unus Deus; sitque Filius consubstantialis Patri; quam veritatem, ac fidei dogma lib. 2. ad Quirinum cap. 6. probat ex omnibus illis Scripturæ locis, quæ commooi Patrum consensu loquuntur de uno vero Deo Israel Genes. 35. *Fac illic altare illi Deo, qui sibi apparuit, cum fugeres à facie Esau* Isai. 45. *In te DEUS est, & non est Deus alius præter te. Tu enim es Deus, & non sciebamus, Deus Israel Salvator.* Loquitur Propheta de Christo Salvatore, quem vocat verom Deum, quamvis populus eum non cognosceret ad Rom. 9. *Ex quibus Christus, qui est super omnia DEUS benedictus in sæcula* : asserit Christum esse super omnia; hoc est, super omnes creaturas; quòd si est super omnes creaturas, non est ipse creatura, quia nemo dicitur esse supra se ipsum; proinde Apostolus eum vocat Deum benedictum in sæcula; siquidem supra omnes creaturas est solus Deus, qui omnes condidit creaturas: hoc argumento S. Cyprianus demonstrat, Christum esse verum Deum. Nequa obstat, quòd Ministri Transylvani lib. 2. cap. 6. asserant Cypriaoum in explicatione symboli vocare creaturem Deum Patrem Christi, & unum esse Deum Patrem, unum Dominom JEsum Christum, unum Spiritom Saoctum. Nam illa explicatio symboli non est Cypriani, sed Ruffini, quod ex eo clarè evincitur; quia ibi refelluntur nominatim Arius, Eunomius, & Photinus, qui tempore Cypriaoi nondum nati erant; unde explicatio illa nequit esse Cypriani, nisi velimus eum surrexisse post plures annos à mortuis, ut symbolum explicaret in sensu Ministrorum, qui dicuntur Transylvani, & ut confutaret Arium, Eunomium, & Photioum. Præterea quidquid sit de Aothore illius explicationis, nil ex ea sequitur contra fidei dogma: quia tametsi Christus dicatur Filius creatoris; adhuc ipse Filius est creator cum Patre; sicut ex eo quòd dicatur Filius Dei Patris, adhuc ipse est Deus; quia Filius vi generationis æternæ accipit à Patre eandem numero essentiam, naturam, substantiam, ac deitatem Patris, proinde omnipotentiam, ac virtutem creandi : Suntque propterea tres divinæ personæ, unus Deus creator ad extra; sicut Pater, & Filius dicuntur unus spirator ad intra.

Cæterum opus creationis eadem ratione tribuitur personæ Patris, ac omnipotentia, quamvis opus creationis commune sit tribus personis divinis, dicaturque creatio opus indivisæ Trinitatis. Quòd præter Patrem conveniat etiam Filio principium, & virtus creandi, liquet ex illo Joan. 1. *Per Verbum,* (seu Filium) *omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil* Joan. 5. *Quæcunque Pater fecerit, hæc & Filius similiter facit*, ergo Filius perinde creat ad extra creaturas ac Pater. Quod etiam Spiritus Sanctus creet cum Patre, & Filio, liquet ex Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Quòd conveniat creatio rerum, præsertim Patri, fatetur Filius Joan. 14. *Pater in me manens ipse facit opera :* Ratio itidem est assignatu facilis, quia Pater est prima origo cæterarom personarum: Siquidem Pater est origo sine origine, principium sine principio: Filius est principium de principio, quia ita est principium Spiritus Saocti, ut generetur ipse à Patre; & Spiritus est à principio seu ab ono spiratore Patre, & Filio, & ipse noo est principium ad intra; sed cum Patre, & Filio simul est principiom ad extra creaturarum: creatio igitur tribuitur Patri sicut ferri super aquas Genes. 1. tribuitur Spiritui sancto; & assumere, ac induere carnem humanam triboitur Filio; & nihilominus totum opus creationis, & ambulationis super aquas, seu creationis aquarum est totius Trinitatis, ut etiam opus incarnationis est totius Trinitatis ob concursum trium divinarum personarum in illud. Hinc Augustinus serm. 21. de verbis Domini cap. 16. *Ita singulorum quoque in Trinitate opera Trinitas operatur, unicuique operanti cooperantibus duobus, convenientе in tribus agendi concordia, non in uno deficiente efficacia peragendi.* Profitemur igitur tres Personas Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unum Deum creatorem cœli & terræ, quia mundum, qui ex cœlo elementis, aëre, igne, aqua, terra viventibus, vegetantibus, ac sentientibus ex angelis, ac hominibus, quædam compages est, ex nihilo condidit, non ex materia aliqua sibi coæterna, quam ipse oon fecerit; sed ex puro oihilo traduxit ad illud esse, quod possident, & ad illam divinæ bonitatis mensuram, quam participant, Neque Deus ex ulla necessitate adactus, neque

neque ex ulla alia causa compulsus, sed sua sponte, ac libera voluntate mundum condidit, suamque bonitatem suis creaturis impertitus: hinc David Psal, 15. *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*; & sicut sua tantùm libera voluntate sapientissimus Artifex hanc mundi fabricam architectatus est, eamque inchoavit, ac perfecit nullis aliis operariis, nullo adhibito congestæ materiæ præsidio; ita non exemplar aliquod, aut formam extra se positam imitatus est in mundi molitione, sed rerum omnium creandarum rationes intelligibiles, vivas, æternas, incommutabiles, ac ideas in mente sua descriptas, quæque in arte sua divina quid unum sunt, simplicissimum intuitur, ac veluti imitatus, summa sapientia, & virtute infinita, ac efficacissima potentia traduxit ex puro nihilo, seu de non fuisse ad illud esse, quod creaturæ singulæ possident Psal. 32. *ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.* Hinc quod factum est in ipso mundi conditore, in sapientissimo Artifice, vita erat, quippe erant divinæ illæ ideæ rerum in mente Dei, seu rationes intelligibiles, vivæ, æternæ, incommutabiles, in quo sensu intelligitur illud Joan. 1. *quod factum est, in ipso vita erat*, ut explicat D. Augustinus tract. 1. in Joan. inquiens. *Facta est terra, sed ipsa terra, quæ facta est, non est vita: Est autem in ipsa sapientia spiritualiter ratio quædam, quâ terra facta est; hæc vita est.*

Floruit eodem sæculo Tertullianus, qui & ipse Christi divinitatem asseruit, & propugnavit, ait enim lib. 4. in Marcionem ultra medium: *Omnia sibi tradita à Patre credas, si creatoris est Christus, cujus omnia, & quia non minori se tradidit omnia Filio Creator, quæ per eum condidit.* & lib. contra Praxeam ait: *Quoniam ipsa regula fidei à pluribus diis sæculi ad unicum, & verum Deum transfert, non intelligentes unicum quidem, sed cum œconomia esse credendum expavescunt ad œconomiam, numerum, & dispositionem Trinitatis, divisionem præsumunt unitatis, quando unitas ex semetipsa derivans Trinitatem non destruatur ab illa, sed administretur.* Vocat Tertullianus œconomiam Dei ordinem & dispositionem trium personarum. Nonnullis interjectis subdit: *Dico alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum Sanctum: Malè accepit Idiotes aut quisque perversus hoc dictum, quasi diversitatem sonet, & ex diversitate divisionem pretendat patris, filii, & Spiritus sancti, necessitate autem hoc dico (cùm eundem patrem, & filium, & spiritum contendant adversus œconomiam Monarchiæ adulantes) non tamen diversitate alium filium à patre, sed distributione, nec divisione alium, sed distinctione, quia non sit idem Pater & Filius, vel modulo alius ab alio.* Et infra: *Si una persona & Dei & Domini in Scripturis inveniretur, meritò Christus non esset admissus, at nomen Dei & Domini; Nemo enim alius præterquam unus Deus prædicabatur.* Et rursus: *Itaque*, inquit, *Deos omninò non dicam, nec Dominos sed Apostolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater, & Filius, Deum Patrem appellem, & JEsum Christum Dominum nominem, solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus, ex quibus Christus, qui est*, inquit: *Deus super omnia benedictus in ævum omne.* Et infra. *& nomen Patris* inquit, *Deus omnipotens altissimus, Dominus* virtutum, Rex Israelis; Qui est, hæc dicimus, *& in Filium competisse, & in his Filium venisse, & in his semper egisse, & sic ea in se hominibus manifestâsse. Omnia*, inquit, *Patris mea sunt, cur non & nomina?* Et infra. *Qui tres unum sunt, non unus: ad substantiæ unitatem non ad numeri singularitatem.*

Ministri tamen Transylvani citant Tertullianum pro eorum sententia. Primò quia lib. contra Hermogenem prope initium ait: *Nec Pater esse potuit ante Filium, neque Judex ante delictum. Fuit autem tempus, cùm & delictum, & Filius non fuit, quod Judicem & qui Patrem Dominum faceret.* Secundò quia lib. contra Praxeam expresse ait: *Deum Filium agnosce, secundum à Patre defendo*, ex quo inferunt Filium utpote secundum à Patre, non esse Patri consubstantialem. Tertiò quia eodem libro contra Praxeam expressè ait: *Pater tota substantia est, Filius verò derivatio totius, & portio.* Quòd si portio ajunt Transylvani, non est Filius tota substantia, consequenter non potest Patri esse consubstantialis, quia substantia Patris est simplicissima, impartibilis, quapropter Filius est portio divinæ substantiæ, perinde ac quælibet alia creatura, quæ dicitur participare divinam bonitatem. Quartò objiciunt ex eod. lib. contra Praxeam verba illa Tertulliani: *Consequens erit, ut invisibilem Patrem intelligamus pro plenitudine Majestatis, visibilem verò Filium agnoscamus pro modulo derivationis*, ex quo inferunt ex Tertulliano Patrem esse invisibilem, & Filium visibilem, consequenter non consubstantialem Patri; & dicunt Tertullianum hoc idem evincere ex omnibus apparitionibus Dei in testamento veteri, ubi Filius semper visus est manente Patre invisibili. Demum objiciunt illud Tertulliani in lib. de Trinit. ubi legitur: Quòd unus Deus Judæorum est Pater Christi, & quòd Patri nihil comparari possit, nec quispiam Filium eripere Patri.

Sed contra ad primum respondetur Tertullianum in libro illo contra Hermogenem non agere de Filio naturali æterni Patris, sed de adoptivo, seu creatura, quæ per Dei gratiam adoptata est in Filium: alioquin ex verbis illis sequeretur Deum non semper fuisse: cùm contrarium expressè doceat Tertullianus contra Praxeam inquiens: *Sermo ergo & in Patre semper, sicut dicit: Ego in Patre; & apud Deum semper, sicut scriptum est, & sermo erat apud Deum, & nunquam separatus à Patre, quia ego, & Pater unum sumus*, cùm igitur Tertullianus expressè asserat sermonem, seu verbum Dei, quod perinde est ac Filius æterni Patris, nunquam separari à Patre, eò quia sit Verbum in Patre, & Verbum ac Pater unum sint, seu una natura, essentia, substantia, & deitas, sequitur evidenter ex Tertulliano Filium naturalem esse consubstantialem Patri, & in libro contra Hermoginem, ubi ait, Filium non semper fuisse, eò quia Pater non sit ante Filium, & Filius non semper fuerit sicut nec Judex est ante delictum, intelligit Tertullianus, quòd Filius adoptivus, seu creatura rationalis per gratiam adoptata in filium non semper fuit, quia Angeli & homines creati fuerunt initio mundi conditi, quapropter Tertullianus in illo lib. contra Hermoginem non ait de Christo, sed de creatura rationali adoptata per gratiam, & quia ante mundum conditum semper erat Deus per totam æternitatem, tametsi non denominaretur Pater denominatione extrinseca desumpta à creatura rationali per gratiam adoptata, adhuc tamen erat DEUS, seu in eadem divina essentia Pater Filius naturalis, & Spiritus Sanctus, cùm tota Trinitas mundum, & creaturas omnes condiderit. Ad secundum ex lib. contra Praxeam responde-

tur Tertullianum ibi vocare Filium secundum à Patre, ut & Spiritum Sanctum tertium propter ordinem originis, eò quia Pater sit prior origine Filio, qui intelligitur generari à Patre; & Spiritus Sanctus sit tertia persona secundùm originem, eò quia procedat à Patre, & Filio, ut ab uno Spiratore. Quòd verò Tertullianus non loquatur de diversis gradibus in essentia, sed de solo ordine originis, ex eo evincitur, quia in libro contra Hermoginem ante medium ait: *Divinitas gradus non habet utpote unica:* si est unica in essentia & substantia, non potest varios gradus in eadem numerare, alioquin sicut multiplicantur gradus, plurificaretur essentia. Hinc Tertullianus lib. contra Praxeam sæpissimè repetit Unam esse substantiam Patris, & Filii. Quamobrem quando Tertullianus Filium distinguit à Patre gradu; per gradum intelligit ordinem personarum secundùm prioritatem, & posterioritatem originis non naturæ, nec temporis, quia posterioritas naturæ dicit dependentiam posterioris à priore, quæ excluditur à Deo, cùm Filius non dependeat à Patre, sed sit eadem essentia, natura, & substantia Patris. Ad tertium, cùm Tertullianus per gradus intellexerit tantùm ordinem personarum, & originis, sequitur evidenter substantiam Patris in sententia Tertulliani esse omnino impartibilem, ac propterea non posse Filium naturalem partem, vel portionem distinctam à substantia Patris possidere. Quamobrem verba Tertulliani intelliguntur de sola personarum distinctione, quam probare intendit in toto libro illo contra Praxeam, unde vocat Filium portionem, & Patrem totam substantiam, quatenus Pater est fons, & principium aliarum personarum, & hunc esse sensum Tertulliani explicat ipse inquiens: *Filius derivatio totius, & portio sicut ipse profitetur, quia Pater major me est. Sic & Pater alius a Filio, dum Filio major; dum alius qui generat, alius qui generatur; dum alius qui mittit, & alius qui mittitur.* Ex quo liquet Tertullianum loqui de distinctione personarum, quam probat vocibus relativis, cùm dicit alium esse, qui generat seu Pater, & alium qui generatur seu Filius. Ad quartum respondetur Tertullianum vocare Patrem invisibilem, & Filium visibilem, non quod natura Filii visibilis sit, sed quia Filius multoties in testamento veteri assumpserit ad tempus formas visibiles, & in novo assumpserit etiam carnem visibilem: unde cùm dicit Filium visibilem pro modulo derivationis non loquitur de Filii derivatione à Patre per æternam generationem, sed de derivatione ad nos per assumptionem formæ visibilis, ut explicat Tertullianus loc. cit. inquiens: *Dicimus & Filium suo nomine eatenus invisibilem, qua sermo, & Spiritus Dei ex substantia conditione jam nunc, & quia Deus, & sermo, & Spiritus Dei, visibilem autem fuisse ante carnem, eo modo, quo dicit ad Aaron, & Mariam, & si fuerit prophetes apud vos invisione cognoscar illis.* Præterea per formam visibilem Filii in novo testamento intelligitur caro assumpta. Cæterum quia Praxeas negaverat Patrem esse personam distinctam à Filio Tertullianus eum impugnaturus omnem arripuit occasionem probandi Patrem, & Filium esse personas distinctas, ejusdem tamen essentiæ, substantiæ, & Deitatis, unde ad probandam hanc distinctionem personarum adfert illas apparitiones, quibus Filius se visibilem exhibuit, & quia Pater non legitur sub illis formis apparuisse, hinc intulit Tertullianus Patrem esse invisibilem, & Filium visibilem, consequenter esse personas distinctas, non quòd sint diversæ essentiæ, naturæ, & substantiæ, sed quia Filius generatur à Patre, à quo accipit eandem numero essentiam, naturam, & substantiam sintque tres personæ divinæ unus Deus. Ad ultimum quod addebatur, respondetur librum illum de Trinitate non esse Tertulliani, eò quia in illo nominatim impugnantur Sabelliani, qui tempore Tertulliani nondum nati erant; & D. Hieronymus lib. 2. contra Ruffinum librum illum ait fuisse impositum à Novatiano, qui vixit post Tertullianum. Præterea verba in libro illo de Trinitate citata possunt facilè explicari in eo sensu, ut Deus Judæorum sit unus, & Pater Christi, & quòd Christus non eripuerit ut sit unus Deus; eò quia Christus non sit distinctus Deus à Patre, sed idem Deus cum Patre, cui tamen non potest quidquam comparari, si origo spectetur, eò quia Pater est principium sine principio, seu principium aliarum personarum, & non aliæ personæ sint principium Patris, cùm tamen sint consubstantiales, seu ejusdem essentiæ, naturæ substantiæ, & Deitatis.

Patres quarti sæculi etiam asseruerunt Filii consubstantialitatem cum Patre, & præsertim in illa toto orbe celeberrima Nicæna Synodo, ubi Patres trecenti, & octodecim decreverunt addere symbolo Apostolico hanc Filii consubstantialitatem cum Patre, quam additionem approbavit etiam Synodus Constantinopolitana. In hisce igitur Synodis tota ecclesia Catholica orientalis, & occidentalis circa personam Filii, quinque statuerunt, primò Filium esse verum Deum, secundò esse Homousion Patri, id est ejusdem essentiæ cum illo: tertiò esse æternum, eò quia Pater ab æterno intelligendo seipsum semper producit Verbum, seu Filium ad intra. Quartò quòd sit immutabilis, & invertibilis. Quintò quòd non sit factus, sed genitus, quibus decretis ambæ Synodi eorum everterunt sententiam, qui putabant Filium esse puram creaturam. Alii etiam Patres illius quarti sæculi hanc eandem Filii consubstantialitatem asseruerunt, & propugnarunt, ex Græcis Athanasius contra Arianos, Basilius contra Eunomium, Gregorius Nazianzenus in quinque orationibus de Theologia, Cyrillus Jerosolymitanus in Catechesibus, præsertim à septima usque ad undecimam; & luculenter Epiphanius contra Paulum Samosatenum hæresi 35. contra Arianos, hæresis 69. Ex Latinis Patribus S. Hilarius, qui lib. duodecim de Trinit. scripsit: Marius Victorinus qui quatuor edidit libros contra Arium, S. Ambrosius lib. 5. scripsit de fide, Gregorius Beticus in lib. de fide contra Arianos, Sæbadius lib. adversus Arianos. Mirum tamen, quod Ministri Transylvani hos Sanctos Patres saltem ex iisdem aliquot nitantur in favorem trahere propriæ sententiæ, præsertim Hilarium, & Ambrosium, eò quia ille lib. 9. de Trinit. asserat solum Patrem esse unum verum Deum, & Ambrosius in cap. 1. ad Timot. explicet de solo Patre verba illa *Regi sæculorum immortali invisibili soli Deo*, & per Deum invisibilem intelligat solum Patrem: nam ex eò quòd Hilarius asserat solum Patrem esse verum Deum, non negat Filium esse eundem verum Deum, eò quia Filius continetur in Patre, ut ipse fatetur *Ego in Patre, & Pater in me est*, & alibi *Ego & Pater unum sumus.* Hunc esse verum sensum Hilarii liquet ex ejus verbis, ait enim lib. 9. de Trinit. *Sed solus forte Pater Deus verus Christo non relinquit; ut DEUS sit, non relinquat sane, si unus Deus Pater, Christo ut unus sit Dominus, non relinquit; quòd si unus Deus Pater Christo non adimit, ut unus sit Dominus; ita solus Deus Pater verus Christo Jesu non auferat, ut Deus verus sit:* quibus verbis clarè fatetur S. Hilarius Christum esse verum Deum, & unum cum Patre, perinde ac est unus, ac

verus

verus Dominus cum Patre, cui propterea est consubstantialis. Ad aliud petitum ex D. Ambrosio afferente illa nomina *Rex Regum immortalis, invisibilis*, convenire soli Patri, non quia solus ipse ea habeat, sed quia solus habet à se, & aliæ personæ habent à Patre: quoties enim Sancti Patres tribuunt aliqua prædicata soli Patri, intelligunt ea prædicata convenire soli Patri, eò quia solus Pater illa habeat à se, non verò. quòd aliæ personæ, illa eadem prædicata non habeant; sed quòd non habeant à se, sed illa accipiant à Patre, ut Filius per generationem, & Spiritus Sanctus per spirationem à Patre, & Filio.

In quinto sæculo etiam Patres hanc Filii consubstantialitatem cum Patre asseruerunt ac propugnârunt contra Arianos, eo tempore molestias ecclesiæ inferentes: duæ hoc sæculo fuerunt generales Synodi coactæ, Epesina, & Chalcedonensis, & ambæ approbârunt Symbolum Nicænum, & illam in symbolo additionem, qua credimus Filium Patri consubstantialem seu ejusdem essentiæ, naturæ, & substantiæ. Floruerunt itidem eo tempore plures Patres Græci, & Latini, qui contra Arianos egregiè pugnarunt, quos & expugnârunt asserentes Filii consubstantialitatem cum Patre? inter Græcos S. Chrysostomus plura eloquentissimè scripsit, & evicit Christum esse verum Deum, Theophilus Alexandrinus etiam in prima paschali epistola Christum verum esse Dei Filium, & æterno Patri consubstantialem; pluribus clarè probat. Cyrillus libros scripsit septem de hac materia contra Arianos: & quatuordecim libros thesauri, & in Comment. in Joan. totis viribus est in revellendis Arianis. Theodoretus itidem lib. 4. *de Heret. fabul. lib. 2. ad Græcos in Epitom. divinor. decretor.* & in Epistola Apostoli Pauli eos confutat, qui negant Christum esse verum DEUM. Ex Patribus Latinis ejusdem sæculi D. Augustinus scripsit libros 15. de Trinit. tres contra Maximinum Arianum, & lib. contra sermonem Arianorum, & aliquot etiam epistolas, & in Commentario Evangelii Joannis frequenter errores impugnat, & refellit Arianorum S. Gaudentius Tract. 7. in Exodum, & in epist. ad Paulum, expendens verba illa evangelii, ubi Christus ait: *Pater major me est* egregiè refellit Arianos. D. Hieronymus in lib. contra Luciferianos & in epist. ad Marcellam de erroribus Montani, ad Avitum de erroribus originis, & in duabus epistolis ad Damasum de nomine hypostasis Arianos expugnat, & eorum errores totaliter confutat. Ruffinus itidem in explicatione Symboli validè Arium refellit, & Paulum Samosatenum convincit. Cassianus itidem Discipulus Joannis Chrysostomi septem libros de Incarnatione evulgavit, quibus plura inseruit contra Arianos, & consubstantialitatem Filii, ac veram Christi divinitatem asseruit, quod & præstitit S. Prosper lib. 3. de promissionibus & prædictionibus Dei cap. 2. & sequent. Sanctus Leo Papa epist. ad Flavianum, & frequenter in aliis epistolis, ac sermonibus & præsertim sermon. 2. de Pentecost. Arianorum hæresin refellit. Per alia itidem sequentia sæcula quotquot de Sacra Theologia scripserunt, hoc idem fidei dogma propugnârunt luculenter explicârunt, ac nervusè Arianorum, Sabellianorum, ac aliorum sectariorum errores impugnârunt. Imò eandem veritatem extra seriem sanctorum Patrum, ac Theologorum confirmârunt Sybillæ, quæ plura prædixerunt, harum enim testimonia congerunt Justinus Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Lactantius, Augustinus, & alii, quin Clemens lib. 6. Stromat. ante medium, asserit Apostolatum Paulum fuisse hortatum Ethnicos, ut Sybillas legerent, ex quibus constat, & passim citatur carmen celeberrimum Sybillæ Eritreæ, cujus capitales litteræ reddunt hanc sententiam *JEsus Christus Dei Filius Salvator crux*, & concluditur hoc disticho,

Unus & æternus Deus hic servator, & idem
Christus pro nobis passus quem carmina signant.

& superiùs de Christo venturo ad judicium eadem Sybilla dixerat.

Unde Deum cernent incredulus, atque fidelis.

Meminit horum carminum Eusebius post vitam Constantini, ubi refert Constantinum dixisse, quòd Cicero inciderit in hæc carmina, quæ latinitate donavit; & quamvis inter opera Ciceronis, quæ extant, non reperiantur hæc carmina, libro tamen de divinatione affirmat Cicero, se vidisse carmina Sybillæ, quæ literis initialibus Christum verum esse Deum ostenderint. Lactantius etiam *lib. 4. cap. 18.* & Augustinus *lib. 18. de Civit. cap. 23.* citant hæc carmina Sybillarum de Christi divinitate: *Ipsa tuum stulta Deum non agnovisti, sed spinea coronasti corona, horridumque fel miscuisti.* Referunt etiam hæc alia verba, *Et dabunt Deo alapas manibus incestis.*

CAPUT XII.

Satisfit iis, quæ contra Christi divinitatem objiciunt Sectarii ex Sacra Scriptura, & ratione.

MInistri Transylvani inferunt Christum non esse verum Deum, eo quia in scripturis nullibi se Deum nominaverit. Sed quam imbecillis, ac nullius sit hæc illatio momenti, tenentur sectarii fateri. Concedunt ipsi Christum fuisse verum mundi salvatorem, ac humani generis Redemptorem: sed Christus nunquam se nominavit salvatorem, nullibi se dixit humani generis Redemptorem: ergo non fuit mundi Salvator? ergo non redemit pretio sui sanguinis homines à famulitio Diaboli, à servitute peccati? negant Sectarii consequentiam cùm per solam fidem in JEsum Christum sperent fore, ut æternam sint salutem consequuturi. Potest quis humilitatis exercitio propriam reticere nobilitatem, cui silentium nihil adimat nobilitatis: quamvis quis virtutem sileat, vel dignitatem, qua claret; non tamen inde sequitur, non splendere tali virtute, non insigniri illa dignitate. Ratio est quia juxta regulam generalem dialecticorum ex præmissis negativis non potest quidpiam concludi. Non affirmativè; quia medius terminus, qui est tota ratio conjungendi, cum neutro extremo conclusionis est conjunctus: & conclusio affirmativa fundatur in connexione extremorum cum medio in præmissis. Nec potest quidquam concludi negativè; quia eatenus extrema separantur in conclusione, quia virtualiter separantur ratione medii in præmissis: quævis enim conclusio, ut sit illata, necesse est virtualiter contineatur in præmissis ex quibus infertur; & si conclusio sit negativa, non continetur in præmissis, nisi in illis contineatur illa virtualis separatio, & ex eo solùm potest contineri, quia unum extremum nectitur cum medio, & aliud non; Sicut ratio cur duo extrema simul nectantur est, quia nectuntur cum medio: ita ratio cur unum separetur ab alio, est, quia unum non nectitur cum medio, cum quo nectitur

tur aliud: quòd si medium cum nullo extremorum jungatur, non est ratio separandi, nec jungendi Sed omissis regulis dialecticis. Respondet D. Augustinus negando suppositum sectariorum; quia Christus apertè se profitetur Deum esse cum Joan. 14. ait: *creditis in Deum, & in me credite* quia sum ego ipse Deus: *ego & Pater unum sumus*, unum significans, eandem essentiam, naturam, substantiam Deitatem; in Patre, & Filio, & *sumus* in plurali distinctionem personarum: hinc quia Christus se Deum dixit seu ejusdem essentiæ, naturæ, substantiæ, ac Deitatis cum DEO Patre, Judæi audientes se DEUM dixisse, voluerunt illum lapidare. Joan. 10. *de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; quia tu homo cùm sis, facis te ipsum Deum.* Rursus cùm accusaretur apud Pilatum, dixerunt Judæi Joan. 19. *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Non per adoptionem, & gratiam, sed per naturam: alioquin non fuisset judicatus dignus morte; quia filius adoptivus est pura creatura rationalis sanctificata per gratiam: & de hac filiatione per adoptionem etiam ipsi Judæi gloriabantur dicentes; Joan. 5. *Patrem habemus Deum*; unde Judæi eatenus voluerunt Christum lapidare, quia filium naturalem se dixerat: & cùm Christus hanc accusationem silentio ratam habuerit, satis apertè se Deum fecisse intellexerunt Judæi, quem propterea quasi blasphemiam protulisset, voluerunt lapidare. Rursus cùm interrogaretur à Caipha Matth. 14. Tu es Christus Filius Dei benedicti? id non negavit, sed tacens se Filium Dei æterno Patri consubstantialem declaravit. Præterea dato etiam, quòd Christus nullibi se dixisset Deum: An non satis opera, quæ ipse fecit, præstantiorem omni creatura, ac supra omnes creaturas manifestârunt? nulla siquidem creatura potuisset signa facere, quæ ipse fecit; quòd si fuit præstantior omni creatura, fuit DEUS, qui suprà omnem creaturam est solus Deus: hinc Apostoli, & Evangelistæ ipsum Deum esse deprædicârunt, ac disertè Deum nominârunt, ut etiam Prophetæ.

Non tamen adhuc plenè acquiescunt Sectarii, sed objiciunt quosdam scripturæ textus, qui videntur innuere non eodem modo filium operatum esse omnia, quo ea operatus est Pater, citant verba Apostoli 1. Corinth. 8. *Unus est Pater ex quo omnia; & unus Dominus noster JESUS Christus, per quem omnia:* ex quo inferunt DEUM fuisse causam principalem, & Christum instrumentalem, subordinatam, ac dependentem à DEO. Sed contra quia ut superius fusè demonstravimus, particula *per* non denotat instrumentum, alioquin etiam Pater esset dicendus causa instrumentalis, quia subinde etiam Patri eadem particula tribuitur. 1. Timoth 1. *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem Filii ejus.* Tribuitur etiam eadem particula *per* simpliciter, & absolutè DEO ad Galat. 4. *Quòd si Filius, & hæres per DEUM* ubi Apostolus particulam *per* non potest DEO tribuere ad indicandam causam instrumentalem, quia DEUS non operatur ut instrumentum: ergo ex eo quòd Apostolus 1. Corinth. 8. dicat *unus Dominus JESUS Christus per quem omnia:* per illam particulam *per* non intelligit, Christum fuisse operatum ut instrumentum Patris, ut falsò putarunt Ministri Transylvani. Quamobrem creatura nec dicuntur per Filium factæ: quia Filius naturam, essentiam, substantiam, & Deitatem, ac reliqua attributa proinde etiam potentiam operandi accepit à Patre; hinc intelligimus Filium operari per principium, ac virtutem operandi; quam accepit à Patre vi æternæ generationis: & quia Filius habet eamdem naturam; ac potestatem operandi, quam habet Pater, manifestè sequitur, quòd, quoties operatur Filius, operetur etiam Pater per eamdem prorsus operandi potestatem: & hæc est ratio cur opera ad extra sint communia tribus personis, quia cùm Pater communicaverit filio vi generationis eamdem prorsus numerò naturam ac operandi potestatem; & Pater ac Filius simul eamdem omnino per Spirationem activam communicent Spiritui Sancto, adeo ut in tribus personis Divinis sit eadem prorsus natura, & potestas operandi, si una persona operatur ad extra, necesse est, ut aliæ etiam personæ operent: sicque opera ad extra communia totius Trinitatis.

Objiciunt secundò eò quia Filius in Sacris Scripturis passim dicatur accipere ab ipso Patre, quasi alioquin ipse non habeat Luc. 10. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Joan. 10. *Quod dedit mihi Pater majus omnibus est.* Ad Philip. 2. *Dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Matth. 8. *Data est mihi potestas* ad has, & alios similes textus respondent communiter Sancti Patres, Filium habere omnia à Patre per æternam generationem, quâ Pater intelligendo se ipsum producit ad intra Verbum, cui communicat suam propriam essentiam, naturam, substantiam, & Deitatem, ac omnia attributa absoluta, omnesq; perfectiones, adeout omnia quæ habet Pater, eadem habet Filius præter rationem relativam paternitatis; ex quo sequitur Filium esse Patri consubstantialem ac verum Deum de Deo vero. Præter autem prærecensita prædicata intrinseca, quæ per æternam originem Filius accipit ab æterno à Patre, Alia etiam dicuntur à Patre data Filio secundùm humanitatem; ut *nomen super omne nomen* ad Phil. 2. *Et omnis potestas in cœlo, & in terra* non tamen ut hæc Christus homo haberet immediatè secundùm humanitatem, ut falsò putarunt Ubiquetarii; sed ut illa haberet secundùm hypostasim suæ humanitatis, seu secundùm Personam, seu verbum incarnatum, ratione cujus natura humana Christi accepit omnem potestatem in cœlo, & in terra.

Objiciunt tertiò eo quia Filius ex scripturis non sit præditus iisdem attributis ac perfectionibus, ac Pater. Objiciunt enim illud Luc. 19. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus* ex quo inferunt, Christum non esse Deum, neque personam Christi consubstantialem Patri. Joan. 5. *Non potest facere à se Filius quidquam*; hoc est ut ipsi interpretantur, nisi dependenter, & ex imperio Patris, cui Filius propterea non est consubstantialis, sed illo minor. & illud Matth. 20. *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis.* Ut etiam illud Marc. 13. *De die autem illo nemo scit, neque Filius hominis:* seu neque Christus, qui propterea non habet eamdem cum Deo scientiam; & quia scientia in Deo non distinguitur ab ipso Deo, inferebant Christum non esse Deum; neque personam Christi consubstantialem Patri. Sed ex congestis sacræ scripturæ textibus non potest inferri, Christum non esse Deum. Ad primum respondetur, Christum non negare se bonum esse; sed tantùm redarguere illum, à quo Christus dicebatur bonus, & negabatur Deus esse: unde Christus eum reprehendit: quia cùm nemo bonus absolutè, & per essentiam sit, nisi solus Deus; & ipse negaret Christum Deum esse; perperam ex illius sententia asserebatur bonus absolutè, & per essentiam, nisi simul diceretur Deus: ita exponunt præcitatum textum sancti Patres; nominatimque S. Athanasius. Ad secundum

dum respondetur, quòd sicut persona Christi seu Verbum æterni Patris accipit à Patre ex vi generationis æternæ eandem prorsus essentiam, naturam, substantiam, Deitatem, & attributa, consequenter & ipsam potestatem operandi à Patre; ideo rectè ait Christus: Non posse Filium à se facere quidquam; quia potestatem faciendi accipit à Patre per originem generationis æternæ, quamvis per eandem generationem habeat Filius eandem prorsus naturam, & essentiam Patris, ratione cujus omnia possit ipse per originem omnia facere, quæ viderit Patrem facientem: ait Christus Joan. 5. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, quibus verbis non significat Christus, sibi deesse potentiam ad faciendum; sed quòd illam potentiam non habeat à se, sed à Patre per generationem, ut explicant Sancti Patres, Gregorius Nazianzenus orat. 4. S. Ambrosius lib. 4. de fide. cap. 3. & alii. Quinimo hunc scripturæ textum D. Gregorius retorquet contra Arianos: quia si nil à se Filius facere potest, sequitur, ipsum non esse puram creaturam: quia omnis creatura potest à se saltem peccare. Præterea Christus eodem loco subjungit Joan. 5. *Quæcunque Pater facit, hæc similiter & Filius facit*: ex quo sequitur, Filium esse æquè omnipotentem cum Patre: alioquin non posset similiter facere, quæ Pater facit. Si dicas, Filium discere à Patre, proinde similiter facere; ex quo sequitur esse inferiorem Patre, perinde ac discipulus est magistro inferior. Contra, quia Christum videre Patrem facientem non est personam Christi discere à Patre, quæ facienda sint per doctrinam; sed scientiam Filii, sicut & potentiam, ac reliqua attributa à Patre esse per generationem; unde Filius scientiam, quomodo debeat facere, sicut & potentiam, quâ fuit, accipit à Patre, à quo cùm per originem generationis accipiat eamdem omnino naturam, & essentiam, debet etiam accipere omnia attributa: unde Apostolus ad Coloss. 2. *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* Ad tertium respondet D. Augustinus lib. de Trinit. cap. 12. Id intelligendum esse secundum humanam naturam, cujus respectu mater filiorum Zebedæi petebat suis filiis, ut Christi consanguineis dari primas sedes, ac dignitates in regno suo: unde respondit Christus: Non est meum, ut homo sum dare vobis. Pulchra est etiam interpretatio D. Cyrilli lib. 10. Thes. cap. ubi ait Christum verbis illis: *Non est meum dare vobis*, non negare se habere dandi potestatem; quinimò illam potiùs affirmare, cum subjungat; *sed quibus paratum est*, si negaret, se habere talem potestatem, non affirmaret, se illam habere dandi, quibus paratum est: cùm igitur habeat dandi, quibus paratum est: sequitur potestatem illam dandi habere, sed quibus paratum est ob merita anteactæ vitæ, non titulo consanguinitatis, ut vos petitis.

Ad alium textum desumptum ex Evangelista Marco 13. *De die autem illo nemo scit, neque Filius hominis*, respondetur, varias esse sanctorum Patrum interpretationes, quæ tamen conveniunt cum expositione Sancti Athanasii *Serm. 4. contra Arianos* post medium, & D. Basilii *lib. 4. contra Eunomium prope finem*, cui etiam adhæret D. Gregorius Nazianzenus *orat. 4. de Theolog. circa fin.* estque interpretatio tria includens, primò quòd absolutè quidem fuerit Christo notum extremum judicium & tempus, seu dies, quo debet contingere, ac proinde minimè Christum verbis illis significâsse, nulla ratione se eum diem scire, idque evincitur pluribus argumentis primò, quia cognoscebat Patrem suum, quod est longè majus, & ex eo, quia Patrem suum cognoscebat, ea etiam omnia illi nota erant, quæ in Deo sunt, consequenter habuit notitiam illius diei, quo erit judicium extraneum futurum. Secundò quia omnia, quæ sunt Patris, sunt etiam Filii, & quia cognitio diei illius erat procul dubio in Patre, ita & in Filio, cujus scientia, omnipotentia, essentia, & natura ast prorsus eadem cum Patre. Tertiò quia Filius est ipsa sapientia Dei Patris, & in Filio dicuntur absconditi omnes thesauri divinæ sapientiæ, consequenter & scientia illius diei. Quartò quia nullus artifex dicitur ignorare suum artefactum, & cùm Filius sit cum Patre, & Spiritu Sancto artifex sapientissimus totius mundi, & omnium sæculorum, fuit procul dubio etiam artifex illius extremi diei, cujus notitia debuit Christo inesse. Quintò quia cum Christus die illo sit venturus ut Judex, non debuit tempus, quo erat judicandus homines, eum latere, quia pertinet ad Judicem scientia diei sententiæ dicendæ. Sextò quia signa proximè præcedentia diem illum ei sine dubio innotuerant, ut ait Athanasius cit. sermon. 4. inquiens: *Neque Filius ubi Discipulis recenset ea, quæ diem illam antecedunt, dum inquit, ista, & ista futura sunt, ac dum denique finis. Jam qui ea, quæ diem illam antecedunt, eloquitur, omnino in cognitione sua diem habet, quæ post res pronuntiatas subsecutura est.* Ex eo autem, quòd signa præcedentia diem illam extremi judicii innotuerunt Filio, dicendum ast, nec ipsum latuisse diem illam extremi judicii, quia, ut scitè, argumentatur S. Gregorius Nazianzenus: *Quomodo rem aliquam ignoret ipsa sapientia, ille sæculorum factor, ille consummator, atque immutator, ille rerum, quæ geruntur, finis, ille ea, quæ Dei sunt non minus cognoscens, quàm spiritus hominis, ea quæ in ipso sunt? qui verò constat ipsum, ea quidem, quæ horam illam antecedunt, ac quæ vel in ipso finis articulo posita sunt, exactissimè scire, ipsam autem horam ignorare? enigmati quippe res hæc similis est, perinde ac si quis ea, quæ ante murum sunt, certissimè se scire affirmet, murum autem ipsum ignorare se fateatur, aut diei finem probè sciens, noctis principium minimè agnoscat; ubi alterius cognitio alterum necessariò secum introducit.* Quamobrem cùm persona Christi fuerit Filius æterni Patris, & ipsa sapientia, ac virtus Patris, non potuit ipsum latere dies extremi illius judicii.

Inde asserunt secundò Patres, & sensum explicant, quo Christus dixerit de die illa, neminem scire, neque Filium hominis, scilicet Filium hominis nescire de die illa naturali facultate humanæ intelligentiæ suæ, ac scientia, ut ajunt, experimentali, quia anima Christi, cùm nondum fuerit tempus illud experta, rectè dicitur de die illa nescire, seu nullam habere scientiam experimentalem.

Tertiò respondent, Christum modo illo absolutè negandi voluisse retundere Discipulorum curiositatem, quibus ignorantia illius diei utilior erat: hinc D. Augustinus respondet, Christum illa responsione significâsse, se diem illam nescire non tamen simpliciter, sed ut aliis revelaret, eò quia cum nihil utilitatis essent, ex tali scientia percepturi, illorum utilitatis studiosus, dixit se nescire de die illo, quia nescivit majus emolumentum discipulis accessurum ex illius scientia, estque interpretatio D. Athanasii loc. cit. ubi concludit, quod nulla in Christi verbis fuerit falsitas, licèt diem illum sciverit, ait ipse: *Veram eam ipse sententiam significavit, tametsi eam justa de causa texerit sermonis ambiguitate, propter utilitatem eorum, cum quibus loquebatur.*

Quartò Sectarii Samosateniani objiciunt illos scripturæ textus, quibus Christus asseritur verus

homo, & idem ipse homo Christus Filius Dei affirmatur: ex quo inferunt, non esse illum alia naturâ præditum nisi humana, consequenter non esse Deum, sed purum hominem, & in illis scripturæ locis, obi dicitur Filius Dei, dicunt esse intelligenda verba de filiatione per adoptionem, adeo ut Christus in illis scripturis dicatur Filius Dei tantùm adoptione: ut Servetus in suis de Trinitate Dialogis frequenter repetit, & recoquit eandem gambrem, quam veteres Samosateniani jam produxerant, & D. Athanasius *Serm.* 4. *contra Arianos* exprobraverit, eò quia à Caipha, & Judæis hanc didicerint objectionem. Judæi enim Joan. 10. dixerant: *De blasphemia accusamus te, quia tu cùm homo sis, facis te ipsum Deum.* Respondetur Christum, quando in scripturis dicitur Filius Dei, intelligi esse Filium naturalem, & non per adoptionem, unde Joan. 10. *Hic enim est Deus noster, & non reputabitur alius ad eum.* Vocatur Deus noster per naturam, & essentiam, eò quia non possit alius reputari ad eum, & quod Christus sit hic Deus, habetur Baruch. 3. ubi loquens de Deo vero ait: *In terris visus est, & in hominibus conversatus est,* scilicèt Christus Dominus verus Deus, & verus homo, quia persona Christi est illud Verbum, quod erat in principio apud Deum, & Deus erat Verbum: siquidem hoc idem *Verbum,* quod erat Deus, Joan. 1. *Caro factum est, & habitavit in nobis,* adeo ut Verbum fuerit simul Deus, & homo propter carnem assumptam, qua nobis fuit vissibilis, & habitavit in nobis, quapropter prædixerat Isaias 7. Hic *vocabitur Immanuel,* quod perinde significet, ac nobiscum Deus, & Apostolus ad Philip. 2. has duas in Christu naturas, divinam, & humanam, ut illos edoceret, scribit: *Deo cùm esset æqualis, formam servi accepit, & habitu inventus est ut homo,* hoc est, inventus est habitu ut homo, propter carnem seu naturam humanam, quam assumpsit Verbum, fueritque propterea persona Christi verus Deus, & verus homo.

Quintò objiciunt Sectarii eas scripturas, quæ indicant, Christum esse differentem personam à Deo, ac propterea non esse Deum, & citant Joan. 2. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum Deum meum, & Deum vestrum,* ubi Christus dicit Deum æquè Patrem suum, ac Patrem Discipulorum, sed Discipuli fuerunt tantùm Filii Dei per adoptionem, non per naturam, ergo, & Christus se declaravit Filium tantùm per adoptionem, hinc Matth. 27. confirmans hanc filiationem adoptivam ait: *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me?* sin autem fuisset verus Deus, & Filius naturalis, non potuisset derelinqui à Patre, seu Deo, quia idem non derelinquit se ipsum, sed aliam personam à se distinctam. Sed contra, quia cùm dogma fidei sit, ut paulò ante explicuimus, inesse Christo duas naturas, divinam, & humanam, secundùm hanc dixit ascendere ad Patrem meum, & Patrem vestrum, non tamen inde sequitur esse Filium adoptivum, quia denominatio filiationis adoptivæ cadit supra personam, & in Christo persona erat Verbum, quod in principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum: & quia Verbum, hoc est, ipse Deus, ac Filius naturalis æterni Patris est, non potuit Christus dici Filius adoptivus, tametsi ratione humanæ naturæ à se assumptæ, dixerit Joan. 20. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.* Neque ex modo illo dicendi Deum meum, & Deum vestrum infertur, non esse Deum, quia secundùm hypostasin erat Deus. Similiter quando Matth. 27. dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me,* fuit locutus secundùm humanitatem assumptam, & prout erat homo, in quo sensu etiam dixerat: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

Sextò objiciunt etiam Sectarii illa scripturæ loca, in quibus videtur significari, Christum esse puram creaturam, & Proverb. 8. *Dominus creavit me initio viarum suarum,* ex quo loco Ariani epinicium sibi canebant, asserentes Christum esse puram creaturam. Rursus adferunt illud Apostoli ad Philip. 2. *Dominum, & Christum fecit illum,* hoc est, Deus fecit Christum, qui propterea est pura creatura, sicut aliæ à Deo factæ. Et Joan. 1. ait: *Ante me factus est,* & ad Hebræ. 1. *Tantò melior Angelis effectus,* & ad Hebræ. 3. *Fidelis est ei, qui fecit illum,* ex quibus verbis inferunt, Christum fuisse factum, seu à Deo creatum, perindeac creatæ sunt reliquæ creaturæ. Sed contra, quia sancti Patres communiter respondent in præfatis scripturæ locis tantùm significari, Christum fuisse factum, & creatum secundùm naturam humanam, quam assumpsit, non verò ratione naturæ divinæ, quam Verbum ex vi generationis æternæ, semper habuit, Verbum enim, quod in principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum, ipsum assumpsit naturam humanam, & secum in Christo traxit divinam, quapropter licet Christus secundùm naturam humanam dicatur factus, creatus, formatus, non ita secundùm personam, seu Verbum incarnatum, & naturam divinam. Christus igitur initium daturus operi nostræ redemptionis dixit: *Dominus creavit me initio viarum suarum:* seu formavit in utero Virginis corpus meum humanum, ut initium ponerem humanæ redemptionis, ut interpretantur septuaginta, idque firmatur ex illo Isaiæ 49. *Et nunc hæc dicit Dominus, qui formavit me ex utero servum sibi, ut congregem Jacob, & Israel ad eum,* quæ verba expendens Athanasius ait: *Ecce hic non fit, formatur, (quod intelligitur secundùm servilem naturam humanitatis) sed ut congreget tribus, qua antequam formaretur, existebant: nam ut illic creavit, ita hic formavit: & ut opera, ita hic ut congregem collocatum vides.* Fuit igitur Christi humanitas in Virginis utero formata, ut congregaret Tribus, ac opus nostræ redemptionis inchoaret. Neque obstat, quòd Proverb. 8. dicatur: *Dominus creavit me* in præterito: quia in scripturis, quæ de futuro dicuntur, solent verbo præteriti temporis significari, ut nimirum intelligatur adeo certa esse, perinde ac certa sunt, quæ jam contigerunt, hinc David loquens de Christo nondum in terris nato, ait de præterito Psal. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Alii illud verbum *creavit* explicant, quòd idem significet, ac præficere, ut sensus sit Filium à Patre fuisse præfectum omnibus divinis operibus, in quo sensu in Republica Magistratus dicitur creari, in electionibus etiam superior creari dicitur, tribuitur hæc explicatio Dionysio Pontifici apud Athanasium *in epist. de decret. Nicænæ Synodi.* Alii verbum illud *creavit* explicant, quòd significet æternam Filii generationem, non productionem ex nihilo. Nam etiam sapientia de se ipsa dicit Proverb. 8. *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram: ante omnes cælos ego parturiebar.* Cur verò verbum gignendi, & creandi intelligatur idem significare, explicat D. Hilarius, ut nimirum perfectio processionis Filii à Patre commodius, clarius, ac plenius intelligeretur; dicitur creatio, ut intelligatur simplicitas divinæ generationis, quia sicut creatio non est ex aliqua præexistenti materia, perinde immutabilitas Patris producentis simplicissima est, & Filium generavit ex propriam naturam, essentiam, substantiam, & Deitatem communicando; ad quod signi-

significandum dicitur etiam productio, qua Filius accipit à Patre eandem suam naturam, & essentiam, generatio ut significetur Filii cum Patre consubstantialitas, ut censet D. Athanasius *serm. 5. contra Arianos*; qui id explicat explicat exemplo, siquidem in scriptura Filii vocantur servi, quamvis non sint servi suorum Patrum, sed ob reverentiam quam suis exhibent genitoribus, & tamen non desinunt esse Filii: quo pacto Reg. 1. Bersabeæ loquens de Salome cum Davide vocat eum servum ejus, tametsi filius fuerit Davidis: sic filii interdum dicuntur non gigni, sed fieri, quamvis revera gignantur. Perinde verbum *creavit* sumitur pro generavit. Aliam explicationem addit S. Athanasius loc. cit. dicens: sapientiam genitam dici creatam, non in se, sed in suis exemplaribus, quæ sunt ipsæ creaturæ, ait ipse: *Non enim creatur creatrix sed propter imaginem suis rebus creatis ingenitam ipsa se creari dicit. Et quemadmodum ipse Dominus locutus est; qui vos excipit, eò quia formula ejus in nobis sit: ita quoque tametsi res creata illud ipsum non sint, quod ille est, tamen ob simulacrum, & formulam, quæ in creatis est velut ipse creatur.* Ad aliud desumptum ex D. Paulo ad Phil. 2. *Dominum & Christum fecit illum.* Omnes Patres intelligunt de Christo secundùm humanitatem, perinde ac intelligunt aliud ex eodem Apostolo ad Roman. 1. *Qui factus est ei semine David secundùm carnem*, ut explicat D. Basilius *lib. 2. contra Eunomium.* Aliud: *Ante me factus est*, perinde significat, ac mihi prælatus, & antepositus est, eò quia prior me erat. Item cùm dicitur *Tantò melior Angelis effectus*, sensus non est, quòd Filius fuerit factus tantò melior Angelis, sed declaratus illis longè perfectior, ut explicat Theophilactus: eodem pacto etiam explicantur verba Apostoli dicentis: *Fideli est ei, qui fecit illum.* sensus non est, ut Christus fuerit absolutè factus; sed quòd factus Pontifex secundùm humanitatem.

Septimo objiciunt sectarii ea scripturæ loca, in quibus Christus asserit Patrem suum solùm Deum esse Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*, quod etiam D. Paulus. 1. Cor. 8. significat inquiens: *Nobis unus est Deus Pater, & unus Dominus Jesus Christus*: ex quibus inferunt sectarii novi Ariani ac Ministri Transylvani, Christum esse purum hominem, & non Deum. Sed contra quia quando Christus in scripturis ait Patrem suum solum esse Deum, non se excludit ab illa ratione Deitatis, quia cùm persona Christi sit ipsum Verbum, quod in principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hæc persona Christi utique est Deus, unde Christus tantùm voluit excludere à vera divinitate multitudinē illam falsorum numinum quæ ab Ethnicis colebantur ut Dii. Imò tantùm abest, quòd se ipsum voluerit excludere à Patris divinitate, ut eam sibi tribuerit, quia cùm Patrem suum vocet solùm Deum, se illius Filium esse declarat, sed non per adoptionem, ergo Filium naturalem, quem misit, quando Verbum caro factum est: est enim Verbum apud Deum ipse Deus, cùm dicat Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* hinc Christus hanc suam divinitatem hominibus manifestaturus dixit Joan. 17. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*, quia nemirum persona Christi est illud Verbum, quod in principio erat apud Deum. & Deus erat Verbum Sancti Patres præsertim Gregor. Nazianz. *orat. 4. de Theolog.* Athanas. *serm. 4. contra Arianos post init.* S. Basilius *lib. 4. contra Eunomium in fin.* S. Chrysost. *homil. 22. in Matt.* ex eò quòd solus Pater dicatur esse verus Deus aut absolutè unus Deus, probant etiam Filium & Spiritum Sanctum esse verum Deum, eò quia tres personæ divinæ sint unum quid secundùm essentiam, naturam substantiam deitatem, & reliqua attributa, quia quando Pater absolutè vel solus verus Deus esse dicitur, tunc de Patre prædicatur illud idem esse, quod est in Deo essentia, natura, substantia, Deitas, & tota illa absoluta perfectio, quæ communicatur à Patre per generationem Filio, & à Patre, & Filio per spirationem activam Spiritui Sancto, proinde cùm illud idem esse absolutum quod prædicatur de Patre, sit illud idem esse, quod habet Filius, & Spiritus Sanctus, sequitur, quod cùm Pater dicitur absolutè verus Deus intelligamus de Filio, & de Spiritu S. unde ex eo, quòd Christus dixerit Patrem suum solum esse Deum, non se negavit, sed potiùs affirmavit esse Deum. Tum quia quando solus dicitur verus Deus, non intelligitur tunc Pater sine suo Verbo, & sapientia, nec sine suo spiritu, sed intelligitur Pater cum tota sua perfectione, proinde cum sapientia, & spiritu; sed sapientia in Deo, est ipse Deus, ut etiam Spiritus, ergo tunc etiam Filius unà cum Patre dicitur Deus, ut etiam Spiritus S. ut infert S. Athanas. *in epist. ad Serap. circa medium* cùm enim Filius sit sapientia quæ est in Patre, & nulla sit in Patre perfectio, quæ non sit Deus sequitur evidenter personam Christi, quæ propriè est Verbum, & sapientiam Patris esse verum Deum. Hinc 1. Joan. 5. Filius dicitur etiam verus Deus. Tum quia in illis scripturæ locis, in quibus Filius solus dicitur esse verus Deus, non excluditur Pater à ratione Deitatis, ut notat S. Basil. *lib. 4. in Enom.* in illud Baruch. 3. ubi de Filio dicitur: *Hic est Deus noster & non æstimabitur alius adeum.* & quòd ibi sermo sit de Filio, qui naturam humanam assumpsit, ostendit Isaias 45. *Non est absq; te Deus, Deus Israel Salvator*, ut notat S. Cyprian. *lib. 2. ad Quirin. cap. 6.* Quamobrem cùm Apostolus vocat solum Christum Dominum, non excludit Patrem, ut nec etiam quando Pater vocatur solus Deus, non excluditur Filius. Hinc Origenes ad cap 8. epist. ad Rom. ait: Quòd quando in scripturis persona aliqua divina videtur excludi, tunc sermo est de diis, qui falsò dicuntur Dii, ut etiam notat D. Basil. inquiens, ad eos tantùm qui falsò dicuntur Dii, referenda sunt. ut cùm in Deut. 32. dicitur: *Dominus solus Dux ejus fuit. & non erat cùm eo Deus alienus*, ubi excluduntur falsi Dii: quando verò scripturæ unum Deum verum absolutè prædicant, tunc includuntur tres personæ divinæ, eò quia omnes tres sint illud unum, quod est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Octavò congerunt sectarii cum antiquis Arianis omnia illa scripturæ loca in quibus Filius dicitur inferior, & minor patre Joan. 14. *Pater major me est.* 1. Cor. 15. *Tunc & ipse filius subjectus erit ei.* Joan. 14. *Et sicut mandatum dedit mihi Pater.* Quòd si Filius accipit mandatum à Patre, necesse est sit minor, & inferior illo, quia proprium est inferioris mandatum accipere à superiore; ex quo inferebant Ariani, Filium esse minorem, ac inferiorem Patre. Hinc Joan. 6. ait Christus *non veni facere voluntatem meam* ergo quia erat Deo inferior, cujus voluntatem exequebatur, & Apostolus ad Hebr. 6. loquens de Christo dicit. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Si interpellat pro nobis: ergo ipse per se immediatè gratiam non impertitur, sed Deum rogat, ut eam nobis impertiat, proinde Christus non est Deus, quo argumento utuntur ministri Transylvani. Sed hæc & alia id genus à sacris petita scripturis non obstant; quia ut superiùs explicui, in Christo duæ dantur naturæ, divina una quam verbum caro factum secum traxit, alia humana; illa æqualis est æterno Patri; hæc inferior; quando igitur in sacris Scripturis Christus dicitur inferior, minor Patre, intelliguntur Scripturæ de Christo secundùm naturam humanam, & quatenus homo; quando verò Christus dicitur Patri æqualis, vel omnipotens, Creator,

tor, & Deus, tunc Scripturæ loquuntur de Christo secundùm naturam divinam, & quatenus Deus est: huc accersendus divus Athanasius lib. de suscepta natura contra Apollinarium inquiens: *Hæc humana verba humilitatis Filii Dei, ideo ad constituendam suam blasphemiam heretici detorquent, quia nolunt attendere Apostolo de Christo dicenti; quòd propter nos cùm divus esset, factus est pauper, ut nos illius inopia divites fieremus.* Ait Athanasius Hæreticos ad deprimendam Christi majestatem, eumque deprædicandum minorem Patre, ac puram creaturam ea tantùm selegisse Scripturæ loca, quæ de Christo loquuntur secundùm naturam humanam, & prout homo est natus de Maria Virgine; & dolosè ea reticent Scripturæ loca, quæ illum ab æterno genitum à patre, & æqualem Deo declarant. Quòd si non illum tantummodo, ut est in forma servi, pauper, & humilis, cogitarent; sed etiam ut in forma Dei, Deo æqualis, non absolutè ea congestis Scripturæ locis eum Patre inferiorem adstruerent; sed adderent secundùm naturam humanam, quâ est homo; sed id reticent utpote minimè congruum suæ hæresi. Non enim in sacris Scripturis Christus dicitur solummodo minor Patre; sed etiam æqualis; & Deus expressè vocatur: ex quo sequitur, quòd Christus secundùm aliquam rationem sit minor patre, scilicet secundùm rationem humanitatis, & prout est homo; & secundùm aliam rationem, id est ratione verbi divini, seu personæ, ac naturæ divinæ sit æqualis Patri, ut Deus. Est communis regula Sanctorum Patrum, ut quæ de Christo dicuntur humilia, & Deo inferiora, intelligantur de Christo ut homine, seu secundùm naturam humanam; quæ verò de Christo dicuntur ut æquali Patri, ut omnipotenti, & Deo; intelligantur de Christo secundùm personam, & naturam divinam. Unde Christus minor, & subjectus & obediens Patri est secundùm humanitatem, secundùm quam dicitur factus paulò minor ab Angelis, ut notavit S. Athanasius; secundùm verò divinitatem dicitur Joan. 10. *Æqualis est Deo, & unum* cum Patre, quia eadem deitas Patris communicatur Filio: & Apostolus ad Hebræ. 1. ait: Tantò melior Angelis factus est, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Quòd si ministri Transylvani, & alii Sectarii non intelligunt, pudore suffusi audiant quid illis respondeat S. Athanasius serm. 2. contra Arianos, *Reddite quæ sunt hominis homini, quæ sunt Dei Deo.*

Objiciunt nonò à ratione: hoc pacto Christus est verus Filius Dei, ut passim habetur in Scripturis: ergo non est Deus. Probant consequentiam quia Deus est ens simpliciter primum: sed Filius non est ens simpliciter primum, quia de ratione Filii est ut sit ab alio, & quod est ab alio, non est ens simpliciter primum, quia supponit aliam personam à qua est: ex quo inferunt Filium non esse Deum; quia nomine Dei omnes intelligunt ens simpliciter primum. Discipuli Serveti, & ministri Transylvani putant hoc unico argumento totam in Christo evertisse divinitatem, non intelligentes se totaliter avertisse à veritate. Confirmant ea eo quia Christus passim in Scripturis se dicit Filium esse illius Dei veri Israel: ergo non est ipse ille verus Deus Israel, quia inter Patrem & Filium necesse est detur distinctio, qua Pater non sit Filius. Sed contra negatur consequentia, & ad ejus probationem negatur major. Quia Filius, licèt ratione filiationis sit à Patre, ita tamen per productionem originis est à Patre, ut eamdem prorsus essentiam, naturam, substantiam, & deitatem Patris accipiat, sitque propterea eadem prorsus essentia, substantia, & deitas Patris; adeo ut Pater & Filius non distinguantur nisi per solas, ac præcisas relationes Paternitatis, & Filiationis, & in reliquis sint illud unum, quod est in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, & sicut illud unum includens essentiam, divinam naturam, substantiam, deitatem, & reliquas divinas perfectiones est verus Deus, ideo æquè Filius est verus Deus, ac Pater: & ratione ejusdem essentiæ, & naturæ est ens simpliciter primum, in quo non solùm Pater continetur, sed etiam Filius, & Spiritus S. sintque propterea tres personæ unus Deus, unum ens simpliciter primum: unde sola filiatio generatur, non essentia in Filio, quia essentia divina non generatur, sed eadem prorsus quæ est in Patre, communicatur Filio per generationem originis, adeo ut tota prioritas in Patre sit tantùm originis, quatenus Filius generatur à Patre; non verò prioritas naturæ, quia excludit omnem rationem dependentiæ, non enim Filius dependet à Patre, cùm sit eadem prorsus essentia, natura, & substantia Patris; alioquin idem dependeret à se ipso, quod repugnat: hinc multò minus Pater est prior tempore Filio. Ad id quod addebatur in Confirmatione, Filium in Scripturis se passim dicere Filium illius veri Dei Israel. Respondetur Filium non se dicere Filium Dei Israel, quatenus simpliciter includit essentiam, & naturam, sed quatenus est etiam persona Patris; quia Filius producitur à Patre, seu à Deo solo Israel includente personam Patris; ita tamen ut persona Filii sit etiam ille verus & solus Deus Israel, eò quia ratio Filii in eodem solo vero Deo Israel includatur.

Objiciunt decimò ministri Transylvani cum Serveto nos Catholicos excitare ac renovare antiquum errorem Ebionitarum; eò quia asseramus Filium Dei æternum sibi univisse humanitatem; qui error fuit Ebionis, & Cherinti: hi enim docuerunt Christum æternum descendisse in hominem, qui vocabatur JESUS, & habitâsse in illo ut refert Irenæus lib. 3. c. 19. Sed contra tantùm abest, Catholicos renovâsse vetustissimã hæresim Ebionitarum, ut eam potius radicitus evellant. Catholici siquidem docent Filium Dei generari ab æterno per intellectum æterni Patris, quatenus Pater intelligendo ab æterno se ipsum producit verbum, de quo loquens Joannes Evangelista ait Joan. 1. *In principio* (seu ab æterno) *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Seu Verbum non ut accidens adscititium inhærebat Deo; sed erat ejusdem prorsus essentiæ, naturæ, substantiæ, ac Deitatis cum Patre, quapropter pergit Joannes: *Et Deus erat Verbum, hoc erat in principio,* seu ab æterno apud Deum: *Omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil,* quia opera ad extra communia sunt Patri, Filio, & Spiritui S. non enim Pater per Filium quasi per instrumentum à se distinctum creavit mundum, ut superius ostendimus, sed omnes tres personæ in una eademque simplicissima essentia, natura, substantia, & deitate ut causa principalis efficiens crearunt mundum. Pergit Joannes Evangelista, & recensito adventu Joannis Baptistæ præcursoris Christi; explicat quomodo Filius æterni Patris, seu secunda persona Sanctissimæ Trinitatis, quam dixerat verbum esse apud Deum, & Deum esse hoc verbum, assumpserit nostram humanitatem, & Dei Filius homo factus nobiscum habitaverit: *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Hinc docent Catholici hoc verbum quod assumpsit nostram humanitatem, esse illum hominem, qui dicitur JESUS Christus constans ex duabus naturis divina, & humana, & ex una sola persona verbi, trahente secum naturã divinam, cum qua identificatur, & qua natura humana carens propriâ personalitate subsistit. Unde non Christus æternus, seu Deus & homo simul descendit in hominem Jesum, sed verbum solum assumpsit naturam humanam. Unde non Catholici, sed ministri Transylvani renovant hæresim Ebionis, & Cherinti: isti docuerunt, Jesum ut purum hominem fuisse ex Maria conceptum, neque personam Christi Jesu ante illam extitisse, ut testantur veteres Patres, Irenæus lib. 1. cap. 25. & 26. ait, se-

cun-

cundum Cerinthum *Jesum fuisse Joseph & Mariæ Filium similiter ut reliquos homines.* Nam enim Cherinthus hunc hominem Jesum Christum ab aliis discrevit hominibus, sed similem aliis edixit, quod hæreticum est, quia Christus fuit simul verus Deus, & verus homo. Ebionem eandem asseruisse hæresim fatetur Tertullianus lib. de carne Christi inquiens: *Ebion nudum hominem & tantum ex semine David non & Dei Filium constituit Jesum.* Hoc idem repetit *lib. de præscriptionib.* Meminit etiam hujus hæresis Epiphanius lib. de hæres. 30. ubi ait: *Ebion ex semine viri, hoc est ipsius Joseph Jesum esse decrevit*, quod etiam testantur Eusebius *lib. 3. cap. 21.* Hieronymus *lib. 1. de scriptorib. ecclesiast. in Joan Evangelist.* Augustinus *hæres.* 10. & Ignatius Martyr *in epistol. ad Philadelph.* ubi ait: *Qui dicit, Jesum purum esse hominem, serpens est mentis inops, cognomine Ebion.* Argutè vocavit Ebionem mentis inopem, eò quia vox Ebion Hebraicè idem significat, ac mendicum, seu inopem, ut notat Eusebius *lib. 3. histor. cap. 21.* Rursus Ebion, & Cherinthus, ut refert Irenæus *lib. 2. cap. 25. & lib. 3. cap. 19.* asseruerunt *descendisse in specie columbæ in hominem JESUM anno ætatis ejus trigesimo quandam aliam personam spiritualem, quam Christum nominabant, & tunc virtutes perfecisse: in fine autem revolasse iterum Christum de Jesu, & Jesum passum esse, & resurrexisse, Christum autem impassibilem perseverâsse.* Ex quibus constat, quantum doctrina Catholicorum distet ab hæresi Ebionis, & Cherinthi: isti enim asserunt Jesum fuisse purum hominem conceptum ex homine, & natum; Catholici verò docent, Christum non esse purum hominem, sed simul verum Deum, & verum hominem, & non fuisse conceptum ex semine Joseph, sed ex purissimo sanguine Virginis Matris ope Spiritûs sancti. Illi unicam tantùm in Christo agnoverunt personam humanam: Catholici verò docent naturam humanam in Christo caruisse propria personalitate, & fuisse suppositatam per personam Verbi assumentis carnem humanam. Illi docuerunt Christum nullo modo extitisse, priusquam conciperetur ex Maria: Catholici verò docent personam Christi, seu Verbum æterni Patris fuisse æternum, & extitisse ante Mariam, & mundum conditum. Rursus docent Catholici hoc Verbum æternum carnem factum fuisse, seu assumpsisse naturam humanam, & proinde Dei Filium fuisse etiam conceptum ex Maria, & unam tantùm personam in homine JESU Christo fuisse, quod Ministri Transylvani cum suo Serveto, Ebione, & Cherintho fassi non fuerunt, siquidem in eorum sententia Verbum non fuit caro factum.

Objiciunt undecimò, quia Christus ex Apostolo 1. ad Tim. 3. est Mediator Dei, & hominum, ex quo inferunt non esse Deum, eò quia Mediator debeat esse distinctus ab illis personis, inter quas est Mediator, si enim Deus esset, non posset apud Deum esse hominum mediator, alioquin idem esset mediator sui ipsius. Sed contra, quia Christus rectè ab Apostolo, quamvis non sit purus homo, dicitur mediator Dei & hominum: quia Christus ut jam explicuimus, constat ex duabus naturis divina, & humana, & ex persona Verbi assumentis naturam humanam, & secum trahentis divinam in homine. Christus igitur ab Apostolo dicitur mediator Dei & hominum, non ut Deus est, sed ut homo subsistens subsistentia personæ divinæ, fuit munere mediatoris nostri functus; unde fuit etiam Mediator noster apud Deum, quatenus non simpliciter Deus nec simpliciter homo, sed simul Deus & homo, quo pacto distinguitur à simplici, & puro Deo, & à puro homine, & intelligitur mediare inter Deum, & hominem, eò quia particeps de utroque: hinc falsum est, quod asserunt Sectarii non potuisse Christum, ut Deum fungi munere Mediatoris, quia Christus ut Deus simul, & homo, est veluti persona media, licèt enim ratione personæ simpliciter sumptæ sit verus Deus, ut tamen & persona, perficit humanitatem, quam assumpsit, & particeps de homine, ut etiam homo de divinitate, est verus mediator, & nisi esset simul Deus, & homo, perfectus mediator esse non posset, ut notavit S. Athanasius *lib. de suscepta humanit. contra Apolinar.* & Irenæus *lib. 3. cap. 59.* & communiter alii Patres.

Objiciunt duodecimò, quia Actor. 2. Homo, qui dicitur JEsus factus, est Dominus, adeoque etiam Deus, habetur enim in Act. *Certissimè sciat omnis domus Israel, quia & Dominum & Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* Cùm igitur dicatur factus jam non est æternus, consequenter neque Deus: siquidem non est natura Deus æternus, si natura æternus est Deus; sed Deus ex propria natura est æternus, & non factus ex tempore: & Christus è contra non est ex natura Deus æternus, sed factus est Deus ex tempore, ergo non est verus Deus. Sed contra respondetur hoc argumentum fuisse olim Arianorum, ut asserunt S. Athanasius *serm. 3. contra Arianos.* D. Cyrillus *lib. 9. thes. cap. 3.* D. Basilius *lib. 2. contra Eunom.* & nitebantur hoc argumento demonstrare Christum esse purum hominem, & non verum Deum, eò quia verus Deus sit æternus, & non ex tempore factus, ad quod argumentum responderunt præfati Patres, Christum Jesum non fuisse ex tempore factum Dominum, & Deum secundùm hypostasim, & naturam divinam, sed tantùm secundùm humanitatem, qua fuit passus crucifixus, & mortuus. Neque dicunt Patres ita fuisse factum Dominum, & Deum secundùm humanitatem, ut juxta eandem esset immediatè Dominus & Deus; sed ut esset Deus, & Dominus secundum hypostasim humanitatis, quòd cùm Verbum assumpsit humanitatem, verum fuit, quod humanitas Christi divinitatem acceperit non in se, adeò ut ipsa humanitas facta fuerit ipse Deus, sed in sua hypostasi. Cùm enim Verbum divinum fuerit æternum apud Deum, & Deus esset ipsum Verbum, & hoc postea non nisi in tempore nostram humanitatem assumpserit, tunc quando Verbum caro factum est, Deus dicitur fecisse hunc hominem Christum Dominum, & Deum non ratione naturæ humanæ, vel carnis assumptæ, sed ratione hypostasis, & Verbi divini, adeò ut non fuerit Christus factus Deus, qui antea non esset, ut putabant Sectarii, sed ipsemet Deus, qui ab æterno semper fuit, hunc hominem JEsum effecit Deum, quia ejus persona non fuit humana, nec posita in tempore, sed æterna: unde non sequitur esse duos Deos, unum æternum & alium temporaneum, sed unum tantùm est Deus æternus, qui secundùm personam Verbi hunc hominem Christum ratione hypostasis eundem Deum æternum effecit. Tria sunt consideranda, ipsum Verbum æternum, assumptio humanitatis, & ipsa humanitas: ex quibus Verbum fuit æternum, & ipse Deus assumptio verò humanitatis facta fuit in tempore, quando Verbum caro factum est; humanitas etiam fuit in tempore formata ex purissimo sanguine Virginis Matris: & quia hæc humanitas est quid finitum, limitatum, & creatum, ex se non habuit divinitatem, unde tantùm tunc facta fuit divina & Deus, quando Verbum illam assumpsit, non quòd ipsa mutaverit suam naturam obnoxiam doloribus, & morti: sed quatenus uncta ut loquuntur sancti Patres divinitate, seu suppositata, vel subsistens per subsistentiam Verbi divini dicitur hic homo Christus ratione hypostasis verus Deus, & verus homo. Ut enim ex tempore Christus fieret Deus,

non oportuit Christum secundùm hypostasin suam ex tempore produci, sed satis fuit ex tempore naturam humanam,& divinam simul uniri in persona Christi: & hoc Mysterium Incarnationis fuisse ab Apostolis declaratum post Resurrectionem, liquet ex citato loco Act.2. Non enim inde sequitur Christum tantùm post Resurrectionem fuisse Deum factum, quemadmodum ut explicat S.Athanasius serm. 3. contra Arianos. Jacob non dicitur tunc ab Isaac Patre genitus, cùm Isaac eum benedicens Dominũ illũ fecit fratrum suorum Gen. 27.

Objiciunt tertio decimò ministri Transylvani cum Serveto, eò quia Scriptura non alium Filium Dei nobis proponat, nisi illum hominem Christum, qui dicitur conceptus ex Maria, & à quo Evangelistæ Matthæus, Marcus, & Lucas exordiuntur Evangelium, & de quo etiam dicitur Joan. 2. *Hoc est initium signorum Jesu*; ergo inferunt, non esse alium Dei Filium æternum, qui præter naturam humanam habeat etiam naturam divinam, alioquin Evangelistæ illius meminissent. Sed contra quia hic Dei Filius, quem Scripturæ dicunt esse Christum conceptum ex Maria Virgine, est ipsum Verbum, quod fuit à principio apud Deum, seu ab æterno: & Deus erat ipsum Verbum, unde cùm hoc Verbum sumpserit postea in tempore naturam humanam,& fuerit hypostasis,& persona Christi idem Filius Dei, qui erat ab æterno, fuit postea in tempore hypostasis naturæ humanæ Christi, quæ propriâ carens subsistentiâ, & persona, non aliter subsistere potuit contra subsistentiam Verbi divini æterni, unde ille Filius Dei, qui erat apud Deum in æterno, idem prorsus fuit ex tempore in Christo, quando Verbum caro factum est, unde respondemus Filium Dei nullum alium esse nisi hominem Christum, qui est conceptus ex Maria Virgine,& tunc eundem Christum esse simul verum Deum ratione hypostasis divinæ trahentis secum etiam naturam divinam,& verum hominem ob naturam humanam assumptam, unde licèt unus tantùm, & Idem sit filius una & eadem persona, est tamen filius dupliciter natus, scilicet ab æterno ex Patre secundùm divinitatem,& in tempore ex Matre secundùm humanitatem: nec inde sequitur duos esse semifilios, quia non dicimus alium esse filium Dei,& alium filium hominis, sed dicimus eundem filium Dei ab æterno genitum, secundùm divinitatem, seu ipsum *Verbum, quod erat apud Deum, & Deus erat verbum*, illud assumpsisse naturam humanam, & in Christo eandem naturam assumptam esse eundem prorsus Deum, qui est ab æterno apud Deum,& Deus erat verbum: de hoc enim verbo æterno apud Deum,& postea carnem facto ait Apostolus 1. ad Timoth. 3. *Esse manifestatum iis, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus*, scilicet Christum ex duplici natura divina, & humana, æterna, & temporali proinde etiam ex duplici nativitate constantem.

Objiciunt quarto decimò quia Pater dat filio vitam, & alia omnia, quæ filio insunt: & filius ea omnia accipit à Patre, ex quo inferunt Patrem esse præstantiorem filio, & propterea filium non esse summum, ac verum Deum, probant assumptum ex illo Act. 20. ubi dicitur Christus dixisse beatius esse dare, quam accipere teste D. Paulo, quod etiam naturaliter verum est, qui enim dat, habetur excellentior, & ditior, alio, qui accipit, unde dare est proprium illius, quod est perfectum actu; & accipere est proprium illius, quod est in potentia, quo pacto etiam in physicis forma, quia dat esse materiæ, est istâ perfectior. Quòd si dicas, id verum esse, quando accipiens est in potentia ad recipiendum, quod non contingit in Filio accipiente eandem naturam æterni Patris, respondent filium etiam fuisse in potentia, eò quia potuit recipere eandem Patris naturam, & essentiam, si enim filius eam non potuisset recipere, utique non recepisset, proinde fuit in potentia ad recipiendum, consequenter filius est minor Patre, & hic est perfectior, quia dat filio recipienti. Quòd si dicas, filium semper habuisse eandem naturam Patris, adhuc respondent, inde non sequi non fuisse filium in potentia recipiendi, sed tantùm sequitur non ita fuisse in potentia, ut aliquando caruerit ipsa natura accepta à Patre, ex quo sequitur, quòd filius quantùm est ex se, semper fuerit in potentia ad recipiendum suum esse à Patre, consequenter sit minus perfectus Patre, cùm beatius sit dare, quàm accipere, perinde ac in physicis materia dicitur formâ imperfectior, eò quia ab hac recipiet illa suam perfectionem,& postquam eam accepit, adhuc retinet suam potentiam reductam ad actum: imò etiam illam retineret, tametsi ab æterno suam à forma accepisset perfectionem: & ita à pari discurrunt de Filio ab æterno Patre genito, tametsi Filius ab æterno recipiat eandem naturam Patris, adhuc est in potentia ad illam recipiendam, quia si illam ab æterno recipit, debet ab æterno posse illam recipere.

Sed contra respondetur ad illud relatum ab Apostolo,& quod Actor. 20. dicitur à Christo dictum nimirum, *beatius esse dare, quàm accipere*, verùm id esse, quando accipiens non est omnino unum, & idem in se aliqua cum eo, qui dat: quia si accipiens non sit omnino idem cum eo qui dat, distinguitur ab illo secundùm illam rem, quam accipit, & secundùm eandem dicitur esse in potentia ad illam accipiendam; sed si accipiens sit omnino idem cum eo, qui dat adeo ut quod accipit, sit commune,& quidem omnino,& simpliciter idem in eo, qui dat, & qui accipit, tunc qui accipit, non est minus perfectus, eo qui dat, alioquin idem esset se ipso minus perfectum, quod repugnat: & quia in divinis Pater dat Filio suam naturam, & essentiam, substantiam, & Deitatem, & Filius ex vi æternæ generationis eandem prorsus numero essentiam,& substantiam accipit, sequitur quòd cùm Filius sit eadem res cum ipsa essentia, natura, substantia, & deitate, quæ est etiã eadem res cũ ipso Patre, quatenus hæc sunt communia tribus personis, non potest, qui accipit, esse minus perfectus eo, qui dat, alioquin eadem prorsus ac simplicissima res esset minus perfecta se ipsa. Cùm igitur Pater dans, & Filius accipiens sint quid unum simplicissimum, & impartibile in essentia, natura, substantia, deitate, & reliquis absolutis perfectionibus, non potest Filius esse minor, nec minùs perfectus Patre; hinc sequitur Filium, eò quia accipiat à Patre eandem essentiam, non esse in potentia ad illam recipiendam, ut res creata, & finita dicitur esse in potentia ad accipiendum incrementum perfectionis, ratio discriminis est, quia in creatis, quod accipit, non est omnino idem cum eo, qui dat, & quia res, quæ dantur, & accipiuntur, sunt semper imperfectæ, finitæ, ac limitatæ, ideo quod accipit, ideo accipit, quia est in potentia ad illud accipiendum: in divinis verò Filius absque imperfectione ulla accipit à Patre hoc unum, quod est in Patre, & quamvis dicatur posse illud unum accipere, adhuc non est in potentia, quia hæc distinguitur in creatis ab actu, quo pacto dicitur potentia transire in actum, in divinis verò non potest concipi hæc potentia sine actu, alioquin conciperetur cum imperfectione removenda à Deo: potentia igitur in divinis est ipsemet actus, ac summa perfectio.

Objiciunt quinto decimo quia vel generatio Filii est finita, & sic jam cessavit: vel non est finita & sic nondum est absoluta, proinde adhuc, imperfecta, & Filius adhuc non est perfectè genitus; quod si dicatur finita, ergo habuit suum initium, proinde Filius incepit esse Filius, & non est Deus sempiternus. Sed contra huic argumento, cui fidebant præsertim Eunomiani, respondent Gregorius Nazianz. *orat.* 3. *de Theol.* D.

Basil.

Basil. *lib. 4. in Eunomium*, exinde quod aliquid initium habuit, non sequi illud idem habiturum etiam finem: siquidem Angelus & anima rationalis habuerunt initium, cùm sint creaturæ ex nihilo à Deo conditæ, & tamen non erunt finem habituræ, cùm sint creaturæ spirituales minime corruptioni obnoxiæ. Quod verò ad argumentum generationem Filii attinet, respondetur, Filii generationem in divinis nunquam habuisse initium, quia fit ab æterno à parte ante, neque posse finem habere, eò quia eadem perfectio ex æterno in æternum sit perseveratura, est enim æternitas tota simul comprehendens simul omnes temporum differentias, quibus tamen ipsa non subjicitur: generatio itaque Filii in divinis aliud non est, si passivè sumatur, quàm ipse Filius ut existens ex Patre: sin verò sumatur activè est ipse Pater, ut est intellectu suo producens Filium: unde sicut Pater, & Filius secundùm illas rationes sunt personæ æternæ, ita etiam æterna est Filii generatio, quapropter ait Pater æternus ad Filium Psal. 2. *Ego hodie genui te* scilicet hodie, seu in præsenti æternitatis sine principio & fine, quatenus æternitas est tota simul carens partibus secundùm prius, & posterius, quod animadvertens Origenes in cap. 1. Joan. ait: Semper Filium generari à Patre, & ratio etiam id suadet, quia cùm Deus evincatur naturaliter esse ens perfectissimum, ac simplissimum infinitum & à se cum exclusione omnis dependentiæ ab alio, sequitur, quòd semper fuerit, & à nullo traductus de non esse ad esse, consequenter fuit æternus: & quia Deus æternus est perfectissimus, ac sapientissimus, se ipsum perfectissimè intelligit, & se intelligendo verbum ad intra producit, quod verbum est ipse Filius, cui Pater communicat eandem prorsus suam naturam, essentiam, substantiam, Deitatem, & reliquas omnes perfectiones, adeo ut Pater & Filius sint unum prorsus & idem includens totam plenitudinem perfectionum, sequitur, quòd Filius ab æterno generetur, sitque consubstantialis, seu habeat eandem essentiam, naturam, & substantiam Patris: & quia Pater, non potest desistere, nec cessare à cognitione sui ipsius, ita nec potest desistere à generatione Filii, quæ propterea æterna est à parte ante, & post; nec inde sequitur esse imperfectam; quia generatio Filii & simplicissima, impartibilis excludens partes, ideo enim esset imperfecta, quia nondum esset tota absoluta, & aliquot adhuc desiderarentur partes, ut perficeretur: atqui Filii generatio est tota absoluta, nec per accessionem partium potest perfici, quia Pater cognoscendo se ipsum perfectissime se intelligit, ac producit verbum, quod perinde est, ac generare Filium, quæ generatio propterea perfectissima est tota simul & æterna: hinc Pater semper dicitur Filium generare, & Filium à Patre generari, & semper nasci.

Objiciunt sextò decimo. Vel Pater genuit Filium suum jam existentem, vel nondum existentem: Primum dici nequit, quia Filius non existit, antequam à Patre generetur, neque secundum, quia inde sequitur Filium aliquando non extitisse, ac propterea Deum non esse. Sed contra ad hoc argumentum quod tribuitur Eunomio respondet D. Basilius *lib. 2. contra eundem*, Patrem genuisse quidem Filium existentem, sed non aliâ existentiâ quàm illa Patris ex ipsa generatione sui, sicut enim quod ex tempore generatur, generatur existens ex vi suæ generationis, quatenus res, quæ generatur, simul existit, & gignitur. sic Filius in divinis quia semper generatur, semper existit existentiæ suæ generationis, & sicut non potest concipi ullum instans, in quo non generetur Filius, ita neque ullum potest instans concipi, in quo Filius non existat existentiæ suæ generationis, non enim Pater generat ad intra Filium, ut in creatis homo generat hominem, ubi priùs tempore intelligitur Pater existere nondum existente Filio, qui à Patre generatur; in divinis enim Pater non existit prius Filio, quia non potest concipi Pater, sine suis perfectionibus, quarum præcipua est, ut se ipsum cognoscat, & quia se ipsum intelligendo Verbum generat, cui comunicat suam prorsus naturam, essentiam, substantiam, & existentiam, sequitur Patrem non existere, antequam existat Filius, & Filium ab æterno generari existentem.

Objiciunt decimo septimò. Filius voluntate genitus à Patre, quia non generatur coactè, alioquin talis generatio esset imperfecta, est enim perfectius, & præstabilius voluntate generare quàm ex necessitate, & coactè, ergo potuit Filius non generari, consequenter non est verus DEUS, quia Deus est ens simpliciter necessarium. Sed contra ad hoc argumentum; quod erat Asterii Sophistæ Arianorum Patroni, respondet D. Athanasius: Patrem neque coactè genuisse Filium, neque etiam voluntate, quatenus voluntas liberè fertur in suum objectum, sed ut fertur in illud necessariò, veluti quædam natura, adeo ut sit potius generatio ex natura, quàm voluntate, vel generatio ex voluntate conformi naturæ, quo pacto Pater volens Deus est, non coactè; nec voluntate liberâ, sed voluntate ut naturâ.

Objiciunt decimo octavò: quia Sanctus Ignatius in Epistol. ad Magnesianos expresè ait unum, & solum verum Deum Patrem suum annunciavit, sed contra quia hoc in loco Ignatius tantùm Christi sententiam recitat ex Evangelio Joan. 17. *Ut cognoscant te solum Deum verum*, ex quo non sequitur, Christum non esse verum Deum: quia Christus expresè ait: *Ego & Pater unum sumus*: si Filius est illud unum quod Pater, Filius est verus Deus: quia unum in neutro, ut explicant Sancti Patres Gregorius Nazianzenus orat. 4. de Theolog. Athanasius serm. 4. contra Arianos non longè ab initio. Basilius lib. 4. contra Eunomium, & alii communiter, significat eamdem essentiam, naturam, substantiam ac deitatem: unde si Filius est eadem prorsus essentia, & natura, quæ est in Patre; perinde est Deus ac pater. Vera enim divinitas, & verus Deus unum quiddam sunt, ac prorsus idem; quando igitur pater absolutè, vel solus verus Deus affirmatur, dicitur esse illud unum, quod est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; quia hæ tres personæ sunt illud unum, quod est Deus; seu divina essentia, & natura. Proinde cùm Joan. 17. Christus dixit ut cognoscant te solum Deum verum, non exclusit filium & Spiritum Sanctum; sed tantùm illos falsos Deos, quos gentes colebant ut Numina, Tum quia quando solus Pater dicitur esse verus Deus, vel quidvis aliud, non intelligitur Pater sine suis perfectionibus, sed cum iisdem, consequenter cum sapientia, perfectâ cognitione sui ipsius, & Verbo, quod est filius æterni Patris unigenitus, & cum suo Spiritu ac amore; quòd si Pater tunc intelligitur cum suis perfectionibus; sequitur evidenter, quòd etiam filius, & Spiritus Sanctus sint ille Deus, qui dicitur Pater esse. Præsertim cùm in aliis locis Filius dicatur esse verus Deus Joan. 5. Filius expresse dicitur *verus Deus*. Imo & in eodem capite Joan. 17. subditur: *& quem misisti Jesum Christum, vitam æternam esse*: adeo ut cognoscere Christum perinde sit ac cognoscere verum Deum. Tum quia in aliis scripturæ locis, in quibus Filius solus dicitur esse verus Deus. non excluditur Pater, eò quia Pater, & Filius sint illud unum, quod est Deus. Baruch. 3. de Filio dicitur: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ante eum.* Et ille post hæc in terris visus est; & illud Isaiæ. 45. *Non est absque Te Deus, Deus Israel Salvator.* Quando igitur scriptura ait solum Patrem, vel solum Filium esse Deum; adeo ut aliæ

divinæ personæ videantur excludi; tunc non divinæ personæ excluduntur, sed falsi gentium Dii. *Tunc verba* ait Basilius in Deut. 32. ad eos tantùm; *qui falsè dicuntur Dii, referenda sunt,* ut est illud Deuter. 32. *Dominus solus Dux ejus fuit, & non erat cum eo Deus alienus.* Et quando scripturæ absolutè prædicant, aliquam personam esse Deum, intelliguntur etiam de aliis duabus.

Objiciunt decimò octavò illud aliud S. Ignatii Epist. ad Tartenses, ubi ait: *Christum esse Filium Creatoris, neque esse illum, qui est super omnia Deus: sed Filium ejus.* Sed inde neque sequitur, Filium non esse Deum: quia Ignatius per Creatorem, & Deum super omnia intelligit Patrem, cujus Christus est Filius, & quia Filius est Verbum ipsius Patris, seu sapientia, quæ est unum, ac idem cum Deo, sequitur, Ignatium in illa Epistols asserere, Filium Creatoris esse ipsum Deum. Quod verò addat: *neque esse illum, qui est super omnia Deus: sed Filium ejus*, loquitur de Patre, prout relativè distinguitur à Filio, quatenus Pater secundùm rationem relativam non est Filius, neque hic est Pater. Aliqui etiam explicant has postremas particulas de Christo, secundum humanitatem. Si dicas, Ignatium Epist. ad Philip. accommodare Patri illud Deuter. 6. *Dominus Deus tuus Deus unus est,* proinde solum Deum Patrem esse verum Deum. Respondetur distinguendo consequens: ergo solus Deus Pater est verus Deus, si intelligatur Pater cum suis perfectionibus, sapientia, & suo Spiritu, conceditur, sed io hoc sensu in Patre includitur Filius, qui est sapientia Patris, & Spiritus Sanctus, suntque propterea tres divinæ personæ, unus solus, & verus Deus: si intelligatur Pater exclusivè in ordine ad Filium, & Spiritum Sanctum, negatur, quòd solus Pater sit verus Deus, quia Pater est illud unum, quod est etiam Filius, & Spiritus Sanctus: ait enim Filius: *Ego & Pater unum sumus*, seu eadem essentia, natura, substantia, Deitas & esse, propterea, est æquè Deus ac Pater; adeo ut hic unus verus Deus, qui est Pater, sit etiam Filius, & Spiritus Sanctus, & tres personæ sint unus Deus, qui est super omnia. Instant tamen Sectarii, quia Ignatius in eadem epistola inducit Christum ita loquentem: *Novi unum, scio solum, non sum Deo adversus, confiteor excellentiam novi generationis meæ autorem,* ex quibus infereban, Ariani, Filium esse minorem Patre. Sed contra, quia Ignatius inducit Christum loquentem secundum humanitatem, quâ homo erat interitui obnoxius: in quo sensu Christus Joan. 14. ait: *Pater major me est*; & Joan. 20. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum.* Rursus objiciunt Sectarii eumdem Ignatium dicentem in Epist. ad Antiochenos: *Valete Deo, & Christe,* ex quo etiam inferunt, Christum non esse Deum. Sed contra, quia Ignatius io eadem Epistola vocat *Diabolum, & inimicum omnis justitia eum, qui annunciat unum solum Deum, & tollit Christi divinitatem:* unde Ignatius in præfata Epistola distinguit Christum à Deo secundum humanitatem, seu naturam humanam; non verò ratione personæ, quâ Christus est verus Deus cum Patre, & Spiritu Sancto. Adferunt etiam contra Catholicum dogma ex eodem Ignatio illud in Epistol. ad Ephesios: *Medicus autem noster est solus verus Deus ingenitus, & invisibilis,* ex quo etiam inferunt, Christum non esse verum Deum. Sed contra, quia Ignatius statim fatetur, personam Christi esse verum Deum; subdit enim: *Habemus autem etiam Medicum Jesum Christum ante sæcula unigenitum Verbum.* Hinc ex posterioribus verbis liquet, Ignatium in prioribus non excludere Filium, cùm ait *Medicus noster est solus verus Deus ingenitus, & invisibilis:* sed tantùm excludere creaturas, vel falsos gentium Deos, qui nostris non valent animorum mederi ægritudinibus, neque nobis possunt æternam, veramque salutem animæ impertiri. Cæterùm verus Medicus noster etiam est Christus verus DEUS, & verus homo, proinde ut loquitur D. Athanasius corporalis, & incorporalis; seu corporalis secundùm naturam humanam, & incorporalis ratione personæ, quæ est Verbum æterni Patris; seu Filius ad intra ab æterno genitus: Hinc Theodoretus ait: *Medicus noster est genitus ex ingenito:* Ex quibus clarè constat, Christum esse verum Deum.

Objiciunt decimò nonò etiam nonnulla testimonia deprompta ex Irenæo dicente, *Ecclesia ab Apostolis, & à Discipulis eorum accepit eam Fidem, quæ est in unum Deum, Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, & in unum Jesum Christum Filium Dei incarnatum pro nostra salute, & in Spiritum S. qui per Prophetas prædicavit.* Ex quo Sectarii Transylvani inferunt, solum Patrem esse unum Deum omnipotentem creatorem cœli & terræ. Sed contra quia Irenæus ita dixit Patrem omnipotentem, ut non excluserit Filium. Ideo vocavit solum Patrem Creatorem quia opus creationis eâdem ratione tribuitur Patri, quâ omnipotentia, quamvis sit opus commune tribus personis; etenim quòd etiam personæ Christi tribuatur opus creationis, liquet ex illo Joan. 1. *Per Verbum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil,* per verbum non ut instrumentum, sed ut sit causa principalis efficiens, quia ut habetur Jon. 5. *Quæcunque Pater fecerit hæc, & Filius similiter facit*, similiter eodem modo ut causa principalis. Imò opus creationis esse itidem commune Spiritui S. testatur Regius Propheta Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Dicuntur igitur tres personæ unus Deus Creator cœli, & terræ. Quia Deus ut includens tres personas divinas, est creator cœli & terræ, seu totius mundi, qui est cœli, & terræ, ac elementorum, rerumque omnium creatarum compages, quam ex nihilo condidit; non materia aliqua sibi coæterna, quam Deus non fecerit, sicut figulus ex lino, quem non fecit, efformat statuam, aut vas; sed ex puro nihilo Deus mundum condidit, & creaturas singulas ex non esse traduxit ad illud esse, quod possident, mundo sunt ornamento, & multiplici inter se discrimine distinguuntur. Neque Deus ab ulla causa fuit impulsus ad mundum condendum; neque ut inde aliquod eidem accresceret commodum; quia Deus nullius rei indignus sibi est sufficientissimus: unde David Psal. 15. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges,* sicut igitur Deus ex suæ voluntatis propensione mundum condidit: ita nullum exemplar extra se positum imitatus est in rerum creatione, sed rerum omnium conditarum rationes intelligibiles, vivas, æternas, incommutabiles, seu ideas suas divinas imitatus, quæ in Deo sunt sua sapientia, & infinita virtus, & potentia, hinc dixit fiat lux, fiat creatura Angelica cæteris corporeis creaturis præstantior, ac nobilior; & facta est lux unde David Psal. 32. *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt,* scilicet juxta ideas illas divinas, seu exemplaria in mente Dei supremi, & sapientissimi Artificis; in quo sensu D. Augustinus pulchrè explicat illud Joan. 1. *Quod factum est in ipso vita erat*, seu idea æterna viva, incommutabilis ait August. in tra. 1. in Joan. *Facta est terra; sed ipsa terra quæ facta est, nō est vita: est autem in ipsa sapientia spiritualiter ratio quædam, quâ terra facta est: hæc vita est. Faber facit arcā, Primò in arte habet arcam: si enim in arte arcam non haberet, unde illam fabricando proferrem*

rem

vent. Sed arca fit est in arte, ut non ipsa arca sit quæ videtur oculis. In arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit. Ecce facta est in opere numquid destitit in arte esse? & illa in opere facta est, & illa manet quæ in arte est: Nam potest illa arca putrescere, & iterum ex illa quæ in arte est alia fabricari. Attendite ergo arcam in arte, & arcam in opere. Arca in opere non est vita: arca in arte est vita; quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia, quæ proferantur. Sic ergo quia sapientia Dei per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia: hinc quæ fiunt per ipsam artem non continuò vita sunt, sed quidquid factum est vita in illo est. Terram vides, est in arte terra: cælum vides est in arte cælum; solem & lunam vides, sunt ista in arte, sed foris corpora sunt: in arte vita sunt. Non igitur quod nominatim dicitur de una persona intelligitur negatum de altera, ut putant Sectarii: quia in divinis tres personæ sunt quid unum quod est divina essentia, natura, substantia, deitas, & omnis perfectio absoluta; consequenter in ordine ad opera ad extra quod tribuitur uni, idē censetur tribui aliis: alioquin ex Irenæo sequeretur, Patrem non prædicâsse per Prophetas; quia Irenæus in prædicato loco id tribuit nominatim Spiritui Sancto: ait ipse *& in Spiritum Sanctum qui per Prophetas prædicavit:* & tamen id etiam tribuitur Patri ab Apostolo ad Hebr. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè loquutus est nobis in Filio,* ubi Patri tribuit prædicâsse per Prophetas, quod Irenæus tribuit Spiritui Sancto nominatim. Objiciunt illa Irenæi verba, quæ habentur lib. 2. cap. 3. ubi loquens de Deo Israël qui fecit cœlum & terram ait: *Hic Deus est Pater Domini nostri Jesu Christi*, ex quo inferunt Irenæum in ea fuisse sententia, ut Christus non sit ille ipse Deus Israel, eâ ducti ratione, quia Filius debeat à suo Patre distingui. Sed contra, quia Irenæus non asserit Christum esse Filium Dei Israëlis quatenus est Deus Israel, sed asserit esse Filium ejus personæ, & ejus Patris, qui verè est Deus Israel & mundi Conditor; & non alterius, qui sit Deus alius diversus à DEO Israelis, & mundi Conditore; siquidem in illo libro disputat Irenæus contra Valentinum & Marcionem, asserentes Patrem Christi non esse illum Deum Israelis, qui mundum fabricavit, sed alium Deum commentitium, unde ex eo, quòd Irenæus dicat Christum esse Filium Dei Israelis, non debemus eum distinguere à Deo Israelis, ut Deus Israel est, bene tamen ut hic Deus Israel est persona Patris, cujus Christus est Filius. Dupliciter sumi potest Deus Israel, primò in concreto, ut includens omnes tres personas, & totam plenitudinem perfectionum, & in hoc sensu Christus ab Irenæo non dicitur Filius Dei Israel, quia cùm Filius includatur in Deo Israelis, esset Filius sui ipsius. Secundò sumitur Deus Israël veluti inadæquatè, & abstractivè, quatenus in Deo Israël continetur persona Patris, præscindendo ab aliis personis & in hoc sensu Christus est Filius Dei Israelis, quia persona Christi est ipsum Verbum, quod ab initio erat apud Deum, & Deus erat Verbum.

Objiciunt vigesimo Tertullianum *lib. contra Hermoginem*, ubi videtur asserere Patrem fuisse tempore ante Filium, ex quo inferunt Filium non coæternum Patri, neque Deum, verba Tertulliani sunt, *Et Pater, & Judex Deus est, non tamen ideo Pater, & Judex semper, quia Deus semper, nam nec Pater potuit esse ante Filium, neque Judex ante delictum. Fuit autem tempus, cùm et delictum, nec Filius fuit, quod Judicem, & qui Patrem faceret.* Sed contra quia in divinis dupliciter sumi potest propriè, & impropriè priori modo sumitur, ut est consubstantialis, & coæternus Filio impropriè sumitur relativè ad Angelos, vel homines, qui utpote rationis participes secundùm quandam rationem dicuntur filii Dei, quatenus ab ipso sunt creati & destinati ad beatitudinem: hinc homines constituti in statu gratiæ sanctificantis dicuntur filii Dei adoptivi & cohæredes Christi in ordine ad paternam hæreditatem, seu cœlestem beatitudinem. Deus propriè est Pater ab æterno, cui Filius ab æterno est consubstantialis. Impropriè verò & veluti abstractivè nonnisi ex tempore est Pater, & in hoc sensu ait Tertullianus fuisse tempus, quando et delictum, & Filius non fuit, illud ut Judicem eum constitueret, & hic ut Patrem faceret, quia cùm Deus non nisi in tempore post creationem cœli & terræ Angelos, & homines condiderit, rectè ait Tertullianus fuisse Deum, antequam Filius esset, seu creatura rationalis. Quòd ita intelligendum sit Tertullianus, ex eo liquet, quia ibi affirmat contra Hermogenem probantem fuisse materiam aliquam Deo coæternam, ex qua mundus creatus sit: siquidem Hermogines argumentabatur hoc pacto: *Deus semper fuit Dominus, sicut semper fuit Deus: sed non potuisset semper esse Dominus, nisi fuisset semper illa saltem materia respectu cujus esset Dominus: ergo semper talis aliqua materia fuit.* Cui argumento Tertullianus satisfaciens ait: Non fuisse necesse, quòd Deus semper fuerit Dominus, sed tantùm ex quo esse cœperunt creaturæ, in quas potestatem Domini exerceret, idque confirmat verbis illis, quæ Ministri Transylvani cum Servero objiciunt: Siquidem Deus, & Pater, & Judex est respectu creaturæ rationalis, cujus est Dominus: neque tamen semper fuit Pater, & Judex, sed tantùm ex tempore, quo creaturam rationalem angelum, & hominem condidit tanquam Filium, ut etiam non semper fuit Judex, sed tantùm ex tempore, quo delictum esse cœpit: loquitur enim Tertullianus de Patre & Judice respectu creaturæ rationalis à Deo conditæ ad extra, Tertullianus enim perinde dicit: Deum esse Patrem ex tempore, sicut Deum ex tempore vocat Judicem: & sicut est Judex respectu creaturæ rationalis, & ejus delicti, ita est Pater ex tempore respectu creaturæ rationalis. Alioquin Tertullianus vocat Deum Patrem coæternum & consubstantialem Filio naturali, seu Verbo divino, quod asserit coæternum Patri, eique consubstantiale, ut in libro contra Praxeam, ubi de Filio ait: sermo ergo, & in Patre semper: sicut dicit Filius Joan. 14. *Ego in Patre, & apud Deum semper* sicut scriptum est Joan. 1. *Sermo erat apud Deum, & nunquam separatus à Patre,* quia Joan. 10. ait Filius: *Ego & Pater unum sumus.*

Objiciunt vigesimo primo Cyprianum asseruisse, Christum non esse omnipotentem consequenter neque Deum, ait enim Cyprianus in expositione symboli: *Deum omnipotentem esse Patrem Christi*, ax quo sectarii inferunt, Christum utpote Filium Patris omnipotentis non esse Deum omnipotentem, eò quia Pater necessariò distinguitur à Filio, proinde Filius necesse est, distinguatur à Patre, qui est Deus omnipotens. Sed contra quidquid sit, an illa expositio symboli sit Cypriani: siquidem plures eam attribuunt Ruffino Aquileensi Presbytero. Respondetur, Christum etiam in sententia Apostolorum esse Filium Patris, qui dicitur in symbolo omnipotens, & creator cœli, & terræ, sed inde non sequitur Filium, seu Christum non esse Deum omnipotentem, quia Filius, seu Verbum caro factum est illud unum, quod est Deus Pater omnipotens, seu eadem essentia, natura, substantia, Deitas, omnipotentia, & cæteræ perfectiones absolutæ, quæ includuntur in illo uno, quod est Deus, perinde persona Christi, seu Verbum, perinde est Deus omnipotens creator cœli & terræ, ac ipse Pater, etenim Joan. 1. *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Ver-*

bum, quòd si Verbum est Deus, perinde est omnipotens ac ipse Pater. Quòd dicant, Filium distingui à Patre, id verum est, sed præcisè secundùm rationes relativas, non verò ratione essentiæ, naturæ, substantiæ, & deitatis, quia æquè Pater, & Filius habent eandem prorsus numero naturam, essentiam & substantiam, proinde est æquè Deus omnipotens Filius, ac sit Deus omnipotens Pater.

Objiciunt vigesimo secundo S. Cyrillum lib. 10. Thesaur. cap. 4. ubi exponens verba illa Isaiæ 44. *Ego primus, & ego novissimus* exponit de Patre, adeo ut excludat Filium, quem propterea negant esse Deum. Sed contra, quia licet Pater sit ille primus, & novissimus, qui semper fuit, est, & erit Deus æternus, non tamen solus Pater, sed etiam Filius, & Spiritus Sanctus sunt hic Deus primus, & novissimus, etenim Cyrillus ideo de Patre verba Isaiæ exponit, ut inde ostendat contra Arianos Filium creaturam non esse, quos urget, inquiens: *Quid dicetis, quando Pater dixit, ego primus, & ego post hæc? an & ipsum primum creaturarum, & creaturam audebitis prædicare? sicut igitur Pater non est creatura, quamvis primus dicatur, sic & Filius. Et sicut Pater principium se esse omnium ostendens dicit: Ego sum primus, sic & Filius totius creaturæ primus dicitur, quia per ipsum omnia facta sunt, & ipse principium omnium, & creator est.* Dicit Filium totius creaturæ primum non quòd ipse sit creatura, sed ut sit principium totius creaturæ, seu causa principalis efficiens cum Patre, & Spiritu sancto, quapropter subjungit Cyrillus: *Quia per ipsum omnia facta sunt, & ipse principium omnium atque creator est:* Rursus Cyrillus vocat Filium primum, ac postremum, hoc est sempiternum: proponebat tunc Cyrillus argumentum Arianorum, quod Ministri Transylvani etiam sibi usurpant, ait Cyrillus lib. 10. Thesaur. cap. 6. *Ecce, inquiunt Hæretici, ipse Filius ait? Solum Patrem verum Deum esse, sed ipse Pater dicere invenitur, ego primus & ego post hæc, non est Deus præter me. Quomodo igitur ad primum, & solum verum Deum alium vos quasi verum Deum dicere audetis.* Ad quod respondet Cyrillus, Filium non asserere solum Patrem esse verum Deum, adeo ut ipse Filius, & Spiritus sanctus non sint etiam Deus, quia cùm tres divinæ personæ unam eandemque habeant essentiam, naturam, substantiam, & deitatem, consequens est, ut omnes sint idem Deus primus, & novissimus, seu æternus à parte ante, & parte post, non enim Filius æterni Patris distinctam sortitur naturam, & essentiam à Patre, cùm Christi persona sit *Verbum, quod erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, proinde si Verbum est Deus, utique æternus, hinc Cyrillus ait: *Non ad filii dejectionem hæc dicuntur, nisi forsan (ut apud fabulas Gentilium fertur, inter Filium & Patrem bellum esse credatis, sed ad falsorum dejectionem.* Alia plura ex sanctis Patribus objiciunt, quæ tamen omnia in idem recidunt, & potiùs contra ipsos sunt, quæ Catholicis objiciunt.

CAPUT XIII.

Demonstratur Spiritus Sanctus esse verus Deus, & consubstantialis Patri & Filio.

Divinitatem Spiritus Sancti inficias iverunt omnes illi Hæretici, qui negârunt Filium unigenitum Patris esse verum Deum, tales fuerunt Ariani, & Samosateniani, & postea Ministri Transylvani. Non tamen Hæretici in eadem semper fuerunt sententia, siquidem alii absolutè negârunt Spiritum sanctum esse Deum, alii verò affirmârunt esse ipsum Patrem Deum, aut quandam ejus potentiam; negabant tamen esse personam distinctam à Patre intelligentes per ipsum Spiritum sanctum ipsum Patrem, eò quia ipse sit Spiritus, seu substantia spiritualis, qua assertione eludebant, quæ in Scripturis afferuntur in favorem Spiritus sancti ad ejus divinitatem ostendendam. Alii absolutè negârunt Spiritum sanctum esse Deum, sed putam creaturam eum dixerunt, qui error fuit Macedonii, contra quem Damasus Papa congregavit Concilium primum Constantinopolitanum. In eodem errore fuerunt etiam Eunomius, & Macedonius cujus vox erat; Spiritum Sanctum non esse verum, sed peregrinum, & adscripititium Deum, ut refert D. Gregorius Nazianzenus *art. 5. de Theolog.* adeo ut Macedoniani, Eunomiani negaverint Spiritum Sanctum Deum esse: & præter ipsos Valentinus asseruit Spiritum sanctum esse Angelum quendam, ut refert D. Athanasius *epist. ad Serapion.* quod assertum placuit etiam Serveto, & Ministris Transylvanis, qui negant Spiritum sanctum Deum esse. Ex Hæreticis, qui Filium affirmârunt Deum esse Patri consubstantialem, adhuc negârunt Spiritum S. Deum esse, sed Filium ipsius Filii, non tamen Filio consubstantialem, sed creaturam.

Ut autem evincatur divinitas Spiritus S. explicandum est, quid propriè significet nomen Spiritus sancti, quia hoc nomen Spiritus sancti æquè de Patre, ac Filio dicitur, quia cùm totus Deus Spiritus sit, utraque persona est etiam Spiritus, & quidem Sanctissimus ait enim Christus Joan. 4. *Spiritus Deus est*, & quia etiam Angeli boni dicuntur *Spiritus*, & quidem sancti, ut & animæ sanctorum, ideo ad omnem evellendam æquivocationem nomine Spiritus sancti hîc intelligitur tertia Trinitatis persona, quo pacto in scripturis sacris vocatur Spiritus sanctus Psal. 50. ajebat David: *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Sapient. 9. *Servum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis.* Ecclesiast. 1. *Ipse creavit illam in Spiritu sancto.* Luc. 3. *Ipse vos baptizavit in Spiritu sancto & igne*, Matth. 1. *Quod autem in eo natum est, de Spiritu sancto est*, Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti:* Hinc Apostolus 2. ad Cor. 12. ait: *Gratia Domini nostri JEsu Christi, & Charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Cur autem tertia potiùs persona quàm prima, & secunda donetur hoc nomine sancti Spiritus, est, quia secunda persona habet proprium nomen, quo dicitur Filius, & ejus productio æterna à Patre propriè generatio vocatur, hinc etiam prima persona Trinitatis, à qua Filius generatur ad intra, propriè dicitur Pater: & quia tertiæ personæ productioni proprium nomen impositum non sit, ideo spiratio, & processio vocatur, & persona, quæ ex tali spiratione & processione producitur, cùm etiam proprio nomine careat, dicitur Spiritus Sanctus, quod nomen commune est etiam aliis personis, sed quia propria habent nomina, ut Pater & Filius, tertia persona communi nomine vocatur Spiritus Sanctus. D. Augustinus lib. 10. de Trinit. cap. 19. ait: Tertiam personam Trinitatis meritò vocari Spiritum sanctum, & charitatem, eò quia sit communis ambobus Patri, & Filio, siquidem ab utroque procedit, ait Augustinus: *cùm sit communis ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter.* & lib. 11. de civit. cap. 24. ait: *Cùm sit Pater Spiritus, & Filius Spiritus & Pater sanctus, & Filius sanctus, propriè tamen ipse voca-*

vocatur Spiritus sanctus, tanquam sanctitas substantialis, & consubstantialis amborum. Nomen Spiritus à rebus creatis, ex quibus ad divina translatum est, impulsionem quandam, & motionem significat, unde halitui, vento, respirationi viventium nomen solet tribui: & quia proprium etiam est amoris movere, impellere voluntatem amantis in amatum, hinc tertia persona Trinitatis à Patre, & Filio procedens dicitur etiam amor, charitas, & communio ineffabilis utriusque, proinde etiam Spiritus, cùm enim sanctitas illis tribuitur rebus, quæ in Deum ordinantur, & tertia persona divina procedat ut amor ordinatus in Deum, & quò Deus amator, appositè Spiritus Sanctus vocatur desumpta etiam convenientia ex ipso nomine, quia proprium est tertiæ personæ spiritualem vitam in nos infundere, siquidem sine Spiritus sancti gratia nihil possumus boni efficere, quod dignum sit æterna vitâ.

Quòd verò hæc tertia persona sanctissimæ Trinitatis, quæ Spiritus sanctus dicitur, sit verus Deus æqualis Patri, & Filio constat ex Scripturis, nam cùm sanctus Petrus Actor. 5. dixisset Ananiæ: *Cur tentavit sathanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto*, postea subdit: *Non est mentitus hominibus, sed Deo*: quem enim prius Spiritum sanctum appellaverat, eundem postea Deum expressè vocat. Rursus Apostolus 1. ad Cor. 12. recensens opera, & beneficia Spiritus sancti ea promiscuè Deo, & Spiritui sancto tribuit, eò quia Spiritus sanctus sit ipsemet Deus, ait Apostolus, *Divisiones gratiarum sunt idem autem Spiritus, & divisiones operationum sunt; idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*, quibus sigillatim enumeratis subdit: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult*: apertè vocat Apostolus Spiritum Sanctum Deum, cui parem facit, & parem cum Patre, & Filio dignitatem, & authoritatem tribuit Spiritui sancto & idem Apostolus 1. Cor. 6. ait: *Nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est*, & postea subjungit: *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*, unde eundem Spiritum sanctum modo vocat Deum, ait Augustinus epist. 66. *Quem Deum nisi Spiritum sanctum cujus corpora nostra dixerat esse templum*, neque enim ulla creatura tonobis dicitur habitare, ut in templo, ergo ex scripturis clarè constat Spiritum sanctum verè esse Deum; tum quia oracula Prophetarum, quæ uni Deo tribuuntur, etiam Spiritui sancto adscribuntur Actor. 28. cùm Apostolus protulisset verba Isaiæ 6. *Audivi vocem Domini dicentis, quem mittam, & quis ibit nobis? & dixi, ecce ego, mitte me, & dixit vade, & dices populo huic, audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere, Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos suos claude, nec forte videas oculis suis, & auribus suis audiat*: quæ verba cum Apostolus protereret, postea subdit: *Bene Spiritus Sanctus locutus per Isaiam Prophetam ad Patres vestros dicens: Vade ad populum istum*, quem Isaias vocavit Dominum Deum, Apostolus dicit Spiritum Sanctum, qui propterea idem est ac ipse Deus; hinc Apostolus Paulus 2. Thes. 3. vocat Spiritum sanctum Dominum seu Deum inquiens: *Dominus autem dirigat corda vestra in dilectione Dei, & tolerantia Christi*, quæ verba D. Athanasius in disputatione cum Ario in Nicæna Synodo producit, & iisdem urget contra Arium inquiens: *Quemnam hoc Dominum appellari putas Patrem an Spiritum Sanctum? nam Christum expressè recensuit, si enim primo loco hoc Patrem constituas, Deus est Spiritus Sanctus, sin Spiritum primo loco ibi nominatum consitearis, ut esse est, ut eum Dominum quoque concedas. Quod si Dominus est, nimirum & Deus quoque habendus erit, scriptum est enim, ego sum Dominus Deus tuus.* Huc etiam pertinet illud 2. Reg. 23. ubi David ait: *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam, dixit Deus Israel mihi, locutus est fortis Israel, dominator hominum.* Ubi David Spiritum Sanctum vocat DEUM in coelis, DEUM fortem, & dominatorem. Præterea hoc fidei dogma confirmant omnes illæ Scripturæ, quæ interpretantur se ipsas, loquuntur enim de Spiritu sancto, ut de vero Deo etenim Isaiæ 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum &c. & dixit: Vade, dic populo huic, audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere, excæca cor populi hujus.* Prophetam loqui de Spiritu sancto interpretatur D. Paulus Act. 28. ubi ait: *Bene Spiritus S. locutus est per Isaiam Prophetam dicens: Vade ad populum istum &c.* & D. Basilius lib. 5. contra Eunom. ex hoc loco probat: Spiritum sanctum verum esse Deum inquiens: *Propheta Isaias Patris personam inducit, in quem credebant Judæi: Evangelista Filii, Paulus Spiritus sancti unum Dominum Sabbaoth, quia unus esset in commune nominantes, divisus est enim ipsis sermo ac personarum substantia indivisa manente in ipsis de uno Deo sententia.* Ait Basilius: Tres divinas personas fuisse indicatas per Isaiam, quando Cherubini clamarunt *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth*: Tres distinxerunt personas, & unum dixerunt Deum Sabbaoth, eò quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unus, ac idem sint verus Deus. Quod etiam declaratur ex formula baptismi, in quo Deo Patri, & Filio, adjungitur Spiritus sanctus in unum honoris, dignitatis & efficientiæ consortium; ita ut sine hac distinctione personarum, & singularitate unius Dei nulla sit baptismi forma, unde Apostolus 1. Corinth. ait: *Numquid in nomine Pauli baptizati estis?* scilicet ostensurus, quòd eis nihil esset ad salutem profuturum, nisi baptizati essent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, illud enim in nomine in numero singulari significat tres personas unum esse Deum, ubi enim unum nomen auditur, unus Deus creditur, sicut de semine Abrahæ dictum est, & exponit Apostolus Paulus 1. Cor. 1. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, non dixit in hominibus, tanquam in multis, sed tanquam in uno & semine tuo, quod est Christus. Sicut igitur ibi non dicit in seminibus, quia unus tantum est Christus, ita cum in forma baptismi dicitur in nomine, non in nominibus probatur unus Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ut notat D. Augustinus in tract. 7. in Joan. Non solum ex forma baptismi, sed etiam ex aliis textibus confirmatur hoc fidei dogma 1. Joan. cap. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.* Ubi Joannes pares & æquales facit tres personas, quæ propterea sunt unus verus Deus. Hoc idem dogma docet Ecclesia, in illa antiquissima formula glorificandi Deum in fine cujusvis psalmi *trinitas Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, quæ formula ad antiquam retinetur traditionem, qua tres divinæ personæ dicuntur esse unus verus Deus. Si verus Deus locutus est hominibus per Prophetas Luc. 1. ubi Zacharias testatur Deum locutum *per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum ejus.* Etiam Spiritum sanctum locutum fuisse per Prophetas affirmat ipse Christus Marc. 12. *Ipse David in Spiritu sancto dicit: Dixit Dominus Domino meo*, 2. Pet. 1. *Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.* Si Levit. 16. verus Deus est ille, qui loquutus ad Moysen, cui præcepit dicens. *Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio, quo tegitur arca, ut non moriatur.* Hunc qui præcepit, fuisse Spiritum sanctum, testatur D. Paulus, nam indicato hoc præcepto statim subjungit, quid eo voluerit Spiritus sanctus significare, ait ad Hebr. 9. *Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.* Unde Spiritus sanctus ex D. Paulo est ille verus Deus, qui loquutus est ad Moysem; consequenter Spiritus sanctus est verus Deus, si Deus in Psal. 94. ait. *Nolite obdurare corda vestra sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me Patres vestri;* Deum ita loquentem esse Spiritum sanctum exponit D. Paulus ad Hebr. 3. *Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus. Hodie si vocem ejus audieritis &c.* Si Hier. 31. loquens Deus ait: *Hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel, post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* D. Paulus Deum ita loquentem interpretatur esse Spiritum sanctum; ait enim ad Hebr. 10. *Contestatur nos, & Spiritus sanctus. Postquam enim dixit: Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos, post dies illos dicit Dominus, dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas.* Si ad explicandum, declarandumque, in quo sensu sint divinæ Scripturæ intelligendæ, nullus Magister doctior ipsa Scripturâ potest assignari: neque ullus interpres fidelior ipso Apostolo Paulo? inficiari non possumus esse Spiritum sanctum verum Deum, cum Scripturæ, & expressè D. Paulus eum verum Deum declarent?

Evin-

Evincitur itidem divinitas *Spiritus Sancti* ex eo, quia cùm in *Scripturis* enumerentur nobiliores, & excellentiores creaturæ à Deo conditæ, uti sunt Angeli, homines, cœli, elementa, nulla inter ipsas mentio fit *Spiritus Sancti*; si enim esset creatura nobilissima, ut somniarunt Macedoniani, Eunomiani, Valentiniani, qui putarunt *Spiritum S.* esse Angelum quendam, & Ministri Transylvani, saltem una vel altera vice in scripturis recenseretur inter præstantiores, & excellentiores creaturas, sed nullibi in tota scriptura vocatur creatura, sed semper Deus: imò quando Deus loquitur in persona *Spiritus S.* ipsæmet scripturæ expressius declarant hunc verum Deum loquentem esse *Spiritum S.* & D. Paulus ut liquet, interpres fidelissimus scripturæ explicat verum Deum Israelis esse *Spiritum sanctum*; adeout unus verus Deus sit Pater, Filius, & *Spiritus Sanctus*. Eodem argumento utitur D Basilius, ut probet Filium non esse creaturam; ex eo enim quod nullibi in *Scripturis* vocetur creatura, neque enumeretur inter creaturas, ritè infert non esse creaturam; & è contra, quod passim dicatur verus Deus, ac esse quid unum cum Patre, rectè infert esse verum Deum cum Patre, & *Spiritu S.* ait D. Basilius serm. 3. contra Arianos & libro de *Spiritu S.* cap. 18. *Spiritus Sancti consortium ad Patrem, & Filium, satis hoc declarat, quod non in turba creaturarum locatus est, sed solitarie pronuntiatur.*

Ex eo itidem demonstratur Divinitas Spiritus Sancti quia attributa quæ soli DEO conveniunt, eadem tribuuntur Spiritui Sancto Apostolus 1. Corinth. 6. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti.* Templorum honor soli vero DEO debitus tribuitur Spiritui Sancto. Sanctificatio, & vivificatio propria solius DEI ab Apostolo 2. ad Thessalon. 2 dicitur etiam de Spiritu Sancto. *In sanctificatione Spiritûs.* Scrutatio cordium propria solius DEI, etiam ab Apostolo 1. Corinth cap. 2 tribuitur Spiritui Sancto, qui à D Paulo dicitur *scrutari omnia, etiam profunda cordium.* Si loqui per Prophetas proprium est DEI, id etiam Spiritui Sancto convenit 2. Petri 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia: Sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti DEI homines.* Immensitas propria solius Dei tribuitur Spiritui Sancto Psal. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo si ascendero in cœlum Tu illic es; si descendero in infernum ades.* Sapient. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Bonitas infinita propria solius Dei, prædicatur etiam de Spiritu Sancto Psal. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Omnipotentia, quæ solius Dei est propria, tribuitur Spiritui Sancto. Sapient 7. *Omnem habens virtutem*, loquitur Salomon de Spiritu Sancto, cui adscribit omnem virtutem, seu omnipotentiam. Sapientia summa Deo propria de Spiritu Sancto dicitur; *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei* 1. Corinth. 2. *Quæ sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei, qui in ipso est.* Verbum scrutari hic non supponit præviam ullam ignorantiam, sed idem significat ac penitus comprehendere, ut contra cavillationes Hæreticorum asseruit S. Basilius lib 5. contra Eunomium circa finem, in quo sensu Deus dicitur scrutans corda. Hinc deducitur argumentum. Nulla creatura potest Deum comprehendere, quia Deus incomprehensibilis est, ac denominatur, non quia non comprehendatur à se ipso; sed quia non potest comprehendi à creatura: sed Spiritus Sanctus comprehendit Deum, quia etiam profunda Dei dicitur scrutari: proinde Spiritus Sanctus creatura non est: ergo si non est creatura & est, necesse est sit Deus; quia omne quod est, vel est Deus, vel creatura, seu vel est à se vel non est à se, quæ sunt duo contradictoria, si non est à se, est ab alio, consequenter est creatura, & cùm Spiritus S. non sit creatura est à se quoad naturam, essentiam, substantiam, & deitatem, & est à Patre, & Filio quoad personam.

Ex operationibus etiam, quæ propriæ sunt Dei, demonstratur divinitas Spiritus Sancti. Creatio, quæ soli Deo convenit, etiam Spiritui Sancto tribuitur Psal 3. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Conservatio propria Dei etiam Spiritui Sancto convenit Sapient. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia.* Justificatio propria Dei, etiam Spiritui S tribuitur ab Apostolo 1 Corinth 6. *Justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Hinc gratia sanctificans, quâ justificamur, dicitur etiam gratia Spiritûs S. per quem justificamur, & salutem consequimur Apocal. 14 *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Prædictio itidem futurorum propria Dei etiam Spiritui S. convenit Actor. 1 *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus S per os David de Juda.* 2 Petri 1 *Spiritu S inspirante locuti sunt Sancti.* Patrare miracula ut causa principalis soli Deo convenit, & etiam Spiritui S qui propterea est Deus ad Rom. 1. *In virtute signorum, & prodigiorum in virtute Spiritûs S.* Vivificatio, seu suscitatio propria Dei etiam tribuitur Spiritui S. ad Rom 4. *Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Christum à mortuis habitat in vobis, vivificabit mortalia corpora vestra per Spiritum S. inhabitantem in vobis.* Gubernare Ecclesiam, eamque regere principali potestate tribuitur Spiritui S sicut Patri, & Filio; suntque propterea tres personæ unus ac idem Deus Actor. 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S posuit regere Ecclesiam Dei* Actor. 13 *Dixit Spiritus S. segregate mihi Paulum, & Barnabam ad opus ad quod assumpsi eos.* Actor. 10. *Petro autem cogitante de visione dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te. Surge itaque & descende, & vade cum eis, nihil dubitans, quia ego misi eos.* Actor. 15. *Visum est Spiritui S. & nobis.* Actor. 16. *Paulus & Timotheus prohibiti sunt à Spiritu S loqui verbum in Asia.* Largitio spiritualium bonorum propria Dei convenit itidem Spiritui S. 1. Corinth. 12. *Hæc autem omnia operatur unus ac idem Spiritus dividens singulis prout vult.* Ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S.* Ex his omnibus claré constat, Spiritum S. esse verum Deum S. Cyrillus lib. 13. thesaur. cap. 1. ex eo probat Spiritum S. esse Deum quia illum accipientes fiunt Dii per gratiam, seu Filii Dei per adoptionem; ex quo infert debere Spiritum S. esse Deum per naturã, ait ipse; *Natura igitur & essentialiter Spiritus S Deus est, quenam qui ipsum suscipiunt, Dii per gratiã efficiuntur*, seu filii Dei per adoptionẽ.

Demonstratur itidem divinitas Spiritûs S. eò quia ei cultus debeatur summus, seu latriæ, perinde ac Patri, & Filio; idque ob summam suam Majestatem. & quia dicimur ipsi ejus templa 1. Corinth. 6. *An nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritûs S. qui in vobis est, quem habetis à Deo;* paulò antea causam indicaverat, cur simus templum Spiritûs S dicens: *Quoniam sanctificati estis, justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri*, ubi Apostolus idem nomen commune Deo Patri, Jesu Christo, seu Filio, & Spiritui S. dicit, quatenus est una essentia, & natura communis tribus personis, qua de causa summus cultus latriæ, qui debetur Deo Patri, & Filio, debetur etiam Spiritui S. qui perinde est Deus ac Pater, & Filius; ex eo itidem, quòd nos ut justificati simus ejus templum, cultus debetur Spiritui Sancto summus, seu latriæ soli Deo debitus ut ostendit D. Augustinus epist. 66. inquiens: *Si templum facere Spiritui S juberemur, sicut fecit Salomon de lignis, & lapidibus, utique faciendo templum latriam illi, hoc est cultum divinum exhibere convinceremur. Quanto magis igitur latriam debemus, cui non templum facimus, sed sumus.* Est cultus latriæ summus religionis, qui in Baptismo æquè Deo Patri, ac Filio, & Spiritui S. a nobis exhibetur, ut notavit D. Basilius lib. 5. contra Eunomium; est etiam cultus latriæ, quando credimus in Spiritum S. perinde ac in Patrem, & Filium, ut in Symbolo Apostolorum docemur ac præcipimus credere, ut ait D. Athanasius in Epist. ad Episcopos Africæ ubi ait: *Nemini Christianorum unquam dubium fuit, nos in Deum, non in creaturam credere*: ex quo infert Spiritum S. non esse creaturam, sed verum Deum, cui cultus debetur latriæ. Hinc Apostolus 1 Corint. 6. præcipit, ut glorificemus Spiritum S. quem vocat Deum, loquens enim de Spiritu S ait: *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro:* cùm dixisset nos esse templum Spiritûs S. nobis præcipit, ut eum glorificemus, & portemus in corde, seu colamus, totoque affectu amemus, cùm sit ipse charitas descendens in corda nostra; hunc cultum debere esse latriæ liquet ex illo Matth 4. *Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies.* Servire soli Deo perinde est ac servire *Patri, Filio, & Spiritui S* pariinde adorare Deum est eodem cultu latriæ adorare Patrem, Filium & Spiritum S ut explicat D. Augustinus in epist. 66 inquiens. *Unus enim, cui per latriam servire jubemur, ita ubi dicitur solus, ut & Pater intelligatur, & Filius, & etiam Spiritus S. De illo quippe dicit Apostolus. Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritûs S.*

Hoc idem fidei dogma semper in Ecclesia docuerunt SS. Patres, Athanasius in epist. ad Serapionem prope finem, ubi summam censet esse impietatem non credere Spiritum S. Deum esse, ait ipse; *Qui Spiritum S. ad creaturas detrahit, impius est & sine Deo, & infideli deterior.* Gregorius Nazianz orat. 5. de Theologia. *Colamus Deum Patrem, Deum Filium. Deum Spiritum S. tres proprietates unam divinitatem, nec gloriã, nec honore, nec essentiã, nec regno divisam. Quisquis aliter sentit, ut Luciferum exorientem videat, ut cum Scriptura loquar, nec cœlestis splendoris gloriam.* Cyrillus in appulsu Episcoporum ex Ægypto *Quomodo non erunt impietatis rei, qui inter creaturas audent Spiritum S collocare.* Basil lib. 3. contra Eunomium *Quomodo non manifestæ impietatis est dicere ipsum Spiritum S. deitatis expertem.* S. Ambrosius lib. de spiritu S *Ejusdem impietatis est, vel Patri, vel Filio, vel Spiritui S derogare.* Augustinus lib 1. de Trinit. cap 6. *Quid autem insanius, magisque sacrilegum est, quam ut quisquam dicere audeat, membra Christi, quæ sumus nos, templum esse creaturæ minoris secundùm ipsos, quam sit ipse Christus.* S. Hilarius lib 12. de Trinit *Profunda tua Spiritus S. tuus scrutatur, & novit: & ego naturæ tuæ potentiam creaturis nomine infamabo?* Alii sancti Patres unanimi consensu hanc eandem docent veritatem. Quam etiam miracula confirmarunt quæ recenset Gregorius Turonensis lib. 2. histor. Franc. cap. 3. apud Bellarminum lib. 1. de Christo c. 1.

CAPUT

CAPUT XIV.

Satis fit argumentis hæreticorum contra Spiritus Sancti Divinitatem.

TAmetsi sancti Patres ex præcitatis in præcedenti capite sacræ Scripturæ textibus argumenta construxerint luce meridiana clariora ad demonstrandam Spiritus Sancti Divinitatem adhuc hæretici ausi sunt eam inficiari, Macedoniani siquidem asseruerunt Spiritum Sanctum esse creaturam: quam hæresim impugnarunt, simulque expugnârunt sancti Patres Athanasius, Gregorius Nazianzenos, & Nyssenus, Basilius, Ambrosius, Didymus, Cyrillus Alexandrinus: & alii plures in superiori capite præcitati. Placet unicum hîc argumentum S. Augustini in Enchir. cap. 56. subtexere, argumentatur ipse. *Spiritus Sanctus si creatura esset, & non creator profecto creatura rationalis esset: ipsa est enim summa creatura: & ideo in regula Fidei* (seu symbolo Apostolorum) *non poneretur ante ecclesiam, quia ad ipsam pertineret in illa ejus parte, quæ in cælis est* (perinde ac aliæ creaturæ rationales ad eandem pertinent) *Nec haberet templum, sed ipse templum esset. Templum autem habet, de quo dicit Apostolus 1. Corint. 6. Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti? de quibus in alio loco dicit: Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi? quomodo ergo Deus non est, qui templum habet? aut minor Christo est, cujus membra templum habent? Neque enim aliud templum ejus, aliud templum Dei est, cum idem dicat Apostolus. Nescitis quia templum Dei estis. Quod ut probaret adjecit: Et Spiritus Dei habitat in nobis. Deus ergò habitat in templo suo, non solùm Spiritus Sanctus, sed etiam Pater & Filius.* Et quamvis Macedonii doctrina damnata fuerit in Concilio Romano sub sancto Damaso Papa; & in Constantinopolitano primo, & inter generalia secundo, & Macedonii Sectatores fuerint anathemate percussi, ac idem concilium, ad Macedonianam hæresim radicitùs evellendam inseruerit symbolo Apostolorum: *Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum: qui locutus est per Prophetas*, ubi Spiritus Sanctus declaratur verus Deus, adorandus eodem cultu cum Patre, & Filio: nihilominus Samosateniani, Eunomiani, Valentiniani, Semetiani, ac Ministri Transylvani adhuc ausi fuerunt contra scripturas luce meridiana clariores, contra Decreta Conciliorum, doctrinam sanctorum Patrum, & efficaciam rationum inficiari Spiritum sanctum esse verum Deum. Ob aliquot argumenta nullius momenti & ad quæ sancti Patres jam dudum responderunt, & rejecerunt.

Primum argumentum desumunt ex eo, quòd Spiritus sanctus in sacris Scripturis nunquam vocetur Deus: ex quo inferunt Transylvani recoquentes veterem Eunomianorum crambem: ergo Spiritus sanctus non est Deus. Sed quàm falsum sit, Spiritum sanctum in sacris scripturis non dici verum Deum, in præcedenti capite ostendimus, citavimus enim plura scripturæ loca in quibus Spiritus sanctus verus esse Deus dicitur. Præterea Joan. 4. Dominus expressè dicit, *Spiritus est Deus*, ubi D. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto ostendit à Christo Spiritum sanctum vocari Deum; quo textu convicti hæretici dolosè verba illa sacrilegè ex evangelio expunxerunt, contra quos calamum acuit S. Ambrosius loc. cit. inquiens: *Literas potuistis abolere, sed fidem non potuistis auferre. Neque vos poteratis obliterare veritatem, sed illa litera de libro vita nomina vestra delebat.* Deinde quamvis nullibi in scripturis Spiritus sanctus diceretur Deus, adhuc sufficeret, si illi attribuantur prærogativæ, operationes, & attributa omnia divinitatis, ex eò enim, quòd Spiritui sancto tribuat immensitatem infinitatem, æternitatem, & alia attributa, vel operationes, quæ nonnisi Deo soli possunt convenire, satis apertè in scripturis demonstratur Spiritus sanctus esse verus Deus. Quòd immensitas tribuatur Spiritui sancto, habetur Sapien. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Omnipotentia Sapien. 7. *Omnem habens virtutem* est sermo de Spiritu sancto, cui tribuitur omnis virtus, ac potentia. De aliis attributis, & operationibus, quæ nonnisi soli Deo tribui possunt, ostendimus in præcedente capite, tribui itidem Spiritui sancto, qui propterea est verus Deus ex scripturis sacris.

Secundum ex eo quia Joan 1. Omnia per Verbum, seu filium dicantur facta. Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Ex quo inferunt etiam Spiritum sanctum factum esse per Verbum, alioquin non essent omnia per ipsum facta, quia assignaretur Spiritus sanctus per Verbum non factus: Deinde resumunt, sed omnia facta sunt in ordine creaturarum: proinde in hoc ordine collocandus est Spiritus sanctus, qui propterea est creatura. Sed ad hoc argumentum respondet D. Gregorius Naxianzenus Orat. 4. Per Verbum æterni Patris facta esse omnia, quæ facta sunt, sed negat Spiritum sanctum factum esse, quia quæ fiunt, vel extrahuntur è nihilo, vel fiunt ex præcedente materia: sed Spiritus sanctus neutro modo fit, non enim extrahitur ex nihilo, quia non esse sui non præcessit tempore neque natura esse sui: neque fit ex prajacente materia, quia non est forma ulla, quæ inducatur in materiam aliquam indeterminatam, sed procedit Spiritus sanctus à Patre, & Filio, à quibus accipit eandem numerò essentiam, naturam, substantiam, ac Deitatem, quæ est in Patre, & Filio, estque idem Deus cum Patre, & Filio: quamobrem Spiritus sanctus est extra numerum illarum rerum omnium, quæ dicuntur factæ, consequenter dici nequit factus per Verbum; sed tantùm procedere à Patre & Filio, & ab utroque accipere eamdem essentiam, naturam, substantiam, & Deitatem, proinde esse Deum, non creaturam. Tum quia si argumentum valeret probaretur etiam Pater esse creatura, quia si omnia per Verbum facta sunt, etiam Pater cùm ut Pater non sit Verbum, per Verbum diceretur factum, quod hæreticum est, & nullus hactenus dixit.

Tertium: Quia Christus, & Apostoli prædixerunt statim venturum Antichristum post Christi obitum, & abolitúrum fidem veram Jesu Christi: atqui post Christi mortem per totum orbem cæperunt gentes adorare Deum trinum in personis, & unum in essentia: ergo doctrina, & fides Trinitatis est doctrina, & Fides Antichristi, vel mentiti sunt Christus, & Apostoli; ita argumentantur Ministri Transylvani lib. 1. cap. 1. & nituntur hoc suum assertum evincere ex scripturis Joan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me: si*

alius venerit in nomine suo illum recipietis. Joan. 9. *Me oportet operari donec dies est, venit autem nox, in qua nemo potest operari: quandiu in mundo sum, lux sum mundi* Luc. 21 *Videte ne seducamini, multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum, & tempus appropinquavit, nolite ire post illos.* Ex quibus inferunt Sectarii Christum prædixisse tempus suæ abolitionis in proximo fuisse. Idque firmant ex D. Paulo ad Coloss. 2. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam.* 2. ad Thessal. 2. *Mysterium jam operatur iniquitatis.* 1. Joan. 4. *Antichristus jam nunc est in mundo, omnis qui negat Christum in carne venisse, hic seductor est, & Antichristus*; volunt per carnem puram, & simplicem, seu purum hominem intelligi Christum, non verò personam divinam, quæ assumpserit carnem humanam demum Act. 20. *Scio quia post discessum meum intrabunt in vos lupi rapaces non pascentes gregi.* Sed contra quia Sectarii hoc argumento quo utuntur sancti Patres ad eorum errores detegendos, & refellendos, retorquent dolosè in Catholicos, & cùm sancti Patres explicent Antichristum esse ipsos Hæresiarcos, sectarii in ipsam sanctorum Patrum retorquent doctrinam, quam vocant Antichristum. Facilè diluitur hoc argumentum quia nititur fundamento falso: quia ut notat Bellarminus lib. 1. cap. 13. Si post necem Christi vera ejus fides erat statim abolenda, ut asserunt Sectarii, cum Christus tantum laboravit, tot patravit miracula, quibus in fide magis stabiliret fideles? cur tot flagella, persecutiones, contumelias toleravit, cum voluit vulnera & mortem subire? cum post resurrectionem injunxit Apostolis, ut fidem propagarent per totum orbem, si statim hæc eadem fides debuit cessare, & totaliter aboleri? cur non præmonuit, ut caveremus à seductoribus, qui nullo modo impediri poterant, ne totum mundum perverterent. Tum quia falsæ essent Christi promissiones Matth. 6. *Porta inferi non prævalebunt adversus eam.* Matth. ult. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Luc. 1. *Regni ejus non erit finis.* Genes. 22. *In semine suo benedicentur omnes gentes terræ.* Psal. 71. *Adorabunt eum omnes Reges; omnes gentes servient ei.* Hæ prædictiones falsæ essent, si regnum Christi vix incœptum in terris statim desineret, vix constructum destrueretur. Hinc ad primum Respondetur nullibi scripturas asserere, Antichristum statim venturum post obitum Jesu Christi; bene nomen suo tempore in fine mundi, & tunc venturum in nomine suo proprio, non verò æterni Patris: sed Christus qui ubique terrarum à gentibus ad fidem conversis colitur Patrem habet, & in nomine Patris venit in mundum, quem redimeret, non destrueret; salvaret non perderet. Rursus Christus ad solos Judæos fuit loquutus, qui Joan. 5. *quærebant eum interficere* deinde subjungit: *Dixit ergo eis Jesus: Ego veni in nomine Patris, & non recepistis me: si alius veniet in nomine suo eum recipietis.* Cum Judæi noluerint Christum recipere, credentes eum purum hominem; Antichristum recipient, quem Judæi credent Messiam esse; hunc esse sensum illius textûs explicant sancti Patres, præsertim Cyrillus, Augustinus. Ad secundum per diem Christum Joan. 9. intelligere tempus totum præsentis vitæ, usque ad finem mundi, & consummationem sæculi, & per noctem tempus futuræ vitæ: quia tunc cessabunt opera meritoria Eccles. 9. *Quia nec opus, nec ratio erunt apud inferos.* Et licèt dicat Christus *quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*, id intelligitur quòd sit in mundo per gratiam, quâ illuminat homines, in quo sensu Matth. ult. dixit; Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi; adeo ut nunc sit Christus in mundo, quatenus suam impertitur hominibus gratiam; & post diem Judicii non erit amplius in mundo, quia non erit ulterius daturus suam gratiam impiis, & convertantur, quapropter nos monet Jesaias cap. 15. *Quærite Dominum dum inveniri potest; invocate eum dum prope est.* Ad tertium Respondet Cajetanus apud Bellarminum illa verba *tempus appropinquavit* non referri ad Christum, quasi ipse ex se protulerit illa; sed referri ad seductores, à quibus proferantur. Unde non sequitur post Christi obitum statim venisse antichristum, & hunc fuisse Romanum Pontificem, & sanctorum Patrum doctrinam, quo nil insulsius, iniquius nihil audiri potest: hinc D. Paulus 2. Thess. 2. scribit: *Ne terreamini, quasi instet dies Domini.* Alii intelligunt verba Luc. 21. quod Christus asseruerit quidem tempus appropinquasse, non tamen Antichristi nec diei Judicii; nec obolitionis fidei suæ; sed plurium seductorum, qui sibi nomen Christi erant usurpaturi, ut tempore Apostolorum fuit Simon Magus, & post ipsum Alexander, uterque siquidem inani fastu se Christum dixit, ut refert Irenæus lib. 1. cap. 2. & seq. Josephus Hebræus lib. 20. Antiq. cap. 4. 11. & seq. ubi recensei plures qui suo tempore Judæos seduxerunt, seque ipsos dixerunt salvatores Israëlis. Ad testimonia D. Pauli, liquet Apostolum ibi loqui de hæreticis, ac seductoribus: ait enim Apostolus: *Ex nobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Ad ultimum petitum ex act. Apostol. Respondetur, Apostolus prædixere hæreticos præsertim Ebionitas, & Marcionistas, & alios ejusdem furfuris, quot Apostoli vocant Antichristum, non quia futuri essent ille Antichristus, qui venturus erit prope finem mundi; sed quia erunt illius præcursores, ac incipient oppugnare Christi fidem, quo pacto hæretici etiamnum præcursores audiunt Antichristi.

Quartum desumitur ex illis scripturis, in quibus Spiritus sanctus significatur inferior Deo, & creatura Amos 4. *Ego Dominus formans tonitru, & creans spiritum.* Ad Rom. 8 *Spiritus postulat pro nobis.* Joan. 16. *Non enim loquetur à semetipso.* Joan. 17. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Sed contra ad primum Respondet S. Athanasius in epist. ad Serapionem non esse ibi sermonem de Spiritu sancto, sed de vento excitante procellas in aëre. & tempestatem in mari; loquitur enim Propheta de tonitru prodromo procellarum. Ad secundum Spiritum sanctum dici postulare pro nobis, eò quia adjuvando nostram infirmitatem, ac nobis suam impertiendo gratiam facit, ut postulemus; seu ut loquitur Apostolus, ut sciamus, quid nobis postulandum sit, & illud postulemus, sicut oportet: sed animo humili, corde fervente, mente devota, qua de causa idem Apostolus ad Galat. 4. ait: *Misit Deus spiritum filii sui in corda vestra clamantem Abba Pater*, quatenus excitat corda nostra, ut idem clament. Hoc idem scripserat ad Rom. 8. *Accepistis Spiritum Filiorum, in quo clamamus Abba Pater*, ut etiam explicuit S. Augustinus lib. 1. contra Maximinum. Ad tertium Respondet S. Basilius lib. 5. in Eunom. Inde potiùs sequi Spiritum sanctum non esse creaturam; quia si esset creatura, utique rationalis, hæc autem aliquando loquitur à semetipsa. Ut cùm Dominus de diabolo ait Joan. 16. *Cùm loquitur mendacium ex proprio loquitur.* Quamobrem quando de Spiritu sancto dicitur, quod non loquetur à semetipso ibi est sermo de Processione Spiritus sancti, ratione cujus unà cum eadem

prorsus

prorsus essentia, natura, substantia, & Deitate, accipit Spiritus sanctus à Patre & Filio etiam scientiam, quâ loquitur; proinde non loquitur à semetipso, quia ea loquitur, quæ scit. & ea scit, quæ accepit à Patre, & Filio. Ad quartum respoudet D. Basilius lib. 5. contra Eunomium Spiritum sanctum uno illo solo Deo includi simul cum Patre, & Filio. quia tres personæ sunt una ac eadem essentia, substantia, ac Deitas, adeout tres personæ sint unus Deus.

Quintum desumitur ex eo, quia nomen Dei non est nomen essentiæ, sed dignitatis, & Imperii, & desumitur ex Scripturis, in quibus Principes dicuntur dii ob dignitatem, qua cœteris antecellunt, ac imperant: sed Pater Christi habet imperium summum in omnes absolutè, consequenter etiam in ipsum Christum; & Christus baber imperium in omnes excepto Patre: & quo inferunt Patrem esse summum Deum simpliciter; & Christum esse summum Deum post Patrem, consequenter esse inferiorem Patre: idque confirmant ex illo Joan 14. ubi Christus de se ipso ait: *Pater major me est*; & Joan. 6. *Descendi de cœlo, non ut facerem voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Ex ex D. Paulo 1. Cor. 15. ubi ait Christum subjectum esse Patri, & Christo omnia Patre excepto, qui subjecit illi omnia. Contra tamen. Negatur boc nomen Deus significare imperium, vel dignitatem; ex vi enim propriæ Ethimologiæ significat pœnitentiam, qua Deus omnibus succurrit, operaque præstat, ne cuiquam desit ex iis, quæ ad propriam conservationem necessaria sunt, ut censet Damascenus lib. 1. cap. 12. Theodoretus lib. 3. ad Græcos asserit, hoc nomen inventum ab iis fuisse, qui putârunt sydera esse cœlos, eò quia perpetuo motu volvantur, & currant; quo pacto Deum quasi currentem vocârunt: sed quandocunque derivetur ethimologia Dei, certum est, hoc nomen non fuisse impositum ad significandum imperium, sed rem summam præstantissimam, ac primum ens independens, & à quo reliqua omnia, quæ non sunt in Deo seu non identificamur formaliter cum Dei substantia, dependent: & quia cum Dei substantia formaliter identificantur Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sequitur has tres personas esse unam eamdemque essentiam, substantiam, & Deitatem, consequenter esse unum Deum: binc falsum est, Filium Dei, quatenus Deus est, subjectum esse Patri, ac esse principem minorem patre; quia est idem prorsus Deus ac Pater. cui propterea est æqualis. Joan. 5. *Ego & Pater unum sumus.* Hinc ad primum petitum ex Joan 14. ubi Christus se dicit minorem Patre, Respondent sancti Patres præsertim Cyrillus, Chrysostomus, Augustinus in textum illum Joannis, Christum se fateri minorem Patre secundum humanitatem assumptam; non secundùm divinitatem. S. Basilius lib. 1. in Eunomium, Naziaozenus orat. 4. de Theologia, Hilarius lib. 9. de Trinitate. & alii respoodent Patrem dici majorem filio ratione principii, seu originis, quatenus Pater est origine prior Filio, cùm hic generetur à Patre, non autem ratione naturæ; quia natura, & tempore Pater non est major filio, neque dependet ab ipso. Prima tamen responsio est communior, & captu facilior. Ad secundum pariter respondetur, Christum descendisse de cœlo, ut faceret voluntatem Patris ratione voluntatis humanæ Christi: quia sicot duæ fuerunt in Christo naturæ, divina, & humana, ita etiam duæ voluntates, Christus igitur sicut descendit, ut assumeret naturam humanam; ita etiam ut secundum voluntatem naturæ humanæ, se conformaret volontati Dei; alioquin si intelligeretur de voluntate divina in Christo, sicut hæc voluntas non distinguitur à voluntate Patris, perinde esset ac dicere, Christum descendisse, ut faceret voluntatem propriam, quia voluntas divina est ipsa natura divina, quæ in patre, & filio est prorsus eadem. Si dicas, Christum non descendisse de cœlo ut hominem, eò quia ut homo nondum ascenderet in cœlum; sed descendisse, ut Deum, & ut talem se fecisse minorem patre. Contra quia hic descensus non significat motum ullum localem, non enim Christus dicitur descendisse de cœlo, perinde ac homo descendit à domo per scalas in plateam; sec descensus hîc significat exinanitionem, & assumptionem formæ servi, ut loquitur Apostolus: unde Christus descendens de cœlo obediebat Patri non secundùm formam Dei, seu voluntatem divinam; sed secundùm formam servi, seu voluntatem naturæ humanæ assumptæ. Regula generalis prodita à sanctis Patribus est, ut quoties in scripturis Filius, seu Christus dicitur minor, inferior patre, vel Deo, eique obediens, id intelligatur de Christo secundùm naturam bumanam, non divinam, quia hæc est omnino eadem cum natura Patris, Filii, & Spiritus sancti: ergo neque Filius, neque Spiritus sanctus sunt inferiores Deo Patre, proinde Spiritus sanctus æquè est Deus, ac Pater, & Filius. Hinc D. Petrus Act. 5. dixit Ananiæ: *Anania cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? non es mentitus hominibus, sed Deo.* quia Ananias fuit mentitus Spiritui sancto, dicitur à D. Petro mentitus Deo, quia Spiritus sanctus est ipse Deus: & cum D. Paulus 1. Corinth. 6. fuisset hortatus Corinthios, ut glorificarent, & portarent Deum in proprio corpore, paulò antea dixerat, *membra vestra templum sunt Spiritus sancti* seu Dei, quem glorificare, ac portare in corpore jubentur. Sextum petitur ex eo quòd Spiritus sanctus in scripturis dicitur mitti Joan. 15. *Cum venerit Spiritus veritatis, quem ego mittam vobis à Patre*: ex quo argumentabantur Ariani: qui mittitur, est inferior eo, à quo mittitur, quia non superior mittitur ab inferiore, sed è contra inferior à superiore: sed Spiritus sanctus mittitur à Patre: ergo est minor Patre. Sed contra distinguitur major, qui mittitur per modum imperii est inferior eo, à quo mittitur conceditur; qui mittitur per modum processionis, negatur: & sub eadem distinctione minoris negatur consequentia: quia ut docet S. Augustinus duplex est missio, una per modum imperii, & indicat superioritatem, ac majorem excellentiam in mittente, quo pacto famulus mittitur per modum imperii à suo hero. Alia est missio per modum processionis, quâ simpliciter una persona procedit ab alia; quo pacto Filius dicitur in divinis mitti à Patre, quatenus procedit ab ipso per modum generationis: Spiritus sanctus mittitur à Patre & Filio quia procedit ab utroque per modum amoris, & charitatis: & licèt hæc missio sit invisibilis, quia purè spiritualis in Deo, & ab æterno: nihilominus hæc missio invisibilis ex tempore facta fuit visibilis, ut cùm filius apparuit in carne Joan. 1. *Et Verbum caro factum est: & Spiritus sanctus in columbæ specie* & die Pentecoste *in linguis igneis* tunc missiones æternæ invisibiles factæ missiones ex tempore visibiles sunt. Manifestatio igitur visibilis personæ invisibilis in scripturis missio dicitor, quæ nil derogat divinitati Filii, & Spiritûs sancti; quia utraque persona missa nihil deperdit de eo, quod ante missionem visibilem erat, utraque est idem Deos sicut antea: unde de Filio dicitur Joan. 1. *In mundo erat, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt,* De Spiritu sancto Psal. 138. *Quo ibo à Spiritu suo?*

CAPUT XV.

Quomodo Spiritus ſanctus contra Judæos ex veteri teſtamento oſtendatur verus Deus & quomodo ei conveniat nomen amoris, & ex quo amore procedat.

OStendimus Spiritum ſanctum contra hæreticos eſſe verum Deum ſupereſt diſcutiendum, an contra Judæos ex veteri teſtamento poſſit hoc idem fidei dogma probari, & reſpondetur affirmativè, qui cum certum ſit ſolum Deum eſſe Creatorem rerum omnium, ut conſtat ex 1. Geneſ. *In principio Deus creavit cœlum, & terram*, ſequitur, Spiritum ſanctum eſſe verum Deum, quia ipſe eſt rerum omnium creator, & conditor, ut expreſsè ſignificatur in veteri teſtamento Pſal. 302. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, hunc enim textum intellexiſſe veteres Patres de Filio, & Spiritu ſancto, probant Genebrardus, & Paulus Burgenſis. 1. *part. ſcrutin. diſput. 9. cap. 5.* Ergo ex veteri teſtamento conſtat Spiritum ſanctum eſſe omnipotentem Creatorem cœli & terræ unà cum Patre, & Filio, conſequenter eſſe verum Deum, hinc David Pſal. 103. ait: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur*, unde creare convenit Spiritui ſancto, & quia creare ita proprium eſt Deo, ut nulli poſſit creaturæ congruere, cùm hæc non poſſit res traducere de non eſſe ad eſſe, ſequitur Spiritum ſanctum eſſe verum Deum, & non creaturam. Judith etiam cap. 16. habetur, *Miſiſti Spiritum tuum, & creata ſunt*, & Job. cap. 26. *Spiritus ejus creavit cœlos:* ex quibus, & aliis veteris teſtamenti textibus expreſsè deducitur creationem propriam Deo attribui Spiritui ſancto, qui propterea eſt verus Deus Creator cœli, & terræ unà cum Patre, & Filio. Hoc argumento uſi ſunt præſertim Baſilius, Cyrillus, & Athanaſius ad evincendam divinitatem Spiritûs ſancti, tum quia Geneſ. 1. habetur *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, hebraicè legitur Spiritus Elohin, & Rabbi Eleazar, ait ſignificare Spiritum ſanctum, quaſi dicatur Spiritus, qui procedit à Patre, & Filio, ferebatur ſuper aquas, unde contra Judæos conſtat Spiritum ſanctum eſſe verum Deum.

Difficultas eſt, quomodo nomen amoris dicatur convenire Spiritui ſancto, quia in ſcripturis vix reperitur hoc nomen amoris eſſe proprium Spiritus ſancti: ſi quidem textus omnes, in quibus ſignificatur nomen amoris, poſſunt facilè explicari vel de amore eſſentiali, vel de charitate creata: neque ſignificatum per nomen amoris dici poteſt in divinis ſecundùm eandem prorſus rationem eſſentialiter, & nocionaliter ſiquidem, quod in divinis eſſentiale eſt, commune eſt tribus perſonis; & quod nocionale proprium unius tantùm: & idem prædicatum ſecundùm eandem prorſus rationem non poteſt eſſe ſimul proprium, & commune; nocionale, & eſſentiale.

Dicendum nihilominus eſt nomen amoris in divinis dici nocionaliter, & convenire tantùm Spiritui ſancto, ſi ſumatur, ut dicit terminum progredientem à voluntate.

Ratio eſt, quia amor poteſt dupliciter conſiderari, primò ut dicit attingentiam objecti: ſecundò ut importat terminum productum à voluntate; ſed Spiritus ſanctus ita à voluntate procedit, ut ipſe ſolus ſit terminus voluntatis, conſequenter nomen amoris, quatenus dicit terminum progredientem à voluntate, eſt nomen proprium Spiritus ſancti, ſiquidem terminus voluntatis dicit aliquid intra rationem amoris: eò enim ipſo, quòd eſt à voluntate, eſt ab ipſa ut volitiva, conſequenter quidquid provenit à voluntate ut volitiva, debet eſſe intra rationem volitionis, & amoris, unde ex eo, quod Spiritus ſanctus ſit terminus voluntatis, ut volitivæ, nomen amoris eſt illi proprium, ac ei convenit: hæcque ratio eſt, cur ſancti Patres, & Concilia vocent Spiritum ſanctum amorem, & charitatem Patris & Filii, quia ſcilicet Pater, & Filius ſe amantes ſpirant per voluntatem Spiritum ſanctum, qui eſt terminus voluntatis, & amoris ad intra, ergo nomen amoris propriè convenit Spiritui ſancto ſecundum ſuum eſſe nocionale.

Neque obſtat, quòd reſpondet Durandus, in Deo non dari duos amores, quorum unus ſit eſſentialis, & alter nocionalis, ſicut neque dantur duæ voluntates, neque duæ divinitates, ex quo infert Durandus hoc nomen amoris non convenire Spiritui ſancto ſecundùm proprium eſſe nocionale. Nam contra eſt, quia tametſi nomen amoris ex modo ſignificandi ſit eſſentiale, & etiam perſonale, ſeu commune, & nocionale, inde non ſequitur eſſe in Deo duos amores: ſiquidem in divinis amor non dividitur in eſſentialem, & perſonalem, ut in creatis res una materialis, & quanta dividitur in duas partes, ſeu res, in divinis enim non datur niſi ratio ſimpliciſſima primi entis independentis, in quo comprehenduntur perfectiones omnes excogitabiles: & hæc ratio entis non eſt partibilis in plura alia entia: unde amor eſſentialis, & nocionalis in Deo eſt unica tantùm ſimpliciſſima res, & vox una in plura ſignificata tantùm diſtincta, eſtque diviſio nominis quaſi univoci. Præterea tametſi in Deo darentur duo amores diſtincti tantùm objectivè formaliter ſecundùm diverſas rationes, non inde ſequeretur eſſe in Deo duas voluntates, aut divinitates formaliter diſtinctas: ratio eſt, quia voluntas non poteſt concipi ut producta, conſequenter non poteſt dividi in duas voluntates, quorum una ſit eſſentialis, & alia nocionalis: ſecus amor, quia concipitur ut productus, nil obſtat, quin poſſit dividi objectivè formaliter in eſſentialem, & nocionalem. Si dicas in Deo non dari intellectionem eſſentialem, & nocionalem, conſequenter neque volitionem. Contra eſt, negatur antecedens, quia cùm dictio pertineat ad intellectum, dicit etiam rationem intellectionis, atqui dictio eſt nocionalis, quia propria ſolius Patris; & intelligere eſt commune, & eſſentiale, quia omnes tres perſonæ perfectiſſimè intelligunt. Deinde adhuc eſt diſpar ratio de intellectione, & volitione, quia cùm agitur de intellectu, habemus propria vocabula, quibus diſtinguimus notitiam eſſentialem à nocionali, quo pacto diſtinguimus dicere ab intelligere, eadem ſiquidem intellectio divina, quatenus eſt manifeſtatio objecti, dicitque habitudinem ad rem intellectam, dicitur intellectio: & quatenus dicit habitudinem ad id quod ab intellectu procedit, ſcilicet ipſum verbum, vocatur dictio, & quatenus importat id, quod per dictionem dicitur, vocatur ſapientia genita, ſeu verbum. Quod ſi velimus conſiderare hanc triplicem habitudinem in voluntate, ſcilicet ad rem ama-

tam,

tam, est amor essentialis, si consideremus habitudinem ejusdem voluntatem amantis ad rem, quæ per ipsam procedit: & demum rem ipsam per talem actionem procedentem, hæc omnia ob penuriam vocabulorum explicantur nomine amoris, quo fit, ut idem amoris in divinis, ut dicit habitudinem amantis ad rem amatam, sit amor essentialis, prout dicit habitudinem amantis ad id, quod ex amore procedit, & ipsum quoque, quod procedit, dicitur amor nocionalis: unde sicut non repugnat eandem intellectiorem secundùm diversas habitudines esse essentialem, & nocionalem, ita neque repugnat eundem amorem secundùm diversas rationes, & respectus esse essentialem, & nocionalem.

Dices amorem propriè dictum esse ipsam dilectionem, seu actum amandi, quo aliquid amatur, atqui Spiritus sanctus non est ipse actus amandi, quo Pater, & Filius se diligunt, ergo nomen amoris non conveoit Spiritoi sancto secundùm proprium esse nocionale. Contra est, quia tametsi ob inopiam vocabulorum, vocemus amorem, tum ipsum actum amandi tum terminum ipsum productum: quia tamen Spiritus sanctus est hic terminus productus per actum amandi, dicitur propriè amor, potest enim actus amandi, quo Pater, & Filius se diligunt, dupliciter intelligi primò activè quatenus Pater, & Filios efficiunt actum amoris, secundò terminativè quatenus terminus hujus actus est Spiritus sanctus, quo Pater, & Filius dicuntur Spiritu sancto se amare, & secundum priorem rationem amor est essentialis, & communis Patri, & Filio, secundùm aliam rationem, seu ot est terminus actus amoris, est nocionalis propriè Spiritus sancti. Si dicas, Spiritum sanctum non dici propriè amorem, quia amor non est id, quo amamus. Contra est, quia sicut de ratione verbi ut sic, non est esse id, quod intelligitur, ita neque de ratione amoris ut sic, est esse id, quo aliquid amatur, sed tantùm est de ratione amoris ut sic esse quendam impulsum, seu amorem subsistentem: hic autem impulsus non est id, quo Deus amat, sed id, quod amat. Est de ratione amoris esse terminum voluntatis, ac dicere quendam egressum intentionalem amantis in rem amatam, voluntas enim, & intellectus in attingentia objecti se habent opposito modo, intellectus enim dicit vim, qua anima trahit ad se objectum, ut existat in mente intentionaliter: voluntas verò est vis quædam, qoa amans trahitur, & quodammodo impellitur in rem amatam, unde sicut verbum importat ingressum objecti in mentem, ut illa existat modo intentionali, adeo ut objectum quodammodo intelligatur egredi à se ipso, & ingredi in intellectum, in quo existat intentionaliter: è converso terminus voluntatis importat egressionem intentionalem amantis in rem amatam: hine Spiritus sanctus prout est amor nocionalis, importat esse divinum per modum egressionis affectivæ, realis, & intentionalis, qua constituitur in esse dati, ac doni, quia tertia persona est Spiritus amoris, quo Pater, & Filius se invicem amant, & convertuntur invicem ad se per amorem: quo fit ut Spiritus sanctus ex proprio suo modo procedendi sit unio affectiva, non quòd sit unio pura intentionalis, sed etiam realis, consequenter debet importare esse divinum sub ratione egressus affectivi, & doni, quia unio affectiva efficit, ut amans per affectum uniatur amato, cui se exhibeat, quod fieri nequit nisi per affectivom egressum. Si dicas Spiritum sanctum etiam amar, & tamen non constitui in esse doni per modum egressus affectivi. Respondetur esse discrimen, quia Spiritus sanctus amat tantùm essentialiter, seu amore communi, non nocionaliter, proinde non debet constitui in esse doni per egressum affectivum realem intentionalem, sed debet tantùm esse donum, & ratio quædam, qua amans uniatur eum objecto amato.

Dices nomen amoris in scripturis non tribui tantùm Spiritui sancto, sed toti Trinitati, eò quia omnes tres personæ divinæ æqualiter se amant mutuò, & earum amor est ipsa essentia, unde sicut sunt æqualiter esseotia, ita & æqualiter amor, hinc 1. Joan 4. dicitur. *Deus charitas est*. seu amor, quod intelligitur de Deo, ut est communis toti Trinitati: ergo nomeo amoris non est proprium Spiritûs sancti, sed commune tribus personis, seu Deo. Sed contra, quia dupliciter sumi potest amor, primò absolutè, prout abstrahit à producto, & improducto, & sub hac ratione omnes tres personæ dicuntur amor juxta illud 1. Joan. 4. *Deus charitas est*. Secundò sumitur pro amore producto, seu termino voluntatis, & in hoc sensu solus Spiritus sanctus dicitur amor, quia ipse solus est productus per voluntatem: hic autem terminus productus à voluntate ob inopiam vocabulorum vocatur etiam amor nocionalis tamen conveniens soli Spiritui sancto, & differt ab amore essentiali, quia hic non est terminus productus.

Dicendum secundò Spiritum sanctum procedere ex amore, quo Pater, & Filius amant essentiam, attributa, & personas omnes, & omnia, quæ sunt necessario in Deo, ratio est, quia sicut Verbum exigite procedere ex cognitione comprehensiva Deitatis: ita Spiritus sanctus exigit procedere ex amore perfectissimo, & omnino adæquato ipsi Deitati: hic autem amor ut sit adæquatus, debet extendi ad omnia, quæ sunt formaliter in ipsa Deitate perinde ac ipsa cugnitio comprehensiva, consequenter Spiritus sanctus procedit ex amore omnium, quæ formaliter sunt in ipsa Deitate, consequenter procedit ex amore essentiæ, attributorum, & personarum. Major liquet, quia eo ipso, quòd Spiritus sanctus procedit per voluntatem, debet procedere per amorem, & quia ejus processio est perfectissima, debet procedere ex amore itidem perfectissimo, ac omnino adæquato divinæ essentiæ: hic autem amor debet includere amorem fœcunditatis, quia fœcunditas est de intrinseco conceptu essentiæ: fæcunditas enim Dei nequit ulla ratione esse talis, ut de facto est, nisi essentia acta identificetur tribus personis: unde si Spiritus sanctus procedit ex perfectissimo amore divinæ essentiæ, adeo ut adæquet totam amabilitatem intrinsecam essentiæ, debet procedere ex amore essentiæ attributorum, & personarum, quia in Deo hæc omnia sunt una, ac eadem simplicissima res, ac divina essentia includens totam plenitudinem perfectionum. Tum quia divina esseutia ut est radix attributorum, & est fœcunda ad intra, est amabilis, siquidem ratio talis radicis, ac fœcunditatis includit propriam bonitatem: sed non potest amari essentia ut radix attributorum, quin amentur & ipsa attributa ob essentialem connexionem radicis cum radicato: neque potest amari essentia ut fœcunda, quin amentur ipsæ personæ propter eandem connexionem fœcunditatis eum personis, consequenter eo ipso quòd Spiritus sanctus procedit ex amore perfectissimo, & adæquato divinæ essentiæ, attributorum, & personarum, quia hæc omnia sunt de concepto adæquato divinæ esseatiæ. Si dicas Spiritum sanctum necessario procedere ex amore complacentiæ præsup-

supponente suum objectum existere priùs ratione, cum sit de ratione amoris complacentiæ ferri in objectum ut existens: & Spiritum sanctum pro illo priori, in quo intelligitur amor, à quo procedit, non existere, alioquin existeret, priusquam produceretur, proinde Spiritum non procedere ex amore sui. Contra est, quia or aliquid ametur amore complacentiæ, satis est, si objectum amatum cognoscatur, ut existens in signo posteriori rationis, alioquin opera nostra bona non potuissent Deo ab æterno placere, quod est falsum: quapropter sufficit, si objectum amatum cognoscatur ut existens in signo aliquo posteriori: & quia Deus in illo primo signo antequam intelligatur spirare, videt Spiritum sanctum ut existentem in posteriori signo rationis, ideo nil obstat, quo minus pro signo illo priori eum amet etiam amore complacentiæ.

Imò ex suppositione, quod Deus necessariò amet creaturas possibiles, Spiritus sanctus procedit ex earum amore, quia eo ipso, quod Deus diligit necessariò suam omnipotentiam, non potest non diligere creaturas possibiles, quia iste secundùm id, quod dicunt in Deo, sunt ipsa virtus omnipotentiæ; & cùm Spiritus sanctus procedat ex amore omnium attributorum, proinde etiam omnipotentiæ, necesse est procedat ex amore possibilium, idque ex eo firmari potest, quia sicut intellectio Dei, qua Deus se, suamque omnipotentiam cognoscit, est perfectissima, & omnino adæquata suo objecto, & est comprehensiva illius: ita amor, quo Deus se & suam omnipotentiam diligit, est perfectissimus, & omnino adæquatus suo objecto, consequenter comprehensivus, ergo si ex eo, quod divina cognitio sit omnino adæquata, & comprehensiva divinæ omnipotentiæ, est etiam expressiva possibilium, pari ratione, ex eo, quòd amor, ex quo procedit Spiritus sanctus, sit adæquatè complexivus omnipotentiæ, sequitur Spiritum sanctum non minus procedere ex amore possibilium, quàm Verbum ex cognitione eorundem. Si dicas Deum in suo esse non posse ullo pacto à creaturis dependere, adeo ut si nulla esset creatura possibilis, adhuc Spiritus sanctus procederet æquè perfectus sicut de facto procedit, proinde non posse Spiritum sanctum procedere ex amore creaturarum possibilium. Contra est, quia si Spiritus sanctus non procederet ex amore perfectissimo, & omnino adæquato divinæ essentiæ, & omnipotentiæ, non procederet ex cognitione comprehensiva omnipotentiæ: sed cùm processio Spiritus sancti sit perfectissima, necesse est procedat ex amore perfectissimo, & comprehensivo divinæ essentiæ, & omnipotentiæ, consequenter ex amore possibilium, quæ in divina continentur omnipotentia. Quòd si nulla creatura esset possibilis, in ista hypotesi Spiritus sanctus non procederet ex eodem amore in ordine ad omnipotentiam, sicut de facto procedit. Non tamen Spiritus sanctus procedit ex amore libero circa creaturas ad extra, nec consequenter ex amore futurorum, quia quod est prius, non potest procedere ab eo, quod est posterius, neque dependere ab illo ut sit, & processio Spiritus sancti est prior amore libero circa creaturas ad extra, & creaturæ futuræ, quæ sunt termini amori liberi, ita sunt posteriores processione Spiritûs sancti, ut dependeant in esse futuro ab ipso Spiritu sancto, siquidem futura ot talia dependent à decreto libero Dei, tanquam à causa, quia eatenus sunt futura, quatenus ex vi decreti liberi Dei extrahuntur à statu possibilitatis, ac constituuntur in statu futuritionis: & decreta libera circa creaturas ponendas ad extra emanant à tribus personis divinis, adeo ut opera ad extra dicantur indivisa totius Trinitatis, unde cùm decretum liberum præsupponat essentialiter Spiritum sanctum, nequit hic procedere ex amore libero circa creaturas futuras.

Cæterum Spiritui sancto plura in divinis scripturis tribuuntur nomina, & effectus: siquidem à suis operationibus vocatur Spiritus sapientiæ, intellectûs, consilii, scientiæ, fortitudinis, pietatis, & timoris Domini, suntque septem dona propria Spiritus sancti, quia hæc dona ipse in hominibus operatur: Luc. 11. dicitur *Digitus Dei* in quo Christus ejiciebat dæmonia. Joan. 15. *Spiritus Paraclytus*, seu consolator: siquidem proprium Spiritus sancti est homines consolari in omni sua tribulatione. Dicitur etiam Advocatus, quia postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, seu nos excitat, ut enixim Deum rogemus, ut incrementa suæ gratiæ nobis impertiatur, uti vocatur etiam Spiritus precum, & à Zacharia 11. dicitur *Spiritus rectus*, quia deducit nos in viam rectam à terrenis affectibus nos abstrahens, & ad cœlestia trahens. A Regio Propheta Psal. 10. etiam dicitur *Spiritus principalis*, quia nos corroborat, ut nullis erroribus, ac terroribus, aut amoribus hujus mundi à Christo separemor. Luc. 11. dicitur *Spiritus bonus*, quem dat Deus petentibus eum, & Apostolus ad Roman. 8. Eum vocat *Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater*. Hinc Spiritui sancto tribuitur bonitas, & charitas, imò ipse amor, estque charitas substantialis Patri, & Filio consubstantialis, quia ut loquitur Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 5. *Et Spiritus sanctus charitas consubstantialis Patris, & Filii, qua uterque conjungitur, qua genitus à gignente diligatur, & suum diligat generatorem.* Hinc Spiritus sanctus à D. Bernardo serm. 8. in Cant. vocatur *osculum Patris, & Filii*, quatenus Spiritu sancto Pater, & Filius simul amore conjunguntur, imò vocat etiam Spiritum sanctum glutem firmum; eò quia per hunc amorem Pater, & Filius nunquam separantur: & serm. 1. in octava Pasch. ait: *Spiritus est indissolubile vinculum Trinitatis.* Solet etiam Spiritus sanctus donum vocari, quia donatio propriè dicitur, cum quis aliquid dat ea mente, ut statim velit fieri accipientis, ac sui juris, ut non revertatur ad dantem, idque omnino liberè, & secluso quavis necessitate, & non ob ullam aliam causam, nisi quia donator velit suam exercere munificentiam, adeo ut ratio gratuitæ donationis sit ipsemet amor: eatenus aliquid gratis alicui donamus, quia illi volumus: unde amor est primum illud donum, per quod cætera donantur, & quia Spiritus sanctus procedit à Patre, ut amor, est donorum omnium primum, quæ in creaturas à Deo impenduntur, & per Spiritum sanctum reliqua nobis postea donantur.

Spiritum sanctum esse personale Dei donum scripturæ sacræ testantur Joan. 4. Christus ad Samaritanam ait: *Si scires Donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam*, per haoc aquam vivam intelligi Spiritum sanctum habetur Joan. 7. hinc Spiritus sanctus rectè donum dicitur, in quo sensu scribit Apostolus ad Ephes. 1. *Unicuique nostrum datur gratia secundùm mensuram donationis Christi*: per hanc donationem Spiritum sanctum intelligit Apostolus, quem Christus post suum ascensum in cœlum misit ad inflammanda corda Discipulorum, siquidem: *Ascendens Christus in altum dedit dona hominibus*, seu Spiritum sanctum. D. Petrus itidem in Act. Apostol. ait: *Baptizetur unusquisque*

quisque

quisque vestrum, & accipietis donum Spiritus sancti, seu Spiritum sanctum, qui dicitur donum, quia verò donum est Spiritus sanctus, & donum refertur ad eum, qui dat, & ad eos, quibus datur, Spiritus est, & ei qui dat, & Spiritus noster, quem accipimus, & quamvis ex tempore accipiamus, ab æternitate tamen donum est, quia ut ait Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 15. *Sic procedebat, ut esset donabile, aliter enim intelligitur cùm dicitur donum, aliter cùm dicitur donatum. Nam donum potest esse, antequam detur, donatum autem, nisi datum fuerit, nullo modo dici potest.* Et ideo scripturæ dicunt Spiritum sanctum esse donum Dei, *ut Deum credamus non se ipso inferius donum dare*, ut loquitur idem Augustinus lib. de fid. Symbol. cap. 19. Datur autem nobis Spiritus sanctus ut nos divina gratia vivificet, ac sanctificet. Ezechiel. 37. *Dabo vobis spiritum, & vivetis*; hinc D. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 9. vocat Spiritum sanctum; *sanctificationis originem*: & alii sancti Patres asserunt Protoparenti Adamo, duo fuisse à Deo beneficia præcipua collata; *imaginem* scilicet Dei, quam in ipso arbitrio sui juris ajunt consistere; & *similitudinem* sitam in virtute, & Sanctitate; & hanc posteriorem prærogativam per Spiritum sanctum ejus animæ fuisse extraditam, & hunc dicunt esse spiraculum vitæ, quod Deus inspiravit homini de limo terræ formato; adeout Spiritus sanctus sit spiritus, qui vivificat, & ex quo in baptismo renascimur; *eodem scilicet spiritu replente fontem, qui replevit Virginem*, ut loquitur S. Leo Papa, cujus typum dederat, cùm sub mundi initium *ferebatur super aquas*, Genes. 1. *ne mirum sit in baptismo, si aqua animare noverunt*, cùm in mundi exordio spiritum vivificantem detulerint; ait Tertullianus lib. de Baptismo cap. 3. & 4. *Supervenit Spiritus de cælis, & aquis super est, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificata, vim sanctificandi combibunt.* Biberunt aquæ sanctitatem, quam nobis lustralis baptismi aqua communi caret, ac uberiori daret affluxu Joan. 3. *Quod natum est ex carne caro est: & quod natum ex Spiritu spiritus est*: si naufraga perit vita excitante procellam peccato; baptismi aqua illam reparat, & è passo damno incolumitati restituit, quatenus si per lethalem noxam è gratia, quæ vita est, excidimus, beneficio lustralis aquæ sanctificatæ Spiritu sancto resurgimus; ut scribit Apostolus 1. Corinth. 6. ubi prærecensitis gravissimis peccatorum generibus ait: *Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Vivit enim anima nostra charitate, ac Spiritu sancto, qui charitas est 1. Joan. 4. Deus charitas est: & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo: sed ut ait Apostolus ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*: est enim Spiritus sanctus, qui nos vivificat, quatenus nobis confert sanctificantem gratiam, quâ Deo vivimus, ac per adoptionem ejus efficimur filii, & Christi cohæredes, in quem credentes ait D. Paulus ad Ephes. 1. *Signati sumus* (seu adoptati in filios) *Spiritu promissionis sancto. qui est pignus hæreditatis nostræ*, quia per gratiam sanctificantem, quam nobis impertit, participes efficimur naturæ divinæ, & filii Dei nominamur, & sumus, quia Spiritus sanctus ut scribit D. Paulus ad Rom. 8. *Est Spiritus adoptionis Filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem Filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Imò non solùm per infusionem gratiæ, & charitatis, ac reliquorum donorum nos Spiritus sanctus vivificat, & sanctificat; verùm etiam per intimam substantivam, ac personalem sui Numinis inhabitationem, ut edisserunt sancti Patres verbi Christi: *Si quis diligit me sermones meos servabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quòd si dignoscere cupis, num in nobis maneat Deus. Respondet S. Joannes. *In hac cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam ipse de Spiritu sancto dedit nobis.* Ex accessu ad nos Patris, & Filii non abscedit à nobis Spiritus sanctus, si templum cordis nostri illi paremus, ac aperiamus; sed simul cum Patre, & Filio etiam Spiritus sanctus in templo suo habitat, & nobiscum manet: hinc ait Christus: *Alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Nulli igitur dubium, quia Spiritus sanctus nos vivificet, sitque vita animarum, cùm nobis impertiat gratiam sanctificantem, quæ est vita animæ, & hæc animæ vita sit aliquaodo in corpora refundenda, ut ad vitam gloriosam, & æternam suscitentur, ut ait Apostolus ad Rom. 8. inquiens, *quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Est enim Spiritus sanctus per quem Christianus vivit; & sine quo nequit cum Apostolo dicere: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* Non refert, si habeat baptismum Christi, nisi simul habeat spiritum Christi, quia spiritus est qui vivificat, unde Paulus ad Rom. 8. *Qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, quo pacto hæretici baptizati, & peccatores condescentes in lethali noxa videntur quidem exteriùs esse membra Christi, sed quia carent spiritu Christi, sunt membra mortua & arida sine vita absque vigore: ait Augustinus loquens de existente in peccato lethali serm. 258. aliàs 20. *Habet formam, sed non habet vitam. Quæris ab illo sacramentum, invenis: quæris baptismum invenis: quæris symbolum invenis: formam invenis: Nisi intus spiritu vegeteris, frustra de forma foris gloriaris.* Spiritus sanctus est, qui impellit ad opera vitæ. Ex eo præsertim nos vivificat, quia charitatem in cordibus nostris diffundit. Scimus, Christum bis Apostolis suis dedisse Spiritum sanctum, semel post resurrectionem cum Joan. 20. dixit discipulis suis: *Accipite Spiritum sanctum*, & insufflavit in faciem eorum: & iterum post suam ascensionem Luc. 24. *Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* His dedit spiritum sanctum, ut duo præcepta charitatis commendaret, in Deum, & proximum; decem post ascensionem diebus promissum implevit. Unum misit, & duo commendavit, ut lex tota adimpleretur: hoc est, quia denario numero Lex decem præceptis constans significatur, denario expleto dierum numero post ascensionem suam in cœlum misit Christus in suam ecclesiam Spiritum sanctum, ut demonstraret legem per gratiam sancti Spiritus impleri. Missus itaque fuit Spiritus sanctus, ut lex impleretur, ut fieret quod ipse dixerat Matth. 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Lex scripta fuit, ut altiùs nostris imprimeretur cordibus, diutius nostris hæreret mentibus, cujus præcepta fidelius servarentur, & ferventiùs adimplerentur; quia litera sola occidit, si spiritus ad illius observantiam nostra non moveat corda ait Apostolus 2. Corinth. 3. *Littera occidit. Spiritus autem vivificat* sola est charitas, quæ legem implet:

hue

huc accersendus S. Augustinus lib. de Spirit. & lit. cap. 19. *Lex sine adjuvante spiritu procul dubio est litera occidens: cùm autem adest vivificans spiritus, hoc ipsum intus conscriptum facit diligi, quod foris scriptum lex faciebat timeri.* Et cap. 21. *Quid sunt leges Dei ab ipso Deo scripta in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus sancti, qui est digitus Dei, quo præsente diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis est, & præcepti finis.*

Si dicas Christi discipulos jam habuisse in se manentem spiritum inhabitantem, & quidem à tempore, quo relictis temporalibus bonis sequuti fuerant magistrum eos vocantem. Respondetur non solum discipulos, verùm & quotquot per Christi venturi fidem fuerunt ante Christi adventum in lege veteri sanctificati, habuisse quidem Spiritum sanctum in se inhabitantem; & ad ipsos missum fuisse Spiritum sanctum, missione tamen invisibili; sed post Christi in cœlum ascensionem missione visibili, ac solemni & cum uberiori donorum copia datus est discipulis Spiritus sanctus: & cum hac bonorum copia, ac cœlestium donorum affluxu. *Nondum erat spiritus datus, quia nondum Jesus erat glorificatus*, scitè S. Leo Papa serm. 151. de Pentecoste ait: *Cùm in die Pentecostes discipulos Domini Spiritus sanctus implevit, non fuit inchoatio muneris, sed adjectio largitatis: quoniam & Patriarchæ, & Prophetæ, & Sacerdotes, & omnes sancti, qui in prioribus fuere temporibus ejusdem sunt Spiritus sancti sanctificatione vegetati.*

CAPUT XVI.

An Spiritus sanctus procedat à Filio, ubi de schismate Græcorum, Armenorum, Ruthenorum, & Moscorum.

QUamvis de processione Filii nunquam fuerit dubitatum, quin ejus principium sit Deus Pater: De Spiritu sancto ingens fuit, & acerrima controversia inter ecclesiam Latinam, & Græcam, seu inter Catholicos, & schismaticos, num procedat à Filio, nec ne. Tametsi Spiritum sanctum à Patre, Filioque procedere sit dogma fidei, in Conciliis generalibus Lugdunensi II. sub Gregorio X. & Florentino sub Eugenio IV. declaratum contra Græcorum errores, qui in pluribus Conciliis ejurato schismate professi sunt cum ecclesia Latina processionem Spiritus sancti à Patre, & Filio, quam ante pertinaciter negaverant, adhuc tamen Græci recentiores sentiunt Spiritum sanctum non à Filio, sed à solo Patre procedere, & adeo hic error latè irrepsit, ut non solùm Græci, sed etiam Armeni, Rutheni, Mosci, Transylvani eodem inficiantur errore, qui ut constat ex Theodoreto, incepit circa annum Domini 430. ut habetur in refutatione eorum anathematum, quæ D. Cyrillus scripsit contra Nestorium, ejusque Fautores negantes Christum de Virgine natum, & asserentes esse purum hominem. Rursus circa annum Domini 767. plures è Græcis eodem errore infecti sunt adeo ut tandem circa annum Domini 1504 erupetit in apertum Græcorum schisma, quod adhuc perseverat, tametsi pluries in Conciliis convicti resipuerint, ac errorem dimiserint, ob tamen eorundem inconstantiam in eandem hæresim prolapsi sunt. Imperante Constantino X. cognomento Monomacho, & Leone IX. Romano Pontifice Michael Patriarcha Constantinopolitanus fretus patrocinio Imperatoris ausus est Romanum Pontificem unà cum omnibus Catholicis anathemate percutere, eò quia in symbolo addidissent verba illa. *Filioque procedit*, & tunc Patriarcha Constantinopolitanus ecclesiæ sibi primatum arrogavit, ut liquet ex epistolis Leonis IX. ad Constantinum Monomachum. Hunc eundem errorem, quo Græci tunc negârunt processionem Spiritus sancti à Filio, amplexi postea fuerunt Ministri Transylvani contendentes solum Patrem esse essentiatorem, ut ipsi loquuntur, Filii, & Spiritûs sancti: E converso Catholici unanimi semper consensu docuerunt Spiritum sanctum non à Patre tantùm, sed à Patre, & Filio procedere, quam assertionem etiam Græci recentiores pertinaciter negant.

Hinc contra Græcos plures ex Orthodoxis disputarunt, & scripserunt, ut D. Anselmus *lib. de process. Spiritus sancti* & in pluribus Conciliis præsertim Florentino error Græcorum refutatus fuit, & dogma fidei magis firmatum, ac scripturis corroboratum, quia Joan. 16. ait Christus: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*, unde si Filius ait de Spiritu sancto, quòd de suo accipiet, sequitur Spiritum à Filio procedere, idem enim est Spiritum sanctum accipere de Filio, ac procedere à Filio, ut explicant sancti Patres præsertim Augustinus, Cyrillus, & alii: Siquidem quòd Spiritus sanctus Joan. 16. dicitur accepturus de Filio, est ipsa scientia, quia Filius cum sit Verbum Patri consubstantiale, est ipsa sapientia, quam communicat Spiritui sancto, & hic accipit à Filio: & quia scientia divina Spiritûs sancti, & ejus essentia natura, substantia, & divinitas sunt unum & idem, sequitur Spiritum sanctum accipere à Filio eandem essentiam, naturam, substantiam, & Deitatem. Quòd Spiritus sanctus accipiat à Filio scientiam, ex eo liquet, quia Christus subdit Joan. 16. *Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*, id enim Spiritus sanctus annuntiat, quæ scit, & quæ divina scientia suggerit, quam accipit à Filio. Tum quia omnia, quæ Patris sunt, Filii itidem sunt, cùm hic dicat Joan. 16. *Omnia quæcunque habet Pater mea sunt*, propterea quidquid Spiritus sanctus à Patre accipit, idem etiam accipit à Filio, alioquin quæcunque habet Pater, non essent Filii, quia Spiritus sanctus aliquid acciperet à Patre, quod non acciperet à Filio: ergo satis clarè liquet Spiritum sanctum accipere à Filio potestatem, scientiam, essentiam, naturam, substantiam, Deitatem, & omnia quæ sunt in Patre, & Filio, quia hæc omnia sunt quid unum simplicissimum, perfectissimum, quod est Deus, & in Deo Pater Filius, & Spiritus sanctus. Nec audiendus est Theophilactus qui expendens illud Joan. 16. *De meo accipiet*, censet esse explicandum, quòd *loquetur consentanea iis, quæ ego docui, & nihil contrarium*: quia Christus ipsemet explicat, quid sit illud *de meo accipiet*, & declarat esse idem, ac antea dixerat Joan. 16. *Non loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur*, unde non solùm Spiritus sanctus loquitur, quæ consentanea sunt doctrinæ Filii, verùm etiam quæ loquitur, ea à se ipso non loquitur, sed accipit ex Filio, & quidem non per disciplinam, quasi Spiritus sanctus ea ignoraret, sed per æternam processionem. Neque vera est alia Theophylacti interpretatio *de meo accipiet* scilicet *ex meo thesauro*,

qui

qui est Pater, unde ego etiam accepi, vult Theophylactus Spiritum sanctum tantum procedere à Patre, & non à Filio, & ad id probandum vocat Patrem thesaurum suum, à quo ipse accepit essentiam, & Deitatem, & illud *de meo accipiet* intelligi de meo thesauro, seu Patre, quæ interpretatio falsa omnino est, quia Pater ut à Filio distinguitur per oppositionem relativam, non est thesaurus distinctus à Filio, & à quo Filius accipiat, quæ à Patre distinguuntur: sed quòd Filius accipit à Patre, est illud idem, quod habet Pater in se, scilicet accipit eandem essentiam, naturam, substantiam, divinitatem, & omnes perfectiones, quo pacto Apostolus scribens ad Colos. 2. ait: in ipsu Filio *esse omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ Dei.* Tum quia Pater non potest aliter esse thesaurus Filii, nisi quatenus est in Filio juxta illod Joan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est*, non enim thesaurus Patris est extra Filium, sed est unus ac idem thesaurus communis Patri & Filio: dicitur Pater esse in Filio, & Filius in Patre, quia in una simplicissima essentia, natura, substantia, & Deitate sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sicut explicant sancti Patres: hinc si Spiritus sanctus per suam specialem processionem accipit scieotiam à Patre, ut est Pater quid unum cum Filio in essentia, natura, substantia, & omnibus perfectionibus, quæ in Deo noo distinguuntur realiter ab ipsa essentia, sed tota plenitudo perfectionum sit una simplicissima res communois Patri, & Filio, ideo semel, quòd Spiritus sanctus accipit scientiam à Patre, accipit hanc eandem rem, quæ est Pater, & Filius, consequenter eam accipit etiam à Filio: noo eoim scientia, quam Spiritus sanctus accipit à Patre, est quid distinctum à Filio, nec Filius est res distincta à Patre, sed eadem res, seu scientia, natura, substantia Patris est etiam Filii, & scieotiam, quam Spiritus sanctus accipit à Patre, eandem accipit à Filio, quod enim procedit ab una persona divina, quatenus est una simplicissima res cum alia, eo ipso est etiam ab alia. Quòd si dicas Christum Joan. 16. loqui de futuro, diceos: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*, & processionem divinæ personæ esse ab æterno, facilis est solutio, quia utrumqoe est vero consonum, scilicet quod accipiet io futuro, & quod acceperit in præterito, ut etiam quod accipit de præsenti, quia cùm processio Spiritus sancti æternæ sit, comprehendit in se omnes temporis differentias, quibus dicitur æquivalere, tametsi æternitas in se præteritum non habeat, nec futurum, sed sit duratio indivisibilis tota simul excludens partes successivas secundum priùs & posterius. Præterea illud *accipiet* in futuro potest intelligi respectu creaturarum, quæ in futuro expectabant Spiritum sanctum.

Prætera in eodem sermone Joan. 16. Filius de Spiritu sancto ait: *Si non abiero Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero mittam eum ad vos*, & rursus: *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre docebit vos omnem veritatem*, ex quibus textibus clarissimè liquet Spiritum sanctum mitti à Christo, seu à Filio, est enim persona Christi ipsum Verbum æterni Patris, quod caro factum est. & Verbum Patris est Filius unigeoitus ejusdem, unde Spiritus sanctus mittitur à Filio, consequenter procedit ab ipso, & non à solo Patre: missio siquidem ut cum D. Thoma 1. p. q. 43. a. 1. docent communiter Theologi, & Patres, est secundùm modum aliqoem processionis ejus, qui mittitur ab eo, qui misit, & quælibet missio est vel secundum imperium, quo pacto Herus imperando mittit famulum in alium locum, vel est secundùm consilium, ut cùm quis instructus ab alio de re aliqua, quam ignorabat, illam exequitur. Atqui Spiritus sanctus non potest dici mitti à Filio per consilium, quia Spiritus sanctus nihil ullo tempore ignoravit, & eadem prorsus scientia, & sapientia, quæ est in Filio, est tota in Spiritu sancto, qui propterea non potest mitti secundum consilium à Filio. Neque mitti potest secundùm imperium, quia Spiritus sanctus non est res distincta à Filio, sicut famulus distinguitur ab Hero: neque Spiritus sanctus est inferior Filio, cùm omnes tres personæ sint in Deo una, ac eadem simplicissima res, seu essentia, natura, substantia, & omnis perfectio simpliciter simplex: ergo si Spiritus sanctus mittitur à Filio, necesse omnino est, ut hæc missio sit secundùm processionem originis, quatenus Spiritus sanctus accipit à Filio eandem scientiam, essentiam, naturam, & substantiam: perinde ac lux dicitur emitti à sole, spleodor à flamma, flos ab arbore, sunt enim hujusmodi missiooes, quæ habentur secundùm processionem originis, quatenus lux procedit à sole, flos ab arbore, splendor à flamma. Ergo ex eo, quod Spiritus sanctus dicatur mitti à Filio, sequitur evidenter ipsum procedere à Filio, & non à solo Patre, ut putant Schismatici, Græci, Rutheni, Armeni, & Mosci, ut & Ministri Transylvani. Tum quia propriè mitti ab altero nemo dicitur, nisi qui impulsu, & quasi motu alicujus incipit de novo esse alicubi secundùm aliquem modum, quo ibi non erat, unde si Spiritus sanctus à Filio mittitur ad homines, necesse est, ut secundùm gratiæ operationem incipiat ex impulsu, & quasi motu Filii esse in hominibus in quibus antea non erat, saltem eodem modo; hic autem impulsus, qui est velum motus Filii, ex vi cujus incipit per operationem esse Spiritus sanctus in hominibus, non potest excogitari, nisi sit secundum originem, quæ Spiritus sanctus ita procedat à Filio, ut sit illi consubstantialis, adeo ut Spiritus sanctus eatenus dicatur mitti à Filio, quatenus ex vi suæ originis, & quasi impulsu processionis accipit à Filio eandem prorsus scientiam essentiam, naturam, substantiam, ac Deitatem, quæ est in Filio, adeoque etiam omnem perfectionem, & illam operationem secundùm quàm incipit esse peculiari modo in hominibus, quia cùm actio, & operatio Spiritus sancti sit eadem prorsus res simplicissima cum essentia, & potentia Spiritus sancti, quam hic accipit à Filio, sequitur, quòd non solùm secundùm essentiam, & potentiam, verùm etiam secundùm operationem, qua incipit esse peculiari modo in hominibus, sit à Filio: hinc D. Augustinus *lib. 4. de Trinit. cap 19.* asserit: Personam unam ab altera mitti in divinis perinde esse, ac unam personam ab altera procedere secundùm originem & coosubstantialitatem, adeo ut persona, quæ procedit, vel mittitur, sit consubstantialis illi, à qua mittitur, seu procedit.

Neque ullius est momenti, quod respondent Schismatici Græci Spiritum sanctum mitti à Filio, non quia ab illo procedat, sed quatenus Filius etiam ipse dat hominibus illa dona, quæ dicuntur dona Spiritus sancti. Nam contra est, quia scriptura expressè asserit Spiritum sanctum à Filio mitti: & ad missionem alicujus necessariò requiritur processio aliqua ab eo, qui mittit: proinde si Spiritus sanctus à Filio mittitur, necessè est, ab ipso procedat, & cùm non possit procedere à Filio per modum imperii, nec consilii, sequitur ut procedat secundùm originem. Præterea quia dare simpliciter

dona Spiritus sancti esset mittere Spiritum sanctum, inde sequeretur, quod etiam Pater mitteretur à Filio, & Spiritu sancto, quia Spiritus sanctus & Filius dant etiam omne donum *descendens à Patre luminum*, ut habet Jacobus Apostolus in Epist. 1. Idque notavit D. Augustinus *lib. 2. de Trinit. cap. 5.* Rursus Filius ita nobis dat dona Spiritus sancti. ut nobis etiam det ipsum Spiritum sanctum, ut per illius cognitionem & amorem adjuti ejusdem donis fruamur ac ipsum Spiritum sanctum veluti rem quandam nostram ad usum cognitionis, & amoris possideamus, hinc Apostolus 1. Corinth. 6. *Membra vestra*, ait, *templa sunt Spiritus sancti, quem habetis à Deo, & non estis vestri*, & ad Roman. 5. *Charitas DEI diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, ex quibus constat utrumque nobis dari scilicet charitatem Dei, quæ est unum ex Spiritus sancti donis, & ipsum etiam Spiritum sanctum, ut explicant sancti Patres præsertim Augustinus *lib. 15. de Trinitat. cap. 26.* Non potest autem intelligi Spiritus sanctum dari nobis, seu mitti à Filio, nisi per aliquem impulsum tanquam motum, quo Spiritus sanctus incipiat esse per operationem suam in nobis modo aliquo speciali, quo antea non erat in nobis: & hic impulsus non potest esse, nisi secundùm originem, proinde eo ipso, quòd Spiritus sanctus à Filio mittitur, ab ipso procedit. Neque obstat Filium per Isaiam 46. dicere: *Et nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus*: quia ut exponunt sancti Patres, non fuit Christus tunc locutus de missione secundùm divinitatem, sed secundùm humanitatem assumptam, quo pactô intelligitur missus etiam à Spiritu sancto, unde Luc. 4. *Spiritûs Domini super me, eo quòd unxerit me, & evangelizare pauperibus, misit me*, unde Filius sesecundùm naturam humanam missus est à Spiritu sancto, qui fuit super ipsum, quem unxit oleo gratiæ, & lætitiæ præ consortibus suis, scilicet secundùm humanitatem.

Rursus ex eo evincitur Spiritum sanctum procedere à Filio, quia in scripturis modò à Patre, modò à Filio dicitur mitti, & æquè à Patre, & Filio procedere, tanquam ab uno principio, ut indicat D. Paulus ad Roman. 8. *Qui Spiritum CHRISTI non habet, hic non est ejus*, ad Gal. 4. *Misit DEUS Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem Abba Pater.* Matth. 10. *Cùm autem venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis à Patre veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Quòd si Spiritus sanctus est Filii spiritus ex scripturis, etiam de filio debet procedere, alioquin quomodo esset Spiritus Filii, sicut talis non procederet à Patre, si ergo procedit à Patre, utique etiam à Filio, ut sit Spiritus Filii: neque Filius post resurrectionem apparens discipulis suis insufflasset dicens eis: *Accipite Spiritum sanctum*, nec quid aliud illa insufflatio potuit significare, nisi processionem Spiritus sancti à filio: hinc Augustinus Tractat. 99. in Joan. ait: *Si ergo de Patre, & Filio procedit Spiritus sanctus; cur Filius dixit de Patre procedit? cur putas? nisi quemadmodum ad eum solet referre, & quod ipsius est, de quo & ipse est? unde illud est, quod ait, mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit. Si igitur intelligitur hic ejus doctrina quam tamen dixit non suam, sed Patris, quantò magis illic intelligendus est & de ipso procedere Spiritus sanctus, ubi sic ait: De Patre procedit, at non diceret, de me non procedit? à quo autem habet Filius, ut sit Deus (est enim de Deo Deus) ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus sanctus, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre*, ubi etiam rationem assignat, cur Spiritus sanctus non dicatur natus, sed procedere inquiens: Quia si & ipse filius diceretur, quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorum, nisi Patris, & Matris. Absit autem, ut inter Deum Patrem, & Deum Filium tale aliquid suspicemur. Quia nec Filius hominum simul & ex patre, & ex matre procedit; sed cùm in matrem procedit ex patre, non tunc procedit ex matre, & cùm in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex patre. Spiritus sanctus verò non de Patre procedit in filium; sed de filio procedit ad sanctificandam creaturam; & simul de utroque procedit: quamvis hoc Filio Pater dederit, ut quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat. Neque enim possumus dicere, quòd non sit vita Spiritus sanctus; cùm vita Pater, vita sit filius, ac per hoc sicut Pater, cùm habeat vitam in semetipso, dedit & filio vitam habere in semetipso: sic illi dedit vitam procedere de illo, sicut procedit & de ipso. Hactenus Augustinus, qui aliam quoque adfert rationem, cur Spiritus sanctus non dicatur natus lib. 5. de Trinit. cap. 14. ubi quærens cur Spiritus sanctus non sit Filius respondet; *Quia non quomodo natus, sed quomodo datus: Neque enim natus est sicut unigenitus; neque factus, ut per Dei gratiam in adoptionem nasceretur sicut nos. Sicut autem Pater, & Filius unus Deus, & ad creaturam relativè unus creator, & unus Dominus; sic relative ad Spiritum sanctum unum principium*; quatenus Pater, & Filius sunt unus spirator, seu unum principium spirativum Spiritûs sancti idque causæ ecclesia in symbolo Constantinopolitano profitetur, & canat de Spiritu: *Qui à Patre Filioque procedit*, & in symbolo sancti Athanasii canat *Spiritus sanctus, qui à Patre & Filio non factus nec creatus, nec genitus, sed procedens*: quæ particula filioque, quia non fuerat inserta à Patribus Concilii Constantinopolitani, excitavit dissidia inter Græcos, & Latinos, cæperuntque illi eam impugnare; & isti propugnare, qui sequentibus sæculis, ad clariorem explicationem fidei convenienter symbolo addiderunt. Quia reverà Spiritum sanctum & Filio procedere virtualiter continetur in illa particula, *qui ex patre procedit*, ut superius explicuimus. Tum quia ait Filius Joan. 16. *Omnia quæ habet Pater mea sunt*; quæ propositio cùm sit universalis, non debemus quidquam ab illo excipere ex numero eorum, quæ habet Pater, nisi puram relationem paternitatis, & Filiationis, ratione cujus tantùm distinguuntur, quia si personæ distinguuntur, debet id esse per aliquid proprium, quod ita conveniat uni personæ, ut non prædicetur de alia; sed præter simplicem rationem paternitatis, qua Pater distinguitur à filio, datur in Patre vis spirativa, ratione cujus non opponitur filio; proinde hæc eadem vis perinde à Patre communicatur filio, ac ipsa essentia, natura, substantia, omnipotentia, & reliqua attributa, ac perfectiones absolutæ, adeo ut eadem vis spirativa, quæ est in Patre, sit etiam in filio; sintque Pater, & filius unus tantùm spirator Spiritus sancti, ut non duo spiratores distincti; quia per vim spirandi Pater non distinguitur à filio: ergo ex eo quod Spiritus sanctus procedit à Patre, quod Græci non negant, necesse est, procedat etiam à filio, quia in filio datur eadem vis spirandi, quæ est in Patre, alioquin non rectè dixisset

dixisset Filius Joan. 16. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*, hoc est omnia absque ulla exceptione non excipienda; quia vis spirandi, per quam Pater spirat, non distinguitur à Filio, propterea non accipienda aliàs taliter esset in Patre, ut non communicaretur Filio; proinde omnia, quæ habet Pater, nun essent Filii: unde ex eo quòd Spiritus sanctus procedit à Patre, ut asserunt Græci, procedit etiam à Filio; adeo ut Patres Latini nonnisi majoris explicationis causa addiderint symbolo. *Qui a Patre, Filioque procedit*, cùm processio Spiritus sancti jam includeretur implicitè in processione, qua procedit à Patre; ut proinde explicitè etiam significaretur, Patres consultius addiderunt illud *Filioque procedit.*

Rursus hæc processio Spiritus sancti etiam à Filio ex eo itidem explicatur, quia Christus ad illam significandam Joan. 20. *Insufflavit, & dixit: Accipite Spiritum sanctum:* quia sicut spiritus aëreus ex ore hominis procedit: ita Spiritus sanctus intelligeretur procedere à Filio, qui in scripturis dicitur os Patris, quatenus per Filium, qui Verbum est Patris, nobis Deus loqnutus, unde Apostolus ad Hebræ. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis novissimis diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & secula.* Neque illa Christi insufflatio ad aliud videtur posse referri, quam ad vim spirativam in Filio, qua simul cum Patre spirat Spiritum sanctum ad intra ut autumat S. Augustinus lib. 3. contra Maxim. cap. 14. Hinc in sacris scripturis Spiritus sanctus vocatur Spiritus Filii, sicut & Spiritus Patris: non potest autem dici Spiritus Filii nisi per originem, quâ procedit à Filio sicut per originem procedit à Patre: quia si asseras esse Spiritum Filii per identitatem naturæ, vel quia etiam ipse procedit à Patre, à quo etiam Filius procedit; eodem pacto posset quis dicere esse Filium Verbum Spiritus sancti, siquidem Verbum etiam est ejusdem naturæ, essentiæ, & Deitatis cum Spiritu sancto, & etiam procedit à Patre, à quo itidem procedit Spiritus sanctus: hoc autem nemo dixit, unde superest, ut Spiritus sanctus eatenus dicatur Spiritus Filii, quia procedit à Filio perinde ac à Patre, quatenus eadem vis spirandi, quæ Patri inest, communicatur Filio & Pater, & Filius per eandem vim spirandi spirant Spiritum sanctum, qui à Patre & Filio procedit ut ab uno Spiratore.

Probatur hæc processio Spiritus sancti à Filio ex Conciliis, à quibus dogma fidei fuit declaratum, siquidem Concilium Ephesinum, & quarta Synodus Act. 1. & 5. & quinta Synodus act. ult. & 6 Synodus act. 17. & 7. Synodus act. 7. approbârunt epistolam, quam Cyrillus ex Concilio Alexandrino ab ipso convocato scripsit ad Nestorium, in qua epistola habetur: *Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est: unde ab isto similiter sicut ex Patre procedit.* Quinque igitur generalia Concilia convocata in ipsa Græcia declarârunt esse dogma fidei Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio, unde mirum, quòd Græci non acquiescant tot Conciliis quibus interfuerunt tot viri sanctitate, & doctrina toto orbe celeberrimi. Hanc eandem processionem Spiritus sancti à Filio ante schisma Græcorum declarârunt plura alia Concilia, ut Toletanum primum can. 78. & tertium can. 1. imò etiam quartum, octavum, & nonum can. 5. & post schisma Græcorum etiam pluribus in aliis Conciliis declarata fuit eadem veritas, ut in Concilio Barensi, cui interfuit D. Anselmus, & ab ipso citatur *lib. de processione Spiritus sancti cap. 4.* Concilium Lateranense sub Innocentio III. can. 5. & in declarationem hujus Concilii etiam ipsi Græci utpote de veritate convicti consenserunt. Concilium Lugdunense sub Gregorio X. in quo intervenerunt etiam Græci consentientes processioni Spiritus sancti à Filio, in quo Concilio fuit solemni ritu cantatum symbolum cum verbis illis significantibus processionem Spiritus sancti à Patre, & Filio, *qui à Patre Filioque procedit*, quæ verba ter fuerunt Græcè, & Latinè solemniter repetita, & omnes, qui aderant, iisdem consenserunt. Rursus in Concilio Florentino sess. 3. in confessione fidei Græci, & Latini æquè consenserunt processioni Spiritus sancti à Filio, quamvis postea Græci ob inconstantiam sententiam mutaverint, non alio innixi fundamento, nisi ut Latinis adversarentur, & simul à veritate discederent, quam ante schisma Patres tum Græci, tum Latini asseruerant. Ex Patribus Græcis hanc veritatem docuerunt Basilius, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, & alii plures, qui disertè, & eleganter non minus, ac nervosè de hac Spiritus sancti processione à Filio scripserunt. Ex Latinis etiam quotquot non minus sanctitate, ac doctrina floruerunt, eandem veritatem asseruerunt, ut Tertullianus in *lib. contra Praxeam post init.* ubi ait: *Spiritum sanctum non aliunde puto, quàm à Patre per Filium*, non per Filium tanquam per instrumentum, vel Ministrum minorem Patre, sed per Filium ut principium spirativum à Patre ei communicatum. Rursus ait Tertullianus: *Tertius est Spiritus sanctus à DEO, seu a Patre, & Filio, sicut tertius à radice fructus ex frutice, & tertius a fonte rivus ex flumine, & tertius à sole apex ex radio. Nihil tamen à matrice alienatur, à qua suas ducit proprietates.* Edisserit Tertullianus processionem Spiritus sancti à Patre, & Filio, quam æquiparat ad faciliorem captum tertio à radice ex frutice fructui, tertio à fonte ex flumine rivo; tertio à sole ex radio apici, quia sicut apex à sole, & radio procedit, & rivus à fonte, & flumine, & fructus à radice, & frutice, perinde Spiritus sanctus intelligitur procedere à Patre, & Filio, unde sanctus Hilarius lib. 2. de Trinitat. prope fin. ait: *Spiritum sanctum de Patre, & Filio auctoribus esse, necesse est confiteamur.* D. Ambrosius lib. de Spiritu sancto cap 10. etiam expressè ait: *Spiritus sanctus cùm procedit à Patre, & Filio non separatur a Patre, non separatur à Filio.* & lib. 2. de Spiritu sancto cap. 12. ait: *Omnia Patris habet Filius, & quæ accepit ipse per unitatem naturæ, ex ipso per eandem unitatem accepit Spiritus sicut & ipse Dominus de suo spiritu declarat dicens: Propterea dixi quia de meo accipiet.* D. Augustinus etiam lib. 15. de Trinitat. cap. 26. & lib. 5. de Trinitat. cap 14. hanc eandem veritatem, & fidei dogma clarè fatetur inquiens: *Sicut habet Pater in semetipso, ut de illo procedat Filius, sic dedit Filio, ut de illo procedat Spiritus sanctus.* Illud autem, quod habet Pater in semetipso, ut de illo procedat Filius, est vis generativa, qua Filius procedit à Patre: & sicut Filius per hanc vim generativam in Patre generatur à Filio, ita dedit Filio vim spirandi, quam Pater in se habet, ut æquè de Patre ac de Filio procederet Spiritus sanctus, sicut enim vis generativa est in solo Patre, Filius ab illo solo generatur: vis autem spirandi, quia est in Patre, & Filio, ab utroque procedit. Spiritus

ritus sanctus. D. Leo Papa hanc etiam veritatem declarat epistol. 91. ubi ait: *Alius est qui genuit, & alius, qui genitus est, alius qui de utroque procedit:* quibus verbis significat tres personas divinas, ac earundem origines. Pater enim est, qui generat, Filius qui generatur, & Spiritus sanctus, qui procedit ab utroque: hinc D. Prosper lib. de vita contemplat. loquens de Spiritu sancto ait: *Ex Patre, Filioque procedit*, & alii omnes sancti Patres tum Græci, tum Latini hanc eandem veritatem docuerunt. Apud tamen Patres Latinos id est notatu dignum, quod ipsi nullum movent dissidium, sive Spiritus sanctus dicatur procedere à Patre, & Filio, sive à Patre per Filium, quia illa præpositio *per* non indicat instrumentum, nec Ministrum inferiorem Patre, sed verum principium efficiens: quia Patres Latini optimè sciunt tres personas divinas omnia habere communia præter solas relationes paternitatis, filiationis ac spirationis, quibus ad invicem distinguuntur: & quia per vim spirandi Pater non distinguitur à Filio, sed hæ duæ personæ tantùm differunt per solam paternitatem, & filiationem, quibus mutuò referuntur, & non per vim spirandi, quæ cùm sit in Patre, eandem Pater communicat Filio, & sicut vis hæc spirandi in Patre, & Filio est una, & eadem, ita Pater, & Filius sunt tantùm unus spiratus, à quo procedit Spiritus sanctus, sive dicatur procedere à Patre, & Filio, sive à Patre per Filium, quia unum & idem est, Pater enim si consideretur, non ut communicans Filio vim spirandi, sed ut habens in se immediatè vim spirativam, est principium immediatum Spiritus sancti, perinde ac Filius, & in hoc sensu intelligitur Tertullianus, cùm dixit: *Spiritum sanctum non aliunde puto quam à Patre per Filium.* Ex Græcis autem plures concedunt Spiritum sanctum à Patre per Filium ut in sua oratione refert Cardinalis Bessarion in Concilio Florentino: sed asserentes Spiritum sanctum à Patre procedere per Filium, ita intelligunt, ait Bessarion in illa oratione, ut significetur terminus relationis, quam significat nomen Patris. Secundo ut significetur Spiritum sanctum, & Filium esse consubstantiales. Tertiò ut significetur à Patre non solùm Spiritum sanctum, sed etiam Filium procedere, adeo ut illud per Filium perinde sit, ac cùm Filio, & Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium tantundem sit ac Spiritum sanctum cum Filio procedere à Patre, quæ expositio explicite non explicat processionem Spiritus sancti à Filio, sed à solo Patre, unde Græci abutentes vocabulis dolosè negant processionem Spiritus sancti à Filio, non enim hanc adstruunt per primum, & secundum modum loquendi allatum à Bessarione in sua oratione habita in Concilio Florentino, quia secundùm eosdem modos loquendi posset quis dicere Filium procedere à Spiratore per Spiritum sanctum: sicut enim Spiritus verè dicitur procedere à Patre, licèt non ut à Patre præcisè, sed ut à Spiratore, sic etiam Filius à Patre Spiratore, licèt non ut à Spiratore, sed ut à Patre procedat: ita pari pacto diceret quis Filium procedere à Spiratore per Spiritum sanctum, & per hunc modum dicendi non significari processionem aliquam Filii à Spiritu sancto, sed terminum relationis Spiratoris, & consubstantialitatem Filii, & Spiritus sancti, qui modus dicendi, est omnino absurdus, & dolosè inventus ad reticendam, & negandam processionem Spiritus sancti à Filio, ut intenderunt per tertium modum loquendi, quo asserebant Spiritum sanctum cum Filio procedere à Patre, quia secundùm eundem modum loquendi posset quis dicere Filium procedere à Patre per Spiritum sanctum, quem modum loquendi nec ipsi Græci admittunt. Quamobrem cùm nec consuetudo scripturæ, nec authoritas Doctorum, neque communis loquendi usus sumat particulam *per*, ut idem significet ac particulam *cum*, sequitur illam præpositionem *per*; cùm dicitur, quod Spiritus procedat à Patre per Filium, non significare cum Filio, ut sensus sit Filium & Spiritum sanctum procedere à Patre, quia secundùm hunc loquendi modum non explicatur processio Spiritus sancti à Filio, sed à solo Patre, quod est dolosè, non assentiri veritati. Prætetea quia si præpositio *per* tantundem valeret, ac particula *cum*, Ariani facilè eluderent illa testimonia allata à Patribus Græcis, & Latinis ad ostendendam divinitatem Filii, ac consubstantialitatem cum Patre, etenim cùm Joan. 1. dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt*, & Apostolus ad Colos. 2. & ad Hebr. 1. ait: *Omnia per ipsum creata sunt. Per quem fecit & sæcula*: ad hæc testimonia possent Ariani respondere non à Filio creata esse omnia, sed ipsum potiùs Filium simul cùm realiis fuisse creatum, unde particula *per* significat causam, adeo ut cùm Spiritus sanctus dicitur procedere à Patre per Filium, illud per Filium perinde sit ac à Filio, sicut Genes. 4 dicitur: *Possedi hominem per Deum*, hoc est à Deo, ut explicat sanctus Basilius *lib. de Spiritu sancto cap. 5. prope fin. in symbolo.*

Ratio itidem Theologica hoc dogma fidei ostendit, quia in divinis personis non datur distinctio, nisi ratione relationum, secundum originem unius personæ ab alia: atqui persona filii distinguitur à persona Spiritûs sancti, ut fatentur omnes, & perspicuum est ex sacris scripturis, consequenter inter Filium, & Spiritum sanctum debet dari aliqua relatio, & ordo originis, ratione cujus hæ duæ personæ distinguantur: neque hic ordo originis est talis, ut Filius sit à Spiritu sancto, quia nullus hactenus somniavit Filium produci à Spiritu sancto, ergo superest, ut hæc ratio relativa secundùm originem unius personæ ab alia sit, ut Spiritus sanctus procedat à Filio, hinc evincitur processio Spiritus sancti à Filio: personas divinas non distingui nisi secundùm ordinem originis, & realationum, quia una procedit ab alia, liquet ex scripturis asserentibus personas divinas esse unum quiddam excepta sola distinctione, quam indicant nomina relativa, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quæ nomina procul dubio sunt relativa, hinc Filius alloquens Patrem ait Joan. 17. *Omnia tua mea sunt*, quæ propositio utpote universalis omne comprehendit, quod potest commune esse utrique personæ salva sola distinctione Patris, & Filii, ut Pater est præcisè Pater, & Filius præcisè est Filius præter has relationes, quibus personæ distinguuntur, reliqua omnia quæ Patri insunt, communia sunt etiam Filio; atqui in Patre præter præcisam paternitatem sunt essentia, natura, substantia, Deitas, vis spirandi omnipotentia & reliquæ perfectiones absolutæ, ergo si Filius alloquens Patrem dicit: *Omnia tua mea sunt*, non solùm eadem essentia, natura substantia, & reliqua attributa absoluta, sed etiam ipsa vis spirandi, quæ Patri inest, eadem debet Filio communicari, ac eidem inesse, alioquin non omnia, quæ sunt Patris excepta paternitate, essent Filii, & hic non rectè diceret *omnia tua mea sunt*, quia sicut per omnipotentiam à Patre communicatam Filio, Filius non distinguitur à Patre, ita per vim spirandi à Patre communicatam Filio non distinguitur hic à Patre sed per solam & præcisam Filiationem: ergo eadem

vis

vis spirandi est in Patre, & Filio, & qoia hæc vis spirandi in utraque persona est principium spirativum ad intra, à quo procedit Spiritus sanctus, sequitur manifestè Spiritum sanctum procedera à Patre, & Filio. Hoc idem docent omnes sancti Patres Gregorius Nyssenus *lib. ad Ablab. in fin.* Gregorius Nazianzenus *orat. 5. de Theolog.* Sanctus Athanasius *contra Anom. pag 959.* Basilius *in Eunomium. pag. 309.* Augustinus *lib. de Trinit. cap. ult.* Anselmus *lib. de process. Spirit. sanct. cap. 1. & 2.* Boëtius *lib. 1. de Trinit. cap. 12.* Ex eo nidam firmari potest, quia nisi perfectiones absolutæ essent omnibus tribus personis communes exceptis solis relationibus, sequeretur, quòd non possemus propugnare personarum onitatem in essentia, neque earnodem æqualitatem, ac infinitatem, eò quia esset in una persona ratio aliqua absoluta, quæ alteri deesset, proinde neque æqualitas, neque infinitas, nec unitas essentiæ probaretur in divinis personis. Quòd si dicas Patrem ut Patrem reduplicativè distingui à Spiritu sancto, ut præcise est Spiritus sanctus, quamvis inter has personas secundum præfatas relationes oon videatur esse relatio originis, eò quia Spiritus sanctus non procedat à Patre ut præcisè Pater est, sed ut est Spirator. Nam contra est, quia etiam ipsæ origines sunt relationes, quibus distinguuntur personæ, hinc cùm in divinis dicimus noo dari distinctionem nisi secundùm relationes, id intelligimus de relationibus, quæ vel includuntur in ipsa ratione originum, vel quæ fundantur in iisdem originibus, quatenus sunt quædam quasi formæ vel proprietates personarum

Constat igitur ex hactenus præexpensis Spiritum sanctum non solùm à Patre, sed etiam à Filio ut ab uno, eodemque Spiratore procedere contra Græcorum proterviam, quorum res tum animæ, tum corporis post factum schisma in deterius semper abierunt, donec anno à Christo mundi Reparatore 1452. die 28. Maij imperium Græcorum ipso Imperatore occiso & Constantinopoli capta à Turcis extinctum fuit, & durissimum jugum servitutis Græcis schismaticis à Turcâ impositum. Notant plures cessâsse imperium Græcorum, ac captam à Turcis fuisse Constantinnpolim ex annn, quo dies ille 28. Maij incidit postridie Pentecostes, seu eo tempore, quo à fidelibus festa celebrantur Spiritûs sancti, cui Græci injuriam intulerunt, quo pacto voluit Spiritus sanctus eorum proterviam puniri. Conqueruntur tamen Græci, eò quia Latini addiderint symbolo Constantinnpolitano illam particulam *Filioque*, cujus nec ipse Christus meminit Joan. 15. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*, ubi Christus solum asserit Spiritum sanctum à Patre procedere non à Filio, proinde non debuissent Latini addere symbolo Constantinopolitano illam particulam *Filioque*, cujus nec Christus meminit. Sed contra, quia eo ipso, quòd Christus asserit Spiritum veritatis à Patre procedere, implicitè asserit etiam procedere à Filio, qui cùm dicat Patri *omnia tua mea sunt* satis apertè asserit vim eandem spirandi, qua Pater spirat Spiritum sanctum, esse etiam Filii, & cùm Spiritus sanctus procedat ab eadem vi spirativa, quæ est in Patre. & Fillin, sequitur manifestè ex eo, quòd Spiritus sanctus procedit à Patre, procedat etiam à Filio; prninda rectè à Latinis fuit illa particula *Filioque* addita symbolo majoris explicationis causa, cùm antea non nisi implicitè in eodem contineretur. Quòd eadem vis spirandi, quæ Patri inest, eadem communicetur Filio, ex eo ostenditur, quia quod singulariter tribuitur uni personæ divinæ, subintelligitur etiam alteri convenire, nisi sit ipsa ratio relativa, per quam præcisè una persona distinguitur ab altera: & cùm Pater non distinguatur à Filio per ipsam vim spirandi, oec per hoc, quod ab eo procedat Spiritus sanctus, sed tantùm per solam relationem paternitatis, qua refertur ad Filium, sequitur, quod eadem vis spirandi, quæ est in Patre, sit etiam in Filio, & quòd Spiritus sanctus ex eo, quòd procedat à Patre, procedat à Filio. Hinc cum Christus Matth. 16. dixit Petro: *Caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*, intelligimus quòd etiam ipse Filius revelaverit. Neque obstat, quod Filius Joan. 15. non meminerit processionis Spiritûs sancti à Filio. Nam inde non sequitur Christum negâsse processionem Spiritus sancti à Filio, aliud enim est excludere negativè, & aliud præscindere, ut cùm Christus Matth. 11. dixit: *Nemo novit Filium nisi Pater*, non exclusit se ipsum, ac si Christus se non cognosceret, sed tantùm præscidit à cognitiona sui. Præterea eatenus Christus Joan. 15. dixit Spiritum sanctum à Patre procedere nulla facta meotione sui, seu processionis ejusdem à Filio, ut indicaret, quomodo differret sua processio ab illa Spiritûs sancti, quia tametsi Filius, & Spiritus sanctus sit à Patre, processio tamen Filii est generatio, cùm ipse sit Filius, & processio Spiritus sancti non est generatio, sed communi vocabulo processio dicitur per amorem: Quamobrem Christus promittens Spiritum sanctum Discipolis voluit illius rationem iisdem indicare explicando scilicet id, in qoo ille cum ipso convenit, nimirum *esse à Patre*, & id in quo ab ipso differt, scilicet, quia Filius cùm nominetur filius, procedat per generationem, & Spiritus sanctus per alium modum processionis. S. Augostinus observans Spiritum sanctum à Filio vocari Spiritum veritatis infert, eo ipso significare à sa quoque Spiritum sanctum procedera, eò quia Filius sit ipsa veritas, cujus tertia persona est Spiritus, sicut enim Filius est Varbum Patris ita & Spiritus sanctus Spiritus Filii.

Objiciuntur tamen aliquot concilia, ex quorum decretis videtur inferendum Filium procedere à solo Patre, primò quia in Concilio Ephesino quod fuit tertium œcumenicum, seu generale, lectum fuit symbolum Nestorianorum, & refutatio anathematum Cyrilli scripta à Theodoreto, & in utroqua legebatur, Spiritum sanctum à solo Patre procedere, & hanc sententiam ooo fuisse à Patribus damnatam. Secundo quia in Nicæna Synodo ganerali non habetur Spiritum sanctum à Filio procedere. Tertio in Concilio Constantinopolitano etiam habetur, Spiritum sanctum procedere à Patre, nulla mentione facta de Filio. Quartò quia in Concilio Ephesino prohibentur omnes aliam fidem proferre, aut scribere, aut proponere præter eam, quæ definita foit in Nicæna Synodo, idque sub pœna depositionis, si ii, qui secus fecerint, fuerint Clerici; vel sub pœna anathematis, si fuerit Laicus. Sed contra quia ex nullo ex præcitatis consiliis probari potest Spiritum sanctum non procedere à Filio. Ad Concilium Ephesinum quod attinet, respondetur, hoc Concilium fuisse principaliter convocatum contra Nestorium asserentem Beatam virginem non esse Dei matrem, sed puri hominis genitricem. Docebat Nestorius Christum fuisse puram creaturam, purumque hominem; & aliam esse personam Christi, aliam personam Dei, qui error adversatur scripturæ Joan. 1. *Et Verbum caro factum est*, scilicet ex Maria Virgine, ex qua etiam in Symbolo Apo-

stolorum dicitur natus: ex quo contra Nestorium liquet Christum non esse purum hominem, sed verum Deum, & verum hominem; est enim Deus, quia Verbum quo natura humana Christi subsistit, est verus Deus Joan. 1. *Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: est etiam homo propter naturam humanam assumptam, quâ passus, & mortuus est. Unde Concilium damnavit errorem Nestorii, & declaravit Christum esse verum Dei Filium, in forma Dei existentem, eique absque rapina æqualem, ut loquitur Apostolus ad Philip. 2. quia 1. Joan. 5. verus Dei Filius in forma Dei existens verus Deus est, & vita æterna. Igitur Ephesina Synodus non fuit coacta propter quæstionem de processione Spiritus sancti à Filio; sed propter heresim Nestorii; proinde Concilium voluit præscindere ab illa quæstione, An Spiritus sanctus procedat à Filio; quia de hac quæstione nulla tunc erat controversia. Tum quia in epistola sancti Cyrilli diversa ad Nestorium, & quæ lecta fuit in Concilio & à Patribus communiter approbata, ut etiam à pluribus aliis Synodis, fiebat expressa mensio processionis Spiritus sancti à Filio; unde tantum abest, Ephesinam Synodum negasse processionem Spiritus sancti à Filio, ut ipsam potius asseruerit, approbaverit, ac statuerit.

Quod ad Nicænam Synodum attinet Respondetur Nicænum Concilium nihil dixisse de processione Spiritus sancti à filio nec à Patre, sed ab hac processione maluisse præscindere, & tantum, *Et in Spiritum sanctum*, scilicet credimus & asserunt Cyrillus lib. 2. Dialog. de Trinit. cum Hermia, & Ruffinus lib. 10. Histor. cap. 6. Concilium verò Constantinopolitanum posuisse quidem in symbolo processionem Spiritus sancti á Patre, sed non à solo Patre, ut negaret processionem Spiritus sancti à filio; quin imò eo ipso quòd definivit Spiritum sanctum à Patre procedere, implicitè etiam definivit procedere à filio, quia ut superius explicuimus, vis spirandi quæ Patri inest, eadem à Patre communicatum filio, cùm dicat filius alloquens Patrem, *Omnia tua mea sunt*, præter ipsam relationem paternitatis, quâ pater distinguitur à filio; adeo ut sit in filio eadem essentia, natura, substantia, omnipotentia, & vis spirandi, quæ est in Patre, & cùm hæc vis spirandi in Patre & filio sit principium *quo* Spiritus sanctus procedit, sequitur quòd si procedit à Patre, procedat etiam à filio. & concilium definiens Spiritum sanctum procedere à Patre, definire etiam implicitè procedere à filio. Unde tantùm abest quod Concilium Constantinopolitanum asserens Spiritum sanctum procedere à Patre, neget eundem procedere à filio, ut implicitè hanc eamdem processionem à filio adstruat. Quod si quæras cur in Concilio Constantinopolitano, non fuerit explicitè definita processio Spiritus sancti à filio, sicut fuit definita ejus processio à Patre. Respondetur Concilium Constantinopolitanum principaliter fuisse convocatum contra Macedonianos hæreticos negantes Spiritum sanctum à Patre procedere. Synodus igitur Constantinopolitana damnavit errores Eunomii, & Macedonii. Eunomius enim docebat, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse dissimiles, qui error adversatur sacræ Scripturæ, ubi tres personæ divinæ dicuntur servare unitatem in essentia, natura, substantia, Deitate, ac omnibus perfectionibus absolutis: sicut enim tres personæ sunt unus Deus, ita unus bonus, unus sapiens, unus justus, unus misericors. Tum quia Apostolus ad Coloss. 1. vocat filium imaginem invisibilem, & de ratione imaginis est, ut sit expressa similitudo. Rursus Sapient. 8. Dicitur imago bonitatis illius. Macedonius etiam docuit spiritum esse creaturam, & non procedere à Patre, nisi per creationem sicut procedunt reliquæ creaturæ, quam hæresim, ut Synodus Constantinopolitana damnaret, explicitè definivit Spiritum sanctum procedere à Patre, & implicitè etiam à filio. Docebant Macedoniani Spiritum sanctum à solo filio procedere, tanquam ejus creaturam.

Quoad Concilium Ephesinum, respondetur, ab illo non prohiberi additionem consentaneam illi, doctrinæ quæ tradita fuit à Synodo, ad illam magis explicitè declarandam; sed tantùm prohiberi additionem doctrinæ contrariæ illi, quam Synodus docet; adeo ut altera fides in illa prohibitione perinde sit, ac contra doctrina illi, quam Synodus Nicæna docuit, & absque sacræ scripturæ fundamento, & authoritate infallibili ecclesiæ, in quo sensu intelligitur illud D. Pauli ad Gal. 1. *Si quis aliud evangelizaverit, præterquam id quod accepistis anathema sit.* At cùm ecclesia addidit symbolo Constantinopolitano *Filioque procedit* non addidit quidquam contrarium doctrinæ Concilii Constantinopolitani, neque Nicænæ Synodi; sed utriusque Concilii doctrinam explicite, ac clarius declaravit: cùm utrumque concilium definierit Spiritum sanctum procedere à Patre, implicitè etiam definivit procedere à filio, quia idem principium spirandi, quod est in patre, Pater communicat Filio, qui propterea alloquens Patrem Joan. 16. ait: *Omnia tua mea sunt*, scilicet omnia præter relationem paternitatis, qua distinguitur à filio: unde si Spiritus sanctus procedit à Patre, quia habet principium spirativum, per quod non distinguitur à Filio, sed illud communicat Filio, perinde ac omnipotentiam, & alias perfectiones absolutas, sequitur quòd implicitè procedat etiam à filio, cui inest idem principium spirativum ac in Patre: unde Ecclesia doctrinam Concilii Constantinopolitani magis explicuit, ac declaravit, & quod implicitè in illa doctrina continebatur, explicite addidit symbolo ad faciliorem captum fidelium. Neque hæc additio fuit illicita, quia contra prohibitionem Concilii Ephesini; quia cùm fuerit consona fidei, & conformis doctrinæ ecclesiæ, non potuit esse illicita, præsertim cùm fuerit ipsamet doctrina Concilii clarior proposita, & magis explicitè declarata: alioquin si omnis additio illicita foret, Concilium Constantinopolitanum non addidisset licitè Concilio Nicæno illam particulam *ex Patre procedentem*, quæ posita non fuerat in symbolo Nicæno. Rursus etiam Concilium Chalcedonense illicitè egisset, quando symbolum aliud à Nicæno, & Constantinopolitano evulgavit, in quo plures adduntur particulæ, quæ symbolo non inerant Nicæno: particulæ additæ in symbolo Chalcedonensi fuerunt, credo in unum Deum, *non quasi solitarium*, & in Filium, *vitam ex vita, perfectum de perfecto*: & in Spiritum sanctum *non ingenitum, neque genitum*. Præterea post additam ab ecclesia Latina illam particulam *Filioque* anno à Christi nativitate quingentesimo decimo tria alia fuerunt in Græcia convocata Concilia œcumenica, scilicet sextum, septimum, & octavum, in quibus non fuit ignorata sententia Latinorum, nec particula addita symbolo, quam tamen non improbârunt ut falsam, neque rejecerunt ut illicitam, & contra prohibitionem Concilii Ephesini; quin potiùs in septima generali Synodo fuit symbolum Latinorum recitatum cum additione illa *Filioque*, & nemo contradixit.

Si objicias Leonem III. Romanum Pontificem, qui circa annum Christi octingentesimum curavit in argentea lamina inscribi symbolum Constantinopolitanum sine illa additione *filioque* ac reponi in altari juxta corpus D. Pauli. Respondetur hujus laminæ ita inscriptæ meminisse magistrum sententiarum lib. 1. dist. 11. sed Concilium Pontificis eò tantùm pertinuit, ut posteris constaret, quale fuerit symbolum Concilii Constantinopolitani; & ne imposterum objiceretur in symbolo Constantinopolitano tantùm haberi, Spiritum sanctum à solo Patre procedere, quod ut falsum appareret, curavit Leo III. in lamina illa inscribi symbolum transumptum ex originali. Quòd si in illo symbolo originali non habetur *à solo Patre*, ut falsò objiciebat Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus, sed *à Patre*, Leo Papa indicavit etiam à filio Spiritum sanctum procedere, quia idem principium spirandi, quod Patri inest, pater communicat filio, & quia Spiritus sanctus procedit à patre per principium spirandi; procedit etiam filio, in quo habetur idem principium, quod est in Patre. Objiciunt tamen Græci aliquos ex sanctis Patribus, qui videntur asserere, Spiritum sanctum procedere à solo Patre siquidem D. Dionysius de Divinis Nominibus cap. 1. ait: *Solum Patrem esse Fontem divinitatis*. D. Gregorius Nazianzenus in orat. ad Episcopos, qui venerant ex Ægypto, scribit: *Omnia quæ habet Pater, habet Filius excepta causalitate.* D. Basilius epist. 43. *Nullam secundum propriam notionem, communionem habet filius cum Patre.* Damascenus lib. 1. cap. 11. *Spiritum per filium esse dicimus, ex filio non dicimus.* Sed hæc non obstant. Ad primum respondetur nomine Fontis intelligi primum principium, quod non recipit esse ab alio principio; ut est in divinis solus Pater. Epiphanius tamen vocat Filium Fontem de fonte, sicut dicitur Deus de Deo. Ad secundum respondetur. D. Gregorium loqui de causalitate respectu ipsius filii, seu de ipsa paternitate per quam Pater generando filium constituitur in esse patris. Ad aliud ex D. Basilio respondetur, D. Basilium loqui de filio ut præcisè est filius, non ut est Spirator, sicut enim Pater per paternitatem sibi tantùm propriam distinguitur à filio; ita & filius per solam filiationem distinguitur a Patre, estque filiatio propria notio filii per quam filius non habet communionem cum Patre. Vis autem spirativa, quia non est notio propria filii, cùm etiam Patri conveniat, est ratio communis Patri, & filio, & per hanc vim spirandi tanquam per suum corelativum cognoscitur Spiritus sanctus. Ad ultimum petitum è D. Damasceno respondetur agi ibi de modo loquendi, scilicet ut processio Spiritus sancti potiùs per particulam *per* quàm per particulam *ex* significetur, quo ostenderetur contra Macedonianos Spiritum sanctum procedere à Patre. Cæterùm quoad rem docet Damascenus Spiritum sanctum procedere à Patre & filio, etenim lib. 1. cap. 18. vocat Spiritum sanctum *imaginem Filii* quatenus ab ipso procedit.

Neque ullius est roboris argumentum à Græcis allatum, & ab eo petitum, quòd Spiritus sanctus sit tantùm una persona ex quo inferebant debere tantùm ab una persona procedere, seu à solo Patre, qui habet sufficientem vim illum spirandi, cùm enim vis spirandi in Patre sit infinita, debet includere, quidquid perfectionis potest excogitari in linea spirandi, consequenter solus Pater est sufficientissimum principium spirandi. Nam contra est, quia ex eo præcisè quòd Spiritus sanctus sit una persona tantùm non ritè infertur debere ab una tantùm persona procedere, siquidem etiam quælibet creatura est una tantùm, & tamen producitur ab omnibus tribus personis, cum opera ad extra communia sint Patri, Filio & Spiritui sancto, tota enim Trinitas operatur ad extra & est creatrix. Præterea eatenus Pater est principium sufficientissimum, ac infinitum in ratione spirandi, quatenus est unum quiddam cum ipso filio, & eadem vis spirandi, quæ Patri inest, etiam in filio reperitur, quo fit ut Spiritus sanctus æquè procedat à Patre, ac à filio: non enim Pater & filius spirant Spiritum sanctum, quatenus sunt duo spiratores, sed quia ambæ personæ sunt unus spirator, à quo ut à principio suo adæquato procedit Spiritus sanctus, ut in sequenti capite expendemus.

CAPUT XVII.

An Pater & Filius sint unum principium Spiritus sancti, an vero plura?

PRincipium spirandi dupliciter sumi potest primo *ut quo*, & importat ipsam vim spirandi, & de hoc principio vix est difficultas alicujus momenti, eò quia eadem vis spirandi sine controversia sit in Patre, & filio; unde difficultas est de principio *quod*, an Pater, & filius sint duo principia, quæ spirent Spiritum sanctum. Cùm certùm sit in divinis unicam tantum esse virtutem spirandi, ut docent Græci, & Latini, difficultas est, an stante hac unitate virtutis Pater, & filius sint duo principia Spiritus sancti, vel unum tantùm non obstante pluralitate suppositorum. Ratio dubitandi in eo est sita, quia tametsi in Patre, & filio sit una ac eadem numerò virtus spirandi, quia tamen sunt duo supposita spirantia *ut quod*, videtur asserendum Patrem, & filium esse duo principia Spiritus sancti, quia ad productionem alicujus termini non solùm concurrit principium *quo*, sed etiam principium *quod*, adeo ut ratio principii videatur potiùs supponere pro principio *quod* seu supposito, quàm pro principio *quo*, seu virtute producendi, & quia supposita sunt plura, ita & principium quod multiplicatur.

Ratio igitur dubitandi est. Primò quia Pater, & filius, quatenus sunt personæ subsistentes & ad invicem realiter distinctæ, producunt Spiritum sanctum, ergo non sunt unum principium spirativum Spiritus sancti, sed duo distincta, antecedens ostenditur, quia ut Pater, & filius sunt personæ ad invicem distinctæ, etiam à Spiritu sancto producto distinguuntur, consequenter ut sunt personæ distinctæ inter se, habent ordinem originis ad Spiritum sanctum, quem propterea producunt, quòd si ambæ personæ eum producunt, ut sunt supposita subsistentia, & distincta, jam illum producunt, ut sunt duo principia *ut quod*. Secundò quia si Pater, & filius sunt tantùm unum principium *quod* Spiritus sancti, debet aliquid assignari pro *quo*, hoc principium supponatur, sed hoc non potest assignari, quia neque supponitur unum principium pro persona Pa-

tris

tris determinatè, alioquin Filius non esset principium Spiritus sancti, sicut nec est persona Patris: neque hoc principium supponitur pro persona Filii, quia tunc Pater non esset principium Spiritus sancti, neque supponitur pro utraque persona simul, quia tunc nec Pater, nec Filius esset principium Spiritus sancti, quia neque Pater est Filius, nec Filius Pater copulatim: neque supponitur hoc principium pro Patre, & Filio disjunctivè, adeo ut per propositionem disjunctivam dicatur, vel unum principium Spiritus sancti est Pater, vel est Filius, quia utraque propositio esset falsa, etenim si illud unum principium esset Pater, tunc Filius non esset illud unum principium ut etiam è converso, si esset Filius ut Pater, non esset illud unum principium: ergo Pater, & Filius sunt duo principia ut *quod* Spiritus sancti,

Sed pro majore dilucidatione juvat observare dupliciter posse explicari, quòd Pater, & Filius sint unum principium *quod* Spiritûs sancti. Primò ut omnino ostendatur aliquid unum in divinis, quòd sit Pater, & Filius, & simul unum principium *quod* Spiritus sancti. Secundò ut non solùm ostendatur hoc unum tale in Patre, & Filio, quòd sit unum principium *quod* Spiritus sancti, verùm etiam ut Spiritus sanctus nullo modo procedat à pluribus subsistentibus ut plura & distincta sunt. Prior modus non est explicatu difficilis, sed secundus est difficilior.

Dicendum nihilominus est Patrem, & Filium propriè simpliciter, ac in rigore esse unum tantùm principium *quod* Spiritus sancti, adeo ut oppositum non sit tutum in fide, vel saltem notetur temeritate; quia in Concilio Lugdunensi in cap. fidei in 6. sub Gregorio X. habetur: *Fideli, ac devota professione fatemur, quòd Spiritus sanctus aeternaliter ex Patre, & Filio non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio; non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedat*, & paulo inferiùs habetur damnatio contra eos, qui ausu temerario præsumpserint asserere Spiritum sanctum ex Patre, & Filio tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno procedere subdit Concilium: *Damnamus qui temerario ausu asserere præsumpserint, quod Spiritus sanctus à Patre, & Filio tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno procedat.* Fuit etiam hoc idem definitum in Concilio Florentino sub Eugenio IV. In litteris unionis, & in oratione Besationis Archiepiscopi Nizeni, unde cùm in utroque Concilio ecclesia definierit sub pœna anathematis Patrem, & filium esse unum principium *quod* Spiritus sancti, oppositum non est tutum in fide, quia ut ait Apostolus ad Timoth. 3. Ecclesia est *columna & fundamentum veritatis*, adeo ut ob specialem assistentiam Dei non sit in re tanti momenti errori obnoxia. Respondet nihilominus Gregorius Ariminensis in primo dist. 12. quæst. 1. Concilium Lugdunense tantùm definivisse Spiritum sanctum procedere à Patre & filio *tanquam ab uno principio*: sed non definivisse absolutè Patrem, & filium esse tantùm unum principium *quod* Spiritûs sancti: illa enim particula *tanquam* est diminutiva posita à Concilio ad significandum Patrem, & filium non dici propriè & in rigore unum principium *quod*, sed solum quasi unum principium. Sed contra negatur illam particulam *tanquam* positam à Concilio esse diminutivam, quia posita fuit ad clarius declarandum Patrem, & filium esse unum tantùm principium Spiritûs sancti, adeo ut illa particula *tanquam* sit declarativa, non diminutiva, quòd verò Gregorius asserat particulam *tanquam* idem significare ac *quasi*, id conceditur, quia neutra particula propriè est diminutiva, siquidem ad significandum verbum divinum esse verè ac propriè filium unigenitum Dei Patris Joan. 1. dicitur: *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti à Patre*, ubi particula quasi non diminuit, quasi Verbum non sit propriè filius unigenitus Patris, sed declarat verè, ac propriè esse filium æterni Patris; idem dicendum de particula *tanquam* adhibita à Patribus Concilii Lugdunensis, quòd non denotet improprietatem, seu diminutionem, sed potiùs majorem declarationem, sitque propterea particula declarativa, non diminutiva, alioquin, si illa particula *tanquam* denotaret improprietatem, possemus cum proprietate asserere Spiritum sanctum procedere à Patre, & filio ut à duobus principiis ut *quod*, atqui hoc est expressè contra utrumque Concilium Lugdunense, & Florentinum, quæ statuerunt ac expresse declarârunt Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio ut ab uno principio *quod*.

Ratio à priori ex eo etiam desumitur, quia nomina substantiva non multiplicantur, nisi eorum formæ plurificentur, hoc est, ut nomen substantivum dicatur pluraliter, non sufficiat pluritas suppositorum, sed requiratur pluralitas significati formalis, sed principium est nomen substantivum, cujus formale significatum est virtus seu vis spirandi. Ergo principium spirativum non potest plurificari, quin multiplicetur ejus formale significatum, seu virtus spirandi: quæ virtus non plurificatur in Patre, & filio, quia in utroque est una, ac eadem numero virtus spirandi, consequenter Pater, & filius non sunt duo principia spirativa ut *quod*, sed unum tantùm, minor, & consequentia tenent, ostenditur major, quia ratio, cur Pater, Filius, & Spiritus sanctus non sint tres Dei, sed unus tantùm Deus, quamvis sint tres personæ realiter distinctæ, alia non est, nisi quia divinitas, seu essentia divina, quæ est formale significatum, per hoc nomen substantivum Deus non plurificatur in divinis personis, sed est una ac eadem numero in Patre, Filio, & Spiritu sancto, qui propterea non sunt tres Dii, sed unus Deus, sunt tamen è converso tres personæ realiter distinctæ, quia in ipsis plurificatur personalitas, quæ est formale significatum personæ: ergo quia spiratio activa, seu virtus spirandi est formale significatum hujus nominis substantivi, quod est principium spirativum, non potest hoc principium plurificari, quin multiplicetur ejus formale significatum seu ipsa vis spirandi, atqui hæc virtus spirandi non multiplicatur, quia est una ac eadem numero in Patre, & Filio, ergo neque potest plurificari principium spirandi ut *quod*. Pater enim, & Filius sicut non distinguuntur in essentia, natura, substantia, & Deitate, quæ sunt prædicata absoluta, ita neque distinguuntur in omnipotentia, justitia, & virtute spirandi, quia hæc attributa communia sunt Patri, & Filio, ait enim Filius Joan. 16. *Omnia tua mea sunt*, præter ipsam relationem, qua una persona distinguitur ab alia, & Filius non distinguitur à Patre per vim spirandi, sed per filiationem, neque Pater distinguitur à Filio per vim spirandi, sed per paternitatem, proinde vis spirandi, cùm non sit ratio distinguendi Patrem à Filio, est una ac eadem communis Patri, ac Filio, & cùm sit formale significatum hujus nominis substantivi, quod est principium spirativum, non potest hoc multiplicari in Patre, & Filio, sicut non multiplicatur Deus, eò quia in Patre & Filio est una ac eadem veritas, idque firmatur, quia eatenus tres personæ sunt tantùm unus creator,

tur, unus Deus, quia formale significatum hujus nominis substantivi creatoris, & Dei non plurificatur in personis, est enim formale significatum omnipotentia, & veritas, quæ est una, ac eadem in tribus personis: ergo à Patri cùm vis spirandi non plurificetur in Patre, & Filio, neque principium spirativum debet multiplicari.

Id interest discriminis inter nomina concreta adjectiva, & substantiva, quia adjectiva ut dicantur pluraliter, non est necesse, ut formale significatum multiplicetur, sed sufficit, si plurificentur supposita, quamvis sit unum numero formale significatum seu eadem numero forma: quo pacto si in duobus parietibus esset eadem numero albedo divinitus replicata, in utroque rectè dicerentur duo parietes albi: & non unus paries albus: hinc quia formale significatum consubstantialitatis, seu ipsa consubstantialitas, & æternitas est in tribus suppositis divinis, in hoc sensu concedit fides Catholica divinas personas ut distinctas esse consubstantiales, esse coæternas: sed ut plurificentur concreta substantiva, necessariò debet plurificari formale significatum per nomen concreti substantivi, quo pacto docet ecclesia dari in Deo tres personas non vero tres Deos, quia in divinis plurificatur personalitas non verò Deitas, quæ est una ac eadem in tribus personis: & quia vis spirandi est formale significatum principii spirativi, & non plurificatur in Patre, & Filio, sed in utroque est eadem vis spirandi, sequitur Patrem, & Filium esse unum tantùm principium spirandi ut *quod*: ratio discriminis inter nomina concreta adjectiva, & substantiva ex en desumitur, quia concretum substantivum significat formam per modum per se stantis, seu substantiæ, quæ cùm habeat à se unitatem, & pluralitatem, sequitur singularitatem, vel pluralitatem concreti substantivi haberi ab ipsa forma significati per modum per se stantis. Concretum verò adjectivum, quia significat per modum adjacentis alteri, ejus singularitas vel pluralitas desumitur à singularitate, vel pluralitate subjecti. Hinc tametsi dicamus Patrem, & Filium esse duos spirantes Spiritum sanctum, non tamen dicimus esse duos spiratores; ratio discriminis est, quia nomen spirans utpote adjectivum significat formam alteri adjacentem; & quia sunt duæ personæ scilicet Pater, & Filius, quibus adjacet eadem numero forma, seu virtus spirandi, rectè dicuntur duo spirantes ratione formæ ejusdem adjacentis duobus: secus non dicimus duos spiratores, quia spirator est concretum substantivum, quod non potest plurificari, nisi multiplicetur ejus formale significatum: & quia in Patre, & Filio est eadem numero vis spirandi, non possunt dici Pater, & Filio duo spiratores.

D. Thomas ex eo probat Patrem, & Filium non esse duos spiratores, eò quia in divinis omnia sint unum, nisi interveniat oppositio relativa, adeo ut Pater, & Filius debeant in omnibus esse quid unum, in quibus relative non opponuntur: sed Pater, & Filius relativè non opponuntur in eò quòd sint principium ut *quod* Spiritus sancti, quia in Patre & Filio ut spirant Spiritum sanctum, non est oppositio relativa originis, cùm Pater non producat Filium spirando, sed generando, consequenter cùm Pater, & Filius in ratione spirandi non opponantur relativè, non possont distingui in ratione principii *quod* spirandi, proinde sunt tantùm unum principium *quod* Spiritus sancti, & unus tantùm spirator non duo spiratores, quamvis dicantur esse duos spirantes.

Si dicas ex sanctis Patribus Spiritum sanctum esse nexum affectivum Patris, & Filii, & nexum importare essentialiter duo, quæ per nexem simul uniuntur, consequenter Patrem, & Filium esse duo principia spirativa Spiritûs sancti. Contra est, quia ex eo, quod Spiritus sanctus dicatur nexus affectivus Patris, & Filii, non tamen inde sequitur Patrem, & Filium esse duo principia spirativa Spiritus sancti, non enim hic dicitur nexus Patris, & Filii, eò quia Pater, & Filius sint duo principia spirativa, sed quia procedit ab utroque per unam eandemque virtutem spirativam, & per amorem amicabilem, qui est unio affectiva, qua Pater per amorem conjungitur filio, & Filius Patri ut docet D Augustinus *lib. 7. de Trinit. cap. 9.* Et hæc ratio est, cur Spiritus sanctus ex vi sui esse nocionalis procedat ut nexus, & unio affectiva petat esse à duobus suppositis: quia verò vis spirativa non plurificatur in iisdem suppositis, sed est una, ac eadem numero in iisdem, ideo Spiritus sanctus procedit à duobus suppositis ut ab uno principio spirativo. Si instes actionem esse suppositi, & ibi plurificari actiones, ubi multiplicantur supposita, & è converso: & in divinis esse duo supposita spirantia, proinde dari etiam duas actiones, quibus Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio ut à duobus spiratoribus ut *quod*. Contra est, quia licèt actio dicatur esse suppositi extrinsecè, & denominativè, non tamen intrinsecè, & formaliter, quapropter negatur, Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio ut à duobus spiratoribus, quia ut ita procederet, deberet multiplicari virtus spirativa in iisdem suppositis, & cùm non plurificetur, sed sit eadem numero in utroque supposito, ideo quamvis actio spirativa sit à duobus suppositis, non tamen est à duobus spiratoribus, ratio itidem est, quia actio formaliter dicitur esse formæ, & quia in Patre, & Filio datur tantùm unica forma, seu vis spirativa, ideo intrinsecè, & formaliter non sunt duæ actiones, quibus Pater, & Filius spirent Spiritum sanctum, sed unica tantum actio, perinde ac in iisdem est una, ac eadem vis spirandi, seu una, ac eadem forma, à qua procedit actio, sed urgebis si sola unitas virtutis spirativæ, quæ est in Patre, & Filio sufficeret, ut duo supposita divina essent unicum tantùm principium spirativum Spiritus sancti: sequeretur, quòd illæ duæ virtutes, quæ sunt in Patre ad generandum, & spirandum, etiam sufficerent ad constituendum in Patre duplex principium, unum generandi, & alterum spirandi: quia sicut pluralitas suppositorum non obstat, quò minùs unitas virtutis constituat unitatem principii: ita nec unitas suppositi obstabit, quò minus duæ illæ virtutes generandi, & spirandi constituant in Patre duo principia: hoc autem non conceditur, ergo ex unitate virtutis non rectè infertur unitas principii. Sed contra quia Pater non habet, ut supponitur duas illas virtutes ad generandum, & spirandum, ut distinctas; quia in divinis omnia sunt quid unum simplicissimum, nisi intercedat oppositio relativa, & inter illa duo principia generandi, & spirandi non habetur hæc oppositio relativa, consequenter non sunt in Patre duæ virtutes distinctæ, sed una tantùm, quæ respectu Filii est generatio, & respectu Spiritus sancti est spiratio activa.

Præterea etiam præscindendo ab hac unitate, adhuc est dispar ratio, quia ex eo, quòd Pater, & Filius ratione unius virtutis spirativæ, sit unum principium in virtute spirativa, inde non sequitur esse in Patre duo principia producentia tametsi Pater habeat duas illas fœcunditates unam in ordine ad generandum Filium, & alteram in ordine ad spiran-

dum Spiritum ſanctum, quia ex eo, quòd homo habeat plures ſcientias, & artes, non tamen dicimus eſſe in eodem homine plures ſcientes, aut plures artifices, quia ut paulò ante diximus, ad multiplicanda concreta non ſufficit, ſi multiplicentur formæ, ſed debent etiam plorificari ſuppoſita, qua ratione Pater in divinis non dicitur habere plura principia, quamvis habeat plures virtutes, quia eſt unicom tantùm ſuppoſitum, ſed reinſtabis, ſi plures perſonæ divinæ aſſumerent eandem oomero naturam humaoam, dicerentur plures homines, licèt unica tantùm humanitas eſſet in illis, ergo quamvis Pater & Filius habeant eandem vim ſpirativam, adhuc dicendi ſunt duo principia ſpirativa. Sed contra quidquid ſit, an plures perſonæ poſſint eandem numero naturam ſuppoſitare, quod negatur à Scotiſtis, reſpondetur, quòd tametſi plures perſonæ divioæ poſſent eandem numero humanitatem aſſumere, adhuc non eſſent plures homines, & ratio adſertur à D. Thoma, 3. p. q. 2. art. 3. ad. 1. & in 3. diſt. 1. q. 2. art. 4. quia ſicut ex eo quòd Pater, & Filius habeant eandem numero naturam divinam, non dicuntur duo Dii, ſed unus numero Deus, ita ſi per poſſibile, vel impoſſibile Pater, & Filius eandem aſſumerent numero naturam humanam, ooo dicerentur duo homines, ſed tantùm unus homo. Deinde dato etiam, qnòd Pater, & Filius aſſumentes eandem numero humanitatem eſſent duo homines, adhuc inde non ſequeretur Patrem, & Filium eſſe duo principia ſpirandi. Ratio diſcriminis eſſet, quia humanitas adveniret extrinſecè Patri & Filio, quo pacto ſicut duo homines habentes eandem numero albedinem, vel artem dicerentur duo albi, vel duo artifices propter formam extrinſecè advenientem pluribus ſuppoſitis, ita Pater, & Filius aſſumentes eandem humanitatem eſſent duo homines, quia homanitas extrinſecè adveniret duobus ſuppoſitis: atqui ſpiratio activa non advenit extrinſecè Patri, & Filio, ſed eſt ratio realiter, & eſſentialiter identificata perſonis Patris, & Filii; & ſicut eſſentia divina quia eſſentialiter, & realiter ſimpliciter identificatur cum perſonis Patris, & Filii, non multiplicat perſonas in ratione Dei: ita neqoe ſpiratio activa multiplicat in perſonis principia ſpirativa hinc patet diſparitas inter humanitatem aſſumptam à pluribus perſonis, & virtutem ſpirativam in Patre, & Filio.

Dices ſi Pater, & Filius ex eo dicuotur unum principium ſpirandi, quia habent unam, & eamdem vim ſpirativam, ſequitur quòd à fortiori debeant dici duo principia ut quod, eo quia ſint duo ſuppoſita: quia ſicut virtus ſpirativa conſtituit principium *quo*; ita ratio ſuppoſiti principium *quod*. Sed contra quia ot paulo ſuperius explicuimus, ad multiplicandom concretum ſubſtantivum non ſufficit, ſi multiplicentur ſola ſuppoſita, ſed olterius requiritur multiplicatio ſignificati formalis per nomen concreti ſubſtantivi: vis autem ſpirativa, quæ eſt forma importata per illud concretum ſubſtantivum, quod dicitur principium ſpirativum, non multiplicatur in ſuppoſitis divinis, ſed eſt una, ac eadem in utroque ſuppoſito: proinde ex eo quòd multiplicentur ſuppoſita, non multiplicantur principia ſpirativa, quia non plurificatur forma importata per concretom ſubſtantivum, quod dicitur principium ſpirativum. Inſtabis ſi Pater, & Filius eſſent unum tantum principium *quod* ſpirativum Spiritûs ſancti; vel hoc principium eſſet unum, quod eſt Pater: vel non eſſet unum, quod eſt Pater: primum neqoit dici, alioquin cùm Filius ſit etiam principium Spiritûs ſancti ſequeretur, quòd Filios eſſet Pater: neque ſecundum poteſt aſſeri; quia ſicut Pater non eſſet ſpirator, ſeu principium Spiritus ſancti; ita Pater & Pilius non eſſent onum principium ſpirativum. Sed contra quia Pater non eſt principium ſpirativum ut præciſè eſt Pater, ſed ut eſt ſpirator adæquatur, & non eſt talis niſi cum Filio, cui ineſt eadem vis ſpirandi, ſicut in Patre; onde principium quod ſpirativum ſuut Pater & Filius ſimul, qui conſtituuntur in ratione unius principii ſpirativi ut quod per ipſam vim ſpirandi quæ una, & eadem reperitur in Patre, & Filio. Si dicas Patrem, & Filium dici duos ſpirantes, proinde eſſe dicendos duos ſpiratore. Contra quia ideo dicuntur duo ſpirantes; quia nomen ſpirantis cùm ſit adjectivum, poteſt in plurali prædicari, quando plurificantur ſuppoſita; & quia Pater & Filius ſunt duo diſtincta ſuppoſita, rectè dicuntur duo ſpirantes. Nomen verò ſpiratoris eſt ſubſtantivum, & ſe habet per modum per ſe ſtantis in concreto, hinc non poteſt plurificari ſubſtantivè, niſi multiplicetur forma ſignificata per tale nomen ſubſtantivum in concreto; & quia vis ſpirativa non plurificatur, ſed eſt una ac eadem in Patre, & Filio, ideo quamvis dici poſſint duo ſpirantes, non ita duo ſpiratores.

Hinc patet ſolutio ad ratiooes dubitandi initio exhibitas. Ad primam oegatur conſequentia, quia licèt Spiritus ſanctus procedat à Patre, & Filio, ut à diſtinctis ſuppoſitis, hæc tamen ſuppoſita qoia non niſi per unam ac eandem virtutem ſpirant, ſeu producunt Spiritum ſanctum, ideo hæ doæ perſonæ ſunt unus tantùm ſpirator, quia hoc nomen ſpirator eſt coocretum ſubſtantivum, quod nou plurificatur, niſi plurificetur ipſa vis ſpirandi; & quia hæc eſt ona, & eadem in utraque perſona, ſequitur quòd quamvis Pater, & Filius dicantur, & ſint duu ſuppoſita, non tamen ſint duo ſpiratores. Deinde hæc duo ſuppoſita producunt Spiritum ſanctum, quatenus conſtituunt, & ſunt unum principium ſpirandi, non ut ſunt principium generandi, & quia principium ſpirandi eſt uoum, ac idem in Patre, & Filio, ideo qoamvis ſint duo ſuppoſita diſtincta, non tamen ſunt duo ſpiratores, ſed unus tantùm ſpirator.

Ad ſecundam rationem in qua petebatur, pro quo ſupponatur ille terminus unum principium ſpirativum, Reſpondetur in hac propoſitione, Pater, & Filius ſunt principium unum ſpirativum Spiritûs ſancti, ſupponere pro ipſa virtute ſpirandi, non tamen io abſtracto, ſed in concreto, ſeu pro ipſo ſubſiſtente io virtute ſpirativa, quod ſubſiſtens eſt Pater, & Filius ſimul, ac indiſtinctè ut in ſequenti capite fuſiùs declarabimus,

CAPUT

CAPUT XVIII.

Pro quo immediatè ſupponat principium, cùm dicimus Patrem, & Filium eſſe unum principium Spiritus ſancti. Referuntur, & refelluntur aliquot Authorum placita.

Quia Fides nos docet, Patrem & Filium eſſe unum principium Spiritus ſancti; difficultas oritur pro quo immediatè ſupponat hoc principium; an Pater, & Filius ratione hujus principii ſint unum ſubſiſtens realiter, & incommunicabiliter conſtitutum ex eſſentia, & ſpiratione activa, ſeu virtute ſpirandi Spiritum ſanctum, quod principium tamen non ſit perſona Patris, & Filii formaliter, ſed in Patre, & Filio eſſentia, & vis ſpirandi.

Prima ſententia quam propugnant plures cum Valentia lib. 2. cap. 8. de perſonis inter ſe comparatis, docet principium ſupponere confusè, & immobiliter pro perſonis Patris, & Filii ſimul, & indiſtinctis. Si petas per quam particulam confundatur hoc nomen principium, ut ſupponat confusè pro duabus perſonis Patris, & Filii ſimul, & indiſtinctis reſpondent cum Capreolo *in I. diſt.* 12. *q.* 1. confundi per particulam *Et* adeout cum dicitur Pater, & Filius ſunt unum principium Spiritus ſancti, particula copulativa *Et* confundat illud nomen, quod eſt principium, ut cùm dicitur Lipſiæ, & Francofurti venales dantur libri particula *Et* confundit prædicatum, & ſtat immobiliter, quia habet ſubjectum copulatum. Huic tamen ſententiæ non poſſum plenè acquieſcere, quia ut nomen ſupponat confusè, neceſſe eſt, habeat plura ſingularia, in quæ poſſit disjunctum reſolvi: & *principium* in hac propoſitione *Pater, & Filius ſunt unum principium Spiritus ſancti* non habet plura ſingularia, in quæ poteſt disjunctim reſolvi; quia neque Pater per ſe, nec filius per ſe dici poteſt principium Spiritus ſancti; quia neque pater per ſe, neque filius per ſe eſt utraque perſona; & principium Spiritus ſancti eſt utraque perſona ſimul, Pater, & Filius. Præterea ſi hoc nomen principium ponatur in propoſitione, ut ſit ſubjectum; ut, *Unum principium Spiritus ſancti ſunt Pater, & Filius*; tunc nomen principium non ſupponitur confusè, ſed determinatè; quia particula *eſt* non poteſt confundere terminum à quo proceditur. Tum quia in illa propoſitione: *Pater, & Filius ſunt unum principium Spiritus ſancti*, nullum apparet ſignum confuſivum illius prædicati, quod eſt unum principium: ergo ad prædicatum non ſupponitur confusè. Reſpondet Capreolus *in I. diſt.* 12. *q.* 10. Signum confuſivum eſſe particulam *Et* ex eo probari quia quando dicimus: Pater, & Filius ſunt unum principium; illa particula *&* perinde eſt confuſiva: ſicut quando dicimus Venetiis, & Romæ venditur piper: prædicatum illud piper confunditur à particula *Et* ut pro utroque pipere, quod venditur Venetiis & Romæ, ſupponatur confusè, & pro neutro determinatè. Non enim in explicatione talis enunciationis poſſumus determinatè deſcendere ad piper, quod venditur Venetiis, neque ad piper quod venditur Romæ; quia de neutro ſeorſim dici poteſt, quod Venetiis, ad Romæ vendatur. Cajetanus itidem 1. *part. quæſt.* 36. *art.* 4. ait, terminum communem per ſe ſupponere confuſivè, niſi ab alia particula ſuppoſitio determinetur: quia tametſi in hac propoſitione: *Ad equitandum requiritur equus*, nullum appareat ſignum confuſivum: adhuc illud prædicatum equus, quia commune per ſe, eſt ſignum confuſivum, ſeu indeterminatum; alioquin ſupponeretur determinatè pro uno potius, quàm alio equo, quod eſt falſum quia ſub illo termino communi non licet deſcendere disjunctivè ad unum potius, quàm alium equum; quia propoſitio eſt de equo indeterminatè; & ſi fieret deſcenſus ad equum unum potius quàm alium, non eſſet amplius eadem propoſitio, quia mutaretur prædicatum; pari pacto ait Cajetanus in hac propoſitione, *Pater, & Filius ſunt unum principium Spiritus ſancti*, illud prædicatum unum principium, quia commune Patri, & Filio, aſſerit, ſupponere per ſe confuſivè. Sed contra quia illud prædicatum unum principium non ſupponitur pro pluribus principiis, ſicut equus in communi ſupponitur pro pluribus equis, adeout ſicut deſcenſus ad unum vel alterum, quamvis prædicatum tranſeat de eſſe indeterminato ad determinatum, propoſitio tamen ſemper verificatur. At in illa propoſitione Pater, & Filius ſunt *unum principium* Spiritus ſancti. Illud prædicatum unum principium non eſt quid commune, ſicut prædicatum ejus, quia non dantur plura principia ſpirativa Spiritûs ſancti; ſicut dantur plures equi. Terminus ut ſit communis, debet ſupponere plura individua ejuſdem rationis, ut homo, leo, canis: & principium Spiritus ſancti non poteſt ſupponere hæc plura individua in ratione principii ſpirativi, quia in Patre & Filio eſt unum, ac idem prorſus numerò principium ſpirativum. Quòd ſi dicas, Patrem, & Filium eſſe duas perſonas diſtinctas, & illud prædicatum *unum principium Spiritus ſancti*: eſſe utrique commune, Reſpondetur Patrem & Filium non eſſe principium ſpirativum ut præcisè ſunt Pater, & Filius; ſed ut ſunt unus ſpirator, ſeu quatenus una ac eodem numero vis ſpirandi eſt in patre & filio, & per hanc utraque perſona conſtituitur unus tantum ſpirator, qui cùm non plurificetur in ratione ſpiratoris; illud prædicatum, ſicut *unum principium Spiritus ſancti*, non poteſt ſupponere confuſivè: ſicut ad equitandum eſt neceſſarius equus quia illud prædicatum equus eſt commune pluribus individuis in ratione, ut etiam aliud prædicatum piper quod venditur Venetiis, & Romæ; ideo enim illa particula *Et* eſt ſignum confuſivum, quia per illam piper fit terminus communis, qui plurificatur Venetiis, & Romæ: ſecus illud prædicatum *unum principium* non plurificatur in Patre, & Filio, ſed in utraque perſona eſt una, ac eadem vis ſpirandi. Hinc patet ſolutio ad argumentum Capreoli, & Cajetani.

Cenſent alii principium Spiritûs ſancti in præfata propoſitione, ſupponere pro Patre & Filio, non tamen ſeorſim, ſed copulatim, ſeu collectivè, adeo ut ſicut duæ cauſæ partiales conſtituunt unam totalem, & quemadmodum plures trahentes idem pondus conſtituunt unam cauſam totalem pondus trahere, licèt unusquisque ex trahentibus exhibeat concurſum tantùm partialem; ſimul tamen, & collectivè ſumpti conſtituunt unum principium totale, & integrant cauſam volentem producere Spiritum ſanctum. Verùm hæc ſententia, quæ tribuitur Altiſiodorenſi lib. 1. cap. 10. Et eo eſt rejicienda; quia ſupponit Patrem, & Filium concurrere partialiter ad productionem Spiritûs ſancti; perinde ac in humanis duo

& fœmina concurrunt ad productionem prolis; quod est falsum: quia tota, & adæquata vis spirativa secundùm suam intrinsecam rationem formalem, quæ est in Patre, eadem est etiam in filio; aden ot sit tota in utroque supposito, & unumquodque seorsim ab alio sit sufficiens principium Spiritûs sancti; quamvis defectu conditionis una persona seorsim ab alia non spiret Spiritum sanctum.

Docent alii *principium* in illa propositione supponere pro spiratore, seu pro quodam quarto constituto ex essentia, & spiratione activa seu vi spirandi, quæ inest Patri, & Filio; quod tamen constitutum sit idem realiter cùm Patre, & Filio eisque commune, ac proinde prædicetur de utroque, non tamen ut persona aut suppositum, sed ut individuum quoddam subsistens, perinde ac dicitur de individuo Deitatis. Docent hanc sententiam Ockamus *in* 1. *dist.* 12. *q.* 1. Gabriel. *art.* 2. & 3. Molin. 1. *p. q.* 36. *art.* 2. *disput.* 2. & plures alii recentiores.

Probant primò ex eo quia principium Spiritûs sancti sit quid nocionale commune Patri, & Filio, ex quo inferunt debere constitui per prædicatum aliquod nocionale commune Patri, & Filio, sed spiratio activa, seu ipsa vis spirandi in Patre, & Filio est hujusmodi prædicatum, ergo principium Spiritûs sancti supponit immediatè pro spiratore, seu pro quarto constituto ex essentia, & spiratione activa, quod sit idem realiter cum Patre, & Filio, adeo ut hoc idem constitutum ex essentia, & spiratione activa sit quoddam subsistens commune Patri, & Filio. Idque firmant, quia Pater, & Filius non constituuntur in ratione principii Spiritûs sancti per Paternitatem, & filiationem, ergo per aliud prædicatum, quod relativè opponatur spirationi passivæ, sed sola spiratio activa, seu vis spirandi communis Patri, & Filio opponitur relativè spirationi passivæ, non enim Pater, & Filius constituuntur in ratione principii Spiritûs sancti per Paternitatem, & Filiationem, ergo principium in præfata propositione supponit pro constituto ex spiratione activa, & divina essentia, prout hæc duo sunt quoddam quartum constitutum subsistens ut individuum, non verò pro Patre, & Filio, quia paternitas tantùm constituit Patrem in esse Patris, & in ordine ad Filium: ut etiam Filiatio constituit Filium in ordine ad Patrem.

Probant secundò, quia Spiritus sanctus cùm sit terminus relativus, exigit suum correlativum & correlativum Spiritûs sancti non est Pater, quia ut talis præcisè refertur tantùm ad Filium, neque est Filius, quia ut talis ex vi filiationis tantùm refertur ad Patrem, & non ad Spiritum sanctum, cujus propterea correlativum debet esse spirator, seu quartum constitutum ex essentia, & spiratione activa, non ut est quarta persona, sed ut est individuum quoddam subsistens, & idem realiter cum patre, & filio: ergo principium in allata propositione non potest immediatè supponere pro patre, & filio, sed tantùm pro uno spiratore. Firmant, quia spiratio activa, & essentia debent constituere spiratorem, quia sicut terminus spiratus constituitur ex essentia, & relatione; perinde terminus correlativus oppositus debet constitui ex essentia, & relatione opposita, sed Spiritui sancto, qui est terminus spiratus constitutus ex essentia, & relatione, non opponitur relativè, nisi spirator constitutus ex essentia, & spiratione activa, ergo solus spirator est pro quo immediatè supponit principium, cùm dicimus patrem, & filium esse unum principium Spiritûs sancti. Firmant secundò quia sicut spirator includit essentiam, & spirationem activam: siquidem essentia est formale principium radicale spirationis, ut connotat spirationem activam, periode ac essentia dicitur esse principium generans ex eo præcisè, quòd connotet paternitatem, ergo sicut pater constituitur ex essentia, & paternitate, ita spirator debet constitui ex essentia & spiratione activa.

Probant tertiò, quia pater non est minùs subsistens; nec minus includit essentiam divinam spiratio activa, quàm paternitas, filiatio, & spiratio passiva: proinde sicut ex essentia, & paternitate constituitur pater subsistens, & ex essentia, & filiatione filius subsistens; & ex essentia, & spiratione passiva Spiritus sanctus itidem subsistens, ita ex essentia & spiratione activa debet constitui spirator subsistens. Firmant primò, quia sicut pater est paternitas subsistens, ita spirator est spiratio passiva subsistens, & quia ex alio capite spiratio activa est communis patri, & filio, ita spirator subsistens debet prædicari de patre, & filio, & esse utrique communis. Firmant secundò, quia si spiratio activa ex personis jam constitutis constitueret principium Spiritûs sancti, & non ex essentia, adeo ut ex essentia, & spiratione activa non coalesceret spirator, sequeretur constitutum ex spiratione activa & personis jam constitutis esse aliquid accidentale, & non quid per se: quia illud constituit accidentaliter cum alio, quod intelligitur illi advenire, ut jam constituto in suo esse intrinseco cum ultimo suo complimento: & pater, ac filius essent jam constituti cum ultimo suo complimento intrinseco, consequenter spiratio activa intelligeretur per accidens advenire patri, & filio, & non constitueret unum per se cum patre, & filio, sed tantùm unum per accidens, quod in divinis repugnat. Firmant tertiò, quia sicut constitutum ex essentia, & paternitate est unum subsistens, ita constitutum ex essentia, & spiratione activa debet esse unum subsistens, quamvis non sit persona, nec suppositum, unde *principium* in præfata propositione supponit immediatè pro ipso spiratore.

Sed hæc sententia suas patitur difficultates, quia si semel ponatur in divinis quartum constitutum ex essentia, & spiratione activa, poneretur quodammodo paternitas contra Concilia. Secundò quia eo ipso quòd ex essentia, & spiratione activa constitueretur spirator relativè oppositus Spiritui sancto, hic immediatè procederet ab hoc spiratore, ut præcisè constituto ex essentia, & spiratione activa vel saltem ut formaliter, vel virtualiter intrinsecè distincto à patre, & filio, & quia hujusmodi spirator, ut hæc sententia docet, non esset suppositum neque persona: Spiritus sanctus non procederet immediatè à persona contra decreta Conciliorum, & doctrinam sanctorum Patrum, hinc sequeretur Spiritum sanctum non procedere à patre, & filio immediatè, sed ab ipso spiratore ut præcisè constituto ex essentia, & spiratione activa, hinc posset dici, quòd Spiritus sanctus non procedat à patre, & filio, eò quia procedit à constituto ex essentia, & spiratione activa, quòd constitutum formaliter, vel saltem virtualiter non est pater nec filius; proinde valeret dicere Spiritum sanctum non procedere formaliter à patre, & filio, quod est expressè contra symbolum Nicenum, quod loquens de Spiritu sancto ait. *Qui à Patre, Filioque procedit.* Præterea Patres & Concilia nullibi docent Spiritum sanctum procedere ab hoc quarto constituto, à quo immediatè procedat Spiritus sanctus, bene tamen potiùs loquuntur de spiratione passiva, asserunt hanc esse à patre, & filio, unde hæc sententia saltem ex

eo

eo videtur rejicienda, eo quia non sit consona modo loquendi sanctorum Patrum, & Conciliorum. Tertiò quia non videtur conforme vero, quod asserunt, hoc scilicet constitutum ex essentia, & spiratione activa esse individuum quoddam commune Patri, & Filio, siquidem eo ipso quod ponitur commune, non est amplius individuum, quod definitur indivisum in se, & divisum à quolibet alio à se, quod enim est commune pluribus, non est ab illis divisum, consequenter nec est in se indivisum neque individuum. Quartò quia communiter docent Theologi spirationem activam secundùm nostrum concipiendi modum intelligi advenire Patri & Filio jam constitutis in proprio esse personali ex essentia & suis relationibus propriis: & quod intelligitur advenire alteri jam constituto in suo esse, non potest cum illo constituere unum per se, sed tantùm unum per accidens, consequenter spirator in divinis non constitueret unum per se, sed tantùm per accidens, quod non potest concedi. Neque satisfaciunt, qui respondent non constituere unum per se cum personis, sed tantùm cum essentia, perinde ac Paternitas unà cum essentia divina constituit unum per se, seu Patrem. Nam contra est, quia essentia divina in signo priori intelligitur terminata per paternitatem & filiationem, consequenter spiratio activa intelligeretur advenire divinæ essentiæ, ut jam terminatæ per paternitatem, & filiationem, quia cùm spirator non opponatur relativè Patri, & Filio, non potest à neutra persona produci, consequenter cùm non opponatur relativè Patri, & Filio, deberet advenire essentiæ ut jam terminatæ per paternitatem & filiationem, & quia paternitas & filiatio ut terminantes essentiam divinam constituunt duas personas per se, scilicet Patrem, & Filium, ideo hoc constitutum ex essentia, & spiratione activa non posset cum personis, nec cum essentia constituere unum per se, sed tantùm per accidens quod non conceditur. Idque ex eo firmatur, quia quoties tres gradus subordinantur, primus & ultimus non possunt constituere unum per se sine intermedio: sic quia inter vegetabile, & rationale, in homine mediat sensitivum, non possunt vegetabile, & rationale constituere unum per se absque gradu sensitivo intermedio: atqui essentia paternitas, & spiratio activa sunt tres gradus veluti subordinati, quatenus essentia præintelligitur paternitate, & hæc spiratione activa ergo ex essentia, & spiratione activa non potest constitui unum per se. Neque urget si dicas hanc subordinationem non dari à parte rei, nec unum gradum actuare alium. Respondetur, quòd licèt hæc subordinatio non detur à parte rei, adhuc tamen secundùm nostrum modum concipiendi ex essentia, & spiratione activa non posset constitui unum per se, quia secundùm nostrum modum concipiendi paternitas est prior spiratione activa, & in signo priori terminat essentiam divinam, cum qua constituit unum per se, seu primam personam Patris, cùm enim constitutum ex essentia & spiratione activa non posset cum personis nec cum essentia facere unum per se, sequeretur, quòd hoc constitutum ex essentia, & spiratione activa esset quid unum per accidens, quod in divinis non conceditur.

Hinc ad primum argumentum respondetur principium Spiritûs sancti, duo includere, seu ipsum principium formale *quo*, & est virtus activa spirandi, seu ipsa essentia non utcunque, sed ut est in aliquo supposito subsistente prius origine Spiritu sancto. Secundò involuere conditionem necessariò requisitam, & est utraque persona simul, quatenus Pater, & Filius se mutuò diligentes per modum vinculi affectivi spirant Spiritum sanctum, adeo ut principium Spiritus sancti, quatenus includit conditionem necessariò requisitam, dicat ipsum amorem mutuum, quo Pater, & Filius se amant, in quo sensu principium Spiritûs sancti est quid commune Patri, & Filio, & etiam quid notionale in Patre, & Filio simul relative ad Spiritum sanctum, qui est terminus hujus amoris mutui: hinc principium in præfata propositione supponit pro subsistente in virtute spirativa, non tamen ut hoc subsistens sit constitutum ex essentia, & spiratione activa, sed ut sit Pater, & Filius quatenus se vicissim amantes spirant Spiritum sanctum. Ad confirmationem, in qua dicebatur Patrem, & Filium non constitui in ratione principii Spiritûs sancti per paternitatem, & filiationem, respondetur cum distinctione, Pater, & Filius non constituuntur principium Spiritus sancti per paternitatem, & filiationem ut per principium formale *quo* conceditur: ut per conditionem necessario præsuppositam & sufficientem ad spirandum negatur: ratio est, quia paternitas, & filiatio ita constituunt Patrem, & Filium, ut utramque personam constituant sufficientem ad spirandum, quia personæ constitutæ per paternitatem, & filiationem se mutuò essentialiter amant, & ex amore hoc mutuò producitur Spiritus sanctus, qui est terminus talis amoris mutui. Ad secundum argumentum respondetur Spiritum sanctum habere quidem suum correlavum, non tamen quòd sit quartum constitutum ex essentia, & spiratione activa: siquidem correlativum Spiritûs sancti sunt Pater, & Filius non simpliciter, sed quatenus sunt unus spirator, quia cùm se mutuò ament, spirant Spiritum sanctum, adeo ut principium in præfata propositione supponat quidem pro uno spiratore, ita tamen ut hic spirator dicat Patrem, & Filium se mutuò amantes, ac subsistentes in eodem amore activo, seu in eodem numero virtute spirativa, quia ut explicuimus in præcedentibus, ad unitatem concreti substantivi sufficit unitas formæ. Ad primam confirmationem respondetur ex eo, quòd Spiritus sanctus constituatur ex essentia, & spiratione passiva, non sequi spiratorem debere esse quartum constitutum ex essentiæ, & spiratione activa, est enim discrimen, quia cùm spiratio passiva adveniat immediatè essentiæ, rectè potest constituere suppositum, seu Spiritum sanctum, secus spiratio activa, quia non advenit immediatè essentiæ, non potest constituere quartum suppositum: eatenus paternitas intelligitur immediatè quasi adhærere essentiæ, ac illam modificare, quia constituit personam: spiratio autem activa non constituit personam, sed illam jam constitutam prioritate originis refert ad aliam: hinc spiratio activa intelligitur immediatè existere in persona, & mediate, seu mediante persona, quasi adhærere essentiæ: ad secundam confirmationem patet solutio, quia Spiritus sanctus includit quidem essentiam, & spirationem passivam, sed immediatè, consequenter est verum suppositum constitutum ex essentia, & spiratione passiva, sed spirator non ita includit spirationem activam, sed tantùm mediante persona Patris, & filii.

Ad tertium argumentum respondetur spirationem activam includere quidem essentiam; non tamen eodem modo sicut paternitas, & filiatio, quia per relationes illam includunt immediatè, & spiratio activa nonnisi mediate, seu mediante Patre. & Filio, ex quo fit, quòd spiratio activa non possit con-

conſtituere cum eſſentia individuum, non ob defectum perfectionis, ſed quia prævenitur à paternitate, & filiatione. Ad primam confirmationem dicimus ſpiratorem ſupponere pro concreto ſeu ſpiratione ſubſiſtente per paternitatem, & filiationem, adeo ut ſpirator ſint Pater, & Filius non ſimpliciter, ſed ut ſubſiſtentes in ſpiratione activa, adeo ut ſpirator ſit ipſa ſpiratio activa, non ut immediatè modificans eſſentiam, ſed ut ſubſiſtens in Patre, & Filio. Ad ſecundam reſpondetur ſpirationem activam non conſtituere principium niſi per modum conditionis neceſſario requiſitæ, quia tantùm refert principium, ſeu Patrem, & Filium ad Spiritum ſanctum, cujus principium ſunt Pater, & Filius conſtituti per paternitatem; & filiationem. Ad tertiam dicimus eſſe diſcrimen inter paternitatem, & ſpirationem activam, quia paternitas immediatè modificat eſſentiam & ſpiratio activa tantùm mediatè, ſeu mediante paternitate, & filiatione. Et hæc eſt ratio, cur ex eſſentia, & ſpiratione activa non conſtituatur perſona, ſicut ex eſſentia, & paternitate: neque inde ſequitur principium Spiritûs ſancti eſſe tale per accidens, ſiquidem Pater, & Filius non conſtituuntur in ratione principii per ſpirationem activam, tanquam per rationem formalem.

Quamobrem putarim dicendum in hac propoſitione *Pater, & Filius ſunt principium Spiritûs ſancti*, illud prædicatum *principium* ſupponere pro ipſa virtute ſpirandi, non tamen in abſtracto, ſed in concreto, ſeu pro ſubſiſtente principio in virtute ſpirativa, & hoc principium ſubſiſtens eſſe Patrem, & Filium ſimul, ac indiſtinctè, adeo ut cùm dicitur principium Spiritûs ſancti, ille terminus *principium* dicat Patrem, & Filium non ſimpliciter, ſed ut ſubſiſtentes in virtute ſpirativa, ſeu dicere ipſam virtutem ſpirativam non ut conſtituentem cum eſſentia, quantum ſubſiſtens, ſed ut ſubſiſtentem in Patre, & Filio. Ratio eſt, quia ſicut in hac propoſitione *Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt unus Deus*, ille terminus *Deus* ſupponit pro individuo Deitatis, quod individuum eſt hic Deus communis tribus perſonis: ita cùm dicitur *Pater, & Filius ſunt unum principium Spiritûs ſancti*, illud prædicatum *principium* debet ſupponere pro uno individuo ſpirante communi Patri, & Filio, & hoc individuum dicimus eſſe ipſam virtutem ſpirandi non ſimpliciter, & in abſtracto, ſed in concreto, ſeu Patrem, & Filium ſimul, & per modum quaſi unius ſubſiſtentis in ipſa virtute ſpirativa, adeo ut principium ſpirativum formaliter dicat ipſam virtutem ſpirandi, & materialiter perſonas Patris, & Filii: quia cùm unum in ratione principii dicat unitatem, debet importare formaliter aliquam rationem, quæ ſit una, quæ ratio eſt ſpiratio activa, quæ eſt una, ac eadem in Patre, & Filio, & quia Spiritus ſanctus procedit ut nexus affectivus, debet principium ſpirativum ita eſſe unum, ut connotet plures perſonas ſe mutuò diligentes: ex quo liquet principium ſpirativum non poſſe importare aliquod quartum conſtitutum ſubſiſtens, quia eo ipſo, quòd Spiritus ſanctus ex intrinſeca ſua ratione ſit mutuus nexus amoris duorum ſe viciſſim amantium, non poteſt procedere ab uno tantum conſtituto, quia ex vi ſuæ proceſſionis debet affectivè nectere perſonas, à quibus procedit, ut in ſequenti capite fuſiùs donabimus explicatu.

CAPUT XIX.

An Spiritus ſanctus ratione ſuæ proprietatis perſonalis exigat per ſe pluralitatem ſuppoſitorum in principio ſpirante?

PLerique aſſerunt principium Spiritus ſancti non exigere per ſe, & neceſſario pluralitatem ſuppoſitorum, adeo ut licèt vis ſpirativa per ſe entitativè exigat filiationem, & paternitatem, volunt tamen eas non exigere in ratione principii *quo*, neo *quod* Spiritus ſancti, ſed illas tantùm per accidens comparari ad principium Spiritûs ſancti, quemadmodum licèt Trinitas perſonarum comparetur per ſe cum Deo ut uno, non tamen comparatur cum Deo, ut eſt principium creaturarum, quia creaturæ cùm producantur ad extra, non exigunt Deum ut trinum, ſed tantum ut unum, & creatorem, ita docent Scotus *in* 1. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. Durandus *diſt.* 11. *quæſt.* 3. *&* *diſt.* 12 *quæſt.* 1. Ockamus *quæſt.* 1. *&* 2. Aureolus *art.* 1. *&* 3. & communiter Scotiſtæ. Sed alii cum D. Thoma 1. *part. quæſt.* 36. *art.* 4. *ad* 1. docent Spiritum ſanctum, ut de facto procedit, exigere eſſe à duobus ſuppoſitis, poſſe tamen cum alia conditione perſonali procedere tantùm ab uno ſuppoſito, ita docent Suarez *lib.* 10. *de Trinit. cap.* 6. Vaſquez. 1. *part. diſput.* 150. *cap.* 1. Molina 1. *part. q.* 36. *art.* 4. *diſput.* 5. Granadus *Tract.* 10. *diſp.* 3.

Dicendum eſt Spiritum ſanctum, prout de facto eſt ex vi ſui eſſe nocionalis, exigere per ſe procedere à duobus ſuppoſitis. Ratio eſt, quia Spiritus ſanctus ex vi ſui eſſe nocionalis exigit procedere ut nexus, ſeu ut unio affectiva, qua Pater per amorem unitur Filio, & viciſſim Filius Patri, ut docet D. Auguſtinus *lib.* 6. *de Trinit. cap.* 5. & *lib* 7. *cap.* 9. ſed procedere ut nexum, & unionem affectivam eſt procedere à duobus, qui per mutuum amorem conjunguntur, ergo Spiritus ſanctus exigit eſſe à duobus ſuppoſitis, quia non poteſt eſſe vinculum affectivum duorum, niſi ab utroque procedat: quoties enim unio affectiva complectitur duas perſonas, quæ per mutuum amorem conjungantur, tunc vinculum affectivum non poteſt non eſſe à duobus, quia unio affectiva conjungit cum amato, prout procedit ab amante, hinc in Concilio Toletano II. in confeſſione fidei habetur de Spiritu ſancto: *Simul proceſſiſſe ab utroque demonſtratur, quia charitas, ſeu ſanctitas amborum agnoſcitur*: ergo cùm Spiritus ſanctus procedat ut vinculum affectivum Patris, & Filii, conſtat ex intrinſeca ſua ratione exigere eſſe à duobus ſuppoſitis. Firmatur, quia eo ipſo, quòd Spiritus ſanctus procedat ut vinculum affectivum, exigit ex vi ſuæ proprietatis perſonalis per ſe procedere ut terminus mutui, & reciproci amoris, quo Pater, & Filius ſe diligunt, ſiquidem unio affectiva importat hunc reciprocum amorem, quo Pater, & Filius ſimul affectivè vinciuntur, atqui mutuus ac reciprocus amor amicabilis non eſt poſſibilis ſine pluralitate perſonarum, quæ ſe ab inviciſſim amicabiliter, ac reciprocè diligunt: ergo Spiritus ſanctus ex vi ſuæ proprietatis perſonalis exigit per ſe procedere à duobus ſuppoſitis, & exigit duas perſonas in principio ſpirantes. Major docetur communiter à

sanctis Patribus asserentibus Spiritum sanctum esse nexum, & vinculum amoris Patris, & Filii, ait enim Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 5. *Spiritus ergo sanctus commune aliquid est Patris & Filii, quam quidquid dico charitatem*: & serm. 38. de tempore vocat Spiritum sanctum *communionem Patris, & Filii.* D. Bernardus serm. 8. in Cant. ait: *Spiritus sanctus Patris, & Filii est imperturbabilis pax, gluten firmum individuus amor, indivisibilis unitas*: unde constat Spiritum sanctum procedere ut vinculum mutui amoris, quo Pater, & Filius simul affectivè vinciuntur, & exigere ex vi suæ proprietatis personalis per se procedere ut terminum mutui amoris reciproci, & amicabilis, proinde petere in principio spirante duo supposita, quæ simul se ament. Minor principalis argumenti ex eo liquet, quia amor amicabilis, & mutuus non potest haberi nisi inter duas personas, quæ vicissim se amant, quia amicitia non stat in una sola persona, sed exigit necessariò pluralitatem personarum, adeout amor amicitiæ supponat saltem duas personas, quæ se amicabiliter amant; ergo ex eo, quòd Spiritus sanctus ex vi sui esse nocionalis procedat ut nexus, & unio affectiva, qua Pater per amorem conjungitur Filio, & Filius Patri, sequitur, quòd ex vi suæ proprietatis personalis exigat per se pluralitem suppositorum in principio spirante.

Secundò probari ex eo etiam potest, quia cùm Spiritus sanctus procedat ex vi suæ proprietatis personalis à voluntate, exigit ex vi suæ proprietatis per se procedere ex perfectissimo, & jucundissimo amore: quia cùm Spiritus sanctus sit perfectissimus terminus voluntatis, petit essentialiter produci per perfectissimam productionem voluotatis, seu amorem, qui est perfectior voluntatis actus: sed amor perfectissimus est amor amicitiæ, seu amor mutuus, ac reciprocus, quo duæ personæ vicissim se amant, simulque affectivè vinciuntur: ergo Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis exigit per se pluralitatem suppositorum in principio spirante.

Si dicas, suppositum perfectissimum, in quo est perfectissima, & adæquata vis agendi, se solo absque consortio alterius esse sufficiens ad producendum terminum perfectissimum suæ virtutis activæ: & in divinis Patrem esse suppositum perfectissimum, ac illi inesse perfectissimam, & adæquatam vim producendi amorem perfectissimum; consequenter Patrem se solo esse sufficientissimum ad producendum perfectissimum impulsum amoris; consequenter Spiritum sanctum non exigere per se ex vi suæ proprietatis personalis procedere à Filio, ut distincto à Patre. Contra est, distinguitur minor. Pater est suppositum perfectissimum; & illi inest vis adæquata producendi perfectissimum impulsum amoris, adeout se solo sit sufficiens ad ponendum talem impulsum, se solo per exclusionem dependentiæ ab alio supposito diversæ naturæ, ac virtutis, concedo: per exclusionem alterius suppositi ejusdem naturæ, & virtutis, & à quo Pater non dependeat, negatur minor & consequentia. Deinde quamvis in illo supposito sit adæquata virtus, potest adhuc illi non inesse omnis conditio requisita ad productionem termini; adeout cum adæquata virtute adhuc exigat ratione conditionis consortium alterius. Quamvis igitur in Patre sit adæquata virtus spirativa; quia tamen non est in solo patre omnis conditio, quam exigit processio Spiritus sancti: inde fit, quòd Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis exigat procedere à Patre, & Filio: quia cùm Spiritus sanctus exigat procedere ut unio, ac vinculum amoris; & hæc unio affectiva non possit stare sine duobus suppositis, quæ simul uniantur amore, sequitur manifestè, Spiritum sanctum exigere, ut conditionem, sine qua non procederet, pluralitatem suppositorum. Præterea quamvis tota vis perfectissima producendi perfectissimum impulsum amoris sit in patre, quia tamen hæc eadem perfectissima vis spirandi Spiritum sanctum etiam in filio, & Spiritus sanctus procedit ut vinculum amoris, ac ut terminus mutui amoris amicabilis, sequitur, quòd etiam exigat per se procedere à pluralitate soppositorum. Hinc patet discrimen inter vim agendi in divinis, & in creatis, quia in creatis eadem numerò virtus non potest reperiri in duobus suppositis, ideo terminus talis virtutis activæ exigit pro suo principio solam virtutem activam, quæ est in tali supposito: in divinis verò quia eadem virtus agendi est in pluribus suppositis, & terminus talis virtutis ex vi suæ proprietatis personalis per se procedit ut nexus, & unio affectiva, quæ non potest exerceri nisi inter duo supposita; sequitur, Spiritum sanctum ratione suæ proprietatis personalis exigere per se pluralitatem suppositorum in principio spirante.

Dices pluralitatem suppositorum non concurrere per se ad productionem creaturarum, eò quia vis productiva creaturarum ratione Deitatis sit comcommunis tribus personis, ergo ex eo quòd perfectissima vis spirativa sit in Patre, & Filio, adeout sit tota, & adæquata in Patre & tota, & adæquata in Filio, tantùm abest, quòd Spiritus sanctus ex hac ratione exigat procedere ab utroque, ut potiùs sequatur oppositum, quia licèt eadem vis creativa sit in tribus personis, adhuc creaturæ ad sui productionem non exigunt per se tres personas divinas, sed tantùm exigunt à Deo ut uno, & Creatore: ergò à pari, quamvis eadem numero vis perfectissimè spirandi sit in Patre, & Filio, sequitur quòd Spiritus sanctus solùm exigat per se procedere ex vi sui esse nocionalis ab una persona, non autem ab utraque. Sed contra, quia licet vis spirativa sit tota, & adæquata in Patre, non tamen est in Patre omnis conditio requisita à Spiritu sancto, ut spiretur: ratio est, quia cum Spiritus sanctus ex vi sui esse nocionalis procedat ut nexus, & unio affectiva, exigit saltem ut conditionem sine qua non procedere à duabus personis, quæ vicissim amore amicabili se complectantur: sublata enim hac conditione Spiritus sanctus non procederet ut nexus, nec ut unio affectiva. Præterea quia Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis distinguitur realiter à Patre, & Filio prout sunt plures personæ constitutæ per paternitatem, & filiationem, & non posset Spiritus sanctus ab illis realiter distingui, nisi ab iisdem realiter procederet: quia in divinis omnis distinctio realis non potest aliunde oriri quàm ab oppositione relativa ratione producentis, & producti, proinde Spiritus sanctus exigit ex vi suæ proprietatis personalis procedere à pluralitate suppositorum in ipso principio spirante. Hinc Spiritus sanctus ratione sui esse nocionalis refertur per se ad Patrem, & Filium, quatenus plures sunt, quia Spiritus sanctus refertur ad Filium ut genitum à Patre, & non potest ad ipsum referri, ut genitum, quin referatur ad ipsum ut distinctum à Patre, proinde Spiritus sanctus ex vi sui esse nocionalis exigit per se pluralitatem suppositorum in principio spirante.

Sed dices, si Spiritus sanctus exigeret per se pluralitatem suppositorum in principio spirante, id maximè esset, quia tametsi in uno supposito sit tota,

&

& adæquata vis spirandi; non tamen est in ipso omnis conditio exacta à Spiritu sancto ex vi suæ processionis, atqui id non est verum, alioquin sequeretur Patrem non esse perfectum principium Spiritus sancti, quia illud non est perfectum principium termini, cui deest conditio aliqua requisita ad talem terminum producendum, & Patri tametsi inesset tota, ac perfectissima vis spirandi, adhuc illi deesset aliqua conditio requisita à Spiritu sancto ad sui processionem: proinde Pater non esset perfectissimum principium spirativum Spiritûs sancti. Sed contra negatur sequela quia perfectio principii non desumitur à conditione requisita, sed à principio *quo*, seu virtute, quæ inest principio *quod*: tametsi desit igni conditio approximationis ad combustibile, non tamen inde sequitur ignem non habere perfectam virtutem comburendi, quia cùm conditio sit quid extrinsecum, non minuit, neque auget virtutem principii: ita à pari quia Patri, & Filio nihil deest, quod pertineat ad principium *quo* spirandi Spiritum sanctum, quamvis desit aliqua conditio Patri, adhuc Pater habet perfectissimam vim spirandi, & est perfectissimum principium Spiritûs sancti. Quòd si dicas hanc conditionem, quæ dicitur deesse Patri, non conducere ad spirationem Spiritûs sancti consequenter Spiritum sanctum ex vi suæ proprietatis personalis non exigere per se hanc conditionem, neque consequenter pluralitatem suppositorum in principio spirante. Antecedeos est probatu facilè, quia si per impossibile Pater oon generaret Filium, adhuc posset spirare Spiritum sanctum, quia in hac hypothesi maneret per locum intriosecum memoria fœcuoda in Patre, qui propterea haberet omnia requisita ad spiraodum Spiritum sanctum: ex quo sequitur Spiritum sanctum per se non exigere pluralitatem suppositorum in principio spirante: quia illud prædicatum non exigitur per se à termino, sine quo potest talis terminus haberi: sed in data hypothesi si Pater Filium non generaret, adhuc Spiritus sanctus procederet à voluntate fœcunda Patris, consequenter Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis non exigit procedere à Filio, consequenter neque exigit io principio spirante pluralitatem suppositorum. Sed contra quia in data hypothesi si Pater Filium non generaret, Spiritus sanctus non procedeter à Patre secundùm totam illam adæquatam rationem, quam de facto habet: siquidem de facto Spiritus sanctus opponitur Patri, & Filio, & dicit relationem ad utrumque veluti ad unum spiratorem: in data autem hypothesi non includeret relationem ad Filium, nec illi opponeretur in ratione producti, consequenter non procederet secundùm adæquatam suam rationem, quam de facto habet, sed ad summum tantùm inadæquatè, si à solo Patre procederet: ergo cùm sit de ratione Spiritûs sancti secundùm suam rationem adæquatam exigere in principio spirante pluralitatem suppositorum, exigit necessariò procedere à Patre, & Filio. Præterea posset negari antecedens, quia quia si Pater non generaret Filium, Spiritus sanctus non procederet eo modo, quo de facto procedit, quia ut superiùs ostendimus, Spiritus sanctus ex vi sui esse nocionalis procedit ut nexus & unio affectiva, quo Pater per amorem conjungitur Filio, & Filius Patri, ut docet D. Augustinus *lib. 6. de Trinit. cap. 5.* ex quo claret Spiritum sanctum ex intrinseca sua ratione exigere procedere à duobus, quia non potest esse vinculum neque nexus affectivus utriusque, nisi ab utroque procedat: eatenus amor amantem conjungit cum amato, quatenus ab amante procedit: ergo in data hypothesi Spiritus sanctus non posset eodem modo procedere, ac de facto procedit, quia non procederet ut nexus affectivus. Sed reinstabis, eatenus in data hypothesi Spiritus sanctus non procederet eodem modo, ac de facto procedit, quia ex data responsione non procederet ex amore mutuo amicabili, atqui in data hypothesi adhuc Spiritus sanctua esset terminus amoris amicabilis, & mutui ergò adhuc procederet eodem modo, sicut de facto procedit, quia in data hypothesi adhuc Spiritus sanctus procederet ex amore, quo Pater, & Spiritus sanctus se mutuò diligarent, proinde adhuc ex vi sui esse nocionalis procederet ut nexus, seu unio affectiva, & ut terminus amoris mutui & amicabilis. Sed contra, quia tametsi in data hypothesi procederet ex amore Patris subjectivè, & Spiritûs sancti objectivè, non tamen procederetur ex amore qui simul esset Patris, & Spiritûs sancti principiativè, effectivè seu subjectivè, unde quamvis talis amor esset madæquatè amicabilia quatenus aliquo pacto esset mutuus, non tamen esset adæquatè amicabilis: amor propriè, & adæquatè amicabilis ita est amor mutuus, ut ab nna persona egrediatur, & ad aliam terminetur non præcisè ut objectum amatum, verum etiam ut persona redamans: & in data hypothesi quamvis amor procederet à Patre, & tenderet in Spiritum sanctum ut objectum, non tamen procederet à Spiritu sancto ut distiocta persona redamante, quia Spiritus sanctus in signo priori ad suam processionem non intelligitur amare, proinde talis amor non esset adæquatè mutuus, neque Spiritus sanctus procederet ut nexus amoris amicabilis.

Potest etiam alia ratio assignari, cur Spiritus sanctus vi suæ processionis, ac proprietatis personalis exigat per se pluralitatem suppositorum in principio spirante, quia de ratione Spiritûs sancti est, ut sit persona realiter distincta à Patre, & Filio quia Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis per se refertur ad Patrem, & Filium, quatenus plures sunt: siquidem spiratio passiva æquè repugnat Patri, ac Filio, consequenter petit per se ab illis procedere, quia in divinis oppositio relativa supponit necessariò originem ab alio & tota distinctio habetur ratinne producentis, & producti. Quòd si dicas Spiritum sanctum referri, ac relativè opponi Patri, & Filio, non quatenus sunt plures personæ, sed ut sunt unus spirator ratione vis spirativæ, quæ est una ac eadem numero in utraque persona, proinde non opponi relativè Patri, & Filio, prout per paternitatm, & filiationem constituuntur duæ personæ distinctæ, sed ut sunt unus spirator. Contra est, negatur antecedens, quia tametsi Spiritus sanctus opponatur relativè spirationi activæ, non tamen opponitur utcunque, sed ut vis spirativa est in duobus suppositis realiter distinctis: ratio est, quia cum Spiritus sanctus ex vi sui esse nocionalis procedat per se ut vinculum amoris, & ut unio affectiva, ut docent sancti Patres: & per hanc unionem affectivam Pater conjungatur Filio, & vicissim Filius Patri, sequitur, quòd ex vi sui esse nocionalis exigat procedere à Patre & Filio, ut sunt duæ personæ distinctæ, quia nexus affectivus non potest concipi nisi inter duas personas, quæ amicabiliter uniuntur; & Spiritus sanctus non potest procedere ut vinculum affectivum utriusque, quin procedat ab utroque siquidem eatenus amor conjungit cum amato ipsum amantem, quatenus procedit ab amante: ergo Spiritus sanctus opponitur relativè spirationi activæ, quatenus hæc reperitur in duabus personis realiter stinctis, ex quo sequitur, quòd Spiritus sanctus ex

vi

vi sui esse nocionalis exigat procedere per se ex pluralitate suppositorum in principio spirante; si dicas spirationem passivam tantùm opponi illi prædicato, ad quod relativè terminatur, & hoc prædicatum esse solam spirationem activam, prout est una numero tantùm, consequenter non opponi Patri & Filio ut sunt duæ personæ distinctæ, sed quatenus sunt unus spirator. Contra est, quia tametsi Pater & Filius terminent processionem ratione spirationis activæ in ratione formali terminandi; requiruntur tamen Pater, & Filius ut personæ realiter distinctæ tanquam duo supposita terminantia ut *quod*, quia cùm Pater, & Filius ut duæ distinctæ personæ sint principium *quod* Spiritûs sancti, ita exigunt ut personæ distinctæ terminare ut *quod* spirationem passivam; præterea quia relatio spiratoris ut referens per se, & ab intrinseco exigit duo supposita relativa ut quod ob rationes præexpensas, quia Spiritus sanctus exigit procedere, ut nexus amoris mutui, qui nexus non potest haberi nisi per duas personas se invicem amantes: ergo etiam ut terminat per se & ab intrinseco, exigit duo supposita terminantia ut *quod*, quia relatio spiratoris eodem modo terminat spirationem passivam, quo refert ad illam: siquidem terminat per illud idem esse, quo refert, consequenter si ut referens exigit duo supposite terminantia ut *quod*, sequitur etiam quòd ut terminans exigat duo supposita terminantia ut *quod*, unde semper verum est spirationem passivam exigere pluralitatem suppositorum in principio spirante ex vi proprii esse nocionalis.

Dicendum secundò ex suppositione, quòd detur Verbum divinum, quòd sit secunda persona Trinitatis, necessariò sequi Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio, adeout oppositum sit impossibile, ratio ex eo petitur, quia quoties in aliquo supposito reperiuntur duo principia activa habentia inter se ordinem in agendo, tunc tale suppositum non potest esse in actu proximo ad agendum per secundùm principium, donec præintelligatur agere per primum; quia agere per primum est veluti dispositio, vel conditio ad agendum per secundum: idque constat evidenter in animali, quod nondum est constitutum in actu proximo ad agendum per sensus internos donec per externos apprehendat objectum, liquet etiam in homine, qui non potest elicere actum dilectionis, quin priùs produxerit Verbum per intellectum, quod repræsentet objectum amandum. Atqui Pater in divinis habet duo principia fœcunda ad intra, intellectum scilicet, & voluntatem, quæ habent naturalem ordinem in agendo, adeout Pater priùs origine agat per intellectum contra voluntatem, & priùs exigat Verbum producere, seu Filium generare, quàm spirare Spiritum sanctum, ex quo fit, quod voluntas in Patre non sit in potentia proxima spirandi nisi intellectus fœcundus priùs sit in actu generandi, & exercitè generat Verbum: quia sicut voluntas præsupponit intellectum, ita productio per voluntatem præsupponit productionem per intellectum, sed Pater generando Verbum illi communicat omnia prædicata, quæ sunt in Patre præter esse Petris, adeout communicet Filio eandem prorsus numero vim spirativam, quæ propterea est in Patre, ergo hæc virtus spirandi, seu vis spirativa non potest, ut est in Patre, exire in actum, quin etiam exeat in actum, prout est in Filio, alioquin non esset in utraque persona eadem virtus spirandi: unde supposito Verbo divino, ut secunda persona Trinitatis impossibile est Spiritum sanctum non procedere à Patre & Filio. Ex eo itidem firmatur, quia Verbum quod origine est prius Spiritu sancto, est vera persona fœcunda per voluntatem; imò in illo priori originis habet eandem numero fœcunditatem, quæ est in Patre in ordine ad spirandum Spiritum sanctum, & in Verbo hæc fœcunditas habet omnia requisita sicut in Patre, ut exeat in actum secundum, atqui repugnat eandem prorsus numero virtutem cum iisdem requisitis exire, & non exire in actum, ergo supposito Verbo divino tanquam secunda persona Trinitatis repugnat Spiritum sanctum procedere à Patre, & non à Filio.

Si dicas Patrem habere virtutem spirativam perfectissimam, & infinitam in ratione virtutis spirativæ, consequenter, quamvis Filius non concurreret ad spirationem Spiritûs sancti, adhuc Pater se solo posset Spiritum sanctum producere, idque firmari potest à pari, quià Pater ex eo, quòd habet virtutem generativam infinitam, se solo generet Verbum, ergo ex eo, quòd etiam habeat virtutem infinitam spirandi, poterit se solo spirare. Firmatur secundò quia si Pater se solo non posset spirare Spiritum sanctum sequeretur, quòd Pater in productione Spiritûs sancti adjuvaretur à Filio à quo intelligeretur accipere aliquam vim ad spirandum, hoc autem est absurdum, quia in Patre virtus spirandi non esset infinita: ergo Spiritus sanctus per se procedit à solo Patre, & tantùm concomitanter à Filio, & per accidens, ut docet Scotus *distinct.* 12. *quæst* 1. sequela ostenditur, quia eo ipso, quòd non potest se solo, & potest cum Filio, sequitur virtutem spirativam Patris accipere incrementum à Filio. Sed contra negatur consequentia, quia Spiritum sanctum non posse produci à solo Patre, non oritur ex defectu virtutis infinitæ in Patre, sed quia Spiritus sanctus exigit produci à principio spirante, in quo sit pluralitas suppositorum: siquidem eo ipso, quòd ex vi sui esse nocionalis procedit ut vinculum affectivum, ut superiùs ostendimus, exigit per se procedere à duabus personis, quia non potest esse vinculum affectivum nisi ab utraque procedat, unde quòd Spiritus sanctus non possit procedere à solo Patre, non provenit ex eo, quòd in Patre non sit virtus infinita spirandi: plura siquidem assignantur, quæ non possunt fieri à Deo non ex defectu virtutis in Deo, sed quia repugnat ex parte facti: chimera enim non potest fieri à Deo, non quia desit Deo aliqua virtus, sed quia repugnat ex parte chimeræ: perinde quia Spiritus sanctus exigit ex vi suæ proprietatis nocionalis procedere à principio spirante, in quo sit pluralitas suppositorum, sequitur non posse procedere à solo Patre non ex defectu alicujus virtutis in Patre, sed quia Spiritus sanctus cùm procedat ut nexus amoris, exigit essentialiter procedere à duobus suppositis, quæ simul per amorem copulentur, ac uniantur: tum quia eadem virtus spirativa, quæ est in Patre, est etiam eadem numero cùm omnibus suis conditionibus, & requisitis in Filio in ordine ad spirandum Spiritum sanctum, & si hæc virtus in solo Patre reduceretur ad actum, & non in Filio, eadem prorsus virtus exiret, & non exiret in actum, quod est implicatorium, unde supposito Verbo divino ut secunda persona Trinitatis, sequitur necessario Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio, adeout oppositum sit impossibile: hinc ad primam confirmationem respondetur, esse discrimen inter terminum generationis, & spirationis activæ, quia terminus generationis per intellectum non se habet ut vinculum, neque exigit procedere, ut nexus affectivus, proinde non petit produci à duobus, sed tantùm ab ha-

bente sufficientem virtutem: secus Spiritus sanctus, quia ex vi sui esse nocionalis procedit ut nexus affectivus, petit essentialiter in principio spirante pluralitatem suppositorum. Ad secundam confirmationem negatur sequela, quia neutra persona juvatur ab alia, siquidem in utraque est per se integra eadem virtus infinita: sed tantum sequitur, quod ponatur conditio necessario, licèt tota vis spirativa sit in Patre, non tamen cùm omnibus requisitis in statu proximo, ut exeat in actum, quia ut Pater spiret, requiritur esse nocionale Verbi, unde Pater non indiget Filio ut auxiliante, quasi ipse ex se non habeat virtutem infinitam spirandi: sed ideo Pater ut spiret, exigit esse nocionale Filii, quia vis spirativa exigit terminari à duobus suppositis ut sit in statu proximo, alioquin Spiritus sanctus non procederet ut vinculum affectivum.

Si instes quia voluntas est principium Spiritûs sancti, non quatenus est communicabilis Filio, sed quatenus est fœcunda ad intra, proinde quod voluntas communicetur Filio, & quòd Filius concurrat ad productionem Spiritus sancti, id se habet omnino concomitanter, & per accidens ut docet Scotus; & non ex eo, quòd Spiritus sanctus per se exigat produci à Filio. Sed contra, quia hoc fundamentum, cui innituntur Scotistæ, non videtur plenè satisfacere, quia voluntas est principium Spiritûs sancti, non quatenus est præcisè voluntas fœcunda; sed quatenus est terminata nocionaliter in Patre, & Filio, & quamvis sit principium Spiritus sancti ratione fœcunditatis, non tamen est proximè fœcunda nisi ratione utriusque terminationis Patris, & Filii, alioquin Spiritus sanctus non procederet ut nexus affectivus contra sanctos Patres docentes Spiritum sanctum esse nexum Patris, & Filii, amorem mutuum, unionem, & charitatem amborum, & de ratione unionis nexûs, & charitatis est exigere per se pluralitatem suppositorum: hinc Apostolus 2. ad Corint. 10. vocat Spiritum sanctum communicationem Patris, & Filii inquiens: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei & communicatio Spiritus sancti*: atqui communicatio exigit pluralitatem suppositorum, siquidem communicatio non exercetur nisi inter plura, ergo voluntas divina non est proximè fœcunda in ordine ad productionem Spiritûs sancti nisi ratione utriusque terminationis Patris, & Filii, consequenter Spiritus sanctus exigit per se in principio spirante pluralitatem suppositorum, adeout absolutè non possit procedere ab uno tantùm supposito. Idque firmari etiam potest ex eo quia de ratione voluntatis est tendere in objectum inclinativo modo ex allicientia ejusdem objecti: quia sicut intellectus trahit ad se objectum illud in se producendo intentionaliter Verbum, ita voluntas è converso trahitur ab objecto, quatenus allicitur ab ejus bonitate, ex quo fit esse de ratione voluntatis tendere in objectum inclinativo modo ex ejusdem allicientia: hinc patet esse de ratione amoris spirati procedere à verbo allicientе, mediante repræsentatione objecti & voluntate.

Dicendum ulterius hanc pluralitatem suppositorum non requiri in principio *quo* spirante ut rationem formalem agendi, seu spirandi; sed solùm ut conditionem simpliciter necessariam ex parte principii *quod*, & sine qua non produceretur Spiritus sanctus. Ratio est, quia principium *quo* spirativum est commune Patri, & Filio, adeout utraque persona per se sumpta sit verum ac perfectum principium Spiritûs sancti, habeatque totam, & adæquatam virtutem spirandi quoad esse formale ejusdem virtutis, siquidem utraque persona habet eandem numero Deitatem perfectissimam quod esset falsum, si pluralitas suppositorum esset de ratione formali principii *quo* spirandi; quia paternitas ita convenit soli Patri, ut repugnet Filio, & similiter filiatio Patri. Sin autem paternitas, & filiatio, ut constituunt distincta supposita, essent de ratione formali principii *quo* spirandi, neutra persona haberet perfectam, & adæquatam virtutem spirandi quoad ejus rationem formalem, & adæquata formalis ratio spirandi posset negari de unaquaque persona seorsim sumpta ab alia, quia ad negationem adæquatæ rationis formalis sufficit negatio rationis inadæquatæ formalis, sicut sublata parte à toto necesse est tollatur ipsum totum; proinde si principium formale *quo* spirandi convenit adæquatè Patri etiam seorsim considerato à Filio, & etiam Filio per se sumpto, sequitur non posse principium *quo* spirandi de suo formali importare pluralitatem suppositorum. Et ex eo firmari potest, quia principium formale *quo* spirandi secundùm suum esse adæquatum formale est prædicatum commune Patri, & Filio, sed paternitas, & filiatio, ut constituunt distincta supposita, non sunt prædicata communia utrique personæ, alioquin non distinguerent unam personam ab alia: ergo pluralitas suppositorum non ingreditur rationem formalem principii *quo* Spiritûs sancti, alioquin principium spirativum non esset unum ac idem numero in Patre, & Filio.

Probatur secundò quia illud est de ratione formali principii *quo* productivi, quo mediante principium *quod* respicit immediatè, & per se terminum productum, quia cùm principium non stet absque ordine ad suum terminum, debet necessariò includere rationem aliquam formalem, quia respiciat terminum, atqui Pater, & Filius non respiciunt Spiritum sanctum per paternitatem, & filiationem, quia paternitas adæquatè ex vi proprii conceptus formalis terminatur ad Filium, & filiatio ad Patrem: unde Pater, & Filius respiciunt Spiritum sanctum sub ratione communi spirationis activæ, quæ propterea est sola formale, & adæquatum principium *quo* Spiritûs sancti. Quòd si dicas principium relativè sumptum non posse quidem intelligi sine ordine ad terminum, bene tamen principium consideratum originativè posse concipi sine tali ordine proinde quamvis paternitas & filiatio non dicant ordinem ad Spiritum sanctum secundùm principium relativè sumptum, bene tamen ut pertinent ad originem ejusdem, quia licèt per paternitatem Pater respiciat Filium, & hic per filiationem Patrem ut proprium correlativum, adhuc Pater, & Filius respiciunt Spiritum sanctum ut terminum productum, quamvis non ut correllativum, proinde Pater & Filius possunt esse de ratione formali principii quo Spiritûs sancti. Sed contra quia tametsi principium consideratum originative non respiciat terminum explicitè ut correllativum, debet tamen necessariò illum respicere sub ratione producti, vel producibilis, siquidem principium sumptum originativè constituitur in ratione talis principii per ordinem ad terminum vel productum, vel producibilem, & sicut repugnat concipi constitutum sine constitutivo, perinde implicat concipi principium formale Spiritûs sancti sumptum originative, quia concipiatur cum ordine ad ipsum: atqui paternitas, & filiatio non respiciunt Spiritum sanctum ut terminum productum.

ductum, quia Pater per paternitatem respicit solum Filium ut genitum, & Filius per filiationem respicit Patrem ut generantem: proinde Pater, & Filius ut sunt distincta supposita, non sunt de ratione formali principii *quo* Spiritûs sancti. Hinc ad confirmationem negatur assumptum, quia paternitas respicit tantùm Filium non solum ut terminum correlativum, sed etiam ut productum, & Filiatio respicit solùm Patrem ut principium correlativum ac generans: unde eo ipso, quòd paternitas tantùm respiciat Filium ut correlativum, & ut productum, non respicit Spiritum sanctum ut terminum productum, quia Filius in ratione termini producti adæquat ordinem paternitatis ad suum terminum productum, unde cùm Pater, & Filius per paternitatem, & Filiationem non respiciant Spiritum sanctum ut terminum correlativum, neque ut terminum productum, non potest pluralitas suppositorum esse de ratione formali principii *quo*.

Potest tamen in contrarium objici, quia si pluralitas suppositorum non requireretur in principio *quo* spirante ut ratio formalis agendi, seu spirandi, sed tantùm ut mera conditio simpliciter necessaria, sequeretur, quòd Pater non haberet virtutem spirandi Spiritum sanctum, quia illi deesset conditio necessariò requisita ad spirandum Spiritum sanctum: hoc autem est absurdum, ergo pluralitas suppositorum est de ratione formali principii quo Spiritus sancti, minor, & consequentia tenent, sequela majoris ostenditur, quia eatenus in Filio & Spiritu sancto non est potentia generandi, quia deest illis conditio necessariò requisita, tametsi sit in ipsis vis intellectiva, quæ in divinis est virtus generandi, ergo à pari in Patre non esset potentia spirativa, quamvis illi insit voluntas, quæ est potentia spirativa, quia deest illi conditio necessario requisita, scilicet pluralitas suppositorum, ergò cùm necessariò concedenda sit Patri perfecta virtus spirativa, non potest pluralitas suppositorum esse conditio sine quo non produceretur Spiritus sanctus. Sed contra negatur sequela majoris, quia conditio duplex est, una requisita tantùm ad exercitium operationis, cujusmodi est approximatio ignis ad combustibile ut exercitè comburat: alia est conditio requisita necessariò ad virtutem intrinsecam potentiæ: ut, quòd calor sit in certo, ac determinato supposito competenti, cui tantùm desit prima conditio, scilicet approximatio, optimè dici potest, quòd habeat principium simpliciter ad calefaciendum: secus si principio desit secunda conditio se tenens ex intrinseco ipsius principii, nequit subjectum dici habere tale principium. Perinde in Filio & Spiritu sancto non est potentia generativa absolutè, quia deest ipsis secunda conditio se tenens ex intrinseco ipsius principii: secus in Patre seorsim à Filio habetur potentia spirativa ut etiam in Filio, quia neutri deest secunda conditio, sed tantùm prima, si concipiantur non uniri per modum unius nexus amoris, debent enim Pater, & Filius uniri per modum unius, non ut possint spirare, sed ut exerceant actu ipsam spirationem activam. Quamobrem quia Filio & Spiritui sancto in ordine ad generandum deest conditio ex parte potentiæ, rectè dicuntur simpliciter carere potentiâ generandi quoad exercitium generationis: secus pluralitas suppositorum cùm non conditio necessaria ad potentiam spirativam, sed ad exercitium ejusdem, non tollit, quò minùs Pater, & Filius dicantur simpliciter habere potentiam spirandi. Tum quia eatenus Filius, & Spiritus sanctus non generant, quia supponunt terminum adæquatum generationis divinæ jam productum.

Si dicas ex data solutione sequi Patrem non spirare in actu exercito, quia illud principium non producit in actu exercito, cui deest conditio necessariò requisita ad exeundum in actum, sed Patri deesset conditio necessariò requisita ad exercitium spirandi, quia in Patre non est pluralitas suppositorum, quæ dicitur conditio necessariò requisita ad exercitium spirandi, proinde Pater non spiraret in actu exercito. Sed contra negatur sequela majoris, quia tametsi Pater sine Filio non possit spirare in actu exercito, Pater tamen simul cum Filio spirat, ex quo deprehenditur falsum, quod asseritur inde sequi Patrem non spirare in actu exercito: quando enim dicimus pluralitatem suppositorum esse conditionem necessariò requisitam ad spirandum in actu exercito, sensus non est, quòd unaquæque persona spirans in actu exercito debeat includere pluralitatem suppositorum, sed aut quòd sint simul, aut unum conjunctum alteri: & quia Pater est intimè conjunctus Filio, bene stat, quod simul cum filio spiret in actu exercito Spiritum sanctum.

Potest tamen adhuc in oppositum objici, quia voluntas divina, quæ est principium quo spirandi, non nectitur immediatè cum relatione spiratoris, sed tantum mediante paternitate, & filiatione, adeout voluntas divina prius priori originis intelligatur priùs unita cùm paternitate, & filiatione, quàm cùm relatione spiratoris, atqui in signo illo priori ad unionem cum relatione spiratoris intelligitur voluntas divina sufficienter fœcunda in ordine ad producendum Spiritum sanctum, consequenter relatio spiratoris præsupponit in Patre, & Filio principium formale *quo* Spiritûs sancti: sed in illo priori jam intelliguntur paternitas, & filiatio ut modificantes voluntatem divinam & ut constituentes distincta supposita, ergo pluralitas suppositorum est de ratione formali principii *quo* Spiritûs sancti. Quod ex eo firmari potest, quia non minus voluntas divina dicit immediatum ordinem & impulsum, quam intellectus ad Verbum. Atqui intellectus divinus in illo signo, quo intelligitur subsistens, est fœcundus in ordine ad productionem Verbi: ergo etiam voluntas divina in illo priori, quo intelligitur subsistens, est fœcunda: sed voluntas divina in illo signo priori ad relationem spiratoris intelligitur subsistens in duplici supposito per paternitatem, & filiationem, consequenter in illo priori habetur principium formale *quo* Spiritûs sancti: ex quo sequitur pluralitatem suppositorum non esse solam conditionem necessariò requisitam, sed esse veram & propriam rationem formalem principii *quo* Spiritûs sancti. Sed contra distinguitur major, unitur in signo priori cum paternitate, & filiatione in ordine ad constituenda diversa supposita, concedo majorem: in ordine ad constituendum unum principium spirandi, nego majorem ratio est, quia principium spirandi dicit essentialiter ordinem ad terminum spiratum per modum vinculi affectivi supponentis duas personas jam constitutas, ac mutuò se diligentes: quapropter supponit voluntatem in utraque persona, & duas personas constitutas per paternitatem, & filiationem quibus in signo posteriori originis adveniat virtus spirandi, seu relatio spiratoris, quæ sola respicit Spiritum sanctum ut terminum correlativum, & productum: unde ex eo, quòd voluntas intelligatur priùs uniri cùm paternitate, & filiatione, non sequitur pluralitatem suppositorum ingredi formale principium quo Spiritus sancti, quia hoc principium est tantùm unum, ac prorsus idem in Patre, & Filio, paternitas autem non est communis Filio, ut nec filiatio Patri, consequenter paternitas, & filiatio, ut constituunt distincta supposita, non ingrediuntur

tur principium formale *quo* Spiritûs sancti, quia hoc principium intelligitur advenire Patri, & Filio jam constitutis per paternitatem, & filiationem. Ad minorem respondetur voluntatem divinam in illo priori ad spirationem activam, seu ad principium *quo* Spiritûs sancti esse tantùm fœcundam radicaliter, non formaliter, & proximè, unde negatur consequentia. Ad confirmationem patet solutio ob discrimen inter intellectum & voluntatem, quia id, per quod primò intellectus divinus fit subsistens, dicit ordinem ad verbum ut productum: non verò id, per quod primò intelligitur voluntas subsistens, quia eò ipso quod intelligimus voluntatem conjunctam paternitati intelligimus illam subsistentem, & tamen paternitas dicit tantùm ordinem ad filium: ergo eatenus intellectus divinus constituitur fœcundus per subsistentiam Patris, quia dicit ordinem ad verbum ut genitum: secus voluntas divina per subsistentiam Patris præcisè non dicit ordinem ad impulsum ex vi paternitatis; consequenter non est fœcunda formaliter, & proximè, sed tantùm radicaliter. Si instes inde secuturum, quòd virtus spirativa non esset priùs in Patre, nec priùs Patri conveniret, quàm Filio: hoc autem est falsum, quia cùm Filius habeat omnia à Patre, habet etiam vim spirandi à Patre, consequenter debet priùs convenire Patri, quàm Filio: sequela probatur, quia relatio spiratoris nequit convenire Patri pro priori originis ad Filium, quia relatio spiratoris est simul etiam cognitione cum Spiritu sancto, quia ut communiter docent, correlativa sunt simul natura, & ratione: sed Spiritus sanctus pro priori originis ad Filium non est: ergo neque pro illo priori potest intelligi relatio spiratoris: sed pro illo priori intelligitur Pater, ergo vis spirativa non priùs Patri convenire, quàm Filio. Contra est, negatur sequela, quia relatio spiratoris est simul cum termino spirato simultate *in quo*, non verò simultate *à quo* originis; quia eo ipso quod unum est principium productivum alterius, exigit essentialiter esse priùs origine illo, alioquin terminus suam à tali principio non traheret originem: ex eo autem, quòd relatio spiratoris est prior origine Spiritu sancto, potest etiam quoad esse formale, licèt non quoad conditionem necessariò requisitam ad exercitium spirandi esse prior origine in Patre, quàm in Filio, ex quo rectè intelligitur filium habere omnia à Patre etiam ipsam virtutem spirandi. Firmari etiam ex eo potest, quia paternitas non minus exigit simultatem cum Filio, quàm relatio spiratoris cum Spiritu sancto: sed paternitas est prior origine Filio, ergo etiam spiratio activa erit prior origine spiratione passiva.

CAPUT XX.

An si per impossibile Spiritus sanctus non procederet à Filio, distingueretur realiter ab illo.

FUit hæc controversia olim excitata à Patribus Latinis contra Græcos negantes processionem Spiritûs sancti à Filio. Ex Græcis plures id temporis fuerunt, qui tametsi cum Latinis concederent tres personas distinctas in divinis, negârunt tamen Spiritum sanctum procedere à Filio, sed tantùm à Patre, & animadvertentes Latini in divinis omnia esse unum, ubi non intervenit oppositio relativa penes producens, & productum ex eò quòd Spiritus sanctus in sententia Græcorum non procederet à Filio, inferebant Latini Filium in ratione personæ non distingui realiter à Spiritus sancto, & consequenter secuturum personas divinas nôn esse tres, sed duas tantùm contra sententiam Græcorum, & hoc argumento adeo acriter Patres Latini in Concilio præsertim Florentino urserunt contra Græcos, ut hi tandem adacti fuerint sententiæ Latinorum adhærere & fateri Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio. Quamvis non desint, qui præsentem quæstionem ut inutilem improbent, ut Gotfredus *Quodlib. 7. quæst. 4.* ubi asserit hypothesin hanc utpote impossibilem admittendam non esse, ac propterea inutiliter excitari hanc controversiam, & cum Gotfredo sentit etiam Granadus *Tract. 10. disput. 7.* ubi asserit ex data hypothesi impossibili sequi utramque partem contradictionis, nimirum Spiritum sanctum distingui, & non distingui à Filio, & probat primum membrum contradictionis argumentis desumptis à Scoto: alind contradictionis membrum evincit rationibus desumptis ex D. Thoma, & infert hanc controversiam nonnisi inutiliter disputari.

Verum si modus iste argumentandi per hypothesim impossibilem esset inutilis, ex eo maximè id esset, quia nonnisi nugatoriè concluderetur, vel probaretur idem simul esse, & non esse, atqui nugatoriè non concluditur, sed utiliter: siquidem ubi sunt distincti termini formales, posito unius non est negatio alterius, nec negatio unius est formaliter destructio alterius, ergo tametsi concludatur unus terminus formalis ex hypothesi quòd non sit alius, cum quo identificatur realiter, & sine quo non potest entitativè manere, adhuc formaliter rectè concluditur unus terminus formalis ab alio formaliter distinctus: etenim quamvis visibilitas sit realiter eadem entitas ac animal rationale, formaliter tamen per locum intrinsecum est terminus distinctus adeout facta hypothesi impossibili, si homo non esset visibilis, adhuc in sensu formali rectè concluditur esse animal rationale: quia per remotionem solius visibilitas formaliter sumptæ per locum intrinsecum non removetur formaliter homo, nec ejus constitutivum, quod est animal rationale: proinde non concluditur nugatoriè, nec idem simul esse, & non esse, ut censuit Granadus. Præterea ex modo argumentandi per hypothesin impossibilem nulli derogatur legi bonæ consequentiæ, quamvis enim ex impossibili non sequatur legitimè aliquid possibile, ut neque ex falso verum hoc intelligendum est in sensu objectivo, & reali, in quo non possunt duo necti inter se, quin simul nectantur cum tertio: secus in sensu formali ex falso posse deduci verum concedunt omnes. Præterea si modus argumentandi per hypothesim impossibilem non esset utilis, non posset ullus sylogismus reduci per impossibile contra omnes Philosophos, siquidem reductio impossibile fit quando ex contradictorio conclusionis negatæ concessis ambabus præmissis, ex altera præmissarum infertur contradictorium alterius præmissæ, quod est argumentari ex hypothesi impossibili.

Utilis est igitur modus argumentandi per hypothesim impossibilem primò ad distinguendam unam formalitatem ab alia, ut si existeret homo, & non existeret cognitio, an adhuc in homine existe-

te volitio: hypothesis hæc est impossibilis, quia in homine intellectus, & voluntas simul realiter identificantur, ac sunt una & eadem res, unde remoto intellectu removetur etiam voluntas, quia destruitur res illa, quæ simul est intellectus, & voluntas; quia vero in eadem re intellectus formaliter non est voluntas, sequitur ex hypothesi hac impossibili, quòd intellectus non sit pars constitutiva voluntatis. Hinc Theologi utuntur hoc modo argumentandi per hypothesim impossibilem ad probandum in divinis unum prædicatum formale non esse formaliter aliud. Quæri enim solet, an si Deus non esset immutabilis, adhuc esset æternus, & an si in Deo non essent relationes, adhuc manerent in illo personæ distinctæ: primam hypothesim ponunt ad investigandum, num immutabilitas sit formalis ratio æternitatis: secundam ad dignoscendum, quæ sit ratio formalis constitutiva, & distinctiva personarum in Deo. Secundo est etiam utilis ad dignoscendas rerum essentias secundùm propria prædicata methaphysica, & constitutiva, ut si esset animal rationale, & nullum aliud esset in homine prædicatum an adhuc homo esset homo, quia esset animal rationale: ergo præter animal rationale nullum aliud prædicatum constituit essentiam hominis, proinde si per impossibile homo non esset risibilis, adhuc esset homo. Rursus est utilis modus argumentandi per hypothesin impossibilem ad investigandas alias veritates, hinc in Concilio Florentino Patres Latini ex hypothesi impossibili, si Spiritus sanctus procederet à solo Patre, intulerunt contra Græcos, Filium non distingui à Spiritu sancto, quia inter ipsos neque separabilitas datetur, neque oppositio relativa.

Juvat observare contradictionem ex modo argumentandi per hypothesin impossibilem dupliciter posse sequi primò per locum intrinsecum, & formaliter: secundò per locum extrinsecum, & materialiter. Per locum intrinsecum sequitur contradictio, quando in hypothesi, quæ fit, una pars destruit aliam secundùm suum esse formale, adeout subjectum propositionis secundùm proprium esse formale destruatur per id, quod additur, & dici solet suppositio de subjecto non constanti, eò quia non maneat, ut in hac hypothesi, *si homo non esset animal rationale, esset homo*, quia negatio animalis rationalis est formaliter negatio hominis, qui est subjectum suppositionis; dicitur sequi ex hac hypothesi contradictio formaliter per locum intrinsecum, quia in ipsa subjectum non est constans secundùm proprium esse formale. Per locum verò extrinsecum sequitur contradictio, quando una pars non destruit aliam formaliter, sed tantùm entitativè, & realiter seu secundùm ipsam realitatem, qua una alteri realiter identificatur, adeout ambæ formalitates sint una, ac eadem res: ut si homo non esset risibilis esset homo, negatio risibilis non destruit subjectum, seu hominem per locum intrinsecum, seu formaliter, sed tantùm materialiter, & per locum extrinsecum, quatenus illi realiter identificatur: quando ex hypothesi impossibili tantùm sequitur contradictio, per locum extrinsecum modus argumentandi est utilis ad investigandum, utrum unum prædicatum formale sit de constitutivo alterius prædicati formalis, quia tunc subjectum manet formaliter constans.

Hinc cùm quæritur, an si Spiritus sanctus non procederet à Filio, adhuc realiter distingueretur ab illo, quæstio non procedit de iisdem numero personis Filii, & Spiritus sancti, quæ de facto existunt in Trinitate, quia hæc hypothesis impossibilis destruit per locum intrinsecum tales numero personas, seu destruit prædicata aliqua pertinentia ad esse individuale personarum, unde quæstio involveret manifestam contradictionem per locum intrinsecum: siquidem sublato aliquo prædicato intrinseco ab aliquo subjecto, aufertur eadem ratio numerica ab illo: siquidem sublata rationalitate ab homine destruitur homo, atqui si Spiritus sanctus non procederet à Filio, tolleretur à Filio vis activa spirandi; & à Spiritu sancto spirari passivè à Filio, consequenter non esset hic amplius numero Filius, neque hic numero Spiritus sanctus, quia relatio, qua nunc constituitur Spiritus sanctus, per se respicit ut terminum adæquatum Patrem, & Filium, consequenter hypothesis non esset de iisdem numero personis. Rursus juvat observare positivam distinctionem personarum non esse in divinis petendam ex ipsa substantia, quia hæc cum sit communis tribus personis, nequit esse principium alicujus distinctionis inter divinas personas: non enim ratio conveniendi potest esse ratio disconveniendi, unde hæc positiva distinctio personarum petenda est à relationibus, quatenus formaliter distinguuntur à substantia; ita tamen ut non sufficiat earundem relationum pluralitas, ut personæ multiplicentur, ac realiter distinguantur: sed ulterius requiritur ut sint relativè oppositæ per modum producentis, & producti, adeout duplex sit discrimen inter formam absolutam, & relativam, priorum est, quia forma absoluta constituit rem in se sine ordine ad aliud: relativa verò constituit rem in ordine ad suum correlativum, quia relatio est, cujus totum esse est ad aliud se habere; ex quo oritur secundum discrimen, quia forma absoluta distinguit rem secundùm se ab omnibus aliis rebus, quæ non sunt ipsa. Forma verò relativa tantum distinguit rem, quam constituit à suo correlativo, cui soli relativè opponitur: ratio sit statim obvia, quia eo modo, quo unquodque est ens; ita est etiam unum, & d.. ..ctum; alioquin unitas, & distinctio non essent proportionatæ passiones entis.

His præmissis asserendum est, quòd si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non distingueretur realiter ab illo, ut docet D. Thomas *1. p. q. 36. art. 2. in corp.* & *in 1. sententiar. dist. 11. quæst. 1.* & *de potentia quæst. 10. art. 4.* quem sequuntur ferè omnes Theologi extra scholam Scoti, & probatur primò authoritate Concilii Toletani XI. ubi in professione fidei loquens de personis divinis ait: *Hoc solum numerum insinuant quòd ad invicem sunt; & in hoc numero carent quod ad se sunt.* Quibus verbis Concilium expresse asserit in divinis numerum personarum ex eo præcisè oriri, quia divinæ personæ ad invicem sunt, seu referuntur mutuò in ratione producentis, & producti: & quia in divinis numerus, & distinctio realis per modum producentis, & producti sunt idem, sequitur, quòd distinctio realis inter personas divinas ex eo præcisè oriatur, quia ad invicem sunt, seu referunt per modum producentis, & producti: sui autem Spiritus sanctus non procederet à Filio, non diceretur ad invicem ad Filium, quia ad illum non referretur, consequenter neque posset ab illo realiter distingui, cùm omnis distinctio realis in divinis sit ille numerus, quem significat Concilium Toletanum, & hic numerus habetur præcisè ex eo, quia personæ divinæ sint ad invicem, ait enim Concilium *hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt* Studio ponit particulam illam *solum*, ut significet numerum, seu distinctionem

stinctionem realem in divinis ex eo tantùm & præcisè haberi, quia personæ divinæ ad invicem sunt, seu referuntur per modum producentis, & producti, quatenus una persona procedit ab alia, à qua producitur, unde si Spiritus sanctus à Filio non procederet, sequitur manifestè ea Concilio Toletano, quod non distingueretur realiter ab illo.

Hæc eadem veritas etiam declarata fuit in Concilio Florentino sess. 18. ubi contra Græcos intendens probare Spiritum sanctum procedere à Filio ait: *Secundùm omnes Doctores tam Græcos, quàm Latinos sola differentia processionum multiplicat personas in divinis, ad quam solam duo accommodantur, qui ab alio est, & a quo alius est:* & infra expressiùs hoc idem significat subdens, *Nulla alia ratio distinctionis aut discriminis est in divinis, nisi per hoc, quòd persona aliqua est ab altera.* Hoc idem docent Patres Græci, Athanasius, uterque Gregorius Nissenus, & Nazianzenus, & alii plures, quorum testimonia referuntur, & simul congeruntur in fine Concilii Florentini in dogmatica oratione: atqui si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non superesset in illo, per quod realiter distingueretur à Filio: siquidem ea Concilio tota ratio, cur una persona distinguatur ab alia, est, quia procedit ab illa, proinde si Spiritus sanctus à Filio non procederet, ab illo non distingueretur. Ob testimonia utriusque Concilii Toletani, & Florentini non desunt, qui censeant nostrum assertum adeo esse certum, ut oppositum non vacare suspicione, & temeritate. Non tamen censerem contrariam sententiam tali censurâ redarguendam: quia Concilia tantùm definiunt, quòd modo, & de facto est; non verò quod esset in data hypothesi impossibili, si Spiritus sanctus non procederet à Filio. Imò Scotistæ oppositam sententiam propugnantes respondent, Concilium Toletanum per hoc, quod dicat numerum personarum haberi ex eo, quòd divinæ personæ sint ad invicem, non intendere solam oppositionem relativam esse rationem distinctionis realis inter divinas personas: sed tantum significare personas divinas realiter distingui per relationes: & in data hypothesi si Spiritus sanctus non procederet à Filio, tametsi non opponeretur relativè Filio per modum producentis, & producti, adhuc distingueretur realiter ab illo per relationem spirati à Patre: siquidem ratio spirati adeo est propria Spiritui sancto, ut Filio non conveniat, consequenter ab illo debet distingui: eadem responsione nituntur eludere authoritatem Concilii Florentini. Verùm hæc responsio non cohæret cum mente Concilii Toletani, quod ut explicaret, quomodo personæ divinæ ad invicem sint, subdit: *Quod enim Pater est, non ad se, sed ad Filium est; & quòd Filius est, non ad se, sed ad Patrem est: similiter Spiritus sanctus non ad se sed ad Patrem, & Filium relativè refertur:* hisce verbis clarè constat Concilium Toletanum per personas esse ad invicem non intellexisse, ut respondent Scotistæ, solam relationem relativè oppositam per modum producentis, & producti: ergo si Spiritus sanctus non procederet à Filio juxta Concilium Toletanum, ab ipso non distingueretur, quia non opponeretur relativè Filio per modum spirati ab ipso. Præterea quòd aliqua sint ad invicem, nequit propriè verificari nisi relativè opponantur: non enim Filius opponitur alteri Filio, sed Patri; proinde Pater, & Filius dicuntur ad invicem, non verò duo Filii, tametsi uterque habeat relationem Filii ad Patrem: ergo ut duo dicantur ad invicem, non sufficit sola, & pura relatio, sed ulteriùs requiritur oppositio relativa per modum producentis, & producti: si autem Spiritus sanctus procederet à solo Patre, & non à Filio, per solam relationem spirati non opponeretur relativè Filio, consequenter neque ab illo distingueretur, quia non esset ad Filium, ad quem relativè non referretur per relationem spirati.

Ratio itidem id suadet, quia in divinis omnia sunt unum realiter, ubi non intervenit oppositio relativa, qua sublata cessat omnis distinctio realis: sin autem Spiritus sanctus non procederet à Filio, nulla esset oppositio relativa inter Filium, & Spiritum sanctum, ergo neque realis distinctio inter utramque personam, consequenter in data hypothesi non posset Spiritus sanctus realiter distingui à Filio, minor, & consequentia patent. Major est axioma commune depromptum ex Boëtio *lib. de Trinit. prope fin.* ubi expresè significat solam oppositionem relativam in divinis per modum producentis & producti multiplicare personas, quod etiam communiter docent sancti Patres, & ratio etiam id suadet, quia distinctio, quæ non oritur ea oppositione relativa debet oriri ea incompossibilitate extrinseca extremorum: hæc autem incompossibilitas importat essentialiter limitationem: siquidem unum extremum ea propria ratione intrinseca limitatur, quoties non importat esse alterius. & quia in divinis limitatio repugnat, adeout quælibet perfectio in propria linea sit perfectissima, & infinita, sequitur in divinis omnia esse unum, ubi non intervenit oppositio relativa per modum producentis, & producti, unde si Spiritus sanctus à Filio non procederet, quia non diceret oppositionem relativam per modum spirati ad Filium ut spiratorem, in data hypothesi Spiritus sanctus non posset realiter à Filio distingui.

Occurrunt huic argumento communiter Scotistæ non esse idem oppositionem relativam, & oppositionem relationis, eò quia relatio dupliciter possit oppositionem includere, relativè, & disparatè, & quando Patres asserunt solam oppositionem relationis esse rationem distinctionis realis inter divinas personas, volunt non esse id intelligendum de oppositione tantùm relativa relationis, sed de oppositione vel relativa, vel disparata, adeout ad realiter distinguendas personas divinas sufficiat oppositio relationis disparatæ: atqui in data hypothesi, si Spiritus sanctus non procederet à Filio, adhuc haberet oppositionem disparatam relationis cum Filio, à quo propterea deberet realiter distingui, etenim spiratio passiva est vera relatio realis, quæ disparatè opponitur filiationi, non enim filiatio est spiratio passiva, proinde sunt duæ relationes, quæ opponuntur non per modum producentis, & producti, sed disparatæ, quatenus una relatio non est alia, ergo adhuc Spiritus sanctus à Filio distingueretur realiter, quia ad hanc distinctionem ponendam non est necessaria realis oppositio relativa; sed sufficit distinctio relationis disparatæ, etenim in bona Metaphysica non solum illa relatio distinguitur realiter à relatione opposita, verùm etiam ab alia disparata. Relatio enim filiationis in creatis non solùm distinguitur à paternitate, sed etiam ab alia filiatione: si enim Pater duos vel tres genuerit filios, relatio filiationis, quæ est in primò filio, non solùm distinguitur à paternitate in Patre, sed etiam à filiatione secundi filii, quia constituit secundum filium distinctum à primo, alioquin non essent plures filii à Patre geniti.

Sed contra quia tametsi in creatis una relatio distinguatur realiter non solùm à suo correlativo opposito, verum etiam ab aliis relationibus disparatis, ut fuit exemplificatum in pluribus filiis genitis ab

eodem

eodem patre, non tamen in divinis id potest salvari; ratio discriminis ex eo petitur, quia in creatis distinctio non solùm oritur ex oppositione relativa extremorum, qualis est, quæ habetur inter producens, & productum, sed etiam ex eorundem limitatione, quatenus unum extremum relativum ita limitatur ab intrinseco, ut non importet esse alterius: at in Deo quia nulla est limitatio, sequitur distinctionem realem non posse aliunde oriri, quàm ex sola oppositione relativa producentis, & producti: siquidem in divinis datur oppositio disparata inter prædicata absoluta, quæ in sententia Scotistarum distinguuntur ex natura rei formaliter, seu realitate diminuta, & secundùm quid docent enim attributa absoluta omnipotentia, scientia, bonitas, veritas, distingui tum inter se, tum ab essentia realiter formal ter ex natura rei, quatenus se habent disparatè, & pertinent ad diversas lineas, adeout hæc distinctio tantùm dicat inter extrema distincta oppositionem disparatam: atqui æquè oppositio disparata inter prædicta absolota non distinguit personas: ergo neque oppositio disparata celationum potest realiter distinguere personas: quia quoad oppositionem disparatam conveniunt relationes, & perfectiones absolutæ, relativs enim oppositio adeo est propria relativorum, ut non conveniat absolutis, ergo quòd relatio distinguat realiter personas, non vero persona absoluta, non potest id oriri ex sola oppositione disparata, cùm in sententia Scotistarum prædicata absoluta distinguantur etiam disparatè in propriis lineis tum inter sa, tum à prædicatis relativis, & divina essentia, quæ tamen non distinguunt personas, quæ distinctio proinde in divinis non potest aliunde peti, quàm ab oppositione relativa ratione producentis, & producti. Firmari ex eo etiam potest, quia si oppositio disparata sufficeret ad ponendam distinctionem realem ubi major esset oppositio disparata, ibi ponenda esset major distinctio realis: atqui ubi datur major oppositio disparata, non ponitur major distinctio realis: ergo quòd relationes divinæ realiter distinguant personas, non possunt relationes id præstare ratione oppositionis disparatæ, sed ratione oppositionis relstivæ per modum producentis, & producti, adeout sublata hac oppositione relativa cesset in divinis omnis distinctio realis. Major, & consequentia clsrent, minor ex eo evincitur, quia major est oppositio disparata inter prædicata absoluta, & relativs, quàm inter duo prædicata disparsta relativa: siquidem quæ differunt quasi genere se habent magis disparsrè, quàm quæ differunt quasi specifice intra idem genus: atqui absoluta & relativa differunt quasi genere, non ita duæ relationes disparatæ, quia istæ sunt intra quasi idem genus relationis, unde liquet esse majorem oppositionem disparstam inter absolutum & relativum, quàm inter duas relationes: sed ex eo, quòd inter absolutum, & relativum non detur oppositio relativa sed tantùm dispsrata, non datur in divinis realis distinctio inter absolutum, & relativum: ergo neque inter duas relstiones dari potest distinctio realis ex eo, præcisè quòd opponantur disparatè, proinde quòd relatio realiter distingust personas non potest id hsbere rstionem oppositionis disparatæ, sed oratione oppositionis relativæ per modum prodncentis, & producti.

Probari etiam potest tertiò assertum, quia personæ divinæ non distinguuntur realiter inter se relationibus disparatis, sed relationibus inter se relativè oppositis, ut constat ex prædictis, sed filiatio, & spiratio passiva sunt relationes disparatæ, & non relativè oppositæ: ergo si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non posset distingui realiter ab illo, quia ambæ persoæ distioguerentur tantùm ratione filiationis, & spirationis passivæ; quæ cùm sint relationes disparatæ, non possunt ponere distinctionem realem in divinis personis: etenim etiam in Patre sunt duæ relationes disparatæ, scilicet paternitas, & spiratio activa: & de facto aliæ duæ relationes disparatæ filiatio, & spiratio activa sunt etiam in Filio: atqui hæ relationes non constituuot distinctas personas realiter, scilicet personam Patris, & personam spiratoris, ergo relationes disparatæ non sunt ex se sufficientes ad ponendam distinctionem realem inter divinas personas, consequenter si Spiritus sanctus non procederet à Filio, quia spiratio passiva, & filiatio non opponuntur relativè, sed tantùm disparatè, non posset Spiritus sanctus realiter à Filin distingui. Firmari ex eo potest, quia ideo relationes disparatæ, quæ sunt in prima persona, scilicet paternitas, & spiratio activa, non constituunt duas personas distinctas Patrem, & spiratorem, quia spirator non originstur à Patre: ergo neque aliæ duæ relationes illis oppositæ scilicet filiatio, & spiratio pssiva possent constituere duas personas realiter distinctas in data hypothesi, si Spiritus sanctus non procederet à Filio quia non apparet ratio ulla probabilis, cur illæ duæ relationes, quæ sunt in Patre, possint reperiri in una eademque persona non verò posteriores, scilicet filiatio & spiratio passiva ex hypothesi, si Spiritus sanctus non procederet à Filio.

Huic argumento respondent Scotistæ, esse discrimen inter paternitatem, & spirationem sctivam in Patre: & filiationem, ac spirstionem passivsm, quia duæ relatiooes disparatæ in principiis non multiplicant personas, bene tamen in terminis, ex quo interunt filiationem, & spirstionem passivam, quia sunt in terminis, multiplicare personas, non verò paternitatem & spirationem activam in Patre, quia hæ relationes disparatæ non sunt in terminis, sed in principio. Ratio hujus discrimiois etiam ab ipsis assignatur, quia quando ab uno, & eodem principio possunt plura emanare ex unitste aliquorum in principio, vel causa, non licèt colligere unitatem in causatis, seu principiatis, unde non est necessè, ut sicut relationes dispsratæ non ponunt pluralitatem personarum in principio, ita etiam relationes disparatæ, & oppositæ non ponant pluralitatem personarum in terminis, quis quæ unificantur in principio, distinguuntur in terminis. Hæc tamen solutio, cui fidunt plures Scotistæ, non satisfacit, quia tametsi in creatis plures productioues passivæ possint emanare ab eodem principio sctivo; non tamen possunt emanare ab uns, eademque numero actione: sed plurificatis productionibus passivis, necesse est plurificentur etiam actiones in principio: atqui paternitas, & spiratio activs non sunt principia produceodi Filium, & Spiritum sanctum, sed sunt ipsæ productiones activæ, quamvis non significatæ per modum actionis, filistio autem, & spiratio activa sunt ipsæ productiooes activæ, quapropter si filiatio, & spiratio passiva realiter distinguuntur, debent etiam ex data responsione distiogui realiter paternitas, & spiratio sctiva in Patre: de facto autem non datur hæc distinctio realis inter spirationem sctivam & paternitatem in Patre, ergo sicut istæ relationes disparstæ non distinguuntur in principio in data hypothesi, neque distinguerentur realiter filiatio, & spiratio passiva, unde quòd de facto hæ celationes distingusntur

realiter

realiter, non aliunde oritur, nisi quia filiatio, & spiratio passiva constituunt personas relativè oppositas, & habentes inter se ordinem originis, adeout Spiritus sanctus eatenus de facto distinguatur à Filio, quia procedit ab ipso. Si dicas, rationem, cur paternitas, & spiratio activa in Patre non constituant distinctas personas realiter, esse, quia non opponuntur disparatè realiter, sed tantum vel ratione, vel formaliter ex natura rei: non enim distinguuntur realiter disparatè; quia non repugnat idem agens duplici actione duos terminos producere; ex quo inferunt relationem spiratoris realiter disparatè non opponi filiationi, & paternitati: quia verò repugnat ex terminis eundem terminum per duos emanationes, seu actiones adæquatas produci, ideo repugnat relationem spirati ex proprio conceptu opponi oppositione reali disparata relatione geniti, seu Filii: hinc si Spiritus sanctus à Filio non procederet, adhuc deberet ab illo realiter distingui. Contra est, vel sermo est de sola distinctione virtuali utriusque processionis, vel de distinctione reali: si dicatur primum, falsò asseritur non posse eundem terminum realiter procedere ex duplici processione virtualiter distincta, quinimò non videtur possibile processiones passivas tantùm virtualiter distingui, si eorum termini distinguantur realiter: quia processio passiva identificatur adæquali cum suo termino. Si dicatur secundum responsio est petitio principii, quia cùm origines passivæ dicant formaliter ipsas relationes, asserere relationes geniti, & spirati distingui realiter in data hypothesi, eò quia passivæ origines distinguerentur realiter, est respondere idem per idem. Ad id, quod addebatur relationes disparatas in terminis productis debere necessario distingui, eò quia repugnet eandem terminum bis produci, est etiam petitio principii quia eatenus bis produceretur, quia ejusdem termini productiones supponuntur esse processiones distinctæ, at sublata oppositione producentis, & producti, non opponerentur, nec essent distinctæ.

Alii respondent in data hypothesi Spiritum sanctum esse realiter distinguendum à Filio quia Spiritus sanctus adhuc esset talis peculiaris persona, quæ procederet per voluntatem, & Filius esset alia talis peculiaris persona, quæ procederet per intellectum, ex quo inferunt realem distinctionem inter utramque personam in data hypothesi, si Spiritus sanctus non procederet à Filio, quia implicat eandem personam produci duabus productionibus adæquatis, cujusmodi sunt generatio, & spiratio. Sed contra quia in data hypothesi generatio, & spiratio non essent duæ processiones distinctæ adæquatæ, sed una tantùm, non enim sufficit, ut sint duæ processiones adæquatæ, si una sit per intellectum & altera per voluntatem, quia nisi una processio originaretur ab alia, semper esset una tantùm processio passiva, unde in data hypothesi non essent duæ processiones activæ adæquatæ, sed una tantùm adæquata constituta ex duabus veluti inadæquatis scilicet ex intellectione, & volitione formaliter tantùm, vel virtualiter distinctis, adeout hæc adæquata processio activa tantùm possit intelligi terminari ad unam personam numero, quæ simul sit genita, & spirata: ratio est quia infinitas omnia realiter unit, quæ non habent repugnantiam ad uniri: processio autem passiva qua talis non habet hanc repugnantiam adoriri cum alia passiva, à qua non distinguitur realiter: sicut essentia divina, quamvis bis communicetur per duplicem communicationem, non propterea in ipsa non ponitur distinctio. Ad aliud quod addebatur in data hypothesi unam personam realiter esse ab alia distinguendam, eò quia una esset hæc, & illa esset alia, respondetur, de hoc esse quæstionem, cur una esset talis, ut realiter distingueretur ab alia sine oppositione relativa; siquidem in divinis reliqua omnia prædicata, quæ non opponuntur relativè, identificantur formaliter. Asserere quòd una persona esset hæc, & alia, esset illa gratis dici, quia quoties ponitur distinctio, debet assignari ratio talis distinctionis, alioquin cùm quæritur, cur productio Verbi sit formaliter generatio, & non processio Spiritus sancti, posset responderi, productionem Verbi esse generationem, quia est talis productio, & processionem Spiritus sancti non esse generationem, quia est alia productio.

Potest etiam quartò evinci assertio, quia in divinis relatio habet tantùm distinguere unum ab alio relativè opposito: atqui filiatio non opponitur relativè spirationi passivæ, quia illam non respicit relativè per modum producentis, & producti, consequenter filiatio & spiratio passiva non distinguuntur realiter in data hypothesi, proinde si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non posset filiatio, & spiratio passim distinguere inter se realiter Filium & Spiritum sanctum. Major evincitur, quia cùm relatio divina non distinguat secundùm esse absolutum, quod transit in essentiam: Quæ non distinguitur in divinis personis, debet distinguere secundùm præcisam rationem relativam, & esse *ad*: atqui ratio relativa tota consistit in ordine ad suum oppositum correlativum: proinde solùm habet distinguere ab opposito relativo, proinde cùm relationes disparatæ, cujusmodi sunt filiatio, & spiratio passiva, non opponantur relativè, sed tantùm disparatè, sequitur quod non possint distinguere realiter inter se Filium & Spiritum sanctum in data hypothesi.

Et ex eo firmatur quia quoties unum prædicatum habet de suo intrinseco essentialiter præstare aliquid, in quocunque subjecto ponatur, semper illud præstat, quia subjectum non immutat esse intrinsecum prædicati: etenim quia albedo habet reddere subjectum album, quòd afficit in quocunque subjecto ponatur, in quo possit esse tanquam ejus forma, semper illud constituit album: ergo si relationes disparatæ inter se distinguerentur realiter, ac realiter distinguerent subjectum, cui insunt, in quocunque ponerentur, semper deberent realiter distingui, ac realiter distinguere subjectum: quia quæ ex natura sua sunt distinctiva semper sunt talia, in quocunque ponantur: atqui in Patre paternitas, & spiratio activa non distinguuntur realiter, quamvis sint relationes disparatæ: ergo nec in Filio, & Spiritu sancto debent filiatio, & spiratio passiva realiter distingui. Firmari etiam potest, quia sola oppositio relationis pertinens ad lineam relationis, ac impotens convenire prædicatis absolutis potest in divinis realiter distinguere, atqui sola oppositio relativa pertinet ad lineam relationis, & non potest prædicatis absolutis convenire, non vero oppositio relativa disparata: quia hæc cùm importet solam distinctionem in diversis lineis, convenit etiam prædicatis absolutis: etenim in sententia Scotistarum attributa divina tum inter se tum ab essentia distinguuntur formaliter ex natura rei, vel realiter realitate diminuta, quia pertinent ad diversas lineas perfectionum, quarum una non est alia, adeout illis conveniat oppositio disparata, seu quod idem est, distinctio secundum diversas lineas perfectionum, quæ à Scotistis vocatur etiam distinctio formalis ex

natura rei vel realis realitate diminuta, eo quia propriè non sint res diversæ, sed una ac eadem simplicissima res à parte rei: eatenus paternitas, & spiratio activa in Patre sunt relationes oppositæ disparatæ, quia paternitas pertinet ad lineam paternitatis generantis Filium; & spiratio activa ad aliam lineam relationis, seu principium spirandi, unde hæc oppositio disparata æquè convenit in sententia Scotistarum formis absolutis, & relativis, proinde sola oppositio relationis pertinens ad lineam relationis est in divinis sufficiens ad distinguendum realiter unam personam ab alia: alioquin si sola relatio ratione oppositionis disparatæ etiam distingueret realiter, nulla esset ratio assignabilis, cur etiam prædicata absoluta in divinis non deberent distinguere realiter, cùm etiam opponantur disparatè; & cùm in sententia Scotistarum prædicata absoluta licèt distincta formaliter ex natura rei, non possint realiter distinguere realitate propria, quia realitas diminuta propriè non est res; neque id præstabit relatio ratione oppositionis disparatæ.

Respondent Scotistæ oppositionem disparatam sufficere ad distinguendum realiter in divinis, dummodo hæc oppositio sit inter relationes; quia si sit inter prædicata absoluta, non sufficit ad distinguendum realiter, quia in divinis absoluta ob infinitatem non distinguunt, bene tamen relationes, quia hæ ex natura sua non obstante infinitate habent distinguere, hinc assignant discrimen inter oppositionem disparatam, quæ cadat super prædicata absoluta, & quæ cadat super relationes, consequenter in data hypothesi, qua Spiritus sanctus non procederet à Filio adhoc distingueretur ab illo, quia spiratio passiva & filiatio sunt relationes disparatæ. Antecedens probant, quia filiatio realiter distinguit Filium à Spiritu sancto, quamvis realiter illi non opponatur, cùm non referat Filium ad Spiritum sanctum, in quo consistit oppositio relativa. Hinc inferunt relationis oppositionem disparatam in divinis realiter distinguere. Sed contra negatur antecedens, quia filiatio de facto non opponitur relativè formaliter spirationi passivæ: quia licèt filiatio qua talis formaliter non referat Filium ad Spiritum sanctum, opponitur nihilminus spirationi passivæ connexivè, seu radicaliter, & substractivè, quod sufficit ut filiatio de facto realiter distinguat Filium à Spiritu sancto, quia spiratio activa in Filio radicatur in ipsa filiatione. Tripliciter potest oppositio relativa considerari, primò formaliter, & hoc modo solùm opponitur relatio sub conceptu referentis. Secundò radicaliter, seu connexivè, & hoc pacto opponitur relativè, quod radicat conceptum referentis. Tertiò substractivè quatenus constituit substractum *ut quod* referendum. Quamvis igitur filiatio non opponatur formaliter relativè spirationi passivæ, eò quia non sit formalis ratio referendi Filium ad Spiritum sanctum, opponitur tamen radicaliter, & substractivè, quia filiatio radicat relationem spiratoris qua formaliter Filius refertur ad Spiritum sanctum, & constituit Filium ut referendum *ut quod* per relationem spiratoris ad Spiritum sanctum.

D. Thomas *lib. 4. contra Gentes cap. 24. & quæst. 10. de potentia art. 4.* docens Spiritum sanctum non distingui à Filio, si ab illo non procederet, eodem utitur argumento, quia omnis distinctio in Deo oritur ex relationibus originis, sin autem Spiritus sanctus non procederet à Filio, non haberetur inter ipsos hæc relatio originis, ergo neque distinctio. Siquidem in Deo nihil est nisi essentia, & relatio, seu absolutum, & relativum, quatenus essentia complectitur perfectiones omnes absolutas, sed essentia, & omnia prædicata absoluta sunt communia, ergo sola relatio distinguit, unde in Concilio Toletano I. dicitur in solis relationibus numerum cerni, quod est idem ac asserere omnem distinctionem suam à relationibus originem trahere, quia ubi non est distinctio, neque numerus esse potest. Rursus si essentia & omnia prædicata absoluta communia tribus personis non essent, hæ non essent una res, ut docet Concilium Lateranense, hinc neque possumus defendere, neque explicare Dei simplicitatem, neque possemus ostendere nullam perfectionem esse in una persona, quæ non sit in alia, ex quibus infert solam relationem in divinis distinguere. Præterea docet non quamlibet relationem sufficere ad distinctionem invehendam; siquidem relationes non oppositæ, sed tantùm disparatæ non distinguunt, ut liquet in Patre in quo sunt relationes paternitatis, & spirationis activæ, quæ in eodem non distinguunt duas personas, unde debent esse relationes oppositionis relativæ per modum producentis, & producti, non verò tantùm disparatæ. Imò debent etiam hujusmodi relationes relativè oppositæ esse reales, quia relatio identitatis dicit oppositionem, & non distinguit, quia non dicit oppositionem realem. Præterea relationes oppositæ & reales, vel fundantur in quantitate, ut æqualitas, vel in qualitate ut similitudo, vel in actione, ut paternitas, & filiatio: in Deo autem non dantur relationes reales fundatæ in quantitate, & qualitate, sed solùm dantur relationes vel disparatæ ut paternitas, & spiratio activa in Patre, vel fundatæ in actione, & dicuntur relationes originis ut paternitas respectu filiationis, & hæ tantùm relationes originis fundatæ in actione distinguunt personas non vero disparatæ. Quamvis in Deo sit æqualitas, & similitudo, cùm tres personæ dicantur coæquales, & Pater in essentia similis Filio, quia tamen fundamentum æqualitatis, & similitudinis est sola essentia, quæ est una numero, ideo hæ relationes non sunt reales sed rationis. Non enim possunt esse reales relationes, ubi non sunt fundamenta proxima distincta realiter. Imò licèt æqualitas, & similitudo in Deo essent relationes reales realitate diminuta, ut vult Scotus, adhuc non posset inde desumi distinctio personarum, quia Scotus docet ad hoc, ut sint relationes reales, non requiri distincta fundamenta, sed sufficere distincta subjecta relationum: & quia Pater, & Filius sunt extrema realia, ideo asserit eorum qualitatem, & similitudinem esse relationes reales. Imò neque in sententia Scoti sunt personæ distinctæ, quia æquales aut similes reali relatione æqualitatis, vel similitudinis, sed è contrario ideo reali relatione sunt æquales, & similes quia distinctæ personæ sunt, unde solæ relationes originis inveherent in divinis distinctionem personarum, & quia Spiritus sanctus, si non procederet à Filio ei non opponeretur oppositione relativa originis, ab ipso non distingueretur.

Contra tamen hanc rationem objiciunt Scotistæ negantes solas relationes oppositas per modum producentis, & producti distingui in Deo realiter, quia paternitas, & spiratio passiva distinguuntur realiter, & non opponuntur per modum producentis, & producti. Respondent aliqui paternitatem distingui à spiratione passiva connexivè, & radicaliter, quia identificatur cum spiratione activa opposita passivè. Verùm hæc responsio non satisfacit, quia inde sequitur, quod spiratio activa non possit esse in Filio, quia identificatur cum paternitate opposita

posita filiationi: pari pacto essentia divina non posset esse in filio & Spiritu sancto, quia identificatur cum paternitate distincta realiter à filiatione & spiratione passiva. Respondent alii paternitatem & spirationem passivam distingui, quia sunt in distinctis suppositis. Sed contra, quia etiam spiratio activa est in distinctis suppositis, scilicet in Patre & filio, & nihilominus est una & eadem in utroque. Rursus essentia divina est in tribus suppositis realiter distinctis, & nihilominus est una ac eadem in omnibus. Respondent alii paternitatem & spirationem passivam opponi, virtualiter, quia paternitas fundatur in productione notitiæ, & spiratio passiva in productione amoris, sed hæ productiones opponuntur, quia includunt relationes originis, amor enim oritur ex cognitione. Sed contra, quia amor non oritur ex cognitione effectivè, si quidem cognitio ex sua natura non efficit amorem, sed tantum ostendit voluntati bonum amabile, intellectus enim solum proponit objectum voluntati. unde inter cognitionem & amorem non datur hæc relatio originis. Tum quia in Deo essentia est objectum cognitionis & amoris, & non distinguitur à cognitione & amore. Exactius respondetur paternitatem non opponi spirationi passivæ, nisi quatenus paternitas constituit Patrem, qui cùm includat, sibique identificet spirationem activam, per quam distinguitur à Spiritu sancto, ideo paternitas non in abstracto sumpta, sed tantùm in concreto, quatenus constituit Patrem, distinguitur à spiratione passiva: at si per impossibile Spiritus sanctus non procederet à filio, filiatio non constitueret Filium, qui in concreto diceret spirationem activam, proinde filius non distingueretur à Spiritu sancto, bene tamen Pater non per paternitatem in abstracto, sed ut constituentem in concreto Patrem sibi identificantem spirationem activam, spirator enim, & spiratus distinguuntur per relationem originis.

Congerunt tamen Scotistæ cum Scoto in 1. dist. 11. quæst. 2. plura argumenta, quibus nituntur probare oppositum scilicet Spiritum sanctum adhuc esse realiter distinguendum à Filio, si ab illo non procederet. Primò argumentantur: quia si Spiritus Sanctus procederet à solo Filio non à Patre, adhuc realiter distingueretur à patre & Filio, alioquin inter idem, & idem realiter daretur mutua realis processio, cum Filius, à quo Spiritus Sanctus procederet, esset etiam per processionem à Patre, qui in tali hypothesi esset realiter idendificatus cum Spiritu S. ergo à pari si Spiritus Sanctus procederet à solo Patre, & non à Filio, adhuc deberet realiter ab utroque distingui: quia tota ratio, cur Spiritus Sanctus non deberet distingui à Filio, si ab illo non procederet, in eo est sita, quia illi non opponeretur relativè per modum producentis, & producti: atqui si Spiritus Sanctus procederet à solo Filio, Pater non opponeretur relativè per modum producentis, & producti Spiritui Sancto: ergo si in hac hypothesi Pater distingueretur realiter à Spiritu Sancto, si hic procederet à solo Filio: ita si procederet à solo Patre, etiam Filius distingueretur realiter à Spiritu Sancto. Huic argumento respondent aliqui recentiores cum Valentia negando antecedens, quia censent inconveniens in data hypothesi dari mutuam realem processionem inter Filium & Spiritum Sanctum, quia primo impossibili concesso, sequitur aliud impossibile; putant enim in prædicta hypothesi non mansurum Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum, eo quia ab illis aufferretur constitutivum & distinctivum. Verum hæc solutio non subsistit, quia ex suppositione impossibili, quòd Spiritus Sanctus procederet à solo Filio, solum cessaret in Patre spiratio activa, quæ cum identificetur realiter cum paternitate, tantum per locum extrinsecum, & materialiter; non verò formaliter, & per locum intrinsecum tolleretur esse Patris, quia adhuc intelligeretur Pater cum paternitate & potentia generandi filium ad intra: unde cum subjectum hypotheseos impossibilis sit formaliter constans, rectè concluditur in ordine ad evincendum, an in data hypothesi Spiritus sanctus distingueretur à Patre nec ne, ex hac enim hypothesi tantùm probatur spirationem activam in patre non esse paternitatem, neque potentiam generandi formaliter. Respondetur itaque exactiùs ad argumentum Scoti concesso antecedente negando consequentiam: neque ratio discriminis est assignatu difficilis, quia ex hypothesi impossibili, si Spiritus S. procederet à solo filio proximè & immediatè, adhuc procederet mediatè, & remotè ab ipso Patre, à quo propterea adhuc distingueretur realiter, quia eo ipso, quod Spiritus Sanctus supponitur procedere à filio, qui proximè & immediatè procedit à Patre, inter Patrem & Spiritum sanctum est oppositio relativa principii mediati ad id, quod est à tali principio mediatè: perinde ac in humanis est oppositio inter avum & nepotem: quamobrem in data hypothesi Spiritus sanctus adhuc haberet mediatam, ac remotam oppositionem cum Patre, à quo mediatè & remotè procederet, quia in illa hypothesi adhuc Pater esset principium Filii, cui communicaret virtutem spirativam, ac productivam Spiritus Sanctus, Filius enim præter filiationem omnia accipit à Patre, qui propterea esset etiam mediatè & remotè principium Spiritûs sancti producti à filio. Secus si Spiritus Sanctus non produceretur à Filio, non haberet hanc oppositionem mediatam cum illo, quia Filius non esset principium Patris nec illi communicaret virtutem productivam Spiritus Sancti: unde in data hypothesi, si Spiritus sanctus procederet à solo filio, adhuc mediatè opponeretur Patri, & esset posterior Filio origine, consequenter non posset cum Patre identificari. Secus si Spiritus sanctus à solo Patre procederet, non esset posterior origine Filio, nec illi opponeretur relativè, consequenter non posset Spiritus sanctus realiter distingui à filio, quòd si supponatur Spiritum sanctum nullo modo procedere à Patre nec mediatè nec immediatè, hoc non est concedendum, quia involvit contradictionem in se per locum intrinsecum, quia non potest intelligi Filius sine Patre, eo enim ipso, quod intelligitur procedere à Filio immediatè & proximè cùm filius habeat essentialiter, & ex vi propriæ rationis intrinsecæ procedere à Patre, non potest intelligi Spiritum sanctum procedere immediatè à filio: quin intelligatur etiam procedere mediatè & remotè à Patre: consequenter ex hypothesi impossibili, si Spiritus sanctus procederet à solo filio, adhuc realiter mediatè distingueretur à Patre. Secus si tantum procederet à solo Patre, nullo pacto distingueretur à filio realiter mediatè, nec immediatè. Urget tamen Valentia contra hanc solutionem, quia non stat aliquid distingui ab altero mediatè, quia eatenus unumquodque ab alio distinguitur, quatenus est: & sicut non potest quidquam habere esse mediatè, quia unumquodque habet suum esse immediatè, & proximè, per quod constituitur immediatè tale: ita si Spiritus sanctus in data hypothesi non distingueretur realiter immediatè à Patre, nullo pacto posset realiter ab ipso mediatè distingui. Sed contra distinguitur antecedens, ne quid unum ab alio distingui mediatè intrinse-

intrinsecè concedo antecedens: mediatè extrinsecè negatur antecedens, & distinguitur consequens: non distinguitur immediatè per exclusionem alterius, ut formæ intrinsecæ conceditur: per exclusionem alterius, ut formæ extrinsece negatur consequentia: si enim in data hypothesi Spiritus sanctus constitueretur intrinsecè per relationem spirari, deberet etiam per eandem intrinsecè distingui à Patre; & quia filius esset productus à Patre non concurreret ad dandam distinctionem realem inter Patrem & Spiritum sanctum, ut forma intrinseca, bene tamen ut forma extrinseca; unde æquè immediatè conveniret Spiritui sancto esse ac distingui per exclusionem alterius mediantis ut formæ intrinsecæ, licet non immediatè, ut excludentis aliquod medians ut extremum extrinsecum: quia sicut mediaret hoc, quod est à Patre procedere, ita etiam adesse Spiritûs sancti, & ad ejus distinctionem à Patre mediaret hoc idem, quod est à Patre procedere. Quamobrem non potest ullo modo tolli à patre spiratio activa, si tollatur etiam à filio, quia si filius spirat Spiritum sanctum, eo ipso etiam pater per locum intrinsecum spirat saltem mediatè; quo pacto mediatè opponitur Spiritui sancto, at si tollatur à Filio spiratio activa, non necessariò tollitur à patre per locum intrinsecum, sed in hac hyothesi Filius non distingueretur à Spiritu S.

Secundum argumentum potissimum Scoti est, quia per id, quo aliquid constituitur formaliter in suo esse, distinguitur à quocunque alio non habente tale esse: quia idem est constitutivum formaliter alicujus in aliquo esse, ac distinctivum illius formaliter à quocunque alio non habente illud idem esse: sed filiatio per se sine spiratione activa est formaliter constitutiva Filii in esse Filii: ergo etiam erit formalis ratio distinctiva filii à quocunque alio non habente rationem Filii, ergo in hac hypothesi impossibili, si Spiritus sanctus non procederet à filio, adhuc realiter distingueretur à filio, quia filiatio sicut tantum est constitutiva filii, ita esset in tali hypothesi distinctiva filii à Spiritu sancto. Major etiam alterius probatur, quia quævis res per id constituitur in sua unitate, per quod constituitur in sua entitate, actus enim distinguendus est negativus, qui necessariò supponit actum constituendi positivum, in quo fundetur. Minor evincitur, quia in filio non sunt aliæ proprietates, quam filiatio & spiratio activa, & hæc spiratio cùm sit communis etiam Patri, non est constitutiva filii inesse personæ, ergo circumscripta hac spiratione activa & manente in filio sola filiatione manet formale distinctivum filii à Spiritu sancto; consequenter in data hypothesi, si Spiritus sanctus non procederet à filio, adhuc ab illo distingueretur. Firmatur quia filiatio præcisè sumpta constituit personam filii incommunicabilem, proinde etiam distinctam à qualibet alia, quæ non est ipsa. Secundu firmari etiam potest, quia spiratio activa constituit quid communicabile, & prosupponit filiationem, quia intelligitur advenire filio jam constituto in suo esse per filiationem, ex quo liquet filium de facto distingui à Spiritu sancto per filiationem: unde quamvis Spiritus sanctus non procederet à filio, adhuc deberet realiter distingui ab illo, quia filius retineret filiationem distinctivam filii à Spiritu sancto.

Respondent aliqui huic argumento, quod videtur esse præcipuum, cui Scotistæ innituntur: per formale constitutivum non distingui constitutum à quocunque alio non habente consimilem entitatem; sed tantum ab illis, cum quibus magis convenit, & à quibus non distinguitur per aliquid aliud, nisi per illud formale constitutivum, sic homo per rationalitatem tantum distinguitur à brutis, cum quibus convenit, in animalitate: à lapide verò cum quo minus convenit, non distinguitur per rationalitatem, sed per animalitatem: ita ita à pari respondent filium per suum formale constitutivum, seu per filiationem distingui à Patre, cum quo convenit in spiratione activa, non ita distingui à Spiritu sancto per filiationem, sed per spirationem activam, in qua convenit cum Patre, & non convenit cum Spiritu sancto: hinc inferunt in data hypothesi, si per impossibile filius non spiraret activè Spiritum sanctum, non haberet prædicatum ullum; quo deberet distingui à Spiritu sancto, quia careret spiratione activa quæ sola est ratio, qua filius distinguitur realiter à Spiritu sancto. Verùm hæc responsio non satisfacit: siquidem falsum est hominem per rationalitatem distingui tantum à bruto, & non à lapide: siquidem per id unumquodque distinguitur ab alio, per quod non communicat inesse cum illo, homo autem per rationalitatem non communicat cum lapide, consequenter per rationalitatem debet à lapide distingui, alioquin nisi distingueretur per rationalitatem, non esset homo alterius speciei specialissimæ à lapide, quod est absurdum. Præterea falsum etiam est filium distingui personaliter ut est filius, per solam spirationem activam à Spiritu sancto: quia quidquid distinguitur ab alio in quantum tale, debet necessariò distingui per prædicatum aliquod quod sit de ratione illius, quatenus est formaliter tale, sed filius distinguitur personaliter, seu quatenus est formaliter filius à Spiritu sancto: ergo necesse est distinguatur ab illo per prædicatum aliquod, quod sit de ratione filii ut filii: sed spiratio activa non est de ratione filii ut filii: ergo per spirationem activam filius qua talis non distinguitur personaliter à Spiritu S. non enim negamus de facto Filium per spirationem activam distingui à Spiritu sancto; quia repugnat idem esse simul spirans & spiratum, unde tantum dicimus, quod in data hypothesi ex hoc capite præcisè filius non distingueretur à Spiritu sancto.

Si dicas per datam responsionem quidem sequi, filium distingui à Spiritu sancto per filiationem, non tamen realiter personaliter, eo quia hæc distinctio realis habeatur per solam spirationem activam: sed tantum distingui formaliter ex natura rei. Contra est, quia non potest filius qua talis distingui personaliter à Spiritu sancto, nisi per id, per quod constituitur formaliter inesse filii, & personæ divinæ: sed Filius per solam filiationem, quæ est incommunicabilis, constituitur inesse personali, ac in ratione Filii, & non per spirationem activam, quæ communis est Patri & filio: ergo per filiationem distingueretur à Spiritu sancto.

Exactiùs respondetur argumento, si distinguatur major. Si constitutivum sit prædicatum absolutum conceditur major; quia tunc per tale prædicatum res constituta distinguitur à quavis alia, quæ non est ipsa: si constitutivum sit relativum, negatur major, quia hoc non distinguit à quovis alio, sed tantum à suo correlativo: ut in patre paternitas constitutiva Patris distinguit patrem à quovis alio, non ita spiratio activa, quæ non est constitutiva patris inesse patris, non enim per spirationem activam pater distinguitur à filio, sed tantum à suo correlativo, seu à Spiritu sancto. Quòd verò unum relativum distinguatur ab aliis rebus non habentibus tale esse; hoc non provenit à relatione constituente illud inesse relativo, sed ab aliquo alio prædicato, quod repugnat illis rebus: sic in creatis licèt paternitas,

quâ pater constituitur in esse Patris, distinguatur non solùm à filiatione, sed etiam ab aliis relationibus, quæ non respiciuntur à paternitate, id oritur ex limitatione paternitatis creatæ; unde limitatio est prædicatum, ratione cujus repugnat, paternitatem non distingui realiter a quacunque alia ratione, quæ non est paternitas: cæterum si nullum sit tale repugnans, non distinguitur ab illis: & quia in divinis filiatio non refertur ad spirationem passivam; & ex alio capite non habeat filiatio prædicatum, ratione cujus illi repugnet realiter identificari cum spiratione activa; imò & includat prædicatum infinitatis, ratione cujus exigit realiter, ibi identificare omnia illa prædicata, cum quibus non opponitur relativè, sequitur quòd in data hypothesi, si Spiritus sanctus non procederet à Filio, filiatio in filio non esset ratio, quâ filius distingueretur realiter à Spiritu sancto, quia ratione infinitatis, filiatio potius exigeret sibi realiter identificare spirationem passivam; sicut de facto sibi realiter identificat spirationem activam, cui non opponitur relativè originativè per modum producentis, & producti. Ad primam confirmationem respondetur; quòd cùm filiatio non constituat personam absolutam, sed relativam, non constituit illam formaliter, & simpliciter incommunicabilem, & distinctam à quavis alia persona; sed tantum incommunicabilem, & distinctam ab illa persona, ad quam refertur. Hinc ad secundam confirmationem respondetur, quòd tametsi Filius constituatur in esse personali, & incommunicabili relativè per filiationem; adeout spiratio activa præsupponat filium jam constitutum in suo esse; non tamen filius per filiationem simpliciter, & præcisè distinguitur relativè à Spiritu sancto, sed tantùm à Patre, ad quem refertur. Quod si sumamus filiationem, ut radicantem spirationem activam, quâ Filius refertur ad Spiritum sanctum, in hoc sensu Filius distingueretur à Spiritu sancto non per filiationem simpliciter, sed ut radicantem spirationem activam. Quòd si dicas, Filium distingui personaliter a Spiritu sancto, consequenter per aliquid personaliter; & spirationem activam non esse proprietatem personalem filii, sed esse rationem communem Patri, & Filio; consequenter filium per solam filiationem, quæ est proprietas personalis filii, distingui in data hypothesi à Spiritu sancto. Contra est, spiratio activa non est proprietas personalis constitutiva, transeat: quia filiatio ut radicans spirationem activam est proprietas personalis, filii, adeout spiratio activa non simpliciter, & præcisè, sed ut radicata in filiatione ingrediatur de facto prædicatum proprium constitutivum Filii. Spiratio activa non est proprietas personalis distinctiva personæ, negatur minor: quia tametsi spiratio activa non constitueret personam filii, illam tamen distingueret à Spiritu sancto, quod sufficit ut dicatur proprietas personalis saltem distinctiva. &c.

Si instes inde sequuturum, constitutivum formale alicujus non esse distinctivum illius formaliter à quovis alio, cùm supponatur spirationem activam esse tantùm proprietatem personalem distinctivam, non constitutivam. Contra est, quia ut paulò antè diximus, solum constitutivum absolutum est distinctivum constituti ab omni eo, quod non est ipsum; quia constitutivum relativum tantùm distinguit constitutum à suo correlativo; quod si constitutum distinguatur non solùm à suo correlativo; sed etiam à quolibet alio, quod non est tale constitutum, id non oritur præcisè ex vi constitutivi relativi, sed ex alio prædicato, ut ex limitatione, ratione cujus paternitas in creatis non solùm distinguitur à filiatione, sed etiam à quolibet alio, quod non est paternitas. In divinis verò quia relatio est infinita; & ratione infinitatis exigat sibi identificare realiter simpliciter omne illud prædicatum divinum, cum quo non dicit oppositionem relativam; fit, quòd paternitas tantùm distinguatur realiter à filiatione, cui relativè opponitur, non verò à spiratione activa, cui opponitur tantùm disparatè, non vero relativè per modum producentis, & producti. Tametsi filiatio qua talis, & secundùm suum præcisum conceptum filiationis constitueret Filium in esse Filii: quia tamen filiatio qua talis opponitur tantum paternitati, non verò spiritui sancto, bene stat, filiationem esse prædicatum constitutivum Filii, & distinctivum ejusdem à Patre: & spirationem activam esse proprietatem personalem distinctivam filii à Spiritu sancto.

Tertium Scotistarum argumentum sic procedit. Repugnat, unam eandemque personam posse produci per duas actiones totales productivas, quia qualibet actio totalis exigit essentialiter suum terminum totalem: quapropter docent Scotistæ, plures actiones totales productivas esse signum distinctionis realis inter terminos productos: atqui in hypothesi impossibili, si Spiritus sanctus non procederet à Filio, adhuc darentur duæ actiones totales productivæ, scilicet generatio per intellectum; & spiratio per voluntatem, & filius produceretur per veram generationem, & per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem: ergo Spiritus sanctus in data hypothesi distingueretur realiter à Filio: cùm repugne: eamdem personam procedere per intellectum, & voluntatem simul, siquidem non potest idem produci duabus productionibus totalibus. Præterea procedere per intellectum est idem ac terminum procedere ut similem; & procedere per voluntatem non est terminum procedere ut similem: ergo si in data hypothesi Filius procederet ut similis, & Spiritus sanctus non procederet ut similis, deberet hic distingui à Filio; quia implicat in terminis produci ut similem. Hinc D. Anselmus lib. de Processione Spiritûs sancti *cap.* 4. ait. ***Habent utique à Patre, esse, Filius, & Spiritus sanctus; sed diverso modo, quia alter nascendo, alter procedendo, ut alii sint ad invicem etiam per hoc:*** & nonnullis interjectis scribit: ***Nam si per aliud non essent plures Filius, & Spiritus sanctus, per hoc solùm essent diversi.*** Hoc idem etiam luculentius docuerat D Anselmus *cap.* 2. ejusdem libri inquiens: ***Filius autem, ut interim aliam causam dicam, quoniam nondum constat, quod Spiritus sanctus de illo sit & procedat, ideo non est Spiritus sanctus: siquidem filius nascendo habet esse de Patre: Spiritus verò sanctus non nascendo, sed procedendo:*** ergo D. Anselmus ponit totam differentiam, ac distinctionem inter Filium, & Spiritum sanctum in eo, quo est nasci & procedere; unde asserit Spiritum sanctum per hoc præcisè distingui à Filio; quia ille procedit per voluntatem, & Filius per intellectum: & quia in data hypothesi si Spiritus sanctus non procederet à Filio adhuc Filius procederet per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem; ideo Spiritus sanctus distingueretur à Filio.

Verùm neque hoc argumentum evincit intentum Scotistarum, quia ut docet D. Thomas quæst. 10. de potent, *art*, 2. processio per voluntatem tantum differt à processione per intellectum ratione ordinis originis, quem dicit ad illam, adeout sublato hoc ordine non sit amplius, duplex processio distincta

stincta sed una tantùm: & quia io data hypothesi tolleretur hic ordo originis, non esset amplius duplex processio sed una tantùm realis, quæ haberet utramque rationem generationis, & spirationis, cui corresponderet unicus terminus, seu una tantum persona, quæ esset simul genita, & spirata: quamobrem in tali hypothesi intellectus, & voluntas non essent principia duplicis processionis passivæ, sed tantùm unius, quæ otrique æquivaleret. Quamobrem cùm dicitur, non posse idem produci duplici actione adæquata, & realiter distincta, est propositio distinguenda; si illæ duæ actiones sint reales, & adæquatæ, & realiter inter se distinctæ, conceditur: sin verò tales actiones ita sint adæquatæ, ut ona ex formalitatibus in termino repletis non distinguatur ab alia, neque ipsæ productiones distinguantur realiter, negatur: ex eo autem, quòd eadem persona prodnceretur per intellectum, & voluntatem, productio per intellectum non distingueretur realiter à productione per voluntatem, siquidem una processio non esset eb alia: sed ambæ simul influerent in eundem terminum, in quo formalitas correspondens oni productioni non distingueretur realiter à formalitate correspondente alteri productioni, quia in divinis tota distinctio realis habetur ratione oppositionis relativæ penes producens, & productum; & in data hypothesi quamvis productiones essent distinctæ adæquatæ formaliter vel virtualiter intriosecè, non tamen ita distinguerentur realiter, unde non repugnat eandem personam in tali hypothesi posse produci per illas duas actiones intellectûs, & volnntatis. Quòd si dicas processionem per voluntatem exigere essentialiter pro suo termino proprietatem constituentem perpersonam: atqui eo ipso, quòd processio per voluntatem terminatur ad Filium identicè sub aliqua formalitate sibi identificata, nequit terminari ad proprietatem constituentem personam: proinde processio per volnntatem nequit habere terminum, qui sit formalitas realiter simpliciter identificata cum Filio. Contra est, qoia tunc processio per voluntatem exigit essentialiter pro termino proprietatem constituentem personam, si influat in terminum adæquetè, & seorsim ab alia processione: non verò si tantùm inadæquatè simul concurrat cum alia processione. Dupliciter potest processio per voluntatem considerari; primò ratione ordinis ad principium formale, *quo* seu voluntatem; secundò ratione ordinis ad principium *quod* scilicet Patrem, & Filium; sub prima consideratione tantùm exigit pro termino impulsum; sub secunda verò postulat impulsum personaliter subsistentem: & quia in data hypothesi si Spiritus sanctos non procederet à Filio, non maneret processio per voluntatem in secunda consideratione, seu ratione ordinis ad principium *quod*, sed tantùm ratione ordinis ad principium formale *quo*, seu voluntatem ideo non maneret processio per voluntem cum hoc prædicato essentiali, qnod est procedere à Patre, & Filio: ex quo manifestè sequitur, quòd in data hypothesi processio per voluntatem non maneret cum exigentia termini constituentis personam, ut sopponebatur in producta iostantia; sed tantùm maneret cum exigentia termini potiùs advenientis personæ constitutæ.

Sed urgebis, quæ se ipsis differunt, nequeunt esse idem secundùm eam rationem, qua differunt: sed filiatio, & spiratio passiva se ipsis differunt, quia illa filium hæc Spiritum sanctum constituunt: consequenter in quaconque hypothesi sumantur, nequeunt esse idem, sed necesse est differant inter se, Sed contra, quia aliud est de facto filiationem & spirationem passivam differre se ipsis; & aliud differre in data hypthesi, si Spiritus sanctus oon procederet à Filio, eatenus de facto differunt se ipsis, quia spiratio passiva producitur etiam à Filio, cui proinde opponitur relativè, ac realiter distinguitur Filius à Spiritu sancto: in data autem hypothesi quia spiratio passiva non esset originativè à Filio; cessaret ratio qua filiatio, & spiratio passiva deberent inter se realiter differre; eatenus modo differunt, quia relativè opponuntur, & Filius est principium spirationis passivæ: & in data hypothesi, quie Spiritus sanctus non procederet à Filio, ei non opponeretur ratione originis, proiode non differrent se ipsis. Rursus posset etiam aliter satisfieri præcipuo Scotistarum argumento: posset enim negari major, quia sicut io divinis non repugnarent illæ duæ processiones activæ per intellectum, & voluntatem eidem personæ Patris: ita neque in data hypothesi repugnarent duæ processiones eidem personæ Filii: re enim intimiùs considereta difficulter potest ratio discriminis assignari. Ad id quod addebatur non posse unam eandemque personam produci per duas productiones totales, jam superiùs satisfecimus, & possumus etiam ulteriùs respondere, quòd in dete hypothesi non produceretur eadem persona simpliciter per secundam productionem, sed tantùm secundum quid seu in ratione talis esse: unde per productionem procedentem ab intellectu produceretur simpliciter Filius: & per secundam provenientem à vnluntete produceretur tantùm secundùm quid: etenim Petrus quamvis per generationem producatur simpliciter inesse personæ; per calefactionem supervenientem adhuc dicitur produci secundùm quid inesse calidi: ita proportionaliter possemus respondete in date hypothesi Filium produci simpliciter in esse geniti per primam productionem emanantem ab intellectu; & produci secundùm quid in esse spirati per secundam productionem provenientem à voluntate. Quòd si dicas non esse minùs efficacem in divinis processionem per voluntatem, quàm sit processio per intellectum; proinde sicut per processionem ab intellectu producitur simpliciter Filius, ita etiam per processionem emanatam è voluntate deberet simpliciter Filius produci, & non secundùm quid, ne processio per voluntatem sit minùs efficax. Sed contra quie quòd in data hypothesi per processionem emanatam à voluntate noo produceretur simpliciter persona Filii, sed tantùm secundùm quid, id non orîretur ex deffectu efficaciæ processionis per voluntatem divinam; sed quia processio per voluntatem præveniretur à processione per intellectum, quæ in sigoo priori intelligeretur producere simpliciter Filium quamobrem quia processio per voluntatem supponeret, ac inveniret personam jam productam per intellectum; ideo processio per vòluntatem non ex defectu propriæ efficaciæ, sed quia præcisè inveniret personam jam productam in signo prioris originis, illam non produceret simpliciter, sed tentùm secundùm quid. Idque firmari etiam potest, quia relatio spirationis activæ licèt sit æquè perfecta ac subsistens, sicut paternitas & filiatio, non tameo constituit personam, sicut paternitas & filiatio, non quia spiratio activa sit in Patre & Filio minus perfecta, & subsistens, aut minus efficax, sed quia invenit personas jam constitutas per priores relationes paternitatis, & filiationis: ex quo sequitur, quod spiratio activa non constituat simpliciter personas divinas in esse personæ, sed tantùm inesse personæ

spirantis: ita à pari in data hypothesi si una ac eadem persona produceretur per intellectum, & voluntatem, per primam productionem provenientem ab intellectu constitueretur in esse personæ genitæ simpliciter, & per secundam productionem in ratione personæ spiratæ: etenim vix potest assignari discrimen inter spirationem activam in Patre, & Filio, & hanc productionem per voluntatem in data hypothesi.

Ad aliud quod addebatur inde secuturum eandem personam produci ut similem & non ut similem respondetur id posse commodè salvari respectu diversorum, non enim repugnat eandem personam ratione unius processionis esse similem, & ratione alterius non esse similem, contradictio enim tollitur penes diversas rationes, Filius igitur per primam productionem per intellectum tantùm esset similis, & per productionem per voluntatem non esset similis, sed tantùm haberet rationem amoris. Quod verò ad authoritatem attinet D. Anselmi respondent aliqui in allegatis locis D. Anselmum tantùm loqui de distinctione virtuali. Alii asserunt D. Anselmum tantùm exponere ea, in quibus tunc Latini cum Græcis conveniebant, quorum unum erat, quòd Filius à Spiritu sancto distingueretur, quia ille nascendo, iste procedendo suum à Patre acciperet esse, deinde ostendit non posse esse hos duos modos distinctos, nisi Spiritus sanctus sit à Filio, eò quia in divinis omnia sint unum, ubi non intervenit oppositio relationis D. Thomas *quæst. 10. de potentia art. 1. ad 3.* respondet D. Anselmum non fuisse locutum ex propria sententia, sed tantùm disputationis causa supposita sententia Græcorum, qui licèt distinxissent realiter Spiritum sanctum à Filio, non tamen concedebant processionem Spiritûs sancti à Filio: & hanc esse veram interpretationem D. Anselmi ex eo liquet, quia in præcitatis capitibus ponit D. Anselmus fundamenta, in quibus Græci, & Latini conveniunt, quorum unum est, realis distinctio Spiritus sancti à Filio ne igitur sententiæ catholicæ, quam sequuntur omnes Latini, & quondum ipse contra Græcos ostenderat de processione Spiritûs sancti à Filio, coarctaret realem distinctionem Spiritûs sancti à Filio, ideo disputativè supposita sententia Græcorum protulit D. Anselmus præcitata verba, non verò quòd senserit Spiritum sanctum non esse distinguendum à Filio, si ab ipso non procederet. Quòd si urgeas ex hypothesi, quòd darentur duæ processiones una per intellectum, & alia per voluntatem adhuc non possent hujusmodi processiones terminari ad unam, & eandem personam, sed exigerent necessario terminari ad duas personas realiter distinctas: siquidem Spiritus sanctus à solo Patre productus verè esset rationalis naturæ individua substantia, consequenter vera persona, quia illi conveniret tota distinctio personæ: pari pacto etiam Filius ex vi suæ processionis per intellectum esset vera persona: atqui in data hypothesi si Spiritus sanctus non procederet à Filio adhuc esset terminus processionis per voluntatem; & Filius esset terminus processionis per intellectum, proinde uterque esset vera persona, consequenter adhuc in data hypothesi Spiritus sanctus realiter personaliter deberet à Filio distingui. Contra est, quia idem argumentum fieri potest contra Scotistas de Patre ut genitore, & spiratore: siquidem ex hypothesi, quòd Spiritus sanctus non procederet à Filio, relatio spiratoris in Patre esset prædicatum incommunicabile, quia ita conveniret Patri, ut nulli alii personæ posset competere; sicut enim paternitas ideo est incommunicabilis, quia convenit soli Patri; perinde in data hypothesi ratio spiratoris esset incommunicabilis, consequenter spirator esset quid incommunicabile, & subsistens in natura divina: consequenter si argumentum concluderet, in Patre essent duæ personæ ratione paternitatis & spirationis activæ incommunicabilis: æquè enim esset Pater per paternitatem, ac spirator per spirationem activam, & æquè Patri, ac spiratori conveniret definitio personæ, quia æquè Pater ac spirator esset rationalis naturæ individua substantia, proinde vera persona. Contra secundò negatur inde secuturum Filium & Spiritum sanctum esse duas personas realiter personaliter distinctas, quia tametsi uterque haberet rationem personæ, non propterea essent duæ personæ distinctæ realiter personaliter, quia non sufficit ad pluralitatem personarum pluralitas rationum personæ, sed ulteriùs requiritur pluralitas subsistentiarum incommunicabilium: quæ pluralitas in data hypothesi non reperiretur in Filio & Spiritu sancto secluso ordine originis: sicut non valet in Christo Domino, est ratio personæ divinæ, quia est individua substantia naturæ divinæ, & est pariter ratio personæ humanæ, quia est individua substantia naturæ humanæ, unde sequeretur in Christo esse duas personas, divinam unam, alteram humanam, quod est contra fidem. Igitur in Christo non est nisi unica persona divina, quia unica tantùm datur subsistentia divina, à qua solum habet, ut sit individua substantia naturæ divinæ: quamvis enim sit in Christo rationalis naturæ substantia, quia tamen caret propria subsistentia incommunicabili, ideo non datur persona humana, ut enim natura humana sit persona, id non habet ex propria substantia, sed ex subsistentia incommunicabili, unde in Christo cùm non sint duæ substantiæ individuæ, sed unica tantùm propter unitatem subsistentiæ, non nisi una datur persona divina, per quam subsistit natura humana Christi: cùm enim definitur persona esse rationalis naturæ individua substantia, per individuam substantiam intelligitur subsistentia incommunicabilis, & cùm in Christo non dentur duæ subsistentiæ incommunicabiles sed tantùm subsistentia divina, per quam Christus subsistit incommunicabiliter, ideo in Christo quamvis dentur duæ naturæ divina, & humana, datur nihilominus una tantùm persona divina: ergo etiam in data hypothesi, quia in illa persona, quæ procederet per intellectum, & voluntatem, daretur unica tantùm subsistentia incommunicabilis, esset tantùm una persona non duplex. Si dicas modum procedendi passivè per intellectum esse incompossibilem cum modo procedendi passivè per voluntatem, & Filium procedere per intellectum, & Spiritum sanctum per voluntatem, proinde adhuc in data hypothesi sequi Spiritum sanctum distingui realiter personaliter à Filio. Contra est, quia modi productionis passivæ Filii & Spiritus sancti non sunt incompossibiles nisi ratione oppositionis producentis, & producti, etenim generatio activa eatenus distinguitur à spiratione passiva, quia generatio activa est etiam principium spirationis passivæ: & quia in data hypothesi cessaret oppositio relativa in ratione producentis, & producti, ita cessaret distinctio realis, & personalis inter generationem activam, & spirationem passivam.

Dices tota ratio, cur in data hypothesi Spiritus sanctus non distingueretur realiter personaliter à Filio, est, quia non daretur oppositio relativa in ratione producentis, & producti inter Filium & Spiritum sanctum; atqui exclusio oppositionis relati-

ræ in ratione producentis, & producti non officit, quò minùs divinæ personæ distinguantur inter se realiter personaliter: proinde in data hypothesi adhuc Spiritus sanctus deberet realiter personaliter distingui à Filio: major, & consequentia tenent, minor ostenditur, quia pater non opponitur Spiritui sancto ratione paternitatis, neque Filius ratione filiationis, & nihilominus Pater & Filius per Paternitatem & filiationem distinguuntur à Spiritu sancto: ergo ad distinctionem personarum non requiritur oppositio producentis & producti, sed tantum sufficiunt relationes disparatæ. Sed contra negatur minor, quia paternitas, filiatio & spiratio passiva non sunt relationes simpliciter disparatæ: siquidem habent actualem oppositionem mediatam in ratione termini: Pater enim constituitur inesse Patris per relationem paternitatis radicantis spirationem activam, proinde ut exigentis relationem spiratoris, qua Pater refertur ad Spiritum sanctum: quamobrem cùm paternitas in suo esse adæquato includat etiam rationem spirationis activæ, & relationem spiratoris, rectè dicitur Pater distingui per paternitatem sumptam adæquatè à Spiritu sancto realiter personaliter: & ita dicendum est de filiatione: de ratione paternitatis, & filiationis divinæ est exigere relationem spirationis activæ ut prædicatum sibi omnino intrinsecum & quod directè, & formaliter opponatur Spiritui sancto: quamobrem si Spiritus sanctus non procederet à filio, non esset in Filio vis spirativa activa. consequenter non posset realiter personaliter distingui à Spiritu sancto.

Dices: si Spiritus sanctus procederet liberè à Filio adhuc distingueretur realiter ab illo, quamvis non intelligeretur actu procedere à filio: ergo absolute si Spiritus sanctus non procederet à Filio, adhuc deberet realiter ab illo distingui. Antecedens evincitur, quia si Spiritus sanctus liberè procederet à Filio, quamvis de facto non procederet, adhuc posset procedere: sed quod ab aliquo non distinguitur realiter, non potest ab illo realiter procedere: ergo ex hypothesi si procederet liberè realiter distingueretur à filio, etiam si actu ab illo non procederet. Sed contra distinguitur antecedens, si licèt actu non procederet, posset tamen ab illo procedere, distingueretur realiter personaliter à Filio, non conceditur antecedens: si nec procederet, nec posset procedere, negatur antecedens & consequentia: hypothesis, de qua sit quæstio, supponit Spiritum sanctum nec de facto procedere, nec posse procedere à Filio, consequenter in hac hypothesi Spiritus sanctus non distingueretur realiter personaliter à Filio.



LIBER TERTIUS.

Quomodo Christus sit Caput Ecclesiæ, & quibus gratiis cumuletur?

CUm in præcedente libro ostenderimus Christum verum fuisse Ecclesiæ Authorem & Institutorem, superest inquirendum, quomodo sit Caput Ecclesiæ, siquidem de ratione Capitis est, ut sit membrum illius corporis, cujus est caput, & author alicujus operis non dicitur esse pars ejusdem operis, ad quod se habet potiùs extrinsecè; non enim faber est quid intrinsecum pertinens ad fabrefactum; neque est pars ulla integralis: unde si Christus est author & institutor Ecclesiæ, non videtur, quomodo esse possit caput seu pars præcipua ejusdem. Unde in hoc libro explicandum sit Caput Ecclesiæ, & quibus gratiis Christi humanitas cumuletur?

CAPUT I.

An & quomodo Christus dicatur esse Caput Ecclesiæ?



Uo solent in præsenti controversi; Primum an Christus sit Caput Ecclesiæ. Secundum quænam sit gratia, per quam in ratione Capitis constituatur. Circa primum unanimi consensu asserunt Theologi, Christum non solum ut Deum, & ut includentem personam Verbi, & naturam divinam, sed etiam secundum humanitatem seu naturam humanam esse Caput Ecclesiæ. Juvat tamen observare, quod, cum Christus dicitur caput ecclesiæ secundum humanitatem; illud secundum humanitatem sumi potest dupliciter; primò reduplicativè; adeo ut Christus prout simpliciter homo sit Caput Ecclesiæ, & in hoc sensu non procedit quæstio, quia certum est Christum in quantum hominem non esse caput Ecclesiæ, siquidem quod convenit Christo *ut homini*, reduplicativè convenit cuihbet homini; quia reduplicativa propositio includit causalem, cui æquivalet; & causalis includit universalem: hinc ex hac propositione homo in quantum rationalis est visibilis, rectè infertur, omnem hominem esse visibilem; perinde si Christus reduplicativè ut homo esset caput Ecclesiæ, sequeretur, quod omnis homo esset caput ecclesiæ, quod deprehenditur falsum: quòd si omni homini non convenit esse caput Ecclesiæ; neque Christo reduplicativè ut homini. Secundò hæc propositio *Christus ut homo est*

caput

ullum ab ipsa influxum recipit: bene tamen Ecclesia dependet à Christo ut homine specificativè tanquam à suo capite, à quo recipit influxum vitæ, seu gratiæ sanctificantis, qua fideles vivunt Deo; sin verò consideretur Christus, prout est Deus, præscindendo ab humanitate, quia ut Deus est caput totius Ecclesiæ, & omnis creaturæ: sub hoc capite Christus ut homo dicitur membrum, eò quia dependeat à Deo, à quo accipit influxum gratiæ: ideoque stat Christum non posse dici membrum Ecclesiæ, prout hæc habet pro capite Christum ut hominem specificativè sumptum, posset tamen dici membrum Ecclesiæ, ut hæc habet pro capite ipsum Deum. Quòd si dicas Christum ut hominem specificativè sumptum à se ipso ut homine aliquid recepisse, nimirum exaltationem proprii nominis, & glorificationem corporis, proinde posse Christum ut hominem dici, ac esse membrum Ecclesiæ, quatenus hæc habet pro capite Christum ut hominem: quia eatenus Christus ut homo non dicitur membrum Ecclesiæ, eò quia nihil recipiat influxûs ab Ecclesia: fideles enim ideo dicuntur membra Ecclesiæ, quia influxum accipiunt à Christo, ut capite, ergo si Christus ut homo à se ipso ut homine recepit exaltationem proprii nominis, & corporis glorificationem, est & ipse membrum Ecclesiæ. Sed contra negatur consequentia, quia licèt recipiat à se ipso ut homine exaltationem proprii nominis, & corporis glorificationem, non tamen inde sequitur dependere à se ipso ut homine, ac esse membrum Ecclesiæ: siquidem quod quisque à se ipso recipit, non dicitur illud recipere per veram dependentiam: ad rationem autem membri non sufficit aliquid recipere à se ipso, alioquin Christus ut homo esset membrum sui ipsius ut hominis, quod nemo hactenus somniavit. Quamobrem Christus ut homo dici tantùm potest membrum Ecclesiæ, quatenus hæc pro capite habet Christum ut Deum, non verò ut habet pro capite Christum ut hominem, ut hactenus expendimus. Ad id, quod afferebatur ex D. Paulo 1. Corinth. 12. *Vos estis corpus Christi & membra de membro*, respondetur illud de membro perinde esse ac ex parte, adeout sensus sit, quòd non soli Corinthii fideles, sed etiam alii sint membra Christi, ut explicat Cajetanus in D. Thomam ibid. lect. 3. Alii explicant verba Apostoli *membra de membro*, ita, ut Corinthii sint membra, quatenus à D. Paulo, qui etiam erat membrum Ecclesiæ, conversi fuerunt ad Christum, in quo sensu dicuntur membra de membro, id est dependentia à D. Paulo quoad conversionem. Quòd si illud *de membro* referatur ad Christum, sensus est, quòd Christus sit membrum Ecclesiæ, prout caput istius est solus Deus præscindendo ab humanitate Christi, in quo sensu diximus Christum ut hominem esse membrum Ecclesiæ ut habentis pro capite Deum, à quo Christi humanitas dependet, & suum accipit influxum, seu totam gratiarum plenitudinem: sin verò illud *de membro* referatur ad Christum ut hominem, & ut est caput Ecclesiæ, in hoc sensu non est membrum, quia Ecclesia non influit in Christum ut hominem, bene tamen Christus in Ecclesiam influit suam gratiam. Eo ipso quòd Christus est caput morale Ecclesiæ, non potest membrum esse ejusdem, ratio est, quia membrum, ut docet D. Thomas *in cap. 12. ad Rom. lect. 2.* dicit dependentiam à reliquis membris ejusdem corporis, quam dependentiam significavit Apostolus 1. ad Corinth. 12. inquiens: *Non potest autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarii:* quibus verbis utitur etiam D. Thomas *in 3. dist. 13. quæst. 2. art. 1. ad. 2.* ut probet Christum ut hominem non esse membrum Ecclesiæ, sed tantùm caput: atqui Christus etiam ut homo nullam habet depeudentiam quoad vitam supernaturalem gratiæ à membris corporis mysticis Ecclesiæ: proinde non potest ei convenire ratio membri, tametsi ei conveniat ratio capitis: ratio discriminis est, quia caput non dicit dependentiam à cæteris membris, sed potius superioritatem, ac virtutem influendi in cætera membra ejusdem corporis, cujus est ipse caput.

Instatis quamvis Christus ut præcisè est caput Ecclesiæ, non possit dici membrum ejusdem, eo quia sub præcisa ratione capitis nullum habeat influxum à membris Ecclesiæ, qui influxus requiritur necessariò ad rationem membri, adhuc poterit dici membrum Ecclesiæ quatenus ut homo subjicitur sibi ipsi ut Deo, qui est altius Ecclesiæ caput, adeo ut si consideretur Christus ut Deus sit verum caput Ecclesiæ, quia ita influit in omnia membra ejusdem, ut ipse nullum accipiat influxum, sin autem consideretur ut homo, est membrum Ecclesiæ, quia accipit influxum à Deo. Sed contra quia Christus est caput Ecclesiæ, non solùm secundùm divinitatem, verùm etiam secundùm humanitatem, potest enim Ecclesia dupliciter considerari. Primò ut includit Christum, quatenus est Deus. Secundò quatenus est homo tantùm; si sumatur Ecclesia quatenus habet pro capite Christum ut hominem, tunc non potest Christus etiam ut homo dici membrum Ecclesiæ, & ratio est, quam assignat D. Thomas in 3. *dist. 13. quæst. 2. art. 1. ad. 6.* quia de ratione membri est dicere dependentiam ab aliis commembris, vel saltem à capite, & Christus ut homo nil recipit ab aliis Ecclesiæ conmembris, sed tantùm à Deo, consequenter non potest dici membrum Ecclesiæ prout hæc intelligitur habere pro capite Christum ut hominem: sin verò consideretur Ecclesia, ut habet pro capite Christum ut Deum, in hoc sensu Christus ut homo dicitur membrum Ecclesiæ, non quia influxum recipiat ab aliis conmembris, vel ab aliis dependeat, sed quia accipit plenitudinem gratiarum à Deo, à quo solo dependet.

Dices vel Christus est propriè caput Ecclesiæ, vel tantùm impropriè: neutrum videtur dicendum siquidem non est caput proprium, sed tantùm per quandam analogiam, ac similitudinem ad caput naturale hominis, ut docet D. Thomas *art. 1.* quod autem per analogiam dicitur, non dicitur propriè tale, sed tantùm metaphoricè, ut constat, cùm Christus dicitur in scripturis Pastor bonus, vitis, leo, lapis angularis, quæ omnia cùm tantùm per quandam analogiam dicantur de Christo, nonnisi impropriè & metaphoricè de illo prædicantur: unde stat Christum propriè non esse caput Ecclesiæ: quod uoc etiam impropriè sit Christus dicendus caput Ecclesiæ, ex eo etiam evincitur, quia si esset caput Ecclesiæ, maximè esset ob prioritatem eminentiæ, & influxus, sed hoc omnia cum proprietate conveniunt Christo ergo non est caput Ecclesiæ impropriè. Sed contra, negatur Christum analogicè, ac similitudinariè non esse dicendum caput Ecclesiæ, quamvis eminentia & superioritas conveniat propriè Christo, etenim Christus in scripturis nonnisi analogicè dicitur Leo de Tribu Juda ratione fortitudinis, & nihilominus fortitudo cum omni proprietate Christo convenit, à pari licèt ratio prioritatis, eminentiæ, & influxus, quamvis propriè conveniant Christo, adhuc Christus nonnisi analogicè, & similitudinariè dicitur caput Ecclesiæ, sicut quam-

vis propriè fortitudo Christo conveniat, non nisi analogice Christus dicitur Leo, ratio est, quia quamvis fundamentum analogiæ sit fortitudo, in qua Christus assimilatur Leoni; res tamen significata per hoc nomen *Leo* non est fortitudo, sed ipsa natura Leonis, quæ non nisi analogice & metaphorice enunciatur de Christo: perinde quamvis esset primum eminens & influens, in quo Christus assimilatur capiti naturali, & fundamentum analogiæ inter illud, & Christum in ratione capitis non sit res significata per nomen Caput, sed ipsa res, quæ significatur per primum eminens, & influens corporeum, quod propriè dicitur de capite naturali, ad huc impropriè & metaphorice enunciatur de capite spirituali.

Dices Christi humanitas constat ex corpore & anima rationali: atqui Christus non est Caput Ecclesiæ secundum corpus proprium, sed tantum secundum animam: ergo Christus non est caput Ecclesiæ secundum humanitatem etiam impropriè & analogicè, sed tantùm secundum animam: siquidem Christus est Caput Ecclesiæ per gratiam habitualem ut docet D. Thomas *in 3. part. art. 5.* & gratia habitualis adæquatè subjectatur in anima, & nullo modo in corpore, neque in humanitate, ut coalescente ex anima & corpore, alioquin dissoluta unione inter animam & corpus destrueretur gratia habitualis; quæ tamen cùm sit accidens spirituale, exigit soli spirituali subjecto inhærere, unde si Christus constituitur caput Ecclesiæ per gratiam spiritualem sequitur, quod tantum secundum animam sit caput Ecclesiæ, non secundum corpus. Sed contra, quia Christus est Caput Ecclesiæ secundum humanitatem, proinde non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus, quia humanitas utrumque complectitur corpus & animam, & quia nobilior, ac præcipua pars est anima, ideo per se primo secundum animam, seu magis principaliter secundum animam; & minus principaliter secundum corpus; adeo ut illud secundum corpus referatur etiam ad corpus ipsius Christi. Quod si dicas corpus Christi traxisse materiam corporalem ab illis; & caput debet esse primum, consequenter non derivari à membris. Respondetur, quòd licèt corpus Christi traxerit materiam corporalem ab illis; vitam tamen immortalem omnes trahunt à Christo ut homine specificativè sumpto, qui propterea influit vitam in omnes ac omnibus supereminet, ac omnes ab ipso dependent; ergo Christus ut homo specificativè, seu ut comprehendens animam & corpus est caput Ecclesiæ.

Ratio non est assignatu difficilis: quia sicut homines sunt membra Christi secundum corporà, & animas, eò quia secundum utramque partem perficiantur à Christo, ac recipiant influentiam: ita etiam ex parte Christi, ne dum anima, sed etiam Christi corpus influit in homines dona gratiæ, quatenus sua passione, & actibus infinitè meritoriis non solum spiritualibus verum etiam corporalibus à corpore elicitis, ac productis non redemit, nobisque æternam promeruit gratiam: unde secundum utramque partem animæ, & corporis non divisivè, & seorsim, sed copulativè & simul, licet non æquè primo sed secundum animam partem nobiliorem primariò; & secundum corpus partem ignobiliorē secundariò, seu minus principaliter est Christus specificativè ut homo caput Ecclesiæ totius seu triumphantis in cœlis, & militantis in terra: siquidem humanitas Christi influit eo modo, quo existit, sed existit cum anima & corpore simul junctis; ergo secundum utramque partem copulativè, ac unitim sumptam influit in Ecclesiam, & est caput ejusdem. Præterea quia anima & corpus Christi ad rationem capitis comparantur eodem modo, quo verbo Divino copulantur: sed corpus unitur Verbo mediante anima, fuit enim corpus mediante anima assumptum à verbo, ut docent communiter Theologi cum Div. Thoma 3. *part. Quæst. 9. art. 1.* ergo ad influendum in Ecclesiam; & ad rationem capitis per se primò comparatur anima, & secundariò corpus; adeo ut hoc non nisi mediante anima influat, ac sit caput Ecclesiæ.

Potest tamen in contrarium opponi: Quia Christus secundum idem est nunc caput Ecclesiæ ac fuit, cùm viveret in hac mortali vita, & secundum quod fuit caput in triduo: atque in triduo non potuit esse caput secundum humanitatatem, sed tantum secundum animam; siquidem in triduo humanitas, seu complexio ex anima & corpore simul unius fuit soluta, ergo non potuit in triduo esse caput Ecclesiæ; quia quod non est, non potest esse caput alterius. Secundò quia anima Christi in triduo non radicabat ea, quibus Christi corpus tunc nostram operabatur salutem: ergo tunc erat gratia capitalis, prout præcisè animam afficiebat, non corpus juvabat: adeo, ut gratia capitis manserit in sola anima, cui inhæsit, sed eadem gratia capitis quæ fuit in triduo necis Christi, eadem est nunc: ergo nunc & de facto gratia capitis solum habetur in ordine ad animam, adeo ut Christus non per integram humanitatem coalescentem ex anima, & corpore simul unitis sit caput Ecclesiæ, sed per solam animam, ut distinctam à corpore, alioquin in triduo necis Christus non fuisset caput Ecclesiæ. Sed contra ad primum oppositum distinguitur major est caput nunc Ecclesiæ, ac fuit, cùm viveret in vita mortali secundum idem adæquatè, negatur major: secundum idem inadæquatè, conceditur major; & concessâ minori, negatur consequentia. Quia tametsi formalis ratio, per quam Christus in ratione capitis constituitur, sit eadem quocunque tempore, & in quovis statu; scilicet gratia habitualis verbo conjuncta, & institutio libera Dei: adhuc substratum *quo* non est idem adæquatè: quia in statu viæ cùm Christus viveret apud nos in vita mortali, ex unione animæ cum corpore resultabat humanitas integra coalescens ex anima & corpore, quæ operabatur actus satisfactorios pro nostra redemptione: unde humanitas erat id, quo pro substrato Christus erat Caput Ecclesiæ: in triduo autem substratum non mansit adæquatè; sed tantum inadæquatè, scilicet sola anima cui gratia capitis inhæsit, & fuit substratum, quo Christus erat caput Ecclesiæ: ideoque non secundum idem adæquatè, sed secundum idem inadæquatè in triduo necis fuit Christus caput Ecclesiæ. Ad secundum respondetur in triduo necis, gratiam habitualem animæ Christi non radicàsse formaliter ea, quibus corpus Christi tunc temporis nostram operabatur salutem ex defectu unionis corporis cum anima: bene tamen ea radicàsse exigitivè, quatenus postulabat ea radicare. Vel posset etiam responderi: gratiam habitualem esse gratiam capitis adæquatè, quando anima est corpori unita; & tunc se ipsa, vel mediantibus donis in ea radicatis ad omnes actus capitis concurrere; sed in triduo non fuisse adæquatam gratiam capitalem; sed tantum principalem, eò quia animam actuabat, secundum quam Christus in triduo fuit caput Ecclesiæ: gratia enim capitis adæquate coalescit ex gratia habituali afficiente animam, & donis actuantibus & corpus unitum animæ, illudque elevantibus ad influendum

caput Ecclesiæ, sumi potest specificativè, adeo ut particula *ut* importet subjectum; & sensus sit, quòd Christus quatenus hic homo numerò sit caput ecclesiæ; adeo ut humanitas non sit causa, quate Christus caput sit, sed subjectum *quo* gratiæ, per quam constituitur caput ecclesiæ.

Dicendum est, Christum non solum ut Deum, sed etiam ut hominem esse caput Ecclesiæ triumphantis in cœlis, & militantis in terris. Esse Christum ut Deum caput Ecclesiæ nulli potest esse dubium: quia si caput est, quod reliquis corporis membris supereminet ac suppeditat influxum, ac spiritus animales, quibos vegetant, seotiunt, uniuot; adeo ut reliqua corporis membra dependeant à capite: perinde C..ristus ut Deus longè ac infinitè supereminet Ecclesiæ, quæ in terris militans est cœtus omnium fidelium, ut in cœlis triumphans est cœtus omnium beatorum; & cum fideles in Ecclesia militante, & beati io triumphante sint creaturæ finitæ ac limitatæ perfectionis Christus ut Deus, quia infinitus simpliciter in quovis genere perfectionuoi infinitè supereminet utique Ecclesiæ, cui suppeditat influxum luminis gloriæ, triumphanti scilicet quo beati divinam vident essentiam, ac vivunt beatè; & militanti gratiarum dona, quibus spiritualiter operantur, meritoriè agunt, ac sanctè vivunt beneficio gratiæ habitualis, quâ affecti sanctificantur, ac per adoptionem fiunt filii Dei cum jure ad cœlestem hæreditatem: cum igitur utraque Ecclesia dependeat à Christo ut Deo, quoad influxus gratiarum, & ut à superiore ac supereminente, à quo totum Ecclesiæ corpus regitur, nulli dubium, quin Christus ut Deus sit caput utriusque Ecclesiæ.

Difficultas est an etiam ut homo sumptus *ut homo* specificativè sit Caput Ecclesiæ, & respondetur affirmativè, quia assertum evincitur ex scripturis. Apostolus enim ad Ephesios I. scribit de Christo. *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dextram suam in cœlestibus. Et omnia subjecit sub pedibus ejus & ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet.* Apostolum fuisse loquutum de Christo ut homine specificativè: ex eo liquet, quia Christus ut Deus non fuit à Patre suscitatus; neque ejus beneficio constitutus ad dexteram suam, & rebus omnibus præpositus; quoa Christus ut Deus est ejusdem essentiæ, ac naturæ cum Patre, cui propterea est omnino æqualis. Rursus quia Apostolus subdit: *omnia subjecit sub pedibus ejus*; quæ verba intelliguntur de Christo non solùm ut Deo, sed etiam ut homine sumpto specificativè pro hoc homine Christo, ut explicat D. Thomas ibid. Lect. 8. inquiens: *Per pedes intelligitur infima pars corporis, per caput verò suprema. Licet autem Divinitas & humanitas in Christo non habeant rationem partis, attamen Divinitas, quæ est supremum in Christo intelligitur per caput* Corinth. II. *Caput Christi Deus. Humanitas verò, quæ infima est intelligitur per pedes* Psal. 131. *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Ex eo igitur quod Pater omnia creata subjecerit Christo non solum ut Deo, cui ab æterno omnia subjecta erant, sed etiam ut homini sumpto specificativè, sequitur Christum ut hominem esse caput totius creaturæ, consequenter utriusque Ecclesiæ triumphantis in cœlis, militantis in terris. Humanitas Christi dupliciter potest considerari, primò respectu Divinitatis in eodem Christo, & relativè ad Divinitatem est pedes, seu pars inferior, ac demissior. Secondo respectu creaturarum extra Christum sive in cœlis sive in terris, & relativè ad istas est caput; adeo ut secondum diversos respectus eadem Christi humanitas, seu Christus specificativè sumptus sit pes, & caput: quia de eodem loquitur Apostolus cum ait: *omnia subjecit sub pedibus ejus*, de quo ait esse Caput Ecclesiæ, de quo ante dixerat suscitatum esse à mortuis, constitutum ad dexteram in cœlestibus, & supra omnem principatum; quæ omnia cum non nisi de Christo secundum humanitatem verificentur, sequitur evidenter ex Apostolo, Christum ut hominem specificativè sumptum esse caput utriusque Ecclesiæ militantis, ut triumphantis. Hinc D. Thomas in 3. dist. 13. quæst. 2. art. 1. & 2. expendens verba Apostoli ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam* ait, hæc verba de Christo ut homine specificativè accipienda esse, de quo Apostolus Ephesiis loquebatur.

Evincitur secundò assertum; quia Ecclesia est corpus quoddam mysticum per analogiam ad corpus naturale, ut significat Apostolus 1. Corinth. 12. & ad Rom. 12. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo.* Si igitur omnes fideles unum corpus efficiunt in Christo; hujus corporis moralis, & mystici debet assignari caput morale, ne dicatur esse corpus monstrosum & acephalum: caput autem hujus corporis debet esse Christus, qui propterea est caput utriusque Ecclesiæ triumphantis & militantis, ut infert D. Thomas, qui in corpore articuli ex similitudine humani capitis, ad cujus instar Christus dicitur caput Ecclesiæ; ait D. Thomas: *Sicut Ecclesia dicitur unum corpus ad similitudinem humani corporis; ita Christus est caput hujus corporis: caput enim in homine tria habet, nempe anterioritatem ordinis, intellige secundum situm: est enim prima pars incipiendo a superiori: perfectionem, quia in capite vigent omnes sensus; non autem in aliis partibus; & virtutem quia virtus, & motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorum in suis motibus & actibus est à capite propter vim sensitivam & motivam ibi dominantem:* quod ut explicat Cajetanus intelligendum est non de primo principio simpliciter inter membra humani corporis, sed de comprincipio primi simpliciter, scilicet cordis. Atqui per D. Thomam: *hæc omnia* Christo, ut homini conveniunt spiritualiter in ordine ad membra Ecclesiæ: gratia enim illius est prior, & altior secundum propinquitatem ad Deum. Est enim perfectior: fuit enim in Christo plenitudo omnium gratiarum. Habet etiam virtutem influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ: unde Christus convenienter dicitur Caput Ecclesiæ; quia capiti humani corporis tria sunt vel maximè propria: scilicet *prioritas*, quia est prima pars hominis incipiendo à superiori. Secundò *perfectio*, quia in capite vigent omnes sensus interiores & exteriores: in reliquis enim membris est solus tactus. Tertiò *virtus*, seu causalitas, quia motus cæterorum membrorum diriguntur & regulantur à capite propter vim sensitivam & motivam residentem in capite. Hæc autem tria convenire spiritualiter Christo ex eo liquet; quia gratia Christi est prior, si non tempore, bene tamen intentione Dei, vel saltem exemplariter, quia est exemplar omnis nostræ gratiæ, ut innuit Apostolus ad Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Secundò est etiam perfectior, quia in Christo est tota plenitudo gratiarum Joan. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis.* Tertiò habet virtutem influendi gratiam in omnia Ecclesiæ membra juxta illud Joan. 1. *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*: hinc liquet

Christo

Christo ut homini specificativè sumpto convenire similitudinem cum capite physico hominis secundùm illa tria, per quæ constituitur in ratione capitis, & distinguitur à reliquis membris corporis: ergo Christus ut homo specificativè est caput Ecclesiæ juxta doctrinam D. Thomæ desumptam ex D. Paulo ad Coloss. 1. ubi loquens de Christo ait: *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ:* & assignans rationem subdit: *Qui est principium primogenitus ex mortuis,* quibus verbis indicat primam capitis proprietatem, quæ est prioritas: rursus subjungit: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare,* per quæ verba explicat secundam capitis proprietatem, quæ est perfectio. Tandem addit: *Et per eum reconciliare omnia in ipsum,* per quæ verba explicat etiam tertiam proprietatem, quæ est virtus, seu influxus in reliqua membra Ecclesiæ, ergo juxta Apostolum Paulum Christus ut homo specificativè est caput morale Ecclesiæ. Observat tamen D. Thomas *in solut. ad.* 2. differentiam inter caput naturale, & spirituale, quia capitis naturalis non datur aliud caput: Christi autem ut hominis caput est Deus: quia verò ratio capitis solùm per similitudinem dicitur de Christo, non est necesse, quòd in omnibus attendatur, alioquin non esset similitudo, sed rei veritas: & quia in corpore humano adest cor membrum præcipuum influens in reliqua, ita D. Thomas in *solut. ad.* 3. docet in Ecclesiæ corpore cor esse Spiritum sanctum, eo quia invisibiliter Ecclesiam vivificet comparat Spiritum sanctum cordi ob vitam, seu gratiam, quam impertitur corpori Ecclesiæ.

Non solùm Christus est caput Ecclesiæ, seu fidelium qui de facto existunt, verùm etiam omnium qui fuerunt, sunt, & erunt, ut docet D. Thomas *in* 3. *art.* ubi asserit Christum esse caput omnium hominum qui sunt, fuerunt, & erunt, præterquam hominum damnatorum, eò quia omnes Christo uniantur, vel per gloriam in Ecclesia militante, vel per charitatem, vel per fidem in actu, vel in potentia in militante siquidem qui actu infideles sunt, possunt ad fidem converti: qua propter, quamvis non sint intra Ecclesiam actu, sunt tamen in Ecclesia in potentia fundata principaliter in virtute Christi, quæ ad salutem totius humani generis sufficiens est: & secundariò in arbitrii libertate, qua gaudet omnis homo viator: damnati verò non dicuntur comprehendi sub capite Christi ut hominis; eò quia nec actu, nec in potentia continentur in Ecclesia, ideoque Christus non est eorum caput, bene tamen asserit D. Thomas *in* 4. *art.* esse Christum caput Angelorum, eò quia unius corporis unum tantùm sit caput, & ex hominibus, & Angelis coalescit unum Ecclesiæ corpus, quia tam Angeli, quàm homines ordinantur ad unum, & eundem finem, ex quo infert Christum ut hominem specificativè non solùm hominum, sed etiam Angelorum esse caput, ac illi proprietates capitis respectu Angelorum convenire; nam perfectius Angeli participant dona Gratiæ, ac de Christi influentia: & in solutione ad primum notat Christi in ratione animæ convenire cum Angelis in grado intellectivo generico, & hoc sufficere ut dicatur, & sit caput Angelorum.

Dices si Christus esset caput Ecclesiæ, utique esset etiam membrum ejusdem, sed Christus non est membrum Ecclesiæ, neque congruenter vocari potest membrum ejusdem ut docet D. Thomas *in* 3. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 6. ergo Christus ut homo etiam specificativè non est, nec dici potest caput Ecclesiæ. Sequela ostenditur, quia sicut caput humani corporis est membrum ejusdem corporis; ita si Christus per analogiam & similitudinem ad caput humani corporis esset caput Ecclesiæ, esset etiam per eandem analogiam membrum ejusdem: quia sicut de quo verificatur esse caput cum proprietate prædicatur, quòd sit membrum propriè, ita de quo prædicatur esse analogicè, ac similitudinariè caput, debet prædicari itidem quòd sit analogicè membrum. Respondent plerique concedendo totum argumentum, eo quia nullum appareat inconveniens in eo, quòd Christus, ut homo est, prædicetur caput & membrum Ecclesiæ, eò quia D. Paulus 1. Corinth. 12. id asserat inquiens: *Vos estis corpus Christi & membra de membro,* quod explicant de Christo qui simul est caput Ecclesiæ, & ejus membrum. Observant Ecclesiam dupliciter posse considerari, primò pro toto fidelium cœtu excepto capite, & in hoc sensu asserunt Christum esse tantùm caput Ecclesiæ, non verò membrum ejusdem. Secundò asserunt Ecclesiam posse sumi pro toto cœtu fidelium una cum suo capite, & in hoc sensu asserunt non esse inconveniens Christum esse ac dici caput, & membrum Ecclesiæ. Firmant hanc sententiam eò quia D. Thomas in 4. *dist.* 4. *quæst.* 4. *art.* 3. *ad* 4. doceat Christum dici posse membrum Ecclesiæ, quatenus hoc constat ex sponsa, & sponso Christo, non autem dici membrum Ecclesiæ, quatenus hæc est tantùm sponsa, quia hoc pacto dividitur à Christo, quem ut sui partem non includit. Alii verò negant sequelam, & asserunt Christum nullo modo dici posse membrum Ecclesiæ, & nituntur ea ratione, quia membrum dicit dependentiam à conmembris, & Christus etiam ut homo specificativè non dependet ab aliis conmembris Ecclesiæ, quia nullum ab iisdem influxum accipit, sed iisdem suam impertitur gratiam, adeout ipse in totam Ecclesiam influat ut caput, ita docent D. Bonaventura *in* 3. *dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 3. Alexander 3. *part. quæst.* 12. *membro* 1. *art* 1. Paludanus *quæst.* 1. *art.* 3. & alii, quos refert, & sequitur Vasquez *disput.* 48. *cap.* 1.

Putarim tamen respondendum Christum non solùm ut Deum, sed etiam ut hominem specificativè sumptum esse caput Ecclesiæ, & etiam ut hominem esse membrum. Potest enim Ecclesia considerari dupliciter, vel ut includit Christum ut Deum ac sui caput; & prout solum Christum ut hominem: si priori modo consideretur, Christus est tantùm caput Ecclesiæ, quia à nullo superiori dependet, nec recipit influxum: posteriori autem modo Christus ut homo specificativè potest dici membrum Ecclesiæ non simpliciter, sed ut habentis caput Deum, adeout Christus penes diversa sit caput, & membrum Ecclesiæ, est enim caput, si consideretur simpliciter ut est Deus præscindendo ab humanitate, & est membrum Ecclesiæ, si consideretur, quatenus caput Ecclesiæ est solus Deus, præscindendo ab ipsa humanitate Christi, quia hæc subjicitur divinitati, à qua dependet, & recipit influxum gratiarum, & ita videtur docuisse D. Thomas in 3. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *ad.* 6. ubi ait: Unde non potest dici conmembrum secundùm quod caput Ecclesiæ dicitur ipse secundùm humanitatem: potest autem dici membrum secundùm humanitatem secundùm quod ipse est caput Ecclesiæ secundùm divinitatem: & dicit Apostolus 1. Corinth. 12. *Vos estis corpus ejus & membra de membro.* Quamobrem si consideretur Christus ut homo specificativè, ita est caput Ecclesiæ, ut non sit, nec dici possit ejus membrum, quia de ratione membri est dicere dependentiam ab aliis conmembris, & Christus ab Ecclesia non dependet, nec

caput Ecclesiæ, sumi potest specificativè, adeo ut particula *ut* importet subjectum; & sensus sit, quòd Christus quærenus hic homo numerò sit caput ecclesiæ; adeo ut humanitas non sit causa, quare Christus caput sit, sed subjectum *quo* gratiæ, per quam constituitur caput ecclesiæ.

Dicendum est, Christum non solum ut Deum, sed etiam ut hominem esse caput Ecclesiæ triumphantis in cœlis, & militantis in terris. Esse Christum ut Deum caput Ecclesiæ nulli potest esse dubium: quia si caput est, quod reliquis corporis membris supereminet ac suppeditat influxum, ac spiritus animales, quibus vegetant, sentiunt, uniunt; adeo ut reliqua corporis membra dependeant à capite: perinde Christus ut Deus longè ac infinitè supereminet Ecclesiæ, quæ in terris militans est cœtus omnium fidelium, ut in cœlis triumphans est cœtus omnium beatorum; & cum fideles in Ecclesia militante, & beati in triumphante sint creaturæ finitæ ac limitatæ perfectionis Christus ut Deus, quia infinitus simpliciter in quovis genere perfectionum infinitè supereminet utique Ecclesiæ, cui suppeditat influxum luminis gloriæ, triumphanti scilicet, quo beati divinam videntessentiam, ac vivunt beatè; & militanti gratiarum dona, quibus spiritualiter operantur, meritoriè agunt, ac sanctè vivunt beneficio gratiæ habitualis, quâ affecti sanctificantur, ac per adoptionem fiunt filii Dei cum jure ad cœlestem hæreditatem: cum igitur utraque Ecclesia dependeat à Christo ut Deo, quoad influxus gratiarum, & ut à superiore ac supereminente, à quo totum Ecclesiæ corpus regitur, nulli dubium, quin Christus ut Deus sit caput utriusque Ecclesiæ.

Difficultas est an etiam ut homo sumptus *ut homo* specificativè sit Caput Ecclesiæ, & respondetur affirmativè, quia assertum evincitur ex scripturis. Apostolus enim ad Ephesios I. scribit de Christo. *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dextrum suam in cœlestibus. Et omnia subjecit sub pedibus ejus & ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet.* Apostolum fuisse loquutum de Christo ut homine specificativè: ex eo liquet, quia Christus ut Deus non fuit à Patre suscitatus; neque ejus beneficio constitutus ad dexteram suam, & rebus omnibus præpositus; quia Christus ut Deus est ejusdem essentiæ, ac naturæ cum Patre, cui propterea est omnino æqualis. Rursus quia Apostolus subdit: *omnia subjecit sub pedibus ejus*; quæ verba intelliguntur de Christo non solum ut Deo, sed etiam ut homine sumpto specificativè pro hoc homine Christo, ut explicat D. Thomas ibid. Lect. 8. inquiens: *Per pedes intelligitur infima pars corporis, per caput verò supremum. Licet autem Divinitas & humanitas in Christo non habeant rationem partis, attamen Divinitas, quæ est supremum in Christo intelligitur per caput* Corinth. II. *Caput Christi Deus. Humanitas verò, quæ infima est intelligitur per pedes* Psal. 131. *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Ex eo igitur quod Pater omnia creata subjecerit Christo non solum ut Deo, cui ab æterno omnia subjecta erant, sed etiam ut homini sumpto specificativè, sequitur Christum ut hominem esse caput totius creaturæ, consequenter utriusque Ecclesiæ triumphantis in cœlis, militantis in terris. Humanitas Christi dupliciter potest considerari, primò respectu Divinitatis in eodem Christo, & relativè ad Divinitatem est pedes, seu pars inferior, ac demissior. Secundo respectu creaturarum extra Christum sive in cœlis sive in terris, & relativè ad istas est caput; adeo ut secundum diversos respectus eadem Christi humanitas, seu Christus specificativè sumptus sit pes, & caput: quia de eodem loquitur Apostolus cum ait: *omnia subjecit sub pedibus ejus*, de quo ait esse Caput Ecclesiæ, de quo ante dixeras suscitatum esse à mortuis, constitutum ad dexteram in cœlestibus, & supra omnem principatum; quæ omnia cum non nisi de Christo secundum humanitatem verificentur, sequitur evidenter ex Apostolo, Christum ut hominem specificativè sumptum esse caput utriusque Ecclesiæ militantis, ut triumphantis. Hinc D. Thomas in 3. dist. 13. quæst. 2. art. 1. & 2. expendens verba Apostoli ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam* ait, hæc verba de Christo ut homine specificativè accipienda esse, de quo Apostolus Ephesiis loquebatur.

Evincitur secundò assertum; quia Ecclesia est corpus quoddam mysticum per analogiam ad corpus naturale, ut significat Apostolus 1. Corinth. 12. & ad Rom. 12. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo.* Si igitur omnes fideles unum corpus efficiunt in Christo; hujus corporis moralis, & mystici debet assignari caput morale, ne dicatur esse corpus monstrosum & acephalum: caput autem hujus corporis debet esse Christus, qui propterea est caput utriusque Ecclesiæ triumphantis & militantis, ut infert D. Thomas, qui in corpore articuli ex similitudine humani capitis, ad cujus instar Christus dicitur caput Ecclesiæ; ait D. Thomas: *Sicut Ecclesia dicitur unum corpus ad similitudinem humani corporis; ita Christus est caput hujus corporis: caput enim in homine tria habet, nempe anterioritatem ordinis, intellige secundum situm: est enim prima pars incipiendo à superiori: perfectionem, quia in capite vigent omnes sensus; non autem in aliis partibus; & virtutem, quia virtus, & motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorum in suis motibus & actibus est à capite propter vim sensitivam & motivam ibi dominantem*: quod ut explicat Cajetanus intelligendum est non de primo principio simpliciter inter membra humani corporis, sed de comprincipio primi simpliciter, scilicet cordis. Atqui per D. Thomam: *hæc omnia* Christo, ut homini conveniunt spiritualiter in ordine ad membra Ecclesiæ: gratia enim illius est prior, & altior secundum propinquitatem ad Deum. Est enim perfectior: fuit enim in Christo plenitudo omnium gratiarum. Habet etiam virtutem influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ: unde Christus convenienter dicitur Caput Ecclesiæ; quia capiti humani corporis tria sunt vel maximè propria: scilicet *prioritas*, quia est prima pars hominis incipiendo à superiori. Secundò *perfectio*, quia in capite vigent omnes sensus interiores & exteriores: in reliquis enim membris est solus tactus. Tertiò *virtus*, seu causalitas, quia motus cæterorum membrorum diriguntur & regulantur à capite propter vim sensitivam & motivam residentem in capite. Hæc autem tria convenire spiritualiter Christo ex eo liquet; quia gratia Christi est prior, si non tempore, bene tamen intentione Dei, vel saltem exemplariter, quia est exemplar omnis nostræ gratiæ, ut innuit Apostolus ad Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Secundò est etiam perfectior, quia in Christo est tota plenitudo gratiarum Joan. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis.* Tertiò habet virtutem influendi gratiam in omnia Ecclesiæ membra juxta illud Joan. 1. *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*: hinc liquet

Christo

Christo ut homini ſpecificativè ſumpto convenire ſimilitudinem cum capite phyſico hominis ſecundùm illa tria, per quæ conſtituitur in ratione capitis, & diſtinguitur à reliquis membris corporis: ergo Chriſtus ut homo ſpecificativè eſt caput Eccleſiæ juxta doctrinam D. Thomæ deſumptam ex D. Paulo ad Coloſſ. 1. ubi loquens de Chriſto ait: *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ:* & aſſignans rationem ſubdit: *Qui eſt principium primogenitus ex mortuis*, quibus verbis indicat primam capitis proprietatem, quæ eſt prioritas: rurſus ſubjungit: *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare*, per quæ verba explicat ſecundam capitis proprietatem, quæ eſt perfectio. Tandem addit: *Et per eum reconciliare omnia in ipſum*, per quæ verba explicat etiam tertiam proprietatem, quæ eſt virtus, ſeu influxus in reliqua membra Eccleſiæ, ergo juxta Apoſtolum Paulum Chriſtus ut homo ſpecificativè eſt caput morale Eccleſiæ. Obſervat tamen D. Thomas *in ſolut. ad.* 2. differentiam inter caput naturale, & ſpirituale, quia capitis naturalis non datur aliud caput: Chriſti autem ut hominis caput eſt Deus: quia verò ratio capitis ſolùm per ſimilitudinem dicitur de Chriſto, non eſt neceſſe, quòd in omnibus attendatur, alioquin non eſſet ſimilitudo, ſed rei veritas: & quia in corpore humano adeſt cor membrum præcipuum influens in reliqua, ita D. Thomas in *ſolut. ad.* 3. docet in Eccleſiæ corpore cor eſſe Spiritum ſanctum, eo quia inviſibiliter Eccleſiam vivificet comparat Spiritum ſanctum cordi ob vitam, ſeu gratiam, quam impertitur corpori Eccleſiæ.

Non ſolùm Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, ſeu fidelium qui de facto exiſtunt, verùm etiam omnium qui fuerunt, ſunt, & erunt, ut docet D. Thomas *in* 3. *art.* ubi aſſerit Chriſtum eſſe caput omnium hominum qui ſunt, fuerunt, & erunt, præterquam hominum damnatorum, eò quia omnes Chriſto uniantur, vel per gloriam in Eccleſia militante, vel per charitatem, vel per fidem in actu, vel in potentia in militante ſiquidem qui actu infideles ſunt, poſſunt ad fidem converti: qua propter, quamvis non ſint intra Eccleſiam actu, ſunt tamen in Eccleſia in potentia fundata principaliter in virtute Chriſti, quæ ad ſalutem totius humani generis ſufficiens eſt: & ſecundariò in arbitrii libertate, qua gaudet omnis homo viator: damnati verò non dicuntur comprehendi ſub capite Chriſti ut hominis, eò quia nec actu, nec in potentia contineantur in Eccleſia, ideoque Chriſtus non eſt eorum caput, bene tamen aſſerit D. Thomas *in* 4. *art.* eſſe Chriſtum caput Angelorum, eò quia unius corporis unum tantùm ſit caput, & ex hominibus, & Angelis coaleſcit unum Eccleſiæ corpus, quia tam Angeli, quàm homines ordinantur ad unum, & eundem finem, ex quo infert Chriſtum ut hominem ſpecificativè non ſolùm hominum, ſed etiam Angelorum eſſe caput, ac illi proprietates capitis reſpectu Angelorum convenire; nam perfectius Angeli participant dona Gratiæ, ac de Chriſti influentia: & in ſolutione ad primum notat Chriſtum ratione animæ convenire cum Angelis in gradu intellectivo generico, & hoc ſufficere ut dicatur, & ſit caput Angelorum.

Dices ſi Chriſtus eſſet caput Eccleſiæ, utique eſſet etiam membrum ejuſdem, ſed Chriſtus non eſt membrum Eccleſiæ, neque congruenter vocari poteſt membrum ejuſdem ut docet D. Thomas *in* 3. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 6. ergo Chriſtus ut homo etiam ſpecificativè non eſt, nec dici poteſt caput Eccleſiæ. Sequela oſtenditur, quia ſicut caput humani corporis eſt membrum ejuſdem corporis; ita ſi Chriſtus per analogiam & ſimilitudinem ad caput humani corporis eſſet caput Eccleſiæ, eſſet etiam per eandem analogiam membrum ejuſdem: quia ſicut de quo verificatur eſſe caput cum proprietate prædicatur, quòd ſit membrum propriè, ita de quo prædicatur eſſe analogicè, ac ſimilitudinariè caput, debet prædicari itidem quòd ſit analogicè membrum. Reſpondent plerique concedendo totum argumentum, eo quia nullum appareat inconveniens in eo, quòd Chriſtus, ut homo eſt, prædicetur caput & membrum Eccleſiæ, eò quia D. Paulus 1. Corinth. 12. id aſſerat inquiens: *Vos eſtis corpus Chriſti & membra de membro*, quod explicant de Chriſto qui ſimul eſt caput Eccleſiæ, & ejus membrum. Obſervant Eccleſiam dupliciter poſſe conſiderari, primò pro toto fidelium cœtu excepto capite, & in hoc ſenſu aſſerunt Chriſtum eſſe tantùm caput Eccleſiæ, non verò membrum ejuſdem. Secundò aſſerunt Eccleſiam poſſe ſumi pro toto cœtu fidelium una cum ſuo capite, & in hoc ſenſu aſſerunt non eſſe inconveniens Chriſtum eſſe ac dici caput, & membrum Eccleſiæ. Firmant hanc ſententiam eò quia D. Thomas in 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 4. *art.* 3. *ad* 4. doceat Chriſtum dici poſſe membrum Eccleſiæ, quatenus hoc conſtat ex ſponſa, & ſponſo Chriſto, non autem dici membrum Eccleſiæ, quatenus hæc eſt tantùm ſponſa, quia hoc pacto dividitur à Chriſto, quem ut ſui partem non includit. Alii verò negant ſequelam, & aſſerunt Chriſtum nullo modo dici poſſe membrum Eccleſiæ, & nituntur ea ratione, quia membrum dicit dependentiam à conmembris, & Chriſtus etiam ut homo ſpecificativè non dependet ab aliis conmembris Eccleſiæ, quia nullum ab iiſdem influxum accipit, ſed iiſdem ſuam impertitur gratiam, adeout ipſe in totam Eccleſiam influat ut caput, ita docent D. Bonaventura *in* 3. *diſt.* 13. *art.* 2. *quæſt.* 3. Alexander 3. *part. quæſt.* 12. *membro* 2. *art* 5. Paludanus *quæſt.* 1. *art.* 3. & alii, quos refert, & ſequitur Vaſquez *diſput.* 48. *cap.* 5.

Putarim tamen reſpondendum Chriſtum non ſolùm ut Deum, ſed etiam ut hominem ſpecificativè ſumptum eſſe caput Eccleſiæ, & etiam ut hominem eſſe membrum. Poteſt enim Eccleſia conſiderari dupliciter, vel ut includit Chriſtum ut Deum ac ſui caput; & prout ſolum Chriſtum ut hominem: ſi priori modo conſideretur, Chriſtus eſt tantùm caput Eccleſiæ, quia à nullo ſuperiori dependet, nec recipit influxum: poſteriori autem modo Chriſtus ut homo ſpecificativè poteſt dici membrum Eccleſiæ non ſimpliciter, ſed ut habentis caput Deum, adeout Chriſtus penes diverſa ſit caput, & membrum Eccleſiæ, eſt enim caput, ſi conſideretur ſimpliciter ut eſt Deus præſcindendo ab humanitate, & eſt membrum Eccleſiæ, ſi conſideretur, quatenus caput Eccleſiæ eſt ſolus Deus, præſciodendo ab ipſa humanitate Chriſti, quia hæc ſubjicitur divinitati, à qua dependet, & recipit influxum gratiarum, & ita videtur docuiſſe D. Thomas in 3. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *ad.* 6. ubi ait: Unde non poteſt dici conmembrum ſecundùm quod caput Eccleſiæ dicitur ipſe ſecundùm humanitatem: poteſt autem dici membrum ſecundùm humanitatem ſecundùm quod ipſe eſt caput Eccleſiæ ſecundùm divinitatem: & dicit Apoſtolus 1. Corinth. 12. *Vos eſtis corpus ejus & membra de membro.* Quamobrem ſi conſideretur Chriſtus ut homo ſpecificativè, ita eſt caput Eccleſiæ, ut non ſit, nec dici poſſit ejus membrum, quia de ratione membri eſt dicere dependentiam ab aliis commembris, & Chriſtus ab Eccleſia non dependet, nec

caput Ecclesiæ, sumi potest specificativè, adeo ut particula *ut* importet subjectum; & sensus sit, quòd Christus quatenus hic homo numerò sit caput ecclesiæ; adeo ut humanitas non sit causa, quare Christus caput sit, sed subjectum *quo* gratiæ, per quam constituitur caput ecclesiæ.

Dicendum est, Christum non solum ut Deum, sed etiam ut hominem esse caput Ecclesiæ triumphantis in cœlis, & militantis in terris. Esse Christum ut Deum caput Ecclesiæ nulli potest esse dubium: quia si caput est, quod reliquis corporis membris supereminet ac suppeditat influxum, ac spiritus animales, quibus vegetant, sentiunt, uniunt; adeo ut reliqua corporis membra dependeant à capite: perinde Christus ut Deus longè ac infinitè supereminet Ecclesiæ, quæ in terris militans est cœtus omnium fidelium, ut in cœlis triumphans est cœtus omnium beatorum; & cum fideles in Ecclesia militante, & beati in triumphante sint creaturæ finitæ ac limitatæ perfectionis Christus ut Deus, quia infinitus simpliciter in quovis genere perfectionum infinitè supereminet utique Ecclesiæ, cui suppeditat influxum luminis gloriæ, triumphanti scilicet, quo beati divinam vident essentiam, ac vivunt beatè; & militanti gratiarum dona, quibus spiritualiter operantur, meritoriè agunt, ac sanctè vivunt beneficio gratiæ habitualis, quâ affecti sanctificantur, ac per adoptionem fiunt filii Dei cum jure ad cœlestem hæreditatem: cum igitur utraque Ecclesia dependeat à Christo ut Deo, quoad influxus gratiarum, & ut à superiore ac supereminente, à quo totum Ecclesiæ corpus regitur, nulli dubium, quin Christus ut Deus sit caput utriusque Ecclesiæ.

Difficultas est an etiam ut homo sumptus *ut homo* specificativè sit Caput Ecclesiæ, & respondetur affirmativè, quia assertum evincitur ex scripturis. Apostolus enim ad Ephesios I. scribit de Christo. *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dextram suam in cœlestibus. Et omnia subjecit sub pedibus ejus & ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet.* Apostolum fuisse loquutum de Christo ut homine specificativè: ex eo liquet, quia Christus ut Deus non fuit à Patre suscitatus; neque ejus beneficio constitutus ad dexteram suam, & rebus omnibus præpositus; quia Christus ut Deus est ejusdem essentiæ, ac naturæ cum Patre, cui propterea est omnino æqualis. Rursus quia Apostolus subdit: *omnia subjecit sub pedibus ejus*; quæ verba intelliguntur de Christo non solùm ut Deo, sed etiam ut homine sumpto specificativè pro hoc homine Christo, ut explicat D. Thomas ibid. Lect. 8. inquiens: *Per pedes intelligitur infima pars corporis, per caput verò suprema. Licet autem Divinitas & humanitas in Christo non habeant rationem partis, attamen Divinitas, quæ est supremum in Christo intelligitur per caput* Corinth. II. *Caput Christi Deus. Humanitas verò, quæ infima est intelligitur per pedes* Psal. 131. *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Ex eo igitur quod Pater omnia creata subjecerit Christo non solum ut Deo, cui ab æterno omnia subjecta erant, sed etiam ut homini sumpto specificativè, sequitur Christum ut hominem esse caput totius creaturæ, consequenter utriusque Ecclesiæ triumphantis in cœlis, militantis in terris. Humanitas Christi dupliciter potest considerari, primò respectu Divinitatis in eodem Christo, & relativè ad Divinitatem est pedes, seu pars inferior, ac demissior. Secundo respectu creaturarum extra Christum sive in cœlis sive in terris, & relativè ad istas est caput; adeo ut secundum diversos respectus eadem Christi humanitas, seu Christus specificativè sumptus sit pes, & caput: quia de eodem loquitur Apostolus cum ait: *omnia subjecit sub pedibus ejus*, de quo ait esse Caput Ecclesiæ, de quo ante dixeras suscitatum esse à mortuis, constitutum ad dexteram in cœlestibus, & supra omnem principatum; quæ omnia cum non nisi de Christo secundum humanitatem verificentur, sequitur evidenter ex Apostolo, Christum ut hominem specificativè sumptum esse caput utriusque Ecclesiæ militantis, ut triumphantis. Hinc D. Thomas in 3. dist. 13. quæst. 2. art. 1. & 2. expendens verba Apostoli ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam* ait, hæc verba de Christo ut homine specificativè accipienda esse, de quo Apostolus Ephesiis loquebatur.

Evincitur secundò assertum; quia Ecclesia est corpus quoddam mysticum per analogiam ad corpus naturale, ut significat Apostolus 1. Corinth. 12. & ad Rom. 12. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo.* Si igitur omnes fideles unum corpus efficiunt in Christo; hujus corporis moralis, & mystici debet assignari caput morale, ne dicatur esse corpus monstrosum & acephalum: caput autem hujus corporis debet esse Christus, qui propterea est caput utriusque Ecclesiæ triumphantis & militantis, ut infert D. Thomas, qui in corpore articuli ex similitudine humani capitis, ad cujus instar Christus dicitur caput Ecclesiæ; ait D. Thomas: *Sicut Ecclesia dicitur unum corpus ad similitudinem humani corporis; ita Christus est caput hujus corporis: caput enim in homine tria habet, nempe anterioritatem ordinis, intellige secundum situm: est enim prima pars incipiendo à superiori: perfectionem, quia in capite vigent omnes sensus; non autem in aliis partibus; & virtutem, quia virtus, & motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorum in suis motibus & actibus est à capite propter vim sensitivam & motivam ibi dominantem*: quod ut explicat Cajetanus intelligendum est non de primo principio simpliciter inter membra humani corporis, sed de comprincipio primi simpliciter, scilicet cordis. Atqui per D. Thomam: *hæc omnia* Christo, ut homini conveniunt spiritualiter in ordine ad membra Ecclesiæ: gratia enim illius est prior, & altior secundum propinquitatem ad Deum. Est enim perfectior: fuit enim in Christo plenitudo omnium gratiarum. Habet etiam virtutem influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ: unde Christus convenienter dicitur Caput Ecclesiæ; quia capiti humani corporis tria sunt vel maximè propria: scilicet *prioritas*, quia est prima pars hominis incipiendo à superiori. Secundò *perfectio*, quia in capite vigent omnes sensus interiores & exteriores: in reliquis enim membris est solus tactus. Tertiò *virtus*, seu causalitas, quia motus cæterorum membrorum diriguntur & regulantur à capite propter sensitivam & motivam residentem in capite. Hæc autem tria convenire spiritualiter Christo ex eo liquet; quia gratia Christi est prior, si non tempore, bene tamen intentione Dei, vel saltem exemplariter, quia est exemplar omnis nostræ gratiæ, ut innuit Apostolus ad Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui.* Secundò est etiam perfectior, quia in Christo est tota plenitudo gratiarum Joan. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis.* Tertiò habet virtutem influendi gratiam in omnia Ecclesiæ membra juxta illud Joan. 1. *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*: hinc liquet

Christo

Christo ut homini specificativè sumpto convenire similitudinem cum capite physico hominis secundùm illa tria, per quæ constituitur in ratione capitis, & distinguitur à reliquis membris corporis: ergo Christus ut homo specificativè est caput Ecclesiæ juxta doctrinam D. Thomæ desumptam ex D. Paulo ad Coloss. 1. ubi loquens de Christo ait: *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ*: & assignans rationem subdit: *Qui est principium primogenitus ex mortuis*, quibus verbis indicat primam capitis proprietatem, quæ est prioritas: rursus subjungit: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare*, per quæ verba explicat secundam capitis proprietatem, quæ est perfectio. Tandem addit: *Et per eum reconciliare omnia in ipsum*, per quæ verba explicat etiam tertiam proprietatem, quæ est virtus, seu influxus in reliqua membra Ecclesiæ, ergo juxta Apostolum Paulum Christus ut homo specificativè est caput morale Ecclesiæ. Observat tamen D. Thomas *in solut. ad.* 2. differentiam inter caput naturale, & spirituale, quia capitis naturalis non datur aliud caput: Christi autem ut hominis caput est Deus: quia verò ratio capitis solùm per similitudinem dicitur de Christo, non est necesse, quòd in omnibus attendatur, alioquin non esset similitudo, sed rei veritas: & quia in corpore humano adest cor membrum præcipuum influens in reliqua, ita D. Thomas in *solut. ad.* 3. docet in Ecclesiæ corpore cor esse Spiritum sanctum, eo quia invisibiliter Ecclesiam vivificet comparat Spiritum sanctum cordi ob vitam, seu gratiam, quam impertitur corpori Ecclesiæ.

Non solùm Christus est caput Ecclesiæ, seu fidelium qui de facto existunt, verùm etiam omnium quæ fuerunt, sunt, & erunt, ut docet D. Thomas *in* 3. *art.* ubi asserit Christum esse caput omnium hominum qui sunt, fuerunt, & erunt, præterquam hominum damnatorum, eò quia omnes Christo uniantur, vel per gloriam in Ecclesia militante, vel per charitatem, vel per fidem in actu, vel in potentia in militante siquidem qui actu infideles sunt, possunt ad fidem converti: qua propter, quamvis non sint intra Ecclesiam actu, sunt tamen in Ecclesia in potentia fundata principaliter in virtute Christi, quæ ad salutem totius humani generis sufficiens est: & secundariò in arbitrii libertate, qua gaudet omnis homo viator: damnati verò non dicuntur comprehendi sub capite Christi ut hominis, eò quia nec actu, nec in potentia contineantur in Ecclesia, ideoque Christus non est eorum caput, bene tamen asserit D. Thomas *in* 4. *art.* esse Christum caput Angelorum, eò quia unius corporis unum tantùm sit caput, & ex hominibus, & Angelis coalescit unum Ecclesiæ corpus, quia tam Angeli, quàm homines ordinantur ad unum, & eundem finem, ex quo infert Christum ut hominem specificativè non solùm hominum, sed etiam Angelorum esse caput, ac illi proprietates capitis respectu Angelorum convenire; nam perfectius Angeli participant dona Gratiæ, ac de Christi influentia: & in solutione ad primum notat Christum ratione animæ convenire cum Angelis in gradu intellectivo generico, & hoc sufficere ut dicatur, & sit caput Angelorum.

Dices si Christus esset caput Ecclesiæ, utique esset etiam membrum ejusdem, sed Christus non est membrum Ecclesiæ, neque congruenter vocari potest membrum ejusdem ut docet D. Thomas *in* 3. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 6. ergo Christus ut homo etiam specificativè non est, nec dici potest caput Ecclesiæ. Sequela ostenditur, quia sicut caput humani corporis est membrum ejusdem corporis; ita si Christus per analogiam & similitudinem ad caput humani corporis esset caput Ecclesiæ, esset etiam per eandem analogiam membrum ejusdem: quia sicut de quo verificatur esse caput cum proprietate prædicatur, quòd sit membrum propriè, ita de quo prædicatur esse analogicè, ac similitudinariè caput, debet prædicari iisdem quòd sit analogicè membrum. Respondent plerique concedendo totum argumentum, eo quia nullum appareat inconveniens in eo, quòd Christus, ut homo est, prædicetur caput & membrum Ecclesiæ, eò quia D. Paulus 1. Corinth. 12. id asserat inquiens: *Vos estis corpus Christi & membra de membro*, quod explicant de Christo qui simul est caput Ecclesiæ, & ejus membrum. Observant Ecclesiam dupliciter posse considerari, primò pro toto fidelium cœtu excepto capite, & in hoc sensu asserunt Christum esse tantùm caput Ecclesiæ, non verò membrum ejusdem. Secundò asserunt Ecclesiam posse sumi pro toto cœtu fidelium una cum suo capite, & in hoc sensu asserunt non esse inconveniens Christum esse ac dici caput, & membrum Ecclesiæ. Firmant hanc sententiam eò quia D. Thomas in 4. *dist.* 4. *quæst.* 4. *art.* 3. *ad* 4. doceat Christum dici posse membrum Ecclesiæ, quatenus hoc constat ex sponsa, & sponso Christo, non autem dici membrum Ecclesiæ, quatenus hæc est tantùm sponsa, quia hoc pacto dividitur à Christo, quem ut sui partem non includit. Alii verò negant sequelam, & asserunt Christum nullo modo dici posse membrum Ecclesiæ, & nituntur ea ratione, quia membrum dicit dependentiam à conmembris, & Christus etiam ut homo specificativè non dependet ab aliis conmembris Ecclesiæ, quia nullum ab iisdem influxum accipit, sed iisdem suam impertitur gratiam, adeout ipse in totam Ecclesiam influat ut caput, ita docent D. Bonaventura *in* 3. *dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 3. Alexander 3. *part. quæst.* 12. *membro* 1. *art.* 1. Paludanus *quæst.* 1. *art.* 3. & alii, quos refert, & sequitur Vasquez *disput.* 48. *cap.* 1.

Putarim tamen respondendum Christum non solùm ut Deum, sed etiam ut hominem specificativè sumptum esse caput Ecclesiæ, & etiam ut hominem esse membrum. Potest enim Ecclesia considerari dupliciter, vel ut includit Christum ut Deum ac sui caput; & prout solum Christum ut hominem: si priori modo consideretur, Christus est tantùm caput Ecclesiæ, quia à nullo superiori dependet, nec recipit influxum: posteriori autem modo Christus ut homo specificativè potest dici membrum Ecclesiæ non simpliciter, sed ut habentis caput Deum, adeout Christus penes diversa sit caput, & membrum Ecclesiæ, est enim caput, si consideretur simpliciter ut est Deus præscindendo ab humanitate, & est membrum Ecclesiæ, si consideretur, quatenus caput Ecclesiæ est solus Deus, præsciodendo ab ipsa humanitate Christi, quia hæc subjicitur divinitati, à qua dependet, & recipit influxum gratiarum, & ita videtur docuisse D. Thomas in 3. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *ad.* 6. ubi ait: Unde non potest dici conmembrum secundùm quod caput Ecclesiæ dicitur ipse secundùm humanitatem: potest autem dici membrum secundùm humanitatem secundùm quod ipse est caput Ecclesiæ secundùm divinitatem: & dicit Apostolus 1. Corinth. 12. *Vos estis corpus ejus & membra de membro*. Quamobrem si consideretur Christus ut homo specificativè, ita est caput Ecclesiæ, ut non sit, nec dici possit ejus membrum, quia de ratione membri est dicere dependentiam ab aliis conmembris, & Christus ab Ecclesia non dependet, nec

caput Ecclesiæ, sumi potest specificativè, adeo ut particula *ut* importet subjectum; & sensus sit, quòd Christus quatenus hic homo numerò sit caput ecclesiæ; adeo ut humanitas non sit causa, quare Christus caput sit, sed subjectum *quo* gratiæ, per quam constituitur caput ecclesiæ.

Dicendum est, Christum non solum ut Deum, sed etiam ut hominem esse caput Ecclesiæ triumphantis in cœlis, & militantis in terris. Esse Christum ut Deum caput Ecclesiæ nulli potest esse dubium: quia si caput est, quod reliquis corporis membris supereminet ac suppeditat influxum, ac spiritus animales, quibus vegetant, sentiunt, uniunt; adeo ut reliqua corporis membra dependeant à capite: perinde Christus ut Deus longè ac infinitè supereminet Ecclesiæ, quæ in terris militans est cœtus omnium fidelium, ut in cœlis triumphans est cœtus omnium beatorum; & cum fideles in Ecclesia militante, & beati in triumphante sint creaturæ finitæ ac limitatæ perfectionis Christus ut Deus, quia infinitus simpliciter in quovis genere perfectionum infinitè supereminet utique Ecclesiæ, cui suppeditat influxum luminis gloriæ, triumphanti scilicet quo beati divinam vident essentiam, ac vivunt beatè; & militanti gratiarum dona, quibus spiritualiter operantur, meritoriè agunt, ac sanctè vivunt beneficio gratiæ habitualis, quâ affecti sanctificantur, ac per adoptionem fiunt filii Dei cum jure ad cœlestem hæreditatem: cum igitur utraque Ecclesia dependeat à Christo ut Deo, quoad influxus gratiarum, & ut à superiore ac supereminente, à quo totum Ecclesiæ corpus regitur, nulli dubium, quin Christus ut Deus sit caput utriusque Ecclesiæ.

Difficultas est an etiam ut homo sumptus *ut homo* specificativè sit Caput Ecclesiæ, & respondetur affirmativè, quia assertum evincitur ex scripturis. Apostolus enim ad Ephesios I. scribit de Christo. *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus. Et omnia subjecit sub pedibus ejus & ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet.* Apostolum fuisse loquutum de Christo ut homine specificativè: ex eo liquet, quia Christus ut Deus non fuit à Patre suscitatus; neque ejus beneficio constitutus ad dexteram suam, & rebus omnibus præpositus; quia Christus ut Deus est ejusdem essentiæ, ac naturæ cum Patre, cui propterea est omnino æqualis. Rursus quia Apostolus subdit: *omnia subjecit sub pedibus ejus*; quæ verba intelliguntur de Christo non solùm ut Deo, sed etiam ut homine sumpto specificativè pro hoc homine Christo, ut explicat D. Thomas ibid. Lect. 8. inquiens: *Per pedes intelligitur infima pars corporis, per caput verò supremu. Licet autem Divinitas & humanitas in Christo non habeant rationem partis, attamen Divinitas, quæ est supremum in Christo intelligitur per caput* Corinth. II. *Caput Christi Deus. Humanitas verò, quæ infima est intelligitur per pedes* Psal. 131. *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Ex eo igitur quod Pater omnia creata subjecerit Christo non solum ut Deo, cui ab æterno omnia subjecta erant, sed etiam ut homini sumpto specificativè, sequitur Christum ut hominem esse caput totius creaturæ, consequenter utriusque Ecclesiæ triumphantis in cœlis, militantis in terris. Humanitas Christi dupliciter potest considerari, primò respectu Divinitatis in eodem Christo, & relativè ad Divinitatem est pedes, seu pars inferior, ac demissior. Secundo respectu creaturarum extra Christum sive in cœlis sive in terris, & relativè ad istas est caput; adeo ut secundum diversos respectus eadem Christi humanitas, seu Christus specificativè sumptus sit pes, & caput: quia de eodem loquitur Apostolus cum ait: *omnia subjecit sub pedibus ejus*, de quo ait esse Caput Ecclesiæ, de quo ante dixerat suscitatum esse à mortuis, constitutum ad dexteram in cœlestibus, & supra omnem principatum; quæ omnia cum non nisi de Christo secundum humanitatem verificentur, sequitur evidenter ex Apostolo, Christum ut hominem specificativè sumptum esse caput utriusque Ecclesiæ militantis, ut triumphantis. Hinc D. Thomas in 3. dist. 13. quæst. 2. art. 1. & 2. expendens verba Apostoli ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam* ait, hæc verba de Christo ut homine specificativè accipienda esse, de quo Apostolus Ephesiis loquebatur.

Evincitur secundò assertum; quia Ecclesia est corpus quoddam mysticum per analogiam ad corpus naturale, ut significat Apostolus 1. Corinth. 12. & ad Rom. 12. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo.* Si igitur omnes fideles unum corpus efficiunt in Christo; hujus corporis moralis, & mystici debet assignari caput morale, ne dicatur esse corpus monstrosum & acephalum: caput autem hujus corporis debet esse Christus, qui propterea est caput utriusque Ecclesiæ triumphantis & militantis, ut infert D. Thomas, qui in corpore articuli ex similitudine humani capitis, ad cujus instar Christus dicitur caput Ecclesiæ; ait D. Thomas: *Sicut Ecclesia dicitur unum corpus ad similitudinem humani corporis; ita Christus est caput hujus corporis: caput enim in homine tria habet, nempe anterioritatem ordinis, intellige secundum situm: est enim primu pars incipiendo a superiori: perfectionem, quia in capite vigent omnes sensus; non autem in aliis partibus; & virtutem. quia virtus, & motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorum in suis motibus & actibus est à capite propter vim sensitivam & motivam ibi dominantem*: quod ut explicat Cajetanus intelligendum est non de primo principio simpliciter inter membra humani corporis, sed de comprincipio primi simpliciter, scilicet cordis. Atqui per D. Thomam: *hæc omnia* Christo, ut homini conveniunt spiritualiter in ordine ad membra Ecclesiæ: gratia enim illius est prior, & altior secundum propinquitatem ad Deum. Est enim perfectior: fuit enim in Christo plenitudo omnium gratiarum. Habet etiam virtutem influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ: unde Christus convenienter dicitur Caput Ecclesiæ; quia capiti humani corporis tria sunt vel maximè propria: scilicet *prioritas*, quia est prima pars hominis incipiendo à superiori. Secundò *perfectio*, quia in capite vigent omnes sensus interiores & exteriores: in reliquis enim membris est solus tactus. Tertiò *virtus*, seu causalitas, quia motus cæterorum membrorum diriguntur & regulantur à capite propter vim sensitivam & motivam residentem in capite. Hæc autem tria convenire spiritualiter Christo ex eo liquet; quia gratia Christi est prior, si non tempore, bene tamen intentione Dei, vel saltem exemplariter, quia est exemplar omnis nostræ gratiæ, ut innuit Apostolus ad Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Secundò est etiam perfectior, quia in Christo est tota plenitudo gratiarum Joan. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis.* Tertiò habet virtutem influendi gratiam in omnia Ecclesiæ membra juxta illud Joan. 1. *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*: hinc liquet

Christo

Christo ut homini specificativè sumpto convenire similitudinem cum capite physico hominis secundùm illa tria, per quæ constituitur in ratione capitis, & distinguitur à reliquis membris corporis: ergo Christus ut homo specificativè est caput Ecclesiæ juxta doctrinam D. Thomæ desumptam ex D. Paulo ad Coloss. 1. ubi loquens de Christo ait: *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ:* & assignans rationem subdit: *Qui est principium primogenitus ex mortuis*, quibus verbis indicat primam capitis proprietatem, quæ est prioritas: rursus subjungit: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare*, per quæ verba explicat secundam capitis proprietatem, quæ est perfectio. Tandem addit: *Et per eum reconciliare omnia in ipsum*, per quæ verba explicat etiam tertiam proprietatem, quæ est virtus, seu influxus in reliqua membra Ecclesiæ, ergo juxta Apostolum Paulum Christus ut homo specificativè est caput morale Ecclesiæ. Observat tamen D. Thomas *in solut. ad.* 2. differentiam inter caput naturale, & spirituale, quia capitis naturalis non datur aliud caput: Christi autem ut hominis caput est Deus: quia verò ratio capitis solùm per similitudinem dicitur de Christo, non est necesse, quòd in omnibus attendatur, alioqui non esset similitudo, sed rei veritas: & quia in corpore humano adest cor membrum præcipuum influens in reliqua, ita D. Thomas in *solut. ad.* 3. docet in Ecclesiæ corpore cor esse Spiritum sanctum, eo quia invisibiliter Ecclesiam vivificet comparat Spiritum sanctum cordi ob vitam, seu gratiam, quam impertitur corpori Ecclesiæ.

Non solùm Christus est caput Ecclesiæ, seu fidelium qui de facto existunt, verùm etiam omnium qui fuerunt, sunt, & erunt, ut docet D. Thomas *in 3. art.* ubi asserit Christum esse caput omnium hominum qui sunt, fuerunt, & erunt, præterquam hominum damnatorum, eò quia omnes Christo uniantur, vel per gloriam in Ecclesia militante, vel per charitatem, vel per fidem in actu, vel in potentia in militante siquidem qui actu infideles sunt, possunt ad fidem converti: qua propter, quamvis non sint intra Ecclesiam actu, sunt tamen in Ecclesia in potentia fundata principaliter in virtute Christi, quæ ad salutem totius humani generis sufficiens est: & secundariò in arbitrii libertate, qua gaudet omnis homo viator: damnati verò non dicuntur comprehendi sub capite Christi ut hominis, eò quia nec actu, nec in potentia continentur in Ecclesia, ideoque Christus non est eorum caput, bene tamen asserit D. Thomas *in 4. art.* esse Christum caput Angelorum, eò quia unius corporis unum tantùm sit caput, & ex hominibus, & Angelis coalescit unum Ecclesiæ corpus, quia tam Angeli, quàm homines ordinantur ad unum, & eundem finem, ex quo infert Christum ut hominem specificativè non solùm hominum, sed etiam Angelorum esse caput, ac illi proprietates capitis respectu Angelorum convenire; nam perfectius Angeli participant dona Gratiæ, ac de Christi influentia: & in solutione ad primum notat Christi in ratione animæ convenire cum Angelis in gradu intellectivo generico, & hoc sufficere ut dicatur, & sit caput Angelorum.

Dices si Christus esset caput Ecclesiæ, utique esset etiam membrum ejusdem, sed Christus non est membrum Ecclesiæ, neque congruenter vocari potest membrum ejusdem ut docet D. Thomas *in* 3. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 6. ergo Christus ut homo etiam specificativè non est, nec dici potest caput Ecclesiæ. Sequela ostenditur, quia sicut caput humani corporis est membrum ejusdem corporis; ita si Christus per analogiam & similitudinem ad caput humani corporis esset caput Ecclesiæ, esset etiam per eandem analogiam membrum ejusdem: quia sicut de quo verificatur esse caput cum proprietate prædicatur, quòd sit membrum propriè, ita de quo prædicatur esse analogicè, ac similitudinariè caput, debet prædicari itidem quòd sit analogicè membrum. Respondent plerique concedendo totum argumentum, eo quia nullum appareat inconveniens in eo, quòd Christus, ut homo est, prædicetur caput & membrum Ecclesiæ, eò quia D. Paulus 1. Corinth. 12. id asserat inquiens: *Vos estis corpus Christi & membra de membro*, quod explicant de Christo qui simul est caput Ecclesiæ, & ejus membrum. Observant Ecclesiam dupliciter posse considerari, primò pro toto fidelium cœtu excepto capite, & in hoc sensu asserunt Christum esse tantùm caput Ecclesiæ, non verò membrum ejusdem. Secundò asserunt Ecclesiam posse sumi pro toto cœtu fidelium una cum suo capite, & in hoc sensu asserunt non esse inconveniens Christum esse ac dici caput, & membrum Ecclesiæ. Firmant hanc sententiam eò quia D. Thomas in 4. *dist.* 4. *quæst.* 4. *art.* 3. *ad* 4. doceat Christum dici posse membrum Ecclesiæ, quatenus hoc constat ea sponsa, & sponso Christo, non autem dici membrum Ecclesiæ, quatenus hæc est tantùm sponsa, quia hoc pacto dividitur à Christo, quem ut sui partem non includit. Alii verò negant sequelam, & asserunt Christum nullo modo dici posse membrum Ecclesiæ, & nituntur ea ratione, quia membrum dicit dependentiam à conmembris, & Christus etiam ut homo specificativè non dependet ab aliis conmembris Ecclesiæ, quia nullum ab iisdem influxum accipit, sed iisdem suam impertitur gratiam, adeout ipse in totam Ecclesiam influat ut caput, ita docent D. Bonaventura *in 3. dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 3. Alexander 3. *part. quæst.* 12. *membro* 1. *art* 1. Paludanus *quæst.* 1. *art.* 3. & alii, quos refert, & sequitur Vasquez *disput.* 48. *cap.* 1.

Putarim tamen respondendum Christum non solùm ut Deum, sed etiam ut hominem specificativè sumptum esse caput Ecclesiæ, & etiam ut hominem esse membrum. Potest enim Ecclesia considerari dupliciter, vel ut includit Christum ut Deum ac sui caput; & prout solum Christum ut hominem: si priori modo consideretur, Christus est tantùm caput Ecclesiæ, quia à nullo superiori dependet, nec recipit influxum; posteriori autem modo Christus ut homo specificativè potest dici membrum Ecclesiæ non simpliciter, sed ut habens caput Deum, adeo ut Christus penes diversa sit caput, & membrum Ecclesiæ, est enim caput, si consideretur simpliciter ut est Deus præscindendo ab humanitate, & est membrum Ecclesiæ, si consideretur, quatenus caput Ecclesiæ est solus Deus, præscindendo ab ipsa humanitate Christi, quia hæc subjicitur divinitati, à qua dependet, & recipit influxum gratiarum, & ita videtur docuisse D. Thomas in 3. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *ad.* 6. ubi ait: Unde non potest dici conmembrum secundùm quod caput Ecclesiæ dicitur ipse secundùm humanitatem: potest autem dici membrum secundùm humanitatem secundùm quod ipse est caput Ecclesiæ secundùm divinitatem: & dicit Apostolus 1. Corinth. 12. *Vos estis corpus ejus & membra de membro.* Quamobrem si consideretur Christus ut homo specificativè, ita est caput Ecclesiæ, ut non sit, nec dici possit ejus membrum, quia de ratione membri est dicere dependentiam ab aliis conmembris, & Christus ab Ecclesia non dependet, nec

ullum ab ipsa influxum recipit: bene tamen Ecclesia dependet à Christo ut homine specificativè tanquam à suo capite, à quo recipit influxum vitæ, seu gratiæ sanctificantis, qua fideles vivunt Deo; sin verò consideretur Christus, prout est Deus, præscindendo ab humanitate, quia ut Deus est caput totius Ecclesiæ, & omnis creaturæ: sub hoc capite Christus ut homo dicitur membrum, eò quia dependeat à Deo, à quo accipit influxum gratiæ: ideoque stat Christum non posse dici membrum Ecclesiæ, prout hæc habet pro capite Christum ut hominem specificativè sumptum, posset tamen dici membrum Ecclesiæ, ut hæc babet pro capite ipsum Deum. Quòd si dicas Christum ut hominem specificativè sumptum à se ipso ut homine aliquid recepisse, nimirum exaltationem proprii nominis, & glorificationem corporis, proinde posse Christum ut hominem dici, ac esse membrum Ecclesiæ, quatenus hæc habet pro capite Christum ut hominem: quia eatenus Christus ut homo non dicitur membrum Ecclesiæ, eò quia nihil recipiat influxûs ab Ecclesia: fideles enim ideo dicontur membra Ecclesiæ, quia influxum accipiunt à Christo, ut capite, ergo si Christus ut homo à se ipso ut homine recepit exaltationem proprii nominis, & corporis glorificationem, est & ipse membrum Ecclesiæ. Sed contra negatur consequentia, quia licèt recipiat à se ipso ut homine exaltationem proprii nominis, & corporis glorificationem, non tamen inde sequitur dependere à se ipso ut homine, ac esse membrum Ecclesiæ: siquidem quod quisque à se ipso recipit, non dicitur illud recipere per veram dependentiam: ad rationem autem membri non sufficit aliquid recipere à se ipso, alioquin Christus ut homo esset membrum sui ipsius ut hominis, qood nemo hactenus somniavit. Quamobrem Christus ut homo dici tantùm potest membrum Ecclesiæ, quatenus hæc pro capite babet Christum ut Deum, non verò ut habet pro capite Christum ut hominem, ut hactenus expendimus. Ad id, quod asserebatur ex D. Paulo 1. Corinth. 12. *Vos estis corpus Christi & membra de membro*, respondetur illud de membro perinde esse ac ex parte, adeout sensus sit, quòd non soli Corinthii fideles, sed etiam alii sint membra Christi, ut explicat Cajetanus in D. Thomam ibid. lect. 3. Alii explicant verba Apostoli *membra de membro*, ita, ut Corinthii sint membra, quatenus à D. Paulo, qui etiam erat membrum Ecclesiæ, conversi fuerunt ad Christum, in quo sensu dicuntur membra de membro, id est dependentia à D. Paulo quoad conversionem. Quòd si illud *de membro* referatur ad Christum, sensus est, quòd Christus sit membrum Ecclesiæ, prout caput istius est solus Deus præscindendo ab humanitate Christi, in quo sensu diximus Christum ut hominem esse membrum Ecclesiæ ut habentis pro capite Deum, à quo Christi humanitas dependet, & suum accipit influxum, seu totam gratiarom plenitudinem: sin verò illud *de membro* referatur ad Christum ut hominem, & ut est caput Ecclesiæ, in hoc sensu non est membrum, quia Ecclesia non influit in Christum ut hominem, bene tamen Christus in Ecclesiam influit suam gratiam. Eo ipso quòd Christus est caput morale Ecclesiæ, non potest membrum esse ejusdem, ratio est, quia membrum, ut docet D. Thomas *in cap. 12. ad Rom. lect.* 2. dicit dependentiam à reliquis membris ejusdem corporis, quam dependentiam significavit Apostolus 1. ad Corinth. 12. inquiens: *Non potest autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarii;* quibus verbis utitur etiam D. Thomas *in 3. dist. 13. quæst. 2. art. 1. ad. 2.* ut probet Christum ut hominem non esse membrum Ecclesiæ, sed tantùm caput: atqui Christus etiam ut homo nullam habet dependentiam quoad vitam supernaturalem gratiæ à membris corporis mysticis Ecclesiæ: proinde non potest ei convenire ratio membri, tametsi ei conveniat ratio capitis: ratio discriminis est, quia caput non dicit dependentiam à cæteris membris, sed potius superioritatem, ac virtutem influendi in reliqua membra ejusdem corporis, cujus est ipse caput.

Instatis quamvis Christus ut præcisè est caput Ecclesiæ, non possit dici membrum ejusdem, eo quia sub præcisa ratione capitis nullum habeat influxum à membris Ecclesiæ, qui influxus requiritur necessariò ad rationem membri, adhuc poterit dici membrum Ecclesiæ quatenus ut homo subjicitur sibi ipsi ut Deo, qui est altius Ecclesiæ caput, adeo ut si consideretur Christus ut Deus sit verum caput Ecclesiæ, quia ita influit io omnia membra ejusdem, ut ipse nullum accipiat influxum, sin autem consideretur ut homo, est membrum Ecclesiæ, quia accipit influxum à Deo. Sed contra quia Christus est caput Ecclesiæ, non solùm secundùm divinitatem, verùm etiam secundùm humanitatem, potest enim Ecclesia dupliciter coosiderari. Primò ut includit Christum, quatenus est Deus. Secundò quatenus est homo tantùm; si sumatur Ecclesia quatenus habet pro capite Christum ut hominem, tunc non potest Christus etiam ut homo dici membrum Ecclesiæ, & ratio est, quam assignat D. Thomas in 3. *dist* 13. *quæst. 2. art. 5. ad. 6.* quia de ratione membri est dicere dependentiam ab aliis commembris, vel saltem à capite, & Christus ut homo nil recipit ab aliis Ecclesiæ conmembris, sed tantùm à Deo, consequenter non potest dici membrum Ecclesiæ prout hæc intelligitur habere pro capite Christum ut bominem: sin verò consideretur Ecclesia, ut habet pro capite Christum ut Deum, in hoc sensu Christus ut homo dicitur membrum Ecclesiæ, non quia influxum recipiat ab aliis conmembris, vel ab aliis dependeat, sed quia accipit plenitudinem gratiarum à Deo, à quo solo dependet.

Dices vel Christus est propriè caput Ecclesiæ, vel tantùm impropriè: neutrum videtur dicendum siquidem non est caput proprium, sed tantùm per quandam analogiam, ac similitudinem ad caput naturale bominis, ut docet D. Thomas *art.* 1. quod autem per analogiam dicitur, non dicitur propriè tale, sed tantùm metaphoricè, ut constat, cùm Christus dicitur in scripturis Pastor bonus, vitis, leo, lapis angularis, quæ omnia cùm tantùm per quandam analogiam dicantur de Christo, nonnisi impropriè & metaphoricè de illo prædicantur: unde stat Christum propriè non esse caput Ecclesiæ: quod nec etiam impropriè sit Christus dicendus caput Ecclesiæ, ex eo etiam evincitur, quia si esset caput Ecclesiæ, maximè esset ob prioritatem eminentiæ, & influxus. sed hoc omnia cum proprietate conveniunt Christo ergo non est caput Ecclesiæ impropriè. Sed contra, negatur Christum analogicè, ac similitudinariè non esse dicendum caput Ecclesiæ, quamvis eminentia & superioritas conveniat propriè Christo, etenim Christus in scripturis nonnisi analogicè dicitur Leo de Tribu Juda ratione fortitudinis, & nihilominus fortitudo cum omni proprietate Christo convenit, à pari licèt ratio prioritatis, eminentiæ, & influxus, quamvis propriè conveniant Christo, adhuc Christus nonnisi analogicè, & similitudinariè dicitur caput Ecclesiæ, sicut quam-

vis propriè fortitudo Christo conveniat, nonnisi analogice Christus dicitur Leo, ratio est, quia quamvis fundamentum analogiæ sit fortitudo, in qua Christus assimilatur Leoni; res tamen significata per hoc nomen *Leo* non est fortitudo, sed ipsa natura Leonis, quæ non nisi analogice & metaphorice enunciatur de Christo: perinde quamvis esset primum eminens & influens, in quo Christus assimilatur capiti naturali, & fundamentum analogiæ inter illud, & Christum in ratione capitis non sit res significata per nomen Caput, sed ipsa res, quæ significatur per primum eminens, & influens corporeum, quod propriè dicitur de capite naturali, ad nec improprie & metaphorice enunciatur de capite spirituali.

Dices Christi humanitas constat ex corpore & anima rationali: atqui Christus non est Caput Ecclesiæ secundum corpus proprium, sed tantum secundum animam: ergo Christus non est caput Ecclesiæ secundum humanitatem etiam impropriè & analogicè, sed tantùm secundum animam: siquidem Christus est Caput Ecclesiæ per gratiam habitualem ut docet D. Thomas *in 3. part. art. 5.* & gratia habitualis adæquatè subjectatur in anima, & nullo modo in corpore, neque in humanitate, ut coalescente ex anima & corpore, alioquin dissoluta unione inter animam & corpus destrueretur gratia habitualis; quæ tamen cùm sit accidens spirituale, exigit soli spirituali subjecto inhærere, unde si Christus constituitur caput Ecclesiæ per gratiam spiritualem sequitur, quod tantum secundum animam sit caput Ecclesiæ, non secundum corpus. Sed contra, quia Christus est Caput Ecclesiæ secundum humanitatem, proinde non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus, quia humanitas utrumque complectitur corpus & animam, & quia nobilior, ac præcipua pars est anima, ideo per se primo secundum animam, seu magis principaliter secundum animam; & minus principaliter secundum corpus; adeo ut illud secundum corpus referatur etiam ad corpus ipsius Christi. Quod si dicas corpus Christi traxisse materiam corporalem ab illis; & caput debet esse primum, consequenter non derivari à membris. Respondetur, quòd licèt corpus Christi traxerit materiam corporalem ab allis; vitam tamen immortalem omnes trahunt à Christo ut homine specificative sumpto, qui propterea influit vitam in omnes ac omnibus supereminet, ac omnes ab ipso dependent; ergo Christus ut homo specificativè, seu ut comprehendens animam & corpus est caput Ecclesiæ.

Ratio non est assignatu difficilis: quia sicut homines sunt membra Christi secundum corporà, & animas, eò quia secundum utramque partem perficiantur à Christu, ac recipiant influentiam: ita etiam ex parte Christi, ne dum anima, sed etiam Christi corpus influit in homines dona gratiæ, quatenus sua passione, & actibus infinitè meritoriis non solum spiritualibus verum etiam corporalibus à corpore eliciis, ac productis non redemit, nobisque æternam promeruit gratiam: unde secundum utramque partem animæ, & corporis non divisivè, & seorsim, sed copulativè & simul, licet non æquè primo sed secundum animam partem nobiliorem primariò; & secundum corpus partem ignobiliorē secundariò, seu minus principaliter est Christus specificativè ut homo caput Ecclesiæ totius seu triumphantis in cœlis, & militantis in terra: siquidem humanitas Christi influit eo modo, quo existit, sed existit cum anima & corpore simul junctis; ergo secundum utramque partem copulativè, ac unitum sumptam influit in Ecclesiam, & est caput ejusdem. Præterea quia anima & corpus Christi ad rationem capitis comparantur eodem modo, quo verbo Divino copulantur: sed corpus unitur Verbo mediante anima, fuit enim corpus mediante anima assumptum à verbo, ut docent communiter Theologi cum Div. Thoma *3. part. Quæst. 9. art. 1.* ergo ad influendum in Ecclesiam; & ad rationem capitis per se primò comparatur anima, & secundariò corpus, adeo ut hoc non nisi mediante anima influat, ac sit caput Ecclesiæ.

Potest tamen in contrarium opponi: Quia Christus secundum idem est nunc caput Ecclesiæ ac fuit, cùm viveret in hac mortali vita, & secundum quod fuit caput in triduo: atque in triduo non potuit esse caput secundum humanitatatem, sed tantum secundum animam; siquidem in triduo humanitas, seu complexio ex anima & corpore simul unius fuit soluta, ergo non potuit in triduo esse caput Ecclesiæ; quia quod non est, non potest esse caput alterius. Secundò quia anima Christi in tridiio non radicabat ea, quibus Christi corpus tunc nostram operabatur salutem: ergo tunc erat gratia capitalis, prout præcisè animam afficiebat, non corpus juvabat: adeo, ut gratia capitis manserit in sola anima, cui inhæsit, sed eadem gratia capitis quæ fuit in triduo necis Christi, eadem est nunc: ergo nunc & de facto gratia capitis solum habetur in ordine ad animam, adeo ut Christus non per integram humanitatem coalescentem ex anima, & corpore simul unitis sit caput Ecclesiæ, sed per solam animam, ut distinctam à corpore, alioquin in triduo necis Christus non fuisset caput Ecclesiæ. Sed contra ad primum oppositum distinguitur major est caput nunc Ecclesiæ, ac fuit, cùm viveret in vita mortali secundum idem adæquatè, negatur major: secundum idem inadæquatè, conceditur major; & concessâ minori, negatur consequentia. Quia tametsi formalis ratio, per quam Christus in ratione capitis constituitur, sit eadem quocunque tempore, & in quovis statu; scilicet gratia habitualis verbo conjuncta, & institutio libera Dei: adhuc substratum *quo* non est idem adæquatè: quia in statu viæ cùm Christus viveret apud nos in vita mortali, ex unione animæ cum corpore resultabat humanitas integra coalescens ex anima & corpore, quæ operabatur actus satisfactorios pro nostra redemptione: unde humanitas erat id, quo pro substrato Christus erat Caput Ecclesiæ: in triduo autem substratum non mansit adæquatè; sed tantum inadæquatè, scilicet sola alima cui gratia capitis inhæsit, & fuit substratum, quo Christus erat caput Ecclesiæ: ideoque non secundum idem adæquatè, sed secundum idem inadæquatè in triduo necis fuit Christus caput Ecclesiæ. Ad secundum respondetur in triduo necis, gratiam habitualem animæ Christi non radicasse formaliter ea, quibus corpus Christi tunc temporis nostram operabatur salutem ex defectu unionis corporis cum anima: bene tamen ea radicasse exigitivè, quatenus postulabat ea radicare. Vel posset etiam responderi: gratiam habitualem esse gratiam capitis adæquatè, quando anima est corpori unita; & tunc se ipsa, vel mediantibus donis in ea radicatis ad omnes actus capitis concurrere; sed in triduo non fuisse adæquatam gratiam capitalem; sed tantum principalem, eò quia animam actuabat, secundum quam Christus in triduo fuit caput Ecclesiæ: gratia enim capitis adæquare coalescit ex gratia habituali afficiente animam, & donis actuantibus & corpus unitum animæ, illudque elevantibus ad influendum

dum in homines dona supernaturalia in ordine ad assecutionem æternæ salutis.

Quod si petas, cur Christus dicatur potius esse caput Ecclesiæ, quam cor. Respondetur, quia cor est origo, ut principium operationum vitalium, siquidem in corde geoerantur spiritus vitales, qui sunt principia vitæ vegetantis: & caput est principium operationum animalium, quia in eo gigountur spiritus animales, qui sunt principia vitæ sensitivæ: & quia operationes vitales non subjiciuntur voluntatis imperio, sed exercentur natutaliter: & è converso, quia operationes animales perfectè subjiciuntur voluntatis imperio; & Christus influit in mystica membra Ecclesiæ per voluntariam, non per naturalem successionem supernaturalis influxus gratiæ; ideò congruentiùs dicitur Christus caput, quàm cor Ecclesiæ: hinc D. Thomas 3. part. quæst. 8. art. 1. ad 3. ait: *Caput habet manifestam eminentiam respectu exteriorum membrorum: sed cor habet quandam influentiam occultam: & ideo cordi comparatur Spiritus sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat & unit: caput comparatur ipse Christus secundum visibilem naturam, secundum quam homo hominibus præfertur.* Docet D. Thom. Christum secundùm humanitatem ideo non dici cor Ecclesiæ, sed caput; quia capitis eminentia, & influxus non occulta, sed manifesta sunt; secus quia influxus cordis sunt occulti, & nos latent; non Christo secundum humanitatem convenit esse cor Ecclesiæ, sed potius secundum divinitatem; adeo ut Christus ut Deus, & Spiritus sanctus congruentius dicantur cor Ecclesiæ; eo quia non habeant eminentiam visibilem, sicut Christus secundum humanitatem, quâ est homo & habet eminentiam visibilem, cui propterea congruentius convenit esse caput Ecclesiæ.

Præterea cuique corpori visibili convenit caput visibile, alioquin putaretur corpus acephalum, quia caput non subjiceretur sensui, & reliqua membra essent sensibilia, & caderent sub sensum visus; proinde caput non esset proportionatum corpori. Sed Ecclesia est corpus mysticum visibile, ac manifestum: proinde si ejus caput debet visibile esse, sequitur Christum secundum humanitatem visibilem esse caput, non cor, quod non est manifestum sicut caput. Minor ostenditur: quia Ecclesiam conspicuam, ac manifestam fore prædixerunt Prophetæ, ut gentes eam videntes, ad illum iovitarentur, ad verbum Dei audiendum, & legem recipiendam preces fundendas, ac supremo Numini debitum cultum exhibendum: hinc partes Ecclesiæ omnibus semper pateot, ut quisque si velit, possit, prout ipsi magis placuerit, ingredi, non solum fidelis sed etiam Ethnicus, Judæus, Turca & gentes omnes, neminem enim excludit, omnes complectitur, quos lustralis baptismi aqua abstergit; imo Gentibus omnibus ut sit manifesta, in monte sublimi qui Christus est, collocatur, fundatur, erigitur; ut gentes ad illam accessuræ vitam inveniant æternam, nulli obnoxiam interitui; quæ omnia postulabant, ut Ecclesia visibilis esset; & caput illius visibile foret, Micheæ 4. *Erit in novissimis domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob: & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis ejus: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit inter populos multos; & corripiet gentes fortes usque in longinquum.* Isaias Judæos invitat ad hujus Ecclesiæ ingressum, eo quia ejus splendor omnibus conspicuus viam perlignet salutis ait Propheta cap. 60. *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* Idque causæ cur Christus dicatur posuisse io sole tabernaculum suum Psal. 18. *In sole posuit tabernaculum suum* id est Ecclesiam in terris militantem à se fundatam, unde Augustinus in Psal. 18. *In manifestatione Ecclesiam suam non in occulto, non quæ lateat, non velut opertam; ne forte fiat sicut operta super greges hæreticorum.* Quod si Ecclesia est visibilis, necesse est cadat sub sensus secundum singulas partes, quibus construitur, & quia uoa ex præcipuis partibus corporis est caput, debet hoc esse visibile: unde Christus ut homo specificativè seu secundum humaoitatem visibilem est caput Ecclesiæ visibilis, seu militaotis in terris: alioquin si Ecclesia esset invisibilis, non possent gentes eam cognoscere, ut ipsam adirent, in illam ingrederentur, & vero Numini debitum exhiberent cultum: hinc S. Cyprianus definit Ecclesiam esse plebem sacerdoti adunatam, & gregem pastori suo adhærentem; quòd si Pastor non esset visibilis, non posset grex illum cognoscere, nec illi adhærescere; quia ut scitè Div. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 11. ait: *In nullum quippe nomen Religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum sensibilium consortio colligentur.* Et lib. 3. contra Epistolam Parmeniani cap. 5. *Nulla est securitas unitatis, nisi ex promissis Dei Ecclesia declarata, quæ super montem constituta abscondi non potest, & ideo necesse est, ut omnibus terrarum partibus nota sit.*

CAPUT II.

An Christus ut homo specificativè sumptus sit caput omnium hominum & Angelorum?

Certum est, omnes homines post Christum, si non actu saltem in potentia esse membra Christi quamdiu vivunt in hac vita morti obnoxia, quia io statu viæ omnes homioes, quamvis sceleribus detutpati, moribus corrupti, ooxisque coinquinati, ac in criminibus obstinati possunt resipiscere ope divinæ gratiæ, & æternam consequi salutem: in statu vero justificationis, & gloriæ sunt actu membra Christi, hoc tameo discrimine, quod in statu gloriæ sint membra inseparabilia, & in statu viæ separabilia: secus nec actu ac in potentia est Christus caput damnatorum, quia ut Christus sit caput alicujus hominis, requiritur saltè, quòd ipsi uniatur per fidem: & damnati nec actu fidem habent, nec illam possunt habere, ut comuoiter docent Theologi, eò, quia fides sit virtus pertinens tantùm ad statum viæ, extra quem damnati existunt. Rursus quia sunt etiam incapaces omnis virtuosi affectûs, consequenter etiam piæ affectionis imperantis autem fidei, ex quo liquet, damnatos nec actu nec in potentia esse membra Christi, neque Christum esse illorum caput. Quòd si dicas, Hæreticos ab Ecclesia puniri, & juxta Paulum ad Ecclesiam non pertinere de iis judicare, qui foris sunt, seu extra Ecclesiam, consequentenr hæreticum

ticum damnatum esse partem, & membrum Ecclesiæ, & Christum ejus caput. Contra est, quia ut hæretici damnati ab Ecclesia judicentur, & damnentur sufficit, quod antea pertinuerint ad Ecclesiam vel per susceptionem baptismi, vel per confessionem fidei, quam postea deseruerint, unde Ecclesia habet jus in ipsos ut desertores, quos propterea potest punire, tametsi mortui sint, & damnati. Beati verò cœlesti gloria donati sunt actu membra Christi, imò & membra perfectissima, ut ex D. Paulo ad Ephes. 1. ubi vocat Christum caput super omnem Ecclesiam scilicet militantem in terris, & triumphantem in cœlis: *Ipsum dedit caput omnem Ecclesiam:* Tum quia sola unio ad Christum per fidem sufficit, ut dicatur quis actu membrum Christi, ergò à fortiori sufficiet unio ad Christum per gratiam consummatam & gloriam, cùm hæc unio non sit amplius per culpam solubilis. Quòd si dicas Beatos in statu gloriæ non dependere à Christo ut homine, nec recipere influxum illius, eò quia Christus in statu gloriæ nihil amplius illis promereatur & de ratione membri esse dependere à capite. Contra est, quia cùm gloria impertita fuerit Beatis ratione meritorum Christi, & per eadem merita gloria sit perseveratura in æternum, eò quia Christus suis meritis meruerit hominibus gloriam, & ejus perpetuam conservationem adeout beati, tametsi in statu gloriæ, adhuc dependeant à Christo, ut eorum capite, quamvis CHRISTUS in statu gloriæ nil illis amplius promereatur, sufficit enim si illis promeruerit conservationem in æternum illius gloriæ, qua donantur, nec enim dependent à meritis CHRISTI, ut à causa meritoria, consequenter Beati & dependent à Christo ut capite, & sunt illius membra. Quòd si dicas inde sequi Christum ut comprehensorem non esse caput hominum beatorum, sed duntaxat ut viatorem, seu quatenus fuit viator, quod falsum est: siquidem ex data responsione eatenus est caput beatorum, quia promeruit eorum gloriam: & hanc Christus non promeruit nisi ut viator, non verò ut comprehensor, quia eatenus influit, quatenus meritoriè Beatorum gloriam causavit, ex quo sequitur Christum non ut comprehensorem, sed tantum ut viatorem esse caput beatorum. Sed contra quia ad rationem capitis sufficit influxus aliquis sive meritorius sive efficiens, sive finalis, aut exemplaris, & Christus ut comprehensor influit finaliter. & exemplariter in ipsos Beatos. quia Christus ut comprehensor est finis, & exemplar glorificationis hominum. Præterea ad rationem capitis sufficit etiam influxus effectivus instrumentalis, sive hujusmodi influxus sit physicus sive moralis, & quia Christus causavit instrumentaliter gratiam hominum viatorum, causavit etiam gratiam consummatam beatorum, quæ propterea dependet à Christo etiam ut comprehensore.

Dicendum est, Christum esse caput actualiter omnium hominum existentium in gratia, tametsi sint illam amissuri; & sive homines prædestinati sint sive reprobi, est contra Pelagianos, qui ut refert D. Augustinus lib. de hæresibus cap. 88. asserebant solos illos, qui nullum habebant peccatum, ad Ecclesiam pertinere, & Christum solum eorum esse caput, qui nulla lethali noxa coinquinati erant: Pelagianis adhæsisse Donatistas docet etiam idem Augustinus lib. 3. contra epistolam Parmenii cap. 2. prope finem. Imò in hunc errorem etiam impegerunt Novatiani, Cathari, & Anabaptistæ. Alii tametsi carentiam cujusvis peccati in Christi membris non exigant, asserunt tamen solos prædestinatos ad Ecclesiam pertinere, & Christum non esse caput justorum, qui prædestinati non sunt. Nostra verò sententia est omnium Catholicorum, & definita fuit in Concilio Constantiensi sess. 15. & probari solet ex D. Paulo ad Roman. cap. 8. ubi scribit: *Quicunque Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei:* atqui omnes justi, qui de facto gratiam participant sanctificantem, spiritu Dei aguntur, consequenter sunt omnes filii Dei per adoptionem, & filii Ecclesiæ per aggregationem, proinde sunt membra Christi, quamvis non sint perseveraturi postea in eadem gratia, & per patratas lethales noxas se constituant ex numero damnatorum, & reproborum. In Concilium Tridentinum sess. 6. & justific. cap. 7. ait: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum cui inseritur:* atqui omnis justificatus, seu existens in gratia ex vi justificationis Christo inseritur ut membrum illius, & Ecclesiæ, proinde omnis justificatus sive prædestinatus, sive reprobus est membrum Ecclesiæ, & Christi. Tum quia existens in gratia est Christo unitus per fidem, & charitatem, & ab ipso recipit vitam spiritualem: atqui ad rationem membri hæc sufficiunt, quia membra capiti uniuntur, & influxum vitæ ab eodem accipiunt, unde Christus non solùm prædestinatorum, sed omnium existentium in gratia sanctificante est caput; quia existentes in gratia sunt actu membra Christi.

An verò Christus sit caput tantùm fidelium, vel etiam infidelium, non conveniunt Theologi ex quibus aliqui asserunt non esse actu caput omnium fidelium, sed tantùm eorum, qui existunt in gratia, ita docent Canus *lib. 4. de loc. Theolog. cap. ult. ad 9.* Turrecremata *lib. 1. Sum. cap 8. ad. 7.* & alii docentes fideles esse quidem partes Ecclesiæ, non ita membra ejusdem, consequenter nec membra Christi. Alii docent Christum, quantum est de se, non solùm esse caput fidelium, sed etiam infidelium baptizatorum, ut sunt hæretici, qui licèt baptizati non tamen credunt omnia fidei dogmata. Dicendum tamen est Christum ut hominem specificativè sumptum esse caput omnium fidelium tametsi existentium in peccato lethali, non tamen perfectè, & simpliciter, sed secundùm quid, & imperfectè, ita enim docent ferè omnes Theologi cum D. Thoma *in 3. part. art. 3. in corp.* Ratio est, quia Christus est actu caput omnium, qui actu ad Ecclesiam pertinent, & sunt partes illius: atqui omnes fideles sunt actu partes Ecclesiæ, sive peccato lethali sint infecti, sive habitu gratiæ decorati: ergo Christus actu est caput omnium fidelium etiam eorum, qui lethali noxa inficiuntur. Minor ostenditur ex Christi parabola Matt. 22. ubi comparatur Ecclesia decem Virginibus, quarum quinque oleo destitutæ charitatis fatuæ erant, & quinque prudentes, eò quia oleo charitatis præmunitæ, ac splendore bonorum operum. Rursus Matth. 13. Ecclesia Christi vocatur ovile, in quo oves cum hædis continentur. Genes. 7. comparatur Arcæ Noeticæ, in qua non solùm animalia munda, & pura, sed etiam immunda concludebantur: plures aliæ sunt etiam similitudines Ecclesiæ in sacris scripturis, ut agri, in quo zizania superseminata sunt areæ, in qua frumentum paleæ est admixtum, sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregantis: sed omissis similitudinibus assertum docetur à Magistro Christo Matth. 18. ubi ait: *Si peccaverit in te frater tuus, vade corripe eum inter te & ipsum solum,* postea subdit: *Quod si non audierit, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, &*

Publicanus, vocat peccatorem fratrem hominis justi *si peccaverit in te frater tuus*, ergo si est frater hominis justi, est membrum Christi una cum justo, & est membrum Ecclesiæ, ad quam mittit, ut eam audiat. Præterea quia Christus Judam proditorem ab ipso ut talem cognitum non solùm in numero toleravit Discipulorum, sed etiam in eorum numerum assumpsit, quamvis ex numero non esset prædestinatorum in Dei præscientia. Rursus 1. Corinth. 8. Incestuosus erat in Ecclesia, e cujus gremio Apostolus per excommunicationem ejecit. Demum quia Apostolus gemebat inter falsos fratres, quorum aliqui per invidiam Christum annuntiabant, quòd si falsi fratres erant, utique etiam membra Ecclesiæ sub capite Christo. Id tamen interest discriminis, quia justi ita sunt membra Ecclesiæ, & Christi, ut pertineant ad ipsam tanquam ornamenta: peccatores verò veluti excrementa, & sordes, seu ut loquitur Apostolus: *Justi sunt in Ecclesia veluti vasa aurea, & argentea in honorem: peccatores verò ut vasa lignea, & fictilia in contumeliam:* unde non simpliciter, & absolutè, sunt peccatores Ecclesiæ membra, sed cum addito diminuente, scilicet membra mortua in corpore Ecclesiæ sub Christo capite, quia tametsi professione, & communione cum justis copulentur, non tamen spiritu gratiæ, & charitatis cum iisdem & Christo Ecclesiæ capite conjunguntur: qui enim verè justi sunt: non solùm confessione fidei, & communione, sed etiam spiritu gratiæ, & charitatis cum bonis copulantur. Qui verò ita sunt justi, ut non sint perseveraturi in statu gratiæ, nec in eo morituri, sunt tantùm membra Ecclesiæ secundùm præsentem justitiam per gratiam, & charitatem Christo capiti cohærentes: sed non sunt de Ecclesia secundùm Dei præscientiam & prædestinationem æternam, nec pertinent ut scribit D. Paulus ad Hebr. 12. *Ad Jerusalem cœlestem, & ad Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis*, in quo sensu D. Augustinus lib. 3. de doctrin. Christ. cap. 32. ait: *Non enim re vera Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum:* è converso plures secundùm præsentem justitiam non sunt de Ecclesia, eò quia nondum fidem, & baptismum susceperint, aliquando tamen suscepturi, ac piè victuri: vel quia ab Ecclesia recesserunt, & aliquando præcisi turpiter vixerunt, ad meliorem tamen postea frugem redituri, ac in Christiana pietate permansuri, hi tametsi pro eo tempore, quo in peccato lethali existunt, non sint vasa aurea, & argentea Ecclesiæ, fiunt tamen per resipiscentiam & quia sunt in gratia perseveraturi, ac morituri, propriè ad Christum pertinent, ut membra viventia secundùm Dei præscientiam, & prædestinationem æternam, ut asserit D. Augustinus Tractat. 45. in Joan. *Secundùm præscientiam Dei, & prædestinationem quàm multæ oves foris, quàm multi lupi intus, & quàm multæ oves intus, & quàm multi lupi foris? quid est quod dixi quàm multæ oves foris? quàm multi modo luxuriantur casti futuri, quàm multi blasphemant Christum credituri in Christum. quàm multi se inebriant futuri sobrii; quàm multi rapiunt res alienas donaturi suas: verumtamen modo vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quàm multi intus laudant, blasphematuri, casti sunt fornicaturi, sobrii sunt, se vino postea sepulturi, stant, casuri. Non sunt oves (de prædestinatis enim loquimur: de his loquimur, quos novit Dominus, qui sunt ejus) & tamen ipsi quamdiu rectè sapiunt, Christi vocem audiunt. Ecce audiunt isti, non audiunt illi: & tamen secundùm prædestinationem non oves isti, oves illi.*

Cæterùm omnes fideles sive justi, sive peccatores sunt membra Ecclesiæ sub Christo capite, eò quia Ecclesia, ut eam definit S. Cyprianus Epistol. 69. ad Florentinum Papianum *est plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens*, sed fideles tametsi in peccato lethali existentes per confessionem fidei, & communionem cum aliis fidelibus adhærent summo sacerdoti, cui obediunt, consequenter pertinent ad gregem adhærentem suo pastori, & sunt membra Ecclesiæ: sufficit enim si fideles peccatores per fidem licèt informem, & professionem ejusdem extrinsecè prolatam, ac communionem cum cæteris fidelibus cum iisdem uniatur, & sint membra Ecclesiæ: quia homo actu constituitur intra Ecclesiam, per id, quo unitur actu cum aliis Ecclesiæ partibus in aliquo credito; vel amato: & per fidem actu unitur cum aliis Ecclesiæ partibus in uno credito, proinde actu constituitur intra Ecclesiam quòd si cum Cano dicas fidelem existentem in peccato lethali pertinere quidem ad Ecclesiam actu, non tamen ut membrum ipsius, sed tantùm ut partem. Respondetur hanc quæstionem esse de nomine, quia ut fidelis dicatur membrum Ecclesiæ sub Christo capite, sufficit, si per externam fidei professionem, ac sacramentorum susceptionem cum aliis fidelibus conjungatur. Tum quia D. Thomas comparat fideles existentes in peccato mortali membro mortificato in corpore humano, quod aliquo modo etiam movetur ab homine: atqui membrum mortificatum est actu membrum corporis quamvis imperfectum: ergo fideles existentes in peccato mortali sunt actu membra corporis mystici Ecclesiæ, quamvis imperfecta: siquidem participant influxum capitis Christi, ex cujus meritis habent fidem: unde an sint fideles existentes in peccato lethali dicendi membra mortificata corporis Christi, vel tantùm partes: satiùs dicuntur membra cum addito diminuente scilicet mortificata quam simpliciter partes, eò quia si tantùm dicantur partes Ecclesiæ, non videntur distingui sufficienter à fidelibus justis, qui etiam sunt partes Ecclesiæ: sin verò dicantur membra mortificata vel infecta, per hoc additum diminuens discernuntur à fidelibus justis, qui sunt membra sana. Tum quia ad rationem membri imperfecti & secundùm quid talis sufficit, si aliquo modo participet, quamvis imperfectè vitam supernaturalem: per hoc enim distinguitur etiam à membro perfecto, seu fideli justo, qui participat vitam supernaturalem perfectam: sed fideles existentes in peccato lethali vivunt vita supernaturali per fidem informem, quæ est vita supernaturalis imperfecta: ergo sunt actu membra Ecclesiæ sub Christo capite, quamvis non perfecta sed infirma, vel mortificata. Quòd si dicas existentes in peccato lethali esse potius membra diaboli, proinde non posse dici membra Christi. Respondetur secundùm diversas rationes posse utrumque verum esse: etenim fidelis existens in lethali noxa dicitur membrum diaboli, quatenus existit in lethali peccato: prout verò publicè profitetur fidem ac adhæret supremo pastori Ecclesiæ, & per baptismum unitur cæteris fidelibus, est membrum Christi, quamvis mortificatum infirmum, vel etiam mortuum: quia soli fideles justi, & existentes in gratia sanctificante sunt membra perfecta, quia hæc exigunt uniri Christo, & participare vitam spiritualem perfectam; & fideles existentes in peccato lethali non uniuntur Christo perfectè neque ab illo perfectè vitam spiritualem participant, ergo non sunt membra Christi perfecta quia non stat esse membrum Chri-

sti

sti perfectè, & esse membrum diaboli: ergo liquet Christum ut hominem specificativè esse actu caput fidelium, sive existentium in gratia sanctificante, sive in peccato lethali, hoc tamen discrimine, quod illi sunt membra perfecta & simpliciter, isti vero cum addito diminuente scilicet imperfectè, & secundum quid. Sed in oppositum dices Adamum ante Evæ formationem fuisse fidelem, & non fuisse membrum Christi, proinde non omnes fideles esse actu membra Christi: siquidem is nequit esse membrum Christi, qui non est membrum Ecclesiæ: & Adamus ante formationem Evæ non erat membrum Ecclesiæ, qui tunc nondum erat, siquidem Ecclesia consistit in congregatione, & collectione fidelium, & eo tempore nondum erat hæc collectio, quia unus fidelis non constituit congregationem & collectionem: ergo falsum est, quod omnes fideles sint membra Ecclesiæ sub Christo capite. Sed contra, quia vel sermo est de Ecclesia triumphante in cœlis, vel de militante in terris, si consideretur Adamus respectu triumphantis, prout hæc constituitur ex comprehensoribus, & viatoribus destinatis ad illum, Adamus fuit membrum Ecclesiæ sub Christo capite. Sin verò consideretur respectu Ecclesiæ militantis, fuit etiam membrum Ecclesiæ non in facto esse, sed in fieri, eò quia tunc incipiebat Ecclesia colligi, ac fieri ex fidelibus, quorum primus fuit Adamus, antequam formaretur Eva, unde adhuc pertinebat ad Ecclesiam, cujus erat primum membrum sub Christo capite, perinde ac primum punctum, quo linea construitur, pertinet ad lineam initiativè, eò, quia est initium illius, perinde Adamus ante Evæ formationem, quia fuit fidelis, & tunc incipiebat fieri Ecclesia in terris militans, ad eandem pertinuit. Præterea quamvis Adamus ante formationem Evæ non esset membrum Ecclesiæ secundum completam membri rationem ex defectu commembrorum, seu aliorum fidelium, qui tunc nondum erant, nihilominus adhuc erat membrum secundùm rationem incompletam, & inchoativè membrum Ecclesiæ, quæ tunc fieri incipiebat sub Christo capite.

Dices catechumeni nondum baptizati reverà fideles sunt; sed nondum sunt membra Christi, quia nondum sunt Ecclesiam ingressi; siquidem Ecclesiæ janua est solus baptismus, quem qui nondum susceperunt, nondum sunt Ecclesiam ingressi, & nondum ad Ecclesiam pertinent, consequenter non possunt esse membra Christi ut capitis Ecclesiæ, quia Christus est tantùm caput actu eorum, qui sunt ingressi Ecclesiam per susceptionem Baptismi. Ergo non omnes fideles sunt membra Christi. Tum quia Catechumeni non sunt actu, & propriè in Ecclesia, sed tantum in potentia, perinde ac homo recens conceptus & nondum formatus, & natus non dicitur actu homo sed tantum in potentia, ergo catechumeni non sunt actu membra Christi sed tantum in potentia: quia ut quis sit actu membrum Christi, non sufficit, si receperit verbum Dei, seu credat in Deum; sed rursus requiritur baptismus *Act. 2. Qui ergo receperunt verbum, baptizati sunt; & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Concilium itidem Florentinum in instructione Armenorum declaravit, homines fieri membra Christi, ac de corpore Ecclesiæ, cùm baptizantur. Hoc idem docent Sancti Patres: hinc Sanctus Gregorius Nazianzenus *Orat. in sacrum lavacrum asserit catechumenum esse in vestibulo tantum pietatis, neque adhuc posse vocari fidelem, nisi in Ecclesiam ingrediatur per susceptionem Baptismi.* S. Chrysostom. homil. 24. in Joan. ait: *Catechumenum esse alienum à fideli, & nihil habere commune cum fideli, non civitatem, non mensam, loquitur de fideli baptizato, qui est membrum Ecclesiæ sub Christo capite, asseritque Catechumenum non esse membrum Ecclesiæ, nec Christi.* In eodem sensu Tertullianus lib. *de Præscriptionibus* repræhendit hæreticos ex eo etiam, quia non distinguunt catechumenos à membris ecclesiæ. Cyrill. itidem lib. 12. in Joan. cap. 50. *asserit Catechumenos apud Christianos ita esse, quod erant incircumcisi apud Judæos, qui propterea non poterant vesci agno paschali.* D. Aug. in dem tr. 4. in Joan. & alibi distinguit Catechumenos à fidelibus, qui sunt membra Ecclesiæ sub Christo Capite. Præterea qui Catechumeni nullum habent jus ad Sacramenta Ecclesiæ, neque ad alia, quæ sunt communia membris Ecclesiæ: ex quibus satis apertè constat catechumenos non esse membra Ecclesiæ, quamvis sint fideles, quatenus credunt omnia, quæ à membris Ecclesiæ credenda sunt: ergo Christus non est caput omnium fidelium cum catechumeni fideles sint, non tamen membra Ecclesiæ, quorum Christus est caput. Respondet Melchior Canus, Catechumenos esse membra Ecclesiæ comprehendentis omnes justos ab Abele justo usque ad consummationem sæculi; licet non sint membra, quæ propriè dicantur christiana. Dupliciter considerat ecclesiam primo ut complectentem omnes justos à mundi initio usque ad ejus consummationem. Secundò ut tantùm complectentem baptizatos, & censet Christum esse caput utriusque Ecclesiæ, proinde æque justos, ac baptizatos esse membra Christi. Sed hæc solutio non videtur satisfacere, quia post Christi adventum nulla est clara Ecclesia, nisi quæ dicitur Christiana, quæque solos complectitur baptizatos; adeo ut non baptizati, quales sunt Catechumeni, non sint membra Ecclesiæ sub Christo capite. Respondetur igitur exactiùs tripliciter posse considerari esse aliquos membra Ecclesiæ, Primò potentiâ tantum, quo pacto omnes gentes dicuntur in potentia membra Ecclesiæ sub Christo capite; quia omnes gentes possunt si velint converti, & per susceptum baptismum fieri actu membra Ecclesiæ. Secundò in voto, quatenus optant, & volunt per susceptionem baptismi fieri membra Ecclesiæ. Et ad id se disponunt, ac instruuntur, & credunt, quæ credenda sunt à membris actu Ecclesiæ, ut possint ritè baptizari, & Ecclesiam ingredi ac fieri, ut optant, membra actu Ecclesiæ sub Christo capite. Tertio actu in re, quo pacto omnes babtizati per eamdem fidei externam professionem, adhæsionem supremo Ecclesiæ Pastori, & participationem sacramentorum conveniunt cum reliquis Ecclesiæ membris. Catechumeni igitur quia nondum baptizati non sunt actu jure membra Ecclesiæ, quamvis credant omnia credenda à membris, quæ actu in re comprehenduntur in Ecclesia sub Christo capite. Sunt tamen actu membra Ecclesiæ in voto; proinde sunt & ipsi membra Christi; & si decedant sine lethali noxa, æternam consequuntur salutem. Quòd si dicas, sanctos Patres docere, neminem extra Ecclesiam posse salvari. Respondetur sanctos Patres esse intelligendos de iis extra Ecclesiam, qui neque in re neq; in voto sunt in Ecclesia, catechumeni autem, si non actu in re; saltem actu in voto sunt in Ecclesia & si non Baptismo fluminis, baptismo tamē flaminis sunt baptizati, hoc autē baptisma sufficere ad assecutionem æternæ salutis docent communiter Theologi in tractatu de baptismo. Quòd si dicas, Ecclesiam à sanctis Patribus dici similem arcæ, extra quam nemo salvabatur, tametsi in voto esset in arca. Respondetur similitudines non convenire in omnibus: quapropter 1 Petri 3. Baptismus comparatur arcæ Noëticæ, & tamen constat sine baptismo in re, aliquos salvari

fola

solo baptismo in voto, scilicet baptismo fluminis, vel sanguinis, ut plures martyres, qui nondum baptizati sanguinem fuderunt, & mortem subierunt in testimonium fidei Christianæ; ac æternam fuerunt salutem consequuti.

An verò Christus sit caput schismaticorum, videtur esse difficultas, quia ipsi separantur ab Ecclesia, qui Luc. 5. æquiparatur reti, è quo per scissionem pisces egrediuntur, qui propterea non sunt amplius in rete, cum pristinæ restitui libertati per marinos fluctus divagentur. Tum quia Ecclesia Joan. 10. dicitur *unum ovile*, & Apostolus ad Roman. 12. vocat Ecclesiam *Unum corpus*, & Cant. 6. dicitur: *Una sponsa una amica, una columba*, schisma autem quod erat unum, scindit in partes, quæ propterea separantur, ut una non sit amplius in alia neque eidem juncta, non enim pars scissa in corpore, est amplius pars ejusdem corporis: hinc Cyprianus lib. de unitat. Eccles. asserit: Ecclesiam significari per vestem Christi inconsutilem, quæ scissa non fuit, ut inde intelligeremus Ecclesiam scindi quidem posse, sed non eo modo, quo scinduntur vestes, quia omnes partes æquè manent partes vestis: sed quomodo scinditur ramus ab arbore, qui statim arescit, & emoritur vigente adhuc & vivente arbore; & sicut rivus à fonte, qui statim exsiccatur fluente fonte: vel sicut radius à sole, qui semper deficit perseverante sole in suo primævo splendore. Hinc Pelagius Papa 24. *quæst. 1. can. Pudenda, & can. Schisma*, declarat schismaticos non esse de Ecclesia, nec amplius membra illius: quapropter Ecclesia in Parasceve orat pro hæreticis & schismaticis, ut eos Deus ad Ecclesiam Catholicam dignetur revocare: sin autem essent membra Ecclesiæ, tales non funderet preces. Accedit etiam Catechismus, qui in explicatione Symboli Apostolici separat schismaticos ab Ecclesia. Patres itidem asserunt schismaticos sejunctos esse à corpore Ecclesiæ, consequenter non esse membra Ecclesiæ, quia membra debent in corpore comprehendi, propterea Irenæus lib. 4. cap. 62. cum dixisset in præcedentibus virum spiritualem judicare omnes hæreticos, & schismaticos, & recensuisset in particulari plures hæreses, dixit postea de schismate propriè dicto: *Judicabit omnes eos, qui sunt extra veritatem, id est extra Ecclesiam.* S. Cyprianus lib 4 epist. 9. ad Florentinum Papianum scribit: *Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens: unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si quis cum Ecclesia non sint, in Ecclesia non esse.* Et quia schismatici non sunt cum universali Pastore & Episcopo Ecclesiæ Catholicæ, non sunt in Ecclesia. Chrysostomus homil. 3. in epist. 1. ad Corinth. ait: *Schismatis significantia satis eos arguit, vel potius satis est ejus appellatio quæ vehementer eos tangat: non enim plures integra partes facta, sed una perit.* Unde homil. 11. in epist. ad Ephes. asserit: Schismaticos similes manus à corpore præcisæ, quæ desinit esse membrum corporis, & paulatim corrumpitur, ac putrascit. Hieronymus in cap. 5. Amos ait: *Schismatici separant quidem deceptam multitudinem ab Ecclesia Dei: non tamen hoc faciunt crudelitate, qua Heretici.* Et in cap. 3. ad Titum indicans discrimen inter hæresin, & schisma ait: *Heresis perversum dogma habet: Schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separat:* unde si Schismatici ab Ecclesia separantur, non sunt amplius in Ecclesia nec membra illius sub Christo capite, quia membra exigunt uniri corpori, cujus sunt membra. Hinc D. Augustinus lib. de fide & symbolo cap. 10. ait: *Credimus sanctam Ecclesiam utique Catholicam: nam Heretici, & Schismatici congregationes suas Ecclesias vocant; sed Heretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant, schismatici autem discissionibus iniquis à fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus, quapropter nec Hereticus pertinet ad Ecclesiam Catholicam, quoniam diligit Deum, nec Schismaticus quoniam diligit proximum.* Ratio itidem est, quia Ecclesia est una tantùm unione membrorum inter se & cum suo capite: atqui schismatici hanc unionem dissolvunt, cum à communione capitis, & aliorum membrorum, se separant consequenter Schismatici non sunt in Ecclesia, neque membra illius. Ecclesiam esse unam tantùm, & ejus unitatem essentialem sitam esse in illa conjunctione membrorum inter se & cum capite ex eo evincitur, quia multipliciter intelligi potest Ecclesiæ unitas. Primò ratione principii seu Dei vocantis Joan. 6. *Nemo venit ad me nisi Pater meus traxerit illum*, Secundò ratione finis ultimi, & hanc unitatem finalem significat Matth. 30. in illo diurno denario promisso omnibus operantibus. Tertiò ratione mediorum, seu fidei, legum, sacramentorum juxta illud Apostoli ad Ephes. 4. *Una fides, unum baptisma.* Quartò ratione Spiritus sancti, à quo veluti externo, & separato Rectore universa Ecclesia regitur, & gubernatur 1. Corinth 12. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* Quintò ratione ejusdem capitis veluti interni, ac conjuncti rectoris, quia omnis Ecclesia eidem Christo ut capiti paret ad Ephes. 1. *Ipso dedit caput super omnem Ecclesiam:* & etiam ejus Vicario Joan. ult. *Simon Petre pasce oves meas.* Sextò Ecclesia est, & dicitur una ratione connexionis membrorum inter se, & præsertim cum capite totius Ecclesiæ, quia ut ait Apostolus ad Roman. 12. *Unum corpus sumus alter alterius membra:* ex iis unitatibus, quæ pertinent ad Ecclesiam, duæ ultimæ constituunt Ecclesiam unam in se, à qua qui separantur, dicuntur ab Ecclesia sejuncti, & extra illam. Per primam siquidem unitatem Ecclesia non tam est una quàm ex uno scilicet Deo vocante, & congregante fideles. Per secundam non tam est una quàm ad unam, quatenus fideles ordinantur ad unum, eundemque finem, seu ad gloriam æternam. Per tertiam tam est una quàm per unum, quatenus fideles per legum observantiam, sacramentorum usum, & fidei professionem constituunt unam Ecclesiam. Per quartam non tam Ecclesia est una, quàm sub uno, quatenus fideles diriguntur per impulsum Spiritûs sancti: Per quintam verò & sextam unitatem Ecclesiæ propriè est una in se, seu unus cætus fidelium adhærens suo capiti, & Pastori: & quia schisma hisce duabus postremis unitatibus opponitur, quia tunc oritur schisma, quando unum membrum non vult amplius esse membrum illius corporis, nec sub illo capite, quo pacto tollitur unitas essentialis, & ipsa Ecclesia deseritur; unde schismaticus non est membrum Ecclesiæ sub Christo capite. Quòd si dicas Ecclesiam esse Catholicorum congregationem, & schismaticos esse Catholicos consequenter membra Ecclesiæ sub Christo capite. Contra est, quia tametsi schismatici retineant fidem Catholicam, quatenus credunt omnia credenda ab homine Catholico, non tamen propriè sunt Catholici, quia ut quis verè Catholicus sit, non sufficit, si fidem Catholicam profiteatur, sed ulterius necesse est, ut eam profiteatur in ipsamet Ecclesia Catholica sub Christo capite. Si dicas schismaticos non solùm credere omnia credenda à viro Catholico; verùm etiam sub esse Christo

ut capiti, eique parere, ac ejus leges servare, ut & consilia exequi, licèt nolit comunicare cum Romano Pontifice, nec cum Ecclesia, quæ militat in terris, sed tantùm cum illa, quæ triumphat in cœlis, proinde schismaticos non tollere unitatem Ecclesiæ, nec absolutè esse extra Ecclesiam, sed verè esse membra Christi, cui uniuntur ut capiti. Contra est, quia nemo tametsi velit, potest subesse Christo, & communicare cum Ecclesia triumphante in cœlis, quin etiam subsit Romano Pontifici Christi Vicario, cui Christus Joan. ult. dixit: *Simon Petre pasce oves meas*: etenim qui non subest Pontifici, & non communicat cum Ecclesia militante, non obedit Christo, qui vult suam in terris Ecclesiam regi per suum Vicarium Romanum Pontificem: neque verba Christi audiunt schismatici, eò quia Ecclesiam militantem in terris nolint audire, ait enim Christus Luc 10. *Qui vos audit: me audit*: seu qui audit Ecclesiam in terris militantem, Christum audit: ergo qui detrectant militantem Ecclesiam audire, neque Christum audire volunt, cui propterea non obediunt.

Hinc etiam Hæretici, & Apostatæ excluduntur ab Ecclesia, cujus non sunt membra, quia ut ait Apostolus 1. ad Timoth. 1. Hæretici, & Apostatæ dicuntur circa fidem passi naufragium, per metaphoram naufragii intelligit Apostolus Hæreticos, qui fracta una parte navis Ecclesiæ ex ea in mare delabuntur, quod etiam significatur Luc. 5. per illam parabolam de rete, quod præ multitudine scindebatur, qui enim ex scissura retis exierunt pisces, non amplius fuèrunt in rete, ita neque Hæretici, & Apostatæ in Ecclesia neque sunt amplius membra illius sub Christo capite, unde Apostolus ad Tit. 3. scribit: *Hæreticum hominem post unam, & alteram correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus*: eatenus Apostolus præcepit Tito Episcopo, ut vitaret Hæreticum, quia censuit illum esse extra Ecclesiam, non enim jussisset eum à Tito vitari si non extra Ecclesiam eum credidisset, quia pastor non debet vitare eos, qui sunt in Ecclesia, seu non debet fugere gregem, qui est in ovili, seu potiùs procurare eidem proficua pascua, cùm teneatur pastor oves suas pascere. Præterea eatenus Apostolus injungit Tito vitare hominem hæreticum, eò quia is perseverans in sua hæresi pertinax est, & proprio judicio condemnatus: unde quamvis ut explicat D. Hieronymus per sententiam excommunicationis Hæreticus non sit ejectus ab Ecclesia, se ipsum tamen ab Ecclesia separat, ac ejicit 1. Joan. 2. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*, seu ex nobis exierunt, qui nobiscum erant in eadem Ecclesia, sed non erant ex nobis secundùm divinam electionem, ut explicat D. Augustinus lib. de bono persever. cap. 8. Per hos autem, quòd Hæreticus se ipsum ab Ecclesia separet, & ejiciat, dicitur ab Apostolo proprio judicio condemnatus. Præterea in Concilio Nicæno cap. 8. & 19. Hæretici dicuntur posse recipi in Ecclesiam, si redire velint certis tamen servatis conditionibus. Quòd si permittuntur redire, seu iterum ingredi Ecclesiam, sequitur eos esse extra Ecclesiam, quia degentes in Ecclesia non indigent in illam ingredi, cùm jam sint ingressi, & in illa maneant. Rursus quia in Concilio Lateranensi cap. Firmiter de summa Trinitate, & fide Catholica Ecclesia dicitur Congregatio fidelium, Hæretici autem, quia non credunt omnia credenda à viro Catholico, non sunt fideles, nec propterea in Ecclesia Catholica, neque membra ejusdem sub capite Christo. Hinc sancti Patres ab Ecclesia, & ejus membris excludunt Hæreticos, etenim sanctus Irenæus lib. 3. cap. 3. narrat D. Policarpum multos Hæreticos ad Ecclesiam convertisse, ergo quia antea non erant in Ecclesia, neque de Ecclesia, consequenter cum non fuerint uniti corpori Ecclesiæ, neque fuerunt membra illius, quia membra uniuntur corpori, cujus sunt membra. Tertullianus lib. de præscript. ait: Marcionem cùm ad Ecclesiam redire vellet, conditionem accepisse, ut quos perverterat ipse, Ecclesiæ restitueret: quòd si Marcion rediit ad Ecclesiam, fuit antea extra Ecclesiam per ipsam hæresin, qua ab Ecclesia se separavit: hinc Cyprianus in epist. ad Jubaianum ait: *Hæreticos, cùm sint extra Ecclesiam, tamen Ecclesiæ authoritatem sibi vendicare more simiarum, quæ cùm non sint homines, videri tamen volunt homines.* D. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos circa fin. ait: *Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Jesu Christo; sed à quoquam alio nuncupari, ut puta Marcionistas, Valentinianos, Montenses, sive Campenses, scito, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam*: vult D. Hieronymus Hæreticos tantùm abesse, quòd sint membra Christi capitis Ecclesiæ, ut potiùs sint membra Antichristi, qui Christo opponitur. D. Augusti. lib. 4. contra Donatistas cap. 10. ait: *Interdum contingere, ut Hæreticus foris existens non agat contra Ecclesiam*, ubi Augustinus expressè fatetur Hæreticos foris existere, seu esse extra Ecclesiam, proinde non esse membra Ecclesiæ, cui non uniuntur, neque membra sub capite Christo, cujus corpus est Ecclesia, & membra hujus corporis omnes fideles, qui sunt in Ecclesia. Rursus Augustinus lib. de unitat. Ecclesi cap 4. ait: *Qui non credunt Christum in carne venisse de Virgine Maria ex semine David, aut in corpore ipso resurrexisse, in quo crucifixus, & sepultus est, non utique sunt in Ecclesia*: sed Hæretici sunt non credentes Christum in carne venisse de Virgine Maria ex semine David, aut in corpore suo resurrexisse, ergo ex Augustino Hæretici non sunt in Ecclesia, consequenter; neque membra illius, quia hæc ut dicantur membra alicujus corporis, debent eidem uniri. Tum quia Ecclesia definitur esse cœtus fidelium, seu multitudo unita: siquidem ratione unitatis dicitur corpus unum, hæc autem unio præsertim sita est in professione unius fidei, & observantia legum ac rituum Ecclesiæ, & participatione Sacramentorum, adeout hæc omnia non habentes non dicantur conjuncti corpori Ecclesiæ, necesse membra illius: & tales sint hæretici, qui in externa professione fidei deficiunt, eò quia non credant omnia credenda, neque observent leges & ritus Ecclesiæ; neque participent de Ecclesiæ sacramentis, quæ negant, proinde non uniuntur corpori Ecclesiæ, neque sunt membra illius, neque Christi capitis.

In oppositum tamen solent plura congeri. Primò quia Matth. 13. in parabola de Zizaniis tria dicuntur in eodem agro reperiri, granum, paleæ, & Zizania, & per granum significari probos catholicos, per palea, malos catholicos, & per zizania Hæreticos edisserit, Div. Augustinus quæst. 11. in Matth. & per agrum intelligi Ecclesiam etiam docet idem Augustinus lib. 2. contra Cresconium cap. 34. Sed contra quia non desunt ex sanctis Patribus plures, qui per Zizania non hæreticos sed pravos Catholicos, qui sunt in Ecclesia, intelligant, ut Cyprianus *lib. 3. epist. 3. & lib. 4. epist. 2.* Cyprianum per zizania non intelligere hæreticos ex eo conjici potest, quia in illis locis, ubi ait zizania esse in Ecclesia, asserit Hæreticos non esse in Ecclesia, proinde per zizania non potest Cyprianus in-

intelligere Hæreticos, sed malos Catholicos: siquidem per Cyprianum Hæretici non sunt in Ecclesia, & zizania dicuntur esse in Ecclesia, consequentur sibi contradiceret, si per zizania Hæreticos intelligeret. Tum quia in illis locis agit contra Novatianos, qui nolebant admittere lapsos pœnitentes in Ecclesiam ex timore, ne peccatis communicarent aliorum; quibus Cyprianus opponit parabolam Christi de agro, in quo inveniuntur granum, paleæ, & zizania. Præterea cum aliis sanctis Patribus potest parabola aliter explicari, adeo ut per agrum non significetur Ecclesia, sed mundus universus, quia Christus exponens parabolam ait: Agrum esse mundum. Rursus quamvis nomine zizaniorum in hoc agro, seu mundo intelligantur Hæretici, congruentius tamen absque limitatione intelliguntur omnes pravi, & mali in genere sive hæretici sint, sive non: quia finis parabolæ erat ostendere fuisse in mundo semper aliquos malos admixtos bonis, perinde ac in agro frumento admiscentur zizania, neque posse ulla humana diligentia ante diem judicii mundum purgari, quapropter Christus ait, per zizania significari filios nequam, & omnes illos, qui ob patrata scelera in ignem æternum dejicientur.

Præterea posset objici illud Apostoli 2. ad Timoth. 2. ubi æquiparat Ecclesiam magnæ ac percelsæ domus, in qua sunt vasa aurea, & argentea, & lignea, & fictilia, & per domum Paulum intelligere Ecclesiam, & nomine vasorum, ligneorum ac fictilium hæreticos, uti per vasa aurea bonos catholicos, qui exercitio virtutum clarescunt, constat ex eo, dixerat enim paulò ante Apostolus: *Quorum sermo ut cancer serpit, & quibus est Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt.* Rursus nomine domûs intelligi Ecclesiam, in qua sunt vasa aurea, argentea, lignea, & fictilia, docent Cyprianus *lib. 3. epist. 3.* D. Augustinus *lib. 4. de baptis. cap. 12.* & alii, ergo sicut in eadem domo sunt vasa aurea, fictilia, ita in Ecclesia Catholici & Hæretici, qui propterea sunt membra ecclesiæ sub Christo capite. Verùm non desunt, qui per domum non intelligant Ecclesiam, sed mundum sicut diximus de ipso agro, in quo reperiuntur granum, paleæ, & zizania, & hæc expositio communior est inter Patres Græcos, Chrysostomum, Theophilactum: alii tamen patres præsertim Latini nomine domûs volunt intelligi Ecclesiam: quomodo verò debeant intelligi vasa aurea, argentea, lignea, & fictilia edisserit Augustinus *lib. 3. de bapt. C. 19.* ubi ait: Hæreticos seu vasa lignea & fictilia esse quidem in Ecclesia, sed antequam per pertinaciam in hæresin ab Ecclesia separarentur: & ad hoc tempus allusisse Apostolum, cùm scripsit ad Timotheum in magna domo esse vasa aurea, argentea, lignea & fictilia, adeo ut non tam Hæretici, quàm errantes, & Apostatæ dicantur esse in Ecclesia scilicet ante apostasiam & hæresin. Sed Div. Ambrosius sumit nomen Ecclesiæ laxè, quatenus Ecclesia eos omnes complectitur, qui aliquo modo Christiani esse dicuntur, & hæretici dicuntur esse Christiani, quatenus gloriantur profiteri legem Christi. S. Cyprianus per vasa lignea, & fictilia non hæreticos intelligit, sed tantùm infirmos fideles ac debiles, seu minus ferventes in pietate, minusque accuratos in cultura virtutum, qui propterea facilè seducuntur, vult enim Cyprianus verba illa Apostoli in magna domo sunt vasa aurea, non referri ad illud, quorum sermo ut cancer serpit, ex quibus sunt Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt, sed ad illud, *& subverterunt quorundam fidem*, sitque sensus Apostoli, quod si illi quosdam subverterunt, non propterea periculum est, ne omnes subvertantur, eò quia in Ecclesia sint fortes & imbecilles. Putarim igitur per vasa aurea & argentea ritè posse intelligi eos in Ecclesia, qui vel studio pietatis, vel fervore Charitatis, vel profectu virtutum sunt illustres, & supra reliquos splendent, pluris que fiunt ob merita, quam alii, perinde ac vasa aurea, & argentea ob pretiositatem, & splendorem magis fiunt, quam vasa alia lignea, & fictilia: & per vasa hæc lignea ac fictilia intelligi in Ecclesia catholicos minus ferventes in charitate & qui tepidi sunt negligentes studia virtutum, ac profectum in earundum cultura. Si dicas Hæreticos judicari ac puniri ab Ecclesia ob defectionem ab eadem, proinde esse in Ecclesia & membra ejusdem sub Christo capite: siquidem ut ait Apostolus, Ecclesia non judicat nisi eos, qui intus sunt in eadem Ecclesia, unde D. Paulus 1. Corinth. 5. ait: *Nam quid mihi est, de iis, qui foris sunt judicare:* ergo si Ecclesia judicat, & punit Hæreticos, dicendi sunt esse in Ecclesia, præsertim cum retineant characterem baptismi, & sacerdotii, sintque Christiani. Contra est, quia tametsi Hæretici se constituerint extra Ecclesiam, à qua defecerunt, ac separârunt per hæresin, adhuc tamen deberent esse de Ecclesia, & ad illam redire, perinde ac milites desertores semel juramento fidelitatis præstito, Principi tenentur ad servitia ejusdem redire, ac suis se legionibus restituere, adeo ut si à principe, vel præfecto exercitus deprehendantur adhuc desertores graviter puniantur, eò quia defecerint ab Exercitu: pari pacto quia Hæretici per baptismum se subjecerunt Ecclesiæ catholicæ, tenentur ab illa non discedere, & si discedant, manet in Ecclesia jus eos puniendi, quamvis sint extra Ecclesiam perinde ac Princeps punit milites desertores, & transfugas, si eos deprehendat extra exercitum. Unde Ecclesia judicat non solum de iis, qui re ipsa intus sunt, sed etiam de illis, qui deberent intus esse & non sunt, perinde ac Pastor potest ovem, quæ extra ovile errat per montes, & valles eam adigere ad ovile: unde cum Apostolus scribit ad Corinthios *de iis, qui foris sunt, non judicare*, loquitur de iis, qui ita sunt foris, ut nunquam intus fuerint, quales fuerunt Ethnici, & alii, qui nunquam per baptismum fuerant Ecclesiam ingressi. Ad id, quod addebatur de charactere baptismi & sacerdotii. Respondetur characteres illos utpote indelebiles semper retineri ab hæreticis, qui assimilari possunt ovibus deperditis, & errantibus ac retinentibus characterem illis inustum in dorso: sicut oves non obstante charactere sunt extra ovile: perinde hæretici non obstante charactere baptismi, & sacerdotii sunt extra Ecclesiam, à qua per hæresin se separârunt, ac foras ejecerunt, & cùm non sint uniti corpori Ecclesiæ, non sunt membra Ecclesiæ sub Christo capite. Non igitur sufficiunt recensiti characteres, ut quis constituatur membrum Ecclesiæ, alioquin etiam in gehenna esset Ecclesia, cujus membra essent, quotquot ex Christianis habentibus characterem baptismi vel sacerdotii sunt damnati: & nihilominus docet D. Thomas 3. part. quæst. 8. art. 3. damnatos nec actu, nec in potentia esse membra ecclesiæ sub Christo capite. Ratio est, quia character propriè non unit hominem cum capite; sed tantùm est signum potestatis & unionis cujusdam; adeo ut in inferno eo signo distinguantur, qui fuerunt in Ecclesia, cùm viverent in via ab aliis qui nunquam fuerunt actu membra Christi. Etenim character non unit exterius, quia est res invisibilis non cadens sub sensus exteriores: neque unit interius, quia non est actus nec habitus operativus, sed tantùm quædam simplex qualitas se habens per

stic-

modum signi: & Div. Thomas primam unionem internam ponit in fide, quâ fideles interius uniuntur Christo; & exterius per solemnem exteroam ejus professionem.

Cæterum Hæretici differunt à schismaticis, quia licèt ut Div. Thomas 2. 2. quæst. 39. art. 1. ad 3. omnis hæreticus sit schismaticus, non è converso omnis schismaticus est semper necessario hæreticus: quia schisma dupliciter potest considerari, prout opponitur tantùm charitati; & prout opponitur etiam fidei; & quia rarissimè contingit, ut schisma non opponitur simul charitati & fidei, ideo schismatici ordinariè non sunt Christi membra, quia separantur per hæresim & schisma ab Ecclesia, consequenter ab ejus capite Christo. Quòd si daretur schismaticus, qui non opponeretur fidei, sed tantùm charitati, quia ratione externæ professionis fidei, & baptismi non esset separatus à cæteris fidelibus: censent aliqui talem schismaticum non exiturum extra Ecclesiam, sed perseveraturum in Ecclesia, cujus propterea membrum dici posset, eo quia adhuc pertineret ad Ecclesiam secundùm interiorem conditionem Ecclesiæ, vel secundum animam, aut formam Ecclesiæ, quæ est fides formata, vel etiam informis: non tamen pertineret ad Ecclesiam secundum conditionem visibilem & exteriorem perfectionem, quæ vocatur corpus Ecclesiæ: hinc asserunt schismaticos, quorum schisma opponitur tantum charitati, & non fidei, secundum interiorem conditionem ecclesiæ pertinere ad ecclesiam, ac esse ejus membra sub Christo capite. Sed hic modus dicendi non videtur probare schismaticum esse membrum ecclesiæ: quia ecclesia definitur à S. Cypriano plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grea adhærens, & per schisma oppositum charitati schismaticus non est adunatus suo sacerdoti, neque est ovis suo adhærens pastori: quia schismaticus detrectat patere pastori universæ Ecclesiæ, seu Romano Pontifici, qui est Episcopus catholicæ ecclesiæ, cui Christus injunxit curam sui gregis, ac ovilis seu ecclesiæ *Petre pasce oves meas*: ergo schismaticus per schisma oppositum charitati se separat ab ecclesia, seu ab aliis fidelibus supremo Pontifici adhærentibus, consequenter non sunt in ecclesia actu, neque sunt de numero eorum fidelium, qui sunt membra Ecclesiæ: etenim fideles, qui sunt membra ecclesiæ, supremo adunantur pastori, cui adhærent ac obediunt: & de hoc numero fidelium non sunt schismatici, quorum schisma dicitur opponi tantùm charitati; quia isti non adunantur supremo Sacerdoti, neque sunt oves eidem adhærentes, consequènter non sunt de numero illorum fidelium, qui dicuntur membra ecclesiæ. Quamobrem ut quis sit membrum ecclesiæ, non sufficit, si retineat eandem fidem; sed ulterius requiritur adhæsit supremo ecclesiæ Sacerdoti, ac Dominici gregis Pastori, cui cùm schismaticus non uniatur, neque adhæreat, nequit esse de numero illorum fidelium, qui dicuntur membra ecclesiæ. Tum quia schismaticus per schisma est præcisus ab ecclesia, cujus propterea nequit esse membrum, quia membra ecclesiæ uniuntur corpori ecclesiæ; & corpus ecclesiæ sunt fideles cum summo Sacerdote, à quo scismaticus se separat. Si dicas, schismaticum esse tantùm præcisum ab ecclesia secundum formam exteriorem, seu secundum conditionem visibilem: non verò secundum unitatem interiorē perfectaoi, quæ habetur per fidem. Contra est, qui ex eo, quòd nolit esse adunatum cùm cæteris fidelibus summo sacerdoti, nec nolit suo adhærere Pastori, cui à Christo concredita est cura sui gregis, non est de numero fidelium, qui sunt membra Christi, consequenter schismatici distinguuntur à membris Christi, & non sunt membra Christi.

CAPUT III.

An Christus sit in Ecclesia caput enormium peccatorum, & infidelium simulantium fidem?

Quia Ecclesia complectitur bonos & malos, justos & peccatores, addictos culturæ pietatis ac virtutum, & intelligentes vitiorum nequitiæ, ut sancti Patres demonstrarunt contra Donatistas ex pluribus scripturæ symbolis, quibus ecclesia repræsentatur per Arcam Noëticam, in qua non solum munda, sed etiam immunda animantia includebantur; agrum in quo zizania superseminata sunt, ad tritico admixta; Aream, in qua frumentum paleæ copulatur; sagenam missam in mare, in qua genera omnia piscium congregantur. Ovile, in quo oves cum hædis continentur; Nuptiale convivium, ad quod boni & mali ingrediuntur. Decem virgines, quarum quinque famæ erant, quia oleo bonorum operum destitutæ, & quinq; erant prudentes; ideo oritur difficultas, an Christus non solum justorum, sed etiam malorum, ac existentium in peccato lethali sit caput; & scelerati, ac graves peccatores sint membra Christi in ecclesia.

Rationes dubitandi sunt, quia existentes in peccato lethali, tametsi fideles sint, non videntur pertinere ad ecclesiam, nec esse partem, & membrum illius: sed qui non est pars neque membrum Ecclesiæ, non potest esse Christi membrum; quia Christus est caput ecclesiæ, prout hæc continet sua membra & efficit unum corpus: ergo si fideles existentes in peccato lethali non sunt partes, nec membra ecclesiæ, sequitur non esse membra Christi. Minor & consequentia subsistunt. ex eo potest primò evinci, quia in symbolo fidei ecclesia dicitur esse sancta, *credo in unam sanctam ecclesiam*, & fideles, qui sunt membra ecclesiæ 1. *Pet.* 2. dicuntur *genus electum: gens sancta*: & Apostolus ex eo quòd ecclesia sit sancta, infert fideles debere sanctos esse, & ejus membra itidem sancta ad Rom. 11. *Quòd si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta & rami* ex quo videtur Apostolus inferre solos justos, & sanctos esse partes, & membra ecclesiæ; unde idem Apostolus fideles Corinthios vocat sanctificatos, & sanctus 1. Corinth. 1. ergo ex Apostolo fideles existentes in peccato lethali non videntur pertinere ad ecclesiam, ut partes, & membra illius; alioquin si fideles existentes in peccato lethali essent membra ecclesiæ sub Christo capite, ecclesia non posset dici sancta, sed potius synagoga Satanæ. Secundò quia ecclesia dicitur tota pulchra, & sine macula Cant. 4. v. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*: at si fideles existentes in peccato lethali essent partes, & membra ecclesiæ, non posset hæc dici tota pulchra; nec esset sine macula, cùm plures ejusdem partes essent macula lethalis, noxæ infectæ: ergo fideles existentes in peccato lethali non

sunt partes, nec membra Ecclesiæ. Tertiò quia qui non sunt filii Ecclesiæ, non sunt partes, nec membra illius: fideles autem existentes in peccato lethali non sunt filii Ecclesiæ, quia non sunt filii sponsi Ecclesiæ, seu Dei, quia non vivunt spiritu Dei, à quo per lethalem noxam se averterunt, ut enim ait Apostolus ad Rom. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*; & fideles existentes in peccato lethali non aguntur spiritu, cùm ab ipso sint aversi: ergo non sunt partes, nec membra Ecclesiæ. Quartò quia D. Augustinus lib. 2. contra Petilianum cap. ult. & lib. de unitate Ecclesiæ cap. 12. & lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 7. & alibi docet malos non pertinere ad Ecclesiam; consequenter non esse partes nec membra illius. Hoc idem docent S. Cyprianus in epist. ad Magnum. S. Hieronymus ad Ephes. 10. ubi explicans verba illa *sine macula, & ruga* quæ Ecclesiæ aptantur, asserit: Malos, & existentes in peccato lethali non esse partes Ecclesiæ, nec ejus membra, alioquin non esset hæc sine macula, sed in aliquibus sui corporis partibus, & membris maculas contraxisset, & rugas. Quintò quia ut docet D. Augustinus amor Dei usque ad contemptum sui constituit sanctam Jerusalem; perinde ac amor sui usque ad contemptum Dei constituit civitatem Babylonis: atqui fideles existentes in noxa lethali non diligunt Deum usque ad contemptum sui, sed è converso se ipsos diligunt indulgentes carnis deliciis, & voluptatibus usque ad contemptum Dei, consequenter non pertinent ad civitatem Jerusalem seu ad Ecclesiam, sed ad civitatem Babylonis, seu ad synagogam Diaboli, consequenter non sunt partes nec membra Ecclesiæ. Sextò quia membra ejusdem corporis non opponuntur inter se, sed potius rectè cohærent in ordine ad commodum totius corporis, atqui mali bonis contrariantur, & ut ait Ecclesiast. cap. 33. *Contra vitam est mors, & contra virum justum peccator*: ergo existentes in lethali noxa non sunt membra Ecclesiæ sub Christo capite.

Asserendum nihilominus est fideles existentes in lethali culpa esse membra Ecclesiæ sub Christo capite contra errorem Novatianorum, & Donatistarum, & assertum evincitur ex sacris scripturis, in quibus, ut initio hujus capitis diximus Ecclesia pariatur arcæ Noëticæ, in qua non solùm munda animalia, verùm etiam immunda comprehendebantur, agro exculto, in quo zizania superseminata sunt, & frumento electorum admixta, areæ, in qua cum frumento jacent paleæ; sagenæ missæ in mare, & ex omni piscium genere congreganti, & in parabolis Evangelicorum comparatur ovili, in quo oves cum hædis simul morantur, nuptiali convivio, in quo boni, & mali, justi, & iniqui sedent; decem virginibus, quarum quinque prudentes deprædicantur, & aliæ fatuitate redarguuntur: hisce parabolis adeo sancti Patres confutârunt olim Novatianos, & Donatistas, ut quò ulterius se verterent, amplius non invenerint, ut refert D. Augustinus in breviculo collationis explicans collationem tertii diei, ubi asserit: Ecclesiam bonos, & malos fideles complecti hoc tamen discrimine, ut boni sint Ecclesiæ ornatui, & mali potiùs dedecori. Sunt etiam plura alia scripturæ loca, in quibus hæc veritas expressè significatur, ut Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade corripe eum inter te, & ipsum solum*, & nonnullis interjectis. *Quòd si non audierit, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*. Christum loqui de vera Ecclesia, cujus ipse est caput, nulli potest dubium esse, quia Christus loquitur de sua Ecclesia, atqui constat in hac Ecclesia reperiri peccatores & quidem existentes in lethali peccato, imò & tales peccatores, qui persæpe neque moniti corriguntur, neque correpti emendentur, tametsi adhibeantur testes: & nihilominus dicuntur manere in Ecclesia, donec ab ipsa Ecclesia per sententiam Ecclesiastici Judicis, ac superioris ejiciantur. Rursus Matth. 23. Christus nos monet, & hortatur, ut ea faciamus, quæ nobis præcipiunt Præpositi mali, seu Prælati non sancti sed peccatores, non tamen ut faciamus, quæ ipsi faciunt, & cap. 24. describens præpositum malum, eum esse dicit, qui percutit conservos, comedit, & bibit cum ebriosis, & alia mala operatur, ait enim: *Veniet Dominus ejus in die, qua non sperat, & dividet eum, partemque ejus in hypocritis ponet*, sermonem esse de Prælatis Ecclesiæ docent communiter sancti Patres Hylarius, Hieronymus, Chrysostomus explicantes verba Matth. 24. Hoc idem fidei dogma expressè itidem asserit D. Paulus 1. ad Corinth. 1. ubi expressè ait scribere se Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, seu ad fideles, qui Corinthi erant in Ecclesia, & subdit *significatum est mihi, quod contentiones sunt inter vos*: fideles enim qui Corinthi erant in Ecclesia per dissidia non sine gravi vulnere charitatis inter se contendebant: & cap. 5. subjungit Apostolus: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem Patris sui aliquis habeat*: quidni incestuosus Corinthius erat in vera Christi Ecclesia, è cujus gremio D. Paulus ipsum per sententiam anathematis, seu excommunicationis ejecit. Si igitur incestuosus iste, ut ait Apostolus, erat in vera Dei Ecclesia non sine scandalo publico aliorum fidelium, sequitur evidenter fideles etiam malos & existentes in peccato lethali esse in Ecclesia, ac partes, & membra illius. Rursus Joannes Apocal. 2. & 3. scribit septem Asiæ Ecclesiis, quas reprehendit de rebus non levibus, ut notat D. Augustinus lib. 2. contra Parmenianum cap. 10. imò non solùm Ecclesias, sed etiam Prælatum Ecclesiæ reprehendit, scribens enim ad Præpositum Sardensis Ecclesiæ significatum per Angelum ait: *Nomen habet quòd vivas, sed mortuus es; esto vigilans*. Præterea in lege veteri certum est gravissima peccata fuisse à populo Dei patrata, & tamen non legimus hos peccatores fuisse separatos à Moyse, Samuele, vel aliis Prophetis, qui diversis temporibus fuerunt à justis, uti fuerunt Simeon Zacharias, Joannes Baptista, & plures alii quos Christus invenit in populo Judæorum, à quo non fuerunt separati, tametsi ex tali populo plures fuerint homines pessimi: hoc argumento D. Augustinus in breviculo collationis collat. tertii diei vel maximè urget Donatistas, & ostendit veram Jesu Christi Ecclesiam comprehendere fideles bonos, & malos, perinde ac in lege veteri populus Dei bonos comprehendebat, & malos.

Hanc eandem veritatem docent sancti Patres. Cyprianus lib. 3. epist. 3. ad Maximum ait: *Impedire non debet aut fides, aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus ipsi de Ecclesia recedamus*, tametsi Cyprianus cognosceret in vera Dei Ecclesia esse malos fideles, non propterea censuit ex zelo religionis esse separandos, nec propter malos debere bonos recedere ab Ecclesia. Hinc Gregorius Nazianzenus Orat. 1. Apologetica ante medium, æquiparat Ecclesiam ingenti belluæ compositæ ex pluribus aliis, ac variis belluis magnis parvis, feris, mitibus ad ostendendum maximum esse Episcopi laborem, qui regere tenetur tot hominum

genera

genera bonos, malos, probos, improbos, perfectos, & moribus corruptos. Sanctus Chrysostomus plura etiam recenset de peccatis eorum, qui ab Episcopis reguntur, & in Psal. 39. expendens verba illa: *Multiplicata sunt super capillos capitis mei, ait: Nec ex perfectis quidem universa constat Ecclesia, sed habet eos etiam, qui otio & socordia se dedunt, mollemque, & dissolutam vitam amplectuntur, & libenter serviunt voluptatibus, & quoniam est unum corpus, tanquam ex una persona hæc, & illa pronuntiat.* D. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos probat Ecclesiam comprehendere bonos, & malos fideles, & illam Noëticæ Arcæ comparat inquiens: *Arca Noë Ecclesiæ typus fuit; ut in illa omnium animalium genera, ita in hac universarum, & gentium, & morum homines sunt: ubi ibi pardus & hædi; lupus & agni; ita & hic justi & peccatores, id est vasa aurea, & argentea, cum ligneis, & fictilibus commorantur:* perinde in vera Jesu Christi Ecclesia sunt fideles probi, & improbi, justi, & iniqui sancti & perversi sicut in arca Noëtica, quæ typus fuit Ecclesiæ, fuerunt lupus, & agni, columba, & vultur, ergo nulli dubium, quin fideles tametsi existentes in peccato lethali sint in Ecclesia & membra illius sub Christo capite; ut etiam docet D. Augustinus in Tractat. 6. in Joan. ubi ait: *Nos fatemur in Ecclesia Catholica bonos, & malos esse tanquam grana, & paleas.* Hoc idem fidei dogma docuit S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap 43. ubi ait: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites aream Dei esse Catholicam Ecclesiam, & intra eam usque in finem sæculi frumento mixtas paleas contineri, id est bonis malos sacramentorum communione misceri.*

Ratio etiam hanc evincit veritatem, quia si soli boni, justi, & sancti essent in Ecclesia, & non etiam reprobi, & peccatores, frustra Christus Dominus sacramentum pœnitentiæ instituisset: siquidem iis tantùm hoc sacramentum administratur, qui sunt de Ecclesia, atqui æquè administratur peccantibus lethaliter, ac tantùm venialiter: qui enim lethali noxa animam coinquinârunt, si verè resipiscant, illosque pœniteat peccatorum, sibique proponant seriò amplius non peccaturos, hi ab Ecclesia absolvuntur non quòd iterum restituantur Ecclesiæ, sed divinæ gratiæ, ut per adoptionem fiant Filii Dei, qui per patrata scelera Filii erant cacodæmonis, unde liquet Ecclesiam comprehendere bonos, & malos fideles. Tum quia si fideles existentes in peccato lethali non essent in Ecclesia, & partes, ac membra ejusdem, inde sequeretur fore incertum, quinam essent revera membra Ecclesiæ, & de Ecclesia, siquidem incertum est, qui ex fidelibus boni, & justi sint, & qui iniqui, ac perversi: non enim scire possumus, quinam ex fidelibus sint in statu gratiæ, & qui in peccato lethali existant, propterea Ecclesiæ membra non possent dignosci. Rursus si Ecclesiæ Prælati in aliquod lethale peccatum inciderent, non essent amplius de Ecclesia, nec in illa Prælati, consequenter non tenerentur fideles amplius ei parere; pari pacto subditi cùm primum in lethalem noxam laberentur, non essent amplius de grege Christi, proinde Pastores non tenerentur amplius eos pascere, nec illis sacramenta ministrare, quod falsum est, & contra praxim.

In oppositum tamen plures solent scripturæ textus objici Isaiæ 52. *Non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus & immundus,* ubi Propheta loquitur de Ecclesia excludente immundos, cujusmodi sunt peccatores, addit enim Propheta: *Recedite, recedite exite inde pollutum, nolite tangere, exite de medio ejus:* quæ verba expendens D. Paulus 2. Corinth. 6. addit ipse: *Et recipiam vos dicit Dominus:* ergo Deus non recipit in Ecclesiam nisi eos, qui se ab immundis, & peccatoribus separant. Causam itidem innuit Apostolus subdens: *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? quæ conventio Christi ad Belial?* & 1. Corinth. 10. adfert pro symbolo Ecclesiæ panem ex solo frumento compactum inquiens: *Unus panis & unum corpus multi sumus:* sicut igitur panis non conficitur nisi ex frumento & non ex paleis, & frumento simul, ita in Ecclesia nonnisi boni, & justi fideles comprehenduntur, non verò impii, & iniqui. Rursus Apostolus ad Roman. 8. ait: *Qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus,* seu non pertinet ad Ecclesiam. Et 1. Corinth. 12. *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus:* ergo non habentes spiritum, cujusmodi sunt peccatores existentes in peccato lethali, non sunt membra Christi, quia destituti spiritu Christi, seu gratia sanctificante, cujus ope vivificamur. Sed contra ad primum respondet D. Augustinus lib. contra Donatistas post collationem cap. 8. & 20. Isaiam esse intelligendum de Ecclesia triumphante, quod ex eo colligit, quia Propheta ait: *Non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus, & immundus,* id enim proprium est Ecclesiæ triumphantis in qua soli beati comprehenduntur. Alia verba: *recedite, exite,* intelligit Augustinus de separatione animo, & moribus facienda, non verò de corporali discessu ab eodem templo & sacramentis. Cyrillus verò expendens verba Isaiæ asserit Prophetam secundùm historicum sensum loqui de persecutione temporali Judæorum, & sensum esse hunc. Cùm à captivitate redieris, non adjiciet ultra seu in longum tempus aliquis infidelis persecutor per terras tuas eas evertendo, ac vastando pertransire, & huic historico sensui videtur adhæsisse D. Hieronymus: sed mysticè verba Isaiæ intelliguntur de Ecclesia, & Prophetam prædicere portas inferi adversus eam non prævalituras: siquidem incircumcisi, ac immundi hostes Ecclesiæ præcipuè sunt Dæmones. Rursus alia verba, *Recedite, recedite, exite,* secundùm historicum sensum intelliguntur de Judæis, quos Isaias hortatur, ut exeant de Babylone, eò quia finitum fuerit tempus captivitatis: sed mysticè intelliguntur de Christianis, qui post baptismum debent separari à cœtibus infidelium, templis, sacrificiis, & reliquis omnibus non pertinentibus ad Ecclesiam Jesu Christi, & religionem Christianam, & in hoc sensu intellexit verba Isaiæ D. Paulus 2. Corinth. 6. ubi non loquitur de commercio cum quibusvis peccatoribus, sed solùm cum infidelibus inquiens: *Nolite jugum ducere cum infidelibus; quæ pars fideli cum infideli? quis autem consensus templo Dei cum idolis.* Ad aliud quod addebatur ex eodem Apostolo de uno pane ex solo tritico compacto respondent sancti Patres similitudines non in omnibus convenire, & sanctus Cyprianus epist. 6. lib. 1. ad Magnum ait: Similitudinem panis & Ecclesiæ in eo consistere, quia sicut ex multis granis per aquam fit unus panis; perinde ex multis hominibus per aquam baptismi constituitur una Ecclesia, & fit unus populus Dei: nemo enim est in Ecclesia, nisi per januam baptismi in illam fuerit ingressus. Præterea tametsi panis sit triticeus, quia subinde ex injuria grana aliqua avenacea, vel siliginea admiscentur tritico, fit, quòd panis, qui triticeus dicitur, aliquid etiam includat avenæ, & siliceæ, imò & aliquid lolii, & nihilominus adhuc panis dicitur, & est triticeus: perinde quamvis Ecclesia dicatur con-

ſtare ex ſolis fidelibus, adhuc aliquis infidelis occultus, ſeu peccator admiſcetur juſtis, adeout exiſtens in peccato lethali reveta ſit in Eccleſia tanquam membrum illius: idque etiam infertur ex ipſis verbis Apoſtoli Pauli dicentis: *Uaus paais, & unum corpus ſumus, qui de uno pane participamas*; ſed de uoo eodemque pane participant boni, & mali, cùm ipſa Eccleſia de pane Euchariſtico fatetur canens: *Sumunt boai, ſumunt mali, ſorte tamea inæquali vita, vel interitus, mors eſt malis, vita bonis, vide paris ſumptioais, quàm ſit diſpar exitus.* Quòd ſi de eodem pane non participarent boni, & mali non arguerentur mali fideles à D. Paulo 1. Corint. 11. neque damnarentur ab Eccleſia. Ad aliud, quod addebatur malos fideles non eſſe membra viva corporis Chriſti, reſpondetur, fideles mali, & exiſtentes in peccato mortali dupliciter poſſe conſiderari ſcilicet in ordine ad charitatem, & gratiam ſanctificantem; & in ordine ad fidem; fideique profeſſionem publicam ac ſenſibilem: ſi fideles conſiderentur in ordine ad charitatem, & gratiam, ſi exiſtant in peccato lethali, non ſunt membra viva corporis Chriſti, ſeu Eccleſiæ, eò quia non habent ſpiritum Chriſti, nec vivunt ejusdem ſpiritu: ſiquidem deſtituuntur charitate, & gratia ſanctificante, quæ ſola vivificat, & cujus beneficio vivimus ſpiritu Chriſti, unde fideles exiſtentes in peccato lethali non ſunt membra viva, ſed potiùs mortua, arida, vel etiam puttida, & corrupta Eccleſiæ, imò plures aſſerunt noo eſſe membra Eccleſiæ, nec ſimpliciter de corpore Eccleſiæ, ſed tantùm ſecundùm quid, & æquivocè, ut docent Joannes Turrecremata lib. 1. cap. 57. obi nititur hoc probare ex D. Thoma, Alexandro de Ales, Hugone, docent etiam hanc ſeotentiam Petrus à Soto, Melchior Canus & alii, qui tamen quamvis aſſerant non eſſe membra vera Eccleſiæ, dicuot nihilominus eſſe in Eccleſia, ſeu in corpore Eccleſiæ, ac eſſe ſimpliciter fideles: ſed ſatius fideles mali & exiſtentes in peccato lethali dicuntur eſſe quidem membra Eccleſiæ, ſed mortua, ſi conſiderentur in ordine ad charitatem, & gratiam ſanctificantem, qoa per peccatum lethale deſtituuntur, quia gratia eſt vita ſupernaturalis, quæ vivificat. Si verò conſiderentur fideles in ordine ad fidem, tametſi exiſtant in peccato lethali, adhuc ſunt membra viva Eccleſiæ, eò quia per peccatum lethale fides non deperditur; & fideles à fide, ſeu fidei profeſſione dicuntur fideles, & membra Eccleſiæ, quamvis deſtituantur charitate.

Ad rationes dubitaodi exhibitas initio hujus capitis ad primam negatur major, & ad illius primam probatiooem reſpondetor, Eccleſiam dici, & eſſe ſanctam, eò quia ſingula, quæ concurrunt formaliter ad illam conſtruendam, ſancta ſunt, dicitur enim ſancta ratione capitis Chriſti, qui eſt ſanctus ſanctorum, & qui per fidem dubitat in cordihua noſtris, & ut ait Apoſtolus ad Epheſ. 5. *Qui ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret maadans lavacro aqua ia Verbo vita, ut exhiberet ipſi ſibi glorioſam Eccleſiam aoa habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, ſed ut ſit ſancta, & immaculata*, ut etiam ratione Spiritùs ſancti: qui in ipſa eſt inſtar cordis, adeout quilibet Chriſtianua poſſit Deum ſupplicare cum Davide Pſal. 85. *Caſtodi animam meam quoniam ſanctus ſum*, quæ verba expendens Auguſtinus ait: *Audeat & corpus Chriſti, audeat & unus ille homo clamans à finibus terra cum capite ſuo, & ſub capite ſuo dicere, quoniam ſanctus ſum, accepit enim gratiam ſanctitatis, gratiam baptiſmi, & remiſſionis peccatorum. Et hac quidem fuiſtis ait Apoſtolas eaumeraas multa peccata, & levia, & gravia, & uſitata, & horribilia: & hac quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. Si ergo ſanctificatos dicit, dicat & unusquisque fidelium, ſanctus ſum.* Dicitur itidem Eccleſia ſancta, eò quia ſola habeat legitimum ſacrificii cultum, & ſalotarem ſacrameotorum uſum, per quæ ut per divinæ gratiæ ioſtrumenta munificentiſſimus DEUS ſuam nobis gratiam impertitur; adeout extra Eccleſiam nemo ſit ſanctus, oec eſſe poſſit; quia ut ait S. Auguſtinus lib. 11. de civit. Dei cap. 21. *In eo tantùm civitate eſt vera juſtitia, de qua ſcriptura dicit, Glorioſa dicta ſuat de Te civitas Dei.* Eſt etiam Eccleſia ſancta ratiooe doctrioæ, quæ ſancta eſt; adeout in ejus dogmatibus niſi falſi, nilque contra bonos deprehendatur, ſed omnia conſona ſint veritati, & ſaoctitati, unde cecinit David, *Lex Domini immaculata convertens animas*, coofluunt enim populi ad Eccleſiam ut normam audiant ſanctè vivendi, ot ſacramenta, quæ ſancta ſunt, ſuſcipiant. Demum quia etiam ipſa Eccleſia materialis ſancta eſt; & ab hiſce omnibus Eccleſia dicitur ſancta, & immaculata, tota pulchra, ſine ullo nævo, absque rugis, imò à ſanctitate Eccleſiæ ſancti etiam dicuntur fideles dicente Apoſtolo, *Templum enim ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Quòd ſi non omnes fideles in Eccleſia ſancti ſint, ſed aliqui peccatores adhuc ab iisdem fidelihos, qui dicuntur membra Eccleſiæ, hæc dicitur ſancta, à principaliori parte fidelium, qui ſanctitate floruerunt, ut etiamnum florent, & ex quibus principaliter Eccleſia conſtruitur. Quòd ſi dicas inde ſequuturum, poſſe Eccleſiam etiam dici ſceleratam à pluribus viris peccatoribus, ac ſceleratis, qui in ipſa reperiuntur, & furſan oometô ſuperaotes juſtos & ſanctos. Canus, & alii reſpondeot, hanc propoſitionem, *Eccleſia eſt ſcelerata*, eò quia plures contineat homines iniquos, & ſceleratos, poſſe concedi: quia ſicut dicitur ſancta à viris ſanctis, qui in ipſa clarent ſanctitate, ita *ſcelerata* dici poteſt ſumpta denominatione à viris iniquis, qui in illa reperiuntùr; idque firmant ex illo Cantic. 1. Ubi Eccleſia, de ſe ipſa ait: *Nigra ſum, ſed formoſa*, ſcilicet Eccleſia ſeu ſponſa Jeſu Chriſti cœleſtis ſpooſi ſe fatetur nigram ob viros ſceleratos, & peccatores, qui ut membra obſcura illam denigrant; ſed & formoſam ſe dicit ob plures qui cultura Chriſtiaoarum virtutum floreſcunt ſanctitate. Negant tamen poſſe Eccleſiam vocari ſynagogam Satanæ, quia hæc propoſitio damnata fuit in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. eo quia per hanc intelligitur Sataoam fuiſſe inſtitutorem Eccleſiæ. Putârim tamen nullo pacto illam propoſitionem, *Eccleſia eſt ſcelerata*, eſſe admittendam; quia tametſi deoominatio deſumatur à ſolis peccatoribus, qui ſunt in Eccleſia, propoſitio tameo pias offendit aures, eſtque audientibus ſcandalo; ac malè ſonans, quia videtur Eccleſia ſe ipſam per ſe malitiâ vitiare, adeout malitia oriatur ab ipſa Eccleſia in ſuo auctore, ritibus, ac legibus, quibus dirigitur, ac gubernatur. Hinc oon eſt eadem ratio, cùm dicitur *Eccleſia eſt ſancta*, quia hæc denominatio deſumitur non ſolùm à viris ſanctis, qui dicuntur membra Eccleſiæ, ſed etiam à Chriſto Inſtitutore, à Spiritu ſancto directore, à legibus quæ ſanctæ, ac immaculatæ ſunt, & à pluribus aliis. Præterea quia deoominatio debet fieri à parte nobiliori, & principaliori; & io Eccleſia ſancti ſunt oobiliores, principaliores, & numerô etiam loogè majores: quia fideles omnes ſupponuntur ſancti & probi, donec probentur iniqui, & ſceleribus contaminati; pauci

etiam

enim sunt publici peccatores, qui etiam si exterius videantur tales, adhuc interius possunt resipiscere, & sancti esse. Rursus Ecclesia ex vi suæ institutionis sanctos intendit, non verò peccatores illos optat, & vult; hos non desiderat, non vult, licet ad avertendum majus malum permittat. Neque ullum facessit negotium illud Cant. 1. *Nigra sum, sed formosa*, quia *nigra* non est idem ac scelerata; sed dicitur Ecclesia nigra, vel quia studeat humilitati, & non gloriari de suo bonis operibus, sed potius vult latere, ne sint causa alicujus elationis. Vel dicitur nigra propter persecutiones, quos ab incunabulis passa est à mundi principibus, à filiis tenebrarum, ut explicat Div. Thomas. Vel dicitur nigra ob depravatam ac corruptam opinionem malè videntium, & pejus viventium secundum apparentiam; dicitur verò formosa secundum veritatem ac fidem rectè credentium, & viventium ut explicat Rupertus & alii sancti patres. Ad secundum, in quo Ecclesia dicebatur esse tota pulchra, & macula non esse in illa, respondet Div. Augustinus *lib 2. Retract. cap. 18. & lib. de perfect. justit. circa fin.* ecclesiam seu Christi sponsam dici Cant. 4. totam pulchram & sine macula non pro statu vitæ præsentis, sed pro statu beatitudinis, ut etiam censet D. Thomas 3. *p. art. 3. ad 2.* ubi explicans D. Paulum scribentem ad Ephel. 5. *Non habentem maculam aut rugam*, scilicet ecclesiam esse intelligendum de ecclesia non militante in terris, sed triumphante in cœlis, seu de ecclesia non pro statu viæ, sed patriæ & æternæ beatitatis. Præterea posset respondere Ecclesiam ex virtute baptismi, qui est primum sacramentum, per quod ingredimur Ecclesiam, reddi totam pulchram, quatenus ex virtute baptismi deletur omne peccatum non solum quoad culpam, verùm etiam quoad reatum pœnæ, in quo sensu dicitur ecclesia tota pulchra, scilicet in baptismo, non verò quod in suis membris, ex quibus coalescit, omnem excludat peccati labem. Rursus potest etiam dici ecclesia tota pulchra in ordine ad viros sanctos, qui in ipsa continentur, & ad suum Institutorem, qui fuit speciosus pro filiis hominum & ad Directorem, seu Spiritum sanctum, qui in columbæ specie descendit de cœlo sanctificaturus ecclesiam: perinde ac ecclesia dicitur sancta ab omnibus istis recensitis, ita ab ejusdem dici potest tota pulchra. Cæterum sicut ecclesia dicitur sancta ob sanctos viros, quos comprehendit, quamvis non omnes, quotquot in ecclesia continentur sancti sint: ita tota pulchra dicitur ob Christi capitis omnigenam pulchritudinem. Ad tertium in quo asserebatur eos non esse partes, & membra ecclesiæ, qui non sunt filii ecclesiæ, & peccatores, non esse filios ecclesiæ, respondetur per regenerationem, seu susceptionem baptismi omnes fideles, quotquot continentur in ecclesia, dici, ac esse filius ecclesiæ. Tripliciter filius dici potest primò ratione creationis in quo sensu Deuter. 32. dicitur. *Nunquid non hic est pater tuus, qui fecit te, & creavit te?* Secundò ratione doctrinæ, in quo sensu Magistri dicuntur Patres discipulorum, eo quia illos instruant, & erudiant, & Apostolus vocavit filios Galatas, quos erudiebat in fide ait ad Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*, quos enim edocuit evangelium filios doctrinæ vocavit. Tertiò ratione generationis, per gratiam, in quo sensu 1. Joan. 3. habetur: *In hoc sunt manifesti filii Dei, & filii Diaboli: Omnis qui non est justus, non est ex Deo.* Ex his tribus filiationibus certum est primam non sufficere, ut dicatur quis esse pars, & membrum Ecclesiæ, alioquin omnes homines à Deo creati, Ethnici, Turcæ, Judæi, & alii infideles essent partes, & membra Ecclesiæ, quod falsum est; secunda filiatio est, quæ habetur ratione doctrinæ & per hanc fideles omnes dicuntur filii ecclesiæ, eò quia sanam doctrinam ab Ecclesia susceperint, adeò ut hæc filiatio conveniat etiam peccatoribus, qui in ecclesia reperiuntur, quamvis dicantur esse membra Ecclesiæ cum addito diminuente, scilicet mortificata & imperfecta, quoties enim fidelis credit fide divina omnia, quæ docet Ecclesia, est Filius doctrinæ, ejusdem ecclesiæ, & quia cum hac filiatione non est incompatibile peccatum lethale, ideo peccatores in ecclesia adhuc dicuntur, & sunt filii ejusdem, idque indicavit Deus per suum Prophetam Isaiæ 1. ubi dicitur: *Filios enutrivi, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me.* & Cant. 2. etiam dicitur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias:* seu ut explicat Div. Thomas, *quia non solum ab his, qui extra Ecclesiam sunt, mala pateris, verum etiam ab iis, qui generati per baptismum in filiationem Dei venisse videntur.* Per tertiam filiationem ratione generationis, per gratiam habentur tantum membra viva ecclesiæ per gratiam enim sanctificantem constituimur filii Dei per adoptionem, & hæc filiatio convenit omnibus fidelibus, quotquot in Ecclesia sunt in statu gratiæ. Ad quartum in quo ex D. Augustino dicebatur, malos non pertinere ad ecclesiam, respondetur, Augustinum tantùm velle peccatores in ecclesia non esse membra viva ejusdem, nec ad ecclesiam pertinere ut membra viva ac perfecta, non tamen negavit Augustinus pertinere ad Ecclesiam ut membra mortificata & imperfecta. Aliqui etiam respondent Div. Augustinum in præcitatis locis fuisse locutum de ecclesia non ut est cœtus fidelium, & prout comprehendit omnes fideles, sive justos, sive peccatores, sed quatenus est cœtus justorum tantum, adeo ut sumatur ecclesia non in tota sua latitudine, sed ut coarctata ad solos justos & sanctos, in quo sensu etiam sumpsit ecclesiam D. Hieronymus *in Comm. Epist. ad Galat.* hinc Ecclesiast. cap. 3. habetur: *Filii sapientiæ ecclesia justorum.* Ad quintum respondent communiter Div. Augustinum esse intelligendum de civitate Jerusalem, ut formata per gratiam sanctificantem, non verò ut informi, & deturpata per peccatum, & non in hoc sensu verum est, quòd amor Dei usque ad contemptum sui constituat civitatem Jerusalem formatam per gratiam: sed ecclesia ut est cœtus fidelium non constituitur formaliter per Dei dilectionem & charitatem, sed per Dei fidem constituitur, & per dilectionem perficitur, unde peccatores quamvis non pertineant ad ecclesiam ut membra perfecta ejusdem, pertinent tamen ad ipsam ut constituta per fidem. Ad ultimum, quod dicebatur membra ejusdem corporis non esse sibi vicissim contraria; respondetur id verùm esse de membris corporis naturalis, quia cùm membra sint agentia & instrumenta naturalia juxta indigentiam & inclinationem naturæ, debent omnia in eundem finem tendere: esse tamen falsum de membris corporis politicis, quia tunc sufficit, si in aliquo uno conveniant, quamvis in aliis opponantur: quo pacto in Republica cives conveniunt, quatenus sunt omnes sub uno eodemque capite constituti, quamvis postea inter se diffideant & mutuas inimicitias ad invicem opponantur: ita quia Ecclesia est corpus mysticum coalescens ex omnibus per totum orbem fidelibus sufficit, ut ibi dicantur pertinere ad ecclesiam, & esse membra illius, si omnes conveniant in professione fidei sub uno eodemque supremo Pastore Christi vicario, quamvis postea aliqui non

bene

bene vivant, & sint in ecclesia peccatores, & inter se charitate dissideant.

Posset contra assertum etiam opponi & probari peccatores fideles non esse membra ecclesiæ, nec ad ipsam pertinere, eò quia ecclesia, quamvis corpus mysticum, est corpus vivens, ac perfectum siquidem per gratiam sanctificantem dicitur ecclesia vivere Deo, consequenter omnia illius membra debent eadem vita vivere, siquidem ad rationem membri corporis vivi, non sufficit, si sit pars illius, sed ulterius requiritur, ut vivat vita totius corporis: atqui fideles existentes in peccato lethali non vivunt eadem vita, qua vivit ecclesia, consequenter dici nequeunt membra illius, saltem actu, quia peccatum lethale non cohæret cum gratia sanctificante, adeo ut quamdiu fideles existant in peccato lethali, tamdiu sint destituti vitâ, qua vivit ecclesia seu gratia sanctificante. Quòd membra corporis vivi non solum debeant esse partes ejusdem, sed etiam vivere vitâ ejusdem corporis, ex eo ostenditur, quia in corpore humano capilli, ungues, sanguis, & humores, ex quibus humanum corpus constituitur, quamvis sint partes illius, non tamen vocantur humani corporis membra, idque non alia ratione, quia non vivunt vita totius corporis, seu vita sensitiva, qua totum corpus vivit, ex eo liquet ad rationem membri requiri, ut non solum sit pars corporis, sed etiam ut vivat vitâ totius. Hinc Div. Thomas in 3. dist. 13. quæst. 2. artic. 2. quæstiunc. 2. in corp. ait: *Homines fideles peccatores pertinent quidem aliquo modo ad unitatem Ecclesiæ, in quantum continuantur ei per fidem, quæ est unitas materialis; non tamen possunt dici membra propriè, nisi sicut membrum mortuum scilicet æquivocè.* Sed contra quia tametsi fideles existentes in peccato lethali non sint membra viva ecclesiæ, eo quia non vivant per gratiam sanctificantem, qua ratione peccati lethalis destituuntur, sunt tamen adhuc membra mortificata ejusdem, quia si non per charitatem & gratiam, per fidem tamen adhuc uniuntur corpori ecclesiæ, cujus sunt membra licet imperfecta, & mortificata. Præterea quamvis non dicerentur esse actu membra ecclesiæ, adhuc Christus esset illorum caput & quidem actu, quia ad rationem capitis respectu alicujus sufficit, quòd actu illi uniatur in corpore, ut pars ejusdem, & à capite influxum recipiat, & fideles existentes in peccato lethali per fidem eandem uniuntur corpori ecclesiæ sub Christo capite, & sunt veræ partes ecclesiæ recipientes à Christo influxum, scilicet ipsam fidem supernaturalem, & tametsi in peccatoribus sit informis, quatenus fideles existentes in peccato lethali destituuntur habitu charitatis & gratiæ sanctificantis, habent tamen adhuc talem fidem, quæ cohæret cum peccato lethali ex Christi meritis, qua ratione dicitur Christus ut caput ecclesiæ influere in omnes fideles habitum fidei supernaturalis actualiter, consequenter semel quod fideles existentes in lethali dicantur partes ecclesiæ, quamvis non asserantur membra illius, adhuc Christus est eorum caput, eò quia influxum ab ipso recipiunt. Quòd si dicas ecclesiam esse corpus mysticum, & Christum per analogiam dici ejus caput, scilicet per analogiam & similitudinem ad caput corporis naturalis, atqui in corpore naturali humano caput non dicitur respectu capillorum unguium, humorum & aliarum partium, quæ non sunt membra corporis humani, cujus tantum sunt partes non membra, ergo si fideles existentes in lethali non sunt membra corporis Ecclesiæ, sed tantum illius partes sequitur Christum non esse illorum caput actu, sed tantùm in potentia, quatenus peccatores possunt resipiscere, & fieri membra ecclesiæ. Sed contra negatur causalis minoris propositionis, quia ideo caput naturale non dicitur caput respectu capillorum, unguium & dentium, quia tantùm est caput respectivè ad illa, quæ participant influxum capitis: atqui capilli, ungues, dentes & humores dicuntur participare influxum capitis naturalis, ut docet Div. Thomas in 3. dist. 13. quæst. 2. art. 1. ad 5. ubi assignat discrimen inter cor & caput, quia cor est primum principium virium vitalium, & caput est principium virium animalium pertinentium ad sensum & motum: sed capilli, ungues & dentes & humores non vivunt vita sensitiva, quia non sentiunt, quidquid sit, an vivant vita vegetativa, & crescant per intus sumptionem, vel per justa positionem, dependent tantum à corde, & non participant suos motus à capite, & id causæ cur caput humani corporis non dicatur caput capillorum, unguium, dentium, & humorum: at in casu nostro fideles existentes in peccato lethali accipiunt influxum à capite, quia retinent in statu peccati lethalis habitum supernaturalem fidei, quamvis informis; & quia hunc habitum accipiunt, & retinent ex meritis Christi, rectè dicitur Christus ut caput ecclesiæ influere in omnes fideles sive justos, sive existentes in in peccato lethali: unde quamvis fideles existentes in lethali non dicentur membra ecclesiæ eo pacto, quo capilli, ungues, dentes non dicuntur membra humani corporis, sed tantum partes, adhuc Christus esset caput fidelium existentium in lethali. Præterea cum dicitur ad rationem membris vivi non sufficere esse partem illius, sed alterius requiri, ut vivat vita totius, respondetur ad verum esse de membris perfectis cujusmodi sunt fideles, justi & existentes in gratia sanctificante, quia cum sit gratia vita, qua ecclesia vivit, fideles justi eadem vita etiam vivunt; sed si sermo sit de membris imperfectis, falsum est requiri, ut vivant vita totius, qui ad id sufficit, ut per fidem uniantur ecclesiæ, & influxum accipiant à capite Ecclesiæ, ut explicui. Negantes capillos, ungues, dentes & humores esse membra humani corpori loquuntur de membro secundum perfectam rationem. Fidelis verò existens in peccato lethali, quamvis non vivat vita spirituali perfecta, quæ habetur per gratiam sanctificantem, & charitatem, qua caret, vivit tamen per fidem, qua unitur corpori ecclesiæ ut pars illius, & accipit influxum à capite. Unde licèt ad rationem membri perfecti præter esse partem corporis adhuc requiratur ut vivat vita totius, ad rationem tamen membri imperfecti tantum sufficit, si vivat actu vita aliqua, quamvis non perfecta, quo pacto in corpore humano pars aliqua arida, sed nondum emortua dicitur membrum infirmum ejusdem corporis, ad fidelis existens in lethali, quamvis sit destitutus habitu charitatis, & gratiæ sanctificantis, adhuc tamen vivit in ordine supernaturali per supernaturalem habitum fidei quamvis informia, adeoque adhuc est membrum Ecclesiæ, licet cum addito diminuente, seu infirmum ac imperfectum. Ad authoritatem Div. Thomæ respondetur, Angelicum Doctorem non docuisse non esse caput fidelium existentium in lethali, sed tantùm negâsse fideles existentes in lethali esse membra perfecta Ecclesiæ. Cæterum Div. Thomas asserit: fideles existentes in lethali adhuc per fidem esse unitos corpori Ecclesiæ, & recipere influxum à Christo capite, eò quia retinant eundem habitum fidei, quem habentes meritis Christi.

Quod verò ad simulatores fidei, seu infideles occultos attinet, qui nec fidem internam nec ullam

chris-

christianam virtutem habent, sed tantum exterius ob aliquod temporale commodum fidem catholicam profitentur, & per participationem sacramentorum veris fidelibus in Ecclesia uniri simulant, tametsi ad veram Ecclesiam non pertineant, videtur difficilius posse statui, an sint actu membra Ecclesiæ & Christus sit actu eorum caput. Communior sententia asserit, eos qui sola professione externa fidei conjuncti sunt in Ecclesia cæteris fidelibus, quamvis fidem simulantes, & non habentes, esse dicenda membra Ecclesiæ, cum addito tamen diminuente scilicet membra arida, & emortua, & probari solet hæc sententia ex verbis illis 1. Joan. 2. *Et nunc Antichristi multi facti sunt, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis mansissent utique nobiscum.* Loquitur Joannes de Hæreticis, quos vocat Antichristos, & asserit eos, antequam exierent, non fuisse ex nobis, id est non fuisse Catholicos animo, & voluntate, sed Hæreticos & Antichristos, & tamen ex nobis exivisse; quia tametsi non essent ex nobis animo & voluntate, erant tamen ex nobis externa professione: verùm postquam se prodierunt, & in apertum schisma proruperunt, totaliter defecerunt ab Ecclesia, & desierunt modis omnibus esse ex nobis; qui exeunt ab Ecclesia, ideo dicuntur exire, quia erant in Ecclesia, in qua si non fuissent, dici non possent exivisse ab illa: atqui simulantes fidem, seu infideles occulti dicuntur exire ab Ecclesia, proinde fuerunt in Ecclesia, & pertinuerunt ad Ecclesiam, non tamen ut membra viva, & perfecta ejusdem, sed ut emortua. Præterea communiter sancti Patres docent eos, qui sunt extra ecclesiam, nullam habere authoritatem nec jurisdictionem in Ecclesiam, quia is nequit habere jurisdictionem, nec esse caput Ecclesiæ, qui non est in Ecclesia, nec membrum ejusdem: atqui occultus hæreticus, si esset summus Pontifex, non amitteret jurisdictionem nec dignitatem pontificiam, nec nomen capitis in Ecclesia, donec ipse se ab Ecclesia publicè separaret, vel convictus hæreseos invitus rejiceretur, hinc Cœlestinus in epist. ad Clerum Constantinopolitanum, & in altera ad Joannem Antiochenum, quæ habetur in primo Tomo Concilii Ephesini. Cap. 18. & 19. & Nicolaus I. in Epist. ad Michaëlem definiunt, ac declarant, Episcopum hæreticum, ex quo hæreses promulgare ac docere cœpit, neminem potuisse solvere, vel ligare, qui, antequam publicè prædicare inciperet, etiam si corde & animo hæreticus esset, adhuc poterat solvere & ligare, & confirmatur ex *Canone audivimus* 24. *qu.* 1. ubi habetur: *Sin autem ex corde suo novam hæresim confinxerit, ex quo talia prædicare cœpit, neminem damnare potuit.* Quòd si Hæretici occulti seu simulantes fidem, nullam haberent in Ecclesia jurisdictionem, redderentur incerti omnes actus, quotquot ex jurisdictione dependent, ex quo ingens fieret in Ecclesia universa perturbatio: ergo si quis non est in Ecclesia nequit exercere authoritatem in Ecclesiam, seu fideles, & hæreticus occultus potest habere, & aliquando etiam habet authoritatem in fideles, eò quia promotus sit ad dignitatem ecclesiasticam, ut ad episcopatum: sequitur infidelem occultum, seu simulantem fidem, quam non habet, esse in Ecclesia ac posse ritè quamdiu occultus est, exercere in ipsa jurisdictionem. Hinc Augustinus lib. 3. de baptismo cap. 18. ait: *Hujus fraternæ charitatis inimici sive apertè foris sint, sive intus esse videantur Pseudo Christiani, & Antichristi; inventis enim occasionibus foras exeunt, sed etiam si occasiones desint, cùm intus videntur ab illa invisibili charitatis compage separati sunt.* Censet Augustinus Hæreticos occultos simulantes exteriùs fidem esse in Ecclesia, sed non esse eo modo, quo esse videntur: siquidem apparenter videntur esse uniti interna & externa conjunctione fidei cæteris membris, & tamen non sunt illis uniti, nisi per apparentem & simulatam externam fidei possessionem, & ideo dicuntur inventis occasionibus foras exire, quia erant intus, seu in Ecclesia per externam illam simulatam professionem fidei, quæ sufficit, ut dicantur esse in Ecclesia, & posse in illa jurisdictionem exercere, alioquin si nullo modo dicerentur esse in Ecclesia, non possent dici verè exire, quando inventis occasionibus apertè se produnt: sed Augustinus expressè asserit, quod inventis occasionibus foras exeunt: & subjungit: Eos esse quidem separatos etiam cum sunt in Ecclesia, & antequam ab illa exeant, non tamen esse separatos apparenter, & visibiliter, sed tantum invisibiliter, quatenus sunt separati ab invisibili charitatis compage, non verò ab externa, & visibili Ecclesiæ communione: quo pacto idem Augustinus lib. 4. cap. 16. ait: Hæreticos occultos separatos esse judicandos, quamvis ipsi non exeant, & loquitur de separatione interna, & non de externa: unde August. expendens verba 1. Joan. 2. ait: *Unde Joan. dixit ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: non ait quod exeundo alieni facti sunt, sed quòd alieni erant, & propter hoc eos exivisse declaravit:* erant enim tantùm alieni invisibiliter & intrinsecè non verò extrinsece, & visibiliter, propterea quia alieni erant, & tales non apparebant, dicuntur exivisse: ergo ex D. Augustino infideles occulti seu simulantes extrinsecè tantum fidem, cum intrinsecè in animo & voluntate sint infideles, verè sunt in Ecclesia, & membra ejusdem licet arida & emortua. Unde etiam Augustinus Tract. 61. in Joan. expendens illud Joan. 13. ubi Christus exeunte Juda dicitur turbatus fuisse ait Augustinus: *Hoc Dominus nobis significare sua turbatione dignatus est, quòd scilicet falsos fratres & dominici agri illa zizania ita necesse est, usque ad messis tempus inter frumenta tolerari; ut quando ex eis aliqua separari etiam ante messem urgens causa compellit, hoc fieri sine Ecclesiæ perturbatione fieri non possit. Hanc perturbationem sanctorum suorum per schismaticos & hæreticos futuram quodammodo prænuntians Dominus præfiguravit in se ipso, cùm exeunte inde homine malo, & commistionem frumenti, in qua diu fuerat toleratus separatione apertissima relicturo, turbatus est non carne, sed spiritu.* Et nonnullis interjectis explicans, quomodo Judas unus esset ex discipulis Domini, tametsi jam typum gereret Hæreticorum, ait: *Unus numero non merito; unus specie, non virtute; commixtione corporali, non vinculo spirituali carnis adjunctione, non cordis socius unitate.* Et infra subdit: *Utrumque verum est, & ex nobis, & non ex nobis; secundum aliud ex nobis, secundum aliud non ex nobis; secundum communionem sacramentorum ex nobis, secundum suorum proprietatem criminum non ex nobis:* Asserit Augustinus infidelem occultum simulantem in ecclesia fidem esse quidem unitum cæteris fidelibus secundùm tamen externam professionē simulatam fidei, non verò animo, & voluntate & ideo vocatur fidelis secundum cōmunionem sacramentorum, non secundum proprietatem suorum criminum, seu sunt fideles numero, non merito, specie, non virtute, extrinsecè, simulatè, non intrinsecè, & verè. Rursus Aug. l. de Catechizandis rudibus c. 17. tria distinguit Christianorum genera, scilicet infideles occultos, malos catholicos, & bonos catholicos, inquiens: *Sunt qui propterea volunt esse Christiani, ut aut promereantur homines, à quibus temporalia commoda expectant, aut*

quia offendere nolunt, quos timent; sed isti reprobi sunt, & si ad tempus eos portat Ecclesia, sicut area usque ad tempus ventilationis paleam sustinet. Si non se correxerint, & propter futuram sempiternam requiem Christiani esse ceperint, in fine separabuntur. Nec sibi blandiantur, quòd in area esse possunt, cum frumento Dei, quia in horreo cum illo non erunt, sed igni debito destinabuntur. Sunt etiam alii meliori quidem spe, sed tamen non minori periculo, qui jam Deum timent, & non irrident Christianum nomen, nec simulato corde intrant Ecclesiam Dei, sed in ista vita expectant felicitatem. Ait Augustinus, quosdam esse homines, qui Deum non timentes irrident Christianum nomen, & ficto corde, seu simulantes fidem, quam non habent, ingrediuntur Ecclesiam, se fingentes exterius fideles; & quamvis in animo, & voluntate fideles non sint, tamen in Ecclesia sunt, & manent, ac numerum faciunt, donec detracta lania, quales sunt, appareat: ergo ex Augustino, aliisque sanctis Patribus Infideles occulti simulantes fidem profiteri, quam animo, & voluntate non profitentur, sed tantùm simulant exteriùs ob aliquod temporale commodum, quod inde sperant, vel ut promoveantur ad dignitates Ecclesiasticas, exerceantque in Ecclesia jurisdictionem, sunt in Ecclesia, & quos exercent jurisdictionis actus, suum sortiuntur valorem.

Ratio itidem desumi potest ex analogia ad corpus humanum, ad cujus similitudinem Apostolus ad Rom. 12. & 1. Corinth. 12. vocat Ecclesiam unum corpus, & fideles membra hujus corporis: sicut igitur in corpore humano multa, & varia sunt partium genera, adeout quænam partes vivant, sentiant, & vegetent; & aliæ vegetent quidem, sed non sentiant; & aliæ quæ neque vivunt, neque sentiunt: perinde in Ecclesia sunt ex hominibus aliqui, qui vivunt & sentiunt, ac vegetant tales sunt fideles qui sincerè credentes omnia credenda vivunt sine lethali noxa in statu gratiæ: hi enim vivunt Deo beneficio gratiæ sanctificantis, certè sentiunt de fide, & opportunè vegetant per susceptionem sacramentorum, quibus spiritualiter vegetant, ac nutriuntur gratiæ augmento: Alii qui licet rectè sentiant de fide, non tamen spiritualiter Deo vivunt destituti vita spirituali sita in gratia sanctificante, quâ destituuntur ob peccatum lethale, in quo sordescunt, & isti sunt fideles peccatores, qui lucidè vivunt carnis indulgentes voluptatibus, propriisque satisfacientes passionibus depravatis. Alii demum sunt, qui neque vivunt, neque sentiunt, neque vegetant; Et hos esse dixeris infideles occultos, qui fidem simulantes; quàm unà cum aliis fidelibus fictè profitentur, sunt quidem in Ecclesia, sed non vivunt, quia gratia sanctificante, quæ sola est vita spiritualis, destituti: neque sentiunt, quia non credunt credenda, neque rectè sentiunt de fide: neque vegetant, quia nullum ex sacramentis gratiæ suscipiunt incrementum; & hos putârim dicendos partes potius, quàm membra Ecclesiæ sub Christo capite, quia nullum accipiunt actu influxum à capite, cùm careant non solùm gratia sanctificante, sed etiam habitu fidei, qui licèt cohæreat cum peccato lethali, non tamen est compossibilis cum infidelitate negativè opposita fidei: de ratione membri Ecclesiæ est, ut aliquem accipiat influxum à capite Christo, ut superius explicuimus, quo pacto fideles existentes in statu lethalis noxæ dicuntur membra Ecclesiæ sub Christo capite, quia tametsi non vivant vita spirituali utpote destituti gratia sanctificante, retinent tamen habitum supernaturalem fidei, quem habent ex Christi meritis, qui propterea dicitur in illis influere: & quia infideles occulti carent gratia sanctificante, & habitu fidei simul, non suscipiunt sicut fideles existentes in lethali noxa influxum supernaturalem à Christo, proinde latiùs dicut esse in Ecclesia ut partes ejusdem, quàm ut membra.

Quòd si infideles occulti non essent in Ecclesia, neque ad ipsam pertinerent ut partes: sed requireretur ad constituendam partem Ecclesiæ fides interna, cessaret inter Catholicos, & hæreticos celebris illa quæstio de visibilitate Ecclesiæ quia fides interna, quæ visibilis non est, nec sub ullum cadit ex sensibus, constitueret fideles, & Ecclesiam, cùm hæc definiatur esse cœtus fidelium suo adunatus sacerdoti: consequenter Ecclesia non esset visibilis. Hinc supervacaneæ essent tot eruditissimæ lumbrationes typis editæ contra hæreticos asserentes Ecclesiam esse invisibilem. Omnes quotquot de hac materia scripserunt, id Lutheranis, & Calvinistis objiciunt, quia ipsi constituunt Ecclesiam invisibilem; scilicet ne ipsi dicantur extra Ecclesiam sine sensibili, & externa professione fidei. Et quia convicti fateri coacti fuerunt, Ecclesiam debere visibilem esse, ac per signa externa dignosci, tandem Lutherani, & Calvinistæ aliquot posuerunt externa signa Ecclesiæ, quæ dicunt consistere in prædicatione verbi Dei, & Sacramentorum administratione; & constanter asserunt, ibi esse Ecclesiam, ubi hæc signa reperiuntur, & conspiciuntur: sed quia censent solos justos, & pios pertinere ad Ecclesiam Jesu Christi, adhuc Ecclesia in illorum sententia manet invisibilis, quia nemo potest certò scire, qui sint veri justi, verique pii inter tot homines justitiam, & pietatem exteriùs profitentes cùm plures has virtutes simulent exterius, & revera sint hypocritæ, & falsi fratres, quos ut caveamos Apostolus nos monet. Præterea Lutherani, & Calvinistæ asserunt justitiam consistere in sola fide; adeout apud ipsos idem sit, Ecclesiam esse cœtum justorum, & piorum; ac esse cœtum verè credentium. Quod si velint hunc cœtum credentium habere fidem tantùm intrinsecè in solo animo, adhuc constituunt Ecclesiam invisibilem: sin verò dicant debere de hac fide exteriùs constare per sensibilem & externam professionem; tunc vel professio fidei se extendit ad omnia, quæ Ecclesia Romana docet esse credenda, vel non; si primum conveniunt cum Catholicis, si secundum, adhuc sunt hæretici, & extra Ecclesiam.

Respondent Acatholici hanc fidem constituentem Christi Ecclesiam esse intrinsecam; & satis esse, si fiat visibilis per effectus fidei; quemadmodum dicimus propriè & verè videre hominem, quamvis non videamus animam, quæ pars est nobilior constitutiva hominis, nisi in suis effectibus. Secundò asserunt non esse necesse ut nobis distinctè constet, qui sint illi homines, qui Ecclesiam constituunt; sed sufficere si assignetur quidam hominum cœtus, intra quem certò sciamus, & credamus esse illos, qui ad Ecclesiam pertinent. Si quis enim ostenderet exercitum Gallorum in campo, in quo tamen essent aliqui minimè ad exercitum pertinentes, verè diceretur ibi esse Gallorum exercitum, tametsi non possent exteri discerni à militibus Gallis. Sed contra, quia neutra solutio satisfacit; non prima, quia hæc cognitio ex solis effectibus non est certa, sed tantùm conjecturalis: neque quod addebatur de anima in homine, quæ non cognoscitur nisi ab effectibus, convincit: quia effectus vitæ in homine sunt naturales, & necessarii; effectus autem fidei

sunt

sunt liberi, proinde multò minus certi; ut possunt etiam fictè fieri: præterea neque ex affectibus animæ ita hominem videmus, ut certò scire possimus, num, qui tales effectus causat, homo sit vel Angelus, aut Dæmon: pluries apparuisse Angelos sub hominis specie, nos docent sacræ scripturæ veteris testamenti, in quibus legimus Abrahamo, Lotho, Tobiæ, & aliis pluribus apparuisse Angelos sub humana specie, qui cùm crederentur homines esse, tales non erant, sed angeli. Cùm autem quærimus de certitudine Ecclesiæ, optamus habere infallibilem certitudinem de ipsa Ecclesia, non de illius effectibus, qualem habemus de ipso homine, non vero de figura, & specie hominis, in qua decipi possumus, cùm Angeli boni, & Dæmones possint hanc externam assumere speciem. Ad id quod addebatur non esse necesse, ut nobis distinctè innotescat, quinam sint illi homines qui constituunt Ecclesiam, Respondetur quòd si numerus hypocritarum adeo excresceret, ut plures longè essent, quàm perfecti, & justi; tunc non posset quis dicere, hic cœtus hominum est Christi Ecclesia, quia denominatio fit à parte potiori; & in data hypothesi potior pars esset hypocritarum simulantium fidem, quàm non supponerentur habere. Præterea tota Ecclesia Christi cùm propagata sit per totum orbem terrarum; vix designari in terris potest locus, in quo tota Christi Ecclesia congregari possit, ac dici in hoc cœtu hominum est tota Ecclesia; imò si Ecclesia dicatur constitui per fidem internam, ut docent Lutherani, & Calvinistæ, neque sumus certi, an Romæ v. g. sit Ecclesia, quia non sumus certi certitudine infallibili, quòd Romæ sint plures veri Catholici, quàm infideles occulti, exterius tantùm simulantes fidem. Rursus neque possemus certò scire, ac distinctè cognoscere, qui sint, qui Ecclesiam constituunt, cùm de fide purè interna certum non valeamus judicium inferre: hinc neque certò scire possemus, ubinam sit vera Christi Ecclesia in terris militans; sed potius quærere deberemus, ubinam lateat in terris.

Acatholici asserentes solam fidem esse formam Ecclesiæ, congerunt aliquot scripturæ textus, quibus nituntur id evincere 1. Corinth. 3. *Quasi bonus Architectus fundamentum posui, & fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Ad Ephes. 2. *Superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum; ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Seu superædificati supra fidem Apostolorum, & Prophetarum. Hinc D. Paulus ad Ephes. 4. scribit: *Unus Deus, una fides, unum baptisma.* Sed contra quia fides Apostolorum & Prophetarum non fuit fides purè interna, alioquin illorum fides fuisset prorsus invisibilis: sed fuit professio externa, ac sensibilis fidei internæ, ut docet D. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 11. Tum quia illi tantùm admittuntur in Ecclesiam, & cœtui accensentur fidelium, qui externa, & sensibili confessione fidei solemniter, extrinsecè, ac sensibiliter profitentur fidem Catholicam, & per hanc solemnem, ac sensibilem, externam professionem fidei distinguuntur fideles à non fidelibus; hinc quia infideles occulti simulant exterius hanc fidei professionem ab Ecclesia accensentur cœtui fidelium, quamvis ut superius explicuimus, non sint propriè membra Ecclesiæ, & quia nullum supernaturalem influxum accipiant à Christo Ecclesiæ capite, ut superius explicavimus, ob carentiam gratiæ sanctificantis & habitûs fidei: Ecclesia enim judicat juxta exteriora. Ad textus depromptos ex sacris scripturis respondetur, in iisdem fidem non dici formam, neque fundamentum Ecclesiæ; bene tamen fundamentum justitiæ, & doctrinæ, quæ inest Ecclesiæ. Tum quia scripturæ, sicut asserunt dari in Ecclesia fidem; ita etiam gratiam sanctificantem in justificatis, habitum charitatis, & dona Spiritûs sancti; & tamen fideles existentes in peccato lethali dicuntur esse in Ecclesia, imò & esse membra ejusdem sub Christo capite, à quo accipiunt influxum ipsius habitus fidei, quem habent, & retinent ex meritis Christi, & tamen carent gratia sanctificante, & charitate: ergo tametsi infidelis occultus careat interna fide, cujus meminit scriptura, adhuc ratione externæ, ac sensibilis professionis fidei infideles occulti sunt in Ecclesia. Neque obstat, si dicas in Concilio Lateranensi *cap. Firmiter* de summa Trinitate definiri homines esse in Ecclesia per fidem, sine qua nemo æternam consequitur salutem; & à Nicolao Papa *de consecrat. dist. 1. can. Ecclesia* definiri Ecclesiam *Catholicorum collectionem*, & eos non esse fideles, neque Catholicos, qui interna fide destituuntur, seu in corde & animo non profitentur verum fidem. Non respondetur Concilium Lateranense non definivisse Ecclesiam; sed tantùm asseruisse Ecclesiam esse unam; vocavit autem Ecclesiam fidelium, quia hoc nomine Christiani baptizati distinguuntur ab iis, qui sunt manifestè infideles, & etiam à catechumenis nondum baptizatis. Rursus quamvis homines dicantur esse in Ecclesia per fidem, non tamen id intelligitur de fide purè interna, sed de externa sensibili professione fidei; cùm enim Ecclesia sit visibilis, exigit membra, quæ pariter sint visibilia; & eo ipso quòd homo profitetur publicè fidem, constituitur membrum visibile Ecclesiæ, quatenus oculis videtur homo ille, qui emisit externam, ac publicam fidei professionem; Ecclesia tamen intendit etiam fidem internam, & quod quis ore profitetur, etiam mente, & animo teneat, adeout sit præter intentionem Ecclesiæ, si quis infidelis occultus admisceatur fidelibus, & fidem tantùm in Ecclesia simulet, quam animo non tenet. Ad aliud quod addebatur de Nicolao Papa, qui definivit Ecclesiam *Catholicorum collectionem*; inde sequitur eos constituere Ecclesiam, qui externa, & sensibili professione confitentur fidem: non enim aliter potest collectio fieri Catholicorum, nisi convocando in unum certum locum eos omnes, qui dicuntur Catholici, seu qui publicè profitentur se Catholicos, adeout Ecclesia judicet juxta hanc externam fidei professionem, juxta quam supponit fidem internam, seu teneri animo & voluntate fidem, quam exteriùs profitentur.

Dices potior ratio cum infideles occulti dicantur esse de Ecclesia saltem, si non membra, ut partes ipsius, ea est, quia debet nobis infallibiliter constare, qualisnam cœtus hominum sit Ecclesia: sed hæc certitudo infallibilis non habetur, quamvis infideles occulti ob extrinsecam, & sensibilem fidei professionem dicantur esse partes Ecclesiæ: etenim qui non sunt baptizati, non sunt de Ecclesia neque ad illam pertinent ut membra, neque ut partes, quia nemo Ecclesiam ingreditur, nisi per baptismum, qui à sanctis Patribus dicitur janua Ecclesiæ: atqui nemo scire potest certitudine infallibili, quis ex iis qui creduntur Catholici, revera sit baptizatus; quia cùm exterior baptismus ministratur, pauci sunt, qui adsunt, & nemo est certus de intentione ministri baptizantis. Secundò quia Ecclesia, ut docet D. Hieronymus contra Luciferianos, non potest esse sine Episcopis, & Presbyteris: & nemo certo scire potest certitudine infallibili, an sint veri Presbyteri,

& Episcopi, quia id dependet ab intentione ordinantis, & charactere invisibili, & neutrum potest nobis innotescere. Tertio excommunicati non sunt de Ecclesia, & tamen plures sunt excommunicati à jure, & ipso facto, & tamen manent, nec promulgantur. Quartò quia interdum Judæi, Turcæ, Pagani & hæretici tametsi infideles manifesti, in aliquibus tamen locis, ubi non sunt noti, simulant se Christianos ob aliquod temporale commodum, ergo vel non erunt dicendi de ecclesia; vel ecclesia erit dicenda cœtus infidelium. Sed contra quia ut superius ostendimus, ut quis sit de corpore ecclesiæ, sufficit externa, & sensibilis professio fidei; ecclesia enim cùm non videat intentionem baptizantis, nec baptizati, neque ipsum characterem per baptismum impressum, judicat juxta externam fidei professionem, de qua constat sensibiliter, reliqua omnia supponit adesse præsertim recta intentio, neq; potest aliter supponere, quia quisq; supponitur bonus, rectus, donec probetur esse malus; character per se sequitur ad ipsum baptismum ritè susceptum. Ut igitur aliquis dicatur de corpore ecclesiæ, non requiritur character, sed sufficit externus baptismus; imò sufficit, si non baptizatus dicat se esse baptizatum, ut si Ethnicus veniret in partes Catholicorum, ibique diu degeret instructus in vera fide, frequentaret alia sacramenta, interesset concionibus sacris diebus festis, haberetur pro baptizato & catholico, & esset de Ecclesia. Baptismus igitur non requiritur, ut quis judicetur ab Ecclesia esse de Ecclesia; sed ut admittatur ad Ecclesiam: si quis petat admitti ad Ecclesiam, id non fit nisi per susceptionē baptismi extrinsecè ac manifestè. Hinc Innoc. 3. cap. ad Apostolicam de Presbytero non baptizato, judicavit Presbyterum non baptizatum verè fuisse in ecclesia, & jussit pro ejus anima offerri sacrificia, quia cùm perceperit alia sacramenta, supponebatur baptizatus. Ad secundum respondetur dupliciter posse Episcopos considerari, primo quatenus in ecclesia tenent cives Christi, ac propterea non possint nos decipere in iis, quæ necessaria sunt ad salutem. Secundò ut habentes potestatem ordinis, & Jurisdictionis. Primo modo certi sumus certitudine infallibili Episcopos, quos videmus, esse veros Episcopos, seu Pastores Ecclesiæ, quia ad id non requiritur character ordinis, nec fides, sed tantum ut ab Ecclesia habeantur ut Episcopi, & pastores in Ecclesia: Deus enim assistit eis, ne errent in docenda ecclesia. Si considerentur episcopi secundo modo, non habemus de illorum ordine, & jurisdictionem aliam certitudinem nisi moralem, si loquamur singulatim de hoc, vel illo Episcopo, alioquin certum est certitudine infallibili dari in Ecclesia veros Episcopos: ad hoc autem ut credamus ecclesiam certam & conspicuam quoad capita & membra, sufficit: si certò credamus Episcopos esse in Ecclesia, & vices gerere Christi, & quod teneamur iisdem obedire. Ad tertium de excommunicatis respondetur anathemate percussos ab Ecclesia esse membra Ecclesiæ enim addito diminuente scilicet emortua, quatenus non accipiunt ab Ecclesia eundem influxum, sicut reliqua membra viventia, seu in statu gratiæ: quod si sermo sit de excommunicatis occultis, qui ab ecclesia non sunt promulgati coram populo, sed tantùm sunt excommunicati à jure ipso facto: respondetur eos etiam esse de Ecclesia numero, non merito, sed de facto, non de Jure. Ad quartam respondetur Ecclesiam non enumerare inter suos Ethnicos, & alios infideles, nisi ratione professionis externæ fidei, quæ per se sancta est, quamvis ab Ethnicis illis perperam usurpetur. Quamobrem simulantes fidem sunt de Ecclesiæ corpore ratione externæ fidei, professionis & obedientiæ, qua ecclesiæ Pastori subjiciuntur: hæc enim externa sunt vincula, quæ ecclesiam universam ligant, ac in unum redigunt corpus. Neque inde sequitur ecclesiam fieri cœtum Ethnicorum ac infidelium: quia vel non nisi pauci sunt Ethnici illi simulantes in partibus Catholicorum fidem christianam vel Deus non permittit, ut longo tempore ecclesiam deludant. Cæterum certi semper sumus, & quidem certitudine fidei divinæ in Ecclesia multos semper esse verè fideles, & vivos, & electos, & numerum verè catholicorum semper excedere numerum simulatorum.

Cæterum infideles non nisi in potentia dici possunt membra ecclesiæ sub Christo capite, quatenus possunt, si velint, resipiscere, & ad lumen veritatis Evangelicæ venire ac fieri actu membra Ecclesiæ; non verò Christus est actu caput infidelium, sive occulti sint sive publici, sive baptizati sint ut hæretici, sive non sint baptizati ut Turcæ, Judæi, Pagani. De infidelibus non baptizatis, certum est, non pertinere ad Ecclesiam, tanquam partes illius, proinde Christum non esse eorum caput, eo quia sint destituti vera fide exteriori professione ejusdem ac visibili baptismo, & de hisce infidelibus fuit D. Paulus locutus, cum dixit 1. Corinth. 5. *Quid mihi de his, qui foris sunt*, loquebatur Apostolus de infidelibus non baptizatis, quos dixerat esse extra Ecclesiam, & ad ipsam non pertinere eorum judicium. Major difficultas videtur esse de infidelibus baptizatis, seu de hæreticis, quia isti per baptismum sunt Ecclesiæ colligati, nihilominus etiam ipsi non sunt actu membra Ecclesiæ, sed tantum in potentia, quatenus possunt resipiscere, & fieri actu membra Ecclesiæ, idque evincitur primo ex sanctis Patribus præsertim Cypriano *lib. 1. Epist. 3. ad Cornel.* ubi prope initium loquens de Novatiano ait: *Non tantum mea, sed & plurimorum Coepiscoporum sententia condemnatum & rejectum à te illi esse ab Ecclesia prohibitum, & cum venisset stipatus caterva, & factione desperatorum, vigore pleno, quo Episcopum agere oportet, pulsum de Ecclesia esse, de qua jam pridem cum suis similibus Dei majestate, & Christi Domini Judicis nostri severitate depulsus est.* Hoc idem in medio ejusdem epistolæ asserit de Felice quodam Pseudo-Episcopo, quem propter hæresin etiam excludit ab Ecclesia: & in Epist. ad Antonianum eandem sententiam acriter propugnat, & id causæ fuit, quod Cyprianus hæreticorum baptismum negaret, cui videtur adhæsisse Gregorius *lib. 12. Moral. cap.* 15. & *lib.* 16. *cap.* 21. ubi vocat Hæreticos nomine tenus esse Christianos. Hoc idem etiam asserit Augustinus *lib. 7. de Baptismo cap.* 10. *& de unitate Ecclesiæ cap.* 4. & alii sancti Patres loquentes de hæreticis dicunt esse foras extra Ecclesiam: unde juvat argumentari: Christus non est caput actu illorum, qui sunt extra ecclesiam, atqui per sanctos Patres, Hæretici sunt actu extra ecclesiam, ergò Christus non est actu illorum caput, tum quia fides est fundamentum Ecclesiæ, ut ait Apostolus ad Ephes. 2. *Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, seu supra illorum fidem, ut explicant plures sancti Patres, & Matthæi 16. ait Christus: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, id est, supra fidei confessionem, & externam professionem, hinc Apostolus ad Col. 1. eos vocat de Ecclesia, *si tamen in fide ejus fundati estis*, proinde cum Hæretici careant fide ad Ecclesiam actu non pertinent; & Christus non est actu caput, non pertinentium actu ad Ecclesiam. Consequenter non est caput actu Hæreticorum, tametsi isti baptismum susceperint.

dat. Praeterea carens fide, quamvis baptizatus sit, non est actu pars Ecclesiae, nec membrum ejus, atqui Christus est tantùm actu caput eorum, qui actu ad Ecclesiam pertinent velut partes, vel ut membra, proinde non est caput Haereticorum, major est probatu facilis, quia quaevis ecclesiae pars pertinet ad Ecclesiae unitatem: siquidem Ecclesia est una tantum, in symbolo enim profitemur unam esse Ecclesiam, unde Cant. 6. *Una est columba mea perfecta mea*, & Joan. 10. Christus vocat Ecclesiam *unum ovile*, & Apostolus vocat Ecclesiam unum corpus ob unitatem Christi ad Ephes. 1. *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius*, & cap. 4. ait: *Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus una fides, unum baptisma:* unde quaevis pars ecclesiae necesse est, pertineat ad unitatem ecclesiae. Atqui infidelis quamvis baptizatus ad hanc unitatem ecclesiae non pertinet, ut docet Div. Thomas *in 3. dist. 13. quaest. 2. art. 2. quaestiuncula 2. in corpore:* siquidem unitas ecclesiae tripliciter considerari potest. Primò materialiter, & desumitur à fide per convenientiam in uno tertio credito: secundò formaliter, & haec unitas habetur à charitate per convenientiam in uno Deo super omnia dilecto. Tertiò quatenus unitas sumitur à Spiritu S. omnia replente & complente: atqui infidelis tametsi baptizatus ad nullam ex his pertinet unitatibus, non ad primam, quia caret fide; neque ad secundam, quia destituitur habitu charitatis; neque ad tertiam quia non habet Spiritum S. vivificantem, consequenter non pertinet ad unitatem Ecclesiae, hinc Optatus Milevitanus lib. 3. alloquens Donatistas ait: *Domus Dei una est, qui foras exeuntes partem facere voluerunt, parietem fecerunt, non domum, quia non est alter Deus, qui alteram Domum inhabitet. Illum parietem dicuntur fecisse falsi Vates, in quo si janua fuerit collocata, quicumque intraverit, foras est. Nec lapidem habere angularem unus paries potest, qui lapis est Christus, duos in se suscipiens populos, unum de Gentibus, alterum de Judaeis, qui modo pacis jungit utrumque parietem. Nam quod commoda habet domus, tot incommoda paries. Domus inclusa custodit, tempestatem retundit, pluviam diffundit, latronem aut furem aut bestiam non admittit: sicut Ecclesia catholica omnes filios pacis gremio, & sinu suo complectitur. Contra paries, qui est aedificatus ruinosus, nec lapidem angularem sustinet, & januam sine causa habet, nec inclusa custodit, pluvia inundatur, tempestatibus caeditur, nec potest arcere latronem, nec venientem prohibet furem, paries enim res de domo est, sed domus non est, & pars vestra quasi Ecclesia est, sed catholica non est.*

In contrarium tamen opponi potest primò, quia Haeretici sunt baptizati, & retinent baptismi characterem, qui sufficit ad constituendum membrum Christi, & Ecclesiae. Secundò quia retinens characterem punitur ab Ecclesia propter infidelitatem, & non posset ab Ecclesia puniri, nisi ex vi characteris esset membrum Christi & Ecclesiae; quia ut ait Apostolus ad Ephes. 5. De his, qui foris sunt, ad ecclesiam non pertinet judicare. Tertio, quia quod alicui causae tribuitur, si causa sit propria, intelligitur eidem attributum secundum id, quod est proprium ipsius, atqui effici membrum Christi attribuitur baptismo ut proprius effectus illius, consequenter ei convenit secundum id, quod est illi proprium, & per quod differt à quovis alio: sed id per quod Baptismus differt à quovis alio, non est infusio charitatis vel fidei, quia haec à Baptismo separatur, ut liquet in haereticis; & cum infusione Gratiae convenit Baptismus cum aliis Sacramentis, consequenter quod est proprium baptismi, est ipsa impressio characteris fidei, quae soli baptismo & semper convenit: ergo solus character baptismi etiam fide non conservata constituit membrum ecclesiae & Christi; & cùm haeretici servent baptismi characterem, quamvis fidem non conservent, adhuc sunt membra ecclesiae, & Christi. Quartò quia illud est membrum Christi quod recipit influxum supernaturalem à Christo, & ecclesia, atqui Haeretici ratione characteris recipiunt à Christo influxum supernaturalem: siquidem character imprimitur ex meritis Christi, & conservatur à Christo & quamvis haeretici per solum characterem baptismi, quem retinent, non vivant interius, eo quia destituantur gratia sanctificante, quae sola est vita supernaturalis, recipiunt tamen supernaturalem influxum ad agendum exteriùs, scilicet potestatem ordinis aut jurisdictionis, qua exterius agunt: proinde ratione solius characteris Baptismi, haereticus fit membrum Christi. Sed contra ad primum respondetur per sacramentum baptismi homines fieri membra Christi, si ad impressum baptismi characterem subsequatur fides supernaturalis, adeo ut quamdiu hoc copulatur cum charactere, sit homo baptizatus membrum Christi, & quidem vivum, si ulterius perseveret in statu gratiae: sin verò ad characterem baptismi, non subsequatur habitus fidei supernaturalis, tunc non fit homo baptizatus membrum vivum Christi, sed tantùm cum addito diminuente scilicet membrum Christi, sed emortuum, vel apparens tantum, eò quia recipiens baptismum habet signum christianitatis, & apparentiam fidelium. Ad secundum respondetur ab Ecclesia etiam eos puniri, qui tametsi in Ecclesia non sint, in ipsa tamen esse deberent, quo pacto transfugas milites, seu desertores tametsi sint extra exercitium, quia tamen in ipso esse deberent, si à Praefecto exercitus capiantur, meritò puniuntur: perinde Haeretici, quia per baptismum se obligarunt Christo & Ecclesiae, tenentur per veram fidem esse in ecclesia: propterea si nolint in illa esse, ab illa meritò puniuntur. Ad tertium quamvis baptismus habeat efficere membrum ecclesiae, non tamen est proprium illius, si loquamur de membro ecclesiae secundum interiorem formam illius, quia sine baptismo in re potest quis salutem consequi, dummodo in voto baptizetur hinc catechumenus nondum baptizatus in re per ipsam professionē externam fidei sit membrum ecclesiae & Christi. Quod si loquamur de membro Christi secundum conditionem visibilem ecclesiae, conceditur proprium esse baptismi efficere baptizatum membrum ecclesiae & Christi, non tamen simpliciter, si baptismum non sequatur fides supernaturalis & gratia sanctificans, sed tantum secundum quid, & cum addito diminuente scilicet membrum emortuum, vel tantùm apparens extrinsecè, quatenus haeretici per baptismum retinent signum christianitatis & quandam fidelium apparentiam. Ad quartum verum est influxum supernaturalem efficere membrum Christi & Ecclesiae, si tamen influxus vitalis sit, & uniat Christo & Ecclesiae, secus si non uniat, neq; sit influxus vitalis: Character autem baptismi sine gratia, & fide non est influxus vitalis, quo infidelis baptizatus vivat, siquidem ratione solius characteris baptismi homo non vivit, neque cum aliis ecclesiae membris in aliquo uno credito vel amato unitur, ideoque ratione solius characteris non fit quis membrum Christi & Ecclesiae, nisi ad characterem baptismi sequatur habitus fidei supernaturalis, & gratia sanctificans, neque obstat infusionem

characteris baptismi esse effectum meritorum Christi, quia licèt id verum sit, si vera fides ad ipsam infusionem sequatur, ac uniatur characteri, non tamen sola conservatio characteris in hæretico est effectus per se intentus virtute meritorum Christi, quia Christus non direxit sua merita, ut imprimeretur character seorsim ab habitu fidei supernaturalis, & gratia sanctificante, neque ad conservationem characteris baptismi, si inde non subsequatur fides supernaturalis: unde eatenus perseverat character baptismi in Hæretico, quia est indelebilis, quo pacto idem character servatur in gehenna in iis, qui baptizati fuerunt damnati. Alioquin si hæc ratio probaret, convinceret etiam Hæreticos damnatos esse membra Christi, & Ecclesiæ, eò quia servent characterem baptismi, qui indelebiliter ipsis inhæret, quod tamen non concedunt Theologicum D. Thoma.

Objici etiam potest ulteriùs, quia Episcopus vel Pontifex lapsus in occultam hæresin adhuc est Ecclesiæ membrum, atqui Christus est actu caput omnium membrorum Ecclesiæ, ergo etiam occulti Hæretici. Major liquet, quia Pontifex, si labatur in occultam hæresim, non ipso facto intelligitur depositus à Pontificatu, quinimò valida sunt, quæ agit in Ecclesia etiam post lapsum in occultam hæresin, adeout perseveret esse Ecclesiæ caput, ut docent Suarez *Tract. de fide disput.* 10. *Sect.* 6. *n.* 3. Canus *lib.* 4. *de locis cap. ult. ad* 12. Cajetanus *Tom.* 1. *opusc. tract.* 1. *cap* 19. Soto *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 2. *art.* 2. & ferè communiter alii, atqui non stat esse caput Ecclesiæ, & non esse in Ecclesia, & membrum corporis Ecclesiæ, cùm caput sit præcipuum corporis membrum, proinde Pontifex in occultam hæresim lapsus est membrum corporis Ecclesiastici. Sed contra quia Ecclesia dupliciter considerari potest. Primò quoad constitutionem externam, & visibilem, quæ vocatur corpus Ecclesiæ visibilis. Secundò in ordine ad constitutionem interiorem, & invisibilem, quæ dicitur anima Ecclesiæ: ut igitur Pontifex etiam lapsus in occultam hæresin sit caput Ecclesiæ quoad jurisdictionem exercendam, sufficit, si ut pars vel membrum Ecclesiæ secundùm constitutionem exteriorem, & visibilem, seu corpus Ecclesiæ sit membrum ejusdem æquivocè, non verò requiritur, quòd sit membrum Christi, & Ecclesiæ secundum animam seu invisibilem constitutionem Ecclesiæ: hinc Papa lapsus in hæresin adhuc perseverat esse caput, & membrum Ecclesiæ principale secundùm constitutionem externam Ecclesiæ, seu corpus ejusdem, proinde à pontificia dignitate non deponitur. Rursus quia nullum extat jus divinum, vel humanum, quod ipso facto deponat Pontificem lapsum in occultam hæresin à pontificia dignitate. Sed urgebis Pontifex lapsus in occultam hæresin adhuc perseverat esse verum caput Ecclesiæ, & non æquivocè tantùm ergo verè, & non æquivocè est caput, & membrum Ecclesiæ. Præterea quia non solùm est caput quoad externum regimen, sed etiam quoad internum influxum, siquidem Deus mediante Pontifice etiam in occultam hæresim lapso concedit indulgentias, & sacramenta administrat, unde non solùm est membrum Ecclesiæ, secundùm externam, & visibilem constitutionem ejusdem verùm etiam secundùm internam, & invisibilem, seu est membrum verum Ecclesiæ non solùm quoad corpus, verum etiam quoad animam. Sed contra quia licet Pontifex lapsus in occultam hæresim perseveret esse caput Ecclesiæ secundùm corpus ejusdem, seu extrinsecam constitutionem non tamen inde sequitur, quod verè, & propriè, & non æquivocè sit membrum Ecclesiæ, est enim discrimen inter caput, & membrum, quia constituitur caput per jurisdictionem, & influxum in alios, secus constituitur membrum proprium, & verùm Ecclesiæ per terminationem influxus vitalis in se: hinc quia Pontifex lapsus in occultam hæresim retinet jurisdictionem, quam exercet in fideles Ecclesiæ, ideo propriè, & verè perseverat esse caput, non enim jurisdictio dependet à fide: quia verò Pontifex in occultam hæresin lapsus, & perseverans in suo errore non participat influxum vitalem, neque vivit vita supernaturali, utpote destitutus habitu fidei supernaturalis, & gratiæ sanctificantis, & tantùm apparenter videtur vivere ratione baptismi & characteris significantis fidem, inde fit, quòd non nisi æquivocè sit membrum Ecclesiæ, quamvis verè & propriè perseveret esse caput. Ad secundùm negatur consequentia, quia tametsi Pontifex lapsus in occultam hæresim sit membrum Ecclesiæ tantùm æquivocè, & cum addito diminuente scilicet membrum emortuum, adhuc tamen potest in alios agere: quo pacto etiam sacerdos quamvis lapsus in peccatum mortale, adhuc si audiat confessionem sacramentalem, validè absolvit, quamvis ipse sacrilegè ministret sacramentum, ac peccet lethaliter: Deus enim per membra tantùm æquivocè tàlia, & emortua in ordine supernaturali potest supernaturaliter agere, & in alios influere, ut docet D. Thomas *in* 3. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2.

Superest expendendum, quomodo Christus sit caput Angelorum. Certum est Christum secundùm divinitatem esse verum caput Angelorum, quia Christus ut Deus habet supremum dominium in creaturas omnes, de quibus agere potest prout ipsi magis libuerit, & creaturæ omnes sunt sub perfectissimo ac dispotico Dei dominio, ad cujus quemlibet nutum moventur, & obsequuntur, proinde Christus ut Deus est etiam caput Angelorum, præterea quia Christus ut Deus habet prioritatem, influxum, ac excessum infinitum in ipsos Angelos: hæc autem tria sufficiunt ad constituendum caput proinde Christus secundùm divinitatem est verùm caput Angelorum. Quòd si dicas caput debere esse in eodem ordine, ac sunt corporis membra, & Angelos esse in ordine longè inferiore proinde non posse esse membra respectu Dei ut capitis. Contra est, quia tunc tantùm membra exigunt esse ejusdem rationis, naturæ, & ordinis, quando respectu capitis sunt membra homogenea, non verò quando sunt heterogenea, tunc enim sufficit convenientia analoga in gradu intellectualitatis, ut docet D. Thomas *quæst.* 29. *de veritate art.* 4. *in corp.* Christus igitur secundùm divinitatem, quia non est ejusdem naturæ, nec ordinis cum Angelis, non est caput homogeneum eorundem, sed tantum heterogeneum. Rursus Christus ut homo est etiam caput Angelorum; ratione dignitatis, & influxûs, imperii & externi regiminis, & solet evinci ex illo Matth. cap. 4. ubi dicitur, *quod Angeli ministrabant ei*, eò quia erant sub ejus dominio, & exteriori regimine, & sicut Princeps est caput suorum subditorum, perinde Christus ut homo est caput Angelorum secundùm dignitatem, & influxum imperii, & externi regiminis, hinc David Psal. 10. ait: *Omnia subjecit sub pedibus ejus*: consequenter etiam Angelos, loquitur David de Christo ut homine, quia loquitur de Christo, quem Deus suscitavit à mortuis, & Christus non ut Deus, sed ut homo fuit à mortuis suscitatus. Tum quia D. Paulus ad Hebræos 1. Vocat Angelos Administratorios

Spiri-

Spiritus missos in ministerium; atqui mittuntur à Christo ut homine quia cùm Christus sit supremus Ecclesiæ gubernator, ad illum pertinet aliis imperare in ordine ad rectum Ecclesiæ regimen, proinde Christus ut homo imperat Angelis, quorum propterea est caput secundùm dignitatem imperii, & regiminis.

Quod majorem ingerit difficultatem, est, an Christus ut homo sit caput Angelorum etiam quoad interiorem influxum, & quoad alias conditiones capitis, plures enim eunt inficias, Christum ut hominem esse caput Angelorum secundùm influxum, & convenientiam in natura, & volunt esse caput tantùm secundùm dignitatem, & perfectionem, ita docent D. Bonaventura *in 3. dist. 13. art. 2. quæst. 3. in corp.* Gabriel *in 3. dist. 13. quæst. unic. art. 3. dub. 2.* Soto *in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 2. ad ult. argum.* Altisiodorensis *lib. 13. sum. tractat. 1. cap. 4. q. 2.* & nituntur, quia caput debet in natura convenire cum membris, & Christus ut homo in natura non convenit cum Angelis, est enim naturæ specificè diversæ ab aliis, proinde Christus ut homo non est caput Angelorum. Præterea Christus ut homo illorum tantùm est caput, quorum ut sic est sponsus: sed ut homo non sponsus Angelorum, ut docet D. Thomas in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 4. quia Christus eorum tantùm est sponsus, quos per sanguinem sibi desponsavit; & sibi non sponsavit Angelos cùm ipsos non redemit, sed tantùm homines Exod. 4. *Sponsus sanguinum tu mihi es*, alloquitur Ecclesiam Christus: ergo Christus ut homo, ut redimens proprio sanguine Ecclesiam est tantùm caput hominum, non angelorum. Rursus quia Christus ut homo non influit in Angelos gratiam, nec gloriam: neque in statu viæ influxit in illos fidem; quia decretum de existentia angelorum, ac infusione gratiæ, & largitione gloriæ, præcessit prioritate naturæ decretum incarnationis: ergo cum Christus sit tantùm caput eorum, in quos influit gratiam, fidem, & gloriam per sua merita, passionem, & sanguinem, sequitur Christum non esse caput Angelorum.

His non obstantibus dicendum est, Christum ut hominem esse caput Angelorum non solùm ratione dignitatis, & imperii, sed etiam influxûs, & exterioris regiminis ita cum D. Thoma in 3. dist. 13. q. 2. art. 2. quæst. 2. in 4. dist. 49. q. 4. art. 4. ad ult. & quæst. 29. de veritate art. 4. ad 5. potior pars Theologorum & Vasquez disput. 48. cap. 3. asserit assertionem esse adeo certam, ut quamvis non sit declarata de fide, nemo tamen possit de ipsa dubitare. Sed quidquid sit de hac certitudine; asserimus absolutè Christum esse caput Angelorum, quamvis non ita propriè, ac perfectè, sicut est caput hominum. Assertum evincitur ex D. Paulo ad Coloss. cap. 2. ubi loquens de Christo ait: *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis.* Quod si dicas Apostolum loqui de Christo ut Deo, Contra est, quia Apostolum loqui de Christo ut homine clarè colligitur ex verbis illis: *Inhabitat omnis plenitudo divinitatis*: plenitudo autem divinitatis non dicitur inhabitare, sed esse in Deo, dicitur verò inhabitare in alio distincto ab inhabitante, sicut inhabitans domum distinguitur à domo: ergo omnis plenitudo divinitatis dicitur inesse Deo, & inhabitare Christo: inhabitatio enim convenientiam non identitatem indicat: hinc plenitudo divinitatis est in Deo per identitatem, & in Christo per convenientiam: unde non nisi valde impropriè omnis plenitudo divinitatis diceretur inhabitare Christo ut Deo; & non potiùs Christo ut homini. Neque obstat si dicas Chrysostomum, Theophylactum, Theodoretum, & alios intellexisse hanc plenitudinem divinitatis inhabitasse Christo ut Deo; adeout Christus ut homo sit caput hominum; & ut Deus sit caput Angelorum: quia licèt explicuerint verba D. Pauli ut plenitudinem divinitatis dixerint convenire Christo ut Deo; non tamen fuerunt loquuti exclusivè, seu ut negent posse intelligi convenire Christo ut homini; non enim excludunt hanc interpretationem, quæ est communior, ac magis propria. Etenim Theodoretus qui verba Apostoli ait convenire Christo secundùm divinitatem, loquitur de capite secundùm præsidentiam, & imperium, ait Theodoretus in verba D. Pauli: *Qui est nostrum quidem caput; quod attinet ad humanitatem; Angelis autem & Archangelis præest, ac imperat, quod attinet ad divinitatem: hic enim posuit caput pro eo, quod est imperium, & magistratus*; & nihilominus certum est de fide, Christum ut Deum esse caput Angelorum non solum ratione imperii, & externæ gubernationis; verùm etiam ratione influxûs: quia de fide est, Christum ut Deum esse authorem gratiæ, & gloriæ Angelorum: ergo pari pacto quamvis verba Divi Pauli dicantur convenire Christo secundum divinitatem, non sequitur, quod debeat excludi à ratione capitis Angelorum Christus secundùm humanitatem, quamobrem dicendum potius est præcitatos sanctos Patres fuisse loquutos secundum quandam accommodationem, ut illos interpretatur D. Thomas, quem Theologi communiter sequuntur.

Præterea Christum secundùm humanitatem, seu ut hominem esse caput hominum, & Angelorum ex eo itidem evinci potest, quia unius corporis sive naturalis, sive politici unum oportet esse caput; quo pacto in naturalibus cuilibet homini, bruto volucri, pisci unum dumtaxat inest caput: in politicis uni imperio unus duntaxat datur imperator, uni regno rex unicus, uni civitati unus gubernator: atque Ecclesia ut coalescens ex angelis & hominibus est unum corpus mysticum Cant. 6. de Ecclesia ait cœlestis sponsus: *Una est columba mea, perfecta mea.* Joan. 10. Christus vocat suam Ecclesiam, *unum ovile, unum corpus*: unde Apostolus ob unitatem capitis fidei, spei, & baptismi vocat Ecclesiam unum corpus ad Ephes. 2. *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*, & cap. 4. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Quòd autem in hac una Ecclesia comprehendantur Angeli & homines, ostenditur ex parabola de Pastore, & ovibus *Luc* 15. qua dicitur unum esse ovile, ad quod pertinent nonaginta novem oves, quibus significatur multitudo Angelorum: & ovis deperdita, quam Pastor relictis nonaginta novem, seu Angelis, quæsivit, & pro qua recuperanda plurimos exantlavit labores, fudit sudores, pertransivit locorum spatia, indicat genus humanum, quod per protoparentis peccatum defecerat ac perierat errans à via veritatis, & quod Christus proprio suo redemit sanguine: ex qua parabola constat æquè Angelos, ac homines pertinere ad Christi ovile, seu ejus Ecclesiæ: ergo si Christus est pastor ovilis, seu caput Ecclesiæ secundùm humanitatem, seu prout est homo; sequitur secundùm eandem humanitatem esse caput Angelorum & hominum. Tum quia D. Augustinus conc. 3. super Psal. 36. & quæst. 42. veteris & novi testamenti asserit ex Angelis, & homini-

bus unam constitui unitatem sub rege Christo, seu unam construi Ecclesiam sub capite Christo secundum humanitatem. Cui adhærens Sanctus Bernardus serm. 27. in cant. loquens enim de Christo ait. *Ad sponsam veniebat, & absque sponsa non veniebat. Audierant è absit. Sed sicut ex diversis ovium gregibus unum voluit facere ovile, ut sit unum ovile, & unus Pastor: ita cùm haberet sponsam inhærentem sibi à principio multitudinem Angelorum, placuit ei, & de hominibus convocare Ecclesiam, atque unire illi, quæ de cælo est, ut sit una sponsa, & sponsus unus.*

Ratio itidem hanc evincit assertionem, qua dicimur Christum secundum humanitatem esse caput Angelorum & hominum, quia Ecclesia construitur per lumen gloriæ in patria, & per lumen fidei in via tanquam per formam: sed Angeli & homines per ordinem ad actus supernaturales conveniunt specificè atomè, adeo ut conveniant quoad hos actus Angeli & homines in unum eamdemque formam supernaturalem: sed ubi est una forma constitutiva ecclesiæ, ibi habetur unum constitutum: ergo ecclesia constituitur una coalescens ex angelis & hominibus; & cùm Christus sit caput Ecclesiæ secundum humanitatem, sequitur secundum eandem esse itidem caput Angelorum. Tum quia Christo ut homini respectu Angelorum conveniunt conditiones, quibus constituitur caput, siquidem ad rationem capitis tres requiruntur proprietates, scilicet ut præsit cæteris membris illius corporis, cujus est caput, ut influat in membra, quibus imperet; & ut dirigat & gubernet membra inferiora; sed hæc tria reperiuntur in Christo respectu Angelorum, siquidem illis dignitate & imperio præest Matth. 4. ubi legimus, quod Angeli ministabant ei, & Psal. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, scilicet omnes creaturas, etiam angelos: dirigit etiam Christus ut homo, ac gubernat angelos, qui propterea obediunt ei; quod sermo sit de Christo ut homine, liquet, quia est ibi sermo de Christo, quemque Deus suscitavit à mortuis, ac Christus fuit suscitatus à mortuis non ut Deus, quia ut talis non potuit esse neci obnoxius, sed ut homo: ergo Christus ut homo est caput Angelorum.

Quòd verò Christus ut homo non ita propriè sit caput Angelorum, sicut est caput hominum, ex eo evincitur: quia Christo ut homini deest convenientia in naturà cum Angelis, quæ convenientia est una ex proprietatibus capitis, quod exigit convenire, ac esse ejusdem naturæ cum membris: & licèt convenientia generica sufficiat ad rationem capitis si in ordine ad finem accesserit convenientia specifica: convenientia tamen specifica non solum quoad finem, sed etiam quoad naturam est perfectior, magisque propria. Licet membra ejudem corporis in se ipsis specificè partialiter differant, ut pes & manus; cor & lingua; auris & oculus, conveniunt tamen in una eademque forma totius: Christus autem ut homo, & Angeli in se ipsis conveniunt genericè, & in ordine ad finem, seu supernaturalem beatitudinem specificè atomè, quia gratia sanctificans in via & lumen gloriæ in Patria sunt ejusdem speciei. Hæc autem generica convenientia sufficit, ut Christus ut homo caput sit Angelorum, quamvis non ita propriè, sicut est caput hominum: quia Christus ut homo est conformior in natura hominibus quàm Angelis: convenientia autem in natura est conditio præsupposita ad rationem capitis: unde defectu hujus convenientiæ in natura non est ita perfectè Christus ut homo caput Angelorum, sicut est caput hominis. Præterea quia Christus ut homo perfectiùs etiam influit in homines, quam in Angelos: siquidem plures censent decretum Angelorum fuisse priùs decreto de Christo, adeo ut Christus non influxerit in Angelos gratiam & gloriam, neque fidem: sed tantum gaudia aliqua accidentalia. Quòd si Christus etiam Angelis gratiam & reliqua dona meruit non tamen ex fine eodem promeruit; quia non meruit ex fine incarnationis, sicut promeruit hominibus: ergo neque ratione influxûs est caput ita perfectum Angelorum, sicut est hominum: sed defectus iste resarcitur ex aliis capiticus: sicut ex eo quod Christus ut homo dicatur perfectiori modo caput ecclesiæ, quàm ut Deus: quia ut Deus ratione divinitatis influit perfectiori scilicet authoritativè ac magis despoticè quàm ratione humanitatis. Tum quia Christus ut homo influit dependenter à Deo, quia ut homo, seu secundum humanitatem est creatura dependens à Deo: Christus autem ut Deus est omnino independens, ac influit independenter.

Ad primam rationem dubitandi respondent aliqui cum Durando, & Paludamo convenientiam in natura cum membris non requiri ad rationem capitis: & ea nituntur ratione id evincere, quia Christus ut Deus est caput Angelorum & hominum, & tamen ut Deus non convenit in natura cum hominibus. Sed exactius respondetur, si dicamus, Christum esse caput hominum secundum divinitatem, non tamen homogenum, sed analogum, & heterogeneum; & ad rationem capitis, homogenei tantum requiri hanc perfectam convenientiam in natura, non vero ad rationem capitis heterogenei, quia tunc sufficicit convenientia analoga, ratione prioritatis, influxûs ac imperii ut superius expendimus. Sicut igitur caput aliud est homogeneum ut caput naturale hominis vel bruti; & aliud heterogeneum ac diversæ rationis, ut Deus respectu omnium creaturarum; ita ad caput naturale homogeneum requiritur convenientia in natura, adeo ut caput naturaliter conveniat, & adoptetur membris, seu illis conveniat convenientia specifica: ad caput vero heterogeneum ac diversæ rationis non requiritur convenientia fundata in natura, sed in prærecensitis proprietatibus prioritatis, influxûs & imperii. Si dicas, sub capite hæterogeneo debere membra convenire convenientia fundata in natura; & Christum ut hominem non convenire cum Angelis, sed tantùm cum hominibus proinde Christum ut hominem non esse caput Angelorum. Contra est, quia Christus ut homo, seu secundùm humanitatem potest dupliciter considerari, ut & quilibet alius homo; scilicet ratione corporis, quod est pars hominis ignobilior; & ratione animæ rationalis, quæ est in homine pars præstantior & nobilior: quamvis Christus ut homo non conveniat secundum partem ignobiliorem, seu corpus cum Angelis, specificè atomè in esse naturæ: secundum tamen partem nobiliorem seu animam rationalem Christus ut homo convenit cum Angelis convenientia generica inesse naturæ spiritualis, quia anima rationalis & Angeli sunt substantiæ spirituales, in quibus fundatur convenientia generica in esse naturæ spiritualis: in ordine verò ad gratiam & finem, ad quem Angelus, & anima rationalis diriguntur, conveniunt specificè, quòd sufficit ad rationem capitis homogenei.

Ad aliud quod addebatur, Christum non esse sponsum Angelorum, consequenter neque caput. Respondetur negando consequentiam, quia potest

Christus

Christus esse caput Angelorum, quamvis non sit eorundem sponsus, ratio discriminis est, quia inter sponsum & sponsam requiritur convenientia specifica atoma in natura; ut inter eamdem speciem hominis conveniunt mas & fœmina; ad rationem autem capitis tanta convenientia non requiritur, sed tantum generica fundata in proprietatibus capitis ut superius ostendimus: hinc quia Christus ut homo non convenit cum Angelis specie atoma; ideo quamvis sit caput Angelorum, non tamen dicitur sponsus Angelorum, sicut dicitur sponsus hominum: conveniunt enim homines cum Christo ut homine, seu secundum humanitatem in natura specifica atoma. Hinc Div. Thomas *in 4. dist. 49. quæst. 4. ad 5.* ait: *Et ideo convenientia, quæ est inter Deum & Angelos, magis sufficit ad rationem capitis, quia ad rationem sponsi.*

Ad tertium argumentum petitum ex eo quòd Christus ut homo non influxerit in Angelos gratiam neque gloriam, neque viatoribus fidem, respondetur cum Div. Thoma de veritate quæst. 29. art. 4. ad 5. Christum meruisse Angelis si non gratiam & gloriam bene tamen gaudium accidentale, & illuminationes, quibus fuerunt uberiùs illustrati & hoc sufficere ut dicatur Christus ut homo influere in Angelos, ut eorundem Caput. Alii respondent, Christum causasse finaliter, & exemplariter gratiam & gloriam in Angelis, licet non in genere causæ efficientis, sed exemplaris ac finalis, & ajunt, hunc influxum quia substantialem & non accidentalem sufficere, ut Christus ut homo constituatur caput Angelorum. Alii itidem respondent, Christum ut hominem meruisse Angelis gratiam, & gloriam essentialem cœlestis Patriæ; & Div. Thomas videtur huic sententiæ adhæsisse in illud Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*: hoc tamen ponit discrimen inter homines & Angelos, quia Christi humanitas aliter se habuit in ordine ad homines, & aliter in ordine ad Angelos & quæst. 29. de veritate art. 4. ad 5. hanc aleitatem in duobus consistere, scilicet in conformitate in natura: & quia ad influxum in homines se habet ut ad finem intentum; non autem ad influxum in Angelos, sed ad hunc consequenter ad incarnationem.

Alii etiam respondent, Christum ut merentem redemptionem humani generis, & proprio suo sanguine solventem pro debito hominum fuisse finem omnium creaturarum, consequenter priùs exstitisse in decreto Dei intentivo, quia finis est prior in intentione, quamvis in executione ejus assecutio sit posterior iis, quæ sunt ad finem: hinc inferunt decretum Christi ut merentis ac sanctificantis pro humano genere redimendo præcessisse decretum de creatione & glorificatione Angelorum; quòd si Christi merita fuerunt prævisa ante Angelorum creationem & glorificationem, merita Christi influxerunt in gratiam & gloriam Angelorum: non enim ad meritum requiritur præexistentia executiva; sed sufficit, si merita existant in cognitione præmiantis, seu sint prævisa, quia tunc præmiator intuitu meritorum, quæ cognoscit, confert Angelis gratiam & gloriam: ergo ex hoc capite Christus, est etiam ut homo caput Angelorum. Quod si dicat inde secuturum quod perinde ac homines angelos redemisset, ac pro Angelis fuisset mortuus. Contra, quia tametsi meruerit angelis gratiam & gloriam, inde non sequitur angelos redemisse ac pro ipsis fuisse mortuum: siquidem Christus meruit etiam gloriam sui corporis, & sui nominis exaltationem; & tamen non dicitur se redemisse, nec mortuum fuisse pro se ipso: unde ex eo quod meruerit gratiam & gloriam angelorum, non sequitur redemisse angelos: si dicas esse discrimen, eo quia cum Christus non peccaverit, non potuit se redimere. Sed contra, quia neque angeli beati peccârunt, & tamen meruit ipsis gratiam & gloriam; quamvis eos non redemerit. Rursus docent fere omnes cum Div. Thoma Christum meruisse angelis gaudium accidentale, quatenus Angeli gaudent, quod humanum genus fuerit à Christo redemptum; & tamen licet influat tale gaudium ac illud promeruerit angelis, non dicitur redemisse angelos, nec mortuos pro angelis. Cæterum ut Christus ut homo dicatur caput angelorum, sufficit influxus gloriæ accidentalis in Angelos.

CAPUT IV.

Quænam sit Gratia, per quam Christus constituitur Caput Ecclesiæ.

IN Christo duplex consideratur gratia, substantialis una, quæ & gratia unius hypostaticæ dicitur: altera accidentalis, quæ vocatur habitualis. Ex iis duabus quæritur, quænam gratia constituat Christum ut hominem in ratione capitis Ecclesiæ? Variæ sunt Theologorum sententiæ Vasquez disput. 49. cap. 4. Meratius disp. 29. sect. 5. & plures recentiores docent solam gratiam unius constituere Christum in ratione capitis Ecclesiæ Thomistæ præsertim Medina, Nazarius, Aranius, & alii asserunt solam gratiam habitualem constituere Christum in ratione capitis Ecclesiæ. Nituntur ea ratione, quia ratio capitis consistit in sanctitate cum ordine ad influxum in membra: sed sola gratia sanctificans habitualis est, quæ formaliter sanctificat humanitatem Christi: ergo sola gratia habitualis est, quæ constituit Christi humanitatem in ratione capitis. Alii censent, gratiam habitualem esse in Christo gratiam capitis per modum principii proximi; & gratiam unionis per modum principii radicalis. Suarez disput. 23. sect. 2. ubi docet æque gratiam habitualem, ac unionis posse dici gratiam capitis, unamquamque in suo ordine, imo addit principalius gratiam capitis esse gratiam unionis; nomine gratiæ habitualis non solum intelligit animæ justitiam, sed etiam alios habitus, & dona perficientia potentias, vult ex iis omnibus gratiam capitis integrari per modum principii proximè influentis, adhærent huic sententiæ Lorea disput. 46. num. 6. Lugo disput. 17. dubit. ult. & alii. Dicendum primò: Gratiam unionis non esse, quâ humanitas Christi seu Christus ut homo constituitur caput Ecclesiæ.

Probant aliqui eò quia de ratione capitis sit influere physicè saltem instrumentaliter in membra, & quia gratia unionis non influit physicè instrumentaliter in mẽbra, eò quia divinitati unitæ, & personalitati verbi, in quibus consistit hæc ratio unionis, repugnet instrumentalis concursus, inde sequitur, gratiam unionis non esse gratiam capitis. Verùm hæc ratio non videtur efficaciter probare intentum, quia sine sufficienti fundamento asseritur ad gratiam capitis requiri concursum physicum instrumentalem in mem-

bra: siquidem concursus meritorius, qui & moralis dicitur, sufficiens est ad constituendum Christum ut hominem caput Ecclesiæ: unde male gratia unionis per hoc præcisè excluditur à ratione gratiæ capitalis, eò quia non præstet concursum physicum instrumentalem. Etenim certum est apud omnes Christum ut hominem esse caput Patrum, qui floruerunt in veteri testamento, & ante Christi nativitatem: atqui Christus respectu illorum non præstitit hunc influxum physicum instrumentalem quia cum nondum extiterit, nec fuerit in terris natus, non potuit ita influere, sed tantùm moraliter, quatenus Deus in virtute Christi merentis per suam passionem & mortem, & redemptionem humani generis impertitus fuit Patribus illis veteris testamenti, gratiam, & gloriam: neque necesse est, quòd tunc Christus cum suis meritis extiterit, sed satis fuit, si Christi merita fuerint cognita à Deo, seu extiterint in Dei scientia; ratione enim talium meritorum Christi Deus Patribus veteris testamenti dedit gratiam, qua æternam consequerentur salutem in fide Christi futuri, & hoc sufficit, ut Christus dicatur moraliter influxisse in Patres illos, qui extiterunt in lege veteri, antequam ipse in terris nasceretur: hinc patet de ratione gratiæ capitis non esse influxum instrumentalem physicum. Tum quia Adamus fuit caput omnium hominum in ordine ad culpam, quam ab origine quilibet homo contrahit, & tamen non fuit caput per influxum physicum sed tantùm per moralem, qui propterea sufficit, ut Christus sit caput morale Ecclesiæ, ergo ex negatione influxûs physici non rectè gratia unionis negatur posse constituere Christum ut hominem caput Ecclesiæ.

Alii excludentes gratiam unionis à gratia capitis producunt hoc aliud argumentum: quia omne opus procedens à gratia capitali secundum ejus inclinationem est meritorium comparativè ad membra: atqui non omnis operatio procedens ex gratia unionis, seu à verbo humanitati unito est de se meritoria, quia sicut verbum divinum assumpsit naturam humanam, ita potuisset assumere aliam naturam inferiorem, puta animalis irrationalis, quod incapax est meriti, in quo casu gratia unionis non possit dici gratia capitis eò quia animal irrationale non posset producere opus meritorium. Rerum neque hoc argumentum probat intentum, quia ex eo, quòd verbum divinum unitum naturæ irrationali in ratione subsistentiæ illam non sanctificaret formaliter ob illius incapacitatem, quæ etiam impediret, ne opus esset meritorium, non tamen inde sequitur verbum divinum unitum naturæ rationali eam non constituere formaliter sanctam: ita à pari quamvis hypostasis verbi non constituat meritorios illos actus, qui meriti non sunt capaces inde non sequitur unitum actibus liberis, & proportionatos ad merendum eos non constituere formaliter vel etiam effectivè meritorios, unde non sequitur gratiam unionis non posse esse gratiam capitis, eò quia dari possit sine concursu meritorio, quo constituat actus meritorios.

Putârim efficaciùs probari gratiam unionis non esse formaliter gratiam, qua Christus ut homo constituitur in esse capitis Ecclesiæ: quia gratia capitis in Christo ut homine talis esse debet, quæ Christus ut homo influat efficienter saltem moraliter gratiam derivatam in membra Ecclesiæ: sed Christus ut homo per gratiam unionis hanc moralem efficientiam non habet: siquidem per illam formam influit Christus ut homo efficienter moraliter gratiam, quæ est principium *quo* merendi: sed gratia unionis non est humanitati Christi principium quo merendi: quia id Christo ut homini est principium *quo* merendi, quod est humanitati principium *quo* eliciendi actus supernaturales ac efficiendi opera meritoria & gratia unionis non est humanitati Christi principium *quo* operandi, quia non informat physicè humanitatem, cum qua neque identificatur: ergo gratia unionis non est in Christo ut homine gratia capitis. Præterea quia gratia unionis dat tantum esse personale, consequenter non potest esse gratia capitis: siquidem gratia capitis debet constituere Christum intra genus, & ordinem operativi, siquidem Christus ut homo per gratiam capitis constituitur potens influere in alios tanquam in membra: atqui Christus ut homo per gratiam unionis non constituitur intra genus operativi; quia gratia unionis dat tantùm esse personale humanitati Christi, est enim hæc unio vinculum, quo personalitas verbi terminat, & complet in ratione substantiæ ipsam humanitatem, est enim hoc complementum ipsa subsistentia verbi, qua natura humana Christi subsistit; & per hanc subsistentiam non constituitur Christus intra genus, & ordinem operativi: ipsa enim subsistentia cùm non sit potentia operativa, neque natura, nequit esse principium proximum, neque radicale operationis: ex quo evincitur Christum ut hominem per gratiam unionis non constitui in ratione capitis Ecclesiæ.

Si dicas eam in Christo gratiam esse dicendam capitalem, quæ in ipso est prior, & perfectior, eumque constituit potentem influere gratiam in membra Ecclesiæ, & hujusmodi conditiones convenire gratiæ unionis, siquidem hæc est prior, quia præsupponitur ad gratiam habitualem, & alia dona, quæ Christo insunt, & est præstantior, ac eminentior, quia Christus longè perfectiori modo est sanctus per gratiam unionis, quàm per habitualem. Præterea quia Christus ut homo per gratiam habitualem non constituitur potens influere gratiam in alios ut in membra, Christus enim influit gratiam in homines per proprium meritum, ut ordinatum ad promerendum aliis, & gratia habitualis in Christo non est principium hujus ordinationis: est enim gratia habitualis ejusdem speciei in Christo, ac in aliis hominibus: & in aliis hæc gratia non est principium hujus ordinationis, sed est alligata ad promerendum præmium proprio subjecto, cui inhæret: ergo per gratiam habitualem Christus ut homo non constituitur potens influere gratiam in homines proinde per talem gratiam nequit Christus ut homo constitui in ratione capitis. Rursus quia Christus influit gratiam in homines per proprium meritum, quatenus est infinitum: & gratia habitualis non est principium meriti Christi, quatenus meritum est infinitum quia hæc infinitas in merito Christi habetur à sola gratia unionis, qua verbum divinum unitur humanitati Christi, quam complet in ratione substantiæ: ergo gratia habitualis non constituit Christum potentem influere in homines: proinde cùm hic influxus derivetur à sola gratia unionis, hæc sola est, quæ constituit Christum caput Ecclesiæ. Sed hoc argumentum non est magni momenti, distinguitur enim major, ea gratia debet vocari capitalis, quæ est prior & perfectior in omni ordine negatur, quæ est prior, & perfectior in aliquo ordine, conceditur, & sub eadem distinctione negatur minor, & consequentia. Licèt gratia habitualis præsupponat in Christo gratiam substantialem unionis, ac propterea non possit in omni ordine esse prima, est nihilominus prima in suo proprio ordine supernaturali

turali

tiali non hypostaticæ; cùm hæc primitas sufficiat, ut gratia habitualis verè & propriè sortiatur rationem naturæ: & sit principium operandi supernaturaliter, in quo ordine non habet aliud principium, quod in Christo sit prius, siquidem gratia unionis per se præcisè non induit rationem naturæ, nec est principium operandi, sed tantùm unit verbum humanitati, quam terminat, & complet in ratione substantiæ, quod complementum est ipsa subsistentia verbi, qua natura humana Christi subsistit, & per hoc non constituitur gratia unionis in ordine operativi, in quo propterea gratia habitualis est prior, & præcedit, ac sufficit, ut sit gratia capitis. Quamvis igitur gratia habitualis non sit simpliciter, & modis omnibus perfectior, & Christus nobiliori, ac præstantiori modo sit sanctus per gratiam unionis hypostaticæ, quàm per gratiam habitualem: est nihilominus nobilior, ac perfectior in ratione principii quo operandi supernaturaliter: hæc enim prioritas est, quæ attenditur in gratia capitis, quia constituit ipsum caput ut potens agere, ac influere in membra, quatenus per hanc gratiam Christus ut homo operatur meritoriè, & Deus per merita Christi impertitur nobis merita necessaria ad assecutionem æternæ salutis, quod perinde est, ac Christum ut hominem per gratiam habitualem operari, ac nobis mereri, hæc media ad salutem necessaria, quod propriè est moraliter influere in membra capiti subordinata. Ad id quod addebatur Christum influere gratiam in homines per proprium meritum, quatenus hoc est ordinatum ad promerendum aliis, ut in membris, respondetur, quod licèt Christus per gratiam habitualem eliciat actus propriè meritorios ut ordinatos ad promerendum aliis, non tamen hæc ordinatio est formalis ratio, qua constituitur Christus in ratione capitis, sed tantum est conditio ad merendum aliis. Quamvis igitur gratia habitualis non sit principium ordinationis operationum Christi ad influendum in alios, eò quia talis ordinatio proveniat à libera Christi voluntate, quia tamen non est ratio formalis, sed tantùm conditio requisita ad merendum aliis, ideo non rectè infertur, gratiam, quæ non est initium hujus ordinationis, non constituere Christum caput influens in alios tanquam in membra. Ad aliud quod addebatur Christum influere in homines per proprium meritum ut infinitum, & gratiam habitualem in Christo ut infinitam non posse esse principium meriti Christi ut infiniti, respondetur, quòd quamvis gratia Christi sit physicè finita, & ejusdem rationis cum nostra, nihilominus in genere moris est infinita, & ratione hujus infinitatis moralis efficit, ut actiones elicitæ à Christo per gratiam habitualem sint infiniti valoris. Si dicas hunc infinitum valorem, non posse in operibus Christi aliunde oriri, quàm à gratia unionis, proinde Christum per hanc gratiam constitui in ratione capitis potentis influere in alios. Contra est, quia ratio unionis tantùm est principium dignificativum, quatenus dignificat operationes, quæ eliciuntur à Christi humanitate, non tamen est principium influendi, quia gratia unionis, ut jam diximus, non est in ordine operativi, sed tantùm terminativi, & completivi, quatenus est vinculum, quo verbum divinum complet, ac terminat in ratione substantiæ ipsam Christi humanitatem, cujus operationes dignificat, ut sint valoris infiniti non verò efficienter producit: quamobrem dicendum est secundò gratiam, per quam Christus constituitur in ratione capitis Ecclesiæ, consistere adæquatè in recto in gratia habituali ut connotante in obliquo gratiam unionis hypostaticæ. Ratio evincens assertum est, quia illa propriè est gratia capitalis in Christo, quæ dat Christo ut homini radicale posse influere in membra Ecclesiæ, quia per hunc influxum constituitur Christus in ratione capitis, est enim de ratione capitis influere in membra, consequenter per id debet Christus constitui in ratione capitis per quod constituitur potens influere in alios: atqui in Christo gratia habitualis hoc præstat, quia Christus influit in membra Ecclesiæ per merita, & satisfactiones: intuitu enim meritorum Christi Deus impertitur hominibus media necessaria ad assecutionem æternæ salutis: atqui gratia habitualis dat Christo ut homini posse radicaliter mereri: siquidem gratia habitualis est principium radicale operationum provenientium à potentiis animæ Christi: est enim gratia habitualis participatio divinæ naturæ, quæ est prima radix operationum, & afficit, ac informat animam, & ejus potentias quas elevat ad statum supernaturalem, & juvat ad operandum supernaturaliter, proinde illa forma per quam Christus constituitur in ratione capitis, est ipsa gratia habitualis. Præterea tres sunt conditiones, quæ requiruntur ad rationem capitis, ut in præcedentibus ostendimus, prima est prioritas in suo ordine; secunda eminentia, & tertia influxus, atqui hæ tres conditiones reperiuntur in gratia habituali Christi: prima conditio, quæ est prioritas, reperitur; quia gratia habitualis Christi est prior gratia cæterorum hominum, & proximiùs accedit ad Deum, cùm sit participatio divinæ naturæ: tum quia est exemplar gratiæ datæ cæteris hominibus perinde ac prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis, & in ordine operativi est etiam prior, quia gratia unionis non est in ordine operativi. Habetur etiam secunda conditio, quia gratia habitualis in Christo est eminentior gratiâ hominum, & Angelorum, est enim longe perfectior, ac abundantior quàm in cæteris: habetur etiam tertia conditio, quia Christus per gratiam habitualem influit in membra Ecclesiæ, quatenus elicit actus, qui sunt infiniti valoris, & ordinantur ad redemptionem humani generis, ita tamen ut hæc ordinatio sit tantùm conditio, ut membra Ecclesiæ recipiant influxum à suo capite, non verò ut sit formalis ratio constitutiva in ratione capitis, quia hæc est ipsa gratia habitualis, quæ cum in Christo habeat omnes conditiones requisitas ad gratiam capitis, sequitur, quòd forma, per quam Christus constituitur in ratione capitis sit in eodem gratia habitualis, quæ est principium quo operandi physicè, & influendi in alios moraliter.

Quòd verò forma capitis in Christo non sit gratia habitualis nudè sumpta, sed ut connotans in obliquo gratiam unionis, ex eo ostenditur, quia eatenus gratia habitualis est gratia capitis, quatenus Christum ut hominem constituit potentem ad condignè satisfaciendum pro nobis, & hoc non præstat gratia habitualis præcisè, & nudè sumpta, sed ut connotans in obliquo gratiam unionis, qua opera Christi satisfactoria, & meritoria infinitè dignificantur, nisi enim esset gratia unionis in Christo, ejus opera non dignificarentur, nec essent infinitè satisfactoria, & meritoria, nec ordinarentur ad alia membra, sed essent alligata ipsi personæ producenti tales operationes, consequenter ut gratia habitualis in Christo sit forma, per quam Christus constituitur in ratione capitis, debet in obliquo connotare in Christo gratiam unionis, adeout hæc pertineat ad gratiam capitis ut principium dignificativum; quatenus præstat, ut gratia habitualis in Chri-

sto ordinetur ad opera infiniti valoris. Praeterea quia nisi gratia habitualis in Christo connotaret in obliquo gratiam unionis, pura creatura posset esse caput Ecclesiae quoad meritum condignum gratiae, & condignam satisfactionem pro peccatis humani generis, quia totum illud quod gratia habitualis Christi dicit secundùm se in ratione gratiae habitualis, est communicabile purae creaturae: atqui pura creatura nequit esse caput Ecclesiae quoad meritum condignum gratiae, & condignam satisfactionem pro peccatis humani generis, ergo forma, per quam Christus constituitur in ratione capitis, est gratia habitualis ut connotans in obliquo gratiam unionis. Quòd si dicas gratiam unionis influere in operationes Christi, eò quia ipsas infinitè dignificat, consequenter gratiam unionis esse, qua Christus constituitur in ratione capitis: siquidem gratia habitualis eatenus constituit Christum in ratione capitis Ecclesiae, quia influit in substantiam operationum, quibus satisfecit pro nobis, ac toto humano genere, cui gratiam, & gloriam promeruit de condigno: sed gratia unionis dat operibus Christi infinitam dignitatem, quae principalius se habet in iisdem operibus meritoriis, & satisfactoriis, quam ipsorum entitas, & substantia, ergo forma per quam Christus constituitur in ratione capitis, est gratia unionis. Sed contra quia licèt gratia unionis dignificet infinitè Christi operationes, non tamen est principium *quo* operandi, consequenter neque forma, per quam Christus constituitur in ratione capitis. Non enim caput constituitur in esse capitis per influxum formalem, sed per effectivum in ratione capitis: sed gratia habitualis constituit Christum ut hominem efficienter influentem in opera meritoria, & gratia unionis tantùm formaliter dat operibus meritoriis Christi, & satisfactoriis dignitatem, & valorem, consequenter sola gratia habitualis constituit Christum ut hominem in ratione capitis Ecclesiae. Eatenus gratia habitualis in Christo est capitalis, quia influit in substantiam operationum effectivè & per modum principii *quo*, est enim de ratione gratiae capitalis esse principium *quo* agendi, & influendi in membra: gratia verò unionis quamvis infinitè dignificet operationes Christi, non tamen est principium *quo* operandi, proinde nequit esse gratia capitalis, sed tantùm gratia personalis: id enim interest discriminis inter utramque gratiam, quia personalis tantùm dignificat humanitatem Christi: capitalis verò non solùm sanctificat, verùm etiam dat posse influere in alios. Si dicas gratiam habitualem Christi esse ejusdem rationis, ac speciei cum gratia nostra habituali, quae non est sufficiens ad constituendum hominem in ratione capitis, alioquin purus homo posset esse caput Ecclesiae quoad influxum interiorem gratiae per meritum condignum, quod non conceditur: ergo gratia habitualis Christi non potest ipsum in ratione capitis Ecclesiae constituere, consequenter gratia habitualis non est in Christo gratia capitis. Contrà est, quia quamvis gratia habitualis in Christo, & nobis sit aliquo modo ejusdem rationis in esse physico, non ita gratia habitualis puro homini collata esse ejusdem rationis cum gratia habituali Christi moraliter; quia in esse moris gratia habitualis in Christo ratione conjunctionis quam habet cum persona verbi, & gratia unionis, contrahit dignitatem quamdam infinitam, ratione cujus potest esse principium *quo* satisfactionis, & meriti infiniti, & per hoc gratia habitualis in Christo in genere moris nunquam est ejusdem rationis cùm gratia collata puro homini, Rursus non dicimus gratiam habitualem in Christo nudè sumptam & secundùm se praecisè, sed ut connotantem in obliquo gratiam unionis esse gratiam capitalem, ratione cujus constituitur Christus caput Ecclesiae: haec enim moralis diversitas, & connotatio sufficit, ut solus Christus, & non purus homo sit caput Ecclesiae.

Dices illa est in Christo gratia capitis ex concessis, per quam Christus constituitur potens in alia membra influere gratiam, & dona supernaturalia: sed ad hoc non redditur potens per gratiam habitualem, ergo haec in Christo non est gratia capitis, minor ostenditur quia Christus influit gratiam in homines per meritum proprium ut ordinatum ad promerendum aliis. Gratia autem habitualis non est principium hujus ordinationis, quia est ejusdem speciei in Christo, & in nobis, & gratia nostra habitualis non potest esse principium hujus ordinationis: quia est obligata ad proprium praemium illius personae, cui inest, ergo nec in Christo gratia habitualis erit principium hujus ordinationis. Tum quia Christus influit gratiam in homines per proprium meritum, quatenus hoc est infinitum, & gratia habitualis non est principium meriti ut infiniti quia ipsa non est physicè infinita, consequenter gratia habitualis in Christo nequit esse gratia capitis. Sed contra, quia, ut jam respondimus, Christus influit quidem gratiam in homines per meritum proprium ut ordinatum ad promerendum aliis, non quod haec ratio ordinativa sit formalis; per quam constituatur gratia habitualis in Christo gratia capitis, sed tantùm ut sit conditio sine qua gratia habitualis non influeret in alios, nec esset gratia capitis, cùm enim ordinatio non sit ratio formalis, sed tantùm conditio non rectè infertur, gratiam non principiantem dictam ordinationem non constituere Christum potentem ad influendum in alios, talis enim ordinatio à libera Christo voluntate est. Ad secundùm respondetur gratiam habitualem in Christo esse quidem physicè finitam, sed moraliter esse infinitam, ut explicuimus. Quia vero non desunt, qui negant hanc infinitatem moralem in gratia habituali Christi. Adhuc gratia habitualis potest esse principium meriti ut infiniti, si non pro formali dante infinitatem; bene tamen pro substrato illius infinitatis. Valor autem operum Christi non in abstracto, sed in concreto influit in gratiam hominum: hoc enim concretum constat ex substantia operationum Christi, & ex divina essentia sumpta, ut forma morali: quamobrem ut gratia hujus concreti sit causa, & consequenter etiam praemii illi correspondentis, sufficit, quòd quamvis non causet formam infinitam; sit principium ut *quo* liberum substrati, seu substantiae actus recipientis infinitatem: sicut ut Christus dicatur nobis gratiam liberè mereri, sufficit si liberè causet concretum meriti, scilicet si causet substantiam actûs, quamvis formale concreti, seu formam infinitam sua libera efficientia non causet. Urgebis forma infinitans est id, ratione cujus meritum Christi continet gratiam aliorum, quam causat moraliter: proinde si gratia habitualis Christi non est principium meriti ut infiniti; nec est principium influens gratiam in homines, quia si non causat meritum infinitum, non continet aliorum gratiam. Antecedens ostenditur, quia actus Christi in substantia sunt ejusdem rationis cum actibus hominis justi; & solùm differunt ratione infinitatis desumptae à persona operante: sed actus hominis puri justi quamvis informati gratia habituali non continent gratiam aliorum in genere causae moralis meritoriae: ergo nec

actus

actus meritorii Christi continent aliorum gratiam in genere causæ meritoriæ moralis: ergo illam continent ratione infinitatis, ac formæ dantis infinitatem. Sed contra, quia valor actus, & forma valorans non in abstracto sed in concreto sunt causa moraliter influens in præmium: propterea ut gratia habitualis Christi sit principium influens moralitatem in gratiam aliorum hominum, quam Christus causat per sua merita, satis est, si causet concretum resultans ex valore, & ex substantia actûs: neque est necesse, ut causet ipsam infinitatem valoris: sicot ut homo dicatur hominem causare; non est necesse ut causet ipsam animam, sed sufficit si substratum seu subjectum animæ causet: quamvis enim gratia habitualis in Christo non diceretur esse moraliter infinita; adhuc esset causa meriti infiniti continentis moraliter gratiam aliarum creaturarum, quia sufficit, si causet substratum seu subjectum moralis infinitatis; est autem hoc substratum ipsa substantia, seu entitas actuum, quos gratia habitualis in Christo causat in genere causæ physicæ efficientis; semel quod causat hanc actuum entitatem, dicitur causare totum concretum coalescens ex entitate actûs, & infinitate meriti continentis in genere moris gratiam cæterorum hominum: sicut homo ex eo quod generet corpus, dicitur generare totum concretum coalescens ex anima & corpore, seu totum hominem. Si dicas gratiam habitualem in Christo & nobis esse ejusdem speciei quoad entitatem physicam & moralem, & in nobis noo esse sufficientem ad constituendam rationem capitis, non enim purus homo quamvis justus potest esse aliorum caput quoad influxum interiorem gratiæ per meritum condignum illius: ergo neque io Christo gratia habitualis potens erit Christum constituere in ratione capitis: quia eadem forma invariata eandem producit effectum. Cootra est quia gratia habitualis in Christo non tantùm & præcise per sua prædicata intrinseca constituit Christum io ratione capitis, sed etiam prout ratione dignitatis infinitæ in persona influit in alios homines moraliter gratiam, quam in se contioet ratione meriti, ac dignitatis infinitæ: secus in puro homine quamvis justo, quia gratia habitualis non nectitur cum dignitate infinita personæ, nec potest influere in alios per meritum, & satisfactionem dignitatis infinitæ, consequenter quamvis sit ejusdem speciei quoad physicam, & moralem entitatem cum gratia habituali, quæ Christo inest; nequit in puro homine quantumvis justo constituere rationem capitis. In Christo influente ut capite in alios gratiam, quam moraliter meritoriè continet, duo concurrunt notatu digna scilicet gratia habitualis ut principium physicæ entitatis actûs, & persona verbi infinitè valorantis Christi operationes, & actus: unde gratia habitualis in Christo non constituit Christum secundùm humanitatem in ratione capitis præcisè secundùm sua prædicata intrinseca sed ut connexa cum persona infinitè digna, ac valorante actus, ad quos concurrit gratia habitualis: hinc D. Thomas docet interiorem influxum gratiæ in Christo non esse ab alio, nisi à solo Christo, cujus humanitas ex hoc, quòd sit divinitati conjuncta, habet virtutem justificandi.

Objicies si verbum divinum assumeret humanitatem sine gratia habituali, & cum solis auxiliis actualibus se habentibus per modum fluxûs, procul dubio eliceret actus supernaturales, quibus nobis mereretur gratiam, & gloriam; unde in hac hypothesi Christus adhuc esset caput Ecclesiæ, eo quia influeret io membra ejusdem: sed tunc non constitueretur in ratione capitis per gratiam habitualem distinctam à gratia unionis: ergo de facto Christus non constituitur caput Ecclesiæ per gratiam habitualem: ergo forma constitutiva Christi in ratione capitis est sola gratia unionis: quia auxilia, quæ modo cum gratia habituali ad actus meritorios Christi concurrunt, non sunt gratia capitis, neque constituunt Christum in ratione capitis Ecclesiæ, eò quia non sint prima, & radicalia, sed tantùm proxima efficiendi principia: sed etiam in data hypothesi non essent radicalia principia, sed tantummodo proxima: ergo non essent gratia capitis, neque Christum constituerent in ratione capitis Ecclesiæ: proinde superest, ut sola gratia unionis sit gratia capitis. Præterea quia est opinio probabilis plurium asserentium Christum per solos actus naturales posse supernaturale præmium mereri: ergo per solos naturales actus, quamvis nullum actum supernaturalem eliceret, posset Christus de condigno mereri hominibus gratiam supernaturalem; & illos à peccatis redimere, & vi solius gratiæ unionis; quia in data hypothesi nulla alia supponeretur in Christo gratia supernaturalis, quæ illud constitueret in ratione capitis; unde supposita hac sententia probabili: eodem modo in data hypothesi influerent vires naturales humanitatis Christi in actus, quibus gratiam mereretur hominibus, quo in facto argumento influerent auxilia gratiæ supernaturalis, si Christus non haberet gratiam habitualem; & du facto gratia habitualis efficit actus, quibus Christus nobis meretur gratiam, & gloriam; seu influit io substantiam actus meritorii, & in meritum in concreto, quatenus producit entitatem actûs cum forma infiniti valoris proveniente à dignitate infinita personæ Christi. Eo ipso quòd gratia habitualis influit in substratum talis formæ, dicitur influere in totum concretum coalescens ex entitate actûs, & forma infinitè dignificante, proinde produceret actus, quibus nobis mereretur gloriam, & gratiam: ex quibus apparet, sine gratia habituali posse Christum constitui caput Ecclesiæ.

Occurrunt aliqui Thomistæ huic argumento respondentes in data hypothesi, Christum futurum caput Ecclesiæ, sed diverso modo ac nunc. Quia gratia unionis, quæ nunc tantùm præsuppositivè concurrit ad constituendum Christum caput Ecclesiæ; quatenus gratia habitualis, ut connotans, seu præsupponens gratiam unionis constituit Christum in ratione capitis: in data hypothesi esset formalis ratio constitutiva capitis, & non se haberet præsuppositivè sed formaliter. Sed hæc responsio non satisfacit, quia de ratione capitis est influere in membra, adeout eadem forma quæ constituit Christum in ratione capitis, influat physicè in membra: & gratia unionis non habet physicum influxum, consequenter nequit esse forma constitutiva capitis: unde licèt gratia unionis ratione personæ dignificet operationes Christi, non tamen in ipsas influit physicè; proinde neque instrumentaliter physicè ad nostram gratiam, & gloriam; quia ut superiùs evicimus, gratia unionis non est in ordine operativi; sed tantùm terminativi, & completivi humanitatis Christi in ratione substantiæ. Hinc neque principaliter potest gratia unionis influere in nostram gratiam, & gloriam; quia ut principaliter influeret, deberet per modum formæ uniri humanitati, & cum ipsa constituere unum principium, quod esset causa principalis meritoria nostræ gratiæ, & gloriæ; sed divinitati repugnat uniri subjecto per modum formæ, consequenter non potest nec ut causa principalis,

palia, neque instrumentaliter physicè concurrere ad causandam in nobis gratiam & gloriam. Tum quia eadem ratio probans gratiam unionis in data hypothesi esse constitutivam humanitatis Christi in ratione capitis, probat etiam nunc esse hanc formam constitutivam capitis, sed nunc non constituit humanitatem in ratione capitis, consequenter neque in data hypothesi. Major ostenditur, quia ideo gratia unionis esset gratia capitis, quia tametsi non concurreret physicè ad causandam in nobis gratiam, concurreret tamen ad moralem dignificationem meritorum Christi, atqui etiam nunc ad hanc moralem operum dignificationem concurrit; nil etiam potest assignari, quod impediat moralem influxum gratiæ unionis in merita Christi, ergo perinde esset nunc gratia capitis. Si dicas nunc non concurrere ad dignitatem meritorum præstandam, eò quia hoc oriatur à gratia habituali, quæ in data hypothesi non esset, sed tantum auxilia physica, vel moralia se habentia per modum fluxus, quæ elevarent ad opera supernaturalia, proinde tota significatio emanaret à gratia unionis. Contra est, quia vel gratia habitualis præstat nunc operibus Christi dignificationem meritorum moralem in genere causæ efficientis per influxum radicalem, vel in genere causæ formalis, si dicatur primum, ergo etiam ipsa gratia unionis radicaliter moraliter, ut prior radix ad hanc dignificationem concurrit, siquidem radicat moralem infinitatem gratiæ, in qua radicatur moralis dignitas operum Christi. Si secundum, etiam gratia unionis formaliter ad dignitatem operum Christi concurrit, proinde gratia unionis etiam nunc esse dicenda gratia capitis, quod adversarii non concedunt.

Respondetur igitur ad principale argumentum, quòd si verbum humanitatem assumeret sine gratia habituali, & in solis auxiliis actualibus & supernaturalibus, non ipsa gratia unionis, sed ipsa auxilia, quæ influerent in operationes Christi, essent gratia capitis, tunc enim gratia qua Christi humanitas constitueretur in ratione capitis, non esset permanens, sed se haberet per modum fluxus & transeuntis: auxilia enim eatenus non sunt nunc gratia capitis, quia supponunt priorem gratiam, à qua fluunt, & in qua radicantur, sed gratiam habitualem, quæ est, in ordine supernaturali & quia in data hypothesi auxilia actualia non præsupponerent gratiam habitualem in Christi humanitate, quamvis nihil radicarent, adhuc habere possent rationem capitis, eo quia influerent meritoriè in nostram gratiam & gloriam. Ad aliud, quod addebatur, quòd si in Christo præter gratiam unionis nulla alia esset gratia supernaturalis, sed simplex humanitas, adhuc esset caput Ecclesiæ, & non per gratiam habitualem, nec auxilia actualia supernaturalia, qui non supponerentur, consequenter per solam gratiam unionis deberet constitui caput Ecclesiæ, respondetur, quod in data hypothesi non per ipsam gratiam unionis constitueretur Christus caput Ecclesiæ, sed potiùs per ipsam humanitatem, quæ est principium *quo* physicum radicale operum Christi, quo ad substantiam, constitueretur Christus caput Ecclesiæ, non tamen, quòd pura, & simplex humanitas secundùm sua prædicata intrinseca tantùm esset forma capitis, sed ut divinitati conjuncta, quia ex hac conjunctione actus humanitatis essent infiniti valoris, & meriti concretivè, scilicet simul cum toto Christo coalescente ex verbo divino & humanitate: non verò ipsa gratia unionis esset gratia capitis ut causa principalis, sed tantùm ut aliquod connotatum, quia ipsa unio ut diximus non est in ordine operativi, & de ratione gratiæ capitis est, ut influat in membra, consequenter ut sit in ordine operativi.

CAPUT V.

An humanitas Christi per gratiam sit substantialiter sancta.

CErtum est Christum à primo instanti suæ conceptionis fuisse sanctum, ut patet ex utroque testamento Daniel. 9. *Hic enim est sanctus sanctorum.* Isaiæ. 35. *Unctus à Deo sub finem temporum*, divinitas autem ait Naxianzenus est unctio humanitatis Christi Luc. 1. *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Joan. 10. *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum.* Sancti Patres hanc eandem docent veritatem, sanctus Basilius in illud Psalmi 44. *Propterea unxit te Deus*, asserit hanc unctionem esse ipsam divinitatem, qua Christi humanitas fuit assumpta à verbo, & Div. Basilius lib. de cœlesti Hierarchia cap. 4. ubi ait: *Hic apex est totius sanctitatis & initium atque substantia & perficiens virtus totius nostræ sanctificationis divinitus indulta.* Difficultas est, an Christus ut homo, seu an humanitas Christi ut connotans in obliquo Verbum divinum, cui unitur, habeat veram sanctitatem, qua sit amabilis à Deo, & forma hujus sanctitatis sit aliqua substantia, adeo, ut quamvis humanitas Christi careret qualibet alia gratia accidentali, adhuc ratione hujus sanctitatis sibi derivatæ ab unione hypostatica adhuc deberet esse expers peccati ac producere actiones sanctas & perfectas.

Dicendum est humanitatem Christi præcisè ex vi unionis ad personam divinam esse substantialiter sanctam etiam seclusis omnibus aliis donis supernaturalibus gratiæ accidentalis, quibus nullo pacto indigebat, ut amaretur à Deo, ac esset perfectissimè conformis rectæ rationi, ac consequenter impeccabilis. Assertum evincitur ex scripturis Daniel. 9. ubi de Christo dicitur: *Ungetur sanctus sanctorum.* Luc. 4. *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me.* Joan. 1. ubi Christus de se ipso ait: *Quem Pater sanctificavit & misit in mundum*, ungi autem & sanctificari nihil aliud significant, quàm divinitatem unire humanitati hypostaticè juxta communem interpretationem sanctorum Patrum, præsertim Damasceni lib. 3. de fide orthodoxa, obi ait: *Ipse enim se ipsum unxit ungens quidem ut Deus sua deitate, unctus autem ut homo, nam ipse est hoc & illud siquidem Deitas est unctio humanitatis.* Gregorius Naxianzenus orat. 42. vocat Christum perfectum non solum propter divinitatem, verùm etiam propter humanitatem delibutam divinitate, & eadem affectam quoad id, à quo peruncta est, & Nicetas lib. 3. thesauri ait: *Ipse se ipsum unxit, divinitas enim humanitatis unctio est.*

Ratio etiam id suadet, quia humanitas Christi à persona Verbi divini accipit omnes effectus sanctitatis formalis etiam substantialis: siquidem humanitatem sanctificari substantialiter à verbo ratione u-

nius

unionis hypostaticæ perinde est ac humanitatem habere aliquid in se substantiale, per quod nullum possit in se peccatum admittere, ac habere potentias omnes rectè ordinatas, omnesque operationes conformes regulæ rationis : sed humanitas Christi eo ipso, quod uniatur substantialiter verbo, habet in se Deitatem substantialiter, ratione cujus excluditur omne peccatum, & constituitur perfectè recta & conformis regulæ rationis, & fit à Deo amabilis, ac digna cœlesti hæreditate : siquidem repugnat humanitatem participare, divinum esse substantiale, & non esse prorsus incapacem peccati, ac non esse perfectè rectam, & à Deo amabilem in ordine ad æternam hæreditatem : etenim si gratia accidentalis est vera sanctitas, eò quia est quædam similitudo Deitatis, veluti quædam ejus participatio ; quantò magis ipsa Deitas, quæ in se est ipsa sanctitas, debet conferre humanitati effectum illum formalem sanctitatis : proinde humanitas Christi per gratiam unionis debet constitui substantialiter sancta, & habens in se aliquid substanstiale, per quod redditur incapax peccati, & fit conformis rectæ regulæ rationis, ac constituitur à Deo amabilis, ut habens jus ad hæreditatem. Firmari etiam ex eo potest, quia effectus formales sanctitatis, ut liquet in gratia habituali, sunt reddere subjectum Deo gratum constituere hominem consortem divinæ naturæ, ac tribuere jus ad hæreditatem cœlestis gloriæ, & per operationes rectas ornare ad finem ultimum, & cum illo se conjungere, sed humanitas Christi per unionem hypstaticam redditur tam grata Deo & ejus operationes sint infiniti valoris coram Deo, adeo ut de Christo dixerit æternus Pater : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* : filiatio siquidem seu personalitas verbi est objectum infinitæ complacentiæ Dei : prætera visio beatifica propter unionem hypostaticam erat humanitati connaturaliter debita non tantùm titulo filiationis adoptivæ, sed etiam naturalis juxta illud ad Galat. 4. *Quòd si filii & heredes per Deum*, consequenter humanitas Christi eò ipso, quod habuit gratiam unionis ad personam divinam, fuit substantialiter sancta.

Probari ex eo etiam potest, quia humanitas Christi sanctificatur formaliter ex vi gratiæ unionis, sed gratia unionis est donum substantiale distinctum à gratia habituali, consequenter humanitas Christi sanctificatur formaliter per aliquod substantiale distinctum à gratia habituali. Minor evincitur, quia ut in præcedentibus ostendimus, unio hypostatica est modus substantialis modificans naturam humanam, quam determinat, ut sit substantialiter unita verbo : non enim potest natura, quæ antea non denominabatur unita verbo, de novo denominari intrinsecè unita, absque mutatione intrinseca. siquidem repugnat novus effectus formalis denominatus absque nova forma denominante, & quia unio, à quo habetur hæc una denominatio intrinseca est substantialis, eo quia natura humana per talem unionem compleatur substantialiter, fit, quòd gratia unionis sit donum substantiale distinctum à ratione formali. Major ostenditur, quia quod præstat animæ participatio naturæ, multo longè præstantius & excellentius id præstat substantialis communicatio Deitatis, atqui gratia habitualis, quæ est participatio Deitatis, sanctificat formaliter animam, ergo à fortiori gratia unionis, quæ est substantialis communicatio Deitatis, debet formaliter Christi humanitatem sanctificare. Tum quia donum continens in radice omnia spectantia ad ordinem gratiæ reddit subjectum, cui datur amicabiliter dilectum à Deo, quia in hoc consistit esse gratum Deo, & esse formaliter sanctum : Sed gratia unionis est donum ita communicatum humanitati, ut in eadem unitate tanquam in radice contineantur omnia spectantia ad ordinem gratiæ : alioqnin unio hypostatica non solùm non sanctificaret formaliter humanitatem Christi, sed nec radicaliter, quod non potest asseri, ergo gratia unionis constituit formaliter ratione sui Christi humanitatem amicabiliter dilectam à Deo, consequenter non solum radicaliter, sed etiam formaliter constituit Christi humanitatem sanctam. Firmari etiam ex eo potest, quia si gratia habitualis continet radicaliter gloriam, constituit animam gratam Deo, & formaliter sanctam : sed gratia unionis continet gloriam radicaliter & quidem longè eminentius ac perfactius, quam gratia habitualis ; siquidem continet etiam radicaliter ipsam gratiam habitualem : proinde si gratia sanctificans constituit animam formaliter sanctam, & Deo gratam, à fortiori unio hypostatia continens radicaliter ipsam gratiam habitualem debet formaliter sanctificare Christi humanitatem. Quòd si dicas gratiam unionis non physicè sed tantum moraliter continere in radice gratiam habitualem, & gloriam, proinde ex eo, quòd gratia habitualis sanctificet formaliter humanitatem, non sequitur etiam unionem hypostaticam debere formaliter sanctificare humanitatem. Contra est, quia unioni hypostaticæ est physicè debita gratia habitualis, quia repugnat suppositum esse Filium Dei, & non habere jus ad hæreditatem & no esse sanctum. Præterea etiam gratia habitualis in sententia adversariorum non nisi moraliter continet gloriam loquendo de gratia viæ, & nihilominus sanctificat formaliter animam, ergo tametsi gratia unionis non physicè, sed tantum moraliter continetet in radicè gratiam habitualem, & gloriam adhuc formaliter sanctificaret Christi humanitatem.

Solet tamen in oppositum objici, quia effectus formalis formæ nequit ab alio præstari, quam ab ipsa forma, eo pacto, quo esse hominem nequit haberi nisi à sola humanitate, sicut nec esse album nisi ab ipsa albedine, quæ est propria forma dans esse albedinis : atqui esse gratum, & sanctum est effectus formalis primarius gratiæ habitualis : consequenter non potest huiusmodi effectus formalis præstari, nisi à sola gratia habituali, quæ est ipsa forma, constituens sanctam personam eam habentem : ergo Christi humanitas per gratiam unionis non sanctificatur formaliter, sed ut est formaliter sancta per ipsam gratiam habitualem. Occurrunt aliqui huic argumento asserentes effectum formalem formæ posse præstari non solum à tali forma, verum etiam ab alia, in qua continetur eminenter ; quia sanctitas in creatura continet eminenter gratiam habitualem, ideo potest ejus effectum formalem communicare humanitati Christi. Verùm hæc solutio non videtur satisfacere, quia tametsi sanctitas increata eminenter contineat sanctitatem creatam, non tamen potest uniri humanitati ei præstando ejus effectum, qui est posse radicaliter, & physicè videre Deum, & amare Deum : siquidem quod unitur per modum principii vitalis, sive sit radicale sive proximum, debet necessariò intrinsecè informare, & afficere subjectum, cui unitur, & hæc informatio repugnat divinitati, ac divinis perfectionibus.

Tum quia si sanctitas increata ut unita humanitati illi præstaret effectum formalem gratiæ habitualis, hæc superflua foret in Christi anima, quia effectus gratiæ habitualis totaliter præstatetur ab ipsa

sancti-

ſanctitate, in qua gratia radicaretur, ac eſſet in Chriſti anima ſuperflua. Quamobrem ad argumentum reſpondetur exactius diſtinguendo minorem, in qua dicebatur eſſe gratum, & ſanctum, eſſe effectum formalem primarium gratiæ habitualis; eſſe ſanctum, & gratum gratitudine, & ſanctitate accidentali eſt effectus formalis ſolius gratiæ habitualis, conceditur minor: eſſe gratum, & ſanctum gratitudine, & ſanctitate ſubſtantiali, vel ſaltem ſumpta in communi, negatur minor, & conſequentia, quia effectus formalis ſanctitatis ſubſtantialis eſt proprius unionis hypoſtaticæ, non gratiæ habitualis, quæ tantùm habet conſtituere ſanctum ſanctitate accidentali. Rurſus eſſe ſanctum, & gratum poteſt concipi, ut abſtrahit ab eſſe grato gratitudine accidentali, & ſubſtantiali, perinde ac ratio generica poteſt abſtrahi à rationibus differentialibus, ſed eſſe gratum ut ſic non poteſt eſſe effectus formalis gratiæ, quæ non ſit talis accidentaliter, ut eſt gratia habitualis, non enim effectus formalis formæ genericæ neceſſe eſt, ut ſit effectus formalis talis formæ ſpecificæ, proinde eſſe gratum, & ſanctum ſimpliciter, & præcisè non eſt effectus formalis, & primarius gratiæ habitualis.

Objicitur ſecundò humanitas Chriſti non unitur perſonæ divinæ formaliter ut ſanctæ, alioquin uniretur eidem ut eſt vita omnipotens, æterna, immenſa: ergo humanitas per gratiam unionis non conſtituitur ſubſtantialiter ſancta, quia ſi unio mediata humanitatis cum eſſentiali Dei ſanctitate ſufficeret ad conſtituendam humanitatem ſubſtantialiter ſanctam; ſufficeret etiam unio cum immenſitate ad reddendam naturam immenſam; ut etiam unio cum æternitate ad eam conſtituendam æternam: ſed non ſufficit unio mediata cum immenſitate, æternitate, omnipotentia ad conſtituendam humanitatem æternam, immenſam, omnipotentem: ergo unio mediata cum ſanctitate non ſufficit ad conſtituendam humanitatem ſanctam ſubſtantialiter. Huic argument reſpondent aliqui cum Lugone *diſput.* 8. eſſe diſcrimen de attributo ſanctitatis, & aliis attributis æternitatis, immenſitatis, quia humanitas completur à Chriſto in ratione ſanctitatis, non verò in ratione immenſitatis, æternitatis, ſapientiæ, & aliorum quia humanitas tantùm ſecundùm eam rationem completur, ſecundùm quam eſt incompleta, & humanitas eſt incompleta in ratione ſanctitatis, non verò in ratione aliorum attributorum: ſiquidem eſſe ſanctum, & eſſe amabile dicuntur ad convertentiam, & humanitas prout unitur Deitati, & incompleta in ratione amabilis, quia illud dicitur incompletum in ratione amabilis, quod eſt incompletum in ratione perfectionis, & humanitas quatenus unitur Deitati, eſt incompleta in ratione perfectionis, ſiquidem eſt incompleta in ratione ſubſiſtentiæ, quæ dicitur ultima perfectio naturæ in ratione ſubſtantiæ, conſequenter eſt etiam incompleta in ratione amabilis, conſequenter humanitas ex vi unionis ad verbum completur ſecundùm rationem ſanctitatis, non ita ſecundùm rationem humanitatis, omnipotentiæ, æternitatis: ratio diſcriminis eſt, quia cùm humanitas ſit incompleta in ratione perfectionis, eſt etiam incompleta in ratione ſanctitatis, non verò in ratione immenſitatis, & aliorum attributorum, ex quo fit, quod ſolùm ſanctificetur per hoc, quòd uniatur divinitati. Verùm hæc ſolutio videtur difficultatem pati, quia inde ſequeretur humanitatem nullo modo ſanctificari ab ipſa Deitate, ſed à ſola verbi perſonalitate, quod non conceditur: ſiquidem per illud tantùm ſanctificatur humanitas, per quod completur in ea ratione, in qua eſt incompleta ſecundum ſe, atqui humanitas nonniſi in ratione ſubſiſtentiæ eſt incompleta, & in hac ratione non completur niſi per verbi ſubſiſtentiam, unde ſequitur, quòd humanitas Chriſti nonniſi per verbi ſubſiſtentiam ſanctificetur. Præterea quia urget ſemper eadem difficultas: ſiquidem humanitas non magis unitur divinæ naturæ, ut eſt ſancta, quàm ut eſt immenſa, conſequenter non magis fieret ſancta, quàm immenſa, unde ſi unio mediata cum ſanctitate ſufficit ad reddendam humanam naturam ſanctam, etiam unio mediata cum immenſitate, omnipotentia ſufficeret ad reddendam humanitatem immenſam, & omnipotentem. Hinc alii aliud aſſignant diſcrimen inter ſanctitatem, & alia attributa, quia ſanctitas ſuperavit naturæ tantùm connotationem ad amorem extrinſecum, proinde illi neceſſariò confert ſuum effectum formalem, quomodocunque illi uniatur, ſecus alia attributa, æternitas, omnipotentia, immenſitas addunt connotationem ipſius rei ad locum vel tempus, adeout res non poſſit eſſe immenſa, niſi ſit actu præſens omnibus locis, nec æterna, niſi correſpondeat omnibus differentiis temporum, ex quo ſequitur, quod hæc attributa non conferant denominationem ſubjecto, cùm primùm eidem uniuntur, eò quia hi effectus formales exigunt aliquid ex parte ſubjecti ut ſit præſens loco, & tempori. Sed hæc ſolutio quæ eſt Hurtadi non ſatisfacit, quia in ejus ſententia, ſicut bonitas nil ſuperaddit enti, niſi connotationem ad amorem extrinſecum, ita duratio æterna nil ſuperaddit enti niſi connotationem temporis extrinſeci à parte ante infiniti; ut etiam immenſitas nihil ſuperaddit præter connotationem infiniti ſpatii; quamobrem cùm immenſitas dicat in recto intrinſecam rei exiſtentiam, quatenus connotat omnem locum, ita infinita ſanctitas dicit in recto infinitam perfectionem intrinſecam, quatenus connotat in obliquo ipſum amorem, quo ſubjectum fit dignum: unde ad hoc ut ſubjectum fiat ſanctum, & connotet extrinſecum amorem, ſufficit unio mediata cum Deo infinitè ſancto ſecus ut dicatur æternum, & immenſum, non ſufficit unio mediata cum Deo immenſo, & æterno quia immenſitas exigit, ut ſubjectum ſit per ſe præſens omni loco, proinde quamvis uniatur Deo immenſo, non tamen erit ſubjectum immenſum, niſi omnia loca, & ſpatia occupaverit: ſecus ut ſubjectum ſit ſanctum ſatis eſt, ſi per ſe ipſum ſit dignum amore. Putarim igitur diſcrimen inter attributum ſanctitatis, & alia divina attributa exactiùs ex eo eſſe deſumendum, quia plura requiruntur ad denominationem purè phyſicam quàm ad denominationem partim phyſicam, & partim moralem, ratio eſt quia denominationes morales plerumque deſumuntur ex prudenti ſapientum æſtimatione, & denominationes phyſicæ petuntur ex ipſa entitate reali: & quia eſſe immenſum, omnipotentem, æternum ſunt denominationes purè phyſicæ; & eſſe ſanctum eſt denominatio partim phyſica, & partim moralis, ideo plura requiruntur ad hoc, ut ſubjectum unitum perſonalitati divinæ ſit immenſum, vel æternum, quam ut ſit ſanctum: quia moraliter ut cenſeatur quis à Deo amabilis, ac Filius Dei in prudenti hominum æſtimatione ſufficit, ſi habeat in ſe aliquid divinum unitum ſibi ſubſtantialiter, quia ex hoc ſequitur impeccabilitas, ac perfecta conformitas cum recta ratione ac regulis æternis, hæc enim conformitas induerit ipſam ſanctitatem, qua vir ſanctus eſt amabilis à Deo. Secus ut quis ſit æternus immenſus,

sis, non sufficit prudens hominum existimatio, quia illud est æternum, quod per se ipsum fuit semper præsens omni tempore, & illud immensum quod per se ipsum est præsens omnibus, quamobrem putatim discrimen esse desumendum ab ipsa denominatione purè physica & partim physica & partim morali. Tum quia posita unione mediata humanitatis cum sanctitate divina tenetur Deus excludere à tali humanitate omne peccatum, non ita tenetur extendere humanitatem ad omnia loca, proinde non est necesse, ut Christi humanitas sit immensa, sicut debet esse sancta. Præterea quia immensitas, æternitas, omnipotentia sunt perfectiones in puro ordine physico, & ad quas natura humana non est incompleta, neque consequenter perfectibilis ab ipsis, siquidem juxta conditionem naturæ creatæ humanitas habet suam determinatam veritatem, durationem, & ubicationem: secus humanitas Christi in ordine ad perfectiones morales cùm sit incompleta, & perfectibilis, potest compleri, & perfici: ex quo sequitur, quòd humanitas possit recipere à subsistentia verbi non solùm effectum formalem subsistendi, sed etiam effectum formalem sanctitatis. Tum quia sanctitas arctiùs, & intimiùs connectitur cum explicito conceptu filiationis quàm alia attributa.

Objici adhuc potest, quia in communiori sententia Christus non meruit, sibi de facto gratiam habitualem quam potuerit illam mereri de potentia absoluta: sin autem Christi humanitas sanctificaretur per gratiam unionis formaliter, sequeretur quod de facto sibi meruisset gratiam habitualem, quia Christus in primo instanti suæ conceptionis fuit sanctificatus sanctificatione adultorum, hoc est se disponendo per proprios actus ad justitiam, adeout hujusmodi actus præcesserint prioritate naturæ infusionem gratiæ habitualis, unde si humanitas Christi supponeretur sanctificata formaliter per gratiam unionis; fuissent in Christo omnia requisita ad sibi merendam habitualem gratiam de condigno, quod communior Theologorum sententia non concedit. Sed contra, quia tametsi gratia unionis præcesserit prioritate naturæ infusionem gratiæ habitualis, & in illo priori intelligatur Christus elicuisse plures actus, non tamen inde ritè infertur sibi meruisse gratiam sanctificantem habitualem, ut præmium, quia actus illi, qui intelliguntur præcessisse prioritate naturæ ipsam gratiam habitualem, non erant ordinati ad hanc gratiam ut præmium, proinde non meruit sibi gratiam habitualem, quam ex vi gratiæ unionis accepit. Præterea, quia actus meritorii etiam in Christo exigebant taliter constitui ut essent meritorii modo connaturali ipsi actui meritorio: & ut actus sint connaturali modo meritorii, exigunt dignificari immediatè per gratiam habitualem, quæ est propria dignitas in suo ordine, ac illis connaturaliter debita: & quia actus à Christo eliciti antecedenter ad gratiam habitualem non fuerunt formaliter dignificati per ipsam gratiam habitualem, quam supponuntur præcessisse, ideo non potuerunt esse meritorii modo sibi debito, & connaturali, consequenter non fuerunt per voluntatem Christi ordinati ad gratiam habitualem, ut ad præmium.

Quòd si dicas D. Thomam *in 3. part. art. 6. in corp.* docere gratiam habitualem pertinere ad sanctitatem spiritualem, & esse effectum in Christo gratiæ unionis, adeout sola gratia habitualis in Christo ut homine spiritualem sanctitatem conferat. Respondetur D. Thomam solùm positivè affirmare gratiam habitualem pertinere ad spiritualem sanctitatem Christi ut hominis, ex quo non infertur exclusisse aliam eminentiorem sanctitatem humanitatis per substantialem Deitatis communicationem, humanitas enim Christi cùm sit sancta infinitè simpliciter debet sanctificari per formam, quæ simpliciter sit infinita, quia forma finita potis non est infinitum effectum præstare: & quidquid reperitur in Christi humanitate præter ipsam gratiam substantialem unionis, est simpliciter finitum ut docet D. Thomas, consequenter sanctificatur humanitas Christi formaliter per ipsam gratiam unionis, & non per gratiam habitualem. Major ostenditur, quia cùm opera Christi sint simpliciter infinita in ratione sanctitatis, & meriti, ut docent communiter Theologi, debet humanitas Christi esse infinitè sancta, quia forma dignificans opera est gratia gratum faciens subjectum, quia immediatè gratificat subjectum operans, & mediatè dat valorem operationibus ejusdem, adeout nequeat hunc valorem operationibus præstare infinitè simpliciter, quin intelligatur infinitè gratificare subjectum: unde si operationes humanitatis Christi sunt infinitæ in dignitate meritoria simpliciter, debent necessariò supponere humanitatem esse infinitè simpliciter gratam, ac sanctam. Quòd si dicas, ad hoc ut operationes Christi sint infinitæ in valore meritorio, sufficere personam verbi esse sanctam infinitè, tametsi non intelligatur in Christo humanitas infinitè sancta, quia sanctitas verbi refundit infinitatem valoris meritorii in operationes elicitas ab humanitate Christi. Contra est, quia ut operationes Christi sint meritoriæ non sufficit sola sanctitas personæ verbi simpliciter in se ipsa, sed ulteriùs requiritur sanctitas personæ verbi, ut terminantis, & complentis substantialiter humanitatem Christi, proinde ad infinitatem meritoriam operationum Christi non sufficit sanctitas infinita verbi in se ipso simpliciter, & ut Deus; sed requiritur sanctitas infinita verbi, ut terminantis, & complentis humanitatem Christi, consequenter requiritur sanctitas infinitæ humanitatis. Consequentia ritè infertur, antecedens ostenditur, quia ad valorem meritorium operationum necessario est sanctitas merentis elicitivè, atqui merens elicitivè per Christi operationes non est verbum in se ipso simpliciter, sed verbum, quatenus est caro factum. Proinde ad rationem meriti in prætecensitis operationibus non sufficit sanctitas personæ verbi in se ipsa simpliciter, ut Deus est; sed requiritur sanctitas personæ verbi ut complentis, ac terminantis humanitatem Christi, & ut est homo factus: alioquin si sanctitas Christi ut hominis necessaria non esset ad meritum in Christi operationibus, sequeretur, quod si per impossibile humanitas verbo unita maneret infecta peccato, adhuc operationes humanitatis essent meritoriæ, quod falsum est: siquidem adhuc verbum esset unitum humanitati, & hæc si per impossibile esset lethali peccato infecta, esset digna Dei inimicitia, unde sanctitas Christi requiritur, ut ejus operationes sint meritoriæ, ac infiniti valoris, sicut enim verbum divinum sanctificat formaliter immediatè ipsam humanitatem Christi, ita gratia habitualis unita Christi humanitati dat valorem operationibus ab ipso elicitis: ex quo non sequitur Christi humanitatem non sanctificari formaliter ex vi gratiæ unionis: quia si gratia habitualis constituit naturam participem Deitatis potiori jure, ac longè meliùs. Hoc idem efficiet substantialis Deitatis communicatio: si igitur gratia habitualis, quæ est participatio Deitatis sanctificat formaliter animam, à fortiori gratia unionis, seu ipsa substantialis Deitas in verbo com-

communicat humanitati Christi formaliter sanctitatem. Tum quia id, ex vi cujus debetur gloria humanitati Christi sanctificat fotmaliter homanitatem, siquidem ex vi illius diligitur à Deo in ordine ad gloriam proinde amicabiliter, in quo consistit esse formaliter sanctum: atque ex vi gratiæ unionis debetur gloria humanitati Christi: siquidem ex vi illius debetur humanitati gratia habitualis, quæ dat jus ad gloriam, ot fatentur adversarii asserentes gratiam unionis sanctificare quidem humanitatem Christi tadicaliter, non formaliter, eo quia ratione illius debeatur animæ Christi gratia habitualis, quæ dat jus ad gloriam: ergo Christi huoianitas formaliter sanctificatur per ipsam gratiam unionis, quæ per adversarios est radix, à qua oritur gratia habitualis, idque ex eo itidem eviocitur, quia donum in radice continens omnia, quæ spectant ad ordinem gratiæ, eonstituit subjectum, cui datur amicabiliter à DEO amatum, in quo formaliter eonsistit esse Deo gratum & sanctum, quia ipse amor Dei eum sit benefieus, est eommunicativus boni, quod amat, & eonfert amato: atqui gratia uoionis est hujusmodi donum in radice comirens omnia spectantia ad ordinem gratiæ, consequentet reddit formaliter subjectum sanctum, ergo gratia unionis tatione sui constituit Christi humanitatem amicabiliter à Deo amatam, proinde non sulum radicaliter, sed etiam formaliter, sanctam. Idqoe ex eo firmari potest, quia gratia habitualis eontinet radicalitet gloriam, ideo reddit animam gratam & sanctam formaliter, atqui gratia unionis continet gloriam radicalitet & longe perfectius ae eminentius, quàm gratia habitualis, cum hæc radicetur in gratia unionis, & in ipsa eontineatur: ergo gratia unionis constituit formaliter sanctam, & Deo gratam ipsam humanitatem Christi.

Objicitur ulterius, quia effectus formalis formæ, non potest ab alio, quam ab ipsa forma præstari, perinde ac esse hominem à sola potest humanitate ennstitui, ut & esse album à sola albedine, esse nigtum à sola nigredine, quia sunt effectus formales, qui non possunt haberi nisi à suis formis: atqui esse gratum, & sanctum est effectus fotmalis, & primarius gratiæ habitualis: ergo à gratia habituali ut distincta à gratia unionis eonstituitur Christi humanitas formaliter sancta. Sed eontra quia tametsi esse gratum, & sanctum gratitudine & sanctitate accidentali sit effectus formalis gratiæ habitualis in Christo, nnn ita esse gratum & sanctum sanctiiate substantiali, quia effectus hujus sanctitatis substantialis in Christo habetur à sola gratia onionis. Si dicas id solum posse sanctificare fotmaliter, ratione eujus subjectum acceptatur ad vitam æternam, ac diligitur in ordine ad illam, & ratione gratiæ unius non diligi Christi humanitatem in ordine ad vitam æternam, nec ad illam suseipi: siquidem potest Deus supposita gratia unionis & Christo in suo esse constituto per illam non dare illius humanitati gloriam, nec gratiam habitualem, imo nec ullum aliud supernaturale donum, adeo ot Cbristi humanitas exeepta sola gratia unionis destituatoe quolibet alio donn supernaturali, si loquamor de potentia Dei absoluta, siquidem hujusmodi dona supernaturalia non habent essentialem eonnexionem cum gratia unionis & assumptione bumanitatis à Verbo, ex quo liquet ex vi gratiæ unionis præeisè non diligi Christum ut hominem in otdine ad vitam æternam, nec ad istam suscipi. Idque ex eo firmari potest, quia sicut verbum divinum assumpsit naturam rationalem, seu Christi homanitatem, quam complevit in tatiotie substantiæ, perinde potuisset de potentia absoluta assumere naturá irrationalem: atqui hæc non potest diligi in ordine ad vitá æternam cujus est incapax, ex quo claret, diligi à Deo in ordine ad vitam æternam, & ad illam suscipi non esse effectum formalem gratiæ unionis, quia ubicunque ponitur forma, necesse est habeatur ejus effectus formalis, & quia unio Verbi divini poni potuit de potentia absoluta in natura irrationali, quæ non esset sancta, neque potest à Deo diligi in ordine ad vitam æternam, non baberetur ejus effectus formalis quod dici nequit. Tum quia gratia unionis non est Deo ratio diligendi humanitatem Christi in ordine ad vitam æternam amore necessario; cum nihil extra se Deus neeessario diligat, nec amore libero, quia bonum infinitum non exigit terminare amorem liberum, sed tantum necessarium, proinde nullo modo est ratio, ob quam humanitas Christi diligitor à Deo io ordine ad vitam æternam: tum quia humanitas ratiooe gratiæ unionis non diligitur in ordine ad vitam æternam increatam Dei, eo quia hujus vitæ non sit capax; nec in ordine ad vitam æternam eonsistentem in visione creata Dei elicita ab anima: siquidem natura dat jus, & fundat diligibilitatem in ordine ad hæreditatem sibi proportionatam: & beatitudo eonsistens in visione creata cum perfectionibus increatis non habet proportionem. Tum quia diligibilitas ad gratiam unionis sobsecuta debet esse infinita utpote fundata in forma infinitè sanctificante, consequenter debet esse in ordine ad bonum infinitum: & visio ereata non est bonum infinitum, proinde homanitas ratione gratiæ unionis à Deo non diligitur in ordine ad vitam æternam. Sed contra, quia tametsi Christi humanitas ratione gratiæ unionis præcisè non diligatur in ordine ad vitam æternam attenta potentia absolota, dilgitor tamen de jure & quoad suffieientiam, & boc sufficit, ut gratia unionis Christi saoctificet humanitatem, ut liquet in gratia habituali, quæ est formalis sanctitas, quæ licet constituat hominem digoum, ot à Deo assumatur ad vitam æternam, & det jus sufficiens ad illam, non tamen constituit bominem neeessariò susceptum ad vitam æternam, potest enim Deus de potentia absoluta homini constituto in gratia habituali etiam in sensu composito cum tali vitam æternam denegare, in qua hypothesi intelligeretur homo susceptus ad vitam æternam quoad sufficientiam & jus; non tamen in re, & quoad efficaciam: pari pacto si Deus humanitati bypothaticè verbo uoitæ denegaret vitam ætertam, esset quidem humanitas ex vi gratiæ onionis suscepta ad vitam æternam qooad sufficientiam & jus, seu cum jore ad illam, quamvis in re suscepta ad illam non esset, & boc sufficit, ot Christi humanitas dicatur formaliter sanctificari per gratiam unionis. Ad illud quod addebatur de natura irrationali, quæ unita Verbo non sanctificaretur per gratiam onionis, respondetur, quod talis natura irrationalis in data hypothesi non sanctificaretut ex defectu, & incapacitate subjecti, non vero ex defectu gratiæ onionis: hæc enim subjecto capaei unita præbet illi omnem suum effectom formalem, non ita quando subjectum est incapax: idque liquet etiam in gratia habituali, quæ non dat Christo ut homini esse filiom adoptivum, qoamvis bunc effectum penat in qoolibet alio puro homine: ideo enim non constituit Christum Filium Dei adoptivum, quia per gratiam unionis est jam Filios naturalis, cum quo non stat Filius adoptivus. Gratia igitut habitualis ideo constituit purum bominem, cui inest, Filium Dei adoptivum, quia invenit subjectum capax talis filiationis: in Christo vero, quia ratione gratiæ unionis est Filius na-

ut naturalis, non invenit subjectum potens suscipere hanc filiationem per adoptionem: hinc personalitas verbi, quæ naturæ irrationali unita illam non constitueret personatam, sed tantum suppositatam, quamvis utrumque effectum ex se possit præstare, ex incapacitate tamen naturæ irrationalis constitueret illam tantum suppositatam, non personatam: & quia natura irrationalis est etiam incapax juris ad vitam æternam ac diligibilitatis in ordine ad illam, ideo quamvis gratia unionis de se potis sit hos effectus præstare, non tamen illos efficeret in natura irrationali non ex defectu gratiæ unionis, sed ex incapacitate subjecti. Si urgeas effectum secundarium posse quidem separari à primario, & à forma communicata subjecto, non ita effectum primarium, quia hic est inseparabilis à forma communicata subjecto, siquidem effectus formalis primarius formæ nihil aliud est, quam ipsa forma subjecto communicata: atqui esse sanctum, & diligibile in ordine ad vitam æternam, si præstaretur à gratia unionis formaliter, esset effectus primarius illius, sicut esse sanctum esse gratum gratitudine accidentali est primarius effectus gratiæ habitualis, consequenter non potest à forma substantialiter sanctificante, & communicata subjecto separari, proinde non potest Verbum divinum uniri naturæ irrationali, & illam non reddere sanctam formaliter ex suppositione, quod gratia unionis sit forma sanctificans subjectum, cui inest. Sed contra quia effectus primarius gratiæ unionis est naturam suppositam, ut personatam constituere Deificatam, seu conjunctam divinitati in eadem persona aut supposito, & jus ad vitam æternam dare, seu diligibilitas in ordine ad illam præstatur tantum secundariò à gratia unionis, & ideo si verbum divinum assumeret naturam irrationalem, illam tantum suppositaret seu præstaret eidem suum effectum formalem. Jus autem ad vitam æternam non daret, non ex defectu gratiæ unionis, sed ex incapacitate subjecti: si urgeas perinde comparari in gratia unionis esse sanctum substantialiter, ac esse Deificatum, sicut comparantur in gratia habituali participare divinam naturam, & esse sanctum, & gratum gratitudine accidentali: & implicare gratiam habitualem communicare alicui subjecto, quod sit particeps divinæ naturæ, & illi non præstet sanctitatis effectum & jus ad vitam æternam, ita repugnare communicare alicui naturæ esse Deificatam formaliter per gratiam unionis, quin illi communicetur, ut sit sancta & grata gratitudine substantiali, & habeat jus ad vitam æternam. Contra est, quia licet id verum sit, si comparentur quantum ad rationem effectûs primarii & secundarii, non ita si comparentur quoad omnia, quia com esse particeps divinæ naturæ perinde sit ac esse radicem videndi & amandi Deum, & repugnet in natura irrationali hæc capacitas ad videndum & amandum Deum, ideo quamvis verbum divinum suppositaret naturam irrationalem, non tamen eidem tribueret jus ad videndum & amandum Deum, non ex defectu gratiæ unionis, sed ob incapacitatem subjecti: unde si verbum divinum uniretur naturæ irrationali, hæc non esset particeps divinæ naturæ, quia hæc est radix videndi & amandi Deum, & repugnat capacitas ad videndum & amandum Deum absque capacitate amabilitatis ab ipso, proinde non stat capacitas ad ad participandam naturam divinam absque capacitate ad sanctitatem, proinde repugnet præstari à gratia habituali primum, & non secundum. Cæterum esse subjectum aliquod unitum divinitati dupliciter potest contingere scilicet in unitate personæ, quo pacto fuit Verbum divinum unitum humanitati Christi & in unitate suppositi, ut si verbum divinum assumeret naturam irrationalem, & licet primo modo afferat secum indispensabiliter effectum sanctitatis, non ita posteriori modo, quia tunc verbum tantum suppositaret naturam irrationalem quam non constitueret participem naturæ divinæ, nec capacem ad effectum sanctitatis.

Adhuc superest satisfaciendum alteri objectioni, quia si ex vi gratiæ unionis sanctificaretur formaliter humanitas Christi, inde sequeretur, quod Christus ut homo esset Filius Spiritus sancti, & totius trinitatis, quod est falsum, perinde humanitas Christi non sanctificatur formaliter per gratiam unionis, sequela probatur, quia Christus ut homo esset Filius Dei: cum ratione gratiæ unionis haberet ut homo jus ad hæreditatem divinam, hac enim sola ratione gratia habitualis nos constituit filios Dei, quia nos constituit hæredes, & hæreditas Dei tantum est debita filiis Dei, atqui non esset Filius solius Patris divini, ergo esset Filius totius Trinitatis, minor ostenditur, quia terminus *ad quem* relationis filiationis est ipsum principium actionis, supra quam talis relatio fundatur: atqui actio, supra quam fundaretur hujusmodi relatio, seu actio unitiva humanitatis ad verbum, non esset à sola persona Patris, sed ab hoc Deo ut communi tribus personis divinis, siquidem hæc actio unitiva humanitatis ad verbum, est opus aliquod ad extra, quod exigit causari à tota Trinitate, qua ratione docent communiter Sancti Patres omnes tres personas causasse incarnationem, consequenter terminus *ad quem* relationis filiationis fundatæ super hanc actionem non esset sola persona Patris, sed Deus ut toti Trinitati communis; proinde Christus ut homo esset Filius totius Trinitatis, si illius humanitas ex vi gratiæ unionis sanctificaretur formaliter. Hoc argumento pressi Suarez 3. part. Disput. 49. Sect. 2 & Vasquez disput. 89. c 14. non censent inconveniens affirmare, Christum in quantum hominem esse filium Trinitatis. Verum in oppositum habetur Concilium Toletanum undecimum in confectione fidei, ubi dicitur: *Christus Jesus nullo modo Spiritûs sancti Filius credi vel intelligi potest:* quæ verba à Concilio fuerunt desumpta ex Div. Augustino Enchirid. c. 38. & 39. & ex libr. de Trinit. cap. 10. Et quia propositio est universalis, excludit omnem interpretationem, adeo ut in nullo sensu dici possit filius Spiritûs sancti. Concilium enim asserit *nullo modo* cui contradictoriè opponeretur propositio, quæ diceret *Christum aliquo modo esse Filium Spiritûs sancti.* Tum quia ex contraria sententia sequeretur, quod in aliquo sensu catholico concedi etiam posset, quod Spiritus sanctus esset Filius: siquidem in contraria sententia: eatenus Christus ut homo est in aliquo vero sensu Filius naturalis totius Trinitatis per gratiam unionis, quia ratione illius est sanctus, ac illi convenit jus ad hæreditatem Dei: atqui etiam Spiritui sancto convenit jus ratione æternæ processionis ad hæreditatem divinam: ergo posset concedi in aliquo vero, & catholico sensu, Spiritum sanctum esse filium naturalem primæ & secundæ. Quòd si dicas Christum ut hominem esse creaturam, consequenter esse opus ad extra commune tribus personis, ac propterea posse in hoc sensu dici filium Spiritûs sancti. Contra est, quia filiatio non respicit naturam, sed personam, quæ in Christo est ipsum verbum divinum, quod assumpsit naturam humanam; propterea in nullo sensu potest Christus dici filius

filius Spiritûs sancti, ut expresse docet D. Thomas 3. part. quæst. 32. art 3. in fine corporis ubi ait: *Christus quamvis secundùm humanam naturam sit creatus, & justificatus, non tamen debet dici filius Dei, neque ratione creationis, neque ratione justificationis, sed solùm ratione generationis æternæ, secundùm quam est filius solius Patris; & ideo nullo modo debet dici Christus Filius Spiritûs sancti, nec etiam solius Trinitatis.*

Respondetur igitur exactius ad argumentum; quod tametsi omnis filius sit hæres, non tamen omnis hæres est filius: nepos enim hæres est avi mortuo Patre, & tamen non est filius avi: alii itidem sanguinis necessitudine juncti jus habent ad hæreditatem, quamvis filii non sint illius, ad quem hæreditas pertinebat. Unde licèt Spiritus sanctus habeat jus essentiale ad hæreditatem divinam ratione processionis æternæ; non tamen in nullo sensu Catholico dici potest filius. Christus itidem ratione gratiæ habitualis habet jus ad gloriam, & hæreditatem divinam, siquidem Christo ut homini ratione gratiæ habitualis est debita visio beatifica, in qua consistit hæreditas Dei; & tamen ratione gratiæ habitualis non dicitur filius, quamvis gratia habitualis constituat alios homines filios per adoptionem quia Christus ratione personæ est filius naturalis, cui filiatio per adoptionem repugnat; unde quamvis filius sit hæres, non tamen hæres est semper filius. Igitur ex eo, quòd Christus ut homo, seu secundùm humanitatem habeat jus ad hæreditatem Dei ratione gratiæ unionis, non inde sequitur esse naturalem Dei filium, & totius Trinitatis.

Dices per gratiam habitualem purus homo constituitur filius Dei per adoptionem, quatenus gratia dat jus ad vitam æternam, & deificat hominem participativè, & imitativè: ergo si gratia unionis sanctificat humanitatem Christi, præstat illi jus ad vitam æternam, & eam Deificat non participativè accidentaliter, vel imitativè tantùm; sed perfectioni, ac eminentiori modo, scilicet substantialiter: ergo Christus ut homo seu secundùm humanitatem ratione gratiæ unionis constituitur filius Dei. Si dicas per gratiam habitualem hominem participare naturam Dei per modum naturæ radicantis vitam divinam, proinde constituere hominem viventem radicaliter vita divina; & ideo constituere hominem filium Dei adoptivum: & Deitatem quamvis conjunctam substantialiter humanitati, ei non uniri sub conceptu naturæ viventis, nec illam constituere radicaliter viventem vita divina; proinde non constituere Christum ut hominem, seu secundùm humanitatem filium Dei naturalem, neque adoptivum. Contra est quia tametsi divinitas non uniatur humanitati Christi sub conceptu vitæ, illi tamen unitur sub conceptu sanctitatis spectantis ad naturam divinam; proinde communicatur illi natura divina sub conceptu naturæ includentis ipsum conceptum sanctitatis, hoc autem sufficit, ut fundet in Christo ut homine relationem filiationis: quia si participatio accidentalis naturæ divinæ per gratiam habitualem constituit hominem filium Dei adoptivum: participatio substantialis naturæ divinæ constituet Christum ut hominem filium Dei naturalem. Præterea quamvis Deitas humanitati Christi unita eam non constituat se ipsa physicè radicaliter viventem vitâ Dei; illam tamen constituit radicaliter moraliter viventem vita divina, alioquin non sanctificaret humanitatem, neque esset illius sanctitatis, sanctitas enim utpote operativa est de conceptu naturæ divinæ: atqui hæc sanctitas substantialis sufficit ad fundandam relationem filiationis in Christo, ut homine: etenim plures docent gratiam habitualem non constituere animam radicaliter physicè viventem in ordine supernaturali, & divino: sed tantùm radicaliter moraliter; & tamen constituit hominem filium Dei adoptivum: ergo sanctitas substantialis unita Christo ut homini; quamvis tantùm moraliter constituat Christum ut hominem viventem radicaliter in ordine divino, illum constituet filium Dei. Respondetur igitur exactiùs per gratiam habitualem purum hominem constitui filium Dei adoptivum; non ex ea tantùm ratione, quia dat jus ad vitam æternam; sed etiam ex alia ratione, quia datur in nobis capacitas ad suscipiendam filiationem provenientem à gratia adoptionis, secus quia in Christo non adest capacitas suscipiendi denominationem filii ratione justificationis, eò quia per ipsam Deitatem unitam humanitati fit Filius Dei naturalis, & ratio filiationis sit ipsum verbum unitum humanitati, quam constituit sanctam non verò formaliter filiam, eò quia ratio Filii personam respiciat non naturam, quæ à persona completur in ordine substantiali, & terminatur: unde sicut Christus ut homo ob hanc rationem non recipit denominationem Filii per adoptionem à gratia habituali, ob eandem rationem nec denominatur Filius filiatione fundata super gratiam unionis. Si dicas gratiam unionis se sanctificantem Christi humanitatem esse de se potentem fundare relationem filiationis, consequenter de facto eam fundare in Christo ut homine, qui propterea per gratiam unionis dici debet Filius totius Trinitatis: implicat enim potentia, cui repugnet ad actum reduci: atqui actus fundandi relationem filiationis nequit gratiæ unionis inesse, nisi respectu Christi, proinde si potest illam fundare, eam de facto fundat in Christi humanitate: quia gratia habitualis est ex se potens fundare relationem filiationis per adoptionem, eò quia dat jus ad hæreditatem divinam fundatum in participatione accidentali naturæ Dei: potiori jure gratia unionis erit potens fundare relationem filiationis respectu Christi ut hominis, siquidem gratia unionis præstat jus ad divinam hæreditatem fundatum in communicatione substantiali naturæ divinæ, consequenter quantum est ex, fundat hanc relationem filiationis in Christo ut homine. Neque obstat, quòd Christus in quantum Deus sit per essentiam, Filius Dei naturalis, quia Christus in quantum homo diversimodè est filius Dei naturalis, scilicet per gratiam unionis: esse enim Filium Dei per gratiam unionis est esse Filium Dei minùs perfectè, proinde non repugnat Christum ut hominem per gratiam unionis constitui Filium Dei. Sed contra, quia gratia sanctificans humanitatem, licèt sit ex se potens fundare relationem filiationis, quia tamen eam invenit, ideo ab ipsa non ponitur, sed supponitur, non in Christi humanitate, sed in Christo sumpto in concreto, quatenus coalescit ex verbo divino, & natura humana, verbum enim divinum dat relationem filiationis, & constituit humanitatem incapacem alterius filiationis, quia hæc esset semper minùs perfecta, proinde incompatibilis cum ipsa filiatione naturali: quo pacto quamvis gratia habitualis habeat ex se constituere hominem Filium Dei adoptivum, eò quia sit participatio accidentalis divinæ naturæ, quæ dat jus ad gloriam, & Dei hæreditatem, in Christo tamen quia gratia habitualis invenit filiationem naturalem ratione verbi divini uniti humanitati, non constituit animam Christi filiam Dei adoptivam, idque non ex defectu gratiæ habitualis,

sed

sed ex incapacitate subjecti, gratia enim habitualis non est alligata essentialiter ad hominem Deum, sed indifferens est, ut possit convenire puræ creaturæ, cui potest effectum filiationis præstare, unde quantum est ex se, si subjectum sit capax, fundat relationem filiationis per adoptionem, non ita si subjectum non sit capax, quo pacto si divinitus gratia habitualis in ratione qualitatis imprimeretur lapidi, illum non constitueret filium Dei ob incapacitatem subjecti: gratia autem unionis non est ita indifferens, sed tantùm potest sanctificare naturam intellectualem unitam hypostaticè personæ divinæ, quæ incapax est filiationis per adoptionem, quia filiatio naturalis adoptivam excludit essentialiter, repugnat enim formam alicui subjecto essentialiter alligatam, posse, quantum est de se, præstare effectum tali subjecto essentialiter repugnantem. Ad aliud, quod addebatur Christum ut Deum esse per essentiam Filium Dei naturalem, & ut hominem esse Filium Dei naturalem per gratiam unionis, respondetur filiationem convenientem Christo ut homini per gratiam onionis non esse distinctam à filiatione conveniente Christo ut Deo per æternam generationem: est siquidem eadem filiatio fundata supra idem fundamentum seu generationem æternam, adeout gratia unionis non diversificet filiationem, sed tantùm sit conditio, qua posita Christus est Filius DEI naturalis.

CAPUT VI.

Quænam sit formalitas, per quam humanitas Christi sanctificetur per gratiam unionis?

TRia præsertim possunt considerari in gratia unionis, scilicet ipse modus substantialis unionis, cujus beneficio verbum divinum conjungitur Christi humanitati. Secundò ipsum verbum ut præcisè est secundo persona distincta relativè ab aliis divinis personis. Tertiò in ipsa persona filii consideratur Deitas non simpliciter, & absolutè, sed ut terminata, & quasi characterizata per filiationem. Difficultas est, sub qua ratione Christi humanitas sanctificetur per gratiam unionis. Dicendum est modum substantialem unionis non esse illam formalitatem, qua Christi humanitas sanctificatur, imò nec esse causalitatem formæ sanctificantis, sed tantùm conditionem requisitam, ut forma sanctificans Christi humanitatem sanctificet, huic asserto cum D. Thoma adhæret potior pars Theologorum. Vasquez disput. 30. cap. 3. ex eo nititur assertionem probare, eò quia si unio humanitatis cum verbo esset illa forma, quo formaliter Christi humanitatem sanctificaret, sequeretur Deum nec de potentia absoluta posse hypostaticè uniri naturæ irrationali contra ferè omnes Theologos, siquidem ubi repugnat effectus formæ inhærentis intrinsecè, repugnat etiam ipsa forma ibi inhærens. Atqui effectus sanctitatis repugnat in natura irrationali, consequenter, si sanctitas naturæ humanæ haberetur in Christo à modo substantiali unionis, non posset Deus de potentia absoluta hypostaticè uniri naturæ irrationali, sicus enim sanctitas repugnat tali naturæ, ita etiam repugnat modus talis unionis sanctificantis naturam. Verùm hæc ratio non satisfacit, quia unio humanitatis ad verbum distinguitur specificè à modo unionis naturæ irrationalis, proinde licèt unio hypostatica verbi cum humanitate formaliter sanctificet ipsam humanitatem, adhuc posset unio naturæ irrationalis cum divina persona non sanctificari ex vi talis modi substantialis unionis: ratio est, quia semel, quòd formæ differunt specie, non exigunt eosdem effectus formales præstare, ergo ex eo, quod natura irrationalis incapax sit effectus sanctificationis, non sequitur, quòd in Christo non possit modus substantialis unionis hypostaticæ sanctificare formaliter humanitatem: sed tantùm inde posset inferri naturam irrationalem non esse capacem illius unionis, qua verbum divinum unitur humanitati: cùm enim verbum divinum uniatur cum natura irrationali per modum unionis specificè distinctum ab unione humanitatis, non sequitur ex eo, quod non sanctificet naturam irrationalem nec possit formaliter sanctificare Christi humanitatem: ex parte enim unionis habetur distinctio specifica, unio enim specificatur à termino, quem unit, & homo, qui est terminus, cui verbum unitur, mediante modo substantiali unionis distinguitur specificè à bruto, seu natura irrationali, proinde cùm forma sint specificè distinctæ non petunt præstare eosdem effectus formales. Ex parte terminorum est etiam discrimen, quia Christi humanitas est capax sanctitatis, cujus incapax est natura irrationalis: ergo ex eo, quod humanitas Christi sanctificaretur per modum substantialem unionis hypostaticæ, non sequitur divinam personam non posse de potentia absoluta assumere naturam irrationalem ex eo, quia hæc incapax sit sanctitatis. Tum quia non est minùs de ratione formæ intrinsecè per modum termini unitæ præstare suum effectum formalem subjecto, cui intrinsecè unitur, quàm de ratione formæ intrinsecè inhærentis, vel informantis, sed forma intrinsecè unita per modum termini potest præstare suum effectum formalem subjecto, cui intrinsecè unitur. Ergo etiam forma intrinsecè inhærens per modum formæ intrinsecè informantis, vel inhærentis, proinde dari potest forma aliqua unita subjecto, quod capax non sit recipiendi in se omnem effectum formalem, qui à tali forma præstatur, dummodo alicujus effectûs prodictæ formæ sit capax, hinc licèt modus substantialis unionis non sanctificet naturam irrationalem, eò quia sit incapax talis sanctitatis adhuc modus iste substantialis unionis potest cohærere cum natura irrationali, quia potest eidem præstare alium effectum distinctum à sanctitate. Præstaret enim hunc effectum, quatenus natura irrationalis esset unita substantialiter verbo: esse enim ita unitum est aliquis effectus, qui haberetur per ipsam unionem hypostaticam in hypothesi, qua persona divina assumeret naturam irrationalem. Rursus præstaret etiam hunc alium effectum, quatenus modus substantialis unionis hypostaticæ esset ratio cur natura irrationalis subsisteret per subsistentiam increatam; ex eo, quòd forma non possit omnes suos effectus formales communicare subjecto, non sequitur non posse eidem uniri: in sententia communiori subsistentia verbi potest de potentia absoluta uniri intrinsecè naturæ irrationali, cui non præstaret omnem suum effectum formalem, sed tantùm aliquem, subsistentia enim verbi duo præstat in Christi humanitate. Primum est ipsam reddere suppositatam, completam, & terminatam

in ordine substantiali: secundum eam constituere sanctam: ex his duobus effectibus formalibus, si verbum assumeret naturam irrationalem, præstaret tantùm primum, non secundùm, scilicet illam constitueret suppositatam non verò sanctificatam, & tamen Christi humanitati ob illius capacitatem utrumque communicat effectum formalem quatenus illam constituit suppositatem, & sanctificatam: ex quo liquet posse dari formam intrinsecè unitam, per modum termini subjecto, quod non sit capax omnis effectus formalis, qui potest à tali forma præstari, dummodo adsit in illo capacitas ad aliquem saltem effectum formalem illius formæ. Quamvis igitur forma non possit uniri subjecto per modum formæ intrinsecè, quin illi cõmunicet aliquem effectum formalem, non tamen est necesse, ut eidem præster omnes effectus formales, quas potest forma præstare, etenim in Christi humanitate, id clarè evincitur, certum est gratiam habitualem de facto intrinsecè existere in anima Christi, & tamen ei non præstat omnem suum effectum formalem, eò quia Christus, ut superiùs ostendimus, non est capax filiationis adoptivæ. Plures enim gratia habitualis præstat effectus, scilicet afficere, ac perficere subjectum, illudque sanctificare, & constituere Filium Dei adoptivum. In Christi humanitate gratia sanctificans licèt præstet primos effectus formales, non tamen constituit Christum ut hominem Filium adoptivum Dei, qui de facto constituit plures homines: ergo ex eo, quòd persona divina assumens naturam irrationalem hæc non constitueretur sancta: non sequitur non posse à persona divina assumi. Tum quia quamvis modus unionis non sanctificet formaliter, inchoativè tamen & vialiter sanctificat, adeout esse inchoativè, & vialiter sanctom præstetur à tali modo in genere causæ formalis, & nihilominus possit recipi in natura irrationali, & illi communicari, ut cum communiori sententia fatetur etiam Vasquez, quin talis natura irrationali constituatur inchoativè & vialiter sancta, sed cui repugnat sanctitas, repugnat etiam inchoatio sanctitatis: ergo licèt modus unionis humanitatis cum verbo effectum sanctitatis per modum formæ præstaret, adhuc posset natura irrationalis uniri hypostaticè verbo, quin talis unio illam constitueret sanctam, & gratam formaliter: ergo ex eo quòd modus substantialis unionis esset forma sanctificans humanitatem, non sequeretur uon posse personam divinam assumere naturam irrationalem.

Exactiùs igitur suadetur assertum, eò quia ut docent sancti Patres per id formaliter Christi humanitas sanctificatur, per quod formaliter ungitur: sed hoc unctio humanitatis non præstatur à modo substantiali unionis hypostaticæ formaliter, consequenter non potest hæc unio esse illa forma, qua Christi humanitas formaliter sanctificatur. Minor ostenditur, quia humanitatem esse unitam Deo perinde est, ac esse Deificatam: & humanitatem esse Deificatam non est effectus formalis modi unionis hypostaticæ, sed est quasi effectus formalis ipsius divinitatis unitæ humanitati Christi: siquidem ab eo præstatur esse Deificatum adjectivè, à quo præstaretur esse Deum, si Deitas taliter uniretur humanitati, quòd posset illam Deam substantivè constituere, perinde ac ab eodem provenit esse adjectivè humanatum, à quo oritur esse huminem substantivè: atqui si Deitas posset ita humanitati uniri ut illam Deam constitueret, non ab unione humanitatis cum Deitate, sed ab ipsa Deitate præstaretur esse Deam in genere causæ formalis, sicut esse lignum, esse lapidem non præstatur ab ipsa unione formæ ligni, vel lapidis cum materia prima, sed ab ipsis formis ligni, & lapidis: ergo Christi humanitatem esse sanctam, & Deificatam non præstatur à modo unionis, sed ab ipsa divinitate, ut characterizata relatione filiationis. Firmatur ex D. Gregorio Nazianzeno orat. 36. quæst. 4. Theolog. num. 94. ubi de Christo ait: *Christus verè dicitur propter divinitatem; ea enim humanitatis unctio est, non operatione ut in aliis Christis sanctificans, sed totius ungentis præsentia*, unde ex Nazianzeno Christus perinde est ac unctus: sed Christus ut homo est substantialiter Christos, ergo est substantialiter unctus, consequenter substantialiter sanctus: tum quia Christus dicitur unctus non operatione sicut alii justi, sed à divinitate: ait enim Nazianzenus, *ea enim humanitatis unctio est non operatione ut in aliis Christis*, seu justis: ergo Christus dicitur formaliter unctus non ab ipso modo unionis substantialis, sed ab ipsa divinitate formaliter, quia ut ait Nazianzenus divinitas est unctio humanitatis, proinde constituit humanitatem substantialiter unctam: & consequenter substantialiter sanctam. Quod si dicas Nazianzenum fuisse tantùm locutum in sensu causali, non formali, ex quo tantùm sequitur divinitatem esse unctionem humanitatis causativè, & originativè, quatenus ex ipsa Deitate derivat gratia sanctificans, qua humanitas formaliter ungitur, & formaliter sanctificatur, adeout Christi humanitas originativè sanctificetur à Deitate, & formaliter à gratia sanctificante emanata ab ipsa Deitate. Contra est, quia si divinitas non formaliter, sed tantùm originativè, & causaliter sanctificaret Christi humanitatem, sequeretur contra Nazianzenum, & alios sanctos Patres, quòd Christi humanitas sanctificaretur per operationem divinam: siquidem gratia, quæ formaliter sanctificaret Christi humanitatem, causaretur efficienter à divinitate per operationem, quod est contra Nazianzenum *loc. cit.* ubi ait: Divinitatem esse unctionem humanitatis Christi *non operatione ut in aliis Christis*, seu justis, qui sanctificantur per gratiam habitualem quam Deus ipsis infundit operando in ipsis, seu communicando gratiam: humanitas autem Christi *non operatione*, ait Nazianzenus, *sed totius ungentis præsentia*, seu ipsa Deitate, à qua immediatè sanctificatur, unde non causaliter tantùm, sed etiam formaliter ratione sui divinitas est unctio, & sanctitas humanitatis. Quòd si dicas Nazianzennm non exclusisse operationem Dei in sanctificatione humanitatis à divinitate, sed operationem humanitatis, & id interesse discriminis inter Christum ut hominem, & alios sanctos, quia isti per propriam operationem se disponunt ad sanctificationem sibi communicandam à divinitate: secus Christus ut homo, non se disposuit per propriam operationem. Nam contra est, quia natura negationis ea est, ut adæquatè distribuat, consquenter omnem operationem tam Dei, quàm humanitatis excludit à sanctificatione præstita à divinitate. Præterea non desunt ex Theologis, qui probabiliter censent Christum ut hominem ad gratiam habitualem se per proprios actus antecedenter disposuisse, unde operatio, quam Nazianzenus excludit à sanctificatione præstita humanitati à divinitate, non est operatio humanitatis, sed etiam operatio divinitatis, adeout divinitas se ipsa absque media operatione causante formam sanctificantem formaliter sanctificet Christi humanitatem. Tum quia Nazianzenus ad evincendum Christi humanitatem sanctificari formaliter immediatè à divinitate assumit pro medio, quia divinitas est unctio humanitatis, ergo si Christus dicitur unctus formaliter à di-

vinitate

unitate, formaliter etiam sanctificatur à divinitate, quia unctio formalis est ipsa sanctitas formalis.

Ostenditur secundò assertum, quia modus substantialis unionis cum sit aliquid creatum, nec sit sanctitas per participationem, cum non sit formalis participatio sanctitatis per essentiam seu naturæ divinæ sub conceptu naturæ, non est sanctitas per essentiam: ergo nec sanctitas formalis, consequenter non potest formaliter præstare effectum sanctitatis. Ex eo itidem firmari potest, quia humanitatis cum Verbo unio substantialis non est ratione sui radix physica vel moralis donorum spectantium ad ordinem gratiæ, consequenter non est forma sufficiens ad sanctificandum formaliter, quia ea tantum est forma sanctificativa formaliter, in qua aliquo ex prærecensitis modis radicantur omnia dona spectantia ad ordinem gratiæ. Quod verò unio humanitatis cum verbo non sit ratione sui radix physica vel moralis donorum spectantium ad ordinem gratiæ, ex eo liquet, quia alioquin unio hypostatice esset formaliter natura participata, quia in conceptu radicis facultatum proximè operativarum consistit ipse conceptus naturæ, gratia enim habitualis non alia de causa est formalis participatio naturæ divinæ, nisi quia est radix donorum supernaturalium: cùm igitur unio hypostatica non includat conceptum naturæ, non potest esse radix physica, nec moralis, quæ secum trahat debitum morale fundandi operationes supernaturales. Præterea quia effectus formalis formæ non præstatur à causalitate ipsius formæ, non enim paries suscipit effectum formalem albedinis ab ipsa unione, quæ est causa, cur forma albedinis afficiat & inhæreat parieti, sed ab ipsamet forma albedinis, adeo ut sit ipse albedo, & non unio albedinis, quæ formaliter constituat parietem album; sic in puro homine non est unio gratiæ habitualis cum anima, quæ ipsam sanctificat, sed est ipsa gratia habitualis formaliter afficiens ipsam animam: ita à pari humanitas Christi non ab ipsa unione hypostatica, seu à modo substantiali unionis sanctificatur, sed ed ipsa veluti furma sanctitatis, seu eb ipsa Deitate, quæ veluti forma afficit ipsam humanitatem Christi, quam propterea sanctificat formaliter. Quod si dicas effectum formalem specificum formæ convenientem specificè cum formali effectu præstito à forma præstare immediatè per se suum effectum subjecto, & non ab unione formæ cum subjecto, effectum tamen formalem genericum, genericè convenientem cum illo effectu, quem forma præstat subjecto, non præstare per se effectum formalem, forma enim substantialis substantificat materiam; & ejusdem formæ unio effectum similem genericè præstat; quia etiam talis unio formaliter substantificat materiam substantialitate tamen incompletè & specificè distincta ab ea, quam forma substantialis præstat materię formaliter, ex quo sequitur modum substantialem unionis hypostaticæ sanctificare Christi humanitatem, sanctitate tamen diversæ speciei à forma sanctificante. Contra est, quia tametsi causalitas formæ possit convenire cum illa in effectu abstrahente à completo, & incompleto à perfecto et imperfecto, qualis est effectus substantificandi: non tamen in effectu completo & perfecto convenire potest cum forma: licèt unio animæ cum corpore conveniat cum illa in effectu substantialitatis, qui abstrahit à completo, & incompleto; non tamē convenit in effectu animandi, qui non est in linea talis abstractionis: Unio albedinis cum pariete convenit cum albedine in præstando esse accidentale abstrahente à completo & incompleto non verò in effectu formali dealbendi, cui talis abstractio non convenit: sed effectus formelis sanctificationis perfectus & completus est: proinde causalitas formalis formæ sanctificantis non potest convenire cum illa in effectu formali sanctificandi. Imo causalitas formalis gratiæ sanctificantis seu ipsa unio, quâ gratia unitur cum anima, cui inhæret non convenit cum gratia in effectu formali sanctificandi formaliter, etiam genericè: ergo causalitas formalis sanctitatis hypostaticæ seu unio verbi divini cum humanitate non convenit nec genericè, nec specificè cum Deitate in præstando effectu formali sanctitatis: consequentia à pari valet: ostenditur antecedens: quia unio gratiæ cum subjecto non præstat illi effectum sanctitatis formaliter specificè nec genericè convenientem cum effectu sanctitatis, quem gratia formaliter præstat.

Ex eo probari itidem potest assertum, quòd unio hypostatica non sanctificet formaliter humanitatem Christi: quia si unio gratiæ sanctificantis cum anima rationali sanctificaret formaliter animam, sequeretur, quod gratie sanctificans nunquam posset peccatum expellere contra communem Theologorum doctrinam asserentium habitum gratiæ sanctificantis expellere peccatum letale, adeo ut per introductionem gratiæ in animam habeatur expulsio peccati ab eadem: ergo unio quâ gratia sanctificans seu habitualis unitur cum anima non sanctificat formaliter animam. Ostenditur sequela: quia unio quâ gratiê unitur animæ est prior prioritate naturæ, & afficit ac informat animam ipsa gratia; est enim causalitas gratiæ in anima, & de ratione causalitatis est præcedere prioritate naturæ ipsum effectum causatum: unde prius est gratiam uniri, quam esse unitam, seu prior est unio quàm res unita: atqui in illo priori naturæ si unio sanctificaret formaliter, expelleret peccatum lethale, quia hoc non est compossibile cum sanctitate; ergo gratia in signô posteriori naturæ adveniens non poneret expulsionem peccati, sed illam supponeret ab unione in signo priore naturæ jam positam: ergo si unio ratione sui formaliter sanctificaret animam esset expulsiva peccati & gratia sanctificans nunquam formaliter expelleret peccatum. Si dicas, unionem sanctificare in illo signo priore ut *quo*, & gratiam habitualem in signo posteriore ut *quod* eo quia sit illa quæ sanctificat formaliter. Contra est, quia licet unio sit *qua* gratie unitur animæ quam sanctificat, non tamen ipsa unio potest animam sanctificare, alioquin in illo priori jam expelleret peccatum, & sanctificaret quod dici nequit; quia unio non convenit cum gratia habituali in ratione naturæ ordinis supernaturalis neque in convenientia generica, nec in effectu formali constituendi radicem supernaturalium donorum; atqui effectus sanctitatis præstatur tantum à divine natura vel per essentiam, vel per participationem; seu à forma radicante dona supernaturalia: ergo cùm unio non sit forma hæc, sed tantum ratio, qua forma unitur subjecto, neque conveniat cum gratia habituali convenientia specifica, nec generica in ratione sanctitatis, nec in ejus effectu formali; sequitur unionem, quâ gratie sanctificans unitur animæ, non posse formaliter animam sanctificare. A pari valet argumentum de unione hypostatica respectu Christi ut hominis: cùm unio hypostatica non sit natura divina, nec per essentiam, nec per participationem, non est formaliter sanctitas; neque potest formaliter sanctificare. Quòd unio hypostatica non

non sit natura divina per essentiam, ex eo liquet, quia distinguitur à Deitate, quæ beneficio unionis afficit, & complet Christi humanitatem in ordine substantiali: unio enim est ratio *qua* Deitas unitur humanitati, & Deitas est, *qua* unitur: sicut in Physicis forma est, *qua* unitur subjecto, & unio ratio, *quâ* unitur: & sicut forma distinguitur ab unione; ita & ipsa Deitas, quæ mediante unione terminat, complet, ac unitur naturæ humanæ Christi, ex quo liquet unionem non esse naturam divinam per essentiam. Quod nec etiam pet participationem sit natura divina, ex eo evincitur, quia unio humanitatis ad verbum divinum solum participat formaliter identitatem personalitatis cum natura divina: sed conceptus identitatis personalitatis cum natua non est formaliter concept⁹ naturæ; alioquin personalitas verbi esset formaliter natura; & natura divina fuisset incarnata formaliter, quod dici nequit; quia unio hypostatica facta fuit in persona, non in natura, ut nos fides docet Joan. 1. *Et verbum caro factum est.* Rursus unio gratiæ habitualis cum anima non est formalis participatio naturæ, sed nexus, & vinculum formæ seu gratiæ, quæ est accidentalis participatio naturæ divinæ cum anima: proinde etiam unio hypostatica verbi cum Christi humanitate non erit formalis participatio naturæ, sed tantum nexus verbi divini cum humanitate. Præterea in Christo unio humanitatis cum verbo non est humanitas formaliter, sed nexus humanitatis cum verbo. Unio animæ rationalis cum corpore humano, non est ipsa anima rationalis specificè, neque genericè: ita à pari unio humanitatis cum Deitate non est natura divina, neque secundum convenientiam specificam, neque genericam: ergo unio hypostatica non est participatio naturæ divinæ, consequenter non potest Christi humanitatem sanctificare. Demum quia si unio humanitatis Christi cum verbo est formalis participatio naturæ divinæ, gratia habitualis superflua foret in anima Christi; quia unio utpote participatio formalis naturæ divinæ esset principium radicale, actuum & habituum supernaturalium; consequenter anima Christi connaturaliter eliceret actus supernaturales: proinde si unio hypostatica esset formalis participatio naturæ divinæ, gratia habitualis esset in Christo superflua; quia eatenus non est superflua, quia connaturaliter elicit actus supernaturales; quod præstaret ipsa unio.

Imò neque unionem hanc humanitatis cum verbo sanctificare humanitatem ut causalitatem formæ sanctificantis ex eo etiam evincitur, quia licèt humanitas oniatur verbo per modum substantialem unionis distinctum realiter modaliter ab humanitate, & verbo. Verbum tamen intrinsecè per se ipsum immediatè absque modo realiter modaliter distincto unitur humanitati: atqui causalitas formæ sanctificantis formaliter humanitatem Christi, non est unio ex parte humanitatis, sed est unio se tenens ex parte verbi, seu ratio quá verbum unitur humanitati: sicut causalitas animæ rationalis non est unio intrinsecè recepta in materia, cui anima unitur, sed est ipsa unio recepta in anima, & illam uniens: exercitium enim causæ formalis, & ejus causalitas non se tenet ex parte recipientis, seu subjecti, sed ex parte formæ: ergo unitas humanitatis ad verbum non est causalitas formæ hypostaticæ substantialiter sanctificantis humanitatem. Præterea causalitas verbi ut sanctificantis Christi humanitatem nequit realiter modaliter ab illo distingui, quia verbum divinum nequit esse subjectum ullius formæ de novo advenientis sive realis, realiter sive modaliter: sed modus creatus unionis quo humanitas Christi unitur verbo divino, distinguitur à verbo; quia hic modus se tenens ex parte humanitatis finitæ est finitus, propterea distinctus à verbo infinito, ergo talis modus unionis nequit esse causalitas verbi formaliter sanctificantis Christi humanitatem: siquidem ratio, cur in Physicis materia & forma indigent causalitatibus realiter ab illis distinctis, est, quia sunt extrema finita & limitata, consequenter quid potentiales susceptivum mutationis, non solum in ratione entis, sed etiam in linea causæ: sed verbum divinum est illimitatum, infinitum & actus pur⁹ non solum quoad essentias, verum etiam in ordine ad sanctificandã humanitatẽ Christi consequenter verbum divinum, ut uniatur & sanctificet Christi humanitatem, non indiget causalitate distincta sanctificante humanitatem, sed seipso absque modo superaddito illi unitur, ac illam sanctificat: etenim quia omnipotentia est actus purus non solũ in ratione entis, sed etiam causæ, actio per quam agit ad extra, est formaliter immanens realiter ab omnipotentia indistincta, & realiter identificata cum illa; alioquin omnipotentia non esset actus purus, sed quid potentiale quod posset per quid superadditum actuari ac compleri, quod dici nequit. Sed causalitas verbi in ratione sanctificantis est ultima illius actualitas, & ej⁹ complementũ in ratione causæ sanctificantis: nulla enim causa absq; propria causalitate completa intelligitur actu causare: ergo hæc causalitas verbi debet identificari cum verbo; consequenter non unio verbi, sed ipsum verbum formaliter sanctificat Christi humanitatem per causalitatem ab illo indistinctam.

Quamobrem tota ratio superaddita unionis seu modi substantialis se tenet ex parte humanitatis, cujus propterea unio cum verbo divino est conditio necessario requisita, ut humanitas formaliter sanctificetur à verbo: quia humanitas non potest effectum formalem sanctitatis à Deitate suscipere, nisi illi hypostaticè uniatur; proinde modus substantialis unionis se tenens ex parte humanitatis est conditio necessario requisita, ut divinitas formaliter sanctificet Christi humanitatem: sed hæc unio subjectata in humanitate non est necessaria, ut formalis sanctitas, nec ut causalitas formæ sanctificantis, quia non est unio, quæ sanctificat humanitatem; sed ipsa Deitas characterizata verbo: ergo requiritur tantum ut conditio necessario requisita, ut humanitas sanctificetur à verbo. Præterea quia in physicis applicatio passi ad agens, ut ligni ad ignem est conditio necessario requisita, ut effectum agentis passum recipiat. Ergo applicatio subjecti ad formam requiritur necessariò ad minus ut conditio ad recipiendum ejus effectum formalem: atqui unio humanitatis cum verbo est intrinseca applicatio subjecti sanctificandi ad formam sanctificantem, quia sine hac intrinseca applicatione Christi humanitas nunquam sanctificaretur formaliter à verbo divino; ergo modus substantialis unionis humanitatis ad Verbum est conditio necessariò requisita, ut humanitas à verbo sanctificetur, ac recipiat effectum formalem sanctificationis.

Plures tamen præsertim ex recentioribus cum Suarez *disput. 53. sect. 3.* docent Christi humanitatem per ipsam unionem, qua verbo divino unitur, accipere effectum formalem sanctitatis, seu sanctificari: & nituntur præsertim, quia persæpe sancti Patres docent humanitatem fuisse sanctificatam per unionem ad verbum, qui modus loquendi non posset salvari, nisi ipse modus substantialis unionis hypostaticæ dicatur formalis sanctitas humanitatis, &c. & per talem unionem Christi humanitatem forma-

liter

liter sanctificari, quapropter Div. Augustinus 13. *de Trinit. cap.* 19. & *in Enchirid. cap.* 40. vocat hanc unionem humanitatis ad verbum summam gratiam, quæ propterea sanctificat Christi humanitatem, siquidem summa gratia est formalis sanctitas necessariaque & præstat suum effectum formalem humanitati, necesse est, ut eam formaliter sanctificet, ex quo concludunt, Christi humanitatem non ab ipso verbo nec Deitate in verbu, sed ad ipsa unione humanitatis ad verbum formaliter sanctificari. Sed contra, quia tametsi sancti Patres asserant Christi humanitatem fuisse sanctificatam per unionem ad verbum, & vocaverint hanc unionem unctionem, qua Christi humanitas sanctificatur: non propterea adigimur asserere Christi humanitatem non sanctificari formaliter per ipsam Deitatem ut verbo characterizatam: siquidem commodè possumus assertum sanctorum Patrum explicare, ut ipsi asseruerint Christi humanitatem sanctificari per unionem ad verbum inchoativè non vero formaliter, adeo ut sancti Patres asseruerint humanitatem Christi per ipsam unionem ad verbum nonnisi originativè vel vialiter ac inchoativè fuisse sanctificatam, & formaliter per ipsam Deitatem ut verbo divino characterizatam: dixerunt Christi humanitatem fuisse sanctificatam inchoativè per ipsam unionem ad verbum, eò quia hæc unio est via ad sanctitatem recipiendam postea formaliter ab ipsa divinitate: si enim dicamus sanctos Patres asseruisse Christi humanitatem fuisse inchoativè, seu in via sanctificatam per modum substantialem unionis ejusdem humanitatis ad verbum; & formaliter per ipsam Deitatem, nil asserimus, quod doctrinæ Sanctorum Patrum adversetur. Ratio est, quia tunc temporis quando in primitiva Ecclesia floruerunt sancti Patres nondum in scholis, nec inter sanctos Patres fuit quæstio de modo substantiali humanitatis ad verbum ut realiter distincto ab extremis, de hoc enim substantiali modo non disputarunt sancti Patres, sed sumpserunt unionem pro ipsa gratia substantiali unita humanitati, seu pro Deitate perficiente, ac complente Christi humanitatem, ac illam substantialiter sanctificante: quod sancti Patres hoc pacto intellexerint unionem, licet ex præcitato loco Augustini vocantis hanc unionem summam gratiam sanctificantem Christi humanitatem: si enim est summa sanctitas, non est modus iste substantialis unionis qua humanitas unitur verbo, siquidem modus iste finitus est, & subjectatur in ipsa humanitate pariter finita, & limitata: & summa sanctitas, de qua loquitur Augustinus, est infinita, alioquin non esset summa, ergo Augustinus per summam sanctitatem non intellexit modum substantialem unionis, sed ipsam Deitatem: & alii sancti Patres per unionem sanctificantem Christi humanitatem non intellexerunt modum substantialem unionis se tenentem ex parte humanitatis & illam subjectivè unientem Verbo, sed intellexerunt unionem increatam verbi indistinctam realiter à verbo, seu ipsam Deitatem in verbo à qua quasi à forma fuit Christi humanitas formaliter sanctificata. Igitur sancti Patres effectum formalem sanctificationis tribuerunt unioni increatæ, ae indistinctè à verbo divino, non ratione illius, quod explicat, sed ratione prædicati inclusi implicitè in ipsa unione, scilicet ratione Deitatis, & naturæ divinæ, quam unio ex parte verbi se tenens implicitè includit, quamvis unio illam non explicet: & hanc unionem identificatam cum verbo rectè Div. Augustinus vocavit summam gratiam. Prætetea tametsi Augustinus per unionem humanitatis cum verbo intellexisset summam gratiam non tamen inde sequeretur Christi humanitatem ab illa sanctificari formaliter, cum enim omnis gratia, ac donum supernaturale communicatum creaturæ rationali illam sanctificet formaliter, ut liquet in habitibus fidei, & charitatis, habitus enim fidei est donum supernaturale, consequenter gratia à Deo creaturæ impertita, & tamen non sanctificat formaliter; quia talis habitus perseverat in homine fideli, tametsi sit in statu lethalis peccati, cum quo cohæret habitus fidei, qui non nisi per infidelitatem expellitur. Quòd nec ipsa charitas formaliter sanctificet creaturam communior est Theologorum sententia: ergo ex eo, quòd unio humanitatis ad Verbum vocetur summa sanctitas ab Augustino, inde non sequitur per hanc unionem formaliter Christi humanitatem sanctificari.

Sed dices unio albedinis cum subjecto propriè dicitur dealbare, & convenit cum albedine in proprio effectu formali, consequenter etiam unio humanitatis cum verbo propriè sanctificat, & convenit propriè cum gratia substantiali in præstando sanctitatis effectum, antecedens liquet, quia unio albedinis cum subjecto est complementum albedinis, prout hæc tribuit suum effectum formalem parieti, cui unitur, unde unio albedinis convenit cum illa in effectu formali, quem præstat. Sed contra negatur antecedens, quia ipsa unio non convenit cum albedine in causando, & in modo causandi, quia diverso modo causat. Unio igitur albedinis habet dealbare cum subjecto per modum causalitatis formæ dealbantis, non verò habet dealbare ut formam: aliud est afficere subjectum ut formam, ac illud informare; & aliud se habere per modum causalitatis formæ informantis. Primum non dicit unio albedinis cum subjecto, sed tantùm secundum, non enim unio est ipsa forma albedinis, sed tantum causalitas ipsius albedinis dealbantis subjectum, est enim quid medium inter formam dealbantem, & subjectum dealbatum, & dicitur modus distinctus à forma, & subjecto requisitus ut conditio necessaria, sine qua forma non informaret subjectum, seu albedo non dealbaret. Actio etiam licèt conveniat cum agente, non dicitur causa efficiens nec causa agens, sed tantum causalitas causæ efficientis & agentis: ita à pari quamvis diceremus unionem humanitatis cum verbo esse causalitatem formæ substantialiter sanctificantis humanitatem, inde non sequeretur unionem ratione sui sanctificare humanitatem per modum formæ, sed tantùm possemus asserere illam sanctificare ut causalitatem formæ sanctificantis. Non quòd unio ratione sui sanctificet Christi humanitatem, cui præstet effectum sanctitatis distinctum ab eo, quem Deitas illi præstat: causalitas enim & forma, cujus est causalitas, non influunt diversos effectus formales distinctos, sed unum tantùm, modò tamen diverso, quia unio concurrit ad talem effectum, ut causalitas formæ, & ipsa Deitas veluti ut forma: sic etiam in physicis causalitas agentis, & agens non dicuntur causare efficienter diversos effectus, sed eundem, diverso tamen modo quia causalitas agentis applicat ipsum agens ad producendum effectum, & est tantùm ratio *qua* iste producitur: agens verò est *quod* effectum producit. Cæterum unio humanitatis cum verbo se tenens ex parte humanitatis: in qua subjectivè recipitur, non est causalitas, nec complementum formæ sanctificantis humanitatem, quia hæc causalitas est unio verbi cum humanitate, quatenus se tenet ex parte verbi, cum quo identificatur; quamobrem ex eo, quòd unio albedinis cum subjecto conveniat cum illa in dealbando, ac præstando proprium effectum for-

formalem, non sequitur unionem creatam humanitatis cum verbo convenire in præstanda sanctitate humaoitati cum ipsa forma sanctificante.

Si dicas Christi humanitatem ratione unionis, qua verbo divino unitur, terminare specialem cultum & adorationem ratione excellentiæ ipsius unionis, & eandem adorationem non terminari à verbo secundùm prædicatum aliquod divinum ut *quod*, nec ut *quo*, proinde rationem terminandi prædictum cultum, & adorationem esse ipsum modum substantialem unionis humanitatis ad verbum adeo ut hæc unio in humanitate, ut à verbo distincta, & ab illo præscindens, & simpliciter ratione sui sanctificet humanitatem, quia eo ipso, quòd terminat specialem cultum, jam ratione sui est aliquod sanctum, & quia unio hæc subjectatur in Christi humanitate, illam sanctificat, quia cum sit ipsa sancta, non potest inesse humanitati, quin illam sanctificet, non enim potest forma subjecto inhærere, quin illi præstet suum effectum formalem. Sed contra, quia ut unio humanitatis ad verbum dicatur ut præcisa à verbo, & ab alio quovis divino prædicato terminare specialem cultum, & adorationem, sufficit ipsa specialis excellentia præstita bumanitati ab ipsa unione hypostatica: non enim negare possumus, quin hæc unio sit supernaturalis, & intra ordinem supernaturalem excellentior gratia habituali: atqui ut subjectum dicatur formaliter sanctificari non sufficit quælibet excellentia, sed illa quæ sit prima radix omnium donorum supernaturalium: & se habeat per modum naturæ ordinis supernaturalis, quod prædicatum non convenit unioni hypostaticæ; quæ non se habet per modum naturæ radicantis omnia dona supernaturalia: unde quamvis unio ratione propriæ excellentiæ, & supernaturalitatis terminet specialem cultum, & adorationem, non inde sequitur esse formam sanctificantem Christi humanitatem: idque evincitur à pari, quia Deus adorabilis est non solùm ratione naturæ, verùm etiam ratione cujuscunque ex attributis, & nihilominus propriè non dicitur sanctus nisi ratione ipsius naturæ, eò quia hæc sit prima radix omnium perfectionum divinarum, ratione quarum propriè non dicitur sanctus, sed justus, misericors, sapiens, bonus. In creatis etiam justus terminat suum specialem cultum non solùm ratione gratiæ habitualis, sed etiam charitatis, amoris, in Deum spei, & aliarum virtutum, & tamen propriè non dicitur formaliter sanctus nisi per gratiam habitualem, eò quia hæc sit participatio divinæ naturæ, quæ est prima radix omnium donorum supernaturalium: ergo ex eo, quòd unio humanitatis ad verbum ob suam excellentiam & supernaturalitatem etiam præcisivè ad alia prædicata divina *ut quod*, vel *ut quo* terminet specialem cultum, & adorationem, inde non sequitur sanctificare formaliter ipsam humanitatem cui inhæret, quia ipsa unio præcisivè sumpta, & ex se non est participatio divinæ naturæ, quæ tantùm præstat effectum formalem sanctitatis; ex eo igitur quòd ab unione ratione sui humanitas constituatur adorabilis non sequitur, quòd ab unione constituatur formaliter sancta. Quòd si dicas humanitatem Christi per hanc unionem hypostaticam constitui adorabilem excellentiori genere adorationis, quàm constituatur justus per gratiam habitualem, quia justus terminat tantùm adorationem duliæ, & Christi humanitas ratione unionis cultum hyperduliæ vel Latriæ ut docent Theologi: sed gratia constituat justum realiter adorabilem, eò quia illum formaliter constituit sanctum, consequenter unio ratione sui constituit Christi humanitatem non solùm specialiter adorabilem, sed etiam formaliter sanctam. Tum quia hæc unio ita constituit Christi humanitatem adorabilem, ut non sit componibilis cum peccato sive actuali, sive habituali: & sola forma expulsiva peccati cum illo incomponibilis est sufficiens ad præstandum effectum formalem sanctitatis in subjecto, cui inest: proinde potest unionem hypostaticam sanctificare formaliter Christi humanitatem. Tum quia eam reddit adorabilem, ac Deificat formaliter, proinde formaliter etiam sanctificat, quia humanitatem deificare nil aliud est, quàm esse unitam Deitati: atqui humanitatem esse conjunctam Deitati est effectus formalis unionis, quæ propterea deificat humanitatem, ac illam formaliter sanctificat. Tum quia eatenus unio ratione sui formaliter, & simpliciter constituit humanitatem adorabilem, quatenus ratione sui, est quædam excellentia supernaturalis, quæ ex se est objectum formale, ac motivum adorationis: atqui ratione sui est etiam bonitas ordinis supernaturalis, & est objectum formale, & motivum amoris supernaturalis. Ergo constituit ratione sui formaliter diligibilem humanitatem dilectione supernaturali, quod non præstaret nisi unio formaliter humanitatem sanctificaret, quia perinde est esse formaliter sanctum, ac esse objectum divini amoris supernaturalis. Sed contra, quia tametsi unio hypostatica dicatur excellentior gratia habituali, ac terminare excellentiorem cultum Hyperduliæ, vel Latriæ, quia tamen est in diversa linea, ac sit ipsa gratia habitualis, ideo quamvis hæc sanctificaret formaliter, non tamen hunc effectum præstaret unio hypostatica: ratio discriminis est, quia præstare effectum formalem sanctitatis est proprium ipsius naturæ divinæ per essentiam, vel per participationem, ut superiùs explicuimus, & quia gratia habitualis est participatio naturæ divinæ, non ita unio hypostatica, ideo licèt hæc excellentior, ac habeat terminare cultum excellentiorem, non tamen potis est præstare formalem effectum sanctitatis bumanitati: quem effectum in creaturis præstat gratia habitualis, quia hæc est participatio naturæ divinæ, qua ratione dicitur sanctificativa formaliter: Ad secundum respondetur humanitatem ratione unionis hypostaticæ constitui sanctam non sanctitate positivâ, sed in aliquo sensu sanctificatione negativa consistente in ipsa expulsione peccati & oppositione cum illo, non verò unio hypostatica sanctificat humanitatem sanctitate positiva formaliter sita in ipsa forma sanctificante formaliter & inhærente subjecto, hæc enim sanctitas est, quæ constituit objectum amicabiliter diligibile in ordine ad vitam æternam, ad quam etiam dat jus. Ad aliud in quo dicebatur unionem hypostaticam constituere adorabilem humanitatem, quam formaliter Deificat, respondetur inde non sequi eam formaliter sanctificare, quia licèt parietem esse visum explicetur per hoc, quòd sit idem ac parietem terminare visionem, non tamen paries visus est effectus formalis, seu formalis denominatio terminationis, sed tantùm visionis terminatæ ad parietem: perinde bumanitatem esse Deificatam, quamvis explicetur per hoc, quòd sit idem, ac esse Deitati conjunctum, non tamen est formalis effectus, seu denominatio formaliter proveniens à conjunctione humanitatis, cum Deitate; sed est effectus formalis oriens à divinitate ut conjuncta humanitati: quamobrem ex eo, quòd modus unionis sit formalis conjunctio cum divinitate inde non sequitur esse formam formaliter Deificantem, neque sequitur esse for-

formam sanctificantem formaliter : sicut in physicis conjunctio formæ cum materia non dicitur esse ipsa forma, sed tantùm ratio, qua forma materiam informat : conjunctio ligni cum igne non est forma, qua ligoum formaliter constituitur ignitum, quia lignum non ab hac unione sed à forma ignis ignitum constituitur formaliter, est enim forma ignis, quæ in ligno præstat effectum formalem igniti, unio enim tantùm est ratio, seu conditio necessariò requisita, ut ignis constituat formaliter lignum ignitum. Ad ultimum, in quo dicebatur unionem hypostaticam ratione sui includere bonitatem ordinis supernaturalis, & esse objectum formale, & motivum amoris supernaturalis, ac constituere humanitatem formaliter diligibilem, consequenter formaliter sanctam, respondetur, includere bonitatem non terminantem amorem amicabilem Dei supernaturalem, sed tantùm amorem supernaturalem non amicabilem : non enim ut quis sit sanctus formaliter, sufficit, si terminet amorem supernaturalem Dei, sed ulterius requiritur, ut terminet amorem supernaturalem amicabilem, eò quia sanctus participat divinam naturam, quæ est radix primaria operationum divinarum, consequenter debet sanctus redamare Deum, à quo ipse amatur, quatenus illi impertitur suam gratiam : amor Dei beneficus est, & Deus amando creaturam ei communicat suam bonitatem, ac dona supernaturalia, & quia non omnia sunt ejusdem rationis, sed distinguuntur à gratia habituali : siquidem fides & spes sunt dona supernaturalia, quæ perseverant in peccatore in statu peccati lethalis sine gratia habituali, quæ propterea ab ipsis distinguitur. Hinc quamvis Deus amet amore supernaturali sua dona supernaturalia impertita creaturæ, non tamen amore amicabili, si creatura non habeat tale donum, quo valeat redamare Deum : hoc autem donum est gratia habitualis, quæ est participatio divinæ naturæ, ac principium amoris, quo creatura Deum amat : unio igitur hypostatica quamvis ratione sui constituat humanitatem diligibilem à Deo dilectione supernaturali, eò quia sit ipsa unio supernaturalis, non tamen eam constituit ratione sui formaliter diligibilem à Deo dilectione supernaturali amicabili, ex quo constat unionem hypostaticam non sanctificare formaliter Christi humanitatem, quamvis eam constituat diligibilem à Deo dilectione supernaturali, & dignam cultu excellentiore.

CAPUT VII.

An personalitas Verbi sub expresso personalitatis conceptu formaliter sanctificet Christi humanitatem, sitque formalis sanctitas ?

Ostendimus, unionem hypostaticam, quâ Christi humanitas unitur Verbo divino, non esse formam illam quâ humanitas formaliter sanctificatur : superest inquirendum, an hæc forma forma formaliter sanctificans sit ipsum Verbum divinum sub expresso conceptu personalitatis ; & dicendum est, Personalitatem Verbi secundùm id præcisè, quod addit ad perfectiones absolutas, non sanctificare formaliter humanitatem Christi. Probant plures ex eo quia Verbum divinum sicut assumpsit naturam humanam, ita potuisset assumere naturam equinam, vel leoninam : atqui si assumeret naturam irrationalem leonis, vel equi, illam non sanctificaret formaliter, quia natura irrationalis incapax est sanctitatis : ergo Verbum divinum sub expresso conceptu personalitatis non sanctificat formaliter Christi humanitatem : quia semel quòd forma communicetur subjecto, debet eidem communicare suum effectum formalem, qui est ipsa forma, ut exhibita subjecto : ergo si Verbum divinum potest assumere naturam irrationalem, cui non præstaret effectum sanctitatis : sequitur manifestè, sanctum esse non esse effectum formalem Verbi divini unici humanitati Christi. Verùm hæc ratio non est efficax. Primò quia non desunt, qui negent posse Verbum divinum assumere leoninam, vel naturam equinam. Qui de ratione Verbi & unitæ naturæ inferiori, est subjectum constituere filium Dei naturalem, cùm sit ipsum Verbum filius Dei naturalis, & de ratione filii naturalis est amare patrem ; adeout bonum, quod includitur in unione hypostatica, sit effectus amoris divini supernaturalis non simpliciter, sed amicabilis : atqui natura irrationalis non est capax hujus amoris amicabilis, sicut non est capax meriti : ergo nec est capax unionis hypostaticæ, nec sanctitatis. Contra secundò quia si Verbum assumeret naturam leonis vel equi, non solùm ei communicaretur subsistentia Verbi sub expresso conceptu subsistentiæ, verùm etiam illi communicaretur natura divina, quæ mediante Verbo uniretur naturæ leoninæ, quam constitueret Deificatam, cujus effectus formalis est ipsa sanctitas, & sanctam constituere naturam inferiorem, cui inest ; hunc autem effectum formalem non posset præstare naturæ leonis, quia hæc est incapax amoris amicabilis, & sanctitatis : ergo ex eo quòd hypostasis Verbi possit communicari naturæ irrationali, perperam infertur ejus effectum formalem ut esse constituere naturam assumptam sanctam. Tum quia ex hypothesi, quòd assumeret naturam irrationalem, illi præstaret illos effectus formales, quorum est capax : verbum divinum plures præstat effectus formales, quatenus suppositat, complet in ordine substantiali naturam, quam assumit, & illam iisdem deificat, ac constituit formaliter sanctam, in data igitur hypothesi verbum divinum suppositaret & compleret in ordine substantiali naturam irrationalem, non verò illam deificaret, nec redderet sanctam : proinde ex eo quòd verbum divinum non sanctificaret naturam irrationalem, perperam infertur sanctitatem non esse ejus effectum formalem ; quia verbum divinum naturæ assumptæ irrationali præstaret effectum formalem subsistendi ; & eatenus non constitueret eam sanctam, quia natura irrationalis non esset capax hujus effectus formalis.

Probatur nervosiùs ; quia personalitates divinæ ratione illius, quod explicant secundum expressum personalitatis conceptum, non dicunt perfectionem ; neque addunt divinæ essentiæ bonitatem ; non enim bonitas esse potest, ubi non est perfectio, cùm perfectio sit ipsa bonitas : atqui sanctitas formalis est bonitas & perfectio ; siquidem constituit subjectum, quod sanctificat, amabile objectum, amabile amore supernaturali amicabili Dei ; & objectum

jectum amoris aliud non est, quam ipsa bonitas: ergo personalitates divinæ sub expresso personalitatis conceptu, prout dicunt præcisè rationem relativam & purum conceptum *ad*, non dicunt perfectionem nec bonitatem, consequenter non possunt formaliter sanctificare Christi humanitatem. Tum quia si personalitates divinæ sub expresso personalitatis conceptu dicerent perfectiones superadditas divinæ essentiæ & relativè distinctas inter se, sicut distinguuntur personalitates, essent in eo tres perfectiones relativæ, ex quo sequeretur, quod personæ divinæ essent inæquales inter comparatæ: & cuilibet ex divinis personis deesset aliqua perfectio, Patri enim deesset perfectio filiationis; Filio perfectio paternitatis; Spiritui Sancto perfectio paternitatis & filiationis, quæ omnia habentur inconvenientia: atqui non est minus inconveniens multiplicare in Deo sanctitates, & concedere inter illas essentialem inæqualitatem, & cuivis ex divinis personis aliquam sanctitatem deesse, quàm id asserere de divinis perfectionibus: ergo personalitates divinæ sub expresso conceptu personalitatis, seu esse *ad* relationis non dicunt perfectionem, neque formaliter sanctitatem: consequenter personalitas verbi divini sub explicito conceptu personalitatis relativæ non sanctificat Christi humanitatem. Personas divinas esse æquales habetur in symbolo Athanasii, in quo totæ tres personæ dicuntur esse sibi coæquales, & Apostolus 2. cap. ad Philip. loquens de Filio ait, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: Sin autem divinæ personalitates ratione illius, quod explicant secundum expressum personalitatis conceptum, seu rationem relativam *ad* dicerent perfectionem, daretur inæqualitas inter divinas personas: etenim si loquamur de perfectione simpliciter simplici, hæc definitur à Div. Anselmo esse illa, quæ in quolibet supposito, ut sic est melior ipsa quàm non ipsa, seu quam quodlibet aliud sibi positivè oppositum, & incompossibili cum tali supposito includente perfectionem simpliciter simplicicem: unde si relatio paternitatis in patre esset perfectio simpliciter simplex, deberet esse melior filiatione sibi opposita, ac sibi incompossibili, ex quo sequeretur, quod una perfectio simpliciter simplex ita esset in una persona, ut aliis deesset, consequenter non essent æquales.

Dices, omne quod in divinis dicit propriam rationem positivam, dicit etiam perfectionem simpliciter simplicem: sed divinæ personalitates etiam sub expresso conceptu relativo *ad* dicunt rationes positivas, quibus divinæ personæ positivè ac relativè distinguuntur inter se: ergo relationes, seu personalitates divinæ sub expresso conceptu *ad* dicunt proprias perfectiones. Major liquet, quia omne, quod in divinis dicit rationem positivam, est aliquod ens: vel igitur est ens finitum vel infinitum; primum non dices, quia quælibet ratio positiva, quæ concipitur inesse Deo, est infinita: proinde divinæ personalitates concipiuntur ut entia infinita: sed omne infinitum dicit perfectionem: ergo personalitates divinæ sub expresso conceptu personalitatis, seu relationis & esse *ad* dicunt in propriis lineis perfectiones distinctas à perfectionibus absolutis, consequenter verbum divinum sub explicito conceptu personalitatis dicit perfectionem & formaliter perficit, ac sanctificat Christi humanitatem. Sed contra. Negatur major, & ad ejus probationem distinguitur major, omne ens est finitum vel infinitum realiter, vel formaliter conceditur; semper formaliter negatur: ad minorem respondetur relationes formaliter sumptas sub expresso conceptu *ad* non esse entia propriè sed tantùm formalitates positivæ, quæ sub expresso conceptu referendi tantum dicunt esse ad aliud præcisè & simpliciter & præscindunt à finitate, & infinitate, hæ siquidem rationes sunt extra conceptum referendi unum ad aliud; nos loquimur de personalitatibus, prout simpliciter, & præcise dicunt conceptum referendi unam personam ad aliam; & sub hac simplici formalitate dicimus Christi humanitatem non perfeci, neque sanctificari à verbo sub expresso conceptu personalitatis relativæ, & esse *ad*. Juvat observare distinctionem inter ens propriè & strictè sumptum, formalitatem & modum; quia ens ex vi proprii conceptus includit totam essentiam metaphysicam cum suis proprietatibus & existentiam; modus tantum puram essentiam coalescentem ex gradibus metaphysicis contrahibili, & contractivo; Formalitas tantum unum ex gradibus metaphysicis, & hunc tantum & simpliciter dicit in suo formali conceptu, & præscindit à quovis alio; ex qua distinctione liquet, quomodo personalitas verbi sub expresso conceptu personalitatis, ac referendi filium ad Patrem non sit ens, & tamen sit ratio positiva præscindens à finitate, vel infinitate, perfectione & imperfectione: non tamen ipsa personalitas est ita gradus metaphysicus, ut invehat compositionem, sicut ex genere & differentia coalescit compositum metaphysicum: sed est ratio positiva comprehensa in ente vel essentia. Hinc divinæ personalitates, relativæ, quamvis sub expresso conceptu referendi, prout dicunt præcisum conceptum referendi ad alium, non dicant perfectionem propriam, sunt tamen perfectæ perfectione essentiæ, cum qua realiter simpliciter identificantur.

Dices quamvis personalitas verbi sub expresso conceptu personalitatis non sit perfectio ad intra; est tamen perfectio ad extra quatenus potis est perficere Christi humanitatem; quamvis ad intra non constituat verbum bonum, sanctum & amabile; hos tamen effectus præstat ad extra Christi humanitati, quam constituit bonam & amicabiliter amabilem, sanctam, perfectam ac completam in ordine substantiali. Sed hæc responsio non satisfacit, quia ut personalitas verbi sub expresso conceptu personalitatis sanctificet, debet in se & ratione sui, seu ad intra esse perfectio & sanctitas, quia constituere Christi humanitatem sanctam est effectus formalis personalitatis, quæ per exhibitionem sui sanctificat humanitatem, perinde ac albedo per hoc quod afficiat, inhæreat parieti, illum dealbat, quæ dealbatio est effectus formalis albedinis; & si albedo non esset alba, non dealbaret, quia nemo potest alteri exhibere, quod in se non habet: ita si personalitas verbi sub expresso conceptu personalitatis non est sancta ad intra, non potest concipi, quomodo ad extra per sui exhibitionē possit Christi humanitatem sanctificare.

Præterea dato etiam quod personalitas verbi sub expresso conceptu personalitatis nec verbo nec sibi sit perfectio, neque sanctificet verbum ad intra; & quòd solum ad extra sanctificet Christi humanitatem: adhuc sequitur in data solutione, quòd dentur in Deo tres perfectiones potentes perficere ad extra, & quidem relativè oppositæ, & realiter distinctæ inter se, quod non est nimis inconveniens, quam multiplicare realiter perfectiones relativas ad intra: ergo si ne multiplicentur ad intra realiter perfectiones relativæ, negamus includere in proprio conceptu perfectionem, eò quia personæ non essent æquales, & perfectio, qui uni inesset, & alio abesset, ideo ad hoc inconveniens declinandum dicendum est personalitates ratione conceptûs explicitâ super-

superadditi ad essentiam, & attributa absoluta non esse perfectiones ad intra, neque ad extra. Quòd si dicas, has plures perfectiones ad extra esse tantùm distinctas materialiter non formaliter, in quo nullum est inconveniens. Contra est, quia cuilibet personalitati divinæ conveniret esse perfectionem ad extra ratione ultimi conceptûs, quo in se constituitur, & ab aliis personalitatibus divinis distinguitur; atqui conceptus, quo ultimo constituitur una persona, formaliter distinguitur ab ultimo conceptu constitutivo alterius, consequenter, si ratio perfectionis ad extra convenit divinis personalitatibus ratione conceptûs expliciti jam multiplicantur in personis formaliter.

Præterea si possunt ratione conceptûs expliciti perfectionem dicere ad extra, illamque non multiplicare formaliter, nil obstat, quin dicant etiam perfectionem ad intra, quamvis non multiplicent formaliter realiter perfectiones: quòd si hoc concedatur, sequitur esse concedendum divinas relationes ratione conceptus expliciti relativi esse perfectiones ad intra: siquidem præcipuum fundamentum eas negandi desumitur ab inconvenienti, quod sequeretur, si personalitates ad intra dicerent perfectionem, quia scilicet personæ non essent æquales, & uni personæ inesset perfectio, quæ alteri non inesset, seu aliqua perfectio conveniret uni personæ, quæ de aliis negaretur. Quòd si dicas relationes divinas opponi inter se relativè, proinde distingui formaliter realiter, & ideo si dicerent perfectionem ad extra non possent non multiplicare rationem perfectionis formaliter realiter, ex quo sequitur prædictum inconveniens, quo una persona negaret perfectionem, quam altera diceret; at personalitates divinæ in perficiendo ad extra humanitatem non opponuntur inter se relativè, quia omnes simul in sententia D. Thomæ possunt terminare unam numerò humanitatem, eamque sanctificare, & perficere, proinde quamvis ratio perfectionis ad extra multiplicetur realiter in divinis relationibus; non tamen multiplicetur formaliter, sed tantùm materialiter ratione subjecti, quod perficitur. Sed contra quia si hæc solutio efficax esset, possent esse perfectiones essentiæ divinæ non multiplicatæ formaliter realiter, sed tantùm materialiter, quod non admittitur. Etenim juxta datam responsionem eatenus divinæ relationes non multiplicant formaliter rationem perfectionis ad extra, quia in perficiendo ad extra non opponuntur inter se relativè, eò quia omnes simul possint perficere, ac complere eandem numero humanitatem: atqui personalitates divinæ non opponuntur relativè in terminando essentiam divinam, consequenter in ordine ad divinam essentiam perficiendam non habent inter se oppositionem: ergo tametsi divinam essentiam perficerent ratione proprii, & expliciti conceptûs, non multiplicarent formaliter, sed tantùm materialiter perfectiones ad intra.

Rursus sequeretur, rationem perfectionis ad extra, & rationem relationis saltem virtualiter distingui inter se, ex quo fieret, quòd personalitas Verbi non perficeret nec sanctificaret humanitatem conceptu relativo, sed absoluto, quod non conceditur ab adversariis, sequela ostenditur, quia ratio relationis multiplicatur formaliter in divinis personalitatibus: & ratio perfectionis ad extra non multiplicatur in illis formaliter juxta datam solutionem, consequenter ratio perfectionis ad extra, & ratio relationis saltem virtualiter distinguerentur: siquidem multiplicari realiter relationes, & non multiplicari realiter essentiam, nequit salvari absque omni distinctione, alioquin duo contradictoria verificarentur de eodem secundùm eandem prorsus rationem indistinctam, & indivisibilem: hinc oritur necessitas asserendi, multiplicari formaliter relationem, & non multiplicari formaliter rationem perfectionis ad extra, importare plura distincta, saltem formaliter ex natura rei, vel virtualiter.

Rursus si personalitas Verbi est bonitas, & perfectio ad extra, utique id habet non solum ratione conceptûs personalitatis sibi communis cum aliis; sed etiam ratione conceptûs personalitatis verbi distinctæ ab aliis personalitatibus divinis, sed hoc posito non potest non esse formaliter distincta ab aliis ratione perfectionis, proinde concedi deberent in Deo tres perfectiones ad extra saltem formaliter distinctæ inter se. Major est certa, quia eatenus est perfectio ad extra, quia potest alienam naturam terminare, & hoc illi convenit non solum ex conceptu communi personalitatis divinæ, sed etiam ex conceptu proprio, & differentiali. Siquidem de facto personalitas verbi, sub hoc speciali conceptu unitur humanitati Christi, quam terminat: ergo esse perfectionem ad extra habet personalitas verbi non solum ex conceptu personalitatis sibi cum aliis communis, sed etiam ex conceptu proprio, & differentiali. Minor etiam ostenditur, quia personare humanitatem Christi convenit personalitati verbi ex proprio conceptu, quo differt ab aliis personalitatibus, & multiplicat formaliter rationem personalitatis: alioquin non differret ab aliis: consequenter si perficere ad extra illi convenit ex conceptu differentiali, jam multiplicatur formaliter perfectio ad extra.

Rursus, quia terminare naturam divinam convenit personalitati Verbi ex ratione differentiali, multiplicat formaliter rationem termini ad intra, proinde si terminare ac perficere ad extra illi convenit ex conceptu differentiali, multiplicat formaliter rationem perfectionis ad extra; ergo eo ipso, quod dicimus personalitates divinas ratione conceptûs relativi superadditi ad prædicata absoluta importare perfectionem ad extra; adigimur concedere in Deo tres perfectiones ad extra distinctas inter se formaliter, essentialiter inæquales, quarum una ita conveniat Filio, ut Patri, nec Spiritui sancto conveniat, quod est semper illud inconveniens, ob quod docuit D. Thomas personalitates divinas sub expresso conceptu personalitatis non dicere perfectionem.

Neque illa distinctio de perfectione ad extra. & intra ullum facessit negotium, quia personalitas Verbi non potest ratione expliciti sui conceptûs superadditi ad rationem absolutam esse perfectio ad extra, quin sit etiam perfectio ad intra. Adeo ut si perfectio ad intra non sit, nec etiam talis dici possit ad extra: etenim semel quòd forma habeat in se perfectionem, non potest non constitui formaliter perfecta per illam: atqui Verbum divinum habet in se ipso propriam personalitatem, & est capax perfectionis: ergo si ratione proprii conceptûs est bonitas, & perfectio, non potest non perfici ab illa: ergo si personalitas Verbi est perfectio ad extra ratione proprii conceptûs, debet etiam esse perfectio ad intra, quia ad intra habet etiam proprium suum conceptum, qui se bonitas, & perfectio est ad extra debet etiam perfectio esse ad intra.

Præterea eatenus personalitas Verbi ex vi proprii conceptûs formalis perficit humanitatem, quia illam conjungit cum divinitate: atqui personalitas Verbi se ipsam cum divinitate substantialiter conjungit,

jungit, & quidem conjunctione sibi essentiali, ergo à fortiori se ipsam perficit, consequenter est perfectio ad intra. Quod si ex eo, quòd ratione proprii conceptus humanitatem, cui conjungitur, & quam unit cum Deitate, non perficit, jam ex vi proprii conceptûs formalis non dicit perfectionem.

Neque obstat, quod respondent aliqui cum Suarez *lib. 3. de Trinit. cap.* 10. nullam dari in divinis perfectionem simpliciter simplicem, quæ non conveniat formaliter omnibus tribus personis, non ita esse inconveniens dari perfectionem non simpliciter simplicem, qualis est perfectio relativa ita conveniens uni personæ, ut alteri non competat, quia tunc licèt una perfectio relativa possit formaliter negari de aliqua persona, non ita tamen eminenter, quia ratione divinæ essentiæ, in qua eminenter conveniunt omnes perfectiones, quidquid perfectionis inest uni personæ, inest etiam eminenter aliis, ob divinam essentiam, quæ una, & eadem est in tribus personis. Nam contra est, quia tametsi perfectiones relativæ non dicerentur perfectiones simpliciter simplices, adhuc tamen secundùm proprios conceptus formales essent tales perfectiones, quæ nullam involverent imperfectionem atqui de ratione summi perfecti est continere formaliter omnem eam perfectionem, quæ deputatur in proprio conceptu ab omni imperfectione. Ergo summa perfectio cujuslibet personæ non potest salvari cum carentia illius perfectionis, quæ tantùm conveniret alteri personæ, in qua depuraretur ab omni imperfectione. Minor ostenditur quia si Deus non includeret aliquam ex divinis perfectionibus relativis, ideo non esset summè perfectus, quia non includeret omnes perfectiones, quæ in propriis conceptibus depurantur ab omni imperfectione, ex quo liquet esse de ratione summi perfecti includere formaliter omnem illam perfectionem, quæ in proprio conceptu depuratur ab omni imperfectione: ergo sicut perfectio relativa quæ diceretur convenire soli Filio, & non Patri, esset in Filio deporata ab omni imperfectione, ita Pater non esset summè perfectus, quia non includeret formaliter hanc perfectionem convenientem soli Filio, & in quo intelligeretur depurata ab omni imperfectione.

Si dicas esse tantùm de ratione summè perfecti includere omnem perfectionem sibi debitam, non verò sibi indebitam, & perfectionem relativam filiationis non esse debitam Patri, sed tantùm Filio, ac proinde Patrem esse summè perfectum, quamvis non includat perfectionem relativam filiationis. Contra est, quia de ratione summè perfecti est includere formaliter omnem perfectionem depuratam ex vi proprii conceptûs ab omni imperfectione, adeo ut tota plenitudo perfectionum depuratarum ab omni imperfectione sit debita summo perfecto. Ergo eo ipso, quòd Pater est summè perfectus, debet Filio convenire formaliter omnis perfectio depurata ex vi proprii conceptus ab omni imperfectione: sicut ex eo, quòd Deus sit summè perfectus, est ei debita tota plenitudo perfectionum, adeo ut si aliqua perfectio deporata ab omni imperfectione non esset illi formaliter debita, non esset Deus summè perfectus. Si dicas esse diferimen de Deo, & de Patre, quia Deus utpote summè perfectus in omni genere est illi debita omnis perfectio deputata in proprio conceptu àb omni imperfectione, secus Pater, quia est tantùm summè perfectus in linea primæ personæ, ideo ut sit summè perfectus sufficit, si cludat omnes perfectiones sibi formaliter debitas intra eandem lineam primæ personæ: & Pater intra lineam primæ personæ non exigit ut sibi debitam perfectionem filiationis, consequenter potest esse summè perfectus etiam cum carentia perfectionis, quæ inest filiationi. Dupliciter potest Pater considerari primò ut Deus, & sub hac consideratione cùm sit summè perfectus in omni genere, est illi debita omnis perfectio in omni genere, quæ in proprio conceptu sit depurata ab omni imperfectione. Secundò potest considerari Pater reduplicativè ut Pater, seu in ratione primæ personæ præcisè, & hoc pacto est tantùm summè perfectus in linea primæ personæ, & sunt tantùm illi debitæ formaliter omnes illæ perfectiones, quæ pertinent ad lineam primæ personæ. Contra est, quia tametsi Pater in ratione Patris sit summè perfectus intra lineam primæ personæ nihilominus adhuc Deitas ut summè perfecta in omni genere convenit formaliter Patri, etiam ut præcisè est summè perfectus in linea primæ personæ; quia de fide est Patrem in ratione primæ personæ esse perfectum Deum, sin autem divinæ relationes importarent perfectiones relativas Deitati ut reduplicativæ in Patre non deberet ut filiatio, quæ propterea non non esset debita enti summè perfecto in omni genere. Pater in homine est quid creatum, in Deo verò est quid divinum, adeo ut prima persona sit essentialiter Pater divinus, nec possit ratio divinitatis, seu Deitatis præscindi à Patre divino alioquin non esset amplius talis Pater. Quòd si Pater non potest præscindi à Deitate, neque potest præscindi à Deo summè perfecto, consequenter est illi debita omnis perfectio, quæ in suo conceptu formali non includit imperfectionem.

Rursus si darentur in divinis tres perfectiones relativæ realiter inter se distinctæ, divinæ personæ ut superiùs diximus non possent esse æquales in perfectione, quia eo ipso, quòd inter se differrent, non possent essentialiter inter se adæquari, sed necessariò daretur in ipsis excessus, quia quæ differunt essentialiter, sunt necessariò inæqualia in perfectione, quia ubi esse tale & esse tantum sunt idem, ibi æqualitas non potest cum similitudine essentiali componi, quæ enim dissimilia sunt, nequeunt includere idem esse tale, quia in hoc præcisè consistit dissimilitudo, quòd dissimilia non conveniant in idem esse tale: unde eo ipso quod esse tale est idem ac esse tantùm, adeo ut æqualitas vel inæqualitas perfectionis sit idem, ac esse tale, vel non esse tale, impossibile est dissimilia essentialiter esse æqualia in perfectione, alioquin haberent idem esse tale, propter æqualitatem in perfectione, quæ idem est ac esse tantùm; & non haberent idem esse tale, quia supponerentur dissimilia, ergo si divinæ relationes sub explicito conceptu referendi ad alium proprias importarent perfectiones relativas, sequeretur quod personæ divinæ non possent dici æquales in perfectione: quod si dicas paternitatem, & filiationem ratione divinæ essentiæ in ipsis inclusæ esse æquales in perfectione & ratione sui non esse nisi diversæ rationis præcisivæ ab eo, quod est esse æquale, eò quia æqualitas, vel inæqualitas tantùm reperitur in habentibus quantitatem ejusdem rationis. Contra est, quia licèt paternitas, & filiatio conveniant in ratione essentiæ, adhuc tamen differunt in ratione relationis; adeo ut Pater, & Filius prout includunt essentiam & proprietates relativas, tantùm conveniant analogicè, adeo ut partim conveniant in ratione essentiæ, & partim non conveniant in ratione proprietatum relativorum, atqui convenientia analogica in ratione aliqua communi cum differentia essentiali in alia ratione sufficit ad in-

inæqualitatem, ut liquet in cathegoriis prædicamentorum, quæ tametſi conveniant analogicè in ratione entis, adhuc ſunt inæqualia, ſubſtantia enim excedit in perfectione cætera prædicamenta, quæ etiam inter ſe inæqualiter comparantur: ergo tametſi paternitas, & filiatio conveniant in ratione eſſentiæ; quia adhuc differunt in proprietatibus relativis, adhuc ſunt inæquales in perfectione, ſi perſonalitates divinæ ſecundum explicitum conceptum referendi ad alium dicunt perfectionem. Si dicas divinas relationes non eſſe inæquales in perfectione, eò quia omnis divina relatio habeat æqualiter perfectum tum fundamentum, tum terminum. Contra eſt, quia ſupponitur fundamentum divinarum relationum eſſe divinam eſſentiam, quod non conceditur, præterea quamvis divina eſſentia eſſet fundamentum divinarum relationum, adhuc divinæ perſonæ eſſent inæquales in perfectione propter convenientiam tantùm analogicam, ut paulò ſuperiùs oſtendimus. Cæterùm fundamentum divinarum relationum propriè non eſt eſſentia, ſed fundamentum paternitatis eſt generare, filiationis generari, quod ſi generare, & generari, quæ relativè dicuntur includerent perfectionem, adhuc urgeret eadem difficultas. Si dicas relationes divinas quoad conceptum formalem, quo à nobis concipiuntur ut diſtinctæ ab eſſentia, importare perfectionem, eò quia concipiantur, ut aliquod divinum, proinde etiam quoad conceptũ objectivum præciſè correſpondentem formali importare perfectiones peculiares, eò quia conceptus formales ſi veri ſint, debent correſpondere objectivis, conſequenter divinas relationes importare peculiares perfectiones relativas. Contra eſt, negatur antecedens, quia relationes divinæ ſub explicito conceptu *ad* tantùm habent referre unam perſonam ad aliam, & de ratione perfectiones eſt dicere eſſe *in*, ſeu perficere ſubjectum, cujus eſt perfectio, non enim poteſt forma concipi ut perficiens ſubjectum, quin intelligatur eſſe in ſubjecto, ergo relationes divinæ quoad explicitum conceptum formalem, quo à nobis concipiuntur ut diſtinctæ ab eſſentia, non dicunt perfectionem, conſequenter neque quoad conceptum objectivum ut præciſè correſpondentem formali: quia conceptus formalis, & objectivus præciſus ſunt æquales, proinde ſi formalis præſcindit ab eſſentia, & non dicit perfectionem, hoc idem etiam præſtabit conceptus objectivus.

Præterea ſi proprietates relativæ ex vi proprii conceptûs expliciti dicerent perfectiones, ſequeretur Patrem, & Filium eſſe perfectiores Spiritu ſancto, conſequenter tres perſonas divinas non eſſe ſummè æquales in perfectione, contra ſymbolum Athanaſii. Probatur ſequela, quia in Filio præter filiationem reperitur etiam ſpiratio activa, ut etiam in Patre, & in utroque propria relatio ſcilicet in Patre paternitas, & in Filio filiatio, & in Spiritu ſancto eſt tantum ſpiratio paſſiva, quæ ſolùm correſpondet ſpirationi activæ, ſicut filiatio paternitati: ergo in Filio præter ſpirationem activam æquivalentem ſpirationi paſſivæ in Spiritu ſancto, daretur alia perfectio filiationis, quæ non eſſet in Spiritu ſancto, & ita in Patre præter ſpirationem activam correſpondentem ſpirationi paſſivæ daretur perfectio paternitatis, quæ non eſſet in Spiritu ſancto, conſequenter Pater, & Filius eſſent perfectiores Spiritu ſancto, & divinæ perſonæ non eſſent æquales in perfectione contra ſymbolum Athanaſii. Rurſus ſi relatio divina ſub explicito conceptu *Ad*, & ut diſtincta ab eſſentia diceret perfectionem relativam, ſequeretur, quòd plus perfectionis eſſet formaliter in qualibet perſona ſeorſim, vel etiam in omnibus ſimul, quàm in divina eſſentia, ſeu Deitate; ſiquidem divinæ perſonæ præter perfectionem abſolutam dicerent perfectionem relationis, quam divina eſſentia in ſuo conceptu formali abſoluto non includeret, conſequenter perſona eſſet perfectior divina eſſentia, & hæc non eſſet ſummè perfecta, quia formaliter non includeret omnem rationem perfectionis in quovis genere.

Si dicas perſonas divinas eſſe omnino æquales in perfectione ratione divinæ eſſentiæ, in qua continentur eminenter omnes divinæ perfectiones, adeo ut perfectiones, quas dicunt proprietates relativæ, contineantur eminenter, aut virtualiter in divina eſſentia quæ cùm ſit una ac eadem in ſingulis perſonis divinis, ſequitur, quòd non obſtantibus perfectionibus importatis per proprietates relativas adhuc divinæ perſonæ ſint ſummè æquales in perfectione. Contra eſt, quia divinæ relationes non continentur eminenter in divina eſſentia quamvis ab ipſa metaphyſicè, & virtualiter fluant per modum proprietatis: ratio eſt, quia contineri eminenter, aut virtualiter in alio, perinde eſt, ac contineri in ejus virtute activa, perinde ac effectus in cauſa, & divinæ relationes hoc pacto non continentur in divina eſſentia, in qua tantùm dicuntur eminenter contineri creaturæ, quæ ad extra producuntur à Deo.

Quòd ſi dicas, relationes contineri in eſſentia non continentia effectivâ, qua effectus continetur in cauſa; ſed radicali, ac ut in radice, quatenus eſſentia divina eſt primaria radix omnium proceſſionum ad intra, & radicat ipſas relationes; & quia eadem numero eſſentia eſt in tribus perſonis, eſſe has ſummè æquales in perfectione ratione divinæ eſſentiæ, tametſi earundem proprietates relativæ dicant peculiares perfectiones. Contra eſt, quia inde ſequitur tantùm quòd divinæ perſonæ ſint ſummè æquales in perfectione radicaliter, non verò formaliter, ideo enim dicuntur ſummè æquales in perfectione, quia omnes includuntur in eadem numerò eſſentia, quæ tantùm radicaliter dicitur perfectiones relativas includere: ergo ſi divinæ perſonæ ſunt tantùm ſummè æquales, quia includunt eandem numero eſſentiam, ſequitur, quòd non ſint ſummè æquales in perfectione formaliter, ſed tantùm radicaliter, quod dici nequit: ſiquidem perfectio formalis utpote magis actualis eſt major perfectio, quàm radicalis, quia quò proximiùs aliquid accedit ad actum, eò eſt perfectiùs, & cùm divinæ perſonæ ſint ſummè æquales in perfectione, ac ſint perfectiſſimæ, debent non ſolùm in perfectione radicali, ſed etiam in perfectione formali eſſe ſummè æquales, alioquin non eſſent perfectiſſimæ in propriis locis, neque includerent eam majorem perfectionem, quæ poſſet excogitari, quia perfectio in actu proximiùs accedit ad actum purum, quàm in radice, & veluti cauſa, propterea eſt magis perfecta in actu, quàm in radice, vel cauſa. Deus enim quia perfectiſſimus eſt actus purus, & quo proximius aliquod accedit ad Deum, eò eſt perfectius, quia plus participat perfectionis.

Suadetur ulterius, perſonalitatem Verbi ſub explicito conceptu perſonalitatis non dicere perfectionem neque ſanctificare Chriſti humanitatem: quia perſonalitas Verbi non ſanctificat Verbum ratione proprii conceptus ſuperadditi eſſentiæ, & aliis prædicatis abſolutis: ergo neque ſanctificat ratione proprii conceptûs Chriſti humanitatem, quia perſo-

nalitas

nalitas non potest communicata humanitati illi præstare, quod non præstat Verbo cui identificatur; proinde si non sanctificat Verbum, neque poterit humanitatem Christi sanctificare. Forma enim quò intimiùs inest subjecto, eò efficaciùs illi communicat suum effectum formalem; & forma identificata subjecto intimiùs illi inest, quàm non identificata: unde si personalitas Verbi identificata cum Verbo illi non præstat suum effectum formalem sanctitatis, quatenus non sanctificat Verbum; neque humanitati Christi præstabit hunc effectum formalem sanctitatis, cùm non identificetur cum humanitate, quam solùm terminat. Antecedens ostenditur: quia personaliras non est Verbo prima radix videndi, & amandi Deum. Atqui forma sanctificans non est quæcunque perfectio, sed prima, & originalis, in qua primò radicantur omnes proprietates divinæ, & facultates proximè operativæ, præsertim videndi, & amandi Deum; hæ siquidem proprietates radicantur in divina natura, quæ est principium motus, & operationum: ergo personalitas Verbi non est forma sanctificans, neque sanctificat formaliter ex vi proprii conceptus ipsum verbum, neque à fortiori ipsam Christi humanitatem, quam solùm terminat, & cui non identificatur.

Dices, personalitatem Verbi non sanctificare Verbum, cui identificatur, eo quia illud supponit jam formaliter sanctificatum, & quia non est capax ulterioris sanctitatis, cùm sanctitas Verbi sit infinita; ideo personalitas quamvis sit forma sanctificans, non tamen ob incapacitatem Verbi illud sanctificat: secus humanitatis Christi, quia non supponitur à personalitate Verbi sancta, & est capax sanctitatis, de facto sanctificatur à personalitate Verbi. Forma igitur subjecto unita non præstat illi suum effectum formalem quando subjectum non est capax talis effectûs formalis. Quo pacto filiatio, licèt duo in divinis præstet, scilicet referre filium ad Patrem, & terminare divinam essentiam, non tamen hanc refert, nec constituit relatam, sed tantum terminatam filiatione; eò quia divina essentia sit tantùm capax terminationis, non verò ut referatur, cùm sit absoluta non relativa. Verbum igitur quia relatione divinæ naturæ cui identificatur, est infinitè sanctum, non est capax ulterioris sanctitatis; consequenter non potest constitui sanctum per personalitatem, quamvis sit forma sanctificans. Secus quia Christi humanitas est capax sanctitatis, verbi personalitas illi communicat suum effectum formalem, ac constituit sanctam. Sed contra, quia in sententia asserentium, personalitatem verbi sub explicito conceptu personalitatis importare perfectionem, personalitas perficit Deum, quamvis sit infinitè perfectus ratione divinæ naturæ, & eminenter ac virtualiter contineat perfectionem relationis. Semel enim quod personalitas verbi ex vi proprii conceptûs expliciti dicit perfectionem & sanctitatem relativam Deum perficit, quamvis relatione divinæ naturæ sit infinitè sanctus, quia Deus utpote infinitè perfectus in omni genere perfectionis non solùm includit perfectiones omnes absolutas, sed etiam relativas: unde infinitudo perfectionis non impedit, quin personalitas Verbi debeat verbum perficere, ac illi communicare suum effectum formalem perfectionis & sanctitatis. Rursus quamvis Deus sit infinitus entitativè ratione divinæ essentiæ, & dicat velut eminenter continere entitates relativas: quia tamen personalitates divinæ sunt positivæ, & addunt rationem positivam ad essentiam, sequitur quod Deum constituant in novo esse positivo: ergo si hæc ratio positiva personalitatis verbi est perfectio, addit etiam ad essentiam divinam ipsam perfectionem, & sanctitatem, sicut addit rationem positivam: ita quamvis Deus à divina essentia sit sanctus infinitè, adhuc si personalitas verbi addit sanctitatem & perfectionem ad essentiam, sicut addit rationem positivam sequitur, quòd debeat ab hac perfici, & sanctificari. Præterea si concedatur, quod personalitas verbi ex proprio conceptu explicito dicat perfectionem sicut dicit rationem positivam, & hanc superadditam divinæ essentiæ jam perfectio seu sanctitas personalitatis verbi erit diversæ rationis à sanctitate essentiæ, quia hæc est absoluta, & illa relativa, ergo quamvis Deus sit infinitè sanctus à sua divina essentia, adhuc ratione personalitatis verbi sanctificabitur formaliter saltem in linea relativa.

Si dicas, Deum non sanctificari per personalitatem verbi, quamvis hæc dicat ex vi proprii conceptûs expliciti perfectionem, eo quia sanctitas non sit quæcunque perfectio, sed prima & fontalis radix divinarum perfectionum, & in qua originativè radicantur omnes Dei perfectiones; & personalitas verbi non est hæc prima radix divinarum personarum respectu verbi, eo quia præsupponit in ipso naturam formaliter, vel virtualiter distinctam sub conceptu naturæ, & in qua primò radicantur omnes divinæ perfectiones; & hæc ratio est, cur personalitas Verbi, quamvis ratione proprii conceptus expliciti dicat perfectionem, & sanctitatem, non tamen verbum divinum perficiat, & sanctificet, eo quia non est in ipso prima radix divinarum perfectionum: secus quia respectu humanitatis Christi est prima forma perficiens & sanctificans, quæ non præsupponit aliam præcedentem perfectionem ideo Christi humanitatem sanctificat formaliter, quamvis verbum divinum non sanctificet. Sed contra, quia divina natura sub conceptu naturæ potest sanctificari, cum de facto Deum sanctificet, quamvis primario non uniatur humanitati, sed supponat personalitatem Verbi unitam humanitati, ac illam sanctificare, & tamen adversarii asserunt humanitatem Christi sanctificari simul à personalitate verbi, & à natura divina, prout inter se distinguuntur virtualiter, vel formaliter, unde si personalitas ut à natura distincta virtualiter, & primo unita humanitati eam sanctificat, ut asserunt adversarii, sequitur quòd etiam Deum sanctificet, quamvis non prima sed præsupposita natura ei conveniat, est enim utrinque par ratio. Præterea perfectionem aliquam esse primam sufficienter ut sanctificet, duo dicit negationem prioris perfectionis, & sanctitatis in subjecto & radicare cæteras perfectiones: atqui licet personalitas verbi ut unita humanitati dicat negationem prioris perfectionis, non tamen dicit esse radicem aliarum perfectionum, consequenter non est prima perfectio modo sufficienti ad sanctificandum formaliter. Major liquet, & conceditur ab adversariis. Minor ostenditur, quia perfectio quæ supponit aliam perfectionem, non radicat alias perfectiones, consequenter non potest, cum primo comunicatur, radicare originativè tales perfectiones quapropter si posset ad extra comunicari divina bonitas non communicata natura divina, non posset bonitas esse prima radix divinarum perfectionum: ergo quia personalitas verbi oon est radix aliarum divinarum perfectionum in Deo, sed eas supponit radicatas in divina natura non est forma sanctificans proinde non potest, neque Christi humanitatem sacificare, quamvis dicatur primariò convenire.

Quòd

Quòd si dicas, id verum esse de radicatione physica, non verò de morali divinarum perfectionum; & quia personalitas verbi radicat moraliter in Christi humanitate alias divinas perfectiones, unde sufficit, ut dicatur formaliter sanctificare humanitatem Christi. Contra est, quia personalitas Verbi nec physicè nec moraliter radicat divinas perfectiones in verbo, quia illas ratione naturæ supponit in verbo & Deo: & cum in Deo non radicet has perfectiones proximè physicè, ideo nec in humanitate eas radicat: quamvis enim intelligatur personalitas verbi primò & immediatè esse forma terminans primò Christi humanitatem, non tamen est prima radix perfectionum, nec physicè, nec moraliter, nec potest formaliter Christi humanitatem sanctificare. Præterea vel personalitati verbi ut à natura distinctæ, & ex vi proprii conceptus expliciti, & prout ab aliis attributis distinguitur, convenit sanctitas, vel ex conceptu entitatis divinæ transcendentis formali transcendentia omnes Dei perfectiones: sed neutro modo competit personalitati verbi ratio sanctitatis formalis: ergo personalitas ex vi proprii conceptûs expliciti superadditi divinæ essentiæ non est sanctitas, consequenter non potest effectum formalem sanctitatis præstare objecto: etenim personalitati verbi ut distinctæ à natura divina non convenire sanctitatem ex eo evincitur, quia non est major ratio, cur hæc sanctitas formalis, & Deum sanctificare personalitati verbi conveniat, & non aliis Dei perfectionibus & attributis, tam enim personalitates in Deo radicantur in divina natura, quam reliquæ perfectiones absolutæ: ergo si personalitas est formaliter sanctitas, id non habet ex conceptu sibi proprio, & peculiari, sed etiam ex ratione ipsi cum aliis communi. Quòd nec etiam sanctitas competat personalitati verbi ratione entitatis divinæ transcendentis formali transcendentia omnes Dei perfectiones, ex eo itidem ostenditur, quia sicut ratio positiva multiplicatur realiter in relationibus & in attributis absolutis tantum virtualiter, vel formaliter, ita etiam ratio sanctitatis multiplicaretur realiter in relationibus; & in attributis tantum virtualiter: hinc sequeretur, quod intellectus ut distinctus à voluntate esset sanctitas, ut etiam voluntas, & alia attributa absoluta, quod est falsum, alioquin humanitas Christi esset formaliter sancta, non solum à personalitate verbi, & à natura divina, sed etiam ab intellectu, & voluntate, & in aliis attributis, quod adversarii non concedunt asserentes solam personalitatem verbi sanctificare formaliter Christi humanitatem. Tum quia si voluntas Dei ratione proprii conceptûs expliciti, & prout distinguitur à natura divina, esset sanctitas increata, jam participatio formalis voluntatis divinæ esset sanctitas participata, sicut quia natura divina ut à voluntate distincta est sanctitas per essentiam, ita formalis participatio naturæ divinæ, seu gratiæ habitualis est sanctitas per participationem, atqui charitas, quæ est formalis participatio voluntatis divinæ, non est formaliter sanctitas participata, ut docet Div. Thomas 1. 2. *quæst.* 113. *art.* 2. ergo voluntas divina, ut à natura distincta formaliter, vel virtualiter non est sanctitas per essentiam formaliter. Si dicas, rationem sanctitatis per essentiam consistere in conceptu radicis divinarum perfectionom, & in conceptu complentis, ac integrantis radicem talium perfectionum: atqui voluntas divina complet radicem increatam divinarum perfectionum, ergo est sanctitas increata: charitas verò quia non participat formaliter voluntatem divinam sub conceptu complentis radicem increatam divinarum perfectionum, ideo non est sanctitas; bene tamen gratia habitualis, quia hæc formaliter participat naturam divinam sub conceptu radicis perfectionum divinarum, & hæc est ratio, cur gratia habitualis sit formaliter sanctitas participata non ita charitas. Contra est, quia non ideo gratia habitualis est formalis participatio naturæ divinæ sub conceptu radicis attributorum, quia ipsa est radix attributorum DEI; sed quia est radix luminis gloriæ, & charitatis, quæ sunt formales participationes divinorum attributorum, intellectus scilicet, & voluntatis divinæ, atqui charitas complet gratiam, quæ est participatio formalis naturæ divinæ sub conceptu radicis, proinde participat voluntatem divinam sub conceptu complementi radicis increatæ proinde est formalis participatio voluntatis divinæ sub conceptu sanctitatis, ex quo sequitur esse itidem sanctitatem participatam, quod non concedunt adversarii, & propterea negánt consequentiam asserentes charitatem non complere gratiam habitualem ut radicem luminis gloriæ, & aliarum perfectionum, ut aliquid gratiæ essentiale, seu tanquam de essentia illius, eo quia realiter volunt distingui à gratia: secus voluntas divina integrat, ut ipsi volunt, & complet naturam Dei ut prædicatum eidem essentiale, & cum illo identificatum, ex quo inferunt charitatem nobis communicatam non esse formalem participationem voluntatis divinæ, ut complentis Dei naturam, prout est increata attributorum radix, sub qua ratione obtinet conceptum sanctitatis per essentiam, ac proinde inferunt charitatem non obtinere rationem sanctitatis participatæ. Sed contra, quia nec gratia habitualis radicat lumen gloriæ & charitatem, & alia attributa Dei formaliter per identitatem sicut divina natura voluntatem, & cætera attributa radicat, & nihilominus gratia habitualis est formalis participatio divinæ naturæ ut radicis attributorum, & sub conceptu sanctitatis: ergo quamvis charitas non compleat gratiam tanquam prædicatum essentiale illius, nec cum illo identificetur, adhuc erit formalis participatio voluntatis divinæ, ut complentis, & integrantis radicem increatam divinorum attributorum, & ut est increata sanctitas, proinde si voluntas divina esset sanctitas increata prout virtualiter, vel formaliter distinguitur à divina natura, etiam charitas esset sanctitas participata.

Objicies personalitas verbi quatenus terminat ratione sui Christi humanitatē, est donum Dei, & gratia impertita Christi humanitati, sed gratia constituit subjectum gratum, quod ab ipsa gratia denominatur gratum consequenter etiam sanctum, ergo personalitas verbi ut terminativè complens Christi humanitatem illam constituit Deo gratam & sanctam. Sed contra, quia personalitas ratione proprii conceptus expliciti non constituit humanitatem gratam gratitudine amicabili, sed gratitudine non amicabili, & ut subjectum constituatur formaliter sanctum, non sufficit, si sit gratitudine non amicabili, sed ulterius requiritur, ut sit gratum gratitudine amicabili, non enim sanctitas est, quæ constituit subjectum quomodocunque gratum, sed est forma constituens gratum subjectum gratitudine amicabili, quod non præstat personalitas verbi ratione conceptus expliciti superadditi ad essentiam, & prædicata absoluta, consequenter ratione talis conceptus personalitas Verbi non sanctificat formaliter Christi humanitatem: etenim etiam habitus fidei supernaturalis est gratia, & donum Dei, quod propterea constituit subjectum gratum, cui communicatur, & tamen eum non constituit formaliter sanctum,

ctum, quia non constituit subjectum gratum gratitudine amicabili, sed non amicabili, hinc est, quòd cum habitu fidei cohæreat peccatum lethale, non ita cum gratia sanctificante, quia hæc constituit subjectum gratum gratitudine amicabili, seu qua subjectum amore amicitiæ fertur in Deum, cui adhæret. Sed dicea personalitas Verbi ex vi proprii conceptûs, & ut unita humanitati Christi est major gratia, quàm ipsa habitualis gratia, ergo si hæc constituit subjectum gratum gratitudine amicabili, à fortiori personalitas Verbi constituet Christi humanitatem DEO gratam gratitudine amicabili, consequenter constituet eam sanctam formaliter. Firmari ex eo potest, gratià habitualis, quia accidentaliter deificat, præstat amicabilem gratitudinem, sed personalitas Verbi ratione sui. & ut à natura divina distinguitur, deificat humanitatem substantialiter, quia includit conceptum entis divini communem omnibus divinis perfectionibus, & formalibus per transcendentiam rationis, ergo constituit illam gratam gratitudine amicabili: quia si gratia habitualis ex conceptu Deificantis præstat formaliter effectum sanctitatis, à fortiori forma perfectiùs Deificans, qualis est personalitas Verbi, hunc effectum præstabit. Tum quia gratia habitualis eatenus sanctificat formaliter animam, quia illam conjungit cum Deo, atqui etiam personalitas Verbi ratione sui, & prout ab essentia distincta conjungit humanitatem substantialiter cum Deo, & arctiùs constituit quid unum cum Deo, quàm gratia habitualis, cujus conjunctio cum Deo est tantùm accidentalis, & conjunctio personalitatis est substantialis. Sed contra quia ex eo, quòd personalitas ut unita humanitati sit major gratia, quàm gratia habitualis, inde non sequitur, quòd si hæc sanctificat, debeat etiam personalitas unita humanitati eam sanctificare, nam in sententia plurium visio beatifica est majus donum, quàm gratia habitualis, & tamen in plurium sententia visio non sanctificat, bene tamen gratia habitualis quamvis sit minus donum. Rursus unio divinæ essentiæ per modum speciei in intellectu beati est major gratia, & majus donum, quam gratia habitualis, cùm illa sit substantialis, hæc accidentalis, & tamen hæc sanctificat, non illa, non enim Deus ut unitus per modum speciei, dicitur beatificare animas beatorum formaliter, sed tantùm entitativè, & materialiter. Rursus modus unionis substantialis creatus, quo humanitas Christi Verbo divino unitur, est perfectior, & major gratia, quam gratia habitualis, & tamen modus hujus unionis quamvis substantialis, non sanctificat formaliter humanitatem, ut superiùs fusiùs evicimus, & tamen gratia habitualis, quamvis sit accidens, sanctificat subjectum. Ratio est, quia illa tantùm forma habet constituere subjectum gratum gratitudine amicabili, quæ terminat amorem divinum, ac præstat vim radicalem ad redamandum Deum, adeo ut ratione illius subjectum diligatur à Deo in ordine ad vitam æternam, & hoc redamet Deum amore supernaturali, eique totaliter adhæret, & quia hoc præstat donum gratiæ habitualis, eò quia sit participatio naturæ divinæ in ordine supernaturali, & non alia dona quamvis supernaturalia, eò quia non sint participationes naturæ divinæ, sequitur, quòd sola gratia habitualis præstet effectum formalem sanctitatis, & sanctificet subjectum & non alia dona supernaturalia, quamvis majora: hinc ad confirmationem negatur consequentia, quia non quælibet Deificatio constituit subjectum gratum gratitudine amicabili, sed illa tantùm, quæ est naturæ ut naturæ, hæc enim est sanctitas formalis, gratia enim habitualis ratione sui Deificat animam Deificatione per modum naturæ, quamvis participatæ: secus personalitas Verbi Deificat Christi humanitatem non ratione naturæ divinæ ut naturæ, sed ratione sui, & ex vi proprii conceptus expliciti ut distincti à conceptu naturæ divinæ, proinde non Deificat humanitatem Deificatione naturæ, sed Deificatione communi omnibus divinis attributis, ex quo fit, quòd gratia habitualis sanctificet formaliter animam, quam constituit gratam gratitudine amicabili, ac illi præstet suum effectum formalem sanctitatis: & personalitas Verbi, quamvis perfectiùs Deificet humanitatem, illi tamen non præstet effectum formalem sanctitatis, nec constituat Christi humanitatem sanctam. Ad aliud quod addebatur de gratia habituali uniente creaturam cum Deo accidentaliter, respondetur gratiam habitualem non ideo sanctificare, quia simpliciter unit cum Deo, quia etiam alia dona supernaturalia uniunt creaturam cum Deo, quam tamen formaliter non sanctificant, eò quia non sint formæ primò radicantes reliqua dona supernaturalis, sed se habent consecutivè ad talem radicem, à qua hæc dona intelliguntur metaphysicè fluere: gratia verò habitualis, quia est participatio hujus formæ radicantis omnia. alia dona supernaturalia, præstat effectum formalem sanctitatis, & sanctificat subjectum cui inhæret: quamobrem ideo gratia habitualis sanctificat, quia non solùm conjungit cum Deo, sed ulteriùs constituit quid unum cum ipso per assimulationem in conceptu naturæ: reliqua enim dona conjungunt quidem cum Deo, sed ex ratione communi conjunctionis, & unitatis cum Deo, quo pacto personalitas Verbi ratione sui conjungit substantialiter cum Deo, & facit quid unum cum ipso communi conjunctione transcendente per reliqua prædicata divina, non verò per assimulationem in conceptu naturæ; hinc personalitas Verbi ex vi proprii conceptus expliciti non sanctificat Christi humanitatem quamvis sit majus donum supernaturale, quam ipsa gratia habitualis.

Potest ulteriùs objici contra assertionem, quia per id Christi humanitas formaliter sanctificatur, cui immediatiùs unitur; sed humanitas Christi immediatius unitur subsistentiæ Verbi, seu personalitati secundùm proprium conceptum explicatum superadditum divinæ essentiæ, & aliis prædicatis absolutis, quam uniatur naturæ divinæ ut virtualiter, vel formaliter distinctæ à personalitate, quia humanitas Christi immediatè unitur personalitati, & hac mediante naturæ divinæ: ergo Christi humanitas sanctificatur formaliter per subsistentiam, seu personalitatem Verbi secundùm conceptum proprium explicitum, per quem distinguitur à natura. Major evincitur, quia ratione illius, cui immediatiùs unitur, terminat humanitas amorem hypostaticum, qui est longè major amore adoptivo proinde ratione illius fit objectum congruum divinæ dilectioni simpliciter: ergo ratione illius, cui immediatiùs unitur humanitas constituitur sancta formaliter. Sed contra negatur humanitatem Christi per id formaliter sanctificari, cui immediatiùs unitur, quia etiam animæ unitur gratia habitualis, & modus unionis est illi immediatior, quàm ipsa gratia, quia unio mediat inter animam, & gratiam; & est ratio, qua gratia unitur animæ, & nihilominus anima non sanctificatur per modum unionis, sed per gratiam: est enim gratia habitualis, quæ formaliter animam sanctificat: rursus liquet in modo unionis hypostaticæ distincto ab extremis, cur immediatiùs unitur huma-

humanitas quam ipsi personalitati Verbi, & tamen ab illo non sanctificatur formaliter ut fusiùs in præcedentibus ostendimus: unde illa major tantùm est vera, quando id, cui immediatiùs subjectum unitur est forma sanctificans: quia verò personalitas Verbi sub explicito, & expresso conceptu illius, quod addit ad divinam essentiam reliqua divina prædicata absoluta, non est formalis sanctitas, ideo per illam sub illo conceptu proprio explicito non sanctificatur Christi humanitas, quamvis hæc illi immediatiùs uniatur. Hinc ad probationem majoris distinguitur antecedens ratione illius, cui immediatiùs unitur Christi humanitas, terminat amorem hypostaticum ultimatè, & completè negatur: non ultimatè conceditur, & negatur consequentia. Etenim etiam in modo unionis, ratione cujus humanitas Christi amorem hypostaticum terminat, patet instantia, quia enim unio hæc non est terminus ultimus prædicti amoris, sed ulteriùs tendit ad personalitatem, & divinitatem Verbi, ideo non unio, sed personalitas, ac divinitas Verbi est, quæ humanitatem Christi constituit objectum amoris hypostatici. Pari pacto quia amor hypostaticus non sistit in personalitate Verbi, sed ulteriùs transit ad communicandam divinam naturam, hæc ultimo terminat prædictum amorem hypostaticum, proinde non personalitas Verbi, sed ejus divinitas sanctificat humanitatem Christi formaliter.

Dices si per impossibile uniretur humanitati Christi sola personalitas Verbi, & non divina natura, in hac hypothesi sola personalitas sanctificaret Christi humanitatem, & non natura seu Deitas, quæ non supponitur unita, forma enim nequit suum effectum formalem præstare illi subjecto cui non unitur; qui per sui exhibitionem dat suum effectum formalem, & non se exhibet subjecto si eidem non uniatur: ergo cum in data hypothesi non divina natura, neque Deitas Christi humanitatem sanctificaret; sequitur de facto Christi humanitatem non sanctificari à divina natura, sed à sola Verbi personalitate. Antecedens probatur quia in data hypothesi Christus ut homo esset sanctus, siquidem per Verbi personalitatem Christus constitueretur filius Dei naturalis & filiatio Dei naturalis non stat sine sanctitate; ergo Christus esset sanctus per solam Verbi personalitatem, consequenter Christi humanitas sanctificatur per solam personalitatem Verbi, quia hæc sola potest effectum formalem sanctitatis præstare, & quidem ut formaliter, vel virtualiter distincta à natura divina: siquidem communicata sola personalitate si per impossibile non communicaretur natura, adhuc communicaretur humanitati Christi divina filiatio, seu subsistentia Verbi, quæ est essentialiter filiatio divina, quæ in data hypothesi constitueret Christum in hominem filium Dei naturalem, proinde sanctum. Sed contra negatur antecedens quia in data hypothesi impossibili non communicaretur humanitati Christi divina filiatio reduplicativè, & formaliter sub conceptu filiationis; sed tantùm specificativè, & materialiter: hæc autem personalitas specificativè, ac materialiter sumpta non constitueret Christum ut hominem filium Dei naturalem, quia ad id requiritur communicatio filiationis divinæ reduplicativè, & formaliter sumptæ seu ut formaliter, & reduplicativè est filiatio; seu ut est in exercitio actuali terminandi naturam divinam. Dei filiatio dupliciter considerari potest formaliter, seu reduplicativè, ut exercet rationem filiationis formaliter, & tunc concipitur in exercitio terminandi naturam divinam exigentem terminari triplici personalitate, seu paternitate, filiatione, & spiratione passiva: & specificativè seu materialiter, quatenus non exercet rationem filiationis, nec concipitur in exercitio terminandi naturam divinam, & in data hypothesi hoc secundo modo personalitas uniretur Christo ut homini, quem propterea non constitueret filium Dei naturalem, neque sanctum. Quia ut Christus quatenus homo constituatur filius Dei naturalis, necesse est, ut ipsi communicetur personalitas Verbi, ut filiatio est reduplicativè & formaliter, & ut exercens rationem filiationis; & in data hypothesi personalitas Verbi non communicaretur Christo ut homini, quatenus exercet rationem filiationis quia non uniretur humanitati, ut est in exercitio terminandi naturam divinam; proinde non constitueret Christum ut hominem filium Dei naturalem; neque in data hypothesi impossibili esset essentiale personalitati Verbi constituere actu filium Dei naturalem; periode ac in eadem hypothesi non esset illi essentiale terminare naturam divinam actu, quia ab ipsa supponeretur separata, & illam non terminare.

Instabis propteras personalis Spiritûs sancti sanctificat ratione sui, & ut virtualiter, vel formaliter distinguit, à divina natura Spiritum sanctum: ergo & personalitas Verbi ratione cui est sanctitas, & sanctificat formaliter Verbum: est enim utrinque par ratio. Antecedens probatur: quia tertia persona Trinitatis ex vi suæ processionis est Spiritus sanctus, ergo ex vi suæ processionis est sancta, & quidem non ratione naturæ, quia hanc non accipit formaliter ex vi suæ processionis, alioquin esset Filius, & genitus, & ejus processio foret formaliter generatio, ideo enim secunda in divinis est Filius, qui ex vi suæ processionis formalis accipit naturam divinam sibi à Patre communicatam, unde Spiritus sanctus procedetet ut Filius, quod non est dicendum, consequenter tertia persona est sancta ratione proprietatis personalis ut distinctæ ab essentia: ergo si personalitas Spiritûs sancti sanctificat tertiam personam: etiam personalitas Verbi sanctificat secundam personam. Sed contra, quia quando dicitur Spiritus sanctus ut appropriatur tertiæ personæ sanctissimæ Trinitatis, non sumitur Spiritus sanctus pro termino complexo, adeo ut sanctitas sit ratio distincta à Spiritu, & ex duabus vocibus fiat terminus complexus: sed est terminus incomplexus, qui sumitur per modum unius dictionis, quo pacto non significat sanctitatem, sed impulsum procedentem per actum voluntatis, ut docet D. Thomas 1 *part. quæst.* 36. *art.* 1. Quamobrem ex eo, quòd tertia persona ex vi suæ processionis sit Spiritus sanctus non sequitur hanc tertiam personam esse formaliter sanctam ex vi processionis, consequenter non sequitur sanctificari formaliter per propriam personalitatem ut distinctam virtualiter, vel formaliter à natura divina.

Objicies ulteriùs contra assertionem: personalitas Verbi ex vi proprii conceptûs est perfecta, proinde importat perfectionem, qua perficit, & sanctificat Christi humanitatem: adeo ut personalitas Verbi intelligatur unita Christi humanitati, quin eidem præstet suum effectum formalem ac eam formaliter sanctificet. Antecedens ostenditur, quia perfectio ex vi sui formalis conceptûs dicit meram rei integritatem, & præscindit ab esse relativo, & absoluto, siquidem etiam relativum habet suam integritatem quoad sua prædicata essentialia relativa, eisque suis numeris absolutum, seu perfectum: unde generatim illud est perfectum, cui nil deest ex illis,

quæ conveniunt suæ naturæ: atqui filiationi divinæ ut distinctæ ab essentia non deest quidquam intra propriam lineam filiationis, ergo filiatio, seu personalitas quamvis relativa est perfecta, & in suo conceptu includit perfectionem, quam communicat Christi humanitati. Firmatur, quia vel personalitati Filii ut distinctæ ab essentia debetur aliqua perfectio vel non? si dicatur hoc secundum, sequitur maximè esse imperfectam, quia tametsi imperfectio sit carentia perfectionis debitæ, adhuc est summa imperfectio aliquid esse tale, cui nulla perfectio debeatur: unde filiatio vel ex eo esset summè imperfecta, quia illi non deberetur ulla perfectio. Quod si asseratur primum, scilicet illi deberi aliquam perfectionem, ergo vel illam habet ut distinctam ab essentia, vel non, si dicatur primum, ergo est perfecta ratione sui, & importat perfectionem, quam communicat Christi humanitati: si dicatur secundum sequitur esse imperfectam, quia caret perfectione sibi debita. Sed contra negatur major, & ad ejus probationem, in qua dicebatur perfectum communiter definiri id, cui nihil deest in proprio genere, est distinguendum, cui nihil deest in proprio genere importante perfectionem concedo, cui nihil deest simpliciter, & in quocunque genere negatur, quando enim perfectum definitur id, cui nihil deest in proprio genere, debet necessario ita intelligi, ut nihil ipsi desit secundum modum suæ perfectionis, adeo ut sensus sit, quod perfectum includat omnem perfectionem sibi debitam: alioquin si definitio perfecti non sumeretur hoc pacto, inde sequeretur peccatum secundum proprium conceptum peccati fore perfectum, & peccati malitiam esse perfectionem: siquidem in ratione malitiæ nihil ei deest ex his, quæ ad suum genus desiderantur. Quod si dicas peccatum in ratione peccati esse perfectum, eò quia sit omnibus suis numeris absolutum, & nihil ipsi desit ex iis, quæ requiruntur ad rationem peccati, respondetur, hunc modum loquendi esse valdè improprium, & contra Aristotelem docentem vitium, seu peccatum nonnisi impropriè, & metaphoricè dici perfectum: quinimò inde sequeretur aliquam perfectionem non causari effectivè, & finaliter à Deo, cùm Deus non causat peccatum ut peccatum reduplicativè. Quamobrem licèt divinis relationibus, seu personalitatibus sub explicito conceptu *ad*, nihil desit ex iis, quæ possunt iisdem convenire non tamen inde sequitur esse formaliter perfectas, ac dicere perfectionem sub explicito conceptu referendi: sed ex eo, quòd illis nihil desit ex iis, quæ iisdem conveniunt, tantùm inferri potest non esse imperfectas. Contra secundò, quia si concederemus perfectum generatim esse omne id, cui nihil deest in proprio genere, non tamen inde sequeretur personalitatem Verbi sub explicito conceptu personalitatis dicere perfectionem, quia integritas importat rem esse suis numeris completam, & absolutam, & res quælibet est semper completa in ordine ad se, non in ordine ad aliud, unde personalitas Filii esset completa quoad se, & in se, non verò formaliter sub explicito conceptu referendi ad Patrem. Ad id quod addebatur, quòd si personalitati divinæ ut distinctæ ab essentia non deberetur aliqua perfectio, esset maximè imperfecta, respondetur, personalitatem sub explicito conceptu relativo & referendi unam personam ad aliam sub hoc præciso conceptu *ad* non esse aptam ut sit perfecta, vel imperfecta, neque est maximè imperfectio hujusmodi negatio omnis perfectionis, & imperfectionis, quia enim tantùm negatio est imperfectio, quæ est negatio perfectionis debitæ. Vel potest etiam distingui illud est maximè imperfectum, cui nulla est debita perfectio nec implicitè, nec absolutè, nec reduplicativè transeat: si licèt reduplicativè & explicitè non sit illi debita perfectio, & illi debeatur absolutè implicitè, & identicè negatur: divinæ igitur personalitates quamvis sub explicito conceptu referendi unam personam ad aliam non dicant explicitè perfectionem, illam tamen includunt implicitè, quatenus identificantur cum divina essentia, quæ est summa perfectio. Si dicas Filium ut Filium esse summè perfectum, proinde esse talem à filiatione in ratione filiationis, consequenter filiationem esse perfectam propria perfectione relativa. Contra est, negatur consequentia, in qua fit transitus de concreto ad abstractum: etenus filius in concreto est summè perfectus, quia præter filiationem includit etiam divinam essentiam, quæ est summè perfecta, & ratione cujus filius in concreto est etiam summè perfectus: sed filiatio in abstracto non dicit explicitè essentiam, sed simplicem ordinem ad Patrem, ac præcisè dicit esse *ad*, in quo conceptu non dicit perfectionem: unde potest distingui antecedens Filius est perfectus perfectione absoluta essentiæ, conceditur antecedens, perfectione relativa, negatur antecedens, & consequentia: vel potest subdistingui secundum membrum distinctionis Filius est perfectus perfectione relativa negativè quatenus non est imperfectus per eandem perfectionem relativam, eò quia relatio non dicat in suo conceptu imperfectionem, concedo antecedens: est perfectus perfectione relativa positivè, negatur antecedens, & consequentia. Sed urgebis perfectio sequitur entitatem seu rationem positivam: sed filiatio est ratio positiva distincta à ratione positiva essentiæ, consequenter est perfectio positiva, & non negativa tantùm. Sed contra distinguitur major, quidquid sit, an filiatio dicat rationem positivam, nec ne: perfectio sequitur rationem positivam, ut in actu existentiæ, vel in ordine ad illam, conceditur: sine actu existentiæ, & ordine ad illam, negatur major, & sub eadem distinctione minoris negatur consequentia, quia perfectio non sequitur ad rationem positivam utcunque, sed ut actu existentem, vel dicentem ordinem ad existentiam: & filiatio sub explicito conceptu referendi ad Patrem non dicit existentiam, nec ordinem ad illam, consequenter licèt dicat rationem positivam, non tamen inde sequitur esse perfectam, & ad talem rationem positivam sequi perfectionem. Dices Deum esse trinum esse maximam & summam perfectionem, atqui Deus est trinus per relationes divinas ut distinctas ab essentia, ergo relationes divinæ, seu personalitates ut distinctæ ab essentia dicunt proprias perfectiones, quibus denominant Deum trinum summè perfectum, siquidem forma denominans subjectum perfectum debet esse perfecta, & importare perfectionem, non enim denominatio potest excedere formam, à qua habetur denominatio, ergo si Deus ut trinus est summè perfectus, sequitur personalitates divinas & distinctas ab essentia, & sub explicito conceptu referendi dicere proprias perfectiones. Sed contra distinguitur major Deus, ut trinus est summa perfectio distincta à Deo ut uno, nego majorem, seu summa perfectio eadem perfectione, qua est summè perfectus Deus, ut unus, conceditur major; & concessa minore negatur consequentia denominatio enim, qua Deus ut

trinus

trinus dicitur ſommè perfectus, non oritur ab ipſis perſonalitatibus ſub explicito conceptu referendi, ſed ab eſſentia divina incluſa in Deo ut trino, unde ſi Deus denominatur trinus à tribus perſonalitatibus relativis, denominatur ſumme perfectus ab eſſentia.

CAPUT VIII.

Oſtenditur, perſonalitatem verbi ſub explicito conceptu Deitatis non ſimpliciter, ſed ut terminatam per ſubſiſtentiam verbi ſanctificare Chriſti humanitatem, adeo ut ly ut terminatam, non ſit ratio formalis, ſed tantùm conditio, qua Deitas immediatè Chriſti humanitatem ſanctificat.

Diximus in præcedentibus perſonalitatem verbi ſub præciſo conceptu perſonalitatis, ſeu ſecundum id, quod addit ad perfectiones abſolutas, non ſanctificare formaliter Chriſti humanitatem unde ſupereſt inquirendum, ſub quo conceptu perſonalitas Verbi formaliter ſanctificet Chriſti humanitatem. Diximus enim verbum divinum ex eo, quod uniatur Chriſti humanitati eam formaliter ſanctificare, & oſtendimus eam non ſanctificare per modum ſubſtantialem unionis, adeo ut hic modus non ſit forma ſanctificans humanitatem Chriſti, unde ſupereſt dicendum Chriſti humanitatem ſanctificari formaliter à verbo divino ſibi unito ſub conceptu explicito Deitatis, non ſimpliciter, ſed ut terminatæ, ac veluti characterizatæ per ſubſiſtentiam verbi tanquam per conditionem, ſine qua Deitas non ſanctificaret Chriſti humanitatem.

Probatur aſſertum, quia juxta doctrinam ſanctorum Patrum per id ſanctificatur formaliter Chriſti humanitas per quod formaliter ungitur, & deificatur: ſed Chriſti humanitas ungitur per Deitatem & ab illa deificatur, ergo per Deitatem ſanctificatur formaliter. Major non patitur difficultatem, quia apud Patres idem eſt eſſe unctum, ac eſſe ſanctum formaliter, qua ratione juſti dicuntur Chriſti, id eſt uncti: & Chriſtus ut homo dicitur ſubſtantialiter unctus à divinitate formaliter, ergo ab eadem ſanctificatur formaliter, minor oſtenditur, quia ex Div. Gregorio Nazianzeno orat. 36. quæſt. 4. de Theol. n. 94. loquens de Chriſto ait: *Chriſtus verò dicitur propter divinitatem; ea enim humanitatis unctio eſt non operatione ut in aliis Chriſtis ſanctificans, ſed totius ungentis præſentia*, ex quibus probatur minor, quia Chriſtus perinde eſt ac unctus, & Chriſtus ut homo eſt ſubſtantialiter Chriſtus ſeu unctus, conſequenter ſi eſt ſubſtantialiter unctus, eſt etiam ſubſtantialiter ſanctus. Tum quia Chriſtus dicitur unctus à divinitate non operatione ut alii juſti, ergo dicitur unctus à divinitate formaliter. Tum quia ex Nazianzeno divinitas eſt unctio humanitatis, conſequenter conſtituit humanitatem ſubſtantialiter unctam, proinde etiam ſubſtantialiter ſanctam. Quòd ſi dicas, Nazianzenum, & alios Patres loqui in ſenſu cauſali, non formali, & inde tantum ſequi divinitatem eſſe unctionem humanitatis non formaliter ratione ſui, ſed cauſaliter & originaliter, quatenus inde derivatur gratia habitualis, qua Chriſti humanitas formaliter unguitur & ſanctificatur. Contra eſt, quia ſi tantum cauſaliter divinitas ſanctificaret Chriſti humanitatem, eam ſanctificaret divina operatione: ſiquidem gratia habitualis, quæ formaliter Chriſti humanitatem ſanctificaret, cauſaretur à divinitate efficienter per operationem, atqui Nazianzenus ait divinitatem eſſe unctionem humanitatis Chriſti non operatione ut in aliis Chriſtis, ſed totius ungentis præſentia.

Si dicas Nazianzenum in allegatis verbis non excluſiſſe operationem Dei in ſanctificatione humanitatis à divinitate, ſed tantum operationem divinitatis, adeo ut Chriſti humanitas diverſimodè fuerit uncta, ac unganrur alii juſti, quia iſti media propria operatione ſe diſponunt ad ſuſcipiendam ſanctificationem ac unctionẽ à divinitate, quæ cauſans gratiam ſanctificantem illam infundit diſpoſitis per proprias operationes ad illam ſuſcipiendam, ſecus Chriſti humanitas non ſe diſpoſuit per propriam operationem ad ſuſcipiendam unctionem divinitatis. Nam contra eſt, quia Nazianzenus ut probaret Chriſtum dici unctum à divinitate, aſſumit pro medio, quia divinitas eſt unctio humanitatis, ſed dicitur Chriſtus à divinitate formaliter unctus: ergo aſſerit in ſenſu formali formaliter divinitatem ungere, & ſanctificare Chriſti humanitatem, quia Chriſtus idem eſt ac unctus, & eſſe Chriſtum formaliter idem eſt, ac eſſe unctum formaliter, proinde non in ſenſu cauſali, ſed formali divinitas Chriſti humanitatem ſanctificat, & quamvis Nazianzenus non videatur excluſiſſe Dei operationem in ſanctificatione humanitatis à divinitate, id tamen non officit, quia negatio adæquatè diſtribuit, conſequenter omnem operationem tam ex parte Deitatis, quam humanitatis excludit in unctione humanitatis à divinitate. Tum quia juxta Nazianzenum diverſimodè comparatur divinitas ad humanitatem Chriſti in ratione unctionis & ſanctitatis, & in ordine ad alios homines juſtos, quia in ordine ad alios juſtos ſanctitas, & unctio non habetur ſine operatione ex parte juſtorum, quia iſti per proprias operationes ſe diſponunt ad ſuſcipiendam gratiam habitualem, qua unguntur, & ſanctificantur formaliter, adeo ut hæc unctio habeatur cauſaliter, ergo reſpectu humanitatis Chriſti unctio debet eſſe formalis, alioquin non eſſet diſcrimen inter unctionem, qua unguntur ſancti, & qua Chriſti humanitas fuit uncta.

Si dicas ſalvari poſſe hunc diverſum modum unctionis juſtorum, & humanitatis Chriſti abſque eo, quod divinitas dicatur eſſe formalis ſanctitas humanitatis, etenim ſi dicamus divinitatem ungere alios juſtos purè effective cauſando efficienter gratiam habitualem, à qua juſti formaliter ſanctificantur & unguntur: & reſpectu Chriſti humanitatis non purè effectivè ſe habere, ſed ut principium denominationis phyſicè, vel moralis; per hoc ſalvatur hic diverſus modus unctionis reſpectu humanitatis Chriſti, & aliorum juſtorum, quamvis enim divinitas non ſanctificet formaliter Chriſti humanitatem, eo tamem ipſo, quòd humanitati unitur, poſtulat exigentia phyſica, vel ſaltem morali, ut gratia habitualis humanitati Chriſti infundatur, per quam ſanctificetur formaliter. Sed contra, quia aſſi-

assignatum discrimen ad intentuoi Nazianzeni non sufficit: ipse enim intendebat probare, Christum dici à divinitate, quia Divinitas est unctio, & sanctitas humanitatis, ait Nazianzenus, Christum dici unctum à divinitate, atqui à divinitate solum radicaliter sanctificante, & ungente non potest dici Christus unctus formaliter; quia si Deitas tantum sanctificaret Christi humanitatem, eo quia licet caosaret efficienter in aliis justis gratiam habitualem, io Christi humanitate esset principium dimanationis physicæ, vel moralis, à quo gratia sanctificans dimanaret; non formaliter à Deitate ut principio dimanationis, sed à gratia habituali dimanata sanctificaretur Christi humanitas; coosequenter non esset formaliter uncta ab ipsa divinitate, sed tantum à gratia habituali. Præterea si divinitas humanitati onita est radix physica, vel moralis, à qoa dimanat gratia habitualis, non solum radicaliter, sed etiam formaliter Christi humanitatem sanctificaret, quia divinitas ot onitur inmediate humanitati, illi præstat suum effectum formalem, seu illam ungit & sanctificat, quia non potest intelligi forma unita subjecto, quin eidem suum effectum formalem commuoicet: & effectus formalis deitatis unitæ humanitati est eam deificare, consequenter formaliter sanctificare.. Firmari ex eo etiam potest; quia humanitas antecedenter ad gratiam habitualem est substantialiter formaliter sancta; ergo ab aliqua forma præstante effectum formalem sanctitatis: sed hujusmodi forma non est modus substantialis unionis, ut superius evicimus: neque est à personalitate verbi divini, ot pariter probatum, si personalitas sumatur secundum id quod superaddit essentiæ, ac prædicatis absolutis: ergo superest, ut effectus formalis sanctitatis in Christi humanitate præstetur à sola Deitate, ot terminata, ac veluti characterizata personalitate verbi ratione illius per quod ab essentia, & reliquis prædicatis absolotis distinguitur.

Probatur secundò quia divinitas, proot virtoaliter vel formaliter à personalitate distincta, est formaliter sanctitas substantialis, quæ Deom per essentiam sanctificat; adeo ut gratia habitualis communicata creaturis sit formalis sanctitas accidentalia participativè, quatenus participat rationem Deitatis: & quia gratia habitualis sanctificat formaliter creaturam, estque sanctitas creaturæ effectus formalis gratiæ habitualis; Deitas, quæ est sanctitas substantialis & per essentiam, debet Christi humanitatem sanctificare formaliter; adeo ut sanctitas Christi ut hominis sit effectus formalis Deitatis ut terminatæ personalitate verbi divini. Firmatur quia hic conceptus Deitatis sic terminatæ est prima radix videndi & amandi Deum, in quo consistit forma sanctitatis ut in præcedentibus probavimus; ergo onita quamvis mediante personalitate homanitati Christi, illam sanctificat formaliter sanctitate substantiali: non enim mediatio personalitatis verbi potest impedire, quin Deitas præstet suum effectum formalem sanctitatis Christi humanitati; non enim effectus formalis sanctitatis postulat immediatam unionem formæ sanctificantis cum subjecto, quod formaliter sanctificat. Tum quia gratia habitualis sanctificat totum hominem quamvis immediatè non uniatur toti homini; non enim onitur corpori, sed tantom animæ, qoia est accidens spirituale postulans subjectari in subjecto spirituali, quale est anima. Tum quia ex parte homanitatis non repugnat, eam sanctificari sobstantialiter mediatè à Deitate sub expresso conceptu significato; & Deitas sub eodem conceptu sufficiens est ad sanctificandam formaliter humanitatem Christi: ergo de facto illam sanctificat formaliter.

Probatur tertiò, qoia si quæ ratio esset, cur divinitas non sanctificaret formaliter Christi humanitatem, maximè quia physicè illam non informaret: sed hæc ratio nequit esse impedimento, quin Deitas sub præfato conceptu sanctificet formaliter Christi humanitatem: siquidem io sententia adversariorum, personalitas verbi prout virtualiter distincta à divina natura sanctificat formaliter Christi homanitatem, & tamen illam physicè non informat, sed tantum substantialiter complet eam terminando: ergo ex eo quod Deitas physicè humanitatem Christi non informet, adhuc potest eam formaliter sanctificare, perinde ac personalitas in senteotia adversariorum eam physicè non informat, & tamen formaliter sanctificat. Præterea sine physica informatione personalitas verbi in communi sententia constituit Christi humanitatem personatam: ergo etiam Deitas poterit sub expresso præfato conceptu sine physica informatione constituere formaliter sanctam Christi humanitatem. Rursus tametsi Deitas non informet divinam naturam, eam nihilominus constituit sanctam. Quamvis essentia divina non informet physicè intellectum beati, illum tamen fœcundat io ordine ad visionem beatam: ergo Deitas poterit sanctificare formaliter Christi humanitatem, quamvis physicè illam non informet, sed tantum terminet mediante personalitate.

Probatur secunda pars, scilicet Deitatem ut terminatam & veluti characterizatam personalitate verbi sanctificare formaliter Christi humanitatem: quia Deitas sanctificat humanitatem formaliter, quatenus eidem unitur: forma enim quæ oon unitur subjecto, non potest illi præstare suum effectum formalem, hic enim effectus non habetur nisi per exhibitionem formæ subjecto, quæ exhibitio habetur per unionem: sed Deitas non unitur humanitati nisi ut terminata & modificata, vel characterizata per personalitatem verbi: ergo non oisi ot terminata & characterizata verbi personalitate sanctificat formaliter Christi humanitatem. Firmatur, quia Deitas non sanctificat humanitatem Christi, prout est communis toti Trinitati, alioquin si uniretur humanitati ut communis toti Trinitati; omnes tres personæ assumpsissent Christi humanitatem, ac fuissent incarnatæ; siquidem sanctificaret formaliter ut terminata tribus personalitatibus divinis. Hoc autem adversatur fidei catholicæ: ergo Deitas non oisi ut terminata, & veloti characterizata per verbi personalitatem sanctificat formaliter Christi humanitatem, adeo ut ly ut terminata seu characterizata per verbi personalitatem sit conditio requisita, ut Deitas Christi humanitatem formaliter sanctificet; quia per hanc terminationem Deitas appropriatur verbo, quamobrem ly ut terminata per verbi persònalitatem non dicit rationem formalem, ot Deitas Christi humanitatem sanctificet; sed tantom conditionem, aut complementum ad præstandum homanitati Christi affectum formalem sanctitatis: siquidem qood ratione sui sanctitas non est formalis; noo potest alteri esse ratio formalis, ot præstet sanctitas effectum: perinde ac id qood non est formaliter albedo ratione sui; non potest alteri esse formalis ratio dealbandi: sed personalitas verbi sub proprio concepto personalitatis distincta ab omnib' prædicatis absolutis virtualiter vel formaliter non est sanctitas formalis; ergo non potest esse ratio formalis Deitatis; ut formaliter sanctificet Chri-

Chriſti humanitatem; ſed tantùm conditio quâ Deitas per hanc perſonalitatem Chriſti humanitati conjunctam illam formaliter ſanctificat. Non tamen perſonalitas eſt conditio ita neceſſaria, ut ſine illa non poſſet divinitas humanitatem ſanctificare; ſed tantùm eſt conditio ad illam de facto ex vi præſentis decreti formaliter ſanctificandam; ſiquidem ex vi præſentis decreti ſolus filius humanitatem aſſumpſit; proinde Deitas non niſi mediante perſonalitate Verbi unitur Chriſti humanitati, quam ſanctificat. Cæterùm ſicut Filius, ita & Pater, ac Spiritus ſanctus potuiſſent Chriſti humanitatem aſſumere, imò & ipſa divina eſſentia in ſententia docentium eam ſubſiſtere per ſubſiſtentiam abſolutam: ſicut enim ſubſiſtentia relativa Filii; ita & divina eſſentia per ſubſiſtentiam abſolutam potuiſſet Chriſti humanitatem terminare, & complere. In hiſce caſibus perſonalitas Verbi non eſſet medium, quo Deitas uniretur humanitati Chriſti; ſiquidem per perſonalitatem Patris, vel Spiritûs ſancti; vel etiam mediante ſubſiſtentia abſoluta illi uniretur, ac illam compleret in ordine ſubſtantiali. Quamvis Deitas nonniſi mediante perſonalitate Verbi Chriſti humanitati uniatur, eam tamen immediatè ſanctificat, quia illa eſt prima forma ſanctificans immediatè humanitatem; ſi enim non eſſet prima forma, maximè eſſet, quia mediaret aliqua forma prior, à qua ſanctificaretur; ſed nulla procedit forma, quæ ſanctificet: ſiquidem formæ mediantes ſunt modus ſubſtantialis unionis, & ipſa perſonalitas filii, quâ mediante Deitas unitur Chriſti humanitati, quam ſanctificat: ſicut perſonalitas mediante modo ſubſtantiali unionis terminat, & complet Chriſti humanitatem in ordine ſubſtantiali; ita Deitas mediante Verbi perſonalitate unitur Chriſti humanitati, quam ſanctificat: ſed modus ſubſtantialis unionis non eſt forma ſanctificans Chriſti humanitatem; neque ipſa perſonalitas verbi, ut fusè probavi in præcedentibus; ergo ſi nulla præcedit forma ſanctificans Chriſti humanitatem: ſequitur quòd Deitas ſit prima forma illam ſanctificans immediatè; quia ſanctificare immediatè humanitatem eſt excludere quamcunque priorem formam ſanctificantem, adeo ut inter Deitatem, & Chriſti humanitatem nil mediet, à quo Chriſti humanitas ſanctificetur formaliter: ſed quamvis inter Deitatem, & humanitatem medient modus ſubſtantialis unionis, & perſonalitas Verbi, adhuc nil mediat, quod Chriſti humanitatem ſanctificet; quia modus ſubſtantialis, unionis, & Verbi perſonalitas non ſunt ſanctitates, neque formæ ſanctificantes: ergo ſi nil mediat quòd ſanctificet, ſequitur Chriſti humanitatem primò, & immediatè ſanctificari à Deitate mediante perſonalitate illi unita.

In contrarium tamen poteſt objici primò, quia tametſi Deitas in ſe ipſa ſit formalis ſanctitas, non tamen poteſt effectum formalem ſanctitatis Chriſti humanitati præſtare ratione ſui, ut à perſonalitate Verbi diſtinguitur, ergo Deitas nôn ſanctificat formaliter, & immediatè ratione ſui Chriſti humanitatem. Antecedens liquet, quia ut divinitas Chriſti humanitatem formaliter ſanctificet, requiritur, ut illi uniatur per modum formæ ſanctificantis, ac præſtantis effectum formalem ſanctitatis: atqui Deitas non poteſt per modum formæ Chriſti humanitati uniri, quia informatio repugnat Deitati, cujus derogat perfectioni, ergo Deitas non videtur poſſe Chriſti humanitati effectum formalem ſanctitatis ratione ſui præſtare; quamvis in ſe ipſa ſit formalis ſanctitas, idque ob imperfectionem, quam includeret ſi per modum formæ Chriſti humanitati uniretur. Sed contra negatur antecedens, ad cujus probationem diſtinguitur major: requiritur, ut Deitas uniatur Chriſti humanitati per modum formæ phyſicè informantis, negatur major, requiritur ut uniatur per modum formæ terminantis mediatè, vel immediatè, conceditur major, & eodem pacto diſtincta minore negatur conſequentia, quia tametſi Deitas non poſſit Chriſti humanitati uniri per modum formæ phyſicè informantis; poteſt tamen eidem uniri per modum formæ terminantis non ratione ſui immediatè, ſed mediatè ratione perſonalitatis Verbi divini: hæc ſiquidem unio mediata, ac terminativa ſufficit, ut Deitas ratione ſui ſanctificet immediatè Chriſti humanitatem. Etenim in ſententia Adverſariorum perſonalitas Verbi non per modum formæ phyſicè informantis, ſed per modum formæ terminantis unitur Chriſti humanitati, quam ſanctificat formaliter: ergo à pari, quamvis Deitas per modum formæ phyſicè informantis non uniatur Chriſti humanitati, ſed tantùm per modum formæ terminantis, & complentis in ordine ſubſtantiæ Chriſti humanitatem, poterit illi effectum formalem ſanctitatis præſtare: quamvis effectus formalis formæ ſit ipſa exhibitio formæ ſubjecto, cui præſtat ſuum effectum formalem, non tamen eſt neceſſe, ut hæc exhibitio formæ fiat ſemper per modum formæ phyſicè informantis; ſufficit enim, ſi fiat per modum formæ terminantis, & complentis ipſum ſubjectum, quo pacto ſancti Patres docent, Chriſti humanitatem ungi divinitati, quatenus divinitas mediante perſonalitate Verbi, ei unitur, & ſimul in ordine ſubſtantiali complet.

Si dicas Deitatem non uniri Chriſti humanitati immediatè, ſed tantùm mediatè, ſeu mediante perſonalitate Verbi: & hanc mediatam unionem non ſufficere ad præſtandum effectum formalem ſanctitatis ipſi humanitati, ſiquidem mediata unio ſapientiæ, & omnipotentiæ non ſufficit ut à Dei ſapientia Chriſti humanitas conſtituatur formaliter ſapiens, nec ab omnipotentia omnipotens, neque immenſa ab immenſitate: ergo neque mediata unio Deitatis ſufficit, ut Chriſti humanitas conſtituatur formaliter ſancta. Quòd attributa ſapientiæ, omnipotentiæ, immenſitatis uniantur immediatè Chriſti humanitati, eſt probatu facilè, quia identificantur cum ipſa Deitate, quæ non poteſt communicari attributis non communicatis, tum quia non videtur minùs inconveniens, quòd humanitas ſit formaliter ſancta ſanctitate, qua Deus eſt ſanctus; quàm quòd ſit ſapiens, omnipotens, immenſa formaliter per eandem ſapientiam, omnipotentiam, & immenſitatem, qua Deus eſt ſapiens, omnipotens, & immenſus, ergo ſicut Chriſti humanitas non eſt ſapiens, omnipotens, immenſa ſapientia, omnipotentia, & immenſitate Dei, neque erit ſancta formaliter ſanctitate Deitatis. Sed contra negatur conſequentia, & ad ejus probationem aſſignatur diſcrimen inter Deitatem, & prætecenſita attributa, quia humanitas Chriſti non poteſt Deo uniri, niſi ratione illius prædicati, in quo ſubſtantialiter eſt incompleta, quia tunc in ordine ſubſtantiali poteſt à Deo compleri, ac perfici: & quia Chriſti humanitas eſt incompleta in ordine ad ſubſiſtendum ſubſtantialiter ex effectu propriæ ſubſiſtentiæ, ideo poteſt compleri per Verbi perſonalitatem, non per modum formæ informantis, ſed tantùm terminantis, & complentis in ordine ſubſtantiali: ſecus quia in ordine ad intelligendum per ſapientiam, ad exiſtendum in loco, & ad operandum non eſt incompleta, & hæc prædicata ſunt extra lineam ſubſtantiæ, quam propterea ſub-

substantialiter non complent, fit, quòd tametsi identificentur cum Deitate, non tamen præstant suos effectus formales humanitati Christi, adeo ut Christus non uniatur cum prærecensitis attributis, ut ab illis proprias denominationes infiniti, sapientis, omnipotentis, & immensi recipiat veluti effectus formales. Quòd si dicas Christi humanitatem in ordine ad effectum sanctitatis non supponi substantialiter incompletam, eò quia defectus sanctitatis in humanitate non sit substantialis. Respondetur, quòd tametsi sanctitas non sit substantia, nihilominus, quia Deitas ipsa est sanctitas, quæ mediante personalitate Verbi unitur humanitati Christi, illi præstat suum effectum formalem sanctitatis, & sicut illam constituit unctam, seu deificatam, ita etiam sanctificatam, duo enim præstat deitas in Christi humanitate, quatenus illam mediante personalitate complet in ordine substantiali, & illi etiam præstat suum effectum formalem sanctitatis. Præterea posset aliter responderi, quia effectus formales vitales per modum actus secundi non communicantur, nisi actus vitales procedant physicè à principio vivente, vel identificentur cum illo, ut cognitio cum cognoscente, volitio cum volente, quòd si actus vitales sint tales per modum actus primi, non possunt communicari, nisi forma sic dans vitam aut identificetur cum subjecto vivente, aut illud physicè informet, quo pacto intellectus nequit constituere intelligentem in actu primo, nisi identificetur cum ipso subjecto intelligente, ut in Deo, cujus intellectus est ipsa intellectio perfectissima, & infinita in linea intellectionis, vel per modum formæ informantis informat physicè intelligentem, ut contingit in Angelis, qui cum non sint suum intelligere, intelligunt per intellectionem elicitam, & distinctam, ac informantem physicè intellectum angelicum. Ratio est, quia esse operativum sequitur ad esse ipsius essentiæ, & principia operativa non possint præstare subjecto esse operativum, nisi eidem uniantur ad unam constituendam essentiam, quæ sit operativa, ad quod requiritur vel identitas ut in Deo, cujus esse est operari vel saltem physica informatio, ut in Angelo, & homine, æquè enim intellectus angelicus, ac humanus indiget physicè informari ab intellectione elicita, ut possit intelligere. Hinc ut sapientia divina, immensitas, omnipotentia præstent suos effectus formales Christi humanitati, exigunt identificari cum ipsa, vel formaliter physicè eam informare, & neutrum præstari potest, omnipotentia enim, quia est principium operativum, nequit suum effectum naturæ creatæ præstare, nisi per modum formæ physicè informantis, ita neque immensitas, & omnipotentia, & hæc est ratio, cur sapientia, immensitas, & omnipotentia, & alia attributa uniantur quidem mediatè Christi humanitati, quatenus identificantur cum Deitate, quæ illi unitur, non tamen eidem præstent suos effectus formales, neque denominent Christum ut hominem infinitè sapientem, omnipotentem, immensum, quia hos effectus formales non possunt creaturæ præstare, nisi per modum formæ physicè informantis: & physicè informare creaturam repugnat prædicatis divinis: secus Deitas licèt mediatè. seu mediante personalitate Verbi uniatur Christi humanitati, illi præstat suum effectum formalem sanctitatis, quia est prima forma sanctificans, quæ humanitati per modum formæ non informantis physicè, sed terminantis, & complentis ei unitur: cùm enim, ut superiùs demonstravimus, modo substantialis unionis, quo personalitas Verbi unitur humanitati Christi, non sit forma sanctificans, imò nec ipsa personalitas Verbi sub explicito conceptu relativo personalitatis, sequitur quòd primò, & immediatè sanctificetur ab ipsa Deitate, quæ est prima forma præstans effectum formalem sanctitatis: non ex eo tantùm, quòd mediatè unitur Deitas humanitati, præstat illi suum effectum formalem sanctitatis, sed ulteriùs quia mediante personalitate Verbi eam terminat, & complet in ordine substantiali, quia cùm humanitas Christi careat propria subsistentia, & incompleta, & completur per subsistentiam Verbi, seu personalitatem, quæ cùm sit relativa, ex vi proprii conceptus expliciti, non dicit perfectionem, nec sanctitatem ratione sui præcisè, sed ratione Deitatis identificatæ immediatè cum ipsa personalitate, cùm enim sit prima radix omnium divinarum perfectionum, est ipsa sanctitas, quæ Christi humanitatem sanctificat: secus quia Christi humanitas non est incompleta in ordine ad operandum, intelligendum, existendum in loco non completur per sapientiam divinam, nec immensitatem, & alia attributa, quæ propterea, cum non informent Christi humanitatem per modum formæ physicè informantis, neque terminantis, aut complentis, cùm humanitas Christi non indigeat compleri in lineis talium attributorum, sequitur, quòd non possit ab iisdem denominari æterna, immensa, omnipotens. Est igitur discrimen inter effectus formales sanctitatis, & aliorum attributorum, quia effectus sanctitatis non exigit identitatem formæ sanctificantis cum subjecto sanctificato, nec illius physicam informationem, sed tantùm physicam terminationem mediatam, vel immediatam, secus alia attributa ut præstent suos effectus formales, exigunt vel identificari cum subjecto vel per modum formæ physicè informantis illud afficere, ac perficere. Hinc patet solutio ad instantias allatas in objectione.

Si dicas esse sanctum non consistere in objecto divinæ dilectionis utcunque, sed in objecto dilectionis amicabilis Dei, & non posse per formam aliquam constitui objectum dilectionis divinæ amicabilis sine physica informatione formæ præstantis hunc effectum formalem, consequenter non posse Deitatem præstare humanitati suum effectum formalem sanctitatis, eò quia illi repugnat physicè informare humanitatem: siquidem objectum divinæ dilectionis amicabilis non solùm exigit terminare dilectionem, sed etiam posse mutuò redamare Deum proximè, vel radicaliter: & posse amare radicale, vel proximum præstari non potest, nisi à forma physicè informante. Respondetur esse sanctum importare quidem in subjecto sancto posse redamare Deum, eò quia sanctitas importat amorem amicabilem, quo persona à Deo amata valeat Deum redamare: sed negatur ad id requiri, ut forma, qua persona constituitur sancta, & potens Deum redamare informet per modum formæ physicè informantis ipsum subjectum, quod sanctum constituit, sufficit enim, si illud informet per modum formæ physicè terminantis, & complentis, quo pacto Deitas mediante Verbi personalitate unitur Christi humanitati, quam terminat, & complet in ordine substantiali, ac constituit Christi humanitatem sanctam.

Objici ulteriùs posset contra assertum, eò quia esse sanctum, sit esse constitutum in ordine spirituali, & divino, atqui anima Christi non constituitur per Deitatem in esse spirituali, & divino, consequenter per Deitatem non sanctificatur formaliter, adeo ut sanctitas Christi ut hominis non sit effectus formalis Deitatis unitæ ejus humanitati mediante Verbi

per-

perſonalitate. Major liquet, quia ſanctitas eſt ſpiritualitas perfectiſſima, ac divina vel per identitatem in Deo vel per participationem in creatura rationali, conſequenter eſſe ſanctum eſt eſſe conſtitutum in eſſe ſpirituali perfectiſſimè & divino. Minor eſt D. Thomæ in 3. *ſent. diſt.* 13. *quæſt.* 1. *art.* 1. *in corp.* ubi ait: *Reſpondeo dicendum, quòd gratia principaliter duo facit in anima. Primò enim perficit ipſam formaliter in eſſe ſpirituali, ſecundum quam DEO ſimilatur, unde & vita animæ dicitur. Secundo perficit eam ad opus ſecundum quod à gratia emanant virtutes.* Et nonnullis interjectis ſubdit: *Et propter hæc duo oportet ponere gratiam habitualem in anima Chriſti, quia cùm ſit perfectiſſima in eſſe ſpirituali, oportet, quod ſit aliquid illam perficiens formaliter in eſſe illo; Deitas autem non eſt formaliter, ſed effectivè perficiens ipſam: unde oportet aliam formam creatam in ipſa ponere, qua formaliter perficiatur, & hæc eſt gratia.* Unde liquet ex D. Thoma animam Chriſti non conſtitui in eſſe ſpirituali per Deitatem formaliter, quia D. Thomas ait Deitatem non perficere formaliter animam Chriſti, ſed tantùm effectivè, quatenus efficit gratiam habitualem, quam illi communicat, hoc autem falſum eſſet, ſi per Deitatem conſtitueretur formaliter in eſſe ſpirituali. Sed contra diſtinguitur minor, quia tametſi ratione Deitatis non ſit anima Chriſti ſpiritualis ſpiritualitate divina ſubſtantivè, nec ſpiritualitate eſſentiæ per identitatem, aut phyſicam informationem: eſt tamen adjectivè, & ſpiritualitate exiſtentiæ, ac per terminationem mediatam anima Chriſti ſancta formaliter ratione Deitatis terminantis, & complentis mediante Verbi perſonalitate Chriſti humanitatem. Quamvis humanitas Deitati unita non ſit Dea ſubſtantivè, eſt tamen deificata adjectivè, quatenus unita & ſanctificata per Deitatem mediatè, ſeu mediante perſonalitate Verbi ei unitam, unde quamvis per hanc Deitatem non fiat Chriſti humanitas Dea, exiſtit tamen per exiſtentiam divinam, ut docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 17. *art.* 2. Quamobrem licèt Chriſti humanitas ratione Deitatis non ſit ſpiritualis ſpiritualitate divina ſubſtantiva, & quoad exiſtentiam, nec per phyſicam informationem, eſt nihilominus ſpiritualis ſpiritualitate divina objectivè, & quoad exiſtentiam: cæterùm quia Chriſti humanitas eſt etiam ſancta & ſpiritualis ſpiritualitate formæ phyſicè illam informantis, ideo ad hunc effectum præſtandum neceſſaria fuit gratia habitualis in anima Chriſti, à qua hæc ſpiritualitas præſtaretur, & ipſa conſtitueretur vivens radicaliter phyſicè vita ſpirituali, & divina: & D. Thomas de hac ſpiritualitate loquendo ait, non præſtari animæ Chriſti formaliter à Deitate, ſed tantùm effectivè, quatenus Deitas producit gratiam habitualem, quam communicat Chriſti humanitati, ac illam ſpiritualizat formaliter, ut ſit in eſſe ſpirituali Deo ſimilis. Poſſet etiam aliter reſponderi, & negari major, & ad ejus probationem diſtingui antecedens ſanctitas eſt ſpiritualitas formaliter realiter, conceditur, formaliter per rationem, & abſque diſtinctione virtuali inadæquata negatur antecedens, & conſequentia, quia tametſi forma ſanctificans dicatur eſſe ſpiritualitas, vita, & ſanctitas ſine ulla diſtinctione virtuali, nec formali inter hos tres conceptus; eſt tamen inter illos diſtinctio virtualis ſaltem inadæquata, vel ſi mavis, diſtinctio munerum, quia non eſt idem munus in forma ſanctificante munus conſtituendi in eſſe ſpirituali cum munere vitalizandi vel ſanctificandi: & quando inter aliqua intercedit diſtinctio inadæquata virtualis vel ratione diverſorum munerum poteſt unum communicari formaliter altero non communicato formaliter, hinc licèt Deitas, ſpiritualitas, & ſanctitas non diſtinguantur diſtinctione adæquata virtuali, quia tamen diſtinguuntur penes diverſa munera, potuit communicari Deitas Chriſti humanitati formaliter ſub munere ſanctitatis, quin eidem communicetur formaliter ſub munere ſpiritualizantis, ſeu conſtituentis illam in eſſe ſpirituali divino, ad id enim requirebatur vel identitas vel phyſica informatio, & neutrum competit Deitati, cui utrumque repugnat, cùm non poſſit identificari cum creatura, nec illam informare per modum formæ phyſicè informantis.

CAPUT IX.

An ſanctitas in Chriſti humanitate ſit infinita, & quomodo?

Diximus in præcedentibus ſanctitatem derivatam ab unione hypoſtatica in Chriſti humanitatem eſſe ſubſtantialem, adeo ut forma ſanctificans humanitatem in Chriſto ſit ratio ſubſtantialis: modò quæritur, an hæc ſanctitas in Chriſti humanitate ſit infinita, & quomodo, pro quo juvat obſervare tripliciter poſſe Chriſti humanitatem conſiderari. Primò in ſtatu purè abſtractionis in quo conſideratur humanitas præcisè ſecundùm ſe non conſiderata unione illius ad Verbum, & hoc pacto certum eſt Chriſti humanitatem non eſſe ex ſe ſubſtantialiter ſanctam. Secundò poſſe conſiderari purè in concreto, quatenus ſimul cum Verbo conſtituit unum concretum includens in recto ſuppoſitum divinum, & in obliquo naturam divinam, & hoc pacto certum eſt, humanitatem eſſe ſimpliciter infinitè ſanctam, ac tantùm amari à Deo, quantum amatur ipſum Verbum humanitati unitum, ſignificat enim humanitatem ſimul, & Verbum. Tertiò poſſe conſiderari nec purè in concreto, nec purè in abſtracto, ſeu quatenus conſideratur ut diſtincta quidem à Verbo, ſed ſimul ut connotans Verbum ut terminum. & de humanitate conſiderata hoc tertio modo, quæritur, an ex vi gratiæ unionis ſit infinitè ſancta, quamvis enim conſideretur humanitas ut diſtincta à Verbo, adhuc tamen conſideratur ut unita Verbo, quod conotat ut terminum, & quæritur, num Verbum ſit infinitè ſanctum ut *quo*, & humanitas id *quod*. Præterea per ſanctitatem infinitam eam hic intelligimus, qua nulla poteſt excogitari major in prudenti hominum æſtimatione, & in morali cauſalitate, quapropter ea ſanctitas dicitur infinita, quæ excedit omnes alias ſanctitates poſſibiles, & cauſare poteſt dona ſimpliciter infinita in perſona ſancta: unde dupliciter poteſt ſanctitas eſſe infinita. Primò per identitatem, ut in Deo, in quo ſanctitas infinita identificatur realiter cum Deo, quam denominat infinitè ſanctum: ſecundò per communicationem ut ſi ſanctitas infinita uniatur ſubjecto diſtincto, cui ſe totam communicet, & quidem tam perfectè, quàm ſit communicabilis, adeo ut quamvis per identitatem

dari possit aliquid sanctius, noo ita per communicationem, & in hoc secundo sensu.

Dicendum est humanitatem assumptam per gratiam unionis esse infinitè sanctam, & quidem simpliciter sanctitate communicata, & cujus potest creata natura esse capax. Probatur assertum, quia natura creata est per communicationem sanctitatis infinitè sancta, quæ ita est sancta, ut oulla alia natura creata sanctior esse, vel cogitari possit: atqui non potest ulla creata natura esse vel cogitari sanctior Christi humanitate, quia nulla creatura potest habere majorem sanctitatem verbi sanctitate, nec potest ulla natura creata habere hanc verbi sanctitatem magis intimè unitam & communicatam, quam per unionem hypostaticam substantialem, consequenter cum Christi humanitas ut connotans verbum sibi unitum tanquam terminum habeat sibi intimè unitam sanctitatem verbi, ratione cujus sit ita sancta, ut nulla natura creata esse possit vel cogitari sanctior, sequitur Christi humanitatem esse simpliciter infinitè sanctam. Et firmari ex eo potest, quia si humanitas Christi haberet gratiam accidentalem simpliciter infinitam, esset infinitè sancta sanctitate accidentali, ut etiam si haberet sanctitatem ut octo, esset sancta ut octo, sed humanitas Christi habet sanctitatem substantialem infinitam scilicet sanctitatem Verbi, cum quo intimè unitur, seu cum ipsa Deitate præstante effectum formalem sanctitatis Christi humanitati: ergo est infinitè substantialiter sancta: sicut enim sanctitas in gradu determinato constituit subjectum gradum in eodem gradu determinato, ita sanctitas infinita constituit subjectum infinitè sanctum.

Probatur secundò, quia tametsi humanitas Christi in ratione humanitatis sit ex se finita, & limitata: ratione tamen unionis hypostaticæ ad verbum, quod connotat, communicatur humanitati sanctitas infinita perinde ac communicatur subsistentia, & quidem tam perfectè, quam sit communicabilis, adeo ut quamvis per identitatem dari possit aliquid sanctiùs, ut est sanctitas DEI identificata cum Deo, non tamen per communicationem, quapropter humanitas Christi est sancta infinitè simpliciter, sed quidquid reperitur in Christi humanitate præter gratiam substantialem unionis & verbum divinum, quod unitur humanitati, est simpliciter finitum, ergo humanitas Christi est infinitè simpliciter sancta per communicationem, quamvis non per identitatem, seu quatenus licet distincta à verbo; illud tamen connotat ut terminum quo humanitas perficitur in ratione subsistendi, in quo sensu dicitur simpliciter infinitè sancta. Et firmari ex eo potest, quia opera Christi Domini sunt infinita simpliciter in ratione satisfactionis, & meriti, ut communiter docent Theologi, atqui non posset haberi dignitas meritoria infinita in operibus humanitatis Christi, nisi in eadem humanitate, haberetur infinita sanctitas siquidem forma dignificans opera Christi est gratia gratum faciens subjectum, & quæ immediate gratificat subjectum operans, ac dat valorem ejus operationibus, unde si operationes elicitæ ab humanitate Christi fuerunt valoris simpliciter infiniti, debuit in Christi humanitate dari sanctitas simpliciter infinita, & quæ infinitè gratificaret subjectum. Quòd si dicas sufficere personam verbi esse sanctam infinitè, ut Christi operationes sint infinitæ in valore meritorio proinde quamvis humanitas non sit infinitè sancta, adhuc operationes humanitatis Christi esse infiniti valoris. Contra est, quia ut Christi operationes sint infiniti valoris, non sufficit sanctitas personæ verbi in se ipsa, sed ulterius requiritur sanctitas Christi ut hominis, siquidem ad valorem meritorium in operationibus requiritur sanctitas merentis elicitivè, & merens elicitivè per Christi operationes non est verbum in se ipso; neque verbum ut in Deitate subsistens, sed est ipse Christus ut coostans ex personalitate divina, & humanitate, adeo ut Christus ut homo sit principium elicitivum merens per operationes elicitas ab humanitate, consequenter ad rationem meriti in operationibus elicitis ab humanitate Christi non sufficit sanctitas personæ verbi in se ipsa, ut est Deus, sed ulterius requiritur sanctitas personæ verbi ut est homo. Et ex eo firmari potest, quia si sanctitas Christi ut hominis non esset necessaria ad meritum operationum Christi, sequeretur, quod si per impossibile humanitas verbo unita contraheret peccatum aliquod lethale, adhuc ejus operationes essent meritoriæ infinitæ, quod est absurdum, quia in data hypothesi Christus ut homo esset potiùs dignus supplicio, & inimicitia: ac constitueretur indignus ut à Deo exaudiretur, ergo ut operationes Christi fuerint infiniti valoris, necesse fuit, ut Christus non solum ut persona divina, sed etiam ut homo esset infinitè sanctus. Si dicas, sanctitatem non communicari à verbo nisi finito modò juxta capacitatem humanitatis, consequenter non posse humanitatem Christi infinito modo sanctificari, quia effectus formalis commensuratur causæ, ut stat sub modo communicationis. Contra est, quia inde tantùm sequitur, humanitatem Christi non esse sanctam simpliciter infinitè per identitatem; non verò non esse simpliciter infinitam per communicationem; quia licèt Christi humanitas non sit capax infinitatis, quàm sibi identificet, est tamen capax unici cum sanctitate infinita communicata creaturæ in eo sensu, ut paulo superius explicuimus.

Objicies tamen contra assertionem, quia illa sanctitas non est iofinita simpliciter, qua potest alia major excogitari & communicari: sed potest excogitari sanctitas major, quam sit sanctitas humanitatis assumptæ à verbo: siquidem ipsum verbum & ipsa Deitas est sanctior, quàm humanitas assumpta: non enim Deus tantùm amat humanitatem, quantum amat ipsum verbum: plus enim gaudet de existentia verbi, quam de existentia humanitatis Christi: ergo humanitas est minus sancta, quàm sanctitas verbi, consequenter ejus sanctitas non est simpliciter infinita. Sed contra, quia tametsi verbum sit sanctiùs humanitate, ut etiam ipsa Deitas, propter quam Christi humanitas est sancta; exinde tantùm sequitur dari sanctitatem majorem per essentiam, quàm sit sanctitas humanitatis Christi; non vero sequitur dari sanctitatem majorem communicatam, & per participationem sanctitate humanitatis Christi. Nos loquimur de sanctitate simpliciter infinita in ratione communicatioois, quod si per sanctitatem simpliciter infinitam intelligatur sanctitas essentialis, & incommunicata; in hoc sensu sanctitas humanitatis Christi est tantum infinita secundum quid. Communiter tamen Theologi hic per sanctitatem simpliciter infinitam intelligunt eam, quâ non potest esse major intra eandem rationem, in qua est infinita; & quia sanctitas humanitatis Christi, ita est sanctitas communicata & perfecta, ut non possit excogitari alia sanctitas communicata, quæ sit major; ideo in hoc sensu dicitur sanctitas simpliciter infinita: unde quamvis sanctitas humanitatis non sit simpliciter maxima respectu cujusvis sanctitatis; est tamen sanctitas maxima communicata; neque hoc impedit, quo minus di-

ci pos-

el possit sanctitas in tali linea infinita simpliciter; quatenus intra eandem lineam non potest excogitari alia sanctitas major. Hinc sanctitas à gratia unionis humanitati Christi communicata augeri non potest, quia à Deitate mediante personalitate humanitati Christi unita suscepit humanitas sanctitatem infinitam, quia sicut non potest excogitari sanctitas, quæ sit major Deitate, quæ est simpliciter infinita; ita neque potest excogitari sanctitas communicata major sanctitate Christi humanitatis, quia est ipsa Deitas, quæ eidem communicatur, & à qua propterea constituitur formaliter infinita sancta; infinito autem repugnat fieri additionem. Tum quia ipsa Deitas est sanctitas substantialis incapax incrementi, & ab initio fuit sufficienter unita, ut suum quasi effectum formalem sanctitatis adæquatè exhiberet, quem propterea de facto præstitit, proinde nunquam fuit capax incrementi.

Objicies secundò, Deus in se ipso non esset sanctior, quam Christi humanitas, si sanctitas quâ Deus est sanctus non esset major sanctitate, qua Christi humanitas est sancta: atqui si sanctitas humanitatis esset infinita simpliciter, sanctitas quâ Deus est sanctus, non esset major: ergo Deus non esset in se ipso sanctior Christi humanitate, quia utraque sanctitas infinita esset simpliciter. Tum quia humanitas Christi, quia sancta sanctitate Deitatis adoratur adoratione latriæ, seu eadem adoratione, qua adoratur ipsa Deitas, proinde esset æquè sancta, ac ipse Deus. Sed contra negatur sequela quia sanctitas Deitatis est sanctitas per essentiam; & in Christi humanitate est sanctitas tantum communicata per unionem, quatenus humanitas unitur Deitati, quæ est infinitè sancta; igitur Deitas semper est sanctior ipsa humanitate Christi, quia hæc est sancta ratione Deitatis, cui unitur, unde humanitas, quia est sancta propter Deitatem, cui unitur, debet hæc sanctior esse per se & per essentiam, & humanitas non per se, sed per Deitatem, cui unitur, & juxta axioma Philosophicum *propter quod unumquodque tale & illud magis*, unde si humanitas est sancta propter Deitatem, hæc debet esse sanctior humanitate. Ad id, quod addebatur de eadem adoratione, quâ adoratur humanitas Christi, & Deitas. Respondetur adorationem illam non tendere æqualiter in Deitatem, ac Christi humanitatem; principalius enim respicit Deitatem, & minus principaliter humanitatem: sicut quando eadem adoratione adoramus Christum & crucem, adoratio principalius respicit Christum quàm crucem. Eadem itidem adoratione, quâ adoramus totum Christum, principalius adoramus Deitatem, cui humanitas unitur, & secundario humanitatem ut unitam verbo divino; hæc enim adoratio principalius respicit personam, ad quam ordinatur.

CAPUT X.

An in anima Christi præter sanctitatem, quæ est effectus formalis Deitatis, fuerit gratia habitualis.

Præter sanctitatem provenientem in Christo ex Deitate unita humanitati mediante verbi personalitate, & qua Christus formaliter sanctificatur, alia datur gratia, quæ dicitur habitualis, estque Dei donum creatum, cujus beneficio sumus Deo grati, elevamur ad statum supernaturalem cum jure ad gloriam æternam, & efficimur filii Dei per adoptionem participantes ejus naturam: & quia per gratiam unionis, quâ verbum divinum assumpsit Christi humanitatem, est Christus filius Dei naturalis, ideo est difficultas, an præter gratiam unionis, qua mediante Deitas sanctificat formaliter Dei humanitatem, fuerit in anima Christi gratia habitualis. Non defuerunt, qui apud Paludanum *in 3. dist. 13. quæst. 2.* negaverint gratiam habitualem fuisse in Christi anima, movebantur ad id asserendum, quia existimabant gratiam habitualem in Christi anima supervacaneam, & otiosam esse; quia Christi humanitas ex vi gratiæ unionis fuerit perfectissimè sanctificata, adeo ut hæc sanctitas fuerit simpliciter infinita; & quia gratia habitualis requiritur ad hunc effectum sanctitatis præstandum, quem jam habuerit ex vi unionis hypostaticæ, concludebant gratiam habitualem minimè in Christi anima necessariam esse, consequenter non fuisse.

Dicendum est præter gratiam unionis, & sanctitatem substantialem, datam esse Christo gratiam sanctificantem accidentalem, & quidem ejusdem speciei cum illa, quæ datur omnibus justis; ita communiter Theologi cum Div. Thoma *3. part. quæst. 7. art. 7.* & quamvis sub hoc nomine gratiæ habitualis non evincatur ex divinis scripturis, bene tamen sub terminis doni creati, & permanentis seu inhærentis animæ Christi: & probatur Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me*; quæ verba de se dicta exponit Christus *Luc. 4.* & habent hunc sensum: eatenus Spiritus sanctus est in anima Christi per unionem gratiæ habitualis, quia ipse per unionem hypostaticam unctus est gratia increata. Verùm posset responderi per Spiritum Domini intelligi ipsam Deitatem, non donum creatum gratiæ habitualis, ut sensus sit: quia personalitas verbi divini unita fuit Christi humanitati, Deitas eam formaliter sanctificavit. Secundo ostenditur ex illo Joh. 1. *Et vidimus gloriam ejus, quasi unigeniti a patre plenum gratia & veritatis*, sed nomine gratiæ intelligitur donum creatum, juxta Div. Bernardum serm. 16. in Cant. Tum quia in aliis scripturæ locis nomine gratiæ intelligitur non gratia unionis, sed donum creatum. Tum quia Christus vocatur *plenus gratia*, sin autem careret gratia habituali, non esset plenus gratiæ; neque tota animæ Christi capacitas impleta esset. Tertiò ex Ps. 44. *Unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, quæ verba de Christo ut homine communiter intelliguntur: sed non possunt intelligi de Christo ratione gratiæ unionis, quia per oleum lætitiæ intelligitur donum creatum. Quartò Isai. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini*; requiescere idem est ac manere, quod est proprium gratiæ habitualis manentis in anima. Dicitur enim Spiritus sanctus unxisse Christum, & mansisse in illo eo sensu, quo dicitur nos ungere, & in nobis manere: sed respectu nostri intelligitur per donum creatum gratiæ habitualis, ac manentis in nobis: ergo eodem modo accipiendum est de Christo: hinc Div. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 8. expendens illud Psalm. 132. *sicut unguentum in capite* ait. Hoc unguentum esse gratiam, quæ communis est Christo, &

sto, & nobis: hæc autem gratia est habitualis: ergo reverà in Christo fuit gratia habitualis. Div. Augustinus loquens de donatione Spiritûs sancti per gratiam sanctificantem ait lib. 15. de Trin. cap. 26. *Dominus ipse Jesus non solum Spiritum S. dedit ut Deus sed etiam accepit ut homo, propterea dictus est plenus gratiâ, quia unxit eum Deus Spiritu sancto, non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit ecclesia.* sed unguentum quò baptizati unguntur, non est gratia unionis hypostaticæ, sed gratia creata habitualis, qua baptizati justificantur, fiuntq; filii Dei per adoptionem: ergo in anima Christi fuit gratia habitualis. Hanc veritatem etiam expressè docet D. Bern. hom. 4. *in missus est*, expendens enim verba Lucæ 2. *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum* ait: *Posuit indefinitè sanctum, quia quidquid illud sit, quod virgo genuit, sanctum procul dubio, & singulariter sanctum fuit; & per Spiritûs sanctificationem, & per verbi assumptionem:* duplicem distinguit Bernardus gratiam scilicet per verbi assumptionem, & est gratia increata, & substantialis: & per Spiritus sanctificationem, seu gratiam habitualem, quâ sanctificamur, & participes sumus divinæ naturæ, ac sumus per adoptionem filii Dei, & hæc gratia est donum creatum accidentale, de quo S. Paulus ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis:* sed multo magis diffusa est charitas in corde Christi, de quo D. Paulus ad Ephes. 3. *In charitate radicati & fundati, ut possitis comprehendere, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum; scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Quamobrem ex his locis manifestè claret in Christi anima fuisse gratiam habitualem.

Probatur assertum triplici ratione allata à D. Thoma, quarum prima est, quia quanto aliquod receptivum est propinquius causæ influenti, tanto magis participat de influxu illius: sed Deo qui est causa gratiæ, proximius accedit anima Christi, quàm cæteræ aliæ creaturæ rationales; siquidem est illi substantialiter hypostaticè unita, quia unio hypostatica non convenit ulli alteri rationali creaturæ: quia aliæ creaturæ rationales tantum affectivè conjunguntur cum Deo ratione amoris divini, vel effectivè, ut effectus cum causa, ergo Christus quia proximius accedit ad Deum, quàm aliæ creaturæ rationales, magis participat de influxu gratiæ, proinde recipit in se perfectissimè donum gratiæ habitualis: & hac ratione non solum probatur existentia causæ habitualis in anima Christi; sed etiam quod in illa donum gratiæ habitualis perfectissime fuerit.

Secunda ratio assignata à D. Th est, quia omnes habitus supernaturales operativi sine dubio sunt in Christo; alioquin non eliceret Christus connaturaliter actus supernaturales: atqui habitus supernaturales exigunt radicari si non omnes, saltem plures in gratia habituali, ergo illa gratia debuit esse in Christo, quæ est radix habituum supernaturalium, quatenus isti ad illam sequuntur; sed hæc gratia est habitualis: ergo debuit in esse Christo. Anima enim Christi præter physicam unionem personalē cum Deo debuit aliam unionem habere per cognitionem beatificam, alioquin cum suprema felicitas, seu beatitudo consistat in intuitione Dei, & amore amicabili, Christus careret beatitudine: atqui ad elicientiam connaturalem talium actuom non sufficit unio hypostatica cum Deo; sed necessaria est gratia habitualis intrinsecè inhærens, & radicans physicè dona supernaturalia: ergo necessaria fuit in Christo hæc gratia habitualis, ut Christi humanitas esset principium connaturale operationum supernaturalium. Præterea quia hypostasis verbi tantum perficit naturam secundum esse personale: ergo fuit necessaria gratia, ut daretur in Christi anima principium radicale supernaturale connaturaliter eliciendi operationes supernaturaliter. Si dicas, gratiam habitualem dari homini, ut per eam elevetur homo ad esse supernaturale, & ad participandam divinam naturam; sine qua non potest operari opera divina connaturaliter; sed Christi humanitas fuit sufficienter elevata ad statum supernaturalem per gratiam unionis, quæ non minus exigit illos habitus, quam gratia habitualis: ergo humanitas Christi non indiget gratia habituali ob tales habitus radicandos, & actus supernaturales connaturaliter eliciendos. Contra est, quia gratia habitualis datur homini non solum ut per eam elevetur ad esse divinum; verùm etiam, ut sit radix habituum supernaturalium, qui in quocunque subjecto reperiantur, semper exigunt eandem realitatem, à qua fluunt per modum proprietatis; quamvis igitur gratia unionis exigat illos habitus, non tamen eos exigit nisi mediante gratia, quam etiam connaturaliter exigit.

Tertia Div. Thomæ ratio est, quia perfectio, quæ communicatur effectui, præexistit formaliter in sua causa efficiente, si non dicat imperfectionem causæ repugnantem: sed anima Christi Domini influit gratiam habitualem in animas justorum; & ex alio capite gratia habitualis non dicit imperfectionem Christo repugnantem: ergo in Christi anima fuit formaliter gratia habitualis. Præterea gratia habitualis fuit animæ Christi necessaria, ut illi tribueret vitam supernaturalem: quia cum Christi anima fuerit ordinata ad finem supernaturalem ad cognoscendum DEUM intuitivè per visionem beatificam, eumque amandum amore supernaturali; debuit vivere vita spirituali supernaturali, ut posset se promovere vitali modo in talem finem cælestis beatitudinis supernaturalis: sed gratia habitualis est talis vita, quia est participatio divinæ naturæ: ergo debebatur animæ Christi. Rursus omnis perfectio spiritualis competens hominibus justis debetur animæ Christi, si non pugnet cum visione beatifica, quâ ab instanti suæ conceptionis Christus potitur; nec cum unione hypostatica: sed gratia habitualis sanctificans est maxima perfectio spiritualis competens animabus justis, & aliàs non pugnat cum visione beatifica, nec cum unione hypostatica. ergo concedenda est animæ Christi. Minor constabit ex solutione objectionum.

Objicies, cui repugnat effectus formalis primarius alicujus formæ, repugnat ipsa forma: sed repugnat Christo Domino effectus formalis primarius gratiæ habitualis: ergo eidem repugnat ipsa forma seu gratia habitualis. Minor in qua est difficultas ostenditur: quia effectus formalis primarius gratiæ habitualis est constituere personam cui inhæret participem divinæ naturæ, ac filium Dei per adoptionem: sed repugnat, Christum esse Filium Dei adoptivum: ergo repugnat gratia habitualis Christi animæ. Minor probatur, quia Christus est Filius Dei naturalis, ergo repugnat esse Filium Dei per adoptionem: quia Filius naturalis est Deus per essentiam; & Filius adoptivus est esse Deum per participationem; & repugnat eandem personam esse Deum per essentiam, & per participationem: ergo anima Christi est incapax effectûs formalis primarii gratiæ habitualis, consequenter ipsius gratiæ habitualis.

Sed

Sed contra concessa majore, negatur minor, ad cujus probationem distinguitur major. Repugnat Christum esse filium Dei per assentiam, & per participationem secundùm eandem naturam, & rationem, conceditur; secundùm diversas naturas & rationes, negatur minor, & consequentia. Christus est Deus per essentiam secundùm naturam divinam: & est Deus per participationem secundùm naturam humanam: est filius Dei naturalis ratione personæ divinæ personantis humanitatem Christi; est filius Dei per participationem ratione gratiæ habitualis sanctificantis animam Christi, quia gratia sanctificans est participatio naturæ divinæ. Dices, ergo est etiam filius adoptivus. Sed contra quia filius adoptivus prædicatur in concreto de persona, quæ in Christo, est filius Dei naturalis. Instabis effectus primarius formalis gratiæ habitualis est constituere filium Dei adoptivum: ergo si Christus non est capax filiationis adoptivæ, neque erit capax gratiæ habitualis. Tum quia de ratione gratiæ habitualis est constituere hominem cui inhæret, formaliter genitum, seu filium Dei adoptivum, cujus non est Christus capax. Sed contra negatur antecedens, quia effectus formalis primarius est informare animam, & illam constituere participem divinæ naturæ, effectus postea secundarius & separabilis est constituere subjectum filium Dei adoptivum, sit sit capax hujus filiationis, seu si sit persona extranea: secus si sit persona incapax adoptionis per gratiam, tunc tantùm constituit participem divinæ naturæ, non filium adoptivum: hinc quia Christus est filius Dei naturalis ob personam Verbi personantis Christi humanitatem, trahit secum incapacitatem filiationis per adoptionem; quia repugnat, filium naturalem esse filium per adoptionem. Quòd si dicas id non repugnare penes diversa, Christus enim esset filius naturalis per personam Verbi terminantis, & complentis substantialiter Christi humanitatem: & esset filius adoptivus ratione gratiæ habitualis afficientis, ac perficientis animam Christi. Contra est quia filius adoptivus prædicatur de ipsa persona, non de anima, nec de natura; & quia Christi persona est divina, & naturalis, seu secunda persona Trinitatis, eis repugnat filiatio per adoptionem; sit quod Christus per gratiam habitualem non constituatur filius adoptivus per gratiam, alioquin eadem persona esset filius naturalis, & non esset filius naturalis, quia filius adoptivus non est filius naturalis. Neque ex eo quod gratia habitualis non constituat Christum filium Dei adoptivum, sequitur, hanc esse supervacaneam; quia adhuc constituit animam Christi participem naturæ divinæ, quatenus gratia habitualis est proxima radix habituum supernaturalium operativorum, est enim natura principium motus, seu operationis, & ut animæ Christi connaturaliter operaretur actus supernaturales, debebatur illi gratia habitualis.

Præstabis gratia habitualis non potest esse in Christo, nisi ratione illius constituatur Christus spiritualiter genitus: sed ad spiritualem generationem consequitur relatio filiationis: ergo non potest gratia habitualis inesse Christo quin illum constituat filium adoptivum per generationem spiritualem, sed Christum esse filium adoptivum ex concessis repugnat; ergo etiam in Christo gratia habitualis. Major ostenditur, quia eatenus purus homo per gratiam habitualem constituitur spiritualiter genitus, quia ratione illius participat naturam divinam: sed Christus ex eò quòd habeat gratiam habitualem, participat naturam divinam: ergo constituitur spiritualiter genitus; consequenter filius adoptivus, cùm non stet nova generatio sine nova filiatione. Sed contra, negatur major quia est discrimen de puro homine, & de Christo: quia eatenus purus homo per gratiam habitualem constituitur spiritualiter genitus, quia ratione illius participat naturam divinam sub conceptu naturæ, & ad modum naturæ: & licèt gratia habitualis communicatur Christo sub conceptu naturæ, quia tamen non communicatur ad modum naturæ, sed ad modum proprietatis consequentis gratiam unionis, & supponentis ratione unionis hypostaticæ filium Dei naturalem, non ponit filiationem adoptivam, quia supponit filiationem naturalem: hinc gratia habitualis constituit purum hominem spiritualiter genitum, ac filium Dei adoptivum; non ita Christum, quia de ratione constituentis genitum, & terminantis generationem, non solùm est, quòd sit in se natura, verum etiam quòd per se primò intendatur per actionem, & ad modum naturæ, non proprietatis consequentis naturam; gratia habitualis communicatur Christo per modum proprietatis se habentis consequutivè, ac veluti metaphysicè fluentis à gratia unionis hypostaticæ, & ideo non ponit generationem spiritualem, nec filiationem adoptivam, quia supponit naturalem. Hinc licèt Spiritui sancto communicetur natura divina; quia tamen hæc per se primò non intenditur sub conceptu naturæ, sed impulsûs amoris, ideo ejus processio non est generatio: ita gratia habitualis in Christo non constituit filium adoptivum; non quod ex se non possit hunc effectum præstare; sed quia se habet in Christo consequutivè ad gratiam unionis hypostaticæ, & per modum proprietatis veluti metaphoricè fluentis ab ipsa: & quia Christus per gratiam unionis hypostaticæ, quâ humanitas Christi unitur subsistentiæ Verbi, est filius naturalis ratione suppositi divini: ideo gratia habitualis, quia supponit Christum filium Dei naturalem ratione suppositi divini, non constituit Christum spiritualiter genitum nec filium Dei adoptivum.

Objicies secundò, Repugnat, Christum esse simul Deum per essentiam, & Deum per participationem: atqui si præter gratiam unionis daretur in Christo gratia habitualis creata; Christus esset simul Deus per essentiam, ratione unionis hypostaticæ, cujus beneficio subsistit per subsistentiam Verbi; & esset Deus per participationem ratione gratiæ habitualis; est siquidem gratia habitualis participatio naturæ divinæ, ergo &c. Sed contra quia licèt repugnet secundum unam, ac eandem rationem esse Christum Deum per essentiam, & per participationem; non tamen repugnat secundum diversas rationes, & naturas: est Christus Deus per essentiam ratione Verbi divini supposit antis Christi humanitatem, & ratione naturæ divinæ: & est Deus per participationem ratione gratiæ habitualis inhærentis animæ Christi, cùm enim sit hæc gratia participatio divinæ naturæ, constituit Christum Deum per participationem, & quamvis Christus ratione naturæ divinæ non possit esse Deus per participationem; non tamen inde sequitur, quòd secundùm humanitatem non possit participativè esse Deus. Urgebis, quamvis Christus ut homo sit Deus per participationem, est nihilominus substantialiter deificatus, ac substantialiter sanctus à sanctitate increata: atqui non solùm repugnat, idem secundùm eandem rationem esse Deum per essentiam, & Deum per participationem; sed etiam repugnat esse substantialiter deificatum & sanctum, & esse accidentaliter, ac participativè sanctum, & deificatum, quod à gratia habituali

tuali primariò præstatur: ergo cùm in Christo ut homine non sit capacitas ad effectum formalem primarium gratiæ habitualis, neque erit capacitas ad ipsam gratiam habitualem: ergo in Christo non fuit gratia habitualis. Sed contra quia non repugnat esse substantialiter sanctum, & accidentaliter, seu per participationem esse sanctum secundùm diversum modum habendi sanctitatem. Christus ratione suppositi divini est sanctus per essentiam, & ratione gratiæ habitualis est sanctus accidentaliter, seu per participationem. Neque obstat si dicas, humanitatem Christi etiam sanctificari à supposito divino, proinde sicut Deus non est capax sanctitatis accidentalis; ita neque humanitas Christi. Nam contra est quia Deus cùm sit sanctus per naturam, & essentiam à sanctitate divina, capax non est, ut sit sanctus sanctitate accidentali: Secus Christi humanitas, licèt sit sancta sanctitate suppositi divini; quia tamen hæc sanctitas ei non convenit per essentiam; sed tantùm illam habet per communicationem; ideo capax est, ut constituatur etiam sancta per formam accidentalem; quia humanitatem esse sanctam à Deitate per gratiosam communicationem, non est esse sanctam secundum perfectam rationem sanctificationis à Deitate: consequenter hæc sanctitas per communicationem non excludit alium modum sanctificationis præstitum à forma accidentali.

Dices non minus opponuntur esse Deum, & esse sanctum per essentiam, & per participationem; quàm esse filium naturalem, & adoptivum: sed repugnat, Christum esse simul filium naturalem, & adoptivum; siquidem adoptio supponit extraneitatem, quàm filiatio naturalis essentialiter excludit: ergo repugnat itidem, Deum esse sanctum per essentiam, & per participationem; proinde in Christo non fuit gratia habitualis; quia ejus effectus formalis primarius est efficere sanctum per participationem naturæ divinæ. Sed contra: quia Deitas, & sanctitas conveniunt supposito ratione naturæ, & ideo ad denominationem Dei, & sancti per essentiam, & per participationem sufficit diversitas naturarum in eodem supposito, adeo ut Christus ratione naturæ divinæ, quam secum trahit, sibique identificet personalitas Verbi personantis Christi humanitatem, sit Deus, & sanctus per essentiam: ratione gratiæ habitualis informantis animam Christi sit Deus, & sanctus per participationem, quatenus Christi humanitas in ipsa gratia habituali participat naturam divinam: hinc quia sanctitas convenit Christo ratione naturæ; & in Christo suppositum divinum sibi identificet naturam divinam, ideo Christus ratione naturæ divinæ est Deus, & sanctus per essentiam: rursus quia in Christo est etiam natura humana capax donorum gratiæ, ideo ratione naturæ humanæ, ut ornatæ, ac informatæ gratia habituali est Christus sanctus per participationem, & accidentaliter. Sed non ita valet argumentum de filiatione naturali, & adoptiva, quia filiatio non convenit Christo ratione naturæ, sed ratione suppositi; unde ad filiationem adoptivam, & naturalem requireretur diversitas suppositorum: & quia in Christo est unicum tantùm suppositum divinum complectens utramque naturam divinam, & humanam; ideo non potest esse nisi unita filiatio naturalis. Hæcque est ratio, cum Christus possit esse sanctus, & Deus per essentiam, & per participationem; non ita filius naturalis, & adoptivus.

Urgebis, cum eminentiali continentia alicujus formæ non stat capacitas ad talem formam formaliter; adeo ut in subjecto continente eminenter aliquam formam non sit capacitas ad recipiendam in se formaliter talem formam. Sol quia in sententia communiori est eminenter calidus, non est capax in se recipiendi formaliter caloris formam; neque est capax ut sit formaliter calidus: sed gratia habitualis continetur eminenter in gratia unionis, quâ Christi humanitas sanctificatur substanialiter; adeo ut in sanctificatione humanitatis à Deitate contineatur eminenter sanctificatio proveniens à gratia habituali: sicut enim Deus continet eminenter gratiam habitualem, & omnem ejus perfectionem: ita etiam gratia substantialis unionis hypostaticæ continet eminenter gratiam habitualem, & ejus sanctificationem; quia gratia unionis est ipsa Deitas, qua unitur humanitas Christi, ac sanctificatur substantialiter: ergo in Christo non potest reperiri gratia habitualis. Sed contra distinguitur major, cum continentia eminentiali purè effectiva non stat continentia formalis negatur major: cum continentia eminentiali executiva, conceditur major, & sub eadem distinctione minoris negatur consequentia. Tametsi gratia unionis, seu Deitas eminenter effectivè contineat gratiam habitualem; non tamen eam continet eminenter executivè; scilicet præstando executivè, quod præstat gratia habitualis: quia non potest elevare animam Christi ad physicè radicandas facultates ordinis supernaturalis; id enim proprium est gratiæ habitualis, quæ est prima radix participata habituum operativorum supernaturalium; & cùm sola hæc continentia eminentialis non componatur cum formali denominatione in eodem subjecto à forma eminenter contenta; ideo cum gratia unionis continente eminentialiter purè effectivè gratiam habitualem, potest in eodem subjecto simul cum gratia unionis cohærere gratia habitualis: quia in natura continentur eminenter proprietates, & nihilominus est in potentia ad illas recipiendas in se secundùm esse formale. Ut liquet in homine continente ratione naturæ eminenter effectivè potentiam proximè intellectivam; & nihilominus est in potentia ad eandem virtutem recipiendam in se secundùm esse formale, ut sit formaliter proximè intellectivus. Neque obstat quod asserebatur de solo continente eminenter calorem: quia sol eatenus non potest fieri formaliter calidus, non quia contineat eminenter formam caloris, sed quia non corruptioni obnoxius; ex hac incorruptibilitate oritur incapacitas in sole recipiendi formam caloris.

Præterea quamvis Deitas secundùm se contineat eminenter gratiam habitualem, omnesque ejus effectus; non tamen eam continet prout humanitati Christi unitur; proinde in eadem humanitate cum gratia unionis rectè cohæret gratia habitualis. Quòd gratia habitualis non contineatur eminenter in Deitate ut unita humanitati, ex eo evincitur, quia non potest contineri continentia eminentiali propriè effectiva, quia non præstat humanitati esse causam efficientem principalem physicam gratiæ; id enim in Deitate, ut unita humanitati continetur eminenter, cujus continentiam præstat, ac communicat humanitati; & quia eidem non communicat posse esse causam principalem efficientem gratiæ, ideo illam eminenter non continet eminentia efficiente. Neque eminentiali continentia radicali; quia Deitas prout unita humanitati non radicat physicè gratiam, nec facultates ordinis supernaturalis, quæ gratiam sequuntur, sed tantùm moraliter in sententia communiori. Neque continetur gratia habitualis in Deitate ut unita Christi humanitati continentia

emi-

eminentiali æquivalentiæ: quia Deitas non unitur taliter cum humanitate, ut æquivaleat omnibus effectibus præstitis humanitati à gratia habituali: ergo cùm non supersit alius modus continentiæ eminentialis, sequitur, gratiam habitualem non contineri eminenter in Deitate ut terminante mediante unione hypostatica Christi humanitatem, proinde non repugnare in Christi anima gratiam habitualem cum gratia unionis, seu Deitate, quæ mediante personalitate Verbi suppositante humanitatem sanctificet humanitatem Christi.

CAPUT XI.

Ad quid necessaria fuerit in Christi anima gratia habitualis.

GRatiam habitualem non fuisse ad id necessariam in anima Christi, ut illam absolutè sanctificaret, jam patet, quia ut constat ex prædictis, anima Christi per gratiam substantialem unionis fuit formaliter sancta; adeo ut si non fuisset in Christo gratia habitualis, adhuc anima Christi fuisset sancta per gratiam substantialem unionis hypostaticæ: unde non fuit absolutè gratia accidentalis habitualis necessaria, ut anima Christi absolutè sanctificaretur. Difficultas igitur est, ob quem finem fuerit necessaria gratia accidentalis habitualis in anima Christi. Theologi variè sentiunt, Lorca disput. 37. num. 11. censet, gratiam habitualem non fuisse necessariam in anima Christi ut connaturaliter eliceret operationes supernaturales, sed tantùm ut eam sanctificaret sanctitate accidentali: tametsi Christi humanitas per gratiam unionis sit sancta substantialiter, adhuc exigebat sanctificari per gratiam habitualem accidentaliter, & esset sancta in omni ordine sanctitatis. Paludanus in 3. dist. 13. quæst. 2. conclus. 1. & omnes illi Theologi, qui asserunt animam Christi non fuisse formaliter sanctificatam per gratiam substantialem unionis hypostaticæ, asserunt gratiam habitualem fuisse in Christo necessariam, ut illius opera essent meritoria apud Deum: quia si anima Christi non fuit sancta, & grata Deo per substantialem gratiam unionis hypostaticæ, debuit sancta esse per gratiam habitualem, quia subjecti sanctitas requiritur ad meritum; proinde ut posset anima Christi elicere opera meritoria apud Deum, necessaria erat illi gratia habitualis, quâ constitueretur sancta, & ut eliceret opera meritoria apud Deum. Vasquez *disp. 42. cap. 4. & 5.* censet gratiam habitualem fuisse necessariam in Christo ad connaturalitatem elicientiæ operationum ordinis supernaturalis, non vero ad sanctificandam animam Christi, neque ad completam, vel consummatam sanctificationem humanitatis. Suarez *disput. 2.* & alii plures docent gratiam habitualem in anima Christi fuisse necessariam ad completam illius sanctificationem, ut esset sancta in quolibet ordine sanctitatis, quia sine gratia habituali per unionem hypostaticam erat tantùm sancta sanctitate substantiali, non verò completæ in omni ordine sanctitatis, gratia enim habitualis sanctificat in ordine accidentali, & ut anima Christi esset completè sancta, debuit substantialiter sanctificari cum gratia unionis, & accidentaliter per gratiam habitualem, quo pacto fuit sancta completè in quolibet ordine sanctitatis.

80. Dicendum est primò gratiam habitualem fuisse necessariam in anima Christi ut connaturaliter eliceret actus ordinis supernaturalis, ita D. Thomas *quæst. 29. de verit. art. 1.* Quia tunc agens elicit modo sibi connaturali aliquem actum, quando habet in se formam, ratione cujus propendet, & inclinatur ad talem actum, sed anima Christi Domini ratione propriæ entitatis non est inclinata ad eliciendos actus supernaturales, alioquin hujusmodi actus non essent supernaturales, quia non excederent exigentiam totius naturæ, ille enim actus est supernaturalis, qui est supra omnia principia naturalia, ac superat ordinem totius naturæ, ergo humanitas Christi, ut inclinetur ad actus supernaturales, quos connaturaliter eliciat, necesse est informetur, corroboretur, ac elevetur ab aliqua forma supra ipsius naturam: hæc autem forma elevans Christi humanitatem in ordine accidentali supra propriam naturam est gratia habitualis, ergo in Christo fuit necessaria gratia habitualis non solùm ut sanctificaretur completè, & in ordine accidentali, sed etiam ut Christus connaturali modo eliceret actus supernaturales.

Neque obstat, quòd respondent aliqui argumentum tantum vim habere in puris hominibus vel Angelis, quia cùm non detur in ipsis alia forma, à qua eleventur ad statum supernaturalem ideo rectè infertur esse ipsis necessariam gratiam habitualem, ut connaturaliter valeant actus supernaturales elicere: quæ ratio non urget, nec vim habet in Christi humanitate, quia hæc ex vi gratiæ substantialis unionis elevatur ad ordinem supernaturalem, & hypostaticum, in quo continetur eminenter ordo gratiæ habitualis, consequenter quamvis Christo non inesset gratia habitualis formaliter, adhuc ex vi gratiæ substantialis unionis anima Christi esset in statu supernaturali, & inclinata ad eliciendos connaturali modo actus supernaturales. Sed contra quia principium, ratione cujus anima propendet ad elicientiam actûs debet esse principium operativum ut quo proximè vel radicale; atqui gratia substantialis unionis, vi cujus anima Christi elevatur ad ordinem hypostaticum, & intra illum constituitur, non est principium operativum ut *quo*, consequenter per gratiam unionis substantialis non potest anima Christi inclinari ad actus supernaturales eliciendos, nec consequenter potest ratione illius modo connaturali elicere actus supernaturales, major, & consequentia tenent, probatur minor, quia gratia unionis tria complectitur, subsistentiam personalem Verbi supponsitantem naturam humanam Christi; Deitatem unitam mediante personalitate humanitati, quam substantialiter sanctificat, & demum modum ipsum substantialem creatum unionis, quo humanitas unitur Verbo, & mediante hac unione à Deitate substantialiter sanctificatur non per modum formæ afficientis, ac inhærentis, sed per modum termini substantialiter complentis: atqui subsistentia non est operativa ut *quo*, sed tantùm ut *quod*, & non quidem principaliter, sed tantùm per modum conditionis. Rursus nec Deitas potest esse principium *quo* operativum humanitatis, quia principium *quo* operandi proximum, vel radicale debet cum illo identificari, cui est principium agendi, vel saltem illud physicè informare, & neutrum Deitati convenit

nit respectu humanitatis, quia repugnat Deitatem increatam identificari cum humanitate creata, vel illam physicè informare. Rursus modus substantialis unionis, quamvis intrinsecè inhæreat humanitati, quam informat, non tamen est operativus ut *quo*, & per modum principii proximi, alioquin esset virtus ordinis supernaturalis, & immediate afficeret potentias animæ, in quibus immediatè resideret: neque per modum principii *quo* radicalis, alioquin esset natura participata ordinis supernaturalis, quod est falsum, ergo anima Christi non inclinatur per gratiam substantialem unionis ad connaturaliter eliciendos actus supernaturales, proinde ad hos connaturali modo eliciendos necessaria erat in Christo gratia habitualis.

Quòd si dicas gratiam habitualem non esse formam operativam, sed tantum sanctificativam subjecti, consequenter non requiri in anima Christi ad hoc, ut actus supernaturales connaturaliter eliciantur à gratia habituali, siquidem forma, quæ operativa non est, nequit conducere ad connaturaliter operandum, unde si gratia habitualis non est forma operativa, non potest esse in Christo necessaria ad connaturali modo eliciendos actus supernaturales. Contra est, quia tametsi gratia habitualis non sit operativa per modum principii proximi per se primo ordinati ad operandum, est nihilominus forma operativa per modum principii radicalis, quatenus licet ordinetur per se primo ad esse, radicat nihilominus principia proximè operativa. Præterea quia etiam natura substantialis non est operativa ut principium *quo* proximum operandi, sed tantùm principium *quo* radicale, quatenus radicat potentias proximas operativas: & nihilominus anima rationalis, quæ est principium hoc *quo* radicale, in quo radicantur intellectus & voluntas, quæ sunt potentiæ proximè operativæ præsupponitur essentialiter ad operationes humanas: quamobrem ex eo, quod gratia habitualis non sit principium *quo* proximum actuum supernaturalium, non sequitur necessariam non esse gratiam habitualem, ut anima Christi connaturali modo eliciat actus supernaturales.

Dices, ut anima Christi elevetur ac intrinsecè propendeat ad actus ordinis supernaturalis connaturaliter eliciendos, satis esse, si per aliquam qualitatem ordinis supernaturalis se habentem per modum fluxus seu transitus, & non per modum permanentiæ corroboretur, ac evehatur supra ordinem naturæ, ergo quamvis anima Christi ad connaturalem elicientiam actuum supernaturalium indigeat dono aliquo supernaturali elevante supra exigentiam naturæ, eamque afficiente intrinsecè ac distincto modo à gratia substantialis unionis non tamen inde probatur hoc donum gratiæ debere esse gratiam habitualem: siquidem ad id sufficit alia gratia in ordine supernaturali se habens per modum fluxûs & transitûs, hæc enim esset qualitas supernaturalis, elevaret Christi animam ad ordinem operandi supernaturaliter; distingueretur à gratia unionis substantialis hypostaticæ; & informaret ipsam animam Christi, ut cum ipsa simul eliceret connaturaliter actus supernaturales, & distingueretur à gratia habituali, quia hæc ita afficit intrinsecè animam ut eidem inhæreat per modum permanentiæ; & donum illud fluidum supernaturale illam non afficeret permanenter, sed tantum transeunter, & per modum fluxûs, scilicet pro eo tempore, quo anima eliceret actum supernaturalem, adeo ut hoc donum esset tantum prius prioritate naturæ ipso actu supernaturali elicito connaturaliter ab anima, & statim desineret post ejus elicientiam: ergo ut anima Christi connaturaliter eliciat actus supernaturales non est necessaria gratia habitualis. Sed contra, quia operatio non procedit ab agente perfectè connaturaliter, nisi agens sit ad talem operationem permanenter, & habitualiter inclinatum: qualitas autem se habens per modum fluxûs ac transeuntis nequit subjecto, quod afficit, permanentem inclinationem præstare ad actus supernaturales: ergo ut anima Christi perfecta connaturalitate eliciat actus supernaturales, non sufficit hoc donum supernaturale, quod se habet per modum fluxûs & transeuntis, sed necessarium est aliud donum supernaturale ab intrinseco permanens, estque ipsa gratia habitualis inhærens animæ Christi permanenter. Major ostenditur, quia actus non elicitur à potentia connaturaliter connaturalitate perfecta nisi ab eadem suaviter fluat, faciliter eliciatur, & delectabiliter procedat: hoc autem pacto nequit actus elici nisi à forma permanente principio operativo: etenim facilitate potentiam est effectus habitûs distincti à dispositione, consequenter nequit actus egredi à potentia perfectè connaturaliter nisi ad illum sit permanenter & habitualiter inclinata. Tum quia ut docet D. Th. 1. 2. *qu.* 110. *art.* 2. nequit agens naturale ad proprium finem se perfectè movere, nisi præter actualem motionem, seu qualitatem ab intrinseco fluentem, & transeuntem per formam permanentem propendeat, ac inclinetur in suum actum: ad hunc enim finem author naturæ præter actualem motionem naturalibus agentibus fuit impertitus formas permanentes, quibus in proprios actus, & motus permanenter inclinentur: ergo à pari ut agens supernaturale eliciat actus supernaturales connaturalitate perfecta præter qualitates se habentes per modum fluxûs debet ratione formæ permanentis inclinare ad elicientiam actuum supernaturalium. Instabis adhuc, inde non sequi necessariam fuisse in Christi anima gratiam habitualem, quæ illam elevaret ad ordinem supernaturalem accidentalem, & ad connaturaliter eliciendos actus supernaturales, & permanenter ac habitualiter se haberet in illa: quia hæc omnia potuissent præstare aliæ virtutes infusæ, quæ se habent per modum habitûs supernaturalis elevantis potentiam ad ordinem supernaturalem, eamque facilitantem ad actus supernaturales connaturaliter eliciendos, siquidem ut docet D. Thomas 1. 2. *quæst.* 110. *art.* 3. gratia habitualis realiter distinguitur à virtutibus infusis, quapropter ut docet Div. Thomas *loc. cit art.* 4. non in potentiis animæ, sed in ipsa anima immediate gratia habitualis ejicitur, eique immediate inhæret, sed ut agens supernaturale habitualiter, & permanenter inclinetur ad actus supernaturales, sufficiunt virtutes supernaturales, ut charitas ad dilectionem, fides ad actum credendi, spes ad actum sperandi, & sic de aliis virtutibus comparativè ad proprios suos actus: ergo tametsi ad connaturalem elicientiam actuum supernaturalium requiratur forma supernaturalis permanens in agente, per quam habitualiter & permanenter propendeat, & inclinetur ad tales actus, non inde demonstratur necessitas gratiæ habitualis in anima Christi, ut actus supernaturales videndi & amandi Deum connaturaliter eliciat, sufficiunt enim aliæ virtutes infusæ. Sed contra quia cum Div. Thoma 1. 2. *quæst.* 110. *art.* 3. docente communiter virtus est dispositio perfecti seu dispositi secundum naturam, consequenter omnis virtus dispo-

diſponit ſubjectum conformiter ad naturam aliquam ſui ordinis præexiſtentem in illo: hinc virtutes ſupernaturales ut ſint in ſtatu perfecto, ac ſibi connaturali exigunt præexiſtentiam gratiæ habitualis, quia hæc in ordine ſupernaturali, ſe habet pee modum naturæ in qua radicantur virtutes ſupernaturales & rurſus exigunt iſtæ conjunctionem cum eadem gratia habituali, adeo ot reliquæ virtutes ſupernaturales ſine conjunctione cum gratia habituali, vel radicatione in illa non ſint in ſtatu perfecto ſibi connaturali, atqui virtus non exiſtens in ſtatu ſibi connaturali non poteſt cum perfecta connaturalitate proprios actus elicere, quia ſicut operari præſupponit eſſe ita connaturaliter operari ſupponit eſſe connaturale, proinde ſine gratia habituali reliquæ virtutes ſupernaturales non eliciunt perfectè connaturaliter ſuos proprios actus ſupernaturales, ex ex quo evidenter ſequitur neceſſitiam eſſe gratiam habitualem in Chriſti anima, ut eliciat connaturaliter actus ſupernaturales. Præterea ſicut virtores naturales præſupponunt naturam ordinis naturalis, perinde virtutes ſupernaturales impertientes facultatem proximam operandi debent ſupponere naturam ſupernaturalem, ſeu gratiam habitualem, quæ eſt participatio naturæ divinæ Ergo virtutes infuſæ ſine gratia habituali non ſunt in ſtatu ſibi connaturali, nec poſſunt proprios actus elicere perfecta connaturalitate, demum quia actus ſupernaturales non ſolum exigunt principium proximum ordinis ſupernaturalis, verum etiam principium radicale: & virtutes per ſe infuſæ non ſunt principium radicale, ſed proximum actuum ſupernaturalium, proinde actus ſupernaturales eliciti à virtutibus infuſis ſine gratia habituali carent principio radicali quod exigunt, ut perfecta connaturalitate eliciantur.

Dices, gratia habitualis non eſt forma operativa, ſed tantùm ſanctificativa ſubjecti, ergo non videtur, qoomodo ſit neceſſaria in Chriſti anima, ut actus ſupernaturales ab ipſa eliciantur connaturaliter, ſiquidem forma, quæ non eſt operativa, nil præſtat in ordine ad operandum connaturaliter, ergo ſi gratia habitualis non eſt operativa, non requiritur neceſſario in Chriſti anima, ut ab ipſa eliciantur actus ſupernaturales connaturalitate propropria. Sed contra, quia tametſi non ſit operativa per modum principii proximi per ſe primo ordinati ad operandum, eſt nihilominus forma operativa per modum principii radicalis, non per ſe primo ad operandum ſed ad eſſendum ordinati, quia natura ſubſtantialis in ſententia Div. Thomæ diſtinguitur realiter à potentiis, & non eſt operativa, ut principium *quo* proximum operandi, & per ſe primo ordinatum ad operationem, ſed tantùm eſt operativum ut principium *quo* radicale per ſe primo præſtans eſſe, & conſequenter operari; & nihilominus ad operationes humanas non ſolum naturaliter, ſed etiam eſſentialiter præſupponitur anima rationalis; ergo ex eo, quod graria ſanctificans non ſit principium *quo* proximum actuum ſupernaturalium, non ſequitur non eſſe neceſſariam, ut cònnaturaliter actus ſupernaturales eliciantur; ſiquidem ad talem connaturalem elicientiam non ſolum requiritur principium *quo* proximum actuum ſupernaturalium, cujuſmodi ſunt virtutes infuſæ, quæ ut principium *quo* proximum operantur, ſed etiam requiritur principium *quo* radicale per ſe primo præſtans eſſe, & ex conſequenti operari, cujusmodi eſt gratia habitualis, quæ ut participatio divinæ naturæ dat eſſe ſupernaturale, & radicat facultates proximè operativas, quo pacto dicitur natura principium motûs, oode ſicut virtutes infuſæ non operantur connaturaliter actus ſupernaturales, niſi radicentur in gratia habituali præſtante eſſe naturæ, & ex conſequenti operari, ſequitur gratiam habitualem fuiſſe neceſſariam in anima Chriſti, ut eliceret connaturaliter actus ſupernaturales. Sed inſtabis, dantur habitus ſupernaturales ſine gratia habituali, ergo non exigunt connaturaliter radicari in gratia habituali. Antecedens oſtenditur, quia exiſtentes in peccato lethali conſervant habitus ſupernaturales fidei, & ſpei, & non gratiam habitualem, ex quo ſequeretur, quod peccatores non poſſent elicere actus ſupernaturales fidei & ſpei, eò quia deſtituerentur gratia habituali incompatibili cum lethali peccato. Quod in exiſtente in lethali perſeverent habitus ſupernaturales fidei & ſpei, eſt certum de fide, adeo ut per noxam lethalem deſtructa gratia habituali non deſtruantur, ſed remaneant in pectore habitus ſupernaturales fidei, & ſpei: qui habitus non elicerent connaturaliter actus fidei & ſpei, ex quo ſequeretur non deberi exiſtentibus in lethali debito influxum ad eliciendos actus fidei & ſpei, quod eſt falſum, alioquin exiſtentes in lethali non poſſent actus ſupernaturales fidei & ſpei elicere connaturaliter. Sed contra, quia dependentia actuum ſupernaturalium à gratia habituali cum non ſit eſſentialis, poſſunt ſine illa exiſtere in peccatore, quo pacto deſtructa gratia habituali per peccatum lethale, adhuc perſeverant in peccatore fideli habitus ſupernaturales fidei & ſpei. Verùm quamvis habitus fidei maneat, & poſſit proprias vires exerere, & actus ſupernaturales fidei elicere, non tamen manet in ſtatu perfecto virtutis, nec habet modum connaturalem, quem exigit, quia non habet modum conjunctionis cum gratia habituali, conſequenter non ita connaturaliter operatur habitus fidei in exiſtente io lethali, ſicut in homine juſto, in quo habet modum ſibi connaturalem, ſeu conjunctionem cum gratia habituali. Præterea licet in exiſtente in lethali fides non ſit cum omni modo connaturalitatis, quia tamen eſt veluti proprietas, & paſſio gratiæ habitualis, ſicut reliquæ virtutes morales per ſe infuſæ, quæ ad gratiam habitualem ſe habent conſecutivè, ideo habitus fidei & ſpei conſervari poſſunt in exiſtente in lethali ſine gratia habituali, quia habitus, ſeu virtutes morales infuſæ non ſunt proprietates metaphyſicæ identificatæ cum ipſa gratia, ſed tantùm ſe habent conſecutivè ad illam, quatenus Deus ad infuſionem gratiæ ſanctificantis infundit de lege ordinare etiam virtutes morales per ſe infuſas: hæcque cauſa, cur habitus ſupernaturalis fidei conſervetur in homine fideli exiſtente in noxa lethali abſque gratia habituali incompatibili cum noxa lethali. Hinc quamvis fides in peccatore non habeat ſtatum, quem connaturaliter exigit, quia tamen præſtat illi poſſe phyſicum, & phyſicè expeditum ad actos fidei eliciendos, exigit ſibi debitum concurſum ad eoſdem actus eliciendos.

Dicendum eſt ſecundò, gratiam habitualem fuiſſe etiam neceſſariam animæ Chriſti ad completam, & conſummatam ejus ſanctitatem. Ratio eſt, quia ut anima Chriſti eſſet formaliter ſancta ſanctitate conſummata, neceſſaria fuit ſanctitas formalis in quolibet ordine ſanctitatis, conſequenter non ſolùm ſubſtantialis unionis hypoſtaticæ, ſed etiam accidentalis, alioquin non fuiſſet plenè ſancta in omni ordine ſanctitatis: ſed hæc ſanctitas in ordine accidentali habetur per ipſam gratiam habitualem, quæ

propterea necessaria fuit, ut anima Christi esset formaliter sancta sanctitate consummata, & in quolibet ordine sanctitatis. Major osteoditur, quia ut anima Christi esset formaliter sancta sanctitate consummata, desiderabantur in ipsa omnes perfectiones sibi connaturaliter debitæ ex vi sanctitatis substantialis, quæ est uoio hypostatica: atqui animæ Christi ex vi hypostaticæ uoionis debetur titulo connaturalitatis sanctitas accidentalis: quia si animæ ex vi gratiæ habitualis debentur titulo cooonaturalitatis cæteræ virtutes infusæ, & dona supernaturalia; idque ex eo præcisè quia gratia habitualis constituit hominem filium Dei adoptivum; à fortiori debetur animæ Christi connatoraliter gratia habitualis, & ex vi unionis hypostaticæ: sicut enim sunt connaturaliter debitæ Christo aliæ virtutes infusæ, quæ radicantur à gratia sanctificante, ita est etiam debita titulo connaturalitatis gratia habitualis; consequenter ad completam, & consummatam sanctiatem erat necessaria in anima Christi gratia habitualis. Si dicas animam Christi per gratiam substantialem unionis esse perfectè saoctam sanctitate completa, & consummata, consequenter non indigere gratia habituali, ut Christus dicatur perfectè sanctus sanctitate completa, & consummata, aotecedens ostenditur, quia aoima Christi sanctificatur formaliter ex vi unionis sanctitate, qoæ eminenter continet omnem sanctitatem provenientem à gratia habituali: est enim hæc sanctitas ipsa Deitas, quæ procul dubio continet eminenter omnem sanctitatem gratiæ habitualis, ergo ut anima Christi esset sancta sanctitate completa, & coosummata, non erat necessaria gratia habitualis, quia hæc continebatur eminenter in sanctitate increata, qua anima Christi mediante unione hypostatica sanctificabatur. Tum quia eatenos Deus oon indiget gratia habituali, ut sit formaliter sanctus sanctitate perfectissimè consummata, qoia ejus sanctitas contioet eminenter, quidquid sanctitatis est in gratia habituali: ergo à pari. quia in sanctitate, qua anima Christi sanctificatur ex vi unionis hypostaticæ, continetur emineuter gratia habitualis, sequitur hanc non fuisse necessariam, ut anima Christi completè, & consummatè sanctificaretur. Contra est, quia tametsi Deitas, quæ ex vi hypostaticæ unionis formaliter sanctificat animam Christi, contineat eminenter omnem sanctitatem gratiæ habitualis; oon tamen formaliter ut talis est in anima Christi, à qua nonnisi finitè, ac limitatè possidetur. Neque unget quod addebatur de Deo, quia eatenus Deus non indiget gratia habituali, non quia præcisè sanctitas Dei contineat ex se eminenter omnem sanctitatem gratiæ habitualis: sed quia sanctitas Dei iocreata continens eminenter omnem sanctitatem creatam, est in Deo perfectissimo, ac infinito modo, quo pacto non est in anima Christi, onde est dispar ratio.

Dicendum est tertiò, gratiam habitualem fuisse etiam necessariam in anima Christi ut principium connaturale effectivum, & formale meriti; quamcis de potentia absoluta potuerit Christus sine gratia habituali mereri. Assertum procedit de merito Christi, quod est supernaturale quoad substantiam. Et probatur: quia actus supernaturales non possunt elici ab humanitate Christi omnino connaturaliter sine gratia habituali: sed ad merendum connaturaliter requiruntur actus supernaturales, qui eliciantur connaturali modo: ergo meritum quod consistit in actu supernaturali, exigit pro principio effectivo connaturali gratiam habitualem, quæ propterea necessaria fuit in anima Christi, ut principium connaturale effectivum, & formale meriti: etenim si meritum præmii supernaturalis non potest haberi nisi per actus supernaturales, sequitur quòd si anima Christi indigebat gratia habituali, ut actus supernaturales connaturaliter eliceret; utique indigebat eadem gratia, ut modo connaturali mereretur præmium supernaturale. Rursus gratia habitualis fuit necessaria, ut anima Christi viveret vita spirituali in ordioe supernaturali: ergo fuit etiam necessaria, ut mereretur, quia meritum est operatio vitali modo exercita intra ordinem vitæ supernaturalis; siquidem debet vitali modo promovere in finem supernaturalem; proinde debet supponere in eodẽ ordine primam vitam radicalem, & operationum vitalium supernaturaliũ, cujusmodi est gratia habitualis.

Probatur secunda assertionis pass, scilicet gratiam habitualem etiam requiri, ut principium formale meriti: siquidem formatio meriti, & dignificatio ejusdem habetur formaliter à forma sanctificante subjectum, & influente in meritum effectivè: sed opera Christi meritoria exigunt gratiam habitualem pro principio connaturali radicali effectivo: consequenter exigunt eandem gratiam, etiam ut formam connaturaliter dignificantem, tametsi enim per gratiam substantialem unionis eleventur ad altiorem digoitatem, adhuc indigent gratia habituali ut connaturaliter fiant, & dignificentur, induaotque rationem meriti. Firmari ex eo potest, qoia quælibet potentia exigit connaturaliter per actum vel formam sui ordiois actuari, vel formari, ac compleri: sed substantia actuum supernaturalium est in poteotia, ut hæc formetur, actuetur, & mediante hac formatione, & actuatione actus supernaturales condigna merita contrahant: ergo talis substantia exigit connaturaliter informari, & actuari per formam sui ordinis: sed gratia substantialis unionis hypostaticæ est ordinis altioris, scilicet hypostatici, & gratia habitualis est io eodem ordine cum tali potentia: ergo exigit hæc potentia connaturaliter informari per gratiam habitualem, quæ propterea fuit necessaria in anima Christi ad merendum ut principium formale meriti, seu ut actus meritorii Christi formarentur, seu actuarentur, vel dignificarentur per formam sibi connaturalem, quæ nou esset altioris, nec inferioris ordinis. Hinc D. Thomas quæst. 29. de Veritate art. 5. ad 4. ait. *Dicendum quod quamvis meritum Christi quandam infinitatis rationem habeat ex dignitate personæ; tamen rationem meriti habet ex gratia habituali, sine qua meritum esse non potest.* Docet D. Thomas gratiam habitualem saltem de lege ordinaria, & connaturaliter necessariam fuisse animæ Christi ad merendum connaturaliter; adeo ut actus meritorii eliciti à Christo dependeant connaturaliter à gratia habituali non solùm ut à principio efficiente, sed etiam ut à forma dignificante immediatè; quamvis hac dignificatione posita in actibus à Christo elicitis, hi dignitatem infinitam, vimque infinitè meritoriam accipiant à persona Verbi operante: hinc actus meritorii eliciti à Christo contrahunt connaturaliter rationem dignitatis, & meriti ut sic à gratia habituali, & rationem talis dignitatis, ac meriti scilicet infiniti à persona Christi, quia actiones sunt suppositorum, à quibus dignificantur, ac suum contrahunt valorem.

Probatur tertia pars scilicet de poteotia absoluta potuisse Christum sine gratia habituali promereri præmium supernaturale: quia præcisa gratia habituali adhuc anima Christi erat formaliter Deo grata ratione unionis hypostaticæ: rursus poterat liberè

opera-

operari; & demum non fuisset destitutus gratia actuali, seu non caruisset auxilio supernaturali actuali. quia Deus potuisset animæ Christi conferre tale auxilium, & actus supernaturales eliceret: sed ad actus meritorios eliciendos sufficit, ut persona illos eliciens sit Deo grata, liberè operetur; & mediante gratia supernaturali tales actus eliciat: ergo anima Christi de potentia absoluta potuisset sine gratia habituali promereri præmium supernaturale. Firmari ex eo potest quia potuit Christus de potentia absoluta elicere actus supernaturales, eosque sine gratia habituali ordinare ad præmium supernaturale: atqui actus ita eliciti, & ordinati ad præmium supernaturale fuissent meritorii supernaturaliter, & de condigno, siquidem fuissent actus eliciti à subjecto grato, & processissent à Christo ut homine infinitè sancto per gratiam substantialem unionis. Rursus fuissent actus liberi, boni, & supernaturales eliciti in statu viæ, & ordinati ad præmium, ergo fuissent meritorii, cùm nihil ipsi defuisset ex iis, quæ ad actus meritorios eliciendos requiruntur: quinimò potuisset etiam intercessisse pactum, & promissio, proinde potuit Christus de potentia absoluta sine gratia habituali sibi promereri præmium supernaturale. Tum quia actus supernaturales non dependent essentialiter à gratia habituali, ut eliciantur, idque liquet in actibus intensioribus ipsa gratia habituali, quique promerentur ejus augmentum: etenim habens gratiam habitualem intensam ut quatuor potest elicere actus supernaturales per auxilia actualia intensos ut sex, quibus promereatur augmentum gratiæ habitualis, in hac hypothesi actus supernaturales non essent à gratia habituali secundùm illos duos gradus intensionis, quibus excedunt intensionem gratiæ habitualis, quæ non potest operari ultra suas vires, unde actus supernaturales non dependent essentialiter à gratia habituali. Præterea quia homo existens in peccato lethali, plerumque elicit actus supernaturales fidei, spei, imò & resipiscentiæ, & tamen peccator in statu peccati caret gratia habituali. Demum quia si actus supernaturales exigerent dependere à gratia habituali, maxim[illegible] det, quia in ordine supernaturali gratia se habet, ut natura, & vita radicalis, adeoque ab ipsa exigit omnes actus supernaturalis essentialiter dependere, perinde ac ab anima rationali, quæ est vita radicalis intra ordinem naturæ omnes actus naturales eliciti ab homine dependent essentialitar: sed hæc ratio non evincit dependentiam essentialem actuum supernaturalium à gratia habituali, adeo ut non possint absque illa elici actus supernaturales, alioquin sequeretur non posse peccatorem fidelem elicere actus supernaturales fidei, & spei, cùm tamen de fide sit habitum fidei manere in fideli existente in peccato lethali, & tantùm destrui per actum infidelitatis; & habitum spei per actum desperationis, nec per alia peccata mortalia destrui fidem spem in fideli peccante, licèt destruatur gratia sanctificans: quapropter certum est de fide, posse peccatorem fidelem absque gratia habituali elicere actus supernaturales, ex quo evidenter sequitur actus supernaturales non dependere essentialiter à gratia habituali, & posse sine illa elici.

Neque urget, si dicas cum aliquibus peccatori fideli elicienti actus fidei supernaturalis, & spei infundi gratiam habitualem, ut possit tales actus elicere, non tamen per modum habitus, & permanentiæ, sed per modum qualitatis fluidæ, & transeuntis, & quia ut peccatum expellatur à subjecto est necessaria gratia habitualis non per modum dispositionis, sed per modum habitûs communicata, hina est, quod cum peccato lethali patrato à peccatore fideli componatur habitus fidei cum potentia expedita ad actus supernaturales fidei, & spei eliciendos. Nam contra est, quia gratiæ habituali, cujus beneficio de facto justificamur à Deo, convenit essentialiter excludare peccatum ab anima, non enim repugnat forma aliqua creata, cui exclusio peccati lethalis essentialiter conveniat, & hæc expulsio peccati convenit essentialiter gratiæ habituali, qua de facto justificamur, consequenter eo ipso quòd gratia habitualis secundùm sua prædicata essentialia infunditur pecatori fideli sive per modum transeuntis sive permanentis, debet in eodem instanti peccatum excludere ab anima, consequenter actus fidei supernaturales non possent simul cum peccato lethali elici à peccatore fideli, quia eo ipso, quod eidem communicaretur gratia habitualis per modum qualitatis fluidæ, & transeuntis, hæc essentialiter peccatum lethale expelleret, & actus fidei eliceretur ab existente in gratia absque peccato lethali. Rursus si ad actus supernaturales eliciendos esset necessaria gratia habitualis per modum qualitatis fluidæ, maximè esset, quia gratia hæc esset in ordine supernaturali, atqui ex eo, quòd esset in ordine supernaturali, deberet in eodem per modum naturæ existere; & quia munus naturæ est radicare facultates proximè operativas, ideo hujusmodi gratia esset in existente in lethali per modum radicis: hoc autem dici nequit, quia si esset per modum radicis, inesset per modum permanentiæ, quia gratia habitualis unita per modum fluidæ qualitatis non potest radicare radicatione permanente: & si esset in peccatum per modum radicis, utique deberet radicare radicatione permanente: siquidem donum fidei, pro quo radicando conceditur gratia habitualis, se habet in peccatore permanenter, consequenter & ipsa gratia habitualis non per modum fluxûs, sed per modum permanentiæ peccatori inhæreret, quod dici nequit, alioquin de potentia ordinaria cohærent simul gratia habitualis, & peccatum. Tum quia si gratia habitualis se haberet per modum qualitatis fluidæ, inde sequeretur peccatorem elicientem actum credendi esse justum, & Deo gratum transeunter, etenim esset Deo gratus, quia de ratione gratiæ habitualis est constituere subjectum, quod afficit, Deo gratum, & rursus non esset Deo gratus, eò quia existeret in statu peccati lethalis: hoc autem implicat contradictionem, ergo non potest gratia habitualis infundi existenti in culpa lethali per modum qualitatis fluidæ, & transeuntis, ut fidelis peccator eliciat actus fidei supernaturales. Tum quia effectus formalis sequitur conditionem propriæ formæ, consequenter, si gratia, cujus effectus formalis est sanctificatio, posset per modum fluidæ qualitatis communicari existenti in lethali, sequeretur, quòd peccator existens in lethali esset justus transeunter.

Objicies contra illam asserti partem, in qua dicebatur Christum de potentia absoluta posse sine gratia habituali mereri: etenim absque actu charitatis non datur meritum condignum præmii supernaturalis in nobis, neque in Christo, sed actus charitatis depender essentialiter à gratia habituali quia actus charitatis dependet essentialiter ab habitu dante proximam facultatem in ordine ad eundem actum charitatis, ergo actualis dilectio essentialiter dependet à gratia habituali, eò quia dependet essentialiter ab habitu charitatis dependente essentialiter à gratia habituali. Tum quia habitus charitatis est proprietas se habens consecutivè ad gratiam habi-

tualem, perinde ac potentiæ naturales animæ sunt proprietates illius, ad quam se habent consecutivè: & sicut potentiæ animæ nequeunt existere etiam de potentia absoluta sine anima, eò quia existunt existentiâ animæ; ita habitus charitatis dependet essentialiter per modum propietatis à gratia habituali: ergo sicut sine actu charitatis non potest meritum condignum præmii supernaturalis dari etiam de potentia absoluta, ita neque dari potest meritum condignum sine gratia habituali. Firmari ex eo potest, quia actus charitatis est vitalis vitalitate supernaturali actuali: sed vita supernaturalis actualis dependet essentialiter non solum à principio proximo supernaturali vitali, sed etiam à principio vitali supernaturali radicali: ergo actus charitatis dependet essentialiter à radice supernaturali vitali, consequenter etiam à gratia habituali, quia hæc in ordine supernaturali est vita radicalis. Minor ostenditur, quia actus vitalis naturalis non solum dependet essentialiter à principio proximo, sed etiam à remoto, & radicali vitæ ordinis naturalis: ergo actus vitalis supernaturalis dependet essentialiter non solum à principio proximo, sed etiam à remoto perinde à gratia habituali, quæ est vita radicalis in ordine supernaturali.

Sed contra, quia si hoc argumentum efficax esset, inde sequeretur nullum dari posse actum supernaturalem sine gratia habituali, quod falsum est, de fide siquidem est peccatores fideles elicere actus supernaturales fidei & spei quamvis sint destituti gratia habituali. Tum quia actus remotè disponentes ad justificationem sunt ordinis supernaturalis, & tamen eliciuntur sine gratia habituali, ad quam disponunt, dispositiones enim ad formam aliquam inducendam præcedunt in subjecto ipsam formam, propterea non possunt procedere ab ipsa forma, quia hæc nondum existit, & quod in se non existit, nequit alteri existentiam dare: ergo actus remotè disponentes ad justificationem, cum sint ordinis supernaturalis, & existant in peccatore, in quo nondum existit gratia habitualis non possunt ab hac accipere existentiam, & eliciuntur sine gratia habituali. Quamvis sine actu charitatis non possit dari meritum condignum premii supernaturalis, non tamen inde sequitur non posse hoc meritum dari de potentia absoluta sine gratia habituali: etenim actus charitatis, cum ex suis intrinsecis prædicatis non sit permanens nec necessarius, sed secundum suam essentiam sit indifferens adesse liberum in via, & adesse necessarium in patria, ideo non exigit essentialiter dependere à qualitate permanente quoad essentiam, & cui exigentia permanentiæ sit essentialis, sed potest præcontineri in voluntate, ac elici ab eadem ex vi auxilii se habentis ex natura sua per modum qualitatis fluidæ, & transeuntis, proinde non dependet essentialiter ab habitu charitatis, nec à gratia habituali: unde tametsi habitus charitatis dicatur consequi per modum proprietatis ad gratiam sanctificantem, adhuc de potentia absoluta dari potest actus charitatis sine habitibus gratiæ & charitatis, consequenter dari potest meritum condignum præmii supernaturalis sine gratia habituali. Rursus omnis gratia habitualis sortitur in ordine supernaturali rationem naturæ, & est radicalis vita supernaturalis & charitas se habet per modum proprietatis ejusdem; non tamen tanto rigore gratia habitualis est naturæ in ordine supernaturali, & charitas ejus proprietas; sicut anima nostra est natura, & potentiæ sunt ejus proprietates, ut exemplificabatur: quia anima ita est natura, ut non solum radicet potentias sed etiam ipsas in se ipsa immediatè recipiat, ac realiter identificet: secus gratia habitualis non recipit in se charitatem, nec alias virtutes infusas, nec etiam ipsas sibi identificat realiter cum possint virtutes infusæ habituales fidei & spei existere in peccatore absque gratia habituali: gratia habitualis & charitas recipiuntur immediatè in anima, & virtutes infusæ recipiuntur immediatè in ejus potentiis, quamobrem gratia non est natura, nec charitas ejus proprietas cum tanto rigore, sicut anima est natura & potentiæ ejus proprietates: hinc charitas non dependet cum tanto rigore à gratia habituali, sicut dependent potentiæ animæ ab ipsa anima: quamobrem ex eo, quod intellectus nequeat de potētia absoluta existere sine anima, inde non sequitur alias virtutes supernaturales non posse in subjecto existere absque gratia habituali: & sicut non ita rigorosè dependet à gratia quoad esse, sicut potentia ab anima; ita neque quoad operari, quia hoc sequitur adesse: ergo ex eo, quòd connaturaliter habitus charitatis sequatur ad gratiam habitualem, non tamen inde infertur, non posse de potentia Dei absoluta dari actum charitatis sine gratia habituali. Ad confirmationem respondetur inde secuturum nullum posse dari actum supernaturalem absque gratia habituali, etiam de potentia absoluta, quia nullus actus vitalis tam in ordine naturali, quam in supernaturali potest haberi sine principio proximo vitæ, ut & principium proximum nequit haberi sine radicali: quamobrem negatur paritas adducta, quia tametsi in ordine naturæ non possit dari actus vitalis sine principio proximo vitæ, & sine remoto; non tamen in ordine supernaturali actus supernaturalis ita exigit esse à principio proximo vitæ, ut supponat essentialiter principium radicale: gratia enim habitualis, quamvis sit principium radicale vitæ ordinis supernaturalis; non tamen est ita rigorosè natura, sicut anima rationalis: & sicut ob hanc rationem gratia habitualis non recipit in se immediatè, nec subjectat reliquas virtutes, quæ non in gratia, sed immediatè in potentiis animæ, quas ad operandum elevant subjectantur; & è contra anima rationalis suas potentias, seu proprietates recipiat ac sibi identificet, ideo ex eo, quod non possit dari in natura actus vitalis sine principio proximo vitali, & hoc sine principio radicali vitæ naturalis, non tamen hoc valet in ordine supernaturali.

Rursus posset etiam aliud assignari discrimen inter animam rationalem, & gratiam habitualem; quia anima est ratione sui natura substantialis proprietariè, non vero ut elevans ad ordinem superiorem, nec alterius, unde omnis actus vitalis, qui in homine reperitur exigit ultimatè reduci ad ipsam animam: secus quia gratia habitualis est natura vitalis veluti substitutivè, & elevativè per modum formæ elevantis ad ordinem divinum: inde fit, quòd non possit Deus diversimodè hominem elevare ad ad eliciendos actus supernaturales, vel per principia transeuntia ac se habentia per modum qualitatis fluidæ, vel per permanentia proxima, & radicalia simul, vel tantum per principia proxima permanentia, ex quo sequitur, quòd tametsi actus supernaturales vitales sint à gratia ut à principio radicali connaturali, non tamen habeant essentialem dependentiam ab illa; quia ut explicuimus superius, possunt actus supernaturales elici à potentiis animæ per hoc præcisè, quòd istæ eleventur ad statum supernaturalem per auxilium aliquod superna-

turale

turale fluidum absque alio concursu radicali gratiæ habitualis.

Dices, actus charitatis essentialiter dependet ab habitu dante facultatem proximam in ordine ad illum: atqui habitus charitatis essentialiter dependet à gratia habituali, ergo actualis dilectio etiam dependet essentialiter ab illa. Tum quia visio beatifica essentialiter dependet ab habitu luminis gloriæ, saltem per modum transeuntis, & fluxûs, ergo etiam actus charitatis essentialiter dependet ab habitu charitatis vel permanenter vel transeunter. Sed contra, quia tametsi habitus charitatis se habeat consecutivè ad gratiam habitualem, non tamen ita strictè dependet eb illa, sicut actus charitatis dependet essentialiter eb habito dante facultatem proximam in ordine ad illum, quia actus fluit à suo principio proximo, à cujus virtute elicitur, non ita habitus charitatis ab habitu gratiæ habitualis; neque paritas de visione beatifica essentialiter dependente eb habitu luminis gloriæ saltem per modum qualitatis transeuntis urget; est enim dispar ratio: quia visioni beatificæ convenit essentialiter permanentia, ut exacta, seu exigentia permanentiæ, quamvis possit communicari sine permanentia actuali, ac proinde nequit in intellectu præcontineri, nisi ratione luminis permanentis ab intrinseco, & cui exigentia permanentiæ essentialiter conveniat, quamvis possit actuali permanentia privari: eo ipso, quòd lumen sit ab intrinseco permanens, est ab intrinseco habitus quoad essentiam, quamvis statu habitûs non gaudeat, cum transeunter communicetur: hinc est, quod in sententia Thomistarum visio beatifica essentialiter dependeat ab habitu elevante intellectum vel permanenter, vel transeunter. Secus actus charitatis non est permanens ex suis prædicatis specificis, quia secundum suam essentiam est indifferens adesse liberum, ut contingit in vita præsenti, & adesse necessarium, ut in patria cœlesti, ideoque non dependet essentialiter à qualitate permanente quoad essentiam; neque illi exigentia permanentiæ est essentialis, sicut in lumine gloriæ, actus enim charitatis potest præcontineri in voluntate ratione auxilii ab intrinseco non permanentis, sed ex natura sua transeuntis, proinde non dependet essentialiter ab habitu charitatis.

Dices, actum dilectionis procedentem ab ha- habitu charitatis essentialiter dependere ab illo, sed non datur duplex dilectio efficax Dei authoris supernaturalis essentialiter distincta, ergo quælibet dilectio efficax supernaturalis Dei essentialiter dependet ab habitu charitatis, nam dependentia actûs vitalis à principio proximo vitali est dependentia essentialis, & dilectio supernaturalis efficax Dei dependet ab habitu charitatis ut à principio proximo vitali, consequenter essentialiter dependet ab illo. Sed contra, quia licet dependeat secundùm rationem communem habitui charitatis, & auxilio se hebenti per modum qualitatis fluidæ, non ita dependet essentialiter ab habitu charitatis secundum ultimam differentiam, per quam ab auxilio facilè transeunte distinguitur. Hinc omnis actus dilectionis supernaturalis Dei dependet ab habitu, vel auxilio disjunctivè, non vero dependet essentialiter ab habitu charitatis determinatæ secundum ultimam differentiam, per quam à qualitate fluida auxiliante circe idem subjectum distinguitur.

Urgebis habitus charitatis essentialiter distinguitur in ratione principii dilectionis ab euxilio fluente, & transeunte, proinde non potest unus ac idem actus dilectionis secundum essentiam indifferenter eb illis procedere, non enim potest unus actus secundum essentiam habere duo principia distincta essentialiter in ratione principii, nec ab iisdem disjunctim fluere: proinde si habitus charitatis in ratione principii dilectionis distinguitur essentialiter ab auxilio se habente per modum qualitatis fluidæ, non poterit unus actus secundum essentiam indifferenter procedere ab illis: habitus enim charitatis distinguitur essentialiter ab auxilio se habente per modum qualitatis fluidæ, & non solum respectu ordinis ad subjectum, verum etiam respectu ordinis ad objectum, & actum; atqui quod habitui convenit respectu ordinis ad objectum, & actum, illi convenit in ratione principii, ergo distinguitur essentialiter in ratione principii dilectionis ab euxilio se habente per modum qualitatis fluidæ, & transeuntis; ergo non potest unus actus secundùm essentiam procedere ab habitu, & ab auxilio fluido, & actuali. Sed contra, quia licet habitus charitatis distinguatur in ratione principii eb auxilio se habente per modum qualitatis fluidæ materialiter, seu per comparationem ad actum dilectionis; non tamen distinguitur formaliter essentialiter comparativè ad actum, quia sicut unus, & idem habitus potest respicere objecta materialiter per comparationem ad ipsum distincta, quamvis inter se distinguantur distinctione essentiali formali, & etiam una potentia extenditur ad plures actus distinctos essentialiter inter se, dummodo eorum distinctio materialiter se habeat comparatione facta ad potentiam: pari pacto unus & idem actus secundum essentiam potest à duobus principiis disjunctim indifferenter procedere, quia licet talia principia distinguntur essentialiter inter se, eorum tamen distinctio materialiter comparatur ad actum. Quamobrem licet habitus charitatis distinguatur essentialiter ab auxilio se habente per modum qualitatis fluidæ respectu ordinis ad objectum ex di- diverso modo illud respiciendi, hæc tamen distinctio est materialis comparativè ad dilationem supernaturalem Dei, ideoque nequit obstare, quin unus actus dilectionis unitate specifica, & essentiali possit ab utroq; divisim indifferenter procedere.

Sed reurgebis, quia actus charitatis procedens ab habitu per se essentialiter procedit ab illo secundum ultimam differentiam, per quam ab auxilio fluido, & transeunte specificè distinguitur, nam habitus charitatis ratione ultimæ differentiæ est principium essentialiter distinctum ab auxilio se habente per modum qualitatis fluidæ, ergo secundum ultimam suam differentiam est per se & essentialiter activus: atqui omni per se activo debet correspondere per se agibile; sicut omni ectivo correspondet agibile, ergo datur actus aliquis per se & essentialiter petens ab habitu procedere secundum illam differentiam principii activi, & quia alius esse non potest, nisi qui de facto mediente habitu elicitur necessario, sequitur differentiam essentialem habitus distingui ab auxilio se habente per modum qualitatis fluidæ. Sed contra, quia licèt habitus & auxilium actuale in ratione principiii ectus charitatis essentialiter distinguantur, hæc tamen distinctio, quæ formalis est cum habito, & auxilio comparata; est materialis, si comparetur cum ectu, quia actus hujusmodi differentiam essentialiter non exigit, nec ab illa specificatur, sicut è converso in actibus procedentibus ab eodem habitu evenit, quamvis enim actus multoties essentialiter inter se distinguantur & consequenter dicant essentialiter

respectus distinctos ad habitum, quia tamen hæc distinctio non respicitur per se ab habitu, quamvis sit formalis comparativè ad ipsos actus, comparatione tamen facta cum habitu est omnino materialis. Ratio cur ab actu charitatis per se non petatur differentia principiorum, est, quia ut postularet essentialiter differentiam habitus scilicet permanentiam, deberet ipse esse essentialiter permanens, & ut peteret essentialiter differentiam auxilii se habentis per modum qualitatis fluidæ, & transeuntis, deberet esse essentialiter transiens: sed neutrum illi essentialiter convenit, alioquin actus charitatis viæ, patriæ essentialiter distingueretur. Neque necesse est, ut addebatur, quòd omni per se activo secundùm prædicata essentialia correspondeat per se agibile essentialiter: siquidem habitus acquisitus secundùm suam essentiam est activus; & tamen actus in quem inclinat, non exigit ab illo essentialiter procedere; sed sufficit quòd per se activo respondeat per se agibile, vel secundum essentiam, vel secundùm aliquem modum, unde habitui naturali acquisito respondet per se agibile secundum modum facilitatis, & habitui supernaturali respondet per se agibile secundùm modum connaturalitatis. Præterea potest etiam principiorum essentialis diversitas oriri ex solo diverso modo respiciendi eundem actum, ut liquet in auxilio sufficienti & efficaci in ordine ad eundem actum; quamvis enim auxilia essentialiter distinguantur, eorum tamen diversitas solùm oritur ex diverso modo, quo ad eundem actum comparantur.

Dicendum quartò sine gratia supernaturali auxiliante non potuisse Christum mereri præmium supernaturale etiam de potentia absoluta. Ratio est, quia actus dupliciter potest esse supernaturalis. Primò elicitivè, eo quia causetur mediante principio supernaturali, ut eliciente, & ex motivo supernaturali ut fine operis: secundò imperativè, eò quia licèt in sua entitate naturalis sit, ac procedat elicitivè à principio naturali, respiciatque motivum naturale, ut finem operis: adhuc ab operante mediante actu supernaturali refertur ad finem supernaturalem, ex hac relatione actûs imperantis contrahit honestatem supernaturalem; ut si quis eliciat actum misericordiæ naturalem ex motivo dilectionis Dei tanquam ex fine operantis, potest hunc actum per alium actum supernaturalem referre ad finem supernaturalem, qua propter non potest ullus actus esse imperativè supernaturalis, quin detur aliquis actus elicitivè, & substantialiter supernaturalis, ex cujus imperio fiat: sed repugnat actum esse meritorium præmii supernaturalis, & non esse supernaturalem; & implicat actum esse supernaturalem, & non esse à principio supernaturali, seu à gratia auxiliante supernaturali, alioquin effectus excederet suam causam; & hæc produceret effectum in ordine superiori, ac sit ipsa: ergo sine gratia supernaturali auxiliante, non potuit Christus etiam de potentia absoluta mereri præmium supernaturale. Firmari ex eo potest; quia potentia nequit elicere actum, quem in se non præcontinet intrinsecè per modum causæ efficientis: omnis enim effectus exigit præcontineri in virtute causæ, à qua producitur: sed potentiæ humanitatis Christi non præcontinent ratione sui præcisè actum supernaturalem intrinsecè per modum actûs primi, & virtutis: virtus enim adæquate proxima potentiæ naturali respectu actuum supernaturalium est sola forma supernaturalis elicians potentias: ergo repugnat potentias animæ Christi potuisse elicere actum supernaturalem sine elevatione per formam supernaturalem, consequenter repugnat actum meritorium præmii supernaturalis elici ab humanitate Christi absque ulla gratia supernaturali auxiliante.

Dices si ad eliciendos actus supernaturales sufficit auxilium fluidum, seu transiens actuale, ut potentia elevetur ad statum supernaturalem; non videtur hujusmodi auxilium in Christo necessarium; quia unio hypostatica cum Verbo multo excellentius, ac perfectius elevat humanitatem ad eliciendos actus supernaturales, quàm quodlibet auxilium actuale supernaturale, se habens per modum transeuntis: etenim unio hypostatica est principium supernaturale longè excellentius omni gratia auxiliante, imò & ipsa gratia habituali: ergo humanitas Christi seclusa omni auxilio supernaturali fluido, vel permanente, seu gratia habituali ex vi solius unionis hypostaticæ potest actus supernaturales elicere, consequenter mereri de condigno præmium supernaturale. Sed contra, quia tametsi modus substantialis unionis hypostaticæ præstantior sit quovis dono accidentali supernaturali, quia tamen non est operativus radicaliter, non enim est participatio formalis substantialis naturæ divinæ, quæ consistit in radice operationum divinarum; neque est principium *quo* proximè operativum, cùm non inhæreat immediatè potentiis, nec ordinetur ad operandum; sed munus illius sit unire humanitatem cum Verbo: ideo non potest humanitas ex vi solius modi substantialis unionis hypostaticæ elicere actus supernaturales. Rursus Verbum divinum cum non informet physicè humanitatem, non potest se ipso illam ad actus supernaturales elevare per modum principii *quo* efficientis, & informantis potentiam elicientem tales actus, consequenter neque illam constituere physicè potentem ad actus supernaturales. Ad hanc enim elevationem requiritur necessariò donum aliquod accidentale supernaturale, quod informet potentiam eamque constituat physicè potentem ad actus supernaturales eliciendos; adeo ut hoc auxilium supernaturale informans potentiam, ordinetur ad operationem: hinc licèt modus substantialis unionis hypostaticæ inhæreat humanitati Christi, quia tamen non residet immediatè in potentiis operativis, neque ordinatur ad operandum; sed ejus munus est tantùm unire humanitatem cum Verbo; sequitur ex vi hujus unionis non posse Christi humanitatem constitui potentem ad eliciendos actus supernaturales.

CAPUT XII.

Quomodo gratia habitualis se habuerit in Christo in ordine ad gratiam unionis.

Dicendum est, gratiam habitualem in Christo Domino non se habuisse antecedenter ad gratiam unionis, ut dispositionem. Probatur, Quæ immediatè & per se uniuntur, non indigent prævia dispositione, ut unà nectantur: sed subsistentia verbi divini, & humanitas immediatè & per se uniuntur: ergo non indigent prævia dispositione, ut uniantur. Major est clara, quia ut docet D. Thomas 1. *part. quæst. 76. art. 6. ad* 1. Ut materia unitur formæ secundùm gradum communem, non indiget prævia dispositione, quia ad formam secundùm gradum communem comparatur immediatè: eò enim ipso quòd inter extrema est habitudo, & comparatio immediata, non indigent medio; alioquin non inter se immediatè; sed cum illo medio esset immediata habitudo & comparatio: si igitur Gratia unionis, & Christi humanitas comparantur inter se immediatè, estque inter hæc duo extrema habitudo immediata, non est necessaria gratia habitualis, quæ ut dispositio mediet inter unionem hypostaticam, & Christi humanitatem; sitque dispositio in humanitate, ut recipiat modum substantialem unionis. Minor probatur quia ut docet D. Thomas 3. p. quæst. 2. art. 10. inter naturam, & personalitatem terminantem naturam non mediat ulla dispositio, neque ullum intercedit medium; sed immediatè uniuntur, ac identificantur, quia inter personalitatem, & naturam est immediata habitudo: atqui humanitas Christi comparatur ad Verbum ut natura ad personalitatem, à qua terminatur, proinde datur inter hæc duo extrema immediata habitudo; neque humanitas indiget gratia habituali, ut dispositione qua uniatur cum personalitate Verbi.

Dices, esse discrimen inter naturam, & propriam subsistentiam vel personalitatem; & inter Christi humanitatem & Verbi personalitatem, quia natura comparata ad propriam personalitatem est determinata ab intrinseco, & dicit ad illam immediatam habitudinem, ideoque ut illi uniatur non indiget prævia dispositione: secus natura comparata cum aliena subsistentia, seu personalitate: cujusmodi est humanitas Christi cum personalitate Verbi, non est ab intrinseco ad illam determinata, neque illam ab intrinseco exigit; unde cessat ratio excludendi dispositionem præviam, quà Christi humanitas disponatur ad recipiendam personalitatem Verbi, mediante gratia habituali. Imò ex eo quòd Christi humanitas non sit ab intrinseco determinata ad recipiendam Verbi divini personalitatem, sequitur, quòd exigat determinari per dispositionem præviam, seu gratiam habitualem ad illam recipiendam. Sed contra, quia personalitas divina ut humanitati uniatur, non indiget prævia dispositione ex conceptu supernaturalitatis, neque ex conceptu personalitatis simpliciter, neque ex conceptu personalitatis divinæ: ergo si, ut humanitas uniatur propriæ personalitati, non indiget prævia dispositione ut conceditur, neque ut uniatur personalitati divinæ, indiget prævia dispositione. Antecedens ostenditur nempe personalitatem divinam ex conceptu personalitatis supernaturalis ad sui unionem cum humanitate non indigere prævia dispositione: quia si ratione supernaturalitatis exigeret præviam dispositionem, sequeretur quòd omnis forma supernaturalis illam exigeret: quia quòd convenit divinæ personalitati ex conceptu supernaturalitatis, necesse est conveniat omni enti supernaturali; perinde ac quod convenit homini ex conceptu animalis, necesse est conveniat omni animali, ut senite, esse morti obnoxium, quod omni animali est commune: sed non omnis forma supernaturalis præviam petit dispositionem, alioquin daretur processus in infinitum, qui in causis subordinatis repugnat: si enim omnis forma supernaturalis exigeret præviam dispositionem; hæc prævia dispositio esset itidem forma aliqua supernaturalis, quæ per modum formæ afficeret subjectum, & hæc forma itidem exigeret aliam formam per modum dispositionis itidem afficientem subjectum, & sic hæc aliam in infinitum. Secunda pars antecedentis etiam liquet; quia quod convenit personalitati divinæ ex conceptu personalitatis, est commune omni personalitati: atqui exigere præviam dispositionem non est commune omni personalitati; quia personalitas propria non indiget ex concessis præviam dispositionem, ut terminet, ac compleat naturam, cui est propria: ergo exigentia præviæ dispositionis non convenit personalitati divinæ ex conceptu personalitatis simpliciter. Neque hæc exigentia præviæ dispositionis convenit personalitati divinæ; quia personalitas divina eatenus unitur humanitati, quia eminenter continet omnem perfectionem personalitatis creatæ, ejusque vires gerit: sed si humanitas Christi propriam haberet personalitatem creatam, ab hac constitueretur personata, & subsistens absque aliqua prævia dispositione; ergo personalitas Verbi quia divina non exigit præviam dispositionem in humanitate, ut illam terminet, ac constituat personatam.

Rursus si ad unionem cum Verbo Christi humanitas indigeret prævia dispositione, eò quia non sit ad illam immediatè determinata, utique indigeret dispositione determinante ad illam, & quæ tolleret indeterminationem humanitatis; indigentia enim orta ex indeterminatione debet haberi ab aliquo determinante; atqui gratia habitualis non determinat ad unionem personalem cum Verbo ipsam Christi humanitatem, sed illam relinquit omnino in sua indifferentia in ordine ad talem unionem: idque liquet in gratia habituali, quæ puro homini ex Dei miserentis beneficentia communicatur, est enim ejusdem rationis cum gratia habituali Christi: ergo si purum hominem non determinat ad unionem cum Verbo divino, neque Christi humanitatem, quæ licèt non sit ab intrinseco determinata ad unionem cum Verbo, adhuc nulla indiget prævia dispositione ad illam. Præterea magis removetur ac distat natura rationalis ab unione substantiali cum Deo, quàm natura rationalis, cùm hæc ratione spiritualitatis animæ intellectus, & voluntatis proximiùs accedat ad Deum, quàm natura irrationalis, quæ omni destituitur spiritualitatis prærogativa; hinc plus participat de divinis perfectionibus homo, quàm leo, proinde hic magis distat, ac removetur ab unione substantiali cum Deo, quàm homo, in quo datur aliqua saltem congruitas, ut possit assumi à Deo in unitatem personæ; quamvis in natura irra-

irrationali detur capacitas ad unionem cùm Deo in ratione subsistentiæ, non tamen in ratione personæ; neque ulla datur in illa congruitas, ut assumatur à Verbo. Atqui si Verbum divinum naturam irrationalem assumeret, nullam in illa exigeret præviam dispositionem gratiæ habitualis, cujus natura irrationalis non est capax; ergo ex eo quòd humanitas non sit determinata ad unionem cum Verbo, non sequitur, indigere gratia habituali ut dispositione ad talem unionem. Si dicas, naturam irrationalem esse incapacem sanctificationis, proinde etiam gratiæ habitualis; secus quia est capax subsistentiæ, est etiam capax unionis substantialis cum Verbo in ratione suppositi, ac subsistentiæ; proinde ut uniatur Verbo, non indiget gratia habituali ut prævia dispositione: secus natura rationalis quia capax est sanctificationis, est etiam capax gratiæ habitualis, & unionis cum Deo in ratione personæ, & quia inter naturam humanam Christi, & unionem hypostaticam mediat gratia habitualis; & non nisi per medium pertingitur ad externum; ideo in natura rationali requirebatur gratia habitualis ut prævia dispositio ad unionem hypostaticam; non ita in natura irrationali ob incapacitatem sanctificationis. Neque obstat quòd si unio hypostatica non exigit hanc dispositionem præviam in natura irrationali, neque illam exiget in rationali. Nam etiam gratia sanctificans in adultis in sententia plurium Theologorum exigit proprios actus ut disponentes ad illam, quæ tamen in parvulis tales actus disponentes non exigit, eo quia parvuli non sint illorum capaces. Rursus in natura rationali unio hypostatica exigit gratiam sanctificantem veluti proprietatem subsequentem, ut explicuimus; quam tamen non petit, neque exigit in natura irrationali, quia capax sanctificationis non est: ergo gratia habitualis potest in natura rationali exigi ut prævia dispositio ad unionem cum Verbo; & non ita exigi in natura irrationali. Sed contra, quia ex hac solutione sequitur, indigentiam præviæ dispositionis ad unionem personalem Verbi non oriri ex indeterminatione naturæ ad talem unionem; sed ex parte personalitatis divinæ: atqui personalitas, ut personet Christi humanitatem nulla indiget prævia dispositione in ratione supernaturalitatis, nec in ratione personæ simpliciter, neque in ratione personæ divinæ ut paulo superius ostendimus: ergo gratia habitualis non requiritur, ut prævia dispositio in Christi humanitate ad gratiam unionis hypostaticæ. Neque obstat quod gratia habitualis mediet inter humanitatem, & unionem hypostaticam, quia est tantùm media in essendo, non in causando, seu mediat quod esse, non verò quoad causandum; dispositio autem mediat in ordine causalitatis; quod est medium tantùm quoad esse, nec est necesse præcedat ad unionem cum extremo; alioqnin ut natura humana uniretur cum Verbo divino, deberet prius uniri cum natura angelica, quia hæc quoad esse mediat inter Verbum divinum, & naturam humanam.

Dicendum secundò, gratiam habitualem neque ut dispositionem moralem, & congruam præcessisse unionem hypostaticam verbi divini cum natura humana ita docet Div. Thomas 3. part. quæst. 6. art. 6. in corpore ubi explicans utramque gratiam unionis, & habitualem ait: *Gratia ergo non potest intelligi, ut medium in assumptione humanæ naturæ, sive loquamur de gratia unionis, sive de gratia habituali; gratia enim unionis est ipsum esse personale, quod gratis divinitus datur humanæ naturæ in persona Verbi, quod quidem est terminus assumptionis. Gratia autem habitualis pertinens ad spiritualem sanctitatem illius hominis est effectus quidem sequens unionem, secundùm illud Joan. 1. Vidimus gloriam ejus, sicut unigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis. Per hoc, per quod datur intelligi, quod ex hoc ipso, quòd ille homo est unigenitus à Patre habet, quod per unionem habet plenitudinem gratiæ, & veritatis:* unde censuit D. Thomas gratiam habitualem non præcedere ut medium etiam congruum, seu ut congruam dispositionem ante unionem personalem humanitatis cum Verbo, eò quia sit effectus se habens consecutivè ad ipsam unionem. Ratione etiam hoc idem evincit D. Thomas *loc. cit.* quia esse substantiale præcedit accidentale, ad quod præsupponitur, atqui unio humanitatis ad Verbum est substantialis seu secundùm subsistentiam, quæ pertinet ad ordinem substantiæ; & est quid substantiale: & gratia habitualis est in ordine accidentis, ac de prædicamento illius, proinde nequit præstare nisi esse accidentale, ergo unio humanitatis cum Verbo præcedit gratiam habitualem, quæ propterea non potest esse dispositio congrua ad unionem: siquidem in quacunque natura substantiali creata prius est, quòd in se substantialiter existat, quàm quod sustentet accidentia vel subsit iisdem: sed Christi humanitas subsistit, & completur in ordine substantiæ per subsistentiam Verbi, & in sententia Thomistarum cum D. Thoma humanitas Christi existit per existentiam Verbi, & ex unione ad illam, proinde prius fuit humanitas Christi Verbo unita, quàm gratia habituali informata, & consequenter gratia habitualis non præcessit unionem hypostaticam ut prævia dispositio ad illam. Quòd si in quacunque natura substantiali creata prius est, quod in se completè subsistat in ordine substantiali, quàm recipiat accidentia, & Christi humanitas completè in ordine substantiæ non subsistat nisi per unionem hypostaticam, cujus beneficio completur à personalitate Verbi in ordine substantiali, sequitur evidenter gratiam habitualem non posse hanc unionem substantialem personæ divinæ cum natura humana præcedere. Hinc D. Thomas 1. part. quæst. 76. art. 6. in corp. ait: *Sed si anima intellectiva unitur corpori, ut forma substantialis, sicut jam supra dictum est, impossibile est, quòd aliqua dispositio accidentalis cadat media inter corpus, & animam, vel inter quamcunque formam substantialem & materiam suam. Et hujus ratio est, quia cùm materia sit in potentia ad omnes actus ordine quodam; oportet, quòd id, quod est primum simpliciter in actibus, primò in materia intelligatur; primùm autem inter omnes actus esse: impossibile est, ergo intelligere materiam prius esse calidam, vel quantam, quam esse in actu esse autem in actu habet per formam substantialem, quæ facit esse simpliciter, unde impossibile est, quòd quæcunque dispositiones accidentales præexistant in materia ante formam substantialem, & per consequens nec ante animam.* Ex eo igitur quòd existentia substantialis, quæ est primus inter omnes actus, qui à materia recipiuntur, præstetur à forma substantiali deducit D. Thomas esse impossibile, quòd dispositiones accidentales præintelligantur existere ante formam substantialem, quia si primus actus est substantialis, non potest præcedi ab alio actu accidentali, alioquin non esset primus actus simpliciter, sed tantùm in ordine substantiali, & D. Thomas docet existentiam esse simpliciter primum actum, quamvis ipsa sit substantialis, atqui Verbum ut humanitati unitum præstat humanitati Christi ultimum complementum

mentum in ordine substantiæ, adeo ut humanitas non subsistat in ordine substantiali, nisi per subsistentiam verbi, ergo si humanitas Christi non est susceptiva accidentium, nisi sit in ordine substantiali ultimatè completa, impossibile est, quod gratia habitualis quæ dat esse accidentale præintelligatur in humanitate ad unionem cum personalitate verbi, ac sit dispositio congrua ad illam. Certum est enim Christi humanitatem subsistere per subsistentiam verbi divini, cum certum sit de fide, non dari in Christo duas personas, sed humanitas ut subsistens præcedit gratiam habitualem, ad quam præsupponitur, ergo non potest præcedere unionem humanitatis cum verbo, consequenter nequit intelligi, quomodo esse possit prævia dispositio ad illam. Minor ostenditur, quia subjectum connaturale accidentium, & gratiæ habitualis non est natura rationalis in abstracto, sed in concreto, hoc est ut existens in supposito, & ut ultimatè completa in ordine substantiali: atque ad gratiam habitualem præsupponitur subjectum connaturale illius non minus quam ad alia accidentia, proinde supponitur natura ut subsistens; & quia de fide est, Christi humanitatem non subsistere subsistentia propria creata, qua destituitur; sed subsistentia increata verbi divini terminantis & complentis in ordine substantiali Christi humanitatem; hæc ut unitæ subsistentiæ verbi præsupponitur ad gratiam habitualem, quæ propterea non potest esse prævia dispositio in humanitate ad unionem cum verbo. Quinimo D. Thomas *loc. cit.* docens humanitatem Christi non fuisse assumptam à verbo mediante gratia habituali disponente ipsam humanitatem ad talem unionem asserit gratiam habitualem se habuisse consecutive ad unionem hypostaticam, ac fuisse effectum illius, & Thomistæ interpretantur Divum Thomam fuisse locutum de consecutione morali, & ad evincendum gratiam habitualem non præcessisse unionem hypostaticam verbi cum humanitate, ut dispositionem istius ad suscipiendum modum unionis ita argumentantur: non stat mutua causalitas inter duo in eodem genere causæ: atqui si gratia habitualis esset dispositio in humanitate ad recipiendum modum substantialem unionis hypostaticæ, ac esset dispositio congrua, daretur inter gratiam habitualem, & unionem hypostaticam mutua causalitas in eodem genere causæ, quod cum nequeat contingere, sequitur gratiam habitualem non præcessisse ut præviam dispositionem in humanitate unionem hypostaticam. Major est certa apud omnes, minor ostenditur, quia eatenus gratia habitualis est effectus consequens gratiam unionis, quatenus Deus Christi humanitatem ornavit gratia habituali, ut esset disposita ad recipiendum modum substantialem unionis, adeo ut communicaverit humanitati gratiam habitualem intuitu gratiæ unionis, & ratione dignitatis, quã humanitati præstat: atqui, si gratia habitualis præcederet ut dispositio congrua ad unionem, fuisset humanitas verbo unita intuitu gratiæ habitualis, ac ratione dignitatis communicatæ humanitati, unde si gratia habitualis ut dispositio congrua præcederet in humanitate unionem hypostaticam, daretur inter unionem humanitatis cum verbo, & gratiam habitualem mutua causalitas in eodem genere causæ.

Firmatur, quia si actus contritionis supponat gratiam habitualem sub conceptu justificantis, & ut dantem animæ effectum sanctitatis, non posset actus contritionis ad illam disponere nec physicè, nec moraliter: atqui gratia habitualis supponit gratiam unionis ut dignificantem Christi humanitatem, consequenter nequit illam procedere ut dispositio congrua, & moralis. Major est certa, quia actus contritionis est dispositio ad gratiam habitualem, quam non supponit, sed ponit, adeo ut Authores docentes actum contritionis procedere efficienter à gratia habituali, ac esse dispositionem physicam vel moralem ad illam, asserant actum contritionis non procedere à gratia habituali, ut justificante animam, neque ut præstante animæ sanctitatis effectum, sed ut illam auxiliante vel sub aliqua alia formalitate; sentiantque propterea, quod si gratia habitualis præcederet ut justificans actum contritionis, qui propterea supponeret gratiam habitualem ut justificantem, non posset eandem gratiam præcedere per modum dispositionis physicæ nec moralis, sed potius esset effectus gratiæ habitualis, quatenus ad illam ut sanctificantem se haberet consecutivè. Minor etiam ostenditur, quia Deus contulit Christi humanitati gratiam habitualem intuitu summæ dignitatis, qua insignitur beneficio gratiæ unionis, exigebat enim gratia unionis, ut Christi humanitati plenitudo gratiarum conferretur, unde quòd gratia habitualis sit in Christi humanitate, est potius effectus gratiæ unionis dignificantis Christi humanitatem, quatenus intuitu talis dignitatis confertur Christi humanitati plenitudo gratiarum, consequenter & ipsa gratia habitualis.

Præterea si actus contritionis supponeret gratiam habitualem ut justificantem & receptam in anima receptione connaturali, & ab ipsa procederet, non posset illam præcedere ut dispositio physica vel moralis, atqui gratia habitualis supponit verbum ut complens ac terminans in ordine substantiali Christi humanitatem, & unionem ejusdem verbi cum humanitate receptam in illa receptione connaturali, & ab illa ut sic procedit, ut à causa morali, consequenter non præcessit unionem ut dispositio physica, nec ut dispositio moralis. Major liquet in sententia authorum, qui docent actum contritionis procedere à gratia habituali simulque ad illam disponere: ut enim hanc mutuam dependentiam, & prioritatem propugnent, & explicent, docent gratiam supponi ad actum contritionis velut informantem animam non autem ut receptam in illa; velut receptam quoad essentialia à receptione exacta; non quoad illa, quæ postulat ut connaturaliter recipiatur, proinde sentiunt, non posse fieri, quod actus contritionis supponit gratiam ut connaturaliter receptam in anima, & quod ab illa sic sumpta efficiatur, & simul ad gratiam disponat. Minor etiam ostenditur, quia unio humanitatis cum verbo, nec ut recepta quoad essentialia receptionis, nec ut connaturaliter recepta dependet à gratia habituali, ergo unio hypostatica supponitur ad gratiam habitualem, adeo ut supponatur modus substantialis unionis ut receptus in Christi humanitate non solum quoad essentialia, verùm etiam quoad connaturalia.

Objici tamen potest in contrarium illud Ps. 44. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis:* Oleum siquidem lætitiæ, quo humanitas dicitur uncta præ consortibus suis est, gratia unionis substantialis, & divinitas est, quæ ungit, & sanctificat Christi humanitatem, atqui hoc unguento, seu divinitate dicitur Christi humanitas uncta, quia dilexit justitiam, & odio habuit iniquitatem, adeo

ut actus, quibus dilexit justitiam, & odio habuit iniquitatem præcesserint ipsam unctionem, seu unionem hypostaticam & non potuerunt processisse, nisi processerint à gratia habituali, quia præcesserunt ut meritoria unctionis, & ut tales debuerunt procedere à gratia sanctificante, seu habituali à qua habetur ratio meriti in actibus meritoriis. Ergo tum quia si humanitas fuit ad unionem per actus illos disposita sive physicè sive moraliter vel meritoriè, etiam potuit per habitualem gratiam disponi, quia non minus supponitur ad actus existentiæ substantialis, quam ad gratiam habitualem. Præterea quia hujusmodi actus exigebant procedere coonaturaliter à Christi humanitate; & non potuerunt connaturaliter elici sine gratia habituali, quæ propterea præcessit in humanitate Christi unionem hypostaticam.

Sed contra, quia illud Psalmi 44. diversimodè solet explicari, & plures sancti Patres per illam unctionem, de qua loquitur David intelligunt unctionem per gratiam habitualē, ex quo non sequitur gratiam habitualem præcessisse ipsam unctionem, alioquin se ipsam præcessisset. Præterea si sermo sit de sanctificatione per gratiam habitualem, sensus verborum Psalmi 44 est clarus, & est, quia Christus ut homo dilexit justitiam, & odio habuit iniquitatem, ideo unctus fuit per gratiam habitualem significatam oomine olei lætitiæ præ consortibus suis, quatenus Christus præ omnibus gratiam habitualem recepit: ex hoc autem non infertur, quòd Christus se disposuerit per proprios actus ad gratiam substantialem unionis, neque quod gratia habitualis præcesserit ut dispositio ipsam gratiam unionis hypostaticæ, quia Christus ut subsistens per verbi subsistentiam elicuit tales actus qui propterea tribuuntur personæ, & non naturæ ut distinctæ à supposito, unde tales actus non fuerunt causa unctionis, seu unionis hypostaticæ, sed potius effectus respectu talis unionis; & causa respectu gratiæ habitualis, quæ intuitu etiam illorum actuum fuit animæ Christi collata. Verùm quia communior sententia nomioe olei lætitiæ iotelligit unctionem homanitatis per divinitatem, adeo ut ipsa unctio non significet gratiam significantem, & accidentalem, sed gratiam substantialem unionis hypostaticæ, respondetur illam causalem positam à Davide *propterea unxit te Deus* denotat causam finalem, adeo ut sensus sit dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, ut Deus ungat te oleo lætitiæ: tunc enim causalitas non ad ipsam unionem refertur, sed ad illius manifestationem, quam Christus propriis actibus meruit. Neque id novum est in sacris scripturis intelligere aliquid fieri, cùm de oovo manifestator, in hoe enim sensu solet intelligi illud aliud Davidis Psalmi 2. *Ego hodie genui te*, seu hodie in die resorrectionis manifestavi generationem tuam. Pari pacto Christus dicitur unctus oleo lætitiæ, seo unione hypostatica, quia dilexit justitiam, & odio habuit iniquitatem, quatenus per hos actus meruit non ipsam unionem hypostaticam, sed illius manifestationem. Quòd si dicas illud adverbium *propterea* significare causam efficientem, tunc sensus verborum est, quia unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis, seu quia Deitas per unionem hypostaticam personalitatis verbi complentis in ordine substantiali Christi humanitatem, eandem ipsa Deitas subtantialiter sanctificavit, ideo CHRISTUS dilexit justitiam, & odio habuit iniquitatem, adeo ut illud *propterea* non denotet causam unionis humanitatis cum verbo sed effectum unionis significatæ per oleum lætitiæ; & hunc sensum verborum approbat Cajetanus, ut magis informem verbis Regu Prophetæ, dixerat enim antea. *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga directionis virga regni tui*, ex eo, quod verbum caro factum est, & Deus homo thronum habet in æternum, quòd virga regni illius virga est directionis, & ipse justitiam dilexit, & odio habuit iniquitatem, si præfata verba Davidis non de gratia habituali, nec de sola manifestatione unionis hypostaticæ, sed de ipsamet unione homanitatis cum verbo intelligantur, inde non infertur præfatos actus ab humanitate elicitos præcessisse gratiam unionis, neque gratiam habitualem fuisse præviam dispositionem ad illam, quia prius intelligimus Deum unxisse oleo lætitiæ Christi humanitatem, & verbi personalitatem complevisse illam in ordine substantiæ, ac supplevisse defectum propriæ subsistentiæ creatæ, ac Deitatem sanctificasse substantialiter ipsam Christi humanitatem, & postea Christum ut compactum ex humanitate creata, & subsistentia increata ac Verbo divino dilexisse justitiam, ac odio habuisse iniquitatem.

Objicitur secundò, quia ut docet Div. Thomas 1. *part. quæst.* 12. *art.* 5. Omne quod elevatur ad aliquid excedens propriam naturam, debet prius disponi aliqua dispositione, quæ sit supra illius naturam, siquidem dispositio debet esse intra eundem ordinem, in quo est forma, ad quam disponit subjectum, atqui personalitas verbi naturam omnem creatam, & creabilem excedit, proinde ut humanitas eidem uniatur, debet aliqua dispositione, quæ sit supra eandem naturam humanam, disponi, & cùm oon sit alia dispositio aptior, quàm gratia habitualis, concludendum videtur gratiam habitualem præcessisse in Christi humanitate unionem cum verbo, ac eam disposuisse ad talem unionem: hac ratione utitur Div. Thoma ad probandam necessitatem luminis gloriæ, ut intellectus beati disponatur ad unionem cum divina essentia ut gerente munus speciei: & rursus 1.2. *quæst.* 12. *art.* 2. eadem ratione ostendit, requiri ex parte nostra aliquam dispositionem, qua præparemus nos ad gratiam justificantem, eo quia gratia sanctificans excedit naturam humanam, atque verbi personalitas non minus excedit omnem naturam creatam, quàm divina essentia, ut species mentes beatorum, & gratia habitualis naturam humanam, proinde debuit in humanitate Christi gratia habitualis præcedere, ut disponens humanitatem ad suscipiendum in se modum supernaturalem unionis hypostaticæ. Sed contra distinguitur major, si id supernaturale, ad quod natura elevatur, sit forma per modum naturæ vel per modum conprincipii actionis excedentis naturam, conceditur major; si tantum excedat naturam simpliciter, & non sit conprincipium actionis excedentis naturam, negatur major, & consequentia, siquidem personalitas verbi non est forma supernaturalis, quæ se habeat per modum naturæ seu conprincipii actionis excedentis facultatem humanitatis, sed tantùm se habet per modum termini ultimo terminantis, ac complentis in ordine substantiali Christi humanitatem, quæ cum destituatur propria personalitate, verbum divinum vices illius gerit, adeo ut humanitas Christi aliam non habeat personam, nisi verbi divini, nec per aliam subsistat subsistentiam, quam per subsistentiam verbi. Quamobrem licet personalitas verbi excedat facultatem, & exigentiam totius naturæ, nontamen indiget dispositione, qua humanitas prævie

ad illam

ad illam præparetur, quia non est forma supernaturalis, quæ se habeat per modum naturæ, & conprincipii actionis excedentis naturam. Ad illud, quod asserebatur de divina essentia gerente munus speciei, respondetur divinam essentiam fungi tali munere ut comprincipium visionis in intellectu beatorum, cùm enim visio beata excedat naturam, quæ non est ex se sufficiens ad illius elicientiam, ideo exigit per aliquam formam supernaturalem elevari, & per quam sufficienter constituatur, quo pacto intellectus beati dicitur elevari ad visionem beatam supernaturalem per divinam essentiam ut gerentem munus speciei: sicut enim species creata præsupponit in intellectu virtutem ad eliciendam intellectionem objecti cujus est species: ita divina essentia, ut gerens munus speciei præsupponit virtutem in intellectu beati, qua possit Deum videre, & hæc virtus est dispositio ad unionem cum divina essentia, quia jam supponitur elevata ad statum supernaturalem. Ad aliud de gratia habituali respondetur hanc esse in ordine supernaturali, & se habere per modum naturæ, quo pacto dicitur participatio naturæ divinæ, quatenus radicat facultates operativas supernaturales: quamobrem sicut formæ naturales naturam constituentes requirunt præviam dispositionem præparantem materiam ad recipiendam formam; perinde gratia habitualis, quæ in ordine supernaturali obtinet rationem naturæ, dispositiones exigit in subjecto.

Objicitur tertio non repugnat, gratiam habitualem se habere consecutivè ad gratiam unionis & præcedere unionem, ac esse præviam dispositionem ad illam; etenim actum contritionis procedere à gratia habituali in genere causæ efficientis est sententia communior inter Thomistas, quæ docetur à D. Thoma 1. 2. *quæst.* 113. *art.* 8. unde actus contritionis se habet consecutivè ad gratiam habitualem tanquam effectus illius: atqui actus contritionis est dispositio prævia physica, vel moralis ad gratiam habitualem, ergo, quamvis gratia habitualis subsequatur ad gratiam unionis tanquam effectus illius, adhuc potest illam præcedere, ut dispositio. Rursus dispositiones accidentales præsupponunt formam substantialem, ad quam propterea consequuntur tanquam effectus illius: sed dispositiones accidentales prævie disponunt ad eandem formam substantialem inducendam, quatenus præparant materiam ad illam recipiendam: ergo quamvis gratia habitualis in Christi humanitate sequatur ad unionem hypostaticam, adhuc poterit esse dispositio ad illam, quatenus disponit humanitatem ad modum substantialem unionis hypostaticæ recipiendum. Major docetur à D. Thoma 1. *part. quæst.* 6. & alibi, ubi asserit accidentia non posse recipi immediatè in materia substantiali, & necessariò præsupponere formam substantialem, qua mediante recipiuntur in materia. Minor communis est inter Philosophos asserentes formam substantialem non recipi in materia nisi hæc fuerit priùs accidentalibus dispositionibus præparata. Firmatur. Quia mutua causalitas in diverso genere causæ non repugnat inter duo: sed gratia habitualis sequitur ad gratiam unionis ut effectus illius in genere causæ quasi efficientis: & illam etiam præcedit non tempore, sed natura, non præcedentia absoluta, sed præcedentia limitata in genere causæ dispositivæ cum dependentia ab eadem in alio genere causæ, ergo &c. Firmatur secundò quia Verbum assumpsit animam rationalem Christi Domini mediante intellectu; adeo ut intellectus fuerit congrua dispositio prævia, ut anima assumeretur à Verbo, & tamen intellectus est de genere accidentium, consequenter in sententia Thomistarum supponit existentiam substantialem, & subsistentiam: ergo quamvis gratia accidentalis habitualis supponat unionem humanitatis cum Verbo, & ad illam sequatur veluti effectus illius, id non impedit, quin unionem præcedat, & ad illam supponatur ut congrua dispositio.

Sed contra negatur antecedens: quia gratia habitualis non ponit, sed supponit gratiam substantialem unionis hypostaticæ, proinde non potest ad illam disponere. Supponit enim gratiam unionis ut sanctificantem Christi humanitatem; quia gratia unionis non fuit Christi humanitati concessa ob præviam aliquam dispositionem positam à gratia habituali, sed ex divina complacentia in humanitatem Christi, ut sanctificaretur sanctitate substantiali, ut colligitur ex illo Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis:* ex quo textu liquet gratiam habitualem fuisse Christo ut homini impertitam, quia fuit unigenitus à Patre, seu filius naturalis, unde Christi humanitas prius fuit Verbo unita, quàm esset plena gratiæ, & veritatis, quapropter gratiæ habitualis supponit in Christo gratiam unionis ut sanctificantem humanitatem: quòd si supponit gratiam unionis, non potest hanc præcedere ut prævia dispositio: non enim actus contritionis esset dispositio ad gratiam sanctificantem, si ad illam consequeretur. Hinc ad primam probationem antecedentis in qua dicebatur, quòd actus contritionis sit dispositio ad gratiam justificantem, ad quam se habet consecutivè, proinde posse gratiam habitualem esse dispositionem ad gratiam unionis, quamvis ad ipsam consequatur, respondetur, actum contritionis efficienter non procedere à gratia habituali ut justificante, sed in sententia Thomistica procedit ab illa sub conceptu auxiliantis, aut sub alia ratione distincta à conceptu sanctificantis, etenim docentes actum contritionis procedere efficienter à gratia habituali, & simul ad illam ut præviam dispositionem præparare non concedunt procedere à gratia habituali ut justificante animam, sed sub alia ratione, ut sub conceptu auxiliantis, vel quatenus se tenet ex parte agentis; vel etiam à gratia habituali, ut informante subjectum, non autem ut in illo recepta saltem connaturaliter, sed tantùm secundùm essentialia receptionis, quo pacto nituntur propugnare actum contritionis disponere ad gratiam habitualem & simul ad illam sub conceptu auxiliantis procedere posterioritate non temporis, sed naturæ, unde non docent actum contritionis procedere efficienter à gratia habituali ut justificante, ac ut perfectè communicata animæ, & simul ad eandem gratiam habitualem disponere. Ad secundam probationem ejusdem antecedentis, in qua dicebatur ex doctrina D. Thomæ non posse accidentia recipi immediatè in materia substantiali, eò quia necessariò præsupponant formam substantialem, ad quam disponunt materiam, respondetur in sententia D. Thomæ eatenus accidentia consequi, & præcedere formam substantialem in materia, quia hæc constat ex diversis gradibus virtualiter distinctis, adeo ut materia per unam formam substantialem actuata secundùm primum gradum subjiciatur accidentibus, quibus ad ulteriores gradus disponatur: & quia hæc graduum distinctio in gratia substantiali unionis non datur, nec in subsistentia Verbi, ideo gratia habitualis consequens gratiam unionis non potest ad illam disponere, nec se habere ut prævia dispositio, quia adæ-

quatè, & secundùm ultimum gradum se habet consecutivè ad gratiam unionis: quo pacto quia potentiæ rationales in anima sequuntur ad animam secundùm ultimum gradum, & se habent ad illam adæquatè consecutivè, non possunt ad illam prævië disponere, nec se habere antecedenter, sed tantùm concomitanter per identitatem quatenus potentiæ animæ cum ipso identificantur, ac se habent concomitanter: & quia gratia habitualis etiam adæquatè consequitur ad gratiam unionis secundùm ultimam differentiam, non potest ut prævia dispositio præcedere gratiam unionis, nec ad illam præparare Christi humanitatem. Neque obstat, si dicas calorem ut octo sequi ad formam ignis secundùm ultimum gradum, eò quia sit propria passio ignis, & passiones sequantur ad essentiam secundum ultimam differentiam, & nihilominus disponere ad formam ignis, proinde posse etiam gratiam habitualem se habere consecutivè ut proprietatem ad gratiam unionis secundum ultimam differentiam, & simul prævië disponere humanitatem Christi ad illam. Nam contra est, quia ideo potentiæ animæ non disponunt prævie & antecedenter animam, quia consequuntur ad illam secundum ultimum gradum, proinde si calor ut octo sequitur ad formam ignis secundum ultimum gradum, nequeunt disponere subjectum ad formam ignis, sed ad summum ut potentiæ animæ se habent concomitanter cum ipsa, ita calor ut octo se habet concomitanter ad formam ignis, proprietates enim, quamvis consequantur ad essentiam speciei secundum ultimam differentiam illius, adhuc illam concomitantur, eò quia non tempore, sed tantum natura sequantur ad essentiam. Ad primam confirmationem respondetur mutuam causalitatem in diverso genere causæ posse inter duo intercedere, quia diversæ causæ non exigunt eundem modum existendi in ordine ad causandum, alioquin si exigerent eundem modum existendi, non possent admittere mutuam causalitatem, quo pacto licèt causa universalis, & particularis efficiens non sint ejusdem generis infimi causæ, non possunt ad invicem causari, quamvis una causa causet ut universalis, & alia ut particularis, quia uterque modus causandi exigit præexistentiam ad effectum. Quia igitur gratia unionis ut moraliter causet gratiam habitualem, exigit existentiam, & præsupponitur existens: & gratia habitualis ut præstet concursum moralem dispositivum ad gratiam unionis, etiam exigit existentiam, adeo ut debeat ad illam præexistere, ideo quamvis in ratione causæ moralis non conveniant specificè in ultima differentia, adhuc non potest dari mutua moralis causalitas. Ad secundum confirmationem, in qua dicebatur Verbum assumpsisse animam mediante intellectu, qui propterea fuit dispositio prævia, ut anima assumeretur à Verbo: Respondetur intellectum non sumi ut potentiam proximè intellectivam, & realiter distinctam ab anima, sed ut gradum radicaliter intellectivum, & ut formaliter, vel virtualiter distinctum à gradu sensitivo: anima igitur Christi fuit assumpta mediante intellectu secundùm gradum radicalem intellectivum à Verbo divino, atqui talis intellectus radicalis est ipsa anima, ut radicaliter intellectiva, ergo non sequitur, quòd intellectus prævië disposuerit animam ad unionem cum Verbo. Deinde paritas non procedit, quia gratia habitualis est accidens physicum distinctum realiter à subjecto, quod afficit, intellectus verò est in anima accidens metaphysicum identificatum realiter cum ipsa anima. Instabis Verbum assumpsit humanitatem perfectam in quavis perfectione sibi debita, & connaturali: atqui intellectus sumptus pro potentia proximè intellectiva est perfectio debita humanitati, imò & præcipua inter omnes perfectiones accidentales debitas humanitati, ergo Verbum assumpsit humanitatem præditam intellectu proximè intelligente, ergo anima ab intellectu proximè intelligente fuit prævië disposita ad susceptionem Verbi, alioquin in illo priori, antequam intelligeretur assumpta, foret imperfecta, & ut talis assumeretur à Verbo. Sed contra distinguitur major, Verbum assumpsit humanitatem perfectam in omni perfectione ipsi debita, eo ordine, quo perfectio debetur humanitati, conceditur, diverso ordine negatur: assumpsit Verbum humanitatem Christi perfectam juxta ordinem, quo perfectio est humanitati debita: & quia intellectus non est perfectio debita humanitati pro priori ad assumptionem à Verbo, ideo non est necesse, ut assumatur intellectus ut actu intelligens: quia intellectus actu intelligens est tantum perfectio debita humanitati in instanti, *in quo* assumptionis pro signo posteriori ad illam, unde non sequitur Verbum assumpsisse humanitatem imperfectam pro priori ad assumptionem, quia intellectus actu intelligens non debetur pro illo priori, nec pro illo tunc ejus carentia est imperfectio privativa. Deinde falsum est, quod Verbum divinum assumpserit humanitatem perfectam, quia non fuisset humanitas Christi assumpta, nisi caruisset propria personalitate, quæ debita erat humanitati consideratæ secundum propria intrinseca prædicata. Cum enim subsistentia Verbi vices suppleat subsistentiæ creatæ, & compleat dependentiam, qua humanitas à propria subsistentia dependet, non supponit in humanitate, ut ei uniatur, propriam subsistentiam creatam.

Dicendum tertiò, gratiam habitualem in Christo non dimanare physicè per modum proprietatis à Verbo tanquam à principio *quod*. Ratio est, quia principium dimanationis necessariò, & naturaliter influit quantum potest, in proprietates dimanantes ab ipso: atqui Verbum divinum in nullum opus ad extra influit necessario, quia Deus consequenter & Verbum divinum nonnisi liberè ad extra operatur: ergo si proprietas fuit necessario naturaliter à principio, cujus est proprietas, & à quo dimanat, sequitur gratiam habitualem non posse physicè dimanativè, & per modum proprietatis sequi ad ipsum Verbum, quod propterea non fuit principium *quod* dimanationis gratiæ habitualis. Præterea quia quod naturaliter, & necessario agit, influit secundùm ultimum gradum potentiæ, proinde si est infinitum agens, infinitum producit effectum, nisi aliunde impediatur, & cum Verbum sit infinitæ virtutis, nec possit ab ullo impediri, sequitur quòd si esset principium *quod* dimanationis gratiæ habitualis se habentis per modum proprietatis, debeat gratia habitualis in anima Christi esse infinitæ intensionis, quòd non conceditur. Rursus inde sequeretur non potuisse etiam de potentia absoluta impedire resultantiam gratiæ habitualis in Christi anima contra omnes Theologos asserentes, potuisse Verbum assumere humanitatem destitutam omni dono accidentali gratiæ; consequenter Verbum non est principium *quod* dimanationis illius. Sequela ostenditur, quia quod à Verbo impediri non potest, id neque à Deo potest impediri: atqui si Verbum esset principium *quod* dimanationis gratiæ habitualis, non posset hæc dimanatio à Verbo impediri, quia causa naturaliter agens nequit suum proprium effectum impedire: & Verbum si supponatur esse principium *quod* dimanationis gratiæ habitualis, est causa natu-

ralis

ralis illius, proinde si gratia dimanat à Verbo tanquam à principio *quod*, non potest illius dimanatio impediri de potentia Dei absoluta. Demum quia Verbum non est principium *quod* dimanationis gratiæ ratione subsistentiæ propriæ, nec ratione naturæ divinæ, proinde gratia habitualis non dimanat à Verbo ut à principio *quod*, quia quod Verbo convenit, debet illi convenire vel per modum proprietatis relativæ vel ratione alicujus prædicati absoluti, proinde si nec ratione naturæ, nec prædicati absoluti convenit Verbo divino radicare gratiam habitualem in humanitate assumpta, jam illi non convenit esse principium *quod* physicæ dimanationis gratiæ habitualis. Quòd illi non conveniat ratione prædicati relativi, constat, quia prout distinguitur à prædicatis absolutis, proprietas relativa non est operativa ut *quo*, nec proximè, nec radicaliter, & quod est ratio dimanationis proprietatis operativæ, est ut *quo* radicaliter operativum, consequenter personalitas non est Verbo ratio radicandi gratiam habitualem, nec illam principiandi dimanativè. Quòd nec Verbum sit hoc principium ratione prædicati absoluti, liquet, quia quod convenit Verbo ratione naturæ divinæ, vel alterius prædicati absoluti in ordine causæ efficientis, convenit etiam aliis tribus personis: radicare autem activè gratiam habitualem est aliquid intra ordinem causæ efficientis, & nonvenit Patri, & Spiritui sancto, cùm hæ personæ non fuerint humanitati unitæ, ergo nec convenit Verbo ratione prædicati absoluti, quòd si dicas id non valere de Verbo ut humanitati unito, sed tantùm de Verbo secundùm se, Verbo enim humanitati unito non repugnat necessitas in operando ad extra, quia necessario ut *quod* operatur actiones vegetativas humanitatis, unde non sequitur debere infinitum effectum producere, nec quòd non potuit impediri de potentia absoluta, quia quod à Verbo ut subsistente in humanitate assumpta necessario procedit, potest à Verbo secundùm se, & ab aliis personis impediri. Neque inde sequitur principium radicandi debere esse commune tribus personis, quia non convenit Verbo ratione divinæ naturæ, sed ut humanitati unito, & quod sic convenit Verbo, non est necesse, aliis quoque personis conveniat. Sed contra, quia Verbo ut unito humanitati non convenit efficientia, nisi ratione humanitatis eidem conveniat: atqui radicare gratiam habitualem in Christi humanitate est de genere efficientiæ, & non convenit Verbo ratione humanitatis, quia hæc non est ratio radicandi sibi gratiam sanctificantem, proinde nec Verbo ratio radicandi gratiam habitualem, unde si hoc principium radicandi non convenit Verbo in se, neque potest eidem convenire ut humanitati unito. Major ostenditur, quia omnis efficientia necessè est conveniat ratione alicujus naturæ: atqui efficientia non conveniens Verbo in se ipso, sed tantùm Verbo ut humanitati unito non convenit Verbo ratione naturæ divinæ: ergo deberet illi convenire ratione naturæ humanæ, quod est falsum, quia humanitas Christi ratione sui non potest radicare gratiam habitualem, quia hæc est ens supernaturale, ac supra totius naturæ exigentiam, & humanitas ratione sui præcisè est ens ordinis naturalis, & ejusdem rationis cum nostra humanitate, consequenter non potest radicare gratiam habitualem, adeo ut hæc per modum proprietatis non possit physicè dimanativè fluere ac procedere ab ipso humanitate ratione sui præcisè.

Neque gratia habitualis dimanat physicè ab humanitate Christi ratione alicujus prædicati ex his quæ in Christo inveniuntur, & ad quæ fuit humanitas per assumptionem evecta. Ratio est, quia si humanitas Christi esset principium physicæ dimanationis, gratia habitulis ratione alicujus prædicati divini supernaturalis, maximè esset ratione ipsius unionis hypostaticæ, qua mediante personalitate Verbi ungitur à divinitate: atqui neque ratione hujus unionis dici potest principium radicans per modum proprietatis gratiam habitualem, neque principium physicæ dimanationis gratiæ ab ipso; quia unio hypostatica est modus substantialis distinctus realiter modaliter ab extremis; & ratione sui nequit esse hoc principium dimanationis, consequenter neque ratione illius potest humanitas esse principium *quod* dimanationis. Tum quia per talem modum nec ut *quo* potest gratia habitualis per modum proprietatis physicè dimanativè fluere ab ipsa humanitate, quia modus substantialis unionis cùm non sit operativus, nec potest esse principium *quo* humanitas sit operativa, & radicet gratiam habitualem. Quòd verò modus unionis non possit esse principium *quod* dimanationis proprietatis, etiam liquet, quia principium *quod* dimanationis proprietatis proximè, aut radicaliter operativæ debet esse operativum ut *quod*, atqui modus substantialis unionis non est operativus *ut quod*, consequenter neque ad illum potest gratia habitualis sequi per modum proprietatis physicæ. Firmatur, quia unio non est operativa ut *quo* radicaliter, ergo ratione illius nequit humanitas esse radix gratiæ habitualis, neque potest gratia ratione unionis dimanativè sequi ad humanitatem, quia principium *quo* radicans principium operativum debet esse operativum ut *quo* radicaliter, consequenter si unio hypostatica non est *ut quo* radicaliter operativa, nequit esse principium *quo* radicale gratiæ habitualis, & aliorum donorum spectantium ad ordinem gratiæ. Antecedens scilicet unionem hypostaticam non esse operativam *ut quo* radicaliter, ex eo liquet, quia si esset principium *quo* radiale operandi, maximè esset, quia superaret perfectionem gratiæ habitualis, quæ est operativa radicaliter *ut quo*, atqui hæc ratio nullius est roboris, ut constat in subsistentia Verbi, quæ infinite excedit gratiam habitualem, & tamen non est operativa *ut quo*, neque ab ipsa subsistentia dimanat per modum proprietatis ipsa gratia. Rursus lumen gloriæ exceditur ab unione, & tamen inde non infertur, quòd si lumen gloriæ est principium *quo* proximum visionis beatæ, etiam uniu debeat esse principium proximum *quo* visionis, ergo licèt gratia unionis superet perfectionem gratiæ habitualis, inde non sequitur, quòd si gratia habitualis est principium operativum, etiam ipsa unio hypostatica, debeat esse principium *quo* radicale operandi.

Evincitur secundò assertum, quia unio hypostatica in ordine supernaturali non est natura, atqui si esset principium radicale *quo* gratia habitualis esset operativa radicaliter, consequenter esset natura in ordine supernaturali: quòd si non est natura, neque principium quo radicale, proinde neque principium, à quo per modum proprietatis fluit gratia habitualis. Major liquet, quia si unio in ordine supernaturali esset natura indigeret alia unione, qua mediante uniretur proprio subjecto, quod non dicitur, rursus quia modus, quo gratia unitur proprio subjecto non est natura in ordine supernaturali, neque modus, quo anima rationalis unitur corpori, est natura in ordine naturali, unde modus unionis, quo humanitas unitur Verbo divino, non est natura ordinis supernaturalis, consequenter nec

 prin-

principium operativum radicale, quia de ratione naturæ est esse tale principium in quolibet ordine naturali & supernaturali. Hinc gratia habitualis; quia est principium radicale aliorum donorum supernaturalium, est natura in ordine supernaturali, quatenus est radix supernaturaliter operandi, quapropter si unio hypostatica esset radix operandi supernaturaliter, esset natura in ordine supernaturali, quia essentia naturæ consistit in radice motûs, consequenter essentia naturæ ordinis supernaturalis debet consistere in radice motuum supernaturalium, proinde si unio est principium radicale operandi supernaturaliter, erit natura in ordine supernaturali, & exiget uniri humanitati per aliam unionem, quod non conceditur. Tum quia conceptus naturæ divinæ consistit in radice increata videndi & amandi Deum: atqui si unio hypostatica esset radicaliter operativa in ordine supernaturali, esset formalis participatio hujus conceptus, consequenter esset formalis participatio naturæ divinæ sub conceptu naturæ, proinde esset natura in ordine supernaturali.

Dicendum quartò, gratiam habitualem moraliter tantùm fluere per modum proprietatis à gratia unionis. Ostenditur, quia Isaias cap. 61. inducens Christum loquentem ait: *Spiritus Domini super me, eò quod unxerit Dominus me*, & cap. 42. vers. 1. *Ecce servus meus suscipiam eum: dedi Spiritum meum super eum*, hæc enim ultima verba intelliguntur à Div. Thoma de gratia habituali, adeo ut eorum sensus sit, quòd eatenus humanitati fuerit gratia habitualis concessa, quia fuit à divinitate uncta, & & verbo divino suscepta in unitate personæ, ergo gratia habitualis ad unionem substantialem fuit in Christi humanitate subsecuta, proinde est connaturalis Christo, & humanitati ut unitæ; atqui ad illam non sequitur per modum physicæ emanationis, ut ostensum est, ergo tantum moraliter, ut docent sancti Patres præsertim Div. Basilius sub Psalm. 44. ubi loquens de gratia habituali ait: *Christo autem naturalis est ad boni persecutionem proprietas*, hoc idem docent Damascenus *lib. 3. cap.* 22. Augustinus *in Enchirid. cap.* 40. & alii cum Div. Thoma 3. *part. quæst.* 7. *art.* 13. *ad* 2. ubi docet, gratiam habitualem in Christo esse effectum consequentem gratiam substantialem unionis: nomine effectus intelligit Sanctus Doctor, quidquid se habet consecutivè sive per modum proprietatis, & passionis, sive per modum effectus realiter entitativè distincti à sua causa.

Probatur ulterius, quia ex verbis scripturæ liquet gratiam habitualem consequi ad gratiam unionis; sed ad ipsam non sequitur physica dimanatione, ut consequitur effectus physicus à sua causa, ut calor ab igne; ergo tantum moraliter. Major ex verbis scripturæ conceditur, minor probatur: quia effectus, qui physicè consequitur ad suam causam si sit immanens, connaturaliter illi inhæret, ut calor igni per modum proprietatis; intellectio intellectui per modum physicæ causalitatis immanentis visibilitas ab anima per modum metaphysicæ emanationis; sed gratia habitualis non subjectatur connaturaliter in humanitate verbo divino unita, ergo ad illam non consequitur physica dimanatione. Minor probatur, quia subjecto connaturali debetur naturaliter accidens: sed humanitati unitæ non debetur naturaliter gratia habitualis: ergo humanitas ut unita verbo non est subjectum connaturale illius. Minor ostenditur, quia gratia habitualis non debetur humanitati unitæ ratione sui, quia humanitas ratione sui est intra ordinem naturæ, cui propterea non est debitum donum supernaturale, cujusmodi est gratia habitualis: neque est illi debita ratione verbi, vel Divinitatis, vel ratione unionis hypostaticæ debito physico, & connaturali, quia nihil horum potest esse ratio humanitati recipiendi gratiam ut ostendimus; consequenter non potest fundare debitum connaturale, hoc enim tantum potest in eo fundari, quod est ratio recipiendi; ergo humanitati ut verbo divino unitæ non est physicè debita gratia habitualis, quæ propterea ab ipsa non dimanat physica dimanatione ut proprias ejusdem, sed tantum se habet moraliter consequutivè ad illam: adeo ut humanitas ut verbo unita non sit subjectum connaturale gratiæ habitualis.

Idque ulterius ostenditur, quia subjectum connaturale est debitum accidenti, & ab illo physicè exigitur, sed humanitas verbo divino unita non est debita gratiæ habituali debito physico, neque ab illa physicè exigitur: ergo humanitas verbo divino unita non est subjectum connaturale gratiæ habitualis. Major conceditur ab omnibus, minor probatur: quia humanitas ut verbo unita non debetur gratiæ habituali secundum prædicata specifica; quia ut sic gratia est indifferens ad existendum in humanitate puri hominis, vel Christi, aut naturæ angelicæ, potest enim ex suis prædicatis specificis in omnibus istis subjectis recipi. Neque humanitas verbo unita est debita gratiæ habituali ut existenti in humanitate Christi; quia licèt huic gratiæ sic sumptæ debeatur humanitas, non tamen illi debetur unio humanitatis cum verbo, & sine hac unione posset in sola humanitate existere; ut etiam si humanitas à verbo relinqueretur.

Dices, quod alicui ex ejus natura convenit tanquam ex principio activo, est illi propriè connaturale: sed gratia habitualis tali modo convenit Christo, ergo est propriè ipsi connaturalis. Minor docetur à Div. Thoma *in 3. dist. 4. quæst. 3. art. 2. quæstiuncul.* 1. quia causatur à divinitate, quæ una est ex naturis, ex quibus Christus componitur: ergo convenit Christo ex illius natura ut à principio activo. Major ostenditur: quia id simpliciter & propriè est naturale, quod est causatum ex principiis rei essentialibus: sed quod alicui ex ejus natura convenit, ut à principio activo, est causatum ex illius principiis essentialibus, consequenter quod tali modo alicui convenit, est simpliciter ipsi connaturale. Tum quia si natura aquæ esset causa unica alicujus accidentis; utique hoc accidens foret aquæ connaturale simpliciter, quia flueret à principiis intrinsecis activis aquæ: sed causa, cur in Christo sit gratia habitualis, est Christo intrinseca, quia illi convenit ratione Deitatis Christo intrinsecæ, à qua procedit ut à principio activo: ergo gratia habitualis est cum tota proprietate Christo simpliciter connaturalis. Sed contra distinguitur major, quod convenit alicui naturaliter, & necessariò, est illi connaturale conceditur; si non necessariò, sed liberè à principio intrinseco causatur, negatur major, & eodem modo distinctâ minore, negatur consequentia. Tametsi gratia habitualis causetur in Christi humanitate ab ipsa Deitate intrinseca Christo, ac propterea dici aliquo possit Christo connaturalis, ut docet Divus Thomas 3. *part. quæst.* 2. *art.* 12. ubi ait in Christo gratiam habitualem esse *quodam modo habitualem*, non tamen propriè & simpliciter est naturalis; quia ut aliquid sit simpliciter, & propriè alicui connaturale, non sufficit si à principio intrinseco activo procedat; sed

alte-

ulterius requiritur, ut non liberè, sed necessariò per Physicam dimanationem ab illo procedat: gratia habitualis provenit in Christo à Deitate liberè, non necessario; potuisset enim verbum Christi humanitatem assumere destitutam quovis alio dono supernaturali, proinde etiam gratia habituali, quæ propterea liberè provenit à Deitate intrinseca Christo: etiam in puro homine actus liber voluntatis provenit à principio intrinseco activo seu voluntate homini intrinseca, & tamen non dicitur accidens connaturale, quia non necessariò, sed liberè à tali principio intrinseco activo procedit. Ad id quod addebatur illud dici connaturale alicui, quod causatur ab illius principiis essentialibus, verum est, si proveniat ab illius principiis essentialibus naturaliter, & necessariò; non ita si causetur à principiis essentialibus liberè, non necessario, tunc enim propriè & simpliciter non est connaturale, sed ut loquitur Div. Thomas, est tantum quodammodo naturale. Præterea dici potest Christo gratia habitualis naturalis, quatenus non est supra naturam sui principii, à quo producitur, hoc enim principium intrinsecum, & activum est Deitas: non verò gratia habitualis est Christo naturalis, prout propriè sumitur naturale pro eo quod physicè, & necessario debetur subjecto ratione principii activi vel passivi, à quo necessario & physica dimanatione præveniat. Neque exemplum de aqua urget, quia aqua esset principium intrinsecum activum, & naturale illius accidentis, quod propterea proveniret ab aqua ut à principio connaturali activo & necessario.

Cæterùm quando sancti Patres dicunt gratiam habitualem esse CHRISTO connaturalem, intelligendi sunt, vel de naturali impropriè, & laxè sumpto, quo pacto Divus Thomas etiam vocat gratiam habitualem Christo quodammodo naturalem; vel de naturali quatenus hoc non est supra naturam illius principii, à quo provenit, & cum in Christo gratia habitualis proveniat à Deitate intrinseca Christo, ideo dicitur Christo naturalis; sed non propriè & simpliciter, quia non provenit à Deitate necessariò, sed liberè.

Dices, species infusas esse accidentia angelis connaturalia simpliciter; & tamen non necessariò sed liberè iisdem à Deo infunduntur: ergo ex eo quod gratia habitualis proveniat in Christo à Deitate liberè, adhuc erit dicenda Christo connaturalis propriè & simpliciter. Sed contra, quia species infusæ Angelis dicuntur accidentia simpliciter naturalia angelis ratione principii passivi se tenentis ex parte angelorum; non verò ratione principii activi, à quo proveniunt. Naturale dupliciter sumi potest ratione principii activi, & ratione principii passivi, naturale ex utroque principio dicitur adæquatè naturale, inadæquatè vero ex uno tantum principio: & quia species infunduntur à Deo liberè Angelis, ideo ratione principii activi non dicuntur propriè, & simpliciter connaturales, sed tantùm ex parte principii passivi, proinde sunt inadæquatè naturales angelis, non adæquatè: quia species infusæ debentur Angelis ratione principii intrinseci passivi, quo ipsas exigunt ab intrinseco; quamvis ab Angelis non dimanent, sed liberè infundantur à Deo, fit, quòd hujusmodi species infusæ sint Angelis connaturales non ratione principii intrinseci activi, sed ratione principii passivi receptivi; consequenter dicuntur tantùm accidentia inadæquatè Angelis connaturalia. Quòd si dicas in Christo Deitatem esse principium intrinsecè constituens Christum & à Deitate procedere in Christo gratiam habitualem, quæ propterea dicenda est Christo adæquatè connaturalis. Contra est, quia licet divinitas sit in Christo principium activum causativum gratiæ habitualis, non tamen Deitas illam causat necessario, quod requirebatur, ut diceretur connaturalis Christo; accidens naturale subjecto dimanat necessario per physicam emanationem à principiis intrinsecis ejusdem; & quamvis Deitas sit principium intrinsecum, ex quo intrinsece coalescit Christus, non tamen ab ipsa necessario sequitur gratia habitualis, neque per physicam dimanationem ab ipsa procedit, proinde non est simpliciter Christo connaturalis ratione principii activi: imò nec ratione principii passivi, quia humanitas nec ratione sui, neque ratione alicujus prædicati sibi identificati exigit gratiam habitualem, quia humanitas potuit assumi à verbo sine gratia habituali.

Instabis etenim species infusæ angelis sunt inadæquatè ipsis connaturales ratione principii intrinseci passivi, quia Angeli ipsas ab intrinseco exigunt: sed humanitas verbo unita exigit ab intrinseco gratiam habitualem ac ejus infusionem: ergo quamvis gratia habitualis proveniat in Christo à Deitate ut à principio activo libero, adhuc erit Christo connaturalis saltem inadæquatè. Major fuit concessa. Minor ostenditur: quia licet humanitas in Christo non exigat gratiam habitualem ratione sui præcisè, illam tamen exigit ratione unionis hypostaticæ, seu ut unita verbo divino; quia humanitati ut unitæ verbo non obstat supernaturalitas gratiæ habitualis, cui solum opponitur esse debitam humanitati ratione naturæ, ac prædicatorum in ipsa naturalium, non verò ratione superadditæ perfectionis supernaturalis: ergo gratia habitualis est Christo debita saltem ratione humanitatis ut unitæ verbo divino. Hinc Damascenus *lib. 3. cap. 22.* loquens de humanitate ait: *Nam si verè unita est verbo Dei caro, quomodo non perfectè ditata est omni sapientia, & gratia?* quòd si ditata est omni gratia, ergo etiam gratia habituali, quæ propterea est Christi humanitati necessariò connexa cum illius unione ad verbum: sed nisi humanitas ab intrinseco exigat gratiam, nequit illi gratia necessariò connecti; ergo si debetur illi necessario, est Christo connaturalis. Præterea gratia habitualis convenit Christo, ac ejus humanitati titulo excellentiori, quàm possit puræ creaturæ convenire quamvis præstantiori; sed solus titulus debiti connaturalis est, qui non potest puræ creaturæ convenire; ergo iste titulus concedendus est Christi humanitati, cui propterea est connaturaliter debita gratia habitualis. Tum quia gratia habitualis sequitur necessariò in angelo ex speciali præsentia Deitatis; sed Christi humanitas ratione unionis hypostaticæ & longè excellentiore modo præsens divinitati, & Deo; ergo humanitas ut verbo unita exigit ab intrinseco gratiam habitualem, quæ propterea est illi connaturalis. Rursum Christo ut homini, & ejus humanitati ex vi suæ conceptionis unientis humanitatem cum verbo divino convenit gratia habitualis: ergo Christus ut homo, ac illius humanitas ut unita verbo divino est debita gratia habitualis, quia quod alicui convenit ex vi actionis productivæ sui, necessario, & ab intrinseco exigitur ab illo; quod enim convenit termino ex vi actionis, quâ producitur, est necessariò cum actione connexum; sed connexio actionis productivæ cum per-

perfectione adveniente termino habetur mediante connexione termini, ergo quod illi convenit ex vi actionis, qua producitur ab illo exigitur ab intrinseco. Major ostenditur ex illo Luc. cap. 1. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Evangelista per priora verba describit religiosam Christi conceptionem, quam attribuit Spiritui sancto, atqui quod in scripturis per accommodationem tribuitur specialiter Spiritui sancto, vel ad sanctitatem pertinet, vel illam habet conjunctam, proinde sanctitas humanitatis, seu gratia habitualis habetur in Christo ex vi suæ conceptionis, adeo ut sanctitas humanitatis fuerit terminus conceptionis Christi, seu Incarnationis Verbi, proinde ex vi actionis per quam Christus fuit conceptus, fuit impertita Christi humanitati gratia habitualis, qua esset sancta. Tum quia operatio Spiritûs sancti in Christi conceptione debuit esse perfecta, & talis non esset, si, quod excellentius est, Christo ut homini non conferret, scilicet gratiam habitualem, quæ propterea convenit humanitati Christi ut hominis ex vi suæ conceptionis, seu actionis Incarnativæ, qua fuit humanitas à Verbo assumpta. Sed contra quia tametsi Christi humanitas ut unita Verbo divino exigat gratiam habitualem, & quidem etiam intrinsecè, non tamen illam exigit exigentia intrinseca physica, sed tantùm intrinseca morali, unde est dispar ratio de speciebus infusis Angelis, siquidem Angeli exigunt infusionem specierum exigentia physica qua ratione species, & earum infusio sunt Angelis simpliciter connaturales, secus exigentia humanitatis Verbo unitæ infusionis gratiæ habitualis à Deitate est tantùm moralis non physica, consequenter non sufficit, ut gratia, & illius infusio dici possint simpliciter connaturales. Ad id quod addebatur, humanitatem unitam Verbo ab intrinseco exigere gratiam habitualem ratione unionis hypostaticæ non obstare supernaturalitati gratiæ, respondetur, exigentiam physicam gratiæ repugnare humanitati, non ea ratione, quia si conveniret ex vi unionis ad Verbum non obstaret supernaturalitati gratiæ, sed quia nullum est prædicatum ex his, quæ humanitati Verbo unitæ includuntur, ratione cujus possit illam physicè exigere, ut demonstravimus in præcedentibus, Verbum enim ex se præcisè habet tantùm terminare, & conferre esse personæ Christi humanitati: unio est tantùm modus substantialis, qui cùm non sit operativus, non potest esse principium radicale gratiæ habitualis, quæ est radix donorum, & operationum supernaturalium: humanitas etiam ex se præcisè physicè non exigit gratiam, quia sine hac potuisset à Verbo assummi. Neque Damascenus asserit Christi humanitatem ut unitam Verbo exigere physicè gratiam habitualem, sed tantùm moraliter, adeo ut exigentia, gratiæ habitualis, quæ inest humanitati Verbo unitæ, sit tantum exigentia moralis, quæ non probat, hanc gratiam esse Christi humanitati connaturalem. Ad aliud, quod addebatur gratiam habitualem deberi Christi humanitati excellentiori titulo, quàm puræ creaturæ, respondetur sufficere, si gratia habitualis conveniat Christi humanitati ut Verbo unitæ titulo debiti moralis, quia nulli puræ creaturæ hoc morale debitum inest: unde ex eo, quòd gratia habitualis conveniat Christi humanitati excellentiori titulo, quàm ulli puræ creaturæ, non sequitur deberi gratiam humanitati Verbo unitæ debito physico, sed tantùm morali condignitate, hoc enim debitum puræ creaturæ repugnat, & soli humanitati unitæ Verbo hypostaticè potest convenire. Quòd si dicas, augmentum gratiæ deberi puræ creaturæ moraliter, seu homini justo, proinde Christi humanitati gratia habitualis est debita debito physico, alioquin illi non conveniret excellentiori modo, quàm puræ creaturæ. Contra est, quia tametsi homini justo sit moraliter debitum augmentum gratiæ, adhuc humanitati Christi hoc debitum morale est speciale, datur enim in ratione debiti moralis latitudo, intra quam gratia habitualis titulo speciali debetur Christi humanitati: hæc autem specialitas tituli in Christi humanitate in eo consistit, quia Christo ut homini debetur gratia habitualis ab intrinseco possessa inamissibiliter, & ut à principio ipsi physicè conjuncto habita: hoc autem modo non est moraliter debita gratia habitualis puræ creaturæ, quia hæc cùm ex se sit lethali culpæ obnoxia, non possidet gratiam habitualem, nec ejus augmentum inamissibiliter ab intrinseco, hinc debitum morale in Christi humanitate est semper excellentius, quàm ullius puræ creaturæ. Ad aliud de Angelis, qui ex speciali Dei præsentia sanctificantur, respondetur dupliciter intelligi Deum esse præsentem Angelis. Primò modo generali rebus omnibus adest per essentiam, præsentiam, & potentiam, & ex hac præsentia non sequitur gratia habitualis in Angelis: Deus siquidem supposita creatione Angelorum liberaliter, & nullo præsupposito debito nec physico, nec morali fuit illis gratiam habitualem impertitus, quæ sanctificarentur. Secundò intelligitur Deus esse Angelis præsens speciali præsentia, qua hominibus justis est præsens per gratiam, quæ præsentia variè solet explicari à Theologis, quorum aliqui censent consistere in operatione, quæ justis gratiam infundit, eosque contingit contactu speciali supernaturali: & ad hanc præsentiam asserunt necessariò consequi gratiam habitualem ut terminum præfati contactûs. Alii volunt hanc specialem præsentiam consistere in modo particulari, quo incipit inesse justis gratia habitualis, mediante cognitione, & amore, & hæc præsentia non ponit, sed supponit gratiam. Alii volunt consistere in præsentia subjectiva, qua Deus mediante gratia habituali est secundùm substantiam ita hominibus justis præsens, ut si ratione suæ immensitatis non esset intimè præsens rebus omnibus, adhuc esset præsens hominibus justis mediante gratia habituali: & hæc præsentia supponit etiam gratiam infusam, adeo ut gratia habitualis, se habeat consecutivè ad Dei præsentiam. Angeli igitur sanctificantur necessariò ex speciali præsentia Dei, quatenus hæc præsentia sita est in operatione, qua Deus infundit gratiam, & contactu supernaturali, speciali illos contingit, ad hunc enim contactum consequitur necessariò gratia habitualis, sed quia hic contactus seu præsentia ponitur à Deo liberè, ideo non est debitus nec connaturalis Angelis, proinde nec gratia habitualis: hinc licet præsentia divinitatis ratione unionis sit excellentior, quàm præsentia, qua præsens est Angelis ratione gratiæ habitualis, quia tamen hæc supponit contactum virtualem supernaturalem media actione infundente gratiam & præsentia ratione unionis humanitatis cum Verbo, non supponit hanc actionem infusivam gratia habitualis, sed tantùm actionem productivam unionis substantialis, fitque, ut quamvis unio hypostatica sit excellentior, non tamen inferat necessariò gratiam habitualem in Christi humanitate, sed aliud donum excellentius gratia habituali, seu unionem substantialem cum Verbo. Præterea si ad Dei præsentiam specialem sequitur in Angelis gratia ha-

bitualis,

bitualis, non inde sequitur, quod sequatur consecutione physica, sed tantum morali. Ad aliud de termino actionis productivæ sui respondetur Christo ut homini convenire gratiam habitualem ex vi conceptionis unientis humanitatem cum Verbo convenientia tantùm morali non physica, adeo ut Christo ex vi suæ conceptionis sit debita gratia habitualis debito morali, non physico, quia ex vi actionis productivæ solum potest convenire termino, quod ab intrinseco exigitur ab eodem termino, & etiam juxta modum, quo exigitur, non enim actio productivæ transit ad perfectiones distinctas à suo termino, nisi quia exiguntur à termino, & proinde transitus actionis debet esse proportionatus exigentiæ, quæ convenit termino, quo pacto si terminus tantum moraliter exigit aliquam perfectionem, non potest hæc eidem physicè convenire ex vi actionis, qua producitur, bene tamen tantùm moraliter: in casu nostro Christus ut homo non exigit exigentia physica gratiam habitualem; nec humanitas Verbo unita, sed solùm exigentia morali, quapropter actio, qua Christus fuit conceptus, & humanitas Verbo unita, non influit physicè in gratiam habitualem, sed tantùm moraliter, propterea Christus ex vi suæ actionis productivæ tantùm exigit gratiam habitualem exigentia morali. Neque obstat, quòd conceptio Christi tribuatur Spiritui sancto, quia sufficit, si ex vi talis conceptionis conveniat Christo ut homini sanctitas substantialis, ac sit illi debita debito morali, non physico. Ad ultimum, quod dicebatur de operatione Spiritûs sancti in Christi conceptione, quòd debuit esse perfecta, respondetur ad id sufficere, si Christus concipiatur cum sanctitate substantiali, & cum debito morali sanctitatis accidentalis, seu gratiæ habitualis.

CAPUT XIII.

An in Christo fuerint omnes virtutes tum infusæ, tum per se acquisibiles?

EX virtutibus aliæ sunt intellectuales, morales aliæ, & aliæ theologicæ. Non quæritur hic de virtutibus intellectualibus, quia istæ non sunt simpliciter virtutes, neque denominant simpliciter hominem studiosum, & D. Thomas de ipsis agit sub nomine scientiæ, de qua in sequenti. Sed tantùm quæritur de virtutibus theologicis, & moralibus, an & quomodo hæ fuerint in Christo. Virtutes morales in duplici sunt differentia, aliæ sunt ordinis naturalis, quæ nostris actibus acquiruntur, & regulantur per dictamen prudentiæ acquisitæ: aliæ sunt infusæ, quæ deserviunt fini supernaturali, & regulantur per dictamen prudentiæ supernaturalis.

Dicendum est primò fuisse in anima Christi virtutes omnes supernaturales per se infusas illis exceptis, quæ cum statu beatifico & unione hypostaticæ repugnant, adeo ut ex virtutibus moralibus non fuerit in Christo virtus pœnitentiæ, neque ex theologicis fides, nec spes, adeo ut fuerint in anima Christi sive potentiis illius omnes illæ virtutes supernaturales, quæ vocantur per se infusæ, & cum statu beatifico, & unione humanitatis ad Verbum non repugnantes. Ratio est, quia ut docet D. Thomas 1. 2. *quæst.* 110. *art* 9. *ad* 1. hujusmodi virtutes infusæ supernaturales sequuntur ad gratiam velut proprietates ad essentiam, quæ ubicunque fuerit, ibi sunt ejus proprietates: atqui in Christi anima fuit gratia habitualis, ergo in illius potentiis fuerunt virtutes supernaturales, & per se infusæ, sicut enim proprietates sequuntur essentiam, à qua virtualiter fluunt, adeo ut ubi datur essentia, ibi dentur & proprietates, ita non datur gratia habitualis, nisi dentur virtutes supernaturales per se infusæ, si igitur in anima Christi fuit gratia habitualis, sequitur, fuisse in potentiis animæ Christi virtutes supernaturales per se infusas. Idque ex eo firmari potest, quia quidquid est dignitatis, & non pugnat cum unione hypostatica, nec cum beatitudine humanitatis, est concedendum Christi humanitati, quia in ipso fuit plenitudo perfectionum, dicitur enim Christus Joan. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis*, quia habet gratiam dignam unigenito à Patre, sed virtutes supernaturales per se infusæ important dignitatem, & illarum aliquæ non repugnant cum unione hypostatica, nec cum visione beatifica, ergo hujusmodi virtutes concedendæ sunt humanitati Christi. Præterea, quia conveniens erat, ut Christi humanitas eliceret modo connaturali actiones supernaturales: hac enim ratione probant Theologi fuisse in Christo gratiam habitualem, ut ejus anima connaturaliter operaretur in ordine supernaturali: sed si potentiæ animæ Christi non fuissent elevatæ per formas habituales supernaturales, anima Christi non diceret modo connaturali actiones supernaturales, quia cùm gratia habitualis inhæreat immediatè animæ, nequit ejus potentias elevare, & quia potentiæ animæ ex se non sunt inclinatæ ad actus supernaturales eliciendos, procul dubio indiguerunt virtutibus supernaturalibus, quibus connaturali modo elicerent actus supernaturales; & quia anima Christi debuit esse perfectè disposita in ordine ad omne bonum supernaturale, debuit habere habitus omnium virtutum, cùm ratione talium habituum anima perfectè disponatur.

Hinc virtutes supernaturales per se infusæ fuerunt in anima Christi à primo instanti suæ conceptionis, & quidem in summa intensione possibili juxta legem ordinariam: quia proprietates concomitantur essentiam, & in perfectione cum ipsa proportionantur, sed gratia habitualis, ad quam consequuntur virtutes per se infusæ veluti proprietates ad essentiam, fuit in anima Christi à primo instanti suæ conceptionis, & quidem cum summa intensione possibili de lege ordinaria, ergo etiam virtutes per se infusæ fuerunt in anima Christi à primo instanti suæ conceptionis, & quidem in summa intensione possibili. Quòd verò non fuerit in Christo virtus moralis pœnitentiæ expressè docet D. Thomas *3. part. quæst.* 95. *art.* 3. & ex eo probat; quia motivum formale pœnitentiæ movet ad detestandum peccatum ut proprium, siquidem movet ad ejus retractationem: & idem motivum formale semper exigit movere ad actum ejusdem rationis, consequenter motivum formale pœnitentiæ semper exigit movere ad retractationem peccati, & cum in Christo non potuerit esse peccatum, ita neque potuit in illo esse motivum pœnitentiæ, consequenter nec ipsa virtus, quæ essentialiter dependet à motivo pœnitentiæ. Firmatur, quia habitus non potest in-

ineſſe ſubjecto, cui ab intrinſeco repugnat actus illius primarius, ſed humanitati Chriſti ratione unionis ad verbum repugnat ab intrinſeco actus primarius pœnitentiæ, ergo repugnat ipſe actus pœnitentiæ. Major eſt certa, quia habitus eſt propter actum, proinde cui repugnat actus, repugnat habitus. Minor oſtenditur, quia quando alicui ſubjecto repugnat objectum ſpecificativum actûs, eidem repugnat etiam ipſe actus: atqui humanitati Chriſti ratione unionis hypoſtaticæ ad verbum repugnat ab intrinſeco objectum ſpecificans primarium actum pœnitentiæ, eſt enim hoc objectum hujus actûs ipſum peccatum proprium pœnitentis, ut expiabile & emendabile: & quia humanitati Chriſti repugnat actus pœnitentiæ, repugnat etiam habitus; tum quia actus primarius pœnitentiæ eſt vel dolor peccati ex motivo emendationis, vel intentio operandi ad reſarciendum jus Dei læſum per peccatum, & ad delendum peccatum præteritum, & quia hujusmodi actus ſupponunt peccatum proprium, quod repugnat Chriſti humanitati, repugnant etiam actus pœnitentiæ, conſequenter & ipſe habitus. Quòd ſi dicas Chriſtum ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris, proinde debuiſſe procedere deteſtativo modo per virtutem pœnitentiæ in peccata humani generis. Contra eſt, quia Chriſtus tantùm deteſtatus eſt peccatum per odium abominationis, quatenus erat Dei offenſa, ac læſivum divini Juris, proinde per ſecundarium actum charitatis, quo Deum amabat, non verò per actum pœnitentiæ Chriſtus ſatisfecit pro peccatis noſtris.

Quòd verò fuerint in Chriſto virtutes Theologicæ fidei, & ſpei, ex eo etiam evincitur, quia in Chriſto locum non habuit objectum primarium fidei, hoc enim eſt ipſa Deitas non viſa, quam propterea credimus, eſt enim fides argumentum non apparentium ex Apoſtolo; & Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis clarè vidit Dei eſſentiam, ergo non potuit in Chriſto eſſe habitus fidei. Præterea quia in Chriſto locum non habet prima veritas ut obſcurè revelans, ſiquidem de omnibus habebat evidentiam: ſed prima veritas obſcurè revelans eſt motivum formale fidei, ſine quo fides non datur, propterea non potuit Chriſto ineſſe virtus Theologica fidei. Eadem ratione evincitur, nec fuiſſe in Chriſto virtutem Theologicam ſpei, quia Chriſto etiam repugnabat objectum ſpei ratione viſionis beatificæ: Objectum enim primarium ſpei eſt Deus non poſſeſſus; ſed ex vi beatificæ viſionis Deus poſſidetur, ergo non potuit in Chriſto eſſe habitus ſpei, quia ut loquitur D. Paulus ad Rom. 8. *Quod videmus non ſperamus*, & quia Chriſtus utpote à primo inſtanti ſuæ conceptionis beatus videbat eſſentiam divinam, & habebat præſentem ſuam beatitudinem, non potuit illam ſperare, ea enim ſperamus, quæ non poſſidemus.

Firmatur, quia excluſio habitus fidei, eatenus in Chriſto aſſeritur, quia ejus objectum primarium eſt Deus non viſus, ac non poſſeſſus per beatitudinem, & quia Chriſtus fuit ſimul viator, & comprehenſor, vidit clarè Deum, quem poſſedit per beatitudinem, & ideo non potuit habere objectum primarium fidei: ſed objectum primarium ſpei, non eſt quodlibet ſperabile, ſed eſt ipſe Deus ut nondum clare poſſeſſus, quia in ordine ad hanc claram poſſeſſionem reliqua omnia attinguntur per ſpem, & Chriſtus per viſionem beatificam clarè & perfectè ſemper poſſedit Deum: unde cùm objectum primarium habitûs ſpei Theologicæ non habuerit locum in Chriſto, ita neque habitus ſpei potuit eſſe in Chriſto. Sed dices, quod objectum ſit poſſidendum, vel poſſeſſum, id non valeat, ad formalem rationem objecti ſpei: ergo Chriſtus habuit habitum ſpei, quia ei non defuit ſpes circa bonum poſſeſſum, & eodem habitu potuit ſperare bona nondum poſſeſſa. Contra eſt, quia eo ipſo, quod objectum eſt poſſeſſum, non eſt amplius objectum ſpei, quia tunc non habet amplius locum voluntas Dei ut promittens, ac reddens aſſequibile bonum promiſſum.

Cæterum an fuerit in Chriſto actus ſpei non theologicæ, videtur affirmare D. Th. *3. part. qu. 7. art. 4.* Quinimò non deſunt, qui non ſolum actum ſpei non Theologicæ verum etiam Theologicæ aſſerunt fuiſſe in Chriſto quamvis negent in ipſo habitum ſpei. Verùm cenſerem probabile Chriſtum elicuiſſe actum ſpei circa gloriam ſui corporis: ratio eſt, quia hæc gloria erat bonum expectatum dependenter à voluntate Dei proinde erat ſubjectum ſufficiens ſpei, in quo ſenſu videtur Chriſtus dixiſſe Pſalm. 15. *Caro mea requieſcet in ſpe*, hoc eſt, quia ſpero carnem meam reſurrecturam, ideo gaudens requieſco. Si dicas, objectum ſpei debere dubium eſſe, & Chriſtum fuiſſe certiſſimum de futura gloria ſui corporis, proinde Chriſtum non habuiſſe actum ſpei circa gloriam ſui corporis, reſpondetur per accidens ſe habere, quòd objectum ſpei ſit dubium, quia id provenit, quatenus voluntas illius, à quo dependet, eſt ignota, vel mutabilis.

Major difficultas eſt de virtutibus per ſe acquiſitis, de quibus duo poſſunt inquiri, quorum primum an hujusmodi virtutes fuerint in anima Chriſti Domini, ſecundùm an illas in primo ſuæ conceptionis inſtanti vel per accidens infuſas vel acquiſitas habuerit. Circa primum non conveniunt Theologi, aliqui enim negant, & alii affirmant. Fundamentum negantium eſt, quia virtutes per ſe acquiſitæ non remanent in beatis, ex quo inferunt non fuiſſe in Chriſto, quia à primo ſuæ conceptionis inſtanti beatus fuit. Communior tamen ſententia, & verior aſſerit fuiſſe in Chriſto etiam virtutes naturales per ſe acquiſibiles. Ratio eſt, quia voluntas Chriſti non ſolum elicuit actus ſupernaturales, verum etiam naturales honeſtos, quia hæc honeſtas naturalis non repugnat cum unione hypoſtatica nec cum viſione beatifica, nec eſt inconveniens humanitati aſſumptæ: & ex alio capite congruum erat Chriſtum non caruiſſe hac morali honeſtate, imo conveniens erat, ut hos actus facilè ſuaviter, & connaturaliter, qualiter decebat, eliceret: & quia ad hanc elicientiam connaturalem erant neceſſariæ virtutes naturales acquiſibiles, ideo non videntur hæ poſſe Chriſto denegari.

Firmari ex eo poteſt, quia appetitus Chriſti quoad entitatem eſt ejusdem rationis cum noſtro, ergo ſicut noſter appetitus non eſt ab intrinſeco ratione propriæ entitatis completè & perfectè inclinatus ad actum honeſtum virtutis, ac ideo indiget habitibus virtutum: ita appetitus ſenſitivus Chriſti non eſt de ratione propriæ entitatis præciſè ſumptæ completè & perfectè inclinatus ad actus honeſtos naturales, conſequenter ut promptè, ſuaviter ac connaturaliter hujusmodi actus eliceret, neceſſariæ ei fuerunt virtutes naturales acquiſibiles: unio enim hypoſtatica cum non ſit operativa, non poteſt inclinare ad hujusmodi actus ipſas potentias: gratia itidem habitualis, & virtutes infuſæ, quæ ad ipſam ut proprietates ſequuntur, tantum inclinant ad actus ſupernaturales: ergo ut Chriſtus connaturaliter eliceret hos actus honeſtos & naturales, fuerunt in ipſo neceſ-

necessariæ virtutes naturales per se acquisibiles.

Neque obstat Christum habuisse virtutes supernaturales infusas, ac semper elicuisse actus honestos supernaturales, qui perfectiores sunt naturalibus, consequenter non fuisse in Christo necessarias ad virtutes naturales. Nam contra est, quia etiam intellectus Christi per scientiam beatam, & infusam fuit maximè perfectus circa objecta cognoscibilia, & tamen adhuc Christus habuit scientiam acquisitam per quam modo sibi proportionatò, & connaturali perficiebatur, ut docet Div. Thomas 3. *part. quæst.* 12. *art.* 1. Ergo à pari licèt appetitus intellectivus & sensitivus Christi fuerint vel maximè perfecti per virtutes morales per se infusas, adhuc necesse fuit, ut in iisdem essent virtutes morales acquisibibes, ut per illas perficerentur, modo sibi connaturali, ac proportionato, ac essent facultates appetitivæ perfectæ non solum in ordine supernaturali quoad potentiam obedientialem, verùm etiam in ordine naturali, & quoad potentiam naturalem.

Dices, Christus in genere virtutis est supremum operans: atqui operans supremum in aliquo genere debet operari ex motivo supremo in eodem genere: & motivum supremum in genere virtutis est motivum virtutis infusæ: ergo Christus semper fuit operatus ex motivo virtutis infusæ, consequenter ex motivo supernaturali, ac semper elicuit actus supernaturales virtutis infusæ: ergo non fuerunt in Christo virtutes naturales per se acquisibiles, vel fuerunt otiosæ, quæ nunquam fuerunt reductæ ad actum. Sed contra, quia inde tantum infertur, Christum ex fine operantis semper fuisse operatum ex motivo supernaturali; non verò sequitur, nunquam elicuisse actus naturales quoad substantiam; sed tantùm quòd nullum exercuerit actum non ordinatum ad finem supernaturalem, & honestate intrinsecè, vel extrinsecè supernaturali non affectum. Non enim omnes actus, qui eliciuntur propter finem supernaturalem, sunt semper supernaturales intrinsecè; quia etiam actus quoad substantiam naturales possunt ordinari ad finem supernaturalem, ut ambulare, loqui. Dicuntur omnes actus eliciti à Christo fuisse supernaturales, non quòd intrinsecè omnes fuerint tales, sed tantùm extrinsecè quatenus à Christo fuerunt ordinati ad finem supernaturalem; unde non nisi ex fine operantis fuerunt aliqui actus supernaturales, licèt ex fine intrinseco operis fuerint naturales, ut comedere, ambulari, loqui. Ex eo igitur, quòd Christus fuerit supremum operans in genere virtutis bene infertur, decuisse, ut semper operaretur ex supernaturali motivo, ut ex fine operantis; non verò debuisse semper operari ex motivo supernaturali, ut fine intrinseco cujuscunque actus vel operis eliciti ab humanitate; satis enim fuit, si plures actus elicerentur ex motivo naturali & fine intrinseco operis, quamvis cum subordinatione ad motivum supernaturale, ut ad finem operantis: ex eo igitur quòd Christus fuerit supremum operans in ratione virtutis operativæ, tantùm sequitur elicuisse omnes actus cum subordinatione ad motivum supernaturale, ut ad finem operantis, quamvis plures ex fine operis fuerint naturales. Firmatur, quia licèt Christus semper fuerit operatus ex motivo charitatis, qui est modus perfectissimus operandi; non tamen inde sequitur non elicuisse actus aliarum virtutum, cùm de fide sit elicuisse actus obedientiæ *ad Philip. cap.* 2. Factus obediens usque ad mortem: sed tantùm sequitur, quòd alii actus cæterarum virtutum tum supernaturalium tum naturalium fuerint à Christo ordinati ad finem supernaturalem charitatis: alioquin sequeretur, quòd præter actum charitatis nullum alium elicuisset actum alterius virtutis.

Si instes, Christum fuisse semper operatum perfectissimo modo, & perfectiùs esse operari actum supernaturalem, quoad substantiam circa materiam virtutum, quam actum substantialiter naturalem, & supernaturalem tantùm extrinsecè, & accidentaliter: consequenter Christum semper fuisse operatum actus supernaturales, & nunquam elicuisse actus naturalium virtutum, quæ propterea non fuerunt in Christo. Contra est, negatur consequentia, quia cùm actus quoad substantiam naturalis compatiatur cum actu supernaturali quoad substantiam; ac possit illi subordinari, & ex illius motivo, ut ex fine operantis procedere, consequens est, ut licèt Christus ut supremus operans semper actum substantialiter supernaturalem elicuerit, adhuc potuerit se exercere in aliis virtutibus naturalibus, earum actus ordinare ad finem supernalem, potuit enim Christus ordinare ad finem supernaturalem actus quoad substantiam aliarum virtutum naturalium: & hoc pacto dicitur Christus operans perfectissimo modo quantum patiuntur ipsi actus in propriis speciebus ac ordinibus: alioquin cùm actus charitatis sit perfectior actibus aliarum virtutum, sequeretur, Christum non nisi actum charitatis elicuisse, cùm tamen ab apostolo dicatur *factus obediens usque ad mortem.* Si urgeas omnes actus elicitos à Christo ut supremo operante fuisse actus virtutis heroicæ, adeo ut nullum Christus elicuerit actum, quin fuerit virtutis heroicæ; & plus distare in perfectione actum virtutis infusæ ab actu virtutis acquisitæ, quam distet actus virtutis heroicæ ab actu virtutis non heroicæ, quia inter illos discrimen est accidentale, & inter istos essentiale: ergo Christus nunquam elicuit actus virtutis naturalis per se acquisibilis. Contra est, quia actus virtutis heroicæ, & non heroicæ ita distinguuntur, ut nequeant simul cohærere: eo ipso quòd potentia non elicit actum heroicum, non operatur actum virtutis heroicæ; & censeretur inconveniens, Christum non fuisse operatum actum virtutis heroicæ: secus actus virtutis naturalis quamvis plus distet ab actu virtutis infusæ, componitur tamen cum illo; quatenus actus naturalis subordinatur supernaturali; unde ex eo quod Christus eliciat actum virtutis naturalis, non tollitur, quia operetur actum supernaturalem.

Dices secundò, virtutes morales acquisitæ ponuntur in appetitu sensitivo ad eum finem, ut coerceantur passiones immoderatæ: sed hujusmodi passiones nunquam fuerunt in Christo, imò nec potuerunt esse, quia hæ passiones oriuntur ex fomite, qui in Christo nunquam fuit, nec esse potuit: ergo in Christo non fuerunt virtutes morales naturales per se acquisibiles. Sed contra, quia finis, ob quem dantur virtutes morales, non est per se primò, ut coerceantur passiones immoderatæ; sed tantùm secundariò ad hanc coercitionem passionum ordinantur, ex hypothesi, quòd tales passiones insurgant contra rationem: Finis primarius, ob quem dantur virtutes morales, est, ut facultates appetitivæ eliciant rectam electionem conformem rectæ rationi, & quia hic finis rectè eligendi juxta exigentiam rectitudinis locum habet in Christo, consequens est, ut in ipso reperiantur virtutes morales, quarum finem primarium facultates appetitivæ Christi assequuntur.

Sicut gratia habitualis, quia per se primò ordinatur ad sanctificandum justum sanctitate accidentali, & elevandas potentias ad ordinem supernaturalem, easque juvandas in ordine ad eliciendos actus supernaturales; & secundariò ad expellendum peccatum lethale; tametsi hunc finem secundarium non fuerit in Christo assecuta, eò quia nulli fuerit Christus peccato obnoxius: gratia tamen habitualis in ipso sunt finem primarium assecuta. Urgebis habitus virtutum moralium dantur ad superandas difficultates, & facilitandas facultates appetitivas ad eliciendos suos actus: sed ubi nulla est difficultas superanda habitus virtutis non est necessarius, ut docent communiter cum D. Thoma 1. 2. *quæst.* 56. *art.* 4 & ob hanc rationem in voluntate ad bonum proprii suppositi non ponitur habitus virtuosus, quia voluntas ex se, & ab intrinseco sui ad illud perfectè, & absque ulla difficultate intrinseca propendet: atqui in appetitu Christi nulla adest difficultas superanda per habitus virtutum moralium, erga objecta virtutum acquisitarum: seu virtutes morales non fuerunt in Christo. Minor in qua sola potest esse aliqua difficultas, evincitur: quia difficultas appetitûs ad prosequendum bonum rationi conforme, quod est objectum virtutum moralium acquisitarum, nascitur ex insurgentia passionum propendentium in malum oppositum virtuti: in Christo autem hæ passiones non poterant insurgere, ergo neque difficultatem ingerere circa tendentiam virtutum moralium in sua objecta: ergo Christus non habuit virtutes morales acquisibiles. Rursus difficultas appetitûs ad bonum rationi consonum oritur ex inclinatione ejusdem ad bonum contra rationem: sed in Christo hæc inclinatio appetitûs ad bonum contra rationem non datur, non tantùm per modum actûs secundi; sed nec etiam per modum actûs primi; consequenter neque datur difficultas, qua potentia appetitiva retardatur ad exercendos actus virtutum moralium. Minor extenditur quia ut docent communiter Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 15. art. 2. in Christo non fuit fumes peccati secundùm essentiam fomitis, sed fuit extinctus ex vi unionis hypostaticæ, & gratiæ habitualis, & virtutum ipsam consequentium. Non consistit essentia fomitis in motu appetitûs sensitivi insurgentis contra rationem, ut aliqui putant: sed in sensuali inclinatione appetitûs per modum actûs primi in id, quod rectitudini est dissonum, seu adversatur rectæ rationi: in Christi autem appetitu nulla fuit habitualis inclinatio per modum actûs primi in malum rationi dissonum, quodque virtutis honestati adversaretur: & quia difficultas in bonum honestum superanda ab habitu virtutis moralis oritur in appetitu ex inclinatione habituali per modum actûs primi in malum oppositum bono virtutis, nulla in Christi appetitu reperiri poterat difficultas vincenda per habitus virtutum moralium circa assecutionem boni honesti consoni rectæ rationi: consequenter non fuerunt virtutes morales.

Huic objectioni multipliciter occurrunt Theologi, & controversistæ. Respondent aliqui ad indigentiam habitûs in facultatibus appetitivis sufficere indifferentiam potentiæ, seu facultatis appetitivæ, quæ indifferentia fuit in appetitu animæ Christi ex subordinatione ad voluntatem: proinde quamvis in Christo extinctus fuerit fomes, & nulla insurrexerit difficultas, quæ retardaret promptam, & expeditam assecutionem boni honesti, adhuc fuerunt necessarii habitus virtutum moralium ob indifferentiam potentiæ. Sed hæc solutio videtur captu difficilis, quia ut docet D. Thomas 1. 2. *q.* 56. *art.* 6. Voluntas nostra in ordine ad bonum proprium non indiget habitu virtutis; & nihilominus in ordine ad aliud est indifferens: unde sola potentiæ indifferentia non videtur sufficere, ad invehendam indigentia habituum virtutum moralium. Præterea posito habitu in appetitu sensitivo tantùm tollitur id ex quo habitûs indigentia oriebatur: sed existente habitu in appetitu sensitivo adhuc indifferentia in eodem perseverat; ergo indigentia habituum non oritur in appetitu sensitivo ex hac indifferentia, adeo ut habitus non sit necessarius ob hanc indifferentiam in operando, alioquin indifferentia tolleretur per introductionem habitûs, quod tamen non contingit. Alii cum Vasquez respondent, quod tametsi in Christo ex speciali Dei assistentia, & gratia non fuerint concupiscentiæ, quia tamen suapte natura esse poterant; est in illius appetitu sensitivo difficultas, ad quam vincendam requirebatur habitus virtutis moralis acquisibilis. Verum neque hæc solutio satisfacit, quia falsò supponitur, negationem concupiscentiarum rectitudini, ac honestati adversantium oriri in Christo ex sola extrinseca Dei assistentia, quia inde sequeretur fomitem non fuisse in Christo extinctum, sed tantùm ligatum, ut in Beata Virgine ex sententia D. Thomæ docentis in Beata Virgine ante Christi conceptionem fuisse fomitem ligatum, & post conceptionem extinctum: sed in Beata Virgine ante Christi conceptionem non fuerunt motus inordinati, nec potuerunt esse ob extrinsecam divinæ gratiæ assistentiam: ergo remotio motuum appetitûs inordinati proveniens ex sola extrinseca Dei assistentia ligat quidem fomitem, non verò penitus extinguit. Exactiùs respondetur ad objectionem habitus virtutum moralium quamvis facilitent potentias appetitivas, quas juvant ad expeditiùs, & faciliùs eliciendos suos actus in bonum consonum regulis honestatis: ita ut potentia appetitiva nullam experiatur difficultatem, & expeditè feratur in suum bonum, adhuc per habitum virtutis ei additur incrementum virium, quo majore facilitate fertur in bonum consonum regulis honestatis, quàm ferretur in illud, si propriis tantùm viribus sine habitus virtutis additione ferretur: quamobrem ut habitus virtutum moralium sint necessarii, non requiritur insurgentia passionum repugnantium rationi, sed exigentia uberioris perfectionis, quæ in Christo oriebatur ex unione cum Deitate qua singulæ in Christo potentiæ appetitivæ fuerunt sanctificatæ substantialiter, ac propterea exigebant, ut perfectiori modo in sua possent ferri objecta, & cum uberiori facilitate, ac magis expeditè, ad quod præstandum requirebantur habitus virtutum moralium. Ad aliud, quod addebatur de fomite, quòd non fuerit in Christo, respondetur essentiam fomitis non consistere in sola, & simplici innata inclinatione appetitûs, sed in tali inclinatione cum addito, scilicet ut expedita ad motus inordinatos ac regulis honestatis adversanti: hæc enim expeditio non solùm importat entitatem appetitûs, sed etiam negationem plenæ subjectionis ad rationem, alioquin cùm in Christo fuerit essentia appetitûs sensitivi, ejus entitas fuisset etiam fomes, quod dici nequit: rursus in Adamo ante peccatum in statu innocentiæ fuit innata inclinatio appetitûs, & ejus entitas, proinde fuisset etiam fomes, imò & futurus esset in posteris Adæ, quamvis Adam non peccasset contra Concilium Trident. *sess.* 5. *decret. de pecc. orig.* ubi expressè asserit: Fomitem peccati esse in nobis effectum peccati originalis. Hinc licèt dif-

ficultas

facultas ad bonum rectitudini consonum oriatur ex inclinatione appetitûs ad objectum rationi dissonum secundùm intrinsecam entitatem, & ex expedita inclinatione ad malum, non tamen ut ex causa necessaria, quia licèt in Christo non manserit inclinatio appetitûs sensitivi ut expedita ad objectum dissonum rationi; fuit tamen inclinatio appetitûs sensitivi ad motus inordinatos secundùm suam entitatem, & ex hac inclinatione nascitur difficultas ad bonum rationi consonum, ad quam superandam habitus superadditus vires & facilitatem suppeditat: quo pacto quamvis in voluntate Christi non manserit peccandi potentia, adhuc fuit intrinseca difficultas ad bonum proximi appetendum, ad quam superandam habitus justitiæ requiritur.

Dicendum tertiò virtutes morales per se acquisibiles fuisse in Christo in primo instanti suæ conceptionis adeo ut saltem per accidens fuerint Christo infusæ in illo instanti. Ita cum D. Thoma fere omnes Theologi. Probat assertum Vasquez *disput.* 42. *cap.* 2. quia si Christus ab initio suæ conceptiones non habuisset omnes virtutes morales infusas, fuisset expertus difficultatem in ordine ad bonum honestum, sed id est inconveniens, non enim decet in Christi voluntate difficultatem ponere quoad exercitium virtutum, ergo concedendæ sunt Christo virtutes per se acquisibiles & quidem ab instanti suæ conceptionis. Verùm hæc ratio, nisi quid aliud superaddatur, non videtur intentum probare, quia tametsi inconveniens sit Christi voluntatem habere positivam difficultatem ortam vel ex habitu otioso, vel ex passionibus appetitûs adversantibus rationi, non tamen est inconveniens, si dicamus habuissa difficultatem tantùm negativam ortam ex carentia habituũ præstantium facilitatem: sicut Vasquez probat inconvenientiam positivæ difficultatis, ita debuisset addere probationem indecentiæ pro difficultate negativa orta ex sola carentia habituum. Rursus intellectus Christi ab initio suæ conceptionis non habuit scientias omnes naturales, adeo ut difficultatem negativam in ordine ad verum dicatur habuisse, & nihilominus id non reputatur a Vasquez inconveniens, proinde neque debet per ipsum censeri inconveniens Christi voluntatem ab initio suæ conceptionis habuisse difficultatem negativam ortam ex carentia habituum præstantium facilitatem tendendi in bonum, quod est objectum virtutis: quamobrem nisi quid aliud addatur, argumentum non videtur intentum probare; tum quia objectum prudentiæ non est verum speculativum, sed practicum, quod est verum conforme ratione, & bonum, ac honestum moraliter, & tamen Vasquez non censet inconveniens intellectum Christi ab initio suæ conceptionis non habuisse summam promptitudinem in ordine ad objectum prudentiæ: docet siquidem habitum prudentiæ præstantem hanc promptitudinem, & expeditam operationem in ordine ad objectum prudentiæ fuisse successu temporis acquisitum à Christo, proinde ex suis principiis nec debet inconveniens censere voluntatem Christi habuisse aliquam difficultatem negativam paulò superiùs explicatam circa objecta virtutum.

Suarez *disput.* 19. *sect.* 2. ex eo nititur evincere virtutes morales per se acquisibiles fuisse Christo infusas in primo suæ conceptionis instanti; quia Adamo ex eo, quòd fuerit constitutus totius humani generis morale caput, fuerunt à primo suæ formationis instanti infusæ per accidens omnes virtutes morales naturales: sed Christus longè perfectius fuit à Deo constitutus caput totius humani generis quàm Adam, ergo si huic infusæ fuerunt omnes virtutes morales à primo suæ conceptionis instanti, à fortiori etiam Christo Domino fuerunt infusæ. Verùm hæc ratio patitur difficultates, neque illi intellectus plenè acquiescit, quia incertum est, an de facto Adamo in stato innocentiæ inditæ fuerint omnes virtutes morales in primo suæ formationis instanti, non enim desunt, qui id negent, unde ex paritate desumpta ab Adamo non colligitur fuisse in Christo has omnes virtutes morales in primo suæ conceptionis instanti. Præterea quia Adamus non fuit caput nostrum morale quoad meritum, nam licèt homines in illo peccaverint, non tamen in illo merentur, quapropter fuit tantùm caput nostrum morale quoad culpam, & ut esset tale caput, non requirebatur infusio omnium virtutum acquisitarum in primo suæ formationis instanti, unde ex illa causali majoris non infertur fuisse virtutes morales acquisibiles Christo infusas in primo suæ conceptionis instanti. Tum quia, ut D. Thomas 1. *part. quæst.* 94. *art* 3. Adamo in primo instanti suæ formationis inditæ fuerunt per accidens species rerum omnium, & tamen D. Thomas 3. *part, quæst.* 9. *art* 4. docet, has species non fuisse Christo infusas à primo suæ conceptionis instanti, ergo ex Adamo non desumitur efficax argumentum ad Christum: potest etiam ratio discriminis assignari, quia Adamus fuit formatus in ætate adulta, in qua sicut exigebat exercitium scientiæ naturalis, ita etiam postulabat usum virtutum naturalium, proinde etiam infusionem virtutum. Christus autem fuit conceptus in ætate infantili, & in illa ætate non exigebat usum scientiæ naturalis, nequæ exercitium virtutum naturalium: unde argumentum deductum ab Adamo non est efficax ad inferendum virtutes morales per se acquisibiles fuissa Christo in primo suæ conceptionis instanti infusas.

Alii ex eo nituntur assertum probare, quia gratia habitualis ex gratia derivatur unionis, & quia humanitas in primo suæ conceptionis instanti unita fuit divino Verbo, ita in primo suæ formationis instanti fuit etiam ornata gratia habituali: sed non solùm gratia habitualis, verùm etiam virtutes morales derivantur ab ipsa gratia unionis, ergo saltem per accidens fuerunt hujusmodi virtutes Christo infusæ in instanti suæ conceptionis. Major est certa, quia gratia habitualis non sequitur ad gratiam unionis consecutione physica, sed tantùm morali, quæ consecutio in eo est sita, quòd Christo sit moraliter debita gratia habitualis ratione unionis humanitatis ad Verbum: sed perinde ac gratia habitualis, virtutes morales per se acquisibiles debentur humanitati Christi morali debito ratione unionis hypostaticæ, ratione cujus conveniens erat, ut Christi humanitas non solùm in ordine supernaturali, sed etiam naturali omnino perficeretur: hæc autem perfectio nonnisi à virtutibus moralibus acquisitis exhibetur: ergo sicut ex vi unionis hypostaticæ fuit Christo moraliter debita gratia habitualis à primo suæ conceptionis instanti, ita fuerunt etiam debitæ in eodem instanti morali debito virtutes morales naturales per se acquisibiles. Verùm neque huic rationi plenè acquiesco, nisi quid aliud addatur: quia etiam scientiæ naturales erant debitæ humanitati ratione unionis ad Verbum morali debito condecentiæ, quia decens erat, ut humanitas Verbo divino unita esset ornata omni scientia naturali, & supernaturali, cùm primùm fuit Verbo unita: & tamen non fuerunt per accidens infusæ Christo in primo instanti suæ conceptionis: ergo ex morali debito virtutum ac-

quisitarum non rectè infertur fuisse has virtutes à primo instanti suæ conceptionis Christo infusas. Rursus est discrimen inter gratiam habitualem, & virtutes morales naturales per se acquisibiles relativè ad gratiam unionis: siquidem gratia habitualis, quamvis rigorosè non sit proprietas gratiæ unionis, ad quam non sequitur per physicam emanationem; sequitur tamen per modum proprietatis, qui modus exigit semper comitari formam cujus est proprietas: ergo ut argumentum allatum esset efficax, ac probaret assertum, non esset supponendum, sed probandum virtutes per se acquisibiles consequi per modum proprietatum ad gratiam unionis, etsi non physica diminatione saltem morali consecutione, sicut ad gratiam unionis sequitur gratia habitualis consecutione morali per modum proprietatis: & quia hoc non probatur; ex eo quòd Christo impertita fuerit gratia habitualis à primo instanti suæ conceptionis, non sequitur fuisse illi infusas virtutes morales per se acquisibiles in primo suæ conceptionis instanti.

Quamobrem efficaciùs probatur assertum. Christo utpote subsistenti per subsistentiam divinam omne id debetur, cum quo Christi humanitas potest esse dignior, ac fieri perfectior, & sine quo esset minus digna, ac minus perfecta, siquidem decuit, ut Christus ratione unius cum Verbo humanitatem haberet omnibus illis instructam perfectionibus, cum quibus perfectius se habet: hac ratione D. Thomas *3 part. quæst. 19. art. 3.* docet, Christum non meruisse gratiam habitualem, nec beatitudinem animæ, quia ad id fuisset necessarium, ut aliquando caruisset gratia habituali, & beatitudine, ut potuisset propriis operationibus gratiam habitualem, ac beatitudinem promereri: sed perfectius, ac dignius fuit Christo semper habuisse gratiam habitualem, & beatitudinem, quàm illis pro aliquo instanti caruisse: quia igitur humanitas Christi est perfectior cum virtutibus naturalibus acquisibilibus, quàm sine illis & Christi humanitati ut subsistenti per subsistentiam Verbi divini est debita ea major perfectio, cujus est capax, eò quia decentior se habeat ad Verbum; sequitur Christi humanitati ab initio suæ conceptionis fuisse impertitas virtutes morales naturales. Decuit enim Christi humanitatem uniri Verbo divino cum illa majori dignitate, quæ potest illi convenire, & humanitas dignior est cum virtutibus moralibus, quàm sine illis: sunt enim hujusmodi virtutes perfectiones naturales humanitatis; & quia subjectum melius, ac perfectius se habet cum ea omni perfectione, quam potest habere, quàm sine illa, ideo humanitas Christi cum hisce virtutibus naturalibus perfectiori modo se habet; adeo ut dignius, ac perfectius sit, Christum habuisse ab initio suæ conceptionis omnes virtutes morales naturales sibi inditas, quàm eas decursu temporis suis actibus sibi comparasse: quoties enim carentia perfectionis magis præjudicat excellentiæ, & perfectioni subjecti, quàm per ejus acquisitionem eidem accrescat perfectio, tunc melius est eam ab alio accipere quàm habere à se: atqui harum virtutum naturalium carentia magis præjudicat dignitati Christi, quàm accrescat per illarum acquisitionem: illud enim est melius, cujus oppositum est pejus: sed carentia harum virtutum per instans aliquod temporis est pejor, quàm carentia acquisitionis earundem: consequenter eas habere ab instanti suæ conceptionis perfectius est, ac melius, quàm eas per proprios actus decursu temporis sibi comparare. Quòd verò carentia harum virtutum ad aliquod tempus sit pejor quàm carentia acquisitionis illarum, ex eo evincitur: quia carentia reddens subjectum non bonum simpliciter est pejor, quàm carentia constituens subjectum non bonum tantùm secundùm quid: sed carentia virtutum moralium naturalium ad aliquod tempus constituit subjectum non bonum simpliciter: & carentia acquisitionis earundem solum constituit subjectum non bonum secundùm quid, seu secundùm modum habendi: ergo carentia virtutum constituit subjectum carens iisdem virtutibus non bonum simpliciter, & carentia acquisitionis reddit subjectum carens non bonum secundùm quid: proinde cùm carentia virtutum moralium naturalium ad aliquod tempus fuisset pejor, quàm carentia acquisitionis earundem, sequitur quòd si Christo concedendum sit à primo instanti suæ conceptionis, quod dignius, & perfectius est, sit itidem concedendum habuisse Christum à primo suæ conceptionis instanti infusas virtutes morales per se acquisibiles.

Dices, virtutes per se acquisibiles non fuisse necessarias Christo, ut per easdem constitueretur bonus simpliciter; quia per gratiam unionis, gratiam habitualem, & virtutes infusas fuisset Christus simpliciter bonus, tametsi caruisset virtutibus moralibus naturalibus acquisitis: ergo ex carentia harum virtutum non redditur Christus simpliciter non bonus. Sed contra, quia tametsi Christi humanitas ex vi gratiæ unionis, habitualis, ac virtutum infusarum constitueretur sancta simpliciter sanctitate, & bonitate ordinis hypostatici, & supernaturalis; non ita in ordine naturali quoad ea, in quibus poterat Christi humanitas perfici: & quia conveniens erat, ut Christi humanitas ut unita Verbo divino esset ornata, ac dignificata omnibus illis perfectionibus supernaturalibus, & naturalibus, quarum erat capax, ideo decuit, ut à primo suæ conceptionis instanti virtutes omnes morales acquisibiles naturaliter haberet, quia cum iisdem est dignior ac perfectior, quàm sive illis. Quòd si dicas, virtutes naturales per se acquisibiles contineri eminenter in ipsa gratia unionis, proinde Christi humanitatem semel perfectam per gratiam unionis non posse ulterius perfici per has virtutes morales naturales acquisibiles. Contra est, quia etiam humanitas Christi ex vi gratiæ unionis constituitur simpliciter sancta sanctitate substantiali ordinis hypostatici, & continente eminenter omnem aliam sanctitatem, & nihilominus Christus præter hanc gratiam unionis adhuc habuit gratiam habitualem, qua fuit sanctificatus sanctitate accidentali: ergo quamvis virtutes naturales contineantur eminenter in gratia unionis, inde non sequitur non debuisse has virtutes inesse Christo in primo instanti suæ conceptionis. Tum quia sicut per gratiam unionis, & gratiam habitualem potentiæ humanitatis perficiuntur in ordine supernaturali; ita per virtutes morales naturales acquisibiles debuerunt perfici in ordine naturali, ut humanitatis potentiæ essent perfectæ in quolibet ordine: per continentiam autem eminentialem non perficiuntur potentiæ in ordine naturali, sed tantùm in ordine supernaturali. Præterea licèt gratia habitualis contineatur eminenter in gratia unionis, adhuc gratia habitualis quia sanctificat Christi humanitatem accidentaliter in ordine supernaturalem, ideo D. Thomas *3. part. quæst. 29. art. 3.* censuit inconveniens, Christum aliquando caruisse gratia habituali, & ejus carentiam magis præjudicare perfectioni Christi, quam ex illius merito accrescat: ita licèt per gratiam unionis & virtutes infusas constituatur Christus simpliciter

pliciter bonus bonitate supernaturali, ac ordinis hypostatici: quia tamen adhuc virtutes morales acquisibiles naturaliter præstant eidem humanitati bonitatem spectantem ad ordinem naturæ, deberet inconveniens censeri Christum aliquo tempore caruisse hisce virtutibus naturalibus, & potentias naturales humanitatis Christi non fuisse perfectas in ordine naturali. Nam quamvis virtutes naturales per se acquisibiles non reddant subjectum, cui insunt, simpliciter bonum bonitate omnis ordinis; quia tamen conferunt bonitatem simpliciter in ordine naturali; quamvis ex earum carentia non constituatur subjectum non bonum simpliciter in omni ordine bonitatis; constituitur tamen non bonum simpliciter bonitate ordinis naturalis: sed inconveniens est Christum aliquo tempore fuisse non bonum bonitate naturali, seu bonitate morali pertinente ad ordinem naturæ; quia hæc bonitas naturalis etiam supposita alia bonitate supernaturali pertinet ad complementum perfectionis naturalis humanitatis Christi; ergo si conveniens fuit, ut Christi humanitas cum toto suo complemento perfectionis naturalis uniretur verbo divino, debuit in instanti suæ conceptionis perfici per virtutes morales naturaliter acquisibiles, alioquin non fuisset verbo unita cum tota sua perfectione naturali, cujus est capax.

Dices, estò Christus habuerit in primo suæ conceptionis instanti has virtutes morales naturaliter acquisibiles non tamen inde sequitur, has fuisse per accidens Christo infusas: quia nihil videtur obstare, quo minus Christus in primo suæ conceptionis instanti eas potuerit propriis actibus sibi comparare, quia non est necesse ut actus præcedat tempore habitum, sed sufficit prioritas naturæ, adeo in eodem instanti temporis, quo actus elicitur, habitus introducatur, sicut in sententia plurium ultima dispositio ad formam est simul tempore cum ipsa forma. Sed contra, quia gratis asseritur, & absque sufficienti fundamento Christum in primo instanti suæ conceptionis elicuisse actus virtutum omnium moralium, quibus mediantibus sibi acquisiverit habitus: etenim in primo illo instanti non potest Christi humanitas sine ingenti miraculo totam collectionem actuum virtutum moralium elicere, id enim videtur captu difficile, præsertim si humanitas nullo juvetur supernaturali auxilio. Præterea quia adversarii eatenus asserunt hos actus fuisse à Christo elicitos in primo suæ conceptionis instanti, ut connaturaliter sibi acquireret has virtutes morales: sed ad connaturalem acquisitionem virtutum acquisitio miraculosa non conducit, neque auxilium supernaturale, quo juvetur potentia naturalis, quia tunc potentia non operatur naturaliter ex propriis suis viribus tantùm, neque acquisitio virtutis est naturalis. Ergo si dicas, naturam humanam in Christo fuisse integram, & non lapsam, ut in puris hominibus, proinde seclusa imbecillitate naturæ lapsæ potuisse præfatos actus elicere absque miraculo, sine auxilio supernaturali. Contra est, quia natura in Adamo ante peccatum tametsi fuerit integra, non tamen sine miraculo potuisset totam illam actuum collectionem elicere: hæc enim simultanea elicientia omnium actuum non datur sine miraculo etiam à natura integra; unde non solùm relativè ad naturam lapsam, sed etiam ad naturam integram est miraculosa. Quod non potuerit Adam ante peccatum, & in statu naturæ integræ omnes simul elicere actus virtutum moralium, ex eo liquet, quia non videtur, quomodo potuerit in omnium scientiarum actus, & in abstractionem omnium naturalium specierum simul erumpere, alioqui in primo suæ formationis instanti sibi comparasset propriis actibus rerum omnium species, quod est contra communem Theologorum sententiam.

Dices, perfectius esse habere à se virtutes acquisitas, quam illas habere ab alio, siquidem agere perfectius est quàm pati, quatenus subjectum tantum se habet passivè recipiendo formam ab alio: ergo cum perfectius sit habere à se virtutes morales naturaliter acquisibiles, quam illas recipere ab alio; & Christi humanitati tribuenda sit ea major perfectio, quæ tribui eidem potest ex decentia & convenientia quia unitur verbo divino, sequitur Christum à primo suæ conceptionis instanti per actus proprios sibi acquisivisse virtutes morales naturaliter acquisibiles. Sed contra, quia tametsi perfectius sit habere virtutes acquisitas à se, quam illas ab alio recipere, si cætera sint paria; non tamen est perfectius, si reliqua non sint paria: in præsenti non servatur paritas: quia habere virtutes naturaliter acquisitas per proprios actus supponit carentiam illarum saltem pro aliquo instanti temporis quoad substantiam; ex quo sequeretur Christi humanitatem pro aliquo saltem tempore fuisse destitutam hisce virtutibus, quos per proprios actus sibi acquisivit, consequenter Christi humanitas non fuisset pro aliquo tempore bona simpliciter bonitate morali ordinis naturalis, quod magis derogat Christi perfectioni, quam eidem accrescat ex virtutum acquisitione per proprios actus: proinde melius ac perfectius fuit Christo habere virtutes naturaliter acquisibiles sibi à Deo inditas, quam acquisitas per proprios actus; quia hæc acquisitio semper supponit earumdem carentiam.

Instabis melius fuit Christo carere gloria corporis per aliquod tempus, & illam sibi comparare per proprios actus & merita, quam habuisse gloriam corporis ab initio suæ conceptionis sine propriis meritis: ergo à pari melius fuit Christo habuisse virtutes acquisitas per proprios actus, quam illas accepisse in primo suæ conceptionis instanti: ergo sicut Christus per proprios actus sibi acquisivit gloriam sui corporis; ita per proprios actus sibi etiam compatur virtutes morales naturaliter acquisibiles. Sed contra negatur paritas, quia eatenus conveniens fuit Christum caruisse gloria sui corporis, quia hæc carentia conducebat ad finem redemptionis. Quia enim Christus voluit sua passione, ac morte humanum genus redimere debuit obnoxius esse doloribus, passionibus & morti, cum quibus non stat gloria corporis, quæ non sinit corpus gloriosum obnoxium esse doloribus, ac neci. Si dicas, Christo esse triboendum, quod perfectius est, respondetur cum distinctiooe, si, quod perfectius est, conducat ad finem redemptionis, eo pacto quo voluit Christus humanum genus redimere conceditur; si non conducat, quin imo oppositum ad talem finem invehat; negatur: & quia ad finem redemptionis nostræ conducebat carentia gloriæ corporis Christi; ideo melior fuit Christo spectato sine nostra redemptionis carentia gloriæ corporis, quam non carentia ejusdem. Hæc autem ratio non militat de virtutibus acquisitis, non enim earum carentia conducebat ad finem redemptionis nostræ; sed earum possessio congruebat humanitati, ut condecentiùs verbo divino uniretur. Urgebis melius fuit Christo scientias acquisitas per proprios actus sibi comparâsse, etiam supposita earun-

dem

dem carentia per aliquod tempus quam sine tali carentia eas habuisse ab initio infusas: ergo ita dicendum de virtutibus moralibus per se acquisibilibus. Sed contra negatur consequentia, est enim dispar ratio; quia scientiæ naturales non constituunt objectum bonum simpliciter, sed tantùm secundum quid, ex quo sequitur, quod ex earum carentia non constituatur subjectum non bonum simpliciter in aliquo ordine; nec magis derogetur Christi perfectioni per carentiam scientiarum acquisitarum ad tempus, quam illi accrescat ex earundem connaturali acquisitione; quin imò ex naturali acquisitione magis ei accrescit, quam ex earundem carentia illi præjudicetur: & oppositum contingit in virtutibus moralibus naturalibus, ut ostendimus.

Instabis, virtutes appetitivæ supponunt in intellectu species impressas objectorum volibilium: sicut enim omne volitum debet esse præcognitum: ita omne proximè volitum debet esse proximè cognoscibile: sed sine specie impressa objectum non est cognoscibile, quia constituitur cognoscibile per speciem impressam: ergo sicut ex carentia infusionis specierum ab initio conceptionis in Christi anima sequitur non fuisse infusos habitus naturalium scientiarum; ita sequitur non fuisse infusos habitus naturalium virtutum. Sed contra negatur paritas, quia ut virtutes morales naturaliter acquisibiles extiterint in Christi humanitate ab initio suæ conceptionis, sufficit, si extiterint species supernaturales rerum omnium, per quas constituuntur intelligibiles, ac voluntati sufficienter repræsentantur, non solùm ut volitivæ supernaturaliter, verùm etiam ut naturaliter volitivæ: quamvis enim actus naturalis voluntatis non postulet supernaturalem cognitionem pro regula; non tamen repugnat per illam regulari, & ferri naturaliter in objectum supernaturaliter cognitum: proinde ut Christi voluntas constituatur potens habitualiter elicere actus omnium virtutum, non sunt necessariæ species naturales; qui ad id sufficiebant species supernaturales infusæ, quibus potest voluntas regulari in ordine ad eliciendos actus virtutum moralium naturalium. Actus verò scientifici naturales non possunt regulari per species supernaturales, proinde proxima habilitas ad illos eliciendos cum solis speciebus supernaturalibus non potest existere; sed requiruntur species naturales. Ratio cur actus voluntatis possit ferri in objectum per speciem supernaturalem ac infusam; non ita actus naturalis intellectus est: quia repræsentatio objecti in ordine ad actum voluntatis se habet tantùm ut conditio; quæ sive sit naturalis, sive supernaturalis, per accidens se habet, sufficit enim si habeatur repræsentatio objecti, ut voluntas in illud tendat; quia conditio non dat influxum, ut causa, sed tantum ponit requisita ad agendum. In specie supernaturali infusa duo considerantur, supernaturalitas & repræsentatio, ex his supernaturalitas se habet per accidens; & sola repræsentatio est conditio, quæ propterea sive sit in specie naturali vel supernaturali, nil refert, quia semper habetur repræsentatio ejusdem objecti. Secus actus naturalis intellectus non elicitur absque concursu in genere causæ efficientis intellectûs informati per speciem impressam. Unde repræsentatio objecti, quæ ad actum voluntatis concurrit tantum ut conditio; ad actum naturalem intellectus influit ut principium efficiens ac specificans actum: & repugnat actum naturalem à principio supernaturali effectivè ac specificativè procedere; non verò implicat activum naturalem dependere à supernaturali ut à conditione.

Infertur ex dictis, virtutes naturales per se acquisibiles fuisse animæ Christi infusas cum summa intensione, prout lex ordinaria possibilis exigebat, proinde per repetitos actus nullum suscepisse incrementum: est enim eadem ratio de intensione harum virtutum, ac de earundem substantia; & sicut quoad substantiam fuerunt ab initio suæ conceptionis humanitati inditæ; ita quoad intensionem. Rursus quia conveniens erat, ut anima Christi à primo instanti suæ existentiæ habuerit gratiam habitualem cum omni intensione possibili de lege ordinaria: ergo si conveniens fuit, ut virtutes morales naturaliter acquisibiles infunderentur per accidens Christi humanitati in primo suæ conceptionis instanti: conveniens etiam fuit ut infunderentur cum omni intensione de lege ordinaria possibili.

Dices, sine virtutibus moralibus naturaliter acquisibilibus potuisset Christi humanitas elicere actus earundem: ergo non fuerunt necessariò infundendæ in primo suæ conceptionis instanti. Sed contra, quia potuit quidem Christi humanitas sine habitibus virtutum actus elicere omnium virtutum moralium; non tamen cum eadem facilitate, ac promptitudine, ac cum habitibus virtutum. Aliud enim est Christi humanitatem posse elicere actus virtutum moralium; & aliud posse eosdem elicere cum facilitate ac promptitudine; primum præstitisset Christi humanitas sine virtutum habitibus, non secundum etiam de lege absoluta: quia effectus formalis alicujus formæ adæquatus non potest sine illa, etiam de potentia absoluta præstari: atqui promptitudo & facilitas ad operandum honestè ex motivo naturali est effectus formalis adæquatus virtutis per se acquisibilis, ergo sine illa non potuit Christus de potentia absoluta elicere cum eadem facilitate ac promptitudine actus virtutum moralium, quas elicuisset cum habitibus earumdem virtutum.

Infertur secundò, fuisse in Christo gratias gratis datas, quas enumerat Apostolus 1. ad Corinth. 12. quia cum fuerit Christus author salutis universalis, ac debuerit instruere ac ordinare Ecclesiam, fuerunt ipsi necessariæ hujusmodi gratiæ, & passim Christum eas exercuisse legimus in Evangelio. Hinc fuerunt in Christo magnificentia, liberalitas, justitia vindicativa, Eutropelia, Philotymia, & aliæ virtutes non repugnantes unioni hypostaticæ. Liberalitas enim, & magnificentia versantur circa divitias non solum ut distribuendas ante possessas, prout quomodo & quando oportet, sed etiam eas contemnendo, quod præstitit Christus: exercuit etiam liberalitatem, eò quia jusserit erogari pauperibus opes, quæ sibi dabantur. Fuit etiam justitia vindicativa, cujus actus est duplex, quorum primus est petere à legitimo judice ultionem peccati; secundus injurias suas, vel Deo illatas propulsare, ut docet Div. Thom. 2. 2. *quæst.* 108. *art.* 1. & 2. & neuter Deo repugnat, quinimo utrumque exercuisse liquet ex scripturis Joan. 8. petiit adulteram lapidari, *qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.* Quæ verba expendens D. Augustin. tract. 33. in Joan. asserit Christum exercuisse, ac docuisse justitiam vindicativam; secundum actum etiam exercuit cum Judæis Christo convicianiibus, quòd Dæmonium in se haberet, propriam propulsans injuriam respondit: *Ego Dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum: vos autem inhonorastis me.* Exercuit etiam justitiam vindicati-

dicativam, quando fecit flagellum de funiculis, & ejecit de templo veodentes & ementes. Fuisse etiam in Christo virtutem eutropeliæ ex eo suadetur, quia tametsi jocos & ludos efficaciter oon elegerit: absolutè tamen electio efficax illorum Christo non repugnavit, & habuit actum conditionatum, quo jocos, & ludos sub conditione elegit, & id sufficit, ut virtus eutropeliæ ei conveniret. Ratio cur efficaciter jocos non elegerit, est, quia cùm de rebus maximi momenti ageret, seu de redemptione humani generis, non videtur decuisse Christum jocorum electionem, hinc Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 168. *art.* 2. ait: Non excusari à culpa eos concionatores, qui Evangelicæ prædicationi jocos, & ridicula admiscent. Præterea quia Christus ludicra & jocos contempsit ex formali motivo eutropeliæ, quia sicut materia liberalitatis sunt pecuniæ non solùm ut distribuendæ, verùm etiam ut omnino contemnendæ, ut docet D. Th. 3. *part. art.* 2. *ad* 3. ita ad materiam eutropeliæ pertinent joci & ludi non solum exercendi, quomodo & quando oportet, sed etiam contemnendi, adeo ut Christus ex virtute eutropeliæ contempserit jocorum exercitia. Rursus fuisse etiam in Christo phylotimiam, de qua agit Div. Thomas 1. 2. *quæst.* 60. *art.* 1. & 2. 2. *quæst.* 129. *art.* 2. ex eo etiam solet evinci, quia hæc virtus non repugnavit Christo ab intrinseco: quamvis enim suis actibus ex personali dignitate maximi deberentur honores; ex aliis autem capitibus poterant etiam parvi honores deberi, proinde non repugnavit Christum desiderâsse parvos honores.

CAPUT XIV.

An in Christo fuerint dona Spiritûs sancti?

Dicendum primò fuisse in Christo dona Spiritûs sancti, ita communiter cum Div. Thoma 3. *part. quæst.* 7. *art.* 5. Probari solet primo ex illo Isaiæ cap. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini*, ubi sermonem fieri de Christo secundum humanitatem communis est Patrum & Schulasticorum sensus, & quia ibi enumerantur quatuor Spiritûs sancti dona pertineotia ad intellectum, & tria spectantia ad voluntatem, hæc omnia fuisse in Christo noo est dubium. Ratio itidem solet assignari, quia hujusmodi dona sunt quædam perfectiones quibus potentiæ animæ perficiuntur, secundum quod natæ sunt, ut possint facilè moveri à Spiritu sancto, siquidem per hoc differuot dona Spiritûs sancti à virtutibus infusis, quia istæ tendunt in objecta sub motivo proprio honestatis; dona verò ex honestate, quæ in eo reperitur, quod est facile moveri à Spiritu sancto: seu anima Christi perfectissimè movebatur à Spiritu sancto, ergo in Christo perfectissimè fuerunt dona Spiritûs sancti. Tum quia hæc se habent consecutivè ad gratiam & charitatem, ut docet Divus Thomas 1. 2. *quæst.* 68. *art.* 5. Sed in Christo fuit perfectissimè gratia habitualis & charitas, consequenter etiam dona Spiritûs sancti. Præterea quia Christus actus exercuit horum donorum, ergo quia habuit hujusmodi dona, etenim donum sapientiæ Christum disponebat, ut facilè moveretur ad ferendum certum judicium de rebus æternis per causas altissimas. Donum intellectûs tribuebat Christo, ut statim rectè cognosceret objecta, quæ divinitùs proponebantur. Donum consilii tribuebat, ut Christus rationes statim inveniret agendorum, de quibus certitudinem haberet. Donum scientiæ tribuebat, ut secundum rationes inferiores certissimè & evidenter judicaret de rebus occurrentibus. Donum fortitudinis excludebat à Christo ut viatore omnem formidinem mortis, ut ad finem suum perduceret opus nostræ redemptionis fiduciam ei conferendo de imminentium periculorum evasione. Donum pietatis Christo tribuebat dispositionem, ut Deum coleret, ut filius ejus naturalis. Sed dices modum operandi horum donorum importare imperfectionem, eò quia facit, ut operatio fiat ratione inconsulta, consequenter non videntur hæc dona fuisse in Christo ob annexam imperfectionem. Contra est, negatur antecedens, quia tametsi Spiritus sanctus subinde rationem præveniat, aliquando tamen movet cum perfecta cognitione, & ita contigit in Christo, cujus propterea modus operandi perfectus erat. Quòd si dicas consilium esse de dubiis, & respectu Christi nil fuisse dubium, consequenter donum consilii non fuisse in Christo, contra est, quia per accidens se habet, quòd consilium sit de dubiis, formaliter enim dicit cognitionem practicam, quæ sit mensura operandi, & quia hæc cognitio practica fuit in Christo, negare non possumus fuisse etiam in ipso donum consilii.

Major difficultas est circa donum timoris, & quomodo sit hoc donum constituendum in Christo, an quoad habitum, an etiam quoad actum, & ad quos actus. Abaylardus absolutè hoc donum timoris in Christo negavit, ut refert D. Bernardus *epist.* 190. cujus sententiam ut hæreticam rejiciunt Casto de hæresibus *hæresi* 9. *Verbo Christus.* Sanderus *lib.* 7. *de visibili Monarchia hæresi.* 196. eam etiam damnat Innocentius in epistola directa ad D. Bernardum, quæ est 194. Ex Catholicis prima sententia tribuitur Durando in 3. *dist.* 34. *quæst.* 3. *n.* 5. ubi beatis concedit solùm quoad habitum hoc donum timoris. Verùm Durandus in *solut. ad* 1. apertè fatetur, esse diversam rationem de Christo, & aliis beatis: hinc licèt dona perficientia in vita activa, scilicet consilium, fortitudo, pietas, & timor in ejus senteotia maneant in Beatis tantùm quoad habitum, ait tamen in Christo fuisse quoad habitum, & actum, eò quia fuerit simul Viator, & Comprehensor: & ratio Durandi militat etiam de dono timoris. Alii inter quos Ægidius Lusitanus *Tom.* 3. *de beatitud. lib.* 5. *quæst.* 10. *art.* 2. §. 5. Torrianus 2. 2. *disput.* 71. & alii recentiores docent in Christo fuisse donum timoris quoad habitum, & quoad actum, non tamen qui propriè sit timor, nec castus, nec servilis, sed tantùm similitudinariè: unde docent donum timoris fuisse quidem in Christo cum proprietate, non verò ipsum actum timoris.

Sed dicendum est in Christo fuisse verum donum timoris quoad habitum, & quoad aliquem actum, qui est verus, & proprius timor, ita docent Thomistæ cum D. Thoma. Prima pars, seu fuisse in Christo donum timoris, quoad habitum ex eo liquet, quia Isaiæ cap. 11. de Christo dicitur: *Et requiescet super eum Spiritus timoris Domini:* requiescere autem permanentiam significat: atqui donum timo-

timoris permanenter inhærens est habitus vel potentia: & quia donum timoris propriè potentia non est; superest, ut dicatur esse habitus, & consequenter Christo convenire donum timoris quoad habitum. Quòd etiam donum timoris fuerit in Christo quoad aliquem actum, probari solet, quia habitus est propter actum, ergo si in Christo est donum timoris quoad habitum, est etiam quoad aliquem actum. Alioquin habitus timoris otiosè in Christo poneretur. Tum quia ille habitus est in potentia frustraneus, qui nunquam reduci potest ad aliquem actum, ergo si in Christo donum timoris quoad habitum non fuit frustraneum, nec otiosum, sequitur necessariò, quòd saltem aliquem actum elicuerit. Firmatur, quia si donum timoris esset in Christo tantùm quoad habitum, qui nunquam erumperet in actum, sequeretur, quod etiam in Christo ponendæ essent quoad habitum virtutes fidei, pœnitentiæ, & spei, quia eatenus hæ virtutes excluduntur à Christo, quia earum actus, ad quos per se primò ordinantur, repugnant vel ratione beatitudinis animæ Christi, vel ratione unionis hypostaticæ: hæc autem ratio statim corruit, si concedatur in Christo habitus timoris cum repugnantia ad omnem actum, quia sicut donum timoris quoad habitum inservit ornatui in Christo, ita etiam virtutes fidei, spei, & pœnitentiæ dicerentur inservire ornatui, esset enim utrinque par ratio. Præterea non datur habitus ornans potentiam, cui omnis actus talis habitûs repugnet, proinde si habitus doni timoris reperitur in Christo non illi repugnat omnis actus doni timoris, & consequenter reperitur in illo quoad habitum, & quoad aliquem actum. Antecedens evincitur, siquidem cui repugnat omnis actus alicujus potentiæ, repugnat etiam ipsa potentia, quia hæc dat posse ad actum, atqui etiam habitus supernaturalis dat subjecto posse ad actum, ergo donum timoris ex eo, quòd sit in Christo quoad habitum supernaturalem, debet iisdem esse quoad aliquem actum, quia non stat habitum convenire, cui omnis illius actus repugnat. Præterea, quia habitus non potest communicari subjecto, quin eidem præstet proximam potentiam ad actum: atqui subjecto, cui ab intrinseco repugnat actus, ad quem habitus ordinatur, nequit præstare proximum posse talem actum elicere, ergo nequit illi convenire.

Quòd verò actus timoris à Christo elicitus fuerit verus & proprius timor, colligitur ex scripturis Isa. cap. 11. *Et replebit eum Spiritus timoris Domini.* Et Psal. 18. *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.* Job. 28. *Columnæ cœli contremiscunt, seu Angeli, & Beati*, ut interpretatur Gregorius *lib. 7. Moral. cap. 17.* Primus locus Isaiæ communiter tribuitur Christo, sed verba scripturæ nisi aliunde sequatur inconveniens, sunt intelligenda rigurosè & ut sonant juxta regulam D. Augustini, ergo Christo concedendus est timor actualis verus, & proprius. Tum quia si excluderemus à Christo actum timoris propriè sumptum, etiam habitum timoris debemus ab ipso excludere, saltem in rigorosa acceptione, quod dici nequit, alioquin donum timoris, nec quoad actum, nec quoad habitum esset propriè in Christo, actus enim sequitur conditionem habitûs, proinde si timor actualis in scripturis Christo tribuitur, non esset timor propriè, & strictè sumptus, sed tantùm similitudinariè, etiam habitus timoris esset impropriè, & similitudinariè in Christo, quod adversatur scripturis: ex eo igitur, quòd in Christo fuerit propriè habitus timoris, fuit etiam propriè actus timoris.

Dices in Christo fuisse perfectissimam charitatem, atqui cum perfecta charitate non cohæret actus timoris, quia 1. Joan. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem*, ergo in Christo non fuit actus timoris. Sed contra quia perfecta charitas tantùm excludit timorem servilem quoad servitutem, quæ per quamcunque charitatem excluditur, charitas enim Dei non potest esse cum amore sui ut finis ultimi, in quo consistit timor servilis: non vero non perfecta charitas excludit timorem quoad substantiam, quia compatitur cum illa hominem se ipsum amare, & consequenter ex amore sui pœnam timere: hinc crescente charitate minuitur timor, qui ad positionem perfectæ charitatis prorsus tollitur: quantò enim aliquis magis diligit Deum, tantò minùs ad proprium attendit commodum, cui pœna opponitur. Sed quamvis perfecta charitas excludat timorem servilem, non ita filialem, ac reverentialem, quia hic timor oritur ex charitate ergo eum: quem timemus, habetque pro objecto per se primò bonum, quia respicit eminentiam illius boni, cujus potestate potest malum infligi: quamobrem ex eo, quòd fuerit in Christo perfecta charitas erga Deum, fuit in ipso timor filialis, quia hic oritur ex amore, & facit, ut voluntas reverentialiter conjungatur cum Deo, ut dicit potestatem infligendi malum.

Dices posse simul stare habitum, & potentiam convenire subjecto cum indecentia actûs primarii specificantis habitum vel potentiam respectu ejusdem subjecti: ergo stare etiam poterit repugnare actum specificantem habitum, vel potentiam subjecto, cui non repugnet habitus, vel potentia, consequentia à paritate rationis rectè sequitur; antecedens ostenditur, quia in Christo fuit potentia generativa & licèt fuerit ipsi conveniens, non tamen actualis generatio conveniens illi fuit. Rursus virtus eutropeliæ fuit in Christi humanitate, & ipsum decuit; & tamen primarius ejus actus, qui erat non conditionata, sed absoluta, & efficax jocandi, vel ludendi voluntas, Christum non decuit. Sed contra negatur consequentia, quia actum non convenire alicui subjectu ex eo provenit, quòd non compatiatur cum intensione altioris finis, hinc actualis generatio cum virginitate servanda, & actualis jocorum electio absoluta, & efficax cum gravitate, ac seriositate ab illo servanda, qui de rebus maximi momenti agit, non compatitur: hæc autem incompossibilitas in habitu non invenitur, quia unus habitus virtuosus cum altero non opponitur, ideoque indecentia actus non transit ad habitum, & actûs possibilitas habitum specificat, proinde sublata possibilitate non potest habitus permanere.

Dicendum tertiò probabile esse fuisse in Christo etiam actum doni timoris, qui est fuga mali culpæ & separationis à Deo, ut possibilis naturæ consideratæ secundùm se, quamvis impossibilis sit ratione beatitudinis, ac unionis hypostaticæ. Probatur, quia fuga futuritionis culpæ apprehensæ ut possibilis naturæ nullam involvit imperfectionem repugnantem Christo. ergo non est, cur hunc actum debeamus denegare Christo. Præterea, quia fuit Christo possibilis actus prosecutivus, qui est primarius actus doni timoris: sed ubi est possibilis prosecutio alicujus objecti, est etiam possibilis fuga mali oppositi, quatenus illi opponitur, ergo fuit Christo possibilis fuga peccati ut oppositi objecto specificanti actum prosecutivum timoris. Quòd si duas hunc autem non esse verum ac proprium timorem, eò quia sit fuga mali culpæ apprehensæ, ut possibilis naturæ. Contra est, quia etiam timor ca-

stus

ctus est verus timor, & tamen hanc duntaxat voluntatem significat, ut docet D. Augustinus *lib. 14. de Civit. cap. 9.* inquiens: *Timoris casti nomine ea voluntas significata est, qua nos necesse erit nolle peccare, & non solicitudine infirmitatis, ne fortè peccemus, sed tranquillitate charitatis vitare peccatum.* Ex Augustino consistit timor castus in voluntate, seu fuga peccati ut possibilis naturæ, quamvis impossibilis ratione beatitudinis, consequenter, cùm timor castus sit verè, & propriè timor, diffiteri non possumus actum hunc fugæ esse verum, ac proprium timorem. Neque obstat hunc actum non procedere ex apprehensione mali culpæ, ut imminentis, quia id non officit, quin propriè sit actus timoris, & tantùm inde sequitur non esse timorem anxium.

Dicendum quartò fugam mali culpæ non esse primarium actum doni timoris, sed hunc esse subjectionem reverentialem ad Deum ob divinam eminentiam non inspectam absolutè, sed ut potentem infligere malum positivè, aut permissivè est doctrinæ D. Thomæ *3. part. art. 6. in corp. ad 4.* ubi ait: *Dicendum quòd habitus virtutum, & donorum propriè & per se respiciunt bonum; malum autem ex consequenti: pertinet enim ad rationem virtutis, ut opus bonum reddat: & ideo de ratione doni timoris non est illud malum quod respicit timor, sed eminentia illius boni scilicet divini, cujus potestate aliquod malum potest infligi:* unde ex doctrina D. Thomæ habitus, cujus primarium objectum est bonum, non elicit fugam, sed prosecutionem, eo quia fuga terminatur per se primò, non ad bonum, sed ad malum: atqui objectum primarium habitus doni timoris est bonum, ergo primarius illius actus non est pura fuga mali. Præterea habitus virtutis ex D. Thoma respicit per se primò bonum: ergo non elicit primariò actum, qui sit purè fuga, quia actus primò elicitus ab aliquo habitu debet versari circa primum objectum talis habitus: & pura fuga non potest ad primum objectum habitus tendens terminari quia tale objectum est bonum, & fuga non est ad bonum primariò, sed respicit malum, quod declinat: ergo si primarium objectum habitus virtutis, aut doni est bonum; primarius actus illius nequit esse purè fuga. Quòd verò habitus virtutis, vel doni respiciat per se primò bonum ex eo iidem suadetur, quia malum non fugitur nisi ratione boni, cui opponitur, ut terminantis prosecutionem: proinde ratio formalis objectiva fugiendi malum est bonum, cui tale malum opponitur, atqui eo ipso, quod formalis ratio objectiva fugiendi malum est ipsum bonum, habitus per se primò specificatur à bono proinde habitus virtutis vel doni, respicit primariò bonum. Probatur minor, quia potentia non alia ratione specificatur per se primò à bono nisi quia ratio objectiva fugiendi malum est bonum. Ergo eadem ratione est dicendum de habitu, præterea quia habitus duo respiciens objecta, quorum unum est alteri ratio objectiva terminandi, ab eo quod est ratio terminandi sumit specificationem, ergo si bonum est mala ratio terminandi actum non potest excludi à primario objecto specificante habitum.

Quòd verò primarius actus habitus doni timoris sit subjectio reverentialis ad Deum ob divinam eminentiam; docetur à D. Thoma *2. 2. quæst. 19. art. 9. in corp.* ubi ait: *Ad hoc autem quòd aliquid sit bene mobile ab aliquo movente, primò requiritur, ut sit ei objectum non repugnans, hoc autem facit timor filialis, vel castus, in quantum per ipsum Deum reveremur,* unde docet D. Thomas primarium actum habitus doni timoris esse hanc subjectionem reverentialem ad Deum ob divinam eminentiam. Ratio itidem est, quia subjectio ad Deum in absoluta consideratione est actus humilitatis; reverari Deum absolutè consideratum est actus religionis, ergo ut subjectio reverentialis ad Deum eliciatur ab habitu distincto ab humilitate, & religione debet hic actus Deum non absolutè consideratum inspicere, sed ut potentem infligere malum positivè aut permissivè. Quòd verò hic actus timoris sit eliciendus circa Deum ob divinam eminentiam, ex eò itidem suadetur, quia eminentia divina, ut potens infligere malum, potest ad actum movere, qui aliquem habitum specificet: atqui non ad actum specificantem habitum humilitatis, vel religionis, quia primus respicit Deum absolutè ut superiorem; & secundus ut est principium creationis, & gubernationis rerum absolutè, & ratione supremæ excellentiæ, ergo talis eminentia divina ut potens infligere malum movet ad actum specificantem habitum doni timoris.

Quòd si dicas contra primam partem asserti pœnitentiam esse veram virtutem, & nihilominus ejus objectum esse malum culpæ præteritum, & primarium ejus actum esse dolorem, vel fugam peccati à pœnitente patrati ex motivo emendationis, consequenter non esse contra rationem habitus virtuosi, & honesti à malo specificari, & tanquam primarium actum inspicere fugam illius, unde falsum est habitum doni timoris non respicere ut objectum primarium malum separationis à Deo, & tanquam actum primarium fugam mali culpæ ut possibilis. Contra est quia objectum formale pœnitentiæ non est peccatum præteritum sub ratione malitiæ, aut offensæ, sed sub ratione emendabilis, & satisfactibilis, quæ ratio non est mala, sed bona, & mabilis, & actus primarius pœnitentiæ non est detestatio aut fuga peccati, sed intentio operandi ad delendum peccatum præteritum, seu est voluntas satisfaciendi, quæ voluntas non est fuga, sed prosecutio: unde quamvis dolor de peccato præterito ex motivo satisfaciendi pro offensa, & emendationis illius sit actus elicitus à virtute pœnitentiæ, non tamen est actus primarius pœnitentiæ.

LIBER QUARTUS.

De anima, intellectu & scientia Christi.

CAPUT I.

An Christus ut homo in primo instanti suæ conceptionis & unionis cum Verbo divino habuerit scientiam perfectam?

HActenus disseruimus de Christi divinitate, humanitate, & donis gratiarum, nunc ad particularia descendentes agimus de illius intellectu creato, & scientia, non omnia, quæ à Theologis disputari solent exhibebimus sed ea duntaxat, quæ ab Hæreticis in dubium revocantur, & quæ ad eorumdem errores confutandos conducunt. Certum est esse in Christo intellectum creatum, quia cum hic sit naturalis proprietas naturæ humanæ, quæ in Christo fuit perfecta quoad omnes suas proprietates; ideo una cum natura humana est etiam in Christo intellectus. Præterea certum est de fide, in Christo esse duas naturas divinam, & humanam, & esse verum Deum, & verum hominem: atqui evidens est hominem constare ex anima rationali, & corpore; & animam esse præditam vi intellectiva: ergo cum Christus ut homo habeat animam rationalem, habet etiam intellectum. Quapropter in sexta Synodo Generali *act.* 11, definitur Verbum assumpsisse *animam rationalem animabus nostris contribulem, & mentem menti nostra comparem*, atqui mens significat animam secundùm partem superiorem, qua est intellectiva, hinc certum est de fide in Christo esse intellectum: & licèt intellectus humanus Christi sit angelico inferior, perinde ac natura humana est inferior angelica, est tamen superior quovis intellectu humano creato, quidquid sit de creabili, talem enim intellectum decebat habere Christi personam increatam in sua natura assumpta, etenim sicut habuit corpus omnium perfectissimum; ita conveniens erat, ut perfectissimum etiam haberet intellectum. Difficultas est, an intellectus humanus Christi instructus fuerit aliqua scientia creata actuali.

Dicendum est in Christo præter scientiam increatam propriam Dei fuisse etiam creatam propriam Christi ut hominis. Assertio de fide, eò quia in pluribus Conciliis definitum fuerit contra Eutychetem in Christo duplicem esse naturam suis naturalibus proprietatibus discretam, inter quas præcipua est scientia creata naturaliter debita Christo ut homini. Præterea in aliis Conciliis definitum fuit contra Monotelitas in Christo esse duas voluntates, & operationes, consequenter & duplicem intellectum, & cognitionem: quia sicut in Christo natura divina fuit realiter identificata cum substantia Verbi, ita fuit in Christo intellectus, & voluntas increata: sicut fuit natura humana assumpta à Verbo, & proprietates naturæ assumptæ sunt intellectus, & voluntas creata, & quia intellectui creato est debita scientia eidem proportionata, ideo certum est esse in Christo scientiam actualem creatam: quæ veritas etiam ex scripturis Joan. 8. *Scio unde veni, & quò vado*, rursus circa finem, *Scio eum, & sermonem ejus servo*, & cap. 13. *Sciens Jesus quia venit hora ejus*, in hisce enim locis est sermo de Christo ut homine, de quo tantùm potest verificari, quòd servet mandata ejus, & per mortem transeat ad Patrem. Rursus ad Hebr. 5. *Didicit ex his, quæ passus est*. Discere autem est actus creatus, cujus terminus est notitia & scientia acquisita. Præterea quia Christus Matth. 8. & Luc. 7. admiratus fuit fidem Centurionis; id autem intelligendum est cum D. Thoma de vera admiratione, atqui admiratio ex Aristotele 1. Metaph. cap. 2. est actus internus appetitus ex eo causatus, quòd aliquis cognoscat effectum non cognita causa, & quia id non potest verificari de Christo ut Deo, sequitur in ejus intellectu humano aliquam fuisse cognitionem, quia hujusmodi admiratio fuit de objecto spirituali, propterea supponit cognitionem intellectualem. Præterea quia Matth. 14. Marc. 14. Luc. 22. Joan. 11. Christus dicitur orâsse: atqui oratio est petitio intellectualis inferioris ad superiorem, & meritum est actus voluntatis supponens necessariò actum intellectus humani, ergo inficiari non possumus fuisse in intellectu humano Christi verè, & propriè scientiam.

Ratio itidem id suadet, quia Christus ut homo fuit Doctor, & Legislator hominum, & eorum Redemptor mediis actibus virtutum, quos in pretium nostræ redemptionis æterno Patri obtulit: & hos actus fuisse virtutum, nemo est, qui dubitet, atqui actus virtutum regulantur à scientia, ergo Christus ut homo habuit scientiam suis obeundis muneribus proportionatam: alioquin si intellectus humanus Christi omni careret scientia, & cognitione imperfectus esset, quia ut docet Aristoteles *lib. 1. de anima*, quod est in potentia, quamdiu ad actum non reducitur, est imperfectum atqui intellectus humanus Christi est ex se in potentia ad omnia intelligibilia, proinde si omni destitueretur scientia, & cognitione, esset imperfectus. Quòd si dicas, non esse imperfectum, eò quia eidem uniatur scientia increata Verbi, cujus beneficio meliori modo perficitur per scientiam increatam, quo pacto Christi humanitas non dicitur imperfecta, tametsi careat propria personalitate, ad quam habet naturalem potentiam, eò quia Christi humanitas per Verbi personalitatem perfectiori modo subsistit: & sicut intellectus Christi non esset imperfectus, si loco specierum creatarum ad quas est in naturali potentia uni-

inhæret ei ſcientia divina in ratione ſpei ad cognitionem cujuſcunque veritatis, ita neque intellectus Chriſti ut hominis, quamvis careat omni ſcientia creata non dicitur imperfectus, quia illi unitur ſcientia increata verbi. Contra eſt, quia ſcientia & cognitio increata verbi non potuit uniri per modum ſcientiæ & cognitionis intellectui humano Chriſti ſicut perſonalitas & ſubſiſtentia increata verbi fuit unita humanitati per modum termini, & ſuppoſiti ſuppoſitantis Chriſti humanitatem, ſiquidem cognitio qua talis eſt actio immanens exigens egredi à principio, cui inhæret, & cognitio increata, cum non egrediatur ab intellectu humano Chriſti, nec eidem inhæreat, ideo non perficitur nec intelligit per ſcientiam increatam. Rurſus quamvis concederemus cognitionem increatam eſſe de facto unitam intellectui humano, & intellectum creatum Chriſti intelligere formaliter per cognitionem increatam; & ſimiliter eſſentiam divinam eſſe unitam per modum ſpeciei intellectui humano Chriſti adhuc intellectus humanus in Chriſto eſſet imperfectus, ſi non intelligeret per cognitionem humanam & creatam, ſiquidem careret proprio actu ſibi debito: neque eſt par ratio de ſubſiſtentia, quia cum natura humana Chriſti non potuerit terminari utraque perſonalitate divina, & humana ſimul, eò quia non poſſit eadem natura ſemel ultimatè completa in ordine ſubſtantiali iterum compleri in eodem ordine, & per unam perſonalitatem ſit ultimatè completa in ordine ſubſtantiali, ideo non poteſt ulterius compleri per aliam, & ideo Chriſti humanitas ſuppoſitata per verbi perſonalitatem perfectiùs ſubſiſtit, quam ſi propriam ſubſiſtentiam poſſideret: ſecus probabile eſt, intellectum humanum Chriſti poſſe intelligere utraque intellectione: hinc carentia intellectionis humanæ daret intellectui humano Chriſti imperfectionem.

Dicendum ſecundò hanc ſcientiam in intellectu humano Chriſti fuiſſe creatam, eſt de fide, & deſumitur ex ſcripturis, quæ de Chriſto & homine loquentes ei tribuunt ſcientiam Joan. 8. *Scio, unde veni, & quò vado*, cum enim Chriſti humanitas fuerit creata ſcientia in intellectu humano, fuit itidem creata, tum quia Luc. 2. habetur *Jeſus autem proficiebat ſapientia*, quòd non ſolum intelligitur de augmento quantum ad extenſionem, ſed etiam de augmento ſapientiæ ſecundum ſe, ſicut intelligi debet de augmento ætatis, ſed puer JEſus non potuit creſcere ſecundum ſapientiam increatam, ergò tantùm crevit ſecundum ſcientiam creatam ſaltem experimentalem. Ratio itidem eſt, quia in Chriſto ponenda eſt ſcientia creata, ad quam intellectus humanus Chriſti erat in potentia ne in Chriſto detur potentia fruſtranea: atqui niſi in intellectu humano Chriſti daretur ſcientia creata ejus intellectus humanus eſſet fruſtraneus: ſiquidem intellectus eſt propter intellectionem ſeu ſcientiam ſibi proportionatam: unde ſicut ceſſante fine fruſtra ponuntur media, ita intellectus humanus in Chriſto eſſet veluti medium otioſum & fruſtraneum, quia intellectus ponitur in natura humana, & hæc mediante intellectu poſſit cognoſcere, ac intelligere: unde ſicut ceſſante fine fruſtra ponuntur media, ita ſi intellectus humanus in Chriſto non intelligeret intellectione ſibi proportionata & creata, eſſet medium fruſtraneum. Tum quia ſcientia naturalis ſequitur neceſſario ad actus ſenſuum externorum, quos ſine dubio Chriſtus habebat, ab oculo ſiquidem, & aure phantaſia neceſſario excitatur, & oritur ſpecies in intellectu: hinc ſcientia naturalis triplex fuit in Chriſto. Prima independens à phantaſmate, qualem habent Angeli, & anima ſeparata. Secunda eſt dependens à phantaſmate, qualem habet anima noſtra unita corpori. Tertia eſt experimentalis, qua id quod alio genere notitiæ cognitum erat, iterum ab intellectu cognoſcitur interveniente cognitione ſenſitiva. Ratio eſt, quia Chriſto ratione unionis hypoſtaticæ debetur tota perfectio connaturalis Angelo, & animæ ſeparatæ vel conjunctæ corpori ſi non repugnet unioni hypoſtaticæ, neque ſupervacanea ſit, ſed ſcientia naturalis independens à ſenſibus non eſt inutilis, quia per ſolam ſcientiam dependentem à ſenſibus habetur tantùm notitia admodum imperfecta de anima, Angelis, & aliis objectis, quæ ſub ſenſus exteriores non cadunt: qui ſcientia dependens à ſenſibus nonniſi per alienas ſpecies attingit objecta, quæ ſub ſenſus non cadunt, proinde præter cognitionem actualem & creatam à ſenſibus dependentem, & experimentalem erat neceſſaria Chriſto ut homini alia ſcientia dependens à phantaſmate, quæ perfectiùs attingeret objecta, quæ ſub ſenſus non cadunt.

Quòd ſi dicas repugnare diſcurſum reperiri ſimul cum viſione intuitiva perinde ac voluntas non poteſt medium eligere ad finem, quem poſſidet, atqui ſcientia in intellectu humano Chriſti eſt juncta cum viſione intuitiva, ergo repugnat dari in Chriſto ſcientiam diſcurſivam: præterea quia de ratione diſcurſús eſt progreſſio ab aliquo noto ad aliquid ignotum. Sed contra negatur aſſumptum, quia non repugnat diſcurſum ſimul cohærere cum viſione intuitiva, alioquin multò magis repugnaret ſimul eſſe cum viſione ſcientiam abſtractivam: ſecundum enim diverſas rationes, & media haberi poteſt cognitio intuitiva & diſcurſiva. Neque eſt par ratio de voluntate in ordine ad electionem medii ad finem, quem poſſidet, quia electio medii ad finem eſt eſſentialiter connexa cum deſiderio efficaci dicente abſentiam objecti: nemo enim deſiderat, quod eſt præſens, & actu poſſidet, ſed tantùm de illo gaudet: diſcurſus vero ex diverſo medio eſt compatibilis cum viſione.

An verò Chriſti ſcientia naturalis fuerit à primo inſtanti ſuæ conceptionis ac unionis cum verbo perfectiſſima, negant Hæretici. Agnoitæ ſiquidem authore Themiſtio Diacono ut refert Sanctus Gregorius *lib. 8. epiſt.* 42. aſſerebant Chriſtum ab initio ſuæ conceptionis ac unionis cum verbo non habuiſſe ſcientiam perfectam, eò quia Chriſtus ignoraverit diem judicii, non enim divinitati hæc ignorantia tribui poterat, ſed tantùm animæ creatæ in Chriſto. Cum enim verbum divinum in Chriſti humanitate aſſumpſerit corpus corruptibile ut moriendo nos à morte eriperet, accepit etiam corporis corruptibilis ignorantiam ſcilicet humanæ mentis ignorantiam, ut nos ab ignorantia liberaret, ſicut enim aſſumpſit corpus corruptibile, ut nos à corruptione eriperet, ita etiam humanæ mentis ignorantiam ut nos ab ignorantia liberaret. Et hanc hæreſin ſequuntur ferè omnes recentiores Hæretici, aſſerentes Chriſti animã paulatim didiciſſe, quæ verè ignorabat, imo & aliquid egiſſe, quod corrigi debuerit. Martinus Lutherus in concione de natali Domini expendens locum Marci 13. *Intempeſtivam* ait *rationem quidam afferunt hic dicentes: filius neſcit id eſt, noluit ſcire. Quid opus eſt iſtis commentis? Chriſtus verus homo fuit, quare ut alius purus homo, ſed ſanctus homo non quolibet tempore cogitavit, dixit, voluit, intellexit omnia.* Et infra, *ſicut enim non quoli-*

bet tempore omnia vidit, audivit & sensit, ita etiam corde non omnia semper agnovit. Sed quantum illud dixit, ac docuit Dominus. Zvvinglius in confessione fidei ad Carolum V. art. 1. ait: Christi sapientiam paulatim crevisse, Bucerus in cap 24. Matth. ait: *Ut ergo omnia alia humana infirmitatis in se recepit, hominibus per omnia similis factus excepto peccato, ita etiam humanam scientiam ignorantiam rationem videlicet, mentemque humanam, quæ per intervalla augetur sive accrescit, sive diminuitur, assumpsit; secundum quam nimirum aliquid nescire dicitur. Ideo alibi habetur; Proficiebat sapientia, ætate & gratia.* Calvinus itidem in cap. 24. Matth. ait: *Porro ter & quater insanus foret, qui se gravatim ignorantia subjiceret, quam nec ipse quidem Dei Filius nostra causa subire abnuit.* Theodorus Beza *in lib. contra Andream Jacobi de duabus naturis Christi* ad objectionem ei factam de ignorantia tributa Christi animæ respondit cum Luthero & Calvino talem ignorantiam in Christi anima à se concedi. Præterea Calvinus in cap. 26. Matth. de Christi oratione in horto ait: *Metu perculsus, & anxietate constrictus fuit, ut necesse foret inter violentos tentationum fluctus alternis votis quasi vacillare. Hæc ratio est, cur mortem deprecatus mox sibi frænum injiciat Patrisque imperio subjiciens votum illud subito elatum castiget, ac revocet*, ac si ignorasset quale fuerit desiderium de morte subeunda, & ipsum postea pœnituerit illius, quod propterea nitatur castigare, ac revocare, unde infra pergit: *Videmus ut Christus statim ab ipsis carceribus affectum suum cohibeat, seque ipsum maturè cogat in ordinem.* Et rursus *non hæc meditata Christi oratio, sed vis & impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio, eadem vehementia præsentem cœlestis decreti memoriam illi abstulit.* Hæc Calvinus, qui non solùm ignorantiam, verùm & oblivionem ac peccatum non veretur Christo tribuere: & ita censent, plures alii hæretici innitentes sacris scripturis ad suos probandos errores ad Hebræos 2. & 4. debuit assimilari fratribus per omnia absque peccato, Luc. 2. *Puer crescebat, & confortabatur Spiritu plenus sapientia & gratia Dei erat in illo.* Marc. 13. *De illo die nemo scit, neque Angeli neque Filius, nisi solus Pater.* Matth. 2 . *Si possibile est transeat calix iste, sed non quod ego volo, sed quod tu*, ubi Christus videtur revocare, & corrigere priorem suam orationem, tum quia vel Christus sciebat fuisse possibile, ut calix transferretur, vel sciebat id impossibile fuisse, vel ignorabat, an impossibile, vel impossibile esset. Si ignorabat, ergo simul cum humanitate ignorantiam humanæ mentis assumpsit: si sciebat esse possibile, cur dubitavit? si noverat esse impossibile cur petebat. Denique si venerat mortem subiturus pro humano genere redimendo, cur mortem deprecabatur?

Catholicorum vera sententia est, scientiam naturalem dependentem à sensibus fuisse infusam animæ Christi à primo instanti suæ conceptionis, ac unionis cum verbo, & quidem in gradu ita perfecto, ut non potuerit crescere in ea ratione, sed tantùm in ratione scientiæ experimentalis. Idque probatur ex scripturis Jerem. 31. *Novum creavit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum*, quæ verba sancti Patres intelligunt de incarnatione Verbi, quia Christus adhuc in utero matris existens adeo erat perfectus quoad virtutes pertinentes ad intellectum, & voluntatem, ut à Propheta dicatur *Vir*, hinc Cyprianus de nativitate Christi ait: *Quem nos parvulum Propheta nuncupat virum insinuans ei nunquam defuisse virtutem, sed semper virilis ætatis adfuisse fortitudinem, quam infantilis infirmitas occultabat.* Jesaiæ cap. 11. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ*; quem textum exponunt communiter sancti Patres de Christo, quatenus à primo instanti suæ conceptionis accepit scientiam naturalem dependentem à sensibus in gradu perfecto. Hoc idem significant alia scripturæ loca, quibus Christus dicitur unctus à Deo Spiritu sancto. Psalm. 44. *Unxit te Deus, Deus tuus.* Isaiæ cap. 61. *Spiritus Domini super me, eò quod unxerit.* Actor. 4. *Convenerunt adversus sanctum puerum tuum JEsum quem unxisti.* Actor. 10. *Unxit eum Dominus Spiritu sancto, & virtute*, & ratio itidem desumitur ex ipsa unione hypostatica, seu unctione, qua Deitas fuit unita humanitati Christi. Etenim ratione unionis hypostaticæ naturaliter debebantur Christo omnes virtutes tam morales, quàm intellectuales, proinde datæ illi statim fuerunt: quia nulla fuit ratio eas ad tempus differendi; & ex alio capite hujusmodi virtutes necessariæ erant ad actus meritorios eliciendos, quos Christus ab initio suæ conceptionis incepit exercere: hinc anima Christi posterius natura habuit hanc scientiam infusam, quàm fuit verbo unita tanquam proprietatem consequentem ad unionem hypostaticam. Contra tamen præcitatos scripturæ textus duæ insurgunt difficultates. Prima quia in nullo horum locorum habetur, quod hæc unctio facta sit in conceptione, quinimo videtur potiùs facta anno 30. quando super eum descendit Spiritus sanctus in specie columbæ, quod videtur innuere S. Hieronymus in comment. Isaiæ cap. 61. Secunda difficultas, quia tametsi constaret in ipsa conceptione fuisse Christum unctum Spiritu sancto ac refertum omnibus donis, adhuc tamen potuisset sapientia, & gratia urgeri, perinde ac Luc. 1. dicitur de Joanne Baptista, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ, atqui constat Joannem postea crevisse in gratia, & sanctitate, ac multò magis virtutibus excelluisse. Verùm hæc non urgent, ad primam respondetur hanc unctionem non potuisse fieri nisi in ipso instanti conceptionis, verba enim Isaiæ hoc significant, cum ait: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ*, ubi Propheta conjungit cum ipsa conceptione ex virgine descensum Spiritus sancti super Christum cum omni copia donorum, virga enim florens est ipsa virgo, quæ concipit Christi humanitatem & flos de radice ejus ascendens est ipse Christus, adeoque super florem, seu super Christum hominem nondum natum, sed tantum conceptum Spiritus sanctus descendit, replevitque sapientia, intellectu, consilio fortitudine scientia & pietate. Secundò respondetur, quòd si Christus tantùm anno trigesimo suæ ætatis unctus fuisset, Angelus non dixisset ad Pastores Luc. 2. *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus*, Christus autem nihil aliud significat nisi unctum, ergo antequam nasceretur Christi humanitas erat uncta. Tum quia Joan. 1. habetur: *Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis (& vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratia & veritatis.)* ergo cum primum verbum divinum Christi humanitatem assumpsit eum sua divinitate unxit, ac omni sapientia, intellectu, consilio, fortitudine, scientia & pietate replevit. Neque obstat citatus D. Hieronymus

nymus in cap. 61. Isaiæ, quia Hieronymus tantum loquitur de unctione visibili in Bapt suo: vel etiam de extrinseca manifestatione unctionis intrinsecæ, quia tunc per signa exteriora unctionem, quam antea acceperat in conceptione, columba manifestavit, & vox Patris. Ad secundam difficultatem respondetur, quòd tametsi Joannes ab initio plenus gratia adhuc potuerit proficere, ac crescere in suscepta gratia non ita Christus, quia dona gratiæ accepit sine mensura ab initio suæ conceptionis, Joannes verò cum mensura, siquidem de Christo ait Joannes cap. 1. *De plenitudine ejus omnes accepimus*, quia DEUS non dat Filio suo Spiritum secundùm mensuram cum totus Spiritus sanctus fuerit cum verbo identificatus: secus quia cum aliis justis non est idem, dicuntur de ipso accipere secundum mensuram ad Ephes. 4. *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, adeo ut sit Christus, qui accipiens sine mensura det aliis cum mensura: quodsi sine mensura accepit dona gratiæ jam à primo instanti suæ conceptionis accepit scientiam naturalem dependentem à sensibus & quidem in gradu perfecto ut non potuerit crescere in ea ratione, sed tantum in ratione scientiæ experimentalis, hinc Joan. ult. de Christo ait: *Tu omnia nosti*, & Apostolus ad Colos. 2. *In quo sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei.* Semel quod virtutes naturales appetitûs datæ sunt Christo ab initio, debuerunt etiam eidem dari scientiæ, alioquin sine istis illæ manes fuissent, actus enim voluntatis præsupponit cognitionem intellectus, & non est major ratio de istis, quam de illis, tum quia si Christus non nisi à sensibus hausisset has cientias valde imperfectas eas possedisset, quia per sensua non poterat experientiam habere nisi paucarum rerum. Demum quia virtutes morales fuerunt ab initio infusæ Christo in gradu heroico, ergo etiam scientiæ naturales in gradu perfecto. Non enim videtur credibile quod Verbum personaliter factum sit homo, & non simul effuderit in Christi humanitatem, cùm primùm illam assumpsit omnia dona, quorum erat capax. Etenim si creavit animam Christi, quàm proprium sibi effecit, adeo ut per communicationem idiomatum anima Christi dicatur anima Dei, non videtur verisimile, eam neglexisse, & non statim sapientissimam constituisse; hoc argumento urget Damascenus cum ait, eos non credere Dominicam incarnationem, qui credunt animam Christi paulatim in scientiis profecisse. Tum quia sapientia, & gratia Christo homini naturalis fuit, ut docet D. Augustinus in Enchirid. cap. 40. non quòd non fuerit à Deo animæ infusa, sed quia in Christo ab intrinseco principio, & per modum naturæ fluebat, siquidem ipse Christus se ipsum gratia & sapientia replebat, quatenus ex una Christi natura in alteram hæc dona redundebant, proinde non accepit Christus hanc gratiam, & sapientiam post incarnationem, sed in eodem instanti, quo ejus humanitas fuit divinitati hypostaticè unita, & ideo dicitur naturalis, quia una cum natura statim ubertim manavit. Præterea quia cum Christus ut homo in humanitate assumpta à Verbo statim cæperit esse filius Dei, debuit in eodem instanti humanitas repleri omnibus donis; quia Christus ut homo cæpit esse filius Dei naturalis, & filius est hæres omnium bonorum paternorum: nec debuit Christus expectare successionem ex morte patris cum Pater non esset morti obnoxius: & hoc est quod urget S. Cyrillus lib. 1. in Joan. cap. 17. ubi ait, Deum dedisse Christo omnem sapientiam, & gratiam, quia filius erat, & cæteris tantum dedisse munera quædam quia servi sunt. Tum quia Christus statim in primo suæ conceptionis instanti factus est caput non solùm hominum, sed etiam Angelorum; ergo debuit tunc repleri sapientia, gratia, & beatitudine: quia non decebat caput esse minus ornatum, quam inferiora membra. Demum quia Adam creatus sapientissimus, eò quia statim à Deo conditus imposuerit nomina omnibus animantibus Genes. 2. ergo multo magis secundus Adam debuit in ipsa conceptione sapientissimus esse, cum longè perfectior fuerit primo, qui obnoxius fuit peccato, & à statu exciderit innocentiæ. Constat igitur, Christum ut hominem à primo suæ conceptionis instanti plenitudinem accepisse omnium donorum, scientiæ, ac sapientiæ, hinc D. Bernardus *homil.* 2. super *Missus est* ait: *Sive latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive jam grandiusculus in templo. sive jam perfectæ ætatis docens in populo, æquè profectò plenus fuit Spiritu sancto, neque fuit hora in quacunque ætate sua, qua de plenitudine illa, quam in conceptione sua accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur.* Et D. Gregorius Nazianzenus oratione in Basilium ait de Christo ut homine: *Proficiebat sapientia, non ut incrementum aliquod acciperet, cum ab initio Dominus gratia, & sapientia absolutus esset; sed quòd hæc hominibus ignaris paulatim apparerent.* Cum igitur Christo ut homini ab initio suæ conceptionis plenitudo scientiæ, ac sapientiæ impertita fuerit non potuit ulla obscurari ignorantia: unde D Ambrosius lib. 5. de fide cap. 8. proponens sententiam nonnullorum asserentium, Christum ut Deum omnia scivisse, non autem ut hominem, eo quia scriptum sit *proficiebat ætate.* Respondet. *Hæc tamen illi dicant: ego autem multo magis arbitror, quod Filius, qui cum hominibus conversatus, & hominem egit, & carnem suscepit, nostrum assumpsit affectum, ut nostra ignorantia nescire se diceret, non quod aliquid ipse nesciret.*

Solvuntur quæ ab hæreticis fuerunt argumenta objecta. Ad primum Agnoitarum respondetur, Verbum divinum non assumpsisse Christi humanitatem cum ignorantia; sed naturam humanam integram cum omnibus quæ ad illius perfectionem pertinerent, habetur in symbolo Athanasii de Christo, *perfectus Deus perfectus homo*, quoad essentialia quæ hominem perficiunt, cæterum accepit Christi humanitas aliquot defectus sequentes naturam corruptam, ut esse obnoxium fami, siti, doloribus, ac morti non tamen omnes defectus, quia Verbum non assumpsit naturam humanam Christi peccato, fomite, ac ignorantia deturpatam: quia hi defectus non pertinebant ad essentiam, neque ad perfectionem humanitatis assumptæ: unde ex defectibus naturæ humanæ non habuit Christi humanitas nisi illos qui conducebant ad finem nostræ redemptionis; ut posse pati, dolere, mori, quia hi defectus fuerunt media assumpta ad finem assequendum humanæ redemptionis, & per hos defectus meruit apud Deum; est enim patientia virtus, cujus exercitio meremur: at fomes peccati, & ignorantia non erant media utilia, neque eligibilia in ordine ad assecutionem finis redemptionis nostræ. Unde cum Apostolus ad Hebræos 2. & 4. ait: *Christum debuisse assimilari fratribus per omnia absque peccato*, non debet intelligi, quòd debeat assimilari etiam in ignorantia, quæ non est peccatum, & est in puris hominibus: ex eo enim quòd Apostolus excipiat peccatum; excipit etiam omnes illos defectus qui non conducebant ad opus nostræ redemptionis, dicuntur enim peccata, quatenus sunt effectus peccati,

ut

ut ignorantia, fomes: neque obstat quod Apostolus dicat *assimilari per omnia*, quia *per omnia* intelliguntur omnia pertinentia ad perfectionem naturæ, vel conducentia ad opus nostræ redemptionis: alioquin si omnia deberent esse in Christo, quæ nobis insunt, non debuisset concipi de Spiritu sancto, nec nasci ex Virgine, neque in infantia impleri sapientia nec carere fomite, ac rebellione partis inferioris ad superiorem, quia hæc omnia verificantur de puro homine. Deinde textus Apostoli non est qualis ab Agnoitis, & eorum lectoribus objicitur: ait enim D. Paulus ad Hebræ. 2. *Debuit per omnia fratribus assimilari*, & in hoc loco non habetur quod additur *absque peccato*, & sensus est ut deberet assimilari per omnia, quæ ad naturam pertinent; ad Hebræ. 4. loquens de Christo ait Apostolus: *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato*, & sensus est, quod Christus fuerit tentatus modis omnibus in anima, & corpore & in omnibus non peccavit, neque induci potuit ut peccaret. Ad alium scripturæ locum desumptum ex Luc. 2. Respondetur Evangelistam asserere puerum Jesum plenum sapientia, & gratia: si plenus, ergo non potuit ulterius impleri, quod enim redundat non potest quidquam ulterius capere: ergo in Christo nulla fuit vacuitas ignorantiæ quæ sapientia impleretur: crescebat autem sapientia experimentali, quatenus sapientia quæ illi inerat experimento firmabatur. In Christo sapientia tam creata, quàm increata replebant magis in dies sensus, & organa corporea ut adaptarentur ad opera excellentiora facienda. Hunc sensum indicat D. Athanasius serm. 4. contra Arianos, ubi ait: *Christus crescebat corpore, & roborabatur spiritu non extrinsecus advenente, sed qui in ipso erat, ut opera perfectiora faceret, & pariter implebatur sapientia non aliunde adscita, sed ea qua in ipso erat diffundente se & possidente omnia membra, sensusque omnes*, unde sequitur dicens: *& gratia Dei erat in illo*, non dicit acquisivit gratiam, quia quod acquiritur non possidebatur; & quia Christus gratiæ plenitudinem à primo suæ conceptionis instanti semper possedit, ideo dicit gratia erat in illo. Prætereà dici potest, quòd replebatur sapientia acquisita scilicet per experimentum mediantibus sensibus, hanc enim scientiam per experientiam propriam Christ9 acquirebat, tametsi nihil Theoricè ignoraret, ob sibi rerum infusam omnium scientiam; practicè enim ea omnia ignorabat, quæ non fuerat expertus; in quo sensus Apostolus dicit ad Hebræ. 5. Christum didicisse obedientiam per ea quæ passus est. Hæc doctrina desumitur ex D. Ambrosio *de Incarn. Dom. cap.* 7. ubi ait, Christum habuisse naturam humanam initio perfectam, & nihilominus sensu humano, seu per experientiam profecisse. Duplex in Christo fuit scientia una, Theorica, & hæc infusa fuit tota simul ab initio suæ conceptionis, alia practica, & hanc per experientiam beneficio sensuum acquisivit in tempore. Alii sancti Patres, Gregorius Nazianzenus, Cyrillus, Damascenus, Beda, Anselmus, Bernardus explicantes illud *Luc.* 2. Jesus autem proficiebat sapientia, ætate, & gratia, asserunt Christum profecisse sapientia, & gratia opinione hominum, quibus in dies magis aperiebat sapientiam suam; perinde ac sol qui quò proximior accedit ad meridiem eò clariores apparens hominibus ejus radii & majorem ac intensiorem experiuntur homines ejus æstum, & calorem. S. Damascenus id explicat exemplo magistri, qui dicitur proficere in scientia, quando hanc edocet discipulos & isti proficiunt, adeo ut profectus discipulorum tribuatur magistro, qui cum discipulis dicitur proficere ille docendo isti addiscendo, & quia homines proficiebant semper magis in addiscenda Christi doctrina dicebatur Christus proficere sapientia, ætate, & gratia. Objicit tamen Calvinus quia Christus dicebatur *proficere sapientia & gratia apud Deum, & homines*, & in opinione Dei non crescit, ergo hæc explicatio non subsistit. Sed contra, quia illud *apud Deum, & homines* debet conjungi cum profectu in gratia, non cum profectu in sapientia, vel ætate; non enim dicimus aliquem profecisse sapientia, vel ætate apud Deum, & homines, quia sapientia, & ætas sunt res absolutæ, quæ non dependent ab alio, sicut dependet gratia, quæ ab alio accipitur, quo pacto rectè dicimus aulicum proficere in gratia apud principem, quatenus in dies fit gratior. Christus igitur apud Deum, & homines proficiebat gratia, quatenus quotidie magis ab hominibus diligebatur, & à Deo recipiebat signa exteriora divinæ benevolentiæ, quibus crescebat quotidie in externis signis divinæ benevolentiæ; sicut de Samuele 1. Reg 2. dicitur: *Puer autem proficiebat, & crescebat, & placebat tam Deo quam hominibus.* Proficiebat etiam Christus apud homines quatenus multiplicando opera sapientiæ faciebat alias proficere, & ipse etiam in dies hominibus sapientior apparebat.

Ad illud Marci 13. ubi Christus dicitur ignorasse diem judicii variè explicantur verba Marci. Gregorius lib. 4. epist. 41. ad Eulogium approbat Eulogii sententiam, quod Christus dicatur nescire diem illum in persona Ecclesiæ non in persona propria: est enim Christus caput militantis Ecclesiæ, & plura quæ dicuntur de Christo intelliguntur de corpore non de capite. Secunda expositio est Ambrosii in cap. 17. Lucæ, Gregorii Nazianzeni orat. 4. de Theolog. Cyrilli lib. 9. Thesauri cap. 4. & aliorum asserentium Christum ut hominem nescivisse diem illum extremi judicii, quia nesciebat ut homo, sed humana scientia, se divina revelatione; seu scientia infusa. Tertia expositio est Epiphanii in Amorato, & Chrysostomo homil. de Trinit. Bernardi lib. de duodecim gradibus humilitatis asserentium Christum dixisse, se nescire de die illo practicè, quia nondum eum viderat, quamvis illum sciret per scientiam infusam, ac divinam revelationem: in hoc sensu Adam ante peccatum dicebatur non scire bonum nec malum scilicet practicè, non theoricè. Quarta expositio est Ambrosii lib. 5. de fide cap. 8. Hieronymi, Chrysostomi, Basilii lib. 4. in Eunomium. Theophylacti in cap. 24. Matth. Augustini lib. 1. de Genes. contra Manichæos cap. 22. & aliorum dicentium, Christum dixisse se diem illum nescire, quia non sciebat ad dicendum aliis, hoc est nescivit, ut aliis revelaret, & quia eos nescientes faciebat; interrogatus de die illo assignavit causam cur non eum revelaret, quia non didicit à Patre ut aliis revelaret, sed ut hoc secretum sibi servaret. Nescivit igitur ad revelandum. Duo simul nectuntur scientia illius diei, & revelatio ejusdem, scientia sola erat in Christo, sed scientia, & revelatio simul non erat in Christo, sed potius ejus non revelatio: hinc Christus Joan. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo nota feci vobis:* & tamen non omnia simpliciter eis manifestaverat cum cap. 16 dicat; *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*, unde dixerat illis quæcunque audierat à Patre ad dicendum illis: perinde Marci 13. interrogatus de die judicii respondit se non scire, nisi quæ sciebat, ad illis manifestandum. Objicit tamen

tus Calvinus quia Christus ait: *nemo scit neque angeli, neque filius, nisi solus Pater*, unde si illud (neque filius) intelligatur, quòd filius scit quidem sed non ad dicendum: ergo etiam de Angelis hoc dici poterit, videlicet illos quidem scire sed non ad dicendum. Rursus vel Christus nescivit ad dicendum ulli vel ad dicendum Apostolis, primum dici nequit, quia dixit Spiritui sancto; nec secundum aliàs est etiam falsa exceptio illa, *nisi solus Pater*; nam nec Pater sciebat ad dicendum Apostolis. Sed contra quia ex textu habetur nec angelos, nec filium scire ad dicendum, an verò sciant alio modo hic non explicatur; scimus tamen aliunde, Christum scire hunc diem, cum nobis innotescat esse constitutum Judicem in die illo universalis judicii, & ad Colossi. dicat Apostolus: *Quia in eo sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei.* Angelis verò hæc notitia non est necessaria, neque aliunde ex scripturis scimus angelos omnia nosse. Ad secundum Respondetur, filium non scire ad dicendum ulli sed intelligitur de filio ut homo est, quomodo non fecit scire Spiritum sanctum. Solus autem Pater sumptus non personaliter pro sola prima persona, sed essentialiter pro Deo, quo pacto dicimus: Pater noster qui es in cœlis, dicitur scire, quia fecit scire Christum hominem, ut explicat D. Augustinus *lib. 1. de Genes. contra Manichæos c. 22.*

Ad aliud Matth. 26. *Si possibile est transeat à me calix iste*, ex quo hæretici inferunt correxisse priorem sententiam. Respondetur id esse blasphemum cum de illo 1. Petri 2. dicatur: *Qui peccatum non fecit*, & Apostolus Paulus 2. ad Corinth. 5. dicat, *qui peccatum non novit*: & sancti Patres non solum docuerunt Christum de facto non peccasse, sed neque potuisse peccare. D. Ambrosius lib. 2. de Fide cap. 3. asserit, Christum illis verbis tantùm significasse ita se habuisse, quantum ad affectum portionis inferioris, ac si de facto dubitasset. Neque ratio allata quidquam evincit; quia Christus revera scivit absolutam possibilitatem suæ petitionis, quia apud Marcum ait: *Abba Pater omnia possibilia tibi sunt.* Rursus sciebat posito decreto de redimendo humano genere per mortem impossibile esse, ut calix ille transiret; non tamen inde sequitur frustraneè orasse, quia id expediebat ad ostensionem veritatis humanæ naturæ, cui proprium est mortem imminentem expavescere, ut observat Augustinus lib. 3. de consensu Evangelistarum. Præterea illud *si possibile est* significat *si places.* Sciebat enim Deo nihil esse impossibile, unde petebat si esset possibile secundùm Dei beneplacitum; unde Luc. 22. habetur: *Pater si vis transfer à me calicem hunc, verumtamen non mea, sed voluntas tua fiat*, dicit si vis, non quia ignoret Patrem nolle, sed ut ostendat affectum naturalem suæ voluntatis ad fugiendam mortem, conjunctum cum omni subjectione ad paternam voluntatem; unde voluntas Christi de non subeunda morte non fuit efficax, sed potius quædam velleitas in ordine ad affectum portionis inferioris; voluntate enim deliberata ad redimendum humanum genus voluit necem, & passionem pati, oravit autem, ut calix à se transferretur, ut ostenderet se esse verum hominem, ac verè doluisse, ac passum, & mortuum esse, ut explicat S. Chrysostomus, quia plures futuri erant hæretici, qui negarent Christi veram carnem & passionem. Demum voluit ita orare, ut nos doceret modum orandi cum subjectione plena ad Dei voluntatem, seu si sit secundùm suum beneplacitum ut exaudiamur, propterea dixit *verumtamen non mea, sed voluntas tua fiat.* Christus autem partim fuit auditus in eo quod absolutè petebat juxta illud Joan. 11. *Sciebam quia semper me audis*, non fuit verò exauditus in eo quod petiit ex naturali affectu Ps. 21. *Clamabo per diem, & non exaudies.*

Superest explicandus alius scripturæ textus Joan. 11. ubi Christus interrogavit sorores Lazari ubi eum posuissent; ex qua interrogatione inferunt hæretici, Christum ignoràsse locum, ubi positus erat Lazarus. Sed respondetur, Christum optimè scivisse locum ubi erat Lazarus per scientiam infusam, & beatam, siquidem ut rectè observat Cyrillus, quomodo poterat ignorare, ubi eum posuissent, qui paulò ante longè remotior nemine nuntiante mortuum esse noverat. Unde si Christus interrogavit, non fuit interrogatio illa orta ex ignorantia, sed ut vel aliorum fidem manifestaret, ut expendit D. Augustinus *serm. 54. de Verb. Domini.* vel ut miraculum omni prorsus careret suspicione: siquidem suspectum potuisset videri, si ostendisset se locum scivisse, quasi inter ipsum & Lazarum fuisset res composita ut explicat D. Joannes Chrysostomus, vel tandem ut idem censet interrogavit, ut utramque naturam humanam interrogando, & divinam mortuum suscitando demonstraret.

Quòd si dicas Christum saltem circa possibilia plura ignoràsse, quia ut homo non cognovit omnia possibilia, quæ ut Deus cognovit, proinde habuit ignorantiam eorum possibilium, quæ non cognovit. Contra est, negatur consequentia, quia exinde tantùm sequitur Christum habuisse meram negationem scientiæ eorum possibilium, quæ non cognovit: hæc autem negatio scientiæ non est ignorantia, quia hæc dicit carentiam scientiæ debitæ: & quia cognitio omnium possibilum nulli est creaturæ debita, tametsi hypostaticè divino supposito unitæ: quamobrem carentia illa non fuit ignorantia, sed pura negatio, quæ etiam ignorantia negativa dici solet, hæc autem nullam involvit imperfectionem, quia cum non sit debita subjecto, illi non vertitur vitio: hoc pacto solet etiam responderi ad aliud argumentum petitum ex eo, quia in Christo dicitur fuisse vera admiratio, quæ necessariò supponit admirantem causam ignorare effectus: solet enim respondere ignorantiam, quam admiratio præsupponit esse vel negativam, vel privativam, & in Christo fuisse negativam, quæ non involvit imperfectionem.

Dicendum tertiò intellectum creatum Christi non fuisse ulli obnoxium errori, adeo ut omnis cognitio elicita ab intellectu humano Christi fuerit certa, & deducitur ex illo Joan. 1. *Plenum gratia & veritatis*, ubi Christus dicitur plenus veritatis, non solùm quia figuras, & promissiones veteris legis adimpleverit, ut cum D. Thoma expendunt plures, verùm etiam quia in ejus Intellectu, & ore nullus unquam inventus fuerit error. Fuit enim Christus summè sapiens, ut explicat Augustinus *lib. 13. de Trinit. cap. 19.* ubi per scientiam, & veritatem sapientiam intelligit. Præterea quia Christus ipse Joan. 18. ait: *In hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati*: hoc autem minimè posset verificari, si ejus testimonium erroneum, & mendax esse potuisset, demum quia Christus loquens de sua doctrina ait Joan. 7. *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me Patris*, atqui doctrina Patris, & Christo infusa non potest erronea esse, cùm non possit Pater errare, neque falsitati subesse, ex quo clarè evincitur intellectum humanum Christi nulli potuisse esse errori obnoxium.

Ratio etiam id suadet, quia quævis intellectio humana Christi vel fuit independens à sensibus ac pertinens

ad scientiam beatam & infusam : vel fuit dependens à sensibus, & pertinens ad scientiam acquisitam : sed in intellectione independente à sensibus non potuit esse error, alioquin hic refunderetur in Deum, qui propterea infunderet species intelligibiles erroris, & auxilio suo speciali concurreret ad assensum falsum: quod redundaret in maximum detrimentum Christianæ fidei: eo enim ipso quòd in mente, & dictis Christi esset error, vel aliquid, quod infallibilis non esset veritatis nihil dixisset, omnino infallibile, quia non esset major ratio de uno quam de altero, hinc sequeretur, quod nihil eorum, quæ Christus docuit, credendum esset fide divina, quia non possemus scire in qua materia Christus errasset, vel non, unde certum est Christi scientiam independentem à sensibus non potuisse erroneam esse. Quòd verò nec potuerit esse erronea intellectio dependens à sensibus, ac pertinens ad scientiam acquisitam, ex eo etiam demonstratur, quia semel quòd Christus per scientiam beatam & infusam cognovit evidenter omnes veritates naturales circa nollam eat undem potuit errare etiam per diversum habitum, quia repugnet aliquem videre clarè & evidenter objectum, & errare in ejus visione, ac cognitione, quòd si Adamus decipi non potuit in naturalibus ante peccatum, ut docet Div. Augustinus *lib. 3. de libero arbitr. cap.* 13. & cum ipso Div. Thomas 1.*part.quæst.* 94. *art.* 4 & desumitur ex Div. Paul. 1. Timoth. 2. ubi ait : *Adam non est seductus*, ergo à fortiori neque Christus. Præterea quia verbum ex defectibus humanæ naturæ nonnisi eos assumpsit, qui necessarii, ac utiles erant ad finem redemptionis humani generis : sed error non solum nun erat necessarius nec utilis, sed potiùs contrarius fini incarnationis : siquidem Christus datus est nobis ut Magister juxta illud Joan. 1. *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Neque obstat, Christum dixisse Matth. 15. *Omne quod intrat per os in ventrem vadit, & in secessum emittitur*, quod arti medicæ, ac veræ Philosophiæ adversatur: siquidem non omne quod sumitur ore, & in ventrem vadit in secessum mittitur, cum certum sit, plures partes converti in substantiam aliti, & in ipso manere. Nam contra est, quia verba Christi sufficit, si verificentur de omni cibo quantùm ad aliquas sui species, scilicet secundum id, quod ad corporis nutritionem ineptum est.

Quòd si dicas, in Christi sensibus potuisse errorem esse, proinde etiam in intellectu cum hæc potentia judicet per sensuum ministeria, & secundum ea, quæ à sensibus ei repræsentantur. Contra est, negatur consequentia, quia si sermo sit de cognitione, quæ fit medus speciebus infusis, certum est hanc cognitionem non dependere à sensibus, consequenter non posse ab iisdem in errorem induci, sin autem sermo sit de cognitione habita per species acquisitas ministerio sensuum; quia intellectus prævenitur per scientiam infusam, & beatam, quam haber de objectis omnibus, quæ cadunt sub sensus; neque potuit in Christo scientia dependens à sensibus erronea esse, quia intellectus Christi impediebatur per scientiam beatam & infusam, ne judicium eliceret erroneum, ac falsum.

Imò neque de potentia Dei absoluta potuit in intellectu humano Christi esse error, quia actus ille erroneus, & falsus esset elicitus à persona divina, quæ nullo pacto errare potest, etiam in natura assumpta, ut communiter evincunt sancti Patres ex illo Joan. 8. *Ego si testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia scio, unde venio, & quo vado :* non potuit ergo Christus errare, nec mentiri, quia à Patre per generationem æternam venerat ut Deus, & ad Deum debuit per mortem reverti ut homo. Præterea quia si de potentia absoluta potuisset intellectus humanus Christi subesse errori Christi doctrina non esset infallibilis veritatis ex eo præcisè, quòd constet ex iis, quæ ab eo dicta fuerunt. Neque obstat Christum Joan. 5. asserere, *si ego testimonium perhibeo de me ipso testimonium meum non est verum*, quia Christus Joan. 5. loquitur de seipso juxta opinionem Judæorum, & ignorantiam nescientium Deum esse, ac si Christus dixisset: testimonium meum re ipsa verissimum quidem est, sed vestra & vulgi opinione, qui me purum hominem censetis falsum esse potest, & indignum, cui fidem præstetis. Secus Christus Joan. 8. loquitur non ex opinione Judæorum, sed ut res se habebat, & testimonium Dei non potest falsum esse. Quòd si dicas, non repugnare Christum pati & mori, consequenter neq; repugnare Christuo decipi, ac errare, quia Christo non minus est essentialis vita, quàm veritas. Contra est, negatur consequentia, quia passio, & mors possunt referri ad Deum, ut ad finem, quatenus conducunt ad reparationem humani generis : secus error, qui est potius causa peccandi non est referibilis in Deum & potius adversatur fini redemptionis nostræ.

Hinc colligitur in intellectu humano Christi non fuisse cognitionem ullam inevidentem, & obscuram : ratio est, quia hujusmodi cognitio derogaret dignitati Christi. Præterea quia Christus ab instanti suæ conceptionis cognovit omnia clarè per scientiam beatam : sed manente visione clara Dei non manet fides, neque opinio de eadem re clarè visa, siquidem fides & opinio sunt assensus obscuri & incerti, ac ponunt in subjecto privatioem certitudinis & claritatis, quæ privatio non potest simul cohærere cum ipsa claritate & certitudine. Perinde ac duo contradictoria nequeunt simul esse, ergo in intellectu humano Christi non potuit esse ulla cognitio inevidens & obscura. Rursus quia cognitioni obscuræ, & inevidenti, cujusmodi est fides humana, & opinio non repugnat quantum est ex se subesse falsum ; atqui in Christo repugnat error, ut ostendimus paolo superius. Ergo excludendus est à Christo omnis assensus obscurus & incertus. Quòd si dicas Christum audivisse, quæ à puris hominibus narrabantur, ac plerumque iisdem assensum præstitisse, consequenter habuisse fidem humanam. Contra est, quia tametsi Christus præbuerit assensum veritatibus, quæ sibi testificabantur ab aliis hominibus non tamen innitebatur authoritati dicentium, sed rerum evidentiæ : non enim Christus iisdem assentiebatur propter authoritatem testificantium, sed propter evidentiam, quam per scientiam beatam & infusam habebat de iis veritatibus, adeoque non præstabat iisdem assensum obscurum fidei, nec formidolosum opinionis, sed certum ac evidentem.

CAP.

CAPUT II.

An intellectus humanus Chriſti potuerit intelligere per cognitionem increatam Verbi?

CErtum eſt de facto intellectum creatum Chriſti non intellexiſſe per cognitioem increatam verbi, ut communiter docent Theologi cum Div. Thoma *in 3. diſt. 24. quæſt. unic. art. 1. quæſt. 1. ad 7.* qoia Chriſtus de facto elicuit plures actus humanæ intellectionis, qui intellectioni increatæ repugnant, ut actus diſcurſivi, qui non poſſunt in Deum cadere ob imperfectionem, quam in ſe includunt. Rurſus Chriſtus oravit, meruit, & pleraque alia exercuit, quæ ſine actu intellectus, & voluntatis creatæ fieri non potuiſſent: ergo de facto in Chriſto intellectus creatus intellexit per cognitionem creatam. Prætetea qnia intellectus increatus perſonæ divinæ non dat humanitati poſſe intelligere, conſequenter neque intellectio increata dat intellectui humano actu, & formaliter intelligere. Conſeqoentia ritè infertur ex antecedenti, quod evincitur ex concilio Lateranenſi, & ſexta Synodo generali, in quibus definitur eſſe in Chriſto duas naturales potentias, divinam & humanam inpermixtas & inconfuſas: ergo effectus formales harum potentiarum ſont etiam inpermixti, proinde intelligere humanum, quod eſt effectus intellectus humani oon provenit in Chriſto ab intellectu divino, ſed ab humano, ergo intellectus humanus in Chriſto nonniſi per cognitionem creatam intellexit. Prætetea quia ſi intellectio eſſentialis verbi eſſet formaliter immediatè unita intellectui creato Chriſti in ratione intellectionis, ſequeretur Patrem & Spiritum ſanctum in Myſterio incatnationis non ſolum communicaſſe in affectu & voluntate, verum etiam in aliqoo modo realis uoionis, qund adverſatur doctrinæ ſanctorum Patrum, ergo de facto intellectus humanus Chriſti nonniſi per cognitionem creatam intellexit. Quòd ſi dicas animam Chriſti ſciviſſe infinita, ot docet D. Thom. proinde per ſcientiam infinitam, ſed ſcientia infinita non poteſt eſſe creata, quia hæc ſemper finita eſt, ergo debet eſſe increata, conſequenter Chriſtus ſcivit infinita per cognitionem increatam. Tum quia hæc perfectio non videtur repugnare fini incarnationis, & ex alio capite exaltat Chriſti dignitatem, proinde videtur Chriſto congruere. Contra eſt, negatur prima conſeqoentia, qoia illa infioita cognita ab intellectu creato Chriſti non ſunt infinita categorematicè, ſeu actu; ſed tantum ſyncathegorematicè ſeu in potentia ad quod non eſt neceſſaria ſcientia increata verbi, ſed ſufficit ſcientia creata animæ Chriſti. Ad id quod addebatur, hanc perfectionem congruere Chriſto & non repugnare fini incarnationis, reſpondetur, quòd tametſi animam Chriſti ſcire per ſcientiam increatam non repugnat fini incarnationis; repugnat tamen abſolutè ſecundum ſe, ſiquidem eo ipſo quod verbum divinum aſſumpſit naturam humanam perfectam eam aſſumpſit cum proprio intellectu, proinde conveniebat Chriſto ut intelligeret per intellectionem creatam proportionatam intellectui creato, alioquin intellectus creatus fuiſſet in Chriſto fruſtraneus, quia non exiret in actum proprium: vel ſi non daretur in Chriſto intellectus creatus, ſequeretur verbum divinum non aſſumpſiſſe naturam humanam perfectam.

Dices Chriſtus ut homo de facto fuit beatus, atqui beatitudo formalis conſiſtit in cognitione increata Dei unita mentibus beatorum, ergo Chriſtus fuit de facto beatus per cognitionem increatam Dei, minor oſtenditur ex Div. Auguſtino *lib. 1. de Trinit. cap. ult.* ubi docet: beatitudinem eſſe ſummum bonum, atqui eſſe ſummum bonum nequit creatæ cognitioni competere, proinde beatitudo conſiſtit in cognitione increata Dei. Rurſus Auguſtinus ait viſionem, qua Deus bonus eſt, eſſe illam, qua appatet mundis corde: atqui viſio qua mundis corde apparet, eſt aliquid increatum, ergo de facto in Chriſto fuit cognitio increata Dei per quam fuit formaliter beatus. Prætetea beatitudo formalis eſt finis ultimus creaturæ rationalis; atqui ratio finis ultimi non poteſt formæ creatæ convenire, conſequenter beatitudo conſiſtit in operatione increata, alioquin ſi non conſiſteret in cognitione increata utique deberet in aliquo accidente creato conſiſtere, quod non videtur dicendum, alioquin eſſet imperfectior ipſa natura creata, quia hæc eſt in genere ſubſtantiæ, & beatitudo in genere accidentium, demum quia Deus utpote infinit' nequit clarè videri per actionem creatam, quia actio cum ſpeciem ſumat ab objecto ſi hoc ſit infinitum, evadit & illa neceſſario infinita, atqui extra Deum nihil poreſt eſſe infinitum, ergo actio, qua beati Deum intuentur eſt increata. Sed contra negatot minor, & ad ejus probaoonem reſpondetur ab Auguſt. beatitudinem formalem non vocati ſummom bonom formaliter, ſed tantùm aſſecutivè quatenus beatitudo formalis ſita io clara & intuitiva divinæ eſſentiæ cognitione, eſt prima aſſecutio ſummi boni: & hoc modo eſſe ſummum bonum non repupugnat formæ creatæ, cognitio enim intuitiva beatorum, quatenus terminatur ad divinam eſſentiam eam aſſequitur, & hæc aſſecutio Dei ſummi boni dicitur beatitudo formalis. Rurſus Auguſtinus vocavit beatitudinem formalem ſummum honum non abſolutè intrinſecè & ſimpliciter, ſed tantum comparativè ad alia booa extra Deum, quatenus inter bona creata oon datur majus bonum ipſa beatitudioe formali, quæ propterea vocatur ab Auguſtino ſummum booum. Ad aliud petitum ex Auguſtino reſpondetur, Auguſtinum non loqui de eadem numero, & ſpecie viſione, ſed tantùm de eadem objectivè & ſecundum proportionem.

Viſio autem creata, qua beati vident de facto Deum eſt eadem objectivè cum viſione, qua Deus bonus eſt, & ſecundum proportionem ſeu modum, quia utraque terminatur ad Deum prout eſt in ſe ipſo intuitivè. Ad aliud, quod addebatur beatitudinem formalem eſſe ultimum finem rationalis creaturæ, & rationem fiois ultimi non poſſe formæ creatæ convenire, reſpondetur beatitudinem formalem eſſe tantùm oltimum finem ut *quo*, & aſſecutivè non verò ut *quod* & formaliter, & non repugnare formam creatam eſſe beatitudinem formalem ut *quo*, quia hoc pacto eſt tantum aſſecutio ſommi boni, & finis oltimi, non verò eſt ipſum ſummum bonum in ſe, quia ad ipſum forma creata terminatur. Ad aliud petitum ex eo, quod inde ſequeretur formam accidentalem eſſe perfectiorem ſubſtantiali, reſpondetur, plures docere oon repugnare accidens quod abſo-

absolutè excedat in perfectione substantiam. Præterea forma creata, quæ est beatitudo formalis excedit naturam beati, quæ est substantia excessu ordinis non excessu entitatis, quatenus forma illa creata est in ordine superiori, seu supernaturali cujus beneficio natura beati elevatur ad statum beatitudinis: quo pacto etiam gratia sanctificans, quæ est forma accidentalis perfectior est quoad ordinem natura substantiali hominis, non verò quoad entitatem, quia illa est in ordine supernaturali, ad quem elevat ipsam naturam affectam tali gratia, unde totus excessus est quoad ordinem, non verò quoad entitatem. Ad aliud quod addebatur Deum infinitum non posse intuitivè videri per actionem creatam, respondetur, quod tametsi objectum infinitum non possit per actum finitum, & limitatum attingi modo infinito, & comprehensivo, potest tamen modo finito, quo pacto beati dicuntur videre totam Dei essentiam non verò totaliter.

Dices humanitas Christi est sancta sanctitate increata sibi hypostaticè unita, ergo debet esse etiam beata beatitudine increata sita in intuitiva Dei visione, ergo de facto intellectus creatus animæ Christi intelligit per intellectionem increatam. Antecedens docetur à communi Theologorum sententia, unde probatur consequentia, etenim beatitudo debet sanctitati proportionari, & cum sanctitate increata, & divina non proportionatur beatitudo creata, seu visio intuitiva finita, & limitata, sed visio increata, ergo si humanitas Christi est sancta sanctitate increata, est etiam beata beatitudine increata. Rursus quamvis beatitudo creata habeat aliquam proportionem cum sanctitate increata, nulli tamen est dubium, quin beatitudo, seu forma increata ut communicata humanitati majorem habeat proportionem, ac convenientiam. Consequenter dicendum est humanitatem de facto beatificari etiam beatitudine increata divina. Tum quia ex possibilitate sanctificationis per sanctitatem increatam sequitur possibilitas beatificationis per beatitudinem increatam. Ergo etiam ex sanctificatione sanctitate increata convenient de facto humanitati Christi, sequitur beatificatio ejusdem humanitatis præstita formaliter à beatitudine increata, antecedens ostenditur, quia ex capacitate ad sanctitatem, rectè ostenditur capacitas ad beatitudinem, & consequenter ex possibilitate sanctitatis, sequitur possibilitas beatitudinis, proinde ex capacitate ad sanctitatem increatam probatur capacitas ad beatitudinem increatam, consequenter ex possibilitate sanctificationis humanitatis Christi sanctitate increata ritè infertur possibilitas beatitudinis ejusdem humanitatis per increatam beatitudinem. Sed contra concesso antecedenti negatur consequentia, & ad primam probationem distinguitur minor: cum sanctitate increata ut conveniente Deo per essentiam conceditur, quia cum hac sanctitate rectè proportionatur beatitudo pariter increata, sed non cum sanctitate increata ut unita naturæ creatæ ac illi communicata, quia tunc beatitudo non debet esse increata, neque infinita: ratio est quia sanctitas in Christo humanitate, est duplex accidentalis una alia substantialis, illa consistit in gratia habituali, quæ finita est, & creata: hæc verò sita est in ipsa Deitate mediante unione hypostatica unita humanitati, & hæc infinita, & increata est, & huic proportionatur beatitudo increata, sicut gratiæ habituali proportionatur beatitudo creata: ideo autem sanctitas increata habetur in Christi humanitate, quia non oritur à principiis intrinsecis humanitatis Christi, sed ei communicatur ab extrinseco, secus beatitudo cùm sit actus intellectus, & cognitio intuitiva divinæ essentiæ provenit ex principiis intrinsecis humanitatis Christi, & quia Christi humanitas est quid creatum, ideo non potest ab ipsa oriri nisi beatitudo creata, hinc ad secundam probationem consequentiæ negatur suppositum antecedentis, quia excessus proportionis supponit in excedente proportionem: & beatitudo increata quamvis habeat convenientiam entitativam imò & identitatem cum sanctitate increata ut naturæ creatæ unita non tamen habet proportionem cum illa, quia proportio supponit possibilitatem, proinde ut beatitudo increata, & communicata subjecto creato habeat proportionem cum sanctitate increata ut unita humanitati Christi, necessaria est possibilitas unionis beatitudinis increatæ cum natura creata intellectuali, quæ tamen unio impossibilis habetur, & implicatoria, proinde beatitudo increata ut unita naturæ creatæ nequit proportionem habere cum sanctitate increata ut unita naturæ creatæ. Ad aliam probationem negatur antecedens, & ad illius probationem negatur etiam consequentia, quia sicut non valet hæc illatio: capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi; ergo capacitas ad subsistendum subsistentia divina probat capacitatem operandi operatione divina, quod est falsum, ut liquet in natura irrationali, quæ posset subsistere subsistentia divina, & non esset capax operandi operatione divina. Comparatio enim facta inter sanctitatem, & beatitudinem absolutè non est differentia in modo conveniente subjecto, ratione cujus cum capacitate sanctitatis stare possit repugnantia beatitudinis; nam in formis creatis sicut non repugnat informatio physica, vel moralis, quarum aliqua ad sanctificandum requiritur; ita non repugnat illis egredi realiter ab agente, quòd est de ratione beatitudinis, quæ est actus vitalis immanens exigens egredi à principio vitali & in eodem recipi, ut est visio intuitiva divinæ essentiæ; & ideo facta comparatione inter sanctitatem, ut sic, & beatitudinem absolutam capacitas unius infert capacitatem alterius. Atqui facta comparatione inter sanctitatem increatam, & divinam, ac increatam beatitudinem argumentum non valet ratione subjecti creati, eò quia informatio moralis quæ ad sanctificandam Christi humanitatem sufficit, non repugnat Deitati, quæ mediante unione hypostatica sanctificat Christi humanitatem, quam non physicè, sed tantùm moraliter informat: egressus verò tam realis, quàm virtualis, quorum aliquis est de ratione ac conceptu essentiali beatitudinis, repugnat prædicatis divinis respectu naturæ creatæ, & ideo ex capacitate conveniente humanitati ut sanctificetur per sanctitatem increatam, non infertur capacitas, ut beatificetur beatitudine increata: Instantia patet in subsistentia. Licet capacitas subsistendi arguat capacitatem operandi absolutè: non tamen capacitas subsistendi subsistentia divina, arguit capacitatem operandi per divinam operationem; ut in natura irrationali si assumeretur à Verbo. Non igitur valet illatio à comparatione sanctitatis ad comparationem beatitudinis tam increatæ, quam creatæ; quia ad sanctitatem sufficit potentia passiva in subjecto & non est necessaria activa, ut in sanctitate accidentali, seu gratia habituali, quæ recipitur in anima, in qua non est potentia activa ad gratiam producendam: secus quia beatitudo sita est in actu immanente, & se habet per modum egressionis utramque potentiam activam, & passivam exigit: visio enim beatifica,

quæ

quæ eſt beatitudo formalis egreditur, & efficitur ab intellectu beati elevato, & corroborato lumine gloriæ in eodem recepto; & quia viſio beata eſt actio immanens exigit recipi in eadem potentia à qua egreditur, proinde ſupponit etiam potentiam paſſivam: reſpectu autem beatitudinis increatæ intellectus creatus non eſt capax potentiæ activæ, quæ eſt ſemper finita & incapax effectus infiniti: imo nec potentiæ paſſivæ quia ad beatitudinem formalem requiritur ut intellectus phyſicè informetur beatitudine formali & nullum prædicatum divinum poteſt ſe habere per modum formæ phyſicè informantis.

Urgebis de ratione ſanctitatis increatæ eſt dare jus ad beatitudinem increatam ſubjecto per illam ſanctificato; ſed cum jure ad aliquid non ſtat incapacitas ſubjecti ad illud: ergo cum capacitate ad ſanctitatem increatam non ſtat incapacitas ad beatitudinem increatam. Minor, & conſequentia tenent. Major oſtenditur, quia de ratione ſanctitatis eſt dare ſubjecto ſanctificato jus ad Dei hæreditatem ſitam in viſione beatifica: ergo de ratione ſanctitatis increatæ eſt dare jus ad beatitatem, ſeu hæreditatem increatam. Sed contra diſtinguitur major. Sanctitas increata dat jus ad beatitudinem increatam ſubjecto ſibi proprio, & cui convenit primariò, conceditur major; dat jus ſubjecto extraneo, quod ſecundariò ſanctificat negatur major, & conceſſa minore diſtinguitur conſequens, cum capacitate ad ſanctitatem increatam, ut in ſubjecto primario, & connaturali non ſtat incapacitas ad beatitudinem increatam, concedo conſequentiam: cum capacitate obedientiali ad ſanctitatem increatam ut in ſubjecto extraneo, & ſecundario non ſtat incapacitas ad beatitudinem increatam negatur: ut detur inter ſanctitates diſtinctio, ſufficit ſi præſtent ſubjectis primariis jura diverſa ad diſtinctas beatitudines, proinde ut ſanctitas increata diſtinguatur à ſanctitate creata, ſufficit ſi Deo cui primariò convenit det jus ad beatitudinem increatam; & naturæ creatæ cui ut ſubjecto extraneo, & ſecundario convenit, ut ſubjecto incapaci beatitudinis increatæ non det tale jus.

Dicendum eſt ſecundò, nec de potentia abſoluta potuiſſe intellectum creatum Chriſti ſcire per ſcientiam increatam ita docent D. Thomas *quæſt.* 20. *de veritate artic.* 1. *in corp. in* 3 *diſt.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. & communiter Thomiſtæ Capreolus, Cajetanus, Medina, Nazarius, Alvares, Martinez, Aravius, Lorca, Coriel, & alii, Suarez diſput. 24. ſect. 2. Vaſquez 1. 2. diſp. 8. cap. 2. & communiter Recentiores. Probant aliqui aſſertum: quia ut potentia ſuum attingat objectum neceſſe eſt in ipſum feratur per actum proprium: ſed cognitio, ſeu intellectio increata non poteſt eſſe propria intellectus creati; & intellectus animæ Chriſti eſt creatus: ergo non poteſt per intellectionem increatam intelligere, ac cognoſcere divinum eſſe, & eſſe beatus beatitudine increata. Major eſt certa. Minorem probant, quia duobus tantùm modis poteſt intelligi quòd aliquis actus approprietur alicui ſubjecto, ſcilicet ſi ab illo effectivè procedat, vel materialiter ſaltem & ſubjectivè ab ipſo dependeat: ſed neutro modo poteſt intellectio increata comparari cum intellectu Chriſti creato, nec poteſt eidem appropriari: ergo repugnat, intellectum creatum Chriſti intelligere per intellectionem increatam. Verum hæc ratio non videtur ita firma, ut plenè evincat aſſertum. Poſſet enim negari minor, & ad ejus probationem negari major, quia adhuc eſt excogitabilis alius modus, quo actus approprietur potentiæ præter duos recenſitos: ſcilicet per unionem intellectionis increatæ cum intellectu creato: ſicut enim ſubſiſtentia increata Verbi de facto unitur naturæ humanæ Chriſti, perinde poſſet intellectio increata uniri intellectui creato; & quidem abſque ulla dependentia effectiva, vel materiali, ſeu per unionem tantùm terminativam; unde niſi quid aliud addatur, argumentum non plenè evincit intentum; in ſententia enim Thomiſtica eſſentia divina per modum ſpeciei abſque ulla dependentia, ſolum per unionem in eſſe intelligibili unitur.

Probant alii aſſertum, eò quia repugnet potentiam aliquam exerceri per actum exiſtentem extra ſpecificationem eſſentialem illius: ſed intellectio increata eſt extra ſpecificationem eſſentialem intellectûs animæ Chriſti, ergo repugnat intellectum creatum animæ Chriſti intelligere per intellectionem increatam, ac Chriſtum ut hominem eſſe beatum beatitudine increata. Major non videtur pati difficultatem, quia immediatius comparatur potentia cum actu, quàm cùm objecto juxta vulgatum axioma: *potentiæ per actus, & actus per objecta ſpecificantur*, at repugnat potentiam aliquam attingere objectum quod ſit extra ejus ſpecificativum, non enim poteſt potentia auditiva videre coloratum, neque potentia viſiva audire verba, & ita de aliis potentiis, quæ non poſſunt ferri extra proprium ſpecificativum: ergo implicat potentiam exerceri, ac determinari per actum exiſtentem extra propriam ſphæram ſpecificationis ſuæ, quia eſſet, & non eſſet potentia taliter ſpecificata. Minor probatur, quia increata intellectio eſt infinita, & comprehenſiva Dei, & eſſentia intellectus creati eſt finita impotens ad comprehendendum Deum, proinde intellectio increata eſt extra ſpæram ſpecificationis eſſentialis intellectus creati. Verum huic argumento niſi quid aliud addatur poſſet reſponderi cum diſtinctione intellectio increata ut adæquatè & comprehenſivè unita eſt extra ſphæram ſpecificationis eſſentialis intellectus creati conceditur, ſed negatur de intellectione increata ut inadæquatè unita. Sicut enim intellectus creatus in ratione determinabilis per ſpeciem, & actuabilis per verbum in ſententia Thomiſtica ſe extendit ad divinam eſſentiam ut gerentem munus ſpeciei & Verbi, non tamen ut infinitè, & modo comprehenſivo unitam, ſed ut unitam modo quidditativo, & finito ita poſſet reſponderi increatam intellectionem, ut connaturaliter modo infinito, & comprehenſivo unitam eſſe extra ſphæram eſſentialem intellectus creati, ut actuabilis non verò ut unibilem ſupernaturaliter quidditativo, & finito modo. Quòd ſi dicas intellectionem divinam tametſi quidditativo finito modo unibilem adhuc eſſe extra ſpecificativum intellectus creati: etenim etiam intellectio angelica eſt finitè limitata, & nihilominus eſt extra ſphæram eſſentialem humani intellectus, ergo ſicut repugnat intellectum humanum conſtitui intelligentem per intellectionem angelicam, etiam repugnabit intellectum creatum animæ Chriſti intelligere per intellectionem increatam, quamvis unibilem finito, & quidditativo modo. Sed adhuc poſſet reſponderi, quòd ſicut ex eo, quòd perſonalitas angelica ſit extra ſphæram naturæ humanæ ut terminabilis, & ſuppoſitabilis non licet inferre ſubſiſtentiam divinam etiam eſſe extra talem ſphæram: ita neque ex eo, quòd ſubſtantia angelica ut ſpecies ſit extra ſphæram eſſentialem intellectus humani ut terminabilis per ſpeciem impreſſam colligere licet idem eſ-

se de divina essentia, & specie, quæ in sententia Thomistica unitur intellectui beato. Quamobrem ideo intellectio angelica non potest uniri intellectui humano eumque constituere intelligentem, quia est limitata, & non continet eminenter perfectionem intellectionis humanæ, nec potest in humanum intellectum illabi, eumque intelligentem constituere.

Probatur igitur exactiùs assertum, quia cognitio increata non potest uniri intellectui beato Christi in ratione cognitionis: ergo neque potest illum constituere formaliter cognoscentem. Consequentia liquet probatur antecedens, quia de ratione operationis vitalis, & immanentis qualis est intellectio, est ut procedat effectivè à potentia in qua recipitur, vel sit idem formaliter cum illa, siquidem esse vitale est idem cum vita, & procedit à vita, sed repugnat intellectioni divinæ, & increatæ procedere effectivè ab intellectu creato vel identificari realiter formaliter cum illo. Ex primo enim sequeretur causam excedi à suo effectu, si enim intellectio increata divina effectivè procederet ab intellectu creato, quia hic est finitus, & illa infinita utique effectus excederet suam causam perinde ac infinitum excedit infinitè finitum: ex secundo sequeretur quod creatum & increatum essent prorsus idem, quod implicat: ergo repugnat cognitionem increatam posse uniri intellectui creato Christi, ac illum constituere intelligentem. Tum quia intelligere est actio, quæ exercetur vitali modo, & exigit necessario esse à principio intrinseco vitæ, ergo non potest intellectus cognoscere nisi per cognitionem à se ipso procedentem: hoc autem non contingit in subsistentia quia subsistere non est vitaliter operari, essentia autem actus vitalis cujusmodi est cognitio, vel intellectio in eo est sita, ut sit vel ab eodem principio cognoscente per identitatem, ut in Deo, vel per activitatem ut in creaturis: siquidem cognitio vitalis est tendentia, qua principium cognoscens se ipsum intentionaliter movet ad objectum cognoscendum, adeo ut si præscindatur à principio cognoscente, & ab intrinseca, & activa tendentia intentionali præscindatur etiam ab ipsa ratione vitæ actualis cognoscitivæ, ex quo sequitur, quòd non possit cognitio per solam passivam receptionem reddere potentiam actu cognoscentem suum objectum, sed ad id requiratur essentialiter ejusdem potentiæ activa motio intentionalis, quod perinde est, ac à se ipso ad objectum moveri, siquidem intelligere, videre, appetere idem est ac animam interno quodam impetu moveri, ac ferri in suum objectum vel ut percipiendum, vel ut appetendum.

Præterea in epistola Agathonis Papæ, & in sexta Synodo Generali act. 17. expressè dicitur in Christo non posse ullam operationem esse utriusque potentiæ, quia impossibile est operationem unius fieri operationem alterius, proinde ait in Christo dari duas voluntates, & duas operationes esse in Christo constituendas, & addit etiam rationem verbis illis: *Nec enim poterit angelica natura divinam habere voluntatem, aut humanam, neque humana natura voluntatem Dei vel Angeli:* quòd autem Synodus asserit de voluntate, & volitione, hoc idem etiam asseritur de cognitione, & scientia. Æquè enim intellectio, & cognitio est actus vitalis, sicut ipsa volitio, unde est eadem ratio de volitione, ac de cognitione. Quòd si dicas sextam Synodum fuisse locutam de lege ordinaria non verò de potentia Dei absoluta respondetur Synodum fuisse locutam de Christo, cujus incarnatio miraculosa fuit, ac opus maximè extraordinarium, & supra legem ordinariam, proinde ineptè argueret Synodus contra asserentes unam tantùm in Christo dari operationem, eamque divinam esse, si de impotentia per vires naturæ, aut lege ordinaria fuisset locuta, quia statim potuisset quis respondere hoc tantùm verum esse de lege ordinaria non verò esse impossibile de absoluta Dei potentia. Respondent alii cum Ægidio sextam Synodum solùm negâsse posse Angelum vel hominem habere voluntatem Dei sibi connaturalem non verò posse illam sibi unitam, & communicatam habere non connaturaliter, sed supra naturam. Verùm Hæretici contra quos Synodus definierat non posse Angelicam naturam divinam habere voluntatem, aut humanam, neque naturam humanam voluntatem Dei, vel Angeli non affirmabant voluntatem divinam fuisse connaturalem humanitati Christi, neque id in mentem hominum cadere poterat, sed solùm asserebant fuisse in Christo unam operationem, & hanc divinam, per quàm non solùm ut Deus, verùm etiam ut homo volebat, ergo sexta Synodus definiens contra Hæreticos fuisse in Christo duas operationes divinam, & humanam inconfusas & assignans rationem ait; Quia non potest in se humana natura habere voluntatem Angeli, vel Dei: Synodus igitur non solùm negat posse illam in se connaturalem habere, verùm etiam ut communicatam supernaturaliter, alioquin nihil definivisset contra Hæreticos asserentes unicam tantum fuisse in Christo operationem, & hanc divinam per quam non solùm ut Deus, sed etiam ut homo volebat. Præterea implicat voluntatem creatam liberè velle per voluntatem liberam Dei sibi intrinsecà unitam, ergo etiam implicat intellectum creatum intelligere per increatam intellectionem: antecedens liquet: quia volitio libera debet esse in potestate voluntatis eam elicientis: atqui volitio divina nequit voluntati creatæ subjici, consequenter repugnat voluntatem creatam liberè velle per voluntatem liberam Dei sibi intrinsecè unitam: quod etiam implicet intellectum creatum intelligere per intellectionem increatam facile ostenditur, quia eatenus scientia increata Dei posset intellectum creatum scientem constituere, quia eminenter continet perfectionem scientiæ creatæ: atqui etiam volitio libera increata continet eminenter perfectionem volitionis creatæ liberæ, & nihilominus hoc non obstante non potest voluntatem creatam constituere liberè volentem: ergo à pari non obstante quòd scientia increata perfectionem cognitionis creatæ eminenter contineat, adhoc implicat intellectionem increatam constituere intellectum creatum intelligentem. Præterea quòd volitio libera debeat voluntati ab intrinseco convenire non habet ex conceptu libertatis, sed ex conceptu voluntatis ut vitalis in quo convenit cum actuali cognitione: ergo si libera volitio Dei nequit voluntatem creatam liberè volentem constituere neque scientia increata potest intellectum creatum intelligentem constituere. Ita enim se habet voluntas in ordine ad volendum sicut intellectus in ordine ad intelligendum, & cum repugnet voluntatem creatam liberè velle per volitionem liberam Dei sibi intrinsecè unitam; ita etiam repugnat intellectum humanum in Christo intelligere per intellectionem Dei increatam, consequentia tenet ex paritate rationis; antecedens probatur, quia volitio libera debet esse in potestate ex dominio voluntatis, & volitio divina non potest subesse potestati, ac dominio voluntatis creatæ, proinde repugnat voluntatem creatam liberè velle per volitionem Dei liberam. Ergo sicut nec de potentia Dei absoluta potuit voluntas humana

Christi

Christi velle per volitionem increatam Dei, ita repugnat intellectum humanum Christi intelligere per intellectionē increatam Dei, est enim utrinq; par ratio.

Dices natura humana Christi de facto subsistit per subsistentiam increatam Verbi: ergo potuit etiam de potentia absoluta intelligere per intellectionem increatam: Deus enim potest uniri intellectui creato in ratione principii intelligendi, quinimo de facto in sententia Thomistica ita unitur in ordine ad visionem beatificam eliciendam ab intellectu beato: ergo multo melius poterit eidem intellectui uniri in ratione intellectionis, quia Deus unitur intellectui beato in ratione speciei intelligibilis. Consequentia per se patet, quia actus secundus est perfectior primo, eo quia magis remotus à potentialitate, proinde melius poterit à Deo suppleri. Sed contra negatur consequentia ob discrimen inter subsistentiam & intellectionem, etenim de ratione subsistentiæ non est causari effectivè à natura, neque illam informare, neque cum ipsa identificari. Ab hisce enim omnibus ex vi proprii conceptus formalis habet abstrahere, & tantum de suo formali dicit complere in linea substantiæ ipsam naturam in ratione standi per se, & in se: secus de ratione intellectionis, & etiam cujusvis alterius actionis vitalis est procedere ab operante, & in eodem recipi per informationem, ut in nobis, vel per omnimodam entitatem ut in Deo, & utrumque repugnat intellectioni increatæ respectu intellectus creati, à quo neque procedere potest, neque sustentari, nec cum eo identificari: hinc ad aliud quod addebatur de Deo, qui unitur intellectui creato in ratione principii intelligendi, respondetur negando consequentiam, quia uniri intellectui in ratione intellectionis est eidem uniri vitali modo. Est enim intellectio exercitium potentiæ vitalis de cujus ratione est procedere ab operante, & in eo recipi vel per modum informationis ut contingit in nobis vel per omnimodam identitatem ut in Deo, & utrumque repugnat cognitioni divinæ respectu intellectus creati. Quòd si dicas speciem intelligibilem in nobis effectivè causari à nostro intellectu agente, & ut formam recipi in intellectu passibili, & nihilominus hoc totum suppleri ab essentia divina in ratione speciei intelligibilis, proinde posse intellectum creatum animæ Christi intelligere per intellectionem increatam verbi divini. Contra est, quia tametsi hoc verum sit de specie intelligibili creata existente in intellectu humano, adhuc species secundum se & præcise non exigit fieri ab ipso intelligente nec illi inhærere; sed ex natura sua est tantum principium extrinsecum cognitionis, & se tenet ex parte objecti.

Probari itidem potest assertum, quia implicat intellectum creatum fieri intelligentem, ac intelligere per intellectionem increatam, quin per illam intellectus creatus vivat in actu secundo, atqui repugnat quod vivat per increatam Dei cognitionem, ergo etiam implicat per illam intelligere. Major est certa, quia intelligere essentialiter est vivere gradu perfectissimo vitæ: ergo repugnat intellectum intelligere per aliquam formam, & per eandem non vivere. Minor probatur, quia implicat naturam divinam sub conceptu vitæ radicalis naturam creatam radicaliter viventem constituere, alioquin posset ligno uniri illudque constituere radicaliter vivens, ergo etiam implicat, quod sub conceptu vitæ actualis constituat intellectum creatum viventem in actu secundo: actus enim vitalis alicujus naturæ, quia ab illa desumit suam specificationem non potest communicari non communicata natura, ut docet Div. Thomas *in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2.* Tum quia vivere perinde est, ac habere perfectionem non solum in se sed etiam à se: siquidem in hoc vivens à non vivente differt, quia non vivens habet perfectionem in se, sed non à se: secus vivens illam habet à se vel per identitatem ut in Deo vivente increato, vel per egressionem ut contingit in nobis: sed implicat intellectum creatum habere à se increatam Dei cognitionem sive per identitatem sive per egressionem. Siquidem intellectio increata non potest cum intellectu creato identificari, nec ab illo dependere, consequenter implicat intellectum creatum vivere per intellectionem increatam & divinam.

Quòd si dicas intellectionem non esse vitam physicam, sed tantum intentionalem quatenus constituit intellectum tendentem intentionaliter in objectum. Atqui ut sit vita intentionalis sufficit, si intelligenti conveniat à se non physicè per identitatem, vel per physicam ab illo egressionem, sed à se intentionaliter, quo pacto intellectionem divinam convenire intellectui creato non implicat. Contra est, quia formam convenire subjecto à se intentionaliter est quid distinctum ab hoc, quod est convenire non à se sed in se, atqui formam convenire à se non distinguitur ab hoc quod est formam convenire tantum in se nisi in ratione principii egressionis formalis, quando realiter distinguitur, vel virtualis aut eminentialis, quando realiter identificatur, proinde ut salvetur divinam intellectionem convenire intellectui creato à se intentionaliter, debet egredi realiter ab illo, vel saltem virtualiter, vel cum illo realiter identificari, quorum utrumque repugnat, quia intellectio semper debet esse exercitium intellectus, seu actus ejus secundus, & quidem vivens, consequenter egrediens à principio intelligente, & eidem inhærens, adeo ut se habeat per modum formæ egredientis à principio, & illud informantis, quod repugnat divinæ intellectioni respectu intellectus creati.

Si dicas, vivens à non vivente distingui, eo quia habeat perfectionem à se non in actu secundo, sed in actu primo, adeo ut non sit necesse, ut intellectus creatus intelligat per intellectionem increatam, quòd hanc habeat à se, & egrediatur intellectio increata ab intellectu creato. Contra est, quia non potest intellectus constitui intelligens nisi per aliquam formam qua intelligat, & vivat, de ratione autem vitæ est in actu primo habere, ut sit à se vivens, & in actu secundo, ut exerceat vitam. Hoc autem exercitium est actus, quo vivens vivit in actu secundo, consequenter non solum debet egredi à principio vitæ, sed etiam in eodem recipi, eique inhærere per modum formæ informantis, si non permanenter, saltem transeunter, quæ omnia repugnant divinæ intellectioni respectu intellectus creati. Si dicas intellectionem non esse actionem, sed qualitatem adeo ut intelligere non sit agere, sed pati, consequenter non repugnare intellectum creatum Christi intelligere per intellectionem increatam, perinde ac humanitas Christi subsistit per subsistentiam Verbi. Contra est, quia intellectio est actio, quæ elicitur vitali modo à suo principio, adeo ut per intelligere potentia se ipsam moveat, & activè exerceat, & non tantùm passivè, consequenter falsum est intellectionem non esse actionem, sed qualitatem, nec intelligere esse agere, sed pati, seu recipere in se illam qualitatem, quæ intellectio dicitur. Hinc patet discrimen inter intellectionem, & subsistentiam. Natura enim humana

se de divina essentia, & specie, quæ in sententia Thomistica unitur intellectui beato. Quamobrem ideo intellectio angelica non potest uniri intellectui humano eumque constituere intelligentem, quia est limitata, & non continet eminenter perfectionem intellectionis humanæ, nec potest in humanum intellectum illabi, eumque intelligentem constituere.

Probatur igitur exactiùs assertum, quia cognitio increata non potest uniri intellectui beato Christi in ratione cognitionis: ergo neque potest illum constituere formaliter cognoscentem. Consequentia liquet probatur antecedens, quia de ratione operationis vitalis, & immanentis qualis est intellectio, est ut procedat effectivè à potentia in qua recipitur, vel sit idem formaliter cum illa, siquidem esse vitale est idem cum vita, & procedit à vita, sed repugnat intellectioni divinæ, & increatæ procedere effectivè ab intellectu creato vel identificari realiter formaliter cum illo. Ex primo enim sequeretur causam excedi à suo effectu, si enim intellectio increata divina effectivè procederet ab intellectu creato, quia hic est finitus, & illa infinita utique effectus excederet suam causam perinde ac infinitum excedit infinitè finitum: ex secundo sequeretur quod creatum & increatum essent prorsus idem, quod implicat: ergo repugnat cognitionem increatam posse uniri intellectui creato Christi, ac illum constituere intelligentem. Tum quia intelligere est actio, quæ exercetur vitali modo, & exigit necessario esse à principio intrinseco vitæ, ergo non potest intellectus cognoscere nisi per cognitionem à se ipso procedentem: hoc autem non contingit in subsistentia quia subsistere non est vitaliter operari, essentia autem actus vitalis cujusmodi est cognitio, vel intellectio in eo est sita, ut sit vel ab eodem principio cognoscente per identitatem, ut in Deo, vel per activitatem ut in creaturis: siquidem cognitio vitalis est tendentia, qua principium cognoscens se ipsum intentionaliter movet ad objectum cognoscendum, adeo ut si præscindatur à principio cognoscente, & ab intrinseca, & activa tendentia intentionali præscindatur etiam ab ipsa ratione vitæ actualis cognoscitivæ, ex quo sequitur, quòd non possit cognitio per solam passivam receptionem reddere potentiam actu cognoscentem suum objectum, sed ad id requiratur essentialiter ejusdem potentiæ activa motio intentionalis, quod perinde est, ac à se ipso ad objectum moveri, siquidem intelligere, videre, appetere idem est ac animam interno quodam impetu moveri, ac ferri in suum objectum vel ut percipiendum, vel ut appetendum.

Præterea in epistola Agathonis Papæ, & in sexta Synodo Generali act. 17. expressè dicitur in Christo non posse ullam operationem esse utriusque potentiæ, quia impossibile est operationem unius fieri operationem alterius, proinde ait in Christo dari duas voluntates, & duas operationes esse in Christo constituendas, & addit etiam rationem verbis illis: *Nec enim poterit angelica natura divinam habere voluntatem, aut humanam, neque humana natura voluntatem Dei vel Angeli:* quòd autem Synodus asserit de voluntate, & volitione, hoc idem etiam asseritur de cognitione, & scientia. Æquè enim intellectio, & cognitio est actus vitalis, sicut ipsa volitio, unde est eadem ratio de volitione, ac de cognitione. Quòd si dicas sextam Synodum fuisse locutam de lege ordinaria non verò de potentia Dei absoluta respondetur Synodum fuisse locutam de Christo, cujus incarnatio miraculosa fuit, ac opus maximè extraordinarium, & supra legem ordinariam, proinde ineptè argueret Synodus contra asserentes unam tantùm in Christo dari operationem, eamque divinam esse, si de impotentia per vires naturæ, aut lege ordinaria fuisset locuta, quia statim potuisset quis respondere hoc tantùm verum esse de lege ordinaria non verò esse impossibile de absoluta Dei potentia. Respondent alii cum Ægidio sextam Synodum solùm negâsse posse Angelum vel hominem habere voluntatem Dei sibi connaturalem non verò posse illam sibi unitam, & communicatam habere non connaturaliter, sed supra naturam. Verùm Hæretici contra quos Synodus definierat non posse Angelicam naturam divinam habere voluntatem, aut humanam, neque naturam humanam voluntatem Dei, vel Angeli non affirmabant voluntatem divinam fuisse connaturalem humanitati Christi, neque id in mentem hominum cadere poterat, sed solùm asserebant fuisse in Christo unam operationem, & hanc divinam, per quàm non solùm ut Deus, verùm etiam ut homo volebat, ergo sexta Synodus definiens contra Hæreticos fuisse in Christo duas operationes divinam, & humanam inconfusas & assignans rationem ait: Quia non potest in se humana natura habere voluntatem Angeli, vel Dei: Synodus igitur non solùm negat posse illam in se connaturalem habere, verùm etiam ut communicatam supernaturaliter, alioquin nihil definivisset contra Hæreticos asserentes unicam tantum fuisse in Christo operationem, & hanc divinam per quam non solùm ut Deus, sed etiam ut homo volebat. Præterea implicat voluntatem creatam liberè velle per voluntatem liberam Dei sibi intrinsecè unitam, ergo etiam implicat intellectum creatum intelligere per increatam intellectionem: antecedens liquet: quia volitio libera debet esse in potestate voluntatis eam elicientis: atqui volitio divina nequit voluntati creatæ subjici, consequenter repugnat voluntatem creatam liberè velle per voluntatem liberam Dei sibi intrinsecè unitam: quod etiam implicet intellectum creatum intelligere per intellectionem increatam facile ostenditur, quia eatenus scientia increata Dei posset intellectum creatum scientem constituere, quia eminenter continet perfectionem scientiæ creatæ: atqui etiam volitio libera increata continet eminenter perfectionem volitionis creatæ liberæ, & nihilominus hoc non obstante non potest voluntatem creatam constituere liberè volentem: ergo à pari non obstante quòd scientia increata perfectionem cognitionis creatæ eminenter contineat, adhuc implicat intellectionem increatam constituere intellectum creatum intelligentem. Præterea quòd volitio libera debeat voluntati ab intrinseco convenire non habet ex conceptu libertatis, sed ex conceptu voluntatis ut vitalis in quo convenit cum actuali cognitione: ergo si libera volitio Dei nequit voluntatem creatam liberè volentem constituere neque scientia increata potest intellectum creatum intelligentem constituere. Ita enim se habet voluntas in ordine ad volendum sicut intellectus in ordine ad intelligendum, & cum repugnet voluntatem creatam liberè velle per volitionem liberam Dei sibi intrinsecè unitam; ita etiam repugnat intellectum humanum in Christo intelligere per intellectionem Dei increatam, consequentia tenet ex paritate rationis; antecedens probatur, quia volitio libera debet esse in potestate ex dominio voluntatis, & volitio divina non potest subesse potestati, ac dominio voluntatis creatæ, proinde repugnat voluntatem creatam liberè velle per volitionem Dei liberam. Ergo sicut nec de potentia Dei absoluta potuit voluntas humana

Christi

Christi velle per volitionem increatam Dei, ita repugnat intellectum humanum Christi intelligere per intellectionẽ increatam Dei, est enim utrinq; par ratio.

Dices natura humana Christi de facto subsistit per subsistentiam increatam Verbi: ergo potuit etiam de potentia absoluta intelligere per intellectionem increatam; Deus enim potest uniri intellectui creato in ratione principii intelligendi, quinimo de facto in sententia Thomistica ita unitur in ordine ad visionem beatificam eliciendam ab intellectu beato: ergo multo melius poterit eidem intellectui uniri in ratione intellectionis, quia Deus unitur intellectui beato in ratione speciei intelligibilis. Consequentia per se patet, quia actus secundus est perfectior primo, eo quia magis remotus à potentialitate, proinde melius poterit à Deo suppleri. Sed contra negatur consequentia ob discrimen inter subsistentiam & intellectionem, etenim de ratione subsistentiæ non est causari effectivè à natura, neque illam informare, neque cum ipsa identificari. Ab hisce enim omnibus ex vi proprii conceptus formalis habet abstrahere, & tantum de suo formali dicit complere in linea substantiæ ipsam naturam in ratione standi per se, & in se: secus de ratione intellectionis, & etiam cujusvis alterius actionis vitalis est procedere ab operante, & in eodem recipi per informationem, ut in nobis, vel per omnimodam identitatem ut in Deo, & utrumque repugnat intellectioni increatæ respectu intellectus creati, à quo neque procedere potest, neque sustentari, nec cum eo identificari: huic ad aliud quod addebatur de Deo, qui unitur intellectui creato in ratione principii intelligendi, respondetur negando consequentiam, quia uniri intellectui in ratione intellectionis est eidem uniri vitali modo. Est enim intellectio exercitium potentiæ vitalis de cujus ratione est procedere ab operante, & in eo recipi vel per modum informationis ut contingit in nobis vel per omnimodam identitatem ut in Deo, & utrumque repugnat cognitioni divinæ respectu intellectus creati. Quòd si dicas speciem intelligibilem in nobis effectivè causari à nostro intellectu agente; & ut formam recipi in intellectu passibili, & nihilominus hoc totum suppleri ab essentia divina in ratione speciei intelligibilis, proinde posse intellectum creatum animæ Christi intelligere per intellectionem increatam verbi divini. Contra est, quia tametsi hoc verum sit de specie intelligibili creata existente in intellectu humano, adhuc species secundum se & præcisè non exigit fieri ab ipso intelligente nec illi inhærere; sed ex natura sua est tantum principium extrinsecum cognitionis, & se tenet ex parte objecti.

Probari itidem potest assertum, quia implicat intellectum creatum fieri intelligentem, ac intelligere per intellectionem increatam, quin per illam intellectus creatus vivat in actu secundo, atqui repugnat quod vivat per increatam Dei cognitionem, ergo etiam implicat per illam intelligere. Major est certa, quia intelligere essentialiter est vivere gradu perfectissimo vitæ: ergo repugnat intellectum intelligere per aliquam formam, & per eandem non vivere. Minor probatur, quia implicat naturam divinam sub conceptu vitæ radicalis naturam creatam radicaliter viventem constituere, alioquin posset ligno uniri illudque constituere radicaliter vivens, ergo etiam implicat, quod sub conceptu vitæ actualis constituat intellectum creatum viventem in actu secundo: actus enim vitalis alicujus naturæ, quia ab illa desumit suam specificationem non potest communicari non communicata natura, ut docet Div. Thomas *in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1.* Tum quia vivere perinde est, ac habere perfectionem non solum in se sed etiam à se: siquidem in hoc vivens à non vivente differt, quia non vivens habet perfectionem in se, sed non à se: secus vivens illam habet à se vel per identitatem ut in Deo vivente increato, vel per egressionem ut contingit in nobis: sed implicat intellectum creatum habere à se increatam Dei cognitionem sive per identitatem sive per egressionem. Siquidem intellectio increata non potest cum intellectu creato identificari, nec ab illo dependere, consequenter implicat intellectum creatum vivere per intellectionem increatam & divinam.

Quòd si dicas intellectionem non esse vitam physicam, sed tantum intentionalem quatenus constituit intellectum tendentem intentionaliter in objectum. Atqui ut sit vita intentionalis sufficit, si intelligenti conveniat à se non physicè per identitatem, vel per physicam ab illo egressionem, sed à se intentionaliter, quo pacto intellectionem divinam convenire intellectui creato non implicat. Contra est, quia formam convenire subjecto à se intentionaliter est quid distinctum ab hoc, quod est convenire non à se sed in se, atqui formam convenire à se non distinguitur ab hoc quod est formam convenire tantum in se nisi in ratione principii egressionis formalis, quando realiter distinguitur, vel virtualis aut eminentialis, quando realiter identificatur, proinde ut salvetur divinam intellectionem convenire intellectui creato à se intentionaliter, debet egredi realiter ab illo, vel saltem virtualiter, vel cum illo realiter identificari, quorum utrumque repugnat, quia intellectio semper debet esse exercitium intellectus, seu actus ejus secundus, & quidem vivens, consequenter egrediens à principio intelligente, & eidem inhærens, adeo ut se habeat per modum formæ egredientis à principio, & illud informantis, quod repugnat divinæ intellectioni respectu intellectus creati.

Si dicas, vivens à non vivente distingui, eò quia habeat perfectionem à se non in actu secundo, sed in actu primo, adeo ut non sit necesse, ut intellectus creatus intelligat per intellectionem increatam, quòd hanc habeat à se, & egrediatur intellectio increata ab intellectu creato. Contra est, quia non potest intellectus constitui intelligens nisi per aliquam formam qua intelligat, & vivat, de ratione autem vitæ est in actu primo habere, ut sit à se vivens, & in actu secundo, ut exerceat vitam. Hoc autem exercitium est actus, quo vivens vivit in actu secundo, consequenter non solum debet egredi à principio vitæ, sed etiam in eodem recipi, eique inhærere per modum formæ informantis, si non permanenter, saltem transeunter, quæ omnia repugnant divinæ intellectioni respectu intellectus creati. Si dicas intellectionem non esse actionem, sed qualitatem adeo ut intelligere non sit agere, sed pati, consequenter non repugnare intellectum creatum Christi intelligere per intellectionem increatam, perinde ac humanitas Christi subsistit per subsistentiam Verbi. Contra est, quia intellectio est actio, quæ elicitur vitali modo à suo principio, adeo ut per intelligere potentia se ipsam moveat, & activè exerceat, & non tantùm passivè, consequenter falsum est intellectionem non esse actionem, sed qualitatem, nec intelligere esse agere, sed pati, seu recipere in se illam qualitatem, quæ intellectio dicitur. Hinc patet discrimen inter intellectionem, & subsistentiam. Natura enim hu-

mana

mana ideo subsistit per subsistentium increatam verbi, quia subsistere non est vitaliter operari, sed substantialiter compleri ac terminari, proinde rectè potest natura humana Christi subsistere per subsistentiam verbi, quia potest per ipsam perfici, compleri ac terminari in linea substantiæ, est enim subsistentia ultimus terminus in linea substantiæ, secus intelligere est exercitium intellectus, proinde actio ab eodem elicita vitali modo, exigitque necessario esse à principio intrinseco vitæ, consequenter non potest intellectus cognoscere nisi per cognitionem à se ipso procedentem, de essentia enim actus vitalis, cujusmodi est cognitio, vel intellectio est ut sit ab eodem principio cognoscente & intelligente vel per identitatem ut in Deo, vel per activitatem ut in creaturis: cognitio enim vitalis est tendentia, qua principium cognoscens se ipsum intentionaliter movet ad cognoscendum intellectum, adeo ut si præscindatur à principio cognoscente & ab intrinseca & activa tendentia intentionali, præscindatur etiam ab ipsa ratione actualis vitæ cognoscitivæ: hinc liquet non posse cognitionem seu intellectionem per solam passivam receptionem reddere potentiam actu intelligentem suum objectum, sed ad id requiritur etiam ejusdem potentiæ activa motio intentionalis, quod perinde est ac à se ipso moveri ad objectum.

Præterea dato, etiam & non concesso, quòd intellectio non esset actio, sed qualitas, nec intelligere esset agere, sed pati, quod expresse est contra Aristotelem asserentem ipsam operationem virtutis, & ipsam felicitatem formalem non esse qualitates; adhuc non satisfit argumento, quia ut intellectus formaliter intelligat per eam qualitatem, quæ ab intellectu efficitur, requiritur necessariò ut talis qualitas procedat effectivè per aliam actionem productam ab eodem intellectu, qui constituitur formaliter intelligens: sed implicat intellectionem increatam fieri effectivè per actionem intellectûs creati: ergo repugnat, illam qualitatem, quá intellectus creatus intelligit esse ipsam intellectionem divinam, major liquet, quia Aristoteles 9. *Metaph. text.* 16. vocat eam qualitatem, quæ est intellectio, actionem immanentem de cujus ratione est, procedere à principio, in quo recipitur. Ergo semper repugnat intellectum creatum intelligere per intellectionem increatam.

Dices etenim intellectus creatus non potest per intellectionem increatam intelligere, quia increatum non potest egredi à creato, nec cum ipso identificari; sed hoc non est necesse, ut intellectus creatus intelligat per intellectionem increatam; quia ut intellectus creatus vivat, & intelligat per intellectionem increatam, non est necesse, quod illi conveniat à se entitativè, sed sufficit si unitivè; seu quamvis intellectio increata non identificetur cum intellectu creato nec ab illo egrediatur, unio tamen divinæ intellectionis ad intellectum si causetur, ac recipiatur in intellectu creato sufficit ut hic intelligat per intellectionem increatam. Sed contra, quia si hæc unio sufficeret ut intellectus creatus per intellectionem increatam intelligeret; sufficeret etiam ut voluntas creata vellet per volitionem liberam increatam: quia si uniri ab intrinseco intellectionem increatam cum intellectu creato sufficit ut salvetur definitio vitæ in intellectu creato in ordine ad intellectionem increatam ut per hanc dicatur vivere, ac intelligere, quamvis intellectio increata non conveniat intellectui creato identificè, neque egressivè, seu non identificetur cum intellectu creato, neque ab illo egrediatur, eo quia sufficiat si unio producatur ab intellectu creato, & in eodem recipiatur: etiam sufficiet si unio increatæ volitionis liberæ producatur à voluntate creata, & in eadem recipiatur ad salvandam libertatem in voluntate creata humana cum volitione increata comparata, proinde etiam sufficiet ut per illam liberè velit; quod est falsum. Præterea actio vitalis absque ullo modo unionis producitur à principio vivente, & in eodem recipitur; etenim ex propria essentia habet exercitiũ egressionis, & conjunctionis cum suo principio; adeo ut essentialiter exigat immediatè absque ullo modo qui mediet egredi ac recipi in principio vivente: quando autem alicui unio est essentialis ad subjectum non indiget modo à se distincto, ut uniatur. Rursus quamvis concedamus, intellectionem creatam uniri per modum superadditum distinctum ab intellectione, & volitione, adhuc intellectio increata cum intelligente per ipsum hunc modum unionis superadditum, & distinctum respiceret, & peteret per suam entitatem cum intelligente identificari, ratio est, quia unio est causalitas & actualitas formæ unitæ subjecto, seu ejus complementum, atqui intellectioni increatæ, vel alteri prædicato divino repugnat compleri, & actuari per aliquid à se distinctum ut etiam reduci ad actum secundum suæ causalitatis, alioquin prædicatum divinum in propria linea non esset ex se summè perfectum & completum, siquidem compleretur per aliud prædicatum à se distinctum, ergo repugnat convenire intellectioni creatæ à se secundum unionem, & quod illi non conveniat à se secundum entitatem.

Tum quia habere perfectionem à à se communitèr intelligitur de convenientia ab intrinseco formæ dantis vitam actualem, & non solum concreti resultantis ex tali forma, & subjecto, atqui licèt ex convenientia ab intrinseco unionis actus increati habeatur convenientia ab intrinseco concreti resultantis ex intellectione increata, & intellectu creato non tamen habetur convenientia ab intrinseco formæ dantis intellectionem actualem, seu vitam actualem. Propterea modus ille conveniendi ab intrinseco est insufficiens, ut intellectus creatus per increatam intellectionem dicatur intelligere, & vivere. Demum quia hæc unio intellectus creati cum intellectione increata, quæ supponitur producta ab intellectu creato indueret rationem tendentiæ intentionalis ad objectum intelligibile; siquidem per illam unionem uniretur intellectus cum objecto, & quidem à se, & in hac unione consistit tendentia intentionalis, consequenter esset actio intelligendi, ergo intellectus creatus non intelligeret per intellectionem increatam, sed per unionem illam creatam. Quòd si dicas hanc unionem ab intellectu productam non esse tendentiam in objectum intelligibile formaliter, sed tantum inchoativè, quatenus est via ad tendendum in objectum per ipsam intellectionem increatam. Contra est, quia eo ipso, quod est tendentia in objectum dicit activitatem & exercitium potentiæ intellectivæ tendentis in objectum, atqui unio ab intrinseco producta non esset via ad activè concurrendum ad intellectionem increatam, sed esset tota activitas completa intellectus creati, siquidem tota activitas intellectus consistit in hac producenda unione, quæ propterea non inchoativè sed complete, & formaliter esset tendentia in objectum intelligibile, quod propterea non per intellectionem increatam, sed per hanc unionem productam intelligeretur.

Objici-

Objicies primò subsistentia verbi divini, quia eminenter continet perfectionem personalitatis creatæ posset uniri cum humanitete sit ratione personæ, eamque constituere subsistentem: atqui intellectio divina continet etiam eminenter intellectionem creatam, ergo poterit uniri cum intellectu creato, eumque intelligentem constituere. Sed contra, negatur causalitas majoris, quia subsistentia verbi non ideo unitur humanitati Christi, quie contineat eminenter tantùm, & simpliciter perfectionem subsistentiæ creetæ: sed quie habet complere in linea substantiæ Christi humenitatem, ac illi uniri seclusa omni imperfectione, informetione, ec dependentia, sed præcisè subsistentie divina terminat, & complet in linea substantiæ Christi humanitatem quam facit subsistere, & per se stare, quepropter in unione per modum subsistentiæ nulla importatur imperfectio, quæ tamen iocluderetur in unione intellectionis increetæ, si sub coocepru intellectionis uniretur euin intellectu creato, quia non aliter posset uniri, quam per modum physicæ informationis & egressionis realis eb intellectu creato, vel per modum physicæ identitatis: hinc quamvis intellectio increata eminenter contineat perfectionem iotellectionis creatæ, quia tamen illius unio cum intellectu creato non potest depurari ab omni imperfectione repugnante cum prædicato divino, sequitur, quod tametsi subsistentia divina possit uniri cum natura bumane non ita intellectio increata cum intellectu creeto. Si tistes subsistentiam creatam emanare à nature creata, quem terminat, & nihilominus posse à subsistentie divina naturam creatam terminari ebsque eo, quòd ab illo dimanet, ita à pari quamvis intellectio creata dimanet ab intellectu creato, adhuc poterit intellectio increata intellectum ereetum terminare, ac complere in linea intelligendi, quamvis non dimenet ab intellectu creato, non enim est necesse, ut intellectio increata egrediatur, & ceusetur ab intellectu creato ut hic intelligat per intellectionem increatam, sicut noo est necesse ut subsistentia verbi dimanet ab humenitate Christi, ut subsistat. Sed contra est enim discrimen inter intellectionem increatam, & subsistentiam divinam, quia subsistentia tantùm terminat, & complet naturem adeo ut hæc nòn se habeat activè ut subsistet, sed tantùm passivè recipiendo subsistentiam verbi, & modum substantialem unionis: secus intellectus creatus, ut intelligat per intellectionem increetam non sufficit, si se hebeat merè passivè recipiendo unionem intellectionis increatæ sed ulteriùs debet se activè habere, & suas exercere vires, ut feratur in objectum intelligibile, proinde semper intelliget per propiam actionem, & exercitium potentiæ intellectivæ, & nou per intellectionem increatam.

Præterea quia non possumus intelligere, quomodo intellectio increate possit uniri cum intellectu creato nisi per modum formæ physicè informantis, vel per identitatem, qua identificetur cum intellectu creato, quorum utrumque repugnat. Quod igitur subsistentia creata à natura dimanet, id non habet ex formali conceptu subsistentiæ, sed quia est prædicatum creatum & imperfectum, & ideo potest subsistentia divine illius effectum supplere; quamvis non se habeat per modum egressionis à natura creata: secus actio intelligendi, exigit egredi ab intelligente vel cum illo identificari, id enim illi convenit ex communi & formali conceptu intellectionis quapropter nequit intellectio increata intellectum creatum constituete intelligentem, nisi ab illo egrediatur, vel cem illo identificetur. quod repugnat prædicato divino. Urgebis eatenus dicitur esse de conceptu intellectionis egressio, vel identitas cum intelligente per ipsem, quia intellectio creata à priocipio intelligente egreditur, & divine identificetur cum Deo intelligente, sed hæc ratio non videtur efficax, quia etiam subsistentia creata dimanat à natora, quam terminet per realem dimanationem, & divina per virtualem, cum identitate formali à nature terminate, & nihilominus de conceptu subsistentiæ, ut sic non est dimanatio realis, nec virtualis cum formali identitate, nec disjunctum ex utroque: ergo quemvis intellectio creata, realiter egrediatur à principio intelligente; & divina virtualiter cum formali identitate, adhuc non erit de conceptu intellectionis ut sic egressio, vel identitas proinde poterit dari intellectio, quamvis non egrediatur à principio intelligente, nec cum ipso identificetur. Sed contra quia ut evicimus de retione intellectionis est, ut intelligens per ipsam vivat & intelliget, proinde quod illam habeat à se, quod tantum potest duobus modis contingere scilicet vel per egressionem realem à principio intelligente, vel per egressionem virtualem cum formeli identitate; & quia repugnat intellectionem increatam identificari cum intellectu creato, ut etiam egredi ab intellectu creato, eò quie principiatum excederet suum principium, sequitur non posse intellectum creatum intelligere per intellectionem increatam, secus subsistentia tantum habet connaturaliter dimanere, ac terminare illam naturam, quam connaturaliter complet ec terminat: & quia subsistentia divina non terminat nec complet connaturaliter naturam humanam cum hæc non exigat naturaliter subsistere per subsistentiam increatam, ideo non exigit subsistentia increata dimanare à natura creata: secus de ratione intellectionis non solum est egredi ab intelligente per ipsam connatureliter, & à quocunque simpliciter per ipsam intelligente, quia scilicet, quodlibet intelligens vivit per intellectionem, qua intelligit, & non potest vivere, nisi habeat formaio à se vel pel modum egressionis, vel per modum identitatis: siquidem essentie vitæ consistit in hac forma habitàsse, & qua vivens se movet sive forme se hebet per modum egressionis, sive per modum identitetis, unde patet discrimen ioter subsistentiam & intellectionem.

Objicies secundò, natura divina potest uniri cum natura creata sub conceptu radicis intelligendi & amandi. Ergo non repugnabit posse uniri sub conceptu intellectionis & volitionis, quia non minus exigit radix operandi ideotitatem, vel informationem, quàm actoalis intellectio egressionem, vel identicatem: consequenter, si potest divinitas sine informatione vel identitate uniri sub conceptu radicis poterit etiam divine intellectio uniri cum intellectu creato sub conceptu intellectionis absque eo, quòd ab eo egrediatur, aut cum illo identificetur. Præterea quia intellectio & volitio, quas natura divina radicat non sunt intellectio, & volitio creatæ, sed increatæ, ergo si potest uniri divinitas cum nature creata sub conceptu radicis, poterit etiam in eadem radicere volitionem, & intellectionem increatam. Quòd natura divina possit uniri cum natora creata sub conceptu radicis intelligendi & amandi, ex eo liquet, quia nature divina de facto fuit unita humanitati Christi sub conceptu naturæ, atqui ratio naturæ in Deo consistit in ratione

radicis intelligendi, & volendi, consequenter fuit unita sub conceptu radicis intelligendi, & volendi: quod fuerit unita sub conceptu naturæ ex eo evincitur, quia de facto subsistentia divina fuit unita humanitati Christi sub conceptu sanctificantis, fuit enim Christi humanitas unita, seu sanctificata per Deitatem: atqui sanctitas fuit unita sub conceptu naturæ, quia divinitas est prima radix intelligendi, & amandi Deum proinde sanctitas substantialis fuit unita humanitati Christi sub conceptu naturæ. Sed contra negatur antecedens, ad cujus probationem distinguitur major, secundùm omne munus naturæ negatur, secundùm aliquod tantùm munus, quod pertineat ad rationem naturæ conceditur major, & concessa minore, negatur consequentia, quia adæquatum munus naturæ divinæ non est solùm radicare intellectionem, & volitionem, sed etiam sanctificare, & sub hoc secundo munere potest uniri naturæ humanæ, quamvis non uniretur sub primo conceptu radicandi intellectionem, & volitionem, etenim quia adæquatum munus suppositi divini non est tantùm referre unam personam ad aliam, sed etiam suppositare, ac constituere naturam subsistentem. Verbum enim divinum non solùm refertur ad Patrem, cujus est filius naturalis, sed etiam constituit naturam divinam subsistentem per filiationem, ideo de facto Verbum divinum non sub conceptu referendi, sed sub conceptu personandi, & suppositandi Christi humanitatem eidem unitur: igitur quia divina natura potest uniri sub multiplici conceptu cum natura humana ex eo, quod unitur sub uno conceptu non sequitur debere eidem uniri sub aliis conceptibus. Ad aliud quod addebatur, naturam divinam radicare intellectinem increatam proinde ex eo quòd possit uniri divinitas cum natura creata sub conceptu radicis, poterit etiam in illa volitionem, & intellectionem increatas radicare, respondetur, naturam divinam in Deo radicare quidem intellectionem, & volitionem increatas; non ita in natura creata si illi uniatur, ratio discriminis est, quia Deo natura divina convenit per essentialem identitatem, & naturæ creatæ non unitur nisi per communicationem: sicut igitur natura divina sub conceptu sanctitatis in Deo radicat actus increatos intelligendi, & volendi, ita in Christi humanitate non potest radicare nisi actus creatos intelligendi, & volendi, quibus tantùm Christi humanitas est capax.

Objicies tertiò potest intellectus creatus vivere per intellectionem increatam sine ulla imperfectione illata divinæ intellectionis, ergo non repugnat intellectum creatum intelligere per intellectionem increatam, antecedens, in qua videtur esse difficultas ex eo evincitur, quia per hoc solùm, quòd intellectio divina sit ab intellectu creato eique à se competat unitivè, quamvis ab illo non egrediatur, nec cum illo identificetur vivit intellectus creatus divinam intellectionem. Atqui ex eo, quod intellectio divina ab intellectu creato egrediatur unitivè, seu secundùm unionem, & non secundùm suam entitatem, non sequitur imperfectio in ipsa divina intellectione, nec quòd principiatum excedat suum principium, quia non ipsa intellectio divina egreditur ab intellectu creato, sed ipsa unio intellectionis increatæ cum intellectu creato: quo pacto explicatur, quomodo possit intellectus creatus vivere per intellectionem increatam absque ulla imperfectione intellectionis increatæ, etenim tota imperfectio esset dependentia intellectionis increatæ ab intellectu creato, & hæc imperfectio tantùm sequeretur, si intellectio increata ab intellectu creato egrederetur, sed quia non egreditur, nullam contrahit imperfectionem: neque ex eo, quòd unio intellectionis increatæ dependeat ab intellectu creato, quia talis modus est distinctus ab ipsa intellectione increata. Quòd intellectus creatus possit intelligere, & vivere per unionem intellectionis increatæ ex eo ostenditur, qui ut sic vivat, sufficit si sit intelligens per talem unionem intellectionis increatæ in se, atqui intellectus creatus per intellectionem increatam sibi unitam fit intelligens, quia tunc intellectio increata unitivè egreditur ab intellectu creato licèt entitativè ab illo non egrediatur, etenim ut intellectus creatus fiat intelligens per intellectionem increatam à se, sufficit, si concretum resultans ex intellectu creato, & divina intellectione producatur ab intellectu creato, atqui hoc concretum ut fit effectivè ab intellectu creato, sufficit, si unio intellectionis divinæ vel ipsius intellectus, ex quibus resultat concretum ab intellectu efficiatur, quamvis nulla pars concreti ab intellectu dicatur efficienter causata, idque lique à pati, quia homo dicitur gigni, & efficienter causari ab alio homine per hoc solùm, quòd efficiat unionem animæ rationalis cum materia, quamvis homo non creet animam, nec producat materiam, neque attingat formam per suam effectivam causalitatem, ita à pari ut intellectus creatus fiat intelligens, à se per intellectionem increatam, sufficit, si producat ipsam unionem intellectionis increatæ cum intellectu creato. Sed contra negatur antecedens ad cujus probationem negatur major, & ad illius probationem distinguitur major, sufficit, si fit intelligens per illam *à se*, si illud à se cadat supra ipsam formam intellectionis, conceditur major, si tantùm suprà concretum, quod ex illa, & intellectu resultat, negatur major, & sub eadem distinctione minoris negatur consequentia, quia tametsi causare unionem formæ cum materia sufficiat ad causandum concretum, seu totum compositum resultans ex materia, & forma; non tamen sufficit ad causandam formam proinde ex eo, quòd intellectus creatus unionem divinæ intellectionis cum ipsa causaret, adhuc non posset dici habere à se divinam intellectionem, quamvis posset dici habere à se concretum ex intellectione divina, & intellectu creato resultans: sed ut vivat per intellectionem increatam, debet illam à se habere, quia vivens debet à se habere formam, quæ dat vitam: hinc sola efficientia unionis non sufficit, ut intellectus creatus dicatur intelligere per intellectionem increatam. Præterea posset negari intellectum creatum producere hanc unionem sui cum intellectione increata, & per quam productionem dicitur fieri intelligens: siquidem repugnat concretum effici ab agente physicè producendo unionem extremorum, ex quibus concretum resultat, nisi constituatur per formam, vel perfectionem, quæ concretum constituit, atqui intellectus creatus non potest adæquare divinam intellectionem, ex qua veluti ex forma resultare deberet concretum, quod est ipsum intelligens per illam, nec potest de potentia absoluta in actu primo constitui per formam adæquantem divinam intellectionem, proinde non potest etiam de potentia absoluta efficienter causare concretum resultans ex ipso, & divina intellectione causando unionem sui cum intellectione increata.

CAPUT

CAPUT III.

An anima Christi, dum erat in carne passibili ante mortem, habuerit scientiam beatam?

OStendimus in præcedentibus Christi intellectum humanum habuisse omnem scientiam naturalem, nunc superest inquirendum, an præter scientias naturales habuerit etiam scientiam beatam, adeo ut Christus Dominus fuerit simul viator, & comprehensor.

Dicendum est animam Christi etiam in carne passibili habuisse scientiam beatam, & fuisse simul viatorem, & comprehensorem, idque solet evinci ex illo Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam, unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit*, ubi Christus præfertur Moysi ac reliquis Prophetis in eo, quòd Christus vidit apud Patrem visione beata, ea quæ nobis enarravit, & quæ cæteri Prophetæ tantùm audierunt. Quòd si dicas textum Joannis non esse intelligendum de Christo homine, sed de Christo ut Deo, eò quia Christus non sit in sinu Patris secundùm humanitatem, sed tantùm secundùm Deitatem. Contra est, quia verba Joannis debent intelligi de Christo ut homine, & quatenus secundùm humanitatem est in sinu Patris per visionem beatam, ut explicat D. Augustinus *Tract. 3. in Joan.* Præterea, quia Christus non ut Deus, sed ut homo nobis narravit fidei mysteria, ad hoc enim venit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati, quapropter Matth. 17. dicitur: *Ipsum audite*, proinde ut homo vidit, quæ narravit, alioquin testimonium Christi non fuisset majus testimonio cæterorum Prophetarum, quia isti tantùm narrârunt quæ audierunt, & Christus quæ vidit, testis autem de visu major est, ac præferendus testi de auditu. Rursus Joan. 3. Christus dicit Nicodemo, *quod scimus, loquimur, quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis:* sed Christus loquebatur, & testificabatur ut homo, ergo sentiebat, & judicabat ut homo: rursus Joan. 17. ait Christus: *Pater quos dedisti mihi volo ut ubi sum ego, & illic sint mecum.* id est, ubi ego sum in beatorum societate fruens visione beatifica divinæ essentiæ, quia hoc significat esse cum Christo, ut ipsemet explicuit Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso.* Demum habetur etiam illud Apostoli ad Philip. 1. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Expositores communiter ponderant Christum non dixisse, *ubi ego ero*, sed *ubi sum*, proinde quamdiu erat in carne passibili & ante mortem fuit Christus verè beatus. Quòd si dicas verba illa, *ubi ego sum*, non esse intelligenda de Christo secundùm humanitatem, sed secundùm divinitatem, quod etiam significatur per verbum illud *volo*, quod est imperantis non rogantis, Christus enim secundùm humanitatem rogabat, & secundùm divinitatem imperabat, ac præcipiebat, proinde verba illa esse intelligenda secundùm divinitatem. Contra est, quia ut expendunt communiter sancti Patres verba illa sunt petentis, & rogantis, consequenter Christi ut hominis, & secundùm humanitatem. Siquidem Christus ut Deus non poterat quidquam à Patre postulare, siquidem inferioris proprium est postulare à superiore, eumque rogare, & Christus ut Deus non erat inferior, nec poterat illi manifestare suam voluntatem, quia utriusque est una, ac eadem voluntas.

Probatur ratione, quia visio beata non est minus proprietas unionis hypostaticæ, quàm gratia accidentalis, imò fuit magis necessaria, quàm gratia accidentalis, quia humanitas etiam sublata gratia erat sancta, non verò erat videns Deum, ergo ex vi visionis beatæ debuit anima Christi habere scientiam beatam, etiam in carne passibili, antequam Christus mortem subiret. Neque obstat Christum caruisse gloria corporis, ac verè fuisse viatorem, nam quamvis connaturaliter ex beatitudine animæ redundet gloria in corpus, hanc tamen miraculosè Deus impedivit, ut Christus posset mortem subire, ad redimere mediante sua passione humanum genus, unde fuit Christus simul comprehensor, & viator, quia opera ejus ex Dei dispensatione meritoria erant, & gloria corporis nondum erat ei concessa, quo pacto intelliguntur scripturæ asserentes, Christum resurgentem intrâsse in gloriam suam, rursus gloria corporis signum est gloriæ animæ ut docet D. Augustinus *epist. 56.* unde Christus ut à corpore discipulorum removeret scandalum crucis sua transfiguratione eis per gloriam corporis manifestavit gloriam animæ, ut asserunt sancti Patres præsertim Leo Papa *serm. de transfigurat.* ergo anima Christi tempore transfigurationis erat beata seu visione, & scientia beata instructa, alioquin Christus suos decepisset discipulos. Tum quia cùm Christus fuerit causa efficiens beatificationis aliorum, debuit etiam ipse esse beatus; causa enim debet in se præhabere actu perfectionem illam, quam aliis communicat. Quod si dicas, inde sequi, Christum debuisse esse beatum tantum pro eo tempore, quo alios beatificat, hoc est, post ejus mortem & ascensionem in cœlum non verò ante; siquidem non est necesse ut agens sit in exercitio agendi antequam agat: sed sufficit si sit in exercitio suæ virtutis, seu in actu, tunc cum agit, sitque prius natura quàm agat, ut liquet in natura producente metaphysicè suas proprietates; & in forma physica ignis producente physicè calorem ut physicam proprietatem: in sole producente splendorem, ac lucem. Sed contra quia tametsi adducta ratio non sit metaphysica, est tamen congruentissima; quia consonum est rationi, ut eo ipso quòd Christus fuit destinatus à Deo in caput, & redemptorem humani generis, congruum erat ut haberet quidquid requirebatur ad executionem sui officii, proinde congruum erat, ut ejus anima in carne passibili cum in hac vita mortali viveret, beata esset. Instabis eatenus congruum est ut Christus cum viveret in carne passibili esset beatus, quia decens est, ut instrumentum excellentiæ, & influens per modum capitis habeat formaliter omnem perfectionem, quæ ab ipso derivatur in alios: sed Christus ut homo causat in nobis beatitudinem supernaturalem consistentem in visione clara Dei per modum capitis, & instrumenti excellentiæ: ergo ipsam habuit in se ipso formaliter: sed Christus ut instrumentum excellentiæ & per modum capitis causat etiam in nobis habitus supernaturales fidei, & spei; ergo inde sequeretur quòd etiam haberet formaliter habitus fidei, & spei; est utrinque par ratio: sed contra negatur consequentia: quia tametsi Christus causet in nobis ut instrumentum excellentiæ per modum capitis habitus fidei, & spei; non tamen hos habuit ipse formaliter ob imperfectionem, quam includunt, repugnantem Christo; qui cum fuerit formaliter beatus, non erat compatibilis cum beatitudine

titudine habitus fidei, nec ſpei: fides enim eſt cognitio obſcura de objecto non apparente, & per viſionem beatam, qua Chriſtus erat formaliter beatus vidit clarè & non obſcurè divinam eſſentiam: Spes etiam eſt de bono quod non poſſidetur; & objectum beatificans à Chriſto poſſidebatur: unde ex eo quòd Chriſtus ut inſtrumentum excellentiæ, & per modum capitis producit in nobis habitus fidei, & ſpei non ſequitur debere in ſe formaliter habere fidem & ſpem.

Probatur ſecundò, quia ut docet D. Thomas *3. part. quæſt. 34. art. 4.* Quantò aliquid receptivum proximius eſt cauſæ influenti, tanto magis, & cum majori perfectione participat influxum cauſæ: atqui influxus gratiæ eſt à Deo Pſal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, & illi humanitas Chriſti proximiùs, ac magis accedit per unionem hypoſtaticam, qua major eſſe nequit, quia terminatur ad ipſam Deitatem, & gratiam ſubſtantialem: ergo participat perfectiſſimè influxum gratiæ: ſed gratia perfectiſſima eſt gratia conſummata per gloriam ſeu eſt ipſa beatitudo formalis: ergo hanc participavit Chriſtus cum viveret in carne paſſibili. Solet etiam alio medio evinci idem aſſertum: quia natura aſſumpta ad eſſe ſupremum debet perfectiſſimè juxta paſſibilitatem operari: natura autem humana Chriſti per unionem hypoſtaticam aſſumpta eſt ad eſſe ſupremum, ſeu ad eſſe perſonam divinam: ergo ſaltem decuit, ut elevaretur ad ſummum operari naturæ Chriſti paſſibile: atqui beatitudo eſt hujuſmodi ſuprema operatio paſſibilis naturæ humanæ Chriſti: ergo eſt illi concedenda. Quòd ſi dicas, operari non ſequi ad rationem ſubſiſtentiæ, ſed ad rationem naturæ, quæ eſt radix operationum, proinde ex eo quòd Chriſti humanitas ſubſiſtat per ſubſiſtentiam Verbi, non inde ſequi deberi Chriſto adhuc in carne paſſibili perfectiſſimam operationem, ſeu viſionem intuitivam divinæ eſſentiæ. Reſpondetur, quòd tametſi operari non ſequatur ad ſubſiſtentiam conſecutione phyſica, ut ad rationem formalem, ac formale operandi principium: conſequitur tamen conſequutione morali, ac ratione moralis condecentiæ. Quamvis naturæ aſſumptæ ad ſubſiſtendum per ſubſiſtentiam divinam ſit debita ſuprema operatio paſſibilis ratione phyſicæ connexionis, eſt tamen debita moraliter, & ratione moralis connexionis, quatenus conveniens eſt ut naturæ ita aſſumptæ concedatur eo perfectior operatio quæ eſt illi paſſibilis, ſeu ipſa viſio intuitiva divinæ eſſentiæ, quæ eſt formalis beatitudo.

In oppoſitum tamen poſſunt objici plures ſcripturæ Luc. 24. *Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam.* Si priùs pati debuit & poſtea ingredi in gloriam ſuam: non fuit beatus antequam pateretur, ſed poſt ſuam paſſionem, ergo Chriſtus quandiu vixit in carne paſſibili non fuit in gloria, proinde non fuit beatus. Ad Hebræ. 2. *Videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum:* ergo ante paſſionem Chriſtus ut homo, ſeu ejus anima rationalis non habuit gloriam, ſeu viſionem beatam, conſequenter non fuit beatus. Pſal. 55. Chriſtus ait: *Caro mea requieſcet in ſpe*, & infra: *Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo*, & cum ſermo ſit de morte, & reſurrectione Chriſti; ſenſus eſt, animam Chriſti poſt mortem quieviſſe in ſpe lætitiæ reſurrectionis, & viſionis vultus divini, ergo quia antea carebat tali viſione, ac beatitudine. Joan. 7. *Spiritus nondum erat datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus*, hoc eſt antequam emitteret ſpiritum non erat beatus Luc. 2. *Jeſus autem proficiebat ſapientia, & gratia.* Sin autem Chriſtus cum viveret in carne paſſibili fuiſſet beatus non potuiſſet proficere, quia beatus non eſt amplius capax talis profectus. Verùm hæc ſcripturarum teſtimonia non adverſantur noſtræ aſſertioni. Ad primum petitum ex Luc. 24. reſpondent communiter verba illa eſſe intelligenda de gloria accidentali corporis, quam Chriſtus habuit poſt paſſionem, & mortem, verbum enim *intrare* non ſignificat Chriſtum tunc primùm accepiſſe totam gloriam tum eſſentialem, tum accidentalem; ſed tantùm ſignificat initium novæ felicitatis, ſive hæc eſſentialis ſit, ſive accidentalis. Ad ſecundum deſumptum ex Apoſtolo ad *Hebræ.* 2. ut etiam ad aliud petitum ex *Pſal.* 15. reſpondetur, loca illa eſſe itidem intelligenda de gloria accidentali corporis, de qua fuerunt lætitia illa & ſpes, non verò de gloria eſſentiali animæ, quia hanc ab initio ſuæ conceptionis habuit, & hoc etiam videntur ſignificare verba illa Pſal. 55. *Caro mea requieſcet in ſpe.* Ac aliud ex *Joan.* 7. reſpondetur ſanctos Patres, per glorificationem intellexiſſe reſurrectionem, ut explicant D. Auguſtinus *Tract. 32. in Joan.* vel aſcenſionem ut D. Leo Papa *ſerm. 2. de Pent.* vel glorificationem accidentalem corporis ut D. Athanaſius *lib. de incarnat, contra Arianos.* Ad ultimum petitum ex *Luc.* 2. reſpondetur, Chriſtum creviſſe in gratia, non quòd habitus infuſus gratiæ augeretur in Chriſto, ſed quia creſcebant effectus, & opera, quæ Chriſtus ex ſuſcepta gratia operabatur, ut explicat D. Thomas *in 3. quæſt. 7. art. 13. ad 3.* Hi enim dicuntur proficere in dono, qui bene utuntur dono accepto, quamvis donum ipſum non creſcat in ſe, quo pacto Magiſter dicitur proficere, quando Diſcipulus proficit in doctrina Magiſtri, quando enim effectus creſcit, dicitur etiam cauſa in eodem creſcere, in quo ſenſu Apoſtolus ad Coloſ. 1. ait: *Verbum creſcere*, ſcilicet converſionem Gentium, quæ erat effectus prædicationis Verbi divini.

Dicendum ſecundò Chriſtum ab initio ſuæ conceptionis fuiſſe beatum, adeo ut à primo ſuæ conceptionis inſtanti fuerit viſione beatifica, ſeu ſcientia beata perfuſus, ita communiter cum D. Thoma *in 3. diſt. 14. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 3.* & *quæſt. 20. de veritate art. 2.* idque probatur ex Joan. 1. *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis plenum gratiæ & veritatis*, ubi illud verbum *plenum* in neutro conjungitur cum verbo, & non in caſu maſculino cum Joanne Baptiſta, vulgata enim editio, cui adhærendum eſt, ita legit, & Patres etiam exponunt, ex hoc igitur teſtimonio ſic conſtruitur argumentum *Verbum caro factum eſt plenum gratiæ & veritatis*, atqui ſi à primo inſtanti ſuæ conceptionis non potiretur viſione beatifica, non fuiſſet ex tunc ut homo Chriſtus plenus gratia, & veritate, ſiquidem cui deeſt ſupremæ gratiæ perfectio, & ſuprema veritatis cognitio non eſt plenus gratia, & veritate, quia adhuc poſſet impleri, & addi tantùm enim quis deficit à plenitudine, quantum deficit à perfectione: atqui ſuprema perfectio gratiæ eſt ipſa gloria, quæ propterea à ſanctis Patribus dicitur gratia conſummata, & ſuprema cognitio veritatis conſiſtit in viſione beatifica, ergo ſi Chriſtus ut homo à primo inſtanti ſuæ conceptionis non fuiſſet beatus & viſione beata perfuſus. Verbum caro factum non fuiſſet plenum gratiæ, & veritatis contra aſſertum Joannis 1. Præterea, quia Chriſtus ut homo Deum ante mortem vidit juxta illud Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam unigenitus, qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit:* ubi teſtimonium Chriſti eatenus aliorum teſtimoniis præ-

præfertur, quia cæteri non ex visu, sed exauditu testimonium perhibuerunt, Christus verò de visu: & quidem testificatus fuit ante mortem, non solum ut Deus, sed etiam ut homo, adeo ut quà homo viderit divinam essentiam: atqui si in carne passibili ante mortem vidit Christus ut homo divinam essentiā, nulla est ratio, cur ipsam non viderit à primo suæ conceptionis instanti, ergo de facto Christus fuit beatus à primo instanti suæ conceptionis. Tum quia Joan. 3. habetur: *Quod scimus loquimur, & quod vidimus, testamur*, & rursus: *Qui de cælo venit, super omnes est, & quod vidit, & audivit, hoc testatur*, ubi Christus dicitur testis esse super omnes alios, & causa adfertur, quia quod vidit, & audivit, hoc testatur, ideo præfertur cæteris testibus, quia non ex auditu tantum ut alii, sed etiam ex visu testimonium perhibuit veritatis, ac divinitatis, testimonium enim ex visu est firmius testimonio ex auditu, quinimò eatenus credimus testibus ex auditu, quia audierunt à à fide dignis, qui id se vidisse testantur: Christus autem venit, ut testimonium perhiberet veritatis & præcipuè divinitatis, quam propterea in carne passibili ante passionem vidit, Joan. 3. *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur*, seu testatur Christus ut homo de divinitate, quam vidit, dicitur enim de cœlo venisse super omnes alios testes propterea, *quod vidit, & audivit, hoc testatur*, illa autem duo verba *vidit* & *audivit* non significant diversas operationes, sed eadem visio dicitur etiam auditio, ut ostendatur non habuisse illam ex vi humanitatis à se, sed ex divina infusione, ut notat Suarez. 3. *part. disput. sect.* 1. unde testimonium ex visu majus est ac firmius testimonio ex auditu: atqui Christus cum viveret in carne passibili fuit divinitatem testificatus ex visu, ergo illam ante mortem vidit, ac fuit beatus, cum beatitudo formalis consistat in ipsa visione intuitiva divinæ essentiæ: quod si ante mortem fuit Christus beatus, non est ratio, cur non semper fuerit beatus etiam à primo suæ conceptionis instanti: possessio enim beatitudinis stat pro Christo, qui divinitatem, ut vidit, testatur, unde quod semper fuerit beatus, & quidem à primo suæ conceptionis instanti nisi aliquod repugnans adferatur, asserendum est. Tum quia Christo ut homini competebat scientia beata ex eo, quia erat caput hominum & Angelorum, unde decuit ipsum habuisse omnes perfectiones membrorum, quorum erat caput, atqui Angelorum perfectio, & etiam hominum in Ecclesia triumphante est visio beata, quæ propterea non est Christo deneganda, quia fuit plenus gratiæ & veritatis ab instanti suæ conceptionis, seu cum primum verbum caro factum est, hæc autem plenitudo sine visione beatifica non posset subsistere: ergo decuit Christum fuisse beatum à primo suæ conceptionis instanti. Tum quia cum ejus humanitas fuerit à Verbo assumpta, seu ad supremum esse evecta, debebatur eidem suprema operatio qualis est visio beatifica, & quidem ab initio suæ conceptionis, quia tunc fuit caput hominum, & Angelorum, & ex tunc fuit gratia plenus, & illius humanitas assumpta ad supremum esse, seu ad personam divinam, consequenter etiam à primo instanti suæ conceptionis fuit perfectissimè beatus, tum quia naturæ assumptæ ad esse divinum seu personam divinam debet tribui, quod majoris est dignitatis, & excellentiæ, nisi repugnet muneri Redemptoris, atqui fuisse à primo instanti suæ conceptionis Christi humanitatem beatam majoris est dignitatis & excellentiæ, quam beatitudine per aliquod tempus caruisse, & per meritum illam sibi comparâsse, quia plus dignitatis ex habita beatitudine ei accrescit, quam ex beatitudinis merito cum carentia beatitudinis, & id cum munere Redemptoris non pugnat, quia ad munus obeundum Redemptoris satis fuit, Christum fuisse simul comprehensorem & viatorem, quod salvatur, si concedamus beatitudinem animæ, & illam negemus corporis.

Contra tamen hanc Christi beatitudinem in carne passibili insurgunt plures hæretici audentes asserere Christum fuisse condemnatum, eo quod desperaverit in cruce, ut asserit Prateolus verbo Anti-Christiani quem errorem docuerunt Prenzius, & Calvinus à Bellarmino *lib.* 4. *de anima Christi cap.* 8. asserentes Christum ante mortem de sua dubitasse salute, ac desperasse in cruce, ac tormenta inferni fuisse passum, cum quibus non cohæret beatitudo, & Buzerus relatus à Cano *lib.* 12. *de loc. Theol. cap.* 14. negat animam Christi fuisse ab initio perfectam, sed omissis hisce erroribus difficultas est, quomodo beatitudo potuerit in Christo præsertim tempore passionis existere: siquidem beatitudo est essentialiter expulsiva summæ tristitiæ, quia est summa felicitas absque ulla molestia & miseria, & in Christo imminente jam morte, ac tempore passionis fuit summa tristitia Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem*, ergo anima Christi saltem tempore passionis non fuit beata, quia cum summa felicitate, summoque gaudio non potest summa tristitia cohærere: non enim summa tristitia cum intensa delectatione simul potest existere, quia opponuntur contrariè, & contraria in gradibus intensis non possunt simul existere, ergo cum Christus tempore passionis morte jamjam imminente summam passus fit de sua morte tristitiam, caruit saltem pro illo tempore delectatione beatifica, proinde etiam ipsa beatitudine, ad quam necessariò consequitur delectatio: quod si semel in carne passibile caruit beatitudine sequitur non fuisse à primo instanti suæ conceptionis beatum, quia de ratione beatitudinis est, ut sit inamissibilis, quod si tempore passionis amisit beatitudinem, non fuit ante illam beatus. Huic difficultati, quæ non parvi videtur esse momenti, varii variè respondent, plures censent tristitiam illam non fuisse in voluntate Christi, sed tantum in appetitu sensitivo, & respondent animam Christi secundùm diversas potentias potuisse simul tristari, & gaudere, asserunt enim gaudium, & tristitiam in eadem voluntate non posse simul cohærere, bene tamen si gaudium sit in voluntate, & tristitia in appetitu sensitivo, quia tunc licèt respiciant idem subjectum remotum non tamen afficiunt idem subjectum proximum, Christus enim est subjectum remotum, voluntas, & appetitus sensitivus sunt subjecta proxima, & quia hæc subjecta proxima realiter distinguuntur rectè possunt simul cohærere, tristitia enim, quam Christus tempore mortis est passus, non fuit subjectivè in voluntate, sed tantum in appetitu sensitivo.

Verùm hæc solutio non placet, neque satisfacit, quia post verba illa Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem*, subjecit Christus *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, quæ verba intelligenda sunt de actu voluntatis ut distinctæ ab appetitu sensitivo siquidem verbum *volo*, si propriè sumatur, importat actum voluntatis propriæ, & appetitus sensitivus propriè non est voluntas. Rursus quia ita communiter sancti Patres explicant verba scripturæ ut Christi tristitia tempore passionis fuerit in voluntate non verò in appetitu sensitivo tum

quia sexta Synodus generalis sub Agatone Papa IV. intulit duas voluntates in Christo divinam scilicet, & humanam, quæ illatio de voluntate, ut distincta ab appetitu sensitivo intelligitur: etenim ex actu appetitus sensitivi, qui propriè non est voluntas non potest inferri propria voluntas: fuit ergo tristitia illa in Christi voluntate, ut distincta ab appetitus actu, quo mortem ut parti inferiori contrariam fugiebat, ergo tristitia illa propriè fuit in voluntate. Tum quia tristitia est de his, quæ nobis nolentibus contingunt, proinde si Christus per actum voluntatis noluit mortem per actum à voluntate elicitum, dicendum est, fuisse de sua morte tristatum.

Quòd si dicas Div. Thomam *3. part. quæst. 18. art. 6. ad 3.* docere, agoniam Christi non fuisse in voluntate, sed in parte sensitiva, ait enim: fuit in Christo agonia quantùm ad partem sensitivam secundum quod importat timorem infortunii imminentis, ut dicit Damascenus *lib. 3.* atqui eadem est ratio de tristitia, ac de agonia, ergo tristitia ex Div. Thoma fuit in appetitu sensitivo, non verò in voluntate nisi participativè. Sed contra, quia ut docet Div. Thomas *3. part. quæst. 14. art. 2.* Voluntas ut distincta ab appetitu sensitivo considerator dupliciter, scilicet per modum rationis, quo pacto sequitur rationem deliberantem, & per modum naturæ secundum quam naturaliter refugit, quæ sunt naturæ contraria ut mortem, dolorem, quatenus sunt mala & disconvenientia naturæ; & amplectitur, quæ naturæ sunt consentanea, ut felicitas, conservatio vitæ, & alia id genus: quando ergo Div. Thomas negat in Christo agoniam esse in voluntate, loquitur de voluntate ut rationali, non vero de voluntate Christi naturali, quia sicut pars sensitiva mortem refugiebat, ita voluntas Christi non ut rationalis, sed per modum naturæ mortem aversabatur, quam voluntate rationali sequente rationem deliberantem amabat, ac eligebat, non quidem ut naturæ disconvenientem, sed ut conducentem ad finem redemptionis. Si dicas voluntatem per modum naturæ dici per comparationem ad actus naturales, qui necessarii sunt, & in voluntate Christi non dari hos actus, eo quia operetur liberè, proinde fugam & nolitionem mortis non fuisse in voluntate Christi per modum naturæ, sed solum in appetitu sensitivo, ex quo sequitur agoniam Christi solum fuisse in parte sensitiva. Contra est, quia voluntas per modum naturæ dicitur per comparationem ad actus necessarios necessitate exercitii, vel necessitate specificationis: quamvis in Christi voluntate circa bona vel mala creata non dentur actus necessarii necessitate exercitii, dantur tamen actus necessarii quoad specificationem sive per modum fugæ, sive per modum prosecutionis, & talis fuit actus voluntatis, quo Christus Dominus refugiebat mortem ut malam, & disconvenientem naturæ inferiori, cum enim mors non potuerit voluntati per modum naturæ placere, sed tantum per modum rationis sequentis rationem deliberantem, sequitur displicientiam mortis esse necessariam necessitate specificationis, cum quo rectè cohæret voluisse Christum libere mortem subire libertate exercitii.

Alii ad præcipuum argumentum respondent repugnare quidem duo contraria inhærere per se eidem subjecto non tamen repugnare si unum per se, & alterum per accidens inhæreat, & adferunt exemplum de existente in navi mota in orientem, qui simul cum navi movetur per accidens in orientem & motu proprio, & per se movetur in occidentem: hinc quia gaudium inest per se animæ Christi ratione beatitudinis, & tristitia per accidens ratione passionis, & mortis imminentis inferunt rectè potuisse in Christo cohærere beatitudinem & tristitiam. Sed contra, quia cum tristitia sit actus elicitus ab anima mediante voluntate sine sufficienti fundamento dicitur, gaudium inesse Christo per se, & tristitiam per accidens, quia non videtur major ratio de uno ac de alio. Neque exemplum de existente in navi videtur esse ad rem, quia existens in navi respectu motus navis in orientem, tantum se habet merè passivè, consequenter potest cum illo cohærere motus proprius in occidentem per accidens, quia respectu motus proprii in occidentem se habet activè, & respectu motus navis in orientem se habet passivè: sed anima Christi se habet activè respectu utriusque actus gaudii, & tristitiæ, consequenter uterque illi convenit per se: ad summum responsio valeret, si tristitia, quam Christus fuit expertus, fuisset tantum in parte sensitiva, quia tunc per accidens redundâsset in voluntatem, eo pacto, quo actus unius potentiæ redundat in aliam, ob communem radicationem in eadem anima, sed ex sexta Synodo sub Agathone Papa IV. habetur, quod illa tristitia fuerit proprius actus voluntatis humanæ Christi. siquidem Synodus ex eadem tristitia intulit in Christo duas voluntates divinam unam, alteram humanam, ac duas operationes eisdem respondentes.

Alii satisfacturi difficultati respondent animam Christi tempore passionis caruisse gaudio, & delectatione, quæ ex sua natura exigebant veluti proprietates prodire ex visione beatifica in animam; hinc quamvis anima Christi fuerit beata, ac videret intuitivè divinam essentiam, nullam tamen delectationem, vel gaudium ex tali visione præcipiebat: etenim ut copiosior esset redemptio nostra, coërcuit, ac impedivit gaudium, ne ex visione beata redundaret, ut locum daret tristitiæ, ac mœrori; perinde ac de facto impedivit redundantiam gloriæ in corpus ut foret passionibus obnoxium, hinc Christus post resurrectionem loquens per Prophetam ait: *Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me letitia cum vultu tuo.* Nimirum ut indicaret per resurrectionem fuisse Christo restitutam lætitiam, quæ per passionem interrupta fuerat, & hanc responsionem corroborant authoritate Div. Ambrosii lib. 10. in Luc. Cap. 22. *Per me doluit, qui pro se nihil habuit, quod doleret, ex sequestrata delectatione divinitatis æterna tædio meæ infirmitatis afficitur.* Sed neque huic solutioni adhærendum est, quia ex scripturis habemus Christum tempore passionis fuisse lætatum de sua morte propter redemptionem humani generis, unde Cant. 3. habetur: *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitia cordis ejus:* hæc enim verba communiter Patres explicant de Christo à Synagoga coronato, ac crucis thalamo affixo, ubi matrimonium cum ecclesia spiritualiter consummavit, ac nos regeneravit pretiosa sui sanguinis effusione: ergo si juxta sanctos Patres Christus in cruce non caruit gaudio ob redemptionem humani generis, multo minus caruit gaudio de visione beata: non enim est major ratio, cur tristitia debeat potius uni gaudio adversari non alteri.

Alii

Alii reſpondent gaudium, & triſtitiam non poſſe ſimul cohærere de lege ordinaria, bene tamen de potentia abſoluta, & in Chriſto tempore paſſionis gaudium, & triſtitia ſimul cohærentur de potentia abſoluta non de lege ordinaria, ſiquidem conjunctio ſummi gaudii, cum ſumma triſtitia tempore mortis Chriſti fuit miraculoſa perinde ac fuit miraculum eundem fuiſſe ſimul viatorem, & comprehenſorem, & quod à gloria animæ nihil derivaretur ad corpus, & quod ex gaudio ſuperioris potentiæ nihil ſolatii in potentias inferiores redundaret. Verum tametſi cohærentia triſtitiæ cum ſummo gaudio tempore paſſionis fuerit in Chriſto miraculoſa, adhuc tamen ſi ſermo ſit de gaudio, & triſtitia circa idem objectum, & ſub eadem ratione, adhuc nec de potentia abſoluta poſſunt cohærere; quia triſtitia, & gaudium non minùs inter ſe opponuntur, quàm amor, & odium, deſiderium, & fuga, diſſenſus, & aſſenſus, hæc enim licèt ut extrema poſitiva opponantur contraria formaliter, & non formaliter contradictoriè: repugnant nihilominus ſimul in eodem ſubjecto circa idem objectum, & ſub eadem ratione formali etiam de potentia abſoluta, quia non comparantur inter ſe ſicut proſecutio & fuga de eodem ſecundum idem, ac proinde contradictoriè ſi non ſubjectivè, ſaltem objectivè quatenus aſſenſus, & amor tendunt in eſſe, odium verò & diſſenſus in non eſſe ſui objecti, ex quo oritur virtualis contradictio objectiva.

Alii cum Palludano *in* 3. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 2. *art.* 3. reſpondent triſtitiam, & gaudium in eodem ſubjecto opponi quidem ex natura rei, in Chriſto tamen fuiſſe miraculosè; perinde ac de potentia Dei abſoluta & miraculosè contigit, ut gloriæ animæ non redundaret in corpus, ita miraculosè factum fuit, ut gaudium animæ in parte ſuperiori redundaret ad inferiorem, ut daretur locus triſtitiæ. Verùm neque hæc ſolutio ſatisfacit, quia tametſi gaudium, & triſtitia opponantur contrariè; ita tamen ſe habent, ut unum includat privationem alterius ex parte objecti, quapropter nec de potentia Dei abſoluta poſſunt ſimul cohærere; eadem ratione docent communiter non poſſe ſimul eſſe aſſenſum verum, & falſum ejusdem propoſitionis; quia falſum dicit privationem veri ex parte objecti: gaudium autem, & triſtitiam opponi privativè ex parte objecti ex eo liquet, quia gaudium eſt circa bonum, & triſtitia circa malum, ſeu privationem boni. Tum quia gaudium, & triſtitia perinde ſe habent ac motus proſecutionis & fugæ reſpectu ejusdem objecti, & repugnat accedere, & recedere ab eodem objecto ſecundùm eamdem rationem.

Reſpondetur igitur ad objectionem majorem argumenti verum eſſe ſi triſtitia, & delectatio ſint de eodem objecto, & ſub eadem ratione formali; hoc pacto nec de potentia Dei abſoluta poſſunt ſimul in eodem ſubjecto exiſtere ob virtualem contradictionem, quam involvunt; quamvis triſtitia, & delectatio ſint duo extrema poſitiva, & opponantur contrariè formaliter, & non formaliter contradictoriè repugnant nihilominus ſimul in eodem ſubjecto circa idem objectum ſub eadem ratione formali, etiam de potentia abſoluta, quia comparantur inter ſe ſicut proſecutio, & fuga, & contradictoriè objectivè, ſicut aſſenſus qui tendit in eſſe, & diſſenſus in non eſſe, ex quo oritur virtualis contradictio. Secus ſi gaudium & triſtitia ſint de diverſis objectis, vel etiam de eodem ſecundùm diverſam rationem, quamvis inter ſe opponantur, & non poſſint ſimul in gradibus intenſis cohærere de potentia, & lege ordinaria; de potentia tamen abſolutâ, & miraculosè poſſunt ſimul exiſtere in eodem ſubjecto. Sed triſtitia, & delectatio quam Chriſtus de ſua morte concepit non verſantur circa mortem ſub eadem, ſed ſub diverſa ratione objectiva: delectabatur ſiquidem Chriſtus de morte, quatenus erat medium utile ad redemptionem humani generis; & triſtabatur de eadem quatenus erat diſconveniens naturæ, quæ ſunt rationes objectivè diverſæ ſub quibus potuit Chriſtus ſimul gaudere, ac triſtari de imminente morte ſibi objecta.

Dices ex hac ſolutione ſequi, nullam triſtitiam etiam in gradu intenſo eſſe incompoſſibilem cum ſummo gaudio, contra communem Theologorum ſententiam docentem in Chriſto tempore paſſionis cum ſummo gaudio, ſeu beatitudine cohæſiſſe ſummam triſtitiam. Probatur ſequela quia juxta datam ſolutionem triſtitia, & gaudium in ſummo de eodem objecto ſub diverſa ratione formali compatiuntur ſimul de potentia abſoluta: ſed nulla triſtitia convenit cum gaudio in ratione formali objectiva, ſed tantùm in objecto materiali: triſtitia ſiquidem eſt fuga, quæ reſpicit malum ſub ratione formali mali quod averſatur; delectatio verò eſt proſecutio, quæ reſpicit pro ratione formali bonum; ergo nulla triſtitia eſt incompoſſibilis cum ſummo gaudio de potentia abſoluta contra datam reſponſionem. Sed contra negatur ſequela, & ad ejus probationem diſtinguitur major; gaudium & triſtitia in ſummo compatiuntur ſub diverſa ratione *ſub qua* tantùm & præcisè negatur; ſub diverſa ratione *ſub qua*, & *qua* ſimul conceditur; & ſub eadem diſtinctione minoris negatur conſequentia: quia tametſi triſtitia, & delectatio diſconveniant in ratione formali *ſub qua*, non tamen ſemper diſconveniunt in ratione formali *qua*, ſed aliquando diſconveniunt, & quandoque non: in caſu noſtro hæc diſconvenientia intercedit quia eadem mors Chriſti fuit diſconveniens naturæ inferiori; & conveniens ratione finis, quatenus fuit medium utile ad aſſecutionem finis incarnationis qui fuit redemptio humani generis per Chriſti paſſionem; mors igitur Chriſti ſub conſideratione medii utilis, ac convenientiæ fini excitavit in Chriſto delectationem, & gaudium; quatenus vero diſconveniebat naturæ inferiori excitavit triſtitiam, quæ ſub diverſa ratione *ſub qua* movebat Chriſti voluntatem: unde quia mors Chriſti non ſolum ſub diverſa ratione *ſub qua* præcisè, ſed etiam ſub diverſa ratione *qua* quatenus una ac eadem mors conveniebat fini redemptionis, & diſconveniebat naturæ inferiori Chriſti, potuit ſimul excitare ad gaudium, & triſtitiam, qui affectus propterea de potentia Dei abſoluta potuerunt tempore paſſionis ſimul cohærere in Chriſto: quamvis ratio *qua* ſeu ipſa mors excitans utrumque affectum gaudii, & triſtitiæ ſit materialiter eadem; eſt tamen formaliter diverſa, quatenus eadem convenit & diſconvenit, licet ſub diverſa ratione, ſeu per reſpectum ſolùm ad naturam inferiorem excitaret triſtitiam: & per reſpectum ſolum ad finem redemptionis gaudium, & delectationem.

Si dicas, inde ſequi non fuiſſe miraculoſam hanc cohærentiam ſummæ triſtitiæ, & delectationis in Chriſto: ſiquidem duos affectus contrarios ſimul coexiſtere circa idem objectum materiale ſub diverſa ratione, *qua* terminante poteſt naturaliter contingere abſque ullo miraculo, amor enim, & odium tametſi in eodem objecto non poſſint ſimul exiſtere reſpectu ejusdem objecti ſub eadem ratione formali, poſſunt tamen ſine miraculo ſub diverſa ratione ſimul co-

cohærere, Deus enim hominem ut peccantem odio habet, ut includentem bonitatem naturalem diligit, ergo ſi triſtitia, & delectatio verſabantur circa mortem materialiter unam, ac eandem: & formaliter diverſam ſeu ſub diverſa ratione, *qua* terminante, ſequitur cohærentiam ſummæ triſtitiæ cum ſummo gaudio non fuiſſe in Chriſto miraculoſam. Sed contra negatur ſequela, & ad illius probationem reſpondetur, quòd tametſi major vera ſit in aliis affectibus animi, non tamen in triſtitia, & gaudio, quia tametſi hi affectus verſentur circa diverſa objecta, vel etiam circa idem ſub diverſa ratione formali, ac propterea non opponantur contrariè objectivè, opponuntur nihilominus ſubjectivè, ac propterea ab eodem ſubjecto ſe excludunt, præſertim in gradibus intenſis, hinc Ariſtoteles *lib. 7. Ethic. cap.* 14. ait: *Voluptas autem contraria, & quævis etiam, modo ſit vehemens pellit dolorem.* Ubi Philoſophus ut voluptas, ſeu delectatio à ſubjecto expellat affectum contrarium, ſeu triſtitiam; exigit vehementiam in delectatione, non verò dolorem contrarium, quatenus verſatur circa diverſum objectum, unde licèt voluptas, & dolor, gaudium, & triſtitia de diverſis objectis non opponantur propriè contrariè, nec ſecundùm ſuas rationes ſpecificas, non tamen compatiuntur in gradibus intenſis, ſed ſe mutuò excludunt ab eodem ſubjecto non ratione objectivæ contrarietatis, ſed ſubjectivæ oppoſitionis: idque experimur in nobis, qui ſi triſtemur de aliquo objecto non poſſumus gaudere ſimul de alio objecto, quamvis diſtincto: quòd ſi velimus triſtitiam pellere, nitimur animum avertere ab objecto excitante triſtitiam, & alia quærimus objecta delectantia, ac delectationem excitantia, ex quo deprehendimus inter triſtitiam, & delectationem de diverſis objectis in gradibus intenſis, quamvis non ſit contrarietas ſecundùm rationes ſpecificas ex parte objectorum, dari tamen oppoſitionem ſubjectivam, ob quam ſe mutuò excludunt ab eodem ſubjecto, quapropter triſtitia & gaudium quamvis ſub diverſa ratione formali *qua*, & *ſub qua*, non poſſunt niſi miraculoſè & de potentia Dei abſoluta ſimul cohærere in uno ac eodem ſubjecto.

Poſſet etiam principali objectioni aliter reſponderi ſcilicet gaudium, & triſtitiam, quæ tempore paſſionis fuerunt in Chriſto, potuiſſe ſimul cohærere, eò quia hujuſmodi affectus propriè non fuerint contrarii: etenim beatitudo non ſolùm tendit in objectum primarium, ſed etiam in ſecundarium, quia cùm voluntas beati ſit omnino conformis divinæ, ſibi complacet in illis omnibus, quæ ſunt juxta diſpoſitionem divinæ voluntatis: rurſus triſtitia propria poteſt eſſe objectum gaudii proprii, poteſt enim quis gaudere de ſua triſtitia, quatenus eſt eidem occaſio obtinendi bonum aliquod. Reſipiſcens enim poteſt gaudere de dolore, & triſtitia, quam in ſe excitavit de patratis peccatis: etſi fuerit de objecto à Deo ordinato, aut permiſſo, poterit beatus de ipſa triſtitia delectari ex vi amoris beatifici ut de objecto conformi divinæ voluntati: objectum enim delectationis ſicut non deſtruit, ſed potiùs perficit ipſam delectationem, ita neque deſtruit objectum primarium ipſius, nec modum, quo voluntas vitaliter afficitur. Tunc igitur triſtitia deſtruit objectum gaudii, & pugnat cum gaudio, quando triſtitia, & gaudium opponuntur, & non ſubordinantur, non ita ſi ſubordinentur, quia tunc unum perinde ſe habet, ac fundamentum alterius: & quia Chriſtus triſtabatur de objecto, quod erat ſecundùm Dei diſpoſitionem, ideo ex vi amoris beatifici, amabat illam triſtitiam, quæ propterea in Chriſto non minuebat gaudium, ſed potiùs erat objectum ipſius: quo pacto potuerunt in Chriſto ſimul cohærere ſummum gaudium, & ſumma triſtitia. Si dicas, inde ſequi non fuiſſe miraculum Chriſtum ſimul in gradu intenſo habuiſſe triſtitiam, & gaudium, quia hæc duo ex data ſolutione non opponantur. Contra eſt, negatur ſequela, quia tametſi non pugnent ſecundùm ſpecificas rationes ſumptas ex objectis, pugnant tamen ſubjectivè, quatenus ab eodem ſubjecto ſe mutuò excludunt, ut paulò ſuperiùs explicuimus.

Objicies quartò Chriſtus tempore paſſionis timuit Marc. 14. *Cœpit pavere, & tædere*, ergo ſaltem tunc anima Chriſti non erat beata: ſiquidem ut habetur Proverb. 1. *Qui me audierit, abſque timore requieſcet, & abundantia perfruetur timore malorum ſublato*, quod de beatis intelligitur. Neque urget, ſi dicas cum Cajetano timorem illum non fuiſſe in voluntate Chriſti, cum enim in ejus intellectu nulla fuerit de futuro eventu incertitudo non potuit eſſe in ejus voluntate ſpes evadendi, conſequenter neque timor, qui cum tali ſpe debet conjungi: ſed timorem illum fuiſſe in appetitu ſenſitivo Chriſti, eo quia in ejus imaginativa potuit eſſe aliqua incertitudo mali imminentis, non quidem poſitivè quaſi imaginativa apprehenderit mortis futuritionem, ut incertam, & contingentem, ſed tantùm negativè per apprehenſionem mortis imminentis præſcindendo à certitudine, vel incertitudine eventus: eo enim ipſo, quod non proponebatur, ut certo futura manebat non certa negative. Nam contra eſt, hæc reſponſio communiter diſplicet, quia communiter ſancti Patres docent Chriſtum habuiſſe verum timorem in voluntate, & inferunt contra Monothelitas in Chriſto eſſe duas voluntates divinam, & humanam, quia cum ſecundùm voluntatem divinam timere non potuerit, ſequitur talem timorem fuiſſe ſecundùm voluntatem humanam, ac proinde duas fuiſſe in Chriſto voluntates divinam, & humanam contra Monothelitas, unde ad objectionem reſpondetur negando conſequentiam ad cujus probationem dicimus allegatum teſtimonium *Proverb.* 1. Communiter intelligi de juſtis in hac vita, & de timore, quo avertuntur à rectitudine, & quaſi adiguntur ad injuſtum aliquid agendum. Quòd ſi intelligatur de beatis, debet intelligi de beatis beatitudine completa, quique ſunt totaliter extra ſtatum viæ, quia iſti propter ſecuritatem beatitudinis carent omni timore excepto filiali; & quia Chriſtus fuit ſimul comprehenſor, & Viator ideo ex qua parte erat Viator, poterat timere imminentem mortem, ſicut potuit de eadem triſtari ut diſconveniente appetui inferiori, diverſimodè tamen ab aliis viatoribus, ſiquidem in nobis ſolet metus rationem præcedere eamque perturbare, in Chriſto autem imperatur ab ipſa ratione. Si inſtes, Chriſtum fuiſſe Viatorem etiam ſecundùm animam, eò quia ejus anima quamdiu fuit corpori conjuncta meruerit nobis gloriam eſſentialem, & ſibi accidentalem corporis, adeo ut fuerit paſſibilis, ac in ſtatu viæ, ergo non potuit ſimul eſſe comprehenſor quia repugnat idem ſubjectum moveri ad finem, & quieſcere in illo, Viatoris proprium eſt moveri ad cœleſtem patriam, ac beatitudinem; & comprehenſoris quieſcere in illa; quapropter Chriſtus non fuit ſimul viator, & comprehenſor. Contra eſt negatur conſequentia, quia penes diverſas rationes non repugnat idem moveri ad finem, & quieſcere in fine, ſicut non repugnat eandem animam eſſe ſimul ſcientem ea, quæ jam novit, & addiſcen-

discentem, quæ nondum novit: Christus igitur, quia quantum ad ea, quæ erant sibi, & corpori conjuncta nondum erat in termino, erat viator, & movebatur ad terminum: quatenus vero ejus anima erat beata, erat in termino, & comprehensor. Sed dices, si Christus fuisset comprehensor, & beatus utique cognovisset in verbo decretum Patris de sua passione, consequenter non orâsset dicens: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*, proinde Christus non fuit comprehensor, & beatus, contra est quia tametsi decretum illud Christo innotuerit, adhuc oravit Patrem, non quia ignoravit decretum, sed ut exprimeret affectum suæ voluntatis, quo naturaliter mortem refugiebat: & cum hoc affectu non repugnabat subordinatio divinæ voluntati, unde subdidit: *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.*

Quod si quæras quænam Christus ut beatus in carne passibili viderit in verbo. Respondetur animam Christi per scientiam beatam non cognovisse in verbo actu omnia possibilia. Solent aliqui id probare, quia hæc cognitio distinctè attingens omnia possibilia foret comprehensiva Dei, hoc autem non potest creaturæ competere, quia solus Deus se ipsam comprehendit, ergo non cognovit actu in verbo omnia possibilia. Major ostenditur, quia tunc omnipotentia comprehenditur, quando nil ejus est extra cognoscentem, quapropter si aliquis cognosceret omne possibile tota omnipotentia esset intra cognoscentem, quia eam attingeret, etiam secundum omnes ejus extrinsecos respectus, proinde omnipotentia comprehenderetur à potentia creata attingente se distinctè omnia possibilia. Sed hæc ratio non videtur probare intentum, quia ad comprehensionem Dei non sufficit, si cognoscatur tota perfectio extensiva omnipotentiæ, sed ulterius requiritur necessariò ut cognoscatur tota ejus latitudo velut intensiva; quia hoc pacto cognoscitur omnipotentia, quantum est cognoscibilis ex suis intrinsecis principiis, ut enim objectum aliquod comprehendatur, requiritur ut cognitio tantam habeat perfectionem in ratione cognitionis, quantam habet objectum in ratione cognoscibilis, comprehensio enim est adæquatio ipsius objecti in ratione cognoscibilis ad quod requiritur, ut cognitio comprehensiva totam illam habeat perfectionem, cujus obectum ex suis principiis intrinsecis potest esse fundamentum, unde quamvis diceretur quis cognoscere effectus omnes producibiles à Deo; non tamen diceretur Deum comprehendere, quia Deum non cognosceret quantum est cognoscibilis: Deus enim est cognoscibilis cognitione simpliciter infinita, quæ non nisi soli Deo potest competere.

Alii ex eo probant Christi animam beatam non cognovisse in verbo actu omnia possibilia, quia cognitio attingens distinctè omnia possibilia esset infinita, & haberet objectum tam perfectum, ut nullum aliud posset perfectius excogitari, proinde cognitio illa esset infinita, quæ ab intellectu humano CHRISTI finito elici non potuit. Sed neque hæc probatio est efficax, quia cognitio cum objecto aliam non habet proportionem nisi geometricam, alioqnin cognitio creata terminata ad Deum infinitum foret infinita: ergo cognitio attingens objectum infinitum non est perfectissima, neque infinita nisi infinito modo attingat objectum infinitum, seu secundum totum suum modum attingibilitatis, quod non potest convenire nisi intellectui infinito: intellectus enim creatus, quia finitus, tametsi perfectus nonnisi finito modo attingit objectum infinitum, proinde ejus cognitio nunquam potest esse comprehensiva, quia nunquam potest attingere objectum secundum omnem modum suæ attingibilitatis.

Exactius suadetur animam Christi, tametsi beatam in carne passibili non cognovisse in verbo actu omnia possibilia, quia implicat Christum per scientiam beatam cognoscere omnes suas cognitiones, quia si Christus has cognosceret, essent in ejus intellectu reflectiones non virtualiter tantum sed formaliter actu, & cathegorematicè infinitæ: cognovisset enim Christus Deum directè, & reflexè se cognoscere, Deum, quo pacto cognosceret primam reflectionem per aliam secundam; & hanc per tertiam, sicque in infinitum. Rursus repugnat visionem beatam directè & reflexè videre se ipsam proinde repugnat Christum cognoscere omnes suas cognitiones. Antecedens probatur, quia nulla res potest referri transscendentaliter ad se ipsam: sed nulla est creata cognitio, quæ non referatur transcendentaliter ad suum objectum etiam terminativum, alioquin eadem cognitio invariata posset terminari ad aliud objectum ex quo evincitur non posse eandem cognitionem se ipsam cognoscere. Quod si dicas potentiam intellectivam specificari ab objecto, & ad ipsum referri, & nihilominus se ipsam cognoscere. Contra est, quia potentia intellectiva specificatur ab objecto ad quod refertur sub communi ratione entis, quapropter quandu potentia se ipsam cognoscit, non refertur ad se ipsam, nec specificatur à se ipsa, sed ab objecto formali adæquato quod differt ab objecto hujus singularis cognitionis. Præterea si Christus cognosceret omnia possibilia distinctè cognosceret etiam omnes suas cognitiones, hoc autem non videtur dicendum, quia si Christus cognosceret omnes suas cognitiones, daretur necessario aliqua cognitio extra collectionē omnium aliarum cognitionum: siquidem cognitio prout est tendentia in objectum distinguitur saltem formaliter à se ipsa ut est terminus cognitionis, unde sic posset confici argumentum. Ea cognitio est extra collectionem omnium cognitionum, quæ formaliter distinguitur ab omni cognitione; sed cognitio, quæ cognoscit omnes cognitiones distinguitur formaliter ab omni cognitione, quia est tendentia ad omnem cognitionem, ergo deberet esse extra collectionem omnium cognitionum. Sed dices visio non potest terminari ad omnipotentiam, ut est in se, nec ad scientiam repræsentativam omnium possibilium, quin simul terminetur ad omnia possibilia, sed scientia beata humanitatis Christi terminatur ad omnipotentiam & omniscientiam, ut est in se proinde terminatur ad omnia possibilia. Major probatur, quoad omnipotentiam, quia non potest quis cognoscere omnipotentiam, ut est in se, quin illam cognoscat ut est à parte rei factiva creaturarum: sed omnipotentia à parte rei est factiva creaturarum omnium in particulari non in communi, ergo non potest quis omnipotentiam cognoscere, ut est in se formaliter, quin illam cognoscat formaliter ut factivam omnium creaturarum in particulari non in communi, ergo non solum cognoscit creaturas possibiles in communi, sed etiam in particulari. Contra est, quia videns intuitivè omnipotentiam non est necesse videat distinctè omnia possibilia in particulari, sed satis est, si cognoscat omnipotentiam ut potentem producere omne possibile sub communi ratione, quod non involvat repugnantiam, ex eo enim quòd quis concipiat potentiam potentem producere quidquid non involvit prædicata contradictoria concipit divinam

vinam omnipotentiam, seu potentiam potentem producere omnia producibilia.

Cognovit tamen anima beata Christi, quamdiu fuit in carne passibili actu in verbo omnia futura tum absoluta, tum conditionata præter suas omnes cognitiones, quas extra verbum habitualiter cognovit, idque deducitur ex illo Johann. 16. *Nunc scimus, quia scis omnia*, & cap. 21. *Domine, tu omnia scis*, ex quibus locis inferunt Patres Christum cognovisse præsentia, præterita & futura, adeo ut in sexta Synodo *art. 11. in epist. Sophronii*, anathematizentur, asserentes Christum ut hominem ignorasse diem judicii, eò quia Matth. 23. & Marc. 13. dicatur: *Diem illum nec Angelos nec Filium hominis cognoscere*, ostendimus enim superius, quomodo Christus dicatur cognovisse diem illum scilicet cognovisse quidem diem illum, sed non in ordine ad illum manifestandum, adeo ut dixerit Christus diem illum nec filium hominis cognoscere, quatenus voluit negare discipulis manifestationem diei judicii, ac ostendere eos irrationabiliter interrogate. Probatur igitur ratione, quia omnes beati ea omnia cognoscunt, quæ spectant ad suum proprium statum: sed ad statum Christi pertinent omnia existentia in aliqua temporis differentia siquidem cum Christus sit legislator, & Judex ad ipsum pertinebat cognoscere omnium subditorum actus & mores, proinde Christus per scientiam beatam cognoscit actu in verbo omnia futura: rursus quia tota perfectio cognitionis, quæ cogitari potest esse possibilis, debet Christo attribui, quia id decebat primogenitum omnis creaturæ, in quo Pater complacuit omnem plenitudinem suæ divinitatis corporaliter inhabitare.

Sed dices, si Christus videret omnes suos actus liberos futuros, sequeretur, quòd eos postea necessariò eliceret saltem eos, qui orirentur ex visione beatifica, & sequerentur ex ipsa, quia hæc necessitas esset antecedens, adeo ut si Christus videns in Verbo miseriam Petri moveretur ad miserendum illius, hæc misericordia libera non esset etiam antecedenter, quia oriretur ex visione beata. Sed contra negatur actus voluntatis Christi non fore liberos, in exemplo enim allato visio beata Christi duo complectitur objecta scilicet miseriam Petri, & misericordiam Christi, illam visio non invehit necessariò, quia prout videt miseriam Petri antecedit Christi misericordiam, & prout videt Christi misericordiam necessariò invehit Petri miseriam. Hinc sequitur libera positio misericordiæ, quia illa necessitas non est antecedens, sed consequens. Si dicas, hanc visionem ut repræsentantem miseriam Petri esse inseparabilem à visione repræsentante misericordiam Christi, ac proinde necessariò illam inferre, eò quia sit realiter unicus simplex actus habens duas formalitates, & ut repræsentat miseriam Petri, præcedit misericordiam Christi, ac propterea visio ut præcedens misericordiam Christi eam necessariò invehit. Contra est, distinguitur major; est inseparabilis à visione & prout repræsentat miseriam Petri invehit necessariò visionem misericordiæ Christi ex suppositione, quod talis misericordia sit futura, conceditur; antecedenter ad ejus futuritionem negatur; etenim hæc visio repræsentans utrumque objectum, non existit, nisi post futuritionem utriusque objecti: latet enim in argumento fallacia, quia visio prout repræsentat miseriam Petri non antecedit misericordiam Christi, quia prout est hæc visio realiter, dicit utrumque objectum: quinimò hæc repræsentatio miseriæ, ut sic, non est prior misericordia Christi, sed tantum generatim prout est repræsentatio miseriæ, non verò ut est hæc numero repræsentatio quæ secum invehit repræsentationem misericordiæ: ergo ex eo, quòd Christus videat in verbo suos actus liberos, non sequitur hos postea ab ipso elici necessariò: quia per talem scientiam videt suos actus ex suppositione, quod sint liberè futuri, unde cum dicitur posse Christum videre in verbo miseriam alicujus, ac moveri ad ejus misericordiam, tunc visio beata non antecedit causalitate misericordiam, quia talis misericordia dependet in esse ab alia cognitione in cujus virtute Christus exercebat suos actus liberos. Dices illud Christus non videt in verbo ut futurum quod nondum est futurum, quando Deus decernit dare Christo talem visionem in tali gradu perfectionis: atqui bona opera Adami & posterorum facta post peccatum nondum erant futura, quando Deus decrevit dare Christo hanc numero visionem, quia opera illa bona sunt posteriora meritis Christi, consequenter sunt posteriora visione data antecedenter ad omnia merita, ergo Christus non videt in verbo bona opera Adami, & posterorum ut futura. Sed contra Christus illud non videt in verbo ut futurum, quod nondum est absolute futurum, quando Deus decernit dare Christo hanc visionem conceditur, quia quod non est in se absolutè futurum non potest cognosci pro illo signo, in quo nondum intelligitur esse absolute futurum, ut absolutè tale; alioquin sequeretur, quod beati per visionem beatificam attingerent objecta aliter ac essent in se: quia verò futura illa fuerunt in illo signo saltem conditionatè futura, ideo ut talia Christus cognovit; quia ea cognovit, ut erant in se, & in eo signo, in quo Deus decernit dare Christo talem visionem, bona illa opera Adami, sunt futura conditionatè, & potest Deus decernere in eodem signo, ut ex suppositione, quòd sint, Christus illa videat.

CAPUT IV.
De Christi scientiis infusis.

DUpliciter scientia dici potest infusa; primò per se, cujusmodi est cognitio rerum sub tali ratione, quæ non potest acquiri propria inventione, imò nec per doctrinam Magistri, cujusmodi sunt cognitiones mysteriorum gratiæ, cogitationum cordis; quæ scientia eatenus dicitur infusa per se, quia est talis ut per se exigat infundi à Deo, nec possit aliter acquiri. Secundò dicitur infusa per accidens, estque cognitio rerum sub tali ratione, quæ tametsi natura sua, & per se potuerit acquiri labore, ac industria humana; nihilominus Deus præveniendo omnem nostrum conatum, & laborem se solo eam infundit; cujusmodi fuit scientia rerum naturalium, quas Deus indidit Adamo, Salomoni, & aliis. Unde discrimen inter scientiam per se, & per accidens infusam est, quòd per se infusa est semper diversæ speciei ab acquisita, etiam circa eandem materiam; secus infusa per accidens est ejusdem speciei cum acquisita naturaliter, & humano labore, perinde ac homo genitus, & creatus.

Dicendum primò in anima Christi præter scientiam beatam fuisse scientiam per se infusam supernaturalem, & à primo instanti suæ cognitionis.

Probari

Probari solet prima pars assertionis, quia Apostolus Paulus introducit Christum mundum ingredientem, & se in sacrificium æterno Patri offerentem: sed non potuit mundum ingrediens se æterno Patri offerre, nisi in ejus intellectu præcessisset actus scientiæ, à quo talis oblatio, quæ fuit meritoria, & supernaturalis regularetur; & non potuit regulari à scientia beata, quia hæc non est proportionata regula actus liberi, cujusmodi fuit illa Christi oblatio, quâ Christus pro redemptione nostra se obtulit æterno Patri; fuit enim hæc oblatio meritoria, proinde libera ut docent SS. Patres expendentes verba Apostoli ad Hebræ. 10. *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel*: quòd si hæc oblatio fuit meritoria utique etiam libera, cum non stet actum esse meritorium, & non liberum; proinde non potuit regulari per scientiam beatam; quia hæc necessitat ad actum, quo pacto beati in patria Deum necessariò amant: neque potuit regulari per scientiam acquisitam, quia hæc dependet à sensibus, & organis corporeis, quibus non potuit Christus ex defectu ætatis eo tempore perfectè uti; ergo tantùm superest ut oblatio illa fuerit regulata per scientiam per se infusam. Verùm hæc ratio non videtur plenè evincere assertum. Tota enim vis argumenti in eo sita est, quia oblatio Christi utpote meritoria, & libera non potuit regulari per scientiam beatam; neque per acquisitam; ergo per se infusam: sed per hoc quòd Christus haberet habitum supernaturalem ejusdem speciei cum habitu nostræ Theologiæ, & per accidens infusum; per actus elicitos ab hoc habitu per accidens infuso possent actus voluntatis Christi, consequenter & præfata oblatio regulari: ergo non evincitur efficaciter scientia per se infusa in Christo.

Alii ex eo probant assertum, quia Christo ex munere Redemptoris erat debita cognitio supernaturalis rerum omnium; ergo & scientia per se infusa, quæ foret hujus cognitionis principium. Verum neque hæc ratio probat assertum, nisi per additum corroboretur. Quia Christus per scientiam beatam cognovit clarissimè quidquid pertinuit ad proprium statum: ergo ex eo præcisè quod Christo ex munere Redemptoris erat debita cognitio supernaturalis rerum omnium pertinentium ad proprium statum non probatur necessaria scientia per se infusa, & distincta à scientia beatifica. Quòd si dicas per lumen beatificum cognosci res omnes creatas non in se, & ratione sui, sed in alio; & sub ratione formali divina: & Christo fuisse debitam cognitionem rerum extra verbum in se ipsis, consequenter scientiam per se infusam distinctam à scientia beatifica, quâ res cognoscuntur in Verbo. Sed contra, quia tametsi hæc cognitio rerum in se ipsis extra Verbum sit Christo debita, id tamen non probatur ex munere redemptoris, quia potuisset Christus humanum genus redimere, quamvis non cognovisset per scientiam infusam per se res ut sunt in se extra Verbum; unde hæc scientia per se infusa est in Christo aliunde probanda quàm à munere Redemptoris.

Alii nituntur evincere assertum ex eo quòd Christo ut homini viatori infusæ fuerint omnes virtutes per se infusæ supernaturales: consequenter est ipsi etiam concedenda scientia per se infusa: quia virtutes per se infusæ exigunt regulari per scientiam sibi proportionatam; & scientia acquisita non est proportionata, quia hæc est naturalis, & virtutes sunt supernaturales: ergo requirebatur scientia supernaturalis per se infusa. Verùm neque hæc ratio efficax est, quia possunt virtutes omnes morales supernaturales per se infusæ regulari per scientiam beatam, quæ supernaturalis est, ac proportionata virtutibus quoad ordinem; unde ut in Christo ut homine viatore virtutes per se infusæ regularentur, non erat simpliciter necessaria scientia per se infusa, quia objecta virtutum moralium per se infusarum potuerunt per scientiam beatam repræsentari voluntati Christi ut homini, ac eidem proponi ut diligenda, in hoc enim consistit earum regulatio: ergo non probatur ex hoc principio necessitas asserendi in Christo ut homine dari scientiam per se infusam distinctam à scientia beata. Dices Christus non ut comprehensor, sed ut viator meruit per actum charitatis, ut docent communiter Theologi cum D. Thoma quæst. 19. art. 3. ad 1. proinde meruit per actum charitatis regulatum per lumen supernaturale scientificum distinctum à lumine gloriæ, seu scientia beata: etenim actus charitatis regulatus per scientiam beatam erat Christi ut comprehensoris; ergo actus charitatis elicitus à Christo ut homine viatore debuit regulari per scientiam per se infusam distinctam à lumine gloriæ. Sed contra quia plures probabiliter asserunt, actum charitatis elicitum à Christo, & regulatum per scientiam beatam fuisse quidem necessarium, ut terminatum ad divinam bonitatem, & prout est ratio diligendi Deum; fuisse tamen liberum quatenus ita terminabatur ad divinam bonitatem, ut simul esset ratio diligendi creaturas, & sub hac ratione erat meritorius, quamvis regulatus per scientiam beatam: ergo ad regulandos in Christo ut homine actus meritorios non erat necessaria scientia per se infusa supernaturalis.

Exactius probari potest assertio, quia conveniens, & decens fuerat, ut humanitas assumpta à Verbo esset cum tota illa perfectione, ad quam erat in potentia ut eam possideret, & ab eo perficeretur: atqui si caruisset scientia per se infusa supernaturali distincta à scientia beata fuisset imperfecta, seu non habuisset totam illam perfectionem ad quam possidendam erat in potentia: ergo si decens fuit, ut humanitas à Verbo divino assumpta esset cum tota illa perfectione ad quam erat in potentia, fuit in Christi humanitate scientia per se infusa supernaturalis distincta à scientia beata, major, & consequentia non patiuntur difficultatem, minor ostenditur, quia omne, quod est in potentia ad aliquam perfectionem, quamdiu non reducitur ad actum est imperfectum: atqui intellectus animæ Christi de se erat in potentia ad res creatas in proprio genere cognoscendas per species immediatè à Deo infusas, ergo quamdiu immediatè per species infusas non cognosceret res creatas in proprio genere esset imperfectus, quia sine tali modo cognoscendi, ad quem erat in potentia: Licèt per scientiam beatam cognosceret intellectus animæ Christi res creatas non tamen per species infusas immediatè à Deo, sed mediante divina essentia priùs cognita, ut *quod* species enim non cognoscuntur ut *quod*, sed se habent ut *quo*: Quamobrem si intellectus animæ Christi erat in potentia ad talem modum cognoscendi res creatas in proprio genere, scilicet per species infusas immediatè à Deo fuisset imperfectus nisi per tales species cognovisset res creatas. Quòd si dicas animam Christi cognovisse res omnes in proprio genere per scientiam beatam, proinde quamvis lumine distincto à scientia beata caruisset, adhuc non mansisset in potentia ad res ipsas creatas cognoscendas in proprio genere unde absque scientia per se infusa non fuisset Christi humanitas imperfecta. Contra est, quia in-

intellectus animæ Christi non solùm est in potentia ad cognoscendas res creatas in proprio genere, & in se ipsis ex parte rei cognitæ, sed etiam ex parte medii cognoscendi, siquidem res creatæ utroque modo sunt cognoscibiles, & intellectus animæ Christi erat in potentia ad eas cognoscendas utroque modo, atqui per scientiam beatam tantùm eas cognoscebat per medium increatum, seu mediante divina essentia cognita ut *quod* : & præter hoc medium cognoscendi adhuc erat in potentia ad aliud medium, seu ad illas cognoscendas per species immediatè à Deo infusas: & quia caruisset hoc medio si non habuisset scientiam per se infusam adhuc fuisset imperfectus. Per scientiam igitur beatam cognovit Christus res creatas in proprio genere, & in se ipsis ex parte rei cognitæ, non verò ex parte medii cognoscendi, quia scientia beata terminatur ad creaturas mediante divina essentia, ut objecto priùs cognito & medio illas cognoscendi, unde pet scientiam beatam non tollitur omnis potentialitas intellectus animæ Christi in ordine ad cognoscendas res creatas in se ipsis, quia intellectus animæ Christi de se est in potentia ad illas cognoscendas per proprias earundem species immediatè à Deo infusas; quæ cognitio non habetur per scientiam beatam quia species per quam scientia beata ad creaturas terminatur, est ipsa divina essentia, quæ primariò repræsentat Deum, & secundariò creaturas, & non potest esse medium ad cognoscendas creaturas nisi ipsa cognoscatur ut *quod*, seu per modum objecti terminantis cognitionem: & species sive acquisitæ sive infusæ, se habent ut *quo* & non terminant cognitionem, sed juvant potentiam, ut feratur in suum objectum. Neque obstat si dicas intellectum animæ Christi perfectè cognoscere res ipsas in se per scientiam beatam proinde non esse necesse ut easdem cognoscat pet scientiam per se infusam: nam etiam Angeli cognoscunt creaturas in Verbo per cognitionem beatam, quæ dicitur matutina, & nihilominus easdem res creatas cognitas in divina essentia cognita ut *quod* pet cognitionem beatam, adhuc easdem cognoscunt in se ipsis per species creatas, quæ cognitio à sanctis Patribus vocatur Vespertina, præsertim ab Augustino sper *Genes. cap. 2. ad litt.* ergo à pari in Christo præter cognitionem rerum in Verbo per divinam essentiam adhuc concedenda est alia cognitio creaturarum in se ipsis per proprias illarum species immediatè à Deo infusas, adeo ut si intellectus animæ Christi caruisset cognoscendi res creatas in se ipsis, caruisset aliquo ad quod erat in potentia, proinde fuisset imperfectus. Si dicas intellectum humanum Christi non esse ex natura sua in potentia naturali nisi ad eas species, quæ educuntur ex phantasmatibus virtute intellectus agentis, & ad species infusas à Deo immediatè tantùm esse in potentia obedientiali, quæ tametsi nunquam reduceretur ad actum, non propterea ulla inde sequeretur imperfectio, sicut non est imperfectus intellectus Christi, quamvis non habeat omnia dona, quæ Deus de potentia sua absoluta posset illi conferre, & ad quæ esset in potentia obedientiali: ergo ex eo quod intellectus Christi fuerit in potentia ad hanc scientiam per se infusam, non inde sequitur eam debuisse habere. Contra est, quia ex suppositione unionis hypostaticæ erat Christo debita scientia infusa, siquidem pro illo statu unionis ad Verbum Christus erat beatus, & non subjectus corpori, consequentet poterat uti speciebus infusis absque conversione ad phantasmata, unde supposita unione hypostatica intellectus Christi fuisset imperfectus sine hac scientia pet se infusa. **Instabis** carentia tantùm negativa alicujus perfectionis non est imperfectio, quæ debeat excludi ab humanitate assumpta à Verbo, alioquin Deus Christi humanitati contulisset omnia illa dona, quæ potest de potentia absoluta illi conferre, quæ tamen non contulit, & hæc negatio cujuscunque perfectionis possibilis est tantùm carentia negativa perfectionis: atqui etiam carentiæ scientiæ per se infusæ tantùm est negativa, quæ nullam in Christo importat imperfectionem: ad rationem enim carentiæ privativæ alicujus perfectionis non sufficit negatio illius cum capacitate in subjecto, sed ulterius est necessarium debitum talis perfectionis: & scientia pet se infusa supernaturalis non erat debita intellectui creato Christi: siquidem forma supernaturalis est supra exigentiam, & debitum omnis naturæ creatæ, consequenter illius carentia non est privativa, sed negativa proinde non est imperfectio necessario excludenda à Christi humanitate. Sed contra quia ut anima Christi esset omnino perfecta debuit omnis ejus potentialitas tam naturalis, quam obedientialis reduci ad actum, sed potentialitas obedientialis non dicit carentiam perfectionis debitæ, sed perfectionis non debitæ, est siquidem potentia obedientialis receptiva formarum supernaturalium, quæ excedunt debitum omnis naturæ creabilis; consequenter ratione unionis ad Verbum debuit ab anima Christi excludi non solùm imperfectio privativa, sed etiam negativa consistens in carentia formæ ante assumptionem non debitæ: quia in signo post assumptionem ratione unionis hypostaticæ erat debita hæc scientia per se infusa, & ejus carentia fuisset imperfectio privativa omnino removenda à Christi humanitate: siquidem humanitati Christi ratione unionis hypostaticæ erat debita omnis perfectio possibilis cum majori perfectione non pugnans, nec cum fine redemptionis, consequenter erat illi debita carentia omnis imperfectionis sive privativæ sive negativæ, neq; inde sequitur, quod Deus contulerit Christo omne illud donum, quod non involvit contradictionem: quia humanitati Christi ratione unionis hypostaticæ non debetur omnis perfectio possibilis, nisi hæc consistat in aliquo determinato, alioquin si foret indeterminata, & sine termino esset syncathegorematicè infinita, quæ nunquam posset plenè reduci ad actum, sed semper magis, ac magis posset crescere, vel intendi: consequenter esset semper imperfecta in Christo propterea ab ejus humanitate removenda. Quòd si dicas D. Thomam *quæst. 8. de veritate art. 4. ad 13.* expressè docere aliquid tantùm reddi imperfectum ex carentia illorum, ad quæ est in potentia naturali, non verò ex carentia illorum, ad quæ est in potentia obedientiæ, ait enim D Thomas: *Quædam verò potentia est obedientiæ tantùm, & si talis potentia non reducitur ad actum non erit potentia imperfecta*, unde ex mente D. Thomæ carentia perfectionis ad quam in subjecto datur tantùm potentia obedientialis non est imperfectio in illo, consequenter non est, quod intellectus humanus Christi sit notandus imperfectione, si careat scientia per se infusa. Contra est, quia negari non potest esse aliquam imperfectionem carentiam perfectionis, quamvis hæc debita non sit, dummodo adsit ad illam in subjecto capacitas, etenim gratia sanctificans non debetur homini in puris naturalibus, & tamen quia homo est capax gratiæ sanctificantis si illa careat dicitur imperfectus, unde cum D. Thomas asserit non esse imperfectionem carentiam perfectionis, ad quam solum datur potentia obe-

obedientialis in subjecto, loquitur de imperfectione causante anxietatem oppositam statui beatitudinis, ut per hoc salvetur Angelos esse beatos, quamvis non cognoscant omnia. Praeterea posset responderi, quod tametsi intellectui humano non elevato ad statum supernaturalem non sit debita scientia infusa, est nihilominus debita intellectui Christi creato ratione unionis hypostaticae, quia sicut erat animae Christi ratione ejusdem unionis debita gratia sanctificans, ita etiam scientia infusa, ita enim se habet scientia in ordine ad intellectum sicut gratia ad voluntatem, sed in Christo ab instanti suae conceptionis fuit plenitudo omnis gratiae, ergo etiam plenitudo omnis scientiae, tum quia Christus fuit simul comprehensor, & Viator: & ut Viator debuit habere scientiam proportionatam ad merendum, quae scientia non potuit esse beata, quia haec saltem respectu objecti primarii necessitat voluntatem, qua ratione beati dicuntur necessariò Deum diligere: neque potuit esse scientia obscura fidei, quia haec pugnat cum clara visione Dei, & Christus, ut comprehensor hanc habuit: neque potuit esse scientia per accidens infusa, quia haec non se extendit nisi ad objecta, quorum species medijs sensibus intellectus sibi comparat & Christus illam scientiam habuit ab instanti suae conceptionis, erat enim illi debita ratione unionis hypostaticae. Tum quia in ejus usu non dependebat à phantasmatibus, nec organis corporeis, unde haec scientia, quam Christus habuit ab instanti suae conceptionis debuit esse per se infusa.

Dices idem motus non potest duplici termino adaequato terminari, ergo neque potest intellectus duos actus cognitionis simul habere circa idem objectum: atqui intellectus animae Christi per cognitionem beatam perfectè cognovit res creatas in se ipsis, & semper fuit in actu talis cognitionis, ergo non potuit per aliam cognitionem ab illa distinctam eas intelligere. Sed contra, quia tametsi id posset concedi de duplici cognitione adaequata disparata, ac se haberent sine ordine non ita, si inter se sint ordinata, & una cognitio sit causa vel dispositio, vel habeat connexionem cum alia quo pacto, quia conclusio nectitur cum praemissis intellectus noster cognoscit simul praemissas, & conclusionem, & quia voluntas eligit media propter finem, cum quo nectuntur, simul vult media, & finem: in Angelis etiam quamvis sit cognitio matutina, adhuc cum illa nectitur vespertina, quia tametsi hi actus sint distincti non desperate se habent, sed cum ordine comparantur, & unus ab illo perficitur: in intellectu animae Christi scientia beata non se habet disparatè ad scientiam per se infusam, sed cum ordine vel principiantis vel exemplantis, vel saltem juvantis scientiam infusam.

Sed dices, quidquid intellectus Christi potest intelligere per scientiam per se infusam supernaturalem, jam de facto cognoscit per scientiam beatam, ergo scientia per se infusa supernaturalis videtur in intellectu animae Christi supervacanea, etenim quamvis scientia beata primariò terminetur ad Deum adhuc secundariò se extendit ad creaturas ad quas terminatur, & quae sunt objecta cognita per scientiam infusam, ergo si objecta creata prius cognoscuntur per scientiam beatam non est opus alia scientiâ infusâ, ut eadem cognoscantur, quia scientia ad eum tantùm finem est necessaria, ut per illam cognoscatur objectum, & quia omne objectum cognoscibile per scientiam per se infusam fuit de facto cognitum, & semper cognoscebatur à Christo per scientiam beatam; superflua videbatur in illo scientia haec per se infusa. Sed contra quia tametsi intellectus animae Christi semper cognosceret per scientiam beatam res creatas in se ipsis ex parte rei cognitae non tamen eas cognoscebat in se ipsis per proprias illarum species, sed in divina essentia prius cognita ut *quod*; & quia intellectus animae Christi erat in potentia ad cognoscendas res creatas in se ipsis per species etiam infusas, ideo exigebat scientiam per se infusam, qua res creatas in se ipsis cognosceret, Christus igitur non solum ex parte rei cognitae, sed etiam ex parte medij cognoscendi erat in potentia ad cognoscendas res creatas in proprio genere, & in se ipsis, quia utroque modo erant res cognoscibiles, & per scientiam beatam, quamvis illas in proprio genere, & in se ipsis cognosceret ex parte rei cognitae non tamen illas in se ipsis cognoscebat ex parte medij cognoscendi, sed ad id requirebatur scientia per se infusa. Dices posita cognitione creaturarum in verbo nulla est imperfectio carentia cognitionis earumdem in se ipsis ut medio cognoscendi, proinde nulla esset imperfectio in Christo cognoscente creaturas in divina essentia carere cognitione earundem in se ipsis ut medio cognitionis, & per proprias species. Ergo haec scientia per se infusa est supervacanea in Christo. Antecedens ostenditur, quia Deus cognoscit creaturas in se ipso ut medio cognitionis, & in se ipsis ex parte rei cognitae, non verò in se ipsis ut medio, & ratione formali objectiva cognoscendi; & nihilominus carere hac cognitione nullam potest imperfectionem importare, consequentur carentia cognitionis creaturarum in se ipsis ut ratione formali, & medio cognoscendi nulla erit imperfectio in intellectu animae Christi supposita cognitione earumdem rerum in divina essentia ut medio cognitionis, & in se ipsis ex parte rei cognitae. Sed contra negatur antecedens, est enim discrimen de intellectu divino, & creato animae Christi, Deo siquidem repugnat creaturas cognoscere in se ipsis ut ratione formali objectiva, & ut medio cognitionis illarum: siquidem repugnat divinae cognitioni specificari à formalitate aliqua creata, & etiam cognoscere creaturas per species creatas; & utrumque sequeretur, si creaturas in se ipsis immediatè cognosceret, & non in propria essentia, intellectus enim specificatur ab objecto, in quod immediatè fertur, proinde si intellectus divinus immediatè cognosceret creaturas in se ipsis, & non in divina essentia ab ipsis specificaretur, quod repugnat, & rursus si eognosceret illas per species creatas deberent haec esse in divino intellectu modum formae inhaerentis: hinc carentia cognitionis creaturarum in se ipsis ut ratione objectiva, & medio cognoscendi non est in Deo ulla imperfectio, sed summam habet perfectionem; secus intellectus animae Christi ob capacitatem, quam in se habet cognoscendi creaturas cognitione immediatè terminata ad illas in se ipsis, est in potentia ad illas cognoscendas non solum in se ipsis ex parte rei cognitae, sed etiam ex parte medij cognoscendi, seu per species infusas, & ideo carentia hujus cognitionis esset in intellectu animae Christi imperfectio, etenim carentia discursus formalis non est imperfectio in Angelo, quae tamen esset imperfectio in homine.

Quod vero in intellectu animae Christi fuerit scientia per se infusa à primo instanti suae conceptionis, & est secunda pars assertionis ex eo itidem liquet, quia ratione unionis hypostaticae, ac status beatifici erat illi debita, & nulla adest ratio, cur

non debuerit eam habere. Præterea quia Christus meruit nostram salutem etiam in primo instanti suæ conceptionis, quia ut antea diximus ex Apostolo ad Hebr. 10. Christus cum primum fuit ingressus mundum, seu conceptus fuit, se obtulit Patri, & nulli est dubium, quin oblatio illa fuerit actus meritorius voluntatis Christi regulatus necessariò ab aliqua præcedente cognitione: atqui non potuit regulari per cognitionem pertinentem ad scientiam beatam, quia hæc potius necessitat; neque per scientiam infusam per accidens, quia hæc est ordinis naturæ, & insufficiens ad fundandum meritum supernaturale, ergo debuit esse scientia per se infusa. Quòd si dicas sufficere si præcedat cognitio spectans ad dona scientiæ & sapientiæ, seu ad scientiam, quæ est gratia gratuita, quia hæc est potens regulare actus meritorios, ac liberos voluntatis. Sed contra, quia hæc non deserviunt per se primo ad eliciendam cognitionem prærequisitam ad meritum, quia dona Spiritus Sancti conferuntur ad disponendam animam, ut fiat docibilis à Deo, juxta illud Joan. 6. *Et erunt omnes docibiles Dei*, sed gratiæ gratis datæ non ordinantur ad proprium emolumentum, sed ad alienum, ergo ut illa oblatio Christi libera & meritoria à voluntate Christi fieret, debuit præcedere cognitio regulativa scientiæ infusæ. Si dicas præcessisse in intellectu humano Christi cognitionem supernaturalem ejus speciei cum nostra Theologia, quæ fuit Christo per accidens infusa. Contra est, quia assensus, quem nos habemus de conclusionibus Theologicis & inevidens & obscurus, proinde non potuit infundi Christo, sicut nec fides, quia obscuritas pugnat cum evidentia, quam Christus habuit per scientiam beatam, antecedens liquet, quia principia, ex quibus per discursum colligimus conclusionem theologicam carent evidentia, prout sunt principia talis discursus: ergo neque ipsa conclusio ex iisdem illata potest hanc evidentiam includere, cum non possit quidquam esse in conclusione, quin fuerit in præmissis, sicut non potest quidquam repetiri in effectu, quin præcontineatur in causa: principia autem discursus Theologici non includere hanc evidentiam ex eo liquet, quia saltem aliquod ex iisdem principiis semper est propositio de fide, quæ ex natura sua est obscura. Si dicas assensum conclusionis theologicæ esse tantum obscurum negativè non privativè, sicut est assensus fidei, consequenter esse capacem charitatis in Christo, imo etiam in nobis, quia assensus theologicus acquisitus in statu viæ perseverat in patria, ut scribit Sanctus Hieronymus epist. ad Paulin. inquiens: *Discamus in terris, quorum doctrina nobiscum permanet in cœlis*, alioquin Theologia nostra scientia non esset, quia de ratione scientiæ est claritas, & evidentia, ut docet Aristoteles *1. Poster. cap. 2.* Unde cum assensus theologicus sit capax claritatis potuit dirigere in Christo actum meritorium & liberum.

Sed contra quia semel quòd assensus conclusionis theologicæ esset capax claritatis etiam ipsa principia theologica seu articuli fidei deberent esse capaces ejusdem claritatis, quod esse nequit, sic enim non essent principia fidei: etenim quia assensus conclusionis theologicæ deducitur ex principiis, quorum aliquod est saltem de fide, ac essentialiter obscurum, est etiam incapax claritatis, & conclusio ex ipso deducta nequit esse capax claritatis, ne effectus excedat suam causam, & secundum mensuram excessus detur effectus sine causa, quod repugnat. Præterea assensus conclusionis theologicæ dependet ex articulis fidei, ex quibus deducitur veluti ex principiis per se: ergo non perseverante in patria assensu fidei non potest perseverare assensus conclusionis deductæ ex principiis fidei: hinc docent communiter nostram theologiam non perseveraturam in patria, & colligitur ex illo Apostoli 1. ad Corinth. 13. *Sivè prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur*: quia cessante fide cessat assensus conclusionis deductæ ex principiis fidei. Neque Div. Hieronymus docuit mansuram in cœlesti patria nostram Theologiam, secundum specialem suam, ac propriam rationem, sed tantum secundum rationem generalem cognitionis ejusdem objecti, unde potius significat perseverantiam eorundem objectorum.

Fuit igitur in Christo scientia per se infusa supernaturalis quoad substantiam, eo quia fuerit in ordine ad dirigendam voluntatem ad finem supernaturalem: quia hujosmodi scientia per se infusa inserviebat gratiæ per modum potentiæ stabat loco fidei ac habebat motivum supernaturale in ordine ad actus supernaturales secundum substantiam; proinde ut esset proportionata iisdem actibus debuit esse supernaturalis quoad substantiam. Quoad verò alia objecta naturalia scientia infusa per accidens fuit tantum supernaturalis quoad modum, quia cum scientia specificetur ab objecto, nequit esse supernaturalis quoad substaniam nisi objectum formale motivum sit etiam supernaturale, quoad substantiam, & quia in objectis naturalibus non reperitur motivū supernaturale, ideo scientia per accidens infusa fuit in Christo tantum quoad modum supernaturalis.

Fuit etiam scientia per se infusa in Christo independens ex natura sua à phantasmatibus, quia species hujus scientiæ non sunt ex natura sua alligatæ phantasiæ, quia illæ tantum species sunt alligatæ phantasiæ, quæ desumuntur ab objectis mediis sensibus, ac sunt determinatæ ad repræsentandum objectum sensibili modo: & species hujos scientiæ infusæ infunduntur immediatè à Deo, & non desumuntur ab objectis mediis sensibus, & quia alligatio ad phantasiam oritur ratione specierum tantum, quæ desumuntur ab objectis mediis sensibus, sequitur scientiam per se infusam in Christo fuisse independentem à phantasmatibus. Imò nec potuit in hac scientia per se infusa intervenire conversio propriè dicta ad phantasmata, quia hæc conversio importat intellectum intelligere sub repræsentatione sensibili, quod in scientia per se infusa locum non habet. Dices omne quod recipitur per modum recipientis recipitur: sed hæc scientia per se infusa fuit recepta in subjecto determinato ad cognoscendum per conversionem ad phantasmata: ergo debet intervenire conversio ad phantasmata. Contra est, quia hæc scientia per se infusa non recipitur in intellectu, ut alligata sensibus, consequenter non debuit determinari ad cognoscendum cum conversione ad phantasmata.

CAP.

CAPUT V.

An in Anima Christi fuerit scientia infusa quoad species, vel quoad habitum & quæ objecta cognoverit.

PRocedit quæstio de scientia infusa tam per se & supernaturali, quàm per accidens, & naturali, & quia ad actum scientificum præter intellectum concurrit species impressa objecti, & quandoque etiam habitus inductus ex frequentatione actuum, & dicitur habitus acquisitus; vel immediatè infusus à Deo, & dicitur infusus per se, si sit supernaturalis quoad substantiam, & faciliter intellectum ad actus supernaturales; vel infusus per accidens si sit naturalis quoad substantiam, & tantùm supernaturalis quoad modum, ideo quæritur, an in anima Christi fuerit scientia infusa quoad habitum, vel tantum quoad species; adeo ut Deus tantùm infuderit habitum & species, vel tantum species.

Dicendum est, in anima Christi fuisse scientiam infusam per se, & per accidens tantùm quoad species, non quoad habitum; ostenditur de scientia per accidens infusa, quia hæc scientia versatur circa objecta naturali modo cognoscibilia; sed ad hanc scientiam exercendam tantùm requiruntur species objectorum fœcundantes ac facilitantes intellectum, ergo non est necessarius habitus adeo ut scientia infusa circa objecta naturalia, & naturali modo cognoscibilia non importet nisi ipsas species objectorum: quia objecta naturalia non excedunt lumen naturale intellectus; cum enim sint naturali modo cognoscibilia proportionantur lumini naturali intellectûs; unde non est necessarius habitus. Quòd verò nec in ordine ad objecta supernaturalia fuerit Christi scientia infusa quoad habitum, sed tantum quoad species objectorum facile ostenditur; quia eatenus hujusmodi habitus esset necessarius, quatenus necessaria esset proportio inter objectum, & potentiam: sed habitus non est necessarius ad ponendam hanc proportionem, quia inter objectum formale, & potentiam est debita proportio, consequenter etiam inter potentiam, & objectum materiale quod continetur sub formali, quia hoc ponit in ipso proportionem; & quia omnia objecta supernaturalia creata continentur sub objecto formali intellectus creati, ideo possunt à solo intellectu, & speciebus supernaturalibus cognosci. Hinc nec ipsum lumen gloriæ concurrit ad actus hujus scientiæ per se infusæ, quia ejus concursus non est necessarius; præterea quia lumen gloriæ respicit essentiam divinam ut objectum adæquatum primarium, & non potest ferri extra ipsam, ut in objectum primarium.

Dices hanc scientiam tam per se, quàm per accidens infusam esse in Christo omnino otiosam; ergo est ab ipso expungenda, antecedens liquet; quia per scientiam beatam expletur, & satiatur omnis potentia obedientialis animæ Christi in ordine ad objecta etiam supernaturaliter cognoscibilia; & per scientias acquisitas satiatur ejus potentia naturalis circa objecta naturaliter cognoscibilia: ergo scientia per se, vel per accidens infusa est in Christo supervacanea. Sed contra negatur antecedens, & ad ejus probationem distinguitur antecedens; per scientiam beatam expletur omnis potentia obedientialis animæ Christi in ordine ad objecta supernaturaliter cognoscibilia, quantum ad numerum sciendorum conceditur antecedens, quantum ad modum cognoscendi hæc eadem objecta negatur antecedens, & consequentia. Duplex erat in Christo potentialitas obedientialis in ordine ad cognoscenda objecta supernaturalia; prima erat ad cognoscenda hæc objecta supernaturalia in Verbo; & hæc expletur per scientiam beatam; secunda erat ad eadem objecta cognoscenda in se ipsis per species proprias infusas; & hæc potentia obedientialis expletur per scientiam per se infusam; & ita dicendum est de objectis naturaliter cognoscibilibus: erat enim in Christo duplex potentia, una ad cognoscendas res naturales per discursum, & species abstractas à phantasmatibus; alia ad eas cognoscendas sine discursu per species à Deo infusas. Prima fuit expleta per scientias naturales acquisitas; secunda non nisi per scientiam naturalem infusam potuit expleri. Esse in Christo ponendam hanc scientiam per accidens infusam probat D. Thomas *in 3. dist. 4. quæst. unic. art. 3. ad 1. & opusc. 2. c. 216.* Primò quia omnis perfectio creaturis exhibita est Christo concedenda ratione unionis ad Verbum: sed scientia naturalis per se infusa ex parte specierum est perfectio conveniens angelis: proinde attribuenda est animæ Christi. Etenim D. Thomas duplicem rerum cognitionem distinguit, unam intra Verbum, quatenus in Verbo res naturales cognoscuntur; aliam in se ipsis; & hanc in angelicam, & humanam subdividit; hoc tamen discrimine, quia angeli cognoscunt res naturales in se ipsis per species divinitus infusas: homines verò per species ministerio sensuum acquisitas. Secundò quia omnis potentia receptiva in anima Christi debuit ad actum reduci ut compleretur, ac perficeretur; ne Christi humanitas post assumptionem à Verbo maneret imperfecta: omne enim quod est in potentia, quandiu non reducitur ad actum manet imperfectum: atqui anima Christi fuit in potentia ad recipiendas has species infusas per accidens rerum naturalium; & non solum abstractas à phantasmatibus ministerio intellectûs agentis, verùm etiam à Deo infusas: ergo hujusmodi species de facto recepit: proinde habuit scientiam naturalem infusam ex parte specierum. Si dicas, animam Christi ut unitam corpori non esse capacem specierum non dicentium ordinem ad phantasmata, ac propterea non esse capacem harum specierum, quæ per se exigunt à Deo infundi; quia non dicunt ordinem ad phantasmata proinde licèt reperiantur in angelis, non sunt animæ Christi attribuendæ. Sed contra quia anima Christi quamvis unita corpori, adhuc est independens à corpore, cui non subjicitur quoad cognitionem: sicut animæ à corpore separatæ debetur modus cognoscendi independens à phantasmatibus, quia in illo statu non dependet à corpore: ita etiam unita corpori erit independens quoad modum cognoscendi. Tum quia anima Christi à primo instanti suæ conceptionis fuit beata, una autem ex conditionibus animæ beatæ est ut in cognoscendo sit independens à corpore; ergo anima Christi, licèt unita corpori cognovit res naturales per species infusas independenter à phantasmatibus. Tum quia anima Christi non fuit dependens à corpore nisi in iis, quæ ad salvandum mysterium nostræ redemptionis conduce-

ducebant, quapropter impassibilitas non transivit ex anima ad corpus, quod remansit passibile, ac morti obnoxium: sed quod anima dependeret à corpore in modo cognoscendi res naturaliter non conducebat ad finem nostræ redemptionis: proinde anima Christi in cognoscendo fuit independens à corpore.

Quòd verò non fuerit in anima Christi scientia naturalis per se infusa quoad habitum, & est secunda pars assertionis, ex eo suadetur; quia ille habitus est tantùm per se infusus, qui per se requiritur ad substantiam operationis; sed habitus naturalis scientificus, si in anima separata vel etiam in anima Christi reperiatur respectu intellectionis naturalis elicitæ medii speciebus infusis non est necessarius, neque per se requiritur ad substantiam intellectionis, sed tantùm ad illius facilitatem, quia habitus scientiæ naturalis ad id tantum datur ut potentia promptius, ac facilius eliciat actus: ergo non est habitus infusus. Major ostenditur quia ille solus habitus est per se infusus, ad quem producendum non reperitur in actibus activitas sufficiens intrinseca; quia si in actibus sit activitas sufficiens intrinseca ad producendum habitum in potentia, talis habitus non exigit produci ab alio quàm ab iisdem actibus, quia in iisdem reperitur sufficiens activitas, & quidquid naturaliter desideratur ut per se juxta exigentiam propriæ naturæ produci possit: neque opus est, ut ab alio agente producatur, vel ab extrinseco infundatur: sed ad solum illum habitum inducendum non datur in actibus activitas sufficiens intrinseca, qui per se ad illorum substantiam supponitur: siquidem eo ipso, quod habitus ad substantiam actuum non supponitur per se, possunt actus ipsum præcedere, ac producere per eorumdem frequentiam: ergo ille solus habitus potest infundi, & est per se infusus, qui per se requiritur, & præsupponitur ad actuum substantiam. Minor non videtur pati difficultatem: quia tunc solùm habitus per se requiritur ad substantiam operationis, quando potentia sine habitu ad illius elicientiam non sufficit; sed ad res naturales intelligendas sufficit solus intellectus cum speciebus objectivè concurrentibus, sicut enim sufficit ad eliciendam intellectionem per conversionem ad phantasmata; ita sine tali conversione dummodo species rerum naturalium concurrant objectivè: ergo ut intellectus animæ Christi res naturales intelligat, non requiritur habitus distinctus ab intellectu, & speciebus concurrentibus objectivè. Consequenter in anima Christi non fuit scientia naturalis per se infusa quoad habitum, sed tantùm quoad species.

Dices habitus eatenus ponitur in intellectu, ut hic promptè facilè, & cum quadam delectatione suos eliciat actus ad quos propterea habitus juvat, ac facilitat potentiam: sed admisso tali habitu in Christi intellectu, facilè, ac delectabiliter cognoscit res naturales, & sine tali habito nonnisi difficulter; & decens est, ut Christus facilè ac promptè cognoverit res naturales, ergo scientia naturalis fuit Christo infusa quoad habitum. Sed contra quia intellectus Christi ut hominis utpote defæcatus, ac perfectus cum solis speciebus facilè, ac promptè intelligebat res naturales. Hinc quia intellectus angelicus est humano perfectior, & ob suam perfectionem nullam experitur difficultatem in rebus naturalibus cognoscendis, & fertur in objecta per species sibi inditas per actum scientificum, vel opinativum juxta mensura intelligibilitatis objecti, censent plures non dari habitum scientificum, sed ad expeditè, facila & cum delectatione intelligendum, sufficere solas species Angelis inditas cum intellectu perfecto Angelorum: quia cum habitus naturalis producatur in potentia ad illam juvandam, facilitandam, & ad difficultates vincendas, ideo ubi adest facilitas in potentia ad actus eliciendos, & nulla sit obvia difficultas superanda, non est necessarius habitus in potentia, & quia intellectus animæ Christi fuit perfectus, & species objectorum naturalium ipsi infusæ expeditè concurrebant objectivè ad eliciendas intellectiones rerum naturalium, non fuit necessarius habitus superadditus distinctus ab intellectu animæ Christi, & à speciebus infusis. Est enim habitus in potentia ob difficultates vincendas, & potentiam facilitandam, & quia intellectus animæ Christi non experiebatur difficultates in cognoscendis objectis, & ob suam perfectionem, facilè & promptè suos eliciebat actus, nullo ad id indiguit habitu.

Dices intellectio animæ separatæ elicita per species à Deo infusas & sine conversione ad phantasmata est imperfecta, & præter naturam animæ, ut docet D. Thomas 1. *part. quæst. 89. art. 1. in corp.* & è converso intellectio per conversionem ad phantasmata, & per species ab illis abstractas elicita est perfectior, ut docet idem D. Thomas *loc. cit. art. 3. ad 4* atqui Christo debebatur intellectio naturalis perfectior, quia quæ conceduntur Christo ad illius perfectionem, & animæ dignitatem conducunt, & non potuit ad ejus perfectionem conducere Christi cognitio imperfecta non connaturalis, proinde non est illi attribuenda cognitio per species à Deo infusas, & sine conversione ad phantasmata. Sed contra quia etiam cognitio discursiva tametsi imperfecta sit absolutè, quia tamen est perfectio hominis ut homo est, & Christus fuit etiam verus homo à Theologis eidem conceditur cognitio discursiva, licèt imperfecta relativè ad cognitionem non discursivam Dei vel Angelorum: perinde tametsi cognitio per species infusas imperfecta sit, & confusa, quia tamen animæ rationali erat debita pro illo statu unionis, ideo concedenda est humanitati Christi, neque præternaturalitas hujus cognitionis obstat, quia hæc habetur comparativè ad animam secundùm se sumptam, proinde potest animæ rationali pro aliquo statu esse debita, & connaturalis. Neque pariter obstat, hanc intellectionem per species infusas esse imperfectiorem intellectione, ad quam concurrant objectivè species abstractæ à phantasmatibus, sicut non obstante, quòd cognitio rerum in se ipsis perfectior sit cognitione beata, & cognitio naturalis sit imperfectior cognitione supernaturali, adhuc hujusmodi cognitiones tribuuntur intellectui animæ Christi. Hinc pertinet ad dignitatem Christi omnis intellectualis perfectio, quæ potest animæ rationali in aliquo statu convenire, dummodo cum unione ad Verbum vel cum visione beatifica non habeat incompatibilitatem, & quia cognitio per species à Deo infusas non habet hanc incompatibilitatem cum unione ad Verbum, nec cum visione beatifica nec cum alia majori perfectione, ideo licèt imperfectior sit cognitione habita per species abstractas à phantasmatibus, & animæ Christi attribuendæ. Præterea posset negari intellectionem habitam per species à Deo infusas esse imperfectiorem intellectione habita per species abstractas à phantasmatibus. Ea enim cognitio est perfectior, quæ proximius accedit ad summum perfectum, quia magis participat de perfectione summi perfecti: & cognitio habita per species à Deo infusas magis accedit

ad

ad cognitionem divinam summè perfectam, quia non dependet à phantasmatibus : sic Angelorum intellectio est perfectior intellectione hominis, quia illa habetur per species sibi à Deo inditas & sine dependentia à phantasmatibus, ergo in intellectu animæ Christi intellectio habita per species infusas erit perfectior intellectione habita per species abstractas à phantasmatibus, quia magis abstrahit à sensibus, & proximiùs accedit ad modum intelligendi Angelorum.

Dicendum secundò Christum per scientiam infusam cognoscere omnia naturalia distinctè, & in particulari, ita Div. Thomas *de veritate 20. art. 6. & 3. sentent. dist. 14. quæst. 1. art. 3.* ratio desumitur ex ipsa exigentia scientiæ, quia ut scitè docet D. Thomas *1. contra Gentes cap. 65.* ex Boëtico *5. de consol.* in omnibus virtutibus ordinatis communiter invenitur, quòd virtus superior se ad plura extendat existens unita, quam inferior, & multiplicata, ut constat in imaginatione sensûs, imaginativa siquidem quia est virtus superior, & unita ad omnia se extendit, ad quæ sensus exteriores multiplicati non se extendunt, etenim imaginativa utpote virtus superior attingit objecta sensuum omnium externorum, non ita unus sensus externus potest attingere objectum alterius sensus : sed scientia infusa animæ Christi est longè præstantior ac superior cæteris omnibus scientiis, ac cognitionibus naturalibus, quarum beneficiis omnia manifestantur, quæ pertinent ad ordinem naturalem sive communia sint sive propria, & singularia : ergo sicut scientiæ naturales manifestant omnia naturalia non solum secundum rationes genericas, aut specificas, sed etiam distinctè, & in particulari, seu secundum proprios ac distinctos cujusvis individui characteres, ita à fortiori anima Christi per scientiam infusam debuit hæc omnia objecta attingere. Quod si dicas intellectum humanum esse superiorem imaginatione, & sensu, & nihilominus non se extendere ad singularia, quæ sensus imaginatione cognoscuntur, ut docet Philosophus *1. Physic. text. 49. Intellectus est universalium, & sensus singularium*, ergo ex eo, quòd scientia infusa animæ Christi sit superior omnibus aliis scientiis, & cognitionibus naturalibus non sequitur, quòd debuerit se extendere ad omnia, quæ attinguntur per scientias naturales. Contra est, quia intellectus noster potest cognoscere singularia absolutè considerata, quamvis nonnisi indirectè & reflexè conjunctus corpori ea cognoscat propter modum intelligendi, quem in corpore habet dependenter à phantasmatibus & per abstractionem à materia, quæ in sententia Div. Thomæ est principium individuationis, quapropter separatus potest directè attingere individua per species infusas. Tum quia intellectus humanus potest eminentiori modo cognoscere singularia quam imaginatio & sensus ; & juxta hunc modum eminentiorem cognoscendi explicat D. Thom. illam propositionem, qua virtus superior dicitur ad plura extendere, quàm inferior : siquidem quidquid potest virtus inferior potest etiam superior eminentiori modo, quę eminentia in virtutibus cognoscitivis potest se tenere, vel ex parte cognoscentis, vel ex parte rei cognitæ : & ex parte rei cognitæ etiam dupliciter vel per alium modum præstantiorem illo, in quem potest virtus inferior, vel in eundem modum objecti, in quem potest virtus superior, & rursus in aliquem alium excellentiorem. Hinc intellectus noster cognoscit singularia modo præstantiori, quàm imaginatio, & sensus ex parte cognoscentis ; quia intellectus immaterialiter imaginatio verò ut etiam sensus nonnisi materialiter ex parte rei cognitæ : siquidem imaginatio & sensus solum attingunt singularia quantum ad accidentia materialiter & extrinseca ; & intellectus ea attingit ad modum quidditatis, qui est modus eminentior. Hinc scientia infusa animæ Christi supereminent aliis scientiis naturalibus non solum ex parte cognoscentis, sed etiam ex parte rei cognitæ, & est nobilior aliis, tam ex parte cognoscentis quam ex parte rei cognitæ, eò quia attingit per se modos omnes pertinentes ad inferiores scientias & alias etiam altiores, ad quos cæteræ scientiæ non possunt pertingere. Probatur secundo assertum quia decens erat, ut non solum potentia naturalis, sed etiam obedientialis animæ Christi reduceretur ad actum secundum saltem quoad objecta naturalia : siquidem Christus ut Caput Angelorum, & hominum debuit habere scientiam rerum in proprio genere excellentiorem scientia Angelorum. Consequenter decuit ut potentia intellectiva animæ Christi reduceretur ad actum secundum in ordine ad omnia objecta naturalia, quæ attinguntur ab intellectu Angelico, alioquin si intellectus humanus Christi non se extendisset ad omnia objecta naturalia etiam singularia non habuisset hanc excellentiam, quod dici nequit, quia tametsi Christus ut homo fuerit minoratus ab Angelis secundum passionem, non tamen secundum scientiam, quia Christus ut homo docuit Angelos, quorum fuit Magister, & Christus non potuit Angelos edocere, nisi per hanc scientiam infusam, siquidem visio beata est immediatè à Deo & per modum principii formalis, ac per modum objecti proinde Christus Angelos edocuit non per scientiam beatam, sed infusam, quæ propterea fuit in Christo excellentior scientia Angelorum, proinde sicut Angeli cognoscunt omnia objecta naturalia non solum in communi secundum rationes genericas, & specificas, sed etiam distinctè & in particulari ; ita à fortiori hæc omnia debuit Christus attingere per scientiam infusam.

Si dicas, objecta naturalia non exigere attingi à scientia supernaturali, cujusmodi fuit hæc scientia infusa animæ Christi. Contra est, quia sicut entitas materialis potest attingi per actum spiritualem ; ita entitas naturalis potest terminare cognitionem supernaturalem. Præterea licèt objectum non possit cognitionem sui excedere excessu ordinis, adeo ut entitas spiritualis non possit cognosci materiali, neque supernaturalis naturali ; non tamen est necesse, ut objectum non excedatur à cognitione. Entitas enim finita de facto terminat cognitionem infinitam Dei, & cognitio angelica licet spiritualis sit attingit objecta materialia : quamobrem naturalitas objecti non obstat, quo minus possit terminare cognitionem supernaturalem. Præterea scientia naturalis infusa animæ Christi fuit naturalis, & in eodem ordine cum ipsis rebus naturalibus, fuerunt enim species infusæ ejusdem ordinis cum speciebus acquisitis per conversionem ad phantasmata ac mediis sensibus.

Dicendum tertiò animam Christi per scientiam per se infusam cognovisse quidditativè, & clarè effectus supernaturales, ita Div. Thomas & communiter Theologi, & suadetur, quia omnia quæ per revelationem hominibus innotescunt, cognoscuntur ab anima Christi per scientiam infusam supernaturalem, sed dona supernaturalia creata innotescunt hominibus per revelationem : ergo anima Christi per hanc scientiam infusam cognovit omnes effectus supernaturales, major ex eo suadetur, quia cùm

fuerit Christus caput totius Ecclesiæ ratione unionis hypostaticæ, debebatur illi non solum omnis perfectio creata, qua potuit perfici in ratione capitis, verum etiam cognitio eorum, quæ pertinebant ad membra sub eodem capite, unde eo ipso, quòd membris seu aliis hominibus manifestabantur per revelationem dona supernaturalia creata, debuit Christus per scientiam infusam hæc eadem cognoscere: siquidem cognitio horum effectuum supernaturalium est possibilis, ut habeatur in proprio genere, & extra verbum, & de facto beati hanc habent cognitionem in Patria, imò etiam Theologi in via: sed decet dignitatem Christi hanc cognitionem effectuum supernaturalium habere, proinde illam habuit: non enim Christo neganda est ulla perfectio ex illis, quæ ratione unius hypostaticæ possunt eidem convenire, sed non habuit hanc cogniti nem per scientiam acquisitam, cum hæc sit ordinis inferioris, nec per scientiam beatam, quia hæc attingit objecta in verbo, ergo habuit hanc cognitionem per scientiam per se infusam. Præterea quia Christus per scientiam beatam vidit essentiam divinam, ut est ratio, idæa, exemplar effectuum supernaturalium ac passionum eorundem, sed hæc scientia per se infusa fuit subalternata scientiæ beatæ, quia ab hac recipiebat sua principia; proinde potuit intellectus humanus Christi beneficio hujus scientiæ infusæ cognoscere effectus supernaturales, & ex illis inferre eorum passiones, & proprietates. Ut enim cognitio scientifica alicujus objecti sit clara, & evidens, sufficit, si per evidentem consequentiam talis cognitio objecti perducatur à cognoscente ad sua immediatè principia clarè & evidenter cognita, qua ratione habemus evidentiam omnium conclusionum naturaliter cognoscibilium: Christus autem per usum scientiæ per se infusæ reducebat cognitionem effectuum supernaturalium per evidentiam, & consequentiam ad sua principia immediata clarè, & evidenter cognita: siquidem videbat clarè Deum ejusque idæas, ut erant rationes, & exemplaria horum effectuum supernaturalium. Rursus videbat clarè voluntatem Dei determinatam ad productionem eorum, ac evidenter cognoscebat esse causas per se in quas reducitur causalitas cujusvis effectus: igitur Christus per scientiam infusam cognovit effectus omnes supernaturales.

Quòd verò etiam quidditativè eosdem cognoverit ex eo ostenditur, quia omnis obedientialis potentia in anima Christi per hanc scientiam per se infusam fuit reducta ad actum in ordine ad cognitionem rerum, quæ extra verbum haberi potest: sed dona supernaturalia creata, ut sunt gratia, fides, charitas, & alia hujusmodi, possunt extra verbum quidditativè cognosci, estque propterea in anima Christi potentia obedientialis ad has cognitiones quidditativas, siquidem quod potest per speciem propriam evidenter cognosci, potest extra verbum quidditativè cognosci, sed nulla est implicantia: quòd dona supernaturalia creata per propiam speciem clarè & quidditativè repræsententur: siquidem sunt finitæ quidditatis ac limitatæ cognoscibilitatis, proinde hi effectus supernaturales sunt repræsentabiles per species finitas, & cognoscibiles per cognitionem finitam, consequenter possunt extra verbum quidditativè cognosci, & anima Christi habuit potentiam obedientialem ad talem cognitionem: & quia potentia obedientialis reducta fuit ad actum, ne maneret imperfecta, sequitur Christum de facto cognovisse quidditativè hos effectus supernaturales. Tum quia si aliqui effectus supernaturales non possent in se ipsis extra verbum cognosci quidditativè maximè ii essent, qui cum DEO trino, & uno nectuntur objectivè ut sunt gratia habitualis, lumen gloriæ, visio beatifica, & virtutes theologicæ: sed hi effectus supernaturales possunt extra verbum quidditativè cognosci, quia tametsi nectantur objectivè cum Deo, possunt nihilominus per species proprias supernaturales, & creatas in se ipsis quidditativè repræsentari: sed quæ per proprias species repræsentantur possunt iisdem mediantibus in se ipsis quidditativè cognosci, quia omnis species repræsentativa objecti potest esse principium cognitionis illius: ergo de facto intellectus humanus Christi per scientiam infusam cognovit clarè, quidditativè effectus supernaturales. Præterea potentia tunc potest attingere objectum, quando ab isto non exceditur: & est intra sphæram objecti ejusdem potentiæ. Atqui hoc pacto se habent effectus supernaturales in ordine ad intellectum humanum Christi instructum scientia per se infusa, quia tales effectus cùm sint cognoscibiles comprehenduntur intra sphæram objecti intellectus: rursus sunt limitatæ quidditatis, consequenter finitæ repræsentabilitatis, & possunt clare & quidditativè repræsentari per speciem finitam & limitatam. Quòd si dicas hos effectus terminari ad Deum ut est in se proinde per speciem creatam non posse quidditativè repræsentari. Contra est, quia hujusmodi effectus per species proprias in se possunt quidditativè repræsentari: ut enim respectivum alicujus extrinseci repræsentetur quidditativè non est necesse ut terminus inspectus etiam quidditativè repræsentetur, sed sufficit, si repræsentetur quoad *an est* ergo nil obstat quò minus hujusmodi effectus supernaturales potuerint clarè & quidditativè cognosci ab intellectu animæ Christi.

Dices dona supernaturalia creata non possunt per scientiam infusam quidditativè cognosci, etenim gratia habitualis nequit ab anima Christi per scientiam infusam quidditative cognosci, non cognita quidditativè divina essentia: siquidem gratia habitualis est formalis participatio naturæ divinæ 2. Petri 1. *Per quem maximè pretiosa nobis p omissa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ:* atqui participatio formalis alicujus rei non potest quidditativè cognosci non cognita etiam quidditative re, cujus est formalis participatio: eo ipso quod res aliqua est formalis participatio alterius, sicut non potest ab illa quoad esse separari: ita neque potest cognosci sine illa, sicut enim res se habet ad esse, ita ad cognosci; & cum intellectus creatus per scientiam infusam nequeat quidditativè cognoscere divinam essentiam, ita neque potest quidditative attingere gratiam habitualem. Præterea lumen gloriæ non posse quidditative cognosci per scientiam infusam, sed tantùm per visionem beatificam ex eo evincitur facilè, quia lumen gloriæ excedit quodlibet aliud lumen creatum estque ordinis superioris, proinde per nullum lumen ab ipso distinctum potest quidditativè cognosci: sed cognitio luminis gloriæ habita ex vi ejusdem luminis est ipsa visio beatifica, & ejus cognitio in verbo, non est extra verbum, quia quidquid mediante lumine gloriæ cognoscitur, attingitur in divina essentia ut in objecto priùs cognito. Ergo non potest lumen gloriæ quidditativè cognosci extra verbum per scientiam infusam, sed tantum in verbo, & per scientiam beatam.

Q d

Quòd nec etiam possit quidditativè cognosci ipsa visio beatifica, quin Deus ut est in se quidditativè cognoscatur, ex eo evincitur, quia non potest ulla relatio quidditativè cognosci, quin pariter ejus terminus quidditativè cognoscatur: sed quia visio beata dicit ordinem transcendentalem ad Deum, ut est in se, siquidem Deus ut est in se, est ejus objectum, proinde nequit visio beatifica quidditativè attingi, quin simul cognoscatur quidditativè Deus ut est in se, Deus autem non potest in se quidditativè cognosci per scientiam infusam, sed tantùm per visionem beatam. Ergo Christi anima per scientiam per se infusam non cognovit quidditativè omnes effectus supernaturales. Sed contra negatur non posse dona supernaturalia, cujusmodi sunt gratia sanctificans lumen gloriæ, & visio beatifica cognosci quidditativè per scientiam infusam, ad gratiam quod attinet, respondetur, quòd ut intellectus cognoscat gratiam habitualem participare formaliter divinam naturam, satis est, si evidenter cognoscatur divina natura quoad *an est*, quia convenientia formalis in esse gratiæ cum natura divina est tantùm analoga non univoca: quamobrem ut intellectus creatus quidditativè cognoscat gratiam sanctificantem non est opus, ut etiam cognoscat quidditativè divinam naturam cujus gratia sanctificans est formalis participatio: quod ex eo potest declarari, quia etiam intellectus creatus est participatio formalis intellectus divini, & nihilominus quamvis Angelus cognoscat clarè, & quidditativè, imò etiam comprehensivè intellectum humanum, non tamen cognoscit quidditativè intellectum divinum ex eu præcisè, quòd quidditativè attingat intellectum humanum, ita à pari, quamvis intellectus creatus per scientiam infusam cognoscat quidditativè gratiam sanctificantem, quæ est formalis participatio naturæ divinæ non sequitur: quod debeat etiam quidditativè cognoscere naturam divinam. Ad aliud de gloriæ lumine, respondetur, quòd tametsi lumen gloriæ in ratione immaterialitatis excedat quodlibet aliud lumen situque in ordine superiori, adhuc potest per aliud lumen creatum supernaturale cognosci quidditativè, quia cognitio quidditativa non exigit specificam convenientiam inter objectum cognitum, & potentiam cognoscentem: siquidem lumen gloriæ est principium cognitionis quidditativè Dei, & tamen cum Deo non convenit specificè: ergo Christus per scientiam per se infusam, potuit quidditativè cognoscere lumen gloriæ. Ad tertium, quod addebatur de visione beatifica negatur assumptum, quia ut visio beatifica quidditativè cognoscatur sufficit, si innotescat divina essentia quoad *an est*, non enim ut cognoscatur quidditativè aliqua relatio, opus est ut simul cognoscatur quidditativè ejus terminus, alioquin non posset Angelus naturaliter cognoscere relationem transcendentalem dependentiæ creaturæ ad Deum, cùm non possit Angelus naturaliter Deum cognoscere quidditativè: unde quamvis visio beatifica dicat intrinsecam habitudinem ad Deum ut est in se, & Christus per scientiam infusam præcisè non cognoscat quidditativè divinam essentiam in eo sensu, in quo sumitur hic cognitio quidditativa: quia cognitio quidditativa supra cognitionem evidentem quidditatis rei, addit, quod fiat per propriam speciem, vel per speciem rei continentis illam eminenter, vel virtualiter: sed ut cognoscatur visio beata quidditativè, sufficit, si cognoscatur Deus, ut terminans habitudinem visionis in ipsa visione beatifica ut in objecto priùs cognito, & quia visio beatifica non continet eminenter Deum, neque potest conducere in cognitionem quidditativam quidditatis Dei, sed tantùm in cognitionem evidentem divinæ quidditatis: alia etiam est cognitio quidditativa rei, & alia cognitio evidens quidditatis rei.

Dicendum quartò, Christum per scientiam infusam supernaturalem cognovisse comprehensivè omnes præfatos effectus supernaturales. Ratio est, quia cognitio comprehensiva alicujus effectus, vel objecti non exigit, ut lumen intellectuale, & species intelligibiles repræsentantes tale objectum sint tantæ perfectionis essentialis quoad esse, quantam includit objectum comprehensum; sed sufficit si sint tantæ perfectionis, in illud repræsentando, ut clarè manifestent omnes ejus perfectiones, omnesque habitudines, & connexiones, quas habet ex natura sua, vel potest habere cum aliis: hæc autem perfectio reperitur in lumine, & speciebus scientiæ infusæ animæ Christi respectu cujusvis effectus supernaturalis: ergo anima Christi per hanc scientiam infusam cognovit comprehensivè omnes præfatos effectus supernaturales. Major suadetur, quia lumen intellectuale, quo Angelus se ipsum comprehendit, non est tantæ perfectionis essentialis quoad esse quantam habet substantia Angeli comprehensi: siquidem substantia est causa illius luminis, eò quia connaturaliter tanquam proprietas causatur ex principiis talis substantiæ, & causatum semper est quid imperfectius causâ, saltem ratione dependentiæ ab illa. Probatur eadem major quoad species intelligibiles; quia sufficit etiam si hæ habeant virtutem ad clarè manifestandam omnem perfectionem, quam objectum in se continet vel formaliter, vel eminenter, & omnes connexiones, & habitudines, quas habet, vel potest habere cum aliis: ex eo quod species intelligibiles habent hanc virtutem faciunt objectum cognosci, quantum est cognoscibile ex propria natura, quod sufficit ad comprehensionem. Sed hæ perfectiones reperiuntur in lumine, & speciebus infusis animæ Christi: quia Christus in Verbo comprehendit omnem creaturam, omnemque potentiam, & virtutem ipsius, ac omnia quæ habet formaliter, vel eminenter, ut communiter docent Theologi: proinde ex illa cognitione potuit Christus inferre aliam pertinentem ad hanc scientiam, quæ clara esset respectu eorum omnium, consequenter esset comprehensiva: potest enim hæc scientia per se infusa convenire cum scientia beata in iisdem conclusionibus de rebus creatis supernaturalibus, ac eidem subalternari: scientia enim beata claritatem in se; & scientia infusa illam non habet, nisi prout connectitur cum scientia beata, cui subalternatur. Præterea quia pertinebat ad dignitatem Christi, ut ejus scientia infusa tantæ esset perfectionis, ut potens esset comprehendere effectus supernaturales.

Dicendum quintò, Christum per scientiam infusam supernaturalem cognovisse secreta cordium, & futura contingentia. Differunt secreta cordis, seu actus liberi, & futura contingentia, quia secreta cordis dicunt actus liberos purè internos; Futura verò contingentia dicunt effectus actuum liberorum, cujusmodi sunt operationes externæ dependentes ab actibus liberis. De fide est Christum cognovisse secreta cordium infallibiliter & colligitur ex scripturis Matth. 19. *Cum vidisset Jesus cogitationes eorum.* Luc. 19. *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo.* Difficultas est, an Christus per scientiam infusam supernaturalem cognoverit hæc secreta cordium. Plures docent, Christum cognovisse hæc omnia per scientiam infusam; non tamen in se ipsis,

& pro illa differentia temporis, in qua futura erant, sed tantùm in evidenti revelatione Dei. Alii verò asserunt, Christum cognovisse hæc omnia per scientiam infusam, clarè ac evidenter; & hæc scientia est præferenda primæ, quia ut docet D. Thomas 3. *part. art.* 1. Christus per scientiam infusam cognovit omnia, quæ per revelationem hominibus innotescunt: sed homines per revelationem cognoscunt cogitationes cordium, & futura contingentia: ergo hæc omnia cognovit Christus per scientiam supernaturalem per se infusam. Ratio eadem hoc suadet: quia hæc scientia infusa concessa fuit Christo, ut ejus anima magis perficeretur, quatenus per hanc scientiam reduceretur ad actum potentia ejus obedientialis: sed in anima Christi est potentia obedientialis ad cognoscendum per scientiam infusam secreta cordium: potentia enim obedientialis in anima Christi se extendit ad id omne quod non involuit contradictionem, & non repugnat fini humanitatis assumptæ; & nulla potest assignari implicantia in eo, quòd cogitationes cordium, & futura contingentia cognoscantur; neque hujusmodi cognitio repugnat fini incarnationis: ergo de facto fuit in Christo. Præterea cum secreta cordium, & futura contingentia in se ipsis habeant determinatam veritatem, cognoscibilitatem, & repræsentabilitatem, & non repugnet posse produci à Deo species quæ secreta cordium, & futura libera in se repræsentent; & conveniens fuerit ut Christi animæ infunderentur, ut ejus humanitas esset perfecta quoad omnes animæ potentias; concludendum est, hujusmodi species fuisse animæ Christi infusas, & Christum beneficio earumdem cognovisse secreta cordium. Præterea quia pluribus hominibus sanctitate illustribus hæc secreta cordium, & futura contingentia libera innotuerunt 1. ad Corinth. 2. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum; nobis autem revelavit Deus per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei*: ac si Apostolus Paulus diceret, ea quæ per species à rebus desumptas non possumus cognoscere, hujusmodi sunt dona gratiæ, & gloriæ, Deus hominibus sanctis revelavit per spiritum sanctum. Quod si hæc cognitio fuit pluribus viris sanctis concessa, debuit etiam Christo dari, cum sit rex universorum, & Dominus omnium, & futurus est judex horum secretorum cordis: hinc congruum erat, ut Christus etiam ut viator hanc haberet cognitionem; unde Matth. 9. cum vidisset Jesus cogitationes eorum dixit: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris*, & cap. 12. *Jesus autem sciens cogitationes eorum*. Præterea quia Christo titulo magisterii debita erat hæc futurorum cognitio; ut hoc suffragio suam muniret doctrinam: quia signum divinitatis est prænotio futurorum liberorum Isaiæ 41. *Nunciate nobis ventura, & dicemus quia Dii estis*. Hinc Tertullianus Apolog. cap. 20. *Idoneum opinor testimonium divinitatis futura divinare*, & notat Lactantius, divinitatem à divinatione dici, per inde ac ab homine humanitas.

Præterea, quia omnis perfectio possibilis non incompassibilis cum majori perfectione est tribuenda animæ Christi: sed cognitio futurorum contingentium, ac secretorum cordis in se ipsis est possibilis, & non incompassibilis cum majori perfectione: ergo est Christo tribuenda. Major est clara quia Christo debuit tribui ea major perfectio possibilis non incompassibilis cum majore perfectione, & non potest dari alia major perfectio, cum qua non compatiatur cognitio futurorum contingentium, & secretorum cordis. Minor ostenditur, quia Deus futura libera in se cognoscit: & non est ratio cur hæc eadem cognitio possit à Deo creaturæ communicari: ergo de facto fuit animæ Christi communicata.

CAPUT VI.

An Christus habuerit scientiam per se acquisibilem, & quomodo?

Ea scientia dicitur per se acquisibilis quæ licèt de facto aliquando infundatur, quo pacto fuit infusa Adamo in primo suæ creationis instanti, ut docet D. Thomas 1. *part. q.* 94. *art.* 3, per se tamen, & connaturaliter exigit per nostros actus, & exercitia potentiæ acquiri; & per hoc differt à scientia per se infusa, quia huic repugnat essentialiter acquiri nostris actibus; adeo ut per se, & connaturaliter exigat haberi per infusionem; & nunquam ab intrinseco per subjecti efficientiam.

Dicendum est, in Christo fuisse scientiam ex genere suo acquisitam, ita communiter cum D. Thoma 3. *part. q.* 8. *art.* 4. suadetur, quia omnis potentialitas naturalis animæ Christi debuit reduci ad actum, ne maneret imperfecta & quo magis perficeretur: atqui anima Christi viatoris fuit in potentia naturali ad habendam scientiam per se acquisibilem: etenim fuit anima Christi ejusdem speciei cum cæteris animabus ratione utentibus; quibus inest hæc potentia ad scientiam per se acquisibilem veluti proprietas dimanans ab essentia animæ rationalis: ergo sicut potentia perfectior est cum suo actu, quàm sine illo; & conveniens erat, ut omnis potentia in Christo esset perfecta juxta propriam exigentiam, ideo debuit inesse animæ Christi scientia per se acquisibilis. Firmatur quia ex eo quòd Christus fuerit in potentia ad scientiam beatam de facto illam habuit: ergo ex eo quod fuerit in potentia ad scientiam per se acquisibilem, debuit de facto eam habere, ut omnis potentia in Christo compleretur per suos actus, ac perficeretur juxta propriam exigentiam. Rursus ex eo quòd fuerit in potentia ad scientiam supernaturalem per se infusam ut potentia obedientialis in anima Christi perficeretur eam habuit. Præterea quia non minus fuit in anima Christi perfecta potentia intellectiva, quàm ejus voluntas: sed voluntas Christi præter virtutes per se infusas, habuit etiam alias virtutes per se acquisibiles: ergo hoc idem dicendum est de potentia intellectiva: ergo fuit in Christo scientia per se acquisibilis.

Neque obstat, quòd Christus per scientiam infusam cognoverit perfectiori modo, ac evidentiori omnia quæ per scientiam per se acquisibilem posset cognoscere: ac propterea hæc scientia per se acquisibilis, supposita infusa est in Christo frustranea, ac omnino supervacanea: Nam contra est ne ur consequentia, quia ad perfectionem intellectus Christi non solùm pertinuit omnia objecta cognoscere, sed etiam omni modo, quo erant cognoscibilia;

quia

quia non solùm fuit in potentia ad res ipsas in se ipsis cognoscendas, sed etiam ad modum diversum quo erant cognoscibiles: propterea sicut in anima Christi præter scientiam beatam, quâ res in verbo perfectissimè cognoscuntur: ponitur etiam scientia infusa quâ res eædem cognoscuntur extra Verbum, idque non ob aliam causam nisi quia cum sint res cognoscibiles utroque modo & spectet ad perfectionem animæ Christi cognoscere res omni modo, quo sunt cognoscibiles, ideo communiter Theologi præter scientiam beatam ponunt in Christo scientiam infusam: sed res naturales non solum sunt cognoscibiles in Verbo per visionem beatam: & extra Verbum per species à Deo infusas, sed etiam extra Verbum per species à phantasmatibus abstractas, ergo eadem ratione, qua Christo præter scientiam beatam conceditur scientia infusa, est etiam concedenda scientia per se acquisibilis. Firmatur secundò, quia anima Christi sicut est in potentia ad intelligendum per conversionem ad superiora recipiendo perfectionem ab illis, scilicet species impressas per infusionem à Deo: ita est etiam in potentia ad intelligendum per conversionem ad inferiora per species ab ipsis acceptas, & medio intellectu agente abstractas à phantasmatibus; atqui ut prior potentia compleatur, & ad actum reducatur, constituuntur in anima Christi scientia per se infusa naturalis, & scientia per se infusa supernaturalis, ergo ut secunda potentia compleatur, seu reducatur ad actum, sunt in ipsa constituendæ species per se acquisibiles, consequenter etiam scientia ex genere suo acquisita, quæ vel in his speciebus consistit, vel illas per se supponit.

Dicendum est secundò Christum per hanc scientiam acquisitam cognovisse omnia objecta scientiarum, & artium naturalium non in unica simplici scientia acquisita, sed in pluribus juxta objectorum diversitatem. Suadetur, quia Christus etiam in naturalibus fuit perfectior Adamo, & Salomone: sed Adam habuit cognitionem omnium objectorum naturalium: ut docet D. Thomas 1. *part. quæst.* 49. *art.* 3. & colligitur ex *Eccles. cap* 7. Quinimò etiam Salomoni dedit Deus scientiam naturalem rerum omnium naturalium, ut habetur 3. *Reg.* 4. proinde à fortiori debuit Christus per scientiam acquisitam hæc omnia cognoscere, alioquin virtus naturalis intellectus agentis non habuisset in Christo eam perfectionem, quam habuit in Adamo, & Salomone. Quòd etiam cognoverit objecta artium naturalium, ex eo est probatu facile, quia hæc omnia cognovit Christus per scientiam sibi inditam, & infusam, consequenter potuit etiam cognoscere per cognitionem acquisitam: unde sicut potuit Christus tali modo objecta cognoscere ideo ut potentia esset in Christo perfecta ita conveniens erat, ut Christus hæc eadem objecta tali peculiari modo cognosceret. Neque obstat, si dicas, inde secuturum Christum habuisse etiam scientiam magicam acquisitam, quod non est concedendum, alioquin posset objici, quòd miracula fecerit arte magica. Nam contra est, quia ut docet D. Thomas magia ut sistit in pura cognitione, est bona, & laudabilis, quia cognitio etiam malorum ut sic bona est, quia formaliter est etiam in Deo, & tantùm ejus usus est vitiosus, & malus, hinc docet D. Thomas hanc scientiam fuisse in Christo tantùm quoad cognitionem, non ita quoad usum: neque inde sequitur posse objici Christum arte magica fecisse miracula: siquidem miracula arte magica facta vera non sunt, sed falsa, estque uti magia ope Dæmonum, quibus Christus erat potiùs invisus, proinde non potuissent homines Christo objicere, quòd arte magica fecerit miracula. Dices theologia nostra est vera scientia physica virtute intellectûs agentis, & tamen non fuit in Christo, quia Christus per scientiam beatam, & infusam longè eminentiore modo cognoscebat, quæ à nobis beneficio theologiæ cognoscuntur, ergo Christus non habuit scientiam acquisitam nostræ theologiæ, quia habuit scientiam eminentiorem, quàm quæ possit acquiri virtute intellectus agentis, & omnis scientia, quæ non habetur per infusionem, acquiritur virtute intellectus agentis, & quia theologia nostra non habetur per infusionem, sequitur, quòd virtute intellectus agentis acquiratur. Sed contra, quia theologia est scientia supernaturalis, quæ non acquiritur virtute naturali intellectus agentis, sed ab intellectu ut elevato à lumine fidei, ut docet D. Thomas 1. *part. quæst.* 1. *art.* 7. est enim lumen fidei principium subalternans respectu theologiæ: quia verò fides ob suam obscuritatem non est compatibilis cum lumine gloriæ, ideo in intellectu beato non datur hæc fidei obscuritas, sed clariori lumine cognoscuntur objecta nostræ theologiæ, & quidem theologicè, quatenus cognoverat Christus conclusiones theologicas deduci ex una præmissa evidente, & altera saltem de fide: quod verò id cognoverit sine imperfectione obscuritatis, sed cum lumine clariori, conducebat ad majorem Christi perfectionem.

Dicendum tertio, probabile esse scientiam hanc naturalem acquisibilem dependentem à sensibus fuisse infusam animæ Christi à primo instanti suæ conceptionis in gradu adeo perfecto, ut in tali scientia nunquam deinceps potuerit crescere, sed tantùm in scientia experimentali, adeo ut tantùm acquisiverit experimentum illius scientiæ, quæ ab initio fuit sibi infusa, & juxta incrementum experimenti diceretur Christus *Luc.* 2. Proficere sapientia, & ætate, & ad Hebræ. 5. *Cum esset Filius Dei didicit ab iis, quæ passus est, obedientiam:* hoc est, quatenus expertus fuerat dolores, tormenta, convicia, & mortem ipsam. Ratio itidem ex eo desumitur, quia cùm hæc scientia naturalis acquisibilis data fuerit per infusionem specierum ab initio suæ productionis Adamo decuit, ut per infusionem etiam daretur Christo. Secundò quia virtutes naturales appetitus datæ sunt Christo ab initio, ergo etiam dari debuerunt scientiæ naturales, quia sine istis virtutes illæ naturales fuissent frustraneæ. Tertiò quia si Christus nonnisi per sensus acquisivisset hanc scientiam naturalem nonnisi valdè imperfectam, ac mutilam eam habuisset, quia per ministeria sensuum non poterat haberi experimentum rerum nisi paucarum. Quartò quia cùm virtutes morales fuerint ab initio gradu heroico infusæ Christo, ita etiam debuerunt scientiæ naturales in statu perfecto statim ab initio suæ conceptionis infundi animæ Christi, quia non est major ratio de virtutibus, quàm de scientia. Demum quia hæc scientia acquisibilis fuit debita Christo ratione unionis hypostaticæ, consequenter fuit debita ab initio, cùm primùm humanitas Christi fuit hypostaticè unita Verbo divino, & quidem in tam perfecto gradu, ut non potuerit amplius crescere defectu majoris capacitatis in subjecto. Si dicas scientiam naturalem dependere à phantasmatibus, consequenter fuisse omnino inutilem Christo ab instanti suæ conceptionis, quia Christus in ea ætate non potuit uti phantasia ob indispositionem organi, proinde non fuit hæc scientia acquisibilis infusa animæ Christi statim ab initio suæ conceptionis. Sed contra quia tametsi Christus

non potuerit uti hac scientia, donec organa fuerint ad suas functiones obeundas idonea, non tamen inde sequitur fuisse in Christo inutilem, quia fuit ei debita ratione unionis hypostaticæ: præterea quia in illa tenella ætate erat ornamento animæ Christi, & pertinebat ad complementum, & perfectionem humanitatis, etenim etiam pueto adhuc in Matris utero clauso videtur inutilis intellectus, eò quia tunc non possit puer uti hac potentia, & tamen intellectus ex hypothesi, quod distingueretur ab anima adhuc infunderetur puero unà cum anima statim ab initio, eò quia anima intellectum exigeret: pari pacto quia humanitati Christi ratione unionis hypostaticæ conveniunt omnes scientiæ acquisibiles, ideo ut ab iisdem perficeretur, erant eidem debitæ statim ab initio suæ conceptionis. Si instes, potuisse Christum aliquid ab Angelo discere, alioquin non potuisset Angelus ante passionem eum confortare, & consolari, & quia hæc scientia non potuit augeri, videtur dicendum non fuisse saltem ab initio infusam Christo. Contra est, quia Christus non potuit ab Angelo, nec ab homine quidquam addiscere, quo augeretur illa scientia naturalis sibi indita ab initio, sed tantùm potuit augeri ejusdem scientiæ experimentum, adeo ut tota scientia, quæ in Christo fuit adaucta, fuerit tantùm experimentalis. Quòd non didicerit quidquam ab homine liquet ex illo Matth. 13. & Marc. 6. *Mirabantur in doctrina ejus dicentes: Unde huic sapientia? & quæ est hæc sapientia, quæ data est illi?* & Joan. 7. *Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?* Præterea quia Magister docens, ac illuminans discipulum cæteris paribus habet majorem, ac perfectiorem cognitionem, quàm habeat discipulus: sed nullus homo habuit perfectiorem cognitionem, quàm habuerit Christus, cujus intellectus etiam in naturalibus fuit perfectissimus ob lumen gloriæ, & scientiam infusam, ergo Christus non didicit quidquam ab homine. Quod verò neque didicerit ab Angelis liquet ex illo Joan. 7. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris.* Hoc idem etiam probant illa argumenta quibus usus est Christus *Luc.* 1. ad ostendendum, se non expellere Dæmonia in virtute Dæmoniorū, tum quia Christus ut docet D. Thomas non habuit Angelum custodem, quia proprium munus Angeli custodis est illuminare animam, quam custodit, ac eam docere: sed Angeli non potuerunt illuminare nec docere animam Christi, ergo nullus fuit Angelus à quo Christi anima illuminaretur. Quòd si dicas Angelos subinde proposuisse Christo aliqua objecta sensibilia ab iisdem cognita, & ex quibus posset Christus cognitionem naturalem acquirere. Contra est, quia ex hoc non sequitur Angelos illuminâsse Christum, quia ut unus alterum illuminet, requiritur ut illi tale medium tradat, quo possit aliquid de novo cognoscere, quod antea non poterat cognitione assequi: sed Christus per species infusas ac lumen sibi inditum poterat in potentia proxima ea omnia cognoscere, & cognitione supernaturali formare phantasmata, ex quibus abstraheret species, pro naturali cognitione: hinc Christus non illuminabatur ab Angelo repræsentante talia objecta sensibilia: sicut quando discipulus interrogat Præceptorem ei proponit objecta: quibus excitatur ad formanda phantasmata eorundem vel etiam actualem cognitionem, & nihilominus discipulus non dicitur Magistrum illuminare de talibus objectis, & quidem non alia ratione, nisi quia poterat Magister independenter à tali modo eadem objecta cognoscere. Si dicas Christum crevisse ætate, & sapientia, Luc. 2. *Proficiebat sapientia, & ætate*, consequenter non fuit hæc scientia acquisibilis ab initio infusa Christo, sed paulatim & per plures actus acquisita. Contra est, quia ad hæc & plura alia tum scripturarum, tum sanctorum Patrum testimonia solet responderi, Christum profecisse quidem in naturali cognitione per actualem experientiam, & in scientia experimentali, est enim experientia respectu singularium, & propriè loquendo est incogitativa hominis, quæ virtus est circa singularia, ut docet Philosophus. Quamobrem Christus profecit in naturali cognitione per actualem experientiam quatenus de novo cognoscebat plura singolaria experimentaliter, in quo sensu intelligitur illud ad Hebræ. 5. *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam*, hoc est per experientiam, ut etiam illud *Isaia* 7. ubi de Christo dicitur, *Antequam puer sciat vocare Patrem, & Matrem.*

CAPUT VII.

De descensu animæ Christi ad inferos.

Certum est Christum descendisse ad inferos, seu Christo jam mortuo ejus animam ad inferos descendisse, ibique tamdiu mansisse, quamdiu ejus corpus fuerit in sepulchro, adeo ut eadem incarnati Verbi persona toto eo tempore fuerit cum anima apud inferos, & cum corpore in sepulchro, quod enim semel assumpsit nunquam dimisit, unde persona Verbi nec ab anima, nec à corpore separata est, cùm mors animam à corpore divulsit. Nomen inferorum indicat abdita illa receptacula, in quibus detinentur animæ, quæ cœlestem beatitatem nondum fuerunt assecutæ; hæc autem abdita receptacula ante Christi Domini resurrectionem tria fuisse scilicet infernum damnatorum, purgatoriom, & limbum, docet Concilium Tridentinum. Est infernus infima regio terræ sive carcer deterrimus, & obscurissimus, ubi animæ damnatorum in æternum destitutæ lumine gloriæ igne inextinguibili cum diabolo, ejusque sociis torquentur; alio nomine vocatur gehenna, & abyssus, in scripturis verò infernus dicitur. Purgatorium est locus, in quo piorum animæ quibusdam peccatorum venialium maculis infuscatæ, vel pœnis peccatorum obnoxiæ ad definitum tempus tortæ expiantur, ut à quovis nævo defecatæ æterna postea donentur beatitudine & in patriam introducantur cœlestem, in quam nihil coinquinatum potest introire & hæc duo receptacula tam ante Christi passionem, quam post ejus mortem communia sunt. Præter hæc duo abdita receptacula datur etiam limbus, estque regio subterranea superior aliis & in qua animæ sanctorum, quibus nulla labes purganda, nec ulla pœna pro peccatis supererat solvenda, ante Christi Domini adventum detinebantur absque ullo doloris sensu, & enutritæ beata spe redemptionis: siquidem differebatur eorum beatitudo usque ad Christi adventum, siquidem communis reatos naturæ lapsæ ex peccato originali tunc superstes, donec Christi passione, ac morte deleretur, cœli portas clauserat, cujus clavis Christi sanguis fuit, quapropter Apostolus ad Hebræ. 9. ait,

Nondum propalatu erat sanctorum via. Detinebantur justi in hoc abdito receptaculo limbi, eò quia ob peccatum originale usque in finem mundi miseriis & morti obnoxii facti erant neque cœlestem patriam poterant ingredi donec per Christi passionem iis aperiretur. Locus iste, quem Theologi limbum vocant Patrum, Christus in Evangelio vocavit sinum Abrahæ, & in eum Lazari mendici animam ab Angelis deportatam fuisse etiam testatur. Anima igitur Christi non virtute tantum, & operatione sed etiam re, & præsentia descendit in hunc locum, qui limbus dicitur, ut ex pluribus scripturæ locis desumitur Psalm. 15. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis, Sanctum tuum videre corruptionem*; hunc enim textum sanctus Petrus Actor. II. intelligit de Christo, dicens: *Providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Et Div. Paulus ad Ephes. 4. ait: *Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ, qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia.* Neque quidquam de summa Christi dignitate, & potestate detractum est, cum Christi anima ad inferos descendit, quia illuc descendit *inter mortuos liber*, seu ut victor sua virtute potestates tenebrarum profligaret, & eorundem spolia eriperet, seu S. Patres, & justos omnes, qui ante ejus passionem obierant è limbo solutos secum adduceret in cœlum, eosq; beata visione donaret, & tunc impletum fuit, quod latroni pœnitenti promiserat, *hodie mecum eris in paradiso*, & impleta etiam fuerunt à Prophetis prænunciata Ps. 67. *Cantate Deo Psalmum, dicite nomini ejus, iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi, qui educit vinctos in fortitudine similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris. ascendisti in altum, cæpisti captivitatem, accepisti dona in hominibus*, hæc enim prophetice pronunciata de Christo Jesu intellexit D. Paulus ad Eph. 4. vers. 8. Sunt etiam plures aliæ in scripturis prophetiæ, quibus Prophetæ hunc Christi descensum ad inferos prædixerunt Oseæ 6. *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus, sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum. Quasi diluculum præparatus est egressus ejus, & veniet quasi imber nobis temporaneus & serotinus terræ.* & cap. 13. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua ò mors, morsus tuus ero inferne.* Zachar. 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Convertimini ad munitionem vincti spei, hodie quoque annuncians duplicia reddam tibi.* Hoc idem etiam scripsit Apostolus ad Colos. cap. 2. inquiens: *Exspolians principatus, & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semet ipso.* Quod si quæras, cur Christi anima ad inferos descenderit cum sine tali descensu potuerit animas justorum, qui ibi detinebantur liberare, & secum in cœlum trahere. Respondent Sancti Patres, animam Christi post mortem ad inferos descendisse, ut nomen ejus sicut in cœlo, & in terra, ita etiam in illa tenebrarum regione coleretur, hinc Apostolus ad Phil. 2. *Ut in nomine Jesu omne genu flecteretur cælestium, terrestrium, & infernorum.*

Hæretici expendentes hunc animæ Christi post passionem descensum ad inferos in plures abierunt errores. Prenzius in Catechismo ait: Descendere ad inferos, perinde esse, ac penitus interire, & Christum per hunc descensum fuisse dolores mortis passum, & in Actor. 2. introducit Christum ita loquentem: *Descendam in infernum, sentiam dolores inferni, & plane periisse videbor.* Calvinus in Psychopannychia, ut probaret animas justorum post discessum à corpore non dormire, seu non extingui, ut ajebant quidam Anabaptistæ quod ipse refellit; hoc ostendit ex anima Christi, quæ post separationem à corpore non est extincta, nec absorpta à morte, sed immortalis mansit, & ait hoc significari per verba illa Actor. 2. *Non derelinques animam in inferno*: quæ verba explicans Calvinus ait: *Hæc nobis certissimam fidem faciunt Christum extingui morte non potuisse, etiam secundum hominem vera mors fuit corporis, & animæ solutio; cæterum anima vitam suam nunquam perdidit, quæ Patre commendata non poterat non salva esse. Id volunt verba ex concione Petri, quibus affirmat impossibile fuisse teneri ipsum à morte, ut scriptura impleretur, quoniam non derelinques animam meam in inferno. Nam anima ejus divina virtute suffulta est ne in perditionem rueret, & corpus ejus in sepulchro servatum ad resurrectionem*, ex quibus verbis videtur Calvinus per infernum intellexisse perfectam animæ extinctionem. Siquidem ex eo probat animam Christi in morte corporis non fuisse extinctam, quia ejus anima non fuit absorpta ab inferno; & absorberi ab inferno Calvino est penitus extingui, & nonnullis interjectis, hoc idem etiam clarius explicat inquiens: *Præbet & nobis aliud argumentum immortalitatis animæ suæ cum Jonam triduo immersum in ventre ceti mortis suæ typum constituit. Venter ille mors est, animam igitur salvam in morte habuit.* Hoc idem etiam ostendit ex sacrificio Isaac subdens: *Quid est, quod Isaac non moritur, nisi quia quod proprium est hominis immortale Christus præstitit, hoc est animam? aries verò animal irrationale, qui in ejus locum ad mortem substituitur corpus est.* Ex hisce Calvini verbis deducitur censuisse ipsum animam rationalem esse morti obnoxiam, & post separationem à corpore extingui, & ex suis intrinsecis principiis deficere, nisi à Deo conservetur supra exigentiam ejusdem animæ; & ideo animam Christi post separationem à corpore non fuisse extinctam, quia divinitate suffulta fuit, ac virtute divina immortalitem retinuit in morte corporis: ergo reliqui homines, qui hac virtute divina supra propriam exigentiam non corroborantur in morte penitus extinguuntur, ac eorundem anima desinit esse, ex quo sequitur animam hominis non esse immortalem, sed morti, & totali extinctioni obnoxiam, unde per bona opera non habent justi, quid sperent post mortem in præmium bonorum operum: neque improbi quid timeant ob patrata scelera, quia per mortem anima extinguitur, quæ omnia redolent Atheismum, ac totam evertunt regulam probè vivendi. Quia verò id visum fuit aliquibus Calvini Discipulis valde dissonum rationi, ac divinæ justitiæ, ac bonitati, dixerunt viros pios non extingui morte, eò quia pro se, & pro suis Christus mortem vicerit: sed exinde saltem sequitur omnes impios post mortem extingui, quod tamen negat Calvinus in fine præcitati libri, ubi ait: Etiam impios post mortem vivere, quamvis in pœnis. Quod tamen non bene cohæret cum præcedentibus cùm dixerit Christi animam mansisse immortalem; ex eo, quòd fuerit divinitati conjuncta, & non fuerit permissa ruere in infernum: & quia impiorum animæ non sunt conjunctæ divinitati, post mortem in sententia Calvini penitus extinguuntur. Calvini igitur sententia se ipsam destruit & atheismum redolet. In alios Calvinus errores prolapsus fuit; si-

quidem lib. 2. Instit. cap. 16. §. 8. & sequent. in harmonia Evangelica ad cap. 27. Matth. ait Christum dici descendisse ad inferos, quia passus est dolores animarum damnatarum. Asseruit Calvinus, nullum esse receptaculum abditum subterraneum pro impiis puniendis, neque ullum purgatorium, in quo animæ hinc decedentes reliquias peccatorum, seu pœnas luant, nec à parvis expientur venalium noxarum maculis, neque limbum Patrum: etenim lib. 2. Instit. cap. 16. §. 9. ait: hæc subterranea receptacula esse aniles fabulas, & puerilia terriculamenta; & lib. 3. Instit. cap. ult. ait, pœnas damnatorum nihil aliud esse, quam terrorem, & anxietatem conscientiæ cogitantis Deum esse sibi iratum, ac infestum. Hinc asseruit, Christum descendisse ad inferos, quatenus apprehendit Deum tanquam sibi iratum, & infensum propter nos, & ex metu salutis propriæ amittendæ incredibilem animi anxietatem fuisse passum, & qualem pateretur, qui certò sciret se damnatum esse; & ait propterea verba desperationes protulisse; & lib. 2. Instit. cap. 16. §. 10. ait: *Diros in anima cruciatus damnati, ac perditi hominis pertulit*, & §. 12. ait: *Hic Nebulones quidam licet indocti malitia tamen magis, quam justitia impulsi clamitant, me atrocem facere Christo injuriam; quia minimè consentaneum fuerit, eum de anima salute timere.* In harmonia Evangelica in Matth. 27. ait: Christum non quidem desperasse, sed emisisse vocem desperationis, cum protulit verba illa *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Circa tempus quo anima Christi descendit in infernum, asserit eadem hora quâ in horto cœpit contristari & orare; deinde profundius descendisse cum cruci affixus dixit, *Deus meus, ut quid dereliquisti me*; ac tandem profundissimè, quando coram Dei tribunali comparuit reus æternæ mortis, ac severissimum judicium irati Numinis sustinuit, ait ipse lib. 2. Instit. cap. 16. §. 12. *Si nunc roget quispiam an tunc descenderit ad inferos Christus cùm mortem deprecatus est: respondeo hoc fuisse exordium; unde colligi potest, quam diros & horribiles cruciatus perpessus fuerit; cum se ad tribunal Dei reum stare cognosceret nostrâ causâ*, quanto verò tempore manserit in inferno quamvis expressè non significet, videtur tamen indicare usque ad diem resurrectionis. Rursus Calvinus huic pœnæ infernali à Christo toleratæ videtur tribuere totum pretium nostræ redemptionis: ait enim lib. 2. Instit. cap. 16. § 10. *Nihil actum erat, si corporea tantùm morte defunctus fuisset Christus. Sed operæ simul pretium erat, ut divinæ ultionis severitatem sentiret.* Huic Calvini sententiæ saltem ex parte visi sunt adhæsisse Melanchthon, qui in capite de Filio, asserit, Christum luctatum gravissimè cum tentatione fuisse de abjectione. Prenzius *in cap.* 2. Act. ubi ait: Christum fuisse passum dolores inferni, & alii sectarii, censentes cum Calvino non morte corporea, Christum genus humanum redemisse, sed pœnis inferni quas sustinuit post corporis mortem.

Verum tamen abest, quod Christus post corporis mortem sustinuerit pœnas infernis, ut opus absolveret nostræ redemptionis, ut sacræ scripturæ nonnisi pœnis, ac morti corporis à Christo toleratæ nostram tribuant redemptionem, neque ullius amplius pœnæ toleratæ à Christo post mortem corporis meminerint: ait Apostolus ad Philip. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum.* Nulla ab Apostolo fit mentio inferorum; nulla cruciatuum inferni quos sectarii asserunt tolerasse post corporis mortem; sed statim post mortem in cruce obitam ejus recenset exaltationem; adeo ut obedientia, seu tolerantia Christi fuerit usque ad mortem crucis inclusivè, cui propterea tota nostra tribuitur redemptio. Adeo ut post mortem crucis descendens ad inferos, nullum passus fuerit inferni dolorem, nec privationem gloriæ, & beatitudinis, fueritque propterea Christi anima apud inferos beata, lumine gloriæ perfusa, & cœlesti beatitudine donata, ac verbo divino unita. Hinc in Psalm. 21. & Isaiæ 53. ubi describuntur singillatim omnes Christi dolores, afflictiones ac pœnarum genera, quæ pro nostra toleravit redemptione, nulla fit mentio inferni in quo Christus fuerit pœnas passus. Rursus Christus ipse Matthæi 20. Marci 10. Luc 18. prædicit suis discipulis passionem suam; & recenset flagella, spinas, crucem, mortem; & postea nulla facta mentione dolorum inferni subdit, *& tertia die resurget*: unde non doloribus, quos post mortem ab hæreticis dicitur passus nos Christus redemit, sed pœnis, & morte corporea: hinc Apostolus ad Ephes. 1. ait: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus*: ubi redemptio nostra tribuitur non pœnis post mortem in inferno toleratis, sed sanguini in cruce, & passione sua effuso: hinc ad Colos. 1. *Pacificans per sanguinem crucis ejus, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt.* Ad Hæbr. 9. *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* 1. Petr. 1. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati & incontaminati Christi.* 1. Joan. 1. *Sanguis ejus emundat ab omni peccato.* Denique Apoc. 5. *Sancti clamant in cælo: Redemisti nos, Domine Deus in sanguine tuo.* Ecce sacræ scripturæ totum nostræ redemptionis opus attribuunt sanguini, passioni, ac morti IEsu Christi, non vero pœnis inferni, quas hæretici fingunt sustinuisse in inferno; & liquet quàm perperam, ac falso contra scripturas dixerit Calvinus, Christum morte corporali nil egisse circa redemptionem nostram, nisi post mortem pœnas inferni sustinuisset, quibus humanum genus redemisset. Adducunt sectarii illud Div. Petri Act. 11. ubi testatur, *Christum à Deo suscitatum; solutis doloribus inferni; juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*; si Christus dicitur à Deo suscitatus solutis doloribus inferni; ergo fuit iisdem illigatus; & tortus; quia non solvitur, nisi qui fuerat ligatus; & ligatus doloribus perinde est, ac tortus iisdem. Sed hæc Petri verba intelligenda sunt eo sensu, quem S. Augustinus Epist. 164. ad Evodium explicat scilicet *solutis doloribus inferni à Christo*; adeo ut Christus solverit dolores inferni, quibus homines fuissent torti, nisi Christus sua passione humanum genus redemisset; ac dolores illos suo sanguine extinxisset: ait Augustinus: *Non tanquam si catenas solvisset, quibus fuerat illigatus: sed sic eos solutos esse, quemadmodum solvi possunt laquei venantium, ne teneant; non quia tenuerunt.* Vel ut subdit Augustinus. *Ut eos dolores cum solvisse credamus, quibus teneri ipse non poterat, sed quibus alii tenebantur, quos ille noverat liberandos.* Nonnullis interjectis subdit: *Hoc scilicet quod scriptum erat* solutis doloribus inferni, *non in omnibus, sed in quibusdam accipi potest, quos ille dignos sua liberatione judicabat: ut neque frustra illuc descendisse existimetur, nulli eorum profuturus, qui ibi tenebantur inclusi, nec tamen sit consequens, ut quod divina quibusdam misericordia & justitia concessit, omnibus concessum sit.* Augustino adhærens S. Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum cap. 30. ait:

30. ait: *Restabat ad plenum nostræ redemptionis effectum, ut illuc usque homo sine peccato a Deo susceptus descenderet, quousque homo separatus à Deo peccati merito cecidisset; id est ad infernum ubi solebat peccatoris anima torqueri; & ad sepulchrum, ubi consueverat peccatoris caro corrumpi: sic tamen ut nec Christi caro in sepulchro corrumperetur; nec inferni doloribus anima torqueretur: quoniam anima immunis à peccato, non erat subdenda supplicio, & carnem sine peccato non debuit vitiare corruptio.* Quid clariùs, quid expressius dici poterat contra Calvinum; quid nervosius ad ejus sententiam refellendam? Non tamen descendente Christo ad Inferos omnes de Inferis liberati sunt: sed tantùm Patriarchæ, Prophetæ, ac reliqui justi qui dum viverent, dignos se tanto beneficio præbuerunt, ut docent S. Irenæus *lib. IV. cap.* 39. Tertullianus *lib. de Anima cap.* 55. D. Ambrosius *in Psal.* 118. S. Gregorius lib. 13. Moral. cap. 15. Non tamen ita eduxit sanctos ab abdito illo receptaculo, ut alii postea in eorum locum succederent; sed ut justorum nemo deinceps ad illud descenderet; neque in illo detineri posset, quapropter Psal. 106. dicitur: *Contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit:* idque adumbratum fuisse in Samsone, quando Judic. 16. apprehendit ambas portas urbis Gazæ & eas cum postibus suis detulit ad verticem montis, asserit S. Augustinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 15. *Si non absurdè credi videtur, antiquos etiam sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem; locis quidem à tormentis impiorum remotissimis, sed apud Inferos fuisse, donec eos sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret; profectò deinceps boni fideles effuso illo pretio jam redempti, prorsus inferos nesciverunt, donec etiam receptis corporibus bona recipiant, quæ merentur.*

Quamvis suo Christus ad inferos descensu Patriarchas, Prophetas, virosque justos, qui decesserunt tenentes fidem Christi venturi, liberaverit à limbi carcere; nullum tamen extraxit è gehenna, seu inferno: quia fructus passionis Christi ad eos tantùm pervenit qui per fidem, & charitatem illi conjuncti erant, quando corporis mortalitatem exuerunt: quapropter Osee 13. ex Christi persona dicitur: *Ero mors tua, O mors morsus tuus ero inferne*, ut ostendatur, Christum in suis electis mortem funditus destruxisse; & ex locis subterraneis, quæ nomine inferorum designantur partem abstulisse, destruxisse, & partem reliquisse, justos liberâsse quos nulla noxæ macula inficiebat; nullus personalis reatus à cœlesti beatitudine arcebat; & impios, qui lethali culpa à summo Bono aversi ex hac vita migrârunt reliquit gehennæ cruciatibus æternùm torquendos, ut explicat S. Gregorius Magnus homil. 12. in evang. inquiens: *Quod ante passionem dixit, in resurrectione sua Deus implevit. Si exaltatus fuero à terra inquit Joan. 12. Omnia traham ad me. Omnia etenim traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit; omnia abstulit utique electa. Neque enim infideles quosque, & pro suis criminibus æternis suppliciis deditos ad veniam Dominus reparavit: sed illos ex inferni claustris eripuit, quos suos in fide, & actibus recognovit. Unde etiam per prophetam Osee dicit: Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne. Id namque quod occidimus, agimus, ut penitus non sit. Ex eo quòd mordemus, partem abstrahimus, partem relinquimus, quia ergo in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis exstitit. Quia verò ex inferno partem abstulit, & partem reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum.* Quatenus per morsum avulsit, abstraxit partem inferni seu justos, qui ante Christi passionem mortui detinebantur in limbo, & aliam partem reliquit, seu æternis suppliciis addictos, quos à Deo per lethalem noxam aversos mors rapuit. Ex pœnis verò Purgatorii illorum animas Christus ad inferos descendens liberavit, quos illo dignos beneficio judicavit, & quia jam satis fuerant expiati; vel qui ob vitam mortalem ritè institutam promeriti erant, ut ejus ad Inferos descensu pœnis solverentur piacularibus. Omnes tamen quotquot detinebantur in subterraneo illo receptaculo consolatione fuerunt affecti, & plurimum ex tali descensu perceperunt levaminis, ut colligi potest ex illo Eccles. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.*

Rursus quam falsa sit Calvini sententia de doloribus, ac cruciatibus animæ Christi apud inferos ex circumstantiis facilè evincitur, etenim si ab oratione in horto ad Deum Patrem fusa usque ad resurrectionem Christus fuit in inferno ubi apprehendebat Deum sibi adversum, & iratum, adeo ut anceps hæreret de sua salute, quomodo tam promptè, ac hilaris dixit Caiphæ, *A modo videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli?* quomodo respondit Pilato: *Regnum meum non est de hoc mundo*, quomodo oravit Patrem pro Judæis crucifigentibus? *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*, quomodo promisit Latroni cruci affixo paradisum? *Hodie mecum eris in paradiso?* quomodo Patri animam suam commendavit? *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*, hæc & alia quæ post orationem in horto fusam ad Deum Patrem Christus dixit, ac egit, signa non sunt, quibus potuerit dubitare de propria salute, nec minus desperare. Præterea quia sancti Patres describentes Christi descensum ad inferos, asserunt ut Victorem, & Triumphatorem, non verò ut reum, nec ut dubitantem de propria salute ad inferos descendisse, neque ullum referunt cruciatum, vel dolorem quem fuerit Christus apud inferos passus. Præ cæteris Cyrillus *Catbec.* 14. ait: *Exterrita est mors videns novum quemdam descendentem in infernum vinculis, quæ illic sunt, non ligatum. Quâ de causa portæ inferi hunc videntes exhorruistis? quis insuetus vos cœpit timor?* Et D. Ambrosius lib. de mysterio Paschæ cap. 4. *Expers peccati Christus cum ad tartari ima descenderet seras inferni, januasque confringens vinctas peccato animas mortis dominatione destructa à diaboli faucibus revocavit ad vitam, atque ita divinus triumphus æternis characteribus est conscriptus.* Rursus à veritate est totaliter alienum, quod asserit Calvinus esse in inferno nil aliud importare, quàm timere Deum sibi aversum, & iratum: fuit enim hæc hæresis teste D. Hieronymo epist. ad Avitum, damnata in origine. Inde enim sequeretur plures adhuc in via existentes jam esse in inferno, ac damnatos, quod repugnat statui hujus vitæ, quia esset quis in viæ termino. Sunt enim plures præsertim existentes in peccato lethali nec ab ipso desistentes, qui certò sibi persuadent Deum esse ipsis aversum, & iratum. Multi etiam sunt, qui desperantes de salute æterna se in reprobum sensum dantes peccata peccatis addunt, & nihilominus adhuc non sunt in inferno damnati, & possunt, si velint beneficio divinæ gratiæ resipiscere, pœnitentiam agere ac æterna donari beatitate, ex quibus clarè constat esse in inferno perinde non esse quàm timere Deum sibi iratum, & aversum, alioquin timor iste omnes gehennæ cruciatus extinxerat, ac infernum penitus destrueret, quod idem

est.

est, ac negare supplicia debita peccatis, & reis, & atheismo viam aperire: siquidem si non est Judex, qui supplicia infligat, & pœnas peccantibus, & præmia rectè operantibus, sequitur non dari qui mundum gubernet, justitiam exerceat, quod Athei docent. Respondet Calvinus Christum emisisse verba desperationis, ac gravissimè peccâsse. Sed si hoc est, quomodo peccando ipse nos à peccato redemit? quomodo nos à servitute peccati solvit, si ipse in peccatum cecidit? an non sunt hæc delyria? si venit, ut peccatum destrueret, quomodo peccatum ipse patravit? ait Calvinus Christum emisisse verba desperationis, & timuisse de sua salute: quantum ad sensum carnis, nunquam tamen fuisse destitutum fide, & spe in Deum. Tota ratio: cur Calvinus asserat Christum desperâsse, est, quia dixit alloquens Patrem: *Ut quid dereliquisti me?* Verùm etiam protulit hæc alia verba: *In manus tuas commendo Spiritum meum.* Præterea quando Christus protulit verba illa: *Ut quid dereliquisti me*: quæ in sensu Calvini sunt verba desperationis: vel illa protulit voluntate deliberata vel non. Si primum ergo verè desperavit, & non potuit spes in illo manere, cum desperatio spem excludat. Si non illa protulit voluntate deliberata, ergo in Christo fuit inordinatio passionum, & potuit metus prævenire rationem, & extorquere vocem desperationis in vita voluntate, quod adversatur doctrinæ Calvini qui *lib. 2. Instit. cap. 16 §. 12.* ait: Christi naturam fuisse perfectam, & nullam in ea fuisse passionum inordinationem.

Objicit tamen Calvinus, & ad firmandos suos errores adfert textus scripturæ. Primò ex Isaiæ cap. 53. ubi dicitur Christus à Deo percussus, ex quo infert Christum sustinuisse Deum sibi iratum & infensum. Sed respondetur, Christum dici percussum à Patre, non quia Pater ipsum odio habuerit, sed quia permisit eum occidi pro nobis, ut explicat D. Paulus ad Roman. 8. *Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, quo pacto etiam jussit Abrahamum filium suum immolare, ut Deo obediret, & tamen non oderat Isaac Abrahæ filium, sed tantùm præcepit immolationem filii Abrahæ ad exercitium obedientiæ sine ira, absque odio. Præterea hæc Christi percussio cujus meminit Isaias explicatur à Sanctis Patribus, & Expositoribus de sola morte temporali, & cruciatibus quos tempore passionis pro nobis sustinuit, adeo ut tota percussio referatur ad solam Christi passionem usque ad mortem in cruce, non verò ad pœnas inferni post mortem ut perperam, & absque ullo fundamento asseruit Calvinus. Denum quia falsum est omnes percussos à Deo irato pati pœnas gehennæ, cum plerumque Deus in hac vita mortali impios puniat, qui tamen non dicuntur esse in inferno, neque pœnas inferni sustinere. Tum quia Deus permisit sanctum Job à Dæmone probari, & torqueri, & tamen fuit Job justus, & secundùm cor Dei. Secundò adfert Calvinus illud Isaiæ cap. 53. *Correctio pacis nostræ super eum*, ex quo infert, debuisse Christum luere pœnas omnes, & tormenta, quæ homines per patrata peccata merebantur, atqui peccata hominum non solùm mortem corporis merebantur, sed etiam pœnam gehennæ, ex quo infert Christum sustinuisse pœnas inferni post mortem. Verum hoc argumentum nullius est ponderis, alioquin sequeretur, quòd Christus per totam æternitatem debuisset in inferno manere, ac semper iis cruciatibus torqueri, siquidem homines ob patrata peccata debent æternum damnari, & pœnas æternas sustinere. Quod si Calvinus adigatur concedere Christum pœna temporali in inferno tolerata satisfecisse pro suppliciis æternis hominum, perinde asserimus Christum per suam passionem, & mortem in cruce abunde satisfecisse pro peccatis hominum, siquidem pretium nostræ redemptionis à Christo solutum suo sanguine pensandum non est ex diuturnitate, vel qualitate pœnarum: sed ex dignitate personæ, quæ patiebatur, & ex charitate, quâ patiebatur, hinc non sequitur fuisse tantùm corporeum redemptorem, ut putavit Calvinus ob cruciatus, quos in corpore tempore passionis sustinuit, & ut esset animarum redemptor descendit ad inferos, ubi per tormenta, quæ sustinuit, se constituit etiam redemptorem animarum. Nam ut esset redemptor animarum non fuit necesse ut descenderet ad inferos, ut illic cruciatus, & dolores sustineret ejus anima jam separata à corpore siquidem una quamvis minima pœna corporis fuit in Christo ratione personæ infiniti pretii, ac potuit per oblationem unius ex minimis pœnis, quas sustinuit, abunde redimere omnes homines tam quoad corpora, quàm animas. Demum si ut esset Redemptor animarum requirebatur, ut anima Christi aliquid pateretur: jam hanc passionem fuerat Christus expertus antequam descenderet ad inferos, siquidem Christus animo, & corpore passus fuit; dixit enim: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Tertiò ad fulciendam suam hæresin Calvinus suppetias etiam petit ex illa tristitia, & metu, quem in horto passus fuit Matth. 26. Si enim tantùm timuisset mortem corporis utique se declarâsset imbecilliorem pluribus hominibus, qui constanti pectoris firmitate morti obviant. Certum est enim plures Martyres inter tormenta exultâsse, imò & ipsos impios persæpe intrepido animo, ac voluntate constantissima mortem oppetiisse: ex quo infert Christum infirmiorem omnibus hominibus fuisse, si solam corporis mortem timuisset, sicut pui homines, & ne hoc inconveniens sequatur, concludit timuisse etiam periculum animæ. Sed contra quia sancti Patres hunc Christi timorem v[illegible] explicant, & nullus reperitur, qui asserat, hunc Christi timorem fuisse de salute animæ. S. Hylarius can. 31. in Matth. ait: Christum nihil timuisse pro se, sed pro suis discipulis quos prævidebat negaturos: & cùm protulit verba illa: *Transfer calicem à me*, sensus fuerit, ut Pater æternus eam passionem, quam æquo animo ipse erat toleraturus etiam discipuli sustinerent, hinc Patrem rogabat, ut calicem, quem erat ipse bibiturus, transferret ad discipulos, ut ipsi etiam biberent. D. Hieronymus in cap. 26. Matth. ait: Christum tristem fuisse ob populum Judæorum, eò quia videret ea nocte eum gravissimè peccaturum, ideoque dixisse transfer calicem istum à me, seu fac, ne populus iste me occidat, sed aliqui alii. Etiam sancti Patres inter quos Chrysostomus in cap. 26. Matth. Ambrosius in cap. 22. Luc. & alii asserunt Christum naturali affectu mortem corporis horruisse, quia ut homo sicut [illegible] morti obnoxius, ac corporis passionibus, ita & [illegible] mi quibusdam affectionibus. Neque inde sequi[illegible] fuisse Christum imbecilliorem puris hominibus [illegible] enim tantùm contigisset, si coactus timuisset. Sed timuit, quia voluit, & mortem optavit, ut nobis vitam impertiret: eatenus Martyres plures in tormentis exultarunt, quia Deus eos replevit majore consolatione in animo, quàm fuerit pœna corporis. Impii verò plerumque intrepidi, ac alacri animo mortem oppetunt, quia Dæmon obstupefacit eorum sensus, vel quia fortassis animam impii avertunt

tunt à cogitatione pœnarum. Cæterum Christus voluit etiam pœnam mœroris, & timoris in animo subire absque ulla obstupefactione sensuum, nec Deus permisit, ut redundaret à parte superiori gaudium in inferiorem, neque Christus avertit cogitationem à morte jamjam imminente, sed potiùs eam defixit in omnia tormenta dependentia, quod maximæ fortitudinis, & charitatis fuit signum: & hoc pacto ut copiosior fieret nostra redemptio. Quod Christus liberè voluit timere: & tristis esse, claret ex illo Matth. 26. *Assumpsit Petrum, Jacobum & Joannem, & tunc cœpit mœstus esse*, sicut enim liberè assumpsit discipulos, liberè fuit hortum ingressus, liberè æternum Patrem rogavit: ita etiam liberè cœpit mœstus esse, hoc est cœpit, quia voluit, quia se esse brevi moriturum jam antea sciebat, cum imminentem mortem suam prædixisset Discipulis suis, & sacramentum instituisset in memoriam suæ passionis, quamvis tunc nullo corriperetur timore, nulla affligeretur tristitia, nulloque metu angeretur: unde timor ille, & tristitia liberè fuerunt in Christi anima tum quia absoluta oratione, quia non amplius voluit timere, non amplius timuit: idque causæ, cur Joan. 11. Dicatur à se ipso turbatus, quem textum expendens Augustinus Tract. 49. in Joan. ait: *Non est dubitandum eum non animi infirmitate, sed potestate turbatum.* Quartò adfert Calvinus verba illa Matth. 26. quibus Christus exclamat: *Deus meus, Deus meus ut quid me dereliquisti*, ex quo infert non potuisse Christum hæc verba proferre nisi apprehendisset Deum, ut sibi iratum, & infensum. Sed contra quia nulla hic fit mentio iræ Dei Patris erga Filium, sed solius derelictionis, quatenus Deitas humanitatem in pœnis dereliquit, & eum posset eam inde eripere, noluit id efficere, ut sacrificium cruentum efficeretur, ac humanum genus redimeretur. Cæterum voluit Christus verba illa proferre, ut inde sciremus eum verè gravissimos pertulisse dolores, & non sua culpa, sed ut suis vulneribus nostrorum vulnera peccatorum curaret, & ejus infirmitate sanaremur. Quintò adfert illud Actor. 2. *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni juxta quod impossibile erat te neri illum ab eo.* Quòd si non pertulisset dolores inferni non potuisset ab illis solvi, nemo enim solvitur à vinculo, quibus nunquam fuit ligatus. Sed contra, quia ut explicant sancti Patres, Christus nullum sustinuit inferni dolorem, sed post Christi resurrectionem mortem ipsam à doloribus liberavit: etenim mortem quasi dolorem patiebatur, cùm Christum detineret, quem tenere non poterat. Alii explicant præfata verba, & dicunt Christum sua resurrectione destruxisse, ac dissulvisse mortem cùm omnibus doloribus, & suppliciis, quæ eam comitabantur. Quòd verò Calvinus per dolores mortis intelligat dolores, quos parit maledictio, & ira Dei, quæ est mortis origo, ac proinde dolores damnatorum, nimis distat à sano sensu scripturarum, quia si ita Dei fuit causa mortis, ac propterea Christi dolores, quos patiebatur in morte, erant ab irato Deo, possunt etiam qui moriuntur, imò etiam Martyres dici habere se iratum Deum, & pati dolores inferni. Quamobrem ita Dei tantùm est causa remota generalis mortis, proxima enim sæpissime est benevolentia, & gratia specialis Dei. Hinc David Psal. 115. ait: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Hinc Apocal. 14. habetur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Sextò affert illud Apostoli ad Hebræ. 5. *In diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad Deum, qui posset illum salvum facere cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia.* Hoc est, ut explicat Calvinus exauditus est à suo metu, quasi Christus non oraret, ut non moriretur, sed ut non absorberetur ut peccator, seu ne damnaretur in æternum: & ab hoc metu amittendæ æternæ salutis per paternam exauditionem fuisse liberatum. Sed contra, quia Christus non fudit preces ad Deum Patrem ob metum pœnæ, sed ex pietate, & reverentia, quòd si interfuerit metus fuit iste reverentialis, non servilis, unde Chrysostomus, Theophylactus, & alii SS. Patres exponunt, Christum fuisse exauditum ob illam reverentiam, qua prosequebatur æternum suum Patrem; alii etiam explicant, fuisse exauditum, eò quia merebatur exaudiri.

CAPUT VIII.

Ostenditur, Inferos esse, seu abdita receptacula subterranea, ad quæ Christus descendit.

Plures hæretici negantes dari loca subterranea, in quibus animæ vel æternum torqueantur, vel pro tempore purgentur, vel fuerint detentæ animæ justorum ante Christi adventum; per infernum, in quem scripturæ testantur Christum descendisse, asserunt esse intelligendum sepulchrum, ita præ cæteris Bucerus in cap. 27. Math. Beza in cap. 2. Actor. cui sententiæ visus est in parte aliqua adhæsisse Calvinus siquidem explicans illud Psal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno*, ipse legit non derelinques animam meam in sepulchro: & lib. 2. Inst. c. 16. §. 9. cum Bucero affirmat aniles esse fabulas, dari loca animarum subterranea, & Christum ad illa descendisse. In hoc tamen Calvinus dissentit à Bucero, quia descensum Christi ad inferos, qui ponitur in symbolo Apostolorum, non velit esse sepulturam, sed verum descensum ad pœnas damnatorum; propterea Calvinus, & Beza licèt concedant subterranea receptacula, in quibus animæ damnatorum suppliciis torquentur æternis, negant tamen abdita alia receptacula, in quibus pœnis temporalibus expientur, ac purgatoriis flammis mundentur animæ, quæ levioribus noxis ex hac vita decesserunt infectæ, & alia in quibus animæ Patriarcharum ac Prophetarum, & justorum ante Christi adventum detinerentur, censentes justorum animas ante Christi adventum fuisse in cœlo, quamvis nondum fuerint beatitate donatæ, quia Deum non viderint, neque sint visutæ usque ad diem judicii, ita sentiunt Calvinus in Psychopannychia, & Beza in lib. contra Brentium de Christi Majestate part. 2. Verùm dari subterranea receptacula in quibus animæ detineantur apertè asserunt scripturæ, docentque SS. Patres adeo ut nomine inferni intelligant locum abditum subterraneum distinctum à sepulchro; nomen enim ipsum inferni significat subterraneum locum distinctum à sepulchro, adeo ut aliud significet nomen inferni, & aliud nomen sepulchri. Neque audiendi sunt qui asserunt per nomen inferni Græcè significari sepulchrum, quia D. Chrysostomus Pater, & Doctor Græcus, quique fuit græcè concionatus, & scripsit græcè in Homiliis de Lazaro

Lazaro per infernum, ubi in Evangelio legimus fuisse divitem epulonem suppliciis excruciatum, intelligit gehennam, ubi damnati æternis torquentur suppliciis. Lucianus etiam author græcus in Dialogo de Luctu per nomen inferni intelligit locum sub terra profundum. Plato itidem lib. 2. de Republica ait, nos esse rationes reddituros de operibus, quæ egimus: sed hanc rationem non reddimus in sepulchro, ubi solum corpus putrescit: ergo præter sepulchrum dantur alia loca subterranea, quæ nomine inferorum significantur. Præterea nomine abyssi, certum est, non posse intelligi sepulchrum, sed quid aliud profundius, atqui Luc. 8. Dæmones rogarunt Christum, ne mitteret eos in abyssum, ergo præter sepulchrum dantur receptacula subterranea, quæ nomine inferorum significantur: propriè nomine abyssi significatur profunda vorago infra terræ superficiem.

Tum quia dæmonibus non aperiuntur sepulchra cùm sint incorporei: rursus neque nomine abyssi significatur aliquid spirituale ut censuit Brenzius ubique diffusum, alioquin non rogassent Dæmones Christum, ne mitterentur in abyssum, cum & ipsi spirituales sint. Præterea dari hæc receptacula subterranea clarè colligitur in scripturis Apoc. 5. ubi legimus non fuisse inventos, qui liberum solverent: *nec in cœlo, nec in terra, nec sub terram*: & infra habetur: *dixerunt laudem Deo omnes creaturæ in cœlo, in terra & sub terram.* Et Apostolus ad Philip. 2. scribit: *Ut in nomine JEsu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum*: unde nulli dubium, quin dentur hujusmodi subterraneæ cavitates, & abdita receptacula, in quibus ante Christi adventum fuerunt detentæ animæ justorum & aliæ, quæ ex hac vita non perfectè purgatæ à noxis expiantur flammis in purgatorio, & aliæ, quæ in statu peccati lethalis ex hac vita decesseruot, quæque in gehenna detinentur, & æternis torquentur suppliciis: & cum non fuerint cadavera sepulchrorum, quæ non poterant liberum aperire, nec quæ Deum laudent, vel adorent, debent esse spiritus, qui dicuntur subterranei, eò quia in locis subterraneis degant, ut animæ, quæ expiatoriis flammis purgantur. Et præter purgatorium dari etiam aliam subterraneam cavitatem quæ gehenna dicitur, & in qua torquentur reprobi damnati etiam ex scripturis clarè deducitur, & epist. 2. cap. 2. dicitur: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, & rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Quinimò in Evangelio etiam habemus Christum significâsse hunc inferni locum, cum dixit: *Bonum est tibi debilem, vel claudum intrare in vitam æternam, quàm duas manus, aut duas pedes habentem mitti in gehennam in ignem æternum, in ignem inextinguibilem.* Et rursus: *Eum timete, qui potest corpus, & animam mittere in gehennam*, ut etiam *mortuus est dives, & sepultus est in inferno*, & Div. Joan. Apocal. 21. describit infernum, *esse locum iræ Dei torrentem ignis, & sulphuris, de quo bibunt, qui adoraverunt bestiam, & portaverunt voluptatem mortiferam in calice Babylonis, & ibi esse stagnum ignis, & sulphuris, & puteum abyssi, de quo exit fumus in sæcula sæculorum*, hinc in symbolo Athanasiii ecclesia canit, *qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum*, & statim subdit, hanc esse fidem chatholicam, quæ confirmata, & definita fuit in Conciliis Toletano IV. Arelatensi IV. & Florentino *sess. ult. in litter. union.* Ratio itidem hoc evincit, quia Deus cum sit perfectissimus totamque includat perfectionum plenitudinem debet justus esse, & exercere justitiam: sed non posset justus esse, si crimina, & peccata, quæ dictim perpetrantur impunita manerent: & cum persæpe non puniantur in hac vita, cum plerumque experiamur, hominibus malis bona obtingere etiam usque ad vitæ extremum exitum, æquum omnino est, ut delinquentes pro suis noxis torqueantur post mortem in alia vita & quidem in aliquo destinato supplicii loco, ut cognoscant quam malum, & amarum fuerit dereliquisse Deum, & bonis fluxis, & caducis adhæsisse, voluptatibus, & vitiis indulsisse. Hinc infernus est locus corporeus specialiter destinatus ad pœnam & effusus in imis terræ visceribus profundissimis, ubi detinentur tum mali Angeli, tum homines reprobi: hunc enim locum significant scripturæ Eccle. 21. *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi & tenebræ, & pœna*, ubi per inferos intelligitur receptaculum subterraneum, in quo fuerunt detenti Prophetæ & Patriarchæ, & viri justi, qui decesserunt ante Christi adventum, & quos Christus secum duxit in paradisum: per tenebras intelligitur cavitas illa subterranea, in qua expiantur animæ illorum, qui ex hac vita decesserunt, vel cum aliqua veniali noxa, vel quia non plenè satisfecerint divinæ justitiæ pro patratis delictis, & ideo ibi detinentur, ac pœnis expiatoriis purgantur, propterea, qui sunt destitutæ animæ illæ lumine gloriæ nondum beatæ, & locus ille fit caliginosus, ideo significatur nomine tenebrarum: ut etiam nomine pœnæ gehenna indicatur, ubi improbi ac dæmones æternis torquentur suppliciis. Describit eleganter locum istum Job. *cap.* 10. ubi vocat locum inferni: *Terram tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, & cap. 20. loquens de hominibus, qui indulgent voluptatibus ait: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt*: quod etiam Isaias fuerat comminatus Regi Babylonio. *Verumtamen ad infernum detraheris usque ad profundum laci.* In novo itidem testamento mentio hujus loci: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Quod vero infernus, sit locus effossus sub terra, & centro proximus etiam ex scripturis colligitur. Num. 16. *Disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos, descenderuntque vivi in infernum operti humo*: indicant itidem hunc locum omnes illi scripturæ textus, ubi infernus vocatur abyssus, puteus abyssi, profundum lacus. An verò omnes Angeli mali detineantur in hoc loco, qui specialiter infernus dicitur? Respondetur ante diem judicii plures dœmones vagari extra infernum, vel versari in aëre, ut communiter sentiunt sancti Patres, præsertim Augustinus *lib.* 2. *in Genes. cap.* 26. ubi asserit. Id pertinere ad fidem, & colligitur etiam ex scripturis, ubi Dœmones vocantur rectores tenebrarum harum spiritualia nequitiæ in cœlestibus, principes potestatis aëris hujus: sed post diem judicii omnes claudentur in tetro illo loco, ut habetur in Apocal. cap. 20. Cæterum est locus ille altissimus, ut sit sufficiens pro tota multitudine tum Dæmonum, tum hominum damnatorum, qui apparebunt in corporibus ignitis.

Præter hoc receptaculum subterraneum, quod infernus dicitur, seu gehenna, in qua reprobi æternis torquentur suppliciis, aliud datur receptaculum subterraneum distinctum à gehenna, & cœlo, ubi animæ noxis levioribus inquinatæ, vel quæ nondum meritas pœnas pro delictis duun viverent in via flammis purgantur expiatoriis, est etiam certum de fide contra Calvinum, cujus hæc sunt verba: *Clamandum non modo vocis, & gutturis, & late-*

& laterum consensione purgatorium exitiale Sathanæ esse commentum, quod Christi crucem evacuat. Calvino adhæsit Lutherus, qui tametsi ab initio suæ apostasiæ ab Ecclesia Romana concesserit dari purgatorium, ut constat ex ejus Disputatione Lipsiaca, ubi ait: *Ego quidem credo firmiter, imo ausim dicere, scio purgatorium esse, facile persuadeor in scripturis, de eo fieri mentionem*, postea tamen cum Calvino purgatorium expunxit, in quo errore fuefuerunt etiam sexcentis circiter abhinc annis Waldenses, & alii Pseudo-Apostoli Waldensibus antiquiores, primus tamen omnium, qui hunc invexit errorem dicitur fuisse Aërius, qui testibus Epiphanio hæres. 75. & Augustino hæres. 73. docuit, non esse orandum pro mortuis, consequenter nostris non indigere precibus, nec juvari posse, quorum utrumque adversatur doctrinæ, quam fides Catholica docet de purgatorio. Verum dari abditum hoc receptaculum subterraneum distinctum à gehenna. in quo animæ flammis purgantur expiatoriis colligitur ex 2. Machab. 12. ubi laudatur Judas Machabæus, eò quia: *Facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccato sacrificium benè & religiose de resurrectione cogitans (nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam, sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut a peccatis solvantur.* Quia verò hæc verba adeo sunt clara, ut omnem subterfugii locum claudant, Hæretici maluerunt negare hunc secundum librum Machabæorum esse canonicum, quam fateri dare abditum hoc receptaculum subterraneum, quod purgatorium dicitur; & fateri esse bonum pro defunctis orare: hunc autem secundum Machabæorum librum esse canonicum satis liquet ex concilio Carthaginensi III. celebrato anno Christi 397. cui interfuit Div. Augustinus, & quod Concilium fuit postea confirmatum à Constantinopolitana Generali Synodo. Concilium enim & Synodus inter libros canonicos, seu divinitus inspiratos enumerant librum hunc secundum Machabæorum, & Div. Augustin. *lib.* 18. *de Civit. cap.* 86. expresse asserit: *Machabæorum libros non Judas, sed Ecclesia pro Canonicis habet:* & quia Calvinus fatetur extra controversiam esse nihil à principio usque ad ætatem Augustini, & aliorum veterum doctorum mutatum fuisse in doctrina, necesse est, confiteatur librum hunc secundum Machabæorum esse canonicum, quia Patres, qui Concilio Carthaginensi interfuerunt doctrinam ac Apostolis traditam, & continua serie in Ecclesia propagatam definiverunt: quamobrem cum Hæretici negantes purgatorium asserant immutatam in Ecclesia doctrinam usque ad tempus Augustini, necessariò debent fateri purgatorium: siquidem vel Ecclesia ætate Div. Augustini retinuit doctrinæ puritatem ab Apostolis receptam, vel non: si dicant hoc secundum ergo perperam dicunt antiquos Patres, & Augustinum adhæsisse doctrinæ ab Apostolis traditæ, & continua serie in Ecclesia propagatæ, quod esset sibi contradicere: sin verò asserant Ecclesiam retinuisse hanc doctrinæ puritatem, jam Calvinus, & alii Hæretici debent cum Ecclesia antiqua secundum librum Machabæorum canonicum fateri. Præterea Augustinus lib. de cura pro mortuis ait: *In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium; sed etsi nunquam omnino in scripturis veteribus legeretur; non parum tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret authoritas; ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur locum suum habet, etiam commendatio mortuorum*, unde ex sententia Augustini Ecclesia semper habuit pro canonicis hos Machabæorum libros. Neque ullius est momenti, quod respondet Wittackerus Calvini asseclá asserens libros illos communi quadam hujus nominis usurpatione tantum vocari canonicos, *eo quia in Ecclesia leguntur & in aliquo pretio habentur. Quamquam non omnino in parem eum reliquis authoritatem, & fidem sumantur:* & hujus responsionis fundamentum nititur eruere ex antecedentibus verbis Div. Augustini, quæ sunt: *Quorum supputatio temporum* (à restituto templo usque ad Aristobolum) *in scripturis sanctis, quæ canonica appellantur, sed in aliis invenitur, in quibus sunt hæc Machabæorum libri, quos non Judas, sed Ecclesia pro canonicis habet.* Sed contra est, quia Div. Augustinus libros canonicos in alia non usurpat significatione, quam in ea, qua epistola 19. dixit: *se solis illis scripturarum libris, qui jam canonici vocantur eum habere honorem, ut omnem ab illis errorem, & falsitatem abesse credat.* Quod si Ecclesia eatenus libros Machabærum canonicos assereret, eo quia in Ecclesia legantur, ut respondit Wittackerus, & in aliquo pretio habentur, inde sequeretur, quòd omnes libri sanctorum Patrum, qui publicè in Ecclesia leguntur, & in magno solent pretio haberi perinde essent dicendi libri canonici ac canonici dicuntur libri Machabæorum, quod nullus hactenus dixit. Neque obstant præcitata Augustini verba, quia ab ipso in primo loco dicuntur scripturæ canonicæ, quæ apud Judæos etiam in Canone erant. Aliæ verò ab eodem vocantur canonicæ, quia sunt in sacro Ecclesiæ canone non tamen Judæorum, in quorum numero non solum erant libri Machabæorum, sed etiam Evangelia, acta, & epistolæ Apostolorum, quapropter sensus Augustini est, supputationem temporum haberi in scriptura non canonica tantum apud Judæos, bene verò apud Christianos, quia apud ipsos habetur in scriptura canonica; hunc esse verum sensum Div. Augustini, ex eo liquet, quia lib. 2. de doctrina Christi cap. 8. recensens accuratè canonem divinorum librorum recenset; inter illos duos primos Machabæorum; quapropter ex consuetudine antiquæ Ecclesiæ, & authoritate sanctorum Patrum, præsertim Augustini dubitari non potest, librum secundum Machabæorum, in quo fit mentio purgatorii, & suffragiorum pro defunctis, esse vere canonicum. Quod si quæras, cur Machabæorum libri positi non fuerint in canone Judæorum, respondetur, quia canon ille Judæorum compositus fuit tempore Esthræ in magna Synodo, quando Machabæorum libri nondum erant scripti, ut nec etiam Ecclesiasticus, & sapientia.

Rursus dari receptaculum subterraneum, quod purgatorium dicitur, in quo animæ justæ ob noxas leviores, vel quia non plenè adhuc satisfecerint divinæ justitiæ pro patratis delictis jam condonatis temporali supplicio, & flammis expiatoriis purgantur, evinci etiam solet ex novo testamento præsertim 1. Cor. 3. ubi Paul. scribit: *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc* (sc. Christum) *aurum, argentū, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam uniuscujusq; opus manifestū erit. Dies enim Dei declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusq; opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet, si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem;* æquiparat Apost. Chr. Doctores & alios Evang. Præcones architectis, quorum aliqui supra fundamentum ab ipso positum aurum, argentū, & lapides pretiosos,

Lazaro per infernum, ubi in Evangelio legimus fuisse divitem epulonem suppliciis excruciatum, intelligit gehennam, ubi damnati æternis torquentur suppliciis. Lucianus etiam author græcus in Dialogo de Luctu per nomen inferni intelligit locum sub terra profundum. Plato itidem lib. 2. de Republica ait, nos esse rationes reddituros de operibus, quæ egimus: sed hanc rationem non reddimus in sepuchro, ubi solum corpus putrescit: ergo præter sepulchrum dantur alia loca subterranea, quæ nomine inferorum significantur. Præterea nomine abyssi, certum est, non posse intelligi sepulchrum, sed quid aliud profundius, atqui Luc. 8. Dæmones rogarunt Christum, ne mitteret eos in abyssum, ergo præter sepulchrum dantur receptacula subterranea, quæ nomine inferorum significantur: propriè nomine abyssi significatur profunda vorago infra terræ superficiem.

Tum quia dæmonibus non aperiuntur sepulchra cùm sint incorporei: rursus neque nomine abyssi significatur aliquid spirituale ut censuit Brenzius ubique diffusum, alioquin non rogassent Dæmones Christum, ne mitterentur in abyssum, cùm & ipsi spirituales sint. Præterea dari hæc receptacula subterranea clarè colligitur in scripturis Apoc. 5. ubi legimus non fuisse inventos, qui liberum solverent: *nec in cœlo, nec in terra, nec sub terram*: & infra habetur: *dixerunt laudem Deo omnes creatura in cœlo. in terra & sub terram.* Et Apostolus ad Philip. 2. scribit: *Ut in nomine JEsu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum*: unde nulli dubium, quin dentur hujusmodi subterraneæ cavitates, & abdita receptacula, in quibus ante Christi adventum fuerint detentæ animæ justorum & aliæ, quæ ex hac vita non perfectè purgatæ à noxis expiantur flammis in purgatorio, & aliæ, quæ in statu peccati lethalis ex hac vita decesserunt, quæque in gehenna detinentur, & æternis torquentur suppliciis: & cum non fuerint cadavera sepulchrorum, quæ non poterant liberum aperire, nec quæ Deum laudent, vel adorent, debent esse spiritus, qui dicuntur subterranei, eò quia in locis subterraneis degant, ut animæ, quæ expiatoriis flam̃is purgantur. Et præter purgatorium dari etiam aliam subterraneam cavitatem quæ gehenna dicitur, & in qua torquentur reprobi damnati etiam ex scripturis clarè deducitur, & epist. 2. cap. 2. dicitur: *Deus Angelis peccantibus non pepercit. & rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Quinimò in Evangelio etiam habemus Christum significâsse hunc inferni locum, cum dixit: *Bonum est tibi debilem, vel claudum intrare in vitam æternam, quàm duas manus, aut duas pedes habentem mitti in gehennam in ignem æternum, in ignem inextinguibilem.* Et rursus: *Eum timete, qui potest corpus, & animam mittere in gehennam*, ut etiam *mortuus est dives, & sepultus est in inferno*, & Div. Joan. Apocal. 21. describit infernum, *esse locum iræ Dei torrentem ignis, & sulphuris, de quo bibunt, qui adoraverunt bestiam, & portaverunt voluptatem mortiferam in calice Babylonis, & ibi esse stagnum ignis, & sulphuris, & puteum abyssi, de quo exit fumus in sæcula sæculorum*, hinc in symbolo Athanasiu ecclesia canit, *qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum*, & statim subdit, hanc esse fidem catholicam, quæ confirmata, & definita fuit in Conciliis Toletano IV. Arelatensi IV. & Florentino *sess. ult. in litter. union.* Ratio itidem hoc evincit, quia Deus cum sit perfectissimus totamque includat perfectionum plenitudinem debet justus esse, & exercere justitiam: sed non posset justus esse, si crimina, & peccata, quæ dictim perpetrantur impunita manerent: & cum persæpe non puniantur in hac vita, cum plerumque experiamur, hominibus malis bona obtingere etiam usque ad vitæ extremum exitum, æquum omnino est, ut delinquentes pro suis noxis torqueantur post mortem in alia vita & quidem in aliquo destinato supplicii loco, ut cognoscant quam malum, & amarum fuerit dereliquisse Deum, & bonis fluxis, & caducis adhæsisse voluptatibus, & vitiis indulsisse. Hinc infernus est locus corporeus specialiter destinatus ad pœnam & effossus in imis terræ visceribus profundissimis, ubi detinentur tum mali Angeli, tum homines reprobi: hunc enim locum significant scripturæ Eccles. 21. *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi & tenebra. & pœna*, ubi per inferos intelligitur receptaculum subterraneum, in quo fuerunt detenti Prophetæ & Patriarchæ, & viri justi, qui decesserunt ante Christi adventum, & quos Christus secum duxit in paradisum: per tenebras intelligitur cavitas illa subterranea, in qua expiantur animæ illorum, qui ex hac vita decesserunt, vel cum aliqua veniali noxa, vel quia non plenè satis fecerint divinæ justitiæ pro patratis delictis, & ideo ibi detinentur, ac pœnis expiatoriis purgantur, propterea, qui sunt destitutæ animæ illæ lumine gloriæ nondum beatæ, & locus ille sit caliginosus, ideo significatur nomine tenebrarum: ut etiam nomine pœnæ gehenna indicatur, ubi improbi ac dæmones æternis torquentur suppliciis. Describit eleganter locum istum Job. *cap.* 10. ubi vocat locum inferni: *Terram tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseria, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, & cap. 20. loquens de hominibus, qui indulgent voluptatibus ait: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt*: quod etiam Isaias fuerat comminatus Regi Babylonio. *Verumtamen ad infernum detraheris usque ad profundum loci.* In novo itidem testamento mentio hujus loci: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Quòd vero infernus, sit locus effossus sub terra, & centro proximus etiam ex scripturis colligitur. Num. 16. *Disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos, descenderuntque vivi in infernum operti humo*: indicant itidem hunc locum omnes illi scripturæ textus, ubi infernus vocatur abyssus, puteus abyssi, profundum lacus. An verò omnes Angeli mali detineantur in hoc loco, qui specialiter infernus dicitur? Respondetur ante diem judicii plures dæmones vagari extra infernum, vel versari in aëre, ut communiter sentiunt sancti Patres, præsertim Augustinus *lib. 2. in Genes. cap.* 26. ubi asserit Id pertinere ad fidem, & colligitur etiam ex scripturis, ubi Dæmones vocantur rectores tenebrarum harum spiritualia nequitiæ in cœlestibus, principes potestatis aëris hujus: sed post diem judicii omnes claudentur in tetro illo loco, ut habetur in Apocal. cap. 20. Cæterum est locus ille altissimus, ut sit sufficiens pro tota multitudine tum Dæmonum, tum hominum damnatorum, qui apparebunt in corporibus ignitis.

Præter hoc receptaculum subterraneum, quod infernus dicitur, seu gehenna, in qua reprobi æternis torquentur suppliciis, aliud datur receptaculum subterraneum distinctum à gehenna, & cœlo, ubi animæ noxis levioribus inquinatæ, vel quæ nondum meritas pœnas pro delictis dum viverent in via flammis purgantur expiatoriis, est etiam certum de fide contra Calvinum, cujus hæc sunt verba: *Clamandum non modo vocis, & gutturis,*

& late-

ꝗ laterum contentione purgatorium extitale Sathana esse commentum, quod Christi crucem evacuat. Calvino adhæsit Lutherus, qui tametsi ab initio suæ apostasiæ ab Ecclesia Romana concesserit dari purgatorium, ut constat ex ejus Disputatione Lipsiaca, ubi ait: *Ego quidem credo firmiter, imo ausim dicere, scio purgatorium esse, facile persuadeor in scripturis, de eo fieri mentionem*, postea tamen cum Calvino purgatorium expunxit, in quo errore fuefuerunt etiam sexcentis circiter abhinc annis Waldenses, & alii Pseudo-Apostoli Waldensibus antiquiores, primos tamen omnium, qui hunc invexit errorem dicitur fuisse Aërius, qui testibus Epiphanio hæres. 75. & Augustino hæres. 73. docuit, non esse orandum pro mortuis, consequenter nostris non indigere precibus, nec juvari posse, quorum utrumque adversatur doctrinæ, quam fides Catholica docet de purgatorio. Verum dari abditum hoc receptaculum subterraneum distinctum à gehenna, in quo animæ flammis purgantur expiatoriis colligitur ex 2. Machab. 12. ubi laudatur Judas Machabæus, eò quia: *Facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccato sacrificium benè & religiose de resurrectione cogitans (nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam, sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut a peccatis solvantur.* Quia verò hæc verba adeo sunt clara, ut omnem subterfugii locum claudant, Hæretici maluerunt negare hunc secundum librum Machabæorum esse canonicum, quam fateri dare abditum hoc receptaculum subterraneum, quod purgatorium dicitur, & fateri esse bonum pro defunctis orare: hunc autem secundum Machabæorum librum esse canonicum satis liquet ex concilio Carthaginensi III. celebrato anno Christi 397. cui interfuit Div. Augustinus, & quod Concilium fuit postea confirmatum à Constantinopolitana Generali Synodo. Concilium enim & Synodos inter libros canonicos, seu divinitus inspiratos enumerant librum huoc secundum Macbabæorum, & Div. Augustin. *lib. 18. de Civit. cap. 86.* expresse asserit: *Machabæorum libros non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet*: & quia Calvinus fatetur extra controversiam esse nihil à principio usque ad ætatem Augustini, & aliorum veterum doctorum mutatum fuisse in doctrina, necesse est, confiteatur librum hunc secundum Machabæorum esse canonicum, quia Patres, qui Concilio Carthaginensi interfuerunt doctrinam ac Apostolis traditam, & continua serie in Ecclesia propagatam definiverunt: quamobrem cum Hæretici negantes purgatorium asserant immutatam in Ecclesia doctrinam usque ad tempus Augustini, necessariò debent fateri purgatorium: siquidem vel Ecclesia ætate Div. Augustini retinuit doctrinæ puritatem ab Apostolis receptam, vel non: si dicant hoc secundum ergo perperam dicunt antiquos Patres, & Augustinum adhæsisse doctrinæ ab Apostolis traditæ, & continua serie in Ecclesia propagatæ, quod esset sibi contradicere: sin verò asserant Ecclesiam retinuisse hanc doctrinæ puritatem, jam Calvinus, & alii Hæretici debent cum Ecclesia antiqua secundum librum Machabæorum canonicum fateri. Præterea Augustinus lib. de cura pro mortuis ait: *In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium; sed etsi nunquam omnino in scripturis veteribus legeretur; non parum tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret authoritas; ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur locum suum habet, etiam commendatio mortuorum*; unde ex sententia Augustini Ecclesia semper habuit pro canonicis hos Machabæorum libros. Neque ullius est momenti, quod respondet Wittackerus Calvini asseclà asserens libros illos communi quadam hujus nominis usurpatione tantum vocari canonicos, *eo quia in Ecclesia leguntur & in aliquo pretio habentur. Quamquam non omnino in parem cum reliquis authoritatem, & fidem sumantur*: & hujus responsionis fundamentum nititur eruere ex antecedentibus verbis Div. Augustini, quæ sunt: *Quorum supputatio temporum* (à restituto templo usque ad Aristobolum) *in scripturis sanctis, quæ canonica appellantur, sed in aliis invenitur, in quibus sunt hæc Machabæorum libri, quos non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.* Sed contra est, quia Div. Augustinus libros canonicos in alia non usurpat significatione, quam in ea, qua epistola 19. dixit: *se solis illis scripturarum libris, qui jam canonici vocantur eum habere honorem, ut omnem ab illis errorem, & falsitatem abesse credat.* Quod si Ecclesia eatenus libros Machabæorum canonicos assereret, eo quia in Ecclesia legantur, ut respondit Wittackerus, & in aliquo pretio habentur, inde sequeretur, quòd omnes libri sanctorum Patrum, qui publicè in Ecclesia leguntur, & in magno solent pretio haberi perinde essent dicendi libri canonici ac canonici dicuntur libri Machabæorum, quod nullus hactenus dixit. Neque obstant præcitata Augustini verba, quia ab ipso in primo loco dicuntur scripturæ canonicæ, quæ apud Judæos etiam in Canone erant. Aliæ verò ab eodem vocantur canonicæ, quia sunt in sacro Ecclesiæ canone non tamen Judæorum, in quorum numero non solum erant libri Machabæorum, sed etiam Evangelia, acta, & epistolæ Apostolorum, quapropter sensus Augustini est, supputationem temporum haberi in scriptura non canonica tantum apud Judæos, bene verò apud Christianos, quia apud ipsos habetur in scriptura canonica; hunc esse verum sensum Div. Augustini, ex eo liquet, quia lib. 2. de doctrina Christi cap. 8. recensens accuratè canonem divinorum librorum recenset; inter illos duos primos Machabæorum; quapropter ex consuetudine antiquæ Ecclesiæ, & authoritate sanctorum Patrum, præsertim Augustini dobitari non potest, librum secundum Machabæorum, in quo fit mentio purgatorii, & suffragiorum pro defunctis, esse vere canonicum. Quod si quæras, cur Machabæorum libri positi non fuerint in canone Judæorum, respondetur, quia canon ille Judæorum compositus fuit tempore Esthræ in magna Synodo, quando Machabæorum libri nondum erant scripti, ut nec etiam Ecclesiasticus, & sapientia.

Rursus dari receptaculum subterraneum, quod purgatorium dicitur, in quo animæ justæ ob noxas leviores, vel quia non plenè adhuc satisfecerint divinæ justitiæ pro patratis delictis jam condonatis temporali supplicio, & flammis expiatoriis purgantur, evinci etiam solet ex novo testamento præsertim 1. Cor. 3. ubi Paul. scribit: *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc* (sc. Christum) *aurum, argentū, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam uniuscujusq; opus manifestū erit. Dies enim Dei declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusq; opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet, si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*: æquiparat Apost. Cor. Doctores & alios Evang. Præcones architectis, quorum aliqui supra fundamentum ab ipso positum aurum, argentū, & lapides pretiosos,

seu

Lazaro per infernum, ubi in Evangelio legimus fuisse divitem epulonem supplicus excruciatum, intelligit gehennam, ubi damnati æternis torquentur suppliciis. Lucianus etiam author græcus in Dialogo de Luctu per nomen inferni intelligit locum sub terra profundum. Plato itidem lib. 2. de Republica ait, nos esse rationes reddituros de operibus, quæ egimus: sed hanc rationem non reddimus in sepulchro, ubi solum corpus putrescit: ergo præter sepulchrum dantur alia loca subterranea, quæ nomine inferorum significantur. Præterea nomine abyssi, certum est, non posse intelligi sepulchrum, sed quid aliud profundius, atqui Luc. 8. Dæmones rogarunt Christum, ne mitteret eos in abyssum, ergo præter sepulchrum dantur receptacula subterranea, quæ nomine inferorum significantur: propriè nomine abyssi significatur profunda votago infra terræ superficiem.

Tum quia dæmonibus non aperiuntur sepulchra cùm sint incorporei: rursus neque nomine abyssi significatur aliquid spirituale ut censuit Brenzius ubique diffusum, alioquin non rogassent Dæmones Christum, ne mitterentur in abyssum, cùm & ipsi spirituales sint. Præterea dari hæc receptacula subterranea clarè colligitur in scripturis Apoc. 5. ubi legimus non fuisse inventos, qui liberum solverent: *nec in cælo, nec in terra, nec sub terram*: & infra habetur: *dixerunt laudem Deo omnes creaturæ in cœlo. in terra & sub terram.* Et Apostolus ad Philip. 2. scribit: *Ut in nomine JEsu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum*: unde nulli dubium, quin dentur hujusmodi subterraneæ cavitates, & abdita receptacula, in quibus ante Christi adventum fuerint detentæ animæ justorum & aliæ, quæ ex hac vita non perfectè purgatæ à noxis expiantur flammis in purgatorio, & aliæ, quæ in statu peccati lethalis ex hac vita decesserunt, quæque in gehenna detinentur, & æternis torquentur suppliciis: & cum non fuerint cadavera sepulchrorum, quæ non poterant librum aperire, nec quæ Deum laudent, vel adorent, debent esse spiritus, qui dicuntur subterranei, eò quia in locis subterraneis degant, ut animæ, quæ expiatoriis flammis purgantur. Et præter purgatorium dari etiam aliam subterraneam cavitatem quæ gehenna dicitur, & in qua torquentur reprobi damnati etiam ex scripturis clarè deducitur, & epist. 2. cap. 2. dicitur: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, & rudentibus inferni detractos in tartarum trudidit cruciandos.* Quinimò in Evangelio etiam habemus Christum significâsse hunc inferni locum, cum dixit: *Bonum est tibi debilem, vel claudum intrare in vitam æternam, quàm duas manus, aut duas pedes habentem mitti in gehennam in ignem æternum, in ignem inextinguibilem.* Et rursus: *Eum timete, qui potest corpus, & animam mittere in gehennam*, ut etiam *mortuus est dives, & sepultus est in inferno*, & Div. Joan. Apocal. 21. describit infernum, *esse locum iræ Dei torrentem ignis, & sulphuris, de quo bibunt, qui adoraverunt bestiam, & portaverunt voluptatem meretricum in calice Babylonis, & ibi esse stagnum ignis, & sulphuris, & puteum abyssi, de quo exit fumus in sæcula sæculorum*, hinc in symbolo Athanasii ecclesia canit, *qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum*, & statim subdit, hanc esse fidem chatholicam, quæ confirmata, & definita fuit in Conciliis Toletano IV. Arelatensi IV. & Florentino *sess. ult. in litter. union.* Ratio itidem hoc evincit, quia Deus cum sit perfectissimus totamque includat perfectionum plenitudinem debet justus esse, & exercere justitiam: sed non posset justus esse, si crimina, & peccata, quæ dictim perpetrantur impunita manerent & cum persæpe non puniantur in hac vita, cum plerumque experiamur, hominibus malis bona obtingere etiam usque ad vitæ extremum exitum, æquum omnino est, ut delinquentes pro suis noxis torqueantur post mortem in alia vita & quidem in aliquo destinato supplicii loco, ut cognoscant quam malum, & amarum fuerit dereliquisse Deum, & bonis fluxis, & caducis adhæsisse, voluptatibus, & vitiis indulsisse. Hinc infernus est locus corporeus specialiter destinatus ad pœnam & effossus in intimis terræ visceribus profundissimis, ubi detinentur tum mali Angeli, tum homines reprobi: hunc enim locum significant scripturæ Eccle. 21. *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi & tenebræ, & pœna*, ubi per inferos intelligitur receptaculum subterraneum, in quo fuerunt detenti Prophetæ & Patriarchæ, & viri justi, qui decesserunt ante Christi adventum, & cum Christus secum duxit in paradisum: per tenebras intelligitur cavitas illa subterranea, in qua expiantur animæ illorum, qui ex hac vita decesserunt, vel cum aliqua veniali noxa, vel quia non plenè satisfecerint divinæ justitiæ pro patratis delictis, & ideo ibi detinentur, ac pœnis expiatoriis purgantur, propterea, qui sunt destitutæ animæ illæ lumine gloriæ nondum beatæ, & locus ille sit caliginosus, ideo significatur nomine tenebrarum: ut etiam nomine pœnæ gehenna indicatur, ubi improbi ac dæmones æternis torquentur suppliciis. Describit eleganter locum istum Job. *cap.* 10. ubi vocat locum inferni: *Terram tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, & cap. 20. loquens de hominibus, qui indulgent voluptatibus ait: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt*: quod etiam Isaias fuerat comminatus Regi Babylonio, *Verumtamen ad infernum detraheris usque ad profundum laci.* In novo itidem testamento mentio hujus loci: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Quòd verò infernus, sit locus effossus sub terra, & centro proximus etiam ex scripturis colligitur. Num. 16. *Disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos, descenderuntque vivi in infernum operti humo*: indicant itidem hunc locum omnes illi scripturæ textus, ubi infernus vocatur abyssus, puteus abyssi, profundum lacus. An verò omnes Angeli mali detineantur in hoc loco, qui specialiter infernus dicitur? Respondetur ante diem judicii plures dœmones vagari extra infernum, vel versari in aëre, ut communiter sentiunt sancti Patres, præsertim Augustinus *lib.* 2. *in Genes. cap.* 26. ubi asserit: Id pertinere ad fidem, & colligitur etiam ex scripturis, ubi Dœmones vocantur rectores tenebrarum harum spiritualia nequitiæ in cœlestibus, principes potestatis aëris hujus: sed post diem judicii omnes claudentur in tetro illo loco, ut habetur in Apocal. cap. 20. Cæterum est locus ille altissimus, ut sit sufficiens pro tota multitudine tum Dæmonum, tum hominum damnatorum, qui apparebunt in corporibus ignitis.

Præter hoc receptaculum subterraneum, quod infernus dicitur, seu gehenna, in qua reprobi æternis torquentur suppliciis, aliud datur receptaculum subterraneum distinctum à gehenna, & cœlo, ubi animæ noxis levioribus inquinatæ, vel quæ nondum meritas pœnas pro delictis dum viverent in via flammis purgantur expiatoriis, est etiam certum de fide contra Calvinum, cujus hæc sunt verba: *Clamandum non modo vocis, & gutturis, & late-*

& laterum consensione purgatorium extitale Sathanæ esse tammentum, quod Christi crucem evacuat. Calvino adhæsit Lutherus, qui tametsi ab initio suæ apostasiæ ab Ecclesia Romana concesserit dari purgatorium, ut constat ex ejus Disputatione Lipsiaca, ubi ait: *Ego quidem credo firmiter, imo ausim dicere, scio purgatorium esse, facile persuadeor in scripturis, de eo fieri mentionem*, postea tamen cum Calvino purgatorium expunxit, in quo errore fuerunt etiam sexcentis circiter abhinc annis Waldenses, & alii Pseudo-Apostoli Waldensibus antiquiores, primus tamen omnium, qui hunc invexit errorem dicitur fuisse Aërius, qui testibus Epiphanio hæres. 75. & Augustino hæres. 73. docuit, non esse orandum pro mortuis, consequenter nostris non indigere precibus, nec juvari posse, quorum utrumque adversatur doctrinæ, quam fides Catholica docet de purgatorio. Verum dari abditum hoc receptaculum subterraneum distinctum à gehenna, in quo animæ flammis purgantur expiatoriis colligitur ex 2. Machab. 12. ubi laudatur Judas Machabæus, eò quia: *Facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccato sacrificium benè & religiose de resurrectione cogitans (nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam, sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut a peccatis solvantur.* Quia verò hæc verba adeo sunt clara, ut omnem subterfugii locum claudant, Hæretici maluerunt negare hunc secundum librum Machabæorum esse canonicum, quam fateri dare abditum hoc receptaculum subterraneum, quod purgatorium dicitur; & fateri esse bonum pro defunctis orare: hunc autem secundum Machabæorum librum esse canonicum satis liquet ex concilio Carthaginensi III. celebrato anno Christi 397. cui interfuit Div. Augustinus, & quod Concilium fuit postea confirmatum à Constantinopolitana Generali Synodo. Concilium enim & Synodus inter libros canonicos, seu divinitus inspiratos enumerant librum hunc secundum Machabæorum, & Div. Augustin. *lib.* 18. *de Civit. cap.* 86. expresse asserit: *Machabæorum libros non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet:* & quia Calvinus fatetur extra controversiam esse nihil à principio usque ad ætatem Augustini, & aliorum veterum doctorum mutatum fuisse in doctrina, necesse est, confiteatur librum hunc secundum Machabæorum esse canonicum, quia Patres, qui Concilio Carthaginensi interfuerunt doctrinam ac Apostolis traditam, & continua serie in Ecclesia propagatam definiverunt: quamobrem cum Hæretici negantes purgatorium asserant immutatam in Ecclesia doctrinam usque ad tempus Augustini, necessariò debent fateri purgatorium: siquidem vel Ecclesia ætate Div. Augustini retinuit doctrinæ puritatem ab Apostolis receptam, vel non: si dicant hoc secundum ergo perperam dicunt antiquos Patres, & Augustinum adhæsisse doctrinæ ab Apostolis traditæ, & continua serie in Ecclesia propagatæ, quod esset sibi contradicere: sin verò asserant Ecclesiam retinuisse hanc doctrinæ puritatem, jam Calvinus, & alii Hæretici debent cum Ecclesia antiqua secundum librum Machabæorum canonicum fateri. Præterea Augustinus lib. de cura pro mortuis ait: *In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium; sed etsi nunquam omnino in scripturis veteribus legeretur; non parum tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret authoritas: ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur locum suum habet, etiam commendatio mortuorum*; unde ex sententia Augustini Ecclesia semper habuit pro canonicis hos Machabæorum libros. Neque ullius est momenti, quod responder Wittacketus Calvini asseclà asserens libros illos communi quadam hujus nominis usurpatione tantum vocari canonicos, *eo quia in Ecclesia leguntur & in aliquo pretio habentur. Quamquam non omnino in parem cum reliquis authoritatem, & fidem sumantur*: & hujus responsionis fundamentum nititur eruere ex antecedentibus verbis Div. Augustini, quæ sunt: *Quorum supputatio temporum* (à restituto templo usque ad Aristobolum) *in scripturis sanctis, quæ canonica appellantur, sed in aliis invenitur, in quibus sunt hæc Machabæorum libri, quos non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.* Sed contra est, quia Div. Augustinus libros canonicos in alia non usurpat significatione, quam in ea, qua epistola 19. dixit: *se solis illis scripturarum libris, qui jam canonici vocantur eum habere honorem, ut omnem ab illis errorem, & falsitatem abesse credat.* Quod si Ecclesia eatenus libros Machabæorum canonicos assereret, eò quia in Ecclesia legantur, ut respondit Wittackerus, & in aliquo pretio habentur, inde sequeretur, quòd omnes libri sanctorum Patrum, qui publicè in Ecclesia leguntur, & in magno solent pretio haberi perinde essent dicendi libri canonici ac canonici dicuntur libri Machabæorum, quod nullus hactenus dixit. Neque obstant præcitata Augustini verba, quia ab ipso in primo loco dicuntur scripturæ canonicæ, quæ apud Judæos etiam in Canone erant. Aliæ verò ab eodem vocantur canonicæ, quia sunt in sacro Ecclesiæ canone non tamen Judæorum, in quorum numero non solùm erant libri Machabæorum, sed etiam Evangelia, acta, & epistolæ Apostolorum, quapropter sensus Augustini est, supputationem temporum haberi in scriptura non canonica tantum apud Judæos, bene verò apud Christianos, quia apud ipsos habetur in scriptura canonica; hunc esse verum sensum Div. Augustini, ex eo liquet, quia lib. 2. de doctrina Christi cap. 8. recensens accuratè canonem divinorum librorum recenset inter illos duos primos Machabæorum; quapropter ex consuetudine antiquæ Ecclesiæ, & authoritate sanctorum Patrum, præsertim Augustini dubitari non potest, librum secundum Machabæorum, in quo fit mentio purgatorii, & suffragiorum pro defunctis, esse vere canonicum. Quod si quæras, cur Machabæorum libri positi non fuerint in canone Judæorum, respondetur, quia canon ille Judæorum compositus fuit tempore Esthræ in magna Synodo, quando Machabæorum libri nondum erant scripti, ut nec etiam Ecclesiasticus, & sapientia.

Rursus dari receptaculum subterraneum, quod purgatorium dicitur, in quo animæ justæ ob noxas leviores, vel quia non plenè adhuc satisfecerint divinæ justitiæ pro patratis delictis jam condonatis temporali supplicio, & flammis expiatoriis purgantur, evinci etiam solet ex novo testamento præsertim 1. Cor. 3. ubi Paul. scribit: *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc* (sc. Christum) *aurum, argentũ, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam uniuscujusque opus manifestũ erit. Dies enim Dei declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusq; opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet, si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* æquiparat Apost. Cor. Doctores & alios Evang. Præcones architectis, quorum aliqui supra fundamentum ab ipso positum aurum, argentũ, & lapides pretiosos,

Lazaro per infernum, ubi in Evangelio legimus fuisse divitem epulonem suppliciis excruciatum, intelligit gehennam, ubi damnati æternis torquentur suppliciis. Lucianus etiam author græcus in Dialogo de Luctu per nomen inferni intelligit locum sub terra profundum. Plato itidem lib. 2. de Republica ait, nos esse rationes reddituros de operibus, quæ egimus: sed hanc rationem non reddimus in sepuchro, ubi solum corpus putrescit: ergo præter sepulchrum dantur alia loca subterranea, quæ nomine inferorum significantur. Præterea nomine abyssi, certum est, non posse intelligi sepulchrum, sed quid aliud profundius, atqui Luc. 8. Dæmones rogarunt Christum, ne mitteret eos in abyssum, ergo præter sepulchrum dantur receptacula subterranea, quæ nomine inferorum significantur: propriè nomine abyssi significatur profunda vorago infra terræ superficiem.

Tum quia dæmonibus non aperiuntur sepulchra cùm sint incorporei: rursus neque nomine abyssi significatur aliquid spirituale ut censuit Brenzius ubique diffusum, alioquin non rogassent Dæmones Christum, ne mitterentur in abyssum, cùm & ipsi spirituales sint. Præterea dari hæc receptacula subterranea clarè colligitur in scripturis Apoc. 5. ubi legimus non fuisse inventos, qui liberum solverent: *nec in cælo, nec in terra, nec sub terram*: & infra habetur: *dixerunt laudem Deo omnes creatura in cælo. in terra & sub terram.* Et Apostolus ad Philip. 2. scribit: *Ut in nomine JEsu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum*: unde nulli dubium, quin dentur hujusmodi subterraneæ cavitates, & abdita receptacula, in quibus ante Christi adventum fuerint detentæ animæ justorum & aliæ, quæ ex hac vita non perfectè purgatæ à noxis expiantur flammis in purgatorio, & aliæ, quæ in statu peccati lethalis ex hac vita decesserunt, quæque in gehenna detinentur, & æternis torquentur suppliciis: & cum non fuerint cadavera sepolchrorum, quæ non poterant liberum aperire, nec quæ Deum laudent, vel adorent, debent esse spiritus, qui dicuntur subterranei, eò quia in locis subterraneis degant, ut animæ, quæ expiatoriis flammis purgantur. Et præter purgatorium dari etiam aliam subterraneam cavitatem quæ gehenna dicitur, & in qua torquentur reprobi damnati etiam ex scripturis clarè deducitur, & epist. 2. cap. 2. dicitur: *Deus Angelis peccantibus non pepercit. & rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Quinimò in Evangelio etiam habemus Christum significâsse hunc inferni locum, cum dixit: *Bonum est tibi debilem, vel claudum intrare in vitam æternam, quàm duas manus, aut duas pedes habentem mitti in gehennam in ignem æternum, in ignem inextinguibilem.* Et rursus: *Eum timete, qui potest corpus, & animam mittere in gehennam*, ut etiam *mortuus est dives, & sepultus est in inferno*, & Div. Joan. Apocal. 21. describit infernum, *esse locum iræ Dei torrentem ignis, & sulphuris, de quo bibunt, qui adoraverunt bestiam, & portaverunt voluptatem mortiferam in calice Babylonis, & ibi esse stagnum ignis, & sulphuris, & puteum abyssi, de quo exit fumus in secula seculorum*, hinc in symbolo Athanasii ecclesia canit, *qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam. qui verò mala in ignem æternum*, & statim subdit, hanc esse fidem chatholicam, quæ confirmata, & definita fuit in Conciliis Toletano IV. Arelatensi IV. & Florentino *sess. ult. in litter. union.* Ratio itidem hoc evincit, quia Deus cum sit perfectissimus totamque includat perfectionum plenitudinem debet justus esse, & exercere justitiam: sed non posset justus esse, si crimina, & peccata, quæ dictim perpetrantur impunita manerent: & cum persæpe non puniantur in hac vita, cum plerumque experiamur, hominibus malis bona obtingere etiam usque ad vitæ extremum exitum, æquum omnino est, ut delinquentes pro suis noxis torqueantur post mortem in alia vita & quidem in aliquo destinato supplicii loco, ut cognoscant quam malum, & amarum fuerit dereliquisse Deum, & bonis fluxis, & caducis adhæsisse, voluptatibus, & vitiis indulsisse. Hinc infernus est locus corporeus specialiter destinatus ad pœnam & effossus in imis terræ visceribus profundissimis, ubi detinentur tum mali Angeli, tum homines reprobi: hunc enim locum significant scripturæ Eccle. 21. *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi & tenebræ. & pœna*, ubi per inferos intelligitur receptaculum subterraneum, in quo fuerunt detenti Prophetæ & Patriarchæ, & viri justi, qui decesserunt ante Christi adventum, & quos Christus secum duxit in paradisum: per tenebras intelligitur cavitas illa subterranea, in qua expiantur animæ illorum, qui ex hac vita decesserunt, vel cum aliqua veniali noxa, vel quia non plene satisfecerint divinæ justitiæ pro patratis delictis, & ideo ibi detinentur, ac pœnis expiatoriis purgantur, propterea, qui sunt destitutæ animæ illæ lumine gloriæ nondum beatæ, & locus ille sit caliginosus, ideo significatur nomine tenebrarum: ut etiam nomine pœnæ gehenna indicatur, ubi improbi ac dæmones æternis torquentur suppliciis. Describit eleganter locum illum Job. *cap.* 10. ubi vocat locum inferni: *Terram tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, & cap. 20. loquens de hominibus, qui indulgent voluptatibus ait: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt*: quod etiam Isaias fuerat comminatus Regi Babylonio. *Verumtamen ad infernum detraheris usque ad profundum loci.* In novo itidem testamento mentio hujus loci: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Quòd verò infernus, sit locus effossus sub terra, & centro proximus etiam ex scripturis colligitur. Num. 16. *Disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos, descenderuntque vivi in infernum operti humo*: indicant itidem hunc locum omnes illi scripturæ textus, ubi infernus vocatur abyssus, puteus abyssi, profundum lacus. An verò omnes Angeli mali detineantur in hoc loco, qui specialiter infernus dicitur? Respondetur ante diem judicii plures dæmones vagari extra infernum, vel versari in aëre, ut communiter sentiunt sancti Patres, præsertim Augustinus *lib. 2. in Genes. cap.* 26. ubi asserit: Id pertinere ad fidem, & colligitur etiam ex scripturis, ubi Dæmones vocantur rectores tenebrarum harum spiritualia nequitiæ in cœlestibus, principes potestatis aëris hujus: sed post diem judicii omnes claudentur in tetro illo loco, ut habetur in Apocal. cap. 20. Cæterum est locus ille altissimus, ut sit sufficiens pro tota multitudine tum Dæmonum, tum hominum damnatorum, qui apparebunt in corporibus ignitis.

Præter hoc receptaculum subterraneum, quod infernus dicitur, seu gehenna, in qua reprobi æternis torquentur suppliciis, aliud datur receptaculum subterraneum distinctum à gehenna, & cœlo, ubi animæ noxis levioribus inquinatæ, vel quæ nondum meritas pœnas pro delictis dum viverent in via flammis purgantur expiatoriis, est etiam certum de fide contra Calvinum, cujus hæc sunt verba: *Clamandum non modo vocis, & gutturis, & late-*

& iterum contentionem purgatorium exitiale Sathanæ esse commentum, quod Christi crucem evacuat. Calvino adhæsit Lutherus, qui tametsi ab initio suæ apostasiæ ab Ecclesia Romana concesserit dari purgatorium, ut constat ea ejus Disputatione Lipsiaca, ubi ait: *Ego quidem credo firmiter, imo ausim dicere, scio purgatorium esse, facile persuadeor in scripturis, de eo fieri mentionem*, postea tamen cum Calvino purgatorium expunxit, in quo errore fuerunt etiam seacentis circiter abhinc annis Waldenses, & alii Pseudo-Apostoli Waldensibus antiquiores, primus tamen omnium, qui hunc invexit errorem dicitur fuisse Aërius, qui testibus Epiphanio hæres. 75. & Augustino hæres. 73. docuit, non esse orandum pro mortuis, consequenter nostris non indigere precibus, nec juvari posse, quorum utrumque adversatur doctrinæ, quam fides Catholica docet de purgatorio. Verum dari abditum hoc receptaculum subterraneum distinctum à gehenna, in quo animæ flammis purgantur expiatoriis colligitur ex 2. Machab. 12. ubi laudatur Judas Machabæus, eo quia: *Facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccato sacrificium bene & religiose de resurrectione cogitans (nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam, sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur.* Quia verò hæc verba adeo sunt clara, ut omnem subterfugii locum claudant, Hæretici maluerunt negare hunc secundum librum Machabæorum esse canonicum, quam fateri dare abditum hoc receptaculum subterraneum, quod purgatorium dicitur; & fateri esse bonum pro defunctis orare: hunc autem secundum Machabæorum librum esse canonicum satis liquet ex concilio Carthaginensi III. celebrato anno Christi 397. cui interfuit Div. Augustinus, & quod Concilium fuit postea confirmatum à Constantinopolitana Generali Synodo. Concilium enim & Synodus inter libros canonicos, seu divinitus inspiratos enumerant librum hunc secundum Machabæorum, & Div. Augustin. *lib. 18. de Civit. cap. 86.* expresse asserit: *Machabæorum libros non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet:* & quia Calvinus fatetur extra controversiam esse nihil à principio usque ad ætatem Augustini, & aliorum veterum doctorum mutatum fuisse in doctrina, necesse est, confiteatur librum hunc secundum Machabæorum esse canonicum, quia Patres, qui Concilio Carthaginensi interfuerunt doctrinam ac Apostolis traditam, & continua serie in Ecclesia propagatam definiverunt: quamobrem cum Hæretici negantes purgatorium asserant immutatam in Ecclesia doctrinam usque ad tempus Augustini, necessariò debent fateri purgatorium: siquidem vel Ecclesia ætate Div. Augustini retinuit doctrinæ puritatem ab Apostolis receptam, vel non: si dicant hoc secundum ergo perperam dicunt antiquos Patres, & Augustinum adhæsisse doctrinæ ab Apostolis traditæ, & continua serie in Ecclesia propagatæ, quod ellat ubi contradicere: sin verò asserant Ecclesiam retinuisse hanc doctrinæ puritatem, jam Calvinus, & alii Hæretici debent cum Ecclesia antiqua secundum librum Machabæorum canonicum fateri. Præterea Augustinus lib. de cura pro mortuis ait: *In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium; sed etsi nunquam omnino in scripturis veteribus legeretur; non parum tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret authoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur locum suum habet, etiam commendatio mortuorum:* unde ex sententia Augustini Ecclesia semper habuit pro canonicis hos Machabæorum libros. Neque ullius est momenti, quod respondet Wittackerus Calvini assecla asserens libros illos communi quadam hujus nominis usurpatione tantum vocari canonicos, *eo quia in Ecclesia leguntur & in aliquo pretio habentur. Quamquam non omnino in parem cum reliquis authoritatem, & fidem jumantur:* & hujus responsionis fundamentum nititur eruere ex antecedentibus verbis Div. Augustini, quæ sunt: *Quorum supputatio temporum* (à restituto templo usque ad Aristobolum) *in scripturis sanctis, quæ canonica appellantur, sed in aliis invenitur, in quibus sunt hac Machabæorum libri, quos non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.* Sed contra est, quia Div. Augustinus libros canonicos in alia non usurpat significatione, quam in ea, qua epistola 19. dixit: *se solis illis scripturarum libris, qui jam canonici vocantur eum habere honorem, ut omnem ab illis errorem, & falsitatem abesse credat.* Quod si Ecclesia eatenus libros Machabæorum canonicos asseceret, eo quia in Ecclesia legantur, ut respondit Wittackerus, & in aliquo pretio habentur, inde sequeretur, quòd omnes libri sanctorum Patrum, qui publicè in Ecclesia leguntur, & in magno solent pretio haberi perinde essent dicendi libri canonici ac canonici dicuntur libri Machabæorum, quod nullus hactenus dixit. Neque obstant præcitata Augustini verba, quia ab ipso in primo loco dicuntur scripturæ canonicæ, quæ apud Judæos etiam in Canone erant. Aliæ verò ab eodem vocantur canonicæ, quia sunt in sacro Ecclesiæ canone non tamen Judæorum, in quorum numero non solùm erant libri Machabæorum, sed etiam Evangelia, acta, & epistolæ Apostolorum, quapropter sensus Augustini est, supputationem temporum haberi in scriptura non canonica tantum apud Judæos, bene verò apud Christianos, quia apud ipsos habetur in scriptura canonica; hunc esse verum sensum Div. Augustini, ex eo liquet, quia lib. 2. de doctrina Christi cap. 8. recensens accuratè canonem divinorum librorum recenset inter illos duos primos Machabæorum; quapropter ex consuetudine antiquæ Ecclesiæ, & authoritate sanctorum Patrum, præsertim Augustini dubitari non potest, librum secundum Machabæorum, in quo fit mentio purgatorii, & suffragiorum pro defunctis, esse verè canonicum. Quod si quæras, cur Machabæorum libri positi non fuerint in canone Judæorum, respondetur, quia canon ille Judæorum compositus fuit tempore Esthræ in magna Synodo, quando Machabæorum libri nondum erant scripti, ut nec etiam Ecclesiasticus, & sapientia.

Rursus dari receptaculum subterraneum, quod purgatorium dicitur, in quo animæ justæ ob noxas leviores, vel quia non plenè adhuc satisfecerint divinæ justitiæ pro patratis delictis jam condonatis temporali supplicio, & flammis expiatoriis purgantur, evinci etiam solet ex novo testamento præsertim 1. Cor. 3. ubi Paul. scribit: *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc* (sc. Christum) *aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Dei declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusq; opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet, si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem:* æquiparat Apost. Cor. Doctores & alios Evang. Præcones architectis, quorum aliqui super fundamentum ab ipso positum aurum, argentum, & lapides pretiosos, seu

& laterum contentione purgatorium exitiale Sathanæ esse commentum, quod Christi crucem evacuat. Calvino adhæsit Lutherus, qui tametsi ab initio suæ apostasiæ ab Ecclesia Romana concesserit dari purgatorium, ut constat ex ejus Disputatione Lipsiaca, ubi ait: *Ego quidem credo firmiter, imo ausim dicere, scio purgatorium esse, facile persuadeor in scripturis, de eo fieri mentionem*, postea tamen cum Calvino purgatorium expunxit, in quo errore fuefuerunt etiam sexcentis circiter abhinc annis Waldenses, & alii Pseudo-Apostoli Waldensibus antiquiores, primus tamen omnium, qui hunc invenit errorem dicitur fuisse Aërius, qui testibus Epiphanio hæres. 75. & Augustino hæres. 73. docuit, non esse orandum pro mortuis, consequenter nostris non indigere precibus, nec juvari posse, quorum utrumque adversatur doctrinæ, quam fides Catholica docet de purgatorio. Verum dari abditum hoc receptaculum subterraneum distinctum à gehenna, in quo animæ flammis purgantur expiatoriis colligitur ex 2. Machab. 12. ubi laudatur Judas Machabæus, eò quia: *Facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccato sacrificium benè & religiosè de resurrectione cogitans (nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam, sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut a peccatis solvantur.* Quia verò hæc verba adeo sunt clara, ut omnem subterfugii locum claudant, Hæretici maluerunt negare hunc secundum librum Machabæorum esse canonicum, quam fateri dare abditum hoc receptaculum subterraneum, quod purgatorium dicitur; & fateri esse bonum pro defunctis orare: hunc autem secundum Machabæorum librum esse canonicum satis liquet ex concilio Carthaginensi III. celebrato anno Christi 397. cui interfuit Div. Augustinus, & quod Concilium fuit postea confirmatum à Constantinopolitana Generali Synodo. Concilium enim & Synodus inter libros canonicos, seu divinitus inspiratos enumerant librum hunc secundum Machabæorum, & Div. Augustin. *lib. 18. de Civit. cap. 86.* expresse asserit: *Machabæorum libros non Judas, sed Ecclesia pro Canonicis habet:* & quia Calvinus fatetur extra controversiam esse nihil à principio usque ad ætatem Augustini, & aliorum veterum doctorum mutatum fuisse in doctrina, necesse est, confiteatur librum hunc secundum Machabæorum esse canonicum, quia Patres, qui Concilio Carthaginensi interfuerunt doctrinam ac Apostolis traditam, & continua serie in Ecclesia propagatam definiverunt: quamobrem cum Hæretici negantes purgatorium asserant immutatam in Ecclesia doctrinam usque ad tempus Augustini, necessariò debent fateri purgatorium: siquidem vel Ecclesia ætate Div. Augustini retinuit doctrinæ puritatem ab Apostolis receptam, vel non: si dicant hoc secundum ergo perperam dicunt antiquos Patres, & Augustinum adhæsisse doctrinæ ab Apostolis traditæ, & continua serie in Ecclesia propagatæ, quod esset sibi contradicere: sin verò asserant Ecclesiam retinuisse hanc doctrinæ puritatem, jam Calvinus, & alii Hæretici debent cum Ecclesia antiqua secundum librum Machabæorum canonicum fateri. Præterea Augustinus lib. de cura pro mortuis ait: *In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium; sed etsi nunquam omnino in scripturis veteribus legeretur; non parum tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret authoritas; ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur locum suum habet, etiam commendatio mortuorum*, unde ex sententia Augustini Ecclesia semper habuit pro canonicis hos Machabæorum libros. Neque ullius est momenti, quod respondet Wittackerus Calvini assecla asserens libros illos communi quadam hujus nominis usurpatione tantum vocari canonicos, *eo quia in Ecclesia leguntur & in aliquo pretio habentur. Quamquam non omnino in parem cum reliquis authoritatem, & fidem sumantur:* & hujus responsionis fundamentum nititur eruere ex antecedentibus verbis Div. Augustini, quæ sunt: *Quorum supputatio temporum* (à restituto templo usque ad Aristobolum) *in scripturis sanctis, quæ canonicæ appellantur, sed in aliis invenitur, in quibus sunt hæc Machabæorum libri, quos non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.* Sed contra est, quia Div. Augustinus libros canonicos in alia non usurpat significatione, quam in ea, qua epistola 19. dixit: *Ego solis illis scripturarum libris, qui jam canonici vocantur eum habere honorem, ut omnem ab illis errorem, & falsitatem abesse credat.* Quod si Ecclesia eatenus libros Machabæorum canonicos assereret, eo quia in Ecclesia legantur, ut respondit Wittackerus, & in aliquo pretio habeantur, inde sequeretur, quòd omnes libri sanctorum Patrum, qui publicè in Ecclesia leguntur, & in magno solent pretio haberi perinde essent dicendi libri canonici ac canonici dicuntur libri Machabæorum, quod nullus hactenus dixit. Neque obstant præcitata Augustini verba, quia ab ipso in primo loco dicuntur scripturæ canonicæ, quæ apud Judæos etiam in Canone erant. Aliæ verò ab eodem vocantur canonicæ, quia sunt in sacro Ecclesiæ canone non tamen Judæorum, in quorum numero non solùm erant libri Machabæorum, sed etiam Evangelia, acta, & epistolæ Apostolorum, quapropter sensus Augustini est, supputationem temporum haberi in scriptura non canonica tantum apud Judæos, bene verò apud Christianos, quia apud ipsos habetur in scriptura canonica; hunc esse verum sensum Div. Augustini, ex eo liquet, quia lib. 2. de doctrina Christi cap. 8. recensens accuratè canonem divinorum librorum recenset; inter illos duos primos Machabæorum; quapropter ex consuetudine antiquæ Ecclesiæ, & authoritate sanctorum Patrum, præsertim Augustini dubitari non potest, librum secundum Machabæorum, in quo fit mentio purgatorii, & suffragiorum pro defunctis, esse vere canonicum. Quod si quæras, cur Machabæorum libri positi non fuerint in canone Judæorum, respondetur, quia canon ille Judæorum compositus fuit tempore Esthræ in magna Synodo, quando Machabæorum libri nondum erant scripti, ut nec etiam Ecclesiasticus, & sapientia.

Rursus dari receptaculum subterraneum, quod purgatorium dicitur, in quo animæ justæ ob noxas leviores, vel quia non plenè adhuc satisfecerint divinæ justitiæ pro patratis delictis jam condonatis temporali supplicio, & flammis expiatoriis purgantur, evinci etiam solet ex novo testamento præsertim 1. Cor. 3. ubi Paul. scribit: *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc* (sc. Christum) *aurum, argentū, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam uniuscujusq; opus manifestū erit. Dies enim Dei declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusq; opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet, si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem:* æquiparat Apost. Cor. Doctores & alios Evang. Præcones architectis, quorum aliqui supra fundamentum ab ipso positum aurum, argentū, & lapides pretiosos,

seu opera sancta, & præsertim doctrinam sanam, & sanctam absque inani eloquentiæ ostentatione, alíove vanitatis affectu superædificant: alii verò lignum, fœnum, stipulam, scilicet doctrinam curiosam, & inutilem, vel sanam quidem, sed pomposam, & subdit has doctrinas examinandas in die Domini, hoc tamen discrimine, ut cujus opus manserit, seu fuerit repertum solidum instar auri & argenti accepturus sit mercedem, cujus verò opus propter vanitatem arserit, instar fœni, aut stipulæ is passurus sit detrimentum, sed futurus sit salvus, quia quasi per ignem mulctabitur: sed non in cœlo, quia locus ille non est destinatus punitioni, & suppliciis, sed præmio, & gloriæ: non in inferno, quia ex iis, qui semel in gehenna detinentur, nemo potis est amplius salvus fieri: ergo supet est ut in aliquo loco tertio distincto à cœlo, & gehenna per ignem mulctentur animæ aliqua levi noxa coinquinatæ, & quidem in loco distincto, & ergastulo inferorum: neq; ullũ facit negotium, quod respondent Hæretici productum ex D. Paulo textum obscurum esse, & explicatu perdifficilem, proinde non posse fidei dogma ex illo evinci. Nam contra est, quia communiter Patres fuerunt interpretati verba Apostoli de igne purgatorio, & præ cæteris D. Augustinus in Psal. 37. post initium, ubi sic Deum alloquitur: *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emundatorio igne non sit opus propter illos, qui salvi erunt: sic tamen quasi per ignem:* & hoc idem confirmat serm 41. de Sanctis, ubi ait: *Illo enim transitorio igne, de quo dixit Apostolus ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem non capitalia, sed minuta peccata purgantur.* In eodem sensu explicat verba Apostoli D Ambrosius in 1. ad Cor. 3. ubi ait: *Sed cùm Paulus dicit: sic tamen quasi per ignem ostendit quidem illum salvum futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus; & non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur.* Rursus quamvis verba Apostoli nonnihil continerent obscuritatis non tamen inde Acatholici exigunt pro omnibus fidei articulis perspicua, & evidentia scripturæ testimonia: etenim Hæretici ipsi credunt articulum illum, qui habetur in symbolo Athanasii: *Spiritus sanctus à Patre, & Filio non factus, non creatus, nec genitus, sed procedens,* & tamen non omnes hujus articuli particulæ sunt claræ, & evidentes: & quamvis clarè & evidenter haberemus Spiritum S. procedere à Patre non tamen evidenter, & perspicuè haberemus procedere à Filio. Ex aliis etiam scripturæ locis evincitur dari hunc subterraneum locum, ubi animæ defunctorum expiatorio igne purgantur etenim Apostolus 1. ad Hebr. 3. *Purgationem peccatorum faciens*, nominat pœnam illam purgationem, eò quia expiatæ, ac purgatæ animæ cœlesti donentur beatitate. Imò Christus Matth. 12. 32. purgatorium clarè evincit, inquiens: *Qui dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei nec in hoc sæculo, nec in futuro*, ex quibus verbis clarè, & evidenter infertur, aliquod peccatum esse remittendum in futuro sæculo, seu post mortem in alia vita: alioquin perperam diceretur aliquod peccatum non esse remittendum in futuro sæculo, si nullum remitteretur; si igitur aliquod peccatum remittitur post mortem in alia vita, id fit in purgatorio, quatenus animæ expiatæ, ac purgatæ cœlesti donantur beatitudine quia in inferno cùm nulla sit amplius redemptio peccata non remittuntur, sed puniuntur: rursus ad Phil. 2. 10. ait Apostolus: *In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium terrestrium, & infernorum*, atqui damnati in nomine Jesu non flectunt, sed illi tantùm qui fideles sunt, & purgatorio igne expiantur spem foventes cœlestis beatitudinis obtinendæ. Rursus Apostolus 1. Cor. 15. ait: *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt:* hæc enim Apostoli verba ita à Patribus & expositoribus explicantur, ut baptizari pro mortuis, asserant idem esse ac spontaneas afflictiones suscipere pro defunctis corpus castigando jejuniis, extenuando vigiliis, & dilacerando verberibus, verbum enim baptizari persæpe sumitur pro affligi, in quo sensu ait Christus apud Luc. 13. *Baptismo habeo baptizari.* Marc. 11. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari:* hinc sancti Patres persæpe vocant baptismum lachrymarum pœnitentiæ, & afflictionis, ut S. Cyprianus serm. de cœna Domini, ubi ait: *Lachrymis se baptizat*, & D. Gregor. Nazianzenus orat. de Epiph. vocat: *Pœnitentiam quartum baptisma.*

Præterea dari purgatorium probari potest duplici ratione, quarum prima ex eo petitur: quia remissa culpa non semper remittitur tota pœna debita pro tali culpa, Princeps enim quamvis condonet pœnam mortis reo pro gravi aliquo delicto non tamen remittit totam pœnam, sed vel ad triremes pro quinquennio illum mittit, vel ad subeundum carceris squalorem ipsum condemnat: unde quamvis per sacramentum pœnitentiæ graviores noxæ nobis remittantur non tamen tota pœna, quam pro his meruimus nobis remittitur, quapropter cùm non luamus pœnam in hac vita, debemus divinæ justitiæ satisfacere: secunda ratio ex eo desumitur, quia tametsi Deus remittat peccatum lethale, & pœnam æternam, non tamen tenetur remittere omnem pœnam, etenim rogante Moyse condonavit Deus populo peccatum idololatriæ, & nihil omninus subdit, *se in die ultionis peccatum visitaturum:* & Nathan Propheta, quamvis dixerit Davidi: *Transtulit Dominus peccatum tuum*, adhuc David gravibus pluribus incommodis afflictus fuit propter perpetratum cum Betsabea adulterium. Quod si licet justè Regibus & Principibus post capitalem culpam reis condonatam leviorem adhuc illis pœnam statuere, ut carcerem, exilium, mulctam pecuniariam à fortiori id fieri potest à Deo, qui si misericordiam ostendit in condonatione peccatorum justitiam manifestat in eorundem punitione, neque est implicatorium, ut censent Hæretici, remitti culpam, & remanere pœnam, qua peccatum præteritum, & jam remissum puniatur, quia ex quolibet actuali peccato duplex in peccatore oritur reatus culpæ, & pœnæ: & ideo duplex jus in Deo. Primum ad condignè odio habendum peccatorem: secundum ad condignè puniendum eundem juxta gravitatem delicti, & quia hæc duo jura realiter distinguuntur ideo potest Deus uni eorum cedere non alteri: quamvis in justificatione impii nunquam Deus cedat juri, quod habet ad odio habendum peccatorem, quin simul cedat alteri quod habet ad eum puniendum morte æterna, id tamen non obstat, quò minùs possit sibi reservare jus ad aliquam pœnam temporalem infligendam pro anteacto peccato, etiam remisso. Neque obstat quod objiciunt hæretici, scripturam significare, Deum cum peccata remittit non amplius eorum recordari, ea non punire, & post tergum suum projicere. Quia per hæc verba tantùm significatur remissio peccati lethalis quoad culpam, & pœnam æternam; non vero quoad aliquam pœnam temporalem, & in hoc sensu dixit Apostolus ad Rom. 8. *Nihil damnationis esse in iis, qui sunt in Christo Jesu per gratiam.* Non verò concluditur Deum nulla ratione recordari peccatorum dimissorum; quia quamvis non puniat pœna æterna dimissa peccata, ea tamen punit pœna temporali. Instant Acatholici, remissio peccatorum est gratuita: atqui talis non esset si ex parte nostra requireretur aliqua compensatio: ergo eo ipso quod remittuntur peccata, remittuntur quoad om-

nem

nem pœnam. Præterea quia Christus cumulatissimè satisfecit pro peccatis totius mundi: atqui Christi satisfactio est infiniti valoris, & non indiget nostra satisfactione, ut plena fiat solutio pro toto debito. Vel enim Christi satisfactio fuit sufficiens, vel non; si primum ergo supervacanea est omnis nostra satisfactio: secundum dici nequit alioquin detraheretur honori, ac plenitudini satisfactionis Christi. Sed contra quia tametsi remissio peccatorum quoad reatum culpæ, ac pœnæ æternæ sit merè gratuita, quatenus Deus ob suam infinitam bonitatem confert gratis homini gratiam justificantem; non tamen gratis semper condonat omnem pœnam temporalem, ut liquet ex Davide, qui tametsi acceperit gratuitam peccatorum remissionem, adhuc pœna aliqua temporali fuit punitus. Ad aliud quod addebatur de infinita Christi satisfactione, respondetur argumentum illud nimis probare: etenim Christus etiam oravit pro nobis, & remissione peccatorum; sicut pro eadem remissione satisfecit in cruce. Vel igitur oratio Christi fuit sufficiens vel non; si dicatur hoc secundum detrahitur sufficientiæ orationis Christi, quæ non minus infiniti fuit valoris ac ipsa satisfactio Christi in cruce: si dicatur primum: ergo oratio nostra non est necessaria, ac frustranee diceremus in oratione Dominica: *Dimitte nobis debita nostra.* Tametsi satisfactio Christi habuerit ex se valorem infinitum, voluit nihilominus Christus ut nobis non applicaretur valor iste nisi per fidem, sacramenta, & satisfactiones proprias. Rursus voluit etiam, ut nos mereremur & satisfaceremus prò peccatis mediante gratia nobis communicata per Christi merita. Præterea voluit Deus ut nobis non communicaretur valor satisfactionis Christi nisi in tali, vel tali mensura ab ipso designata: unde quòd non remittatur peccatum quoad totam pœnam etiam temporalem non est refundendum in defectum sufficientiæ operum Christi: sed quia voluit Christus ad majorem nostram utilitatem, ac uberiora merita non solùm per suam, verùm etiam per nostram satisfactionem æterno suo Patri debitum nostrum solvere. Sicut licet unica guttula sui sanguini, potuisset totius humani generis peccata delere; placuit tamen æterno Patri totum ejus sanguinem exigere, imo & mortem ipsam, ut nobis vitam impertiret æternam: Christus etiam, quamvis per suam passionem abundantissimè solverit pretium redemptionis nostræ adhuc voluit nostra bona opera exigere.

Ad secundam rationem desumptam ex peccatis venialibus respondent hæretici; nullum dari peccatum veniale ex natura sua, sed omnia peccata esse lethalia, & digna æterna damnatione, nobis tamen non imputari ob passionem Jesu Christi, dummodo vera fide credamus virtute passionis Christi nobis remitti. Sed contra quia hæc responsio manifestè adversatur scripturæ, præsertim Proverb. 24. *Septies in die cadet justus, & resurget*; hoc est sæpius: ubi notandum est non dici hominem, sed justum cadere sæpius in die, ut intelligamus noxas illas, de quibus loquitur scriptura, esse veniales, quæ cum justitia, seu gratia sanctificante non sunt incompatibiles: peccata enim lethalia non cohærent cum gratia sanctificante, sed illam expellunt, ut explicant sancti Patres præsertim D. Augustinus serm. 58. de tempore. Chrysostomus homil. 12. in epist. 1. ad Corinth. Quod si justus cadit perseverando in justitia, non possunt hæc peccata esse lethalia.

Dicendum secundò, Christum post mortem in cruce obitam verè descendisse ad inferos, seu limbum Patrum, qui ante Christi adventum hinc decesserunt, Ostenditur hæc veritas ex scripturis Eccles. 24. ubi Dei sapientia ait: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*: hic scripturæ textus convincit illos hæreticos, qui fatentur librum Ecclesiastici esse canonicum dictatum à Spiritu sancto: per dormientes siquidem intelliguntur justorum animæ ante Christi adventum à suis separatæ corporibus, & expectantes in limbo adventum Christi; unde Christus ait: *illuminabo omnes sperantes in Domino*; quia justorum animæ in limbo sperabant in Christo venturo, qui eis portas cœli reseraret, & illuminarentur gloriæ lumine cœlesti beatitate donati. Negant tamen hæretici animas justorum ante Christi adventum fuisse detentas in subterraneo receptaculo quod limbus dicitur, asserunt enim expectasse in cœlo nondum tamen beatas adventum Christi. Sed contra, quia animæ justorum, quæ ante Christi adventum fuerunt à suis separatæ corporibus ante Christi ascensionem non fuerunt in cœlo, quod clarè evincitur ex scripturis: etenim Gen. 7. Jacob ait: *Descendam ad filium meum in infernum.* Pius erat Joseph filius, piissimus Jacob pater; & tamen scriptura testatur, neutrum ascendisse in cœlum, sed utrumque descendisse ad inferos, seu limbum ubi expectárunt donec veniret Christus, qui illis cœli januas aperiret. Luc. 16. dives Evangelicus cum esset in inferno, vidit à longè animam Lazari in sinu Abrahæ, & audivit inter ipsorum loca magnum esse hiatum. Rursus lib. 1. Reg. cap. 28. anima Samuelis apparens Sauli visa est de terra ascendere: & quamvis non desint qui negent hanc fuisse animam Samuelis, communior tamen, & tutior sententia est, fuisse animam Samuelis ut docent SS. Patres, Justinus in Dialogo cum Triphone, S. Basilius epist. 80. ad Eustachium, S. Ambrosius in 1. cap. Lucæ, Augustinus de cura pro mortuis c. 15. Hieronymus in 7. Isaiæ, & alii communiter; & deducitur ex textu scripturæ; habetur enim *cum vidisset mulier Samuelem.* Rursus: *Dixit Samuel ad Saul.* Item *intellexit ergo Saul*, seu putavit, vel cogitavit, quod Samuel esset. Rursus Eccles. cap. 46. ponitur in laudibus Samuelis, quòd mortuus prophetaverit, & annunciaverit regi, quæ ventura erant. Sed quæ laus esset Samuelis; si non ipse sed aliquis Cacodæmon in ejus forma apparens futura prædixisset? præterea incredibile est, animam tanti Prophetæ subjectam fuisse incantationibus Pythonissæ. Constat ex 1. Petr. 3. *Iis, qui in carcere erant, spiritibus prædicavit, qui increduli fuerunt aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë cum fabricaretur arca.* Dicuntur tempore quo Noë arcam construxit animæ fuisse in carcere: ergo non erant in cœlo; quia animæ non sunt in cœlo tanquam in carcere inclusæ; cum cœlum sit sedes Dei, nequit esse locus supplicii, sed felicitatis. Tandem Zachar. 9. habetur: *Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua*, quem textum S. Hieronymus, & Rupertus in Commentario explicant de Christi descensu ad inferos; unde constat, animas justorum ante Christi adventu non fuisse in cœlo, sed expectâsse in subterraneo receptaculo, quod nomine lacus, in quo non erat aqua, indicatur. Neque probabile est, quod asserit Calvinus lib. 2. Instit. cap. 16. §. 9. Lacum sine aqua, cujus meminit Zacharias significare profunditatem Babylonicæ captivitatis, quia Zacharias verbis præcedentibus loquutus fuerat de Christi triumpho in ingressu Hierosolymæ inquiens: *Exulta filia Sion, Ecce Rex tuus venit tibi*; quod Evangelistæ de Christi ingressu in Hierosolymam exposuerunt Matth. cap. 21. Joan. cap. 12. Præterea Propheta alloquens Christum ait: *Et tu in sanguine testamenti*, quæ verba non cohærerent, si ageretur de

de captivitate Babylonica. Non enim Judæi de captivitate Babylonica dicuntur liberati in sanguine Testamenti.

Constat igitur animas justorum ante Christi adventum non expectasse in cœlo, sed detentas fuisse in subterraneo receptaculo, quod lymbus dicitur, & illuc Christum descendisse, quod etiam evincitur ex illo Matth. 12. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ*; ubi per cor terræ sancti Patres intelligunt abditum subterraneum receptaculum, in quo animæ detinebantur justorum, seu lymbum. Calvinus in Psychopaonychia, vult ventrem ceti fuisse figuram mortis, quæ Christum triduo detinuit: sed Christus expressè dicit, ventrem ceti similem fuisse cordi terræ; atqui cor terræ non est mors, sed locus abditus in terræ visceribus, periode ac in corpore humano cor est in loco intimo, & abdito; unde quod Calvinus per cor terræ intelligat ventrem ceti est omnino alienum à sensu Sanctorum Patrum, & à Christi producta similitudine. Alii censent per cor terræ significari sepulchrum, sed huic seotentiæ repugnat Christi similitudo; siquidem cor est in profundissimo animalis loco, ac intra viscera intimiora, sepulchrum verò est in extima terræ superficie; imo Christi sepulchrum videtur fuisse lapideum & supra terram positum, erat enim juxta Evangelistam monumentum excisum in lapide, proinde supra terram positum non in terræ intimis abditum visceribus. Præterea sicut Jonas fuit vivus io ventre ceti; ita aliquid vivum debuit esse in corde terræ ut similitudo esset conformior: in sepulchro autem corpus fuit mortuum; ergo per cor terræ non potest sepulchrum intelligi, sed locus abditus subterraneus in intimioribus terræ visceribus, ubi Christi anima vivens tridoo commorata fuit: hinc Div. Hieronymus in cap. 2. Jonæ ait: *sicut cor in medio est animalis, ita infernus in medio terræ esse perhibetur*: & sicut Jooas fuit in ventre ceti, ita anima Christi in abdito, ac subterraneo receptaculo apud ioferos, unde Christos Actor. 2. *Non derelinques animam meam in inferno*: neque nomine inferni potest iotelligi sepulchrum ut censuit Beza, quia sepulchrum est in extima terræ superficie, & Christi sepulchrum excisum in lapide positum fuit supra terram: præterea sepulchrum corpus contioet non animam, & Act. 2. non est sermo de corpore, sed de anima, & non de sepulchro sed de inferno. Neq; alicujus est momenti, quod respondet Beza animam posse sumi pro corpore, quia anima accipitur pro vita & vita corporis videtur obruta sepulchro non minus, quàm corpus. Nam contra est, quia licet anima possit accipi pro vita, quatenus dat vitam corpori; nunquam tamen accipitur pro cadavere; quia in cadavere est vitæ privatio; anima verò est ipsa vita; neque vita dicitur esse in sepulchro; quia ibi corpus vitâ destitutum putrescit; & vita seu anima oon est corruptioni obnoxia.

Claret igitur ex scriptoris, Christi animam *descendisse ad inferos*, non verò jacuisse io sepulcro: neque est unum & idem sepeliri, & descendere ad inferos; corpora plurium sanctorum fuerunt sepulta quorum animæ statim avolarunt in cœlum, ot anima Beatæ Virginis Matris Dei, & aliorum, proinde si potest quis sepeliri, & non desceodere ad inferos, sequitur sepeliri non esse idem, ac descendere ad inferos, ut censuit Beza: hinc in symbolo post recensitam mortem, & sepulturam Christi ponitur distinctè *descendit ad inferos*. Neqoe dici potest quod repetatur jam indicatum per sepulturam: quia symbolum utpote brevissimum omnem respuit verborum superfluitatem; unde oeque posterior sententia potest esse explicatio prioris. Concilia itidem hunc verum animæ Christi descensum ad inferos definiverunt Toletaoum IV. ait: *Descendit ad inferos, ut animas, quæ illic tenebantur erueret*. Et Lateranense sub Innocentio III. cap. I. ait: *Descendit ad inferos, resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sed descendit in anima, resurrexit in carne, ascendit pariter in utroque*. Sancti Patres hoc idem docuerunt. Irenæus lib. 5. in fine ait: *Dominus legem mortuorum servavit, ut fieret primogenitus à mortuis & commoratus usque in diem tertiam in inferioribus terræ*. (Et ne quis credat ipsum fuisse loqoutum de sepulcro, in quo senso hæretici intelligunt inferiora terræ subdit.) *Cum Dominus in medio umbræ mortis, ubi animæ mortuorum erant*. In sepulcris non animæ clauduntur, sed corpora ponuntur ubi potrescuot, & in antiquum pulverem revertuntur. Clemens lib. 6. Stromat: *Prædicavit iis Dominus, qui erant apud inferos*. Corpus certè in sepulcro non prædicavit: neque in sepulchro fuerunt animæ justorum, qui decesserunt ante Christi adventum, & quibus Christus prædicavit, quatenus illorum animas illuminavit, & consolatione replevit. Hinc Eusebius Lib. 4. demonst. Evangelic. cap. 12. ait: *Usque ad mortem, atque usque ad ipsos inferos, & mortuos leges charitatis ipsum vocabant, ut eorum quoque qui antea mortui erant animas revocaret*. Athanasius lib. de Iucarnat. ultra medium. *Credite*, inquit, *animam inferiorem hominem esse, quoniam id & à prima plasmatione ostenditur, & à secunda dissolutione monstratur, cum non solum nobis, sed etiam in Christi corpore id pateat, corpore non ultra sepulchrum delato, anima ad inferos penetrante, locis ingenti intervallo discriminatis, sepulchro quidem id, quod corporeum erat recipiente; inferno verò id quod incorporeum fuit*: & nonullis interjectis asserit, Christum descendisse ad inferos, ut animas defunctorum Patriarcharum, Prophetarum ac justorum liberaret ex receptaculo subterraneo. Basilius in Ps. 14. expendens verba illa. *Myrrha, & Gutta, & Cassia* ait. *Itaque Christi fragrantiam, myrrha quidem spirat propter passionem: Stacten verò propterea, quod non immobilis, neque inefficax & otiosus mansit tribus noctibus, & descendit ad inferos gratia dispensationis circa resurrectionem ut universa ipso impleret*. Et nonnullis interjectis subdit: *Habes igitur myrrham propter sepulturam, stacten propter descensum ad inferos*: ubi expressè distioguit sepulchrum à descensu ad inferos contra hæreticos: & expendens verba Psalm. 48. ad illa verba *Deus redimet animam meam de manu inferi* ait: *Manifestè vaticinatur Domini ad inferos descensum, qui cum aliis etiam ipsius animam redimat, ne illic maneat*. Epiphanius Hæres. 46. ait, Christum ad inferos desceodisse, ut animam Adami, & aliorum Patrum liberaret. Et in Ancorato expendens verba illa, *Inter mortuos Liber* ait: *Liber significat infernum non obtinuisse in ipsum imperium, sed propria voluntate ad inferos descendisse cum anima*. Theodoretus in Psalm. 15. ex illo Psal. *Non relinques animam meam videre corruptionem* asserit refelli Arium, & Apollinarem, qui dicebant, Christum non assumpsisse animam. Et Damascenus lib. 3. de fide cap. ult. ait: *Descendit in infernum anima Deificata, ut quemadmodum iis, quibus in terra justitiæ ortus est sol, & iis, qui sub terra in tenebris, & umbra mortis sedebant, lux refulgeret*. Ex Latinis inferos ad quos Christi anima descendit eleganter describit Tertullianus lib. de Anima cap. 55. inquiens. *Nobis inferi non nuda cavositas, nec subdivalis*

aliqua

aliqua mundi sentina creduntur. sed in fossa terra, & in alto vastitas, & in ipsis visceribus ejus abstrusa profunditas, siquidem Christum in corde terra triduum mortis legimus expunctum, id est, in recessu intimo & interno, & ex ipsa terra aperto, & intra ipsam clausa, & inferioribus adhuc abyssis substructo. Ex quibus liquet nomine inferorum Tertullianum non intellexisse sepulchrum ut perperam asserunt hæretici, & cap. 32. subdit Tertullianus de Christi descensu ad inferos. *Si Christus descendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas & Prophetas compotes sui faceret, habes, & regionem inferorum subterraneam credere.* Cyprianus sermone de concione Chrismatis in fine meminit hujus descensus animæ Christi ad inferos inquiens: *Passus est Rex illudi, & tunc occidi, descendensque ad inferos captivam ab antiquo captivitatem reduxit.* Div. Hilarius distinguens inferos à sepulchro ait lib. 10. de Trinit. ultra medium: *Nunquid descendisse ad inferos corpus, quod in sepulchro jacuit dicetur?* asseruit Hilarius Christi corpus mansisse post mortem in cruce obitam in sepulchro per triduum; animam verò descendisse ad inferos, quos à sepulchro distinguit. Et in Psal. 138. expendens verba illa: *Si descendero in infernum ades:* ait *Humana ista lex est necessitatis, ut sepultis corporibus; anima ad inferos descendant, quam descensionem Dominus ad consumationem veri hominis non recusavit.* Div. Ambrosius lib. 3. de Fide cap. 3. ait: *Liber est, qui mortis vincula nescivit, non captus ab inferis: sed sine adjutorio est, qui non per nuncium, neque per legatum, sed ipse per se Dominus salvum fecit populum suum.* Div. Hieronymus in cap. 4. ad Ephes. ait: *Inferiora terra infernus accipitur, ad quem Dominus noster Salvatorque descendit, ut Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusa, secum ad cœlos victor adduceret.* Div. Augustinus epist. 51. ad Dardanum quæst. 1. ait: *Neque ipso die in cælo futurus erat homo Christus JEsus, sed in inferno secundum animam, in sepulchro autem secundum carnem.* Et epist. 99. *Quis ergo nisi infidelis negaverit fuisse apud inferos Christum?* & ne per inferos intelligeremus sepulchrum nonnullis interjectis subdit: *secundum animam ipsum fuisse apud inferos apertè scriptura declarat.* Si secundum animam, non jam secundum corpus, hinc tract. 18. in Joan. ait: *Quis non est derelictus in inferno? Christus JEsus, sed in anima sola. Quis resurrecturus jacuit in sepulchro? Christus JEsus, sed in carne sola.* Sanct. Leo Papa serm. 2. de resurrect. Domini. *Resurrectio Salvatoris nec animam in inferno, nec carnem diu morari passa est in sepulchro.* Docent igitur, & expressè clarissimis verbis fatentur sancti Patres, qui floruerunt ante mille annos, Christum secundum carnem post mortem fuisse in sepulchro & secundum animam descendisse ad inferos, seu ad lymbum liberaturus animas Patriarcharum, Prophetarum ac Justorum, qui ante ejus in terris adventum decesserunt ex hac vita in fide Christi venturi, quem propterea fuerunt diu præstolati.

Hinc errant, qui asserunt animam Christi non re ipsa secundum propriam essentiam ac substantiam descendisse ad inferos, sed tantum secundum effectus, quos in illis abditis ac subterraneis receptaculis causavit: quia beatificavit, ac illuminavit sanctos Patres, qui erant in lymbo: siquidem concilia, & Patres disertè asserunt Christi animam descendisse ad inferos; & carnem mansisse in sepulchro; unde eodem modo, ac cum eadem proprietate loquuntur de anima sicut de corpore; sed asserunt corpus secundum substantiam mansisse in sepulchro; ergo dixerunt animam non quoad effectus quosdam; sed quoad veram essentiam, & substantiam descendisse ad inferos. Alioquin si non nisi per effectus Christi anima descendisset ad inferos, etiam caro in inferno fuisset, quia fuit caro etiam causa eorundem effectuum, quos Christi anima apud inferos causavit; quòd si dicas solam animam fuisse causam principalem. Contra est, quia præcipua causa fuit compositum, seu totus ille homo, qui patiebatur ac merebatur, ac totus Christus ut homo complectitur animam & corpus. Præterea esto anima fuerit præcipua causa, inficiari tamen non possumus, quin etiam caro & sanguis fuerit eorundem effectuum causa, cum 1. Joan. 1. habeatur *sanguis ejus emundat nos:* unde si anima Christi tantum per effectus descendisset ad inferos, etiam caro & sanguis Christi illuc descendissent, quod scripturis ac Patribus adversatur. Demum quia si per effectum tantum descendit ad inferos, sequitur Christi animam eodem tempore simul fuisse in pluribus locis dissitis, ut in inferno, in cœlesti paradiso, in terra, & in cœlo, quia in locis hisce omnibus aliquem produxit effectum, siquidem in lymbo illuminavit animas Patrum, in cœlo lætifiaavit Angelos; in cœlesti paradiso consolatus fuit Enoch & Eliam; in terra compunctionem in hominibus effecit.

Hinc anima Christi non per effectus, nec per virtutem tantùm & operationem, sed re ipsa quoad essentiam substantiam & præsentiam descendit ad inferos, ut expressè testantur scripturæ Psal. 15. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem:* quem textum Sanct. Petrus Actor. 12. explicat de Christo JEsu dicens: *Providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem,* & Div. Paulus ad Eph. 4. ait: *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ? qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos ut impleret omnia.*

Neque ex hoc descensu animæ Christi ad inferos quidquam detractum fuit Christi dignitati ac potestati, quia descendit *inter mortuos liber,* descendit victor, ut dæmones virtute sua, ac potestate prosterneret, ac eorum spolia eriperet, & sanctos Pates, justosque omnes, qui ante ejus vitam mortalem exuerant, è lymbo liberaret, & secum in cœlum adduceret, ac Dei clara visione beatificaret; tunc enim impletum est, quod latroni pœnitenti promiserat: *Hodie mecum eris in Paradiso,* & vaticinia Prophetarum fuerunt adimpleta Psalm. 67. *Cantate Deo Psalmum, dicite nomen ejus; iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi, qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris.* Et rursus, *ascendisti in altum, cœpisti captivitatem, accepisti dona in hominibus,* hanc enim prophetiam fuisse in Christo JEsu adimpletam, asserit Div. Paulus ad Eph. cap. 4. v. 8. Si petas ad quæ loca inferni Christi anima descenderit, respondetur probabilius esse Christi animam non solùm per realem præsentiam descendisse ad lymbum Patrum, sed etiam ad alia loca inferorum, ubi damnati torquentur, adeo ut non solum per virtutem & effectum ibi fuerit, sed etiam per realem præsentiam, idque desumitur ex illo Ecclesiast. 14. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, inspiciam omnes dormientes:* & quamvis aliqui censeant tantùm per effectum contigisse, eò quia damnatus incredulitatis redarguerit, & illis, qui purgatoriis flammis expiabantur spem dederit gloriæ æternæ. Nam Div. Augustinus epist. 99. asserit Christum descendisse ad loca inferni, ubi erant dolores, & tor-

& tormenta. Fulgentius *lib. 3. ad Trasimundum cap* 20. ait: Christum descendisse usque ad infernum, ubi solebant peccatorum animæ torqueri: tum quia sancti Patres, ut Cyrillus Jerosolymitanus *Catech.* 4. Eusebius, Emissenus *in orat. de Pascha*, & alii describentes terrorem gehennæ, & Dæmonum horribiles despectus, in Christi descensu apertè significant Christum suam præsentiam iis manifestasse. Præterea quia Cyrillus *lib. 12. in Joan. cap.* 36. & alii Patres cum ipso asserunt Christum descendisse ad inferiores partes terræ, ut vivorum, & mortuorum dominaretur, seu quasi homagium exigeret, & possessionem caperet totius sui regni, ad quod etiam damnati pertineant cum in carceribus detineantur, & tormentis torqueantur justu ipsius. Non tamen Christus in inferno aliquam pœnam fuit expertus nec ullus ibi fuit ei dolor, quia ut ait D. Bonaventura in 3. *distinct.* 22. *quæst.* 4. Anima Christi dum fuit in inferno, *Fuit in loco pœnæ, sed sine pœna*, qui modus loquendi conformior est sanctis Patribus. Hinc licet animam esse separatam à corpore dicatur aliqua pœnalitas, vel melius minor perfectior, tamen manitio Christi in inferno, & corporis in sepulchro propriè pœna non fuit nec pœnalitas, quia illæ tantùm animæ pœnam sentiunt in inferno, & pœnam trahunt ex inferno, quæ ibi detinentur, ut detrusæ in carcerem, neque possunt egredi prout ipsis magis liberit. Christus verò non fuit in inferno ut in carcere, sed ut liber, & ut liberator aliorum, ut asserunt sancti Patres. Quis dicat, Principem torqueri pœna carceris, si carcerem invisat, ut aliquos liberet, non est hæc ulla pœnalitas, sed simplex dignatio, seu humilitas: quod si malum sit corrumpi in sepulchro, & putrefieri, caro Christi fuit quidè in sepulchro, sed sine corruptione. Præterea D. Fulgentius *lib. 3. ad Trasimundum cap.* 30. ait: Debuisse Christum ad plenum redemptionis effectum descendere cum anima usque ad locum tormentorum, sed non pati ulla tormenta, & cum corpore usque ad locum corruptionis, sed non pati corruptionem sicut acceperat humanam naturam similem nostræ peccatrici, sed eam acceperat sine peccato. Præter tamen realem præsentiam plura contulit animabus justorum in limbo. Christus duo enim præcipua bona certum est illis contulisse, scilicet eductionem ex illo carcere, & deductionem in cœlum ac beatitudinem essentialem, qua in æternum fuerunt animæ illæ donatæ: siquidem ascensione secum traxit animas omnes justorum, quæ in partibus terræ inferioribus fuerunt detentæ juxta illud Eccles. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, illuminabo omnes sperantes in Domino*, & illud Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso*, neque enim soli latroni, sed omnibus justorum animabus, hoc idem dixit Christus, ut expendit Origenes *Homil.* 15. *in Genes.* An verò præter animas justorum, quæ detinebantur in limbo, seu sinu Abrahæ aliæ liberatæ sint communis sententia est, nullas fuisse animas damnatorum à gehenna liberatas, & Augustinus *lib. de hæres. cap.* 79. asserit esse hæresim, si quis asserat ullos impios in inferno Christo prædicante fuisse conversos, & salvatos. Tum quia videtur implicare in terminis aliquos fuisse damnatos ad æternas pœnas, & postea fuisse salutem consecutos, quia æterna damnatio includit certitudinem pœnæ nunquam finiendæ, sin autem à gehenna liberarentur non punirentur sine fine. Tum quia Eccles. 24. ait Christus: *Illuminabo omnes sperantes in Domino*, ex quo deducitur nullos eorum fuisse illuminatos, qui damnati erant ad æternas pœnas, quia nullus eorum speravit in Domino: hinc Joan. 9. dicitur: *Venit nox, in qua nemo potest operari*, scilicet in ordine ad meritum. Quale verò beneficium descensus Christi ad inferos contulerit animabus, quæ in purgatorio expiantur, respondetur fuisse animas illas in uberiorem spem erectas, ac clariori lumine illustratas juxta illud Eccles. 24. *Illuminabo omnes sperantes in Domino.* D. Thomas 3. *part. quæst.* 52. *art.* 8. docet animas purgatorii non fuisse libertas simpliciter ex descensu Christi ad inferos nec Christum aliquid illi eorum contulisse, nisi quod meruerat passione sua; & passio Christi non habet effectum temporalem, sed æternum, unde D. Thomas censet, Christum per suum descensum ad inferos non liberasse nisi eos qui in purgatorio habuerunt talem dispositionem, qualem nunc habent, qui post expiatas peccatorum reliquias liberantur. Addit enim D. Thomas, duobus modis potuisse tunc animas illas liberari. Primò si expleverant tempus suæ expiationis. Secundò si ex peculiari devotione ad Christi passionem id meruerunt in hac vita, ut tunc liberarentur, cum Christus in eum purgatorii locum descenderet: & hoc modo expendit Augustinum dicentem eos liberatos fuisse, quos noverat Dominus liberandos.

CAPUT IX.

Quâ virtute Christus tertia die resurrexerit à mortuis?

QUia earum resurrectionem iverunt inficias Saducæi, & etiamnum plures Hæretici atheismum olentes hanc eandem negant resurrectionem carnis, tametsi expressè eam sacræ asserant scripturæ, Job. 19. *Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.* Ait igitur Scio, quòd redemptor meus vivit, quia credebat in Christum futurum, ejusque resurrectionem, ratione cujus fidei certæ ponit præteritum pro futuro, & dicit scio, id est firmiter certa fide credo, quòd Redemptor Christus pro omnibus moriturus resurget à mortuis victurus in æternum. Quòd si Christus surrexit, & nos resurgemus, ut infert Apostolus 1. Cor. 15. inquiens: *Si Christus resurrexit & nos surgemus:* eritque resurrectio mortuorum, subdit; *quia redemptor meus resurgens vivit, & certo scio, quod in novissimo die de terra resurrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Reposita est hæc spes mea in sinu cordis mei, & in affectu mentis meæ.* In hac eadem fide certa fuit Martha cum futuram resurrectionem confessa fuit, cum dixit, *Scio, quòd resurget frater meus in resurrectione in novissimo die, quando canet tuba & mortui resurgent incorrupti.* Idque rationabile censuit Apostolus, ne inanis sit fides nostra, & Ecclesia prædicatio, quā credimus, & prædicamus Christum à mortuis resurrexisse: imò ipse Christus prædixit se passurum, & crucifigendum, & tertio die resurrecturum in mortuis Matth. 20. & probavit se resurrexisse per multa argumenta per authoritates legis Prophetarum & Psalmorum, *Luc.* 24. tum quia æquum est, ut satisfactâ pro culpa pœnâ cesset culpa, & quia omnes moriuntur in Adamo, quo peccante peccatum transfusum fuit in omnes posteros, & per peccatum mors, & quia Christus pro Adæ peccato plenè satisfecit, ideo æquum videbatur ut pristinæ restitueretur libertati, & resurgendo pristina donaremur immortalitate. Sumitur hic resurrectio pro revivificatione corporum mortuorum, seu restitutione vitæ corporalis, cujus, per animæ separationem à corpore, mors est

est privatio, & Augustinus *lib. 8. de Trinit. cap. 5.* definit resurrectionem inquiens: *Quid est aliud resurgere nisi reviviscere, id est ex morte ad vitam redire.*

Quâ verò virtute fiat hæc mortuorum resurrectio. Certum est, neminem putum hominem virtute sua propria posse se ipsum à morte ad vitam revocare, quia id summæ Dei potestati tantùm tribuitur. Quia verò Dei virtus & persona Verbi divini, quæ est ipsa vita, nunquam fuit sejuncta à corpore in sepulchro tumulato, neque ab anima ad inferos descendente, ideo Christus non aliena, sed propria virtute resurrexit à mortuis, quod David prædixerat, inquiens: *Salvabit sibi dextra ejus, & brachium sanctum ejus*, Psal. 97. & Psal. 3. *Ego dormivi, & soporatus sum, & exsurrexi quia Dominus suscepit me.* Hoc idem confirmavit Christus cùm dixit Judæis Joan. 2. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, id enim asserebat de templo corporis sui, ut ipse Evangelista declarat. Et rursus Joan. 10. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam: & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo, iterum sumendi eam.* Quòd si Apostolus ad Cor. cap. ult. scribit: *Et si crucifixus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute Dei*, id intelligitur de Christo ut homine, qui crucifixus est, & virtute Dei resurrexit, & vivit, hinc in plerisque aliis scripturæ locis legimus Christum Dominum à Patre suscitatum esse, præsertim *Actor.* 2. 3. 10. 13. & ad *Roman.* 4. id enim referendum est ad Christum ut hominem, seu secundùm humanitatem. Illi verò sacræ scripturæ textus, in quibos significatur Christus propria virtute à mortuis surrexisse, referendi sunt ad Christum ut Deum, quatenus Christi persona fuit æterni Patris Filius, & quia Filius Dei à Patre est genitus, estque Deus de Deo, ejus vita, & gloria suam à Patre trahit originem, quapropter Christus omnia sua à Patre ait accepisse Joan. 17. *Omnia mea tua sunt*, & Joan. 7. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me*, & Joan. 8. *Si ego glorifico me ipsum gloria mea nihil est, est Pater meus, qui glorificat me.* Quia verò Filius eandem prorsus vitam divinam independentem ac modis omnibus infinitam habet cum Patre, ideo ait Joan. 8. *Sicut Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Quòd si Pater dedit Filio omnes suas perfectiones absolutas, dedit etiam eandem virtutem communicandi vitam cum omnibus, quibuscunque erat communicanda, unde potuit Christus eadem virtute suam propriam humanitatem suscitare à mortuis, habetur enim, *sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat, sic & Filius, quos vult vivificat*, unde si Pater suscitavit Jesum à mortuis, necesse est, ut Christus etiam se ipsum suscitaverit, ut scitè annotavit S. Augustinus serm. 67. de Verbis Domini inquiens: *Nullus mortuus est sui ipsius suscitator, ille se potuit suscitare, qui mortua carne mortuus non est: etenim hoc suscitavit, quod mortuum fuerat, ille se suscitavit, qui vivebat in se, in carne autem sua suscitanda mortuus erat. Non enim Pater solus Filium suscitavit, de quo dictum est ab Apostolo, propter quod & Deus exaltavit eum: sed etiam Dominus se ipsum, id est corpus suum, unde dicit solvite templum hoc, & in triduo suscitabo illud.* Christum propria virtute suam humanitatem à morte ad vitam revocasse, & primum omnium resurrexisse, qua ratione in scripturis dicitur *primogenitus mortuorum*, & Apostolus 1. ad Cor. 15. ait: *Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus: deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventum ejus crediderunt.* Sunt hæc verba intelligenda de perfecta resurrectione, qua ad vitam immortalem omni prorsus moriendi necessitate, imò & possibilitate sublata excitamur, & in hoc genere resurrectionis Christus primum obtinet locum non solùm dignitate, sed etiam tempore. Quia si loquamur de resurrectione, cui iterum moriendi necessitas adjuncta est, ante Christum multi alii à mortuis excitati sunt, qui tamen ea postea vixerunt conditione, ut eis iterum esset moriendum, quinimo etiam illi, quos Evangelista refert surrexisse cum Christo, & apparuisse multis, iterum fuerunt morti obnoxii hinc D. Petrus *Actor.* 2. Ostendit Judæis non de Davide, sed de Christo fuisse prædictum, carnem ejus non vidisse corruptionem, quia sepulchrum David Judæis erat notum: & argumentum suam non habuisset efficaciam nisi in eo sepulchro jacuisset etiamnum corpus David: etenim Christi sepulchrum ostendebatur, sed post triduum mortis vacuum repertum erat. Ab illa autem justorum resurrectione, si eis æterna tunc donata fuisset beatitudo exclusum iri Davidem veri simile non est, ex cujus semine Christus secundùm carnem laudatur. Surrexit igitur Christus propria virtute die tertia, ut referunt scripturæ, & etiam prædixerat Christus Matth. 12. *Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Et Matth. 16. habetur: *Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & Principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.* Hinc D. Paulus 1. ad Cor. 15. scribit: *Tradidi enim vobis in primis, quòd & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundùm scripturas.* Certè conveniens erat, & congruum, ne Christi resurrectio ad finem usque mundi, sicut illa reliquorum hominum, differretur, sed quàm citissimè perficeretur ad fidem de veritate divinitatis ejus confirmandam. Neque congruum erat, ut statim post mortem quavis seclusa mora nullo interposito tempore, resurgeret, ut fides confirmaretur de veritate humanitatis, ac ejus mortis. Tridui autem spatium ad veram Christi mortem comprobandam satis fuisse eleganter ostendit Leo Papa *serm. 1. de resurrect. Domini*, ubi ait: *Ne turbatum discipulorum animum longa mæstitudo cruciaret denuntiatam tridui moram mira celeritate breviavit, ut dum ad integrum diem pars primi novissima, & pars tertii prima concurrit, & aliquantum temporis spatio decideret, & nihil dierum numero deperiret. Resurrectio igitur Salvatoris nec animam in inferno, nec carnem diu moratu est in sepulchro, & tam velox incorrupta carnis vivificatio fuit, ut major ibi esset soporis similitudo, quàm mortis: quoniam Deitas quæ ab utraque suscepti hominis substantia non recessit, quod potestate divisit, potestate conjunxit.* Cùm igitur Christus tormenta mortis subierit propter peccata nostra ut peccatum destrueret, nobisque vitam æternam tribueret, conveniens erat, ut spatium temporis, quo à corpore Christi anima sejuncta mansit, triduum non excederet, & resurrectio perfecta nulli amplius morti obooxia tertia die fieret, ut significaretur per Christi resurrectionem nos mori peccato, & ad novitatem vitæ spiritualis resurgere fide sanctissimæ Trinitatis, quæ per triduum nobis significatur. Resurrexit autem Christus matutino tempore circa diluculum illucescente jam die ad significandum, quòd Christus sua resurrectione ad lucem æter-

næ gloriæ nos perduceret, perinde ac ad occasum jam vergente sole mortuus est, ut indicaret culpæ & pœnæ tenebras sua morte dispelli, & tamen dicitur tertia die resurrexisse tertium diem à parte prima sicut primum ab extrema numerando, ut ait Div. Paulus 2. Corinth. 4. Audiendus est D. Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 4. *Nox enim usque ad diluculum, quo Domini resurrectio declarata est ad tertium diem pertinet, quia Deus, qui dixit de tenebris lumen clarescere, ut per gratiam novi Testamenti, & participationem resurrectionis Christi audiremus.* Ad Ephes. 5. *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: insinuat nobis, quòd à nocte dies quodammodo sumit initium. Sicut enim primi dies propter futurum hominis lapsum à luce in noctem; ita isti propter hominis reparationem à tenebris ad lucem comparantur, ut loquitur Augustinus.*

Cæterum resurrexisse Christum à mortuis ex pluribus causis conveniens erat. Id enim plurimum divinam commendat justitiam; dicebat enim, ot eum ad summam gloriam extolleret, qui se ut illi obtemperaret, ad ignominiosissimum mortis genus depresserat; hanc causam innuit Apostolus ad Phil. cap. 2. inquiens. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod, & Deus exaltavit illum:* hinc Christus alloquens æternum Patrem ait Psalm. 138. *Tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam* hoc est, *Tu approbasti passionem meam, & resurrectionem meam.* Ait Augustinus in enarratione Psalm. 138. *Quid hic sessio? quid resurrectio? qui sedet humiliat se. Sedit ergo Dominus in passiones, surrexit in resurrectiones.* Rursus Christi resurrectio necessaria erat ad corroborandam, ac firmandam nostram fidem, qua credamus Christum esse filium Dei, eò quia propria virtute à mortuis resurrexerit cum puri homines non nisi virtute Dei, & ope divina possint à mortuis resurgere. Unde Apostolus ad Corinth. 13. ait: *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei*, Seu Christi non ut hominis sed ut personæ Divinæ, & filii Dei naturalis: idque causæ cur Apostolus ad Rom. cap. 1. attribuat prædestinationem Christi in Dei Filium non incarnationi, sed resurrectioni. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum JEsu Christi Domini nostri*, quia incarnatio fuit mysterium exinanitionis; Resurrectio glorificationis: incarnatio verbum, ac filium æterni Patris ad nostram objecit infirmitatem ac humilitatem: resurrectio illum ad æternam evexit gloriam, & ad plenitudinem majestatis: unde prædestinatio Christi ad resurrectionem potius quam incarnationem refertur: Scitè sanctus Augustinus in exposit. Epist. ad Rom. ait: *Filius Dei prædestinatus est quodam principatu resurrectionis, quia ex resurrectione omnium mortuorum ipse prædestinatus, id est ut præ cæteris, & ante cæteros resurgeret designatus: Ut, quod hic positum est, filius Dei cum dixisset prædestinatus est ad documentum valeat tantæ sublimitatis. Non enim sic prædestinari oportuit, nisi filium Dei, secundum quod est etiam caput Ecclesiæ: unde illum alio in loco primogenitum ex mortuis appellat.* Præterea fuit necessaria Christi resurrectio ad fovendam spem nostram: ex eo quod Christus resurrexerit à mortuis, speramus & nos fore ut resurgamus, ut membra conditionem sequantur capitis: hinc Job. 19. *Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra resurrecturus sum.* Et paucis interjectis subdit. *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Rursus decuit, Christum resurgere à mortuis ad Christianorum vitam informandam ut inferri potest ex Div. Paulo ad Rom. 6. *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo JEsu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris; & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complanati facti sumus similitudini mortis ejus; simul & resurrectionis erimus.* Tandem decuit Christum à mortuis resurgere, ut mysterium nostræ redemptionis, & salutis compleretur; Christus siquidem morte sua nos à morte peccati liberavit: resurrectione verò sua nobis præcipua dona restituit; quæ peccando amiseramus, scilicet dona gratiæ, præsertim sanctificantis, quâ efficimur filii Dei adoptivi ac participes divinæ naturæ; unde Apostolus ad Rom. 4. scribit: *qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Hinc ipso resurrectionis suæ die Discipulos, & in ipsis totam Ecclesiam oris sui flatu vivificavit, tribuens ipsis Spiritum sanctum ut initium novæ vitæ: *Insufflavit, & dixit eis, accipite Spiritum sanctum*; Sicut hominis creatio absoluta non fuit nisi postquam Deus Creator insufflaverit ei spiraculum vitæ Genes. 2. *Insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ & factus est in animam viventem*; ita hominis reparatio completa non fuisset, nisi post Christi mortem corpus Ecclesiæ formatum fuisset, & afflatu suo vivificatum; seu nisi dedisset Spiritum sanctum. Nondum enim fuerat Spiritus datus, quia JEsus nondum erat glorificatus: ait Augustinus tract. 32. in Joan. *Significavit eum se esse qui insufflavit in faciem eorum, ut è luto exsurgerent, ex luteis operibus renuntiarent.*

Christi igitur anima tertia die postquam fuerat à corpore separata operante divina verbi persona, quæ in triduo mortis conjuncta mansit æque animæ apud inferos, ac corpori in sepulchro; illud reassumpsit, vivificavit, integrum; & gloriosum; & ad omnem excutiendam dubitationis umbram; eosdem voluit in eodem corpore servatos characteres, figuras vulnerum, ac cicatricum vestigia, quæ Thomæ palpanda exhibuit, & reliquis Discipulis videnda tradidit; & noluit abolere ad fidem suæ resurrectionis adstruendam, ad sui triumphi de prostrata morte trophea perpetuo servanda; & ad solutum nostræ libertatis pretium æterno patri ostendendum: non enim characteres mortis in libro vitæ quicquam funesti exhibuerunt, sed ut nostræ libertatis chirographum legeremus in nobili pagina exaratum. Hanc redivivi corporis veritatem ac identitatem pluribus aliis argumentis comprobatam voluit Christus, scilicet Angelorum testimoniis, scripturarum oraculis, frequentibus apparitionibus Magdalenæ, ac Discipulis tum cænantibus in fractione panis, tum piscantibus in captura piscium, tum familiaribus colloquiis, tum manducatione cum Apostolis, quamvis post resurrectionem non ex egestate manducaverit, sed ex potestate à quavis dubitatione Discipulos liberaverit Surrexit enim de sepulchro, qui pependerat in cruce, & quem Judæi morti addixerant, cujus sepulchrum munierant, & excubiis appositis custodierant, surrexit tertia die, vitam suscepit nulli obnoxiam interitui, idque manifestum fieri dedit non omni populo, sed præordinatis à Deo, seu Apostolis, cui prædicantes ejus resurrectionem dicerent. *Quod vidimus, & audivimus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ annunciamus vobis.*

Non solum idem corpus resompsit Christi anima, sed idem integrum constans carne ossibus sanguine, & cum iisdem notis, signisque, quæ antea habuit

buit, ne ulla posset suspicio oriri de vera resurrectione unde Christus dixit *Spiritus carnem, & ossa non habet sicut me videtis habere*: imo caro Christi rediviva, & sanguis absque ulla infectione, & labe fuerunt in Christo redivivo, nec ulli corruptioni fuerunt obnoxia. Non solum integrum, sed & gloriosum resumpsit Christi anima corpus, cum resurrexit è sepulchro, reformavit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, seu illam claritatem, quam ante passionem à Patre postulaverat corpori suo tribuit in resurrectione, & gloriam hanc suis indicavit discipulis cum ad ipsos januis clausis ingressus fuit, ut innuit S. Gregorius Homil. 26. *Palpandam carnem Dominus præbuit, quam clausis januis introduxit, ut esse post resurrectionem ostenderet corpus suum, & quidem ejusdem naturæ, sed alterius gloriæ*: in quo sensu intelligitur, quod ait Ap. ad Cor. 5. *Etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus propter excellentiam & claritatem gloriæ siquidem ejus resurrectio* ait S. Leo *Serm.* 1. *de Christ. resurrect. non finis carnis, sed commutatio fuit, nec virtutis augmento consumpta substantia est. Qualitas transit non natura defecit, & factum est corpus impassibile, quod potuit crucifigi, factum est immortale, quod potuit occidi factum est incorruptibile, quod potuit vulnerari. Et merito dicitur caro Christi in eo statu, quo fuerat nova nescire, quia nihil in eo passibile, nihil remansit infirmum, ut & ipsa sit per essentiam, & non sit ipsa per gloriam.* Hinc per Prophetam Psal. 27. dixit: *Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor illi*: scilicet floruit cum primum de virginis utero illibato processit, ut prædixerat Jesaias 11. cap. *Egredietur virga, de radice Jesse & flos de radice ejus ascendet*, seu ut ait sanctus Maximus Homil. 5. de resurrectione: *Refloruit cum succisso per Judæos corporis flore rediviva de sepulchro resurrectionis gloria germinavit, & in floris modum odorem pariter, & nitorem cunctis hominibus in mortalitatis afflatus odorem, bonorum operum suavitatem circumferens; nitorem incorruptelam perpetuæ divinitatis ostendens.* Adeo corpus Christi gloriosum fuit singularibus ditatum qualitatibus, ut Apostolus dubitaverit, an hominem asserere debuerit, etenim cunctabundus ad Galat. 1. scribit Paulus Apostolus: *Non ab hominibus, neque per hominem, sed per JEsum Christum, & Deum Patrem, qui suscitavit eum à mortuis*: quamvis plerisque aliis in locis Christum vocet hominem, hic tamen, quia de Christo loquitur resuscitato à mortuis non audet hominem vocare, eò quia ejus caro visa fuerit à Deitate absorpta, & in Deitatem demersa. Ait enim Augustinus Christum ex resurrectione ad tantum gloriæ cumulum ascendisse, ut mortalitate in immortalitatem absorpta carne in Deitatem veluti demersa jam totus Deus merito judicetur, ait enim in expositione epistolæ ad Galat. *Priores Apostoli veraces, qui non ab hominibus, sed à Deo per hominem missi sunt per JEsum Christum scilicet adhuc mortalem. Verax etiam novissimus Apostolus, qui per JEsum Christum totum jam Deum post resurrectionem ejus missus est. Priores sunt cæteri Apostoli per Christum adhuc ex parte hominem, id est mortalem: novissimus est Paulus Apostolus per Christum jam totum Deum, id est omni ex parte immortalem.* Tunc in Christo filiatio non adoptiva, sed naturalis maximè splenduit, & in humanitatem transfudit cœlestis gloriæ nitorem, quo tota fuit mortalitas deleta, tunc novæ nativitatis genere veluti renascens prodiit è sepulchro Christus, & quia mortem vicerat à morte liber immortalitate donatur.

CAPUT X.

Quomodo resurrectio carnis nostræ evincatur?

CErtum est corpora mortuorum esse resurrectura in die judicii universalis, ut colligitur ex scripturis Ezechiel. 37. ubi propheta constituitur in campo oppleto ossibus mortuorum, & jubetur clamare: *Ossa arida audite verbum Domini, & statim ad ejus vocem factus est sonitus, & accesserunt ossa ad ossa, & nervi, & caro, & pellis*: est enim resurgere perinde ac reviviscere, seu ex morte ad vitam redire, & duplex à sanctis Patribus assignatur resurrectio, uti & duplex mors, quarum prima est animæ, quæ per peccatum lethale emoritur Deo, & caret gratia sanctificante, quæ vita est spiritualis, siquidem per justificationem vivificamur, & vivimus Deo: posterior mors est corporis cum vita mortali privatur, & per resurrectionem pristinæ restituitur vitæ corporali, utramque resurrectionem asseruit Christus; de prima enim ait Joan. cap. 5. *Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit à morte ad vitam*: & de secunda subdit: *Nolite mirari, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala in resurrectionem judicii.* Hoc de resurrectione nostræ carnis mysterium tantæ est utilitatis, si perspicuè perpendatur & explicetur, ut ex eo bona omnia spiritualia in nos deriventur, ait enim Epiphanius in Ancorato numer. 21. *In resurrectione carnis nostra Thesaurus omnis, & sanæ mentis firmamentum, ac boni omnis officii spes est collocata*, & Tertullianus lib. de resurrect. cap. 21. ait: *Verisimile non est ut ea species sacramenti in quam fides tota committitur, in quam disciplina tota connectitur, ambiguè annunciata & obscurè proposita videatur: quando spes resurrectionis nisi manifesta de periculo & præmio veminem ad ejusdem præsertim religionem publico odio & hostili elogio obnexiam persuaderet. Nullum opus certum est mercedis incerta. Nullus timor justus est periculi dubii. Et merces & periculum in resurrectionis pendet eventu.* Loquitur de resurrectione communi æquè reprobis, & damnatis, quam probis & electis, hæc enim resurrectio mortuorum est articulus nostræ fidei, quem spiculo naturæ lumine Ethnici Philosophi non voluerunt cognoscere, ac propterea, ut ait Epiphanius in Anchorato erroneam de hac resurrectione doctrinam habuerunt, præsertim, qui animæ nostræ immortalitatem asserere detrectarunt.

Dicendum primo mortuorum resurrectionem esse fidei Christianæ articulum, & evincitur ex scripturis Job. 19. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Isaiæ 26. *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent*, Daniel. 12. *De iis, qui dormiunt in pulvere, alii evigilabunt in vitam æternam, alii in opprobrium.* Ex novo testamento etiam hæc veritas clarè deducitur Luc. 20. *Accesserunt ad Jesum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem. Erratis ait JEsus nescientes scripturas, neque virtutem Dei in resurrectione, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei: de resurrectione autem*

mor-

mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo Exodi 3. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, non est Deus mortuorum, sed viventium. Hoc ideo habent alii Evangelistæ Matth. 22. Marc. 12. Adduxit Christus hunc textum, quia Sadducæi recipiebant pentatheuem Moysis licèt non alios scripturæ libros: & verba Christi dupliciter sumi possunt, primò ut Christus significet, Abraham adhuc esse, nec solam ejus animam superesse, eum non solius animæ Deus esse dicatur, sed ipsius Abrahæ, qui nonnisi in compositione utriusque partis corporis, & animæ intelligi potest, verùm hic sensus non videtur legitimus, quia quando Christus se dixit, Deum Abraham, ejus corpus erat vita destitutum, & jam in pulvere solutum, & tantùm Abrahæ anima in limbo erat. Quamobrem Christi verba intelligenda sunt in hoc alio sensu, ut Deus Abrahæ intelligatur esse Deus animæ Abrahæ, quæ tunc viveret, quandò Christus verba illa protulit, est enim anima incorruptibilis utpote spiritualis, & immortalis, consequenter debet iterum per resurrectionem uniri alteri comparti, seu corpori, cujus est forma, quo pacto redarguuntur Sadducæi negantes animæ immortalitatem, ac rejicientes corporum resurrectionem, unde Apostolus 1. Corinth. 15. Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit, si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra. Tria evincit Apostolus hac argumentatione esse inter se connexa, scilicet Christi resurrectionem, & etiam nostram & tandem fidei Christianæ veritatem. Hanc mortuorum resurrectionem sancti Patres eleganter evincunt Irenæus lib. 5. adversus Hæreses c. 14. ait: Si non haberet caro salvari nequaquam Verbum Dei caro factum esset: & si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus. S. Cyrillus Hierosolymit. in Catech. 18. Si non est resurrectio mortuorum, cur mortuorum spoliatores condemnas, si enim perit corpus desperata est resurrectio, cur prædo morte mulctatur? vides quod etiam si neges labiis, infracta tamen apud te manet resurrectionis conscientia. Tertullianus lib. de resurrectione scripsit in quo evincit necessitatem asserendi hunc fidei articulum, & carnis resurrectionem de qua Zeno Veronensis ait: Christus humano generi formam dedit, quoniam ad hoc Deus pro homine mortis jura gustavit, ut homo per Deum jus immortalitatis reciperet, quod amisit. D. Ambrosius lib. de resurrect. ait: Ratio resurrectionis evidens est, quia cum omnis vita nostra usus in corporis animæque consortio sit, resurrectio autem aut boni actus præmium habeat, aut pœnam improbi, necesse sit corpus resurgere cujus actus expenditur, quomodo enim in judicium vocabitur anima sine corpore, cum de suo & corporis contubernio ratio præstanda sit? D. Augustinus in lib. de cura pro mortuis cap. 3. asserit: Sepulturam mortuorum esse propter fidem resurrectionis adstruendam, & communiter hanc veritatem edocent alii sancti Patres. Ratio itidem eidem suffragatur. Non enim mortuorum resurrectio est impossibilis, qui enim ex nihilo traduxit hominem ut esset, potest etiam ex partibus sejunctis unum quid iterum efficere, si enim hæc resurrectio non esset possibilis id orirentur vel ex parte agentis, vel effectus sed ex neutro capite potest impossibilitas oriri non ex parte agentis, quia cùm possit Deus ex nihilo efficere, ut fit, quòd non erat, poterit etiam præstare, ut iterum conjungantur, quæ fuerunt disjuncta, facilius enim est ex præexistente materia aliquid efficere, quàm ex nihilo: neque ex parte effectus, quia nihil præcedens creationem, & nihil sequens annihilationem ejusdem sunt rationis, proinde si Deus potest de nihilo aliquid creare, poterit etiam corruptum reparare: atqui corruptum reparari est resurgere, proinde resurrectio possibilis est tum ex parte agentis, tum ex parte effectus. Quòd etiam hæc mortuorum resurrectio sit futura est certum de fide, & etiam perspicuum, quia nisi idem numero homo reviviscerent, qui est mortuus, non esset resurrectio, quia resurgere perinde est, ac revivisecre, adeo ut idem numero homo, qui mortuus fuerat sit resurrecturus; Cùm enim fuerit homo à Deo conditus propter beatitudinem tum animæ tum corporis debuit fieri resurrectio mortuorum, ut homo finem suum propter quem conditus fuerat attingat, alioquin frustraneè fuisset conditus propter beatitudinem animæ, & corporis, si hac nunquam ex parte corporis esset donandus, & nisi corpus resurgat, atque reviviscat unitum animæ, nequit beatitudine perfrui neque ad suum finem pervenire. Sunt etiam plura argumenta hanc mortuorum resurrectionem evincentia, quorum primum solet desumi ex bonitate, providentia, & justissimo Dei judicio: sicut enim Deus potentissimus est in naturarum conditione, ac specierum creatione, ita clementissimus in collatione beneficiorum ac justissimus in retributione stipendiorum. Vel igitur homo cùm viveret bene egit, & beneficio gratiæ divinæ promeruit, ut aliquo donaretur præmio in utroque simul anima, & corpore vel demeruit, quia verò in operationibus bonis vel malis anima prævenit corpus, ideo justitia Dei ordinavit, ut anima præsentiat, & prægustet dulcedinem præmii, aut amaritudinem supplicii, quo pacto ante iteratam unionem ad corpus, seu ante resurrectionem, licèt corpus in sepulchro in pristinum suum pulverem abierit, anima vel beatitudine erat donanda, vel suppliciis addicenda.

Alia ratio proponitur à Tertulliano lib. de resurrectione cap. 12. quia nulla res semel à Deo condita unquam annihilatur, quia ut ait S. Irenæus lib. 5. adversus cap. 36. Non substantia neque materia conditionis exterminabitur; verus enim, & firmus, qui constituit illam, unde homo secundùm animam non est annihilandus neque secundum corpus est ad nihilum redigendus: atqui si quando esse desinit mutaretur in aliam substantiam, utique materia corporis humani semper esset sub aliqua forma substantiali: hoc autem esset contra ordinem naturæ, quia reliqua corpora sunt instituta propter hominem constantem ex anima & corpore, qui ordo non servaretur, si homo ipse in aliud corpus semper mutaretur, & materia humani corporis alias semper formas substantiales indueret: ergo cum reliqua in mundo corpora post diem judicii futura sint immutabilia, ac debeant cedere in alicujus substantiæ corporeæ usum, seu commodum, duo inde deducuntur, quorum primum est, ut hominis corpus non sub alia, quàm sub humana forma, quæ est anima rationalis debeat in æternum existere: aliud ut homo sit futurus immutabilis, & incorruptibilis, utrumque enim exigit ordo divinæ providentiæ, unde Tertullianus loc. cit. ait: Absit, ut Deus manuum suarum operam ingenii sui curam, afflatus sui vaginam, molitionis suæ reginam, liberalitatis suæ hæredem, religionis suæ sacerdotem, testimonii sui militem, Christi sui sororem in æternum destituat interitum.

Efficacius resurrectio mortuorum evincitur ex animæ rationalis immortalitate: si anima nostra immortalis est, debet omnem suam explere potentiam, ut existat in statu perfecto: & quia anima rationalis est pars humani compositi dicit ordinem ad materiam, seu corpus, quo constat homo, atqui hæc potentia in anima ad informandum corpus esset per

totam

totam æternitatem destitutum sno actu nisi reuniretur corpori, ergo corpora mortuorum erunt resurrectura, ut iterum vivificentur, ac informentur anima. Non esse animam rationalem interitui obnoxiam, sed æternum duraturam, ac immortalem evincitur ex providentia qua Deus mundum gubernat, & res humanas moderatur, si enim animæ rationalis una cum corpore extingueretur plura sequerentur incommoda, quæ Det destruerent providentiam, injuriæ enim manerent inultæ scelera sine pœnis, nullum esset præmium virtuti, nullus justitiæ fructus, quia persæpe constat in præsenti vita nullam fieri scelerum vindictam, nullam justitiæ, & virtutis compensationem: experimur subinde homines nefarios innumeris inquinatos sceleribus innocentium oppressores supra cæteros florere, prospera frui fortuna honoribus, ac dignitatibus donari, divitiarum copiis ditescere: & è converso virtutis cultores variis vexari molestiis, innumeris angi calamitatibus morbis torqueri, laborare egestate, proinde justa utrorumque retributio reservari debet in futuram vitam: hoc autem non posset contingere, nisi anima rationalis foret immortalis, & corpori superstes, hinc David Psal. 72. *Labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum:* si igitur Deus pravos punit, & justis præmia elargitur, ut suam exerceat justitiam, debet anima rationalis esse immortalis, ut rectè inquit Clemens lib. 3. de re cognit. inquiens: *Si Deus justus est, anima est immortalis*, alioquin si inultæ manerent injuriæ sine vindicta scelera, & virtutum cultoribus nulla daretur retributio omnia in humano genere impunè fierent, propterea sequeretur, nullam dari providentiam, nullum rerum humanarum moderatorem. Hoc unico argumento Fridericus Cæsar animæ nostræ immortalitatem nervosè probavit: cùm enim in Austria decessisset eques quidam bonorum temporalium diutissimè, & extremæ senectute jam confectus, & vitam inter mundi illecebras nulla unquam valetudine duxisset offensam, nec ullam fuisset unquam animæ molestiam expertus, idque fuisset Friderico Cæsari delatum: & hinc subdidit Cæsar: Immortales animas credere tenemur: nam si Deus est, qui hunc mundum gubernat, eumque justissimum esse omnes fatentur, & ratio ipsa suadet; profectò alia loca sunt ad quæ post mortem animæ migrant, ibique pro factis benè vel malè mercedem aut pœnam accipiunt, quia in præsenti vita, nec bonis sua præmia, nec malis sua supplicia reddi videmus, narrat historiolam hanc Æneas Sylvius. Nec ullum facessit negotium, quod respondent aliqui virtutem ipsam suum afferre præmium, eò quia animi tranquillitatem promoveat, & quandam excitet voluptatem, ut è converso vitium animi synderesim, qua vitiis dediti miserè anguntur, & torquentur. Nam contra est quia virtutis delectatio non est propriè ejus remuneratio, sed potiùs proprietas, quæ ad assecutionem virtutis sequitur. Rursus quia quamvis virtus secundùm rationem delectet, est nihilominus difficilis, & nonnisi cum labore eam consequimur, è converso vitium plus commodi videtur corpori adferre molestiæ.

Rursus immortalitas animæ rationalis efficaciter evincitur ex eo, quòd sit capax meriti, & demeriti. Cùm enim anima rationalis sit sui compos, & per liberum arbitrium capax sit honestatis, & malitiæ virtutis, & vitii meriti, & demeriti, adeo ut si operetur juxta dictamina rectæ rationis feratur ad honestatem, & obligetur ad virtutis assecutionem, sin vero juxta corporis propensionem, ac sensuum inclinationem moveatur, tunc ducitur ad sensibiles delectationes rationi, ac virtuti oppositas, adeo ut dixerit Apostolus: *Sentio in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meæ:* ergo debuit animæ rationalis habere motivum, quo rationabiliter excitaretur ad compescendos sensuum motus, ac coërcendas, & superandas corporum delectationes: neque enim voluntas absque gravi motivo contra sensuum illicia ad amussim rationis, se in omnibus motibus suis componeret: sed hoc motivum assequendi virtutem, & reprimendi vitium est animæ rationalis immortalitas, quatenus hæc capax est æternæ retributionis, & felicitatis: nisi enim anima rationalis foret corpori superstes, tota ejus felicitas sita esset in vita corporali, ac corporis voluptatibus, quapropter Epicurus, qui animam unà cum corpore interire putavit summam hominis felicitatem sitam esse in corporis voluptatibus putavit; adeo ut Augustinus fateatur de seipso, quòd nisi animi credidisset immortalitatem Epicureis adhæsisset inquiens lib. 6. Confess. cap. ult. *Disputabam cum Alipio, & Helsidio de finibus bonorum, & malorum, Epicurum accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissem post mortem restare vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit:* ergo si anima rationalis unà cum corpore interiret, & summa hominis felicitas in sensuum voluptatibus sita esset, dignum foret laudibus sensuum indulgere illicitis, ventri vacare, ac omnibus se corporis tradere voluptatibus; quia sectari summam felicitatem, eaque omni tempore frui laudabile est: sed hoc est falsum, & naturæ rectis dictaminibus dissentaneum: voluptatibus enim corporis dediti quantum possunt propria scelera occultant, & interna synderesi monentur se malè operari, & brutalem potius, quam humanam ducere vitam. Alia ratio esse potest, quia anima est pars essentialis hominis, idque habet ex sua natura, & essentia: atqui pars appetit esse in suo toto; & cum alia comparte constituere totum: ergo anima separata appetit uniri corpori cum quo constituat totum hominem; adeo ut si esset æternùm mansura à corpore sejuncta esset semper in statu quodammodo violento. & cum appetitus ad unionem cum sua comparte, qui appetitus nunquam exploretur nisi corpore mortuorum essent surrectura, tum enim resurgunt cum reviviscunt, & tunc reviviscunt, cum animæ uniuntur: ergo ne anima à corpore sejuncta maneat inexpleta quoad appetitum constituendi totum cum sua comparte, & in statu quasi violento, debent corpora mortuorum resurgere. Utitur hoc argumento S. Hieronymus in Epist. ad Pammachium contra Origenistas putantes animas rationales existere antequam suis uniantur corporibus, seu antequam informent corpora: ait Hieronymus: *Si anima est naturale esse sine corpore: ergo contra naturam est esse in corpore: si hoc conceditur, ergo resurrectio corporis contra naturam erit:* quod nullus dixerit; cum pars naturaliter appetat suæ comparti uniri: unde potest hoc alio modo efformari argumentum. Naturale est animæ esse in corpore sicut est naturale partibus totum constituere, & contra [illegible]am est animam esse sine corpore, sicut partes esse extra totum: quòd si contra naturam est, animam esse sine corpore; sequitur resurrectionem corporum esse naturalem animabus, quamvis modus quo resurgunt sit supernaturalis, ut etiam ipsa resurrectio vires excedat totius naturæ. Huc etiam pertinet quòd D. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 79. ait: Animam separatam beatam perfectè esse non posse, nisi unita sit corpori: proinde desiderium illud naturale quo suam appetit beatitudinem & in eam tendit, extenditur etiam ad resurrectionem

rectionem corporum: ait Divus Thomas: *Omne imperfectum suam perfectionem consequi naturaliter appetit: anima autem à corpore separata est aliquo modo imperfecta, sicut omnis pars extra suum totum.* Quod si dicas, inde sequi resurrectionem mortuorum non esse objectum fidei, quia posset per rationes naturales demonstrari. Contra est, negatur assumptum; quia potest objectum fidei etiam naturalibus rationibus demonstrari: etenim Deum esse est objectum fidei, siquidem fide credimus Deum esse; & tamen demonstratione evincitur naturali à Philosophis, qui ex effectibus necessitatem ostendunt causæ, ne detur unum correlativum sine alio; ne creatura se ipsam traducat de non esse ad illud esse, quod possidet; ne idem dicatur causare se ipsum. Non obstante igitur demonstratione evidente, quam per media creaturarum enanciscimur de Dei existentia, adhuc eandem Dei existentiam de fide divina credimus: adeo ut eadem Dei existentia secundum diversa motiva formalia sit objectum demonstrationis, & fidei. Est enim objectum fidei si credimus, Deum existere, eo quia sacræ Scripturæ id nobis proponant credendum Exodi 3. *Dixit Dominus ad Moysem, ego sum, qui sum,* unde Apostolus ad Hebræos cap. 10. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator est:* & in symbolo, credimus in Deum, *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem,* quia ut aliquid valeat assensum fidei divinæ terminare sufficit, si innitatur objecto formali *quo* fidei, seu Deo revelanti, qui nec falli potest, nec nos fallere: sed *Deum esse* innititur Deo revelanti Exod. 3. *Ego sum, qui sum, qui est, misit me ad vos. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob:* ergo hæc veritas *Deus est,* includit totum, quod desideratur, ut valeat assensum fidei divinæ terminare. Neque obstat quod hæc eadem veritas à Philosophis naturæ lumine, ac ratione naturali demonstretur, & quidem demonstratione evidente: quia licet scientia, & fides de eodem secundum idem simul inesse in eodem non possint, nihilominus seorsim secundum diversa motiva formalia possunt simul cohærere de eodem objecto materiali: potest enim intellectus per unum actum assentiri existentiæ & motivo fidei, quia in sacris scripturis nobis revelatum fuit; & per alium actum eidem assentiri per evidentem demonstrationem, quam enanciscimur ex creaturis connexis essentialiter cum Dei existentia, quemadmodum ex cognitione unius essentialiter connexi cum alio progredimur ad evidentem cognitionem alterius. Non igitur repugnat, habitum fidei & habitum scientiæ atque utrumlibet rerum cum actu alterius posse componi in eodem intellectu circa eandem veritatem objectivam pænes diversa motiva formalia, quia nulla inde subsequitur contradictio nun pænes motiva formalia, quia hæc sunt diversa, neque pænes actus vel habitus, quia hi sunt etiam diversi, adeo ut evidentia cadat supra unum actum, vel habitum ex proprio motivo formali; & fidei obscuritas supra alium habitum vel actum ex alio motivo formali. Posset etiam respondert cum Div. Bonaventura, mortuorum resurrectionem prius credi fide divina, quam appareat vis naturalium demonstrationum: sunt enim hujusmodi rationes, quæ potius articulum fidei nostræ defendunt, quam resurrectionem primum intellectui humano ostendant, ait D. Bonaventura *in 4. distinct. 43. art. 1. qu. 1. Super fundamentum fidei superædificatur persuasio rationis, quia quod resurrectio sit futura exigit remuneratio divina justitia, qua homini retribuit sicut & meruit. Secundò confirmatio gloriæ, quæ omnem appetitum animæ complebit, vel quietabit. Tertiò perfectio naturæ, quæ consistit in toto composito non in altera ejus parte, & hæ sunt rationes supra fidem fundatæ.*

Dicendum secundo eadem numero corpora esse resurrectura, ac conjungenda eidem numero animæ, cum qua antea constituebant compositum ex anima & corpore, quia cum resurrectio sit illius quod cecidit, & mortuum erat restitutio in pristinum vitæ statum, sequitur, quod resurrectio nil aliud sit, quam quod idem corpus humanum, quod ciciderat, mortuum erat, & in sepulchro in pulveres solutum, iterum restauretur in pristina membra, & vivificetur per eandem numero animam, cui antea conjungebatur; alioquin si esset aliud corpus vel alia anima non esset resurrectio ejusdem hominis, sed alterius, vel saltem productio alterius corporis, vel conversio pristini corporis in aliud, quo pacto non resurgeret idem homo, quemadmodum cum ex ligno fit ignis, non dicitur lignum resurgere: debet igitur corpus quod ciciderat in sepulchrum, & mortuum fuerat in cineres solutum idem prorsus numero restaurari, ac resurgere in pristinum statum, adeo ut corpus, quod resurgit, sit omnino idem, non solum quoad speciem & essentiam, sed etiam quoad numerum ac individuationem, & coalescat ex eadem carne, sanguine, ossibus, nervis, aliisque organicis partibus, quibus antea constabat, sitque propterea idem numero non solum unitate animæ, verum etiam unitate corporis. Idque satis apertè colligitur ex sacris scripturis, in quibus sanctus Iob asserit se in carne sua, ac iisdem suis oculis esse Redemptorem visurum Iob. 19. *Ego ipse, & non alius, videbo Deum Salvatorem meum.* Luc. 24. Christus ait Discipulis suis: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Quotquot igitur moriuntur, debent sicut Christus proprio corpore supervestiri in resurrectione, ut docent sancti Patres præsertim Augustinus in Enchirid. cap. 88. ubi ait: *Non perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro, sed in quemlibet pulverem & cinerem solvatur, in quoslibet halitus, aurasque diffugiat, in quamcunque aliorum corporum substantiam vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunq; animalium etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitus ut homo fieret, cresceret, & viveret, animavit.* Tertullianus itidem lib. de resurrect. cap. 18. ad evincendam hanc eandem fidei veritatem ait: *Sed nunc proprietas vocabuli vindicanda est sua sorti, jam quidem eo ipso quod resurrectio caducæ rei id est carnis, eadem erit, & in homine mortuo, quia rei caducæ est resurrectio, quæ dicitur mortuorum,* ex quibus liquet à sanctis Patribus asseri in mortuorum resurrectione esse resurrectura eadem numero corpora, quoad speciem, essentiam, individuationem, carnem, ossa, nervos, aliasque organicas partes, id enim importat definitio resurrectionis, quæ à Damasc. dicitur *ejusdem numero iterata surrectio* dicitur ejusdem numero, quia aliter non esset resurrectio, & falsum esset, cùm dicitur idem corpus, quod ciciderat resurrecturum, seu idem quod jacuit in sepulchro, ac fuerat in pulveres solutum, non enim cadaver potest dici idem numero resurgere nisi per eandem numero animam, quâ vivens informabatur, iterum informetur, & revivificat. Sunt tamen, qui ad hanc unitatem numericam exhibent tantum numericam unitatem animæ rationalis, eo quia materia ex se sola non sit quid, nec quale, nec quantum, sed pura potentia, quæ beneficio formæ accipit, quod sit talis specie, & numero, hunc inferunt,

tum, quod quæcunque materies animæ Petri resurgentis detur, sit idem numero Petrus, & corpus ob unitatem numericam animæ illius, ut docet Div. Thomas in 4. contra gentes cap. 81. in corpore hominis quamdiu vivit non sunt semper eædem partes secundum materiam, quia hæ fluunt, & refluunt; quia tamen sunt eædem secundum speciem, ideo adhuc est idem numero homo à principio vitæ usque ad finem.

Verum communior sententia est, quod non solùm quoad materiam primam, quæ à Philosopho dicitur non esse, nec quid nec quale, nec quantum, sed etiam quoad materiam secundam seu carnem, ossa, sanguinem, nervos, & alias partes organicas esse hominem resurrecturum, cum Job fateatur iisdē prorsus oculis, quos cum viveret, habuit, suum esse Redemptorem visurum. Non tamen hæc unitas numerica corporis est ita intelligenda, ut tota illa materia, quæ per animam Pauli vivificata fuerat, eidem Paulo resurrecturo restituatur, vel nova alia illi superaddatur, & adveniat, id enim docent sancti Patres asserentes non resurrecturum hominem in molem ingentem, quam tamen cogeremur concedere, si tota ea materia, quæ ab anima illa vivificata fuit, resurgeret, hinc æque homines adulti, & senes, ac infantes erunt omnes surrecturi in perfecto corporis habitu, & in ætate florente. Quod si eadem materia in pluribus successivè hominibus fuit, tunc caro illa restituenda erit homini illi, cui prius fuerat propria, ut si unus homo ex carne alterius nutriretur caro quæ transivit in substantiam alii restituenda erit primo homini. cui fuerat propria, ut docet Div. Augustinus in Enchirid. cap. 88. & lib. 22. de civit. cap. 20. ubi ait: *Reddetur caro illa homini, in quo esse caro humana primitus cœpit. Ab illo quippe altero tanquam mutuo sumpta deputanda est, quasi cut est aliena redhibenda est, unde desumpta est.* Alii tamen asserunt, ut si qua materia priori homini fuerit tantum alimentum in carnes conversum, & posteriori primigenia sætura, quæ partibus illis præcipuis construendis deservierit, huic potius, quam illi restituenda sit.

Contra tamen hanc mortuorum resurrectionem plura solent objici, & primo illud Ecclesiast. 3. *Unus est interitus hominum, & jumentorum.* Job. 14. *Homo cum dormierit non resurget, donec atteratur cœlum, quia terra in æternum stat.* Verum Salomon non ita comparavit interitum hominis interitui jumenti, ut sicut anima jumenti extinguitur una cum corpore etiam anima hominis desinat esse, id enim est contra fidem, qua credimus animam rationalem nulli esse interitui obnoxiam. Respondetur igitur Salomonem notasse disputati comuniter inter homines, an debeat homo aliud sæculum sperare? quod si illud non speraret, nil interitus hominum differret ab interitu jumentorum, & homo in ratione naturæ perinde esset ac jumentum. Alii respondent Salomonem dixisse similem interitum hominum interitui jumentorum, quoad mortem corporis tantùm, quia sicut corpus jumenti mortuum corrumpitur, & putrescit, ita & illud hominis. Alii asserunt Salomonem in hoc libro Ecclesiastici agere Concionatorem eo quia nunc alleget pro parte stultorum, & nunc respondeat ex sententia Doctorum, & ibi Eccles. 3. *Unus est interitus hominum, & jumentorum* dixisse ex sententia stultorum. Alii aliter respondent, sed recensitæ interpretationes, sunt communiores inter expositores sacræ scripturæ, Ad aliud petitum ex Job. 14. respondetur, cœlum nunquam atterendum esse secundum substantiam, sed tantùm quoad efficaciam & influentiam in hæc inferiora, qua movet ad generationem & corruptionem, in quo sensu dixerat D. Paulus 1. Cor. 7. *Præterit figura hujus mundi.* Alii respondent Jobum nomine cœli intellexisse cœlum elementale seu aërem, de quo D. Petrus dixerat: *Cœli calore solventur in die judicii.*

Secundò, quia resurrectio mortuorum videtur impossibilis, ut etiam modus, quo describitur fieri, etenim totum compositum exigit unionem partium, consequenter idem totum eandem prorsus unionem, atqui non redibit eadem unio, eò quia sit interrupta: interruptum enim non redit idem, alioquin si redit iteratio est, & iteratio repugnat identitati: siquidem iteratio ponit numerum, quem identitas excludit; ergo resurrectio mortuorum non videtur possibilis. Sed respondetur cum distinctione totum exigit unionem partium, & eadem unio non redit, si unio sumatur pro illa relatione partium unitarum ad invicem, negatur, quia eadem relatio, quæ erat antea iterum ponitur, sin autem unio sumatur pro relatione, qua partes in hac vel illa differentia temporis simul nectuntur, tunc non resarcitur eadem numero, quia sicut tempus præteritum non potest idem fieri præsens, ita neque unio ut nexa, & ut reduplicativè respiciens talem differentiam temporis præteriti non restituitur. Instabis, ubi est alia humanitas, ibi non potest esse idem numero homo: unde Socrates & Plato ideo sunt duo homines, quia alia est humanitas Socratis, & alia humanitas Platonis: atqui humanitas resurgentis est alia ab ea, quam nunc habet, consequenter non est idem numero homo, minor ostenditur, quia humanitas, quæ est forma totius non est forma, & substantia, ut est anima, sed est forma tantum: atqui hujusmodi formæ cedunt tantum in non ens, & sic non possunt iterari. Secundo quia humanitas resultat ex conjunctione partium; & non potest eadem numero conjunctio resumi, quæ prius fuit, quia iteratio opponitur identitati, & importat numerum, quem identitas excludit: sed in resurrectione conjunctio partium iteratur, consequenter non est eadem conjunctio, nec eadem humanitas, nec idem homo. Sed contra, quia in corpore humano duæ dantur formæ spiritualis una & est anima rationalis vivificans corpus, & alia est forma mixti, quia cum corpus habeat esse ab aliqua forma, & sit corpus extensum necesse est, habeat aliam formam, quæ corpori det esse extensum, & cum anima rationalis non sit extensa, non potest constituere corpus extensum, unde necesse est, detur alia forma corporis substantialis distincta ab anima. Tum quia antequam anima corpus perficiar, jam corpus habet suum esse physicum, & organicum, quia definitur anima ab Aristotele actus corporis physici organici adeo ut anima perficiat corpus physicum organicum, & corpus præcedat animam quoad esse. Præterea quia anima cùm sit spiritualis in homine non dat esse corpori, sed tantùm operationes, ut nutriri, sentire, intelligere, ait enim Philosophus: *Anima est, quâ primo nutrimur, sentimus, intelligimus,* unde ex Philosopho anima non dat corpori esse corpus, sed esse animatum, & operari opera vitæ, quia ex corpore physico & organico, & anima sit compositum tanquam ex materia, & anima,

id est sit animal. Neque urget, si dicas plures formas substantiales non posse inesse eidem composito, eò quia ona adveniret enti completo, proinde non daret nisi esse accidentale, & inde sequeretur, non distingui à forma accidentali, quod nequit dici, quia de ratione formæ substantialis est dare esse simpliciter, & accidentalis dare esse secundùm quid nam illa propositio quidquid advenit enti in actu constitoit unum per accidens, verificatur de illo actu, qui est actus & forma ultima, & completa, & quæ alteri formæ non subordinatur: non verò verificatur de illo actu, qui est etiam potentia, qualis est forma mixti, seu forma corporeitatis, dicitur hæc non esse actus ultimus completus, sed participare de ratione potentiæ, eò quia possit adhuc compleri, ac perfici per aliam formam totalem, cui subordinatur, si dicas unius entis unum dari esse, & unom esse haberi ab unica forma, proinde unius entis substantialis est unica forma. Contra est, quia tamets si in animali sint plures formæ substantiales subordinatæ uni totali, non tamen faciunt plura entia, eò quia sint subordinatæ ad unum ultimum ens, quod est cæteris perfectius, ac dat esse specificum, & ultimatum composito, cojusmodi io animali est anima, quamvis in composito animato sit forma mixti, sint aliæ formæ partiales dantes esse substantiale partibus ipsius corporis, omnes tamen ordinantur ad formam mixti, & forma mixti ad animam, adeo ut respectu materiæ, quam informant, sint actus, & respectu formæ, ad quam ordinantur, se habeant ut materia, adeo ut forma mixti etiam ipsa respectu animæ intellectivæ se habeat ut materia, & respectu præcedentium formarum, ut actus, ut docet Aristoteles in calce 4. lib. Metheororum, ubi asserit: Solam postremam formam esse formam absolutam, & actum intermedias verò esse potentias, & id videbatur exigere ordo naturæ. Unde ad rationem unius entis pertinet unicum esse completum, & absolutum, non vero ne sit multiplex partialiter, & quia inferebatur ab unica forma haberi unicum esse, verùm est de unico esse totali, quod non excludat multiplex esse partiale ordinatum ad totale, quamvis enim unum totale, & specificum sit ab ultima forma hæc tamen non excludit plures alias formas intermedias, quæ ad ipsam ordinentur, ut superiùs explicuimus. Hinc ad argumentum, quo dicebatur non esse eandem humanitatem resurgentis respondetur esse eandem humanitatem, eò quia forma ultima compositi sit forma totius, & forma partis, dicitur enim forma partis quatenus perficit materiam, & dicitur forma totius quatenus ex illa tota ratio speciei consequitur, & quia hæc forma oltima, quæ dat ultimom esse completum est ipsa anima rationalis, quæ est eadem oumero, sequitur, quòd in resurrectione mortuorum resorgat, idem numero corpus, quod erat antea, & eadem humanitas sita in forma oltima, quæ dat ultimum complementum, & esse absolutum.

Tertiò, qoia idem homo non dicitur esse plura animalia, proinde si non est idem animal neqoit esse idem homo, ubi enim noo est idem sensus non est idem animal, qoia ex Aristotele lib. 2. de anima textu 16. Animal definitur per sensum, & sensus non manet in anima separata, consequenter homo resurgens, si non est idem animal, nec est idem homo. Sed contra quia hoc argumentum, tantùm urget in sententia asserentium in homine animam sensitivam, & rationalem esse diversas animas. Nos verò asseruimus in Philosophia animam sensitivam non distingui à rationali in homine, quia eadem anima rationalis continet eminenter gradus animæ vegetantis, & sentientis: quamvis dixerimus dari in animali plures formas substantiales partiales, & subordinatas uni totali, negavimus tamen in animali esse plures formas realiter distinctas, hinc si in homine eadem anima secundùm substantiam est rationalis sensitiva, & vegetativa eminenter ideo sicut resurgit eadem anima rationalis resurgit etiam eadem anima sensitiva, & vegetativa, consequenter resurgit eadem forma totalis, cui reliquæ in composito humano subordinantur.

Quartò corpus humanum resolvitur post mortem in elementa: atqui illæ partes elementorum io quas resolutum est, non conveniunt cum corpore humano, quod in illa resolutum est nisi in materia prima; quo facto aliæ partes elementorum cum reliquo corpore conveniunt, sed si ex aliis partibus elementorum formaretur non diceretur idem numero corpus. Sed contra quia quod intelligitur in materia ante formam, remanet in materia post corruptionem: siquidem remoto posteriori, adhuc potest prius remanere, quia ut docet Commentator in 1. physic. cap. 2. 4. & ult. Ante formam substantialem intelligendæ sunt dimensiones non terminatæ secundum quas attenditur divisio materiæ, et disponatur ad diversas formas in diversis partibus recipiendas: quamobrem post separatiooem formæ substantialis à materia adhuc dimensiones illæ manent eædem, & sic materia, manet sub illis dimensionibus quamcunque formam accipiat, semper habet majorem identitatem ad illud, quod generatum ex eo fuerat, quam alia pars materiæ existens sub quacunque alia forma, & hoc pacto eadem materia reducitur ad reparandum idem numero corpus humanum. Nec urgeas materia statuæ principalior est in statua, quam materia hominis in homine siquidem artificialia tota sunt in genere substantiæ ex parte materiæ; & naturalia sunt ex forma ex doctrina Aristotelis 2. *physic. text.* 2. atqui si statua ex eodem auro, vel ære reficiatur non est amplius eadem numero, quæ fuerat ante: ergò multò minus, si hominis corpus in pulveres solutum ex eisdem reficiatur, seu restauretur; ac reintegretur in pristinum statum erit idem numero homo. Sed contra, qoia dopliciter potest statua considerari. Primò quatenus est substantia quædam. Secundò prout est artificiale quoddam: & quia statua ponitur in genere substantiæ ratione materiæ, ideo si consideretur ut est substantia quædam est eadem numero statua, quæ ex eadem materia reparatur: atqui in genere artificialium ponitur secundùm quod est forma quædam artificialis, quæ statua destructa perit, & sic non redit idem nomero artificiatum, neque statua quoad artificium ejusdem esse potest eadem numero: hinc patet discrimen inter formam artificialem statuæ, & substantialem hominis, illa enim quia artificialis destructa statua petit, & non restituitur amplius eadem numero, quod enim non est non potest restitui, forma verò substantialis hominis scilicet anima, quia manet post dissolutionem corporis eadem numero restituitur, ut etiam eadem materia corporis.

Dicendum tertiò corpnta esse resurrectura in eadem membrorum integritate, qua fuerunt constituta,

tuta,

nu. Certum est enim corpus humanum compositum ex pluribus partibus organicis ob plures operationes quarum anima est principium: de hac identitate partium organicarum, quæ Eterogeneæ sunt licèt ipsæ componantur ex partibus homogeneis videndum est, an in illis detur identitas, & quomodo pars homogenea ut caro in nutritione continua eadem maneat, & non eadem. Est opinio Magistri, quòd nihil de novo, seu de nutrimento incipiat aut transeat in veritate naturæ humanæ, sed illud tantùm quod trahitur à parentibus, quodque per se ipsum multiplicatur, ut augmentum fiat, & ex eo possit semen decidi à generante, ex quo filius generetur: in quo etiam illa pars decisa multiplicatur, & per augmentum ad perfectam pervenit quantitatem; & sic deinceps genus humanum multiplicatum: juxta hanc opinionem perfectio veritatis naturæ humanæ, & quantum ad debitam quantitatem, cujuslibet individui resultat, & procedit ex ista multiplicatione seminis sine eo quod generatum sit ex alimento, quod non additur nisi ad resistendum consumptioni, quæ posset induci per calorem naturalem, perinde ac argento solet plumbum apponi, ne ex liquefactione consumatur: & quia in resurrectione debet natura in perfectione sua reparari; neque calor naturalis tunc agat, neque corpus ad sui conservationem indigeat alimento: nulla urget necessitas, quod resurgat aliquid in homine, quod generatum sit ex alimento; sed illud tantùm resurget quod fuit de veritate individui naturæ humanæ, & per decisionem, & multiplicationem ad prædictam perfectionem pervenit in numero, & quantitate. Hoc tamen placitum est expugnatu facile; quia non minus perfecta est in homine vegetativa, quàm in bruto, in utroque enim convertit alimentum in substantiam aliti. Tum quia homo generatur tam exigua, & imperfecta quantitate sicut brutum: neque fit in ipso minus deperditio partium, quàm in bruto; proinde oportet ut in homine fiat augmentatio, & restauratio deperditi sicut in bruto, proinde secundùm hanc sententiam non posset poni augmentatio possibilis in homine nisi per miraculum, perinde ac fuerunt panes multiplicati à Christo in deserto. Tum quia nutrix facultas auctricem babet inseparabiliter adnexam. Animal quamdiu vivit nutriri debet ob continuam dissipationem triplicis substantiæ solidæ, carnosæ, ac spirituosæ partim ab insito, & partim ab externo calore; deficit enim calor inopia pabuli, & nisi hæc spirituum, ac substantiæ dissipatio resarciatur, paulatim deficit, vel debilitatur calor defectu nutrimenti; & animal marcore extenuatur, & ex diuturna inedia emoritur. Hoc damnum resarcit impedítque facultas nutrix, cujus objectum est alimentum, quod licèt ab initio dissimile, caloris tamen ministerio variè coctum, ac præparatum tandem redditur simile eò quia transeat in substantiam aliti. Necessaria est igitur homini nutritio, quam sequitur augmentatio partium, unde non solùm quod est de conceptione, seu de prima corporis institutione censendum est esse de veritate naturæ humanæ, sed etiam ipsa partium augmentatio; adeo ut caro per nutrimentum de novo acquisita incipiat esse de veritate naturæ humanæ in individuo, in quo fit hoc novum augmentum. Non enim in corpore humano est talis distinctio ut aliqua pars materialis signata semper maneat quamdiu bomo vivit, ad hoc enim indifferenter se habet quælibet pars signatè manente semper eo quod est speciei in carne, fluente verò, & refluente quod est materiæ: in quo sensu humidum nutrimentale non distinguitur à radicali ex parte principii, adeo ut dicatur radicale quod est ex semine generatum, nutrimentale verò quod generatur ex cibo: sed distinctio potius est ex parte termini, ut radicale dicatur quod ad terminum generationis pervenit per actum generativæ, vel etiam nutritivæ virtutis: nutrimentale verò quod ad hunc terminum non pervenit, sed est in via nutriendi. Sed dices si caro fluit, & refluit secundùm materiam, quomodo potest intelligi manere, secundum speciem? quæ inest formæ, à qua datur, & quæ cum sit in materia debet & ipsa fluere. Respondetur manere secundùm speciem, quatenus manet semper forma carnis sanguinis, nervorum & ossium; hæc enim forma est, quæ dat speciem perseverantem, tametsi partes aliquæ desinant, & aliæ de novo generentur, totum tamen quod est sub forma carnis, & ossis pertinet ad veritatem naturæ humanæ absque distinctione alicujus partis materialis signatæ, quæ permaneat in homine toto vitæ tempore, & sine distinctione partis fluentis & refluentis pertinentis ad veritatem naturæ humanæ propter perfectionem quantitatis tantùm, & non propter primum esse speciei: hoc autem totum constat ex partibus, quæ non sunt aggeneratæ præter intentionem naturæ, & pertinent ad veritatem naturæ humanæ, quantum ad id quod babent de specie, non autem quantum ad id quod habent de materia. Idque solet explicari exemplo civium in aliqua republica, vel urbe, ubi per mortem omnes successivè subtrahuntur à numero civium viventium; aliis nascentibus, & succedentibus in locum demortuorum: ubi partes civium dicuntur fluere, & refluere materialiter, sed dicuntur manere formaliter, quoad speciem, quia ad eadem officia, & reipublicæ munia obeunda alii semper substituuntur, & respublica dicitur semper una ac eadem perseverare,

Non igitur corpora erunt resurrectura cum tota illa materiæ quantitate, quæ fuit in partibus, & membris hominis resurgentis: id enim nec est necesse, nec probabile, alioquin resurgerent corpora in monstruosam magnitudinem: cum semper calor naturalis absumat aliquas substantiæ partes; & convertat alimentum in substantiam aliti. Hinc Christus non resurrexit cum tota illa materia, quam unquam habuit: sed in eadem mensura, eodemque corpore, quo mortuus, & sepultus fuerat, ut disertè probat D. Augustinus lib. 22. de civit. cap. 15. eo quia post resurrectionem apparuerit discipulis in eadem magnitudine, & cum iisdem delineationibus, quibus iisdem notus erat; non enim alius quàm erat antea apparuit, alioquin saltem ex aliqua parte phantasma fecisset: & oculis illusisset discipulorum. Præterea si quæ ratio esset cur tota illa materia esset restituenda bomini resurgenti maximè quia ut esset idem numero bomo: ad id autem non est necessarius reditus totius illius materiæ; quia sicut continua mutatio materiæ, quæ per veteris substantiæ deperditionem, & novæ acquisitionem fit, bomo senex non evadit alter ac diversus à se ipso cùm erat juvenis: ita ut resurgat idem numero bomo non est necesse ut tota illa materia, quæ in ipso fuit toto vitæ tempore resumatur à resurgente, *sed*, ut docet D. Thomas lib. 4. contra Gentes cap, 81. *tantum ex ea, quantum sufficit ad* com-

complementum debitæ quantitatis. Et illa præsertim videtur materia resumenda, quæ perfectior erat sub forma & specie hominis, quod probat D. Thomas *loc. cit.* quia tametsi partes secundum materiam fluant, & refluant, nihilominus homo est unus numero à vitæ exordio usque ad ultimam illius clausulam, idque esplicat exemplo igois inquiens: *Exemplum accipi potest ex igne, qui cùm continuo ardeat unus numero dicitur, propter hoc quod species ejus manet licèt ligna consumantur, ac de novo apponantur.* Hinc D. Hieronymus epist. 27. ad Eustoch. scribit: *Ætatum diversitas non mutat corporum veritatem. Cum enim corpora nostra quotidie fluant, & aut crescant, aut decrescant: ergo tot erimus homines, quot quotidie commutamur aut alius cum triginta, alius cum quinquaginta, alius cum jam toto capite canus sum.*

Quod ad partes attinet corporis, quæ ad ejus concurrunt integritatem ac perfectiouem; hæ dividuotur in solidas & fluidas, & ambæ iterum dividuntur in viventes propriè & animatas atque inanimatas. Porro quicquid est in homine, id à Deo naturæ Authore est institutum, vel ad ornatum, & decorem tantum, vel ad ornatum & usum simul, vel ad usum tantùm. Patres ad ornatum tantùm à Deo institutæ sunt ex Div. Augustino *lib. 22. de Civit. cap. 24.* In homine barba, & mamillæ, quæ verò ad usum tantùm sunt lac & alii humores, quibus qui destituuntur, nihil decoris & pulchritudinis amittunt: quæ verò sunt ad usum, & ornatum simul, sunt manus, pedes, quioque sensus, & alia hujusmodi. Ex his partibus solidæ ut & membra officialia procul dubio resurgeot, eò quia ad integritatem pertineant, & illa integritas ad corporis pulchritudinem sit instituta, ut oculos oblectet intuentium, ac mentem eorum excitet ad opificis Dei commendandam sapientiam: io corpore tamen redivivo oon erit lac nec semen, ut docet Richardus *in 4. Distinct. 44.* Imo Div. Thom. *quæst. 54.* etiam excludit à corpore redivivo sanguinem nutrimentalem, eò quia io tali corpore nihil futurum erit superfluum. Cæterum intestina, & venæ vacua non erunt, sed hæc vasa replebuntur spiritubus illis naturalibus animatis, qui cum etiam in damnatis purissimi ac subtilissimi, & ad exercitia sensuum aptissimi sint, à fortiori in corporibus eront beatorum ex quo conjici facilè potest temperies primarum qualitatum qualis futura sit, & quænam secundæ qualitates. Div. Augustinus *lib. 22. de Civ. cap. 19.* explicans illud Luc. 21. *Capillus de capite vestro non peribit*, elegaoter describit temperiem humorum & harmoniam qualitatum in corpore redivivo: deinde circa capillos non perituros ait: *Neque hoc dixerim, quod aliquid existimem corpori cuiquam periturum: quod naturaliter inerat, sed quod deforme natum fuerat*, excludit enim Div. Augustinus à corpore redivivo omnem deformitatem, & invehit perfectam venustatem: deinde cùm dixisset pulchritudinem esse partium congruentiam cum quadam coloris suavitate; & omne nimium exclusisset, postea subdit: *Nulla erit deformatio, quam facit incongruentia partium; ubi quæ prava sunt, corrigentur, & quod minus est, quam deceat, unde Creator novit, supplebitur, & quod plus est quam decet materia servata integritate detrahetur.* Ex quo liquet D. August. in resurrectione corporum aliquam asserere detractionem, & additionem, ut corpora resurgant perfectiora ac venustiora, quam fuerant.

Ao vero sint corpora resurrectura cum sexuum diversitate, respondetur affirmativè, & id colligi potest ex script. Luc. 21. *Capillus de capite vestro non peribit*, ex quo à fortiori inferunt sancti Patres neque sexum esse periturum, eò quia ad ornatum individui magis conferat, quam capilli. Evioci etiam solet ex illo Matth. 22. ubi de corporibus Beatorum ait: *Quod in cœlo neque nubent, neque nubentur*, quorum primum ad sexum masculinum, secundum ad fœmineum refert Div. Hierouymus *epist. 27. ad Eustochium* inquieos: *ubi enim dicitur, neque nubent, neque nubentur sexuum diversitas demonstratur, neque enim de lapide, & ligno dicit, non nubent neque nubentur: quia naturam nubendi non habent; sed de iis, qui possunt nubere, & gratia Christi ac virtute non nubant:* hinc Ecclesia in suis precibus etiam sanctas fœminas invocat, quod si à viris per sexuum diversitatem secernuntur congruum videbatur, ut in resurrectione corporum non fieret hæc immutatio, eo quia non ad destructionem, sed ad redintegrationem pertineat naturæ: Div. Augustinus hoc idem docet *lib. 22. de civit. cap. 17.* ubi expendens illud Matth. 22. *in cœlo neque nubent, neque nubentur*, ait: *Nuptias futuras Dominus negavit esse in resurrectione, non fœminas ibi negavit: & ibi negavit, ubi talis quæstio vertebatur, ut eam negato sexu muliebri celeriore facultate dissolveret, si eum ibi prænosceret non futurum: imò etiam futurum esse firmavit dicendo: non nubent, quod ad fœminas pertinet; neque uxores ducent, quod ad viros: erunt ergo, qui vel nubere hic solent, vel ducere uxores, sed hic non facient. Si sexus membra non fuerint, ubi erit resurrectio corporum, quæ sine sexu non constant, & membris? porro si corporum non fuerit resurrectio neque erit resurrectio mortuorum.* Div. Hieronymus epist. ad Pammachium hoc idem evincit ex eo, quòd Iob. cap. 19. dicat suis ocolis esse coospecturum Deum, & se ipsum non alium, *quasi dicat*, ait Hieronymus, *videbo in ista carne, quæ nunc me cruciat, quæ nunc præ dolore distillat. Si autem is non in sexu suo resurrecturus est: si non in eisdem membris, quæ jacuère in stercore: si non eosdem oculos aperiat ad videndum Deum, quibus nunc videt vermiculos: ubi erit ergo Iob, tollis ea, in quibus subsistis Iob, & donas mihi vocabulum inane resurgentis. Ubi caro, & ossa, & sanguis, & membra sunt, ibi necesse est, ut sexus diversitas sit, & ubi sexus diversitas ibi mas & fœmina.* Ratio etiam id videtur suadere, quia sicut ratione individuorum debita est hominibus diversa materiæ quantitas, & delineatio diversa, ita & diversus sexus, hæc enim varietas congruit perfectiooi speciei humanæ, cujus diversi gradus per hanc diversitatem sexuum, & quantitatis exhibentur ac perficiuntur. Neque tunc pars inferior superiori rebellabit, neque libido ad turpia excitabit, sed portio inferior perfectæ rationi subjicietur. Negant nihilominus Origenistæ hanc sexuum diversitatem maris, & fœminæ, quia si hæc diversitas sexuom erit, essent nuptiæ secuturæ, concubitus, & generatio prolis; si non erit, hinc inferunt corpora non surrectura eadem, eo quia sublata sexuum diversitate non sunt amplius eadem corpora. Sed contra, quia sicut officia animæ vegetantis ratione status vitæ incorruptibilis vacabunt, vis enim digestiva stomachi non aget, nec cibum digeret, ita neque actus generationis exercebuntur, *neque statim superflua videbitur membrorum resurrectio* ait Hieronymus epist. ad Eustoch. *quæ caritura sunt officio suo, cum adhuc in hac vita positi nitamur non implere opera membrorum.* Quamvis

si tamen futura non sint membrorum officia, & exercitia, membra tamen ipsa pertinentia ad integritatem corporum erunt surrectura, unde Tertullianus lib. de resurrectione cap. 66. *Cum membra fuerint aut vitiis instrumenta hominis fuerint, eadem quoque in præmio aut supplicio futura sunt*, & cap. 40. ait: *Secundum enim collegia laborum consortia etiam decurrunt necesse est præmiorum*. Et Div. Augustinus lib. 22. de civit. 17. & sequent. ait: *Non est vitium sexus fœmineus, sed natura, qua tunc quidem, & à concubitu, & à partu immunis erit: erunt tamen membra fœminea non accommodata usui veteri, sed decori novo; quo non alliciatur aspicientis concupiscentia, qua nulla erit, sed laudetur Dei sapientia, atque clementia, qui & quod non erat, fecit, & liberavit à corruptione quod fecit*. Neque frustranea & otiosa dicenda sunt hæc membra, quamvis suis destituta exercitiis, & functionibus, quia partes singulæ corporis ad integritatem pertinent ejusdem, quod si corpus redintegrant jam otiose non jacent, sed formam & decorem invehunt etiam excluso eorandem usu.

Dices ex patribus plures negare hanc sexuum diversitatem in corporum resurrectione, etenim Sanct. Hilarius in illud Matth. 22. & Div. Basilius in Psalm. 114. in illa verba: *Quoniam eripuit animam meam*, loquens de corporibus redivivis ait: Ibi non insolescere rebellionem carnis contumacem, quoniam in resurrectione neque mas neque fœmina erit, & Div. Athanasius serm. 3. contra Arianos, hoc idem adstruit, ut etiam alii apud Div. Augustinum lib. 22. de civit. ubi ait: Omnes homines resurrecturos in virili sexu, eo quia Div. Paulus ad ad Ephes. 4. dicat, *quod occurremus omnes in unita tem fidei, in virum perfectum*. Sed contra, quia perperam citantur Sancti Patres negantes hanc sexuum diversitatem; quia non membra ipsa inficiantur, sed eorundem usum, & actum, volunt enim non dari hanc sexuum diversitatem quoad operationes, & motus libidinosos, ad aliud Div. Pauli respondent communiter, quod sive boni, sive mali resurgent quoad ætatis, seu staturæ virilis perfectiones similes Christo, qui in resurrectione sua fuit etiam omnium exemplar. Tum quia corpus iterum ab anima erit resumendum juxta exigentiam ipsius animæ, quæ corporis est forma: atqui forma corporis exigit subjectum perfectum & integrum vivificare ac informare, consequenter debent corpora rediviva esse cum omnibus suis membris, ac partibus integrantibus.

An verò omnia corpora sint resurrectura in æquali statura videtur inter Expositores esse aliqua discrepantia, plures enim censent omnia corpora ejusdem futura staturæ, eò quia id videatur conducere ad statum illum post resurrectionem. Probabile tamen est non omnia corpora æqualis futura staturæ, sed alia aliis proceriora, ita tamen ut monstruosum nihil aut deforme, quod ad magnitudinem, vel parvitatem dedeceat beatos. Et ratio esse potest, quia resurget homo ut est unus numero, adeo ut attendenda sit non solum quid species, sed etiam quid ratio individui exigat. Natura autem speciei aliquam habet quantitatem, quam non excedit, nec ab ea deficit, quin videatur errare: hac tamen quantitas sicut habet aliquot extensionis gradus ita potest intra eosdem plus minusve augeri, adeo ut quodlibet individuum in specie humana assequatur intra terminos illius latitudinis aliquem gradum quantitatis ex iis, qui competunt naturæ individui, & ad hanc perducitur in termino augmenti, si error non irrepserit in opere naturæ per additionem, vel subtractionem quantitatis, consequenter non videtur improbabile corpora surrectura aliqua aliis proceriora, tum quia ad perfectionem humanæ naturæ videtur pertinere ut quamvis omnes homines conveniant in una ratione specifica, habeant nihilominus aliquam diversitatem individualem, ut possent distingui unus ab alio: si enim omnes homines ejusdem prorsus essent formæ figuræ, delineationis, & staturæ vix unus secerni posset ab alio, & in ipsa similitudine quædam fieret confusio. Sicut igitur non omnes homines resurgentes ejusdem erunt figuræ, ut rectè notat S. Justinus in *quæst. ad Orthodox. quæst.* 60. Ut unus ab alio dignosceretur: ita corpora rediviva probabile est non omnia ejusdem futura magnitudinis. Quod verò corpora rediviva nullum sint habitura vitium, nullam contractura deformitatem ex eo probat Div. Thomas *quæst.* 1. *art* 4. quia homo resurget sine ullo defectu humanæ naturæ; quia sicut Deus humanam naturam instituit, absq; defectu ita sine defectu eandem reparabit; quamobrem corpora rediviva erunt nitida, integra ac perfecta in suis partibus absque ullo errore naturæ sine ulla deformitate, quia causa erroris, vitii, ac deformitatis in corporibus illis redivivis omnino cessabit. Corpora etiam damnatorum quantum ad id quod est naturæ, etiam integra resurgent in ætate perfecta sine mutilatione vel diminutione membrorum, & absque infirmitate nec amplius erunt corruptioni obnoxia, quapropter scribit Apostolus 1. Corinth. 15. *Mortui resurgent incorrupti*, unde damnati corpus habebunt quidem animæ proportionatum, sed voluntatem inordinatam, & à suo fine deflectentem, ut docet Div. Thomas 4. contra Gent. cap. 84. inquiens: *Oportet animabus esse proportionata corpora damnatorum; animæ autem malorum naturam quidem bonam habent utpote à Deo creatam, sed voluntatem habebunt inordinatam, & à fine proprio deficientem*. Cæterum corpora rediviva præsertim beatorum erunt in propriis individuis cum suis perfectionibus, ut asserit Div. Augustinus in Enchirid. cap. 80. ubi ait: *Unicuique in sua effigie servandam proprietatem, & discernibilem similitudinem, adeo ut indecorum quidquam non sit eventurum, sed quid futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est, si non decebit*, & cap. 88. ait: *Neque enim monstra, quæ nascuntur, & vivunt, quamvis citò moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt, ac non potius correcta, ac emendata natura*, & nonnullis interjectis subdit: *Ita cætera, quæ singuli quique partus vel ampliat, vel minus aliquid habendo, vel quadam nimia deformitate dicuntur ad humanæ naturæ figuram resurrectione vocabuntur*.

Quod verò ad incorruptibilitatem attinet corporis redivivi, duplex à Magistro sententiarum *in* 2. *distinct.* 19 Incorruptibilitas datur, una, quâ quis potest non mori, altera, qua non potest mori: prima conveniebat Adamo in statu innocentiæ, in quo sicut potuit non peccare, ita potuit non mori cum dependenter à peccato factus fuerit morti obnoxius. Secunda incorruptibilitas convenit corporibus redivivis in statu resurrectionis, & duplex solet discrimen assignari inter immortalitatem in statu resurrectionis, & illam justitiæ originalis. Primum discri-

discrimen ex eo petitur, quia Adamus poterat non mori: & à necessitate moriendi immunis erat, & defacto non fuisset moriturus, si divinum servasset præceptum, resurgens verò non solum nunquam amplius erit moriturus, sed neque mori unquam poterit, adeo ut si damnatus mori velit, mori minime possit, hoc discrimen innuit sanctus Augustinus lib. 13. de Civit. cap. 24. inquiens: *Corpus animale in quo primum hominem factum esse dicit Apostolus, sic erat factum, non ut mori omninò non posset, sed ut non moreretur nisi homo peccâsset: nam illud quod spiritu vivificante spirituale erit, & immortale mori omnino non poterit.* Secundum discrimen ex eo petitur, quod immortalitas Adæ statum justitiæ originalis comitabatur, eratque donum gratuitum; quapropter soli Deo grati hujus doni erant participes: sed resurrectionis immortalitas æquè bonis ac malis communis est, neque consequenter propriè loquendo gratiæ habet rationem, non enim ad gratiam refertur, quod miseris ad augmentum, & cumulum miseriæ advenit. Alia quoque discrimina notantur à sanctis Patribus cæterum non esse eandem utriusque immortalitatis conditionem docet Div. Paulus 1. Corint. 15. inquiens: *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.* & quamvis solet de Christo exponi novissimus Adam, sumitur tamen à sanctis Patribus pro quolibet homine, unde Augustinus ad Consentium epist. 136. ait: *Ita ut in unoquoque homine utrumque compleatur, ut primus Adam sit in Corpore mortali, novissimus Adam idem ipse in corpore immortali.* Hac immortalitate esse donata in statu innocentiæ corpora Protoparentum est certum de fide, & colligitur ex scripturis Sapient. 1. *Deus mortem non fecit*, & cap. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem; invidiâ autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Rursus in conciliis præsertim Tridentino *sess.* 5. hæc eadem veritas fuit certa de fide definita. Immortalitas hæc in statu innocentiæ fuisset tum ex providentia Dei speciali qua fuisset ab omni læsione agentium externorum præservatus, tum etiam ex esu fructuum arboris vitæ, quibus vis inerat non solum nutriendi, sed etiam pristinum vigorem restaurandi, ut asserit Div. Augustinus lib. 14. de Civit. cap. 26. ubi asserit: hominem in statu innocentiæ immortalem futurum fuisse, sed etiam impassibilem seu expertem omnis læsionis, ac corruptivæ mutationis. Immortalitas verò in statu resurrectionis tribuitur corpori ab anima ita ut non fiat per solam externam Dei protectionem, aut impediendo omnem corporis læsionem, seu defectum, qui secuturus nullus esset, & si causæ, quæ alioqoin corruptivæ sunt, non impediantur, quo pacto censentur integra fuisse servata vestimenta Israelitarum, *quæ*, ut habetur Deuter. 29. *quadraginta annis attrita non sunt, nec calceamenta vetustate consumpta:* eodem modo tres pueri in Babylonica fornace dicuntur incolumes servati, ac illæsi à flammis. Communior tamen sententia censet, pueros fuisse in fornace Babylonica servatos illæsos, eo quia DEUS suum subtraxerit concursum, ne flammæ pueris nocerent, quod verò vestimenta Israëlitarum fuerint integra servata, id tribuitur divinæ virtuti: sed in stato resurrectionis alia futura erit immortalitas, quia ut ait Apostolus Corinth. 15. Corpus resurget in incorruptione, & spirituale, fietque homo in spiritum vivificantem, & quod corruptibile est, induet incorruptionem, & mortale immortalitatem: dicitur corpus futurum spirituale per spiritualitatem sibi intrinsecam, ut etiam immortale per immortalitatem, quia mortale & immortale significat quandam corporis ipsius habitudinem, & dispositionem internam, unde admittenda est in ipso corpore redivivo aliqua vis, affectio, aut qualitas, cujus beneficio intrinsecè fiat incorruptibile, & immortale. Dicitur etiam spirituale, quia spiritui vivificanti perfectè subjicietur. S. Thomas tres assignat causas immortalitatis beatorum: & damnatorum finalem, quæ est perpetuitas præmii, & pœnæ, quam statuit Deus efficientem, quæ est DEUS, & formalem, quæ est anima. DEUS autem incorruptibile corpus facit præstando animæ, ut in ipsum perfectè dominetur, quantum ad hoc, quòd ipsum vivificet. Quòd si quæras, quodnam sit hoc dominium animæ in corpus, ut ipsum immortale constituat, respondetur tres modus hic posse intelligi, scilicet, quòd anima in se accipiat aliquam virtutem, qua carebat, cum corpus mortale informaret, quaque formaliter fieret potentior ad conservandum corpus indemne ab omni corruptione. Alium modum possumus concipere, quo anima licèt nihil novi accipiat, corpus tamen aliter se habeat, ac immutetur, & animæ subjiciatur. Tertium modum concipimus si mutatio fiat, tam in anima quàm in corpore: ex his tribus modis secundus videtur præferendus, quia dominium animæ in corpus sufficienter exprimitur citra dotem gloriosam, qua anima beata pro arbitrio suo regit suum corpus; quòd verò corpus resurgens aliter se habeat respectu suæ animæ, quàm prius se haberet, adhuc potest tripliciter intelligi. Primò ut corpus deperdat aliquid quod habebat cum mortale erat, & quo constituebatur corruptioni obnoxium, ac mortale. Secundò, ut aliquid de novo accipiat, quo præservetur à corruptione, & præservetur ab interitu: ut esset qualitas præservativa ab omni ægritudine, ac intemperie humorum. Tertiò, ut fiat antiquæ alicujus qualitatis vel substantiæ deperditio, & novæ acquisitio; & hic tertius modus quo corpus fiat incorruptibile, à plerisque præfertur aliis præcedentibus, eò quia D. Augustinus videatur eidem adhærere cum epist. 146. ponat *corruptionem emortuam, & stabilem vigorem* demit corruptionem, & addit vigorem: & lib. 21. de civit. cap. 4. de damnatis ait: *Habebit tunc ista carnis substantia qualitatem ab illo inditam, qui tam multas miras addidit, quas videmus, ut eas quia multa sunt, non miramur.* Utramque mutationem etiam Tertullianus subindicat inquiens lib. de Resurrect. *passiones auferri, & mutationes conferri*, hoc est demere per quod corpus patitur, alteratur, ac tandem corrumpitur, & addere per quod corpus mutatur, & de corruptibili fiat incorruptibile. Hæc duplex mutatio, seu deperditio antiquæ alicujus dispositionis; & novæ acquisitio potest commodè explicari, ac intelligi dominium illud animæ in corpus; si explicetur, quomodo corpus humanum sit mortale, ac corruptibile, quod contingit ob duplicem rationem, quarum prima communis est omnibus corporibus sublunaribus simplicibus, & mixtis quatenus coalescunt ex materia privationis, seu ex materia quæ transit de forma ad formam virtute causæ alicujus efficientis extrinsecè novam formam in materia, & corrumpentis pristinam. Ut corpus hoc pacto corrumpatur necesse est sit susceptivum novæ alicujus formæ incompossibilis

cum

non præcedunt, consequenter, ut in aliquam incurrat efficientem causam, quæ producat in materia corporis formam incompossibilem cum illa, qua præditum est corpus: & ut ipsam corrumpat: & ut hoc fiat, necesse est ut prius destruat proprias qualitates formæ corrumpendæ, & introducat contrarias, quæ sint dispositiones ad novam formam producendam. Quamobrem omnis hæc corruptio est quædam pugna qualitatum primarum, seu caloris frigoris, humiditatis, & siccitatis, siquidem per hanc pugnam fit alteratio tendens ad mutationem substantialem, hinc si corpus aliquod deperdat temperiem suarum primarum qualitatum, & dicatur habere materiam privationis, ac esse corruptioni obnoxium: sin verò hanc non deperdat qualitatum temperiem, dicatur non habere materiam privationis, & non esse corruptibile quia quoties qualitates debitam subjecto servant temperiem non est subjectum corruptioni obnoxium. Idque commune est omnibus corporibus inanimatis; corpus enim humanum quia mortale est, habet conditionem, quæ non est ipsi communis cum cæteris corporibus sed tantum conviventibus, quia tametsi nullum sit agens extrinsecum, quod vim faciat, ac corrumpat corpus humanum, senio tamen, & vetustate tabescens deficit, ac emoritur, & hæc est ratio, cur corpora viventia indigeant alimento, quo non egent corpora inanimata. Et quia hæc corruptibilitas communis est omnibus vegetantibus homo eâ non laborat ut homo: nec ut habet animam sensitivam, sed tantùm quatenus vegetat adeo ut si in resurrectione homo non habeat amplius corpus vegetabile, nec conditiones vitæ vegetantis, sed tantùm sensitivæ, & rationalis, & possint conditiones vegetantes, & animæ vegetativæ separari à corpore humano, quod tantum habeat conditiones animæ sensitivæ, & rationalis ritè intelligitur, quomodo homo de corruptibili fiat incorruptibilis. Hæc autem corruptibilitas in corporibus viventibus dupliciter potest contingere: primò quatenus per senium, & marcorem possunt corpora viventia deficere, deperdere vitam, & emori: & hæc corruptio fit per alterationem in primis qualitatibus deperdentibus illam temperiem, quæ requiritur ad vitam servandam. Secundò possunt deficere, & emori per divisionem partium. Lapides enim, aqua, & alia elementa & mista per divisionem partium non corrumpuntur, sed perseverant in propria specie, secus vivens per divisionem suarum partium corrumpitur, deficit, & emoritur, vel statim, vel post non multum temporis, & quò nobilius est vivens eò partium divisarum interitus est celerior. Rursus corruptio, quæ fit per alterationem adhuc est duplex una, quæ senio fit, & marcore, altera quæ vi & impetu agentis externi, & utraque est causa interitûs.

Dicendum quartò, corpus post resurrectionem non fore vegetabile, proinde esse donandum incorruptibilitate, ratio est, quia tunc in corpore redivivo non erunt qualitates exigentes functiones animæ vegetantis per nutritionem, augmentationem, generationem, quia cum nullæ hujusmodi functiones futuræ sint in corporibus redivivis, ne in iisdem quidquam superfluat, sintque statui illi inutile, ideo facultates animæ vegetantis non erunt, in quo sensu dicitur, quòd corpus redivivum animale non erit, sed fiet spirituale, hoc est, non erit animale, quia ab animæ vegetantis finem amplius non habebit ordinem, & facultate vegetante carebit: quia homo est corruptibilis indiget nutriri ut partes corruptæ, ac deperditæ restaurentur, & quia in statu resurrectionis unus homo alterum non generabit, neque substantia corporis redivivi desinet, non indigebit facultate vegetante, ut nutriatur, ac reparetur substantia deperdita, neque ut alium hominem generet, siquidem sunt hujusmodi facultates officia naturæ, & subsidia pro restaurando defectu, & servanda specie. Præterea ut homo nutriri possit necesse est habeat partes corporis in primis qualitatibus variè affectas, adeo ut sint aliæ aliis calidiores, aliæ aliis humidiores, sicciores, ac frigidiores, ut deprehenditur experimento, & in corpore vegetante sunt semper qualitates aliquæ extraneæ, quæ pugnam invehunt, & ad illam excitant, quo pacto dicitur corpus animalis versari in continuo motu, quia nutritur continuo, fitque semper partium aliquarum deperditio, & novarum acquisitio, & qualitates contrariæ semper inter se pugnant, adeo ut anima vegetans nunquam sit in quiete, sed semper in motu ac alteratione perpetua: hinc materia corporis animalis dicitur materia privationis, quia quantum motus, seu mutationis successivæ habet, tantùm & privationis, non enim calidum censetur habere privationem frigoris, nisi cùm incipit calefieri: hinc in corpore humano anima vegetans non habet perfectum dominium in corpus, quia eatenus forma dicitur in materiam dominari quatenus eam habet, & in suam possidet quasi sibi propriam, ac sub dominio suo: & materia non appropriatur, seu non fit sub dominio formæ, nisi quatenus est affecta qualitatibus propriis illius formæ, unde si corpus vegetabile, & animale aliquas affectiones alienas ab anima, seu adventitias habet, nondum dicitur perfectè ab anima possideri, sic ignis elementalis qualitates propriæ sunt calor in summo, & siccitas prope summum quamdiu ignis qualitates has non ita affectas habet, forma substantialis ignis non dicitur habere pacificum dominium in materiam, eò quia cum ignis nitatur ad statum suum naturalem reduci, exigit aliquid debellandum, & corrigendum, sicque est in motu non in quiete naturali. Anima igitur vegetans, quia ex sua natura est semper in continuo conflictu, quo qualitates contrarias debellat, & novas acquirit, adeo ut fiat semper aliqua corruptio, & reparatio corrupti per nutritionem, & conversionem alimenti in substantiam aliti corpora rediviva in statu resurrectionis, quia amplius non erunt corruptioni obnoxia, non erunt vegetabilia, neque opus erit, ut vegetent, comedant, bibant.

Dicendum quintò, corpora rediviva fore perfectissima in sensu, ratio est, quia tametsi corpora rediviva careant facultatibus animæ vegetantis non ita destituuntur qualitatibus animæ sentientis, hinc dicuntur corpora spiritualia, quatenus ut spiritus non erunt corruptioni obnoxia ac soli cognitioni servient, nullos emittentia fumus, nec vapores, nec excrementa, nec ullam sentientia pugnam internam unius partis in aliam, sed complexio totius corporis aptissima erit ad sensuum usum, vivacitatem, & certitudinem, in quo sensu quia corpora rediviva sunt spiritibus similia dicuntur fieri spiritualia, non quod deperdant esse corporeum, sed quia spiritus imitantur, eorum perfectio duo potissimùm haber scilicet acumen, seu vivacitatem, & certitudinem, seu vegetatem in repræsentandis objectis: unde corpora redi-

rediviva erunt perfecta in suis qualitatibus, ut sensus omnes sua valeant ubire munia absque ulla contrarietate, & pugna, & ex hac temperie qualitatum oritur incorruptibilitas, quia eatenus corpus constituitur incorruptibile, quatenus perfectè possidetur à forma absque pugna qualitatum contrariatum quo pacto dicitur perseverare semper in eodem statu, ac fieri corpus spirituale, quod distinguitur ab animali, quia hoc est in perpetuo motu, seu mutatione, secus spirituale est in statu consistentiæ, seu stabili, & immutabili. Hinc anima vegetativa est quæ corpus mutat, sensitiva, quæ illud quietat: vegetativa enim tota est ad reparandum defectum naturæ per generationem, vel aggenerationem, seu nutritionem, ac propterea dicitur esse in continuo motu: secus anima sensitiva habet pro fine cognitionem, quæ ex se sistit potius in objecto, quod teptæsentat, & in illo quiescit. Alii asserunt animam hominis reddere corpus incorruptibile, quod perfectè informat, quatenus omnibus qualitatibus, & accidentibus illius dat modum inhærendi stabilem diversum à modo, qui inerat iisdem accidentibus inhærentibus corpori corruptibili. Hinc inferunt curpora rediviva habitura intimam sibi incorruptibilitatem longè diversam ab ea, quam Adamus habuit in statu innocentiæ, quia homo resurgens non habebit in se illam constitutionem, qua nisi extrinsecus fuisset Adam adjutus mortuus fuisset senio, & marcore. Neque iis enim sunt corruptiones ab extrinseco agente, quæ solent vi sua & actione corrumpere debitum temperamentum, quia in statum resurrectionis nulla futura erit alteratio, nulla corruptio, nulla vicissitudo in contrariis qualitatibus, sed singula in perfecta quiete manebunt, ac conspirabunt ad perpetuitatem illius status, quo pacto etiam explicatur, quomodo corpora rediviva nulli amplius futura erunt corruptioni obnoxia.

Quòd si dicas corpora damnatorum esse ab atdentissimo igne gehennæ plures cruciatus passura ut Evangelicus dives, qui viso Lazaro in sinu Abrahæ petiit ipsum mitti ad leniendos suns cruciatus inquiens: *Crucior in hac flamma*, ergo saltem corpora damnatorum fient corruptioni obnoxia. Sed contra negatur consequentia, quia ignis gehennalis corpus damnati hominis non alterabit, nec calefaciet, sed tantùm sensum doloris eidem infliget, quia corpus damnati capax est hujus sensitivæ passionis dolorificæ, non verò alterativæ, quia hæc non nisi in aliqua ex primis qualitatibus posita est: & non fit nisi cùm una qualitas inducitur in subjectum alterius cum abjectinne contrariæ & quia corpus damnati nullam privationem contrarietatis habet, non potest illas deperdere ob modum inhærentiæ, quem habent: hinc corpus damnati in medio fornace non absumetur igne, quia nulla est naturalium causarum activitas, quæ superare possit formalem resistentiam qualitatum illius corporis. Instabis corpora damnatorum erunt composita ex materia, & forma, ergo erunt corruptioni obnoxia. Sed contra negatur consequentia, quia tametsi materia dicatur à Philosopho esse principium corruptionis potest tamen ita aliqua forma actuari ut eam amplius deperdere non valeat ex defectu vel agentis extrinseci non valentis formam illam destruere, vel ex intrinseca temperie qualitatum, quæ non sit alterationi obnoxia, & corpora rediviva in statu resurrectionis, hoc pacto erunt incorruptibilia, unde Tertullianus *de resurrect. cap. 57.* asserit, carnem post resurrectionem non futuram passibilem, sed impassibilem ait ipse: Quia in ipsum manumissa est à Domino, ne ulta pati possit.

Dices homines in statu resurrectionis habituros suorum sensuum functiones: atqui hæ non fiunt sine spirituum commotione rarefactione, & dissipatione ex qua oritur mareor in corpore ex marcore corruptio, & ex corruptione interitus, ergo corpora rediviva adhuc erunt corruptioni, & interitui obnoxia. Sed contra, quia spiritus omnes animales in corpore redivivo, & in statu resurrectionis erunt immutabiles, & ex eorum habitu semper servabunt eandem corporis temperiem. Duplex solet assignari actio objecti sensibilis in sensum, & ejus organum una quæ naturalis dicitur, & alterativa: & alia, quæ intentionalis vocatur: ignis afficiens carnem illi sui caloris, sicci, intensi, intentionalem speciem imprimit, ut sensorium hac specie affectum exprimat illius caloris sicci sensibilis, & tactilis, tactum rursus sensorium ipsum seu organum calefacit, & exiccat. Prima actio est organi tactus perfectiva, quia per illam speciem tactus fit potens tangere, & exercete suam propriam functionem, quæ procul dubio perfectio est quædam: siquidem perfectius est objectum suum sentire, quam stupore affici, & sensu carere: secunda actio, quæ alterativa dicitur non est perfectiva, sed organi destructiva, quia aufert illi mediocritatem primarum qualitatum, & illam temperiem quam organum tactus exigit: inter has duas actiones objecti tactilis est ordo iste, quia intentionalis sit prior natura, quàm naturalis: & hæc sit prima quasi accidentaria, & inutilis, & noxia sensui: etenim intentionalis fit in instanti brevissimo tempore, quia sine pugna contrarintum, & resistentia: alterativa verò exigit tempus ob rationes oppositas. Præterea intentionalis est à natura instituta, & altera naturalis, & alterativa ab animali, quod si eam sibi commodam putat, procurat, si noxiam censeat, declinat. In visu etiam prior est oculi illuminatio, ac speciei intentionalis, seu visualis impressio, & ipsa visio quam fit spirituum visoriorum dissipatio, quæ non fit nisi per calefactionem, & rarefactionem. Corpora igitur tediviva sensus erunt habitura vivacissimos, ac eorundem functiones perfectas absque ulla tabe sine ullo marcore, aut corruptione, quia corpus spirituale non animale erit.

Dicendum sextò, resurrectionem mortuorum futuram in extremo judicio cum Christus descendet de cœlo, & Angelos præmittet cum tuba, ut mortuos excitent, ac convocent ad judicium. Hac tuba personante illico quavis disrupta mora omnes mortui veluti è somno excitati resurgent, & comparebunt super terram, ac celerrimè in locum judicii transferentur. Hinc tria concurrent ad hanc resurrectionem. Primo ut particulæ materiæ ex quibus est corpus formandum in locum unum congerantur. Secundò ut corpora rediviva ex illis particulis materiæ superstitis iterum efformentur. Tertiò ut corpora jam efformata uniantur animæ à qua vivificentur. Circa primum docent plures particulas materiæ Angelorum ministerio esse in loco uno congerendas, quod tamen vide-

videtur captu difficile, quia corpora in millenas particulas resoluta ad dispersa erunt per varios terrarum tractus quarum aliæ in Oriente, aliæ in Occidente, aliæ in aëre nubibus permixtæ, & aliæ in mari erunt, adeo ut ex pluribus difficillimis locis unius corporis particulæ sint colligendæ, cum enim humanum corpus coalescat ex materia humida, & sicca & totum humidum, & simul potior pars sicci resolvatur in vapores qui sparguntur per totum orbem: & siccum superstes, quamvis pluviis madefiat, sensim totum absumitur & in auras dissipatur: Rursus humana corpora vel putrescunt in terra, & similiter solvuntur in vapores, qui per ventos nubibus immixtos deferuntur ferè per totum orbem vel delapsæ in terram sua eidem rudimenta communicant, germinantque in herbas, quæ à bestiis comeduntur, & transeunt in substantiam bruti, quia igitur particulæ corporis humani tot mutationes subeant, ac in varias brutorum, vel etiam vegetabilium species, & individua transferantur videtur captu per quam difficilè, quomodo ab Angelo possint tam brevi tempore cognosci, & simul congregari cum potentia Angeli finita sit, & limitata ejus sphæra.

Quod verò tempus colligendi hujusmodi corporis partes futurum sit brevissimum apertè indicat Apostolus 1. Corinth. 15. scribens. *In momento in ictu oculi mortui resurgent*, si in ictu oculi brevissimum erit tempus ut videatur esse instar momenti, loquitur Apostolus de toto opere resurrectionis, quod fiet simul ac insonuerit tuba. Præterea non solum innumeris locis erunt particulæ illæ dispersæ, verùm etiam innumeris modis variatæ, & per innumeras ferme formas, ac species transfusæ, nec ullum erit vestigium, unde cognosci possint ad quod ex tot millibus pertineant corpus. Præterea quia ad plurima corpora aliquæ pertinebunt, cum interdum homines carnibus vescantur humanis. Rursus quia multa in corporibus eorum, qui mutili vel manci fuerunt supplenda erunt, & fortissis ex iis particulis, quæ aliquando eidem corpori junctæ fuerunt,& postea difflatæ per calorē naturalem; & est captu difficile, quomodo ab Angelo possint hæc omnia statim cognosci & feligi, ac in locum unum congregari. Hincquamvis Angeli possint servire in quibusdam cineribus colligendis, non tamen in omnibus quæ ad corporis totius constitutionem spectabunt. Quamobrem valde credibile est, hoc totum virtute divina peragendum esse, quia Deo omniscio omnes illæ particulæ in quocunque sint loco sitæ, vel in quamcunque aliam sint substantiam mutatæ notissimæ sunt, & quia creaturæ omnes subjiciuntur plenissimo ejus imperio, cui paratissimæ sunt parere sufficit Dei voluntas ut in momento in ictu oculi congregantur, & simul uniantur ad constituenda humana corpora: sicut creaturæ ex nihilo ad Dei imperium venerunt, ac universum orbem constituerunt; ipse dixit, & facta sunt, Genes. 1. *Fiat lux, & facta est lux*; ita facilius erit ex præsuppositâ materia ad pristinum statum corporis accedere. Quod si dicas in scripturis haberi Deum missurum Angelos cum tuba, qui colliget electos à quatuor ventis. Respondent plures Deum per ministeria Angelorum esse collecturum cineres electorum, quæ tamen collectio cinerum ex quibus corpus formandum erit, non fiat in puncto mathematico temporis, quia non est opus tanto miraculo, unde sufficit ut in tempore hæc translatio fiat, quod tamen ob brevitatem sit imperceptibile. Alii tamen respondent Deum missurum Angelos cum tuba, qui colliget electos jam resuscitatos ut compareant ad locum judicii, quia non loquitur de collectione cinerum, sed de electorum jam resuscitatorum, & hæc explicatio probabilior videtur. Cæterum in quem locum sint particulæ corporum congregendæ varia sunt Doctorum placita, credibile tamen videtur esse congerendos ad monumenta vel in eum locum, ubi plus materiæ illius corporis remanserit. Posita hac collectione materiæ statim divina virtute corpora formabuntur, accipientque dispositiones sibi, & animæ congruentes, non tamen fiet hæc formatio in instanti indivisibili ob motum localem, quem exigit; sed brevissimo tempore, & quasi imperceptibili in cujus ultimo instanti, in quo ipsa formatio complebitur unietur anima corpori, & resurrectio complebitur. Quod si resurrectio sumatur pro unione animæ cum corpore, hæc fit in instanti, sin verò accipiatur pro tota illa operatione, qua particulæ colliguntur, & corpora humana ex iisdem formantur, tunc fiet in tempore quamvis brevissimo, ac imperceptibili, quia non solum corpus quoad extimam apparentiam, & superficiem, sed etiam singula interna membra, viscera & artus debent efformari ex iisdem materiæ particulis, quibus antea coalescebant, neque adhærendum puto asserentibus sufficere, ut ex eadem materia, & massa constet corpus; quia inde sequeretur, quòd non essent eadem ossa, eædem venæ, arteriæ, nervi, nec eadem viscera, quia non eadem esset materia harum partium post resurrectionem quæ antea fuit, consequenter non esset idem numero corpus organicum, quamvis totum corpus sit ex eadem materiæ massa. Præterea quia nulla est ratio, cur singulæ particulæ non debeant suis restitui membris, & locis, cum Deo æquè facilè sit, ac necessarium ad perfectam identitatem corporis resurgentis: si materia diversa esset non resurgerent eadem numerò membra, eadem ossa, eadem caro, & iidem artus, qui ante fuerunt, quod non videtur esse consentaneum sacris scripturis, cum dicat Iob. 19. *Rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum; quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt & non alius*; loquitur Iob de pelle carne, & oculis, seu de iisdem membris corporis, quæ tunc habebat. Status resusa non est eadem numero, sed tantum specie, quia refunditur ex eadem massa in confuso, non distinctè singulæ partes ex iisdem materiæ particulis, ex quibus primæ statuæ partes constabant.

In resurrectione igitur mortuorum respectu eorum, quæ fient immediatè à Deo dici possunt fieri in instanti, ut ait Apostolus 1. Corint. 15. *In momento in ictu oculi mortui resurgent*, id est in divisibili, ut est punctum temporis & ictus, seu nictus oculi: quia virtus infinita Dei subito operatur si velit; & resurrectio fiet virtute divina, ut docet Damascenus *lib. 4. de fide Ortho.*

Orthodox. quæ infininita eſt. Quod verò fiet ab Angelis fier tempore imperceptibili, hoc eſt breviſſimo tempore nnn ramen indiviſibili; idque ob facilitatem operandi, quæ Angelis ineſt: Deus in reſurrectione mortuorum utetur miniſterio Angelorum in iis præſertim, quæ corporaliter fieri debent: ratio eſt quia ut ait D. Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 4. *ſicut corpora craſſiora & inferiora per potentiora, & ſubtiliora quodam ordine reguntur, ita omnia corpora reguntur à Deo per Spiritum vita rationalem:* etenim in reſurrectione erit aliquid pertinens ad transmutationem corporum, ſcilicet collectio cinerum, & eorum præparatio ad reparationem humani corporis; & hoc monus Angelis demandabitur: anima autem ſicut creata eſt à ſolo Deo immediatè, ita eadem immediatè à Deo unietur corpori ſine angelico miniſterio; ſoler hoc Angelorum miniſterium vocari vox Archangeli 1. *ad Theſal.* 4. Naturaliter igitur non poteſt anima reooiri corpori, imò neque virtute Dæmonis, vel alterius Angeli: quia anima utpote ſpiritualis non ſubjacet potentiæ ulli corporali, nec Dæmoni, ex quo infertur reſurrectionem non poſſe fieri à creatura; & ſi quæ reſurrectio dicitur à Dæmone facta; non fuit vera reſurrectio ſed illuſoria, & præſtigium. Cæterum reunitur animi corpori in inſtanti, quia hæc unio fit à ſolo Deo, cujus operativæ virtuti nihil poteſt reſiſtere.

Præterea quia non poteſt eſſe ſucceſſio in receptione formæ niſi propter partes formæ introducendæ, vel propter partes corporis, qoarum una prius recipit formam, quàm alia; & neutrum in hac unione poteſt intervenire: hinc reſurrectio ſi ſumatur pro reuoione animæ ad corpus fit in ioſtanti.

Piet autem hæc reſurrectio mortuorum in valle Joſaphat. Hæc autem tria collectio cinerum, formatiu corporum, & unio animarum cum ſuis corporibus fient ad noviſſimæ tubæ ſonitum ex Apoſtolo 1. Corinth. 15. qui ſonitus adeo erit ingens, ut ab omnibus toto orbe facile audiri poſſit: ait enim Chriſtus Joan. 5. *omnes qui in monumentis ſunt audiont vocem filii Dei:* ſeu omnes mortui andienr vocem, quæ Chriſti imperio ab Angelis die univerſalis judieii edetur: *& omnes, qui audient vivent*, ſeu illico vitam accipient, ſeu anima corpori efformatn miniſterio Angelnrum unietur: ex quo colligitur quòd mortui aodituri hanc vocem excitabuntur ad vitam: & quamvis Cajetanus cenſeat, præfata verba eſſe intelligeoda methaphoricè, adeo ut mortui dicantur audire, non quod ſint percepturi ullam vocem; ſed quia inſtar audientiuoi voci illi obedient interno impulſu, ac reſurgent. Communior tamen, & probabilior ſententia eſt, mortuos auditurns ante reſurrectioneoi hanc vocem vocantem ad judicinm non tamen auribus corporis, ſed animæ impulſu, ac intellectu, ſicut Angeli, & Dæmones dicuntur voces audire non auribus corporeis, ſed Spiritus intellectu: quia mortui prius dicuntur audire, poſtea vivere: *& qui audierint vivent:* unde mortui corpore ratione animæ dicuntur audire: ad hunc auditum ſui animæ ſiſtentur corporibus, veluti impulſæ vi hujus vocis & ſtatim iiſdem unientur: hoc pacto Lazarus in ſepolchro quatriduanus audivit vocem Chriſti dicentis: *adoleſcens tibi dico ſurge.* Deus enim per hanc vocem applicavit ſuam omuipotentiam ad hunc effectum ut mortui reſurgerent.

Quòd ſi objicias, mortuos carere auditu consequenter nnn poſſe vocem audire. Reſpondetur, quod ſicut formæ ſacramentorum habent virtutem ſanctificandi non ex hoc quod audiantur; ſed ex hoc quod proferantur, alioquin ſurdi oon poſſent per ſuſcepta ſacramenta ſanctificari qnod falſum eſt: ita vox illa in die judicii quicquid dicatur eſſe, hahebit efficaciam inſtrumentalem ad reſuſcitandum; non ex eo qood ſentitur, ſed ex eo quod profertur. Præterea poteſt etiam reſponderi quod audient, ſeu ſentient vim hujus vocis, cui ſtatim obedient reſurgendo perinde ac ſi audirenr vocem filii Dei vocantis ea, quæ non ſunt, quaſi ea qoæ ſunt. Hac igitor voce congregabuntur electi ex ſingulis mundi partibus ad locum deſtinatum pro judicio; conſueverunt etiam olim Judæi ſono tubarum congregare hominum cœtus, quem morem judicat Chriſtus Matth. 24. cum ait: *Mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à ſummis cœlorum uſque ad terminos eorum:* oeq; aliter congregabunt eos niſi coovocando tubarum ſono, & quidem ex omni orbis parte quia ubique fiet reſurrectio, ut ſignificant verba illa *à ſummis cœlorum uſque ad terminos terra.* An verò plures futuræ ſint tubæ, vel una tantùm ſit ſuffectura; plures eſſe futuras docent Sanct. Chryſoſtomos 1. ad Theſſal. 4. Oecomenius S. Anſelmus in Elucidario & alii, quæ ſeotentia videtur probabilior, quia Chriſtus Matth. 24. ait: *Mittet Angelos ſuos cum tuba* ſcilicet plures Angelos, quorum ſinguli erunr cum ſua tuba: ſi una tantum eſſet tuba non eſſet opus mittere plures Angelos, quia unus ſolus ſufficiet ad unam tantom ioflandam tubam. Rurſus quia per tubam fier electorum congregatio plures eruot tubæ, ſicot & plures Angeli quorum ſinguli ad juſſum Archangeli eodem momento ubiqoe terrarum propriam ſuam inflabunt tubam: perinde ac milites in arcis obſidione ad juſſum præfecti exercitus per diſrupti propugnaculi hiatum omnes arcem adoriuotur, nituntur ingredi, & occupare. Unde D. Paulus 1. ad Theſſ. 4. ſcribit: *In juſſu & in voce Archangeli, & in tuba deſcendet de cœlo*, hoc eſt in juſſo ſeu in Imperio. An verò huic tubæ admixta erit vox illa articulata: *Surgite mortui, venite ad judicium*, plures negant, inter quos Cajetanus, Janſenius Maldonatus; eo quia ipſe tubæ ſonus hoc ipſum ſufficienter ſignificabit, adeo ut opos non ſit alia voce, perinde ac indicabit Judicis adventum tametſi voce non exprimatur. Quòd ſi dicas Chriſtum Matth. 24. aſſerere: *Mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna*, reſpondetur illam particulam & in textu illo non habere vim copulæ, ſed tantùm expoſitionis, quia textus græcus habet: *cum tuba vocis magna*: Quod verò attinet ad reprobos plurium Angelorum miniſterio opus erit, quia ut habetur Matth. 25.

Exibunt


Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum: scilicet ut transferant ad judicii locum quod brevissimo tempore ab uno tantùm fieri non potest: unde ad congregandos electos tantùm opus erit illorum ministerio Angelorum, qui tubas erunt inflaturi: ad reprobos autem quia se ipsos transferre non poterunt opus erit aliis qui illos transferant, imò non desunt, qui putent, eos transferendos esse non per bonos Angelos sed per Dœmones. Probabilior tamen sententia est, quòd erunt transferendi per Angelos æterni Judicis administros non sine speciali divinæ omnipotentiæ auxilio, ut hæc translatio celerrimè fiat, siquidem cum Dœmones sint rei, & reus reum non soleat sistere, nec præsentare judici, probabilius est reprobos esse transferendos per Angelos bonos.

Si quæras in quem locum erunt reprobi transferendi, & congregandi, respondetur Patrum, & Doctorum communiorem sententiam esse eos in valle Josaphat esse congregandos: est autem hæc vallis juxta montem Oliveti prope Jerusalem, ut deducitur ex cap. 3. Joëlis, ubi habetur: *Ecce in diebus illis, & in tempore illo cum convertero captivitatem Juda, & Jerusalem congregabo omnes Gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hæreditate mea Israel:* & nonnulli interjectis: *Consurgant, & ascendant Gentes in vallem Josaphat: quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu:* in hisce locis Prophetam loqui de extremo judicio docent communiter Patres, & manifestè deducitur ex toto contextu, agitur siquidem de temporibus novissimis, quibus convertentur Judæi, & exercitus impiorum una cum Anti-Christo delebitur, eruntque signa in sole, luna, & stellis, & Messores Angeli falcem immittent in messem, & vindemiam vineæ humani generis instituent, & impiorum torcularia sanguine & suppliciis redundabunt. Hæc omnia ad extrema tempora pertinere satis perspicuum est, & constat ex *Apocal.* 14. Quamobrem hæc mortuorum congregatio in valle fiet Josaphatea, quia congruum erat etiam aliis mysteriis, ut in illa regione ipse Judex sit judicaturus omnes homines, ubi ipse pro salute omnium fuerat iniquè judicatus, & ibi appareat ejus majestas, ubi antea visa fuit ejus abjectio, ibi splendeat ejus magnitudo, cujus humilitas habita fuerat antea contemptui, & tandem ut ibi descendat de cœlo, ubi antea ad cœlum ascenderat, & totum nostræ redemptionis, & salutis opus eodem loco, quo fuerat inceptum, absolveretur, & compleretur. Idque visi sunt ipsi Angeli indicâsse Actor. 1. quando Dominus ad cœlum ascendit è medio terræ Judæorum, non tamen censendum est totam illam resurgentium multitudinem in hac sola valle continendam esse, sufficit enim si vallis Josaphatea fuerit meditullium tantæ multitudinis, quæ longè, lateque extra vallem per circuitum dilatabitur, ac per plura & plura milliaria in omnem partem se diffundet. Josaphat interpretatur *Dominus judicabit.* Quapropter quilibet locus judicii dici potest vallis Josaphat; quia est vallis, in qua Dominus erit judicaturus. Verùm quamvis nominis etymologiam spectemus, id verum sit, revera tamen non ubicunque Dominus judicat, est ibi vallis Josaphat, sicut si nominis etymologiam spectemus Bethlehem interpretatur domus panis, & tamen non in quacunque domo est panis, ibi dicitur Bethlehem, unde vallis Josaphat, erit locus determinatus juxta montem Oliveti propè Jerusalem, & cùm scriptura asserat extremum judicium futurum in valle Josaphat, & una tantùm sit vallis, quæ hoc homine specialiter significetur de speciali hoc loco intelligendum est judicium futurum, alioquin si vellemus nominum interpretationes, ac etymologias attendere, eludi possent plures scripturarum textus, qui ut certi reverentur.

An verò sint omnes homines morituri priùsquam incipiat dies judicii, ac universalis mortuorum resurrectio cùm enim valde probabile sit plures homines victuros, cum signa apparebunt in aëre cœlo & elementis futuri judicii imminentis, oritur dubium, an omnes sint tunc morituri etiam fideles, & viri sancti, qui tunc superstites erunt, vel an absque separatione animæ à corpore sint immutandi, seu habituri corpora gloriosa, perinde, ac si non fuisset peccatum, mors non fuisset mundum ingressa, & omnes homines nulli obnoxii morti fuissent beatitate donandi. Patres non videntur in hac quæstione convenire ob bina scripturæ loca, plures enim inficias eunt omnes morituros, idque ob Apostolum Paulum scribentem 1. ad Corinth. 15. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur,* legitur enim in aliis exemplaribus extra lectionem vulgatam omnes quidem non dormiemus, omnes verò immutabimur: & ita sentiunt D. Chrysostomus *homil.* 42. Didymus Author Græcus, Theodorus, & alii plures Doctores Græci: sed Patres Latini præsertim Ambrosius, Augustinus, Fulgentius, Hieronymus, Tertullianus, & D. Thomas adhærent lectioni vulgatæ, eò quia sit conformior toti textui, & nituntur etiam, quia Apostolus 1. ad Thessal. cap. 4. ait: *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Christi non præveniemus eos, qui dormierunt.* Verum adhærentes sententiæ negativæ, quòd non omnes sint morituri præsertim viri pientissimi, respondent Apostolum ad Thessalonicenses non loqui de se ipso, siquidem certum est D. Paulum fuisse mortuum, & Romæ martyrium consummâsse, sed explicant D. Paulum fuisse locutum de Christianis qui in fine mundi adhuc vivent, & huic sententiæ videtur adhærere D. Hieronymus epist. 148. ad Marcellam ubi ait: *Hoc ex ipsius loci continentia sciri potest, quòd sancti, qui in adventu Salvatoris fuerint deprehensi in corpore in iisdem corporibus occurrant ei; ita tamen ut ingloriam, & corruptivum, & mortale gloria, & incorruptione, & immortalitate mutetur, ut qualia corpora mortuorum resurrectura sint in talem substantiam etiam vivorum corpora transferantur.* Tertullianus etiam videtur hanc sententiam approbare lib. de resurrect. cap. 4. ex illo D. Pauli 2. ad Corinth. 5. ubi scribit: *Nam & in hoc ingemiscemus &c. si tamen vestiti non nudi*

in-

inveniamur, quinimò etiam D. Auguſtinus lib. de peccat. mort. cap. 31. ob hunc textum D. Pauli ad Corinth. arbitratus fuit, nonnullos ſine morte commutandos, & glorificandos, & videtur etiam huic ſententiæ favere ſymbolum Apoſtolorum: *Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos.* Verùm per vivos, & mortuos ſancti Patres intelligunt animas & corpora adeo ut Chriſtus dicatur judicaturus non ſolas animas, quæ ſemper vivunt utpote ſpirituales, immortales, verum etiam ipſa corpora, quæ mortua erant, & reſurgent. Anima enim poteſt in cœlis eſſe, vivere, & corpus in ſepulchro putreſcere, ita ſentiunt Methodius & Didymus apud Div. Hieronymum. Alii tamen communiter cum Div. Auguſtino per vivos intelligunt bonos, & electos; & per mortuos ipſos reprobos. Verum licet neutra ſententia ſit contra fidem, ut notat Divus Thomas *in 1. Corinth.* 15. *lect.* 8. & *in* 4. *diſt.* 43. *quæſt.* 1. *art.* 4. Eccleſia tamen adhærens ſcripturis ſeveriorem ſententiam tenet, quæ aſſerit neceſſe eſt omnibus mori juxta Div. Paulum ad Hebræos 9. *Statutum eſt omnibus hominibus mori & poſt hoc judicium*, ubi Apoſtolus ait, non futurum judicium, niſi poſtquam omnes homines fuerint mortui, idque confirmat 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*, & quamvis hi textus poſſint variè interpretari, Eccleſia tamen illos de univerſali omnium hominum morte intelligit. Tum quia 1. Corinth. 15. ait Apoſtolus *omnes reſurgemus*, & neminem excipit, & Græci legunt *omnes dormiemus* hinc Tertullianus lib. de reſurrect. cap. 15. ait: *Unum opinor apud omnes edictum Dei pendet, reſurrectio mortuorum, cum audio reſurrectionem homini imminere, quæram neceſſe eſt, quid ejus cadere ſortitum ſit, ſiquidem nihil reſurgere expectabit, niſi quod ante ſucciderit.* Ratio itidem favet huic ſententiæ, qua omnes homines dicuntur morituri, ſiquidem juſtitia divina mortem inflixit ob Adæ peccatum: atqui omnes homines una excepta Virgine Matre contraxerunt peccatum originale, conſequenter ſunt omnes obnoxii morti, ac pœnæ peccati ſubjacent, ergo quotquot vivent in die judicii etiam ipſi morientur, vel in raptu, ut putant Div. Auguſtinus & Anſelmus, vel in terra, qui locus eſt morientium, ut docet S. Thomas & poſtea ſtatim canente tuba reſurgent.



CAP.

CAPUT XI.

Donantur explicatu plures circumstantiæ pertinentes ad judicium universale.

Judicium in sacris scripturis multipliciter sumitur, adeo ut aliud dicatur judicium discretionis, de quo Propheta Psal. 42. ait: *Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta*: aliud dicitur judicium damnationis, de quo Joan. 3. habetur: *Qui non credit, jam judicatus est*, & Joan. 5. *Et procedent, qui mala egerunt in resurrectione judicii*. Rursus aliud est occultum, & aliud manifestum. Illud est pœna, qua nunc unusquisque hominum aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conversionem; aut si contempserit vocationem, & disciplinam Dei, excæcatur ad damnationem, ut ait D. Augustinus *Tract. 43. & 52. in Joan.* Judicium manifestum est, ut ait idem Augustinus, quo venturus Dominus judicabit vivos, & mortuos, à quo & bonis præmia, & malis supplicia tribuentur. De his duobus judiciis videtur Dominus dixisse Joan. 5. *Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit à morte in vitam*, hoc est, non veniet in judicium manifestum, quia quod transit de morte ad vitam per aliquam afflictionem, qua Deus flagellat omnem hominem, quem recipit. Judicium occultum est. Qui autem non credit, jam judicatus est, hoc est occulto judicio jam præparatus ad illud manifestum, ut explicat D. Augustinus *Enarrat. in Psal. 9.* Judicium occultum fit in hac vita, in qua Deus flagellat filios, quos recipit, ut inde iisdem detur occasio plurima cumulanda merita. Manifestum judicium fiet post mortem, cum unicuique necessum erit resurgere à mortuis, seque ante divinum judicem sistere, ac omnium cogitationum verborum, & operum rationem reddere, ac judicis subire sententiam, hocque judicium duobus diversis temporibus fiet. Primò statim cùm quis moritur, & anima separatur à corpore; & secundò in fine mundi: ex his judiciis primum particulare, ac privatum dicitur, eò quia proprium uniuscujusque morientis, & de hoc judicio fuit locutus Apostolus, cum ad Hebr. cap. 9. scripsit: *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem judicium*, aliud erit judicium universale, eò quia uno eodemque die, & loco omnes simul homines vocabuntur, & stabunt ad tribunal summi judicis spectantibus, & audientibus omnibus hominibus, quotquot vixerunt à mundi initio usque ad id temporis, & audient sententiam in se latam: & reprobi statim à sinistris judicis stantes in terris, detrudentur in ignem æternum cum Diabolo, & Angelis ejus, electi autem obviam Christo venient in aëre, & cum ipso ingredientur regnum æternum in cœlis iisdem paratum ante mundi constitutionem, & sic semper in cœlis cum Domino erunt.

Signa, quæ adventum Christi ad judicium universale præcedent, plura erunt, & quidem insolita, & formidanda, præ cæteris erit ignis, quo orbis conflagrabit. Videtur tamen à sanctis Patribus dubitari, an ignis iste, quo mundus conflagrabit, sit antecessurus Judicis adventum, an secuturus, D. Augustinus *lib. 20. de Civit. cap. 16. & 30.* apertè indicat, hunc ignem secuturum Judicis adventum, communior tamen sententia asserit antecessurum, & hæc sententia probari solet ex scripturis Psal. 96. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra. Annuntiaverunt cœli justitiam ejus, & viderunt omnes populi gloriam ejus*, ubi priùs ponitur ignis exurens omnia postea Judicis apparitio: quod verò Regius Vates in hoc Psal. 96. loquatur de adventu Domini in judicio universali, patet, ex D. Paulo ad Hebræ. 1. Tum quia David Psal. 49. ait: *Ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus tempestas valida. Advocabit cœlum desursum, & terram discernere populum suum*: ubi ignis etiam præcedit, & judicium subsequitur, Isaiæ 16. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadriga ejus reddere increpationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus dijudicabit*. Si igitur Dominus venturus est in igne, seu cum igne, jam ignis non subsequitur, sed potius antecedit Judicis adventum perinde ac satellites solent anteire: & hoc igne æternus Judex delere incipiet mundum, perinde ac olim per aquam eundem delevit, in quo sensu intelligitur, cùm dicitur, quòd erit *judicaturus seculum per ignem*. Ex eo iisdem firmari potest, quia cùm plurimi justorum non omnino puri, ac defœdati ab omni labe, vel reatu peccati indigebunt expiatione, proinde per ignem erunt expiandi seu judicandi juxta Apostolum. 1. Corinth. 3. Et hæc expiatio, seu purgatio à labe, & reatu cordis peccati fieri debet ante Judicis sententiam, ut plenè purgati possint cum aliis rapi obviam Christo in aere, & per sententiam Judicis statim cœlum conscendere, non enim congruum esset, si post sententiam latam purgarentur, cùm sententia feratur juxta merita, & demerita, quæ vigent dum sententia profertur. Et ita videntur docere Sancti Patres, præsertim Augustinus *lib. 40. Homiliarum homil. 16.* eò quia Apostolus asserat opus cujusque igne probandum. Triplex hujus ignis est effectus, quorum primus erit dissolvere corpora omnia mixta in elementa, quia cùm omnia corpora mixta condita fuerint ad usum temporalis vitæ humanæ, hac cessante nulli erunt amplius usui, consequenter resolvenda sunt in sua principia, ex quibus compacta fuerunt, ac suis restituenda elementis. Hinc dissolventur omnia saxa, metalla, rupes, arbores, animalia, & instar ceræ omnia liquescent, imò & exuretur ipsum mare, & in illo pisces, & quidquid mixti in eodem reperitur, ut etiam in aëre quidquid materiæ erit inflammabilis. Idque colligitur ex scripturis, 2. Petri 3. *Adveniet autem dies Domini tanquam fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur*. Per cœlos intelligitur superior aëris pars plena vapore, & inflammabili habitu per elementa, quæ calore solventur, significatur mare, & inferior aeris pars, de quibus dicitur, elementa ignis ardore tabescent, quibus significatur quidquid illis inest concretionis solvendum. Non enim per cœlos intelliguntur cœli, in quibus sol, luna, & stellæ micant, sed superior aëris pars, quæ multo halitu pinguescit, ut explicat D. Augustinus *lib. 10. de Civit. cap. 18.* Secundus effectus erit, delere maculas superstites peccatorum, adeo ut labes omnes, & reatus pœnæ sint delendi per hunc ignem, idque apertè indicat D. Paulus, 1. Corinth. 3. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum,*

fœnum, stipulam; uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus, quale sit ignis, probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Loquitur Apostolus de igne non methaphorico, sed vero & reali, quia dies Domini revelabitur in vero igne, seu cum vero igne, & per verum ignem manifestabitur, & hic ignis erit probaturus cujusque opus, unde si opus alicujus fuerit sicut aurum, vel argentum, vel sicut lapides pretiosi, nisque habuerit fecis, nisque maculæ, ac materiæ inflammabilis, seu nihil dignum punitione, & supplicio, tunc nihil incommodi sentiet ex illo igne, sed statim mercedem accipiet: secus si opus alicujus fuerit lignum, fœnum, stipula, quia hæc plurima habent materiæ inflammabilis, seu multum defectûs maculæ detrimentum patietur, quia illius opus ardebit, seu mulctabitur igne propter reliquias, & reatus noxarum ipse tamen salvus erit; sed quasi qui per ignem transierit. Neque obstat hunc Apostoli textum à plerisque interpretari de igne expiatorio purgatorii: quia tametsi Apostolus primariò & principaliùs loquatur de igne extremi judicii, tacitè tamen & secundariò etiam agit de igne purgatorii, unde rectè intelligitur Apostolus de utroque igne, quia sicut in extremo judicio ignis publicus opera probabit singulorum tunc viventium, ita in judicio particulari ignis purgatorii occultus opera erit probaturus singulorum decedentium ex hac vita sine lethali noxa, quia morientes in peccato lethali statim detruduntur torquendi per totam æternitatem in gehenna ignis; qui verò omnino puri & absque ulla macula, ac reatu moriuntur, statim cœlesti donantur beatitate. Qui verò adhuc impuri sunt ob maculas venialium noxarum, vel etiam ob reatum pœnæ, quia non satisfecerint plenè pro peccatis remissis quidem quoad culpam, non verò quoad totalem pœnam; & hos non totaliter depuratos ignis expiatorius purgatorii affliget, & torquebit, donec quicquid labis, vel reatus superfuerit, deletum erit. Tertius effectus erit mundi expiatio, siquidem mundus habetur tanquam templum divinitatis, quod Deus condidit, ut in eodem ab hominibus colatur, ac debitus honor eidem impendatur, & quia hoc templum per hominum, ac Dæmonum infinita propemodum peccata fuerit pluribus maculis, fecibusque inquinatum, ideo priusquam innovetur, erit expiandum, hæcenim expiatio sicut ævo Noë facta fuit per aquam, ita nunc fiet per ignem, aptissimus enim est ignis ad purgandas feces, & quidquid repetitur impuri. An verò hoc igne omnes homines, qui tunc vivent, sint perimendi ac in cineres vertendi, plures affirmant, quia ut superius ostendimus: *Statutum est omnibus hominibus mori,* & nulla videtur ratio urgere, cur non sint morituri, præsertim cùm sine miraculo non possent in vita servari.

In hoc judicio majestas Judicis singularis erit, incipiet enim in sublimi aëre comparare Judex sensim descendens cum summa potentia, & gloria nubibus circumseptus, ut colligitur ex scripturis Matth. 24. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa & majestate,* & cap. 25. *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes.* Hoc idem indicavit Christus, cùm staret coram Concilio Judæorum, Matth. 26. *Verumtamen dico vobis amodo videbitis Filium hominis, sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli:* ex hisce scripturæ locis septenæ notantur circumstantiæ, quæ plurimum ad Judicis majestatem explicandam conducunt. Quarum prima est signum crucis, quod augusta specie apparebit in cœlo, ut colligitur ex illo Matth. 24. *Tunc parebit signum filii hominis in cœlo,* per hoc signum communiter SS. Patres intelligunt signum crucis, de quo canit Ecclesia: *Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit:* imò non desint qui putent, eandem ipsam crucem, in qua Dominus pependit, divinitus instaurandam tunc appariturum, verùm ad id plura requirerentur miracula, quæ minimè necessaria sunt ad explicandum hocce signum. Tum quia hæc crux minor esset, quàm ut toti mundo posset conspicua esse: præterea quia hoc signum crucis non apparebit, ut ab hominibus tunc adoretur, ad quod aptior esset illa, in qua Christus pependit, sed ut majestatem judicis repræsentet, & iniquos redarguat improbosque confundat. Tum quia non dicitur, quòd crux Domini erit in cœlis apparitura: sed *signum crucis*; signum autem est, quid distinctum à signato; quapropter verisimilius erit, hoc crucis signum formandum esse ex aëre & nubibus plurimo splendore coruscis, adeo ut ob loci eminentiam, ac splendorem luminis fiat omnibus conspicuum, sitque sole splendidius. Fiet hoc signum ministerio Angelorum, à quibus etiam deferetur ante ipsum Judicem venientem ad judicandum, perinde, ac ante Pontificem solet Crux deferri; vel labarum ante Imperatorem. Plura hæc crux significabit, scilicet Judicem per crucis passionem hanc sibi promeruisse potestatem judicandi omnes homines, pro quorum salute voluit cruci affigi, & ut nos à servitute liberaret peccati, ac à famulitio redimeret Dæmonis pretium voluit sui sanguinis solvere; sintque inexcusabiles, qui tantam neglexerunt misericordiam, & plus veteres confundentur Judæi, qui Christi crucem improperabant. Rursus significabit, omnes crucifixi cultores, & amatores esse tunc exaltandos, ac æterna donandos gloria; & è converso deprimendos, ac æternis addicendos suppliciis crucis osores; erit enim hæc crux in aëre medio pendula ingentes excitatura in animo præsertim impiorum motus, ac terrores incutiet; & tunc plangent omnes tribus terræ. Secunda circumstantia notatu digna est, quia Judex apparebit corpore splendido, & glorioso, suosque diffundit splendores clariores sole ac luna, ut prædixerat Isaias 24. *Erubescet luna, & confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum:* hoc est, tanta erit Judicis majestas, & splendor, ut sol possit ecclipsim pati, seque præ verecundia obducere tenebris; & luna erubescere, & non nocturnis, sed propriis obtenebrescere umbris, loquitur enim Propheta de obscuritate horum planetarum, qui veluti stellæ ad solis accessum suos non emittent nitores. Tertia circumstantia perpendenda est Christi angelicus comitatus; ut colligitur ex illo Matth. 25. *Cum venerit Filius hominis in majestate sua,* (seu gloria sua) *& omnes Angeli cum eo:* hoc idem significatur, cum Christus dicitur, venturus cum virtute multa, cum potestate magna, ac cum Angelorum pleno exercitu; perinde ac princeps dicitur cum potestate, & præpotentia adire bellum, quando secum ducit exercitum hostili numerosiorem, ac fortiorem: congruum enim videtur, ut sint angeli apparituri in corporibus splendidis; alioquin hæc Christi majestas & angelicus comitatus, nisi corporeus esset, non posset ab impiis videri: aderit etiam à dextris Judicis innumera propemodum

dum electorum multitudo in corporibus gloriosis, eruntque similes Angelis; à sinistris non tamen in aëre sicut electi, sed in imo terræ erunt reprobi, qui ingemiscentes dicent Sap. 5. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* Quarta circumstantia est, quia Christus venturus erit cinctus nubibus, ut prædixerat Daniel. 7. Aspiciebam in visione noctis; & ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat; sicut enim in cœlum ascendens, nubes eum suscepit; ita in nube descendet ad judicandos homines; imò censent plerique, has nubes fore procellosas, fulgura, & flammas ejaculantes, quod videtur regius vates prædixisse. Psal. 49. *Ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus tempestas valida:* verum si hæ nubes in parte inferiori erunt procellosæ, in superiori erunt splendidæ, & blandimento candoris oculis electorum gratissimæ. Quinta quia Judex Matth. 25. *sedebit in sede majestatis suæ*, seu in throno gloriæ suæ; pluribus in locis testatur scriptura, Christum Judicem sessurum. Daniel. 7. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit:* & tanta erit majestas sedentis in throno, ut ad ejus imperium elementa sint veluti defectura, & ad ejus majestatem peritura, novámque induitura formam, & speciem, Apocal. 21. *Et dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia.* Forma hujus throni erit ad omnem majestatem, & elegantiam constructa, qualis decet tantæ dignitatis judicem. Sexta circumstantia perpendenda est congregatio omnium gentium coram Judice, Matth. 25. *Ante illum congregabuntur omnes gentes*, seu quotquot à mundi exordio usque ad finem toto orbe nati fuerunt, Matth. 25. *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo.* Psal. 85. *Omnes gentes quascunque fecisti venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.* Et Apostolus ad Rom. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi: scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Imò etiam ipsi Dæmones adorabunt viventem in sæcula, ut ait Apostolus ad Philip. 2. *In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum:* id est, omnes erunt adoraturi Angeli boni in cœlis, homines in terris, & dæmones apud inferos; *& omnis lingua confitebitur, illum esse in gloria Dei Patris*, seu esse Filium naturalem æterni Patris, consortem ejusdem gloriæ: & tunc adimplebitur, quod Christus tempore suæ passionis dixerat Caiphæ: *Videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei*, quia Christus ob victam mortem, ac toleratos suæ passionis cruciatus sedebit in eodem throno à dextris æterni Patris. Mirabile tunc omnibus hominibus exhibebitur spectaculum; aspicient enim in sublimi aëre in corpore glorioso Judicem sedentem in throno splendidissimo circumfusum, ferme innumeris Angelorum legionibus occupantibus totum emisphærium usque ad cœli summitatem, & stipatum à dexteris ingenti beatorum exercitu, qui omnes solis instar coruscabunt; & in terris ad sinistram infinitam damnatorum multitudinem humi prostratam, & gementem, ac ejulantem furentibus in eos dœmonibus, omnémque suam rabiem in miseros illos effundentibus. Probabile enim est, dœmones tunc in corporibus varia deformitate horribilibus apparituros ad majorem incutiendum terrorem, pertinet enim ad Christi Judicis gloriam confusio reorum, & damnatorum. Alia tandem circumstantia considerand a est, quia Christus Judex non erit judicaturus homines sicut principes terræ, suos judicant subditos, sed homines judicabit ut proprios servos, & famulos ob dispoticum, ac plenum dominium, quod habet in omnes creaturas, titulo creationis, & meriti quatenus se humiliando usque ad mortem crucis meruit exaltari super omnia, ac fieri omnium Judex juxta illud Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Christus enim ut homo sibi subjecit omnes homines titulo redemptionis, quatenus pretium sui sanguinis pro iisdem redimendis à servitute Dœmonis, & à morte peccati superabundanter solvit, ac propterea sibi servos effecit, quapropter erit homines judicaturus ut proprios servos, ac propria authoritate, quam à se habet.

Cur vero præter judicium privatum de singulis hominibus, quod fit cùm homines moriuntur, & anima separatur à corpore, alterum etiam universale ac commune omnibus hominibus sit instituendum D. Thomas. 3. *part. quæst.* 59. *art.* 5. præter fidem communem omnibus Christianis aliquot assignat causas, quarum prima est, quia sicut æquè probi, ac reprobi homines quæcunque in vita agerunt, non sine corpore id effecerunt, adeo ut bona, & mala opera ad corpora etiam saltem ut ad instrumenta pertineant: ideo congruum videbatur, ut una cum spiritibus etiam corporibus debita æternæ gloriæ præmia, vel æternæ damnationis supplicia impertirentur. id autem nec sine omnium hominum resurrectione, nec sine judicio generali fieri poterat, neque sine propriis corporibus resumptis, ut æquè corpora, quæ fuerunt instrumenta bonorum operum in electis, vel pravatum actionum, & peccatorum in reprobis promeritis præmiis, vel suppliciis afficiantur, huc accersendus Tertullianus *lib. de resurrect. carnis*, ubi ait: *Dicimus plenum primò perfectumque credendum judicium Dei ut ultimum jam, atque exinde perpetuum, justum, dum non in aliquo minus, ut sic quoque Deo dignum, dum pro tanta ejus patientia plenum atque perfectum. Itaque plenitudinem, perfectionemque judicii nonnisi de totius hominis repræsentatione non stare. Totum porro hominem, & utriusque substantiæ concretione parere: idcirco in utraque exhibendum, quem totum oporteat judicari, qui nisi totus utique non vixerit. Qualis ergo vixerit, talem judicari, quia de eo, quod vixerit, habeat judicari: vita est enim causa judicii per tot substantias dispunganda, & per quod & functa est.* Alia congruentia est, quia cum piorum fama persæpè laudatur, & propi accusentur injustè; reprobi autem, & impii è contra commendentur, ac ut innocentes laudentur, videbatur ad divinam justitiam pertinere, ut innocentes ereptam sibi injuriosè apud homines laudabilem existimationem, ac innocentiam eandem in publico universorum hominum cœtu recuperarent, quando Christus Judex, ut ait Apostolus 1. Corinth. 4. *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & laus erit unicuique à Deo.* Tunc enim ut habetur Apocal. 20. libri aperientur, seu singulorum conscientiæ patebunt, & boni, quibus fuerat honor detractus, summo afficientur honore, ac Dei Filii ab omnibus agnoscentur, eorumque innocentia clarescet, & præclarè gesta cunctis innotescent, ac propriis donabuntur præmiis, ac coronis: reprobi è converso confusione affecti ob patrata peccata, quamvis occultissima, & prava desideria, ac cogitationes erubescent, & coram infinitorum hominum cœtu propria erunt delicta accusaturi, quæ occultare non valebunt; sicut enim inter homines sedente Judice pro tribunali præsentibus reis damnandis, & innocentibus absolvendis proponuntur facta singulorum, publicè coram omnibus, ut omnes ea intelligant, audiantque æquitatem sententiæ, perinde in magno illo, & supremo tribunali publicè proponentur omnia facta, dicta, cogitata, quæ præmio, vel pœna digna

erunt, adeo ut omnes, & ſinguli, de quovis intelligere poſſint quid boni, vel mali tota vita fecerit: & hæc manifeſtatio dicitur examen, & diſcuſſio judicis, quia eundem pariet effectum, ac ipſum verbale examen factum per iteratas interrogationes: ſiquidem ingeret notitiam publicam omnibus, quotquot aderunt, ut prædixit Daniel. 7. *Judicium ſedit, & libri aperti ſunt*, ſcilicet Judex ſedit, & mox omnium conſcientiæ patefactæ ſunt, & omnium opera ſive bona, ſive mala omnibus innoteſcent, ut explicat D. Hieronymus verba Iſaiæ: *Conſcientia, & opera ſingulorum in utramque partem, vel bona, vel mala omnibus revelabuntur*. & Apoc. 20. ait Joannes: *Vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & judicati ſunt mortui, ex iis, quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera ipſorum.* Libri igitur, qui clauſi erant, ſeu hominum conſcientiæ, quæ cum viverent, non apparebant, nec quid in iis contineretur, perſpicuum erat, tunc aperientur, & omnibus parebunt, & alius erit liber vitæ, in quo continebuntur geſta juſtorum, qui vitam æternam obtinebunt, & hic liber eſt memoria divina, in quia actiones omnes ſcriptæ ſunt, ac fideliſſimè ſervantur, & hic liber aperietur, cùm juſti reſurgent in corporibus glorioſis, & fient obviam Chriſto in aëre, erunt etiam in hoc libro electorum nomina ſcripta, & quisque certiſſime cognoſcet, quinam ſint electi, ac deſtinati ad vitam æternam: alius liber erit mortis, in quo nomina reproborum ſcripta ſervabuntur, & eorum delicta, ac enormitates omnibus innoteſcent, ait enim Apoſtolus 1. ad Corinth. 4. *Nolite ante tempus judicare*, (ſcilicet de iis, quæ nunc occulta ſunt) *quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo*: quæ ergo nunc latent, jacéntque obſcura in tenebris, aperientur, & lumine circumfuſa omnibus patebunt, non ſecus ac formæ rerum, & colores, qui noctu noſtros fugiunt oculos, & latent in tenebris, & mane ſolari radio circumfuſi omnibus apparent, fiuntque conſpicui. Fiet autem hæc manifeſtatio quatenus Deus illuminabit mentes omnium, ut ait D. Auguſtin. *lib. 2. de civit. cap.* 14. Tum circa propria, tum circa aliena facta & hoc eſt, quod ait Apoſtolus: *Illuminabit abſcondita tenebrarum*, quatenus quæ nunc latent, tunc apparebunt: ad id autem tria requiruntur: primò ut quisque in memoriam revocet omnia bona, vel mala, quæ egit. Secundò ut mens illuminetur ad ea æſtimanda juxta rationem juſtitiæ, ut quisque clarè intelligat, quid mereatur. Tertiò ut ſingulos etiam illuminet in ordine, ad cognoſcenda opera aliorum, & illa æſtimanda juxta rationem juſtitiæ, & adeo clare objicientur, ac ſi quisque ea perpetrari vidiſſet: ſiquidem apparebunt cum ſuis omnibus circumſtantiis, ac modis omnibus, quibus facta fuerunt; & non ſolùm ita patebunt opera externa, ſed etiam internæ cogitationes, volitiones, & ſecreta cordium, tunc enim ait Apoſtolus, *manifeſtabit conſilia cordium*, ſeu patebunt omnes cogitationes, ſive ſanctæ, ſive pravæ, omnia deſideria de objectis probis, vel impuris, & omnes intentiones, ex quibus prodierunt externa opera; non tamen hæc cordium conſilia, actúsque internos quisque videbit intuitivè, quia cùm jam præterierint, & non amplius exiſtant, non cognoſcentur immediatè in ſe ipſis: ſicut cognoſcimus ea objecta, quæ ſunt nobis præſentia, ſed tantùm eo modo, quo ea cognoſcimus, quorum perfectam habemus recordationem, perinde ac quisque recordatur eorum, quæ egit, vel cogitavit, non enim neceſſe eſt, ut intuitivè eadem geſta, quæ jam præterierunt, videat, ſed ut per refricatam memoriam eadem cognoſcat: & hac manifeſtatione peracta non erunt neceſſaria alia ſcripta, vel teſtes: ipſa enim conſcientia & lumen internum, quo quisque videbit ſua ſcelera, accuſabit ipſum, & ſimul contra ipſum teſtabitur, ac reum peraget, neque propria geſta audebit quisque inficiari, quia manifeſta fient omnibus, & ipſæ cogitationes, ſe ipſas accuſabunt, ut ſcribit Apoſtolus ad Rom. 2. inquiens: *Inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus in die cum judicabit Deus occulta hominum*, cùm igitur cogitationes, & ſecreta cordium ſint ſe ipſa accuſatura, ad majorem reorum confuſionem non dabitur iisdem locus excuſandi, quæ egerunt, neque audebunt quidquam in contrarium adferre, perinde ac iis contingit, qui cùm ſciant, quæ egerunt eſſe omnibus & Judici nota non audent tergiverſari. An verò etiam peccata electorum per pœnitentiam deleta ſint omnibus manifeſtanda Magiſter in 4. *diſtinct.* 43. cenſet, non eſſe manifeſtanda eò, quia par ſit, ut quæ hic tecta per pœnitentiam fuerint, ibi quoque tecta ſint, verùm ex ſcripturis contrarium infertur, ait enim Chriſtus Matth. 10. *Nil opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod non ſcietur*, & Eccleſiaſt. ult. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in lucem ſive bonum ſit, ſive malum*; & ſicut ſcriptura nullum excipit malum ſive tectum per pœnitentiam ſive non deletum, neque nos debemus illud excipere, & Apoſtolus 1. Corinth. 4. ait: *Nolite ante tempus judicare. quoadusque veniat Dominus*, quia tunc poterit quisque de alienis geſtis certo judicare, *quia*, ut ſubdit Apoſtolus, *tunc Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum.* Ratio itidem eſſe poteſt, quia omnia illorum bona opera ſunt manifeſtanda, conſequenter etiam ipſa pœnitentia, & confeſſio peccatorum, ipſa flagellatio & ſanguinis fuſio in ſatisfactionem, ac deletionem peccatorum, hæc omnia neceſſariò erunt manifeſtanda, ut innoteſcat omnibus æquitas judicii. Rurſus manifeſtari itidem debet miſericordia, & gratia, quam iisdem Deus præſtitit in hac vita, & cujus ope à peccatis reſurrexerunt, ac ſalutem fuerunt conſecuti, id enim videtur pertinere ad gloriam Dei. Neque viri ſancti, & electi, qui ſanguine fuſo, & pœnitentia peracta, quæ patrârunt, peccata deleverunt, pudore ullo afficientur ex eo, quòd cæteris omnibus manifeſtentur: non enim ſtatus ille beatitudinis cum ullo cohærebit pudore, vel verecundia, ſed electi omnia ſua bona opera miſerenti Deo adſcribent, cui & debitas gratias agent.

Hinc alia congruentia aſſignata à D Thoma petitur ex divina providentia, ſapientia, & juſtitia. Cum enim proſpera, & adverſa promiſcuè interdum bonis, & malis contingant ob arcanas, & adorandas Dei rationes, plures inde occaſionem ſumunt ob murmurandi contra divinam providentiam, & juſtitiam permittentem juſtos, & pios affligi, & interdum improbos, ac vitiis indulgentes pluribus diteſcere bonis, & viri etiam juſti, commoveantur ſubinde eò, quia videant improbos opibus potentes, & honoribus florentes, dixeritque propterea David Pſ. 72. *Mei autem pænè moti ſunt pedes, pænè effuſi ſunt greſſus mei*: & cauſam ſuæ commotionis adferens ſubdit: *Quia zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns*: & rurſus: *Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſæculo obtinuerunt divitias; & dixi ergo, ſinè cauſa juſtificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas: & fui flagellatus toto die, & caſtigatio mea in matutinis*, ad has oblocutiones redarguendas requirebatur generale judicium, in quo & bonis præmia, & improbis palam ſupplicia decernerentur, ut divinæ juſtitiæ, ſapientiæ, & providentiæ debita laus ab omnibus tribueretur, hinc David Pſ 36. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitates, quoniam tanquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum*

barum citò decident: quamvis improbi nobis videantur divitiis affluere bonis omnibus cumulari, citò tamen arescent perinde, ac fœnum, & herbarum olera, ut explicat Augustinus in enarratione Ps. 36. ubi ait: Quod tibi longum videtur, breve est Deo, subjunge te Deo, & tibi citò erit, olera herbarum vilia quædam sunt, & superficiem terræ tenentia, nec altam habent radicem, proinde per hyemem virent: at ubi sol æstatis fervescere cœperit, arescent. Modo ergo tempus est, hyemis gloria tua nondum apparet: sed si alta radix est veritatis tuæ, sicut multarum arborum per hyemem transit frigus, veniet æstas, id est judicii dies: & tunc arescet viror fœni, tunc apparebit arborum gloria: mortui enim estis, ait Apostolus; quomodo videntur arbores per hyemem quasi aridæ, quasi emortuæ. Ergo quæ spes si mortui sumus? intus est radix: ubi radix nostra, ibi & vita nostra, ibi etiam charitas nostra, & vita nostra, abscondita est cum Christo in Deo, quando arescit, quis sic habet radicem? quando autem erit ver nostrum? quando æstas nostra? quando nos circumvestit dignitas foliorum, & ubertas fructuum locupletat? audi quod sequitur, cùm Christus apparuerit, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria, hactenus D. August. loc. cit. qui etiam lib. 20. de civit. Dei cap. 11. loquens, de hoc universali judicio ait: *Cum ad illud Dei judicium venerimus, cujus tempus jam prope dies judicii, & aliquando dies Domini nuncupatur, non solùm quæcunque tunc judicabuntur, verùm etiam quæcunque ab initio judicata, & quæcunque usque ad aliud tempus adhuc judicanda sunt, apparebunt esse justissima. ubi hoc quoque manifestabitur, quam justo judicio Dei fiat, ut nunc tam multa, ac pœnè omnia justa judicia Dei sensus, mentesque mortalium lateant, cùm tamen in hac re piorum fidem non lateat, justum esse, quod latet.*

Alia ratio, cur generale judicium sit futurum, est, ait Thomas 3. *part. quæst.* 59. *art.* 5. ut illius metu peccatores resipiscant, & revertantur, ad meliorem frugem, & pii ejus expectatione recreentur, & non deficiant in rebus adversis, quæ ipsis contingunt, ait enim Joannes Apoc. 14. *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus*: quapropter nos monet Sapiens, ut recordemur novissimorum, quia hæc recordatio frœnum injicit pravis nostris concupiscentiis, stimulos carnis compescit, & desideria terrenorum coërcet, ait Eccles. 7. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Ut rectè vivamus necesse est, extremum universale judicium timeamus, timore tamen non servili, sed filiali, timore puro, & casto, quo David corripi ac configi optaverat, inquiens: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui*, seu ut explicat D. August. in Ps. 118. Serm. 25. *A timore tuo casto, qui permanet in seculum, saculi carnalia mea desideria comprimantur, à judiciis enim tuis timui, cum mihi lex minaretur pœnam, quæ mihi non poterat dare justitiam. Sed hunc timorem, quo pœna metuitur, consummata charitas foras mittit, quæ non timore pœnæ, sed delectatione justitiæ liberos reddit. Timor namque iste, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, quia carnalis est, & ideo non crucifigit carnem, vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas, cum verò pœna creditur secutura, latenter vivit; vivit tamen, mallet enim licere, & dolet non licere, quod lex vetat: quia non spiritualiter delectatur ejus bono, sed carnaliter malum metuit, quod minatur. Timore autem casto ipsa, quæ hunc timorem foras mittit peccare, timet charitas etiam, si sequatur impunitas: quia nec impunitatem judicat secuturam, quando amore justitiæ peccatum ipsum deputat pœnam. Tali timore carnes crucifiguntur, quoniam carnales delectationes, quæ legis litera vetantur, potiùs quàm vitantur, spiritualium bonorum delectatione vincuntur, & eadem usque ad perfectionem crescente victoria perimuntur.*

Quamvis potestas judicandi communis sit omnibus Sanctissimæ Trinitatis personis, tribuitur nihilominus Christo ut homini, & Dei Filio, cui etiam sapientia dicitur convenire. quamvis eadem communis sit tribus personis, unde Christus non solùm ut Deus, sed etiam ut homo in judicio universali omnes gentes judicabit: Joan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso; sic dedit & Filio habere vitam in semetipso. & potestatem dedit ei, judicium facere, quia Filius hominis est*: Christus igitur etiam ut homo veniet cum potestate magna, judicare vivos, & mortuos, seu electos, & reprobos illos æterna beatitate donandos hos æternis suppliciis torquendos, & quidem apparebit cum potestate magna judicaturus, quia cum magna humilitate fuit ipse à Judæis judicatus, ut ait D. August. enarr. in Ps. 85. Ipse apparebit terribilis, quia visus fuit contemptibilis, ostendet potentiam, quia demonstravit patientiam. In cruce enituit patientia, in judicio emicabit potentiâ. Apparebit homo judicans, sed in claritate, quia fuerat in charitate, propter homines redimendos. Sic veniet, dixerunt Angeli, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Forma ipsa veniet ad judicium; ideo videbunt illum, & impii: nam formam Dei non videbunt. Et ubi est, videbunt in quem transfixerunt, quia formam hominis erunt visuri, ut sint ipsi judicandi. Quòd si Christus ut homo in sua passione tacuit judicandus, in suo judicio non tacebit judicaturus. Deus enim manifeste veniet, ut ait Apostolus 1. Cor. 2. Et qui priùs occultus descendit in terram, nostra indutus humanitate: tunc manifestè veniet plenus majestate, & quidem manifestè veniet, & non silebit, quia nemo poterit ei resistere, neque ejus subterfugere judicium, quia nihil poterit ipsum latere, cujus oculi sole sunt lucidiores, ac illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Manifestè veniet, ut occultissima scelera, perniciosissima consilia verba, alterius famæ læsoria manifestabit, ante faciem illius statuentur enormitates peccantium, quæ antea post tergum latebant, ait August. in Ps. 49. *Arguam te, & statuam contra te faciem tuam. Deus noster tunc non silebit. Arguam te, modo te non vides, faciam ut videas te; quia si videres te, & displiceres tibi, placeres mihi: quia verò non te videns placuisti tibi, displicebis & mihi, & tibi; mihi cum judicaberis, tibi cum ardebis. Statuam contra te faciem tuam, quid enim vis latere te ipsum? in dorso tuo tibi es, non te vides: facio, ut te videas, quod post dorsum posuisti ante faciem ponam; videbis fœditatem tuam, non ut corrigas, sed ut erubescas. Modò ergo tu fac, quod tibi minatur facere Deus. Tolle te à tergo tuo, ubi te videre non vis dissimulans à factis tuis, & constitue te ante te. Ascende tribunal mentis tuæ: esto tibi judex, torqueat te timor, erumpat à te confessio; & dic Deo tuo: quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper: quod erat post te, fiet ante te. Ne tu ipse postea à Deo judice fias ante te, & non sit, quò fugias à te.* Neque ullâ se poterunt impii excusatione defendere: omnia Dei attributa eos accusabunt, ac improbitatis convincent: omnipotentia eos redarguet, quia non obedierint tantæ potestatis imperio, nec tanto Judicis terrentis supplicio resipuerunt; Bonitas, & misericordia eò, quia tantis beneficiis supra omnia merita collatis fuerint ingrati; Æternitas, quòd ejus perpensione neglecta nonnisi terrenis ac temporalibus inhi-

averint, & cœlestia ac sempiterna habuerint contemptui. Divina beneficentia, eò quia sanguinem Jesu Christi, pretium nostræ redemptionis irritum effecerunt; quod nullum ex Sacramentis accipere fructum, valuerint salutis; nullum ex fontibus Salvatoris haurire, adauctæ gratiæ pellucidum humorem ad æstus extinguendos concupiscentiæ; nullis admonitionibus, adhortationibus, bonis proborum exemplis se ab indulgentia vitiorum averterunt; neque prosperis, neque adversis se ad virtutis culturam voluerunt flectere; hisce omnibus testimoniis impii convincentur; poterunt cum Jobo repetere, Job. 10. *Instauras testes tuos contra me.* & tunc, *pugnabit orbis terrarum contra insensatos,* & Judex majestate æquè ac securitate terentem incutiens, scrutabitur Jerusalem in lucernis, seu exiget rationes de singulis actionibus, verbis, cogitationibus; quæ omnia omnibus & singulis patebunt, quia, ut ait Apostolus 1. Cor. 2. *Deus enim manifeste veniet,* scilicet Judex omnipotens, cui nemo potis erit obsistere. *Manifeste veniet* Judex omniscius, cujus notitiam nulla poterit occulta cogitatio subterfugere, sed omnia facta, dicta, cogitata explorata erunt. *Manifeste veniet* Judex supremus, cujus judicium nemo poterit subterfugere, à cujus sententia nulla dabitur appellatio. *Manifeste veniet* Judex sapientissimus, quem nihil latere possit, cujus oculi sunt sole lucidiores, ac propterea *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium,* seu delicta omnia, quamvis occultissimè patrata. *Manifestè veniet* Judex simul, & testis fidelissimus dictorum omnium, factorum, ac cogitatorum. Manifeste veniet Judex Sanctissimus, qui 1. Petri 2. *Peccatum non fecit, neque dolus inventus est in ore ejus,* Judex æquissimus, qui non accipiet personam cujusque, Judex severissimus, qui tunc non flectetur ad preces reorum, in quos judicium absque misericordia exercebit, eò quia ipsi neglexerint misericordiam exercere, & peccatorum omnium numerum, gravitatem, fœditatem absque ullo fuco, absque ullo excusationum velo in sua quisque conscientia intuebitur ad pœnitentiam infructuosam, quia seram, & ad confusionem æternam.

Post peccatorum judicandorum discussionem in magno illo, & supremo tribunali publicè proponentur omnia facta, dicta, & cogitata, quæ præmio, vel pœnâ digna erunt, adeo ut omnes, & singuli de quovis intelligere possint, quid boni, vel mali tota vita egerit, & hæc manifestatio propriè est examen Judicis, & discussio, quia pariet in omnibus eam notitiam, quæ solet per examen & iteratas cogitationes obtineri, neque de hac discussione ullo modo dubitandum est, cum habeatur in scripturis Daniel 7. *Judicium sedit, & libri aperti sunt:* seu Judex sedit, & mox omnium conscientiæ patefiunt, seu omnium opera, quorum homo unquam sibi fuit conscius, aperiuntur, ut expendens verba Danielis, asserit D. Hieronymus, inquiens: *Conscientia, & opera singulorum in utramque partem, vel bona, vel mala omnibus revelabuntur;* hinc Apocal. 20. *Vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & judicati sunt mortui ex iis, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum.* Peracta hac discussione, operumque manifestatione proferet Judex sententiam, & primò in electos, qui stantes in sublimi aëre ad dextram Judicis, sedentis pro tribunali audientibus, & videntibus omnibus reprobis dicens: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi,* Matth. 25. & hæc sententia voce sensibili erit à Judice proferenda, ut etiam à reprobis intelligatur, quia cùm judicium inter homines sensibili modo fieri conveniat, eò quia modus iste sensibilis sit naturæ humanæ accommodatus. Judex igitur apparebit visibilis, sedebitque in throno visibili, & omnes judicandi erunt pariter visibiles, ut & sensibilis sonitus tubæ, quo excitabuntur, & vocabuntur ad judicium, unde & sententia ipsa erit itidem sensibilis, sive proferenda sit in electos sive in reprobos, & id etiam infertur ex Isaiæ 30. *Labia ejus repleta sunt indignatione, & lingua ejus, quasi ignis devorans.* Et infra: *Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, & terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris, & flamma ignis devorantis.* Idque etiam prædixerat regius vates Psal. 76. v. 35. *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, seu faciet,* ut vox eam habeat energiam, & efficaciam, qua possit mortuos excitare, eosque sensibiliter judicare. Electos vocabit benedictos Patris sui, eò quia fuerint à Patre dilecti, & ad æternam vitam electi, eò quia divina mandata custodierint, vitiis non indulserint, & in bono perseveraverint juxta promissionem Christi, Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus,* vocabit electos benedictos Patris sui, neque hæc benedictio eadem erit, quam olim in donis gratiæ susceperunt, sed erit benedictio in participatione gloriæ æternæ, qua se dignos per auxilia gratiæ præstiterunt; & quam reprobi acquirere sibi potuissent, si divinæ gratiæ, sicut facilè poterant, & debuerant, fuissent cooperati, hinc electis tantum dicet Judex, possidete paratum vobis regnum, & tanquam hæreditatem æternam possidete gloriam, quia filii Dei estis, *quòd si filii,* ait Apostolus ad Rom. 8. *& hæredes,* adeo ut ex duplici titulo regnum cœleste sit justis debitum scilicet titulo hæreditatis, & mercedis, seu præmii, quod bene operantibus est debitum, ait enim Christus: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare,* & recensitis bonis operibus, subjungit: *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* & significatur etiam firmitas, & perpetuitas illius regni per ipsam possessionem hæreditatis, nomine enim regni intelligitur cœlum, & omnia bona, quibus in cœlo fruentur Sancti, ut sunt videre intuitivè divinam essentiam, frui infinita ejus bonitate, societatem habere cum Sanctis, dotibus ornari corporum beatorum, & bonis omnibus non fluxis, sed incorruptibilibus affluere, quia hoc regnum est electis paratum à constitutione mundi, quia mundus fuit à Deo conditus, propter gloriam Sanctorum, ut & ipsi sint in æternum beati in cœlo, ac participes bonorum divinorum. Tripliciter possumus intelligere, paratum esse Sanctis regnum. Primò ab æterno in prædestinatione divina. Secundò in creatione, quando non solùm mundus elementalis, ac inferior, sed etiam cœlum supremum, quod empireum vocatur, & sedes est beatorum, conditum fuit à Deo. Tertiò per mortem Redemptoris, qui per clavem crucis cœlum, quod antea clausum erat, aperuit electis, Joan. 14. *Vado parare vobis locum.* Sententia hæc à Judice sedente pro tribunali prolata summa perfundet lætitiâ Sanctos, & electos, qui unanimes gratias agent regnanti in sæcula, & procumbentes in genua Judicem erunt adoraturi, eò quia tantam gloriam suo sanguine eis obtinuerit, hæcque colligi facilè possunt ab iis, quæ habentur in *Apocal. cap. 5. & 7.* Deinde convertet se Judex sedens pro tribunali vultu terribili, supercilio erecto, fronte exasperata, & sententiam proferet contra reprobos, qui impiè vixerunt,

vixerunt, & ad sinistram in terra positi erunt, at jubebit eos illinc discedere, ac in gehennam detrudi æternum torquendos, Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus*: ex quibus verbis duplex infertur pœna, qua reprobi mulctabuntur, scilicet pœna damni, cum dicitur, *discedite à me*, & pœna sensus dum profertur *in ignem æternum*: est enim pœna damni privatio æternæ gloriæ, ac visionis beatæ, qua electi divinam intuentur essentiam sibi præsentem, de qua summè gaudent, & amore exardent in infinitam Dei bonitatem. Pœna sensus comprehendit illos cruciatus, quibus reprobi in gehenna per totam æternitatem torquebuntur, & eos vocat maledictos, eò quia suis iniquis operibus se obnoxios constituerunt maledictioni, ac dignos suppliciis perpetuis: non dicet Judex *maledicti Patris mei*, sicut erit dicturus *Benedicti Patris mei*, sed absolutè, & solitariè dicet maledicti: eò quia hæc maledictio suam à Deo originem non traxit, sicut ipsa benedictio, hæc enim per gratiam electis collatam invecta fuit, eum maledictio nonnisi à reproborum malitia ortum suum traxerit: non enim Deus fuit iniquis causa pravorum operum, quibus sibi maledictionem accersiverunt; sicut justis, & electis causa fuit bonorum operum, quibus benedictionem sibi promeruerunt, reprobi enim fuerunt artifices suæ maledictionis, & sibi ad gehennam viam straverunt, quia cucurrerunt semitas iniquitatum, idque prædixerat Deus per suum Prophetam Osea 13. *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Post prolatam hanc maledictionem & condemnationem ad ignem æternum dicit: *qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus*, non quod etiam hominibus reprobis ignis ille paratus non sit, sed soli Diabolo, quia utrique reprobo homini, & Diabolo paratus est: dicitur autem paratus Diabolis, & Angelis ejus, quia primò fuit Diabolo paratus, & Angelis, qui eum ipso rebellarunt, ante prævisionem hominis peccantis, ut explicant Doctores, adeo ut si non peccässet homo, adhuc ignis gehennalis præparatus fuisset, & æternes ad torquendos Dœmones. Præterea quia non statim homini peccanti paratus est ignis iste, sicut peccanti Diabolo paratus fuit, quia homini post patratum delictum à divina bonitate concessum fuit tempus ut resipisceret, ageretque pœnitentiam, qua posset, evitare hunc ignem, quod Diabolo denegatum fuit, secus homines per multum temporis post peccatum vixerunt, antequam hoc igne torquerentur.

Quid verò dicendum sit de parvulis decedentibus sine baptismo, videtur non parva esse difficultas, quia duas tantùm Judex sedens pro tribunali sententias proferet, primam in electos, quos judicabit dignos æternæ gloriæ regnique cœlestis; & aliam in reprobos, quos torquendos damnabit in ignem æternum: & parvuli decedentes cum solo originali peccato, cum propria actuali voluntate non peccavarint, non videntur comprehendi in sententia reproborum: neque in illa electorum, quia cœlesti gloria non donabuntur ob hanc difficultatem nonnulli cum Durando in 2. *distinct.* 33. *quæst.* 3. censent parvulos, qui sine baptismo obierunt non interfuturos judicio universali, ne sciant quid agatur, & tristentur ob conceptum mœrorem, videntes gloriam Sanctorum, ad quam & ipsi conditi fuerunt, & qua privantur, quia baptismo destituti. Verùm communis sanctorum Patrum, & Doctorum sententia asserit etiam parvulos, qui sine baptismo decesserunt interfuturos huic judicio, quia Apostolus ad Rom. 14. scribit: *Omnes stabimus ante tribunali Christi*, & ad Philip. 2. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum*, scilicet omnes creaturæ rationales, quæ tribus comprehenduntur ordinibus, scilicet electorum in cœlis, parvulorum decedentium sine baptismo in terris, & reproborum, ac damnatorum in inferno: neque ulla suppetit ratio, cur tanta parvulorum multitudo, quorum plures materno in alvo fuerunt extincti, & alii etiam nati decesseruot non lustrati aqua baptismi debeant excludi ab hoc judicio, ad quod gentes omnes vocabuntur, præsertim cùm ad hunc ordinem medium inter electos, & reprobos pertineant, quotquot ante usum rationis per sex millia annorum inter infideles decesserunt, uti etiam quotquot apud Indos in utero matris extincti fuerunt, vel ante baptismum perierunt, & quia probabile est hunc numerum medii ordinis ad plures, & plures milliones excursurum etiam ipsum interfuturum judicio universali, ac visuros, & intellecturos, quæ ibi geruntur: audienc enim & ipsi tubam, & simul cum aliis in ætate perfecta cum perfecto judicio, & sensibus integris resurgent. Quamobrem credibile est, esse & ipsos congregandos in unum locum seorsim ab impiis, eò quia ad eorum sortem minimè pertinebunt; videbunt enim Judicis majestatem, & eum adorabunt, eruntque visuri Sanctorum & impiorum congregationes, eorumque bona, & prava opera etiam cognoscent, & erunt audituri sententiam Judicis in utrosque, & sibi gratulabuntur, quòd non sint de numero impiorum: agentque Deo gratias, eò quia ante usum rationis fuerint è vita mortali erepti, & rapti antequam malitia mutatet intellectum illorum, si enim ad perfectam ætatem pervenissent, potior pars illorum in eaodem impiorum damnationem incidisset: & præsertim gratias agent infidelium filii, qui si ad usum rationis pervenissent, in tenebris Ethnicismi vixissent, unde non murmurabunt contra Deum, sed se maximè illi obstrictos fatebuntur, quòd à tot periculis fuerint erepti: unde excipient & ipsi sententiam judicis, sed benignam, qua tametsi à visione Dei, ac possessine cœlestis regni excludentur; in statu tamen naturæ meliorem sortientur conditionem, qua contenti, & læti in omnem erunt æternitatem victuri, Deumque & ipsi laudaturi, videbatur enim congruere divinæ bonitati, ut imaginem suam, quæ propria voluntate non peccavit bonis ordinis naturalis modo excellentiore perficeret in communi totius mundi, seu naturæ innovatione, etenim si terram, aquam, aërem & cœlestia omnia corpora ornabit, & extollet, prout magis congruum fuerit statui cujuslibet creaturæ, cur non etiam animas parvulorum, qui ex hac vita decesserunt sine peccato actuali, non erunt & ipsæ meliorem sortituræ conditionem, etenim peccatum originale, quamvis eos indignos reddat cœlesti gloria, non tamen eos destituit donis inferioribus spectantibus ad ordinem naturæ. Quamobrem credibile est, eos habituros insignem notitiam, non solùm rerum corporalium, verùm & spiritualium, ac cognituros clarè ac distinctè essentiam propriæ animæ, ut & naturas angelicas quamvis non perfectè: consentaneum siquidem, & congruum videtur, ut in illa renovatione omnium creaturarum ita animæ parvulorum illustrentur, ut proximè ad angelicam perfectionem accedant in cognoscendo res naturales; & per donum renovationis ita perficiantur, ut supremum inferioris attingat infimum superioris. Eo enim ipso, quòd animæ illæ à Deo conditæ sejunctæ fuerunt, à corpore notitiam intuitivam spirituum babebunt, quamvis non ita claram, & distinctam,

ctam, qualem Angeli habent, alioquin se ipsas non cognoscerent, neque socias, sed forent instar cæcorum in sæculo altero: hæc autem notitia in orbis renovatione ab iisdem non auferetur, quin potius perficietur in illis, sicut & cæteræ perfectionis incrementum suscipient perfectionis. Præterea, quia animæ horum parvulorum fuerunt à Deo conditæ, ut cognoscerent, amarent, & laudarent summum bonum; neque promeriti sunt privari iis donis, quibus naturaliter sunt prædıti, quamobrem congruum est credere, quòd Deus erit illustraturus intellectum, ut infinitam suam bonitatem clariùs cognoscant in ænigmate clariori ex rebus creatis: & ut hæc cognitio possit ad perpetuum amorem, & laudem creatoris deservire, debet esse dilucidior, perfectior, ac habere insignem rerum corporalium & spirituum notitiam, per quam ad excellentem rei cognitionem assurgant. Et quia in præsenti statu intellectus noster non potest quidquam intelligere, nisi sub quodam idolo corporeo, & per species sensibiles, mutuas à sensibus, ac intellectui exhibitas, in statu tamen post judicium & innovatione mundi vires omnes creaturarum perficientur, ac perfectiores elicient operationes, quapropter animæ parvulorum in illa renovatione clarius, & perfectius per ænigmata creaturarum cognoscent mundi creatorem, ejusque sapientiam in creaturarum ordinatione omnipotentiam in iisdem condendis, & ejus bonitatem impensiùs amabunt, ac Deo gratias agent pro beneficiis ab ipso susceptis: & quamvis detineantur in terris absque ullo dono supernaturali; donis tamen naturalibus, & humanæ naturæ accommodatis ditescent, ac Deum intra naturæ limites, & ut authorem naturæ glorificabunt: & ita asserunt sancti Patres de animabus istis parvulorum, qui sine baptismo obierunt, divina enim providentia ita cum illis aget, ut nullum sentiant mœrorem ob amissionem regni cœlestis, eò quia non peccaverint propria voluntate actuali, & nulla alia sint noxa infecti excepta originali, unde credibile est, ipsos excellentiori modo intra limitas naturæ esse perficiendos, ac naturalibus bonis cumulandos, ac lumine clariori illustrandos, ut Deum cognoscere, amare, ac laudare valeant, ne in æternum otientur in illo statu, in quo cessabunt reliqua omnia negotia, hinc D. Thomas *distinct.* 33. *quæst.* 2. *art.* 2. ait loquens de hisce parvulis: *Non parum participaturos de divina bonitate, ac naturalibus perfectionibus, & fore conjunctos Deo naturalium bonorum communione, & ita habituros gaudium de ipso ex cognitione, & amore naturali*, & sanctus Doctor etiam adhæret sententiæ eorum, qui docent, eos habituros perfectam cognitionem eorum, quæ naturali subjacent cognitioni. Scotus *in* 2. *distinct.* 33. *quæst.* 1. existimat probabile, parvulos illos omnium rerum naturalium habituros cognitionem longe majorem, quàm omnes Philosophi habuerunt. Lyranus in cap. 4. Eccles. expendens verba illa: *Et judicavi utroque feliciorem, qui nec dum natus est*, ait ipse: *Eos habituros vitam jucundiorem, quam in hoc mundo naturaliter haberi possit, & ita sentire omnes Doctores.*

Quamvis igitur spectata gravitate culpæ originalis sub ratione offensæ Dei potuerint parvuli decedentes absque baptismo puniri utraque pœna, damni, & sensus citra Dei injustitiam, ut docet D. Thomas in 4. distinct. 46. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 1. ubi ait: *Ad quartum dicendum, quod pro peccato originali secundum rigorem justitiæ non solum debetur natis à pro pœna carentia visionis divinæ, sed etiam ipsius annihilatio, & ideo ex hoc ipso, quod conservantur pueris non baptizatis naturalia bona citra condignum puniuntur, ac proinde ut habetur Tienor.* 3. *Misericordia Domini, quod non sumus consumpti.* Nihilominus de facto parvulos cum solo peccato originali decedentes non puniri pœnâ sensus est assertum nunc temporis adeo commune, ut absque nota temeritatis non liceat eidem adversari, & colligitur ex scripturis Apocal. 18. ubi de Babylone mittenda in stagnum ignis dicitur: *Quantum se glorificavit, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum, & luctus*: atqui parvuli, qui sine baptismo obierunt, nunquam se glorificaverunt, neque deliciosè vixerunt, consequenter non pertinent ad Babylonem, seu ad ordinem reproborum torquendorum in gehenna, consequenter parvuli decedentes cum solo originali pœnam non subeunt sensus. Præterea quia Marc. 9. de iis, qui torquentur pœnâ sensus, dicitur: *Ignis eorum non extinguetur*, dicitur etiam de iisdem, quòd *vermis eorum non moriatur*, ex quo infertur, eos non torqueri pœnâ sensus, quos non torquet vermis, seu remordet conscientia: sed parvuli, qui nunquam personaliter peccarunt peccato actuali, nil habent, quod eorundem remordeat conscientiam, ergo non est, cur debeant pœna sensus torqueri. Rursus quia Innocentius III. in *Epist. decret.* quæ habetur *lib.* 3. *decret. tit.* 42. *de baptismo, & ejus effectu cap. Majores*, ponit distinctionem inter pœnam peccati originalis, & actualis inquiens: *Præterea pœna originalis peccati est carentia visionis beatæ, actualis verò pœna peccati est gehenna perpetua cruciatus.* Ratio etiam id evincit, quia pœna debet proportionari culpæ, adeo ut si hæc fuerit sensibilis, etiam pœna eidem respondens debeat sensibilis esse: sin autem causa non fuerit sensibilis, nec pœna ei debetur sensibilis, in hoc enim sita est proportio, atqui peccatum originale non est culpa sensibilis, ergo illi non debetur pœna sensibilis, pœna autem sensûs est sensibilis, ergo parvuli decedentes cum solo originali non torquentur pœnâ sensûs. Quòd peccatum originale non sit culpa sensibilis, seu non includat sensibilem delectationem culpæ, ex eo evincitur, quia delectatio sequitur operationem, sine qua non habetur delectatio: sed peccatum originale non consistit in operatione actuali elicita personaliter ab ipsis parvulis, consequenter in ipsis nullam potuit delectationem habere, consequenter peccatum originale non punitur pœna sensus. Præterea quia pœna debet proportionari culpæ sub præcisa ratione offensæ: atqui pœna sensûs non est proportionata culpæ originali sub præcisa ratione offensæ, quia pœna sensus contingit per passionem particularis personæ, & peccatum originale non est personale, sed capitale, eò quia habeatur per voluntatem naturæ, & capitis non verò per voluntatem personalem parvuli ut sejunctam à voluntate capitis, seu Adami, qui fuit caput morale totius generis humani: & puniri per passionem personalem non proportionatur cum peccato originali, quod parvulus non commisit per propriam voluntatem personalem, ut distinctam à voluntate Adæ, sed tantùm per voluntatem ipsius Adami, ut moralis capitis totius humani generis. Præterea, quia parvuli physicè non influunt ex se in peccatum originale, quia nullum eliciunt physice actum, qui sit peccaminosus, adeo ut parvuli per nullum sensum sentiant se peccare: si igitur pœna exigit proportionem culpæ, sequitur evidenter peccatum originale non puniri pœnâ sensûs. Tum quia tormentum pœnæ sensus fuit taxatum pro mensura delectationis sensibilis culpæ, ut colligitur ex illo Apocal. 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormento-*

mentorum & luctus: atqui in culpa originali nullam parvuli fuerunt delectationem experti, ergo non exigit puniri pœna sensûs.

Dices Christus Matth. 25. non pronuntiat nisi duplicem sententiam alteram, quâ vocat Benedictos ad possidendum sibi paratum regnum, & aliam, qua maledictos mittit in ignem æternum; sed inter utramque sententiam nihil mediare, docet D. Augustinus *serm. 15. de verbis Apostoli cap. 3. contra* Pelagianos: ergo parvuli decedentes cum peccato originali vel vocandi erunt ad possidendum paratum regnum cum benedictis; vel mittendi cum maledictis in ignem æternum: atqui certum est ipsos non esse vocandos cum benedictis ad possessionem regni cœlestis, proinde erunt mittendi cum maledictis in ignem æternum torquendi pœnâ sensûs, hoc idem videtur etiam colligi ex Concilio Florentino *sess. ult. in litt. unio.* ubi dicitur, quòd animæ eorum, qui cum peccato mortali vel cùm solo originali decedunt, in gehennam descendunt pœnis cruciandæ disparibus. ergo parvuli decedentes cum originalis peccati macula torquentur pœna sensûs. Sed contra, quia Christus Matth. 25. tantum loquitur de iis, quibus dixerat: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* unde neutra sententia pertinet ad parvulos decedentes cum solo originali; sed tantùm ad adultos, qui exercuerunt opera pietatis, vel ea neglexerunt, loquitur enim de adultis peccantibus, qui non fuerunt bene operati, cùm potuerint, & debuerint, parvuli autem cùm nondum fuerint sui compotes, non potuerunt bene, vel malè operari, consequenter sententia improborum ipsos non comprehendit. Rursus dato etiam & non concesso quod etiam de parvulis decedentibus cum solo originali interminatus fuerit Christus sententiam illam *ite in ignem æternum*, non propterea inde inferretur animas parvulorum torqueri in gehenna pœna sensûs: unde quamvis concederemus etiam ipsos mittendos in ignem æternum, adhuc commodè possemus inficias ire, parvulos illos torqueri pœna sensus, quia ad id requirebatur non solùm, quòd essent in loco ignis, sed ulteriùs, quòd ignis in illos ageret, quod ibi non adstruitur. Rursus ad id, quod addebatur ex Concilio Florentino, respondetur, hanc pœnarum disparitatem in eo sitam esse, quia pueri tantùm puniuntur pœnâ damni, ut traditur *cap. Majores de baptismo* ubi Innocentius III. asserit pœnam peccati actualis esse gehennam scilicet, utramque pœnam damni, & sensus; & pœnam peccati originalis esse solam pœnam damni, seu privationem visionis Dei. Demum posset responderi ad neutram sententiam parvulos decedentes cum solo peccato originali pertinere, quia Christus adultos præsertim judicabit, quique capaces fuerunt bene, vel malè operandi, quæ capacitas in parvulis istis non fuit. Hi tamen erunt intersuturi judicio universali, ad quod pertinebunt si non quoad discussionem meritorum, saltem quoad prolationem sententiæ, quia propter peccatum capitis excludentur à cœlesti gloria Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei.* An vero sint tristaturi de amissa beatitudine, quia ecclesia hactenus nihil definivit, putârim probabilius cum D. Thoma, *in 2. dist. 33. quæst. 4. art. 2. Et quæst. 5. de malo art. 3.* & aliis Theologis nullam esse tristitiam concepturos: quia si tristarentur maxima torquerentur pœna sensûs: quia eo ipso quòd tristitia oritur ex cognitione boni amissi, quo bonum amissum est excellentius: eò tristitia est major: proinde si parvuli isti tristarentur de amissa cœlesti beatitudine, eorum tristitia, ut proportionata foret bono amisso deberet maxima esse.

Post latam à Judice sententiam statim sequetur ejus executio; quia cum Judex sit omnipotens, ejus sermo efficacissimus erit neque poterit ab ulla remorari creatura, quin statim suum sortiatur effectum: hæc autem executio duo præsertim comprehendet, quorum primum erit circa reprobos detrudendos in gehennam; ignis enim quo mundus deflagrabit summo impetu irruet in damnatos, quos utrinque ex quavis parte involvet; secundum quia terra ingenti hiatu sub eorum pedibus suum adaperiet sinum, eosque deglutiet: & tota damnatorum multitudo una cum igne involvente præceps ruet in gehennam suppliciis addicenda æternis; idque clarè ex sacris infertur scripturis Psal. 96. *Ignis ante ipsum* (seu Judicem) *præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus, in ignem dejicies eos & in miseriis non subsistent*, idest post latam à Judice sententiam ignis statim reprobos involvet, inflammabit, ac trahet in infernum. Psal. 139. *Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos in miseriis non subsistent* seu carbones igniti vi sententiæ judicis cadent è sublimi deorsum, eosque involvent qui in gehennam erunt dejiciendi, adeout unà cum igne sint reprobi ruituri in infernum per hiatum terræ, seu profundissimam foveam de qua loquens David dixit Psal. 93. *Ut mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea.* Loquitur regius vates de fovea illa in quam cadent omnes peccatores in die judicii, ut deducitur ex sequentibus. Hanc foveam quisque improbus sibi fodit aperitque cum à summo bono per lethalem noxam se avertit; quia tunc è sublimi statu divinæ gratiæ in profundum omnium calamitatum se demittit Psal. 10. *Pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum*: erit ignis iste gehennalis sulphureus, instar excitatæ procellæ, & reprobos ex quavis parte obvolvet, perinde ac in accensa fornace flammæ obvolverent in illam injectos. Matth. 13. *Mittet Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis.* Divina itidem virtute fiet ut reprobi brevissimo tempore per terræ dehiscentis hiatum sint in gehennam ruituri: & cum primum ad terminum pervenerint tunc terra firmissimè suum claudet hiatum, & in omnem æternitatem clausa manebit, nec ullus damnatorum poterit ampliùs inde exire. Eruntque hujus tragœdiæ spectatores non solum Beati, sed etiam parvuli, qui sine baptismo obierunt, quia isti manebunt in superficie innovatæ terræ, ut probabilior fert opinio.

Mundo igitur ab omni inquinamento peccatorum per ignem expiato fiet statim divina virtute mundi innovatio; neque multum impendetur temporis in hac innovatione: fiet enim in momento ad DEI nutum, perinde ac in instanti, vel brevissimo tempore facta est corporum resurrectio: hujus innovationis plerisque in locis sacræ meminerunt scripturæ Isaiæ 65. *Ecce ego creo cœlos novos, & terram novam. & non erunt in memoria priora. & non ascendet super cor* tanta erit innovatæ telluris venustas, tanta florum suavitas, arborum pulchritudo, agrorum amœnitas, aëris tranquillitas, maris malacia, ut quæ antea in deliciis habebantur quasi nihili post innovationem æstimentur. 2. Petri 3. *Novos cœlos, & novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat.* Joannes Apocal. cap. 21. *Vidi cœlum novum, & terram novam: primum enim cœlum, & prima terra abiit*; & nonnullis interje-

ctis subdit: *Et dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia:* hujus innovationis meminit etiam Apostolus ad Rom. 8. *Ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Non tamen putes cum dicuntur cœli innovandi esse corrumpenda corpora cœlestia, & in aliam abitura substantiam; quia corpora cœlestia nulli sunt corruptioni obnoxia. proinde hæc innovatio non fiet per interitum substantiæ cœlestium corporum, ac elementorum, & creationem novæ substantiæ: quia si renovatio humanorum corporum fiet in resurrectione non abolitâ priori substantiâ, sed instaurata eâdem, quæ erat antea; multo minus renovatio, quæ fiet in cœlis, & elementis fiet per corruptionem veteris substantiæ, & novæ generationem; idque videtur asserere Apostolus ad Rom. 8. ubi scribit, creaturam (seu corpora cœlestia, & elementa) *esse subjectam vanitati, & servituti* (& sub hac servitute) *ingemiscere, & expectare revelationem gloriæ filiorum DEI* nimirum ut & ipsa ab eadem servitute liberetur: sin autem esset interitura, non esset cur deberet expectare illud tempus alioquin appeteret suum interitum: nec ipsa haberet spem libertatis gloriæ filiorum Dei. Præterea quis pertinet ad opificem ita opificium instituere ut non pereat: unde videbatur etiam pertinere ad sapientissimum Artificem Deum ut suum artefactum, seu mundus ab eo conditus non periret quoad substantiam quasi corrigendus, & emendandus à prima sua effectione; sed manente eodem substantia elevetur ad statum nobiliorem, ac supernaturalem, perinde ac ipsa corpora humana, ut docet D. Augustinus lib. 20. de civit. Dei cap. 14. Peracto judicio tunc esse desinet hoc cœlum, & hæc terra, quando incipiet esse cœlum novum, & terra nova, mutatione namque rerum, non omnimodo interitu transibit hic mundus: Unde Apostolus ait: *Præterit enim figura hujus mundi.* Figura ergo præterit non natura. Etenim de corporibus cœlestibus ait David Psal. 148. *Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit* hoc est jussit, ut sol, luna, stellæ fixæ, & errantes, & aquæ quæ super cœlum sunt perseverent in suis substantiis, & naturis per æterna sæcula; & hoc DEI decretum obliterari ab ullo alio nunquam poterit: quia ut ait Ecclesiastes 3. *Didici quod omnia opera quæ fecit DEUS perseverent in perpetuum.* Quod si dicas, ex scripturis, clarè, & expressè constare cœlos perituros Psal. 101. ubi David loquens de cœlis ait: *Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Nam hæc intelliguntur de interitu secundùm externam speciem, figuram, & extimas qualitates, ut colligitur ex similitudine, quam David producit, vestimenti: vestes enim cum purgantur à maculis, quas contraxerunt, vel recentiore tinguntur colore, vel invertuntur non deperdunt quidquam substantiæ, sed solam speciem externam immutant. Veterascet cœlum die illo, quia sol obscurabitur, & nigrescet perinde ac saccus cilicinus, luna sanguineo suffundetur colore, stellæ deficere videbuntur, & cœlum ipsum instar membranæ involvi: eodem sensu intelliguntur verba illa Matth. 24. *Cœlum & terra transibunt verba autem mea non præteribunt* hoc est extima cœlorum species, & exteriæ terræ qualitates. Hinc D. Hieronymus in cap. 65. Isaiæ ait *Novos cœlos, & novam terram videbimus. Non dixit alios cœlos, aliam terram: sed veteres, & antiquos in melius mutaturos.*

Non igitur hæc renovatio consistet in mutatione essentiæ, & substantiæ, sed tantum in mutatione status, & qualitatum rerum, perinde ac in resurrectione mortuorum resurgent eadem corpora quoad substantiam, & materiam, quæ fuerat antea in corporibus cum viverent, & tantum quoad statum, & qualitates perficientur; quatenus nulli amplius erunt interitui & corruptioni obnoxia, & novas induent qualitates, ut videatur esse cœlum novum, & terra nova. Rursus in hac innovatione cessabunt motus cœlorum nec amplius erit vicissitudo illa diei & noctis, hyemis, & æstatis, quia eadem semper apparebit cœli facies, & terræ aspectus eadem aeris serenitas, & camporum pulchritudo, nubes aerem non inficient, nec venti turbabunt, nec pluviæ delabentes terræ tractus madefacient, neque grandines florescentes segetes diverberabunt, neque nives montium juga dealbabunt, quin lux solis, & lunæ, ac aliorum astrorum incrementum subibit splendoris juxta illud Isaiæ 30. *Erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum*, quæ verba expendens D. Hieronymus asserit esse intelligenda ad litteram de hac mundi innovatione post corporum resurrectionem, quinimò credibile est innumeram propemodum stellarum multitudinem quæ modo nostrum fugit intuitum, tunc apparituram ob lucis incrementum, ut novi cœli videatur speciem exhibere ob hunc enim adauctum splendorem orbes cœlestes, & elementa vel maximè illustrabuntur, ut videantur aliam induere speciem. Aqua futura erit limpida ac pellucida, ut speciem videatur exhibere purissimi Chrystalli terra itidem perinde ac aurum erit splendida, ac perspicua, & non tantùm in extima supervicie sed perquam profunda usque ad abyssum ut asserit D. Thomas in 4. *distinct.* 48. *quæst.* 2. *art.* 4. quia omnia corpora cœlestia, & terrestria eam erunt assecutura pulchritudinem, & venustatem, quæ correspondeat sanctorum gloriæ servata semper proportione inter ipsa corpora, quia quò sunt sublimiora, eò majore gloria donabuntur, ac venustiore pulchritudine orbuntur.

CAP.

C A P U T XII.

Expenduntur locus, & supplicia damnatorum.

Locus in quem reprobi post Judicis prolatam sententiam detrudentur, infernus dicitur, estque abditum quoddam receptaculum prope terraquei globi centrum, tetrum, obscurum, ad terrorem incutiendum, in hoc enim receptaculo corpora detrudebuntur damnatorum; & quamvis alia sint subterranea receptacula infernus tamen est regio infimæ terræ, & carcer deterrimus, & obscurissimus, ubi reproborum animæ, & corpora DEI visione destituentur, & perpetuo, ac inextinguibili igne cum Diabolo, & Angelis ejus torquebuntur, & hic carcer alio nomine vocatur etiam gehenna abyssus, sed frequentius in Scripturis infernus dicitur, in quo pœnas luent reprobi, & supplicia pro patratis sceleribus in corpore, & anima erunt datuti, ut communiter docent Sancti Patres, & Doctores, imò & ipsi Philosophi Ethnici, ac Poetæ asseruerunt infernum esse receptaculum sub terra, in quo delinquentes torquentur. Infernum esse receptaculum subterraneum liquet ex pluribus Scripturæ locis Psal. 105. *Aperta est terra, & deglutivit Datham, & operuit super congregationem Abiron.* Psal. 54. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes*, descendere autem perinde est, ac appropinquari terræ, centro perinde ac ascendere est ad sublimia cœlum versus tendere, hinc Apostolus ad Ephes. 4. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ*: quia sunt inferi in imis terræ regionibus Numer. 16. *Disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos, descenderuntque vivi in infernum operti humo*, ex quibus liquet locum, ubi reprobi quoad animam & corpus torquebuntur esse ingens, & vastum receptaculum prope centrum terræ, hinc Tertullianus *lib. de anima cap. 55.* ait: *Inferos Plato velut gremium terræ describit in Phadone quo omnes labes mundialium sordium confluendo, & ibidem desidendo exhalent*, & postea subdit: *Nobis infert non nuda cavositas, nec subdivalis aliqua mundi sentina creduntur, sed in fossa terræ & in alta vastitas, & in ipsis visceribus ejus abstrusa profunditas*, explicat Tertull. communem suo ævo Christianorum sententiam, quam etiam confirmat ex illo Matth. 12. inquiens: *Siquidem Christum in corde terræ triduum mortis legimus expunxisse id est in recessu intimo, & interno, & in ipsa terra operta, & intra ipsam cavata, & inferioribus adhuc abyssis substructa*: Addit postrema verba ut innuat infernum damnatorum esse infra limbum Patrum, ad quem Christus descendit: & postea concludit: *Habes regionem inferorum subterraneam credere*. Et in Apologetico, quia à plerisque hujusmodi supplicia, quibus torquentur in inferno reprobi non concedebantur, & illa asserentes erant derisui, ait cap. 47. *Si gehennam comminemur, quæ est arcanus ignis subterraneus ad pœnam thesaurus deridemur*, Loquitur de negantibus pœnas inferorum, & vocat pœnam illam inferorum thesaurum, eò quia divina justitia in illo coercetur, est enim DEI attributum, quod veluti thesaurus asservatur in receptaculo illo subterraneo inferorum. D. Hieronymus in cap. 4. epist. ad Ephes. asserit: Infernum esse locum subterraneum inquiens: *Quòd autem infernus in inferiori parte terræ sit*, & Psalmista testatur dicens: *Aperta est terra devoravit Datham, & operuit super congregationem Abiron.* Et rursus in cap. 2. Jonæ ait: *Sicut cor in medio est animalis, ita infernus in media terra esse perhibetur*, ut enim habetur Matth. 12. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*; ait in corde terræ, quia limbus, in quo detinebantur animæ justorum, qui obierunt ante Christi Adventum, est abditum etiam subterraneum receptaculum non multum distans ab inferno, ubi torquentur reprobi: & D. Augustinus lib. 2. retractationum cap. 24. in lib. 12. Genes. ad litteram, cap. 33. ait: *De inferis magis mihi videor docere debuisse, quòd sub terris sint, quam rationem reddere cur sub terris esse credantur, sive dicantur, quasi non ita sit*, retractat enim suam sententiam qua lib. 2. de civit. cap. 16. videbatur anceps hærere circa inferorum locum. Hoc idem etiam infertur ex ipso nomine inferorum, & ex modo loquendi sacræ Scripturæ asserentis impios descendere in infernum, si descendunt procul dubio in partes inferiores tendunt, tum quia hoc abditum receptaculum nullibi commodius poni poterat, quàm propè terræ centrum, siquidem in ipsa terræ superficie non fuisset carcer ille teterrimus, qualem nobis describunt Scripturæ, & Sancti Patres, aer itidem, & aqua non videntur loca idonea, in quibus carceres caliginosi, ac instituti ad terrorem incutiendum struantur, sunt enim corpora fluxa, & lucida, quæ hominibus potius adblandiuntur, quàm iisdem ullum incutiant terrorem. Præterea sicut reprobi electis opponuntur, ita congruum videbatur, ut in locis publicis etiam ponerentur oppositis, & sicut Sedes Beatorum erit in supremo cœlorum loco, ita congruum erat, ut carcer damnatorum in infimo, ac ignobilissimo terræ loco construeretur, ex quo conjicitur esse in centro terræ, vel non multum ab hinc distare.

Quanta autem sit capacitas hujus abditi receptaculi in terræ centro, in quo æternis suppliciis torquentur anima, & corpore ibi reprobi detrusi, non videtur facilè posse hanc statui, certum est enim debere tantam esse, ut possit recipere totam damnatorum multitudinem, quæ facta supputatione hominum qui vivunt vixerunt in mundo & perpensis sexaginta sæculis, quibus putatur mundus duraturus facile, si numerus damnatorum ascenderet, ut putant aliqui ad vicies, vel tricies mille milliones deducitur non esse hoc receptaculum subterraneum exiguum, neque posse angusto loco concludi præsertim cùm ibi stabuletur ingens sulphuris et ignis copia. Ribera in cap. 14. Apocal. hanc inferorum amplitudinem explicat inquiens: *Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum, & calcatus est lacus extra civitatem, & exivit sanguis de lacu usque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta.* Asserit ipse lacum hunc iræ Dei magnum esse stagnum infernale ignis, & sulphuris, cujus meminit Apocal. cap. 19. v. 20. Uvæ quas Angelus falce sua acuta vindemiavit, sunt peccatores, qui in gehenna perinde ac uvæ in torculari torquebuntur, unde Joannes Apocal. 19. v. 15. vocat infernum torcular vini iræ DEI omnipotentis. Diffusio autem sanguinis per stadia mille sexcenta non videtur posse

posse aliud significare, quàm spatium Inferni per quod tormenta, & homines torquendi se extendunt; hæc autem stadia conficiunt milliaria italica ducenta, adeo ut sit structura inferni in sententia Riberæ ita designanda, ut in centro terræ sit vastissima cavitas, seu abditum receptaculum, cujus planities ita extendatur, ut latitudo ejus per diametrum sit quadringentorum milliarium italicorum, in cujus medirullio sit stagnum amplum, ac profundissimum plenum igne sulphureo, in quo majores peccatores torquebuntur. Verùm hæc sententia nonnullas patitur difficultates, quia si tanta est vastitas loci illius ut blanties ejus habeat quadringenta milliaria italica in diametro, videtur hoc spatium poni frustraneè, eò quia non sit necessarium, quia vigesima pars hujus spatii videtur sufficere, quamvis duplo plures essent damnati, quàm assignentur à Ribera: non enim damnati in illo receptaculo erunt ita disponendi, ut possint spatiari per loca, ac pedibus insistere, & huc, illucque discurrere, sed erunt coacervandi in cumulum perinde ac carbones ardentes, ut scriptura indicat: siquidem angustia carceris & mutua rerum compressio pœnarum adanget acerbitatem. Præterea si tanta esset illius receptaculi subterranei vastitas, non esset in corde terræ, & plurimum deberet à centro ejusdem distare. Rursus cùm terra elementum sit natura sua solidum, ac infimum credibile est Deum in terræ centro majores fecisse cavitates, quàm sit necesse ad finem sibi propositum. Demum quia ad torquendos reprobos videtur sufficere stagnum ignis, & sulphuris, cujus meminit Scriptura Apocal. 20. v. 15. *Qui non est inventus in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Quamobrem credibilius est nullam in receptaculo illo inferorum esse planitiem per quam reprobi possint spatiari, vel consistere; sed esse cavitatem in medio terræ, & in illa stagnum sulphuris ardentis, cujus frequenter meminit Scriptura. Quod verò ad magnitudinem hujus receptaculi attinet, tamensi ejus diameter esset quatuor milliarium italicorum, seu pedum viginti millium, satis capax videretur non solùm ad omnia damnatorum corpora excipienda, sed etiam ad multitudinem decuplo majorem: sed quia nihil certi nec de numero damnatorum, nec de magnitudine hujus receptaculi possumus definire nobis sufficiat asserere infernum esse abditum receptaculum propè terræ centrum in quo animæ, & corpora damnatorum per æterna sæcula torquebuntur.

Quibus verò suppliciis, ac instrumentis pœnarum sint damnati in inferno excruciandi duplicem solent Theologi pœnam distinguere sensus unam, alteram damni, illa est, quæ infertur à causis extrinsecis, ut à conditione loci à teterrimo odore ab igne comburente, & non destruente, à sulphure horrore tenebratum, planctu horritono, ac dæmonum immanitate. Omnes enim dolores, tristitiæ, afflictiones tum animæ, tum corporis, provenientes immediatè à causis præfatis ad pœnam sensus dicuntur pertinere. Alia quæ pœna damni dicitur sita est in sola privatione æternæ gloriæ, & omnium bonorum, quibus fruuntur Beati. Prius igitur expendenda erunt, quæ ad pœnam sensus pertinent, & quæri solet an in illo inferni receptaculo sit verus, & realis ignis. Ex Hæreticis Calvinus, Beza, & plures Calvinistæ in ea fuerunt sententia, ut putaverint rerum, & realem ignem aut sulphur non esse in inferno, & Scripturas expressè asserentes ibi adesse ignem, & sulphur, ac tenebras esse intelligendas non in sensu proprio, sed metaphoricè, & nihil aliud significare, quàm miserum illum statum reproborum, quorum miseriam in eo tantùm ponunt, quòd apprehendant Deum sibi iratum: & hanc apprehensionem per quam amplificant, & exaggerant, dicantque esse formidabilem abyssum, & inde concludunt pœnas inferorum nil aliud esse quàm vanas apprehensiones, ac panicos terrores, adeo ut Deus nihil ipsis inferat mali, & ejus ira sit extrinseca. Quò nil detestabilius potuit excogitari ad deludendas, & habendas contemptui pœnas inferni, eò enim ipso, quòd Deus damnatis in inferno nihil mali infert patum videntur ipsius iram curare, neque habent, quo inde turbentur, aut timorem concipiant: si enim in hac vita rei fures, homicidæ certò scirent Principem non posse illis inferre ullum supplicium, sed totam illam pœnam esse illius iram; parum curarent rei iram Principis, nec desisterent à furtis, & homicidiis, aliisque delictis, nisi putarent illum posse patibulo, vel capite damnare, aliisque acerbioribus pœnis torquere: Ut igitur Hæretici pœnas eluderent inferni laxiorem que ad peccata cumulanda viam sternerent asserere sua sunt totam impiorum pœnam in eo sitam, ut Deum apprehendant sibi iratum, & gehennæ cruciatus aliud non esse, quàm vanas apprehensiones & puerorum terriculamenta contra sacras Scripturas, Sanctos Patres & lumen naturæ. Omissis igitur hisce erroribus

Dicendum est in abdito illo receptaculo propè terræ centrum, quod infernus dicitur, esse verum, & corporeum ignem, quia quoties Scripturæ de pœnia inferorum loquuntur meminerunt ignis, quem inculcant: & in ipsa Judicis sententia etiam pœna ignis exprimitur, quod non fieret, si vero & reali igne non essent reprobi excruciandi. Tum quia quando aliquid in Scripturis metaphoricè dicitur non semper eodem modo exprimitur, neque iisdem verbis, sed quod in uno loco per metaphoram, in alio propriis verbis exprimitur: & hic ignis semper nomine ignis urentis corpora damnatorum exprimitur, ergo nulla suppeditratio asserendi ignem cujus meminit Scriptura, esse intelligendum metaphoricè, non propriè. Hinc Christus Matth. 25. proferens sententiam in reos dicet: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, quia paratus est diabolo, & Angelis ejus.* Neque obstat, quòd Diabolus & Angeli sint Spiritus incorporei, in quos non agit ignis corporeus, ac proinde ignem paratum diabolo, & Angelis ejus esse incorporeum, ac intelligendum metaphoricè. Contra est, quia ad urendos Spiritus incorporeos non assignatur hæc substantia spiritualis, & incorporea, sicut ad urenda corpora datur ignis corporeus: siquidem ut docet D. Thomas omnis substantia eo ipso, quòd est incorporea est immaterialis, & intelligens ac naturæ Angelicæ. Unde ignis, qui in gehenna torquet Dæmones & animas damnatorum est corporeus, qui aptissimus est ad puniendos Spiritus, quia possunt isti igni alligari, ac in igne detineri perinde ac in carcere, & pati dolores acerbissimos, seu vehementer tristatiex ejus præsentia, vel quia eidem etiam subjiciantur, ut fusè explicuimus in *Tom. 4. Theolog. in Tract. de pœnis Angelor.* Variè enim possunt spiritus igne corporeo torqueri, ubi ibi explicuimus. Quamobrem inhærendo vero sensui Scripturarum ignis paratus diabolo & Angelis ejus, corporeus est, & non spiritualis, verus & realis, non metaphoricus. Firmari ex eo etiam potest, quia per illum ignem paratum diabolo, & Angelis ejus, non solùm dæmones torquebuntur, sed etiam corpora damnatorum, proinde ignis erit corporeus, quia ignis spiritualis vel metaphoricus

aptus

aptus non videtur ad corpora torqueoda & Scripturæ semper loquuntur de vero igne corporen, & materiali torquendis corporibus perapto. Matth. 3. *Omnis arbor, qua non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*, & nonnullis interjectis: *Congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili.* Præterea Christus Matth. 13. ad id confirmandum proponit parabolam zizaniorum inquiens: *Sicut colliguntur zizania, & igne comburuntur, sic erit in consummatione sæculi, mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem; & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & stridor gentium*, ubi per scandala intelliguntur ii omnes, qui aliis sunt occasio peccandi, vel doctrinâ ut Hæretici, vel consilio, ut perversi consiliarii, vel blanditiis ut meretrices, vel suasionibus, & exemplis ut mali socii: per eos, qui operantur iniquitatem, intelliguntur alii peccatores, qui sibi tantùm fuerunt causa peccandi: hi omnes perinde ac zizania io fasciculos colligentur, & in ignem mittentur scilicet in ignem materialem corporeum. Ponit etiam Christus Matth. 13. aliam parabolam, qua expressè significat hunc ignem materialem, estque parabola sagenæ missæ io mare, & ex omni genere piscium congregantis, sicut enim piscatores jactum rete ad litus trahunt, & intus captos pisces seligunt, dividuntque bonos, quos in vasa collocant, à malis, quos abjiciunt, ait Christus: *Sic erit in consummatione sæculi exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium*, ad exprimendam acerbitatem doloris, & cruciatus, & Marci 9. habetur: *Si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam, bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*, cùm igitur semper in sacris Scripturis locutio fit de igne inextinguibili, quatenus erit perpetuò duraturus, quia nunquam deficiet materia pabuli, seu sobterraneus sulphur, utique ignis gehennalis dicendus est corporeus, & damnatorum corporibus torquendis peraptus. Christus enim explicat infernum per ignem inextinguibilem, & reprobos per zizania simul collecta, & comburenda igni injecta, & repetit *ubi ignis eorum non extinguitur*, ut significet verum ibi esse ignem, qui semper ardeat, utatque, noo verò metaphoricum: siquidem in fine parabolæ ait: *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur*, indicat causam, cur peccatores sint igne torquendi: sicut omnis victima, quæ Deo offerrebatur juxta præscriptum legis sale erat aspergenda juxta illud Levit. 2. v. 13. *Quidquid obtuleris Sacrificii sale condies*: Omnes peccatores veluti victimæ divinæ justitiæ sacrificabuntur, & igne veluti sale condiendi eront: in sacris Scripturis peccatores victimis comparantur, & ignis sali, & impiorum punitio sacrificio Isaiæ 34. *Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom*, quia sicut victimæ occidontor, & igne absumuntur in honorem Dei ad peccata expianda, & iram divinam placandam: ita tota iniquorum multitudo æterno igne cremabitur, & eorom delicta quantum fas est, suppliciis expiabuntur, ut ira divina quasi hâc satisfactione exhibita conquiescat. Jeremiæ. 46. *Victima enim Domini exercituum in terra Aquilonis juxta flumen Euphratem*, & Ezech. 39. *Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis victimam grandem super montes Israel*: perinde igitur reprobi in gehenna igne torquebuntur, sicut victimæ Deo immolatæ igne cremantur. Rursus ignis gehennalis etiam pariatur sali, cui vis quædam ignea inest, qua urit absumit humiditatem radicem corruptionis, & conservat corpora, unde sicut sal urit, ita ignis gehennalis comburet corpora damnatorum, ita tamen ut nunquam sint consummanda, sed jugiter iotegra servanda. Rursus Apocal. 14. habetur: *Si quis adoraverit bestiam, seu si quis consenserit Anti-Christo, cruciabitur igne, & sulphure in conspectu Angelorum Sanctorum, & ante conspectum Agni, & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum*, non poterat expressius ignis corporeus emittens fumum ex sulphure describi: & cap. 20. dicitur: *Qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*, & cap. 21. *Timidis autem, & incredulis & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendaciis pars illorum erit in stagno ardente igne, & sulphure, quod est mors secunda*; Seu mors non amplius morti obnoxia, quia æternum duratura, est autem hæc mora ipsa pœna gehennalis nunquam cessatura. Fit etiam ignis gehennalis mentio in veteri Testamento Judic. 16. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque ad sempiternum*, scilicet ultor DEUS dabit ignem, & vermes io corpora damnatorum, ut cruciatus ignis sentiant usque ad sempiternum, seu per æterna sæcula nunquam finienda, Hinc David Psal. 10. *Pluet super peccatores laqueus ignis, & sulphur & Spiritus procellarum pars calicis eorum*, & Psal. 20. *Pones eos, ut clibanum ignis in tempore vultûs tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.* Hoc est in die quo Dominus iram suam declarabit, seu in die Judicii, omnes reprobos à se aversos igne involvet, ita ut ipsi instar clibani ardeant, & statim in gehennæ carcerem detrudet sempiternis toquendos suppliciis, & tunc ignis deglutiet eos, seu involventur igne, & ac si deglutiti ab igne essent, nil ex ipsis apparebit nisi ignis; perinde ac aquis immersus non amplius apparet aquis absorptus. Psal. 139. *Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent*, seu noo amplius resurgent, ut legit textus Hebraicus: Hæc autem supponunt ignem esse corporeum: Hinc D. Augustinus lib. 21. de civit. cap. 10. quamvis videatur anceps hærere circa illam flammam, de qua Luc. 16. dicitur: *Crucior in hac flamma*, absolutè tamen definit ignem gehennæ corporeum esse inquiens: *At gehenna, quæ etiam stagnum ignis & sulphuris dicitur, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum*, cui adhærens Sanctus Gregorius lib. 4. dialog. cap. 29. ait: *Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari.* Neque obstat quod opponat ignem gehennæ nostro igni; quia oppositio non est, quia unus sit corporeus seu noster, & ignis gehennæ incorporeus; sed quia noster igois indiget pabulo foveri ut ardeat, & ignis gehennæ nullo indigebit fomento ut conservetur, & torqueat corpora damnatorum, semel enim ab initio conditus servabitur inextinguibilis; & in hoc sensu dicuot SS. Patres quòd ignis gehennæ non sit materialis sicot noster, non quod sit materialis & corporeos, sed quia licèt sit materialis, corporeus est ipse, non tamen erit sicut noster, quia noster ignis ut servetur indiget alimento foveri; ignis verò gehennæ, ut duret nullo indigebit pabulo in hoc sensu dixit Damascenus

ſcenus de fide urthoduxa cap. ulr. *Impiet & peccatores projectudos in ignem aternum, non materialem, qualis eſt apudnos, ſed qualem novit Deus.* Et divus Thomas *in 4, diſt. 44. q. 3. art. 2, ad 1.* ait ignem gehennæ non eſſe materialem ſicut apud noa. Unde conſtat apud Inferos eſſe verum, ac realem ignem materialem, & corporeum qualis eſt apud nos quamvis alias qualitates ſit divina virtute induhurus: rurſus bunc gehennalem ignem eſſe ſulphureum, ut liquet ea Pſal. 10. Iſa. 30. Apocalyp. 14. 20. & 21. conſtar etiam Geneſ. c9. Sodomam, & finitimas civitates ſulphureo igne fniſſe ſubverſos, & abſumptas; eſt enim ſulpbur aptiſſimum impiorum punitioni, ob vim igneam ſibi inſitam, quâ facilè, & vehementer easrdeſcit, & propter odiis tetri acrimoniam, quæ fœtori adaprarar peccatorum: & quia reprobi, ac impii variis peccatorum fœditatibus coinquinârunt proprias animas, & corpora, quæ dicuntur animarum domus, congruum ecat, ut ſulphureo torquerentur igne, eum teſte Plinio *lib. 35. cap. 15.* ſulpbuce conſueverint olim priſci homines uti in domorum expiationibus: ſupplicium enim reproborum quoddam eſt genus expiarionis, qua divinæ juſtititiæ impii ſatisfaciunt.

An verò in gehenna præter ignem, & ſulphur erunt quoque nives & gelu; plures putant eſſe in gehenna etiam rigidiſſimum frigus, ur impii ad majus ſuppliciorum incrementum ex ſtagno ignis transferantur in ſtagnum nivis; & hinc iterum trahantur ad ſtagnum ignis, ut per has mutationum vices acriùs torqueantur. Propugnantes banc ſententiam nituntur verbis Job. 24. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium, & uſque ad inferos peccatum illius*; huic placito viſus eſt adhæſiſſe S. Hieronymus in cap. 10. Matth. expendens verba illa, *ſed potius timete eum, qui poteſt, & animam, & corpus perdere in gehennam.* aſſerit enim *duplicem eſſe gehennam nimii ignis, & frigoris in Job pleniſſimè legimus.* Beda itidem in commentario illius loci Job. 24. ait: *Quaſi duas gehennas Job dicere mihi videtur ignis, & frigoris: per quas diabolus hareticus, & homo impius commutentur*; huic ſententiæ viſus eſt etiam adhæſiſſe D. Auguſtinus lib. de triplici habitaculo cap. 2. ubi ait: *Principaliora duo ſunt tormenta in inferno frigus intolerabile, & ignis inextinguibilis.* Verùm hunc librum de triplici habitaculo plures negant eſſe D. Auguſtini, eo quia in judice non adnoretur, & ſtylus diſcrepet ab illo Auguſtini, qui de hiſce arcanis non ſoleurram abſolutè pronunciare. Probabilius cenſerem in gehenna non dari tale frigus, & potior doctorum pars cenſet cum Abulenſi *quaſt. 559. in cap. 25. Matth.* Dominico Soto *in 4. diſt. 10. art. 4.* Primò quia Scriptura ubi de gehenna diſſerit, nunquam meminit hujus frigoris, ſecundò quia ſi apud inferos eſſet illud ſtagnum aqua nivis, dives Epulo non petiiſſet ab Abrahamo guttam aquæ à Lazaro ſibi dandam causâ linguæ refrigerandæ. Tertiò quia illa viciſſitudo, eſſet potius in refrigerium, quàm ſupplicium: qui enim nimio calore æſtuat, petit refrigerari aqua. Quartò, quia cùm frigus inducat ſtuporem non videtur inſtrumentum aptum corporibus impiorum torquendis, ſtupor enim ſenſus mortificat, ne ſentiant dolorem. Neque obſtant verba Job, quia hæc non ſunt aſſertoria, ſed imprecatoria pœnæ temporalis in adulteros: ait enim Job loquens de adulteris: *Maledicta ſit pars ejus in terra nec ambulet per viam vinearum*, ſed in locis inviis, abruptis, ac deſertis omni deſtitutis amœnitate, perpetua laborantibus ſterilitate, *ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium*: uratur gelu, obrigeſcat nive, & affligatur omnibus hujus vitæ ſuppliciis: & *uſque ad inferni peccatum illius*, pœna enim adulterii gravior eſt, ac diuturnior proinde uſque ad ſepulchrum, vel etiam donec adulter rapiatur in infernum, quapropter poſſunt verba Jobi ea Hebraico textu ita verti: *aſtus, & calor rapiunt aquas nivis ſepulchrum peccatores*, adeò ut ſenſus ſit, quòd ſicut terra æſtuans, & calor aquas aſſumunt liquatæ nivis; perinde infernus eos, qui peccaverunt, ut notat Pineda in Job.

An verò ſint in gehenna vermes rodentes corda damnatorum, & vorantes, & mordentes eorum corpora plures affirmant ob aliquot Scripturæ loca præſertim Judic. c6. *Dominus vindicabit in eis in die judicis viſitabit illos: dabit enim ignes, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & ſentiant uſque in ſempiternum*, eſt enim ſermo de hoſtibus adverſantibus populo Dei, quos æternus judex erit in die judicii damnaturus ad æterna ſupplicia in gehenna, ubi præter ignem erunt vermes rodentes carnes eorum. Eccleſ. 7. *Memento iræ, quoniam non tardabit, humilia valde ſpiritum tuum, quia vindicta carnis impii ignis & vermis.* Meminit etiam hujus vermis torquentis corpora damnatorum Iſaias ult. ubi ait: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Quia ſupplicia damnatorum erunt perpetua, proptetea vermis eorum non morietur, ſed per æterna ſæcula erit duraturus ad rodenda corpora impiorum. Nihilominus probabilius cenſerem non eſſe in gehenna vermes corporales rodentes corpora damnatorum, & loca Scripturæ aſſerentia dari ibi vermes, eſſe intelligenda, de remorſu conſcientiæ, ſeu perpetua accuſatione, qua impius cognoſcens ſua delicta triſtatur, ac ſentit conſcientiæ morſum, ita enim explicat vermes gehennales S. Ambroſius *in cap. 14. Luc.* D. Hieronymus *in cap. ult. Iſaia.* S. Auguſtinus *lib. 21. de civit. cap. 9.* ubi fusè diſſerit de hac quæſtione, & quamvis videatur quaſi anceps hærere, magis tamen propendet in ſententiam aſſerentium per vermes gehennales intelligi remorſus conſcientiæ. Ratio itidem videtur ſuadere, non dari hos vermes gehennales: ſiquidem morſus vermis eſt ſupplicium nimis tenue, & cruciatus valde imbecillis ad torquenda corpora reproborum præſertim reſpectu doloris, & cruciatus, quem ignis cauſat, unde non videtur viliſſimas has beſtiolas continuo miraculo aſſerere viventes in igne gehennali ad eum duntaxat finem, ut corpora corrodent, & excrucient damnatorum, eſt enim morſus vermium perquam exiguus, adeo ut videatur moleſtiam potius adferre, quàm acrem cruciatum advehere. Quòd ſi reproborum corpora ex morſu beſtiarum torquerentur, accerſendi potiùs eſſent ſerpentes lethali veneno infecti, & dracones aſpectu horribiles, & dentibus voraces. Cæterum tormentum, & dolorem, quem reprobi in gehenna ex igne ſulphureo experiuntur, eſt adeò vehemens, & acer, ut morſus beſtiarum parum vel nihil adferant doloris, quia ubi eſt dolor acrior, eſt major, minor minus ſentitur. Quamobrem quoties Scriptura meminit ignis, & vermis ſimul per vermem debet intelligi, quid aliud à vili illa beſtiola quod cum igne ſimul torqueat reprobos: & hoc aliud non eſt, ait D. Thomas, quàm ipſe conſcientiæ remorſus, ſeu ipſa æterna accuſatio delictorum, quæ dicitur vermis, eò quia ex putredine naſcitur peccatorum, & perinde animam corrodit, ſicut vermis ex putri carnis enatus corpus humanum mordet, & corrodit: & quia remorſus iſte nunquam erit ceſſaturus, ideo vermis gehennalis dicitur, quòd nunquam morietur. Ex quo duplex dolor corpora reproborum torquebit, & corda eorum veluti vermes infeſtiſſimi corrodet: & erunt, quia ex propria mali-

malitiâ ac stultitia à summo bono se averterint, & ad fucatas mundi delicias se converterint, quod deseruerint pelucidum fontem aquæ vivæ, & cisternas mundi dissiparas biberint, quòd neglexerint sibi comparare æternam in cœlis gloriam, ut bonis momentaneis, ac personatis adhærerent, hujusmodi accusationes, & hi mœrores vermes sunt acerbissimi, quorum morsus præcipuum est damnatorum tormentum, quos plus affligit apprehensio totius æternitatis & amissio ea tua culpa æternæ gloriæ, quàm ipse solitarius ignis: hæc igitur geminus cognitio est duplex dolor, quæ è verme gehennali enascitur. Quòd si dicas has cogitationes naturaliter sequi ex ipsa sententia damnationis. Contra est, quia tametsi aliquo modo sequuntur ex tali sententia, non tamen erunt continuæ, nec ita acerrimè torquebunt, nisi quid aliud iisdem addatur; hinc Deus peculiari influxu efficiet, ut in gehenna degenti clarissimè, & continuè cognoscant, & apprehendant summum bonum, à quo se averterunt, & supplicia æterna in quæ se injecerunt, adeò ut non possint ab hisce duabus cogitationibus mentem retrahere, ut dolor sit acrior; quò enim apprehensio alicujus ingerentis tristitiam est clarior eo dolor fit acrior. Neque obstant præcitata Scripturæ loca ad illud Judic. 16. respondet D. Thomas per carnem ibi intelligi animam, sumitur enim subinde in scripturis caro ad significandum totum hominem, ut Isaiæ 1. *Omnis caro fœnum*, seu omnis homo. Joan. 1. *Verbum caro factum est*, scilicet Deus factus est homo, unde caro utramque partem, ex qua homo coalescit, significat animam scilicet, & corpus; & hic tantùm animam. Vel etiam sumi potest caro Hebraica phrasi pro toto homine, adeo ut sensus sit, cùm Dominus veniet judicare vivos, & mortuos, tunc impii erunt resurrectuti, ut lua e pœnas etiam in pelle, proinde dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut eorum corpora urantur igne, torqueantur remorsu conscientiæ; ita hoc sensu etiam dicitur Eccles. 7. *Vindicta carnis impii*, seu damnati carne induti; etiam Apostolus sumens carnem pro toto homine scribit 2. ad Corinth. 7. *Nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus, foris pugna, intus timores:* pouitur timor pro afflictione carnis, seu hominis constituti in carne passibili.

Quia verò in gehennæ receptaculo dicuntur esse tenebræ, & fumus, fletus, & stridor dentium expendenda sunt hæc omnia, & quidem receptaculum illud gehennale esse tenebris involutum ac perpetua caligine obscurum, indicat Job. 10. ubi describens inferorum eum vocat *terram miseriæ, & tenebrarum operiam mortis caligine, ubi sempiternus horror inhabitat*, aliis etiam in Scripturæ locis mentio fit hujus caliginis, & tenebrarum præsertim Ecclesiast. 21. *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœna*, & Matth 8. Christus loquens de Judæis incredulis, ait; *Ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium*, ubi per tenebras exteriores significatur infernus, vocantur hæ tenebræ exteriores, eò quia sint extra locum convivii, seu extra regnum cœlorum, Ratio etiam videtur hoc idem suadere, quia cùm reprobi, & damnati neglexerint lucem spiritualem, seu divinam gratiam amplecti, ac bene operari, & maluerint cœcutire, ac bonis munus larvatis, fucatisque voluptatibus adhærere, meritò debuerunt destitui etiam luce corporali. Quòd si dicas in gehenna jugiter esse ignem ardentem, & ubi ignis, ibi etiam splendor, & lux. Respondetur ignem gehennalem utpote sulphureum parum, vel nihil emittere splendoris, & lucis, quæ mœstitiæ erit plena, & suo repercussu pallorem & tristitiam excitabit. Rursus hanc tenuissimam lucem obumbrabit etiam nebula, seu fumus sulphureus, quo omnia opplebuntur, ut ait Joan. Apocal. 14. *Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum:* imò credibile est eodem fumo ingentes esse procellas excitandas, cùm David Psal. 10. id videatur asserere: *Ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum*, ut etiam Apostolus Judas in sua epistola inquiens: *Quibus procella tenebrarum servata est*, & Isaiæ 30. *Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens ea*. Siquidem in gehenna erit fletus & ululatus immensus, sine tamen lachrymarum fusu, quia tunc corpora, quæ resurrexerunt nullam sentiunt humorum resolutionem, quia Deus non permittet corpora illa dissolvi, ut jugiter pati possint; non enim ad dolorem est necessaria effusio lachrymarum, sed sufficit corporis perturbatio, qualis in amarissimè flentibus esse solet, fletus enim damnatorum signum erit summæ tristitiæ, ut & stridor dentium summi doloris, quem reprobi sentient ex ustura ignis. Triplex in damnatis erit afflictio. Primò quia sentient acerrimos dolores in toto corpore interius, & exterius, nec ullum erit membrum, quod valeat à dolore vacare. Secundò erit etiam summa animi tristitia ex consideratione malorum, in quæ ob neglectam divinam gratiam se injecerunt. Tertiò erit etiam summa tristitia ex consideratione bonorum, quæ cùm potuerint sibi comparare, stultissimè amiserunt, hinc duplex est damnatorum pœna, una quæ dicitur sensus sita in suppliciis & doloribus, quos per singula corporis membra exterius, & interius experientur, de qua pœna ait David Psal. 20. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui*, scilicet ut ardeant sicut ligna in clibano, & torquerantur, unde subdit: *Devorabit eos ignis*, quatenus toto corpore dolebunt, & igne immersi, ac sepulti, ut de Evangelico divite habetur Luc. 16. *Sepultus est dives in inferno*, id est, totus absorptus, ut nullum possit exterius illi accedere refrigerium, unde corpora damnatorum nullum poterunt levamen unquam sperare: nec quidquam solatii accipere ex continuato clamore, qualem solent edere, qui acerbioribus torquentur suppliciis. Alia pœna est damni sita in privatione æternæ gloriæ, & omnium bonorum, ac gaudiorum, quibus Beati fruuntur, quæque aliquo modo possident, quod damnum duplici ratione dicitur infinitum, omnium quia est amissio boni infiniti, & quia in infinitum erit duraturum, & hoc damnum immensa quædam sequitur tristitia, quam reprobi concipient ex consideratione summi boni amissi; sicut gaudium, quod beati per æternam possessionem summi boni percipient, erit summum, & ineffabile; ita tristitia, quam damnati percipient ex æterna cœlestium bonorum privatione, erit summa, & ea summè torquebuntur.

CAPUT XIII.

De Corporibus gloriosis Beatorum, eorumque dotibus.

QUia omnes & singuli homines quotquot vixerunt, erunt resurrectuti absque ullo discrimine malorum, vel bonorum, ut nos fides [illegible] 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur:* & cùm in præcedentibus dixerimus de corporibus impiorum, nunc super est, ut expendamus dotes corporum beatorum; etenim ut ait Apostolus: *Oportet corruptio*-

ruptibile hoc induere incorruptionem, ubi per pronomen *hoc* designatur proprium corpus, hinc Job. 15. ait: *Et, in carne mea videbo Deum quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius*: cùm enim resurrectio futura sit, *ut referat unusquisq; propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum*, loquitur Apostolus 2. Corinth. 6. Ideo omnes homines in ipso corpore erunt surrecturi: neque videri debet incredibilis humani corporis reparatio, & à DEO instauratio, ait enim Augustinus in Enchirid. cap. 28. & sequent. *Non perit DEO terrena materies de qua mortalium creatur caro: sed in quemlibet pulverem, cineremque solvatur, in quoslibet halitus, auras que diffugiat, in quamcunque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur; in quorumcunque animalium, etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitus ut homo fieret, viveret, cresceret animavit.* Sed quamvis omnes sive boni sive mali sint à morte resurrecturi non propterea omnium resurgentium erit æqua conditio, nec par status, ex his enim *qui dormiunt in terræ pulvere*, habetur Daniel. 21. *evigilabunt alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant semper*, & sicut Christus docet Joan. 5. *Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem judicii.* Quod explicans Apostolus 1. ad Corinth. 15. ait: *Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est, absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua, ubi est mors stimulus tuus.* Tria sunt, quæ hominibus videntur creditu difficillima, quæ tamen facta sunt, & à fidelibus meritò creduntur. Primò incredibile videbatur Judæis Christum potuisse in carne resurgere, & in cœlum cum carne ascendere, & tamen tertia die resurrexit, & post quadraginta dies in cœlum ascendit. Secundò videbatur incredibile homines aliàs ignobiles, infirmos, nullius litteraturæ, piscatui addictos numero paucissimos potuisse efficaciter mundi doctoribus nobilibus, ac potentibus persuadere veritatem fidei, ac Evangelii doctrinam. Tertiò videbatur Ethnicis incredibile mundi sapientes rem incredibilem ut Christi resurrectionem, & in cœlum ascensionem credidisse, & tamen postea crediderunt. Cur igitur aliud quod videtur incredibile, seu futuram humanorum corporum resurrectionem non credant, ac sperant futuram: siquidem hæc resurrectio à DEO promissa fuit perinde ac prædicta reliqua, quæ antequam fierent, prædixit, ita ratiocinatur sanctus Augustinus *lib. 22. de Civit. cap. 5.* Resurrectionem enim nostrorum corporum non solum plures adstruunt à mortuis excitati, & utrumque testamentum vetus, & novum ac certissima monumenta historiarum petita ab Elia, & Elisæo à Christo Domino, ab Apostolis, aliisque insignis virtutis viris, qui ad vitam mortuos revocarunt, verùm etiam res ipsæ naturales nobis suadent, præsertim semina, oleum, & frumenti, quæ terræ consepulta emortua, ac putrefacta reviviscunt, & uberiorem fructuum messem adferunt. Non enim agricola herbam seminat, vel stipulam, sed nudum granum, & hoc cum putruerit, incipit reviviscere, germinare cum herba, adolescere, ac incrementum subire in stipula, & multiplici fructu onustum incurvescere in segete: si ergo potuit DEUS addere, quod non erat in nudo semine, multo magis poterit reparare, quod erat in hominis corpore hinc Apostolus. 1. Corinth. 15. scribit: *Insipiens tu, quod seminas non vivificabitur nisi priùs moriatur.* Et *quòd seminas non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici aut alicujus cæterorum.* Ita in resurrectione mortuorum seminatur in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate surget in virtute, seminatur corpus animale, surget corpus spirituale, quia ut ait Joannes Apocal. 2. *Mors ultra non erit*, quam tamen desiderarent reprobi, qui detinentur in gehenna, sed mors ab eis fugiet, hinc S. Augustinus *lib. 22. de Civit. Dei cap. 3.* ait: *Prima mors animam nolentem pellit de corpore, secunda mors animam nolentem tenet in corpore.*

Verum præter communem incorruptibilitatem redivivà sanctorum corpora, quædam insignia, & præclara ornamenta erunt habitura, quibus fient præstantiora, ac nobiliora quàm fuerint antea: hæ autem dotes quatuor à Theologis recensentur, quarum prima est impassibilitas, cujus munus erit id in corporibus gloriosis, quæ resurrexerint, efficere, ne aliquid molesti pati valeant nec ullo dolore & incommodo affici, quia ut habetur Apocal. 21. *Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit neq; luctus, neq; clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Secunda dos erit charitas, qua sanctorum corpora perinde, ac sol fulgebunt Math. 13. *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum:* & ne quisque de eo dubitaret, voluit suæ transfigurationis exemplo etiam declarare, quando in vertice Taboris resplenduit facies ejus sicut sol: & hanc dotem Apostolus non gloriam, modo charitatem appellat ad Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, & rursus *seminatur in ignobilitate surget in gloria*, cujus symbolum quoddam tradidit Deus populo Israelico in deserto cum facies Moysis ex colloquio & præsentia Dei ita splenduit Exodi 34. Ut non possent Filii Israel intendere in faciem illius propter gloriam vultus ejus. Quòd si tanta fuit claritas ex brevi colloquio cum Deo Moysi communicata, & statim evacuanda; quantò excellentior erit gloria permanens ex æterna Dei visione ex ipsa beatitudine Dei in animam, & ex anima beata in corpus derivata: hæc enim claritas in Christi corpore post resurrectionem ab oculis Discipulorum abscondita fuit, ne appareret, quia ut ait Augustinus lib. 22. de civit. cap. 19. *Eam non ferret humanus, atque infirmus aspectus, quando ille à suis ita deberet attendi, ut posset agnosci.* Non tamen unus, ac idem erit omnium gloriosorum corporum splendor, sicut nec unus beatitudinis animarum sanctarum gradus, ait enim Apostolus, *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum, stella enim differt à stella in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* Ad hanc eandem claritatem pertinebit quod sancti tum uniuscujusque è beatis sociis gloriosa corpora, & luce incomparabili fulgentia introspicient simul arcana cordis ipsorum, intimasque cogitationes, & affectus oculis mentis clarissimè perspicient ut explicat S. Gregorius Magnus lib. 18. Moral. cap. 27. ubi expendens verba illa Apocal. 21. *Ipsa verò civitas aurum mundum simile vitro mundo.* ait: Auri metallum novimus potiori metallis omnibus claritate fulgere. Vitri verò natura est, ut extrinsecus visu pura intrinsecus perspicuitate perluceat. In alio metallo

tallo quicquid intrinsecus continetur absconditur; in vitro verò quilibet liquor qualis fit interius; talis exterius demonstratur; atque ut ita dixerim, omnis liquor in vitreo vasculo clausus foras patet. Quid ergo in auro vel vitro aliud accipimus, nisi illam supernam patriam, illam supernorum civium sanctitatem, quorum corda sibi invicem, & claritate fulgent, & puritate translucent? quam Joannes in Apocalypsi conspexerat, cum dicebat: *ipsa verò civitas aurum mundum simile vitro mundo* quia igitur sancti omnes summa in ea beatitudinis claritate fulgebunt, instructa auro dicitur. Et quoniam ipsa eorum claritas vicissim sibi in alternis cordibus patet, & cum uniuscujusque vultus attenditur, simul & conscientia penetratur; hoc ipsum aurum vitro mundo simile esse memoratur. Ibi nempe uniuscujusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus; patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia; sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc non potest esse conspicabilis sibi. Nunc autem corda nostra, quamdiu in hac vita sumus, quia ab altero in alterum videri non possunt, non intra vitrea, sed intra lutea vascula concluduntur: cui scilicet luto per passionem mentis inhærere Propheta formidabat, cum diceret: *Eripe me de luto ut non infigar?* Quod nimirum habitaculum corporum Paulum domum terrestrem nominat dicens: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cælis.* In hac itaque terrestri domo quousque vivimus, ipsam ut ita dicam corruptionis nostræ parietem mentis oculis nullateous penetramus, & vicissim in aliis videre occulta non possumus. Unde sancta ecclesia sponsi sui speciem videre in divinitate desiderans, nec tamen valens, quia æternitatis illius formam, quam intueri concupierat, ab ejus oculis assumpta humanitas abscondebat, in canticis canticorum mœrens dicit: *En ipse stat post parietem nostrum*; ac si apertè dicat: Ego hunc in divinitatis suæ jam specie videre desidero, sed adhuc à visione illius per assumptæ carnis parietem excludor. Quousque igitur in hac corruptibili carne vivimus, cogitationes nostras in alterutrum non videmus. Unde rursum per eundem Paulum dicitur: *Quis scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* illa itaque civitas, quæ sua vicissim singulis corda manifestat, ex auro dicitur similis vitro mundo; ut designetur auro clara, vitro manifesta, Hactenus S. Gregor.lib. 18. moral.cap. 27.

An verò lux illa, quâ beatorum corpora fulgebunt ejusdem futura sit speciei cum cælesti, quam de facto suspicimus. Plures cum Suarez tom. 2. de Incarn. disput. 48. sect. 2. censent, claritatem illam corporis gloriosi diversæ futuram speciei à claritate cælesti, quam de facto videmus; quæ sententia videtur esse probabilis: quia cum claritas corporis gloriosi exigat causari à beatitudine, & claritate intellectuali animæ, debet esse diversæ speciei; siquidem claritas intellectualis animæ beatæ est supernaturalis, & specificè distinguitur à claritate intellectuali naturali: unde à fortiori claritas corporis gloriosi, quæ oritur à claritate illa intellectuali animæ beatæ erit speciei diversa à claritate cælestium corporum. Tum quia claritas beatorum aliquas habet proprietates, quibus caret claritas solis, & alia lux cælestis; quia illuminat subjectum quodvis sive rarum sive densum, sive opacum, sive pervium. Rursus illuminat & non calefacit, & demum non est lux quæ pertineat ad ordinem naturæ. Nihilominus putant alii cum D. Thoma, claritatem corporis gloriosi non differre specie à claritate cælestium corporum: & eo probant, quia utraque lux eodem modo visum immutat tametsi claritas corporis gloriosi futura sit intensior, ac longè splendidior, ac defæcatior, ut & perfectior; tota enim differentia est tantùm penes diversa accidentia non verò circa essentiam, ac esse specificum. Præterea si claritas corporis gloriosi esset specificè diversa à claritate cælesti, hoc idem posset asseri de aliis qualitatibus, de albedine aliisque coloribus, quibus beatorum corpora afficientur, ac ornabuntur. Quòd si dicas lucem, & claritatem corporis gloriosi perinde esse supernaturalem, ac cæteras dotes, proinde esse diversæ speciei à luce, & claritate cælestium corporum. Respondetur claritatem beatorum esse supernaturalem quoad causam, & modum, quo producitur; non quoad substantiam perinde ac visus restitutus cœco est supernaturalis quoad modum quo restituitur, & naturalis quoad substantiam adeout non differat specificè ab alia visione elicita ab alio homine. Censerem utramque sententiam probabilem.

Oritur tamen difficultas an claritas corporis gloriosi futura sit visibilis ab oculo non glorificato, plures negant & nituntur authoritate S. Augustini lib. 12. de civit. cap. 19. ubi ait: *Claritas in Christi corpore cum resurrexit ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse, quàm defuisse credenda est: non enim eam ferret humanus, ac infirmus aspectus, quando ille ita à suis deberet attendi, ut cognosci potuisset.* Ex eo itidem firmant, quia si hujusmodi claritas potuisset ab oculis discipulorum videri eisdem se Christus ostendisset, perinde ac iisdem ostendit dotem subtilitatis quando ingressus est cœnaculum januis clausis, & dotem agilitatis cum in cœlum ascendit, & dotem claritatis eum ante eos transfiguratus est. Alii asserunt, claritatem corporis gloriosi visibilem futurum, etiam oculo non glorificato; ita Thomistæ cum D. Thoma: & ex eo probant, quia claritas corporis gloriosi erit naturalis, & ejusdem rationis cum claritate corporum cælestium, quæ nostrum cadit sub aspectum: quicquid enim comprehenditur sub naturali objecto alicujus potentiæ, potest talis potentia in illud ferri: proinde cum lux illa comprehendatur sub naturali objecto potentiæ visivæ poterit hæc quamvis non glorificata claritatem corporis gloriosi attingere, veluti partem sui objecti.

An verò hæc claritas corporis gloriosi causetur immediatè à Deo, vel solùm mediante gloria animæ D. Thom, 3. part. quæst. 45. art. 2. asserit non solum hanc claritatem verùm & reliquas dotes corporis derivari in illud ex gloria animæ refundentis in corpus gloriosum hanc claritatem, & alias dotes; hoc idem etiam expressè docet S. Augustinus epistol. ad Dioscorum ubi ait: *Tam potenti natura Deus fecit animam, ut ex ejus beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis, & incorruptionis vigor:* perinde ac incorruptio ab anima redundat in corpus, ita potest claritas dimanare, & reliquæ dotes. Sicut enim ex gratia sanctificante dimanant virtutes infusæ morales perficientes appetitum sensitivum, ut temperantia, fortitudo, ita ex gratia consummata in patria, quâ anima beata jugiter divina fruitur essentia, poterunt emanare aliquæ perfectiones in corpus gloriosum, ut ornetur juxta exigentiam status beatitudinis.

Tertia dos est agilitas, qua corpus ab onere, quo nunc premitur, liberabitur, & facillimè in quamcunque partem voluerit anima, moveri poterit, nec ea motione potest quidquam celerius cogitari, hinc definitur agilitas, esse habilitas in corpore ad promptè se moven-

movendum eo motu locali, cujus principium est anima, adeo ut sit agilitas vis se quocunque movendi, seu facilitas, qua corpus ad nutum animæ citissimè se localiter movebit, adeo ut brevissimo temporis intervallo per plura possit loca discurrere, quapropter dicitur agilitas esse habilitas ad promptè movendum se eo motu locali, cujus principium est anima, ut ejus motus ab eo differat, cujus principium est corpus secundùm naturam prædominantis elementi, quia motus iste est necessarius, ac determinatus ad certum locum, secus motus qui consequitur ad agilitatem corporis gloriosi est liber, ac indifferens ad plura loca. Hanc agilitatis dotem indicat Apostolus 1. Corinth. 15. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*, & de hac dote explicat S. Hieronymus textum Isaiæ cap. 40. *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient*, & de hac dote D. Hilarius expendens Psal. 138. *Si sumpsero pennas meas diluculo* ait; meminit & alibi dicens: *Cùm de spiritualium indefessa jam æternitate tractaret, pennigerabunt tanquam aquilæ, naturam evolandi in cœlum in resurrectionis demutatione sumpturi.* D. Augustinus itidem lib. 13. de civit. DEI cap. 18. explicans hanc agilitatis dotem ostendit non futuram impossibilem in corpore glorioso inquiens: *Neque incredibile est operationem DEI omnipotentissimam præstare posse animis perfectissimè beatis, ut quamvis terrena, tamen incorruptibilia jam corpora ubi volunt, ponant, & quo volunt, agant situ, motuque facillimo? An verò si hoc Angeli faciant, & qualibet animalia terrestria rapiant, unde libet, constituantque ubi libet, aut eos sine labore non posse, aut onera sentire credendum est? Cur ergo Sanctorum perfectos, & beatos divino munere spiritus sine ulla difficultate posse ferre, quo voluerint & sistere ubi voluerint sua corpora non credamus? Nam cùm terrenorum corporum, sicut onera in gestando sentire consuevimus, quantò major est quantitas, tantò major sit & gravitas, ita ut plura pondo pauciora plus premant. Membra tamen sua carnis leviora portat anima, cùm in sanitate robusta sunt, quam in languore cum macra sunt, Et cùm aliis gestantibus onerosior sit sanus, & validus, quàm exilis & morbidus; ipse tamen ad suum corpus movendum, atque portandum agilior est, cùm in bona valetudine plus habet molis, quàm cùm in peste, vel fame minimum roboris. Tantum valet in habendis etiam terrenis corporibus, quamvis adhuc corruptibilibus atque mortalibus non quantitatis, sed temperationis modus. Et quis verbis explicet, quantum distet inter præsentem, quam dicimus sanitatem, & immortalitatem futuram?*

Ratio itidem videtur hanc dotem suadere, quia status beatificus exigit, ut corpus sit perfectè habile, ad omnem perfectionem, quam voluerit beatus sibi comparare: atqui quædam est perfectio posse beatum localiter pro sua libertate se movere tum ad alios beatos invisendos, tum ad sublunaria corpora, quæ permansura sunt æterna saltem cœlestia, & quatuor elementa interdum videnda: siquidem in cœlesti patria non deerunt visitationes obsequiosæ, ac mutuæ invitationes, probabile enim est in cœlesti patria unumquemque beatum propriam habiturum sedem propinquiorem, & remotiorem à Christi throno pro diversis meritorum mensuris, siquidem qui majoris erunt meriti, proximiores sedebunt Christi throno, idque Sancti Patres inferunt ex illo Joan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, non solùm quoad beatitudinem animarum, sed etiam corporum, quapropter Beati, ut celerrimè sua possint movere corpora gloriosa dote condecorabuntur agilitatis.

An verò hæc dos agilitatis proveniet ex parte corporis, vel animæ, & si se tenuerit ex parte corporis an tantùm erit circa motum progressivum. Censent nonnulli cum Durando *in 4. dist. 44. quæst. 7.* dotem agilitatis tantùm futuram respectu motus organici, & progressivi. Sed communior sententia asserit, hanc dotem fore ad motum simplicem delativum, quo beati pro libitu poterunt sua corpora per aëra uno quasi impetu movere, ac liberate, & fundatur hæc sententia in authoritate Sanctorum Patrum, inter quos D. Anselmus *lib. de similit. cap. 51.* loquens de hac dote habilitatis ait: *Velocitas tanta nos comitabitur, ut ipsis Angelis Dei æquè celeres simus, qui è cœlo ad terras & è converso dicto citius feruntur.* Et paucis interjectis concludit: *Ergo cum istis* (scilicet Angelis) *omnino par velocitas nobis erit, quibus sicut promissa est eorum æqualitas inerit.* Eleganter edisserit de hac dote agilitatis S. Laurentius Justinianus inquiens: *Tantâ agilitate erunt prædicta, ut in momento in omnibus obtemperent imperio spiritus præsidentis absque retardatione, & sine ulla gravedine ibi se divertent, ubi impetus spiritus se diriget.* Magna difficultas est ex quanam parte hæc agilitas corporis gloriosi se teneat. Scotus in *4. distinct. 49. quæst. 14.* Et cum ipso Scotistæ, docent agilitatem se tenere ex parte animæ, & eam collocant in ipsa potentia motiva naturali, qua suum corpus gloriosum tam motu progressivo, quàm simpliciter delativo moveri poterit: Et ex parte corporis asserunt consistere in remotione omnium impedimentorum, quibus retardari posset talis motus, cujusmodi sunt humores crassi, ac viscosi, qui in juncturis, nervis, & musculis adhærescentes motum impediunt. Ratio, qua nititur Scotus est, quia anima separata habet virtutem movendi se ipsam localiter: atqui hic motus in anima separata non est organicus: ergo anima separata gaudet potentia motiva naturali non organica, proinde eadem virtute, qua poterit anima se ipsam movere, poterit etiam suum corpus localiter movere sublatis ab eo impedimentis. Evincit majorem ex eo, quia anima non sit deterioris conditionis, quàm corpus: sed hoc habet potentiam se localiter movendi in proprium naturalem locum, ut corpus grave deorsum, leve sursum, ergo à fortiori inerit ipsi animæ vis se ipsam movendi localiter. Minorem probat, quia cùm anima separata non habeat organa, non poterit organicè se movere, sed tantùm instar Angeli uno impetu se de loco in locum transferet; atqui eo ipso, quòd potest se tali motu movere naturaliter, poterit etiam corpus, quod informat, utpote sibi unitum localiter movere. Verùm hæc sententia nonnullas patitur difficultates, quia inde sequeretur beatos non habituros perfectiorem potentiam motivam in patria, ac habuerint in via, consequenter, posse corpora gloriosa virtute extrinseca creata divelli è suis locis etiam invitis ipsis beatis, ac resistentibus, quod adversatur doti impossibilitatis. Sed posset cum Scoto responderi, hanc potentiam motivam in beatis fieri longè perfectiorem, quam fuit in statu viæ exemplo potentiæ visivæ, quæ reassumpto corpore glorioso in beato intenditur taliter, ut valeat absque ulla sui læsione quodlibet visibile, ac illucidum, quantumvis intensum intueri, asserit enim Scotus potentiam motivam in anima intendi ad gradum perfectum, qui sufficiat ad movendum corpus absque defatigatione sine labore.

Nihilominus probabilius censerem dicendum hanc dotem agilitatis esse qualitatem supernaturalem, & vir-

& virtutem animæ superadditam, & se tenere non solùm ex parte corporis, sed vel maximè ex parte animæ, adeout non dicatur dos corporis, nisi quia per illam corpus moveatur, alioquin si motus ille procederet à principio non vitali, non potest vitalis esse; quinimò etiam in quiete semper impelleret tale corpus. Hanc dotem esse virtutem supernaturalem ex eo videtur probari facilè, quia dos agilitatis in eo consistit, quòd brevissimo tempore possint Beati se transferre de loco in locum etiam dificillimum, vel progrediendo, vel librando sua corpora in quamlibet partem, & quidem sagitta citius: atqui ad hunc effectum virtus naturalis non videtur sufficere; quia non videtur probabile, quod virtus naturalis possit quoslibet agilitatis effectus causare. Quod verò dos agilitatis principalius se tenet ex parte animæ ex eo potest facilè probari, quia anima non movetur per corpus, sed è converso hoc per illam: sed si hæc virtus tantùm corpori inhæreret; non corpus per animam, sed anima per corpus moveretur: quia ab illo motus incipit in quo residet vis motiva, proinde si dos agilitatis resideret in solo corpore, inciperet motus ab ipso corpore, quod prius moveret se, quàm suũ motum animæ communicaret. Præterea quia si hæc vis agilitaria esset tantùm in corpore, & non principalius in anima sequeretur, quod perinde, ac corpus seorsim ab anima esset ad unum determinatum, vel per modum gravitatis ad locum deorsum; vel levitatis ad locum sursum, unde liquet motum agilitatis principalius se tenere ex parte animæ. Quòd verò etiam aliquo pacto se teneat ex parte corporis, ex eo liquet, quia agilitas denominat corpus gloriosum cujus est dos, & quidem denominatione intrinseca: forma autem intrinsecè denominans necesse est, se teneat ex parte subjecti intrinsecè denominati, si non effectivè saltem terminativè, adeo ut illi inhæreat, ut terminus: hinc agilitas dicitur dos corporis gloriosi, & se tenere ex parte corporis, quia tametsi non sit corpus, sed anima, quæ motũ producit, nihilominus debet corpus motum illũ in se recipere, ac illo moveri, quo anima impulerit.

Quarta corporis gloriosi dos est subtilitas, cujus virtute corpus animæ imperio omnino subjicietur, ac illi serviet, & præsertim sumitur dos subtilitatis pro virtute penetrativa corporum, adeo ut idem sit corpus gloriosum habere dotem subtilitatis, ac habere virtutem penetrandi se cum aliis corporibus, ac cum iisdem eundem locum occupandi; siquidem præcipuus effectus hujus dotis est reddere corpus gloriosum penetrabile, ac efficere quasi cœleste, liberum, ac veluti spirituale juxta illud Apostoli 1. Corinth. 15. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*, non quòd post Resurrectionem sit corpus mutandum in spiritum, ut olim asseruerunt quidam Heretici, quorum meminit Augustinus 13. *de civit. cap.* 20. nec quia aëri, aut vento simile erit, sicut censuit Eutichius referente S. Gregorio *lib.* 14. *moral. cap.* 29. Sed quia elevabitur ad conditionem spiritus ratione virtutis penetrantis se cum aliis corporibus, Scitè D. Augustinus in Enchirid, cap. 91, ait: *Resurgent igitur Sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate sicut sine ulla corruptione, & onere, ac difficultate, in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit; propter quod & spiritualia dicta sunt, cùm procul dubio corpora sint futura non spiritus.* Et nonnullis interjectis subdit: *Sed ideo ait Apostolus seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale, quoniam tanta erit tunc concordia carnis & spiritus vivificante spiritu sine sustentaculo alicujus indigentia subditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis; sed sicut foris neminem, ita nec intus nos ipsos patiamur inimicos.*

Non igitur ab Apostolo corpus dicitur resurgere spirituale, quasi exuerit corpoream crassitiem, & purum induerit spiritum, sed quia non amplius carni serviet, sed spiritum erit obsecuturum, ut explicat Augustinus *lib.* 13. *de civit. cap.* 28. inquiens: *Sicut spiritus carni serviens non incongruè carnalis; ita caro spiritui serviens rectè appellatur spiritalis, non quia in spiritum convertetur, sicut nonnulli putant, ex eo, quia scriptum sit seminatur corpus animale, resurget spiritale.* 1. Corinth. 15. *Sed quia spiritui summâ, & mirabili obtemperandi facilitate subdetur usque ad immortalitatis indissolubilis securissimam voluntatem omni molestiæ sensu, omni corruptibilitate, & tarditate detracta. Non solùm enim non erit tale, quale nunc est, in quavis optima valetudine; sed nec tale quidem, quale fuit in primis hominibus ante peccatum.*

Difficultas est, quomodo habere se possit vis hæc subtilitatis in ordine ad penetranda alia corpora. Ratio ingerens difficultatem est, quia repugnat esse corpus quantum, & non occupare spatium sibi commensuratum, consequenter videtur repugnare corpus esse quantum, & penetrare se cum alio corpore in eodem loco, siquidem eo ipso, quod corpus est, quantum exigit necessariò spatium sibi commensuratum, proinde non potest in eodem spatio simul admittere externum corpus ejusdem dimensionis, alioquin vel neutrum occuparet spatium sibi commensuratum, vel utrumque simul, vel unum tantùm: hoc ultimum dici nequit, quia tunc alterum nullum spatium occuparet, neque dici potest utrumque esse in eodem loco, quia spatium non supponitur commensuratum utrique, sed uni tantùm, neque dici potest neutrum esse in tali loco, quia eo ipso, quòd est corpus quantum, debet commensurari loco: tum quia spatium est effectus formalis quantitatis à qua separari non potest, consequenter repugnat, corpus esse quantum, & non occupare spatium sibi commensuratum, quia non potest effectus formalis à sua forma in proprio subjecto posita separari. Præterea quia est de ratione quantitatis habere partes extra partes: sin autem posset una quantitas esse in eodem loco cum alia partes unius quantitatis non essent extra, sed intra partes alterius, & inde destrueretur ratio quantitatis. Præterea, quia sicut repugnat unam partem ejusdem quantitatis penetrare se cum alia parte ejusdem quantitatis: perinde repugnat unam quantitatem penetrare se cum alia, est enim eadem ratio partis ad partem ratione ejusdem quantitatis, ac quantitatis ad aliam quantitatem. Demum quia de essentia quantitatis est, distantia unius partis ab alia, consequenter de essentia ejusdem erit, ut una pars sit distincta situaliter ab alia, alioquin una pars ab alia non distaret, nec fieret corpus extensum. Ob has rationes Durandus *in* 4. *dist.* 44. *quæst.* 6. asserit hanc impossibilitatem corporum, quæ simul compenetrentur, & Durando videtur etiam Paludanus adhærere *in* 4. *distinct.* 44. *quæst.* 3. *art.* 3. & alii pauci, negantes hanc dotem subtilitatis eo modo, quo illam explicuimus, & dicunt dotem subtilitatis consistere in puritate operationum sensitivarum, adeo ut nihil eas vel leviter offuscare possit, nec gravare, sicut de facto in statu viæ Sapient. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Hæc tamen sententia communiter rejicitur ut minus consona mysteriis Fidei, siquidem credimus Christum Dominum inviolato virginitatis claustro prodiisse ex Matris utero, immoto lapide exiisse ex sepulchro, clausis januis introivisse ad Discipulos, cœlos penetrâsse, ac demum in Eucharistia integrum cor-

corpusculum tota sua quantitate manere sub speciebus. Neque urget, quod respondet Durandus potuisse Corpus Christi fieri præsens ex uno loco in alio non pertransito medio, perinde ac à cœlo fit præsens in hostia non pertransito medio: vel potuisse ita sui corporis attenuare figuram, ut per quamlibet intermedii corporis rimulam permeare facilè potuerit, nam hæc responsio non videtur subsistere, & adversatur doctrinæ Sanctorum Patrum, siquidem SS. Patres ob recensita de Christi corpore censent possibilem divina virtute corporum penetrationem. Præterea quia Durandi responsio non cohæret cum dote impassibilitatis, quia concedit mutationem organicæ figuræ, quæ est intrinseca corpori glorioso. Præterea quia corporum penetratio apud inferos videtur concedenda, ut locus ille in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, possit omnia corpora damnatorum intra se capere. Quamobrem ad primum argumentum, in quo asserebatur repugnare corpus esse quantum, & non occupare spatium sibi commensuratum; respondetur non esse de essentia corporis quanti occupare spatium extentum, & illi commensurari: siquidem credimus de Fide Christi corpus cum tota sua quantitate esse sub speciebus Eucharisticis, quamvis non commensuretur spatio, cùm sit totum corpus Christi sub qualibet particula sensibili Eucharistiæ: si enim commensuraretur spatio non posset Corpus Christi non occupare spatium extensum juxta septem palmorum sui corporis extensionem: quamobrem actualis occupatio spatii non est effectus formalis quantitatis: quia occupare spatium est effectus extensionis localis separabilis à corpore quanto, ut constat in corpore Christi sub speciebus Eucharisticis: sublatâ autem extensione locali, tollitur etiã ejus effectus formalis situs in actuali occupatione loci, manente qualitate ut fundamento tantùm remoto. Non igitur differentia constitutiva quantitatis est extensio localis, ut fusè ostendi in Philosophia *Tom. 2. disput. 31. sect. 3.* Nec est actualis impenetrabilitas, sed tantùm radicalis, ut evici *loc. cit. sect. 4.* Imò neque est de essentia quantitatis habere partes extra partes situ positas, ac distinctas, quia hujusmodi extensio est potius effectus, & quidem separabilis à quantitate, siquidem potest corpus quantum habere plures partes indistinctas situ, & loco indistantes, & adhuc esse entitativè distinctas inter se per designationem, adeo ut una pars non sit alia, ut liquet sub speciebus Eucharisticis, siquidem sub qualibet minima particula sensibili sunt omnes & singulæ partes Corporis Christi, ita tamen ut distinguantur inter se & caput non sit brachium, nec pes manus: unde ex eo, quòd partes quantitatis sint omnes simul in eodem loco, non sequitur ut dicebatur ab adversariis destructum iri essentiam quantitatis. Ad aliud, quod addebatur implicare unam partem ejusdem quantitatis penetrare se cum alia ejusdem quantitatis, consequenter & unam quantitatem cum alia, seu unum corpus cum alio: Respondetur non repugnare plures partes ejusdem quantitatis esse simul in uno, & eodem loco, ut constat de fide in partibus Corporis Christi in Eucharistia, unde potest una quantitas esse itidem in eodem loco, cum alia servata essentia quantitatis quoad proprium conceptum formalem.

Major difficultas in eo videtur sita, quid formaliter dicat de suo conceptu hæc dos subtilitatis, seu hoc, quod est corpora gloriosa penetrare cum aliis corporibus. Omnes conveniunt, non posse hanc penetrationem fieri per qualitatem, quæ adhæreat corpori, quia hujusmodi qualitas non tolleret quantitatem, qua corpus est impenetrabile: neque posset reddere corpus ita subtile, ut cætera penetraret, quia perseverante eadem forma, necesse est perseveret idem effectus formalis. Censet Scotus in 4. *dist. 49. quæst. 16.* dotem subtilitatis consistere in extrinseca assistentia Dei ponentis efficienter corpus penetrativè cum alio, & cum jura extrinsecè debito corpori, ut ejus anima non informet aliud corpus, quamvis sit illi intimè præsens, adeo ut si corpora Petri, & Pauli simul compenetrentur, anima informans corpus Petri non informet corpus Pauli, neque è converso. Plures cum D. Bonaventura in 4. *distinct. 49. art. 3. quæst. 1.* asserunt, dotem hanc subtilitatis esse virtutem quandam activam corpori in ordine ad coexistendum cum alio in eodem loco, & hanc virtutem esse intrinsecam corpori glorioso. Alii cum Suarez *3. part. Tom. 2. disput. 48. sect. 5.* docent hanc virtutem non esse qualitatem superadditam corpori; sed esse ipsam quantitatem corporis, quatenus per modum instrumenti DEI concurrit obedientialiter ad hunc effectum penetrationis cum alia juxta beati voluntatem. Lessius *lib. 3. de summo bono cap. 3.* putat hanc corporis gloriosi penetrationem haberi per solum concursum DEI conservantis duo corpora in eodem spatio simul, qui tamen concursus non sit naturaliter debitus, & ex eo probat; quia sicut quando ponuntur in eodem subjecto duæ qualitates contrariæ puta calor, & frigus in summo, Deus nihil aliud præstat, nisi continuationem sui concursus conservativi utriusque qualitatis: ratio, quæ hoc assertum evincit, est, quia exclusio alterius corporis ab eodem spatio non est conditio essentialis corpori, sed tantùm connaturalis, & Deus potest hanc conditionem impedire per hoc, quod ponat suum concursum conservativum utriusque corporis in eo spatio, & loco.

Verùm probabilius censeo, quod docent alii cum D. Thoma *in 4. distinct. 44. quæst. 2. art. 2. ad 2.* penetrationem corporis gloriosi fieri per sublationem localis extensionis ab eodem corpore, eò quia sublata locali extensione tollitur à corpore formalis, & proxima causa localis impenetrationis, quia ratione extensionis localis corpus est formaliter impenetrabile cum alio corpore, proinde sublatâ hac locali extensione potest corpus gloriosum simul cohærere in eodem loco cum alio corpore sine ulla formali resistentia: & modus iste penetrationis facilè explicatur in mysterio Eucharistiæ; etenim Corpus Christi cum omnibus suis accidentibus connaturalibus, & consequenter cum tota sua quantitate sublata tantùm locali extensione habet modum positivum ratione cujus ad modum spiritus indivisibiliter existit tota in tota, & totum in qualibet parte hostiæ consecratæ, adeo ut partes Corporis Christi quamvis distinctæ quoad se sint in uno eodemque loco simul compenetratæ: perinde corpus gloriosum si privetur extensione locali poterit se cum alio corpore penetrare, quia tollitur ratio, qua corpus est impenetrabile, sublata enim forma tollitur ejus effectus formalis, & quia sola localis extensio est ratio cur corpus sit impenetrabile, ideo hac sublata necesse est, tollatur etiam ipsa impenetrabilitas. Neq; inde sequitur corpora gloriosa esse indivisibilia, quia ut corpus possit se cum alio penetrare non est illi necessarius modus positivus, quo instar spiritus existat indivisibiliter; sed sufficit tantùm si privetur proxima, & formali ratione impenetrabilitatis sita in ipsa locali extensione. Si dicas hunc modum explicandi penetrationem, seu dotem subtilitatis corporis gloriosi adversari doti impassibilitatis, siquidem tollit à corpore glorioso extensionem localem, consequen-

ter

ut ideo immutatur secundùm perfectionem intrinsecam, sibique naturaliter debitam, est enim localis extensio naturaliter corpori debita. Contra est, negatur antecedens, quia quamvis modus iste explicandi dotem subtilitatis inferat mutationem in corpore glorioso, non tamen inde sequitur adversari doti impassibilitatis: quia non omnis mutatio opponitur huic doti impassibilitatis; sed illa tantùm quæ læsiva est, & destructiva corporis gloriosi, quia per hanc mutationem dicitur propriè corpus pati: mutatio autem, quam infert modus iste explicandi dotem subtilitatis, non est mutatio destructiva, sed perfectiva subjecti, seu corporis gloriosi, quia illud constituit in suo motu expeditum. Præterea quia modus iste explicandi dotem subtilitatis non trahit secum ullam imperfectionem, quia convenit corpori glorioso Christi Domini existenti sub speciebus Eucharistiæ, unde etiam absque imperfectione convenire poterit corporibus gloriosis beatorum. Neque inde sequitur corpus gloriosum evasurum sine organica figura quæ maxima est humani corporis perfectio. Quia cum dicimus corpus gloriosum penetrari cum alio corpore, non asserimus corpus attenuari, & dependere propriam figuram, sed volumus, corpora gloriosa servata propria organica figura membrorum tantùm privari extensione locali, & non sit necesse, ut instar spiritûs indivisibiliter existant. An verò duo gloriosa beatorum corpora se invicem penetrabunt, respondet D. Thom. *in 4. dist. 44. quæst. 2. art. 2. quæst. 4.* negativè, quia tametsi de potentia Dei absoluta hæc mutua penetratio non repugnet, non tamen conveniens erit, ut corpus gloriosum penetretur cum alio corpore glorioso, vel una pars corporis cum alia parte ejusdem corporis: quinimo perfectus ille status & rectus ordo potius postulat, ut singula corpora suam habeant naturalem præsentiam, suum proprium & adæquatum locum distinctum ab aliis, sintque corpora gloriosa inter se visibilia, & tangibilia.

CAPUT XIV.

Quodnam ex usu sensuum corpora beatorum erunt perceptura oblectamentum.

QUia corpora gloriosa beatorum non erunt sensibus destituta, sed iisdem perfectissimè instructa, & cum perfectissimis organis, oritur difficultas, quænam ex usu suorum sensuum erunt beati oblectamenta percepturi: cum beatorum corpora suos sint habitura sensus, propriis instructos organis, non carebunt usu, & exercitio eorundem ut concedunt omnes, quamvis de usu alicujus peculiaris sit aliqua difficultas; quia sicut sensus in statu viæ fuerunt participes doloris, & tristitiæ; ita congruum erat, ut in patria consortes fierent beatitudinis suumque per exercitia actuum assequerentur perfectionis complementum scitè D. Anselmus lib. de simili. cap. 57. loquens de hisce sensuum oblectamentis in patria ait: *In illa futura vita delectatio quædam ineffabilis beatos inebriabit, & inæstimabili dulcedine sui totos eos inenarrabili abundantia satiabit. Quid dixi totos? oculi aures, nares, os, manus, jecur, guttur, cor, pulmo, ossa, medulla, & cuncta sigillatim membra eorum in communi tam mirabili delectationis, & dulcedinis sensu replebuntur; ut verè totus homo torrente voluptatis Dei potetur, & ab ubertate domus ejus inebrietur.* Ratio cur sensus externi suas sint habituri congruas delectationes ex eo desumitur: quia sensus singuli capaces sunt summæ cujusdam perfectionis sui ordinis, quæ singulorum propria est beatitudo: proinde non est hæc perfectio iisdem deneganda; quia omnes potentiæ erunt in patria in statu perfectissimo; & quia perfectissimus status potentiæ est, ut potentia semper sit conjuncta cum suo objecto perfectivo; omne siquidem perfectibile appetit suum perfectivum, & cum ipso conjungitur; sequitur quòd in patria sensus corporis gloriosi exercebunt suos actus circa propria objecta, eruntque ex ipsis plurimum suscepturi oblectamenti. Præterea in patria omnes potentiæ spirituales animæ conjunctæ erunt cum suis propriis objectis, ut cum propriis perfectivis; & sicut anima non solùm est rationalis, sed etiam sensitiva, & in utraque ratione est particeps oblectationum; ideo congruum erat ut sensus corporis gloriosi per exercitia suorum actuum suis conjungerentur objectis perfectivis, & plurimum inde perciperent oblectamenti.

Ut autem descendamus ad sensus particulares, exordimur à sensu visûs qui cæteris habetur excellentior. Sensum visûs habiturum in corpore glorioso suam delectationem ex objecto visibili sibi proportionato concedunt SS. Patres & communiter doctores. Ratio ex eo petitur: quia potentia visiva erit mansura in corpore glorioso, & in illo statu non deerunt objecta proportionata potentiæ visivæ; & actus talis potentiæ nullam involvit deformitatem repugnantem statui beatifico. Hinc post resurrectionem è sepulchro corpus gloriosum Christi Domini se, & alios videbat: ergo sensus visus in corpore glorioso suas exercebit actus visionis circa propria objecta, & plurimum inde percipiet oblectamenti. Rursus quia status beatitudinis est omnium bonorum aggregatione perfectus; adeout nulla in tali statu sit potentia, quæ totam suam non possideat perfectionem: sed potentia visiva est perfectibilis per exercitium visionis tendentis in suum objectum; ergo nulla videtur ratio suppetere, qua potentia visiva sit in corpore glorioso destituenda hac perfectione sibi debita & connaturali; alioquin non esset in statu omnium bonorum aggregatione perfecto, nec in statu beatitudinis. Quòd actus potentiæ visivæ nullam involvat deformitatem repugnantem tali statui ex eo liquet, quia delectatio, quam hic actus gignit est per se honesta, & non exercetur actione corruptiva, sed perfectiva potentiæ: quia objecta externa sive cælestia, sive terrestria non agunt in oculos glorificatos actione naturali, sed tantum intentionali per solam specierum immissionem: quapropter quamvis objectum sit intensissimè lucidum, non tamen aget actione naturali, sed tantùm intentionali; hoc est non calefaciendo, vel alterando; sed per productionem speciei sui ipsius; consequenter objectum sensibile nullam causabit molestiam oculo corporis gloriosi.

An verò oculi gloriosi erunt unquam cessaturi ab exercitio videndi aliquod objectum delectabile, respondetur negativè: quia dupliciter potest potentia visiva à suo actu videndi cessare; vel claudendo oculos, quia cum sit potentia necessaria, receptis speciebus transmissis ab objectis necessariò debet actum videndi elicere in præsentia objecti, nisi obstet quominus ejus speciem in se recipiat oculos claudendo: Beati verò nunquam suos oculos claudent;

non per somnum, quia in statu beatifico somnus non erit necessarius: neque ad libitum ipsius beati; quia nulla potest assignari rationabilis, & honesta causa, quâ in illo statu debeat beatus oculos claudere: quinimo timeret si beatus suos clauderet oculos adhuc visibiles species objectorum in pupillam eorum ob palpebratum translucidam transparentiam reciperentur. Vel secundò possent oculi beatorum cessare ab exercitio videndi defectu objectorum visibilium; & hoc non continget; quia in patria nunquam deerunt hujusmodi objecta visibilia; quia locus ipse in quo beati perpetuò habitabunt, amœnissimus est, ac lucidissimus, & objecta illa pulcherrima, & semper præsentia oculis beatorum.

Circa objectum oculi corporis gloriosi est difficultas an Deus futurus sit visibilis ab oculo corporeo: juvat ad notare multipliciter posse Deum esse visibilem: primò in suis opificiis ad extra quatenus ex visione corporea, vel intellectuali mundi conditi vident homines, quæ Deus operatur ad extra, ac propterea cognoscunt adesse Deum opificem; in quo sensu dixit Job, 36. *Omnes homines vident, & unusquisque intuetur procul.* Secundò potest videri ut repræsentatus in aliqua imagine, quo pacto eum vidit Isaias. *Vidi Deum sedentem.* Tertiò in humanitate assumpta Baruch. 3. *Post hæc in terris visus est.* Quartò ut est objectum spirituale, quo pacto videtur à beatorum mentibus. Quæstio non procedit de tribus modis prioribus; quia indubitatum est, posse oculum corporeum videre Christi humanitatem, materiales Dei effectus ad extra, ac ejus coloratas imagines, quia hæc omnia sunt intra sphæram potentiæ visivæ corporeæ. Sed quæstio procedit an oculus corporeus beati in corpore glorioso poterit in Patria DEUM videre ut est in se objectum spirituale, ac purus spiritus, adeout quemadmodum Deus mediante lumine gloriæ elevat intellectum creatum ad claram suæ essentiæ visionem; ita possit per aliquod supernaturale auxilium elevare oculum corporis gloriosi ad videndum suam essentiam. Dupliciter potest intelligi, oculum corporeum elevari ad videndum Deum ut est objectum spirituale. Primò per cognitionem corpoream qualis est, quam elicit potentia corporea visiva ad videnda objecta materialia colorata. Secundò per actionem merè spiritualem quæ obedientialiter prodiret à potentia corporea. Certum est de facto DEUM non esse visibilem oculo corporeo & censetur de Fide 1. ad Timoth. 1. v. 17. DEUS dicitur *invisibilis* ad Rom. 1. v. 2. quæ de DEO possunt naturaliter ex effectibus cognosci vocantur *invisibilia* 1. Timoth. 6. v. 16. commendatur Deus, *qui lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre potest.* Ad Coloss. cap. 1. *Verbum* divinum vocatur ab Apostolo *Imago Dei invisibilis* 11. ad Hebræ. v. 27. laudatur Moyses quòd *Deum invisibilem tanquam videns sustinuit* quæ omnia à SS. patribus intelliguntur de invisibilitate DEI ab oculo corporeo. Hinc Christus probaturus sui corporis veritatem præbuit se videndum, & palpandum; quia spiritus nec videri, nec palpari potest Luc. 24. v. 38. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere* & firmari ex eo potest, quia in sacris literis res incorporales vocantur *invisibiles*, & corporales *visibiles* quibus nominibus significatur, res incorporales neque in visum, neque in alium sensum cadere posse. SS. Patres contra hæreticos adscribentes DEO corpus ex eo itidem hanc veritatem evincunt, quia DEUS non est visibilis oculis corporeis, ex quo inferunt non esse corporeum, sed spiritum. Rursus contra Arianos asserunt æterni filii personam consubstantialem esse Patri, & invisibilem oculis corporeis; plures ex SS. Patribus recensentur à Valentia 1. *part. quæst.* 12. *punc.* 8. addendum tantum superest Concilium III. Toletanum in confessione Fidei, ubi anathemate percutitur, *quicunque filium DEI secundum divinitatem suam visibilem, aut passibilem ausus fuerit profiteri.* Præterea Anno 1337. ingens fuit controversia excitata inter Græcos circa lucem emissam à Christo in vertice Taboris cum fuerit transfiguratus, quæ visa fuit ab Apostolis: cumque Monachi montis Atho, & Gregorius Palamas assereret, lucem illam fuisse increatam, & nihilominus conspectam oculis corporeis ab Apostolis; imò & à se cerni quoties in oratione incalescerent, impugnati, ac rejecti fuerunt à Barlaamo illo argumento: quis quicquid corporeis oculis potest conspici necessariò est quid materiale, corporeum & creatum: sed lux illa fuit ab Apostolis oculis corporeis conspecta; ergo fuit creata, & materialis, non spiritualis. Referunt hanc controversiam Bzovius, atque Spondanus in Annalibus Ecclesiasticis ad Annum Christi 1337.

Dicendum est, oculum corporeum nullo modo posse elevari ad videndum DEUM, ut est in se objectum purè spirituale Probari solet ex 1. Timoth. 6. *Qui lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre potest* si sermo sit de potentia pure naturali; est de fide non posse intellectum creatum propriis naturæ viribus se promovere ad claram DEI visionem, consequenter erit etiam de fide, non posse oculum corporeum elevari ad claram DEI visionem. Sed assertio procedit de potentia DEI absoluta, proinde non habet eundem certitudinis gradum, sicut de potentia purè naturali. Nihilominus SS. Patres unanimes docent non posse de potentia DEI absoluta oculum corporeum etiam glorificatum elevari ad videndum DEUM, ut est objectum spirituale Sanctus Theophilus Patriarcha Antiochenus lib. 1. ad Autolycum ait: *Ut anima in humano corpore non videtur invisibilis existens verum ex motu corporis agnoscitur; sic nec DEUS humanis, & corporeis oculis videri potest. Cæterum ex providentia, qua singula ordinat, suisque operibus adspicitur, & deprehenditur,* S. Petrus ad Clementem lib. 3. recognit. ait: *Deus videtur mente non corpore, spiritu, non carne.* Justinus in Dialogo: *Non potest oculis aspici DEUS, sed sola mente perspicitur,* D. Hieronymus epist. III. etiam addit rationem: cur non possit DEUS ab oculo corporeo quamvis glorificato videri inquiens: *Ne scilicet DEUS ipse corporeus esse credatur, & in loci spatio, ac intervallo visibilis: nihil enim videre aliter istius corporis oculus potest.* S. Athanasius Orat. contra Gentes: Exprobrans Ethnicis, quòd DEUM visibilem cogitaverint ait: Ipse: *Obscura cordis ratiocinatione, vel potius irrationali vecordia ut rem visibilem DEUM esse finxerunt.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joan. cap. 8. ait: *Non quia Patrem vidit quisquam nisi is, qui est à DEO, hic vidit Patrem,* & postea hortatur Judæos: *Ne adeo rudes sint, ut oculis posse unquam cerni naturam Deitatis arbitrentur.* & lib. 9. cap. 37. expendens verba Christi: *Philippe qui videt me, videt & Patrem,* ait: *Non est opus longa uti oratione ad demonstrandum non intelligi visionem hic eam, qua oculis cernimus: nemo enim non furiosus naturam Dei oculis subjiciet, quam vix*

in

in speculo videmus, & in ænigmate. S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechel. 9. Illuminatorum ait: *Carneis Deum videre oculis nemo sanè poterit: quod enim corporis expers est, corporeis oculis comprehendi non potest.* Procopius Gazæus in cap. 18. Genes. *Impossibile est humanis oculis videre, & contueri Deum, ut revera est: visus quidem noster clarus est nec fallit, sed puram illam essentiam divinam prospicere nequit.* S. Basilius serm. 10 verba Moysis, *Attende tibi*, ait: *Invisibilem esse Deum crede tui ipsius animam cognoscens, quando & ipsa corporeis oculis deprehendi non potest non enim aut colore obducitur, aut figura circumscribitur aut charactere aliqua corporea comprehenditur, sed tantùm ex actibus & gestis cognoscitur. Ne ergo in Deo per oculos notitiam quaras, sed tantùm mente.* S. Ambrosius in lib. 6. Hexameron. cap. 7. ait: *Quid est Deus? caro, an spiritus? non caro utique, sed spiritus, cujus similis caro esse non potest, quia ipse incorporeus, & invisibilis: Caro autem comprehenditur*, & in cap. 1. epist. ad Colos. V. 15. *Invisibilis Dei imago visibilis esse non potest, alioquin neque imago, quod enim invisibile est, pingi non potest, nec enim visibilis potest invisibilem videre, aut enim corpus est, quod videtur, aut figura, aut aliqua informata substantia quam fert acies oculorum, totum tamen corpus est. Deus autem, qui ab his omnibus alienus est, quomodo potest imaginem habere visibilem? sed ideo sic dicitur, ut talis Filius intelligatur, qualis est Pater.* S. Hieronymus in 6. Isaiæ scribit: *Non solum Patris divinitatem, sed ne Filii quidem, & Spiritus sancti, quia una in Trinitate natura est, posse oculis carnis aspicere, sed oculos mentis.* Iterum in cap. 64. *Deus nequaquam sermonibus explicatur, nec oculis contemplabilis est; sed ab his videtur, de quibus scriptum est. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Minutius Felix in Octavio. *Deus nec videri potest, visu clarior est, nec comprehendi potest, nec æstimari, sensibus major est, &c.* Philippus Presbyter lib. 3. in Job. cap. 42. *Audire Deum aut videre non istorum oculorum aut aurium est.* Claudius Mamertus lib. 1. de statu animæ cap. 24. *Valde stupere se dicit, quomodo quispiam Christianus cuilibet pulchro cuilibet sublimi corpori contemplabilem Deum faciat*, Didymus Alexandrinus in 1. Joan. cap. 4. v. 12. *Cùm invisibilis sit Deus, nullus eum visibiliter vidit unquam, quando non potest videre aspectus corporalis incorporalia.* Petavius tom. 1. lib. 7. cap. 2. plura alia congerit testimonia sanctorum Patrum adstruentium: Neque potentia Dei absoluta posse oculum corporeum elevari ad visionem Dei præ cæteris recenset Augustinum, qui perspicuè veritatem hanc tradit, & pluribus probat epistol. 6. & communiter Patres explicantes illud Exodi. Non poteris videre faciem meam, asserunt contra Antropomorphitas Deum tantùm mente cognosci posse, non autem videre corpore.

Difficultas est in assignanda ratione, quæ implicantiam hanc demonstret, & solet ratio peti vel ex in proportione potentiæ organicæ cum objecto incorporeo, quæ probatio est D. Thomæ: vel ex alio principio, quòd nulla potentia egredi possit extra limites sui objecti adæquati, & hæc ratio petita ex secundo principio ut vim habeat, putatim hoc argumento exhibendam. Nulla potentia potest elevari ad aliquod objectum attingendum nisi secundùm proportionem suæ specificationis, adeò ut si operetur ut talis potentia, necessariò debeat operari secundùm proprium suum constitutivum: sicut homo quia constituitur per rationalitatem, si operetur ut homo, necesse est, operetur per rationalitatem, alioquin si potentia non operaretur secundùm proprium aut formale suum constitutivum, non operaretur ut talis potentia, sed ut alia potentia, quæ constitueretur per elevationem; sed si oculus corporeus elevaretur ad videndum Deum intuitivè non operaretur secundùm proportionem suæ specificationis seu secundùm propriam rationem formalem constitutivam potentiæ visivæ corporeæ, quia non operaretur secundùm suam rationem formalem constitutivam talis potentiæ, ergo si perseveret potentia visiva corporea, quantumvis elevetur, non potest Deum ut objectum spirituale videre, major, & consequentia tenent, ostenditur minor, quia constitutivum formale potentiæ visivæ corporeæ est ipsissima habitudo, quam dicit hæc potentia ad tale peculiare objectum seu coloratum, adeò ut extensio habitudinis commensuretur per extensionem colorati, unde si oculus corporeus posset elevari ad videndum objectum non coloratum non operaretur secundùm habitudinem ad coloratum proinde neque ut talis potentia visiva, ac corporea. Potest etiam hæc veritas suaderi ex implicantia ex parte objecti: quia si Deus aut aliud ens spirituale videretur ab oculo corporeo esset, & non esset formaliter visibile; esset enim, quia potentia concurreret ad talem visionem: & potentia visiva qua talis respicit objectum formaliter visibile, ratio à priori est, quia esse formaliter visivum se tenet ex parte potentiæ, & dicit ordinem essentialem ad esse formale visibile, quod se tenet ex parte objecti; & ex duobus essentialiter correlativis nequit unum dari sine alio: unde ex eo, quòd potentia esset visiva, Deus quoque esset visibilis, & Deus non potest esse formaliter visibilis: quia objectum constituitur visibile per rationem aliquam formalem determinativam: & hæc ratio formalis est sola unitas seu convenientia in ratione colorati, quæ ratio Deo repugnat, proinde nequit de potentia absoluta elevari oculus corporeus ad videndum Deum. Potest etiam hæc implicantia ostendi ex parte actus: quia visio, de qua procedit, quæstio est essentialiter actus potentiæ visivæ corporeæ, nec potest esse, nisi perceptio objecti specificantis talem potentiam, atqui hæc visio est tantùm perceptio colorati, sicut auditio est perceptio soni, adeò ut formale specificativum, & constitutivum visionis qua visio est, sit tantùm ipsa perceptio colorati, & si esset perceptio soni, vel entis spiritualis non esset amplius talis potentia visiva corporea, quia non haberet specificativum visionis, nec ejus actus esset visio, quia tunc potentia visiva non videt, quando non agit ut visiva formaliter, sed si videret rem spiritualem, cum qua naturalem non habet proportionem, non ageret formaliter ut visiva, consequenter non videret, quia non ageret ut potentia formaliter visiva: quia tunc potentia visiva non agit formaliter ut visiva, quando non tendit in objectum formaliter ut visibile, & si videret rem spiritualem non tenderet in objectum formaliter ut visibile: siquidem ratio formalis objecti visibilis non est ratio communis entis sub ratione veri, sed est aliqua ratio specialis, & propria solius potentiæ visivæ, seu ipsum coloratum, in quo conveniunt omnia visibilia, si igitur potentia visiva videret rem spiritualem, quia hæc non est colorata, utique potentia visiva non aliter in ipsam tenderet, nisi sub ratione communi veri seu intelligibilis, proinde non tenderet in objectum ut visibile, nec operaretur ut potentia visiva. Hinc Salmeron *tom. 2. in Evangelia*

tractat.

tractat. 31. pag. 299. tom. 6. tractat. 33. pag. 275. redarguit Sciolos eos, qui quibusdam paralogismis decepti existimârunt posse Deum oculo corporeo videri, & Catharinus *opuscul. de bonor. præmio* ait: Esse valde ineptum putare posse Deum, id est, ipsam divinam essentiam corporeis oculis cerni, neque obstat, illud Jobi cap. 19. ajentis: *Scio enim, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, oculi mei conspecturi sunt, & non alius*: quia hæc verba Jobi explicantur à S. Thoma, ut Job non oculo carnis, sed in carne existens post resurrectionem visurus sit Deum oculo mentis. Ab aliis etiam explicantur verba Jobi, ut non sint intelligenda de visione corporea, sed de visione mentis, ut explicat D. Augustinus lib. 22. de civit. cap. 29. infra medium inquiens: *Potest & sic accipi. In carne mea videbo Deum, ac si dixisset, in carne mea ero, cum videbo Deum*, & revera Jobum non fuisse locutum de visione corporea ex eo potest facile conjici ex eodem Augustino, quia Job non dixit, videbo Deum *per carnem meam*, aut *carne mea*, sed *in carne mea*, hoc est, existens in mea carne videbo Deum meum oculis mentis. Alii etiam explicantes verba Jobi de visione corporea ajunt: Jobum oculis corporeis in carne rediviva visurum Deum incarnatum, seu Christum Salvatorem suum. Erit siquidem Christus præstantissimum objectum visionis corporeæ in patria cœlesti post resurrectionem.

Oculi siquidem glorificati in corporibus redivivis beatorum attingent sua propriis objecta, ut perficiantur per suos actus, siquidem exercitium visus glorificati est ejus ultima perfectio, ad quam suapte natura ordinatur, consequenter hæc perfectio non est deneganda, oculo, & visui glorificato in cœlesti patria post resurrectionem. Tum quia glorificatus integer erit, & perfectus, consequenter in cœlesti patria suas exercebit functiones, suisque fruetur oblectamentis, quia nec deerunt objecta circa quæ convenienter, & delectabiliter versari possint, unde Augustinus in fine epist. 112. *Si erunt ibi corpora, erunt quæ videre possunt oculi corporales*, neque ex parte medii ullum oberit impedimentum, quia cum empyrei regio interior, in qua extituri beati creduntur, lucida sit, & transparens secundùm omnes sui partes, & nil obstabit, quò minus videant objecta debitè approximata quæque continentur intra suam sphæram, ex qua emissæ ab ipsis species impressa traduci possint naturaliter ad oculos, in quibus fiet visio sine multiplicatione miraculorum. Tum quia homo glorificabitur non tantùm in anima, sed etiam in corpore, & singulis ejusdem membris: corporis enim & sensuum glorificatio eo præsertim videtur dirigenda, ut ex decenti, & honesto sensuum exercitio sequantur purissimæ, & castissimæ oblectationes. Tum quia par est, ut sensus, qui in hac vita societatem cum anima in passionibus, & tribulationibus subeunt, quique instrumenta sunt virtutis, & meriti, consortes etiam sint animæ quoad gloriam & oblectationes in cœlesti patria, ubi præmio suo, & remuneratione donentur; quod non contingeret, si sensus manerent ibi semper otiosi, & non prodirent in operationes jucundissimas, & decentissimas. Tum quia si damnatorum hominum sensus multis affligentur suppliciis in gehenna par est, ut in corporibus redivivis, & glorificatis promeritis donentur præmiis in cœlesti patria, cùm Deus non sit severior in puniendo, quàm benignus in præmiando. Tum quia hoc idem docet D. Thomas in 4. distinct. 44. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 3. ubi ait: *Dicendum quod aliquem sensum esse in corporibus Beatorum omnes ponunt; aliàs corporalis vita Sanctorum post resurrectionem assimilaretur magis somno quàm vigilia, quod competit illi perfectioni, eò quod in somno corpus sensibile non est in ultimo actu vitæ, propter quod somnus dicitur vita dimidium.*

Quod verò nobilissimum ac præstantissimum objectum visûs glorificati erit in cœlesti patria Christi Domini humanitas ex eo evincunt sancti Patres, quia Isaias 33. v. 17. hanc visionem propheticè prædixit loquens de beato in corpore redivivo & glorificato in cœlesti patria, *Regem in decore suo videbunt oculi ejus*, & ex illo Apocal. 1. v. 17. *Videbit eum omnis oculus*, & consonat Idiota in Psal. 15. v. 10. inquiens: *Felicitas nostra completur in visione, & fruitione humanitatis Christi*, cui adhærens S. Ambrosius in Elucidario ait: *O qualem voluptatem visus ipsi habebunt! qui ita clausis sicut apertis oculis videbunt, quibus singula membra ut oculi solis erunt, qui Regem gloriæ in decore suo cernent.* Sanctus Laurentius Justinianus lib. de discip. & perfect. Monasticæ conversationis cap. 23. ait: *Delectabitur oculus in amabili Redemptoris aspectu, cùm videbit Regem in decore suo gloria ornatum, & diademate redimitum, quo coronavit eum Mater sua in die desponsationis suæ.* Guilihelmus Antisidorensis in sum. cap. de resurrect. quæst. 1. ait: *Anima non indigebit sensu in patria ad cognitionem intelligibilium, sed propter aliud scil. ad videndum humanitatem Christi; terra enim illa melle, & lacte fluens, lacte humanitatis & melle divinitatis. Et habebunt oculi corporales gloriam suam in visione humanitatis Christi sicut oculi spirituales in visione divinitatis. Vita æterna prout competit homini, non erit sufficienter in anima, imò pars erit in corpore, ibi enim videbimus, amabimus, & laudabimus etiam vocaliter.* Hinc non mirum videri debet, si D. Petrus in vertice montis Thaborei proruperit in verba illa: *Domine bonum est nos hic esse*, quia tùm prægustâsset quandam portionem vitæ æternæ, eò quia viderit corpus Salvatoris perfusum dote claritatis hæc visio tantum ei attulit oblectamenti, ut selegerit ab eadem nunquam sejungi: de D. Petro ait venerabilis Beda Homil. de Transfigurat. *Glorificatam Christi humanitatem contemplatus tanto afficitur gaudio ut nullatenus ab ejus intuitu velit secerni.* Quod si tanta dulcedine fuit D. Petrus perfusus ac oblectamento oppletus ex sola corporis gloriosi visione, quanta erit suavitas, quanta dulcedo videre Regem in decore suo, & interesse choris Angelorum, ac omnium Sanctorum, *hæc enim visio*, ait Petrus Abbas Celensis lib. de panibus cap. 2. *est refectio delicatissima, ebrietas ultima, quies abundantissima deambulatio spatiosissima, sanitas inconcussa, fortitudo robusta, omnium bonorum possessio secura, vita beata*, quia omne desiderium beatorum Christi visio implebit, & summo gaudio videntes perfundet, quia si in corpore mortali habuit Christus in vultu tantam divinitatis vim, ut ad se traxerit Apostolos, ait enim D. Hieronymus epist. ad Principiam. *Nisi habuisset & in vultu quiddam sydereum nunquam eum statim secuti fuissent Apostoli, nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruissent*, cui consonat D. Thomas in Psal. 44. ubi ait: *Illam pulchritudinem corporalem habuit summè quæ pertinebat ad statum, & reverentiam, & gratiositatem in aspectu, ita quod quoddam divinum radiabat in vultu ejus, quod omnes eum reverebantur, ut Augustinus dicit*, rursus Chaldæus Paraphrastes, ubi nos legi-

mus

mus in Psal. 44. *Speciosus præ filiis hominum*, legit *pulchritudo tua Rex Messia major, & excellentior est, filiorum hominis, præstantior est tua forma omni humana forma.*

An verò Beati post resurrectionem erunt in cœlesti patria semper conspecturi oculis corporeis Christi humanitatem, respondent ferè communiter, Beatos in corporibus redivivis esse semper visuros Christi humanitatem, sive id fiat ex natura oculi, & luminis, sive supernaturali virtute, adeo ut nec ipsa locorum distantia futura sit impedimento, quin Beati oculis corporeis sint Christi humanitatem visuri, quia possunt in oculo glorificato conservari species visibiles humanitatis Christi, tametsi hæc valdè distet, ex quo inferunt, quòd tametsi Christus è suo Throno descenderet, ac distaret à Beatis non removentibus, adhuc possint species in eorum oculis conservari, ne vel brevi tempore intermittatur visio objecti conducentis ad beatitudinem accidentalem. Tum quia Corpus Christi quatenus objectum visibile habebit efficaciam immutandi potentiam visivam, ad quamcunque distantiam proinde credibile est, hanc efficaciam reductum iri ad actum respectu visus glorificati, quinimo hanc eandem efficaciam plures asserunt habitura corpora omnia gloriosa ad producendas species sui in quacunque distantia, neque inde timendum ut sit subsecutura deceptio aliqua in visu quia licet visus videat æquè clarè, ac distinctè corpus gloriosum valde remotum ac si esset proximum, adhuc ipsa visio unà cum corpore • erit etiam repræsentatura ipsam distantiam. Alii censent Christum in cœlesti patria esse replicaturum circumscriptivè suum corpus gloriosum variis in locis empyrei, ut ab omnibus, & singulis beatis possit ejus gloriosa humanitas aspici, quia sicut credimus certum de Fide Christi humanitatem infinitis fermè locis per totum universum præsentem sacramentaliter constitui ex vi verborum, quæ in consecratione proferuntur à Sacerdote, & id ut Christus possit homines in hac mortali vita adhuc degentes pascere spiritualiter reficere, & recreare: perinde credibile est post mortuorum resurrectionem præsentiam Christi circumscriptivam esse multiplicandam in cœlesti patria ad beatos illos cives suo conspectu jugiter recreandos, qui propterea jugiter erunt visuri oculo glorificato Christi gloriosam humanitatem, ex qua sensus visus plurimum hauriet oblectamenti. Quòd si dicamus Christi humanitatem sedere in suo throno, ac ibi fulgere perinde, ac sol, qui unus suæ assiduis sphæræ terrarum tractus omnes suo splendore illuminat, & reficit, & ubique terrarum homines suâ fruuntur claritate, & splendore; absque multiplicatione miraculorum, & replicatione humanitatis Christi gloriosæ, hæc ab omnibus posset in qualibet distantia facilè aspici, & inde haurire oblectamentum reficiens, & perficiens sensum visûs, non enim videtur inconveniens asserere Christi thronum adeo in cœlesti patria eminere, & ejus humanitatem eum emittere splendorem, ut ab omnibus cœlestis patriæ incolis commodè videri possit, id videtur attigisse Damascenus lib. 4. de Fide cap. ult. ubi ait: *Qui bona egerunt, fulgebunt sicut sol cum Angelis in vitam æternam cum Domino nostro Jesu Christo videntes ipsum semper & visi, & inaccessibilem quæ ab ipso est lætitia perfruentes.*

An verò liberum fuerit Beatis subinde cessare à visione humanitatis Christi, videtur asserendum nunquam cessaturos videre Christi gloriosam humanitatem. Ratio est primò quia visio objecti adeo delectabilis est ingens perfectio, quæ vel maximè conducit ad beatitudinem accidentalem: ergo si Beati instructi sint speciebus prout supponitur ad visionem illam efficiendam, & continuandam non poterunt influxum suspendere, & cessare ab illis. Firmatur quia humanitatis Christi ut existentis visio intellectualis sive in verbo, sive extra verbum non poterit suspendi à Beatis, eò quia inter objecta secundaria, quæ pertinent ad beatitudinem accidentalem intellectus est objectum maximè appetibile ut videatur, ergo neque suspendi poterit materialis visio ejusdem humanitatis. Secundò quia nulla suppetit ratio, cur debeant Beati cessare à visione illa corporea humanitatis Christi, non enim continuatio pariet fastidium, neque interruptio ullum adferet solatium, neque novam voluptatem, & licèt ut ait S. Basilius *serm. 2. de jejunio. Nihil tam desiderabile, quàm voluptas interposita, & minimè continuata, namea, quorum rarus usus longè melius, dulcimque sapiunt.* Et Juvenalis Satyr. 11. canat: *Voluptates commendat rarior usus*, id tantùm de voluptatibus fluxis transitoriis hujus vitæ verum est, quia in hac vita persæpè objecta delectabilia fastidium generant, vel quia homo defatigatus eis perfruendo, vel quia aliarum rerum appetitus urget; vel quia minora, vel viliora deprehendantur, quàm ab initio apparerent, unde S. Bernardus de primordiis mediis, & novissimis nostris ait: *Sic se habent universa sub sole ut nihil sit in eis verè jucundum, sed ab uno semper transire velit homo ad aliud, & solà vicissitudine relevetur utcunque, ac si prosiliat ab aqua in ignem, & inde rursus in aquam resileat, utpote qui neutrum ferre possit, omnis siquidem laboris remedium alterius laboris initium est.* Sed in altera vita in cœlesti patria post resurrectionem hæc omnia cessabunt, alioquin in ipsa visione, quâ Deus in se conspicitur, concedenda esset interruptio, vel ad evitandum fastidium, vel ad augendam voluptatem; hinc S. Gregorius lib. 18. moral. cap. 39. expendens verba illa 1. Petri cap. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere* ait: Angeli & vident, & videre desiderant, & sitiunt intueri, & intuentur. Si enim sic videre desiderant, ut effectu sui desiderii minimè perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, & anxietas pœnam. Beati verò Angeli ab omni pœna anxietatis longè sunt; quia nunquam simul pœna, & anxietas conveniunt cum beatitudine. Rursus cùm eos dicimus DEI visione satiari, quia & Psalmista ait: *Satiabor dum manifestabitur gloria tua.* Considerandum nobis est, quoniam satietatem solet fastidium subsequi; ut ergo rectè utraque conveniant, dicat veritas quia semper vident; dicat prædicator egregius: quia semper videre desiderant. Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur, ne autem sit in satietate fastidium, satiari desiderant: & desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur, & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus. Erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas. Sed longè abest ab ista siti necessitas, longè à satietate fastidium; quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus. Hactenus S. Gregorius. Tertiò quia beatus non poterit se occultare præsentem, ne sui gloriosa claritas, seu lux videatur ab alio beato; quia talis occultationis nulla apparet utilitas, nullus decens finis, ut notat Tostatus ad cap. 17. Matth. quæst.

120. ergo neque pro suo libitu poterit desistere à visione alterius beati, neque à fortiori ab intuitione Christi, cujus specie ut proprii objecti instructa facultas visiva; perinde clausis ac apertis oculis erit semper expedita ad aspiciendam Christi humanitatem, ut notat Sanctus Anselmus in Elucidatio, & cum ipso Hugo Victorinus apud Salam Tom. 1. in 2. Tract. 2. Disput. 14. Sect. 16. Et quamvis clausis oculis non esset expedita ad recipiendas species, his tamen semel acceptis, & conservatis non apparet quid possit impedimentum injicere ne videant Beati Christum nisi fortassis eorumdem voluntas; hæc autem ex nullo honesto fine moveri poterit ad impediendam hanc visionem, ex qua plurimum Beati haurient oblectamenti. Quartò, quia species impressæ determinant externos sensus naturaliter quoad exercitium percipiendi objecta, quorum sunt species; ergo si beatus semel habuerit in visu speciem humanitatis Christi determinabitur naturaliter ad ejus intuitionem. Quintò quia si beatus in patria semel intermitteret visionem Christi humanitatis; non posset postea ad illam redire, quia de novo non reciperet ejus speciem, cujus defectu non posset eam videre.

Dices Beati in patria plena gaudebunt libertate: ergo pro suo libitu poterunt non continuare talem visionem. Antecedens liquet, quia beati non destituentur perfectionibus suis naturalibus: & in tali libertate major elucescit perfectio: siquidem dominium erga aliquam operationem indicat majorem perfectionem ex se, quàm necessitas erga illam; si non fortassis necessitas compensationem accipiat ex aliis capitibus, quæ hîc in casu nostro non apparent: ergo beati pro suo libitu poterunt cessare à visione corporea humanitatis Christi. Sed contra negatur antecedens, quia in ordine ad videndum oculo corporeo Christi humanitatem non erunt habituri motivum cessandi à tali visione; quemadmodum intellectus beati nunquam erit cessaturus ab intuitione divinæ essentiæ, neque ab amore divinæ bonitatis, hæc enim repræsentata ab intellectu beatificato voluntati eam movebit ad amorem sui; neque poterit ab hoc amore unquam cessare, quia nullum poterit motivum ei occurrere quod præponderet motivo continuandi talem visionem, & amorem ob summum oblectamentum, quod inde beati erunt percepturi. Quamvis igitur sit in beato major perfectio, si species oculis impressæ dependeant in operando ab ipsius libero arbitrio, ac dominio, attamen nullum datur fundamentum ad hanc majorem perfectionem asserendam, quia si species impressæ oculis in hoc statu viæ mutuant ab objectis, non dependent naturaliter in operando ab arbitrio Beati, quapropter nonnisi miraculosè impedirentur ne determinarent quoad exercitium, eò quòd DEUS velit ad arbitrium Beati conferre, vel denegare suum concursum: & ad hoc miraculum asserendum non apparet sufficiens fundamentum, ut etiam si dicamus tales species in oculis Beatorum esse dissimiles iis, quas nostri oculi in præsenti statu viæ hauriunt ab objectis: semel enim, quòd species humanitatis Christi recipiuntur in oculis glorificatis Beatorum, & in iisdem perseverant, nullum potest sufficiens motivum adferri quo Beati debeant, vel velint cessare à visione humanitatis Christi, cùm ex illa plurimum suscipiant oblectamenti, quo destituerentur, si à tali visione cessarent.

Dices secundò, si oculi glorificati Beatorum sint habituri permanenter species humanitatis Christi, habebunt etiam species reliquorum hominum glorificatorum, consequenter simul & semel Beati oculis corporeis erunt visuri non solùm Christi humanitatem, verùm etiam reliquos omnes Beatos, atqui visus absque ingenti miraculo nequit simul & semel prodire in visiones tot objectorum; & quia pro hujus miraculi suasione deest urgens fundamentum, concludendum est oculos Beatorum non effecturos semper, & necessariò omnes illas visiones simul & semel. Sed contra quia ex eo, quòd oculi glorificati Beatorum sint habituri permanenter species humanitatis Christi, adeo ut in quacunque distantia valeant ipsam intueri, inde non sequitur habituros etiam species reliquorum Beatorum, & simul ac semel esse visuros omnia corpora glorificata reliquorum Beatorum, siquidem delectabilitas summa, quam erunt suscepturi ex visione humanitatis Christi, est sufficiens fundamentum asserendi Beatos nunquam fore cessaturos à visione humanitatis Christi, ne destituantur hoc summo oblectamento: perinde ac intellectus Beatorum nunquam erit cessaturus ab intuitione divinæ essentiæ ob summum gaudium, & delectationem, quam ex tali intuitione percipiunt: quamvis igitur supponamus Beatos habere species corporum omnium glorificatorum, & Deum paratum esse præstare, vel negare suum concursum ad visiones eorumdem juxta placitum Beatorum, non tamen Beati simul & semel omnia corpora glorificata aliorum videbunt, quia id non est necesse, & sine miraculo non videtur adstrui: Secus DEUS semper erit paratus ad concurrendum cum oculis glorificatis Beatorum ad visionem humanitatis Christi. Præterea si quis diceret activitatem visus glorificati esse tantam futuram, ut potis sit absque novo miraculo intueri simul, & semel reliqua corpora Beatorum etiam in quavis distantia vix posset falsitatis convinci, siquidem corpora glorificata erunt objecta propria oculi glorificati: an verò per glorificationem sit oculus beatificatus tantæ futurus efficaciæ, ut unico intuitu possit simul, & semel reliqua corpora glorificata intueri nobis non constat. Quamobrem cùm Beati præditi sint permanenter specie humanitatis Christi, saltem moraliter nequeunt Beati ab illius visione cessare, quia ut ait Gilbertus Abbas serm. 20. in Cant. *Verè est efficax, ac violenta & intuentium in se rapit affectus:* Etenim etiam Angeli in sententia plurium non possunt physicè cessare à cognitione sui, eò quòd objectum sit iisdem maximè conjunctum, ac proportionatum proprio intellectui; ergo quia humanitas Christi erit objectum maximè proportionatum oculis glorificatis Beatorum, & iisdem nihil deerit ex necessariis ad illam videndam, & ex tali aspectu sint summum percepturi oblectamentum, quo destitui nollent, sequitur Beatos saltem moraliter non posse ab illius visione cessare, perinde ac animæ Beatorum non erunt cessaturæ à visione divinæ essentiæ, & amore divinæ bonitatis; ad hos enim actus physicè necessitantur Beati, ut non possint physicè ab iisdem cessare: siquidem infinita DEI pulchritudo visa à Beatis non solum allicit, sed etiam eos rapit necessariò ad continuandam visionem, & amorem, non enim suppetere potest Beatis motivum præponderans, quo velint cessare à tali visione, & amore, quia inde destituerentur summo oblectamento, imò & ipsa beatitudine. Quare igitur non possumus asserere oculos glorifi-

catos

ctos Beatorum esse ita instroctos specie humanitatis Christi, ut semper velior ipsam videre, & nunquam à tali visione cessare, adeo ut moraliter etiam dicantur necessitari ad eliciendam hanc visionem terminatam ad Christi humanitatem glorificatam, siquidem nullum objectum magis proportionatum, nulla major pulchritudo poterit occurrere facultati visivæ corporeæ Beatorum: Hinc D. Anselmus in cap. 17. Matth. ait: *In illo supernæ beatitudinis regno Sanctis omnibus ita resplendebit unica, ac singulari splendore clarissima etiam humanitatis contemplatio; sicut sol unica ac singulari claritate superat omnia quæ corporeis oculis lucida videntur.*

Post Christi humanitatem præstantissimum visionis corporeæ objectum in patria erit Virgo Deipara, de qua ait Petrus Damianus serm. 1. de nativitate Mariæ: *Summa gloria est post DEUM & Christum te videre, tibi adhærere*, & Sanctus Anselmus lib. de excellentia Beatæ Virginis Mariæ cap. 9. ait: *Cùm ipsam Dominam, per quam tanta dona eis* (scilicet Beatis) *provenère, præ oculis habuerint juxta DEUM, quæ de suo utero Virgo Filium peperit præsidentem & jure materno cœlo, terræque cum eodem suo Filio præsidentem consideremus, quâ exultatione exultabunt pro tanta gloria ejus, quo honore sublevabuntur in tanta potentia ejus. Omnis itaque creatura defert ei honorem, non solùm quia videbunt natura ipsorum consortem esse suum Creatorem, sed etiam quia Dominam summam, Dominatricem cœli, & terræ Mariam ex his conspicient esse factam Reginam Angelorum.* Sanctus Bonaventura in Soliloquio cap. 4. ait: *Quis cogitare sufficiat, quantum gaudium generat Mariam illam inquam Matrem misericordiæ, & pietatis videre super omnem creaturam exaltatam regnantem cum Christo in Trinitatis palatio.* Dionysius Carthusianus de laudibus solitariæ vitæ art. 29. *In Regno cœlorum Mariæ præsentia, & affectus ineffabiliter auget accidentale præmium Beatorum.* Imò tantus erit splendor Virginis Matris, ut ob illum fulgorem radiantem in ejus vultu Sanctus Hilarius in cap. 1. Matth. v. 22. expendens illud: *Et non cognoscebat eum donec peperit Filium suum primogenitum*, censet Mariam prægnantem fixo oculorum obtutu non potuisse aspici à Sancto Josepho, perinde ac nimia claritas, ac fulgor radians non sinit nos solem intueri fixo oculorum obtutu, ait Hilarius de Beata Virgine: *Dominum gloriæ habens in utero, quomodo cognosceretur? si Moysis cum DEO colloquentis glorificata est facies, ut non possent intendere in eum filii Israel, quantò magis Maria cognosci, vel intueri non poterat, quæ Dominum potentiæ in utero habebat?* Quòd si Deipara adhuc in terris degens maximè post ascensum Christi in cœlum, tantæ erat majestatis decoris, & illicii, ut ab extremis mundi partibus homines ad ipsam invisendam traherentur, ut asserit Amedæus Lausanensis Homil. 7. de laudib. B. Virginis inquiens: Quis ergo non properaret, quis non curreret ab extremis terræ reverendæ majestatis decus aspicere, & vultu omnimoda suavitate imperali etiam dignitate, & singulari præditum potestate videre? quippe nihil inveniebatur illi simile in filiis, & filiabus Adæ, nihil tale in Prophetis, Apostolis, aut Evangelistis, nihil illi simile cœlum, & terra dedere, quis enim innubibus æquabitur ei, aut similis foret Matri Domini in filiis DEI? Et vide quàm recto ordine citra assumptionem affulsit admirabile nomen ejus in universa terra: & fama ejus celeberrima ubique diffusa est, priusquam elevaretur magnificentia ejus super cœlos. Decebat enim Matrem Domini Virginem, & ob nati sui honorem primò terris regnare, & ita demum cœlos cum gloria suscipere; dilatari in infimis, ut & superna in plenitudine sancta penetraret translata, sicut de virtute in virtutem, sic à claritate in claritatem à Domini spiritu. Igitur in carne præsens futuri regni primitias prælibabat hactenus Amedæus. Quòd si cùm futuri regni primitias prælibaret Maria in corpore adhuc mortali rapiebat ad sui aspectum, & ad se trahebat longè dissitas, & toto ferè orbe divisas gentes: Quomodo non erit raptura post resurrectionem cives cœlestis patriæ ad sui aspectum cùm in corpore glorioso, & immortali super Choros Angelorum exaltabitur.

Post Christi humanitatem, & Virginem Matrem, cujus pulchritudo vincet omnes alias reliquarum fœminarum, aspicient oculi glorificati Beatorum Angelos non simplices spiritus, sed in assumptis corporibus, & alios concives cœlestis patriæ, ex tali enim aspectu magnam percipient delectationem Beati, præsertim ab intuitu Angelorum in assumptis corporibus pulcherrimè efformatis, sive ex materia empyrea, sive ex aërea. An verò sint corpora Beatorum visura suas proprias facies, ac oculos respondet Nider cap. 10. super decimum præceptum Decalogi fore, ut possint ubique, & semper tum per species à DEO inditas, tum utendo corporibus gloriosis aliorum, vel etiam propriis manibus ante oculos sublevatis, veluti speculis mundissimis, quia Beatorum corpora sunt futura transparentia, translucida, & polita, & poterunt ipsorum animæ uti ad placitum suis corporibus, ac speciebus sensibilibus, unde fiet quòd subtrahendo, vel immorando possint facere illa terminata, & optima specierum receptacula, ac illa videre situ opposita. Beatos, & Angelos, imò & homines mutuo se visuros intellectualiter, acinde ingenti lætitiâ afficiendos, & hanc futuram unam, & præcipuam ex accidentalibus perfectionibus beatitudinis, asserit Augustinus lib. 8. de Genes. ad litteram cap. 23. inquiens: *Creatura spiritualis, & intellectualis perfecta, & beata, qualis Angelorum est quantum attinet ad se ipsam, quo fit sapiensque ac beata sit nonnisi intrinsecus adjuvatur æternitate, veritate, charitate Creatoris, extrinsecus verò si adjuvari dicenda est, eo fortasse solo adjuvatur, quòd se invicem vident, & de sua societate gaudeat.* Docet enim D. Thomas 1. 2. *quæst. 4. art.* 8. societatem amicorum conducere ad beatitudinem, quæ erit in patria: siquidem gaudium de felicitate est majus saltem extensivè, quando eam etiam participant amici, hinc dilectio si perfecta sit, infert proximorum amorem, & gaudium de communi prosperitate. Hinc Beati externis oculis conspicient etiam se mutuò, seque aspicient, & ex tali aspectu gaudium percipient, huc accersendus Sanctus Cyprianus lib. de mortalitate inquiens: *Patriam nostram Paradisum computamus, parentes, Patriarchas habere jam cœpimus, quid non properamus, & currimus, ut patri-*

nus in libris de spectaculis inquiens ; *Habet Christianus spectacula meliora si velit, habet veras & protuturas voluptates, si se recollegerit : & ut omittam illa, qua nondum contemplari potest, habet istum mundi pulchritudinem, quam videat, atque miretur* ; quòd si alicujus loci amœni floribus, rosisque ornati existentia, ac cultura solatium aspicientibus ingerit, etiam post generalem resurrectionem mundus innovatus solatium adferet oculis glorificatis beatorum tam enim terra, quàm cætera elementa in mundi innovatione omni fæce, & immunditia expiabuntur, ut censent Sancti Patres, imò & mare purgandum erit, à corpulentia, & salsa amaritudine, omnique corruptione, nec erunt in ipso fluctuum commotiones, & desumitur ex cap. 21. Apocal. v. 1. ubi dicitur : *Et mare jam non est.* ad quæ verba Cornelius, Ribera, Viegas agunt de renovatione maris ; & licèt Beda ibid. censuerit per talia verba intelligi mare exsiccandum esse, ac omnino abolendum ; nihilominus D. Augustinus lib. 20. de civit. cap. 16. ait *utrum mare maximo illo ardore siccetur, an & ipsum vertatur in melius non facile dixerim* alii tamen asserunt mare mansurum subtile, purum, pellucidum, splendens, & serenum ad integritatem, & decorem universi, ut reliqua elementa visu pulcherrima, in quibus nihil erit, quod oculis glorificatis non deserviat ad oblectamentum, quia ut ait S. Petrus Chrysologus serm. 139. *Pereunte immunditia, verè mundus jam vocabitur mundus* ; quia omnia elementa innovabuntur, fientque perfectiora, ut de terra speciatim loquens D. Anselmus in Elucidario loquens de innovatione elementorum ait : *Terra quæ in gremio suo Domini corpus confovit, tota erit ut paradisus, & quia sanctorum sanguine est irrigata, odoriferis floribus, liliis, rosis, & violis erit immarcessibiliter perpetuo decorata.* Verùm contra hunc terræ ornatum duo opponuntur primò quia terra undique cooperienda erit aquis redactis ad suum naturalem locum. Secundò quia nullum in elementis existit mistum post orbis renovationem, proinde in terra non germinabunt plantæ, in aquis non natabunt pisces, in aëre non volabunt aves. Verùm ad primum respondetur quod tametsi concederetur terram omnino fore aquis operiendam ; non ideo negandum existere sub illis herbas plantas ; & ex DEI providentia fiet ut aquæ non operiant totam terræ superficiem ; sed alicubi appareat arida, alibi aquis pellucidis operta, hic fovebit plantas, & flores immarcescibiles ; alibi proceres arbores perpetua luxuriantes viriditate ; idque ad commodum incolarum, seu puerorum qui sine baptismo ex hac vita decesserunt, & sine peccato proprio actuali, cujus nondum erant capaces. Ad secundum respondetur, esse incertum post diem judicii nullum futurum ex elementis mistum, & quamvis porior Theologorum pars asserat post judicium in elementis nulla futura corpora mista quæ in sua erunt elementa solvenda, ac desinent post orbis instaurationem ; adhuc in contrarium videtur posse opponi, quia Christus veniet judicaturus mundum in nubibus juxta Matthæum cap. 24. v. 30. cap. 26. v. 64. & licet respondeant aliqui, DEUM per miraculum vel conservaturum nubes post ignis conflagrationes, vel producturum de novo nubes. Olympiodorus in cap. 12. Ecclesiastis expendens illud D. Pauli 1. ad Thessalon. cap. 4. v. 17. *Rapiemur in nubibus obviam Christo in aëra* ait *Nubes tunc in aliud ministerio Domino DEO obedient, vehiculo fortassis gestandis sanctis effecta* nubes autem sunt mista licet imperfecta; ergo post innovationem orbis, post mundi conflagrationem, ac judicium erunt saltem aliqua mista in aëre ; unde probabile saltem est futura etiam in terris innovatis ad uberiorem terræ elegantiam, & ornatum, ac commodum puerorum, qui decesserunt sine baptismo, & peccato personali actuali, qui detinebuntur in terræ innovatæ superficie veluti in loco medio inter cælesti donatos beatitate, & suppliciis addictos æternis.

CAPUT XV.

Quænam Beati erunt post resurrectionem oblectamenta percepturi ex usu Auditus, & reliquorum sensuum corporis gloriosi.

NOn loquimur de auditu interno, qualem habent Angeli, & animæ separatæ ante corporum resurrectionem sed sermo est de auditu corporeo, & loquutione externa qualem habent homines degentes in vita mortali. Plures visi sunt dubitâsse an beati resumptis corporibus glorificatis sint locuturi ac usum habituri sensûs auditus. D. Thomas in 4. *distinct.* 44. *quæst.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 4. refert aliquos negâsse locutionem externam corporibus glorificatis in patria, & ante ipsum eos retulerat Parysiensis ; & Albertus Magnus in 2. distinct. 3. art. 6. ait : *Magis puto, quod aut non est ibi* (scilicet in cœlesti patria post diem judicii) *laus vocalis, aut si erit, nonnisi in demonstrationem potentiæ laudantis ; ut in hoc ostendatur decor sapientiæ, quæ sic ordinavit organa, ut in talem vocem prorumpere possent.* Quinimò etiam D. Bonaventura visus est anceps hæsisse : siquidem in 4. distinct. 49. art. 3. quæst. 1. num. 42. ait : *Isti duo sensus* (visus scilicet & tactus) *in suis actibus erunt in patria, alii verò minimè deficientibus sibi mediis : nisi forte quis instet in auditu, de quo relinquitur in dubio, sicut de laude vocali in patria, quam ibi ponere non videtur necessarium, nec inopinum, & ideo hic opinari est liberum.* Abulensis itidem in cap. 17. Matth. quæst. 116. ait : *Si quis dicere voluerit, quòd in patria non erit vocalis locutio, non est inconvenienter dictum, quia non manet aliquid ad quod sit non necessaria.* Verùm communior Theologorum, ac Patrum sententia est, corpora glorificata esse usura hoc sensu auditûs, ac in patria futuram vocalem locutionem. Et quamvis D. Bonaventura in 4. *distinct.* 4. *art.* 3. *quæst.* 1. hæserit anceps circa hanc quæstionem, in soliloquia postea cap. 4. rejecta omni prorsus dubitatione fatetur beatos in corporibus suis glorificatis usuros hoc sensu auditûs inquiens : *Ibi erunt omnes sensus in actibus suis. Ibi enim oculus videbit decorem speciosissimum, gustus sentiet saporem dulcissimum, olfactus adorabit odorem suavissimum, ta-*

ctus amplexabitur objectum deliciosissimum auditus demulcebitur per sonum jucundissimum. Ibi enim cùm mens in exultationem rapitur, lingua in canticum laudis elevatur. S. Laurentius Justinianus *lib. de disciplina, & perfectione Monasticæ Conversationis cap.* 23. huic adhæret sententiæ, & fatetur, in cœlesti patria beatos in corporibus glorificatis usuros sensu auditus inquiens: *Harmonia cœlorum, melogica cantica civium supernorum non mediocriter mulcebunt auditum. Super muros namque Jerusalem custodes constituti sunt, qui die, nocteque nomen Domini laudare non cessant, sed & per vicos, & plateas illius à cunctis infatigabiliter alleluja cantatur. Fragrans quoque suavitas cœlestium odoramentorum mira liquefactione respergit odoratum. Hos prolibaverat tenuiter tamen qui dicebat: Odor tuus ò Domine excitavit me in concupiscentias æternas. Indicibilis etiam dulcedo omnium delectabilium, mellisflua quadam, & jucunda facetate oris saginabit palatum. Nec mirum nam exultationes DEI in gutture eorum, & misericordias Domini in æternum cantabunt.* Similia habet S. Petrus in epist. ad Plancam cap. 15. ubi describens cœlestem patriam ait: *Illic odoris suavitas cunctorum excedit vires aromatum, omnes superat flagrantiam pigmentorum, illic beatorum aures harmonicæ dulcedinis organa meloda permulcent. Illic pratis jucunda satis amœnitate vernantibus candentia lilia nunquam decidunt, rosæque purpureæ cum croceis floribus non marcescunt. Et certè de illa cælesti Jerusalem beatitudine sempiterna incomparabiliter plus est, quàm mens possit humana concipere plus mente concipitur quam ullis sermonibus explicetur.* S. Greg. M. expendens verba Jobi c. 8, 20. *DEUS non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis, donec impleatur risu os tuum, & & labia tua jubilo,* ait ad firmandam nostram sententiam, *bene os risu impleri dicimus, & labia jubilo, nam in illa æterna patria cum justorum mens in exultatione rapitur, lingua in cantum laudis elevatur.* S. Irenæus lib. 5. adversus hæreses cap. 8. ait ad rem nostram. *Si igitur nunc pignus habentes clamamus Aba Pater: quid fiet, quando resurgentes facie ad faciem videbimus eum? quando omnia membra affluenter exultationis hymnum protulerint, glorificantia eum, qui suscitaverit ea ex mortuis, & æternam vitam donaverit.* D. Augustinus in Manuali cap. 6. ait: *Qua cantica, quæ organa, quæ cantilena, quæ melodia ibi sine fine decantantur? Sonant ibi semper mellisflua hymnorum organa suavissima Angelorum melodia, cantica canticorum mira, quæ ad laudem, & gloriam tuam à supernis civibus decantantur,* & passim describit hunc usum auditus in corporibus glorificatis beatorum, cui adhærens S. Paulinus epist. 44. quæ est quarta apud S. Augustinum ait: Sine dubio hoc illud est, quod in Psalmia habes: Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. Puto autem hanc laudationem vocibus concinnentium esse promendam, & si immutabuntur sanctorum resurgentium corpora, ut sicut & Domini corpus resurrectionem apparuit: in quo utique resurrectionis humanæ viva imago profulsit, ut dominus ipse, qui in vivo corpore, quo passus fuerat, & resurrexerat, quasi speculum contemplationis omnibus foret. Qui utique cum in eadem carne, qua mortuus & sepultus fuerat, resurrexisset, omnium officia membrorum expressa oculis, & auribus hominum sæpe collata exhibuit. Quòd si etiam Angeli, quorum simpliciter spiritualis est creatura linguas habere dicuntur, quibus utique laudes Domino Creatori decantant, & gratias referre non desinunt; quantò magis hominum & si spiritualia jam, post resurrectionem corpora incorruptibus tamen glorificata carnis omnibus membris, & per omnia membra formis, & numeris suis, & linguas habebunt in oribus suis, & linguis effantibus dabunt voces, quibus divinas laudes, vel sensuum suorum, gaudiorumque affectus per verba depromant, hactenus P. Paulinus. Non enim repugnat corpora glorificata exercitia habere sensuum externorum, cùm Christus Dominus post resurrectionem pluries in corpore suo glorioso fuerit locutus antequam ascenderet in cœlum, ut testantur Evangelistæ; ideò & post ascensionem fuit locutus cum Paulo, ut narratur Actor. 9. tum quia Christus sensibili, & externa voce erit pronunciaturus in judicio generali definitivam sententiam, quam erunt audituri æquè beati, ac damnati, ut tradit S. Hieronymus in epist. ad Pennachium de erroribus Joannis Jerosolymitani inquiens: *Audient auribus, & procedent pedibus.* Et in sensu literali intelligitur, quòd ait Christus apud Joan. 5. v. 28. *Omnes, qui in monumento sunt, audient vocem &c.* ergo corpora beatorum in cœlesti patria sentiunt usum auditus. Et ratio id videtur etiam suadere, primò quia beati post resurrectionem movebunt corporis membra ergo à fortiori etiam linguam, quæ valdè flexilis est. Et ex imaginatione, ac appetitu movebunt arteriam asperam, quibus solent voces articulari, & per litteras, ac syllabas laudes occinent DEO. Secundò quia post resurrectionem inter beatos futura erit humana ac politica societas, quæ exigit communicationem mediis vocibus, quibus significantur, & exprimuntur interni conceptus. Tertiò quia locutio mutua est operatio valde perfecta naturæ humanæ, & per quam homines secernuntur à brutis, unde non videtur probabile corpora glorificata beatorum substitura defectum insignis hujus perfectionis, & beatos homines extituros perpetuò in cœlesti patria non secus, ac si essent muti, & surdi. Quartò quia ecclesia militans laudat DEUM mente, & ore, ergo æquum erit, ut hoc idem præstet triumphans, quia ut ait Chrysostomus homil. 54. ad populum Antiochenum: *Os nobis, & lingua ad laudes est assignata divinas,* & quia in corporibus glorificatis erunt os, & lingua procul dubio propria exercebunt munia in corporibus glorificatis os, & lingua & hymnos proferent divino Numini, hinc Isaias, cap. 51. v. 3. ait: *In calesti Sion gaudium, & lætitia invenietur, & gratiarum actio, & vox laudis,* quia ut ait; Gulielmus Parisiensis cap. 43. *Decentissimum ac debitum modis omnibus per se videtur, & corde, & ore ibi potissimum laudari creatorem ab his, in quos incogitabiliter profusa erit beneficentia largitatis ipsius. Et virtus gratitudinis nec completa fore in operationibus suis videri potest, si non erumpit in voces collaudationum, benedictionum, & glorificationum Creatoris.* Hinc in cœlestis patria non deerunt vocum concertus, nec musicales cantus, ut colligitur ex Apocal. cap. 5. Et ex Psal. 149. *Exultationes in faucibus eorum* scilicet in faucibus corporum glorificatorum post resurrectionem mortuorum, significat enim scriptura in patria futuram laudem etiam vocalem, & expressam per gutturis organa, proinde sensus auditus in cælesti patria suam percipiet ex proprio objecto delectationem, decet enim statum beatificum hominum oblectatio ex auditu cantuum comparata, & ex vocibus, quæ demulcent aures & mentes beatorum.

Quòd

Quòd si quæras quamnam linguam erunt glorificata Beatorum corpora locutura, plures censent hanc linguam fore Hebræam ita censent Bustus *part. 2. mariis serm. 2. part. 1*, uti citat sanctum Isidorum Hispalensem, Remigius in *1. ad Corinth. 13. v. 8.* Cassaneus *12. parc. Cathal. gloriæ mundi. consid. 22.* Bernardinus in *cant. Magnificat lib. 1. cap. 21.* Bartholomæus Sybyla *in speculo peregrin. quæst. cap. 6. decad. 3. quæst. 6.* Ægidius Lusitanus *Tom. 3. de Beatitud. lib. 4. quæst 22. art 7.* & plures alii. Verum res hæc omninò incerta est, cùm nusquam reperiatur in Scripturis, ut notat S. Isidorus *lib. 9. origin. cap. 1.* Probabilius videtur Beatos habituros donum omnium linguarum, ut censet Albertus Magnus *in summa de quatuor coæv. quæst. 9. art. 5.* Carthusianus *in 1. ad Cor. 13. v. 8.* & plores alii, quia hæc est perfectio absque imperfectione & maximè decens statum beatificum, estque valde conformis perfectioni hominum cupientium varias calere linguas: quòd si Deus in statu viæ hoc dono plures ornavit homines, cur non etiam in cœlesti patria, unde quisque erit locuturus, ac intellecturus linguas omnes, hinc S. Gregorius *lib. 4. dialog. cap. 26.* narrat de quodam puero, qui cùm in cœlo fuisset, *accepit illic, ut linguis omnium loqueretur*, & hoc ipse signum præbuit sui in cœlum raptus: ergo quia Beati linguas omnes perfectissimè calent per scientiam saltem infusam, ut putant aliqui cum Henriquez. Probabilius tamen est in cœlesti patria unius tantùm linguæ usum fore frequentiorem, ut censent Palatius, Barrada, Salmeron, & alii plures, quia Apostolus *1. Cor. 13. v. 8.* ait: *Charitas nunquam excidit sive prophetia evacuabuntur, sive linguæ cessabunt sive scientia destruetur.* Indicat Apostolus cessaturum usum plurium linguarum, hinc S. Anselmus ait: *Variarum linguarum locutiones in illo sæculo cessabunt, ubi enim erunt manifesta omnia, cur alicui diceretur aliquid? poterunt quidem loqui ad invicem sancti, sed non erit necesse, ubi scientia vocem præveniet. Et si quid inter se locuti fuerint, non eo modo facient, quo nos nunc loquimur; sed eo potius quo in supernis angelici spiritus loquuntur*, non tamen hæc verba videntur locutioni sensibili Beatorum favere, unde exactius id explicat D. Thomas expendens verba Apostoli inquiens: *Est intelligendum quantum ad donum linguarum, quo scilicet aliqui in primitiva Ecclesia variis linguis loquantur, ut dicitur Actor. 2. In futura enim gloria quilibet quamlibet linguam intelliget: Unde non erit necessarium variis linguis loqui. Nam etiam à primordio generis humani ut dictum Genes. 11. unus erat sermo, & unum labium omnibus, quod multò magis erit in ultimo statu, in quo erit unitas consummata*, unde Cajetanus: *Non dicit, quòd cessabit lingua, sed cessabunt linguæ, quoniam non cessabit sensibilis locutio, sed cessabit diversitas idiomatum. Erit labium unum omnium, multò magis quàm fuerit olim ante confusionem linguarum.* Et Petrus Celensis in tractat. de opere sex dierum ait: *Non erit in illa pace diversitas linguarum*, siquidem varietas linguarum dedecet concordiam cœlestis reipublicæ, unde S. Chrysostomus in cap. 11. Genes. homil. 30. agens de confusione primâ linguarum ait: *Sicut lingua unitas cohabitationem fecit, ita linguæ diversitas disperget; quibus enim non est idem sermo, & lingua, quomodo cohabitare possunt?* Cæterum putâtim etiam locuturus subinde Beatos linguis, quæ nativæ ipsis fuerunt, cùm mortalem vitam agerent, quia id videtur aliquam voluptatem ingerere. Dulcius ab unoquoque suscipitur, quod patrio sermone narratur, ut ait Cassiodorus in præfatione ad libros de institutione divinarum Scripturarum. Probabile est etiam in cœlesti patria novam futuram linguam, quia illud Pauli 1. ad Corinth. 13. *Linguæ cessabunt*, potest commodè intelligi de cessatione linguarum, quatenus alia futura erit lingua perfectior, quia ut ait S. Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Joan. cap. 8. *Cognitio ista præsens tempore illo desinet, cùm perfecta cognoscendi lux nobis infusa fuerit, quemadmodum in nocte serena stellarum splendor & pulchritudo apparet, sole autem oriente particularis stellarum splendor evacuatur.* Tum quia in cœlesti patria erunt omnia nova Apocal. 21. v. 5. *Ecce nova facio omnia*, ergo par est, ut etiam lingua & loquela innovetur. Tum quia ornamenta corporum glorificatorum erunt nobiliora in patria, quam fuerint in statu innocentiæ, ergo etiam lingua, & sermo erit perfectior. Neque obstat, quod Apostolus ad Philip. 2. v. 11. scribat: *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*, quia Apostolus per omnem linguam non intelligit, quòd quilibet Beatus sit lingua propria, quam calebat, cùm viveret in statu viæ, locuturus in patria, ut confiteatur, quòd Dominus Jesus Christus in gloria sit Dei Patris, sed per omnem linguam intelligit linguam Beatorum in cœlis linguam hominum in terris, & linguam eorum, qui detinentur apud inferos: quo pacto volt Apostolus, ut omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum flectatur.

An verò Beati erunt in continuo audiendi exercitio, & sint audituri concentus musicos, aliosque sonos præter vocales, respondetur; Beatos semper aliquid laudituros, & nunquam cessaturos à divinis laudibus, quia ex locutione, & cantu plurimum percipient solatii, & oblectamenti. Hinc Tobiæ cap. 13. v. 22. *Per vicos ejus* (scilicet cœlestis patriæ) *alleluja cantabitur.* Neque ullum illis suppetet argumentum se privandi hoc oblectamento in cessatione à divinis laudibus, hinc Joannes Apocal. 4. v. 8. de illis quattuor animalibus quæ vidit in cœlis, ait: *Requiem non habebant dicentia Sanctus.* Verum probabile est de cantu continuo tantùm moraliter non physicè, quia cùm Beati gaudeant libertate, & locutio, ac cantus sint in ipsorum libera potestate poterunt existente adhuc locutione, aut cantu applicare auditum ad alia. Neque deerunt in cœlesti patria musica instrumenta, quia ut ait Bustus, non videtur absurdum opinari, quòd sicut Deus fecit incorruptibiles mansiones pro Beatis, ita etiam fecerit diversa sonorum instrumenta incorruptibilia ad accidentalem eorum consolationem, ut ipse ab eis omni modo possibili, sicut convenit, laudetur, & magnificetur. Idque videtur desumi ex Apocal. 14. v. 2. ubi Joannes testatur auditam à se *vocem sicut cytharœdorum cytharizantium in cytharis suis.* Et Apocal. 5. v. 8. etiam referuntur: *quatuor animalia, & viginti quatuor seniores cecidisse coram agno habentes singuli cytharas.*

Quid verò dicendum de olfactu corporis glorificati, respondetur etiam hunc sensum, qui serie, & dignitate est tertius sua itidem percepturum oblectamenta ex propriis objectis. Ratio id videtur suadere, quia olfactus est etiam capax honestæ oblectationis, qua propterea non erit destituendus. Tum quia olfactus, & gustus fuerunt persæpe consortes mortificationis, consequenter congruum erat, ut etiam fierent consolationis. S. Thomas *in distinct. 44. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 4.* adfert quoddam Ecclesiæ canticum, quod erat *odor suavissimus, erunt corpora Sanctorum*, ut probet extituros in cœlesti patria odores, & licet canticum illud non sit amplius

in

in usu Ecclesiæ, tamen aliud substituit nempe *Sanctis tui Domine florebunt sicut lilium, & sicut odor balsami erunt ante te.* Et quamvis prima pars hujus cantici de flor- fili sumenda sit metaphoricè, nil tamen vetat, quod ultima pars sumatur in sensu proprio ad uberius oblectamentum corporum glorificatorum, imò & ipsa corpora glorificata gratissimum efflabunt odorem. Corpora Beatorum spiratura suavissimum odorem pro certo censet Pintus Ramirus *in Cant. Cantor. cap. 1. v. 3. n. 38.* & sibi persuadet ipsum Christum, cùm mortalem ageret vitam aliquid suavissimi odoris efflâsse ob perfectissimam corporis complexionem, & Carthusianus *lib. 2. de laudib. Virginis art. 36.* arbitratur, Deiparam Virginem suavissimum semper efflâsse odorem, tum quia odor in corporibus oritur ex mixtione, in qua calidum, & siccum dominantur, atqui in aliquibus saltem corporibus glorificatis aderit hoc temperamentum, ergo si non omnia saltem aliqua erunt odorem ipsum emissura. Præterea quamvis non omnia sint habitura idem temperamentum, adhuc quarum qualitates ita attemperabuntur, ut in uno quoque sufficiant ad odoris emissionem majorem, vel minorem pro diverso qualitatum temperamento. Quoad sensum gustûs, qui ordine est quartus etiam ipse suo non destituetur oblectamento, quia hic sensus etiam est capax honestæ oblectationis, quia propterea non erit destituendus, tum quia sensus gustus persæpe pluribus fuit mortificationibus coërcitus à viris præsertim abstinentiæ studio addictis, ergo congruum erat, ut in patria particeps fieret oblectamenti alicujus.

Quòd si dicas exercitia olfactus, & gustus adversari doti impassibilitatis, proinde eorum oblectamenta, & exercitia non esse in corporibus glorificatis admittenda: Siquidem sapor, & odor tantùm exiguntur propter indigentiam, quæ in patria cessabit, sapor enim requiritur propter gustum, & hic propter individui conservationem, ut reparetur humidum radicale, quod à nativo calore continua activitate absumitur; & odor requiritur præter confortationem cerebri, quod ex assidua mentis defatigatione debilitatur: sed neutra causa erit in patria, quia in corporibus glorificatis propter dotem impassibilitatis non absumetur humidum radicale à calore innato; neque cerebrum debilitabitur ob mentis defatigationem: ergo in patria saltem hi duo sensus olfactus, & gustus non videntur habituri sua exercitia. Firmatur quia eatenus utriusque sensus voluptates sunt honestæ, & licitæ quatenus ordinantur ad proprii individui conservationem scilicet ad reparandum humidum radicale, & confortandum cerebrum, atqui in patria uterque finis cessabit, ergo voluptates utriusque sensus licitæ non erunt, quia licitum nunquam est uti delectatione per se fine, quam natura adhibuit pro medio. Sed contra quia tametsi sint cessaturi fines intrinseci harum voluptatum utriusque sensus, adhuc erit mansurus finis extrinsecus, ad quem finaliter diriguntur. Finis intrinsecus harum oblectationem à natura institutus est reparatio humidi radicalis, & confortatio cerebri: & quia beati utpote impassibiles non indigebunt hac reparatione, & confortatione, ideo cessabit finis intrinsecus à natura institutus: non verò finis extrinsecus, quia hic est gloria Dei, ad quem Beati dirigent omnia sua exercitia, & propter quam exercebunt omnes suas operationes; quamobrem ob hunc finem extrinsecum sensus olfactus, & gustus erunt habituri sua objecta, & exercitia. Ad confirmationem respondetur, quod tametsi utriusque sensus oblectationes sint honestæ honestate proxima naturali quatenus ordinantur ad conservationem proprii individui, adhuc por- sunt fieri honestæ honestate remota & supernaturali per directionem ad Dei gloriam ut finem ultimum. Instabis objecta olfactus, & gustus non agunt in sensus actione intentionali, & perfectiva sicut visibile, & audibile; sed naturali per alterationem organi mediis qualitatibus: sed modus iste operandi adversatur impassibilitati corporis gloriosi, proinde non erunt in patria objecta olfactus & gustus. Et ex eo firmari potest, quia odor immittitur ab objecto odorifero per exhalationem corpusculorum deferentium odoriferam qualitatem ad sensum olfactus; sed modus iste agendi præsupponit corruptibilitatem in corpore odorifero: & in patria nullum est corpus corruptioni obnoxium: ergo in Beatis sensus olfactus, & gustus non erunt habituri propria objecta, & exercitia. Sed contra quia objecta agunt per se in sensus actione intentionali, quamvis in hac vita agant simul actione naturali; Unde in patria sensus corporis gloriosi absque ulla alteratione, & detrimento propria attingent objecta; nec sensus olfactus, & gustus adversabuntur doti impassibilitatis. Respondetur etiam potest secundò, quòd tametsi objecta olfactus, & gustus non agerent in sensus actione intentionali productiva specierum, sed tantùm naturali productiva qualitatis immutativæ organi; non tamen inde sequeretur per hanc actionem alterari sensus corporis gloriosi, quia hujusmodi actio non esset corruptiva qualitatis organicæ; sed tantùm productiva qualitatis objecti. Ad confirmationem respondetur; quòd tametsi odor immittatur per effluvium, & exhalationem corpusculorum deferentium odoriferam qualitatem ad olfactum; potest nihilominus dari qualitas odorifera, quæ ita organo olfactus inhæreat, ut sit in illo comprincipium ad quæmcunque odoris sensationem eliciendam; perinde ac in deserto fuit manna quamvis adeò sapida, ut fuerit comprincipium ad quemcunque saporem percipiendum: quod si hanc qualitatem sapidam habuit manna, ut filii Israel omnia experirentur oblectamenta gustus: cur non erit credendum hanc eandem virtutem habitura corpora odorifera in patria?

Hinc liquet non defuturos in cœlesti patria depuratissimos odores, qui cum ibi contrario careant erunt perpetuò duraturi, ac plurimum oblectamenti olfactui allaturi; siquidem per mediam Empyrei regionem tam facilè spargentur, quàm nunc per nostrum aërem: sed tunc diffundentur odores absque ulla evaporatione, & exhalatione corporis alicujus, ut docet D. Thomas *in 4. dist. 44. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 4. ad 3.* Neque opus erit, ut corpora odorifera in cœlesti patria assiduè vapores, & exhalationes de se emittant; quia potest odor absque hac evaporatione diffundi; etenim evaporationes statim dissipantur, ac evanescunt, cùm odores diu hæreant corporibus, quæ iisdem sunt imbuta, ut chirotecæ semel odore perfusæ ad multum temporis illum servant; vestigia ferarum odorem relinquunt, quem post plures horas venatici canes deprehendunt, neque videtur credibile hunc odorem consistere in vaporibus, qui statim dissipantur ac evanescunt, vel flatu venti aliò asportantur. Præterea quia si res odoriferæ emitterent semper vapores statim consumerentur. Demum quia verisimile, odorem in cœlesti patria futurum alterius rationis quàm sit noster odor, quem corpora mista hîc in statu viæ emittunt. Quòd si in cœlesti patria non deerunt odores, sequitur olfactum glorificatum plurimum ex iisdem hausturum oblectamenti, ac sua habiturum exercitia, quia in iisdem nulla apparet indecentia, nullum inconveniens.

Neque

Neque empyreum erit ex se odoriferum, sed solùm vehiculum odorum, quorum erit commodum medium interior regio, quæ liquida est instar aeris, & aquæ, alioquin si esset solida, & densa non possent odores transmitti naturaliter per ipsam ad olfactum. Tum quia corpora glorificata Beatorum respirabunt, proinde supponunt empyreum in parte interiori liquidum instar aeris, quo pacto intelligitur eorundem locutio per medium liquidum.

Cæterum quod specialim pertinet ad sensum gustandi, fatentur omnes etiam hunc sensum suum habiturum oblectamentum non tamen situm in perceptione cibi, & potûs, sed humoris cujusdam suavissimi, qui linguam, palatum, & interiora induet: quia nullius cibi, & potus erit in cœlo usus & indigentia, ut probat D. Thomas *lib. 4. contra Gentes cap. 83.* & desumitur ex D. Paulo ad Roman. 14. v. 17. *Non est regnum Dei esca, & potus.* Sunt etiam plures alii scripturæ textus expensi à Patribus contra Hæreticos Millenarios asserentes cibo, & potu justos redivivos potituros in terris simul cum Christo per mille annos. Pro quo Gennadius *de ecclesiast. dogmatib. cap. 54.* admonet: *In divinis promissionibus nil terrenum vel transitorium expectemus, neque quod ad cibum & potum pertinet*, quod etiam adstruit S. Hieronymus lib. 14. in Ezechiel. cap. 46. inquiens: *Neque in futuro manducabimus, & bibemus, sed illo vescemur pane, qui de cœlo descendit, de quo in psalterio canitur, panem Angelorum manducabit homo, & meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*, & allegat etiam verba D. Pauli 1. ad Corinth. 6. v. 13. *Esca ventri, & venter escis; Deus autem & hunc & illas destruet*, & D. Dionysius Areopagita cap. 7. de ecclesiast. Hierarch. part. 1. §. 2. cum dixisset: *Alii rursus nescio, quo pacto ad carnales cognitiones declinantes dixêre præsenti vitæ similem eam, quæ Sanctis promissa est, sanctissimam, & beatissimam requiem, ciboque vitæ variabilis proprios his, qui æquales Angelis sunt evasuri, nefariè applicuerunt.* Postea adjicit: *Absit, ut unquam sanctus aliquis virum istiusmodi errores incidat.* Quòd si dicas, non repugnare corpori glorificato gustare cibum & potum, proinde corpora glorificata usura esculentis, & poculentis. Contra est, quia tametsi secundum se nec physicè, nec moraliter repugnat corpori glorificato degustatio cibi, qui non digeratur, nec in ejus substantiam convertatur, qua de causa asseruit S. Augustinus lib. 13. de Civit. Dei cap. 22. *Non potestas, sed egestas edendi, ac bibendi talibus corporibus aufertur*, vult enim Augustinus, posse quidem corpora glorificata cibos degustare, sed quia egestatem non sentient, non comedent, nec bibent: nihilominus post resurrectionem probabile est, nec intra nec extra empyreum permansura mista, quæ in cibum deserviant, quia in cœlesti patria erunt homines perinde ac Angeli Dei non animalem, sed spiritualem vitam agentes, propterea nullam sentiant egestatem, nec indigentiam esculentorum, nec poculentorum. Infundetur igitur divinitus linguæ, & palato cœlestis aliquis liquor sapidus, à quo sensus gustandi suam percipiet voluptatem, & probabile est, hunc humorem oriturum partim ex optimo temperamento, quia si homo boni temperamenti, & plenè sanus suaviter afficitur linguæ palato, etiam jejunus, quantò magis suavius ibi afficietur, ubi temperamentum est perfectissimum, ut notat Lessius *de summo Bono lib. 3. cap. 8. num. 103.* Et partim ex aliquo forte cœlesti liquore divinitùs infuso, quem credibile est, etiam per stomachum & cætera interiora diffundendum, siquidem illæ partes postulant humorem aliquem externum, quo humidæ serventur. Joannes Major *in 4. distinct. 49. quæst. 14. conclus. 3.* ponit figuram hujus saporis in corporibus glorificatis manna Hebræis à Deo suppeditatum, & ait vocari Angelorum escam, eò quia linguis eorum, qui angelicè vivunt, exhibebitur, & in hunc sensum possent intelligi verba Joannis in Apocal. cap. 2. v. 17. *Vincenti dabo manna absconditum*, manna hoc absconditum sapidus erit humor iste, qui afficiens linguam, & palatum corporis glorificati plurimum eidem adferet oblectamenti, & sicut de manna dicitur Sapient. 16. v. 21. *Deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* & quia in manna varietas saporum ostendebat dulcedinem, quam filii Israel experiebantur: ita hoc humore perfusis linguis, & palatis corporum glorificatorum omne ciborum oblectamentum, ac saporum omnium suavitatem ingeret: sicut enim Deus sapores varios in manna induxit pro filiis Israel, indiscriminatim perinde huic cœlesti humori eos infundet ad uberius oblectamentum Beatorum, & præsertim sensus gustandi, & ut loquitur S. Bernardus Serm. 33. in Cant. Hic humor ibi *non fastiditur, non deficit*, neque necesse erit, ut degustatio illius humoris ordinetur ad nutritionem, & convertatur in substantiam aliti, sed tantùm dirigetur ad decentissimum oblectamentum, sensus gustandi.

An verò corpora glorificata erunt habitura oblectamentum tactûs. Respondetur affirmativè, quia nulla est ratio evincens, non esse corpora gloriosa habitura hanc delectationem honestam, non enim cum hac delectatione semper adnectitur turpitudo, neque corpora Beatorum erunt hanc habitura in ordine ad prolem, quia in cœlesti patria species hominum non exiget reparari per propagationem individuorum; erit igitur hæc delectatio tactus ad majorem Dei gloriam, quia cùm sensatio hæc sit perfectio corporis humani, & non repugnet statui beatifico, ordinabitur à Beato ad majorem Dei gloriam. Fuerunt tamen qui sensui tangendi hanc tenuerunt voluptatem concedere, & D. Thomas 1. *part. quæst. 82. art. 3. & 4.* refert, Hæreticos nuncupatos pauperes de Lugduno, qui asseruerunt corpora glorificata Beatorum fore destituta exercitio tactus, ac cæterorum sensuum externorum: quia in istis oblectamentis sensuum nulla apparet decentia, nullum conveniens. Hinc Anselmus lib. de discipl. & perfect. Monast. conversat. cap. 23. ait: *Ipse demum tactus sibi congruis abundabit deliciis, quas experti norunt*, objectum igitur immediatius sensus tangendi erit ipsum corpus Beati, quis enim inficiabitur, posse manum tangere corpus alterius Beati. Præterea si homo perfectè sanus ipsam corporis bonam constitutionem suaviter sentit, ut notat Lessius *loc. cit.* quantò magis corpora Beatorum, quæ perfectum erunt sortitura temperamentum ex tactu suavitatem experientur: adducit etiam Lessius ad id firmandum verba Authoris libri de similitudinibus apud S. Anselmum cap. 54. *Incunctanter ut mea quidem fert opinio, æstimare licet sanitatem vitæ futuræ ita vigere, ac immutabilem, & invariabilem fore, ut incessabili quadam dulcedine suavitatis totum repleat hominem, & omne, quod alicujus in se vicissitudinis, mutabilitatis, ac læsionis suspicionem prætendere queat, procul arceat, ac repellat.* Imò neque improbabile est, omnes partes corporis glorificati futuras in continua sensatione tactûs, quia erunt sensationes longè perfectiores, ac defæcatiores à qualibet turpitudine, & indecentia, & omnes referentur in Dei gloriam. Sentiet etiam Beatus in castis-

castissimo, & sanctissimo amplexu temperatas alterius corporis glorificati qualitates, ut asserit S. Antoninus *3. part. summa Theolog. tit. 30. cap. 7. §. 4.* & alii plures. Et Jabellus in 8. part. Christian. Philoso. cap. 3. ait: *Beati tangent deosculantes divinissimum Christi corpus, in cujus humanitate felicitabuntur corporaliter. Tangent & sacra Virgines Virginum Reginam, cujus inæstimabilis erit odor, & suavitas, & pulchritudo.* Neque tunc Christus erit recusaturus purissima pedum oscula Magdalenæ, & aliis beatis; idque videtur indicâsse Joan. 20. v. 17. cùm dixit mulieri: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum,* quia post ascensum in cœlesti patria permittet, ut corpora glorificata Beatorum ipsum deosculentur, ut plures Expositores interpretantur. Hinc D. Bernardus Serm. 1. de assumpt. Virginis ait: *Felicia prorsus oscula labiis impressa lactentis, cui virgineo Mater applaudebat in gremio. Verum nunquid non feliciora censebimus, quæ ab ore sedentis in dextera Patris hodie in Beata salutatione suscepit.* Probabile itidem est, corpora glorificata Beatorum flexura genua coram Virgine Matre, quæ, ut ait Arnoldus in Tract. de laudib. Beat. Mariæ, *constituta est super omnem creaturam, & quicunque Jesu curvat genu, Matri quoque pronus supplicat. Quippe Creatoris Matrem omnis creatura magnificet, opus est, & ejus Regia Majestati se inclinent cœli, & terra, & omnia, quæ habitant in eis,* quapropter Rubertus lib. 6. in Cant. ait: *Sicut ex te natum Dei Filium solem verum, solem æternum adoramus, & colimus, ut Deum verum, sic & te honoramus, atque veneramur ut veri Dei genitricem; scientes quia totus honor impensus Matri sine dubio redundat in gloriam Filii. Et quidem natura non tu idem es, quod ille sol, sed nihilominus tanta es, ut te honores ipse sol, & quidem honore, quo decet Filios honorare parentes suos. Qui enim dixit, honora Patrem tuum, & matrem tuam, non dubium, quin & ipse honoret, & ab omnibus amicis suis velit honorari Matrem suam.*

Supersunt tamen solvendæ aliquot difficultates, quæ adduci solent contra hoc oblectamentum, quod Beati erunt percepturi ex sensu tactus, prima desumitur ex D. Gregorio Magno, asserente homil. 26. in Evangel. *Corrumpi necesse est, quod palpatur, & palpari non potest, quod non corrumpitur,* atqui corpora glorificata Beatorum non erunt corruptioni obnoxia, ergo palpari non poterunt. Secunda quia primæ quatuor qualitates, & aliæ ex iisdem ortæ, sunt objectum adæquatum sensus tactus: & cœlestia côrpora carent quatuor hisce qualitatibus, proinde saltem ad illa non extenditur operatio sensus tactus, & ob hanc rationem D. Thomas *3. part. quæst. 54. art. 3. ad 2.* docet corpora cœlestia tangi, & pascari neutiquam posse. Tertia quia per tactum non percipimus objecta, quæ sunt nobis connaturalia, & diuturna: quo pacto tactus non sentit calorem debitum ad connaturalem, & propriam temperiem, si illo antea non fuit destitutus: & quia empyreum erit continuò applicatum, Beatis non videtur, quomodo sint isti percepturi ex sensu tactus oblectamentum. Quarta quia aura regionis mediæ empyreæ non sentietur per tactum, nisi fingatur imprimere impulsum corpori glorificato, perinde ac à nobis non perciperetur aër per sensum tactûs, nisi vi impelleretur. Verum ad primum respondetur, divinum Gregorium esse intelligendum de corpore, quòd sit palpabile ratione primarum qualitatum, tale enim corpus debet ex natura rei esse corruptibile: sed qualitates primæ non sunt objectum adæquatum vel necessarium tactûs: ad secundum sufficere quantitatem consistentem, & solidam ad exercendam perceptionem sensitivam tactus, quia si corpus consistens est solidum, calidum, ut quatuor, & destitutum aliis primis qualitatibus tangat aliud corpus æquè calidum, tunc hoc non percipiet calorem, quia simile non agit in simili, ergo non est necesse, ut corpus tangens aliud sentiat ejus qualitates, sed satis est, si sentiat ejus soliditatem, & consistentiam. Tum quia præter quatuor primas qualitates potest sensus tactus experiri in alio corpore gravitatem, vel levitatem duritiem, vel molitiem, asperitatem, vel lenitatem, ad hæc enim omnia objecta se extendit sensus tactûs. Ad tertiam corpora Beatorum non futura immobilia proinde poterunt per novam applicationem manus, vel pedis alia corpora vel tangere manu, vel premere pede. Ad quartum respondetur, quòd, tametsi aura regionis mediæ empyreæ, nisi accesserit impulsus, non sentiatur per tactum glorificatum. Tamen si impulsus accesserit, sufficit ut sentiatur, quamvis non sit sufficiens ut palpetur, quia ad id requiritur soliditas, & consistentia in corpore, quod palpatur; quo pacto experimur nos sentire aërem agitatum vento, quamvis illum non palpemus, neque hæc palpatio necessaria est ad tactum.

Quæritur an Beatorum sedes erit totum cœlum empyreum secundùm concavum, respondetur cum D. Thoma *1. part. quæst. 66. art. 3.* affirmativè, & sancti Patres communiter id deducunt ex scripturis Psal. 2. *Qui habitat in cœlis.* Psal. 10. *Dominus in cœlo sedes ejus.* Matth. 5. *Et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Quòd verò Deus elegerit cœlum empyreum tanquam regiam, & thronum suæ majestatis, & in quo speciali modo sit suam gloriam Beatis manifestaturus videtur inferri ex illo Psal. 113. *Cœlum cœli Domino,* seu ut habetur in textu hebraico, cœlum cæteris excelsius, ac perfectius. Congruum siquidem videbatur, ut corpora glorificata locum aliquem haberent, quem occuparent, & quia cœlum empyreum est locus dignissimus ob sublimitatem, perfectionem, & amplitudinem, quibus cæteros superat, debuit pro Beatorum domicilio constitui juxta illud Apocal. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit in eis, & ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum ipsis erit eorum Deus.* & cap. 22. *Sedes Dei, & agni in illa erunt, & servi ejus servient illi, & videbunt faciem ejus.* Hoc autem domicilium Beatorum fore totum cœlum empyreum ex eo videtur probatu facile, quia unusquisque Beatus suam in cœlo habiturus erit propriam sedem, distinctam à sede alterius, & sibi proportionatam juxta mensuram meritorum, etenim id videtur spectare ad majorem dignitatem, & amplitudinem regni, ac civium cœlestium, & quia multitudo Angelorum ac Beatorum est propemodum infinita, & quasi innumerabilis, ideo amplissimus ad id requirebatur locus ad amplissimas sedes singulis Beatis assignandas: non enim adæquata sedes unicuique Beato assignanda erit sola illa loci dimensio, quam corpus gloriosum poterit sua quantitate occupare; sed erit locus longe amplior juxta merita Beatorum, & ita censendum de Angelis circa proprias sphæras, præterea quia præter spatium commensuratum propriæ locabilitati erunt Beati habituri alia loca, ad quæ pro sua libertate poterunt se transferre absque eo, quòd sint occupaturi aliorum proprias sedes. Demum quia cœlum empyreum fuit à Deo conditum, ut esset perpetua sedes Beatorum proinde indecorum foret, si aliquæ ejusdem partes suis perpetuò destituerentur incolis. Neque inde obstat, si

dicas

dicas secuturum Beatos incolentes partes cœli oppositas, & maxime dissitas Christi corpus non visuros, quia non videtur credibile, oculum corporeum posse se extendere ad tam dissitum spatium. Nam contra est, quia Christi thronus erit ita aptè collocatus in loco eminente, ut videri commodè possit à quolibet Beato, quia oculi corporei Beatorum erunt ita roborati ac perfecti, ut absque ulla difficultate clarè, ac distinctè possint corpora aspicere aliorum Beatorum ex qualiber distantia. Præterea quia corpora Beatorum propter dotem agilitatis pernicissimè movebuntur, ut ex quacunque distantia possint brevissimo tempore sibi ipsis fieri præsentia. Tum quia censendum non est corpus Christi semper fixum mansurum in uno cœli situ, sed subinde mutaturum sedem ex uno loco in alium, & inferri videtur ex illo Apocal. 14. ubi Joannes loquens de Virginibus beatis, ait: *Sequuntur agnum quocunque ierit*, pari pacto Beati ab uno in alium locum erunt comigraturi. Quòd verò cœlum empyreum futurum sit sedes Beatorum secundùm partem concavam, ex eo suaderi potest, quia congruentius est corpori glorioso, ut futurum sit intra cœlum empyreum, qui est locus amplitudine, & altitudine cæteris excellentior. An verò in cœlo empyreo futurum erit corpus spirabile, cujus beneficio sonus vocalis, & species visibiles corporum gloriosorum ad sensus deferantur Beatorum. Respondetur affirmativè, quia id videtur rationi magis congruum, non enim ad hoc munus exercendum videtur idoneum cœlum empyreum secundùm propriam substantiam, præsertim in sententia asserentium cœlos superiores esse solidissimos, & quasi ære fusos, ut habetur Job. 27. Credibile enim est, cœlum empyreum tribus constare partibus, infima, media, & suprema, adeo ut infima in duas dividatur partes, scilicet in inferiorem concavam, eo quia cœlos complectatur inferiores, & in supremam convexam, in qua tanquam in fundamento insistant corpora Beatorum. Media pars ea est, quæ amplissimo suo ambitu complectitur, totum spatium interjectum inter utramque superviciem concavam, connexam, & hoc spatium probabile est, repleri corpore spirabili instar auræ suavissimæ, cujus beneficio voces Beatorum audiri possunt. Suprema pars concava est veluti fornix hujus cœlestis palatii, adeo ut ultra hanc extimam superficiem nullum aliud sit corpus vel spatium reale, sed tantùm infinita capedo, in qua Deus, si vellet infinitos alios posset mundos condere.

An verò Beati sint cessaturi ab actibus sensuum externorum, Guilielmus Parisiensis 1. *part. de universo part.* 2. *cap.* 33. *& sequent* censet, Beatos nunquam cessaturos ab actibus, quos semel potentia visiva elicuit, nec ullum novum objectum tali potentiæ occursurum. Verùm si sermo sit de perpetua visione humanitatis Christi Domini habenda, à Beatis facile erit adhærere Parisiensi, ut etiam si tantum velit plura objecta, posse clarè ac distinctè videri à Beatis, quàm quæ à nobis possint in hac vita mortali videri: si tamen objectorum pluralitas non esset tanta, ut separaret potentiæ visivæ virtutem, & naturalem facultatem: alioquin absque miraculo non posset id contingere: & sine fundamento non debemus ad miracula recurrere. Quòd si longè plura videret facultas naturalis visiva objecta, quam nativa ejus virtus posset attingere, multiplex interveniret miraculum. Primò quia talis visio tenderet in objecta, quæ ob distantiam vel multitudinem non posset attingere. Secundò quia semel, & simul omnia illa in quovis loco, & distantia aspiceret. Tertiò quia hæc visio excederet virtutem naturalem facultatis visivæ: si enim Beatus se converrat in plagam occidentalem simul, & retineret visionem objectorum existentium in parte orientali, & sic de reliquis partibus oppositis, & hoc idem dicendum esset de reliquis sensibus exterioribus, quod non videtur asserendum, sed potiùs adstruendum liberum esse Beatis continuare, vel non continuare actus sensuum externorum, excipiendo tamen Christi humanitatem, ex cujus intuitu maximum percipiunt oblectamentum, quo nolunt destitui: cæterum quoad alia objecta major apparet perfectio, si gaudeant dominio erga majorem partem actuum externorum, quàm si illo destituantur.

Quærunt aliqui, an Beati per species infusas sensibus externis sint in patria percepturi objecta non existentia; Joannes Niderus in cap. 6. in 10. præceptum Decalogi ait: *per species infusas*, (seu à Deo inditas) *de qualscunque specie animalium, plantarum, lapidum, rosarum, violarum, mineralium videbunt (scilicet Beati oculis corporeis glorificatis) aliqua, vel de qualicunque specie, & de singulis speciebus excellentissimum illius speciei, quia talia in statu innocentia habuissemus.* Hinc in auditu glorificato excogitavit species infusas cantus philomelæ, & aliarum avium in odoratu species balsami, & cinamomi, & aliorum id generis mistorum: in gustu species suavissimorum saporum non existentium; in tactu species qualitatum distantium, imò etiam præteritarum. Hæc sententia placuit pluribus, qui eidem adhæserunt: & Dominicus Soto in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 2. Dubius de sonis realibus futuris ait: *Fortasse voces illa per species spirituales, seu invisibiles modo nobis occulto efformantur:* adeo ut vocum non existentium species auditui glorificato à Deo infundantur; & per species sonorum non existentium sonus ipsos percipiant: & Ripalda de Ente supernaturali disput. 44. nu. 64. ait: Percipi à Beatorum sensibus externis qualitates naturales saporis, odoris, & soni per species infusas supernaturales repræsentativas ipsarum, ut absentium; adeo ut gustus sit percepturus simul saporem omnium ciborum; odoratus omnium odorum variam mistionem; & omnes exteriores sensus per species supernaturales iisdem à Deo inditas, ac supplentes non solùm inhærentiam prædictarum qualitatum in gustu, odoratu, & auditu. verùm & existentiam in rerum natura percipient sua propria objecta; adeo ut non repugnet, sensus per species supernaturales à Deo infusas attingere objecta non existentia in rerum natura. Idque docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 76. *art.* 8. ubi docet quòd quando in accidentibus eucharisticis apparet ad horam puer, & postmodum ipsa accidentia; tunc divinitus formatur in oculis species pueri revera ibi non existentis, eò quia aliis appareant ipsa accidentia; unde possibile est imprimi à Deo in oculis speciem repræsentativam objecti non existentis re ipsa, quamvis videnti appareat existere. Non enim repugnat, posse conservari in oculis glorificatis species intentionales objectorum non amplius existentium, vel quæ nunquam extiterint; positis autem in potentia visiva hisce speciebus, habet hæc omnia requisita ad eliciendam visionem.

Posset tamen in oppositum objici. Primò quia species externorum sensuum dependent in fieri, & conservari ab existentia reali objectorum, quo-

rum sunt species: ergo si objectum re vera non existit, realiter ejus species oculis non poterit imprimi. Secundò quia externis sensibus repugnat perceptio abstractiva: sed si acciperent species objectorum non existentium, perciperent abstractivè talia objecta, quod repugnat. Tertiò quia si Beatus videret, objectum re vera non existens deciperetur; quia videret illud ut existens, ac de facto non existeret: deceptio autem non congruit statui beatifico; quia, ut ait S. Augustinus, in Enchirid. cap. 25. *Deceptio etiam, si peccatum non sit, tamen in malis hujus vitæ deputanda est, quæ ita subjecta est vanitati, ut approbentur hic vera pro falsis, teneantur incerta pro certis. Quamvis enim hæc ab ea fide absint, per quam ad veram, certamque beatitudinem tendimus, ab ea tamen miseria non absunt, in qua adhuc sumus. Nullo quippè modo falleremur in aliquo, vel animi, vel corporis sensu, si jam vera illa, ac perfecta felicitate frueremur.* Et lib. 12. de Genes. ad literam cap. 36. ait: *Nulla falsitate aliud pro alio approbabitur, nec in corporalibus, nec in spiritualibus visis*, loquitur de cælesti Patria, & corporibus glorificatis, quibus subdit Augustinus: *Omnia evidentia erunt sine ulla falsitate, sine ulla ignorantia.* Quartò quia dignius existimatur de Beatis, si semper efficiant tentationes objectis conformes, adeo ut nullus in eorum sensibus error irrepat respectu objectorum existentium. Quintò quia ab intellectu Beatorum ideo removentur actus opinativi, quia secum trahunt imperfectionem: ob eandem rationem iidem actus negantur potuisse elici ab Adamo in statu innocentiæ: ergo à fortiori removendi erunt à statu glorioso, & ab oculis glorificatis in cœlesti patria. Sextò delectatio de objecto non existente à parte rei non est vera, & solida, sed imaginaria, & phantastica, quæ imaginatio Beatos dedecet. Sed ad primum posset responderi, naturaliter species intentionales dependere in fieri, & conservari ab objectis, à quibus dimanant: posse tamen divinitas suppleri à Deo dependentiam illam, ac miraculosè causari à Deo in sensibus externis species objectorum, quæ neque existunt, neque sint extitura. Ratio est, quia species in primo fieri dependent ab objectis per actionem superadditam effectivam; & in conservari dependent ab iisdem, tanquam à conditione, sine qua non debeat Deus naturaliter suscipere vices effectivas eorum: & entitates, quæ alterutro ex his modis dependent ab aliis, possunt à Deo miraculosè operante fieri, & conservari sine aliis: siquidem tota vis effectiva causæ secundæ continetur eminenter in prima, utpote in causa effectiva infinita, & omnipotente: & in conservari potest Deus, si velit præstare suum concursum conservativum rebus singulis, quibus alias non deberetur juxta ordinarias naturæ leges; idque adeo est verum, ut D. Thomas 1. part. quæst. 105. art. 2. in corpore asserat: *Erroneum esse dicere, Deum non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcunque causam creatam:* quod intelligendum est de effectibus productis à causa creata per actionem distinctam, & à fortiori de effectibus, qui dependent ab alia entitate creata, ut à pura conditione pertinente ad genus causæ efficientis: & hujusmodi sunt species sensuum externorum: oriuntur enim ab objectis per actionem distinctam, & inconservari debent ab illis, ut à conditione pertinente ad genus causæ efficientis. Ad secundum respondetur non repugnare, sensus externos attingere ac percipere objectum non existens, neque præsens, quod perinde est ac cognoscere abstractè: quamvis ex natura rei sensus exteriores debeant attingere sua objecta ut existentia, & præsentia; divinitus tamen id non repugnat, ut liquet, cum in eadem hostia conservata uni apparet species pueri, & alteri pura accidentia eucharistica tunc sensus visus percipit puerum, qui revera non existit in tali hostia consecrata, proinde attingit objectum non existens, nec revera præsens. Ad tertium Beatum videntem objectum non existens non decipi; quia illud non attingit ut existens, & præsens; sed abstractè quatenus præscindit ab existentia & præsentia: unde Beatus non apprehendit objectum aliter, ac est in se; neque decipitur. Prætera licèt Beatus apprehendat tale objectum ut existens; non tamen ut coexistens perceptioni habitæ de illo: & quia per externum visionis actum non affirmaret existentiam, nec coexistentiam objecti non erraret, nec deciperetur. Ad quartum, respondetur, non dedecere Beatum per species sibi inditas à Deo videre objecta non existentia, quia modus iste attingendi objecta excedit vires naturæ, & indicat virtutem supernaturalem. Cæterum videre objectum aliter ac sit in se, non arguit imperfectionem, alioquin quælibet potentia visiva attingens solem, vel lunam, aut alias planetas minores, ac sint in se, foret semper imperfecta. Ad quintum, respondetur, intellectuales actus opinativos, ac incertos deducere Beatos ob modum tendendi in objectum ex levi fundamento non ostendente, nisi apparenter veritatem vel falsitatem objecti; hic enim modus tendendi est positivè imperfectus: ob hanc causam Angeli boni habentes rectam voluntatem, ita prudentes se gerunt circa objecta, quorum speciebus infusis destituuntur, ut suspendant omne judicium, ne ex infirmo motivo ducantur ad affirmandum, vel negandum aliter, ac sit in se, ut docet D. Thomas 1. *part. quæst.* 85. *in corpore.* Ad sextum negatur, quod delectatio Beati de objecto non existente à parte rei sit habitura objectum phantasticum; quia talis delectatio procedit ex apprehensione sensitiva præscindente ab existentia, & absentia objecti: & quamvis hæc apprehensio non videatur esse perfecta, sicut intuitiva; non tamen est falsa, cum non tendat in objectum, ut actu existens, & præsens, sed ab utroque præscindat. Prætera nil vetat, quin possit delectatio concipi de objecto non existente; sicut potest concipi vera tristitia de objecto non existente. Plures enim cum Albertino in 4. Corol. Theolog. ex 2. principio Philosoph. punct. 2. num. 10. censent pœnam, & cruciatum Dæmonis ab igne consistere in tristitia spirituali, de qualitate corporea dolorifera apprehensa, ut nociva; & tamen objectum hujus apprehensionis non existit, imò est impossibile. Hinc sicut tristitia Dæmonum est in hac sententia vera, quia sequitur ex apprehensione mali quamvis phantastici: ita delectatio Beatorum erit vera, quia sequitur ex apprehensione boni quamvis phantastici.

CAP.

CAPUT XXVI.

An animæ sint Beatæ in cœlis ante corporum resurrectionem.

NOn defuerunt ex hæreticis antiquis, & recentioribus, qui inficias iverint animas statim post exitum à corpore Beatas esse, neque post expiatas purgatorio igne noxarum reliquias, sed earum beatitudinem usque ad extremum judicii diem differri, quo resumptis corporibus introducentur à justo judice in cœlestem gloriam, quam non promeruerunt sine corporis consortio, cui errori etiam adhæserunt Græci Schismatici damnati in Concilio Florentino Sess. 6. De hac controversia fusè agunt Cardinalis Bellarminus Valentia, & alii, cum quibus

Dicendum est animas sanctas hinc decedentes absque ulla culpa post discessum à corpore, & ante resurrectionem, & diem judicii donari perfecta, & essentiali in cœlis beatitate, adeout consortium corporis ad hanc beatitudinem non sit simpliciter necessarium, quamvis congruum sit, ut beatorum corpora post diem judicii resurrectura sint gloriosa; estque doctrina Ecclesiæ Catholicæ, quam docent omnes Theologi cum D. Thoma 1. 2. q. 4. art. 5. contra quosdam qui putârunt, beatitudinem animarum differri, donec resurgant corpora post diem judicii, & interim animas justorum detineri in quibusdam abditis receptaculis, ac subterraneis promptuariis, donec resumptis corporibus simul coronam gloriæ accipiant, & in cœlum transferantur: hæc sententia ab aliquibus tribuitur Justino lib. ad Gentes quæst. 60. & quæst. 76. Sed liber ille non est S. Justini Martyris, ut probant Bellarminus Valentia, & alii. Pamelius in Prolegomenis n. 9. hanc sententiam adscribit Tertulliano. Verùm Tertullianus nullibi asserit, animas justorum ante diem universalis judicii destitui visione beatifica, & non videre intuitivè Deum; sed tantùm ait detineri in loco amœno sub terra, quem locum vocat sinum Abrahæ, ac paradisum, & ibi refrigerium, ac solatium experiri; & resumptis corporibus pleniùs esse remunerandas; quamvis huic sententiæ visi sint adhæsisse alii Patres; non tamen hi asseruerunt animas justorum destitui cœlesti beatitate, ac visione intuitiva Dei, donec fiat corporum resurrectio; hunc enim errorem præter Græcos Schismaticos docuerunt Armeni, ut refert Alfonsus à Castro de hæresibus, v. Beatitudo hæres. 6. & Anabaptistæ teste Canisio tom. 2. De corruptelis verbi Dei, & Calvinus lib. 2. Inst. cap. 25. §. 6. ubi vocat dementiam, quærere, an animæ sint in cœlo, & æterna fruantur gloria; & post aliquot verba subdit; *Animas justorum cœlesti gloria non frui ante resurrectionem corporum.* Hunc eundem errorem D. Hieronymus tribuit Vigilantio lib. contra Vigilantium pag. 2.

Verùm animas Justorum corporibus exutas, si nil purgandum flammis expiatoriis secum detulerint, statim donari cœlesti beatitudine, ac clara Dei visione post prolixam discussionem habitam cum Cardinalibus, Prælatis, ac aliis viris doctis, definivit Benedictus II. anno à Christi nativitate 1336. in extravag. quæ incipit *Benedictus Deus.* Primò, *quod secundùm ordinationem Dei communem animæ justorum omnium, quæ penitus purgatæ fuerint, post ascensionem Christi recipiantur in cœlum, & consortio Angelorum aggregentur.* Secundò, *quod omnes animæ justæ, ac purgatæ videant divinam essentiam immediatè per se, clarè, & apertè, idque à tempore mortis Christi.* Tertiò, *quod sic videntes animæ divinam essentiam fruantur Deo, suntque beatæ, habeantque vitam æternam, & requiem.* Quartò, *quòd visio hujusmodi, ejusque fructus evacuent in Beatis actus fidei, & spei.* Quintò, *quòd postquam inchoata fuerit, vel erit talis visio intuitiva, & facialis, & fruitio in eisdem animabus, eadem visio, & fruitio sine aliqua intermissione continuata exstitet, & continuabitur usque ad finale judicium, ex tunc in sempiternum.* Sextò, *quod secundùm ordinationem Dei communem animæ decedentium in actuali peccato mortali, mox post mortem suam ad inferna descendant, ubi pœnis infernalibus cruciantur.* Deinum *definit; quòd si quis contra aliquam ex hisce determinationibus senserit, & pertinaciter tenere, conferre, prædicare, docere, aut defendere verbo, vel scripto præsumpserit contra eum, sicut contra hæreticum debito modo procedatur;* ex quo infertur, omnes præcensitas definitiones esse credendas de fide. Nostra assertio definita itidem fuit in Concilio œcumenico Florentino, cui Græci interfuerunt; habetur enim Sess. ult. *Definimus illorum animas, qui post baptismum susceptum nullam omnino peccati labem incurrerunt; illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel iisdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate aliam alia perfectiùs.* Hoc idem declaravit Concilium Tridentinum Sess. 25. in decreto de Veneratione Sanctorum; ubi expressè docet: *Sanctos, quorum reliquiæ sunt, in terra cum Christo regnare, & æterna felicitate in cœlo frui:* ac proinde ipsos invocandos esse, ac earum reliquias, ac imagines venerandas. Hoc idem etiam tradit Innocentius III. cap. *Apostolicam* de Presbytero non baptizato.

Hæc eadem assertio ex scripturis videtur probatu facilis Luc. 23. Christus resipiscenti latroni ait: *Hodie mecum eris in Paradiso,* scilicet in gloria, & gaudio, quod oritur ex clara, & faciali intuitione divinæ essentiæ; non enim potest intelligi de loco aliquo corporeo, & quod eodem die fuisset in cœlum ascensurus, & ibi in Paradiso localiter extiturus, sed quod esset donandus æterna gloria, seu visione intuitiva divinæ essentiæ, ut explicant SS. Patres, præsertim Cyrillus Catechef. 13. Chrisostomus hom. 1. de cruce, & Latrone, Ambrosius; idque ex eo evincitur, quia Christus statim post mortem non ascendit in cœlum, neque fuit profectus in locum aliquem terrestrem, qui ob amœnitatem diceretur Paradisus; sed descendit in locum horridum, seu ad inferos, scilicet in abditum sub terra receptaculum ibique triduo mansit; & ibi bonus latro simul cum Christo fuit, visione clarâ Dei donatus. Secundò, quia parum solatii animæ separatæ perciperent à sola loci terrestris amœnitate, nisi clara fruerentur, ac faciali divinæ essentiæ intuitione. Tertiò, quia Latro in cruce resipiscens petiit, ut Christus ipsius recordaretur, dum venerit in regnum suum, scilicet cum accepto regno veniet ad judicium, ne scilicet in numero vellet eum habere reproborum, cui Christus respondit: *Hodie mecum eris in Paradiso,* scilicet *hodie,* seu in præsenti æternitatis, cum æternitas careat præterito, & futuro, & gaudeat tantùm præsenti indeficiente, rectè dixi *hodie,* seu in æternum mecum eris in Paradiso, sicut de verbo Dei Filio dixerat æternus Pater: *Ego hodie genui te,* scilicet ab æterno: hinc Christus promisit Latroni perpetuam secum mansionem, parum siquidem fuisset, si per unum, vel

vel alterum diem cum illo mansisset: ex his liquet Paradisum *Luc.* 23. non sumi pro loco corporali, sed spirituali, seu pro gaudiis cœlestibus; vel pro consortio beatorum, vel pro clara, & faciali intuitione divinæ essentiæ; vel pro ipso Deo, in quo omnes beatorum mentes per visionem facialem, & amorem filialem habitant, & ineffabili fruuntur gaudio, & oblectamento. Deus enim clarè visus suavissimum, ac optimum dicitur esse Beatorum domicilium, quia anima magis est ubi amat, quàm ubi animat. Et D. Augustinus lib. 12. de Genes. cap. 28. Visionem Dei asserit esse Paradisum, in quem raptus fuerat D. Paulus. Hinc absurdè Calvinistæ, ut limbum è medio terræ tollant, ac funditus obliterent, asserunt, animas justorum ante Christi adventum fuisse in cœlo destitutas tamen clara, ac faciali Dei visione.

Sunt pleraque alia scripturarum loca, è quibus veritas nostræ assertionis deducitur. Secundus textus habetur 2. ad Corinth. cap. 5. vers. 1. ubi Apostolus Paulus scribit: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis*: ac si diceret: Non conturbet nos, quod terrenum corpus nostrum, in quo veluti tabernaculo ad tempus hic degimus, dissolvatur: quia scimus nos habere firmum ædificium non manufactum, & æternum ex Deo in cœlis. Ubi domum terrestrem, seu corpus humanum, quod vocat tabernaculum, ac temporariam mansionem opponit domui æternæ non manufactæ; per *domum æternam* intelligit cœlestem mansionem, seu æternam gloriam, in quam veluti in domum lucidissimam Beati ingrediuntur, censet Apostolus statim dissoluta domo terrestri, seu corpore separato ab anima, statim animam ab omni noxa deputatam ingredi hanc gloriæ æternæ domum; ait enim Apostolus de præsenti *habemus*. Secundò ad Philip. 1. scribit D. Paulus: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*, hoc est, cupiebat statim post dissolutionem corporis esse cum Christo; ratio enim, cur cupiebat dissolvi, fuit, ut esset cum Christo; sin autem censuisset, animas justorum non nisi post diem universalis judicii visuras visione intuitiva, & faciali divinam essentiam, non fuisset opus, ut cuperet dissolvi, quia non statim fuisset cum Christo, sed per plura sæcula debuisset expectare: si igitur causa, cur cupiverit dissolvi, fuit, ut cum Christo esset, anima statim post separationem à corpore, si fuerit totaliter purgata, & Christo consociata in cœlesti patria: siquidem esse cum Christo perinde est, ac Christo in gloria consociari, cum dicat Christus: *Ubi ego sum, illic & minister meus erit*, quibus verbis clarè significatur, ait Augustinus, quod merces operis, quo Christo ministratur sit esse cum Christo: merces autem ministerii Christi est visio intuitiva, seu facialis divinæ essentiæ, seu ipsa beatitudo: ait Augustinus Tract. 51. in Joan. *Quem majorem honorem accipere poterit adoptatus, quàm ut sit, ubi est unicus, non æqualis factus divinitati, sed consociatus æternitati?* Tertiò ad Ephes. 4. *Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem*; seu ut explicant communiter SS. Patres, & Expositores: *Duxit secum in cœlum animas Sanctorum, quas è Limbo liberavit.* Quartò Actor. 7. Stephanus morte jamjam imminente dixit: *Ecce video cœlos apertos*, indicans cœlum sibi patere, unde addit: *Domine Jesu, accipe spiritum meum*, scilicet de præsenti, non de futuro, post diem universalis judicii. Quintò ad Hebr. 9. Apostolus per Christi mortem nobis patefactum esse cœlorum regnum, antea clausum ait: *Significante Spiritu S. nondum propalatam fuisse viam Sanctorum, adhuc priore tabernaculo habente statum*, (sed hanc patefactam fuisse) *quando Christus per proprium sanguinem introivit in Sancta*: seu tunc cœlum nobis Christus aperuit, ut illud ingrederemur, cum antea fuerit clausum, quando peracto sacrificio proprii corporis per crucem veluti scalam cœlum ascendit: hæc enim cœli apertio facta est per Christi mortem, adeo ut per veli scissionem facta fuerit cœli apertio, ut passim SS. Patres docent. Sexto ad Hebr. 6. v. 19. ait Apostolus: *Habere nos spem sicut anchoram animæ tutam, ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus*, quæ verba expendens Theophylactus ait. *Non simpliciter, sed præcursor ingressus est, ceu nostri sit præcursor, quorum intersit etiam ingredi. Præcursor enim quorundam sequentium est præcursor; nec omnino multum est medii atque distantiæ inter præcurrorem, & sequentes, quemadmodum neque inter Joannem & Christum multum temporis interfuit. Ne igitur ægrè feratis, si nondum estis ingressi in eum locum, in quo Præcursor noster Christus est. Nec contentus fuit dicere, Præcursor, sed apposuit, pro nobis ad majorem confirmationem. Proinde quasi hoc dicat. Ipse non habebat opus eo ingredi, quomodo enim, cum Deus esset? At enim perinde ac carnem propter nos assumpsit, & propter nos interiùs cœlum subit, necessariò itaque ingrediemur & nos.* Septimò Apoc. 7. dicitur *de his, qui amicti sunt stolis albis*, de quibus antea cap. 6. dixerat: *quod sint ante thronum Dei, eique serviant die, ac nocte in templo ejus*, scilicet in templo, in quo thronus Dei est, seu cœlestis gloria, & beatitudo, quia Matth. 27. *Qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super illum.* Octavò Apostolus ad Hebr. 12. v. 22. opponens Christianos Judæis, ut probet Christi legem Moysaica nobiliorem, ait: *Sed accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, & Judicem omnium Deum & Spiritus justorum perfectorum*, quibus verbis D. Paulus describit Ecclesiam triumphantem ac cœlestem Sion, cujus cives myriades sunt Angelorum, animæ etiam primitivorum, ac perfectorum spiritus actu jam, & re ipsa conscripti, & cooptati in cœlis. Nomine primitivorum intelliguntur animæ Patriarcharum, Prophetarum, ac Sanctorum veteris testamenti; & nomine justorum perfectorum intelliguntur animæ Martyrum, & Apostolorum, qui post Christi ascensionem mortui fuerunt, ut Stephanus Jacobus, & alii, qui obierunt, antequam Paulus scriberet ad Hebræos: & censuit Sanctorum animas ab illo tempore concives fuisse Angelorum in cœlis, ac æterna donatos beatitudine. Nono Micheæ cap. 2. v. 13. dicitur de Christo futuro: *Ascendet enim pandens iter ante eos, divident, & transibunt portam, & ingredientur per eam, & transibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum*: quæ verba à D. Thoma intelliguntur ad litteram de Christo, qui aperuit iter ad æternam gloriam justis, qui per exercitia virtutum, vel sanguinis fusionem fuerunt ipsum secuti. Alii verò in sensu allegorico intelliguut verba Prophetæ de S. Patribus ascendentibus cum Christo in cœlum, scilicet de animabus commorantibus in sinu Abrahæ, quando Christi anima descendit ad inferos. Hinc Sanctus Gregorius Nissenus in Orat. de vita S. Ephræm Syri: *Ad tranquillum æterni Regis portum feliciter emigravit sanctáque, ac Deo grata accessione numerum Beatorum, qui ab initio fuerunt sanctis, cumulavit: nam in cœlestibus anima ipsius concedit tabernaculis;* ubi

ubi Angelorum sunt ordines, ubi Patriarcharum populi, ubi Prophetarum chori, ubi Apostolorum sedes, ubi Martyrum gaudium, ubi piorum lætitia, ubi Doctorum splendor, ubi celebres primogenitorum cœtus, ubi pura lætantium voces. In sanctum illum locum felicissima Beati, clarique Patris Ephrem anima pervenit, ubi ea reperiuntur bona, in quæ desiderant Angeli prospicere. Decimo de animabus Martyrum amictis jam stolis albis, ait Joannes Apocal. cap. 7. *Sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die, ac nocte in templo ejus,* scilicet in cœlo, quod est templum, & thronus Dei juxta illud Davidis, 2. Reg. cap. 22. v. 7. *Exaudiet de templo sancto suo vocem meam.* Præterea D. Thomas ad cap. 20. v. 4. in Apocal. de animabus decolatorum, propter verbum Dei, ubi dicitur: *Vixisse, & regnâsse cum Christo,* notat ibi non victuras, & regnaturas de futuro, sed vixisse & regnâsse cum Christo jam de præterito, *quia jam præsentialiter cum Christo vivunt, & regnant animæ Sanctorum, ex quo interfecti sunt pro Christo.* Præterea quia Joannes Apocal. cap. 4. & 5. fatetur à se visos in cœlo viginti quatuor seniores ante thronum Dei cœlesti beatitate donatos: & per hos seniores repræsentari animas beatas insigniorum Sanctorum veteris, & novi testamenti adstruunt sancti Patres. Undecimò quia sanctus Athanasius in orat. de passione, & cruce ex raptu D. Pauli in tertium cœlum eleganter evincit animas Sanctorum de facto videre in cœlis visione intuitiva, & faciali divinam essentiam, ait ipse: *Porro via paradisi quondam per peccatum clausa nunc volentibus patet, sicuti testatur Paulus raptus illuc, & adductus in cœlos.* Duodecimò ostenditur veritas asserti ex templi scisso velo in morte Christi, siquidem hæc veli scissio significat Christum sua passione meruisse nobis introitum regni cœlestis, & removisse impedimentum, ut post ejus in cœlum ascensionem puræ justorum animæ illuc pergant, unde Nazianzenus orat. 3. de Theolog. ait: *Velamen rumpitur, superna enim demonstrantur,* & Victor Antiochenus in cap. 15. Marci v. 38. ait: *Oportebat legis umbras jam consummatas justificatasque per fidem in Christum sancta sanctorum jam tandem patefacta demonstrare. Oportebat denique iis omnibus, qui Christi vestigiis impigrè insistunt, aditum ad interius tabernaculum omni impedimento prorsus sublato, jam patere ostendere.* Neque obstat, quòd Christus Matth. 25. v. 35. in extremo judicio sit electis dicturus: *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi,* verba enim *possidete,* & *paratum* videntur significare, regnum cœleste non fuisse antea possessum ab Electis. Nam contra est, quia Christus tantùm dicit, paratum esse regnum cœleste à constitutione mundi, non verò negat esse possessum. Præterea respondetur dici paratum usque tunc, ut de novo possideatur à corporibus glorificatis, quibus speciatim erit Christus tunc locuturus. Posset etiam responderi dixisse paratum usque tunc, ut possideatur noviter ab omnibus electis tam Angelis, quàm hominibus, novo tamen modo, ac novo honore, scilicet publica coram toto mundo sententia.

Potest etiam veritas asserti confirmari ex communi sensu Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum. Ecclesia enim ab initio Apostolorum coluit semper festa Sanctorum, quibus congaudet, & gratulatur eorum triumphis, ac gloriæ, quam credit eos jam esse consecutos in cœlo, idque causæ, cur diem obitus vocet eorum diem natalem, eò quia illo die nati sint cœlesti gloriæ, ac proinde signa promit lætitiæ. Tum quia in honorem Sanctorum dedicat templa, altaria, statuas, imagines, diademate radiantes, accendit lumina, quæ omnia signa sunt gloriæ, quamvis finis primarius Ecclesiæ in hisce honoribus præstandis sanctis sit gloria Dei, & honor Sanctorum sit tantùm finis secundarius, hæc autem signa honoris, & gloriæ non exhibebantur Sanctis veteris testamenti, quia nondum erant in cœlis cœlesti beatitudine donati, sed in sinu Abrahæ, in limbo expectabant adventum Christi: Sanctis verò novi testamenti exhibentur signa talis honoris, & obsequii, quia Christus jam aperuit regnum cœlorum, in quod ingrediuntur quotquot hinc decedunt absque ulla noxa. Rursus fideles in Ecclesia Sanctos invocant, suasque preces ad illos dirigunt, eo quia supponat Ecclesia Sanctos cœlesti beatitate jam donatos esse, ac nostris audire preces, ac tantæ esse apud Deum authoritatis, ut possint nobis auxilia suppeditare, nostrasque exaudire orationes: sin autem nondum essent participes divinæ gloriæ, non fruerentur divino aspectu, nec possent ordinariè nostras preces cognoscere, & quamvis eas cognoscerent, non possent multum nos juvare, quia adhuc multum distarent à throno Dei, & ab intima ejus familiaritate. Hinc Ecclesia in multis sacræ liturgiæ precibus expressè confitetur animas Sanctorum æterna frui beatitate, ac cœlestis gloriæ esse participes, & cum Christo in cœlis regnare, ut liquet in missa S. Gregorii 12. Martii, S. Leonis 28. Junii, & aliorum Sanctorum. In Breviario etiam Romano tertio quoque verbo nobis proponit Sanctos participes cœlestis gloriæ, & de S. Francisco in missali canit: *Franciscus pauper. & humilis dives cœlum ingreditur, hymnis cœlestibus honoratur:* & alibi expresse ait: *Regnant in cœlis animæ Sanctorum.* Rursus in Ecclesiasticis dogmatibus dogm. 79. habetur: *Post ascensionem Domini ad cœlos omnium Sanctorum animæ cum Christo sunt, & exeuntes de corpore ad Christum vadunt, expectantes resurrectionem corporis sui, ut ad integram, & perpetuam beatitudinem cum ipso pariter immutentur.* Hoc dogma ad confirmationem nostræ assertionis adhiert. S. Thomas in 4. *distinct.* 40. *quæst.* 1. *art.* 2. Author libri de Ecclesiasticis dogmatibus antiquitus putabatur S. Augustinus, sed Ecclesia Lugdunensis sub annum 850. agens contra Joannem Scotum, Erigenam censet Authorem hujus libri fuisse Genadium Presbyterum, & Episcopum Massiliensem.

Sancti Patres, tam Græci, quam Latini, veritatem nostræ assertionis docent. S. Clemens Romanus *lib.* 8. *constitut. Apostol. cap.* 41. *in orat. pro defunctis* ait: *Colloca eum defunctum in sinu Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum, ubi non est tristitia, neque dolor, neque gemitus, sed cœtus piorum, & lætantium, & terra beata rectorum videntium gloriam Christi:* atqui videre gloriam Christi perinde est, ac videre ejus divinitatem; & terra beata rectorum est ipsum regnum cœlorum. Justinus Martyr quæst. 75. ad Orthodoxos ait: *Post exitum animarum è corpore illico justi ab injustis segregantur, adducuntur enim ab Angelis ad condigna sibi loca, ad justorum quietem animæ in Paradisum, ubi consuetudine & aspectu fruuntur Angelorum, & Archangelorum: visione quoque ipsius Salvatoris Christi, juxta illud: Peregrè absumus à corpore, & præsentes adsumus ad Dominum.* Expresse Justinus significat Paradisum, in quo degunt animæ justorum esse in cœlo, ubi sunt Angeli, & Archangeli, & Salvator noster: neque obstat, quòd quæst. 76. asserat: Operum mercedem non obtingere ante resurrectionem corporum, quia ibi loquitur de plena mercede, quia etiam corpus sua donabitur gloria. S. Irenæus lib. 1. contra hæreses cap. 2. de justis nullam habentibus noxam purgandam

dam ait: *Justis quibusdam ab initio incorruptelam loco muneris conferri, & claritatem æternam circumdari: alios ex pœnitentia*, affirmat enim animas perfectorum statim post mortem donari cœlesti gloria, ac beatas esse, ut etiam animas minus perfectorum, ubi plenè purgatæ fuerint flammis expiatoriis. Quòd si Irenæus lib. 5. cap. 31. asserit animas abire in locum invisibilem definitum à Deo, & ibi mansuras usque ad resurrectionem, per locum invisibilem non intelligit locum inferorum, quia ibi asserit, Christum descendisse ad inferos, ut animas justorum inde extraheret, & salvaret, sed per locum invisibilem intellexit partem aliquam regionis cœlestis nobis ignotam. Sanctus Cyprianus etiam lib. de mortalitate ostendit, justos hinc decedentes sine noxa ulla *statim paradiso, & regno cœlesti restitui*, & illic Sanctorum cœtus triumphare, nosque expectare. D. Ambrosius epist. 59. de S. Acholio ait: *Est igitur Acholius jam superiorum incola, possessor civitatis illius æternæ Jerusalem, quæ in cœlo est. Videt illius urbis immensam mensuram purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine sole perpetuum.* Eusebius Cæsariensis de sanctis Martyribus ait: *Sancti Martyres in ipso cœlo, & paradiso divinis deliciis perfruuntur.* D. Hieronymus epist. 24. de obitu Leæ ait: *Nunc pro brevi labore æterna beatitudine fruitur: excipitur Angelorum choris, Abrahæ sinibus confovetur, & Christum sequitur: & dicit: Quæcunque audivimus, vidimus in civitate Domini virtutum.* Vocatur cœlum Abrahæ sinus à pluribus Sanctis, ut à Dionysio, & Gregorio Nazianzeno. D. Basilius homil. 20. in 40. Martyres eos alloquens ait: *Vos non terra contexit, sed cœlum except:* & Gregorius Nazianzenus orat. 12. in laudem Gorgoniæ ait: *Equidem non dubito, quin iis, quæ oculis cernuntur, multo præstantiora sint ea, quibus nunc frueris, nempe Angelorum choræa, cœlestis ordo, gloriæ contemplatio, supremæ Trinitatis purior, & perfectior illuminatio totam se toti menti contemplandam, & tenendam præbentis omnino inquam hic frueris.* Et S. Epiphanius hæresi 88. confirmat nostram assertionem, inquiens: *Sancti sunt in honore, quies ipsorum in gloria profectio, hinc in perfectione sors ipsorum in beatitudine tripudium cum Angelis, diæta in cœlo, conversatio in divinis scripturis, gloria in honore incomparabili, ac perpetuo bravio in Christo Jesu Domino nostro.* Et Gregorius Nissenus orat. in Magnum Meletium ait: *Non amplius per speculum, & ænigma, sed facie coll ita intercedit apud Deum.* Infinitos essem, si omnes vellem hic recensere sanctos Patres docentes veritatem nostræ assertionis, illos allegant Bellarminus, Valentia, & alii, Ego claudam cum D. Augustino lib. 20. de civit. cap. 13. ubi ait: *Animæ victrices gloriosissimorum Martyrum posteaquam mortalia membra posuerunt, cum Christo utique regnaverunt, & regnant, donec finiantur mille anni, ut postea receptis etiam corporibus jam immortalibus regnent.*

Probatur eadem assertio ratione, quia consortium corporis non requiritur ad illam operationem, quæ nullo modo dependet à phantasmate: atqui visio beata, in qua sita est formalis beatitudo, non dependet à phantasmate, ergo non indiget consortio corporis, ut eliciatur ab anima, quia eatenus intellectus pro præsenti statu intelligit per ministeria sensuum, quia dependet à phantasmate. Tum quia anima cauta corpore capax est divinæ visionis non minus quam erit postea resumpto corpore: siquidem corpus nullo modo juvat ad spiritualem, ac intuitivam Dei visionem, cùm hæc non fiat per conversionem ad phantasmata, sed vel maximè mentem ab iis abstrahat, consequenter animæ justorum corporibus exutæ quæque nil habent expiandum, statim intuitivè vident divinam essentiam, ac cœlesti donantur beatitate, nec ulla suppetit ratio, cur debeat hæc iisdem differri. Tum quia visio Dei proponitur, ut merces labore suscipienubus juxta parabolam Matth. 20. & etiam ut pravium in stadio currentibus juxta illud Apostoli: *Sic currite, ut comprehendatis:* sed merces completo labore statim debetur laborantibus, adeo ut Deus Levitic. 19. præcipiat, ne in posterum quidem diem merces differatur, inquiens: *Non morabitur opus mercenarii apud te usque mane:* injungit enim, ne merces operis differatur dari operanti, quia cùm dignus sit mercede sua, hæc est ei statim solvenda. Pari pacto corona seu pravium completo cursu statim ei debetur, qui cucurrit, & cæteros anteivit. Præterea certum est, Deum animas justorum non torquere denegando eis bonum, quo dignæ sunt, & cujus sunt capaces: atqui torquerentur, si iisdem differetur essentialis beatitudo, quam merentur usque ad extremum judicii diem, siquidem carerent maximo bono, cujus privatio summa censenda est miseria, spes enim, quæ differtur, affligit animam, ut habetur Proverb. 13. tum quia nulla potest sufficiens causa assignari, qua differri debeat animabus justis, quæ ab omni expurgatæ macula hinc demigrârunt, merces beatitudinis. Tum quia reproborum animæ statim ab excessu à corpore detruduntur in tartara, & torquentur igne juxta illud Job. 19. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*, & Luc. 16. *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno:* sed Deus utpote suomet ipius non est promptior ad pœnam rependendam, quam ad mercedem exhibendam, imò pronior est ad beneficientiam, quam ad vindictam, & ad præmium conferendum, quam ad supplicium inferendum. Demum quia Angeli statim in termino merendi beatitudinem fuerunt assecuti: sed in hominibus terminus merendi est mors, ergo justi statim post mortem, si ab omni sint macula expurgati, nilque illis supersit expiandum, beatitate donantur, cum Christi morte sit ipsis cœlum reseratum.

Rursus quod vel maximè congruum sit, ut corpora beatorum sint & ipsa post resurrectionem futura gloriosa, ex eo evincitur, quia congruum est, ut æterna justorum beatitudo sit ex omni parte perfecta: atqui si beatorum corpora non essent resurrectura, gloriosa non foret beatitudo ex omni parte integra, quia deessent plura accidentia. quæ eidem convenirent, ut sunt perfectiones corporis gloriosi. Quinimò de fide credendum est, corpora beatorum esse resurrectura gloriosa, ut habetur in symbolo Apostolorum, & significatur etiam à D. Paulo 1. ad Corinth. cap. 15. ubi Apostolus ex Christi resurrectione nostram probat itidem resurrectionem, sine qua inanis esset fides nostra, frustranei labores, ad quos subeundos efficax est stimulus futura carnis nostræ resurrectio, glorificatio, & incorreptio.

An verò animæ Beatorum resumpto corpore sint clariùs visuræ divinam essentiam, quàm antea non videntur sancti Patres convenire: quidam negant, eò quia putent eas desiderio corporis retardari, ne tota intentione ferantur amore in Deum, ita videtur sentire D. Augustinus lib. 12. de Genes. ad litteram cap. 35. ubi ait: *Dubium non est & raptam à carnis sensibus hominis mentem, & post mortem ipsa carne deposita non sic videre posse incommutabilem substantiam, id est, Deum sicuti sancti Angeli vident, sive alia latentiori causa, sive ideo, quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi, quo retardatur*

tardatur quodammodo ne tota intentione pergat in illud ſummum cœlum, quamdiu non ſubeſt corpus cujus adminiſtratione appetitus ille conquieſcat. Et rationem deducit ex deſiderio animæ ad reſumendum corpus. Hoc idem videtur ſenſire S. Barnardus *ſerm. 3. de ſanctis:* hæc eadem ſententia placuit pluribus ſcholaſticis præſertim D. Thomæ D. Bonaventuræ Richardo, Marſilio, & Henrico *quod lib. 7. quæſt. 6.* Sed oppoſita ſententia videtur probabilior, ſcilicet animas ſanctorum, nec clariùs, nec expeditiùs viſuras Dei eſſentiam; nec perfectius amaturas Deum poſt reſurrectionem corporum, quàm antea ita cenſet, ac docet D. Thomas re melius expenſa *1. 2. q. 4. art. 5.* cum Cajetano, ex reliquis Thomiſtis. Ratio eſt quia hæc ſententia eſt conformior Definitioni Benedicti XII. ubi expreſsè ait, *Viſionem Dei, quam accipiunt animæ ſtatim poſt mortem, continuari uſque ad diem judicii, & inde in æternum:* atqui quod continuatur non creſcit, nec minuitur, ſed remanet idem ac antea. Secundò quia viſio iſta debet eſſe commenſa lumini gloriæ; ſed lumen gloriæ non augetur, nec minuitur per reſumptionem corporis: ergo nec viſio. Tertiò ſi anima corpore exuta non tam perfectè, & clarè videre poteſt Deum, quàm conjuncta vel id oritur ex eo quod anima habeat imperfectius eſſe extra corpus quam in corpore; vel ex eo quòd corpus aliquid conferat ad illam viſionem; vel ex eo quòd ex deſiderio corporis diſtrahatur: ſed ex nullo horum poteſt provenire; non ex primo quia falſum eſt animam in corpore habere perfectius eſſe, quàm extra corpus: anima enim non immutatur in ſuo eſſe intrinſeco ſive ſit corpori unita, ſivè ab ipſo ſejuncta licèt in corpore magis ſit extenſa, utpote alteri comparti extenſæ communicata; & in corpore habet novum modum, qui eſt inexiſtentia; quo caret ſejuncta à corpore, qui tamen modus nil juvat ad viſionem Dei, ſicut nec corpus ipſum, quia potius impedit; quia corporis craſſities aggravat animam multa cogitantem. Idque declarari poteſt exemplo formarum accidentalium in Euchariſtia, quæ non minus ſunt efficaces ſejunctæ à ſubjecto, quàm eidem junctæ; & exemplo humanæ naturæ unitæ verbo divino. Multo minus operationes animæ purè ſpirituales erunt perfectiores ratione unionis cum corpore. Neque ſecundum, quia tantùm abeſt, quod corpus poſſit aliquid conferre ad viſionem Dei, ut potiùs videatur eam impedire: quia viſio intuitiva divinæ eſſentiæ eſt ſublimiſſima, & maximè ſpiritualis, neque ad illam poſſunt phantaſmata juvare: & quia anima corpori conjuncta nil poteſt apprehendere niſi per adminiculum phantaſmatis corporei, ſeu repræſentantis corpus aliquod: ſicut anima per conjunctionem cum corpore quodammodo craſſeſcit, & corporatur, ita nihil poteſt apprehendere niſi per modum rei corporeæ: ergo perfectius cognoſcit Deum ſejuncta, quàm conjuncta corpori. Neque tertium quia deſiderium corporis vel eſt inclinatio naturæ, vel actus elicitus: ſi primum non poteſt impedire operationes animæ, cum non ſit aliquis actus diſtrahens mentem, ſicut cogitatio, & amor rerum terrenarum; ſed tantùm quid potentiale: perinde ac inclinatio accidentis ad ſubjectum non impedit ejus operationem, quamvis ipſum à ſubjecto ſit ſeparatum, ut liquet in ſacramento Euchariſtiæ. Si dicatur ſecundum, ſeu deſiderium animæ ſe uniendi corpori ut comparti humani compoſiti, eſſe actum elicitum; vel hujuſmodi actus eſt in poteſtate animæ beatæ, adeout poſſit ad arbitrium illum elicere, vel coërcere; vel non eſt in arbitrio animæ. Si poteſt illum comprimere, & non comprimat digna eſt reprehenſione, & graviter videtur peccare, ſi ita inordinatè velit afficì erga corpus, ut malit pati diſpendium magnæ partis ſuæ beatitudinis, & videre, amare Deum imperfectè, quàm amorem in corpus compeſcere. Quòd ſi in præſenti ſtatu viæ ubi tanta nobis ineſt infirmitas reprehenſibile eſt creaturæ rationali voluntariè inhærere alteri creaturæ quantumvis excellenti, ut negligat contemplationem, & amorem creatoris; quanto magis id reprehenſibile erit in altera vita animæ beatæ, ubi dona ſupernaturalia abundabunt? Præterea non poteſt quidquam aſſignari, quod illam moveat ad elicientiam talis actus; cum Dei clarior viſio ſit bonum longè majus, ac prævalens, ac fortiùs ad ſe voluntatem trahat.

LIBER QUINTUS.

DE

Chriſti præſentia poſt aſcenſionem in cœlum.

CAPUT I.

Proponitur, & rejicitur ſententia Ubiquetariorum.



QUæſtio hæc maximè contra hæreticos, & ſectarios inſtituitur. Quæritur enim ubi Chriſtus poſt ſuam in cœlum aſcenſionem præſens exiſtat ut homo. Hæreti nuncupati Sacramentarii aſſerunt Chriſtum, ut hominem tantùm exiſtere in cœlo, ac ibi eſſe præſentem, & non alibi. Alii vero hæretici qui Ubiquetarii dicuntur contendunt Chriſtum ut hominem eſſe ubique, ob id Ubiquetarii audiunt; hos inter extremos errores Eccleſia Catholica mediam docet ſententiam, & aſſerit Chriſtum ut hominem eſſe quidem in cœlis, ſed non tantùm, ſed etiam in terris in Euchariſtia ſub ſpeciebus conſecratis, & negat eſſe ubique extra Euchariſtiam & hoſtias conſervatas. Sectarii perniciosiſſimis ſuis adhærentes opinionibus præſi-

præsidium propriæ causæ nitontur fomere ab unione hypostatica duarum naturarum divinæ, & humanæ, quibus constat Christus. Sieque argumentantur, natura humana in Christo cum natura divina hoc ipso est unita, eò quia sit illi omnis plenitudo divinitatis ita communicata, ut inde parem habeat præstantiam, & majestatem cum Deo. Ergo Christi humanitas præsens est, ubi & divinitas & sicut hæc est ubique præsens ob immensitatem, ita humanitas non minus quam divinitas est ubique præsens ob divina attributa in ipsam transfusa: hoc argumento nituntur Ubiquetarii propriam sententiam propugnare, ac tueri. Econtra Sacramentarii argumentantur hoc pacto natura humana Christi quamvis Verbo divino hypostaticè unita adhuc constat ex vero corpore, retinetque veri corporis proprietates, ac naturalia attributa ergo perinde ac quodlibet aliud corpus humanum circumscribitur loco, in quo solo continetur, neque extra illum est alibi præsens, quia est corpus unitum, & limitatum circumscriptum uno determinato loco: ergo cùm Christus post in cœlum ascensionem sedet ad dexteram Dei Patris in cœlo, ibi tantùm nunc est, neque ulla Christi verba sic intelligi debent, tanquam sit alibi etiam præsens: ex quo inferunt Christum secundùm realem humanitatem non contineri in Eucharistia sub speciebus consecratis: & ita asserunt Calvinistæ, quin in Eucharistia tantùm figuram Christi, & ultimæ cœnæ ponunt, negantes realem præsentiam realis humanitatis Christi.

Differunt igitur Ubiquetarii à Sacramentariis, quia illi doceant humanam naturam cum Verbo divino hypostaticè unitam esse omnem plenitudinem, & energiam divinitatis ei communicatam ab ipso Verbo, & ita transfusam in Christi humanitatem, ut Christus etiam ut homo verissimè sit primò ipsa subsistentia in persona divini Verbi, secundò Deus ipse; tertiò omnipotens, infinitus, æternus, immensus, consequenter & ubique præsens, quartò ut sit mundi rector, & conservator: hæc enim quatuor asserunt fuisse transfusa in naturam humanam Christi scilicet divinam personam seu Verbum divinam naturam & essentiam seu Deum; divina attributa omnia, & divinas operationes: quo pacto à posteriori describunt unionem hypostaticam esse communicationem realem idiomatum divinæ naturæ cum Christo homine ratione cujus divina persona divina natura, & essentia, divina attributa omnia, & divinæ operationes affirmantur de Christo etiam secundùm humanitatem. Hanc esse eorum sententiam ex eo liquet, quia asserunt humanitatem per hanc unionem, & communicationem cum divinis exaltatam esse ad æqualitatem majestatis gloriæ, & ejusdem potentiæ cum verbo divino, adeò ut non modo Christi humanitas sit omnipotens ut natura divina, verum etiam ubique præsens sicut divina essentia ob immensitatem ab illa ratione unionis hypostaticæ in humanitatem transfusam: & quamvis non obstante hac unione hypostatica asserant naturam humanam in Christo retinere omnes suas proprietates, quæ ipsi conveniunt, ac esse ita realiter communicatam divinæ naturæ ut à subjecto similiter harum denuntiationum DEUS est homo, DEUS est natus, passus, & crucifixus, non debeat excludi ipsa divinitas, quam volunt non eodem modo esse communicatam humanitati, sicut humanitas est divinitati communicata, ajunt enim divinitas seu persona Verbi humanitatem assumpsit, & perfecit: sed humanitas neque assumpsit divinitatem, neque illi communicavit quidquam perfectionis, vel infinitatis: sed non explicant, in quo formaliter consistat modus iste diversus, quo humanitas, ac ejus proprietates sunt per unionem hypostaticam communicatæ divinæ naturæ, sed id tantùm verbis repetunt, & idem semper respondent non assignata alia ratione dicentes tantùm divinitatem non fuisse per unionem hypostaticam factam infirmam nec ullam contraxisse imperfectionem, sed tantùm perfecisse humanitatem, & nihil contraxisse ab eadem, quo fuerit deterior facta: hoc pacto Ubiquetarii suam explicant sententiam, & ut argumenta, quibus revelluntur, rejiciant ad varia, recurrunt diverticula, ex quibus duo habentur apud ipsos præcipua, quorum primum est, quia asserunt realem illam communicationem divinorum cum humanitate assumpta non esse essentialem scilicet divina illa prædicata non ita de humanitate, seu de Christo ut homine affirmari, sicut affirmantur de divinitate, & divina essentia, adeò ut divina persona, divina natura, divina attributa omnia, & divinæ operationes non eodem modo affirmentur de Christo ut homine, seu de ejus humanitate, sicut affirmantur de divinitate, quia humanitas, quamvis dicatur esse divinitas, & per immensitatem ubique, negant tamen hanc communicationem esse physicam, vel subjectivam, sicut est propria divinæ naturæ scilicet non ita divina illa prædicata affirmantur de humanitate vel de Christo secundùm humanitatem quasi in ipsa insint, tanquam accidentia in subjecto: quinimò fatentur divina illa prædicata nunquam egredi limites sui objecti, quod dicunt esse Verbum divinum: hinc concludunt communicationem illam, & affirmationem divinorum de Christo secundùm humanitatem esse ejusdam singularis, atque arcani modi, quem vocant hypostaticum, seu personalem: inde explicant, quomodo per hanc realem communicationem non tollatur distinctio duarum naturarum ac utriusque proprietatum in Christo: siquidem concedunt physicè humanitatem assumptam per se manere infirmam certo loco circumscriptam, ac retinere omnia propria, quibus à natura divina tum ratione suæ essentiæ, tum ratione proprietatum longè differt, quamvis enim divina prædicata humanitati Christi etiam competant non tamen eodem modo, sed alio quodam arcano, seu communicatione hypostatica, & personali. Quod discrimen volunt vel maximè esse observandum cum prædicata divina tribuuntur naturæ divinæ, & humanæ in Christo, quia divinitas per se & essentialiter est divinitas, eò quia se ipsam possideat, habeatque, adeò ut quod existit propriè sit divinitas: secus humanitas non existendo, sed tantùm habendo divinitatem, quia non essentialiter sed tantùm per communicationem competat Christi humanitati, ita tamen ut arcano modo Christus non solùm ratione suæ personæ, verùm secundùm humanitatem affirmetur esse Deus omnipotens, immensus, consequenter ubique præsens, Secundum subterfugium, quo nituntur, ut eludant argumenta, quæ iisdem objiciuntur, est, quia asserunt, hanc communicationem personalem ejusque modum esse prorsus ineffabilem, consequenter non ratione humana indagandum curiosius, neque reticendum, sed firmiter eidem adhærendum. Hæcque est tota doctrina, quam ex Lutheri, & Brenzii scriptis decerpsit, & in lucem protulit præsertim Schindelinus præcipuus Ubiquetariorum Antesignanus.

Catholici verò non negant absolutè, & simpliciter plenitudinem divinitatis Verbi divini fuisse realiter communicatam humanitati Christi assumptæ, asse-

asserunt enim subsistentiam divinam, seu Verbum æterni Patris assumpsisse naturam humanam cui cum ipso Verbo communicavit perfectiones divinas, adeò ut natura humana subsistat in persona Verbi, & primariò per ipsam verbi subsistentiam, seu personalitatem realiter subsistat; & secundariò per divinitatem ejusque perfectiones, quæ ab ipsa divina subsistentia, seu Verbo non distinguuntur realiter, sed tantùm virtualiter secundùm varios, & diversos conceptus, quos de ipsis divinis prædicatis possumus efformare, in quo sensu asserunt Catholici etiam à divinitate ipsa fuisse naturam humanam assumptam scilicet à divinitate secundariò quatenus identificatur cum persona Verbi, quæ primariò assumpsit naturam humanam: unde humanitati Christi communicatur plenitudo divinitatis, ac energia Verbi, si illi attribuitur non ut humanitas sit ipsa divinitas, sed ut subsistat per subsistentiam divinam Verbi sibi identificantem omnia divina prædicata: ex eo autem, quòd Christi humanitas subsistit per subsistentiam Verbi etiam completur, ac perficitur hypostaticè. Unde orthodoxi non absolutè negant Verbi divini energiam, & plenitudinem divinitatis realiter communicari naturæ assumptæ, seu humanitati Christi, hoc enim omnes concedunt, asserentes esse infinitum beneficium collatum à Deo humanæ naturæ, cùm hæc beneficio illius fuerit ad eam dignitatem erecta, ut subsistat per subsistentiam Verbi divini, qua de causa hoc beneficium seu donum vocant gratiam unionis, eò quia sit gratis donatum ipsum esse divinum naturæ assumptæ non tamen, ut sit illud esse divinum, ut Ubiquetarii putant; sed ut per illud esse divinum, seu per personam Verbi natura humana assumpta subsistat. Hinc D. Thomas *3. part. quæst. 6. art. 6.* expendens illud Joan. 3. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum Filio*, ait ipse: *Alio modo potest hoc referri ad donum, quod datum est humanæ naturæ, ut uniatur divinæ naturæ, quod est donum infinitum*, scilicet est gratia unionis, & ipsum esse personale Verbi, quod gratis datur humanæ naturæ, ut hæc subsistat, non in propria, sed in persona Verbi, & quia hæc persona est infinita ita donum unionis est itidem infinitum. Et confirmat hoc idem Angelicus Doctor ex Glossa ordinaria in verba illa: *Sicut Pater plenum, & perfectè genuit Verbum, ita plenum, & perfectè est unitum naturæ humanæ.* Ex quo liquet, ipsum esse divinum infinitum seu cum tota plenitudine divinitatis Verbi, seu secundæ personæ divinæ fuisse donatum naturæ assumptæ non tamen ut natura assumpta sit ipsum esse divinum, sed ut subsistat per illud; aliud enim est naturam humanam Christi esse ipsum esse divinum, & aliud subsistere per esse divinum seu per ipsum Verbum, ac divinam personam sibi identificantem omnia prædicata divina, naturam, essentiam, & omnia divina attributa: hinc hæc propositio: Christus secundùm humanitatem est persona divina est Deus, est omnipotens, est immensus, consequenter ubique, si intelligatur, quòd humanitas sit in se ipsum Verbum divinum est propositio falsa, & hæretica, quia humanitas Christi ex se est finita limitata obnoxia infirmitatibus, & morti, quam Christus subivit, ut nobis æternam vitam impertiret: sin verò per illam propositionem intelligatur, quòd Christus secundùm humanitatem sit id, quod habet sibi communicatam subsistentiam, seu personalitatem divinam, & totam plenitudinem divinitatis, non quòd secundùm humanitatem sit hæc divinitas; sed ut secundum humanitatem subsistat per hæc divina, esset locutio quidem inepta, & temeraria, quia abuteretur regulis loquendi de hoc mysterio non tamen esset propositio hæretica, quia reverà Christi humanitas habet divinitatem, quamvis ipsa non sit divinitas, sed tantùm per divinitatem subsistit, quæ propterea ratione unionis hypostaticæ ei communicatur. Hæretici igitur ita totam plenitudinem divinitatis Verbi asserunt esse realiter communicatam naturæ assumptæ, ut hæ propositiones Christus ut homo est Deus, est omnipotens, est immensus, consequenter ubique præsens, identicè prædicatum sit idem cum subjecto, & in Christo ly homo sit Deus omnipotens, immensus, & ubique præsens, quod est hæreticum, quia in Christo humanitas licèt hæc subsistat per divinitatem, seu subsistentiam Verbi divini non tamen est ipsa divinitas, nec ipsa subsistentia Verbi, alioquin non esset ipsa natura humana, quæ subsisteret per subsistentiam Verbi, sed esset ipsa subsistentia, quæ per se subsisteret. Neque natura assumpta est natura divina, sed utraque natura humana, & divina manet in Christo sine confusione, & cum distinctione unius ab alia salvis utriusque proprietatibus, atque differentiis.

His positis, ac præmissis dicimus naturam humanam in Christo ita divino Verbo hypostaticè uniri, ut licèt à Verbo accipiat omnem plenitudinem, & energiam divinitatis, non tamen Christi humanitatem esse ipsam divinitatem, nec immensam, neque ubique. Probatur, quia illa assertio est falsa, ac hæretica, quæ opponitur propositioni veræ, ac de fide declaratæ, atqui assertio Ubiquetariorum opponitur propositioni declaratæ de fide, ergo assertio Ubiquetariorum est hæretica. Major ostenditur, quia semel quòd assertio aliqua negat, quod de fide est declaratum ab Ecclesia, est assertio hæretica, quia negat, quod de fide est asserendum, ac inficiatur articulum fidei. Minor probatur, quia assertio Ubiquetariorum opponitur huic assertioni de fide declaratæ in Concilio Chalcedonensi *act. 5. in 2. confess. fid.* & reperitur etiam in Concilio Nicæno 2. & Constantinopolitano 1. & Ephesino 1. estque assertio de fide: *Credimus Jesum Christum Dominum unigenitum in duabus naturis, inconfusibiliter, inconvertibiliter, indivisibiliter, inseparabiliter agnoscendum: nulla naturarum differentia sublata propter unionem, sed salva magis utriusque naturæ proprietate.* Huic autem assertioni ab ecclesia de fide declaratæ in Conciliis opponitur dogma Ubiquetariorum, quia eorum dogma affirmat, Christum secundùm humanitatem modo ineffabili, & arcano esse Deum omnipotentem, immensum, & consequenter ubique, ergo manifestè ponit modum unionis pugnantem cum confessione fidei declaratæ in Conciliis ab ecclesia, siquidem Concilium Chalcedonense fuit unum ex quatuor præcipuis, quæ habita semper fuerunt ut Verbo Dei omnino consentanea, ac proinde omnium consensu semper recepta: cùm enim Concilium proponat credendum Christum Dominum unigenitum in duabus naturis nulla naturarum differentia sublata propter unionem, & Ubiquetarii asserant, naturam assumptam per unionem cum divino Verbo evadere divinitatem quamvis non essentialiter ut ipsi explicant scilicet ex se, nec physicè aut subjectivè, sed ineffabili, & arcano modo, quem ipsi vocant modum hypostaticum: negant in Christo naturam humanam, quam asserunt transiisse in divinam, si non physicè, & ex se saltem modo illo ineffabili, quem hypostaticum vocant; proinde eorum dogma pugnat cum assertione ab ecclesia in Conciliis definita de fide, etenim cùm Concilium definierit per unionem non fuisse sublatam differentiam naturarum, sed utramque naturam humanam, & divinam magis permansisse in-

confusam utique non definivit in mysterio Incarnationis factum fuisse, ut arcano aliquo, & ineffabili modo, quæ divina sunt de Christo affirmarentur secundùm humanitatem. Si enim Concilium definivit Christum in duabus naturis inconfusibiliter subsistere nulla naturarum differentia sublata propter unionem, sed salva magis utriusque naturæ proprietate certè non definivit naturam humanam in Christo modo arcano, & ineffabili evasisse divinitatem in se, & omnipotentem immensam, & consequenter ubique, quia proprietas naturæ humanæ non est esse ubique nec immensitas, nec omnipotentia; si igitur salva magis utriusque naturæ proprietate Verbum divinum ita assumpsit naturam humanam, ut ambæ essent in Christo sine confusione, sed cum suis proprietatibus sequitur evidenter non potuisse Christi humanitatem ullo modo ineffabili & arcano evadere divinitatem: cùm enim utraque natura manserit inconfusa, & salva utriusque proprietate; de humana natura solùm affirmari possunt, quæ sunt humana, & de divina, quæ sunt divina, neque per hanc unionem sominatam ineffabili modo Christum secundùm naturam humanam evadit ipsa divinitas, nec natura divina, quia Concilium definivit, *spectata etiam unitate personali Christi permansisse magis salvam utriusque naturæ proprietatem* declaravit factum non esse, ut arcano, & ineffabili modo unionis, quæ divinæ naturæ erant propria fierent cum natura assumpta communia. Cùm igitur Concilia, & Patres definierint proprietates naturæ divinæ mansisse salvas non tam suppositum alterum, quàm alteram naturam seu assumptam excludunt à proprietatibus naturæ divinæ, unde Ubiquetarii suo dogmate pugnant cum definitione Concilii Chalcedonensis, eò quia attributa, & proprietates propriæ naturæ divinæ; cujusmodi sunt infinitas, omnipotentia, immensitas, & esse ubique præsens tribuunt alteri naturæ, asserunt enim hæc attributa modo ineffabili, & arcano unionis fuisse communicata naturæ humanæ, ut Christus secundùm illam affirmaretur esse Deus omnipotens, immensus, & ubique præsens, quod est contra Concilium definiens Christum Dominum in duabus naturis inconfusibiliter subsistere nulla naturarum differentia sublata propter unionem, sed salva magis utriusque naturæ proprietate.

Probatur secundò hæreticum esse dogma Ubiquetariorum: quia illud dogma est hæreticum, & falsum quod modum unionis ita assignat, ut propositiones omninò, & propriè contradictoriæ arcano & ineffabili modo veras esse concedat; atqui hujusmodi est Ubiquetariorum dogma, ergo est falsum, & hæreticum. Major est certa, quia nulla contradictio, si vera, & propria est contradictio, nullo modo sive in arcano, sive ineffabili potest esse vera; in quo sensu intelligitur commune axioma omnium consensu receptum de duobus contradictoriis, quæ per nullam potentiam sive divinam & supernaturalem possunt simul esse vera, proinde hic modus, quamvis ineffabilis, & arcanus, quem Ubiquetarii asserunt, quia duo includit contradictoria poterit veritatem ingerere, & est apertè falsus, & contra fidem. Minor etiam ostenditur, quia Ubiquetarii asserunt veras esse ineffabiliter propositiones illas affirmativas, Christus secundùm humanitatem est Deus, est omnipotens, est immensus, est ubique præsens, & nihilominus remanente eadem ratione subjecti, seu Christus secundùm humanitatem & perseverante eodem prædicato, quod est Deus omnipotens, immensus &c. imò etiam eadem copula, seu verbo est, denotante unitatem, & identitatem, quam Ubiquetarii putant ineffabili modo in Christo existere remanentibus hisce omnibus lumine naturali; & ex testimoniis Scripturæ, neque ab Ubiquetariis negari potest simul veras esse has propositiones negativas; Christus secundùm humanitatem non est Deus, non est omnipotens, non est immensus &c. si hæ propositiones negativæ sunt veræ, ut omnes fatentur propositiones Ubiquetariorum contradictoriæ sunt istis, quia hæ sunt negativæ, & illæ affirmativæ de eodem subjecto; & prædicato, consequenter Ubiquetarii adiguntur concedere duas propositiones contradictorias simul veras, ajunt enim Ubiquetarii per unionem hypostaticam ineffabili & arcano modo Christum secundùm humanitatem esse Deum, esse omnipotentem, esse immensum &c. ergo si dogma Ubiquetariorum verum est duo contradictoria sunt simul vera, quod repugnat lumini naturali sacris Scripturis, & omnibus scientiis.

Probatur tertiò, quia illud dogma est hæreticum, ex quo per necessariam, & firmam consequentiæ formam deducuntur propositiones hæreticæ, & absurdæ, atqui ex dogmate Ubiquetariorum hæc sequuntur proinde est hæreticum, & absurdum. Major, & consequentia tenent. Minor ostenditur; quia sequitur in Christo nunquam fuisse naturam divinam, & humanam, quia quod est unum, & idem cum humana natura, non est verè natura divina, quia hæc est omnino quid aliud longè perfectius, ac infinities excellantius quacunque natura creata, adeò ut per nullam unionem, quamvis modo arcano, & ineffabili cum re creata fieri possit quid unum, quin amittat suum esse transeatque de infinito in limitatum, & finitum, de increato ad esse creatum, siquidem eo ipso, quo est, differt & est aliud quiddam à quocunque altero, ergo cum Ubiquetarii affirment Christum secundùm divinitatem & humanitatem esse quiddam unum ineffabili, ac arcano modo jam destituunt divinam naturam suo esse, & eodem modo etiam naturam humanam, siquidem quod est unum ac idem cum natura divina, repugnat esse naturam humanam, alioquin esset, & non esset natura divina, quod est luculenta contradictio; sed juxta dogma Ubiquetariorum ineffabiliter factum est, ut Christus secundùm naturam assumptam sit unum ac idem cum natura divina; ergo factum est modo arcano, ac ineffabili ut natura humana assumpta in Christo verè non sit natura humana, quia hæc suis clauditur limitibus, sua propria constituitur differentia, unica definitur definitione scilicet *animal rationale*, & si quid hujusmodi non est, deficit ab essentia naturæ humanæ, & induit aliam essentiam; non enim duas potest essentias continere, cum unaquæque res uno certo genere, & una definiatur differentia. Præterea ex Ubiquetariorum dogmate sequitur Christum secundùm naturam assumptam seu humanitatem extitisse authorem suæ humanitatis: quia in eorum sententia, Christus per suam humanitatem haurit ipsam divinitatem cum omnibus suis attributis, ac operationibus, cum quibus communicatur: & cum sibi attribuat omnes operationes divinæ naturæ ac attributorum, utique sibi attribuit, aliam omnipotentiam cum suis operationibus, ex quibus una est effectio humanitatis Christi; ergo humanitas Christi se ipsam efficeret, ac esset causa sui ipsius. Neque urget, si dicant Christum secundùm humanitatem esse omnipotentem modo arcano, ac ineffabili: quia quicquid fit, certè proficiscitur ab omnipotente, ex omnipotentia modo ineffabili, & arcano; quis enim potest sufficienter explicare modum, quo omnipotentia à

nihi-

nihilo traducit creaturas, quibus impertitur illam mensuram specificæ perfectionis, quam possident? quis effari potest modum quo divina persona hypostaticè unitur naturæ humanæ? ergo si quod proficiscitur ab omnipotente fit modo ineffabili, & arcano; quamvis Christus ut homo dicatur omnipotens, & immensus seu esse ubique adhuc re ipsa est quid unum cum ipsa omnipotentia, & cum Deo, ejusque divinitate, consequenter desinit esse humanitas, & fit ipsa divinitas, quo nil absurdius potest excogitari. Si dicas, Christum ut hominem, seu secundùm humanitatem esse quidem Deum omnipotentem, non tamen efficere suam humanitatem, eò quia divinitas ipsa transfunditur in humanitatem Christi modo arcano, ac ineffabili; adeout humanitas non desinat, sed veluti afficiatur, & quasi informetur divinitate. Contra; quia si tantùm divinitas afficit ac veluti informat humanitatem, quatenus illi duntaxat unitur, nec humanitas desinit esse humanitas, inde sequitur, humanitatem ut affectam divinitate adhuc servare suum esse specificum humanitatis, consequenter non esse in seipsam divinitatem, neque omnipotentiam, nec immensitatem, neque existere ubique: Si revera Christi humanitas in se est ipsa omnipotentia; ergo est causa efficiens sui ipsius: etenim qui omnipotens est facere potest per id quo est omnipotens etiam modo ineffabili & arcano, quidquid omninò factibile est, vel factum est, vel fieri potuit; hæc enim est notio omnipotentiæ: sed in sententia Ubiquetariorum Christus per humanitatem suam est ineffabiliter omnipotens; imò per ipsos est ipsissima omnipotentia divina: ergo Christus per humanitatem suam, seu per omnipotentiam potuit suam producere humanitatem; quia est quid unum cum omnipotentia; & etiam est quid factibile cùm de facto facta sit. Rursus inde sequeretur hoc aliud absurdum, quòd Christus secundùm humanitatem extitisset ante suam humanitatem. Si enim per Ubiquetarios Christi humanitas modo ineffabili & arcano est ipsa divinitas, omnipotentia, & immensitas, & reliqua divina attributa, cùm hæc sint æterna, inde sequitur esse quoque æternam ipsam Christi humanitatem; id enim est æternum quod semper fuit, & est; & propterea quod antecedit omne temporale; Christi autem humanitas initium habuit ope Spiritus Sancti in utero Virginis, quæ non fuit æterna, sed tantùm in tempore: ergo cùm humanitas Christi non sit æterna, nequit modo ineffabili, & arcano esse ipsa divinitas omnipotentia, immensitas, &c. quia hæc omnia attributa sunt æterna: vel si dicatur esse æterna, eò quia sit ipsissima omnipotentia modo ineffabili, & arcano sequitur Christi humanitatem extitisse, antequam existeret, quo nil potest absurdius excogitari: Si enim Christus per hanc humanitatem suam ineffabiliter extitit ante suam humanitatem. Rursus sequitur hoc aliud absurdum, quòd Christus secundùm humanitatem non potuit pati, nec mori; & esse falsum asserere, Christum secundùm humanitatem fuisse passum, ac mortuum, quod est hæreticum; & contra omnes Scripturas: Etenim licèt Ubiquetarii concedant Christi humanitatem fuisse physicè, ac naturaliter mortalem, ac passibilem, adhuc asserunt hanc eandem humanitatem, seu Christum secundùm suam humanitatem gratiâ, & beneficio unionis hypostaticæ fuisse ineffabiliter immortalem, ac impassibilem; & quidem longè excellentius, quàm sint Beati in cœlesti patria post communem resurrectionem DEI beneficio futuri immortales, ac impassibiles, quamvis alioquin physicè, & ex natura sua non erunt impassibiles, & immortales. Ubiquetarii enim asserunt Christum secundùm humanitatem esse ineffabiliter impassibilem, & immortalem eâdem prorsus impassibilitate, ac immortalitate divinâ, quod infinities excellentius est quàm esse impassibilem per donum gratuitum distinctum à divina immortalitate, & quomodo impassibiles, ac immortales erunt Beati post resurrectionem corporum: sed Beati post resurrectionem corporum, si considerentur physicè & ex sua natura sunt passibiles, & mortales; & nihilominus quia beneficio gratuito immortales, ac impassibiles sunt futuri pati non poterunt in sua natura; neque secundùm eandem mori poterunt: ergo multò minus Christus Dominus quamvis physicè, & naturaliter mori, & pati potuerit; cum dono tamen excellentiore, seu cum ipsa immortalitate, & impassibilitate divina dicendus erit impassibilis, ac immortalis, proinde in sententia Ubiquetariorum sequeretur Christum ut hominem non fuisse passum, nec mortuum.

Respondent Ubiquetarii Christum à primo suæ Incarnationis instanti ratione unionis hypostaticæ fuisse præditum divinitate, ejusque humanitatem transiisse in divinitatem, ac habuisse reliqua divina attributa; sed non usurpâsse eorum usum, & illorum vim coercuisse ne ex actu primo erumperent in secundum ante resurrectionem; idque causæ cur Christus pati potuerit, ac mori, & de facto passus, & mortuus fuerit, & post resurrectionem non potuerit amplius pati nec mori. Dicunt Christum unà cum divinitate assumpsisse formam servi, quâ vim divinorum attributorum coerceret, ne se proderent, ac exterius manifestarent suis actibus, ac divinitas ipsa eadem forma servi tegeretur. Sed hæc responsio est expugnatu facillima: quia semel quòd Christus secundùm humanitatem habuit attributa divina non potuit ea coërcere; quia licèt in aliquibus divinis attributis possimus distinguere ipsum attributum ab actu secundo, ut in attributo potentiæ, quâ posset Deus si vellet novum mundum condere, de omnibus tamen attributis universim non potest id asseri: siquidem ex divinis attributis plura sunt talia ut eorum propria ratio, veluti in usu, actuque secundo sita sit, cujusmodi sunt attributa omnipræsentiæ, seu immensitatis, & omniscientiæ, cùm enim Deus sit immensus, ubique locorum semper est præsens, sitque hæc præsentia veluti quidam usus & actus secundus immensitatis: & ex eo, quòd sit omniscius, debet semper & ubique DEUS omnia cognoscere, atque scire, adeo ut nihil possit ipsum latere, & hæc omniscientia est veluti quidam usus, seu actus secundus divinæ intelligentiæ. Quòd si asserant Christum ab initio suæ Incarnationis sibi usurpavisse hæc attributa omniscientiæ, & omnipræsentiæ, non tamen eorum usum habuisse ante resurrectionem, quo pacto interrogantibus Discipulis quando futurus esset extremi Judicii dies, responderit se nescire, quia licèt habuerit attributum omniscientiæ, non tamen voluit sibi usurpare ejus usum. Verùm hæc responsio indicat crassam ignorantiam & absurditatem, quia cùm omniscientia sit divinum attributum consistens in usu, & actu secundo, sublato usu tollitur attributum omniscientiæ, proinde Christus saltem hoc attributo caruisset. Rursus alia sunt divina attributa, in quibus quamvis possimus per intellectum utcunque distinguere eorundem usum ab ipsa ratione attributorum, adeo tamen arctè & necessariò eorũ usus cum ipsa ratione attributorum est conjunctus, ut si separetur usus, tollatur manifestè ratio attributi; & delabitur in contradictoriũ, si quis velit alterũ sine altero concedere, hujus generis attributa sũt, immortalitas, & impassibilitas; asse-

rere siquidem possumus rationem immortalitatis esse non posse mori, & impassibilitatis non posse pati: & usum, seu actum secundum immortalitatis esse non mori; sicut & impassibilitatis non pati: sed si separetur usus seu actus secundus seu non mori, non pati, & ponatur ejus contradictorium, quod est pati, & mori, necessariò sequitur Christum ut hominem non fuisse immortalem, nec impassibilem, eò quia pati voluit ac mori, proinde nec impassibilis, nec immortalis fuit, alioquin si fuisset impassibilis, & immortalis duo contradictoria essent simul vera, quod est implicatorium scilicet non mori non pati, eò quia esset immortalis, & impassibilis, cum Christi humanitas ab initio Incarnationis transierit in divinitatem, quæ non potest pati, nec mori, & omnia in se contineret divina attributa, ut volunt Ubiquetarii censentes coërcuisse eorum usum, & actum secundum usque ad resurrectionem, & rursus verificaretur contradictorium scilicet Christum fuisse passum, & mortuum, quapropter Christus ut includens in se divinitatem, & divina attributa non fuisset passus, & mortuus, quia actus secundus non potest separari ab attributo impassibilitatis, & ex alio capite esset passus, & mortuus, ex quo duo contradictoria simul vera sequerentur, quod est implicatorium, & impossibile, eo ipso quòd immortalitas dicit essentialiter non posse mori, & impassibilitas non posse pati, hi duo actus veluti secundi ita sunt de essentia immortalitatis, & impassibilitatis, ut si tollantur, & eorum contradictoria ponantur, seu posse mori, posse pati destruuntur ipsa attributa immortalitatis, & impassibilitatis, quia non stat immortalitas cum ipso mori, nec impassibilitas cum ipso pati, sed utrumque est contradictio in terminis, ergo Christus ab initio Incarnationis non sibi identificavit in humanitate ipsam divinitatem, & attributa divina consequenter neque ipsam immensitatem ratione cujus Christi humanitas dicatur esse ubique. Si dicant Christum immortalitatem quidem habuisse, non tamen ut non posset mori, sed solùm ut posset etiam non mori, perinde ac Adam in statu innocentiæ ita fuit immortalitate donatus, ut potuerit non mori, si voluisset divinum præceptum servare, & de pomo vetito non comedere, & potuit etiam mori non servato divino præcepto per cujus transgressionem perdidit immortalitatem, & factus fuit mortalis. Verùm hæc responsio evertit funditus dogma Ubiquetariorum, quia inde sequitur Christum secundùm humanitatem non habuisse eandem prorsus immortalitatem, nec eadem attributa, quæ Deo insunt, neque in naturam assumptam effusa fuit omnis plenitudo divinitatis, siquidem immortalitas propria DEI utrumque dicit non mori, & non posse mori, & immortalitas Christi diceret, ut posset non mori, & posset mori, quo pacto attributum immortalitatis in Christo non esset attributum divinum, quia in Deo immortalitatis dicit ut non solùm possit non mori, sed etiam ut nullo modo mori possit, & immortalitas in Christo dicit posse mori cum de facto concedatur, quòd fuerit passus, & mortuus. Præterea posse non mori, si propriè loquamur, non est ipsa immortalitas, quæ potius consistit in non posse mori, quia posse non mori potest haberi ex dono extrinseco ex gratia DEI, quatenus potest impedire, ne quis moriatur, licèt ex natura sua mortalis sit, unde posse non mori non arguit immortalitatem, bene tamen non posse mori. Quamobrem cùm Christus secundùm humanitatem passus, & mortuus fuerit ut Ubiquetarii etiam fatentur non potuit ab initio Incarnationis sibi identificare secundùm humanitatem ipsam divinitatem, ac divina attributa.

C A P U T II.

Refellitur aliis argumentis dogma Ubiquetariorum.

AD eludendam vim argumentorum asserunt Ubiquetarii propositiones illas Christus secundùm humanitatem est DEUS, est omnipotens, est immensus, nudè & simpliciter sumptas non esse veras, sed tantùm verificari in modo ineffabili, & arcano, quo Christus secundùm humanitatem est Deus, & immensus adeo arcanus est, & ineffabilis modus iste ut ab humano ingenio declarari non possit. Quòd si asserunt adeo esse ineffabilem, & arcanum ut non possit explicari, quomodo ergo ab ipsis intelligitur, quomodo ab ipsis asseritur, quòd non intelligunt, nec possunt explicare: ad eludendum igitur hoc subterfugium, juvat argumentari, vel Christus secundùm humanitatem est planè unum quiddam & idem licèt ineffabiliter, & modo arcano cum deitate & divinis attributis; vel Christus secundùm humanitatem non est planè unum quiddam & idem cum deitate, & divinis attributis, hæ propositiones cùm sint contradictoriæ non possint simul veræ esse, neque ambæ affirmari, si igitur Christus secundum humanitatem est planè unum quiddam, & idem licèt ineffabiliter cum deitate, ergo deitas in Christo passa fuit & mortua, quia humanitas fuit passa, & mortua: si Christus secundùm humanitatem non fuit planè unum quiddam cum Deitate, & divinis attributis, sequitur, quòd sola humanitas pati potuit & mori non passa, neque mortua divinitate, sed inde sequitur Christum secundùm humanitatem non esse ipsam Deitatem, neque divina attributa, consequenter neque immensum, neque ubique ut nituntur asserere Ubiquetarii: Christus igitur secundùm humanitatem solùm habuit Deitatem, & divina attributa, quatenus Christi humanitas fuit unita hypostaticè Deitati, seu Verbo divino sine ulla unitate, & identitate etiam ineffabili, adeo ut humanitas in Christo non fuerit unum quiddam, & idem cum Deitate modo ineffabili & arcano, sed tantùm fuerit Christi humanitas hypostaticè à Verbo assumpta, ac illi unita, absque ullâ unitate, & identitate. Si respondeant sensum hujus propositionis, Christus secundùm humanitatem est DEUS omnipotens, immensus &c. non esse ullum à nobis explicatum, sed alium planè arcanum, & ineffabilem, quod humanum captum fugiat: est sanè hoc subterfugium planè risu dignum, quia si humanum captum fugit, quomodo ab ipsis sensus iste ineffabilis, & arcanus cognoscitur, & intelligitur, quomodo si arcanum hunc sensum non intelligunt, ipsum tamen affirmant, & judicant esse verum: quomodo possunt hoc judicium promere, si non intelligunt, nec cognoscunt, nec possunt explicare sensum hunc ineffabilem, ac arcanum, quo Christus secundùm humanitatem dicitur esse DEUS omnipotens, immensus, si judicium in Philosopho non fertur in ignotum, quomodo concludunt humanæ naturæ in Christo ubiquitatem; ex quo loco sacræ Scripturæ inferunt hanc consequentiam, Christus secundùm humanitatem est De-

omnipotens, immensus: ergo est ubique si tam ardens, quàm consequentia nullibi reperitur in sacris Scripturis, & si sensus quo Christus secundùm humanitatem dicitur Deus omnipotens, immensus &c. est ita ineffabilis, & arcanus, ut humanum captum fugiat, quomodo ab ipsis concluditur hæc ubiquitas humanæ Christi naturæ. Præterea saltem scire, & explicare deberent, quid sit mysteria divina esse arcana, & ineffabilia, etenim licèt humanus intellectus quamdiu in hac vita immersus fuerit corpore à crassitie materiæ penetrare non valeat totaliter usque ad proprias rationes divina mysteria, nihilominus verbis, & oratione de rebus divinis necesse est, aliqualem habeat notitiam, vel obscuro fidei lumine haustam, vel ex speculo naturæ lumine acquisitam, ne de divinis mysteriis temerè disserat, & explicare valeat per symbola vel figuras rebus divinis aliquo modo declarandis accommodatas; cùm igitur Ubiquetarii nullo modo explicent hunc sensum ineffabilem, & arcanum videntur potius ipsi quadam laborare insania divina mysteria abdita ideo enuntiamus, ac asserimus quamvis occulta, & captu difficillima, quia ea nos Fides docet, & de iisdem juxta Fidem discurrimus, quamvia eorum rationes proprias, ac omnes distinctè, & clarè non intelligamus, neque Fides eas nos doceat, sed cum hisce assentimur nostris utimur notionibus, ne temerè loquamur, unde D. Augustinus *lib. 8. de Trinit. cap. 5.* ait ad rem nostram: *Credimus Dominum nostrum Jesum Christum natum de Virgine, qua Maria vocatur. Quid sit autem Virgo, & quid sit nasci, & quid sit nomen proprium non credimus, sed novimus:* postea subdit: *Cùm dicimus, & credimus esse Trinitatem novimus quid sit Trinitas, quia novimus quid sint tria.* Ubiquetarii igitur juxta doctrinam Augustini deberent saltem per communem aliquam notionem nobis indicare, qualis sit sensus ille ineffabilis, & arcanus in propositione sua: *Christus secundùm humanitatem est Deus, est omnipotens, est immensus &c.* Etenim cùm alterum de altero in aliqua propositione asserimus secundùm communissimas, & usitatas verbi notiones alteruter debet esse sensus, aut enim asserimus subjectum & prædicatum enuntiationis juxta formas per utramque significatas esse unum quiddam, & idem: aut subjectum habere tantummodo aliqua ratione formam significatam per prædicatum; neque ullam aliam communem habet notionem affirmatio, seu verbum est, quo subjectum & prædicatum enuntiatione conjungimus: unde in hac Ubiquetariorum propositione Christus secundùm humanitatem est persona divina, est Deus, omnipotens, immensus &c. necesse est alterutrum esse hujus affirmationis sensum, scilicet, vel Christum secundùm humanitatem esse unum & idem licèt ineffabiliter cum persona divina cum DEO ejusque attributis, & plenitudine divinitatis, vel secundùm humanitatem habere tantùm personæ divinæ subsistentiam, ac divinitatis plenitudinem, ut per hæc tantùm extrinsecè absque ulla identitate Christi humanitas perficiatur, ac subsistat, & Christus constituatur una tantùm persona coalescens ex utraque natura divina, & humana, & hoc secundum verum est & Catholicum primum verum falsum, & hæreticum, quia licèt Verbum divinum assumpserit naturam humanam destitutam propria subsistentia creata inde non sequitur, quòd natura humana assumpta fuerit quasi mutata in ipsam Deitatem identificatam cum Verbo divino, non enim humanitas assumpta est quid unum, ut superius ostendimus cum ipsa Deitate, nec cum divinis attributis, sed tantum perficitur quatenus subsistit per subsistentiam divinæ personæ, seu Verbi; non enim verbum sibi identificans Deitatem est ipsa humanitas, sed tantùm terminus humanitatis perfectivus, quatenus humanitas subsistit per Verbi subsistentiam. Quamobrem cùm humanitas in Christo non sibi identificet Deitatem, neque sit quid unum cum ipsa nec cum divinis attributis sequitur contra Ubiquetarios Christi humanitatem non esse unum quid cum immensitate, nec illi propterea convenire divinam omnipræsentiam, neque ut secundùm humanitatem sit ubique locorum præsens, neque recipiat secundùm humanitatem prædicationem ubiquitatis: sed tantùm ut per Verbum divinum à quo humanitas distinguitur, perficiatur, & subsistat primariò per subsistentiam Verbi, & secundariò per Deitatem, quatenus hæc identificatur cum Verbo divino; hinc divina attributa cujusmodi sunt æternitas, infinitas immensitas non fuerunt in Christi humanitate in eo sensu ut humanitas sit dicenda infinita, æterna, immensa, sed tantùm quatenus hæc attributa identificantur cum Deitate, & Deitas cum Verbo divino, quod primariò hypostaticè unitur Christi humanitati tantùm secundariò & unitativè sunt divina attributa in Christi humanitate, cum qua propterea non identificantur, neque sunt quid unum, sicut dicuntur cum Deitate esse quid unum, & Deitas dicitur esse æterna, infinita, immensa immortalis, impassibilis: attributa igitur divina, quæ identificantur cum Deitate, distinguuntur realiter ab humanitate in Christo, adeo ut humanitas non possit dici æterna, infinita, immensa, nec esse ubique. Neque ex eo quòd extrinsecè perficiatur, & hypostaticè complectur per verbum divinum, inde sequitur ipsam humanitatem esse ejusdem perfectionis cum Verbo, aut esse eidem æqualem, quamvis à Verbo habeat suam perfectionem, & energiam, quia etiam corpus humanum omnem desumit perfectionem, & energiam ab anima sine qua non potest se movere, imò necesse est, deficiat, & corrumpatur, non tamen dicitur anima ita perficere corpus, ut cum ipso constituat quid unum, ac efficiat unam substantiam, & essentiam, anima enim quamvis det corpori motum, perfectionem, & energiam semper distinguitur ab ipso, adeo ut sit corpus corruptioni obnoxium, ac de facto corrumpatur, ac in pulveres solvatur, cùm anima nullum patiatur detrimentum, quoad suum esse, nulli sit corruptioni obnoxia, sitque æternum duratura; pari pacto quamvis Christi humanitas habeat perfectionem, & energiam ab ipso Verbo divino, à quo fuit assumpta, non tamen inde sequitur humanitatem esse ipsum Verbum divinum, cum quo deitas, & divina omnia attributa identificantur; aliud est desumere perfectionem, & energiam à Verbo divino per quod humanitas in Christo subsistit, & aliud esse quid unum, ac identificari cum Verbo, primum est verum, secundum est falsum, & hæreticum: Quamvis igitur Ubiquetarii ad sensum ineffabilem, & arcanum ut ad subterfugium, quo eludant argumenta evertentia suum dogma recurrant, quocunque se vertant, necesse est fateantur suum errorem, quem tueri non valent, si enim sensum ineffabilem, & arcanum producunt ad propugnandum suum dogma jam non intelligunt talem sensum, quem dicunt arcanum, & ineffabilem, nec multò minus declarare aliqua constanti ratione possunt.

Quòd si respondeant divinitatem non esse excludendam ab humanitate, & hanc ineffabiliter esse passam, & mortuam tenentur ipsi explicare, quid sibi velit illud adverbium ineffabiliter, vel enim ita non excludit divinitatem ab humanitate, ut Deitas sit quid unum cum ipsa humanitate, & hoc asserere hæreticum est ac falsum contra Scripturas, alioquin humanitas, & divinitas essent prorsus idem, & cùm de fide sit humanitatem Christi fuisse passam, & mortuam, ut nos docent

erant Scripturæ, hoc idem diceretur de Deitate, scilicet ipsam fuisse passam, & mortuam, quod est hæreticum: vel divinitatem volunt non esse excludendam ab humanitate, non quia sit quid unum cum humanitate, sed quia quòd semel Verbum divinum assumpsit, nunquam dimisit, adeo ut humanitas Christi semper fuerit Verbo divino unita, & hoc verum est asserere, sed inde non sequitur divinitatem fuisse ineffabiliter passam, quia non est quid unum cum humanitate, sed quid realiter ab ipsa distinctum, neque sequitur humanitatem esse ipsam Deitatem, & omnia divina attributa ac immensitatem, & esse ubique locorum, quia semper humanitas distinguitur à Deitate, ac divinis attributis. Præterea si Deum, & hominem formaliter, seu secundùm divinitatem & humanitatem dicunt ineffabiliter esse quid unum, & idem jam Ubiquetarii in antiquas, & antiquatas hæreses delabuntur Euthychianorum, & Acephalorum, qui adeò enormiter desipuerunt, ut ipsam divinitatem Christi assererent passam fuisse, & crucifixam, etenim si ineffabiliter unum & idem sunt in Christo humanitas, & divinitas, & Christus secundùm humanitatem fuerit passus, crucifixus, & mortuus, hoc idem deberet etiam asseri de ipsa Deitate, si esset quid unum, & idem cum humanitate, alioquin pateretur, & non pateretur, moreretur, & non moreretur, quæ sunt contradictoria.

Refellitur etiam Ubiquetariorum dogma, eò quia cum veteribus erroribus jam ab Ecclesia damnatis consentiat, & eorum phrasis in modo loquendi videatur eadem esse, quæ olim in priscis Hæreticis ab Ecclesia anathematizata fuerit, ait D. Hieronymus in expositione ad Damasum illorum execramur etiam blasphemiam, qui novo sensu asserere conantur à tempore suscepto carnis omnia, quæ erant divinitatis in hominem comigrâsse; & rursum quæ erant humanitatis in Deum esse transfusa. Ut quod nulla unquam hæresis dicere ausa est, videatur hac confusione utraque exinanita substantia Deitatis videlicet, & humanitatis, & à proprio statu in aliud esse commutata, ita loquitur D. Hieronymus, & utitur phrasibus quas adhibent Ubiquetarii, & licèt isti asserant se physicè, & essentialiter non attribuere Deitatem humanitati, neque quæ sunt divinæ naturæ assumptæ, etenim nec ullus ex antiquis Hæreticis physicè, & essentialiter Deitatem attribuit humanitati, sed ineffabili quadam, & arcana communicatione, quam Ecclesia damnavit, etenim *in 5. Synodo cap. 4.* habetur: *Si quis dixerit secundùm operationem, vel secundùm æqualitatem honoris, vel secundùm authoritatem, aut effectum, aut virtutem unitionem Dei verbi ad hominem factam esse, anathema sit.* Rursus in Synodo Ephes. epist. ad Nestor. habetur: *Non potest unire naturas* (loquitur de unione hypostatica Verbi divini cum humanitate) *sola dignitatis aut potestatis æqualitas*: & rectè quia si divinæ personæ, quæ sunt essentialiter ejusdem naturæ, potentiæ, & majestatis, non eo ipso tamen intelligi possunt hypostaticè unitæ ex eo, quòd persona secunda, seu Verbum uniatur humanitati Christi; quantò minùs communicatio, & æqualitas, quam Ubiquetarii asserunt majestatis, & potentiæ assumptæ naturæ cum natura divina, quatenus utriusque naturæ eadem majestas, & potentia fingitur æqualis propriam continebit rationem unionis hypostaticæ utriusque naturæ. Falluntur igitur Ubiquetarii, cùm per æqualitatem majestatis nituntur describere hanc unionem hypostaticam. Neque ullum possunt præsidium enancisci ex eo quòd asserant, hanc æqualitatem etiam existere, ex reali itidem communicatione personæ Verbi, ejusque subsistentiæ cum humanitate Christi assumpta; hoc enim asserunt non ut ex persona, & subsistentia Verbi aliquam aliam rationem præter æqualitatem deducant, in qua propriè constituant hanc unionem; sed ut ostendant, humanitatem assumptam per communicationem omnium, quæ sunt in Verbo, evectam esse ad æqualitatem illam majestatis, quâ definiunt propriè rationem hypostaticæ unionis; unde quamvis asserant, subsistentiam Verbi inter reliqua divina communicatam esse Christi humanitati; in eundem adhuc relabuntur errorem, quatenus unionem hypostaticam propriè statuunt in æqualitate majestatis, quod adversatur Ephesinæ Synodo definienti, ac de fide declaranti, quod *Non potest unire naturas sola dignitatis, aut potestatis æqualitas*; Ubiquetarii autem contrarium docent nimirum solam æqualitatem majestatis, dignitatis, ac potestatis utriusque naturæ humanæ, & divinæ, esse hanc unionem, quâ homo & Deus sunt quid unum, ac idem: asserunt ipsi hanc æqualitatem, quâ minimè explicant modum hypostaticæ, seu personalis unionis cum natura humana; quinimò per hanc æqualitatem majestatis, & dignitatis volunt ita, fuisse Deitatem transfusam in humanitatem, ut hæc evaserit ipsa Deitas, cujus majestas sit eadem cum majestate humanitatis, & quamvis æqualitas videatur duo distincta æqualia indicare, Ubiquetarii tamen per hanc æqualitatem non distinguunt, sed identificant asserentes humanitatem Christi per hanc æqualitatem majestatis fieri quid unum cum ipsa Deitate.

Hinc etiam incidunt in hæresin Monothelitarum hi enim non solùm ab Ecclesia in sexta Synodo Act. 4. damnati fuerunt, non quia negaverint aliquam humanitatis Christi operationem fuisse creatam distinctam à divina, sed quia confusè asserebant ipsam operationem divinam fuisse itidem operationem humanæ naturæ, non tantùm quòd humana natura esset instrumentum, verùm etiam ipsa forma, à qua ineffabiliter orirentur, ac producerentur operationes humanæ, & divinæ; quæ unico vocabulo operationes humano-divinæ dicebantur. Quamvis igitur Ubiquetarii concedant humanitati assumptæ proprias suas physicas operationes, consentiunt tamen cum Monothelitis in eo, quòd docent humanitatem verè, & realiter produxisse operationes omnes divinas, non ut instrumentum, ut Fides Catholica docet, sed ut veram formam, à qua proficiscantur, & hoc arcano quodam, & ineffabili modo, quem ipsi nescientes, quid sit, non explicant, sed tantùm asserunt per hunc arcanum modum humanitatem assumptam in Christo evasisse ipsam Deitatem; ac si Verbum divinum non assumpsisset veram, & realem humanitatem; sed tantùm apparentem, vel inane corporis simulacrum, quo ipsa Deitas tegeretur; quod est incidere etiam in hæresin Manichæorum, & Marcionitarum, qui negârunt, Dominum nostrum Jesum Christum assumpsisse veram carnem, sed in eo nonnisi inane quoddam corporis simulacrum agnoverunt; adeo ut illud unum, quod fuerit in Christo, sola fuerit Deitas contra Scripturas Joan. 1. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, & Christus Discipulis suis post Resurrectionem suam conspicuum se exhibens in humana natura dixit: *Palpate, & videte; quia Spiritus carnem, & ossa non habet*, ipsa autem Deitas est purissimus Spiritus, & cùm careat carne, & ossibus, distinguitur realiter ab ipsa humanitate, quæ ossa habet, & carnem; unde Christi humanitas non facta fuit Deitas, sed etiam unita Verbo conservavit suam carnem, & ossa realiter distincta à Deitate, neque dici potest hanc humanitatem fuisse corpus phantasticum, quia tale corpus est potius imaginarium existens in phantasia, quod non habet carnem, & ossa, præterea si Christi humanitas fuisset phantastica inanis quoque, & ludi-

ludificatoria esset nostra redemptio, neque Christus sine vera & reali carne verè fuisset passus, nec verè resurrexisset, ac omnis spes nostra interciperetur, & everteretur totum Dei opus & Christiani nominis fructus: si enim Christi humanitas per unionem cum Verbo divino facta fuisset Deitas, ut volunt Ubiquetarii in Sacramento Eucharistiæ non pasceremur carne Christi, ut enim ait D. Augustin. serm. 183. de verb. Apostoli: *Si Dominus noster Jesus Christus tantummodo animam humanam susciperet, membra ejus non essent nisi animæ nostræ: quia vero corpus suscepit, per quod etiam caput est nobis, qui ex anima, & corpore constamus profectò illius membra sunt & corpora nostra.* Frustrà etiam Manichæi, & Marcionitæ carnis, & Conceptionis in utero muliebri immunditias exaggerabant, ut veram Christi carnem irent inficias, ait enim Apostolus 1. Corinth. 1. *Quod stultum est Dei sapientius est hominibus*, & ad Tit. 1. *Omnia munda mundis.* Quòd si solis radii per cloacarum fœtores diffusi, & lutum, ac fimeta stercoralia illustrantes nulla sordescunt contaminatione, tametsi visibilis lux visibilibus sordibus sit natura conjunctior, *quanto minus*, ait D. Augustinus *lib. de Fide, & Symbolo cap. 4. poterat pollui Verbum Dei non corporeum, neque visibile de fœminea corpore, ubi humanam carnem suscepit cum animo, & spiritu, quibus intervenientibus habitat majestas Verbi ab humani corporis fragilitate secretius? unde manifestum est, nullo modo potuisse Verbum Dei maculari humano corpore, quo nec ipsa anima humana maculatur est. Non enim cùm regit corpus, atque vivificat, sed cum ejus bona mortalia concupiscit de corpore animus maculatur.* Christi ergo humanitas vera fuit, & non phantastica, & ope Spiritûs Sancti in utero Virginis Matris ex purissimo ejus Sanguine efformata, & hanc semper servâsse, & nunquam transiisse in Deitatem censent Ubiquetarii; ex eo autem, quòd Christus ut homo fuerit conceptus ex Spiritu S. & natus ex Maria Virgine: rejicitur hæresis Apolinaristarum asserentium carnem à Filio Dei non in tempore assumptam fuisse, sed ab æterno concreatam, ex quo inferebant carnem consubstantialem esse DEI Filio, quæ hæresis convenit cum errore Ubiquetariorum. Execranda etiam est Valentini impietas asserentis Christum è cœlo detulisse humanitatem, & per Mariæ Virginis uterum ac si esset aqua, per fistulam transiisse, & nihil ex Virgine sumpsisse, quam hæresim impugnarunt luculenter S. Irenæus *lib. 3. cap. 32.* & Tertullianus *lib. de carne Christi cap. 15. 20. & sequent.* Valentini errori cognata etiam fuit hæresis cujusdam Apellis, qui Filium Dei eùm è cœlo descendit asseruit sydeream sibi carnem, ac aëream contexuisse, & ejus mecha io suæ hæresis patrocinium verba Christi detorquere ausi sunt, Joan. 3. *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo*, & cap. 6. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*: imò ad proprium firmius stabiliendum errorem etiam verba Apostoli allegârunt. 1. ad Corinth. cap. 15. *Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis.* Sed hæc & alia, si quæ sunt Scripturarum testimonia, non indicant Christum adduxisse è cœlo in uterum Virginis suam humanitatem, sed tantùm significant Christum è cœlis descendisse ratione personæ, & naturæ divinæ identificatæ cum persona, non verò ratione corporis assumpti, quod cœleste dici possit, ut etiam panis de cœlo ratione virtutis, qua fuit in utero Virginis formatum, non verò ratione substantiæ, ut explicat S. Hilarius *lib. 10. de Trinit.* unde certum est de Fide Christum habuisse carnem nostræ congenerem, & consubstantialem, ac gessisse corpus ex carne, ossibus, sanguine, ac membrorum omnium integritate compactum, idque ex Scripturis satis apertè deducitur, siquidem Dei Filium hominem factum, eùm Joan. 8. dixerit Christus: *Nunc me quæritis interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum*, se dicit hominem morti obnoxium quem Judæi quærerent, ut interficerent, eò quia veritatem fuerit ipsis locutus, quæ omnia falsa fuissent, si ut volunt Ubiquetarii, Christi humanitas modo arcano, & ineffabili facta fuisset divinitas, quia hæc non est obnoxia neci, neque carnem habet, neque ossa. Luc. 2. etiam habetur ipsum Christum ut hominem in utero Virginis conceptum esurivisse, sitivisse, fatigatum ex itinere fuisse, passum, & crucis affixum, ac sanguinem fudisse, ac mortuum; hæc enim vera nec essent, si Christi humanitas ex unionis modo arcanissimo, & ineffabili, ut loquuntur Ubiquetarii fuisset in Deitatem conversa: neque vera essent, si Verbum divinum corpus, quod assumpsit ex materia cœlesti, se sydereа compegisset, cum materia cœlestis, & sydereа, ut communiter docent Philosophi nulli est corruptioni obnoxia. Quamobrem asserendum est Verbum divinum verum assumpsisse carnem nostræ congenerem ex muliere natam, non è cœlo allatam, nec ex syderibus decerptam, ut expressè colligitur ex verbis D. Pauli ad Roman. 1. ubi de Filio Dei loquens ait: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*, & ex illa Joan. epist. 1. ubi scribit: *Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse ex Deo est. Et omnis spiritus, qui solvit Jesum ex Deo non est.* Quòd vero Corpus Christi fuerit verum Corpus humanum compactum ex carne, ossibus, sanguine, & proinde obnoxium doloribus, passionibus, & morti etiam testatur ipse Christus in institutione Sacramenti Eucharistiæ, ubi ait: *Hoc est Corpus meum; hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.*

Rejicitur etiam hæresis Apolinaris, qui naturam hominis nonnisi semiplenam in Christo asseruit, adeò ut Christi humanitas, ut ajebat Apolinaris, caruerit animâ, cujus vicè suppleret in ipso Christi corpore divinum Verbum incarnatum. Deinde falsus fuit in Christo ut homine esse animam, qua vivimus, & sentimus, ac communia cæteris nobiscum animantibus officia præstamus, adhuc partem illius dettaxit; qua rationales sumus, ac mentem possidemus, adeò ut caruerit Christi humanitas ex ipsum Apolinarem anima rationali, & tantùm potiretur anima sensitiva, & vegetativa, qui errori adversatur Scripturis Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Joan. 10. *Animam meam pono pro ovibus meis*, & rursus: *Ego ponam animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me; sed ego ponam eam à me ipso, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quibus verbis satis apertè significatur Corpus Christi habuisse animam rationalem per quam vivebat. Tum quia Christus ut docet Fides Catholica, est verus Deus, & verus homo, non mancus, & imperfectus, sed perfectus consubstantialis Patri secundùm divinitatem, & consubstantialis nobis secundùm humanitatem, ut docent Scripturæ, Concilia, & SS. Patres: & perfectus, & verus homo non est, si vel anima caret, vel animæ mens humana desit; & quidem oportuit ut Christus utpote inter nos, & Deum mediator, & sequester ejusdem cum Deo, & nobiscum substantiæ esset: & si parte aliqua componente hominem destitueretur, non esset ejusdem substantiæ cum hominibus. Hinc S. Fulgentius *lib. 1. ad Trasimundum cap. 15.* eùm asseruisset hominem Jesum Christum mediatorem Dei, & hominum, ait: *Quia idē Deus totam in se suscepit naturam hominis: & idem homo totam in se habet substantiam Deitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus à Deo; inter Deum irascentem, hominemque peccantem talis utique mediator debuit intervenire persona, quæ ad propitiandum Deum homini, totum verumque in se Deum de Deo natum haberet;*

beret; & ad reconciliandum hominem Deo, totum verumque in se de homine naturum hominem contineret. Præterea quia peccati labes totum infecit hominem atque pervasit, si pars aliqua hominis naturæ à Filio Dei assumptæ defuisset, utique expers illa fuisset purgationis à macula peccati, & salutis adeoque totus homo non fuisset à Christo reparatus ac redemptus, hinc S. Gregorius Nazianz. epist. 1. ad Cledonium scribit: *Si quis in hominem mentis expertem speret, amens revera est, neque dignus, qui totus salvetur. Quod enim assumptum non est curationis est expers. Quod autem unitum est Deo id ipsum & salute donatur. Si dimidiatus tantùm Adamus lapsus est, dimidiatum quoque tantummodo sit, quod assumitur, & salvum fit. Quod si totus peccavit toti quoque genito unitus est, atque ex toto salutem assequitur.* D. Gregorio etiam adhærens Augustinus lib. de Fide, & Symbolo cap. 4. ait: *Cùm illa susceptio pro salute nostra sit gesta cavendum est, ne cùm crediderit aliquid nostrum non pertinere ad istam susceptionem, non pertineat ad salutem. Et cùm homo excepta forma membrorum, quæ diversis generibus animantium diversa tributa est non distat à pecore, nisi rationali spiritu, quæ mens etiam nominatur, quomodo sana est Fides qua creditur, quòd id nostrum susceperit Dei sapientia, quod habemus commune cum pecore, illud autem non susceperit, quod illustratur luce sapientiæ, & quod hominis proprium est;* Et licèt Ubiquetarii asserant Verbum divinum assumpsisse totam humanitatem coalescentem ex anima rationali & corpore; hanc tamen ex vi unionis, ac modi ineffabilis, ac arcanissimi, quo fuit Verbo divino unita, asserunt fuisse in deitatem mutatam, adeo ut vi hujus arcanissimæ & ineffabilis unionis ex deitate, & humanitate factum fuerit, quid unum, quod est divinum, seu ipsa deitas, quod perinde est, ac convenire cum præfatis Hæresibus saltem in parte aliqua.

Rejicienda est itidem Hæresis Monotelitarum, qui unicam tantùm in Christo voluntatem, & operationem, quam divinitati propriam asserebant pertinaciter propugnarunt, ac duæ in Christo voluntates divina scilicet & humana, duæ itidem operationes pro numero duarum naturarum à Monotelitis inficiebantur contra sacras Scripturas Matth. 26. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu,* ubi duas expressè ponit voluntates Dei unam, & alteram propriam, cùm enim Verbum divinum sibi identificet deitatem, & naturam divinam, utique etiam divinam voluntatem, & rursus quia Christus constat ex Verbo divino, & humanitate coalescente ex anima & corpore humano, sequitur, quòd propter voluntatem in deitate identificata cum Verbo, sit etiam voluntas humana identificata cum ipsa anima rationali creata, quod etiam Luc. 22. expressè asseruit, cùm dixit: *Non mea voluntas, sed tua fiat,* & Joan. 6. *Descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me,* clarè igitur constat aliam fuisse Christi voluntatem in humanitate, & alteram voluntatem Patris in deitate, quam cùm Verbum sibi identificet, & Christus coalescat ex Verbo divino, & humanitate integra, sequitur in Christo esse duas voluntates distinctas divinam unam, & alteram humanam, non verò solam divinam, quæ sit utraque voluntas, quia divina voluntas non est propria hominis, & Dei, sed sola voluntas humana identificata cum anima rationali & propria hominis, & quam præter divinam habuit Christus, qui loquebatur: In sententia verò Ubiquetariorum asserentium ex vi unionis hypostaticæ modo arcanissimo, & ineffabili humanitatem Christi, adeo fuisse affectam divinitate, ut in deitatem fuerit transmutata, sequitur solam divinam voluntatem fuisse in Christo, & illam solam dictam fuisse Christi hominis & Dei, quod est ipsissima Monotelitarum Hæresis, in quam etiam Ubiquetarii inciderunt. Quamvis in Christo duas Fides Catholica asserat, ac doceat esse voluntates humanam, & divinam, non tamen hæ voluntates fuerunt unquam contrariæ, neque inter se pugnantes, quia ut ait S. Greg. Nanzianz. orat. 36. *velle hominis assumpti à Deo non fuit contrarium Deo utpote totum deificatum,* adeo ut humana voluntas perfectissimè semper divinæ consentiens fuerit, quapropter S. Leo Papa serm. 54. de passione Domini ait: *Admonitis Discipulis Dominus ut contra vim tentationis instantis vigilanti oratione certarent, ipse Patri supplicans ait: Pater si possibile est transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Prima petitio infirmitatis est, secunda virtutis. Illud optavit ex nostro, hoc elegit ex proprio. Nec enim æqualis Patri Filius, omnia esse Deo possibilia nesciebat, aut ad suscipiendam crucem sine sua in hunc mundum descenderat voluntate, ut hanc diversarum affectionum compugnantiam perturbata quodamodo ratione pateretur, sed ut suscipientis, susceptæque naturæ esset manifesta distinctio, quod erat hominis divinam desideravit potentiam; quod erat Dei ad causam respexit humanam. Superiori igitur voluntati voluntas cessit inferior, & citò demonstratū est, quid possit à trepidante orari, & quid non debeat à medente concedi.*

Neque reticendum hîc est, quod in Concilio Basiliensi Sess. 22. legimus statutum: siquidem ex pluribus propositionibus exhibitis à quodam Augustino de Roma Archiepiscopo Nazareno quas Patres unanimi consensu damnârunt, istæ præsertim leguntur: *Humana natura assumpta à Verbo ex unione personali est veraciter Deus naturalis,* quæ propositio convenit cum hæresi Ubiquetariorum asserentium Christum coaluisse quidem ex natura humana, & Verbo divino, sed vi & efficacia unionis hypostaticæ modo quidem arcanissimo, & ineffabili naturam humanam fuisse deificatam, non quod habuerit sibi unitum Verbum divinum, sed quia ex humanitate, & Verbo divino factum fuit quid unum, quod est ipsa deitas. Rursus damnata etiam fuit hæc alia propositio: *Duæ naturæ in Christo humana, & divina æqualiter diliguntur à Deo, & æqualiter sunt diligibiles propter personam communem,* quia tametsi una tantùm in Christo detur persona complens substantialiter, ac perficiens naturam humanam, quatenus hæc subsistit per subsistentiam personæ divinæ, non tamen æqualiter à Deo diligitur natura humana, ac ipsa divina, quia natura humana utpote finita, & creata non continet totam illam bonitatem quam habet natura divina, & Deus diligit, & amat res secundùm illam mensuram amabilitatis, ac bonitatis, quam continent, & quia bonitas in natura divina est infinita infinitè diligitur, & in natura humana, quia est limitata, & finita, nonnisi finitè diligitur, non enim quid aliud est Deum amare, quàm velle alicui bonum, adeo ut plus dicatur amare creaturam, cui plus vult boni, ac uberiorem suæ bonitatis communicat mensuram. Quamobrem licèt infinitè diligat in Christo personam divinam, quia tamen hæc non est natura humana, sed tantùm ejus complementum, & terminus, quo subsistit, sequitur Deum non amare æqualiter deitatem, & Christi humanitatem, alioquin essent æquè amabiles Deus, & creaturæ. Rursus in eodem Concilio Basileensi fuit etiam damnata hæc alia propositio: *Humana natura in Christo est persona Verbi,* quæ propositio est ipsissimum dogma Ubiquitarariorum asserentium ex vi & efficacia unionis hypostaticæ modo arcanissimo, & ineffabili in Christo naturam humanam fuisse deificatam, seu mutatam fuisse in ipsam deitatem, quatenus ex humanitate, & persona Verbi fit quid unum, quod est ipsa deitas, cùm enim dicitur Christus est persona divi-

na,

a, subjectum propositionis identificatur cum prædicato, adeo ut Christus, & persona divina sint quid unum; unde cum dicitur etiam natura humana in Christo est persona Verbi, illud subjectum humana natura identificatur cum verbo, sitque ipsum Verbum; perinde in hac alia propositione homo est animal rationale subjectum, seu homo identificatur cum prædicato, quod est animal rationale; quod est falsum, & hæreticum; quia humanitas à Verbo assumpta fuit mutata in Deitatem, sed semper sua conservavit prædicata constitutiva humanitatis, suam retinuit propriam naturam distinctam à Deitate. Demum ex eo quòd Ubiquetarii asserunt, humanitatem in Christo esse æqualis majestatis cum Deitate; sequitur esse itidem æqualis perfectionis, ac bonitatis cum natura divina; siquidem æqualis majestas cum Deitate, est majestas infinita, & cum tota plenitudine perfectionum, alioquin non est æqualis, cum Deitas sit infinita, & totam comprehendat plenitudinem perfectionum; quòd si humanitas in Christo est æqualis majestatis, & perfectionis cum Deitate, est etiam æqualis bonitatis, consequenter æqualiter diligitur à DEO, quæ fuit propositio præfati Augustini de Roma damnata in Concilio Basiliensi.

CAPUT III.

Exhibetur sententia Catholica, & refelluntur argumenta Ubiquetariorum.

Donavimus explicatam, ac rejecimus execrabilem Ubiquetariorum sententiam: superest declaranda sententia orthodoxa circa unionem humanitatis Christi assumptæ à verbo divino, eique hypostaticè unitæ. Fides igitur Catholica nos docet, Jesum Christum pro nobis humanam carnem suscepisse in utero Virginis, non ex virili semine, ut alii homines; neque ex materia cælesti compactam ut censuit Apelles; neque ex materia phantastica ut asseverunt Manichæi, & Marcionitæ; neque ex materia ab æterno concreata, ut voluerunt Appollinaristæ, neque ex materia de cœlo in terras delata ut censuit Valentinus: sed ex purissimo Virginis matris sanguine ope, ac virtute Spiritus Sancti efformatam; adeo ut dicatur Christus *conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*; & in eodem instanti hujus efformationis fuisse hanc Christi humanitatem non semiplenam ut putârunt Appollinaristæ, sed integram constantem ex anima rationali, & corpore humano, assumptam à Verbo Divino, seu secunda persona sanctissimæ Trinitatis, adeout manente eadem persona, quæ est verus Deus qui fuit ab æterno, Christus fieret Deus & homo; seu subsisteret per subsistentiam divinam; & humanitas destituta propria personalitate, aliam non haberet personam, quam divinam seu Filii æterni Patris, & quia persona divina est identificata cum Deitate ac omnibus divinis attributis, ac perfectionibus hæc omnia fuerunt in Christo; ita tamen ut sola persona Verbi fuerit primariò unita Christi naturæ humanæ, & reliqua prædicata divina secundariò quatenus sunt identificata cum persona Verbi; ex hac autem unione dicitur quidem Christi humanitas deificata, non quòd mutata sit in Deitatem modo arcanissimo, & ineffabili ut asserunt Ubiquetarii; sed quatenus dicitur uncta Deitate, seu unita Verbo divino, absque ulla mutatione in suis prædicatis essentialibus naturæ humanæ, & cùm sola careat propriæ personæ, cum subsistat natura humana Christi per subsistentiam divinæ personæ, quæ cum fuerit ab æterno in tempore facta est homo citra ullam sui mutationem: quod D. Augustinus serm. 178. de tempore explicat eleganti similitudine: loquens enim de secunda persona assumente naturam humanam; ait: *Neque quando humana membra suscepit, opera divina deseruit: Nec attingere à fine usque ad finem fortiter, & disponere omnia suaviter destitit; quando infirmitate carnis indutus virginali utero receptus est, non inclusus; ut nec Angelis subtraheretur sapientiæ cibus, & nos gustaremus quam suavis est Dominus. Quid hoc miramur de Verbo Dei, cum sermo iste quem proximus, ita liber sensibus insinuat, ut eum, & recipiat, & non includat Auditor? Nam nisi reciperetur neminem instrueret: Si includeretur ad alios non veniret. Et utique sermo iste verbis syllabisque dividitur. Ne tamen ex eo tanquam ex cibo ventris singulas particulas tollitis; sed omnes totum auditis, totum singuli capitis. Nec timemus dum loquimur, ne totum audiendo unus absumat, nec alter possit habere, quod sumat: sed ita vos attentos esse volumus, nullius aurem, mentemque fraudantes, ut & totum singuli audiatis, & totum ad audiendum cæteris relinquatis.* Paucis interjectis subdit. *Quanto magis Dei verbum per quod facta sunt omnia, & quod in se manens innovat omnia, quod nec locis concluditur, nec temporibus tenditur, nec morulis brevibus, longisque variatur, nec vocibus texitur, nec silentio terminatur, quanto magis hoc tantum, ac tale verbum potuit matris uterum assumpto corpore fœcundare, & de sinu Patris non emergere? Hinc ad oculos humanos exire, inde mentes Angelicas illustrare. Nemo ergo credat Dei Filium conversum, ac commutatum esse in hominis filium, sed potius credamus, & non consumpta divina, & perfectè assumpta humana substantia manentem Dei filium factum hominis filium.* Quòd si ex Augustino Verbum divinum non consumpta divina, & perfectè assumpta humana substantia, manens Dei filius factus est hominis filius utraque natura divina, & humana permansit impermixta, & distincta, non confusa, sed discreta, ut una non fuerit in aliam permutata, sed utraque permanserit cum omnibus suis intrinsecis prædicatis: ex quo clarè apparet quàm crassè hallucinentur Ubiquetarii, quàm enormiter errent asserentes in Christo vi, & efficacia unionis hypostaticæ modo arcanissimo, ac ineffabili humanitatem fuisse in Deitatem versam, adeout Christus ut homo sit Deus immensus, & ubique.

Docet itidem fides Catholica Christum in Virginis utero fuisse conceptum de Spiritu Sancto; seu Filium DEI hominem factum, non assumendo corpus à Deo creatum, aut ex quavis substantia formatum; sed in Virginis Matris ex purissimo illius sanguine à Spiritu Sancto compactum; hinc Apostolus ad Galat. 4. scribit: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Non tamen cùm Christus dicitur conceptus de Spiritu Sancto ita intelligitur, ut una tantùm persona sanctissimæ Trinitatis fuerit mysterium incarnationis operata, cùm enim hoc mysterium sit opus ad extra, & omnia quæ Deus extra se in rebus creatis agit, com-

munia sint tribus personis divinis, nec una magis quàm alia agat, nec una sine alia, ut nos fides Catholica docet, nihilominus sacræ scripturæ operationes divinas quamvis communes tribus personis solent uni potiùs quàm alteri tribuere, quo pacto mundi creationem tribuunt Patri, humani generis redemptionem Filio, sanctificationem hominum Spiritui Sancto: quamvis divina attributa communia sint tribus personis, adhuc potentia tribuitur Patri, sapientia Filio, & amor Spiritui S. quamobtem licèt tota Trinitas fuerit operata communiter, & indivisè mysterium conceptionis Christi in utero Virginis, adhuc specialiter tribuitur Spiritui S. Luc. 1 *Spiritus S. superveniet in te & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius DEI.* Quod tota Trinitas operata fuit hoc mysterium colligitur ex præfatis verbis Luc. 1. dicitur enim *virtus altissimi obumbrabit tibi*, ubi nomine altissimi à Sanctis Patribus intelligitur Pater primarius fons totius Trinitatis, & nomine virtutis altissimi intelligitur Filius, qui propriè carnem assumpsit, quam sibi in unitate personæ conjunxit, adeo ut solus dicatur incarnatus, & factus Filius hominis. Tertia persona proprio nomine Spiritus Sanctus exprimitur, cui & singulari quadam ratione Ecclesia mysterium incarnationis attribuit. Cur verò Spiritui Sancto potiùs quàm alteri ex divinis personis tribuatur hoc mysterium multiplex à Sanctis Patribus solet ratio assignari, quarum prima ea esse censetur, quia cùm hoc mysterium sit miraculorum summum miraculum, & miracula seu opera supernaturalia Spiritui S. quasi Dei digito assignentur, rectè verbi divini incarnatio, quæ miraculorum omnium est maximum, eo præsertim quia simul, ac B. Virgo suum assensum præstitit verbis Angeli nuntiantis hoc mysterium Luc. 1. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum*, illico Christi sanctissimum corpus ex purissimo ejusdem virginis sanguine formatum fuit ac anima rationalis eidem conjuncta, & simul tota humanitas coalescens ex corpore, & anima assumpta fuit à verbo divino. Hoc enim miraculorum omnium fuisse maximum, ac admirabile Spiritus S. opus fatentur Sancti Patres: siquidem superat ordinem totius naturæ cum naturaliter nullum corpus humanum nisi intra præscriptum temporis spatium hominis efformari ac anima informari possit. Summum etiam habetur miraculum, quod Christi humanitas in Virgineo utero non priùs fuerit homo, quàm Deus, sed simul in eodem prorsus instanti, quo corpus fuit efformatum anima, & deitas fuerit eidem conjuncta, ut explicat, S. Fulgentius lib. de incarnat. & gratia cap. 4. inquiens: *Non est igitur intervallum temporis æstimandum inter concepta carnis initium, & concipiendæ majestatis adventum. Una quippe fuit in utero Mariæ Virg. conceptio divinitatis, & carnis & unus est Christus Dei Filius in utraq; natura conceptus, ut maculam vitiatæ propaginis inde inciperet abolere, unde in unoquoque nascentium videbatur existere.* Pulchrè D. Bern. hom. 2. Supermissus est Angelus loquens de hoc mysterio incarnationis ait: *Longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari: Deum denique lactantem, sed Angelos reficientem; vagientem, sed miseros consolantem. Videas si attendas, tristari lætitiam pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minus mirandum est ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans. Nunquid non facile tibi est inter hæc fœminam agnoscere virum circumdantem, cùm Mariam videas virum approbatum à Deo Jesum suo utero circumplectentem? Virum autem dixerim fuisse Jesum non solùm jam cum diceretur*, Luc. 24. *Vir Propheta potens in opere, & sermone sed etiam cum tenera adhuc infantis membra Dei mater blando vel foveret in gremio, vel gestaret in utero. Vir igitur erat Jesus necdum etiam natus, sed sapientia non ætate; animi vigore, non viribus corporis, maturitate sensuum non corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit sapientiæ, vel potiùs non minus fuit sapientia Jesus conceptus, quàm natus parvus, quàm magnus.* Hoc miraculorum maximum præcinuit Jeremias cap. 31. cùm dixit: *Creavit Dominus novum super terram. Fœmina circumdabit virum*, scilicet Vir in utero Virginis erit Christus, tametsi parvulus infans. Secundò tribuitur hoc mysteriũ Spiritui S. eò quia hoc mysterium singularem, atque imensum Dei erga homines amorem ostendit, ac dilectionem singularem Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, & quia Spiritus S. amor est & dilectio, rectè eidem tribuitur hoc mysterium, quod nobis declarat summum Dei amorem in homines, quapropter S. August. hoc mysterium cæteris antecellere misericordiæ, ac bonitatis divinæ operibus fatetur lib. 10. de civ. c. 29. inquiens: *Gratia Dei non potuit gratiùs commendari, quàm ut ipse unus Dei Filius in se incommutabiliter manens indueret hominem, & spem dilectionis suæ daret hominibus homine medio, quo ad illum ab hominibus veniretur qui tam longè erat immortalis à mortalibus, incommutabilis à commutabilibus, justus ab impiis, beatus à miseris.* Et quia bonitas tribuitur Spiritui S. perinde ac sapientia Filio, & potentia Patri, & amor Spiritui S. ideo peculiari ratione eidem tribuitur incarnationis mysterium. Tertiò ex hac alia ratione etiam opus incarnationis tribuitur Spiritui S. quia natura humana non fuit assumpta à verbo divino in unitatem personæ ex meritis præcedentibus, sed ex sola, & unica gratia, quæ fuit ipsa unio hypostatica sive communicatio personæ diviæ facta humanitati, ut Christus in primo instanti suæ conceptionis esset simul Deus & homo, ut notat D. August. in Enchir. c. 36. inquiens: Hic omnino granditer, & evidenter Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? quæ bona voluntas cujus boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo? nunquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, cùm singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo esse homo cœpit, non aliud cœpit esse homo, quàm Dei Filius: & hoc unicus, & propter Deum Verbum, quod illo suscepto caro factum est, utiq; Deus: ut quemadmodum est una persona quilibet homo anima scilicet rationalis, & caro; ita sit Christus una persona verbum, & homo unde naturæ humanæ tanta gloria nullis præcedentibus meritis sine dubitatione gratuita, nisi quia magna hic & sola Dei gratia fideliter, & sobriè considerantibus evidenter ostenditur; ut intelligant homines per eandem gratiam se justificari à peccatis, per quam factum est ut homo Christus nullum habere posset peccatum. Hinc Joan. 1. cum dixisset Evangelista *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, statim subdit: *Et vidimus gloriam ejus quasi unigeniti à Patre plenum gratia, & veritatis*, quod ait *Verbum caro factum est* seu plenum gratiæ. Quod ait: *Gloriam unigeniti à Patre* seu plenum veritatis, veritas quippe ipsa unigenitus Dei Filius non gratia sed natura gratiæ suscepit hominem tanta unitate personæ, ut idem ipse esset etiam hominis filius. Idem namque Jesus Christus filius Dei unigenitus, id est

-usDominus noster natus est de Spiritu Sancto,& Virgine Maria. Et utique Spiritus Sanctus Dei donum est, quod quidem & ipsum est æquale donanti, hactenus S. Augustinus. Quartò tribuitur etiam Spiritui Sancto mysterium dominicæ incarnationis,ut ostendatur discrimen inter conceptionem Christi, & aliorum hominum, isti enim ex voluntate carnis concipiuntur, & eorum caro per concupiscentiam propagata est infecta peccato, quo fit ut originali peccato coinquinetur etiam simplicis hominis anima itaftim ac infunditur corpori contrahatque propensionem ad peccata quæ propria voluntate perpetrantur. Christus verò non ex concupiscentia conceptus est, ait Augustinus serm. 214. *Non concupiscentia carnis urente sed fides charitate fervente.* adeo ut ex charitatis ardore, & amore veritatis conceptus sit Christus, ideoque non in carne peccati, sed tantùm in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne. Quintò attribuitur hoc mysterium Spiritui Sancto ob excellentiam sanctitatis hominis Christi: non enim homo Christus fuit sanctus sanctitate accidentaria, & creata seu per solam participationem gratiæ sanctificantis hominem, sed gratia substantiali sita in plenitudine divinitatis, quia ut scribit Apostolus ad Coloss. 2. *In ipso enim habitat plenitudo divinitatis corporaliter*, qui conceptione sua factus est Filius Dei, quapropter à Daniele. 9. *Sanctus sanctorum* vocatur. Hinc Luc. 1. Gabriel Archangelus alloquens Mariam dixit: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Hinc Christus dicitur unctus Spiritu Sancto, & virtute: quæ unctio fuit ipsa divinitas, seu persona verbi unita naturæ humanæ; perinde ac cum oleo ungitur caro, unitur oleum carni, quamvis caro non subsistat per oleum sicut Christi humanitas subsistit per subsistentiam Verbi divini, sitque propterea oleum illud exultationis, quo Christus unctus est præ consortibus suis: & ex hac unctione non solùm fuit immunis à quovis peccato, verùm etiam factus impeccabilis. 1. Petri 2. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, & D. Paulus ad Hebræ. 7. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* Quòd si solaris radius pertransiens, & illustrans lutosa itinera imò & cloacam oppletam immunditiis nullam inde contrahit labem, qua deturpetur, quomodo Christus, qui est lux vera poterat peccati caliginibus obscurari, si ipsas peccati tenebras, ut dispelleret in mundum venit. Quòd si ferrum igni conjunctum, ac in eodem permanens ita totum igne penetratur, ita incenditur, ut nullum suscipiat frigoris tepiditatem; quomodo Christi anima deitati conjuncta, & ita copulata, ut una ac eadem persona sit Deus, ut homo potuisset peccato labefactari. Neque obstat, quod Apostolus 2. ad Corinth. 5. dicat: *Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*: siquidem dicitur Christus pro nobis factus peccatum quatenus factus fuit hostia pro peccato, scriptura enim sumit ipsam victimam, qua peccatum expiatur pro ipso peccato, in quo sensu, Oseæ 4. dicitur: *Peccata populi mei comedent sacerdotes* scilicet victimas: quas populus offeret pro expiatione peccatorum, hinc Augustinus in Enchirid. cap. 41. ait: *Nulla voluptate carnalis concupiscentiæ seminatus sive conceptus, & ideo nullum peccatum originaliter trahens; Dei quoque gratia Verbo Patris unigenito non gratia Filio, sed natura in unitate personæ modo mirabili & ineffabili adjunctus atque concretus, & ideo nullum peccatum, & ipse committens tamen propter similitudinem carnis peccati, in qua venerat, dictus est, & ipse peccatum sacrificandus ad diluenda peccata. In vetere quippe lege peccata vocabantur sacrificia pro peccatis. Hinc Apostolus cùm dixisset.* 1. Corinth. 5. *Obsecramus pro Christo reconciliari Deo, statim subjunxit: Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos simus justitia Dei in ipso.*

Posset tamen quis petere, cur si Christus conceptus fuerit de Spiritu Sancto non dicatur Spiritus Sanctus Pater Christi. Respondetur, quod tametsi Christus de Spiritu Sancto conceptus fuit, non tamen Spiritus S. sed Dei Patris Filius unicus fuit, & dicitur, ut etiam Filius Virginis Matris, siquidem non eo ipso, quod aliquid nascitur de re aliqua statim ejus Filius dicitur nisi sit ejusdem generis & ex vi originis suæ habeat ejusdem similitudinem, hinc qui nascuntur ex aqua & Spiritu S. nemo eos dixerit Filios aquæ, sed bene dicuntur Filii adoptivi Dei Patris, & Matris Ecclesiæ. Hinc quamvis de Spiritu S. dicatur Christus natus, adhuc est Filius Patris non Spiritus S. quia ut aliquis dicatur filius alicujus non requiritur de illo natos esse dicatur, filii enim extranei adoptantur, & dicuntur verè filii adoptantis tametsi non fuerint geniti ab adoptante, rursus in scripturis impii dicuntur filii gehennæ, quamvis non sint geniti, nec nati ex gehenna, sed tantùm ad illā sint præparati, sicut electi præparantur in regnum Dei, scitè Pascasius lib. 1. de Spiritu S. cap. 2. explicat, cur Christus non sit Filius Spiritus S. licèt ex eo conceptus inquiens: *Homo namque assumptus ex Maria operatio Spiritus S. fuit, non portio, nec ab eogenitus, sed creatus, conceptus est potentia non substantia operatione non participatione; virtute non genere.* Christus igitur conceptus quidem fuit de Spiritu S. seu formatus in utero Virginis & purissimo virgineo sanguine, & natus de Maria Virgine; non tamen Filius est Spiritus S. eò quia Christi humanitas non est portio substantiæ Spiritus S. bene tamen Mariæ Virginis, de cujus potissimo sanguine fuit Christi corpus efformatum, ideoque rectè dicitur Christus filius Virginis Matris non verò Spiritus S. siquidem nascitur de Spiritu S. per gratiam, & de Maria Virgine per naturam.

Quæri potest secundò, cur sola secunda persona, seu Filius dicatur incarnatus, si totæ tres personæ sanctissimæ Trinitatis fuerunt incarnationem operatæ, & omnes personæ sint simul identificatæ. Respondetur, quòd tametsi una, ac eadem sit actio, & efficientia trium personarum sanctissimæ Trinitatis, & incarnatio fuerit opus totius Trinitatis, quatenus omnes tres personæ divinæ fuerint indivisè operatæ hoc mysterium non tamen dicuntur omnes tres personæ incarnatæ, sed solus Filius, quia hic solus est persona in Christo utriusque naturæ divinæ, & humanæ proprietas enim personalis ita unicuique personæ convenit, ut alteri non competat. non enim in divinis Pater est Filius, nec Spiritus Sanctus est ipse Pater aut Filius, unde sicut personæ discretæ sunt ac distinctæ in ratione personæ, & relativè ita opponuntur, ut una secernatur ab aliis, quamvis non separetur, fit ut aliquid possit tribui uni personæ ut discretæ, ac distinctæ ab aliis, quod alteri non tribuatur, & quod aliquid à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto possit dici factum, ac esse, quod tamen à solo Filio sit acceptum: perinde ac animæ per corpus, & cum corpore efficit, ut corpus cibum sumat, comedat, & nutriatur, & tamen solùm corpus est, quod cibum accipit comedit, & nutritur, quamvis anima simul cum corpore faciat, ut cibus accipiatur à corpore, ut explicat, S. Fulgentius lib. contra sermonem fastidiosi Ariani inquiens: *In illa itaque comestione una & anima carnisque operatio, sed solius est carnis acceptio. Sic*

 huma-

humana natura totius quidem Trinitatis opere facta à solo tamen Filio fuit in unitatem personæ suscepta; hoc idem etiam exemplificat per similitudinem vocis corporeæ, ait enim in responsione ad quæstionem Ferrandi: Vox corporea qua spiritale verbum cordis nostri, seu locutio interior induitur, ut ad audientium notitiam perferatur, simul fit à memoria, cognitione, & voluntate: sed à sola cogitatione seu interiore suscipitur verbo. Sic humana Christi natura à tribus sanctissimæ Trinitatis personis facta est, sed à solo Filio in unitatem personæ assumpta est.

Est igitur vera Ecclesiæ sententia de hypostatica unione, quæ docet naturam humanam proprie esse unitam hypostaticè Verbo divino, quod perinde est, ac per illius subsistentiam tanquam per terminum quendam substantialem, à quo dependeat, ut à suo complemento reddita sit incommunicabilis, & simul veluti substantialiter completa. Hoc docet Ecclesia declarans hanc unionem hypostaticam factam fuisse secundùm subsistentiam, ut habetur in Concilio Constantinopolitano II. cap. 4. in Ephesino epist. ad Nestor. ubi sancta Synodus scribit: *Carni secundùm subsistentiam unitum est Dei Patris Verbum*: & modo hic unionis quem Ubiquetarii vocant arcanissimum, & ineffabilem, eò quia modo ineffabili Christi humanitas fiat quid unum cum Deitate, ac omnibus divinis attributis, fitque propterea Christus ut homo Deus, immensus, & ubique, ita scribit Tractat. 19. in Joan. *Ipse est Filius hominis, qui & Filius Dei. Hærendo enim ad unitatem personæ Filius hominis Filio Dei, facta est una persona eaque filius Dei, quæ & Filius hominis.* Ex eo igitur, quod Filius hominis seu humanitas uniatur Filio Dei non humanitas fit quid unum cum ipsa deitate, sed tantùm fit, ait Augustinus una persona, quæ eadem Filius Dei est, & Filius hominis, cùm enim in Christo sit natura humana, quamvis destituta propria subsistentia, & personalitate, & subsistat per subsistentiam Verbi divini, seu secundæ personæ Trinitatis, quæ sibi identificat naturam divinam: ex eo quod Christus coalescat ex humanitate subsistente per subsistentiam Verbi, sequitur in esse Christo duas naturas divinam, & humanam, & unicam tantùm personam divinam, quo fit ut Christus dicatur Deus, & homo, Deus immortalis, homo mortalis, Deus impassibilis, homo passibilis, non tamen secundùm unam, & eandem naturam vel divinam vel humanam, sed penes diversas naturas in Christo dicatur Christus immortalis, & morti obnoxius. Christus enim in concreto dicit ipsam personam divinam non simpliciter, sed ut complentem naturam humanam, cui hypostaticè unitur, & simul veluti terminantem naturam divinam; hinc de Christo secundùm eandam personam prædicantur plura divina attributa ratione tamen naturæ divinæ, non verò humanæ, ut quòd sit infinitus, æternus, omnipotens, immensus, & alia hujusmodi, quæ sunt proprietates naturæ divinæ; & alia de Christo prædicentur, quæ tantùm tribuuntur naturæ humanæ, ut quòd sit passibilis, natus, crucifixus, mortuus, & alia hujusmodi, quæ de Christo quidem prædicantur, sed secundùm tantùm naturam humanam: & hæc est illa regula, quam communiter tradunt sancti Patres, & omnes Doctores Catholici recipiunt, quia quando in re aliqua includuntur diversa, quæ de eadem re indicantur, eò quia communicent in ea re, in qua includuntur, de eadem re prædicantur proprietates utriusque comprehensi in re illa, sed secundùm diversas naturas in eadem comprehensas: in Christo autem hæc res non est una aliqua & eadem natura, sed tantùm una, & eadem persona seu hypostasis Verbi, quo fit, ut utriusque naturæ idiomata, quamvis diversa non de una natura prædicentur, sed de una tantùm persona communi utrique naturæ, hinc Christus dicitur Deus non ut habens naturam humanam, sed quatenus Verbum divinum in Christo sibi identificat naturam divinam, & ècontra dicitur homo non secundùm naturam divinam, sed tantùm secundùm naturam humanam assumptam à Verbo, hinc venerabilis Beda in comment. I. ad Corinth. 15. ait: *Cùm aliqua in scripturis de Christo dicuntur, quibus demonstratur, quod Patre sit minor, ea secundùm humanitatem dicuntur; cum verò ea dicuntur; quibus Patri demonstratur æqualis ea secundùm quod Deus est, accipiantur*, hanc regulam ante Bedam docuerat D. Augustinus lib. I. de Trinit. cap. II. inquiens: *Cognita ista regula intelligendarum scripturarum de Filio Dei, ut intelligamus, quid in eis sonet secundùm formam Dei, in qua æqualis est Patri, & quid secundùm formam servi, in qua minor est Patre, non conturbabimur tanquam contrariis, & repugnantibus sanctorum librorum sententiis*, hanc eandem regulam repetit, & docet in aliis locis, ut *lib. I. cap. 7. &* 13. & alii sancti Patres, ut Joannes Damascenus lib. 3. de fide orthodoxæ cap. 4. ubi de Christo ait: *Divinitatem dicentes non de illa nominamus ea, quæ sunt propria humanitati, neque de carne prædicamus, quæ sunt divinitatis propria. Non enim dicimus deitatem aut passibilem, aut creatam, neque dicimus humanitatem increatam. At de hypostasi sive ex utraque (ut cum dicimus Christum) sive ex altera natura (ut cum dicimus Deum vel hominem) eam nominemus utriusque naturæ propria ei addicimus.*

Ut autem referamus, ac refellamus argumenta quibus nituntur Ubiquetarii; hæc duplicis sunt generis, quædam eruuntur ex nonnullis sacræ Scripturæ textibus, ac sanctorum Patrum testimoniis perperam ab ipsis explicatis, & intellectis, & quædam petuntur ab ipsa ratione. Verùm quòd ad sensum attinet scripturarum, & Patrum hujusmodi testimonia commodissimè ac convenienter intelliguntur juxta veram, ac orthodoxam ecclesiæ doctrinam, scilicet si quæ prædicata, vel attributa divina Christo attribuuntur de eodem, seu de persona divina in Christo prædicentur, quatenus in se continet, sibique identificat naturam divinam: talia sunt testimonia ad Philip. 2. *Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris*, ut Daniel. 7. *Potestas ejus potestas æterna*, si sermo sit de potestate, quam Christus habuit æternam, ac divinam. Joan. 17. *Clarifica me Pater claritate, quam habui apud te, priusquam mundus fieret.* Secundò plura etiam Scripturarum, & sanctorum Patrum testimonia sunt, quorum sensus est, fuisse naturæ assumptæ; & quidem re ipsa communicatam personam divinam adeoque plenitudinem divinitatis; sed id tantùm juxta doctrinam Catholicam superiùs explicatam, scilicet ut humanitas non transmutetur in Deitatem, sed ut perseverans cum suis prædicatis intrinsecis subsistat per subsistentiam personæ divinæ, à qua perficitur, & substantialiter completur: non verò quod humanitas Christi ut temerè Ubiquistæ autumant, sit ipsa divina persona ratione unionis hypostaticæ modo arcanissimo, ac ineffabili: & in hoc sensu plura Scripturæ testimonia ab Ubiquetariorum depravatâ intelligentiâ vendicantur, cujusmodi sunt ad Colos. 2. *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* sensus est, ut in Christi humanitate coalescente ex anima & corpore sit persona divina sibi identifi-

ons totam plenitudinem divinitatis, quæ propterea dicitur ab Apostolo habitare in Christo corporaliter, seu in humanitate, quatenus hæc subsistit, & substantialiter complectur per subsistentiam Verbi divini. Joan. 3. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus ejus*, scilicet omnia prædicata, & attributa divina communicavit Filio. Ad Philip. 2. *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen* seu Filio assumenti naturam humanam Actor. 2, *Et sciat ergo omnis domus Israel, quia, & Dominus eum, & Christum fecit Deus hunc Jesum, quem crucifixistis*, id est secundùm naturam humanam. Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Et ad Hebr. 1. *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* Si enim cum D. Damasceno lib. 1. cap. 2. per *potestatem* & *dexteram* intelligamus gloriam, & majestatem divinitatis hæc duo postrema testimonia conveniunt personæ divinæ Christi secundùm naturam divinam, & D. Augustinus lib. de fide, & symbolo cap. 7. per *potestatem* intelligit Christi regalem potestatem, & iudiciariam, summamque beatitudinem secundùm Deum. Licèt Scriptura sacra significet, datam esse Christo majestatem, ac divinitatem; inde non sequitur, ut censent Ubiquetarii, humanitatem Christi ex vi unionis hypostaticæ evasisse divinam majestatem, ac deitatem. Sed quòd per deitatem subsistat natura assumpta; & quando Scripturæ asserunt, vel prope passionem, & mortem, vel etiam post mortem datam fuisse Christi Trinitatem debent tunc Scripturæ ita intelligi; non quia tunc primum acceperit divinitatem secundum humanitatem, sed quia tunc ejus divinitas fuit hominibus manifestata, vel saltem manifestari hominibus elatius cœpit, quod in instanti incarnationis accepit, & in hoc sensu intelligendi sunt sancti Patres eum dicunt, *Christum participem* esse factum divinitatis. Rursus quia persona verbi divini per unionem hypostaticam facta est persona naturæ humanæ Christi, quandoque sancti Patres prædicata, & & attributa divina tribuunt naturæ assumptæ non quia sint proprietates naturæ humanæ, sed quia conveniunt personæ ratione deitatis, & per quam natura humana subsistit; in hoc sensu dixit Damascenus: *Divina Christi voluntas æterna erat, & omnipotens; humana verò ejus voluntas à tempore cœpit*: Distinguit duas in Christo voluntates divinam unam, & hanc æternam, ac omnipotentem esse dicit; alteram humanam, quam factam esse in tempore asserit: Ut tamen verè, & secundùm naturam Dei verbi voluntas facta est, omnipotens est; adeò ut voluntas humana in Christo attribuatur naturæ verbi, dicaturque omnipotens; in quo sensu intelligitur etiam illud Concilii Ephesini can. 12. *Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem esse. Quia facta est propria verbi cuncta vivificare valentis, anathema sit.* Hæc virtus vivificandi potest intelligi esse propria humanitatis Christi, quatenus per illam ut unitam Verbo divino, & pro nobis passam vivificati, seu redempti fuimus; Christus enim per suam humanitatem nos vivificavit sua morte, & redemit pretio sui sanguinis: & sensus est; ideo Christus per unionem accepit in humanitate virtutem vivificandi nos, quia per unionem humanitas Christi facta est humanitas Dei & hominis, quatenus Christus est verus Deus, & verus homo, qui propterea per humanitatem suam potuit cumulatissimè pro nobis satisfacere, nosque redimere. His præmissis

Objiciunt primò Ubiquetarii, quia à sanctis Patribus opera propria deitatis tribuuntur Christi humanitati; ergo quia humanitas in Christo vi & efficacia unionis hypostaticæ deificatur, seu quid unum cum ipsa deitate fit adeò ut vera sit hæc propositio, Christus est Deus omnipotens, immensus secundùm humanitatem; consequenter Christus ut homo est ubique. Antecedens probant: quia D. Leo Papa in Epistola 10. ad Flavianum scribit: *Operatur utraque forma cum alterius communione, verbo scilicet operante quod proprium est; & carne exequente, quod carnis est*, scilicet humanitas & divinitas in Christo ambæ operantur simul ut formæ communicantes sibi virtutem adeò ut humanitas operetur virtute divina, sitque per modum arcanissimum ac ineffabilem unionis hypostaticæ deificata, seu ipsa deitas formalis, quæ utpote immensa est ubique. S. Athanasius dialog. 5. contra Apollonaristas; hoc idem videtur sentire inquiens: *Deus unitus homini edit miracula, & operatur, non seorsim, aut separatim à natura assumpta: sed per eam placuit illi suam potentiam exercere.* Sed distinguitur antecedens sancti Patres tribuunt Christi humanitati propria divinitatis ut causæ principali, & formæ propriæ operanti, negatur antecedens ut causæ instrumentali, conceditur, & negatur consequentia, quia inde non sequitur Christi humanitatem ex vi unionis hypostaticæ fieri Deitatem, ac operari principaliter opera propria ipsius Deitatis, sed tantùm esse instrumentotum distinctum realiter entitativè ab ipsa deitate.

Quamvis omnia opera supernaturalia, & mirabilia, quæ unquam Christus gessit, & quæ etiam in suæ militantis Ecclesiæ regimine, & conservatione operatur, eadem per humanitatem quoque s am tanquam per instrumentum operetur, non inde sequitur Christi humanitatem operari ut causam principalem, & ut formam deitatis ipsa opera supernaturalia mirabilia, quæ Deus operatur, sed tantùm ut ejus instrumentum ad id assumptum. Idque causæ, cur sancti Patres has operationes mirabiles, & proprias Deitatis attribuunt etiam Christi humanitati non tanquam formæ, quæ ita communicet operationibus divinis, ut putant Ubiquetarii, sed tantùm ut instrumento divinitatis. Non enim sancti Patres semper servant regulas Dialecticæ in hac materia, sed plerumque sumunt nomen abstractum pro concreto scilicet humanitatem pro homine, vel etiam è contra concretum pro abstracto, ut cùm dicunt Verbum divinum assumpsisse hominem in concreto cùm assumpserit humanitatem in abstracto, hinc quæ humanitati in abstracto per se conveniunt, ipsi homini in concreto seu Christo adscribunt, & hac regula observata facilè solvuntur omnia petita ab Ubiquetariis ex sanctis Patribus.

Objiciunt secundò, quia si natura humana eatenus tantùm diceretur unita Verbo divino, quatenus à Verbo sustentatur, inde sequeretur Verbum divinum non esse hominem, sed tantùm sustentare naturam hominis in actu secundo, quod omnino falsum est, quia cum Verbum divinum sustentet de facto res omnes, quæ sunt in mundo, inde sequeretur res omnes in mundo esse hypostaticè unitas Verbo divino, eò quia ab ipso sustententur. Sed contra negatur, sequela, quia Verbum divinum per unionem hypostaticam ita sustentat Christi humanitatem, ut sit etiam ejus complementum substantiale, ac terminus, quo natura humana in Christu subsistit, secus Verbum divinum non ita sustentat res omnes in mundo, ut

ut eandem substantialiter compleat per sui exhibitionem, & unionem hypostaticam. Verbum igitur divinum per intimam suam perfectionem personalem, & efficaciam unionis hypostaticè naturam assumptam sustentat terminando illam, & substantialiter complendo, adeo ut non per aliquid diversum à Verbo, quod illi per operationem aliquam, seu actum secundum communicetur, sed per ipsissimum Verbum constituatur in esse hypostatico ac fiat, ex Verbo divino, & Christi natura humana veluti compositum coalescens intrinsecè ex natura humana, & Verbo divino, neque alia sit in Christo persona, quàm divina, seu Verbi. Cæterum Verbum divinum sustentat res alias eas efficiendo, & conservando, non autem terminando intrinsecè, & complendo hypostaticè. Est enim unio hypostatica modus substantialis essentialiter respectivus, quo humanitas divina efficitur socia Verbi divini, à quo dependet, ut à termino substantiali, & est cum Verbo unita, ac eadem persona. Hanc unionem humanitatis cum Verbo expressè significant Concilia, & Patres. Consilium enim Constantinopolitanum V. *Act.* 4. *Canon.* 4. & 8. Chalcedonense *Act.* 1. Lateranense sub Martino I. *Const.* 5. *can.* 6. asserunt unionem, qua humanitas unitur Verbo, esse substantialem; & colligitur etiam ex definitione Alexandri III. in cap. cum Christus de Hæreticis, ubi Pontifex anathemate percutit asserentes: *Christum ut hominem non esse aliquid substantiale juxta Aristotelicum loquendi modum.* Ratio itidem id evincit, quia generatim modus ille est verè substantialis, qui constituit aliquod totum substantiale, & unio hypostatica, qua in Christo humanitas unitur Verbo divino constituit intrinsecè naturam humanam Christi in ratione subsistentia, & id efficit ut humanitas hæc sit verus homo in concreto ac dicat rationem personæ divinæ assumentis & naturæ humanæ assumptæ, ex quo sequitur modum unionis hypostaticæ esse substantialem cùm sit ratio, qua constituatur quid unum substantiale. Præterea quia Christus verè & propriè est homo, perinde ac alius homo ratione humanitatis licèt differat quoad personam: Homo autem non est prædicatum accidentale, quia id significat, quod habet humanitatem tanquam ejus suppositum: & quia Verbum Divinum hoc modo non unitur cum rebus omnibus in mundo, nec illas complet terminando hypostaticè, sequitur evidenter, quòd quamvis Verbum divinum res omnes in mundo sustentet, non tamen iisdem unitur hypostaticè, sed tantùm quod eas efficiat, & conservet.

Objiciunt tertiò, si sensus hujus propositionis: hic homo Christus est Deus, est omnipotens, est immensus &c. esset tantùm materialis, & ita intelligendus ut sola divina persona sit Deus omnipotens &c. esset propositio, in qua prædicatum idem esset, ac subjectum, quia cùm Verbum sit Deus, sensus esset Deus est Deus, omnipotens, quæ propositio est identica, & nihil singularis assereret in hoc mysterio. Ergo cùm dicitur homo Christus est DEUS, non debet intelligi quòd Verbum divinum sit Deus, sed quòd homo Christus sit Deus, adeo ut vi, & efficacia unionis hypostaticæ modo arcanissimo, & ineffabili humanitas Christi fiat ipsa Deitas. Sed contra, quia per præfatam propositionem non amplius significatur, quàm si nudè, & simpliciter diceretur, verbum divinum est Deus, omnipotens, immensus, tunc enim significatur, quòd ille, qui est Deus, sit etiam homo, hoc est sit persona duarum naturarum divinæ, & humanæ: cùm enim verbum divinum sit secunda persona Trinitatis, qua Deitas subsistit, & natura divina completur, & sit etiam complementum substantiale naturæ humanæ assumptæ, quæ per hanc personam subsistit, sequitur duas naturas divinam, & humanam subsistere in uno, ac eodem supposito. Quamobrem cùm dicimus hominem Christum esse Deum intelligendo nomine DEI omnipotentis ipsam personam Christi non est eadem propositio, ac illa Deus est Deus: Sicut cùm dicimus album esse dulce, quid aliud amplius dicimus, quàm si simpliciter diceremus dulce est dulce. In Christo quia persona divina sibi identificat Deitatem, & naturam divinam; & simul est complementum substantiale, quo natura humana subsistit, quatenus eam terminando hypostaticè complet, ideo prædicata, & attributa naturæ divinæ, quæ de Christo prædicantur dicuntur de ipso ratione personæ, quo pacto dicimus Christum esse Deum omnipotentem, omniscium, immensum ratione personæ, & è contra cùm prædicata propria humanitatis tribuuntur Deo nonnisi ratione naturæ humanæ conveniunt personæ divinæ, seu verbo hypostaticè unito naturæ humanæ, ut cùm dicitur Deus est mortuus, est passus, crucifixus, hæ propositiones non sunt veræ, nisi ratione humanitatis in Christo, & tantùm per communicationem idiomatum, per quam attributa naturæ humanæ dicuntur de persona divina.

Objiciunt quartò communicatio idiomatum per quam attributa divina prædicantur de homine Christo non est verbalis, sed realis, atqui si in similibus enuntiationibus excludimus humanitatem à subjecto, communicatio non est nisi verbalis, ergo subjectum non est excludendum. Sed contra negatur minor, quia communicatio, & prædicatio tunc est realis, cùm non solùm vocem prædicati ad vocem subjecti enunciando referimus, verùm etiam, quia rem per prædicatum significatam attribuimus illi rei, pro qua ponitur vox subjecti, quo pacto realem communicationem, & prædicationem asserimus, eo ipso, quòd attributa divina affirmamus de ipso supposito naturæ humanæ, pro quo in iisdem propositionibus ponitur vox illa subjecti scilicet Christus, ut cùm dicimus Christus est Deus, scilicet ratione personæ, & ponitur vox illa Christus, seu subjectum ad significandam personam ipsam divinam, quæ est persona Christi. Non enim communicatio idiomatum divinorum, & humanorum esse potest nisi in eo, quod in Christo est re ipsa commune utrique naturæ divinæ, & humanæ: hoc autem est ipsa persona divina. Ex eo igitur, quòd persona Christi complectatur duas naturas divinam, & humanam, & utriusque sit una, ac eadem persona, sequitur hæc communicatio realis idiomatum: quæque conveniunt naturæ humanæ prædicantur de Deo, & quæ Deo competunt dicuntur de natura humana. Nomine enim idiomatum intelliguntur proprietates, & attributa omnia naturæ tum divinæ, tum humanæ, & per communicationem idiomatum significatur prædicatio mutua, adeo ut idiomata prædicati perinde sit, ac attributa utriusque naturæ divinæ, & humanæ de se mutuo, & de Christo prædicari, sitque propterea communicatio idiomatum perinde ac communicatio prædicatorum, adeo ut quæ prædicantur de divinitate etiam dicantur de humanitate, & econtra, & fundatur hæc communicatio idiomatum in unitate personali ratione cujus sicut duæ naturæ divina, & humana communicant in eodem supposito, ita etiam communicant sibi invicem propria prædicata. Dari hanc idiomatum communicationem in Christo docent omnes Catholici contra hæreticos negantes in Christo

in unionem substantialem, & unitatem personæ Christi, & colligitur ex conciliis præsertim Alexandrino, Ephesino, Lateranensi superius citatis, & ex epist. Sophronii, & sexta Synodo ubi damnatur Nestorius qui nolebat dici humana de Deo, nec divina de homine. Ratio etiam hanc idiomatum communicationem suadet; siquidem omnis natura jam suis proprietatibus potest de omnibus individuis prædicari, quibus convenit quocunque nomine illa significentur, & Christus est individuum, cui conveniunt omnes proprietates utriusque naturæ divinæ, & humanæ, ergo natura divina, & humana ac earumdem proprietates possunt prædicari de Christo, quocunque nomine significetur sive vocetur Deus, sive homo. Rursus præcipuum fundamentum communicationis idiomatum est, quia nomen concretum significat suppositum in recto, & ipsam formam in obliquo, sed exinde sequitur mutua prædicatio divinorum de humanis, & humanorum de divinis, quia ut prædicatio vera sit, tantùm requiritur, ut prædicatum, & subjectum significent idem secundum id, quod importatur in recto, & in iis omnibus prædicationibus ubi humana, & divina de Christo, & de se invicem prædicantur subjectum, & prædicatum significant suppositum in recto, quod est unicum, proinde illæ prædicationes sunt veræ. Præterea quia idem suppositum, quod in Christo est habens naturam divinam ast etiam habens naturam humanam, & ut habens naturam divinam est omnipotens, & omnia alia attributa, quæ sequuntur veluti proprietates ad naturam divinam: & ut habens naturam humanam est mortale passibile, & omnia alia prædicata, & proprietates, quæ se habent consecutive ad naturam humanam: sed hæc nomina concreta, Deus omnipotens, omniscius, immensus significant suppositum habens deitatem, omnipotentiam, omniscientiam, & immensitatem consequenter propositiones semper sunt veræ ratione suppositi terminantis utramque naturam divinam, & humanam. Quo fit, ut hæ propositiones Deus est homo: homo est Deus si intelligantur de hoc homine Christo, sint veræ & propriæ, ut docet D. Thomas *3. part. quæst. 16. art. 1.* siquidem ea propositio est propria, quæ fundatur in identitate prædicati cum subjecto, atqui cùm dicitur DEUS est homo habetur identitas ratione suppositi, siquidem suppositum divinum vices gerit in Christo suppositi creati, & est unum tantùm suppositum complectens utramque naturam divinam, & humanam. Si dicas Petrum non constitui in esse Petri per aliam naturam, quàm hominis sed Deus constituitur in esse Dei per aliam naturam quàm hominis, ergo magis propriè dicitur Petrus est homo, quàm DEUS est homo. Sed contra quia exinde tantùm sequitur esse diversas prædicationes quatenus homo prædicatur de Petro, ut quid superius de inferiori: de Deo autem prædicatur homo ut natura communicans in eadem subsistentia quatenus natura humana communicat in eadem subsistentia increata verbi cum natura divina. Si dicas plures esse prædicationes mutuas falsas, consequenter non dari hanc communicationem idiomatum, adeo ut quæ conveniunt uni naturæ non possint prædicari de altera, antecedens ex eo liquet. Primò quia propriè Deus non dicitur humanatus, nec humanus, ut desumitur ex Concil. Francof. *epist. ad Episcopos Hispaniæ.* Secundò quia Christus non potest dici Dominicus, ut docet D. August. *lib. 1. de Retract. cap. 19.* Athanas. *epist. ad Epictet.* Tertiò neque potest Christus dici homo Deificus ut docet Damasc. *lib. 3. de fide cap. 12. contra Nestor.* Sed contra negatur antecedens: & tametsi non omnes prædicationes veræ sint, non tamen inde sequitur plures alias non esse veras: eatenus hæc prædicatio: Deus est humanatus, seu humanus propriè non verificatur, quia significaretur, quod humanitas non asset unita substantialiter verbo, sed tantùm accidentaliter perinde ac albedo parieti, & vestis corpori eam extrinsecè tantùm & accidentaliter unitur. Rursus neque Christus dici potest homo dominicus, ut rectè notat Augustinus; quia Christus non est aliquid Domini, sed & ipse Dominus. Neque dicitur Christus est homo Deificus ut contra Nestorium asseruit Damascenus quia per talem locutionem tolleretur vera unitas suppositalis: cæterum nil obstat quin Christus dici possit homo divinus, quia per hanc prædicationem non excluditur, quod sit Deus, quia etiam verbum dicitur divinum ad significandum, quod constituitur per ipsam divinitatem, imò potest etiam dici de Christo, quòd sit Deus Carnifera, ut docet S. Athanas. *serm. de sacratis. Deipara:* quatenus verbum divinum sustentat in se naturam humanam, quod perinde est, ac carnem, seu humanitatem deferre: non tamen è converso dici de Christo potest, quod sit homo Deifer, quia humanitas non sustentat divinitatem, sed ab ista illa sustentur. Hinc communicatio idiomatum non potest fieri secundùm abstracta qua de causa in Concil. Chalced. *in confess. fides*, anathemate percutiuntur asserentes Deitatem esse passam, quia naturæ permanserunt in Christo permixtæ: id autem verum non esset, si abstracta de se possent invicem prædicari. Quinimò nec communicatio idiomatum fieri potest inter abst acta ex una parte, & concreta ea alia quia abstractum semper est extra concretionem suppositi, adeo ut quando ab aliquibus partibus deitas in abstracto dicitur incarnata sensus tantùm sit, quod deitas sit unita humanitati, & hujusmodi propositiones constituunt virtualiter sensum obliquum. Per hoc enim abstractum differt à concreto, quia illud significat solam formam per se, ut humanitas deitas, quæ sunt nomina abstracta significant solam naturam humanam, & divinam: concretum verò præter hanc formam significat etiam suppositum ut habens talem formam, adeo ut concretum dicatur, quia concrescat ex forma, & ex habente formam: quod si habens formam sit suppositum naturæ dicitur concretum substantivum, & absolutum, ut homo, quia est habens formam tanquam propriam naturam, non tanquam adjacentem: sin autem sit subjectum formæ dicitur concretum adjectivum, quia est habens formam ut adjacentem illi, à quo habetur, hinc patet discrimen inter utrumque concretum substantivum, & adjectivum, quia substantivum proprium est suppositum naturæ propriæ; adjectivum verò est subjectum formæ, quia est habens illam, ut adjacentem sibi. Hinc concreta substantiva quæ significant naturam divinam, vel humanam, ac earundem proprietates verè possunt prædicari de omnibus concretis, quæ ponuntur pro persona Christi sive Christus significetur nomine Dei, sive hominis, quia ut prædicatio vera sit necesse est, quòd prædicatum & subjectum propositionis habeant veram unitatem, & identitatem; sed concreta substantiva significantia naturas divinam, & humanam habent veram unitatem, ac identitatem ratione suppositi, quod in Christo est unicum tantùm; hoc enim nomen concretum homo significat suppositum habens humanitatem: & hoc concretum Deus significat suppositum habens Deitatem: atqui in Christo illud idem suppositum, quod habet humanitatem, habat etiam Deitatem, siquidem in Christo non datur nisi unicum suppositum complectens utramque naturam divinam, & humanam proinde concreta substantiva quæ significant na-

tutam divinam, & humanam, vel illarum proprietates possunt verè prædicari, de omnibus concretis positis pro persona Christi. Hinc hæ propositiones *Deus factus est homo: Deus factus est hic homo* sunt veræ, quapropter Joan. 1. dicitur: *Et verbum caro factum est*, quia generatim quod incipit esse aliquid, quod priùs non erat, dicitur fieri tale, & quia DEUS tunc incepit homo esse, cùm primùm humanitatem assumpsit, rectè propositio illa *Deus factus est homo, factus est hic homo*, est vera: quia ante assumptionem humanitatis non fuit verum, quòd Verbum fuerit homo, ergo cùm primùm assumpsit humanitatem incepit homo fieri, hæc propositio est vera: hæc verò alia propositio *Christus est creatura* secundùm diversos sensus potest vera esse, & falsa, etenim si per nomen creaturæ & entis creati significetur id, quod secundùm se totum producitur ex puro nihilo ut in rigore sumitur ens creatum, in hoc sensu Christus non est cretura, ratio est, quia Christus includit etiam suppositum divinum, & subsistentiam verbi quæ est subsistentia increata. Sin verò per ens creatum id significetur, quod aliquo modo est factum in hoc sensu Christus dici potest creatura, quamvis ob malum sensum, in quo potest facile propositio accipi non sit absolutè usurpanda. Ratio est quia prædicatum hoc, quod est creatura est proprium naturæ humanæ, & cum conveniant simpliciter Christo prædicata utriusque naturæ, convenit etiam hoc prædicatum, quod est creatura; unde nomine Christi verè significatur aliquid creatum, & Christus in rigore, dici potest creatura, dummodo non significetur nomine verbi, nec personæ nec Filii Dei. Firmatur, quia quod de novo existit in rerum natura per veram actioné est ens creatum, & quia Christus secundùm naturam humanam existit de novo in rerum natura per veram actionem dici potest ens creatum. Hæc autẽ alia propositio *Homo factus est Deus*, est falsa, quia hoc nomen concretum homo significat suppositum, & per incarnationem nullum suppositum factum est Deus, siquidem per incarnationem non habetur aliud suppositum, quàm divinum, ergo per incarnationem homo non potest dici factus Deus. Quòd si hæc propositio *Deus factus est homo* per conversionem simplicem terminorum mutatur hoc pacto *Homo factus est Deus*, ergo si una est vera, etiam alia erit necessariò vera. Sed contra quia hæ propositiones *Deus factus est homo*; & *homo factus est Deus* non convertuntur simpliciter, siquidem conversio simplex exigit, ut non mutetur suppositio, & in præsenti mutatur; unde ut legitimè esset conversio deberet potiùs dici is, qui factus est homo, factus est Deus. Hæc etiam alia propositio: *Christus in quantùm homo est Deus*, est falsa, ratio est, quia reduplicatio determinat naturam supra quam cadit; & natura humana non est Deus: quòd si determinaret suppositum, propositio esset vera, & sensus esset, quòd hoc subsistens in natura humana esset Deus.

Demum objiciunt: quia natura humana assumpta ita unitur in Christo cum verbo assumente; sicut in homine uniuntur anima, & corpus: sed anima in homine per hanc unionem omnem suam energiam, ac vim communicat corpori, ut nihil operetur nisi in corpore, & per corpus; & vicissim corpus omnia operetur per animam quæcunque in eo, & per illud operatur anima: ergo eodem modo natura divina per hanc unionem hypostaticam verbi cum humanitate ita communicat totam suam energiam naturæ assumptæ, ut omnia, quæ agit, faciat per naturam assumptam. Major desumitur ex symbolo S. Athanasii ubi habetur: *Sicut anima rationalis, & corpus unus est homo: ita Deus, & homo unus est Christus.* Minorem nituntur evincere, quia anima in corpore non intelligit nisi per corpus & phantasmata, quia juxta vulgatum illud Philosophi axioma: *necesse est intelligentem phantasmata speculari*, & de ipsa intellectione 1. Reg. 3. *Dedi tibi cor sapiens, & intelligens* intelligere, ac sapere proprium animæ, & intellectus tribuitur cordi, quod est pars corporis. Sed contra quia similitudo allata, & desumpta ex symbolo D. Athanasii est tantum secundum aliquam partem non secundum totum: est enim similitudo tantum in eo, quia sicut ex anima, & corpore simul unitis fit homo constans ex utraque parte: ita ex natura divina, & humana existit una substantia quæ est una Christi persona, quatenus persona in Christo est una tantum, quæ complet, ac terminat substantialiter naturam humanam; & sibi identificat naturam divinam. Secundò quia sicut non obstante illa unione corporis & animæ; adhuc anima manet spiritualis, & cum omnibus suis prædicatis constitutivis, ac proprietatibus distinctis à corpore; & corpus pariter perseverat cum suis propriis prædicatis, quibus distinguitur ab anima: perinde non obstante unione hypostatica in Christo naturæ divinæ cum humana, seu Verbo divino cum humanitate; adhuc natura humana manet cum suis prædicatis propriis, quibus distinguitur à Verbo, seu persona divina; & hæc pariter differt à natura humana, quam in ratione subsistendi terminat, ac substantialiter complet, quatenus natura humana carens propria personalitate, & subsistentia subsistit per subsistentiam Verbi divini. Quamobrem hæc similitudo desumpta ex symbolo S. Athanasii tantùm abest quod suffragetur sententiæ Ubiquetariorum, ut eorum opinionem evertat: sicut enim in homine ex anima & corpore simul unitis non fit quid unum quod sit spiritus, ac sola anima, sed manent corpus & anima cum suis differentiis, suntque duæ partes distinctæ una spiritualis, & alia corporea: ita in Christo ex persona divina, & natura humana non fit quid unum, quod sit ipsa deitas, sed manet natura humana cum suis propriis prædicatis distinctis ab attributis naturæ divinæ; adeout licet Persona Christi, seu verbum divinum unitum humanitati sit æternum omnipotens immensum, & ubique; non tamen ipsa humanitas fuit in Christo æterna omnipotens immensa, & ubique. Hinc sicut per illam animæ, & corporis unionem non fit ut arcanissimo, & ineffabili modo corpus sit anima: ita neque fit in Christo ut humanitas sit æterna, omnipotens, immensa, Deitas; & Christus secundùm humanitatem sit Deus. Præterea per illam similitudinem in symbolo Sancti Athanasii corpus non fit æqualis perfectionis cum anima; neque suscipit secundùm se prædicationes proprias animæ, ut scilicet corpus secundùm se intelligat, velit, recordetur, cogitet, vel sit substantia spiritualis: ita neque in Christo humanitas per unionem hypostaticam fit secundùm se æqualis majestatis cum divina natura, neque recipit secundùm se prædicationes proprias naturæ divinæ; adeout Christus secundùm humanitatem non sit nec dicatur æternus, infinitus, omnipotens, immensus ubique: unde liquet, similitudinem erutam ex symbolo S. Athanasii evertere potius, quàm evincere sententiam Ubiquetariorum. Præterea minor est etiam falsa, quia anima per unionem cum corpore non communicat huic illam vim, & energiam, ut intelligat, velit, hi enim actus proprii sunt animæ à qua eliciuntur, & non corporis; adeout conveniant homini secundùm animam, non secundùm corpus, Neque anima cum intelligit, & vult, ita dependet à phantasia, ut intellectio

intellectio, & volitio ſint actus phantaſiæ, ac corporis: modus enim, quo anima ut intelligat dicitur dependere à phantaſmatibus eſt tantum objectivus quatenus nequit ab anima ulla rei intellectio elici, cujus rei non fuerit etiam aliquo modo actus phantaſiæ, à quo res, quæ intelligitur, repræſentatur intellectui, qui modus dependentiæ dicitur objectivus; qui modus oritur ex ſubordinatione potentiarum in homine: quo pacto habetur culpatum axioma: *Nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu.* Neque allatæ ſcripturæ ullum faceſſunt negotium, quia in ipſis cor ſumitur metaphoricè, non enim ſignificat partem corporis, ſed ipſam animam; ut cum DEUS Ezechiel, 36. ait: *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum* non intelligitur de corde quod eſt pars corporis, ſed de animi diſpoſitione mutabili. Quòd ſi dicas, locutionem metaphoricam eſſe impropriam; reſpondetur id parum referre; quia in ſcripturis Spiritus Sanctus pleriſque in locis ad faciliorem noſtrum captum utitur locutione metaphorica; quo pacto dicitur verbum cordis quod eſt in animo.

CAPUT IV.

Confutatur ipſa per ſe Ubiquitas.

EVertimus hactenus fundamenta Ubiquetariorum, ſupereſt nunc impetenda, ac refellenda ipſa Ubiquitas, quæ ſicut inani ac prorſus vano innititur fundamento ita facilè & ipſa corruet; cujus Propugnatores ut eam firmiùs ſtabiliant tripliciter conſiderant Chriſti corpus. Primò phyſicè, ſeu ſecundùm conditionem, & trinam dimenſionem quam habet ex natura ſua, & ſub hac conſideratione propriæ conditionis negant eſſe ubique, quia trina ejus dimenſio phyſica finita eſt ac limitata. Secundò quatenus eſt gloriæ dotibus præditum; & neque ſub hac conſideratione aſſerunt eſſe ubique præſens, quia gloriæ dotes nullam includunt immenſitatem, neque poſſunt illam Chriſti corpori communicare. Tertiò conſiderant Chriſti corpus, quatenus hypoſtaticè unitum perſonæ divinæ, ſeu Verbo Filio æterni Patris & ſic quædam ipſi communicatur à divina perſona majeſtas, quâ vi, & efficacia unionis hypoſtaticæ fit quid unum modo arcaniſſimo, ac ineffabili cum ipſa Deitate, ac omnibus divinis attributis, ſitque propterea Chriſtus ſecundùm humanitatem DEUS æternus omnipotens immenſus, conſequenter ubique locorum præſens, adeout potuerit ab initio ſuæ incarnationis eſſe ubique; ſed quia maluit pro nobis pati, ac mori, ut ſua morte nos vivificaret; ac ſui ſanguinis fuſione noſtras abſtergeret noxarum maculas, ideo quandiu vixit in hac mortali vita compeſcuit, ac coërcuit in ſe divina attributa ne ſuam proderent virtutem, ac vim; ne illius corpus eſſet impaſſibile, & ubique, ſed paſſioni obnoxium & in uno tantùm limitato, ac deſignato loco; quia verò poſt mortem, & reſurrectionem non amplius divina attributa in ſe transfuſa compeſcuit; & uſurpavit ut operarentur in ſuo corpore, & quia ex divinis attributis unum eſt omnipræſentia, ſeu ubiquitas, ideo tunc cœpit eſſe ubique; quamvis etiam ante reſurrectionem, & mortem potuiſſet eſſe ubique, ſi voluiſſet divinis uti attributis, & ubiquitate ſeu omnipræſentia. Quia verò in præcedenti capite impugnavimus hanc commentitiam æqualitatis majeſtatem, quâ humanitas Chriſti ex vi unionis hypoſtaticæ fit quid unum cum Deitate modo arcaniſſimo, ac ineffabili; nunc ipſam ubiquitatem impugnamus. Loquimur de ubiquitate circumſcriptiva corporis, & quidem de ubiquitate naturali, quæque fit juxta exigentiam naturalem in pluribus locis circumſcriptivè. Quia de potentia DEI abſoluta putârim non repugnare idem corpus poſſe circumſcriptivè eſſe in pluribus locis. Quod ſi dicas implicare idem corpus eſſe ſimul diviſum à ſe, & indiviſum à ſe: etenim quod eſt unum eſt indiviſum in ſe: ſed ſi idem corpus poneretur circumſcriptivè in pluribus locis, eſſet indiviſum in ſe; & rurſus eſſet etiam diviſum à ſe; quia correſponderet immediatè diverſis inter ſe diſſitis: quod enim eſt in ſe unum, ac indiviſum non poteſt concipi, quomodo ſine ulla ſui diviſione poſſit correſpondere pluribus locis inter ſe diſtantibus, ac illis diſtinctis, ac ſeparatis coëxiſtere, quin corpus ipſum ſeparetur.

Sed contra Reſpondetur primò per inſtantiam. de Fide eſt corpus Chriſti Domini eſſe unum, ac indiviſum in ſe, & nihilominus abſque ſui diviſione coëxiſtit pluribus locis inter ſe diſſitis ubi ſanctiſſima Euchariſtia, vel conficitur, vel aſſervatur; ergo de potentia DEI abſoluta poterit etiam idem corpus in pluribus locis circumſcriptive eſſe quin ſeparetur à ſe ipſo. Neque urget ſi dicas in Euchariſtia Chriſti corpus eſſe in pluribus locis diſſitis definitivè, & ſacramentaliter, non circumſcriptivè; quia ſufficit ſi una, ac eadem ſubſtantia quanta corporis ſit in pluribus locis diſtantibus ſervata propria unitate, ac indiviſione. Contra ſecundò, & reſpondetur directè diſtinguendo minorem: Unum ac idem corpus poſitum in pluribus locis diſſitis, ac ſeparatis eſſet indiviſum in ſe, & diviſum à ſe ſecundum diverſas rationes conceditur, ſecundùm eandem negatur: eſſet enim indiviſum ſecundùm entitatem propriam; diviſum verò localiter. Ratio à priori eſt quia corpus quantum habet propriam unitatem, ac indiviſionem ab entitate ſibi intrinſeca, non verò ab unitate loci, quæ eſt conſequens & extrinſeca. Ex eo igitur, quòd per pluralitatem, vel diviſionem locorum tollatur unitas, ac indiviſio loci; non inde ſequitur tolli unitatem, ac indiviſionem corporis quanti: ſicuti è converſo ex eo quòd duo corpora quanta habent diviſionem inter ſe à propria entitate ſibi intrinſeca, non ſequitur quòd ab ipſis tollatur diſtinctio, ſeu diviſio: & fiant quid unum individuum, non verò ſint amplius duo individua, per hoc quod ſupernaturaliter ſimul penetrentur in uno, eodemque loco: cujus ratio non alia aſſignatur, niſi quia unitas loci non opponitur pluralitati corporum, ſed tantum locorum. Firmatur, quia prius eſt corpus eſſe, ſeu exiſtere ſubſtantialiter, quàm eſſe in loco, quia eſſe in loco, eſt quid accidentarium corpori, quod non deſtruit eſſentiam, nec exiſtentiam corporis, quinimo illam neceſſariò

supponit. Sicut igitur pluralitas accidentium non officit unitati substantiæ, ac subjecti; ita nec pluralitas ubicationum debet officere unitati rei ubicatæ: ex quibus claret, corpus unum positum virtute divina in pluribus locis non esse divisum à se ipso substantialiter, & entitativè, sed tantùm localiter secundùm diversas præsentias.

Secundò potest opponi, quia quod est totaliter determinatum implicat posse ulterius determinari, quia esset & non esset realiter determinatum: sed corpus ab uno loco determinatur totaliter localiter: ergo repugnat etiam de potentia Dei absoluta posse ulterius determinari ab alio loco. Major & consequentia tenent. Minor ostenditur, quia locus est terminus rei locatæ, quæ tota quanta est intra ipsum. Firmari etiam ex eo potest, quia sicut unus ac idem effectus nequit totaliter dependere à duabus causis totalibus: ita neque poterit idem corpus simul esse, ac coexistere pluribus locis; quia adæquatè circumscriberetur ab uno loco, in quo totum corpus contineretur; & adæquatè non circumscriberetur, quia adhuc esset extra illum. Sed contra negatur minor in eo sensu, quo procedit quæstio scilicet de potentia Dei absoluta. Ratio est, quia corpus circumscribi à loco non importat unum corpus ita uni loco esse addictum, ut aliquando de potentia Dei absoluta esse non possit extra ipsum; si enim hoc de suo formali, & de sua essentia diceret; utique evinceretur repugnantia existendi in pluribus locis: sed corpus circumscribi à loco tantùm importat, corpus esse præsens loco commensurativè; scilicet quòd totum corpus toti loco respondeat; & secundùm partem sui parti loci, quâ commensuratione caret Spiritus; qui eatenus est tantùm in loco definitivè, quia est totus in toto, & totus in qualibet parte loci. Hinc quod corpus existat simul in pluribus locis circumscriptivè nulla sequitur contradictio; quia terminari corpus à loco ex vi præsentiæ, quam habet; est non se ulterius extendere; & quia hujusmodi præsentia est corpori valde extrinseca; adeo ut possit corpus esse sine tali præsentia ad corpus extrinsecum, ut si crearetur in spatiis imaginariis; vel si Deus detineret in medio aëre lapidem, & annihilaret totum circumambientem aërem; ideo sequitur has locales præsentias extrinsecas posse multiplicari, non multiplicata entitate rei locatæ; adeo ut una ac eadem entitas secundùm unam præsentiam correspondeat uni loco, secundùm aliam alteri; ex quo nulla oritur contradictio. Potest itidem aliter intelligi locus circumscriptivus esse adæquatus: primò ut sufficiat ad continendum totum locatum, nec possit ulterius aliquid continere sine penetratione: & in hoc sensu locus dicitur adæquatè terminare locatum, quia absque penetratione non potest aliam entitatem continere. Secundò potest locus dici adæquatus, quatenus sit talis, ut in illo solo possit poni corpus, cui dicitur adæquatus; & in hoc sensu est falsum, locum circumscriptivum esse adæquatum locato. Neque allatæ confirmationes officiunt, unà ac eadem responsione omnibus satisfit: quia ea se invicem excludunt, quæ formaliter, & æquivalenter sunt contradictoria; unde cùm unum eorum est negatio, vel infert necessariò negationem alterius; tunc illa duo nequeunt simul cohærere, ut sunt duæ causæ totales respectu ejusdem effectus: vel duæ substantiæ respectu ejusdem naturæ: sed una præsentia nec formaliter, nec æquivalenter opponitur alteri contradictoriè, ut liquet in Corpore Christi Domini, quod secundùm propriam entitatem est præsens pluribus locis, & corpus sic locatum, vel replicatum in pluribus locis novas tantùm acquirit præsentias in pluribus locis; ex hoc autem nulla sequitur contradictio. Ad id quod addebatur non posse idem existere simul diversis temporibus. Respondetur, esse discrimen; quia motus temporis utpote successivus se habet per modum fluxûs, ita ut cùm existit unum instans temporis, aliud non existat: ex quo defectu simultatis oritur impassibilitas coexistentiæ simultaneæ diversis temporibus. Sed duo loca sunt simul uno eodemque tempore, & possunt si aliunde non oriatur repugnantia ab eodem corpore replicato simul expleri.

Tertiò posset opponi, quia *ubi* per quod corpus est hic, nequit esse alibi, quàm hîc, quia est modus determinatus ad hunc locum: atqui corpus, quod est hîc si replicaretur alibi; idem *ubi* per quod corpus esset hîc; esset quoque alibi, quia cum tali corpore replicarentur omnia accidentia præsertim identificata, proinde replicaretur etiam hoc *ubi*, quod deberet fieri præsens alibi per aliud *ubi* superadditum, quod est impossibile captu, ac procederetur in infinitum: quo fit ut idem corpus non possit poni in pluribus locis. Firmari ex eo potest, quia si semel unum, ac idem corpus posset habere plura *ubi* possent hæc in infinitum replicari, & idem corpus posset circumscriptivè ubicari in locis infinitis, cùm non sit major ratio de uno, ac de alio. Sed contra respondetur per instantiam *ubi* per quod Corpus Christi est in cœlis non obstat, quo minus idem Corpus possit replicari in omnibus locis, in quibus Eucharistia conficitur: ergo neq; *ubi* per quod corpus collocatur hîc obstare debet, quo minus possit idem corpus in aliis locis collocari. Secundò respondetur directè negando minorem: Falsum est enim, quòd replicato corpore debeat etiam *ubi* quo est hîc replicari cum corpore. Ratio à priori desumitur ex eo, quia *ubi* quô corpus est in loco A. constituitur per præsentiam corporis in loco A. adeo ut connotet essentialiter locum A. cui sit essentialiter addictum: nec possit esse suum formale habere nisi in loco, quem respicit essentialiter, ex quo fit quod *ubi* addictum loco A. non possit alibi replicari. Ad confirmationem respondetur nullam sequi immensitatem in corpore ubicato in locis infinitis; quia hæc deberet oriri ut proprietas à principiis intrinsecis rei immensæ ut in Deo, cujus immensitas est attributum, seu proprietas divinæ naturæ; quæ per unicum *ubi* infinitum, ac essentiale omnia, & singula explet locorum spatia. Sed corpus ex eo quod replicaretur, tantùm poneretur in pluribus locis per plura *ubi* finita, ac limitata, ex quo nulla ei contingeret immensitas: neque hæc plura *ubi* convenirent corpori replicato ex intrinsecis suis principiis, quasi corpus illa ex natura sua exigeret: sed tantùm illi congruerent ex voluntate extrinseca DEI. Præterea immensitas convenit DEO essentialiter, adeo ut nullus possit locus excogitari, in quo Deus necessariò non sit per essentiam, potentiam, præsentiam: secus corpus replicatum non esset ubique essentialiter, sed contingenter.

Quartò posset opponi, quia extensio quantitatis in ordine ad locum fundatur in extensione in ordine ad se. Sed extensio quantitatis nequit esse bis extensa in ordine ad se: ergo neque in ordine ad locum. Firmari etiam potest, quia nequit multiplicari effectus secundarius formalis alicujus formæ, quia multiplicetur primarius. Sed contra quia tametsi ponatur corpus quantum in duplici loco non propterea multiplicatur illius extensio localis, sed

eadem ponitur in pluribus locis, eo pacto quo anima Christi anima et corpus eum in cœlo, tum in qualibet hostia consecrata in Eucharistia; absque eo quod dicatur multiplicari; Sed tantùm multiplicantur diversa *ubi*. Ad confirmationem respondetur falsum esse non posse effectum secundarium multiplicari non multiplicato primario; quia cùm bi effectus distinguantur; & unus fine alterius consortio possit existere: ita extensio quantitatis in ordine ad locum est ejus effectus secundarius; & tamen Christi Domini Corpus sub speciebus Eucharisticis non habet extensionem in ordine ad locum, licèt habeat effectum primarium quantitatis.

Quartò posset inferri impossibilitas corporis in pluribus locis ex pluribus absurdis, quæ inde sequerentur. Primò quia unum, ac idem corpus commensuraretur cuilibet loco, & non commensuraretur: siquidem commensuraretur, quia secundùm partem sui correspondet parti loci, & secundùm se totum toti loco: tot sus non cōmensuraretur, quis cùm esset in alio etiam loco excederet primum. Secundò quia cresceret, ac multiplicaretur effectus formalis sive forma: etenim quantitas est forma, & ratio formalis existendi in loco circumscriptivè, quæ non multiplicaretur cùm poneretur idem corpus in pluribus locis, & tamen ejus effectus formalis multiplicaretur. Tertiò quia corpus minus esset majus majore: nam corpus palmare replicatum in quatuor locis esset magis extensum, consequenter, & majus corpore bipalmari; imò esset majus se ipso, quia pluries replicatum posset poni juxta se. Verùm ad has sequelas tenetur respondere quilibet Catholicorum. Posita replicatione Sacramentali ejusdem corporis Christi Domini in variis locis, in quibus conficitur Eucharistia, & sub speciebus Eucharisticis ponitur definitivè Corpus Christi, posset æquè argui idem met Corpus Christi definiri in uno loco, & non definiri in aliis; eò quia definitivè in alio quoque reperiatur. Rursus effectus formalis existendi in loco definitivè cresceret fine ullo augmento rationis formalis, seu illius virtutis, per quam formaliter existit corpus definitivè in loco. Præterea quòd corpus minus, seu minoris virtutis ad existendum definitivè in loco, esset majus, seu majoris virtutis corpore majore, quia replicatum correspenderet pluribus locis, quibus non correspenderet corpus majus non replicatum, sed respondetur directè ad primam sequelam corpus replicatum circumscriptivè in pluribus locis non excedere ullum ex his locis, quia in unoquoque eorum corpus habet eandem prorsus dimensionem, cùm sit idem numero, & excessus quantitativus non datur inter ea, quæ habent partes æquales. Quod si dicas corpus circumscribi totaliter ab uno loco, consequenter non posse ulterius circumscribi ab alio loco, alioquin à primo non circumscriberetur totaliter, Contra est, quia corpus circumscribi totaliter à loco nihil aliud importat, quàm locum continere intra se totum locatum, quoad suas partes simpliciter, non verò quod ulterius non sit in alio loco: cùm uterque locus contineret omnes, & singulas partes locati, uterque illud circumscriberet totaliter: etenim etiam anima rationalis est tota in capite, & tota in corde, ac pede. Quod si corpus circumscribi totaliter à loco intelligatur esse idem, ac locum continere totum locatum simpliciter præscindendo ab eo, quod ulterius idem corpus possit esse in loco, verùm est, unum, ac idem corpus posse totaliter ei circumscribi quoad entitatem ab utroque loco. Sin verò circumscribi totaliter ab uno loco importet locum ita continere intra se totum locatum, ut hoc non possit in aliis locis poni; in hoc sensu falsum est, unum locum posse adæquatè circumscribere locatum in ordine ad potentiam DEI absolutam. Cæterum corpus, quod est in pluribus locis circumscriptivè est æquale tum uni loco, tum pluribus: uni loco dicitur æquale, quia æqualem habet extensionem quantitativam: est etiam æquale pluribus locis, quia est virtualiter multiplex. Non enim repugnat, aliquid uni loco adæquari, & non adæquari sub diversa ratione: corpus replicatum in pluribus locis est æquale uni quoad realem entitatem, non verò virtualiter, quia ulterius poni potest in aliis locis. Ad secundum, falsum est, quantitatem esse rationem formalem, quâ corpus est in loco; siquidem ratio formalis existendi in loco est solum *ubi*; propterea perseverante eadem numero quantitate possunt in ipsa multiplicari diversæ præsentiæ, seu diversa *ubi* intrinseca. Ad tertium negatur corpus replicatum esse majus corpore majore se, aut æquale, aut majus se ipso. Quia majoritas, minoritas, & æqualitas attenduntur penes distincta, & corpus replicatum non distinguitur à se ipso, quia præter propriam entitatem non dicit aliud, quàm plura *ubi*. Firmatur à pari; quia etiam locus extrinsecus si in ipso divinitus duo corpora penetrentur; est æqualis cuilibet seorsim capto, & utrique simul, & tamen idem locus non est major, nec minor seipso. Posset etiam responderi corpus positum in pluribus locis quoad officium replendi locum æquivalere duobus corporibus, eo quia habeat in pluribus locis eandem extensionem, & in uno non occupar majus spatium quàm in alio.

Constat igitur, nullam posse implicantiam assignari, cur de potentia Dei absoluta non possit idem corpus poni in pluribus locis; tametsi naturaliter non possit id contingere ob limitatas dimensiones corporis humani quod non potest ultra ipsas se extendere. Eo autem ipso quod idem corpus sine repugnantia potest esse in pluribus locis, eadem ratione sine repugnantia potest de potentia DEI absoluta esse in omnibus locis. Et quamvis aliqui ex Sanctis Patribus senserint, & docuerint, ubiquitatem, seu esse in omnibus locis esse proprietatem filius DEI, id tamen non obstat, quia per ubiquitatem, seu omnipræsentiam Sancti Patres intellexerunt immensitatem, provenientem intrinsecè à divina natura à qua ut proprietas metaphysicè intelligitur fluere; hæc autem omnipræsentia, qua corpus esset ubique; esset extrinseca, & proveniret ab extrinseco seu voluntate Dei, & non esset proprietas ulla, quæ metaphysicè oritur à natura ejusdem corporis; ex doctrina Sanctorum Patrum omnipræsentia est duplex una oriens ex intrinsecis prædicatis naturæ, & dicitur naturalis; alia proveniens ab extrinseco à Dei voluntate operantis supra naturæ leges, & dicitur supernaturalis: omnipræsentiam naturalem docent Sancti Patres esse propriam ipsius Dei D. Ambrosius lib. de Spiritu Sancto cap. 7. Hieronymus, & Cassiodorus in illud Psal. 138. *Quò ibo à spiritu tuo?* Ex eo divinitatem Spiritus Sancti probant, quia sit ubique, quia nulla creatura potest ubique esse ab intrinseco sui, ut omnipræsentia sit ejus proprietas fluens metaphysicè à prædicatis intrinsecis naturæ ipsius creaturæ.

Hæc sententia ita explicata consonat Sacris

Scripturis; ubi habetur, Christum Dominum à die Ascensionis usque ad mundi finem sedere in cœlis ad dexteram Patris Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*, & postea subditur: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*; ut nobis innotesceret ad dexteram DEI Christum esse sessurum, & nunquam inde discessurum usque ad finem mundi, ut expendit D. Augustinus relatus in cap. 1. hæresis de consecrat. disp. 2. *Donec finiatur sæculum sursum est Dominus.* Hinc Act. 3. de Christo dicitur: *Quem oportet Deum suscipere usque ad tempus restitutionis omnium*: Sed constat tempore interjecto ab Ascensione ad finem mundi plutties apparuisse in terris ut referunt Scriptores Ecclesiastici inter quos Suarez *Tom. 3. in 3. part. disput.* 48. *Sect.* 4. Ergo simul, & semel Christus fuit sedens in cœlo, & in terra circumscriptivè. Egesippus etiam refert Romæ Christum Dominum bajulantem Crucem apparuisse Petro Apostolo, eique dixisse se Romam adire, ut iterum crucifigeretur. Nituntur Adversarii pluribus responsionibus satisfacere hisce apparitionibus, respondent alii Christum post Ascensionem cum sua reali, & invisibili existentia adfuisse subinde in terris, negant tamen tunc temporis cœlo adfuisse. Sed contra, quia hæc responsio apertè contradicit Sacræ Scripturæ dicenti Actor. 3. de Christo. *Quem oportet cælum suscipere usque ad tempus restitutionis omnium*, ergo non deseruit cœlum, nec illic adesse cùm in terris apparuit. Alii respondent id temporis adfuisse quidem cœlo, sed negant in terris apparuisse in vera, ac reali sua existentia: asserunt enim apparuisse quidem sed per solam visionem, ac præsentiam imaginariam, ut creditur contigisse cùm in somniis visus fuit à Sancto Martino. Alii respondent Christum apparuisse quidem in terris, sed tantùm per extrinsecam repræsentationem in corpore aëreo, & ita putant se præsentem exhibuisse pluribus Sanctis Brigittæ, & Catharinæ Senensi, & aliis pluribus. Sed contra, quia ambæ responsiones aditum aperirent Novatoribus æquè asserendi Corpus Christi sub speciebus Eucharisticis esse tantùm per imaginariam præsentiam, non verò per propriam realem entitatem. Rursus non sunt extorquendæ Scripturæ in sensus non obvios, & obliquos, quando possunt commodè explicari sensu litterali, & non repugnat posse idem corpus circumscriptivè poni virtute divina, & supernaturali in pluribus locis.

Huic sententiæ etiam adhærendum puto ob authoritatem Sanctorum Patrum id ipsum docentium Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio sub initium loquens de Christo ait: *O miraculum, ô DEI benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, & in ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur.* D. Basilius in Liturgia Christum alloquitur: *Veni ad sanctificandum nos qui sursum Patri consides, & hic dignaris nobis impertiri sacrosanctum tuum corpus.* Hugo Victorinus lib 3. de Sacramenti, part. 8. cap. 11. ait; *Dices mihi, quomodo corpus unum eodem tempore in diversis locis esse possit?* & subdit: *Noli mirari; qui fecit corpus, & fecit locum in corpore, & corpus in loco, & qui fecit ut unum corpus uno in loco esset, fecit sicut voluit, & si aliter voluisset, aliter facere potuisset.* Demum addit: *Cogita facientem & desinet esse mirabile vel incredibile non erit.* Demum D. Augustinus epist. 3. ad Volusianum scribit: *Miratur hoc mens humana, & quia non capit, fortasse non credit.* Sed respondebis ex his Sanctis Patribus tantum colligi, unum ac idem corpus posse circumscriptivè esse in uno loco, & sacramentaliter in pluribus ut liquet in corpore Christi Domini in cœlo, & sub speciebus Eucharisticis, non verò deduci posse idem corpus circumscriptivè esse in pluribus locis, sed contra quia si inde infertur esse in uno loco circumscriptivè, & in pluribus sacramentaliter à fortiori necesse est, inferatur, posse etiam circumscriptivè esse in pluribus locis: siquidem difficilius est idem corpus esse circumscriptivè in uno loco, & sacramentaliter in alio, quàm esse circumscriptivè in utroque, & quia Corpus Christi est circumscriptivè in cœlo, & sacramentaliter sub speciebus Eucharisticis, à fortiori poterit esse circumscriptivè in cœlo, & in plerisque aliis locis. Major ostenditur, quia difficilius est corpus poni in loco præter modum naturæ suæ convenientem, quàm secundùm modum sibi proprium, & connaturalem: siquidem ad primum requiritur novum miraculum præter existere in duplici loco, scilicet ulterius existere præter modum sibi connaturalem nimirum definitivè, & sacramentaliter: Hoc autem novum miraculum existendi in loco definitivè non requiritur, si corpus ponatur in pluribus locis circumscriptivè ex hypothesi quod aliunde non adsit repugnantia, quam demonstravimus non adesse. Præterea huic sententiæ adhærendum est propter historias sacras, & Ecclesiasticas: Siquidem nil magis possibile est, quàm quod de facto contingit vel aliquando obtigit, tunc enim veluti ab evidenti signo deprehenditur necessariò ejusdem rei possibilitas: sed de facto replicatio unius, ac ejusdem corporis in pluribus locis circumscriptivè contigit. De Sancto Ambrosio legitur, quòd simul fuerit Mediolani, & simul Turonæ interfuerit funeri Sancti Martini; de Sancto Antonio de Padua refertur in ejus legenda eodem tempore adfuisse Choro ubi divinas Laudes cum suis Religiosis persolvebat, & Curiæ, ubi causam proprii genitoris patrocinabatur. Ratio itidem à priori est, quia corpus quantum non dicit essentialiter esse in loco circumscriptivè, cùm Corpus Christi sit de facto sub speciebus Eucharisticis sine hac loci circumscriptione, ergo esse in loco circumscriptivè est accidens, quòd potest adesse, & abesse præter destructionem corporis: sed quod est independens ab alio, ita ut possit simpliciter esse sine illo non videtur posse exigere, ut existat, quod tale aliud non multiplicetur: ergo circumscriptio localis potest in eodem corpore multiplicari. Præterea quia non minus potest DEUS convertere substantiam panis, in substantiam corporis Christi, quàm quantitatem panis in quantitatem Corporis Christi: sed si hoc secundum efficeret Corpus Christi poneretur in pluribus locis circumscriptivè, ergo de potentia DEI absoluta potest idem corpus circumscriptivè locari in pluribus locis.

Quamvis tamen Christi humanitas possit divinitùs poni ubique, seu in omnibus locis virtute divina supernaturali, non tamen hæc ubiquitas illi de facto competit, adeo ut hæreticum sit asserere Christi humanitatem ex vi, & efficacia unionis hypostaticæ esse ubique in omnibus locis: hæc enim ubiquitas competit naturaliter soli Deitati, & divinæ essentiæ, cujus est proprietas à qua metaphysicè fluit secus humanitati non potest convenire

nisi

nisi ab extrinseco seu à divina voluntate, quatenus per virtutem supernaturalem potest illam ubique ponere. Ratio cur hæreticum sit asserere Christi humanitatem esse ubique est, quia recedere à proprio & perspicuo sensu divinæ Scripturæ, ac doctrinæ omnium Patrum est hæreticum: eò quia perinde est, ac negare sacras Scripturas, & fidei articulos: sed Ubiquetarii asserentes Christi humanitatem esse ubique locorum recedunt à proprio, & perspicuo Scripturæ divinæ sensu, & doctrinæ omnium sanctorum Patrum, consequenter eorum dogma est hæreticum. Major est certa, quia si hujusmodi licentia concederetur, nihil omnino ex divinis Scripturis posset in Ecclesia probari, & retineri tanquam certum, & indubitatum; & ut docet Augustinus, & cum ipso alii sancti Patres Scripturæ quoties commodè possumus intelligendæ sunt in sensu proprio, consequenter multo magis debent illæ intelligi planè & propriè, quæ aliter intelligi non possunt, nisi recurratur ad aliquod fictitium miraculum. Minor etiam ostenditur, quia plura habentur sacræ Scripturæ testimonia, quæ in sensu obvio plano, & proprio clarissimè significant Christum etiam post resurrectionem, abfuisse simpliciter ab aliquibus locis ut hominem non minus certè, quàm abest quispiam alius homo à loco, unde discedit, in quo nullo modo dicitur manere, nec ibi esse præsens secundùm substantiam propriam: si enim Petrus existens nunc in loco A, discedat ab eodem loco, ac pergat ad locum C. tunc certum est nos judicare in sensu obvio, proprio, & plano Petrum non esse amplius in loco A. sed in loco C. & si diceremus esse in utroque loco falsitatis statim redargueret, & quid absereret, quod esset contra experimentum: atqui Ubiquetarii contra planum, ac proprium perspicuumque scripturarum testimonium afferunt per hunc motum localem Christum non mutasse locum; & licèt ad eludendum argomentum respondeant mutare quidem locum secundùm physicam conditionem sui corporis, non secundùm majestatem, quam fingunt unionis hypostaticæ, quia per hanc majestatem, quam superius ostendimus non potuisse una cum divinitate ita humanitatem Christi afficere, ut hæc verteretur in deitatem, & majestatem, cujus proprietas cùm sit immensitas est etiam ubique: Dicunt enim secundùm majestatem esse post resurrectionem arcanissimo & ineffabili modo Christi humanitatem præsentem in omnibus locis, perinde ac ipsa deitas, quod dogma recedit à plano, & proprio, ac perspicuo divinæ scripturæ sensu, & negat testimonia scripturarum sole meridiano clariora etenim Marci 16. dicitur: *Surrexit, non est hìc*, si non est in sepulchro, utique simpliciter abest consequenter non solùm secundùm conditionem physicam, sed etiam secundùm majestatem tunc abfuit à sepulchro. Marci 16. *Et præcedet vos in Galilæam*, si præcedit non est simul in eodem loco cum discipulis, quos præcedit, alioquin ipsos non præcederet, sed simul esset cum illis Joan. 14. *Et vado parare vobis locum, & si abiero, iterum veniam*: abire autem perinde est ac relinquere priorem locum, & ad alium procedere, ut etiam venire in sensu proprio significat novum locum acquirere, in quo antea non erat Joan. 20. *Et venit Jesus januis clausis, & stetit in medio*: quòd si venit, ergo quia antea ibi non erat, alioquin non venisset, Matth. 28. *Et accedens Jesus dixit eis: pax vobis*, scilicet accessit ad discipulos per acquisitionem novi ubi, quo præsens factus est suis discipulis, quibus & pacem fuit apprecatus Luc. 24. *Et intravit cum eis*; si intravit, ergo antea non erat intus consequenter occupavit novum locum, in quo antea non erat, & ibidem etiam habetur, *cùm benediceret eis, recessit ab illis*: hoc est, se subduxit deserens locum illum, in quo amplius non stetit Actor. 1. *Ferebatur in cœlum & videntibus illis elevatus est*. Quòd si ferebatur in cœlum non amplius quoad humanitatem mansit in terris, cùm & Apostoli viderint Christi humanitatem elevatam in cœlum, hinc etiam Angeli testes hujus ascensus asseruerunt: *Hic Jesus, qui assumptus est, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*: hæc & pleraque alia scripturarum testimonia procul dubio propriè, ac perspicuè ostendunt, ac significant Christum secundùm humanitatem non fuisse ubique, sed transisse de loco in locum, id enim ostendunt verba illa accedere, recede e, ire, venire, intrare, abire, elevari, ferri, ascendere, significant enim propriè, & clarè absentiam ab unò loco, & novam præsentiam in alio. Hinc Ubiquetarii ponentes Christi humanitatem ubique locorum inficiantur fidei articulum, suæ ascensionis; quia si est ubique, jam non ascendit, siquidem ascendere propriè est sursum elevari ad locum, in quo non erat, unde Ubiquetarii revera negant articulum ascensionis, & symboli Apostolici. Neque dicunt Christum ex discipulorum oculis sublatum fuisse, sed illis disparuisse: & cœlos, in quos ascendit, ajunt esse commentitios, ac Theologicos, eò quia à Theologis assertos cùm Christi humanitas sit præsens in locis omnibus, ubi præsens adest divinitas; quod est contra sensum sanctorum Patrum, & totius Ecclesiæ, quæ per totum orbem confitetur Christum ex monte Oliveti verissimè ad cœlum usque, quod supra nos est ascendisse, & ibi omnino consedisse, ut etiam nunc sedet ad dexteram Patris, scilicet potestate judiciaria, ac regia, ac bonis Dei Patris perenniter gaudere, ac tutè perfrui, ut D. Augustinus interpretatur illam sessionem, qua Christus dicitur sedere ad dexteram Patris *lib. de fide, & symbolo cap. 7. Credimus*, ait Augustinus: *Christum in cœlum ascendisse, quem beatitudinis locum etiam nobis promisit dicens: Erunt sicut Angeli in cœlo*: & paucis interjectis ostendit, quomodo corpora terrena in illam cœlorum puritatem, & stabilitatem possint inferri, subdit: *sed ubi & quomodo sit in cœlo corpus dominicum curiosissimum, & supervacaneum est, quærere: tantummodo in cœlo esse credendum est*, perinde extorquent effata sanctorum Patrum, & negant eorum perspicuas doctrinas sicut Scripturas corrumpunt, ac pravè intelligunt. Neque eorum argumenta ullius sunt momenti, asserunt enim ex vi unionis hypostaticæ modo ineffabili & arcanissimo in assumptam humanitatem transfusam fuisse ipsam Deitatem, consequenter & omnia Dei attributa, é quibus unum est omnipotentia, & ubiquitas; Verùm id quam falsum sit superiùs evicimus: aliud enim est Deitatem esse hypostaticè unitam Christi humanitati; & aliud Christi humanitatem ex vi unionis modo arcanissimo, & ineffabili fuisse mutatam in Deitatem. Ostendimus enim Christi humanitatem semper fuisse cum suis propriis prædicatis constitutivis humanitatis, in esse naturæ humanæ, adeo ut omnipræsentia non sit proprietas meraphysicè fluens ab humanitate sicut est proprietas Deitatis: licèt humanitas Christi possit de potentia Dei absoluta esse ubique, ut superiùs ostendimus, non tamen hæc ubiquitas esset ejus proprietas, nec oriretur à principiis intrinsecis ejusdem, sed tantùm ei obtingeret ab extrinseco, seu à Dei voluntate: alioquin si ubiquitas ab intrinseco conveniret Christi humanitati non tantùm post resurrectionem, sed

sed etiam à primo instanti suæ incarnationis fuisset ubique, quia proprietas uns eùm natura ra ponitur ad cujus prædicata essentialia sequitur, nec potest à natura, cujus est proprietas sejungi: Christum verò à primo instanti suæ incarnationis fuisse secundum humanitatem ubique pugnat cum articulo fide, seu cum ipsius nativitate ex utero Virginis: siquidem ut habetur in symbolo dicitur Christus natus de Virgine Maria, rursus etiam pugnat cum perspicuis Evangelii locis *Matth.* 4. 8. 12. 14. 16. ubi constat Christum secundùm humanitatem passim ex uno loco in alium commigrâsse, & alicubi abientem fuisse. Tum quia Joan. 2. ait Christus suos alloquens discipulos: *Gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi*, ex quo textu Patres in altera Nicæna Synodo probaverunt Christi corpus non esse ubique præsens, sed uno aliquo in loco fuisse circumscriptum.

Secundum Ubiquetariorum argumentum est, quia Christi humanitas & est, & subsistit in persona Verbi divini, ex quo inferunt Christi humanitatem esse necessario ubicunque est persona Verbi divini: atqui Verbum divinum, quia sibi identificat Deitatem procul dubio est ubique propter immensitatem, ergo etiam humanitas, alioquin esset in aliquo loco persona Verbi divini, in quo non esset humanitas. Sed contra negatur consequentia, quia ut humanitas intelligatur subsistere per subsistentiam Verbi divini sufficit, si Verbum divinum sit, ubi est ipsa humanitas: non verò è contra, necesse est, ut humanitas sit, ubicunque est Verbum divinum & ipsa Deitas immensa identificata cum Verbo. Humanitati finitæ, & limitatæ unus sufficit locus, ut à præsente sibi Verbo divino subsistentiam accipiat: sicut ut pes subsistat suo modo per animam, sufficit eidem, ut ubi pes est, ibi sit etiam anima, & non est necesse, ut pes sit, ubicunque est anima, alioquin deberet pes esse in capite, in pectore, in manu: pari pacto, ut nos sistentemur, & conservemur virtute divina satis est, si virtus Dei ibi sit, ubi & nos sumus, non è contra necesse est, ut nos simus, ubicunque est Deus: hoc argumentum petitum ab analogia multum obtinet roboris ad explicandum, quomodo Christi humanitas licèt hypostaticè unita Verbo divino non sit necesse, ut sit, ubicunque est Verbum divinum, sed satis est, si divinum Verbum sit, ubi est Christi humanitas: estque hoc argumentum desumptum ex D. Augustino epist. 57. de præsentia divin. ad Dardanum quæst. 1. ubi respondens ad hoc argumentum Ubiquetariorum in forma ait: *Non est consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus: nam & de nobis veracissima Scriptura dicit, quod in illo vivimus, movemur, & sumus; neque tamen sicut ille ubique sumus: sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter Deus in illo homine proprio quodam & singulari modo. Una enim persona Deus, & homo est, & utrumque & unus Christus: ubique per id, quod Deus est, in cælo autem per id, quod homo est.* Hinc liquet Augustinum non solùm ivisse inficias Christi humanitatem esse ubique naturaliter sicut ipse Deus, ut nituntur Ubiquetarii verba Augustini detorquere ad proprium dogma firmandum, ait enim Augustinus humanitatem Christi nullo modo ubique præsentem esse; quamvis Deus sit nobis præsens, non tamen ullo modo sumus & nos præsentes, ubi adest Deus, tametsi dicamur esse vivere, & moveri. Instant tamen Ubiquetarii, quia tametsi membrum aliquod determinatum non sit, ubicunque est anima, adhuc tamen ubicunque anima est, necessario est illud corpus, cui ipsa est unita, idque propterea quia ex anima & corpore (tametsi non solis) constituitur etiam hypostasis; & similiter, ubicunque est personalitas seu subsistentia nostra, ibi est etiam nostra humanitas, quamvis ex utroque fiat una persona, atqui non minus ex subsistentia Verbi, & humanitate Christi constituitur una quædam hypostasis & persona, ex quo inferunt ibi necessario esse Christi humanitatem, ubicunque est subsistentia Verbi.

Sed contra negatur major, quia causa, cur ubi est anima, ibi sit etiam corpus, & cur ubi est subsistentia nostra, ibi sit etiam nostra humanitas, non est, quia ex corpore, & anima, & ex subsistentia nostra & humanitate constituatur una hypostasis & persona, ut supponunt Ubiquetarii, sed id provenit propriè ex ea, quòd id exigit singularis conditio animæ, & subsistentiæ nostræ, cùm enim anima naturaliter est propria forma sui corporis, & subsistentia nostra sit etiam naturaliter ad id facta, ut terminet hypostaticè naturam tantùm nostram, inde oritur: quòd nec anima ultra proprium corpus, neque subsistentia nostra ultra propriam naturam se se possit extendere, inde fit ut corpus non quia in eadem hypostasi sustentatur ab anima, sed quia ejus conditionis est anima, ut sit corpus ubicunque est anima, unde natura nostra non quia sustentatur à nostra subsistentia; sed quia subsistentia nostra talis est, ut sit, ubi est natura nostra, & è converso natura etiam sit, ubicunque reperitur nostra subsistentia: id autem non valet de natura humana in Christo, & Verbo divino cui hypostaticè unitur, est enim longè dispar ratio, quia natura nostra, & subsistentia simul commensurantur, & anima itidem cum corpore, quia utrumque extremum est finitum, & limitatum, & eorum unum exigit alterum; secus perfectio quæ inest subsistentiæ Verbi ad determinandam naturam aliquam hypostaticè est simpliciter infinita, neque naturaliter est tantùm ad eum finem, ut humanitatem sustentet, sicut ad eundem finem est anima nostra, ut corpus animet, & subsistentia nostra, ut naturam terminet, hæc enim exigentia est causa, ut ubi est corpus animatum, ibi sit tota anima, & ubi subsistit natura nostra, ibi sit subsistentia creata, quæ cùm sit finita, & limitata, tota commensuratur naturæ humanæ.

Secus subsistentia divina utpote infinita latiùs patet quàm Christi humanitas, proinde ibi esse potest, ubi non est humanitas. Quamobrem nihilest, unde possit deduci, ibi esse humanitatem, ubicunque est Verbi subsistentia. Non enim hoc inde propriè colligitur, quia humanitas Christi sustentetur, à subsistentia in unitate personæ; siquidem id optimè ex eo tantùm intelligitur, quòd ubi humanitas est, ibi etiam sit Verbi subsistentia. Neque conditio subsistentiæ Verbi est qualis illa animæ & nostræ subsistentiæ, ut exinde pariter deduci possit, ibi esse humanitatem, ubicunque est Verbum. Hoc idem potest explicari exemplo non cum unione animæ, & corporis, neque etiam cum unione subsistentiæ nostræ, ac nostræ naturæ, sed cum unione animæ, & certi alicujus membri ut etiam exemplo nostræ subsistentiæ, & membri alicujus per eandem subsistentis, quia sicut anima ita unitur alicui speciali corporis nostri membro, quod animal, ut ulterius etiam extendatur ad reliqua omnia corporis

nostri

nostri membra, quæ omnia animat, & quibus itidem unitur: ita Verbum divinum unitur quidem humanitati Christi, sed quia Verbum ob infinitatem habet aliam longè majorem extensionem, potest plures alias naturas reddere subsistentes, ac esse in pluribus aliis locis, in quibus non sit Christi humanitas, quæ propterea ex unione hypostatica cum Verbo divino non potest argui esse ubique. Ut enim membrum aliquod & sustentatur, & exceditur ab anima, & à subsistentia nostra: sic etiam humanitas sustentatur, & exceditur à Verbi divini subsistentia, unde ratione excessus non est necesse, ut ubicunque est subsistentia Verbi, ibi etiam sit Christi humanitas. Insistunt tamen sophisticè & pervicaciter, & ita argumentantur: Filius DEI ubique est homo, ergo ubique est etiam ejus humanitas. Sed negatur consequentia, quia tantùm sequitur, quòd Filius DEI, ubique est quamvis hypostaticè, sustentet humanitatem, quæ nonnisi alicubi existit. Præterea ut Filius DEI ubique sit homo, non est necesse, ut ubique sit ejus humanitas; sed sufficit, si ubique sit habitudo quædam Filii DEI ad humanitatem veluti sustentantis hypostaticè ad rem sic sustentatam: Sicut ut anima dicatur animare aliquod membrum corporis sufficit, si ubicunque est tale membrum, sit etiam anima; non verò quòd hæc non sit etiam in aliis membris, corroborant nihilominus Ubiquetarii suum dogma aliquibus scripturæ locis, cujusmodi sunt. *Ego nobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Ubicunque sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio illorum. Dominare in medio inimicorum tuorum. Ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia*, verùm hæc & alia hujusmodi scripturarum loca non favent Ubiquetariis. Ad primum respondet D. Augustinus tract 50. in Joan. Christum esse nobiscum usque ad consummationem sæculi secundum majestatem divinitatis, non secundùm conditionem humanitatis, quatenus Deitatis proprium attributum est immensitas; non verò secundum humanitatem, cujus proprietas est limitatio, ac esse in uno loco circumscriptivo, & nun simul in alio, nisi de potentia DEI absoluta. Præterea Christus dicitur esse nobiscum secundùm providentiam, & invisibilem suam gratiam: non ita secundum carnem, & humanitatem, cum dicat Christus Matth. 26. *Me autem non semper habebitis.* Deinde posset commode responderi, promissionem illam, *ego vobiscum sum &c.* verificari sufficienter per Christi præsentiam in Sacramento Eucharistiæ; erit enim ibi præsens, ait Apostolus 2. Corinth. 11. *donec veniat*: hæc enim præsentia à Sanctis Patribus asseritur. Alia scripturarum loca intelliguntur de Christi præsentia secundùm divinitatem, vel secundùm gratiam, vel providentiam, vel spirituale regnum, atque virtutem, quæ ad omnia se extendit. Quod vero asserant: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio illorum:* inde non sequitur, Christi humanitatem esse ubique; quia si est ubi duo, vel tres sunt congregati; ergo sequitur, ibi non esse, ubi in nomine suo duo vel tres non sunt congregati; proinde sequitur, non esse ubique. Illud etiam Apostoli, ubi Christus dicitur ascendisse super omnes cœlos, *ut impleret omnia*, id tribuitur de virtute Christi, qui ascendens in cœlum, suam in terris Ecclesiam opplevit omnibus bonis: Hinc. S. Cyprianus lib. 9. in Joan. ait: *Credere oportet fideles, quamvis à nobis Christus tempore absit, virtute tamen sua omnia, & nos gubernari:* quòd si quando nobiscum in terris conversabatur, tunc etiam cœlos implebat, & Angelorum consortia non relinquebat: ita nunc, cum sit in cœlis cum carne, terram tamen replet sua virtute, protectione, gratia, suisque donis. Præterea ut scitè explicat D. Thomas *lect. 3. in Epist. ad Ephes.* dicitur Christus implere omnia, quatenus adimplevit, & peregit omnia, quæ de ipso scripta sunt, è quibus unum fuit ipsa ascensio in cœlum post resurrectionem à mortuis: & suam Angelicus Doctor firmat explicationem, quia Christus Luc. 14. eadem utitur dicendi phrasi, inquiens: *Oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege, & Prophetis, & Psalmis de me*; ac si diceret, ideo natus sum pauper ex Maria Virgine, adolevi, persecutiones sustinui, fugi in Ægyptum; passus sum cruci affixus, & mortuus, deinde resurrexi, & ascendi in cœlum, ut implerem omnia, quæ de Filio hominis scripta fuerunt à Prophetis, & in Psalmis. Alia etiam ex scripturis adferunt, ad corroborandum suum dogma; præsertim quia nunc Christus sedet in cœlis ad dexteram æterni Patris: per hanc dextram intelligunt DEI omnipotentiam, atque immensitatem, quæ est ubique: ergo ex eo, quòd Christi humanitas sit ad texteram Patris, est immensa, & ubique. Sed nec hoc eorum favet dogmati: quia tametsi per dexteram intelligamus divinitatem, & potentiam; non tamen inde sequitur, quòd Christi humanitas fiat Deitas in se, ac sit ipsa omnipotens, immensa, & ubique. Dicitur Christus in cœlis sedere ad dexteram Patris, quatenus divinam obtinet majestatem, non ut secundùm naturam humanam sit omnipotens, immensus, & ubique; sed ut per plenitudinem divinitatis subsistat. Tandem argumentantur, quia Rector, & Gubernator, ut ritè gubernet, ac regat, debet cognoscere quos reget, & gubernat: & non potest eos regere, nisi adsit præsens: sed Christus regit, & gubernat suas oves, & non posset eas cognoscere, nec regere, nisi esset præsens iisdem: ex quo inferunt, Christum esse ubique. Sed contra hoc argumentum est cæteris imbecillius: etenim Sancti in cœlesti Patria cognoscunt res nostras, quamvis absentes: quanto magis eos cognoscet Christus, quamvis absens, licèt secundum humanitatem nobis minimè præsens, cui non deest scientia infusa. Christus igitur, quia ex duabus coalescit naturis, divina, & humana; secundum naturam divinam habet majestatem divinam, æqualem suo Patri est infinitus, omnipotens, æternus, immensus, ubique præsens: secundùm naturam humanam habet etiam dignitatem eximiam secundùm Deum, ac prorsus singularem; sed quæ hominis possit esse dignitas, non quæ sit propria Dei; ideóque Christi humanitas non est Deitas, neque Deus, infinitus, omnipotens, immensus, & ubique locorum: bene tamen Christus intelligendo de Christi persona dicitur Deus infinitus, omnipotens, immensus, & ubique: secundum humanitatem est etiam tantæ majestatis. quanta continetur in Redemptore, Mediatore, Sacerdote secundùm ordinem Melchisedec, Propheta, Rege, Legislatore, Doctore, ac Judice; hæc siquidem omnia est Christus ut homo, qui omni dignitate insignitus; omnibus donis, & gratiis cumulatus, cujus anima æterna donatur beatitate; imò & ejus corpus post resurrectionem: hæcque est illa Christi Majestas, quam Ecclesia Catholica fatetur inesse Christo, de qua Apostolus ad Philip. 2. loquens ait: *In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium terrestrium, & inferorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est DEI Patris.*

C A P U T V.

Refertur, & refellitur error Sacramentorum.

Quemadmodum Ubiquetarii Christi Domini humanitatem ubique præsentem esse asseruerunt: ita è contra Sacramentarii in alium impegerunt errorem oppositum, contendentes Christi humanitatem in cœlo duntaxat esse: & quamvis Sacramentarii, & Ubiquetarii suis sint perniciosissimis sententiis extremè dissidentes, ambo tamen in una eademque unione hypostatica fundantur, quâ duæ naturæ divina, & humana mediante persona divina simul copulantur. Sicut ubiquetarii ex hac hypostatica unione personæ divinæ cum humanitate, asserunt communicari naturæ humanæ omnem plenitudinem divinitatis, ut ad parem præstantiam & majestatem evehatur cum Deo, sibique Deitatem, & omnia divina attributa identificet, inferunt Christi humanitatem, utpote immensam beneficio personæ divinæ esse ubique præsentem sua majestate; non secus quam divinitas. Ita è converso Sacramentarii ex eo, quòd natura humana ita sit divino Verbo hypostaticè unita, ut nihilominus ex vero, ac reali suo corpore constet, ac veri corporis humani retineat proprietates, ac naturalia attributa, inferunt non posse, nisi in uno tantùm loco existere perinde ac alia corpora; neque extra illum usquam esse ullo modo præsens: & quia constat post ascensionem Christi corpus considere in cœlis ad dexteram Patris, inferunt, ibi tantùm nunc esse; neque ulla Christi verba esse ita intelligenda, ut vi eorundem simul ponatur in alio loco, sitque alibi præsens, Ad hoc falsum, ac hæreticum stabiliendum dogma, duo jaciunt fundamenta, quorum primum est: Quia nec de potentia Dei absoluta fieri potest, ut unum aliquod corpus possit in pluribus locis existere, adeo ut non possit, nisi in uno tantùm determinato loco esse præsens. Aliud fundamentum est, quia tametsi id fieri posset, adhuc unum ex naturalibus humani corporis attributis est præsentia in uno duntaxat loco, atqui Christi corpus semper retinuit suas proprietates, consequenter non potest, nisi in uno tantùm loco existere: siquidem excepto peccato universa humani corporis attributa, & affectiones una cum natura humana reperiuntur in Christo, qui propterea, cum certum sit, sedere nunc in cœlis ad dexteram Patris, non potest in terris simul esse, neque in Eucharistia.

Verùm sicut fundamenta Ubiquetariorum corruerunt, eò quia repugnet scripturis Joan. 6. *Cùm vidisset Turba, quia Jesus non esset ibi*, & cap. 11. ubi Christus ait: *Non eram ibi.* cap. 16. *Relinquo mundum, & vado ad Patrem*, Marci 16. *Surrexit non est hic*: ita dogma Sacramentariorum nonnisi ruinosis nititur fundamentis, eò quia divinis opponantur scripturis, ait enim Christus: *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum*, Matth. 26. & Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibet meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*, & licèt videatur captu difficile hoc Eucharistiæ Mysterium, ait tamen D. Augustinus epist. 3. ad Volusianum posse Deum omnia efficere, quæ ipsi intelligere non valemus, & D Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joan. cap. 13. Sacramentariorum, ac aliorum Hæreticorum exprobrans incredulitatem, ait: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum, de Deo non sine magna impietate conclamant, nec venit illis in mentem, nihil esse impossibile apud Deum, nam cum animales essent, ut ait Paulus 1. ad Corinth. 2. Spiritualia intelligere non poterant: sed fatuitas quædam tam magnum sibi videtur mysterium, sed nos magnum quæso à peccatis alterum profectum faciamus, & firmam fidem mysteriis adhibentes nunquam in tam sublimibus rebus illud, quomodo aut cogitemus aut proferamus. Judaicum enim hoc verbum est, & extremi supplicii causa.* In Eucharistia igitur corpus Christi est sub speciebus ubivis locorum consecratis, ut in Sacramento, ut enim ait Guitmundus lib. 1. de Eucharistiæ veritate: Si humano verbo Deus tantum præstitit, ut non tantum ipsum, sed etiam vox; qua quodammodo vestitur ad mille homines eadem simul, & tota pertingere valeat: nemo hoc ipsum de Omnipotentis Dei unico, & omnipotente, & coæterno verbo, & de carne ejus, quam similiter ut nobis ipsum Verbum appareret, vestivit, & si capere non posset, habere incredibile debet, quòd de fragilissimo, & transitorio verbo hominis, & momentaneis vocibus vixque existentibus, & nunquam prævalet capere, & tamen penè semper experimento habet. Ipsam certe animam nostram corpore quod corrumpitur, aggravatam non particulatim per singula membra dividi, sed in singulis portiunculis totamque integram continere, Beatus Augustinus validissimè probat. Qui ergo hanc animæ nostræ potentiam præbuit, ut una eadémque, & indivisa in singulis quibúsque particulis sui corporis eodem tempore tota consistat; quare suæ propriæ carni id dignitatis, si vult dare non valeat, ut ipsa in diversis sui cujusdam corporis, quod est Ecclesia partibus tota simul & indivisa possit haberi: cùm sicut anima nostra vita est corporis, ita sit Ecclesiæ, imò multò melius per Dei gratiam vita caro Salvatoris. Per animam quippe fit, ut corpus utcunque temporaliter vivat, per carnem verò Salvatoris alitur, ut Ecclesia non quomodocunque, sed beatè in æternum vivat. Hactenus ille. Pulchrè adfert similitudinem vocis, & nostræ mentis cogitationis, quæ foris voce sonante induta ad innumerabiles audientium aures integra delabitur absque ullo sui detrimento, ac imminutione: imò valde etiam congruit similitudo animæ nostræ, quæ tametsi una tantum sit, est nihilominus tota in omnibus humani corporis partibus: perinde una divini verbi caro veluti vox licèt una in cœlis, perlabitur tamen integra in omnes Eucharistiæ particulas, quæ per vocem & verba prolata Sacerdotis consecrantur absque ulla sui diminutione: neque id ex ulla oritur Christi immensitate, sed ex gloria & potestate humanitati Christi post ejus resurrectionem collata: perapte Algerus lib. 1. cap. 4. *Carnem substantialiter quidem eandem cum Deo non dicimus, sed profectò cum Apostolus dicat: Quia omnia subjecta sunt ei præter eum, qui subjecit sibi omnia, & ipse Filius Dei testetur, quia omnis potestas ei data est; sic in unitate persona Deo conjunctam credimus, ut quod habet Deus per naturam hoc ipsa per gratiam, cùm ergo nos habituri simus, & Angeli modò habeant, ut quantacunque intervalla locorum nullo fere temporis intervallo nimia sua celeritate pertranseant, non tamen hoc habeut, ut unde credunt, ibi remaneant. Quo privilegio sola caro Christi, quæ super omnem creaturam à Deo exaltata est super omnem, & præ-*

& præter omnem naturam insignita est, ne per omnipotentiam, quæ ei data est in cælo, & in terra ubique, quomodocunque sibi placuerit, non de loco ad locum transeundo, sed ibi, ubi est remanendo, & alibi, ubicunque voluerit existeado tota, & integra, & substantialiter sit in cœlo, & in terra.

Neque fundamenta, quibus Sacramentarii hæreticum suum stabiliunt dogma, ullius sunt momenti. Asserunt corpus verum & unicum, quale habet Christus, nec de potentia Dei absoluta posse esse præsens, nisi in uno tantùm loco, quod dupliciter potest intelligi, scilicet modo circumscripto, & definitivè, seu circumscriptivè, & localiter, dicitur circumscriptivè esse corpus in loco, cum non solum corporis substantia re ipsa est loco præsens, & commensurata eidem, ut pars corporis parti correspondet loci, verum etiam, ut ita in loco uno includatur, & circumscribatur, ut nihil illius possit extra eum locum existere: & si hinc pacto sumatur, esse in loco circumscriptivè, certum est, non posse idem corpus esse in pluribus locis, quia ex hypothesi esset, & non esset extra quemlibet eorum, & in hoc sensu negârunt aliqui etiam ea sanctis Patribus, & Doctoribus gravioribus posse fieri virtute divina, ut res una collocetur, & circumscribatur in pluribus locis, & Sacramentarii hoc oon negaut. Secundò potest intelligi, corpus esse circumscriptivè in loco, ut nequeat ejus substantia commensurata, vel non commensurata esse simul præsens in diversis locis: hoc est, quod Sacramentarii asserunt contra scripturas sanctos Patres, & rationes naturales: etenim David Psal. 109. ait: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, hoc est usque in finem, ut interpretatur Apostolus 1. ad Corinth. 13. *Cum tradiderit regnum Deo, & Patri, cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem:* atqui idem Apostolus significavit firmam, ac stabilem esse hinc Christi sedem ad Dei dexteram, ad id enim significandum verbis usus est exprimentibus quandam in loco firmitatem, & nunc illum ait ad Hebræ. 8. *In dextera magnitudinis consedere*, nunc ad Ephes. 1. Constitutum esse dicit: nunc ad Colos. 3. Omnes hortatur, ut quia Christus *est ad dextram Dei sedens, quæ sursum sunt, sapiamus:* hæc autem verba, postquam Christus in cœlum conscendit, nullo non temporis momento usurpari verè ad eam Paulinam adhortationem potuerunt: quòd si id verum est, sequitur, quod Christus ad dexteram Dei fuit semper in cœlo sedens. Atqui etiam post ascensionem aliquando fuisse in terra, vel prope terram etiam ex ipsis scripturis clarè evincitur. 1. Corint. 15. scribit Apostolus; *Tradidi vobis, quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, & quia sepultus est secundum scripturas, & quia visus est Cephæ, & post hoc undecim deinde visus est plus quàm quingentis fratribus simul, deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus. Novissimè autem omnium tanquam ab ortivo visus est mihi:* Hæc Apostoli verba ad rem nostram interpretatur S. Joannes Chrysostomus Homil. 83. in 1. ad Corint. inquiens: *Scriptura testimonio de resurrectione producto producit etiam testes post Prophetas & scripturas ipsos Apostolos, & cæteros pios citans. Quod si de peccati resurrectione loquatur, quid attinebat dicere visus huic est, visus illi est. Hæc enim corporis resurrectionem probantis non peccati libertatem significantis vox est. Unde non semel visus est inquit, quamquam in communi posita vox sufficiebat. Atqui iterum, & tertiò, & in omnibus fere, qui viderunt eandem, repetivit. Visus est, inquit Cephæ, visus est plusquam quingentis fratribus, visus est & mihi.* Deinde Actor. 22. Christus locutus fuit Ananiæ: *Deus Patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, & videres justum, & audires vocem ex ore ejus, quia eris testis illius ad omnes homines eorum, quæ vidisti, & audisti.* Christus etiam, ut Apostolum idoneum testem suæ resurrectionis faceret, non in itinere illi solum præsens adfuit, & ad id testimonium reddendum est hortatus, sed etiam in castris Claudii Lysiæ Tribuni militum, cum ibi in custodia teneretur, ut narrat Lucas Actor. 23. inquiens: *Sequenti autem nocte assistens ei Dominus ait constans esto: sic enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari:* ex quibus apparet, Christum pluries post ascensionem visum fuisse in terris ab Apostolis, & aliis, & præsertim à D. Paulo, ut ipse testatur, qui ita vidit Christum sicut hic visus est Cephæ, sicut visus est Jacobo, & sicut visus est plus quàm quingentis fratribus, & Apostolis omnibus, ut non minus ipsemet Paulus quàm reliqui omnes testimoniom magna cum certitudine & fiducia posset reddere de resurrectione corporis Christi: atqui Christus ex eisdem scripturis sedet semper ad dexteram Patris in cœlo, consequenter idem Christi corpus circumscriptivè fuit in pluribus locis. Hinc rejiciendum, quod Calvinus asserit, dicens perspicaciam divinitus D. Pauli oculis datam esse, quæ cœlos penetraret, & ibi Christum ex uno terræ videret in cœlo sedentem ad dexteram Patris, quia Apostolus non dicitur vidisse Christum eo modo, quo Actor. 7. Stephanus dicitur eum vidisse. Apostolus enim Paulus vidit Christum eo pacto, quo visus est Cephæ: sicut visus est cæteris idoneis testibus resurrectionis ejus, qui testes fuerunt omni exceptione majores, testatur enim Paulus eum vidisse, & audivisse verbum prolatum ex ore ejus: testatur ipsi apparuisse non in cœlis ut Stephano, sed in via, ut ait Ananias. Probari etiam ex eo potest, quia Christi Domini corpus ingressum fuit ad Apostolos januis clausis, resurrexit è sepulchro lapide clauso, atqui non minus locus onus excludit corpora diversa, quorum unum ejus capacitatem totaliter complectit, quam corpus in uno loco positum excludat alium locum, atqui corpus Christi cum alio corpore simul fuit in eodem prorsus loco, ut cum januis clausis intravit ad Discipulos; & resurrexit obsignato lapide sepulchri, ergo eadem virtute, qua cum alio corpore fuit in uno loco, potuit esse in pluribus locis & præsertim in sacramento Eucharistiæ. Verum respondet Calvinus lib. 4. Instit. cap. 17. *Christum exiisse è sepulchro clauso, & clausis januis ad Discipulos fuisse ingressum, quia sicut aqua non secus ac solidum pavimentum Christo iter præbuit super locum ambulanti: ita nihil mirum, si ad ejus occursum se flexit lapidis durities, & si probabilius est,* (ait Calvinus) *ejus imperio amotum fuisse lapidem, & mox transitu dato ad suum locum rediisse. Nec januis clausis iterare tantundem valet, ac penetrare per solidam materiam, sed sibi aditum patefacere, divina virtute ut repentè steterit inter suos Discipulos pene admirabili modo cum obserata essent fores.* Quod de januis clausis dixit, hoc idem affirmavit de intemeratis claustris Virginis, sed quàm falsè & impudenter hæc cogitaverit Calvinus ex eo facilè conjicitur, & rejicitur, si audiamus Cyrillum Alexandrinum disserentem super miraculo illo, quo januis clausis fuit ad Discipulos Christus ingressus, ait ipse lib. 12. in Joan. cap. 53. *Clausis foribus repente Dominus omnipotentia sua natura rerum superata ingressus ad discipulos est. Nullus igitur quærat, quomodo clausis januis*

corpus Domini penetravit, cùm intelligat non de homine unde, ut modo nos sumus, sed de omnipotenti Filio Dei hac ab Evangelista conscribi, & paucis interjectis subdit: *Si hanc operationem Dei percipere nequeas, cur potius ingenii humani imbecillitatem non accusas? cur non servas silentio datum tibi à Creatore mensuram*: Hoc Cyrillus redarguens Calvinum, ejusque Discipulos antequam nascerentur, si enim non intelligunt, quomodo potuerit Christi corpus januis clausis ad Discipulos ingredi, claudant & ipsi os, & se submittant fidei obsequiis. Hoc præstiterunt etiam sancti Patres, qui Christi miracula fuerunt confessi flectentes intellectum in fidei obsequium, adeo ut exclamaverit Chrysostomus lib. 1. de sacerdotio sub init. *O miraculum! ò Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur*: non investigat modum, quo id fiat, non quærit, quomodo sedeus ad dexteram Patris, manibus pertractetur sacerdotalibus in terris, sed id firmissimè credens exclamat: *O miraculum! ò Dei benignitatem!* quod & alii sancti Patres præstiterunt. Gregorius Nissenus ait: in serm. de pasch. *Sicut divinitas replet mundum, & tamen una est, ita innumerabilibus locis consecratur, & tamen unum corpus est*: sicut enim ipsa divinitas, quæ una tantum est & simplicissima, replet totum mundum, ita Christi corpus per consecrationem ponitur substantialiter præsens in omnibus illis particulis, super quos cadunt verba consecrationis, quod explicari etiam potest similitudine vocis mente conceptæ, quæ postea ore prolata in omnium illorum perlabitur aures, ad quos vox illa pertingit, si igitur vox una ore prolata in plures, & plures potest integra, & incorrupta perlabi aures; cur corpus Christi existens in cœlo, ubi seder ad dexteram Patris, non poterit per verba consecrationis in pluribus poni particulis consecratis, simulque esse in pluribus locis, hinc S. Basilius in Lyturgia alloquens Christum ait: *Veni ad sanctificandum nos, qui sursum Patri confides, & hic nobis invisibiliter coes, & dignare nobis impertiri sacrosanctum tuum corpus, & pretiosum sanguinem*, & D. Ambrosius in Psal. 38. ait: *Christus ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur in cœlis*, existens, non enim ignoravit, Christum tunc esse in cœlo, cum in terris offertur à sacerdotibus in altari. Disertè D. Chrysostomus Homil. 17. in Epist. ad Hebræ. ait: *Unum est hoc sacrificium: alioquin hac ratione, quoniam multis in locis offertur, multi Christi sunt? nequaquam. Sed unus ubique est Christus. Et hic plenus existens, & illic plenus unum corpus. Sicut enim qui ubique offertur, unum corpus est, & non multa: ita etiam & unum sacrificium*, hoc idem etiam adstruunt etiam alii Sancti Patres, quorum authoritatem si vellem hic attexere, infinitus essem.

Non igitur est impossibile, ut unum ac idem corpus divina virtute in pluribus locis simul præsens adsit, nulla enim est ratio, quæ hanc convincat impossibilitatem, unde sic juvat argumentari, quidquid nec repugnat, nec involvit prædicata contradictoria, potest à Deo fieri, atqui unum corpus simul divina virtute posse in pluribus locis existere, non involvit prædicata contradictoria consequenter divina virtute poterit unum corpus simul existere in pluribus locis. Major ex divina omnipotentia claret, hæc enim extenditur ad ea omnia, quæ contradictionem non involvunt, unde semel, quòd idem corpus esse in pluribus locis, non involvit prædicata contradictoria, poterit divina virtute ex immensitate omnipotentiæ Dei contingere, cum enim sit potentia infinita, potest omne factibile efficere, & totum illud est factibile, quod contradictionem non involvit, hinc Angelus missus ad Mariam Virginem dixit, nullum verbum esse Deo impossibile. Minor itidem suadetur, quia esse corpus alicubi præsens, est purum accidens, quod eidem corpori obtingit, sive absolutum, sive respectivum esse dicatur, proinde poterit abesse, & adesse præter corporis correptionem, rursus hoc accidens, sive à corpore diversum, sive posterius corpore, ut divina virtute possit corpus afficere in pluribus locis, adeo ut plura *ubi* eidem inhæreant corpori, non repugnat perinde, ac plura accidentia possunt simul in uno ac eodem subjecto cohærere: rursus potest idem corpus denudari ab omni *ubi* ex quo conjicitur omne *ubi* sive absolutum, sive respectivum esse corpori accidentarium, si enim Deus corpus aliquod conderet in spatiis imaginariis extra mundum, utique corpus illud careret accidente præsentiæ ad locum: ergo sicut corpus absque omni *ubi* superaddito non repugnat, nec includit prædicata contradictoria; ita nec plura *ubi* in eodem corpore repugnant, consequenter potest unum ac idem corpus divina virtute in pluribus locis. Idque potest exemplificari, quia una relatio æqualitatis ad unum æquale est in toto suo subjecto, quod totaliter quodammodo occupat, & nihilominus potest etiam cum aliis æqualibus dicere similitudinem, ac relationem, ergo quamvis locus sit in eodem subjecto alteri relationi æqualitatis ad alterum æquale, cur non etiam ad aliud simile per divinam virtutem? Quòd si objicias D. Augustinum epist. 57. ubi scribit ad Dardanum: *Spatia locorum tolle à corporibus, & nusquam erunt; & quia nusquam erunt, neque erunt*, verum Augustinus hîc loquitur de potentia naturali, & ordinaria, juxta quam neque poni solet, neque potest per virtutem causæ naturalis idem corpus in pluribus locis, non vero Augustinus negat, id posse fieri virtute divina; quia si non negat, per potentiam absolutam Dei posse corpus alicubi esse modo non locali à fortiori asserit, posse per eandem Dei virtutem poni in pluribus locis. Quamobrem Augustinus tantùm asserit, non posse corpora naturali modo esse sine locis, in quibus continentur, idque apparet ex antithesi ibi posita: siquidem Deum comparat cum corporibus: & affirmat Deum in se ipso esse præsentem, quia *non continetur*, ut ipse ait *ab eis, quibus est præsens, tanquam sine eis esse non possit*: postea subjungit verba paulo ante à nobis citata; & docet aliam esse rationem corporum; quæ nonnisi in locis, ubi continentur, esse possunt, idque naturaliter, quia ibi de perfectionibus naturalibus tantùm loquitur; non negans de potentia Dei absoluta posse idem corpus inesse pluribus locis.

Secundùm Sacramentariorum fundamentum erat: quia tametsi de essentia unius corporis non sit, ut in uno tantum loco sit præsens: est tamen esse in unico tantum loco proprietas corporis, quod cum habeat esse finitum, & limitatum non nisi in uno tantùm loco esse potest: sed corpus Christi etiam nunc in cœlo semper mansit cum suis proprietatibus, & attributis: siquidem Verbum Divinum assumpsit naturam humanam nostræ omnino similem, & cum omnibus suis attributis, excepto peccato: ex quo inferunt, quod sicut corpus nostrum esse non potest, nisi in uno tantùm loco: ita cum certum sit, corpus Christi sedere ad dexteram Patris in cœlo; sequitur non posse idem corpus esse in terris, & in cœlo simul. Sed quàm ineptè argumentantur, ex eo liquet: quia etiam proprietates corporis naturalis sunt,

sunt, posse pati, corrumpi, ut nequeat occupare locum ab alio corpore antecedenter occupatum, & persistente in eodem loco; ut si vivat, alimonia indigeat, & pluraalia propria corporis naturalis; sed omnes hæ proprietates fuerunt simul à Verbo divino in natura humana assumptæ: ergo corpus Christi etiam nunc est passibile, mortale, cibo indiget: neque unquam nasci potuit ex Virgine, neque surgere è sepulcro, lapide non revoluto, neque januis clausis ingredi ad discipulos; quia hæc loca fuerunt jam ab aliis occupata: quæ singula cum sint falsa, & contra fidem, statim apparet quàm frivolum, quam ineptum sit argumentum, quo Sacramentarii nituntur proprium fulcire dogma. Respondetur igitur directè, quòd tametsi naturaliter, & juxta naturalem exigentiam corporis non possit hoc non nisi in uno esse loco; divina tamen virtute, ac de potentia Dei absoluta possit simul inesse pluribus locis. Quamobrem Verbum divinum suscepit quidem corpus humanum cum omnibus suis proprietatibus, & accidentibus corporis naturalis, adeo ut quantum est ex sua natura, nihil ei supra tales proprietates, & accidentia competat: sed non ita tamen, quin divina virtute, ac gratia corpus à verbo assumptum sublimioribus aliquibus conditionibus, ac attributis possit donati, ac cumulari, quæ tamen cum vera essentia corporis non pugnent; ejusmodi sunt in corpore glorioso Christi Domini post resurrectionem impatibilitas, subtilitas, & aliæ dotes, quæ à Sectariis debent etiam concedi.

C A P U T VI.

Evincitur contra Sacramentarios vera, & realis corporis Christi præsentia in Eucharistia.

Evicimus in præcedentibus non repugnantiam unius corporis in locis pluribus per divinam virtutem; adeo ut corpus quod naturaliter esse nequit, nisi in unico tantùm loco divinitus esse possit in pluribus. Superest ostendendum de facto Christi corpus existens in cœlis ad dexteram æterni Patris esse itidem in terris sub speciebus Eucharisticis, vi verborum consecrationis; unde asserimus, verum Christi Domini corpus, & verum Christi sanguinem verè esse in Eucharistia re ipsa præsentia; non præsentia tantùm virtutis, & efficaciæ, sed verè ac realis substantiæ contra Sacramentarios, Zvvinglianos, Calvinistas. Hoc fidei dogma demonstrant sacræ scripturæ testimonia, traditiones in Ecclesia, & ipsius Ecclesiæ authoritas, & Judicium. Primum sacræ scripturæ testimonium petitur ab ipsa promissione Christi in deserto miraculo multiplicati panis pascentis sequentes se turbas, & hujus sacramenti promittentis institutionem; cum docuit turbas se esse panem vivum, qui de cœlo descendit, ex quo, si quis manducaverit, vivet in æternum, Joan. cap. 6. *Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* quæ verba occasionem dedere Judæis litigandi inter se, & acriter contendendi: *Quomodo*, ajebant, *potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Si litigabant, alii aliis contrarii erant, quatenus quidam credebant id possibile, & alii factu impossibile; quibus respondit Christus: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut me misit Pater, & ego vivo propter Patrem. Et qui manducat me, & ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* quod cum audivissent, plures ex discipulis ejus dixerunt: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire*, quorum obmurmurationem cum Christus audivisset, eos redarguit, inquiens: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* ait Joan. 6. *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire? Respondit Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, quia Tu es Christus Filius Dei.* Hunc locum Joan. 6. sancti Patres à primo nascentis Ecclesiæ exordio intellexerunt in sensu literali de sacramento Eucharistiæ, ut S. Irenæus *lib.* 4. *cap.* 34. S Cyprianus *lib. de Orat Dominica.* S. Hilarius *lib.* 9. *de Trinit.* S. Cyrillus Hierosolimitanus *Catechesi* 14. D. Ambrosius *lib. de iis, qui Mysteriis initiantur cap.* 8. & alii communiter Patres Latini & Græci. & fuit etiam declaratum in Concilio Alexandrino *in epist. ad Nestorium.* Hinc supposito, quod Joan. 6. fuerit Christus locutus de sacramento Eucharistiæ, seu de præsentia realis corporis, & sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis clarè, & efficaciter evincitur ejus præsentia realis corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia, siquidem Christus panem, quem promittit se daturum pro mundi vita, seu carnem suam opponit mannæ, quo qui enutriti sunt, in deserto mortui sunt, *non sicut manducaverunt manna in deserto Patres vestri, & mortui sunt, qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* atqui si Eucharistia esset tantùm figura corporis, & sanguinis Christi, quamvis paulo expressior ipso manna frustra eidem præponeretur, quoad vim illam vivificam: etenim ex Israelitis etiam justi, & pii, qui in fide Christi venturi manducarunt manna carnem ejus, & sanguinem fide itidem percipiebant, eodem pacto, qui Calvinistæ putant se percipere. Secundò quia verba illa à Christo prolata statim dubium excitârunt in Judæorum mentibus, qui propterea litigabant adinvicem dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum*, si enim fuisset locutio tantùm figurata, qua Christus significâsset daturum se panem ad repræsentandum suum corpus, & tantùm ad excitandum sui memoriam; quia figura non ita efficaciter movet, & absque dubitatione ac lite potuissent Judæi id facile credere. Tertiò quia Christus non correxit illam Judæorum opinionem, qua crediderunt fuisse locutum Christum de vera sua carne in cibum danda quinimò hanc opinionem confirmavit, & dubitantes redarguit, asserens se verè daturum veram suam carnem subjungens: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* quasi jurejurando suam vellet sponsionem de vera sua carne danda ad manducandum confirmare, ut obstinatiores Judæi ad credendum flecterentur, hinc exclamat Tertullianus lib. de

pœnitentia. *O beatos nos, quorum causa DEUS jurat! ò nos miserrimos, si nec jurans Domino credimus!* Præterea quia responsio Christi in re tanti momenti, ut erat, novam condere legem, & nova dare præcepta non patiebatur involvi ambagibus, ac figuris insuetis, sed debuit omni prorsus carere æquivocatione, ne primæ veritatis verba, quæ nec falli potest, nec nos fallere ad fallendos potius quàm ad erudiendos homines dirigerentur: cum ergo expressè dixerit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* sine ulla æquivocatione, absque locutione figurata, sed verbis propriis, quæ intelligerentur ut sonant vera, & realis manducatio suæ carnis fuit nobis injuncta, adeo ut Christus verbis propriis non promiserit vitam æternam, nisi verè & realiter manducantibus veram & realem suam carnem, & bibentibus verum & realem suum sanguinem. Tum quia, quando Christus in rebus parvi momenti figuratè, & obscurè fuit locutus, rogatus postea imò & interdum sponte sensum obscurum declaravit: si enim Joan. 16. dixit: *Medicum & jam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem,* quia hæc locutio visa fuit obscura, ipsam declaravit. Rursus cum dixit Nicodemo Joan. 3. *Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum DEI:* cùm interrogaretur, quomodo posset homo nasci cùm sit senex, dubium declaravit his verbis Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum DEI.* Præterea si Matth. 3. produxit parabolam seminantis, quam discipuli non intellexerant iisdem interrogantibus per singulas ejus partes exposuit. Quòd si in dubiis minoris momenti Christus verba, quæ protulit, explicuit, ut in quo sensu ipse prolata vellet intelligeret, omnibus perspicuum statim esset, quanto magis, si cum dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* si locutio fuisset figurata, & dubia explicuisset, in quo sensu essent intelligenda: & quia propriè, & in sensu literali voluit verba, quæ protulit, ut sonant, intelligi, nullam posuit declarationem: imò ad confirmandum se fuisse locutum propriè, & verba ab eo prolata esse prorsè intelligenda, confirmavit, cùm dixit, carnem suam verè esse cibum, & sanguinem suum verè esse potum, non dixit figuratè esse cibum, & potum, sed verè, & propriè loquens: *Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus,* ex quo clarissimè liquet, Calvinistas in sensum alienum à sensu Christi detorquere scripturas, cum asserunt in sacramento Eucharistiæ nonnisi impropriè, & figuratè manducari carnem, & bibi sanguinem Christi. Tum quia ait Christus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo,* quæ verba non solum de inhabitatione spirituali per fidem, & charitatem, verùm etiam de mansione naturali, qua Christus per suam carnem in Eucharistia à nobis sumptam nobiscum manet, ac suam carnem nobis commiscet, ut explicant sancti Patres, Hilarius, Chrysostomus, & alii communiter: & quia hic sermo durus visus fuerat discipulis suis dicentibus: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* statim Christus eos redarguit, inquiens: *Hoc vos scandalizat? si ergo videbitis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* voluit Christus veritatem suæ carnis, quam dabat ad manducandum in Eucharistia confirmare per futuram in cœlum sui corporis ascensionem, ad omnem depellendam dubitationem, ut cùm discipuli viderent Christum ascendentem in cœlum, omnem depellerent prorsus dubitationem, & firmissimè crederent, ac docerent gentes Christum in Eucharistia verè, & propriè, & non figuratè, sicut verè & propriè ascendit in cœlum, daturum suam carnem ad manducandum, & verum & proprium suum sanguinem ad bibendum. Non igitur Christus pollicitus fuit, carnem suam se daturum ad manducandum non in figura, sed verè, & realiter, cum dixerit Joan. 6. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus:* hinc doluit tantum eorum discipulorum vicem, quòd adhibita rectâ explicatione de modo manducandi crederent tamen mysterium hoc, quod de vera manducatione erat reliquum in ea re ipsi fidem habere recusarent, quibus & dixit: *Et sunt quidam ex vobis, qui non credunt:* postea ad duodecim discipulos conversus dixit: *Nunquid & vos vultis abire,* ac si diceret, an vos etiam ut cæteri carnem meam verè cibum esse posse dubitatis? nec arbitramini me facturum ut verè quidem, sed longè aliter quàm aliis uti cibis consuevistis meo vescamini corpore? cui Petrus fide tanti mysterii animatus subjunxit: *Domine ad quem ibimus: verba vitæ æternæ habeo,* Joan. 8. quæ verba expendens D. Augustinus in Joan. ait: *Videte quemadmodum Petrus dante Deo, recreante Spiritu Sancto intellexit: unde nisi quia credidit: Verba vitæ æternæ habes. Vitam enim æternam habes in ministratione corporis, & sanguinis tui.*

Alii Catholici dogmatis probatio sumitur ex verbis Christi Domini instituentis sacramentum Eucharistiæ accepit siquidem panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum, quod pro nobis traditur,* & similiter accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: *hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum,* verba hæc à Christo prolata in institutione sacramenti dogma fidei constituunt, & legem in perpetuum ab Ecclesia servandam sanciunt, & quidem in sensu proprio, non metaphorico, & figurato perspicuo non obscuro naturali, & cuique obvio non contorto, nec ambagibus involuto, neque æquivocatione fallente: si enim Principes propriè ac clarè loquuntur absque ullo sensu amphibologico, sine ulla æquivocatione, sed verbis clarissimis, quibus statim percipiatur eorum sensus, id maxime agunt, cùm fœdus ineunt, legésque sanciunt, vel cùm testamentum, & ultimam voluntatem exprimunt, cum non exteros, sed amicos aut filios alloquuntur, quibus animi sui sensa aperiunt, & propriam voluntatem explicant, quantò magis Christus, cùm hoc sacramentum Eucharistiæ instituit, quo dogma fidei constituit, legem Ecclesiæ imposuit, suum testamentum condidit, fuit propriè locutus absque ulla figura in sensu vero non metaphorico, cum dixit Apostolis: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum, bibite ex hoc omnes hic est enim sanguis meus,* per hæc enim verba tradidit dogma fidei legem condidit in perpetuum duraturam fœdus sancivit non exteros, sed amicos, sed discipulos, sed filios fuit allocutus, quibus & amoris æternum pignus dedit pridie, quam pateretur Joan. 13. *Sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Quòd verò fuerit non extraneos, sed amicos allocutus liquet, cùm dixit: *Vos amici mei estis jam non dicam vos servos: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à Patre meo nota vobis feci,* ergo ipsos alloquebatur familiariter clarè, ac distinctè, & in sensu proprio verborum sine figuris absq; æquivocatione, quapropter cùm dixit illis: *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum, bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus,* in sensu proprio non meta-

metaphorico, & figurato intelligenda sunt verba illa consequenter, cùm fideles communicant, non figuram tantùm corporis, & sanguinis Christi, sive efficacem, sive inefficacem sumunt, sed verum Christi corpus, & verum ejus sanguinem. Ait Apostolus ad Gal. 3. *Si hominis testamentum confirmatum nemo spernit, aut superordinat*, quantò minus erit derogandum Christi testamento, quod sancivit in institutione hujus sacramenti, quòd si testamento verbis propriis simplicibus, & perspicuis conduntur, etiam Christus voluit suum condere verbis, quæ non possent detorqueri in sensus improprios, sed quæ essent intelligenda, uti sonant in sensu proprio, quapropter dixit: *Caro mea verè est cibus, sanguis meus verè est potus*, non dixit figuratè, non dixit virtualiter, non dixit metaphoricè, sed *verè*, quia propriè, cum communicamus, sumimus carnem, & sanguinem Christi, quòd verò Sacramentarii impie contendant, & negent, non esse ibi præsentiam corporis Christi, est manifestè contradicere ipsi Christo, ac ejus testamentum violare, ac umbraticum testamentum pro vero, ac reali supponere, imò est scripturæ sacræ verba corrumpere, & prorium Christi sensum in alienum detorquere. Quòd si non nisi figuram sui corporis nobis dare voluisset, cur dixit: *Caro mea verè est cibus*, & non potiùs caro mea figuratè est cibus, cur mentem suam non expressit simplicibus, & apertis verbis, cur æquivocatione, quæ homines in errorem trahunt, voluit uti, cur impropriè ad nos fallendum loco figuratè posuit verè: *Caro mea verè est cibus*, ait S. Hylarius lib. 8. de Trinit. *Fortè qui Verbum est, & qui veritas est, loqui vera nescivit? & qui sapientia est, in stultiloquio erravit? & qui virtus est, in ea fuit infirmitate, ne posset eloqui, quæ vellet intelligi? num mentis & linguæ artifex dissertè loqui non posset? imò verò summa providentia fuco carere voluit, quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.* Quibus verbis potuisset Christus magis perspicuis, & claris uti ad significandum se veri, ac proprii sui corporis tradere substantiam, quàm cùm dixit: *Caro mea verè est cibus.* Quòd si Pater æternus ostensurus, Christum esse verum, ac legitimum suum Filium non aliter id expressit, quàm verbis illis: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite:* & tametsi non dixerit: Hic est verè & propriè, adhuc fuit Christus existimatus verus æterni Patris Filius: rursus cùm Evangelista æterni Verbi incarnationem explicuit, non dixit verbum verè, & propriè caro factum est, sed simpliciter dixit: *Et Verbum caro factum est*, & hæc verba satis fuerunt, ut Verbum divinum crederetur caro factum. Præterea cùm Angelus Virgini Matri annuntiavit incarnationis Mysterium, non dixit vere, & propriè in utero concipies proprium, ac verum Filium Dei, sed simpliciter protulit hæc verba: *Quod enim ex te nascetur, sanctum vocabitur Filius Dei*, & tamen credunt omnes Christum verè, & propriè esse naturalem Dei Filium, & personam Christi, seu Verbum verè, & propriè assumpsisse humanitatem, & singula, quæ incarnationem involvunt, & ex ea consequuntur. Quare igitur ex eo, quòd Christus in ultima cœna accepto pane, eóque benedicto dixerit: *Hoc est corpus meum*, nolunt Calvinistæ de vero, ac proprio Christi corpore credere, sed tantùm de figura illius corporis, ac credant communicantes, se non recipere verum, & reale Christi Domini corpus, sed tantùm ejus figuram repræsentantem reale ac verum suum corpus, ejúsque passionem, præsertim cùm alibi Christus apertè, ac expresè dixerit, carnem suam verè esse cibum, & sanguinem suum verè esse potum: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, si *verè*, ergo propriè, & non figuratè. Tum quia ne quis dubitaret de veritate sui corporis in sacramento Eucharistiæ, dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur*: quod autem fuit traditum, passum, crucifixum, & mortuum non fuit figura corporis Christi, sed verum, ac reale ejus corpus, neque sanguis, qui è vulnerato corpore effluxit, fuit sanguis metaphoricus, sed verus & realis, verum, & reale pretium nostræ redemptionis: unde cæcutiunt Calvinistæ, & scripturas corrumpunt veros, ac proprios sensus in metaphoricos, & figuratos distorquentes intelligentes figuram carnis, quam Christus expresè asserit, esse propriam suam carnem veram, & realem: *Caro mea verè est cibus.* Cùm igitur Christus proprium suum corpus pro nobis obtulerit crucifigendum, & non figuram sui corporis; verum & proprium sanguinem pro nobis fuderit, & non figuram sanguinis, apertè & clarissimè constat proprium suum corpus, propriúmque ac verum suum sanguinem secundum substantiam veram, & propriam, & non secundùm figuram comedendum, & bibendum, in Eucharistia nobis tradere. Hanc veritatem confirmant præter Joannem alii tres Evangelistæ, ac S. Pauli cum iisdem consensus: cùm enim Evangelistæ institutionem hujus sacramenti descripserint: ac diversis temporibus scripserint: & alii audiverint ab ipso Christo ut S. Matthæus, alii à Domino postea acceperint ut S. Paulus, alii didicerint ab iis, qui Christum viderant, & audierant instituentem hoc sacramentum, ut S. Marcus, & Lucas, omnes tamen iisdem prorsus verbis narrant Christum in ultima cœna, & in institutione hujus sacramenti dixisse: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, aut *calix sanguinis mei*, & nemo meminit alicujus figuræ, nemo explicavit Christum verba illa protulisse figuratè, nemo ullum addidit verbum, ex quo conjicere possimus, nonnisi per figuram nos sumere carnem, & sanguinem Christi in Eucharistia, neque Apostolus Paulus hujus figuræ meminit, quòd si sensus Christi fuisset figuratus, & non proprius id saltem Evangelistæ, & Apostolus Paulus alicubi significâssent: quamobrem quilibet Catholicus Sacramentariis, & Calvinistis posset cum D. Augustino dicere: *Fratres sumus, quare litigamus? non intestatus mortuus est Pater. Testamentum condidit, & sic mortuus est, & resurrexit. Tamdiu contenditur de hæreditate mortuorum, quamdiu testamentum proferatur in publicum, & cum testamentum prolatum fuerit in publicum, tacent omnes, ut tabulæ aperiantur, & recitentur, Judex intentus audit, Advocati silent, Præcones silentium faciunt, & universus populus suspensus est, ut legantur verba mortui non sentientis in monumento. Ille sinè sensu jacet in monumento, & valent verba ipsius: sed & Christus in cœlo, & contradicitur testamento ejus apert, legamus. Fratres sumus, quare contendimus? placetur animus noster, non sine testamento nos dimisit Pater. Qui fecit testamentum, vivit in æternum, audit voces nostras, agnoscit suam. Legamus, quid litigamus? ubi inventa fuerit hæreditas, ipsam teneamus. Christus Jesus Dominus noster testamentum condidit, nobis corpus & sanguinem suum legavit, dicens:* Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. *Quid pro corpore, & sanguine Christi figuras corporis, & sanguinis ipsius nobis supponere conaris.*

Cum igitur Christus, cum dixit: *Hoc est corpus meum*, non fuerit loquutus cum aliis, quibus fere in parabolis loquebatur, sed cum suis tantùm disci-

discipulis, quibus regni Dei mysteria proponebat planè, ac perspicuè, & in secreto, ac à turbis remoto loco; & tunc cum testamentum conderet, quo uoum è Sacramentis Ecclesiæ instituebat atque legabat, & in extremo vitæ suæ tempore, quos cum tea dilexisset in fine summo amore Joan. 13. *Dilexit eos*, certè hæ omnes circumstantiæ satis apertè significant Christum verbis planis ab omni amphibologia, æquivocatione, & tropo prorsus alienis suos fuisse discipulos alloquutum: & id voluisse propriè significare, quod verba sonant, cum id non repugnet. Ratio etiam hoc suadet: quia cum Christus carnem suam ad manducandum in sacramento citra ullam repugnantiam nobis dare voluerit; nullis aliis verbis planioribus significare id debuit, aut potuit, quàm illis, quæ de facto usurpavit, cum dixit: *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro nobis tradetur*: quod autem fuit à Judæis cruci affixum, ac morti traditum non fuit figura, nec sola virtus, vel efficacia corporis Christi; sed fuit ipsum Christi corpus verum, reale, substantiale. Tum quia D. Paulus, qui post Evangelistas explicuit nobis hoc mysterium Eucharisticum, nec ullam facit de hac figura Sacramentariorum mentionem; & tamen ad ipsum pertinebat; si verba Christi fuissent tropicè, vel metaphoricè prolata, illa nobis explicasset, ne falleremur intelligentes aliter ac debent intelligi verba Christi: atqui D. Paulus gravissimis verbis nos docet in Eucharistia veram, & realem præsentiam corporis, & sanguinis Christi: nam quæ vis verborum major, quæ authoritas orationis efficacior, quàm cum. 1. ad Corinth. 10. scribit: *Panis, quem frangimus, nonne communicatio sanguinis Christi est*, & 1. ad Corint. 11. *Qui manducat, & bibit, indignè judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini*. Apostolus igitur nobis explicans hoc mysterium, asserit in Eucharistia, esse verum, ac reale Christi corpus præsens non in figura, sed in propria vera, & reali substantia. Præterea quia Apostolus non figuræ, non virtutis, & efficaciæ corporis Christi, & sanguinis Domini, non spiritus Domini, sed veri, realis, ac substantialis corporis ipsius, & sanguinis participationem, & communicationem appellat, & assignans hujus admirabilis effectum subdit: *Quoniam unus panis: unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*. Quòd si in Eucharistia non sumeretur verum, ac reale corpus Christi; sed panis communis; fallum esset omnes Christianos de uno pane participare; quia diversi homines non solùm in diversis ac dissitis locis diversos comederent panes, sed etiam in uno eodemque loco, cum particulæ inter se disting tur numero; ergo si unus est panis, non intelligitur de pane materiali, nec de illius speciebus, sed de vera reali, ac substantiali Christi carne, quæ una est, ac eadem in omnibus particulis consecratis: dicitur hoc Christi corpus ab Apostolo panis derumpta denominatione à speciebus sensibilibus panis, quæ sub sensus cadunt. Sicut in veteri lege non unum tantùm agnum Paschalem omnes comedebant; quamvis Agnus Paschalis unum significaret Christum, quem repræsentabat; sed tot comedebantur agni, quot erant familiæ diversæ: secus in lege evangelica de uno eodemque pane omnes fideles comedunt, de uno eodemque sanguine bibunt, quia de uno eodemque Christi corpore, & sanguine sub speciebus consecratis panis, & vini participant. Hinc Apostolus 1. ad Corint. 11. agens de præparatione adhibenda in sumptione Eucharistiæ ita loquitur: *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini: Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit non dijudicans corpus Domini*. Quod si in hoc sacramento nihil alind esset præter memoriam, & signum passionis Christi; non fuisset opus tam gravibus verbis, Apostolum inculcare, ut se ipsum probet homo, ne impunè corpus Christi sumat: ergo quia sumit verum proprium ac substantiale Christi corpus.

Hanc veram, ac realem præsentiam substantialis corporis Christi in Eucharistia asseruerunt, ac docuerunt semper in Ecclesia sancti Patres, & perseveranter ab exordio Ecclesiæ ad nostra usque tempora propugnarunt. S. Ignatius Epist. ad Smyrn. ait: *Eucharistiam carnem esse Servatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quamque Pater sua benignitate excitavit*. S. Justinus Martyr Apolog. 2. asserit: *Eucharistiam esse incarnati Jesu carnem, & sanguinem ad eundem modum, quo Verbum Dei caro factum est, & carnem, ac sanguinem salutis nostræ causa habuit*. S. Irenæus Martyr lib. 4. cap. 54. & lib. 5. cap. 2. ait: *Panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini, & calicem sanguinis ejus*; & ex eo probat, Christum Dei Creatoris mundi esse Filium, & corpora nostra aliquando surrectura; & Panem verbo Dei consecratum non esse communem panem; sed Eucharistiam ex duabus rebus constantem, terrena, & cœlesti; scilicet speciebus panis & vini, & corpore ac sanguine Christi. S. Cyprianus epist. 54. & 65. de orat. Domin. vocat Eucharistiam *corpus, & sanguinem Domini*. S. Hilarius lib. de Trinit. asserit: *Nos verè Verbum carnem cibo Dominico sumere*, ideoque Christum naturaliter manere in nobis; & inde probat, Dei Filium esse unum cum Patre, non sola concordiæ unitate, sed naturæ. S. Joan. Chrysostomus homil. 83. in Matth. ait: Fideles in sacra Eucharistiæ communione idem corpus Christi sumere, quod Judæi cruci affixerunt. *Neque fide solùm*, ut censent Sacramentarii, *sed re ipsa*, adeo ut sumant verum, reale, ac substantiale Christi corpus, quod pro nobis fuit passum, mortuum, & postea resurrexit; & subdit, *linguam nostram illius sanguine cruentari; & ea re nos ali, quam Angeli trementes vident*. Nos cum illo in unam massam reduci, fierique corpus unum, & unam carnem. Christum Pastorem optimum suis membris oves suas nutrire, & proprio corpore nos alere, sibique conjungere, & iogluttinare, & id, quod est in calice, esse illud idem, quod fluxit ex latere, & nos participes illius esse, eò quia verè, & realiter recipimus corpus Christi, quod clavis confixum, quod lancea percussum fuit. Postea subjungit, idem corpus esse in Eucharistia, quod jacuit in præsepe, quod reveriti sunt Magi. Sanctus Ambrosius lib. de his, qui Myst. init. cap. 9. Non solùm vocat Eucharistiam Christi Domini carnem & sanguinem, sed illi etiam postponit manna ut umbram luci, ut figuram veritati, ut panem Angelorum corpori Authoris postea ait: *Potior est enim lux quàm umbra, Deitas quàm figura, corpus Authoris quàm manna de cœlo*. Deinde occurrit objectioni, quàm possent Sacramentarii opponere, inquiens: *Fortè dicas aliud video, quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, ut probemus scilicet hoc, quod conficimus corpus ex Virgine esse. & quod ante consecrationem verborum cœlestium panis fuit, ubi verba consecrationis accesserint esse corpus Christi. Ante verba consecrationis licet fuerit calix plenus vini, & aqua, ubi tamen verba Christi operata fuerint, ibi sanguinem efficì,*

ipsi, qui plebem redemit, eò quia Christus Dominus testificetur, quod corpus ejus accipiamus, & sanguinem, proinde nefas esse ea de re dubitare. D. Hieronymus epist. ad Marcell. & ad Heliodorum, ad Eustochium, appellat Eucharistiam Christi corpus quam oblationi Melchisedech ac panibus propositionis opponit ut veritatem figuræ lucem umbræ, & D. Augustinus ait: Christum corpus suum in manibus suis portâsse, quando conficiens corpus suum ac illud commendans ait: *Hoc est corpus meum*: & quamvis nemo dicatur portare suis in manibus suum corpus Christus tamen id præstitit, & in Eucharistia nos docet esse participes corporis Christi,, & est veritas nobis promissa in sacrificiis veteris testamenti, & in novo exhibita, quod Filio suo Deus aptavit, de quo per Prophetam ait Christus *sacrificium, & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi*, hinc Augustinus in Psal. 33. & 39. ait in altari dispensari *victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis computans delicta nostra.* Demum ut plerosque alios reticeam hic Patres attexere unum addam Cyrillum Alexandrinum lib. 4. in Joan. ubi per mysticam Eulogiam, seu Eucharistiam ait: Nos ipsum in nobis suscipere Filium: & cùm ejus carnem degustamos tunc vitam habere in nobis ac illi uniri perinde ac ipsa Verbo inhabitanti, & ob hanc causam ait in suscitandis mortuis non verbis tantùm, & nutu Deo conveniente Salvatorem operatum esse, sed carnem suam quasi cooperatricem ad hoc adhibuisse, *ut ostenderet illam vivificare posse, ac velut unum quid cum ipso jam factum esse*, & nonnullis interjectis subdit: *Quòd si solo tactu sanctæ carnis id, quod corruptum est, vivificatur, quomodo vivificam illam Eulogiam non uberiorem consequemur cùm eam degustabimus? in summonem ipsius bonum hoc est immortalitatem nos qui participes fuerimus omnino transformabit.*

Veram & realem præsentiam Christi corporis in Eucharistiæ sacramento in Conciliis itidem definitam, ac declaratam fuisse satis apertè constat ex eo quòd contra sacramentarios ab iisdem damnatos hanc adstruxerunt præsenciam, etenim, quia Berengarius Andegavensis Archidiaconus temerè ausus fuerit negare in Eucharistia veram, & realem substantialis corporis Christi præsentiam, & assereret signum tantum, & veluti figuram corporis Christi esse in Eucharistia statim in Romano primum Concilio sub Leone IX. Berengarii sententia ut hæretica damnata fuit, & ipse privatus communione anno quinquagesimo supra millesimum. Secundò, quia Joannes Scotus Erigena librum composuit in quo nitebatur sententiam Berengarii propugnare, eodem anno Concilio Vercelensi damnatus fuit, ut etiam in Concilio Parisiensi tempore Henrici Regis Christianissimi, imò etiam in Concilio Florentino sub Victore II. summo Pontifice Anno 1055. & etiam in Concilio Turonensi eodem anno coacto præsidentibus ejusdem Pontificis Legatis, & in hac Synodo Berengarius errorem suum ejuravit, seque retractavit, data subscriptione juramento firmata, ut etiam in Synodo Romana sub Nicolao II. 1059. in qua iterum hæresin ejuravit, fidemque Catholicam de vera præsentia reali corporis Christi in Eucharistia professus est, & habetur *in cap. Ego Berengarius dist. 2. de consecrat.* Rursus in Concilio Rothomagensi sub Archiepiscopo Maurilio anno 1063. cum Berengarius pristinum suum excitâsset errorem iterum damnatus fuit, ut Hæreticus, ut etiam in Concilio Pictaviensi præside Giraudo Episcopo Engolismensi sedis Apostolicæ Legato Anno 1075. ut etiam à duabus Synodis Romæ coactis sedente Gregorio VII. Pontifice Maximo Anno scilicet 1078. & 9. & demum à Concilio Burdegalensi Anno 1080. præside Hugone sedis Apostolicæ Legato iterum damnatus fuit Berengarius, ac hæreticus declaratus. Berengarii hæresis excitata iterum fuit à Waldeosibus, & Albigensibus, quos Innocentius III. in Concilio Oecumenico Lateranensi can. 1. damnavit. Demum veritas Catholica de vera ac reali præsentia substantialis corporis Christi in Eucharistia definita fuit à Tridentina Synodo contra Zvvinglianos, & Calvinistas, ait enim Synodus sess. 13. cap. 1. & can. 1. *Si quis negaverit in sanctissima Eucharistia Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem unà cum anima, & divinitate Domini nostri JESU Christi, ac proinde totum Christum sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo vel figura, aut virtute anathema sit.* D. Thomas 2. *part. quæst. 75. art. 1.* hanc eandem veritatem convenientissimis probat rationibus quarum primam desumit ex perfectione novæ legis, siquidem sacrificia Mosaicæ legis hoc sacrificium novæ legis, seu passionis Christi nonnisi in figura continebant, ut scribit Apostolus ad Hebræ. 10. *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem*, ideo conveniens fuit, ut sacrificium novæ legis à Christo institutum quid aliud plus haberet, ut scilicet contineret ipsum Christum passum non solùm in figura, & significatione vel signo sed etiam in rei veritate, adeo ut appositè dixerit S. Dionisyus lib. de ecclesiastica Hierarchia cap. 5. Ecclesiam nostram mediam esse inter synagogam, ac supernam Jerusalem, ac propterea utriusque rationem participare, hinc Catechismus Concilii Tridentini asserit satis mitari fideles nunquam posse sanctæ ecclesiæ perfectionem, ejusque gloriæ altitudinem, cùm inter ipsam, & cœlestem beatitudinem unus tantùm gradus interesse videatur. Hoc enim nobis cum cælitibus commune est, ut utrique Christum DEUM, & hominem præsentem habeamus; sed quo uno gradu ab illo distamus, illi præsentes beata visione perfruuntur; nos præsentem, sed tamen ab oculorum sensu sejunctum, ac remotum, & Sacrorum Mysteriorum admirabili integumento se occultantem firma, & constanti fide veneramur, hinc constat in ecclesia militante esse verum Sacramentum Eucharistiæ, in quo caro, & sanguis Christi Domini verè realiter, & substantialiter existont sub speciebus consecratis cùm quo Ecclesia militans convenit cum triumphante, quæ etiam possidet verum, ac reale corpus Christi Domini hoc tantùm discrimine, quòd Beati in cœlesti Patria Christum vident ut præsentem, ac illius beata visione perfruuntur: nos verò quamvis præsentem habeamus in Eucharistia non tamen beata illius præsentiæ visione perfruimur, neque sub illis accidentibus Eucharisticis illius aspicimus humanitatem, differt etiam à veteri lege, quia hæc in suis sacrificiis nonnisi in figuris, & velut in umbris nostrum præfigurabat sacrificium.

Secundam rationem D. Thomas loc. cit. deducit ex perfectione fidei, quæ sicut est de divinitate Christi ita etiam de illius humanitate, quatenus fideles firmissimè credunt Christi humanitatem ex vi consecrationis poni sub speciebus Eucharisticis juxta illud Joan. 14 *Credite in DEUM; & in me credite*, cùm enim Christus contineret Deitatem, & humanitatem utramque voluit, ut nos crederemus, in ipso sub speciebus Eucharisticis præsente: quòd si fides est invisibilium ita Christum invisibiliter suam

nobis exhibet divinitatem in hoc Sacramento, ut fide eam crederemus, ac plus meriti haberemus.

Tertiam rationem desumit D. Thomas ab amore, & charitate in nos, cum pro salute nostra dignatus fuerit æterni Patris Filius nostram assumere humanitatem, ac verum nostræ naturæ corpus est enim maximè proprium amicitiæ convivere amicis, seque frequenter invisere, ac simul communicare cordis secreta: quidni amantissimus Salvator præsentiam suam corporalem nobis repromitrit in præmium dicens Matth. 24. *Ubi fuerit corpus illuc congregabuntur & aquila:* non tamen sua nos destituit corporali præsentia cum in terris peregrinamur, sed per veritatem corporis & sanguinis sui nos sibi conjungit, & se ipsum nobiscum immiscet, ut ipso nutriamur, ac vegetiores effecti viam salutis percurramus velociores, & ad ipsum sedentem in cœlis ad dextram Patris perveniamus Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo;* quamobrem hoc sacramentum est veræ charitatis verus character nostræ spei nutrimentum, quia cum illo vescimur, spes nostra augetur vegetior; & Christus nobiscum inhabitat, possitque dictum ab æterna sapientia usurpare. Proverb. 8. *Delicia mea esse cum filiis hominum.*

CAPUT VII.

Exhibentur, & rejiciuntur aliquot Sacramentorum objectiones.

PRimò objiciunt verba Christi Luc. 22. ubi Christus nobis injungit cum Sacramentum Eucharistiæ institueret, ut illud sumamus in sui commemorationem Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* atqui quod fit memoria alterius non exigit illius præsentiam, quia memoria est tantùm rerum absentium, ac præteritarum, & non præsentium, ex quo inferunt Christum non esse realiter præsentem in Eucharistia, sed tantùm in figura excitante memoriam dominicæ passionis. Sed contra falsum est memoriam rerum omnium, quarum memores sumus absentiam earundem supponere, versatur enim memoria circa res omnes, quarum possumus oblivisci: undè cùm possimus oblivisci tam rerum absentium, quàm præsentium, cum nostros non afficiunt sensus, ideo possumus memoriam excitare etiam circa præsentes nostros hîc & nunc non afficientes sensus, & quia Christi corpus in Eucharistia licèt verè realiter, & substantialiter præsens nostros non afficit sensus rectè possumus in commemorationem illius sacram efficere synaxin, quinimò rerum etiam præsentium possumus oblivisci: an non est DEUS nobis præsens cùm in ipso, ut loquitur Apostolus, simus, vivamus, & moveamur, & tamen DEI obliviscimur cum per peccata lethalia ab ipso nos avertimus: quinimò etiam animæ nostræ qua vivimus, movemur, nutrimur, obliviscimur; quando illius non miseremur, sed eam per lethalem noxam à summo bono avertimus. Quamobrem memoria potest itidem esse de rebus nobis præsentibus nostros non afficientibus tunc sensus, proinde cùm Christi humanitas in Eucharistia nostros non cadat sub sensus rectè nobis injunxit Christus, ut in sui commemorationem sacram illam efficiamus synaxin. Quòd si Dei præsentis obliviscimur ejusdem itidem præsentis possumus comminisci: etiam populus Israeliticus jussus fuit recordari Domini Dei sui, & reprehenditur hoc nomine, quod oblitus fuerit Dei Creatoris sui Deuter. 8. Et Exodi 20. ait DEUS: *In omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei veniam ad te, & benedicam tibi.* An non Arca fœderis columna nubis, & ignis in deserto fuerunt memoriale DEI non quidem absentis cum DEUS per immensitatem, hoc est per essentiam præsentiam, & potentiam sit ubique præsens, sed verè, ac realiter præsentis, unde in Deuter. 4. dicitur; *Nec est alia natio tam grandis, qua habeat DEOS appropinquantes sibi, sicut DEUS noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Quid ni etiam Rex David fuit recordatus DEI sui præsentis, & ex tali memoria plurimum hausit oblectamenti *Memor fui DEI, & delectatus sum.* Quidni etiam Apostoli in prima Eucharistiæ sumptione potuerunt perfectissimè exequi, quòd Christianis omnibus injungitur: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis,* in hac enim recordatione mortis Christi includitur illa commemoratio, quam Salvator præcepit his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem:* ergo liquet verba illa commemorationis meæ non inferre absentiam corporis Christi ab Eucharistia, quia cum Christus hæc verba protulerit, cum hoc sacramentum instituit, inde sequeretur, quòd ejus realis præsentia sui substantialis corporis in ultima cæna non fuisset præsens in Eucharistia, quod nemo hactenus dixit. Quamobrem cum Eucharistia secundùm externas species, quæ oculis obversantur, & sub sensus cadunt non sit corpus, & sanguis Christi, & corpus Dominicum sit obvolutum talibus speciebus panis, & vini possunt optimè species sensibiles panis, & vini nostram refricare memoriam, qua recordemur corporis Christi præsentis quidem, sed latentis, & à nostris sensibus remoti, & soli nostræ fidei perspecti. Hinc sciè Algerus lib. 1. ait ad rem nostram: *Non enim frustra dixit Dominus hoc facite in meam commemorationem Sacramentum exhibens sicut verum fidei sit verè visibile excitanda commemorationi: ut quòd fidei certum est, mentem pascat, quod visui certum est devotione accendat. Quia enim illuc secundùm carnem cœlos oportuit penetrare, ut illuc confidentiùs tenderemus reliquit nobis carnalibus hujus sacramenti visibilem figuram, & characterem carnis, & sanguinis sui, ut sui passionis memoria incitati constantius hoc faceremus, quo pacto etiam ipsa ecclesia canit: DEUS qui nobis sub sacramento mirabili passionis tua memoriam reliquisti.* Secundum argumentum quo sacramentarii nituntur ad expungendam Christi præsentiam à speciebus Eucharisticis ex eo petitur, quia veteres in ecclesia Patres Eucharistiam dixerint figuram signum, typum, antitypum, similitudinem, speciem, Mysterium, & sacramentum corporis, & sangui-

sanguinis Christi, ex quibus deducunt Christi corpus & sanguinem verè & realiter non esse præsentia sub speciebus Eucharisticis, sed tantùm per figuram, signum, typum, similitudinem, speciem, & mysterium, adeo ut communicantes non nisi signum, & figuram sumant corporis Christi, non verò ejus realem substantiam. Sed contra quia quando Patres vocant Eucharistiam esse figuram, signum, typum, speciem &c. loquuntur de Eucharistia quatenus spectatur secundùm externam tantùm sui partem, quæ cadit sub sensus nostros non verò loquuntur de Eucharistia quatenus consideratur secundùm id, quod in ipsa internè latet, estque præcipuum invisibile. Unde secundùm externas species, quæ nostris obversantur oculis est Eucharistia, figura, signum, mysterium, & sacramentum corporis, & sanguinis Christi, sed secundùm rem in ea latentem est verum reale, ac substantiale corpus & sanguis Christi; Sancti Patres semper Eucharistiam sub utroque respectu spectârunt, proinde secundùm id exterius quod cadit sub sensus nostros dixerunt esse figuram, & typum &c. secundùm verò id, quod interiùs latet asseruerunt esse verum, reale, ac substantiale corpus Christi, & ejus sanguinem. Hinc Pascasius lib. de sacramento corporis, & sanguinis Christi ait: *Est autem figura, vel character hoc, quod exteriùs sentitur, sed totum veritas & nulla adumbratio, quod intrinsecùs percipitur. Veritas est dum corpus Christi & sanguis virtute spiritus in verbo ipsius ex panis, vinique substantia efficitur. Figura verò dum sacerdos quasi aliud exterius gerens ob recordationem sacræ passionis ad aram venit, & quod semel gestum est, quotidie immolatur agnus.* Quamobrem veteres Patres Eucharistiam interdum figuram vocârunt non tamen vacuam, & inanem, sed plenam non solùm virtutis, & efficaciæ sed etiam ipsius substantiæ corporis, & sanguinis Christi; dixerunt extimam illam accidentium congeriem figuram veritati tamen conjunctam eamque includentem, seu verum, reale, ac substantiale Christi corpus: sicut enim arca dicitur figura Ecclesiæ non simpliciter, ut erat ex lignis compacta, sed ut comprehendebat Noëmusque filios qui temporis illius ecclesia erant, perinde species in Eucharistia, quæ sub sensus cadunt nostros figura dicuntur Eucharistiæ non tamen simpliciter, sed ut includunt verum reale, ac substantiale Christi corpus, & sanguinem. Rursus templa nostra materialia dicuntur ecclesiam continere, cujus & asserunt figuræ non tamen ut constant tantùm ex calce, gypso, ligno, & lapidibus, sed ut includunt societatem fidelium. Columbæ itidem, & igneæ linguæ symbola, & figuræ exstiterunt Spiritus Sancti, non tamen fuerunt figuræ separatæ, sed eidem unitæ realiter. Ablutio itidem exterior quæ fit in baptismo figura habetur internæ abstersionis, cui etiam conjungitur, ut non detur externa ablutio sine interna: perinde species Eucharistiæ quæ sub sensus cadunt exteriores figuræ à sanctis Patris vocantur Dominicæ cœnæ, ac veræ, realis, ac substantialis præsentiæ corporis, & sanguinis Christi non tamen absentia, sed præsentis sub iisdem speciebus. In animali sanguis est signum animæ, & in scripturis sacris sanguis vocatur anima; atqui est signum animæ præsentia non absentis: ergo quamvis species Eucharisticæ dicantur esse figuræ corporis & sanguinis Christi non tamen absentis, sed præsentis, ac sub iisdem Eucharisticis speciebus latentis: Hinc D. Augustinus lib. contra Adimantium Manichæum cap. 12. ait: *Non dubitavit Dominus dicere: Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui.* Præterea corpus, & sanguis Christi obvoluti speciebus panis, & vini sunt figuræ corporis Christi non sub iisdem speciebus, sed ut immolati in cruce; ut etiam sanguinis, non ut contenti in calice, sed ut fusi in passione: non enim repugnat idem esse figuram sui ipsius sub diversa ratione, vel statu, ut explicat Lanfrancus contra Berengarium quem acriter impugnat lib. de corpore, & sanguine Domini cap. 14. inquiens. Sacramentum corporis Christi, quantum ad id spectat, quod in cruce immolatus est ipse Dominus Christus, caro ejus est, quam forma panis opertam in sacramento accipimus, & sanguis ejus, quem sub vini specie, ac sapore potamus, Caro videlicet carnis, & sanguis sacramentum est sanguinis. Carne, & sanguine utroque invisibili, intelligibili, spirituali significatam Redemptoris corpus visibile, palpabile, manifestè plenum gratia omnium virtutum, & divina majestate. Quorum alterum quidem dum frangitur, & in populi salutem dividitur; alterum verò effusum de calice ab ore fidelium sumitur; mors ejus in cruce, & sanguinis ejus de latere emanatio figuratur, utrumque B. Gregorius in 4. Dialogi libro exponit dicens: *Ejus quippe caro ibi sumitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Pensandum ergo est, quale sit hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra mortem unigeniti Filii semper imitatur, quia resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominatur.* Caro ergo & sanguis quibus ad impetrandam pro peccatis nostris Dei misericordiam quotidie alimur, Christi corpus, ac sanguis vocantur, non solùm quia essentialiter idem sunt, qualitatibus plurimum discrepantes verùm etiam locutionis modo, quo res significans significatæ rei solet vocabulo nuncupari: Nec justè quisquam movebitur, si eadem caro, idemque sanguis sui ipsorum sacramenta existant secundùm aliud atque aliud accepta: cùm ipse Dominus Jesus post resurrectionem suam sui ipsius diversa temporum ratione typum gesserit, & figuram. Apparens enim duobus discipulis locutusque eis quantum satis esse judicavit, dum finxit se longius ire, sicut B. Augustinus dicit: significavit se post paucos dies in cœlum ascensurum esse. Quod iter longè remotum est à commune hominum vita, quæ ipsi est duobus discipulis evidentissimè figurata. Christus ergo Christi est sacramentum longiùs videlicet ire se fingens, longius suo tempore ascendentis in cœlum: idem ejusdem, nec tamen utrumque ejusdem. Verus namque DEUS, & verus homo, & fingens & ascendens. Verumtamen aliud est figmentum terreni itineris, aliud in cœlum veritas ascendentis. Nec aliquis ita desipuerit, ut propterea abnegare præsumat fingentem se longius ire esse Christum verum, quia ipso figmento longioris itineris significavit verum Christum ascensurum in cœlum hactenus Lanfrancus.

In eundem sensum D. Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 16. explicans verba illa: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* ait: *Facinus vel flagitium videtur jubere si secundùm ideam Capharnaitarum intelligantur verba illa figuratam esse locutionem. Figura ergo est præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter, atque utiliter recondendum in memoria, quod caro ejus pro nobis crucifixa, & vulnerata sit.* Quamobrem manducatio carnis Christi, est vera sumptio ejus sanguinis incruento invisibili & impassibili modo est sumptio utriusque speciei Eucharisticæ, non cruento illo, & barbaro, quem Capharnaitæ intelligebant rei alicujus figura est, scilicet passionis Christi, cui manducando commu-

municamus & mortis ejus, ac passionis memoriam recolimus. Rursus Eucharistia est figura corporis Christi, prout in cœlo à Beatis post resurrectionem generalem corporeis oculis manifestè aspicietur, ut innuit S. Ambrosius lib. 1. de officiis cap. 48. ubi ait: *Hic umbra hic imago; illic veritas. Umbra in lege, imago in Evangelico, veritas in cœlestibus. Ante agnus afferebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quasi advocatus intervenit.* In eundem sensum Joannes Damascenus lib. 4. fidei orthodoxæ cap. 14. vocat mysterium Eucharistiæ figuram rerum futurarum, non quòd revera corpus, & sanguis Christi non sit, sed quia nunc quidem divinitatis Christi per mysteria Eucharistica participes efficimur; tunc autem scilicet in cœlesti patria nonnisi intellectuali modo, ac per solum aspectum. Demum dicitur Eucharistia mystica figura corporis, & sanguinis Christi, quatenus est consociatio, & colligatio spiritualis Christianorum ad invicem veluti membrorum sub uno capite, in quo sensu D. Augustinus Tract. 26. in Joan. ait: *Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligant. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi. De Spiritu Christi non vivit nisi corpus Christi* & paucis interjectis subdit: *Inde est, quòd exponens nobis Apostolus hunc panem, ait unus panis, unum corpus multi sumus. O sacramentum pietatis! ò signum unitatis! ò vinculum charitatis! qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Non abhorreat à compage membrorum, non sit putre membrum, quod resecari mereatur, non sit distortum, de quo erubescatur, sit pulchrum, sit aptum, sit sanum: hæreat corpori, vivat Deo de Deo: nunc laboret in terra, ut postea regnet in cœlo, ait enim Apostolus 1. Corinth. 10. recitans verba Christi: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Hanc ergo non habet, qui istum panem non manducat, nec istum sanguinem bibit. Nam temporalem vitam sine illo habere homines possunt, æternam verò vitam possidere omnino non possunt.* Per hunc igitur cibum, & potum vult societatem intelligi corporis, & membrorum suorum, seu ipsam Ecclesiam in prædestinatis, & vocatis, justificatis, & glorificatis. Ecce quibus modis à sanctis Patribus asseritur Eucharistia esse figura, ita tamen, ut nunquam sit vacua, sed semper plena, seu nunquam excludat veram, ac realem, & substantialem Christi carnem, ejúsque sanguinem, sed semper utrumque includat, ut declarat Synodus Oecumenica VII. quæ est secunda Nicæna Act. 6. ubi Epiphanius Diaconus Pseudo-Synodum Iconomachorum nomine sanctæ Synodi impugnans ait: *Nullus aliquando turbarum Spiritus Sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum incruentum sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri, ac omnis dispensationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis ejus. Neque enim acceperunt à Domino sic dicere, vel confiteri.* Deinde recitatis verbis Christi Joan. 6. ubi hoc sacramentum promittit, & prolatis verbis, quibus illud instituit Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. ut & verbis Apostoli referentis se à Domino accepisse. 1. Corinth. 11. Postea colligit nusquam Dominum vel Apostolos, aut Patres unquam Sacrificium incruentum, quod per Sacerdotem offertur, dixisse esse solam figuram vacuam, & solam imaginem Corporis, & Sanguinis Christi, sed asseruisse semper fuisse ipsum Corpus Christi, & ejus Sanguinem. Et subjungit quosdam Patres ante consecrationem, ut S. Eustachius Antiochenus, & S. Basilius panem & vinum nominâsse *typos*, sed post consecrationem semper asseruisse esse sub speciebus panis, & vini propriè, verè, & substantialiter Corpus, & Sanguinem Christi ita enim semper crediderunt, & alios docuerunt. Secus Iconomachi nitentes venerabilium imaginum demoliri visionem, & everrere cultum; aliam imaginem introduxerunt, quæ non est imago, sed Corpus, & Sanguis.

Objiciunt ulterius Sacramentarii ad proprium corroborandum dogma verba illa D. Augustini in Tract. 25. in Joan. ubi ait: *Ut quid paras dentes & ventrem? crede & manducâsti.* Quòd si ex quo credimus verè, & spiritualiter manducamus, sequitur sub speciebus Eucharisticis præsentem non esse carnem Christi, nec ejus Sanguinem. Sed contra, quia D. Augustinus loc. cit. non loquitur de Eucharistia, quasi sola Fides sufficiat, ut illam sumamus, & effectum carnis, & Sanguinis Christi percipiamus, sed sermo ibi est de Fide in Christum Salvatorem, Augustinus enim totus est in hoc explicando, *quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducâstis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, dixerunt ergo ad eum, quid faciemus, ut operemur opera Dei, respondit Jesus & dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille:* Et hoc ait Augustinus manducare cibum, qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam, & ait: *Ut quid paras dentes, & ventrem? crede & manducâsti,* duplex est manducatio una per Fidem tantùm, qua credimus in Christum Salvatorem, & per hanc pascimur quatenus unimur Christo, eique per Fidem adhæremus: alia est manducatio non per solam Fidem, verùm etiam per veram realem sumptionem substantialis carnis Christi Domini, & per veram, ac realem sumptionem substantialem ejus Sanguinis, & hæc manducatio est, qua per gratiæ augmentum & dona spiritualia reficimur, & corroboramur, hinc Augustinus lib. 11. contra Adversarium legis, & Prophetarum cap. 12. ait: *Mediatorem Dei, & hominum hominem Christum Jesum carnem suam nobis manducandam, bibendumque Sanguinem dantem, fideli corde, atque ore suscipiunt; quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum Sanguinem potare, quàm fundere.* Hujus duplicis manducationis alii Sancti Patres etiam meminerunt, qui tres rationes sumendi hoc Sacramentum sapienter distinxerunt, ut observat Tridentina Synodus Sess. 13. cap. 8. inquiens: *Quosdam enim docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere, & peccatores alios tantùm spiritualiter illos nimirum qui voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide vivâ, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiunt. Tertios porro sacramentaliter simul, & spiritualiter, hi autem sunt qui ita se prius probant, & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant.*

Objiciunt iidem Sacramentarii verba Christi Matth. 26. *Semper pauperes habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Ex quo inferunt in Eucharistia non esse veram, & realem præsentiam corporis & Sanguinis Christi, alioquin cùm possent Eucharistiam semper conficere, ac retinere, semper Christum habuissent. Ut etiam illud Joan. 16. *Relinquo mundum, & vado ad Patrem,* imò addunt etiam symbolum Apostolicum in quo de Christo dicitur, quòd in cœlum ascenderit, & sedeat ad dexteram Patris, ex quo inferunt nullo pacto posse alibi esse, quàm ad dex-

teram

teram Patris, consequenter præsentem non esse Christum in Eucharistia sub speciebus panis, & vini, putantes non posse idem corpus pluribus inesse locis. Sed contra quia ex eo, quòd Christus reliquerit mundum, tametsi ejus Discipuli habituri semper essent pauperes, non verò ipsum Christum, tametsi dicatur sedere ad dexteram Patris ex nullo horum testimoniorum, sequitur Christum secundùm carnem, & Sanguinem non esse præsentem in Eucharistia sub speciebus panis, & vini; reliquit quidem mundum nec semper cum hominibus præsentia sensibili fuit conversatus, sed præsentia sensibili reali, ac substantiali semper est in Eucharistia fuit igitur Christus locutus de præsentia sensibili, quam Discipuli non semper erant habituri, tametsi pauperes nunquam essent illis defuturi: ut etiam de præsentia sensibili loquitur cùm Joan. 16. dixit: *Relinquo mundum, & vado ad Patrem*, scilicet præsentia sensibili relinquo mundum, nec deinceps in mundo ero conversaturus modo visibili. Hunc fuisse sensum verborum Christi ex eo desumitur, quia Christus Luc. 24. alloquens suos Discipulos post Resurrectionem suam ajebat: *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos dum adhuc essem vobiscum*, scilicet, dum adhuc essem vobiscum præsentia visibili, & sensibili, sicut erat antea, tametsi alio modo fuerit præsens, & ut talis loqueretur licèt non ut homo mortalis sicut antea, nec eadem præsentia, ut explicant Sancti Patres. Hinc cùm dixit relinquo mundum, significavit tantùm se in mundo visibili visibiliter sicut antea more hominum mortalium, deinceps non futurum: non tamen negat, se invisibili sacramentali, ac ineffabili modo semper in mundo mansurum; quinimo hoc apertè promisit Matt. 22. cùm Discipulos de suo discessu consolatus dixit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, scilicet non modo visibili, sicut antea cum esset homo mortalis; sed modo invisibili, & sacramentali sub speciebus panis & vini: & hunc esse sensum verborum Christi clarius etiam patet ex D. Marco cap. 14. ubi Christus suos alloquens Discipulos ait: *Semper pauperes habetis vobiscum, & cùm volueritis potestis illis benefacere, me autem non semper habebitis*, hoc est sensibiliter, sicut vobiscum sum modò: sed præsentia invisibili sub speciebus panis, & vini in Sacramento Eucharistiæ, quod institui, ut vobiscum essem omnibus diebus usque ad consummationem sæculi; & licèt idem corpus nequeat naturaliter pluribus inesse locis, non tamen virtute divina operante supra naturæ leges, & spectata Dei omnipotentia repugnat idem corpus pluribus inesse locis, ait enim Augustinus lib. de cura pro mortuis habenda cap. 109. *Alii sunt humanarum limites rerum, & alia divinarum insigna virtutum: alia quæ naturaliter, & alia quæ mirabiliter fiunt:* scilicet supra consuetas naturæ leges, quo pacto perambulavit marinos fluctus sicco vestigio, cæco nato visum, & mortuis vitam restituit, & plura alia mirabiliter effecit quæ totius naturæ vires superant: hâc virtute apparuit D. Petro ab Urbe Roma discedenti, & D. Paulus in Actis Apostolorum testatur Christum sibi apparuisse, tametsi non desierit in cœlis esse, neque Patris dexteram reliquerit secundùm illud Act. 3. *Quem oportet quidem cœlum recipere, usque in tempora restitutionis omnium*: Unde cùm non repugnet Christum manere in cœlo veluti in loco propriæ majestati, ac gloriæ debito virtute divina fieri præsentem in terra. Potest etiam fieri in Altaribus ubique terrarum præsens, & quidem præsentia vera reali, & substantiali proprii Corporis, & Sanguinis sub infinitis propemodum speciebus sacramentalibus hinc S. Gregor. Nissen. orat. de Paschate ait: Sicut divinitas replet mundum, & tamen una est; ita innumerabilibus locis consecratur, & tamen unum corpus est: adfert similitudinem Deitatis, quæ sicut per immensitatem una ac eadem replet, occupátque singula mundi spatia perinde Corpus Christi, quamvis unum, ac idem virtute divina per verba Consecrationis fit præsens ubique locorum ubi species panis, & vini consecrantur: Idque etiam explicat S. Joan. Chrysost. homil. 11. ad popul. Antiochen. ubi ait: *Helias Melotem Discipulo reliquit: Filius autem Dei ascendens suam nobis carnem reliquit, sed Helias quidem exutus; Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit. Ne igitur animo concidamus: qui enim sanguinem suum pro omnibus effundere non recusavit, & carnem suam: & rursus ipsum sanguinem nobis communicavit, quid pro salute nostra facere non recusavit?*

Demum objiciunt Sacramentarii verba Christi Joan. 6. v. 63. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam, verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, quæ verba expendens D. Augustinus in Psal. 98. asserit esse intelligenda spiritualiter ait ipse: *Spiritualiter intellige, quod locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum Sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum quod vobis commendavi spiritualiter intellectum vivificabit vos. Et si necesse est, illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi*: Ex hac Augustini explicatione colligunt Sacramentarii Christum vera præsentia reali, & substantiali non esse sub speciebus Eucharisticis, panis, & vini; sed tantùm sumi spiritualiter, non realiter corporaliter scilicet ore cordis, seu fidei. Rursus nec esse idem corpus, quod natum est de Virgine, & quod Apostoli videbant, & audiebant Magistrum eos docentem, neque eundem Sanguinem quem fudit in Cruce; sed tantùm communicantes sumere signum cœlesti virtute & efficacia repletum. Sed contra, quia cùm Christus Joan. 6. dixit. *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam*, ita intelligendus est, ut caro secundùm se spectata sine Spiritu, non prosit quidquam, bene tamen caro vivificata spiritu multum prodest; perinde ipsa Christi caro absque verbo divino nostram non fuisset redemptionem operata, sed ut conjuncta verbo divino nobis profuit & causa fuit nostræ salutis, quatenus sua morte nos vivificavit, & Sãguinis sui fusione veluti soluto pretio nos redemit à famulitio Dœmonis, quapropter dixit Christus Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, quatenus caro Filii hominis in Eucharistia verbo divino conjuncta ut etiam ejus Sanguis nos corroborat, ac reficit, ut alacres, ac nervosiores percurramus viam salutis æternæ. Non enim cùm Christus nos invitat ad manducandam suam carnem, & bibendum suum Sanguinem, ita intelligendum est sicut Capharnaitæ, & rudiores quidam Discipuli intellexerunt, quasi particulas quasdam de corpore suo præcisurus esset Dominus quas daret suis Discipulis ad manducandum, vitesque reficiendas, perinde ac Pater suis solet filiis buccellas præcisæ carnis exhibere ad manducandum, ait Augustin. id esse intelligendum spiritualiter, & modo supernaturali, ac invisibili, & per virtutem Spiritûs S. quod esset daturus carnem suam, non tamen passibilem, nec sub visibili specie, sed immortalem impassibilem gloriosam, & per talem manducationem Dominicæ carnis, & potationem Sanguinis non corporis vires, sed animæ virtutem per incrementa gratiæ divinæ corroborarent, ac reficerent: quapropter Discipoli corpus idem secundùm substantiam erant manducaturi, quod videbant; & ejusdem Sanguinem secundùm substantiam bibituri, quem Judæi ex inflictis Christi Corpori Sacratissimo vulneribus erant fusuri; sed non eundem secundùm sta-

tum, & qualitatem. Manducamus igitur idem verum reale, ac substantiale Christi Corpus in Sacramento Eucharistiæ, sed non amplius passioni, ac morti obnoxium, sed immortale, impassibile, & gloriosum, adeo ut si status est diversus diversum non sit corpus quod manducamus, sed prorsus idem, quod in Ara Crucis fuit à Judæis immolatum. Neque cùm Christus Corpus & Sanguinem suum nobis dat ad manducandum, & bibendum id intelligitur eo sensu, ut sermo non fuerit de cibo, & potu spirituali. quod solâ fidei apprehensione manducatur, sed de vera propria, & substantiali sua carne, & de vero, ac substantiali proprio suo Sanguine, quo tametsi non alamus corpus, nec ejus membra nutriamus; reficimus tamen animam, quam spiritualiter nutrimus, quo pacto Sacramentali, ac miraculoso, & ineffabili modo manducamus carnem Christi, & ejus Sanguinem bibimus. Huc accersendus D. Augustinus Tract. 27. in Joann. ubi explicans quo sensu Joan. 6. Christus dixerit; *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam* ait: *O Domine Magister bone, quomodo caro non prodest quidquam? cùm tu dixeris: Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit Sanguinem meum, non habebit in se vitam?* An vita non prodest quidquam? & propter quid sumus, quod sumus, nisi ut habeamus vitam æternam, quam tuâ carne promittis? quid est ergo non prodest quidquam caro? Non prodest quidquã; sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est, caro non prodest quidquam: quomodo dictum est scientia inflat? sola sine charitate. Ideo adjunxit charitas verò ædificat. Adde ergo scientiæ charitatem, & utilis erit scientia; non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc; Caro non prodest quidquam, sed sola caro: accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, & prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset; Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. Si per carnem nobis profuit Christus; quomodo caro nihil prodest? sed per carnem spiritus aliquid pro salute nostra egit. Caro vas fuit: quod habebat attende, non quod erat. Apostoli missi sunt, nunquid caro ipsorum nihil nobis profuit? Si caro Apostolorum nobis profuit. Caro Domini potuit nihil nobis prodesse? unde ad nos sonus Verbi, nisi per vocem carnis? unde stilus, unde conscriptio? ista omnia opera sunt carnis, sed agitante spiritu tanquam organum suum. Spiritus ergo est qui vivificat: caro autem non prodest quidquam: sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandum carnem meam. Hactenus Sanctus Augustinus.

Sed instant ex eodem D. Augustino Tract. 26. in Joannem ubi expendens verba Christi. *Hic est panis, qui de cœlo descendit, ut si quis manducaverit ex ipso non moriatur:* hoc pacto illa interpretatur: *sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum. Qui manducat intus non manducat foris, qui manducat in corde, non premit dente*: ex hisce Augustini verbis, inferunt Sacramentarii, Christi corpus ore corporis non recipi, ac manducari adeoque in Eucharistia realiter præsens non esse. Sed contra, quia D. Augustinus nullibi negat Christi Corpus ore corporis à fidelibus manducari, ac sumi cùm in Ecclesia communicant; sed loc. cit. vult tantùm æternæ vitæ promissionem iis factam minimè esse, qui dente tantùm premunt, non verò corde manducant; seu qui tantùm foris manducant, non intus, in Ecclesiæ unitate, & societate membrorum sub capite Christo Jesu; neque sunt membra Corporis Christi; quia per Fidem, & charitatem non conjunguntur Christo; non verò D. Augustinus excludit manducationem Sacramentalem, quæ fit ore corporis; sed ut hæc salutifera fit non sufficit sola materialis, & corporea manducatio; sed ulterius requiritur spiritualis, ac intellectualis manducatio, quæ fiat per fidem, & charitatem, ac corde puro, ac mundo ab omni lethali noxa defœcato; hanc utramque manducationem explicat D. Augustinus tract. 27. in Joan. ubi ait: *Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, ut carnem Christi, & Sanguinem Christi non edamus tantùm in Sacramento, quod est multi mali; sed usque ad spiritus participationem manducemus, & bibamus, ut in Domini corpore tanquam membra maneamus, ut ejus spiritu vegetemur, & non scandalizemur: etiamsi multi modo nobiscum manducant, & bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta.* Neque obstat si dicas D. Augustinum tract. 26. in Joan. asserere, *Credere in eum hoc est manducare panem vivum*: Sed panis vivus est panis Eucharisticus, qui panis vitæ dicitur: ergo per solam Fidem manducamus; non verò Christi Corpus sub speciebus panis & vini. Sed contra quia tametsi Christus moralem sensum explicet illorum verborum: *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum*: Non tamen excludit sensum litteralem Sacramentalis manducationis carnis veræ, realis, ac substantialis Christi, quæ ore corporis exercetur. Sicut in eodem tractatu asserit de muliere Hemorrhoissa, quæ fimbriam vestimenti ejus tetigit: *quid est tetigit* (ait Augustinus) *nisi credidit*; ex eo quòd crediderit non excludit realem, ac physicum contactum fimbriæ, de quo Luc. 8. 44. habetur: *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus.* Eodem modo quamvis Augustinus non neget, Christum fame, & siti laborâsse; explicat nihilominus famem, & sitim Christi fuisse desiderium nostræ salutis in Psal. 78. Pari pacto cùm dixit: *Credere in eum hoc est manducare panem vivum*, explicat fidem necessariam in Christum ut fideles ritè, & utiliter communicent; non tamen negat, quin ore corporis caro Christi manducetur.

Neque ullum facessunt negotium alia Augustini verba, quæ consueverunt Sacramentarii producere ad confirmandum suum dogma, ait enim Augustinus tract. 25. in Joan. *Ut quid paras dentes, & ventrem? crede & manducasti*: Ergo ex Augustino non est necesse comedere Eucharistiam, nec illam deglutire; quia sola Fides sufficit, ut quis comedat, seque reficiat. Nam contra est; quia Augustinus ibi non instituit sermonem de Eucharistia; sed de fide in Christum Salvatorem: siquidem expendit verba illa. *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis*, in quæ verba ait S. Augustinus: *Operamini non cibum qui perit*, unde non loquitur de cibo Eucharistico, sed materiali corruptioni obnoxio; unde subdit; *Sed operamini cibum, qui permanet in vitam æternam*, id est opera digna vitæ æternæ. *Dixerunt ergo ad eum. Quid faciemus ut operemur opera Dei?* scilicet quæ sint permansura in vitam æternam, *Respondit Jesus & dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Hoc est ait S. Augustinus manducare cibum qui non perit, sed qui permaneat in vitam æternam; hinc dixit: *Ut quid paras dentes & ventrem?* Ut vivas vita mortali, ut corpus reficias corruptioni, ac putredini obnoxium: *Crede & manducasti*, seu actus elicias Fidei, & aliarum virtutum, quæ charitate informentur, & manducâsti, seu spiritum refecisti, nutrivisti: hic enim *cibus, qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Cæterum Augustinus præter manducationem hanc spiritualem, quâ per elicientiam bonorum operum nutritur, reficitur spiritus, sitque ore cordis, & per fidem vivam, seu informatam charitate;

u agnoscit, asseritque aliam manducationem sacramentalem, quæ fit ore corporis in sumptione Eucharistiæ; & utramque manducationem distinguit, & probat lib. 12. contra Adversarium Legis, & Prophetarum cap. 12. inquiens. *Mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque ejus sanguinem dantem fideli corde, atque ore suscipimus; quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere; & humanum sanguinem potare, quàm fundere:* ait Augustinus, Christum Dominum nobis dedisse suam carnem manducandam, & suum sanguinem potandum ore corporis, sed non tantùm, sed etiam ore cordis, fideli corde, seu puro spiritu ab omni lethali noxa purgato; quia etiam existentes in lethali culpa interdum communicant; & sumunt ore corporis carnem & sanguinem Christi in propriam perniciem. Hæc duplex manducatio ab aliis itidem sanctis Patribus asseritur, & explicatur. Imò Concilium Tridentinum observat à sanctis Patribus tres fuisse manducationes notatas, quarum prima est in perniciem manducantium; ut cum existentes in peccato lethali audent communicare. Secunda manducatio quæ fit ore cordis, ut superiùs explicuimus; & tertia, quæ ore corporis exercetur, cum fideles corde fideli, seu puro, ac libero ab omni noxa sumunt ore corporis carnem, & sanguinem Jesu Christi, ait Tridentina Synodus sess. 13. cap. 8. *Quosdam docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere, ut peccatores; alios tantùm spiritualiter; illos nimirum, qui voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide viva, qua per dilectionem operatur, fructum ejus, ac utilitatem sentiunt. Tertios porro sacramentaliter simul & spiritualiter; Hi autem sunt, qui ita se priùs probant, & instruunt, ut vestem nuptialem induti, ad divinam hanc mensam accedant.*

CAPUT VIII.

An Christus fiat præsens in Eucharistia per unionem hypostaticam Personæ Verbi cum Pane adeò ut substantia panis, & vini post consecrationem maneat.

Dupliciter potest intelligi Christum fieri præsentem in Eucharistia per unionem hypostaticam. Primò ut Christus fiat præsens per unionem hypostaticam personæ Verbi divini cum pane. Secundò ut fiat præsens per unionem hypostaticam Corporis Christi cum pane, accipiendo Corpus Christi pro altera parte compositi coalescentis ex Christi Corpore, & ex substantia panis, & vini; adeo ut hæc maneat in Eucharistia una cum Christi Corpore post consecrationem. Hoc secundum docuit Lutherus libro de captivitate Babylonica, ubi profert hanc propositionem *Panis est Corpus Christi*, quam veram asserit propter unionem panis cum Christi Corpore. Primam unionem asseruit, docuitque Rupertus Tuitiensis *lib. 6. in Joannem* ubi explicans verba illa Joan. 6. *Panis quem ego dabo caro mea est*, ait Verbum æternum per incarnationem factum hominem fuisse non destruendo, vel mutando, sed assumendo personaliter humanitatem, & perinde per consecrationem, idem verbum fieri panem non destruendo, vel mutando, sed assumendo personaliter panem; unde expressè fatetur, Christum esse panem post consecrationem, sicut est homo per incarnationem. Rursus libro de divinis officiis variè nititur explicare, seu potius implicare suum errorem. Primò asserit panem vi verborum consecrationis fieri Corpus Christi non quod convertatur in carnem Christi; sed quia assumitur à persona Verbi: ex quo ait sequi panem esse Corpus Christi non humanum, & carneum, sed panaceum, ac longè diversum ab illo quod de Virginis Sanguine ope Spiritus Sancti efformatum fuit. Secundò asserit hæc duo corpora posse dici unum, quatenus utriusque est idem suppositum, seu una & eadem persona, quæ utrumque assumpsit. Tertiò, hæc duo corpora panaceum, & carneum esse unum, quia idem Christus est in carne sursum in pane deorsum; seu idem Christus habet duo corpora unum carneum in cœlo, & alterum panaceum in Altari. Quartò impios, & existentes in peccato lethali nihil accipere nisi corpus panaceum; pios autem accipere utrumque. Cùm enim idem Christus sit sursum in carne, & deorsum in pane; ideo solùm in pane sumitur ore corporali, quod est commune piis, & impiis; in carne autem, quæ est sursum, non sumitur nisi ore spirituali, quo carent impii. Verùm hæc sententia facilè rejicitur; & falsitatis convincitur. Primò, quia tametsi hujusmodi hypostatica unio non esset impossibilis, non tamen probari potest facta ex Scripturis, nec ulla Sanctorum Patrum authoritate cùm ante Rupertum nullus eam asseruerit. Secundò quia adversatur verbis Christi Joan. 6. *Panis quem ego dabo caro mea est:* Siquidem in sententia Ruperti, panis quem dat Christus in Eucharistia non est caro Christi, sed corpus panaceum: unde si verba Christi vera sunt, Ruperti sententia necesse est, falsa sit. Tertiò pugnat cum verbis Christi. *Hic est sanguis meus*, tametsi panis, & vinum hypostaticè essent unita verbo, sicut eidem verbo unita sunt caro, & sanguis Christi, non tamen possemus dicere: *Hoc vinum est sanguis Christi*: Sicut non licet dicere: *Hæc caro est sanguis Christi*; quia communicatio idiomatum debet fieri in supposito, adeò ut termini propositionis debeant significare suppositum, & non aliquam tantum partem suppositi. Demum hæc sententia pugnat cum præsentia carnis, & sanguinis Christi in eucharistia. Secunda Lutheranorum unio facilè ex eo refellitur: quia unio hypostatica non fit in natura, sed in persona, seu subsistentia: & in Christo Domino non est alia persona quàm verbi divini: ergo si panis unitur Christo, non illi unitur in natura humana, vel aliqua illius parte, sed in persona verbi quod est falsum; quia persona verbi assumpsit non substantiam panis, sed naturam humanam.

Sed omissu hoc unionis modo id impugnabitur, quod commune est omnibus Lutheranis; scilicet substantiam panis, & vini post consecrationem adhuc remanere in Eucharistia. Contra quos dicendum est primò, totam substantiam panis, & vini in Eucharistiæ sacramento post consecrationem non remanere, sed totam divina virtute converti in totam corporis Christi, ac ejus sanguinis substantiam: estque dogma catholicum definitum in pluribus conciliis præsertim Romano sub Gregorio VII. Lateranensi sub Innocentio III. ubi dicitur: panem, & vinum trãsubstantiari in corpus, & sanguinem Christi. In Constantiensi sess. 8. ubi damnatur error Wicleffi docentis, substantiam panis, & vini manere in Sacramento altaris. In Florentino in instructione Armenorum, ubi expressis verbis ponitur hæc mutatio panis in corpus Christi, & demum in Tridentino sess. 13. can. 2. ubi habetur: *Si quis dixerit,*

xerit, in Sacramento Eucharistia remanere substantiam panis, & vini, unà cum corpore, & sanguine Christi anathema sit.

Ut autem clariùs procedamus, juvat observare, ac explicare quatuor conditiones, quæ ad veram rationem conversionis requiruntur: quarum prima est, ut res, quæ dicitur converti, & est terminus *à quo* conversionis desinat esse, quia de re manente in seipsa non potest intelligi, quomodo convertatur in aliam, quæ non erat ipsa: defecta hujus conditionis D. Augustinus lib. 18. de civit. Dei cap. 18. ostendit fabulosas illas transmutationes Apulei in asinum Arcadiæ, Coricorum Diomedis in volucres, Ulyssis in varias bestias, & alias id genus, quas Augustinus vocat conversiones apparentes, & illusorias arte dæmonum effectas; eò quia in iisdem non fuit una res conversa in aliam; sed tantum rerum species oculis objectæ. Quòd si dicas, uxorem Loth verè fuisse conversam in statuam salis Genes. 18. tametsi nulla ejus pars desierit; eò quia non desiit ejus anima, nec materia prima. Respondetur cum Bellarmino, & aliis ad rationem conversionis sufficere, si desinat esse, quod convertitur: & quia conversum in salis statuam non fuit anima rationalis, nec materia prima, sed compositum distinctum à partibus seorsim sumptis, & sine unione; ideo sufficit, si ipsum compositum desinat esse: perinde ac homo dicitur corrumpi, quamvis non corrumpatur ejus anima, nec materia prima. In conversione verò, quæ fit in Eucharistia, quia non solùm compositum panis, sed etiam utraque ejus pars convertitur in corpus Christi, ideo omnia desinunt esse.

Secunda conditio est ut terminus conversionis, estque res, in quam fit conversio aliquo pacto fiat, & incipiat esse: Ratio est, quia causa efficiens conversionem verè, & propriè influit efficiendo aliquid: ergo necesse est, ut terminus ad quem aliquo modo incipiat esse, quia non potest dari positivus influxus causæ efficientis, cui non respondeat fieri, & factum esse in re aliqua. Non enim sufficit, si hujusmodi influxus terminetur ad non esse termini *à quo*: quia si terminus *ad quem* perseveraret omnino immutatus, nulla esset ratio ante conversionem, propter quam terminus *à quo* diceretur converti in ipsam potiùs, quam in aliam rem, quia talis denominatio quâ diceretur converti potius in hanc rem, quàm in aliam careret omni fundamento.

Tertia conditio est, ut habeatur connexio inter decisionem termini *à quo*, & inceptionem termini *ad quem*, adeò ut ex vi unius sequatur altera; quia si non esset hujusmodi connexio per accidens conjungerentur desitio unius, & inceptio alterius nec unum converteretur in aliud, nec unum se haberet ut terminus *à quo*, & alterum ut terminus *ad quem*. hinc si Deus in loco A. annihilaret Angelum & in eodem instanti alium in eodem loco crearet, hæc non esset conversio, quia annihilatio unius non sequitur ex vi creationis alterius, neque è converso: rursus hæc connexio inter desitionem termini *à quo*, & inceptionem termini *ad quem* debet talis esse ex natura rei, nec sufficit sola connexio extrinseca ex puro beneplacito operantis.

Quarta conditio ut uterque terminus *à quo*, & *ad quem* sit positivus, quia quod non habet esse positivum non dicitur converti in aliud positivum. Idque causæ, cur creatio non sit conversio: rursus neque quod est aliquid positivum propriè dicitur converti in nihilum: quamobrem annihilatio non est propriè conversio ad quam propterea requiritur, ut sit inter duas res positivas, quarum una in aliam transeat, & una sit terminus *à quo* & altera terminus *ad quem*. Quòd si dicas generationem esse formalem conversionem, & non esse inter terminos positivos, sed inter privativum, & positivũ. non enim homo fit per se ex embrione, sed ex non homine, nec ignis fit per se ex ligno, sed ex non igne. Respondet D. Thomas: generationem, & quamcunque aliam mutationem accidentalem non esse verè & propriè conversionem, quia una forma non convertitur in aliam, sed potius una succedit alteri, & quamvis hæc successio exigatur ex natura rei, non tamen est propriè conversio, quia entitas unius verè corrumpitur, & non transit in entitatem alterius.

His positis evincitur dogma Catholicum contra Lutheranos negantes transubstantiationem. De fide est ex prædicatis Conciliis præsertim Tridentino *sess.* 13. *can.* 2. Totam substantiam panis & vini converti in corpus & sanguinem Christi: sed quod convertitur in aliud, post conversionem amplius non remanet, consequenter de fide est substantiam panis & vini non manere post consecrationem. Tum quia in institutione sacramenti Eucharistiæ Christus dixit Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. *Hoc est corpus meum*, atqui hujus pronominis *hoc* ea est efficacia, & vis, ut rei Præsentis substantiam demonstrat: sin autem panis substantia remaneret, verè non dixisset, *hoc est corpus meum*, sed potiùs loco *hoc* posuisset *hic* designando locum, & dixisset: *Hic est corpus meum*, scilicet in eodem loco: in quo est panis substantia: ergo ex eo quòd dixerit: *Hoc est corpus meum*, illud totum demonstratum per illud pronomen hoc, seu tota substantia panis est corpus Christi: & quamvis pronomen *hoc* demonstrare possit tam rem contentam, quàm continentem si ea sit vel ex natura sua, vel ex usu hominum instituta ad continendum, perinde ac ostenso dolio pleno vini verè dicimus: *hoc est vinum* Rhenanum, vel Mosellanum, quo pacto etiam demonstrata crumena auro plena, verè dicimus: *hoc est aurum*: at quando continens non est institutum per se ex natura sua neque ex usu hominum ad rem contentam ostendendam, tunc non possumus dicere continens esse contentum: quapropter si sub pane poneretur aurum non rectè diceres demonstrato pane *hoc est aurum*. Rursus Christus Joan. 6. ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, vocat panem suam carnem, & postea subjicit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: & rursus: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Cum igitur expressis verbis vocet carnem suam panem, & verum cibum; & sanguinem suum verum potum satis videtur declarâsse nullam in sacramento substantiam panis, & vini remanere. Si dicas in Scripturis Eucharistiam subinde vocari carnem Christi Joan. 6. *Caro mea verè est cibus*; & subinde dici panem 1. ad Cor. 10. *Panis, quem frangimus*: & cap. 11. *Sic de pane illo edat*. Act. 10. *Erant perseverantes in fractione panis*, ergo ex scripturis expresè infertur inesse Eucharistiæ una cum corpore Christi etiam substantiam panis. Sed contra negatur consequentia, quia Eucharistia propter tria munia in scripturis panis dicitur. Primò quia fit ex pane juxta enim regulam D. Hieronymi sæpe in sacra Scriptura res vocantur iisdem nominibus earum rerum, ex quibus fiunt, adeò ut quamvis mutentur adhuc pristinum nomen retineant: quo pacto Genes. 2. Eva vocatur *os*, eò quia ex osse Adami facta fuerit, Exodi 7. Serpens dicitur *Virga*, eò quia ex virga Aaronis factus sit. Joan. 2. *Aqua* in nuptiis Canæ Galilææ, quamvis mutata in vinum, adhuc vinum ipsum dicitur aqua, quia ex ipsa factum à Christo Joan. 2. *Et cùm gustasset aquam vinum factam.* Pari facto sacramentum Eucharistiæ in scripturis interdum vocatur panis, eò quia ex pane fuerit factum. Secundò vocatur panis ob extrinsecam

ipsum & sensibilem apparentiam eo pacto, quo Genes. 18. Angeli dicuntur viri, eò quia apparuerint in forma humana. Tertiò vocatur etiam panis, quia est cibus spiritualis animæ, solet enim Scriptura quemcumque cibum nomine panis mystici figuratè designare, hinc Exodi 16. Manna vocatur panis, tametsi ex farina ut panis confectum non fuerit.

Dicendum secundò contra Lutheranos in Eucharistia post consecrationem non remanere formam panis. Si enim intelligatur de forma substantiali est certum de fide definita in præcitatis Conciliis præsertim in Tridentino *Sess.* 13. *can.* 2. ubi dicitur totam substantiam panis converti in corpus Christi manentibus tantùm accidentibus, unde non solùm materia, sed etiam forma substantialis convertitur in Corpus Christi, alioquin non esset conversio totius substantiæ panis, sed tantùm partis. Quòd si vera esset sententia asserentium formam panis esse totam accidentalem adhuc non remaneret post consecrationem, quia Concilium Tridentinum ait: Totam substantiam panis in Corpus Christi converti manentibus tantùm accidentibus panis: ergo forma panis, tametsi diceretur accidentalis adhuc non remaneret, quia accidentia, quæ in Eucharistia cadunt sub sensus distinguuntur à forma, quæ propriè dicitur panis. Hinc quamvis forma panis secundùm suam entitatem esset accidentalis, & diversa atomorum combinatio respectu tamen panis non est ejus accidens, sed constitutivum essentiale; sicut quamvis albedo respectu corporis sit accidens non ita respectu albi: unde si ex definitione Conciliorum peractâ Consecratione maneant tantùm sola accidentia panis, sequitur non manere formam illam panis, qua panis constituitur in esse panis.

Dicendum tertiò peractâ Consecratione non manere in Eucharistia materiam primam panis, & vini, idque esse de Fide, si materia prima dicatur esse quid substantiale, vel pars essentialis panis, quia Concilia, & præsertim Tridentinum *Sess.* 13. *can.* 2. expressè definierunt, in Sacramento Eucharistiæ fieri conversionem totius substantiæ panis, & vini in corpus, & Sanguinem Christi: Sed si maneret materia panis, quia hæc est altera ejus pars essentialis, non fieret conversio totius substantiæ panis; sed tantùm partis contra Concilium: ergo peractâ consecratione non manet materia prima panis, & vini. Quòd si dicas cum Durando totam substantiam panis converti quidem, eò quia non maneat panis, non tamen convertitur totaliter: sicut quamvis maneat eadem materia prima in genito, quæ fuerat in corrupto, adhuc tota substantia præcedens dicitur corrumpi, & transire in substantiam geniti. Contra est, quia in præcitata definitione Tridentini non solùm habetur, quòd tota substantia panis convertatur in Corpus Christi, sed etiam ut ita tota convertatur, ut tantùm remaneant sola accidentia ejusdem panis, ergo non solùm definitur, quòd tota substantia panis convertatur, sed etiam ut convertatur totaliter. Neque allata exempla sunt ad rem, quia prærecensita conversio non est totalis, ut in casu nostro, sed tantùm formalis, hinc est, quòd non vocetur transubstantiatio, sed generatio. Præterea ex eo evincitur etiam non manere materiam primam panis; quia vel hæc maneret separata ab omni forma, vel informata aliqua forma: primum non est asserendùm, quia haberetur miraculum, quod non pertineret ad veritatem Eucharistiæ. Neque secundùm quia vel maneret informata forma corporis Christi vel alia distincta. Primum nequit dici, quia vel maneret conjuncta, & continuata proprii corporis, & materiæ ipsius Christi per modum augmenti, ut fit in nutritione, in qua materia alimenti conjungitur materiæ ipsius aliti, & informatur eadem forma substantiali illius, vel maneret separata, neutrum probari potest, non primum, quia ex inde sequerentur plura absurda; primò quia Corpus Christi per consecrationem mutaretur substantialiter per acquisitionem novæ materiæ, quod de corpore glorioso dici non potest, secundò sequeretur Corpus Christi absolutè, & simpliciter crescere novo hoc augmento materiæ non solùm in Eucharistia, sed etiam in cœlis. Tertiò quia homo sumens Eucharistiam nutriretur corpore Christi, sicut cibo naturali, quia uniret sibi per nutritionem materiam illam, quæ per consecrationem fuerat informata anima Christi. Neque dici potest secundum, quia una, & eadem forma nequit simul informare duas materias totales, alioquin sequeretur in Hostia consecrata esse duo corpora Christi, ac duas humanitates, anima enim Christi, ut informans materiam panis seorsim à propria materia constitueret cum illa aliud corpus, & aliam humanitatem distinctam. Neque dici potest materiam primam manere informatam alia forma distincta, quia hoc pacto non possent verificari verba consecrationis.

Dicendum quartò transubstantiationem totius substantiæ panis, & vini in corpus, & Sanguinem Christi efficaciter colligi ex verbis consecrationis. Ratio est, quia hæc verba Christi Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. *Hoc est Corpus meum Hic est Sanguis meus*, non possunt vera esse manente substantia panis & vini simul cum corpore & Sanguine Christi, quia pronomina *Hoc*, & *Hic* demonstrant contentum sub illis accidentibus sensibilibus hostiæ, & calicis: unde vel demonstrant panem solùm vel panem & corpus Christi simul, sed neutro modo verificarentur Christi verba, quia neque sola substantia panis, & aggregatum ex ea & corpore est corpus Christi: ergo ex veritate verborum efficaciter infertur absentia, & desitio totius substantiæ panis, & vini, hinc Concilium Tridentinum *Sess.* 13. *cap.* 4. ait: *Quoniam Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, idque persuasum semper in Ecclesia fuit, idque nunc denuo hæc sancta Synodus declarat per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis ejus.* Satis apertè Concilium declarat non posse veritatem verborum consistere, manentibus substantiis panis, & vini. Neque urget, quod respondent Lutherani cum Kemnitio in examine Concilii Tridentini pronomen *Hoc* esse ita intelligendum, ut cum Christus dixit: *Hoc est Corpus meum*, sensus sit in hoc vel sub hoc aut simul cum hoc est corpus meum. Nam contra quia verba Christi intelligenda sunt in sensu proprio cùm nulla adsit causa ea intelligendi in sensu improprio, sed pronomen *Hoc* cùm sit substantiale, & substantivè sumatur, non designat locum ubi est corpus Christi: neque potest per adverbium locale explicari quasi Christus dixerit in loco, ubi est panis & corpus meum: sed propriè & verè significat ipsam substantiam corporis.

Dicendum quintò absentiam, seu desitionem substantiæ panis, & vini, sequi ex natura rei, ad præsentiam corporis, & Sanguinis Christi sub illis speciebus, ut docet D. Thomas contra Gentes cap. 63. & in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 1. Ratio est, quia corpus Christi fit de facto præsens sub speciebus Eucharisticis ex vi actionis conversivæ panis in ipsum: ergo similiter panis desinit esse ex vi ejusdem actionis, proinde ex natura rei, quia termini *à quo*, & *ad quem* actionis conversivæ repugnant simul esse ex natura rei, quia termi-

terminus *à quo*, debet converti, & transire ad terminum *ad quem*, & si panis maneat, non convertitur in corpus Christi: ergo ex vi positionis corporis Christi sub speciebus panis sequitur ex natura rei ejusdem substantiæ panis desitio, quod etiam à posteriori ostendi potest, quia corpus Christi existens sub speciebus panis includit munus ipsius substantiæ panis, quod perinde est, ac conservare effectivè ipsa panis accidentia: sed hoc pugnat ex natura rei cum existentia ipsius panis sub ejus accidentibus: ergo ex positione corporis Christi sub speciebus Eucharisticis sequitur ex natura rei desitio substantiæ panis. Major per se claret, quia corpus Christi succedit loco substantiæ panis, cujus munus erat conservare effectivè propria accidentia in quo distinguitur præsentia, qua substantia est præsens suis propriis accidentibus à præsentia tantùm locali, qua una res potest alteri esse præsens: sicut si Deus poneret simul duo corpora in eodem loco unum effectivè, non conservaret accidentia alterius. Minor etiam constat, quia idem numero effectus non potest naturaliter esse simul à duobus causis totalibus ejusdem generis & ordinis: ergo ex eo, quod corpus Christi conservet effectivè accidentia Hostiæ consecratæ ut causa proxima totalis, sequitur ex natura rei desitio substantiæ panis. An verò hæc desitio sit propriè, & formaliter annihilatio, respondet D. Thomas negativè: ratio est, quia substantia panis, & vini desinunt per veram conversionem in corpus, & Sanguinem Christi ut nos Fides docet, sed conversio est actio seu mutatio distincta ab annihilatione, ergo hujusmodi desitio propriè, & formaliter non est annihilatio. Præterea quia res quæ annihilatur, non potest desinere per influxum, & actionem positivam, quia de ratione annihilationis est, ut fiat per solam subtractionem, seu negationem concursus conservativi: tum quia omnis actio positiva exigit habere aliquod subjectum: & in annihilatione si hæc esset actio positiva, non posset assignari hujusmodi subjectum: siquidem non esset res ipsa, quæ annihilatur, quia hæc non amplius existit in illo signo, in quo intelligitur esse annihilatio, tunc enim annihilatio intrinsecè existit, quando incipit suus terminus, & in illo signo, in quo habetur annihilatio, non amplius existit res annihilata. quod enim intelligitur existere pro aliquo signo non potest pro eodem intelligi annihilatum: neque subjectum talis actionis potest esse alia res distincta ab illa quæ annihilatur; quia res non mutatur intrinsecè in se ipsa per mutationem existentem in alio; & cùm res, quæ annihilatur mutetur intrinsecè in se ipsa non potest annihilari per positivam actionem existentem in alio, ergo cùm substantia panis & vini desinat per actionem conversivam, quæ est actio positiva talis desitio propriè & formaliter non est annihilatio.

Probatur authoritate Sanctorum Patrum post consecrationem in Eucharistia non remanere substantiam panis, & vini. Etenim S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. Mystagogica luculenter id explicat inquiens: *Cùm igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane*, Hoc est corpus meum, *quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante*, Hic est Sanguis meus. *Quis, inquam, dubitet, & dicat non esse illius Sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum in Canna Galilææ solâ voluntate, & non erit dignus cui credamus, quòd vinum in Sanguinem suum transmutâsset? si enim ad nuptias corporeas invitatus stupendum miraculum operatus est, an non multò magis Corpus & Sanguinem suum filiis sponsi dedisse illum confitebimur? quare omni cùm certitudine Corpus & Sanguinem Christi sumamus. Nam sub typo* (id est specie) *panis datur tibi corpus, & sub typo vini datur Sanguis, ut sumpto corpore, & Sanguine Christi efficiaris et comparticeps Corporis, & Sanguinis. Sic Christophori erimus, hoc est, Christum ferentes, cùm ejus Corpus, & Sanguinem in membra nostra receperimus, atque ita, ut B. Petrus dicit divinæ naturæ consortes efficiemur.* Et infra. *Ne ergo consideres tanquam panem nudum, & vinum nudum, corpus enim est, & Sanguis Christi, secundùm ipsius Domini verba. Quamvis enim sensus hoc tibi suggerat, tamen Fides te confirmet ne ex gustu rem judices, quinpotius habeas ex fide pro certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio, esse tibi donatum Corpus & Sanguinem.*

S. Ambrosius *lib. de his qui mysteriis initiantur, cap. 9.* eleganter evincit Eucharistiam esse verum & reale Christi corpus, quia panis in illud consecratione transmutatum est: & hanc unius substantiæ in alteram mutationem non esse incredibilem pluribus persuadet exemplis inquiens: *Quantis utimur exemplis, ut probemus non hoc esse, quod natura formavit, sed benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis, quàm naturæ, virgam tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens. Rursus apprehendit caudam serpentis: & in virgæ naturam revertit. Vides ergo prophetica gratia bis mutatam esse naturam & serpentis, & virgæ? Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu, subitò de fontium venis Sanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluviis. Rursus ad Prophetæ precem cruor cessavit fluminum, aquarum natura remanavit. Circumclusus undique erat populus Hebræorum, hinc Ægyptiis vallatus, inde mari clausus, virgam levavit Moyses separavit se aqua, & in murorum speciem congelavit, atque inter undas via pedestris apparuit. Jordanis retrorsum conversus contra naturam in sui fontis revertitur exordium. Nonne claret naturam vel maritimorum fluctuum, vel fluvialis cursus esse mutatam? Sitiebat populus Patrum, tetigit Moyses petram, & aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturam operata est gratia, ut aquam vomeret petra, quam non habebat natura? Marath fons amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset. Misit Moyses lignum in aquam, & amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusa subitò gratia temperavit.* Et infra. *Quod si tantùm valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicendum de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud, quod accipis Christi sermone conficitur. Quòd si tantùm valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret; non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? de totius mundi operibus legisti?* Quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. *Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quæ sunt in id mutare, quod erat? Non enim minus est novas res dare quàm mutare naturas. Sed quid argumentis utimur? suis utamur exemplis, Incarnationisque exemplo adstruamus mysterii veritatem: nunquid naturæ usus præcessit, cùm Jesus Dominus ex Maria nasceretur? si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare consuevit. Liquet igitur, quòd propter naturæ ordinem Virgo generavit, & hoc quod conficimus corpus ex Virgine est.*

S. Gregorius Nissenus *orat. Catechetica cap. 37.* etiam fusè æquè, ac eleganter explicat panem in Corpus Christi transelementari per verbum Dei: quia si adeo est efficax Verbum Dei, ut quæ non erant, facta sint, & ex nihilo traducantur, quæ in mundo sunt, quantò magis ex facto poterit in aliud convertere: sicut panis, quo Christus in terris degens alebatur, transibat in naturam ipsius Corporis, cur non potest ex pane vi verborum consecrationis fieri in Eucharistia

ipsum

ipsum Christi corpus; & hanc conversionem fide credendam docet, & hoc idem asserunt omnes Patres utriusque Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ: Hoc idem credunt omnes Fideles, & omnia Concilia definiverunt, unde proderit unum tantùm adferre Concilium Lateranense sub Innocentio III. Can. 1. tit. de summa Trinitate, & Fide Catholica cap. *firmiter*, ubi habetur: *Una verò est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, in qua idem ipse Sacerdos est, & Sacrificium Jesus Christus, cujus corpus, & Sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in Sanguinem potestate divina: ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro.* Neque obstat, quòd S. Patres etiam post consecrationem interdum Eucharistiam vocent panem. Quia S. Patres post consecrationē vocant Eucharistiam panem, non quòd substantia panis in hoc Sacramēto permaneat, sed quatenus ex pane facta & consecrata fuerit Eucharistia: vel ab speciebus extrinsecis panis, quibus exterius panis apparet; vel quia vim alendi, & nutriendi spiritualiter habeat, quod est proprium panis, ea enim est consuetudo Scripturæ, ut res ex aliis factas earundem rerum nominibus vocet, ex quibus factæ sunt; quo pacto Exodi 7. Virga Aaron in serpentem versa virgæ nomen post substantialem mutationem retinet: *Devoravit virga Aaron virgas eorum.* Eva ex costa Adami formata dicitur os, & caro de carne, & ossibus ejus Genes. 2. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis; & caro de carne mea.* Homo ex terra compactus dicitur pulvis terræ Genes. 3. 19. *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Superbo homini dicitur Eccles. 10. *Quid superbis terra, & cinis.* Vinum ex aqua factum in nuptiis Canæ dicitur aqua, quia antea aqua fuit, *ut gustavit Architriclinus aquam vinum factam.* Præterea Eucharistia à Sanctis Patribus vocatur panis propter analogiam cum pane materiali, quia sicut panis nutrit corpus; ita Christi caro sumpta in Eucharistia reficit animam; & sicut vinum exhilarat cor hominis, ita Christi Sanguis spiritualem parit lætitiam, ac ebrietatem; quâ ratione Christus Joan. 6. se dicit panem vivum, qui de cœlo descendit; ex quo si quis manducaverit vivet in æternum. Rursus Scriptura, & SS. Patres vocant corpus Christi panem adjecto plerumque pronomine, vel locutione determinante ad unum specificum, ut significetur non vulgarem ac propriè dictum; sed eximium, & præexcellentem panem dici, cui nomen illud adjectum tribuitur: Hinc Tertullianus lib. advers. Judæos cap. 12. ait; Panem corpus suum appellans. Origenes Homil. 35. in Matth. *Panis iste, quem Deus corpus suum esse fatetur.* S. Cyprianus epist. 56. *Dominus corpus suum esse fatetur panem, & vocat panem de multorum granorum adunatione congestum.* S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 4. Mystagogica; *Dominus pronunciat, & dicit de pane: Hoc est Corpus meum.* S. Joannes Chrysostomus Homil. 24. in 1. ad Corinth. *Quid est panis? Corpus Christi.* S. Hieronymus in Epist. ad Hedibiam; *Nos audiamus? panem, quem fregit Dominus, deditque Discipulis, esse Corpus Salvatoris.* S. Augustinus serm. ad infantes: *Panis est Corpus; Calix Sanguis Christi.* His Patrum locutionibus significatur Corpus Christi ex pane virtute verborum consecrationis effectum esse, & sub panis speciebus distribui fidelibus, & nullus eorum asseruit substantiam panis, & vini post consecrationem remanere in Eucharistia.

Dices sensus externos bene dispositos, & omnibus ad agendum requisitis instructos non posse nos fallere circa objecta propria in quæ feruntur: sed sensus externi ritè dispositi scilicet visus, tactus, gustus olfactus, uniformiter, & in omnibus, ac perpetuò judicant in Eucharistia post consecrationem manere panem, & vinum: ergo si sensus circa propria objecta non errant, nec alios fallunt, sequitur in Eucharistia post consecrationem manere panem, & vinum. Sed contra quia tametsi sensuum testimoniis sit credendum quando versantur circa propria objecta sensibilia, quæ sensus afficiunt exteriores, seu qualitates, quæ cadunt sub sensus exteriores: non ita est ipsi credendum, quando agitur de aliis objectis excedentibus limites propriorum, & non cadunt propterea sub sensus: & quia hic non agitur de qualitatibus sensibilibus, quæ sunt objecta sensuum exteriorum; sed de substantia Corporis, & Sanguinis Christi; ideo intellectus fallitur si ducatur judicio sensuum; quia sensus non judicant de substantia, quam non attingunt; sed tantùm de accidentibus ejusdem substantiæ; & licet ex accidentibus veniamus in notitiam substantiæ, cujus sunt propria; & si hæc divinitus non subtrahatur, vel convertatur in aliam substantiam; sensus exteriores rectè ex accidentibus panis inferant substantiam ejusdem; non ita valet illatio, quando divina virtute substantia panis, & vini convertitur in substantiam corporis, & Sanguinis christi. Quamobrem licèt sensus non fallantur cùm objectum sensibile percipiunt secundùm impressionem ab objecto iisdem factam: fallitur tamen intellectus, si rectâ ratione, vel divinâ authoritate repugnante, ac prohibente judicet de objectis juxta explorationem factam à sensibus: Hinc D. Augustinus lib. 11. de civit. DEI cap. 27. ait ad rem nostram: *Hæc omnia corporalia latentes in natura causas habent, sed formas suas, quibus visibilis hujus mundi structura formosa est, sentiendas sensibus præbent; ut pro eo quod nosse non possunt, quasi innotescere velle videantur. Sed nos ea sensu corporis, ita capimus, ut de his non sensu corporis judicemus. Habemus enim alium interioris hominis sensum isto longè præstantiorem.* Licèt sensus exteriores in suis propriis attingendis objectis sint à deceptione immunes, quando in Eucharistia qualitates sensibiles panis, & vini percipiunt; eò quia sint ibi hujusmodi qualitates: fallitur tamen intellectus si ex perceptione sensitiva talium qualitatum velit inferre adesse ibi substantiam panis, & vini post consecrationem: quia Fides prohibet illationem talis judicii dicente Christo. *Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus:* quia cùm Deus non possit falli, nec nos fallere: illud pronomen *hoc* significat, totam substantiam latentem sub accidentibus Eucharisticis esse substantiam corporis Christi; & similiter cùm dicit: *Hic est Sanguis meus*, pronomen *hic* significat sub speciebus sensibilibus vini esse substantiam Sanguinis Christi.

CAPUT IX.

An Christus fiat præsens in Eucharistia per transsubstantiationem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi,

Conditiones requisitas ad veram rationem conversionis produximus, ac donavimus explicatu in præcedente capite: superest expendenda transsubstantiatio, quâ substantia panis, & vini convertitur in substantiam corporis, & sanguinis Christi; & Christus fit præsens in Eucharistia; adeo visus est captu difficilis modus iste quo Christus per transsubstantiationem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi ponitur sub accidentibus Eucharisticis, ut plures irrepserint errores. Hæretici inficiantur, Christum fieri præsentem per conversionem substantiæ panis, & vini in ejus corpus, & sanguinem. Ecclesia verò Catholica id affirmat, & in Concilio Tridentino anathemate ferit hoc inficiantes: Definit enim Concilium in Eucharistia ex vi verborum fieri conversionem totius substantiæ panis in corpus Christi, & totius substantiæ vini in Christi sanguinem; remanentibus duntaxat accidentibus panis, & vini. Calvinistæ negantes realem Christi præsentiam in Eucharistia, hanc inficiantur conversionem, & impugnant dogma Catholicum de transsubstantiatione. Lutherani quamvis concedant realem Christi præsentiam in Eucharistia saltem in ejus usu, seu in esu, quo quis actualiter communicat, quia tamen putant, post formam consecrationis manere adhuc substantiam panis, & vini in Eucharistia una cum corpore, & sanguine Christi ab hoc adhorrent transsubstantiatione; adhærentes nonnullis antiquis hæreticis olim ab ecclesia damnatis: etenim Valeranus ut refert Waldensis sequutus vestigia Berengarii, docuit manere in Eucharistia substantiam panis, & vini, non solùm natura, sed etiam hypostasi sua propria distractam à Christi corpore, & sanguine, cui sententiæ visus est adhæsisse Joannes Parys referente Waldense, eo quia iste putaverit adesse quidem in Eucharistia substantiam panis, & vini, sed absque propria hypostasi, eo quia utraque substantia assumatur ibi hypostaticè à verbo divino, seu à persona Christi mediante ipsius corpore, & sanguine; quæ tamen opinio ab omnibus rejecta statim fuit, quia absque ullo fundamento temere excogitata. Neque verò simile videri potest; toties verbum divinum assumere substantiam panis hypostaticè, ac iterum deserere, quoties Eucharistia absumitur, & illæ species externæ panis & vini corrumpuntur. Tum quia verbum divinum assumeret hypostaticè naturas panis, & vini priùs terminatas propriis subsistentiis, quas propterea oporteret corrumpi, quia panis & vinum antequam proferantur verba consecrationis subsistunt propriis subsistentiis: unde saltem hæ subsistentiæ deberent corrumpi, quia repugnat eandem naturam subsistere duplici subsistentia totali, ac totaliter terminante & complente. Tum quia hæc sententia ex eo fuit communiter explosa, quia voluit assumi hypostaticè substantiam panis, & vini mediante ipso corpore, & sanguine Christi, quod est improbabile, quia natura creata, & finita non habet perfectionem assumendi hypostaticè aliam naturam extraneam, quod animadvertentes Lutherani rejecta hac opinione maluerunt illi adhærere Valerani, & asserere in Eucharistia substantiam panis, & vini cum propriis subsistentiis unà cum corpore, & sanguine Christi speciali tamen quadam conjunctione quam vocant sacramentalem remanere, adeo ut in Eucharistia panis & vinum uniantur intimè, ac penetrativè cùm corpore, & sanguine Christi perinde uc ignis ut ipsi exemplificant, est in ferro candente: hæcque ratio, cur Lutherani Panistæ audiant, ac Impanatores vocentur. Lutherus tamen lib. de abroganda missa priùs expressè docet, Christum cùm dixit *hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus* mutâsse panem in suum corpus, & vinum in sanguinem, consequenter Christum fieri præsentem in Eucharistia per transsubstantiationem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, ut communiter sentiunt Catholici: quinimò in confessione Augustana prout primum germanicè oblata fuit Carolo V. Imperatori Augustæ Vindelicorum habebatur sub speciebus panis, & vini adesse in cœna dominica Christi corpus, & sanguinem, quem articulum Catholici ut consonum orthodoxæ veritati concesserunt; & in aliquibus exemplaribus, quæ adhuc extant ejusdem Auctographi germanici etiamnum legitur prædictus articulus, quamvis postea in aliis editionibus modum illum loquendi obliteraverint Lutherani, & loco sub *speciebus panis, & vini* substituerint *cum pane, & vino adesse corpus, & sanguinem Christi*, cui loquendi modo semper postea maluerunt Lutherani adhærere quam attentiti veritati Catholicæ.

Dicendum est Christum fieri præsentem in Eucharistiæ per transsubstantiationem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. Notandum est quatuor modis posse aliquid esse præsens alicubi. Primò per signum, figuram, vel imaginem sui, quo pacto Imperator dicitur esse præsens in sua effigie ipsum repræsentante. Secundò per apprehensionem, quo pacto amicus cogitans de suo amico, dicitur eidem esse præsens. Tertiò per effectum, vel operationem, quo pacto sol est nobis præsens per lumen, & calorem, quatenus sunt effectus solis, quos producit in terris. Quartò per se ipsum, & propria prædicata intrinsecè constitutiva, quo pacto sol dicitur præsens in cœlo. Certum est Christum esse præsentem in legitimo usu Eucharistiæ tribus prioribus modis, ut etiam concedunt hæretici: etenim per externas species panis, & vini tanquam per signa quædam divinitus instituta Christi caro, & sanguis repræsentatur in Eucharistia. Rursus ex hac repræsentatione credimus Christum adesse in Eucharistia, eumque apprehendimus, ut nostrum benefactorem, ac Redemptorem. Demum per signa illa operatur in nobis effectum gratiæ, & refectionis spiritualis: quapropter ut etiam fatentur hæretici, Christus est præsens in Eucharistia repræsentativè per signa objectivè per apprehensionem, & effectivè, seu virtualiter per effectus. Hisce tribus modis fuit etiam præsens in sacramentis, & sacrificiis antiquæ legis: siquidem erant figuræ Christi & Judæi per fidem credebant in Christum venturum, & tandem quia per Christi futura merita gratiam consequebantur. Quamobrem tota difficultas est de quarto modo, an Christus non solùm per figuram, & per apprehensionem, & per effectum, sed etiam per se ipsum, & secundùm propriam substantiam, ac prædicata intrinsecè constitutiva sit præsens in Eucharistia, Calvinistæ negant asserentes non aliter esse præsentem in Eucharistia, quàm olim fuerit in sacrificiis mosaicis,

scilicet

scilicet sacramentaliter, objectivè & effectivè. Lutherani concedunt tantùm in ipso usu, seu esu Eucharistiæ, sed negant esse præsentem per transsubstantiationem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi censentes permanere post consecrationem ipsam substantiam panis & vini. Veritas Catholica est Christum esse præsentem per suam propriam substantiam, & intrinseca prædicata ex vi consecrationis per transsubstantiationem, adeo ut tota substantia panis, & vini convertatur in corpus, & sanguinem Christi, idque ex eo evincitur, quia Christus instituendo sacramentum Eucharistiæ dixit: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, quibus verbis quidquid substantiæ continebatur, sub speciebus panis, & vini peracta consecratione seu prolatione verborum Christi convertitur in substantiam corporis, & sanguinis Christi, adeo ut loco substantiæ panis, quæ antea fuit, ponatur corpus Christi, & loco substantiæ vini ejus sanguis, neque dici potest manere simul utramque substantiam panis & vini, cum substantia corporis, & sanguinis Christi, alioquin falsa essent Christi verba *hoc est corpus meum*, siquidem quod contineretur sub speciebus panis verè, & realiter esset substantia panis nec possent Christi verba verificari, neq; obstat, si dicas ad verificandã Christi propositionem sufficere intimam præsentiam corporis, & sanguinis Christi cum substantia panis, & vini, Nam contra est, quia intima hæc præsentia corporis, & sanguinis Christi cum substantia panis non facit, ut id quod demonstratur, sit corpus: sicut demonstrato corpore non dicitur esse anima nisi corpus converteretur in animam ex vi verborum quibus dicitur esse anima. Si instes sufficere aliquam singularem unionem in spiritualibus ut aliquid affirmetur de alio. Contra quia hæc singularis unio, si sufficeret, posset in divinis dici Patrem esse Filium quia singulari modo sunt quid unum in natura: ergo singularis hæc unio est insufficiens. Si dicas ad veritatem verborum sufficere, si corpus Christi sit verè præsens in Eucharistia, tametsi non desinat substantia panis, & vini. Contra est, quia ad veritatem verborum *hoc est corpus meum*, requiritur, ut demonstratum sub accidentibus Eucharisticis, sit corpus Christi, nec alia substantia, alioquin verba Christi vera non essent, etenim si sub illis accidentibus perseveraret substantia panis, & vini de ipsa etiam diceretur, quod esset corpus Christi, siquidem ex vi verborum Christi totum contentum sub illis accidentibus dicitur esse corpus Christi, consequenter, si maneret substantia panis, hæc deberet etiam dici corpus Christi, quod est absurdum. Instant tamen Lutherani totum quod continetur sub speciebus Eucharisticis ideo est corpus Christi, quia verba demonstrant esse corpus Christi, id supra quod cadunt: sed si inde probaretur totum contentum sub speciebus esse solum corpus Christi, utique probaretur etiam ipsa accidentia esse corpus Christi, quia per verba Christi demonstrantur etiam ipsa accidentia. Sed contra, quia illud pronomen *hoc* demonstrat aliquid per se subsistens: accidentia verò non demonstrantur, ut subsistentia, sed tantùm ut manifestativa illius, quod per se subsistit, & supra quod cadit ipsum pronomen *hoc*: quamobrem constat in Eucharistia non manere quidquam de substantia panis sive subsistentia sit, sive existentia, sive materia, aut forma; sed totam substantiam panis converti in corpus Christi, & tantùm manere pura accidentia panis & vini.

Respondent ex Lutheranis pleriq; verba Christi: *Hoc est corpus meum* esse intelligenda inclusivè non exclusivè relativè ad substantiam panis, adeo ut sensus sit, quod sub speciebus panis & vini includatur corpus, & sanguis Christi non verò excludatur substantia panis, adeo ut perinde sit *hoc est corpus meum*, ac dicere *hoc includit, seu continet corpus meum*: & hunc debere esse verú sensum verborum Christi ex eo nituntur evincere, quia alias unà cum panis substantia deberent etiam accidentia cessare, cùm non sit major ratio de substantia, ac de accidentib': ergo sicut accidentia remanent, licèt pronomen hoc significaret etiam species illas externas, panis ita etiam remanet ipsa panis substantia. Sed contra, quia Christus usus fuit verbis secundùm propriam suam significationem, & prout ab hominibus intelliguntur, quos decipere noluit amphibologiis: atqui verbum *est* in propositione ex vi proprii significati identificat prædicatum cum subjecto, ut cùm dicitur, Homo est animal rationale, ergo cùm christus dixerit *Hoc est Corpus meum*, verbum *est* debet identificare christi corpus cum subjecto ejusdem propositionis: atqui subjectum est illud pronomen *Hoc*, ergo totum, quod importatur per pronomen *Hoc*, identificatur cum corpore Christi: & pronomen *Hoc* demonstrat aliquid per se subsistens, & non accidentia, quæ non subsistunt per se, sed inhærent alteri, consequenter totum, quod subsistit sub speciebus Eucharisticis, & demonstratur per pronomen *Hoc* est verum reale, ac substantiale Christi corpus. Tum quia si vellemus impropriè interpretari in Christi propositione copulam *est*, ut non significaret identitatem prædicati cum subjecto non possemus evincere ex vi ejusdem propositionis Christi realem præsentiam in Eucharistia, quia si quod significatur per pronomen *Hoc* non est realiter corpus Christi, adeo ut copula *est* in eadem propositione non identificet corpus Christi cum significato per pronomen *Hoc*, quod est subjectum ejusdem enuntiationis, sed tantùm significet solam inclusionem, seu continentiam corporis Christi cum substantia panis. Posset Calvinista respondere verbum *est* in præfata propositione non esse idem, ac verbum *continet*, sed quod verbum *significat*, adeo ut sensus sit *hoc est* (scilicet hoc significat) *corpus meum*, scilicet est figura corporis mei, quod est absens: ergo copula seu verbum *est* sumi debet in proprio sensu, ut significat identitatem prædicati cum subjecto, & dicit demonstratum per pronomen *Hoc* esse corpus Christi, & nihil aliud perinde ac cùm dicimus *homo est animal rationale*. Neque obstat, quòd accidentia dicantur permanere, est enim discrimen inter panis substantiam, & ejus accidentia, substantia enim per se subsistit, non ita accidentia, quæ tantùm alteri inhærent: & accidentia non propriè demonstrantur per pronomen *hoc*, bene tamen ipsa substantia sub accidentibus: demonstratur enim, quod subsistit in se & non in alio: accidentia enim non demonstrantur, ut subsistentia, sed tantùm ut manifestativa illius, quod subsistit.

Hæc est vis illius pronominis *Hoc* ut si applicetur ad rem aliquam, quæ secundùm suam naturalem conditionem non solet aliam substantiam diversam à sua propria continere, cujusmodi sunt accidentia panis quæ ex natura sua non solent aliam continere substantiam præter illam panis; tunc demonstret quidquid continetur substantiæ sub illis accidẽtibus, quæ sensu percipiuntur: & quia Christus cùm dixit: *Hoc est corpus meum* applicavit pronomen *hoc* ad panem, qui tunc in ultima cœna aderat, utique totam substantiam sub illis accidentib' panis demonstravit, ac asseruit ipsã esse suum corpus, quod verum fuit in fine prolationis verborum; adeo ut cùm initio accepto pane dixit *Hoc* verè demonstraverit substantiam panis contentam sub illis accidentibus, quæ cadebant sub sensus: cùm postea subdidit *est corpus meum* affirmavit eandem substantiã panis fuisse in suum corpus conversam, adeoque in fine prolationis verborum non mansit amplius sub speciebus illis sensibilibus substantia panis, sed corpus Chri-

sti, quia copula *est* ex se & vi propria identificat prædicatum cum subjecto, ut cùm dicimus *Homo est animal rationale*, identificamus prædicatum cum homine, qui propterea dicitur esse animal rationale: ergo si corpus Christi identificatur in hac propositione: hoc est corpus meum, cum toto illo quod continetur sub accidentibus panis, sequitur manifestè in Eucharistia peracta consecratione non manere ampliùs substantiam panis, alioquin subjectum prædictæ propositionis non esset idem cum prædicato, & sub iisdem accidentibus essent duæ substantiæ realiter distinctæ: ergo in Eucharistia sub accidentibus sensibilibus panis continetur solum corpus Christi, quia id ipsum ex Christi institutione quotidie conficitur à sacerdotibus in altari. Dices pronomen *hoc* applicatum ad idem continens potest demonstrare diversas substantias sub eodem continente: etenim ponamus adesse dolium plenum vino, & per pronomen *hoc* demonstretur idem dolium, tunc verè dicimus hoc est vinum; scilicet substantia quæ continetur in hoc dolio est vinum: rursus ponamus idem dolium esse postea plenû oleo valet tunc hæc alia propositio, hoc est oleum, scilicet substantia contenta in dolio: ergo etiam in Eucharistia pronomen *hoc* æquè potest significare substantiam panis, ac corporis Christi, proinde sub iisdem accidentibus simul manent substantia panis, & corpus Christi. Sed contra distinguitur antecedens: potest demonstrare diversas substantias sub eodem contento successivè pro diversis temporibus conceditur simul, & eodem tempore subdistinguitur, si continens sit indifferens ex natura sua ad illas substantias diversas soleatque eas continere per modum unius in ordine ad explendum locum absque ulla penetratione conceditur, quia hoc pacto, si accipiamus marsupium variis plenum monetis, aureis, & argenteis promiscuè, rectè de eodem marsupio dicimus hoc est aurum, & argentum: sin autem continens ex natura sua non soleat has diversas continere substantias negatur antecedens, & consequentia: quia sub accidentibus panis naturaliter non latet nisi substantia panis, quæ proximè & immediatè continetur sub ipsis, & quæ propterea demonstratur per pronomen *hoc* cùm dicitur *hoc est corpus meum*, quæ propositio non posset vera esse nisi subjectum seu pronomen *hoc* esset idem cum corpore Christi: siquidem pronomen *hoc* significat totam substantiam, quæ latet sub accidentibus panis, adeo ut totum, quod sub illis continetur sit corpus Christi absque substantia panis: unde est discrimen de contento sub speciebus panis, & de contento in marsupio, bene enim de marsupio pleno aureis dicimus, hoc est aurum connotando contentum in marsupio, ratio est, quia marsupium ex sua conditione solet continere rem aliam præter suam propriam substantiam coreaceam, aut sericam sub accidentibus sensibilibus. Quòd si unum vel alterum aureum includeretur in pane non bene de eodem pane diceremus simpliciter *hoc est aurum*: ratio est, quia accidentia panis non solent aurum continere, neque ex natura sua indifferentia ad continendam aliâ substantiam præter illam panis, & si diceretur *hoc est aurum*, videretur asserere totam panis substantiam esse aurum, quod falsum esset. Solus enim Deus si applicet pronomen *hoc* ad panem, & dicat *hoc est aurum* potest efficere, ut tota panis substantia convertatur in purum aurum Genes. 1. dixit: *Fiat lux, & facta est lux*, & ita de rebus aliis.

Dices potest Christi corpus verè & propriè affirmari de ipsa substantia panis, ut est panis: quia tametsi in Philosophia vera sit doctrina Aristotelis docentis rationem affirmationis per copulam *est* consistere in identitate prædicati cum subjecto; in spiritualibus tamen ut aliquid affirmetur Theologicè de alio sufficit aliqua utriusq; conjunctio, seu unio: qua ratione Christus homo dicitur Theologicè Deus, eò quia verbum sit hypostaticè unitum Christi humanitati. Neque hic modus loquendi est in scripturis novus, nam Christus Joan. 20. quando insufflans in discipulos suos dixit: *Accipite Spiritum S.* flatum ipsum significavit esse Spiritum S. non tamen per identitatem quasi flatus fuerit transsubstantiatus in Spiritum S. sed solum propter specialem conjunctionem. Rursus Joan. 1. Joan. Baptista columbam, quæ supra Christum apparuit, significavit esse Spiritum S. inquiens: *Vidi Spiritum descendentem sicut columbam.* Species itidem angelicæ in quibus olim in lege veteri apparebat Deus ob specialem conjunctionem dicebantur Deus non per identitatem. Demum cum progrederetur arca Domini ajebat Moyses: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui*, vocabat arcâ ipsum Dominum non per identitatem, sed ob specialem conjunctionem. Sed contra, quia absque ullo sufficienti fundamento asseritur ad affirmandum unum de altero sufficere specialem conjunctionem inter utrumque, quia communis notitia quæ subest vocabulo affirmationis sivè phylosophicè, sive theologicè est identitas prædicati cum subjecto, de quo illud affirmatur: quamobrem fingere affirmationem aliquam unius de alio absque hac identitate est abuti ipsa significatione affirmationis: & verba sacræ scripturæ, quoties non sequitur inconveniens, debent intelligi in sensu proprio. Quòd si propterea affirmationis unius de altero salvaretur per singularem aliquam utriusque conjunctionem plura inde sequerentur pugnantia cum mysteriis nostræ fidei, etenim in mysterio Trinitatis hæc propositio: *Pater est Filius* vera esset, qui Pater, & Filius specialissima conjunctione sunt quid unum Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus* Joan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Rursus *Spiritus S. esset Pater, & Filius*, quia Joan. 5. *Hi tres unum sunt*: rursus in homine anima rationalis diceretur esse corpus, quia ut habetur in symbolo S. Athanasii. *Anima rationalis & corpus sunt unus homo*, quòd si hæc omnia falsa sunt & absurda, jam constat ad affirmationem unius de altero non sufficere specialem conjunctionem, sed veram requiri identitatem, alioquin nullius fuissent roboris, & momenti argumenta veterum Patrum, & Conciliorum, quando adversus Nestorium argumentabantur hominem Christum quoad suppositum, seu personam esse idem cum verbo divino: eò quia in scriptura homo Christus dicatur propriè, ac verè Deus, tota vis argumenti sita erat in illa affirmatione Deitatis de Christo homine, ex qua Sancti Patres inferebant veram, ac realem identitatem verbi divini cum homine Christo quoad personam, adeo ut persona in illo homine Christo non esset humana, sed divina, eò quia in scripturis affirmetur de Christo. Neque allata exempla sunt ad rem, quia Christus non affirmavit flatum esse Spiritum S. sed cum flaret dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*, hoc est secundam gratiam, cujus ille flatus erat quodamodo symbolum, rursus nec Joannes Baptista dixit: Spiritum S. esse columbam, sed tantùm significavit columbam esse symbolum Spiritus S. Unde non dixit Spiritum Sanctum esse columbam: Sed Joan. 1. *Vidi Spiritum Sanctum descendentem quasi columbam*, illud adverbium *quasi* satis apertè significat similitudinem & rationem symboli non verò identitatem. Rursus species angelicæ nonnisi impropriè dicebantur Deus, quem repræsentabant, sicut Ministri Principis cùm aliquid loco Principis agunt, nonnisi impropriè dicuntur esse Principes. Arca neque ipsa dicta unquam propriè fuit DEUS, sed tantùm cum arca progrederetur, dicebatur Deus exsurgere, quia DEUS ad præsentiam arcæ mirabiles

con-

consueverat effectus operari: quæ causa fuit, ut Deus una cùm arca diceretur ex urgere.

Quamobrem liquet peracta consecratione sub speciebus panis non manere amplius substantiam panis, sed accidentibus Eucharisticis subesse tantùm verum reale, ac substantiale Christi corpus, ut docuerunt sancti Patres præsertim August. serm. 28. de verbis Domini, inquiens: *Ante verba Christi quod offertur panis dicitur: ubi Christi verba deprompta fuerint jam non panis dicitur, sed corpus appellatur*, & alibi expressè ait: *Fideliter fatemur ante consecrationem panem esse, & vinum, quod natura formavit, post consecrationem verò carnem Christi, & sanguinem esse, quod benedictio consecravit.* Si igitur quod antea erat panis post consecrationem illud idem est corpus Christi jam non manet amplius substantia panis, alioquin non fuisset conversa in Christi corpus, unde scitè sanctus Ambrosius lib. de iis, qui myster. init. cap. 9. ait. *Fortè dicas, aliud video: quomodo tu mihi asseris, quòd corpus Christi accipiam? Probemus igitur, inquit, non hoc esse, quod natura formavit; sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur:* hoc est substantia panis, quam natura dederat, fit consecratione corpus Christi, in quod convertitur, adeò ut nihil maneat substantiæ panis ad id persuadendum. Alii sancti Patres hanc orthodoxam veritatem docent, ut Cyprianus serm. de cœna Domini, inquiens: *Panis iste non effigie, sed natura mutatus omnipotentia Verbi factus caro*, Tertullianus lib. 4. contra Marcionem. *Nam accipiens panem corpus suum illud fecit dicendo: Hoc est corpus meum*, & ita unanimes omnes sancti Patres hoc idem asseruerunt, ac docuerunt & firmari etiam potest hæc veritas orthodoxa ex fine, & figuris, quæ fuerunt Eucharistiæ; siquidem Christus ad hunc finem etiam Eucharistiam instituit, ut esset quasi memoria mirabilium suorum, ad quod Patres accommodant illud Psalmi: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus escam dedit timentibus se*, quidquid autem fuit divina virtute mirabiliter factum, id habuit singularem aliquam rerum mutationem; quo pacto Christus *Joan.* 2. manifestaturus suam gloriam in Cana Galilææ aquam mutavit in vinum: ergo consentaneum erat, ut quòd Christus in ultima cœna mirabiliter instituit ad perpetuam memoriam Dei mirabilium singularem aliquam haberet rei mutationem, sicut est in Eucharistia mutatio substantiæ panis, & vini in ejus corpus, & sanguinem: & quamvis hæc ratio non sit demonstrativa est tamen optima congruentia. Rursus figuræ hujus sacramenti plures fuerunt, ut manna, quæ horis antelucanis fuit in deserto; & aquæ fluentes de petra: in hisce duabus rebus mirabiles contigerunt mutationes: Manna siquidem in varias ciborum substantias convertebatur, prout cuique magis arrideret: aquarum itidem fluxus fuit ex conversione ipsius petræ in aquas pellucidas, & frigescentes dicente Regio Propheta Psalm. 113. *Et convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum*: scitè Gregorius Nissenus in vita Moysis ait: *Miraculi non obliviscar illius, quo dura, & solida lapidis natura in aquarum conversa mollitiem potus sitientibus facta.* Si igitur figuræ hujus sacramenti mirabiles continent rerum mutationes; à fortiori debuit hoc sacramentum mutationem continere substantiæ panis in corpus Christi, & vini in ejus sanguinem, ne figuræ mirabiliores essent figurato; & quamvis nec ista ratio sit demonstrativa, est nihilominus optima congruentia ad persuadendam nostram assertionem, quæ definita fuit in Conciliis, & quam sancti Patres unanimes docent. Neque obstat, quod Apostolus etiam post consecrationem vocet Eucharistiam panem, 1. Cor. 10. Nam post consecrationem est panis cœlestis nutriendæ animæ peridoneus, in quo sensu dixit Christus Joan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, scilicet corpus meum; hinc scitè sanctus Ambrosius: *Panem istum, quem sumimus in mysterio; illum utique intelligo, qui manu Spiritus sancti formatus est in utero Virginis, & igne passionis passus in ara crucis.* Hunc fuisse sensum D. Pauli ex eo liquet, quia ipse 1. Cor. 10. ait, nos omnes de uno pane participare, seu de eodem Christi corpore, subdit enim: *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est.* Si dicas ibi esse substantiam rei, ubi ejus proprietates reperiuntur; & in Eucharistia post consecrationem reperiri omnes proprietates panis, & vini; consequenter ibi adhuc esse substantiam panis, & vini. Respondetur distinguendo majorem: si fides non corrigat sensum conceditur major, si corrigat negatur, & sub eadem distinctione minoris, negatur consequentia. Licèt in Eucharistia maneant proprietates seu accidentia panis, & vini, & sensus judicet adesse ibi substantiam panis, & vini, fides tamen sensum corrigit & docet intellectum sub illis accidentibus panis esse verum Christi corpus, & non sensui, sed Christo tenemur credere. Neque urget, si dicas, Christum ex proprietatibus sui corporis probâsse illud Luc. 24. *Palpate, & videte &c.* Nam est discrimen, quia eatenus Christus probavit se habere corpus ex proprietatibus ejusdem, quia fides non revelavit quid aliud, at in Eucharistia fides contrarium docet, & sensum corrigit.

CAPUT X.

Expenditur Cœna Calvinistica de Christi præsentia in Eucharistia, & refellitur.

NEgant Calvinistæ veram, realem, ac substantialem Christi præsentiam in Eucharistia; & per id differunt à Lutheranis, quia isti asserunt, docentque post verba consecrationis esse in Eucharistia verum ac substantiale Christi corpus, scilicet in illius usu, seu esu, & differunt à Catholicis, quia extra usum putant non existere in Eucharistia Christi corpus; & in ejus usu, seu esu communicantes unà cum Christi corpore sumere etiam substantiam panis, & vini; Calvinistæ verò omnem realem præsentiam substantialis corporis Christi in Eucharistia etiam post consecrationem inficiantur, ut constat ex tribus eorundem propositionibus. Quarum prima est, corpus Christi non alibi quàm in cœlo, ac proinde tanto intervallo distare ab Eucharistia, quantum distat cœlum à terra; ita asseruit Calvinus in confessione de re sacramentaria, ubi in fine ait. *Tollenda est quælibet localis præsentiæ imaginatio. Nam cum signa hic in mundo sint, oculis cernantur, palpentur manibus; Christus quatenus homo est non alibi. quàm in cœlo quærendus est.* Postea subjungit: *Quia tamen corpus Christi finitum est, & cœlo vel loco continetur, necesse est, à nobis tanto locorum intervallo distare, quanto cœlum à terra abest.* Secunda Calvini propositio est, illa Christi verba: *Hoc est corpus meum*, non propriè sed figuratè esse intelligenda; sitque sensus *hic panis est signum, seu figura corporis mei.* Similiter cùm Christus dixit: *Hic est sanguis meus*, sensus sit: *Hoc vinum est signum seu figura sanguinis mei*, quæ propositio asserit sequi ex præcedente: quia si corpus Christi ex parte finitum, & limitatum, non est alibi, quàm in cœlo, sequitur non posse verè, ac propriè esse in Eucharistia, sed tantùm figuratè;

ratè; adcò ut corpus, & sanguis Christi non verè, & propriè sint in Eucharistia, sed tantùm sit præsens eorum figura, seu sacramentum corporis Christi, ita asserit Calvinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 21. Hinc frequentes sunt Calvinistarum loquutiones: *Panis in Eucharistia non est, sed significat corpus Christi: Panis est signum corporis Christi: Panis est corpus Christi in signo.* Tertia Calvini propositio est: Corpus Christi cum tantùm sit in cœlo, ubi sedet ad dexteram Patris; non aliter percipi, ac manducari à nobis in Eucharistia, quàm sola fide: neque ad hanc mandocationem necesse est, ut per se præsens sit, & è cœlo ad nos descendat; sed satis est, ut per fidem communicantes sibi præsentes faciat in cœlo: per fidem enim è terra ad cœlum, ac Christum assurgimus. Hæc est ipsa Calvini doctrina lib. 4. Inst. cap. 17. §. 5. ubi expresse ait: *Interim verò, hanc non aliam esse, quàm fidei manducationem, fatemur, ut nulla alia fingi possit*, & §. 31. ait: *Christus præsens illis non videtur, nisi ad nos descendat. Quasi verò si ad se nos evehat, scil. per fidem, non æquè potiamur ejus præsentia:* Hinc Calvinistæ fatentur Christum non aliter manducari, ac bibi in eucharistia, quā in baptismo, aut in verbo Dei, seu evangelio, quia non aliter manducatur à nobis ejus caro; neque bibitur ejus sanguis, quàm sola fide.

Hinc Calvinistæ docēt dupliciter corpus Christi sumi in Eucharistia spiritualiter, & sacramentaliter: sumere eucharistiam *spiritualiter* asserunt perinde esse, ac eam sumere ore mentis, scil. per fidem, & per arctissimam conjunctionem Christi cum animo communicantis; quæ conjunctio fit efficacitate Spiritus Sancti operantis per gratiam efficacem in anima communicantis. *Sacramentaliter* dicunt Eucharistiam percipi ore corporis; eo quia non sumatur corpus Christi, nec ejus sanguis, sed signa tantùm eorumdem, seu panis, & vinum, quæ volunt esse veluti quædam sigilla, quibus Christus nobis promissionem obsignavit participandi in Eucharistia corpus suum, & sanguinem spiritualiter tamen non substantialiter. Hinc ajunt per fidem in eucharistia sumi spiritualiter Christū, non corporaliter; & Christum in eucharistia verè præsentē esse sacramentaliter in signis, vel figuris, non corporaliter, verè spiritualiter percipi ore fidei non corporaliter ore corporis, eò quia sit cibus mentis, non ventris. Hisce propositionibus consentiunt Calvinistæ Berengario Wiclefo, & Zvvinglio, & à Catholicis prorsus dissentiunt.

Fides enim Catholica docet, in Sacramento Eucharistiæ post consecrationem panis, & vini contineri corpus, & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini verè, realiter ac substantialiter, & non tantùm per signa vel figuras, adeo ut ex vi consecrationis fiat conversio substantiæ panis & vini, in substantiam corporis, & sanguinis Christi; & accidentia panis & vini sint signa Christi existentis non solùm in cœlis, sed etiam sub iisdē accidentibus, ac proinde sumatur à communicātibus utraq; manducatione sacramentali & spirituali. Unde in hoc differunt Catholici à Calvinistis, quia illi asserunt corpus Christi non solùm in cœlis existere, sed etiam verè, & realiter contineri sub speciebus panis & vini ex vi consecrationis, & fideles communicantes sumere sacramentaliter non solùm accidentia panis, verùm etiam ipsum reale, ac substantiale Christi corpus licèt modo invisibili, & admirabili, & quidem ore corporis, quamvis non ad naturale nutrimentum corporis, sed ad spirituale animarum alimentum, perinde ac corpore suscipitur baptismus non ad naturalem corporis generationem, sed ad animarum regenerationem spiritualem. Secus Calvinistæ negant Christi corpus substantiale existere, ac sumi in Eucharistia, eò quia realiter, & substātialiter sit tantùm in cœlo, & per figuras, ac signa in Eucharistia, Rursus docet fides Catholica fideles dignè communicantes etiam manducatione spirituali sumere Christum in Eucharistia, quatenus ab isto Christo realiter præsente, ac contento sub accidentibus panis accipiunt gratiam, & alimentum spirituale. E contra asserunt eos dici corpus Christi manducare sacramentaliter ore corporis, qui in cœna Domini, seu cùm communicant, sumunt illa accidentia panis, & vini, non ut continent realiter corpus, & sanguinem Christi, sed quatenus sunt signa, symbola, ac figuræ corporis Christi. Unde Catholici asserunt sub speciebus illis consecratis ore corporis sumi verum, ac reale corpus Christi, adcò ut ore corporis non solùm sumantur accidentia panis, sed etiam ipsum reale, ac substantiale Christi corpus. Calvinistæ verò sentiunt non sumi sacramentaliter ore corporis ipsum reale corpus Christi, sed tantùm ejus signum sensibile, seu accidentia panis, quæ ab ipsis vocantur signa, symbola, ac figuræ corporis Christi. Præterea censent Calvinistæ eos manducare corpus Christi manducatione spiritualis, qui ore mentis, seu vera fide percipiunt corpus Christi, ejusque fiunt verè participes efficacia Spiritus sancti: & hanc participationem dicunt fieri per conjonctionem arctissimam Christi cum anima communicantis: & quia negant esse conjunctionem cum corpore, & sanguine Christi secundùm suum proprium esse reale, & substantiale, quod nolunt contineri sub accidentibus Eucharisticis, nequit esse hæc conjunctio nisi per fidem, ut ipsi asserunt.

Verùm quam falsa sit, & vanissimis subsistat fundamentis hæc Calvinistarum cœna ex eo liquet, quia Calvinus, qui eam instituit ipsemet evertat, ac destruat: etenim prima ejus propositio est in consensione de re sacramentaria prope finem, *quia corpus Christi finitum est & cœlo, ut loco, continetur, necesse est à nobis tanto locorum intervallo distare, quanto cœlum abest*, asserit enim corpus Christi esse tantùm in cœlo, & distare à sacramento Eucharistiæ tanto locorum intervallo, quanto cœlum abest à terra, quam propositionem Calvinus evertit contrarium docens lib. 4. Instit. cap. 17. §. 10. ubi ait: *Omnino isthac us tenenda est regula, ut quoties symbola vident a Deo instituta, illic rei signatæ veritatem adesse certo cogitent, ac sibi persuadeant*, & in 1. Epist. Corinth. cap. 11. ait: *Christus visibile illud symbolum nobis porrigendo* (scil. accidentia eucharistica) *una dat etiam nobis suum corpus. Neque enim fallax est, qui vacuis figuris nos lactat: proinde illud mihi est extra controversiam veritatem hic cum suo signo conjunctam esse:* Satis clarè, & apertè asserit Calvinus communicantes, veritatem cum suo signo simul sumere, ac illis porrigi corpus Christi simul cum symbolo, seu accidentibus eucharisticis, per quæ corpus Christi repræsentatur, unde Calvinus sibi contradicit, & quod antea negaverat, nunc adigitur affirmare, & cùm antea dixisset corpus Christi non esse conjunctū cum accidentibus panis, sed tanto intervallo distare quanto abest cœlū à terra, modo fatetur corpus Christi esse sub speciebus eucharisticis, & cum iisdem nobis porrigi, cùm communicamus.

Secunda Calvini propositio fuit: Verba Christi instituentis Eucharistiam: *Hoc est corpus meum*, non propriè, sed figuratè esse intelligenda, ut sensus sit: *Hoc est corpus meum*, scil. *hic panis est signum, seu figura corporis mei*, quam interpretationem evertit asserens contrarium; quia cum antea docuisset cum Zvvinglio panem esse signum, seu figuram corporis Christi absentis seu existentis tantum in cœlo, & non alibi, postea impugnans Zvvinglium asseruit panem esse signum corporis Christi præsentis, ac sibi contradicit, ut liquet ex libello de cœna Domini in fine, ubi contra Zvvinglium, & Oecolampadium ait; *Dum ni-*

mis

nis studiosè, ac diligenter in hoc toto incumbebant, ut assererent panem & vinum, corpus & sanguinem Christi vocari, quod ipsorum signa sint; non cogitârunt, sibi hoc interea simul agendum, ut adjungerent, ita signa esse, ut nihilominus veritas cum eis conjuncta sit: Ex quibus verbis liquet Calvinum duplex signi genus asserere, unum nudum, & vacuum, quod rem signatam tantùm repræsentat, sed non exhibet, tale signum est imago Cæsaris repræsentans Cæsarem, quem non exhibet, tales fuerunt figuræ veteris Testamenti repræsentantes quidem Christum futurum, sed non exhibentes. Est aliud signum plenum, ac conjunctum cum re signata, quod non solùm repræsentat rem signatam, sed etiam exhibet, & hujus signum asserit esse panem Eucharisticum, ait enim lib. 4. cap. 17. §. 21. *Etsi Symbolum à re signata differt, quia tamen rem, cui repræsentandæ consecratum est, non figura tantùm, seu nuda & inanis tessera, sed etiam verè exhibet: cur non ejus appellatio in ipsum jure competat? quòd si humanitùs excitata symbola, quæ imagines sunt rerum absentium potius, quàm notæ præsentium, quas etiam ipsas fallaciter sæpe adumbrant, earum tamen titulis interdum ornantur: quæ à Deo sunt instituta, multò majore ratione rerum nomina mutuantur, quorum certam minimeque fallacem significationem semper gerunt, & adjunctam habent secum veritatem.* Hinc probat Calvinus panem rectè vocari corpus Christi: quia quando signum non tantùm repræsentat, sed etiam verè exhibet rem signatam, tunc rectè potest vocari nomine rei signatæ: sed panis Eucharisticus non solùm repræsentat, sed etiam verè exhibet corpus Christi: ex quibus præmissis infert panem Eucharisticum rectè vocari posse Christi corpus præsens esse in Eucharistia, quod tamen antea ipse negaverat.

Tertia demum propositio Calvini erat, corpus Christi non aliter percipi, & manducari, quàm solâ Fide; quam propositionem dupliciter evertit ipse Calvinus, etenim lib. 4. cap. 17. §. 2. impugnans Zuinlianos ait: *Sed hoc non perinde convenit inter omnes qualis sit ejus participandi ratio. Sunt enim, qui manducare Christi Corpus, & Sanguinem ejus bibere uno verbo definiunt, nihil esse aliud, quàm in ipsum Christum credere, sed mihi expressius quiddam ac sublimius videtur voluisse docere Christum in præclara illa concione, ubi carnis suæ manducationem nobis commendat.* Asserit Calvinus non per solam Fidem nos sumere carnem, & Sanguinem Christi, sed manducare veram, ac realem suam carnem, quam nobis commendat, ut manducemus. Secundò quia expressè etiam docet corpus Christi verè, realiter, ac substantialiter à nobis manducari, proinde non sola fide etenim in libello de cœna Domini ait: *Necesse est, nos in cœna verè corpus, & sanguinem Christi recipere.* Et infra: *Intelligimus Christum nobis in cœna veram propriamque corporis, & Sanguinis substantiam donare*, & lib. 4. Instit. cap. 17. §. 32. ait: *In sacra cœna jubet me sub symbolis panis, & vini Corpus & Sanguinem suum sumere, manducare, & bibere, nihil dubito, quin & ipse verè porrigat, & ego recipiam.*

Dicendum igitur est, Christum sub speciebus Eucharisticis non solùm sumi spiritualiter ore mentis, sed etiam corporaliter ore corporis unà cum speciebus panis, & vini sub quibus verè, & realiter continetur; adeo ut Sacramentaliter manducetur, non solùm quia manducantur accidentia panis, quæ à Calvinistis dicuntur signum Christi in cœlo existentis, sed quia etiam ipsemet Christus, verè, & realiter, ac substantialiter præsens in hoc Sacramento, licèt modo invisibili & admirabili verè sumitur ore corporis non ad naturale nutrimentum corporis, sed ad spirituale alimentum animæ, ita communiter cum Sanctis Patribus Catholici. Probatur quia eo modo corpus & Sanguis Christi in Sacramento Eucharistiæ percipiuntur, quo Christus corpus suum & Sanguinem in ultima cœna exhibuit Apostolis, & isti sumpserunt, ut enim scitè D. Hilarius lib. 7. de Trinit. loquens de hoc Mysterio ait: *De naturali in nobis Christi veritate, quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè atque impiè dicimus*; unde ex Hilario nonnisi impiè dicunt Calvinistæ, quæ de hoc Sacramento non didicerunt à Christo, cùm in ultima cœna hoc instituit Sacramentum, ac suis tradidit Discipulis. Id enim Christus voluit, ut deinceps fieret in usu, seu esu Eucharistiæ à se instituto, & eo modo quo instituit, cum dixerit Christus Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, unde Apostolus inhærens christi mandato ait 1. corinth. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Atqui christus in ultima cœna instituit Sacramentum Eucharistiæ, ut ex vi consecrationis voluerit substantiam panis, & vini, sub iisdem accidentibus converti in corpus, & Sanguinem christi, & sub iisdem speciebus suum corpus, & Sanguinem dare Discipulis, ad manducandum, & bibendum ore corporis inquiens: *Accipite, & manducate hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: similiter & calicem:* Ex quibus evidenter constat christum in ultima cœna dedisse verum, ac reale suum corpus; verum ac realem suum Sanguinem suis Discipulis assidentibus illi cœnæ & Apostolos verè ac realiter ore corporis comedisse verum, ac reale, & substantiale christi corpus, ac bibisse ejus Sanguinem. Non enim cùm christus dixit: *Hoc est Corpus meum quod pro vobis datur. Hic est Sanguis meus, qui pro vobis effunditur:* debent hæc verba figuratè intelligi, sed in sensu proprio ut superius demonstravimus, unde corpus, & Sanguis christi, propriè & non figuratè sunt in Eucharistia. Verba christi esse in sensu proprio intelligenda, probatur ex illis verbis Luc. 22. 20. *hic Calix novum testamentum est in meo Sanguine qui pro vobis effundetur*, quæ verba debent intelligi in sensu proprio non verò figuratè, quia illud relativum *qui* refertur ad contentum in calice: Sed in illo calice quod continebatur & christus dedit Apostolis ad bibendum in ultima cœna, vel erat propriè, & verè vinum, vel propriè, & verè Sanguis Christi, atqui non potuit propriè & verè esse vinum, quia poculum vini non est effusum pro salute nostra, & Christus loquitur de poculo, quod pro salute nostra effusum est inquiens: Hoc est poculum in meo Sanguine, vel poculum mei Sanguinis, quod pro vobis effundetur; ergo contentum in illo poculo fuit propriè, verè, ac substantialiter Sanguis Christi.

Quia hisce argumentis desumptis ex verbis Christi instituentis Eucharistiam efficacissimè premuntur Calvinistæ, mirum est in quot, & quales sensus nituntur Christi verba interpretari, ac in sensum detorquere alienum ab eo, quem verba exhibent. Dicunt Christi sententiam fuisse quidem ut Apostoli ore corporis comederent, & biberent accidentia panis, & vini, quæ sunt extrinseca signa corporis, & Sanguinis Christi, & ore mentis ipsas res signatas per talia signa scilicet corpus & Sanguinem Christi, quæ sub illis signis non continerentur, sed significarentur, & obsignarentur tanquam sigillis, quibus certi de Christi corporis & Sanguinis exhibitione spirituali redderentur. Sed contra quia hæc interpretatio adversatur vero, ac clarissimo sensui verborum Christi: Etenim dixit Christus *hoc* scilicet quod vobis ore corporis sumendum trado *est* non figura, non signum

mei corporis, *sed meum corpus*, scilicet illud idem reale, proprium, ac substantiale, quod pro vobis tradetur: Unde Christus illud idem corpus dedit suis Discipulis ad comedendum ore corporis, quod erat tormenta passionis subiturum: atqui quod fuit passum, & crucifixum, non fuit solùm signum nec ulla figura corporis Christi, sed ipsum verum reale, ac substantiale christi corpus: ergo Apostuli assidentes ultimæ cœnæ verè realiter ore corporis comederunt verum reale, ac substantiale christi corpus, ergo etiamnum fideles, quoties communicant illud idem percipiunt, quia sub illis accidentibus panis continetur verum reale, ac substantiale christi corpus, quod unà cum iisdem accidentibus, quæ calvinistæ vocant signa; fideles verè ac realiter comedunt ore corporis.

Inficiantur calvinistæ contineri in Eucharistia sub accidentibus panis verum, ac substantiale christi corpus, propterea negant sumi ore corporis, & asserunt tantùm percipi ore mentis. Sed contra quia si christus realiter absens à Sacramento, verè nihilominus in Sacramento sumitur ore mentis: vel hoc pacto percipitur corpus christi tantùm secundùm ipsius effectum scilicet gratiam: vel etiam secundùm se, & suam propriam realem substantiam: atqui neutro modo percipi potest, proinde si semel christus non contineatur verè, & realiter sub speciebus panis, & sumatur verè, & realiter ore corporis unà cum speciebus panis, nullo modo percipitur. Major est certa, quia si calvinistæ volunt christum licèt absentem, & neutiquam sub accidentibus Eucharisticis contentum adhuc à communicantibus percipi, necesse est alterutro ex duobus modis sumatur, scilicet vel secundùm ejus effectum, seu donum gratiæ, cujus beneficio christus licèt in cœlo existens, adhuc spiritualiter alat animam communicantis, vel secundùm suum esse reale, ac substantiale, adeo ut licèt anima communicantis, & christus tanto locorum intervallo à se distent, quanto cœlum à terra, nihilominus corpus christi, & animus communicantis efficacia Spiritus Sancti arctissimè inter se, & secundùm se conjungantur; & ex tali conjunctione habeatur alimentum illud spirituale animæ ex corpore & Sanguine christi arctissimè sibi conjuncti: non enim potest intelligi, quomodo possit christus aliter sumi quàm vel secundùm effectum seu donum gratiæ; vel secundùm suum esse reale ac substantiale, quod verò neutro modo percipiatur si corpus christi verè, & realiter secundùm suum proprium esse substantiale non contineatur sub accidentibus Eucharisticis, & sumatur simul cum ipsis ore corporis, est probatu facilè. Etenim non percipitur secundùm effectum tantùm, quia id in Eucharistia sumitur, quod christus in ultima cœna suis dedit Discipulis: sed christus tunc dedit suum corpus, non verò effectum sui corporis, & non dixit *hoc est effectus corporis mei*, sed Matth. 23. *Hoc est Corpus meum*, scilicet verum, reale, ac substantiale, quodque fuit passum & cruci affixum, quia subjunxit ad hoc indicandum, *quod pro vobis tradetur*. Hinc Apostolus 1. corinth. 10. non dixit: *Panem quem frangimus, communicationem ipsius Corporis Christi*, sed expressè dixit *esse communicationem ipsius Corporis Christi*, *& Calicem cui benedicimus communicationem ipsius Christi Sanguinis*: Ergo in Eucharistia non percipitur seorsim à corpore Christi ejus effectus, ut putant Calvinistæ: sed ut docet Fides Catholica percipitur verum ac reale ejus corpus, & cum ipso dignè communicantes ejus effectum, seu augmentum gratiæ sanctificantis. Idque liquet ex ipsis verbis christi distinguentis expressè utramque communionem corporis realis, & gratiæ prout est ejus effectus, dixit enim christus: *Qui manducat me*, scilicet meum corpus reale, ac substantiale, *vivet propter me*, sed accipiet gratiam qua homo vivit Deo, & propter Deum. Rursus ait christus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*, quæ est gratia consummata, ergo primum quod in Eucharistia percipitur, est corpus christi, & hoc mediante ejus effectus distinctus ab ipso christi corpore, unde liquet ex christi verbis fideles dignè communicantes utrumque percipere, scilicet christi corpus, & ejus effectum, seu gratiam.

Neque percipitur christi corpus secundùm se in Sacramento Eucharistiæ, si absit, & non contineatur sub accidentibus illis panis, ut asserunt calvinistæ docentes percipi adhuc corpus christi efficacitate Spiritus Sancti, scilicet per conjunctionem arctissimam christi cum anima communicantis. Ratio est, quia si christus non solùm secundùm ejus spirituales effectus, qui sunt Fides, charitas, & alia dona gratiæ, verùm etiam secundùm sui corporis, & Sanguinis substantiam unitur arctissimè efficacitate Spiritus Sancti cum anima communicantis, jam præter unionem qua secundùm effectus spirituales Fidei, gratiæ, charitatis Christus unitur cum anima communicantis, debet necessariò dari aliqua alia unio, qua Christus secundùm se arctissimè conjungatur cum anima communicantis: atqui non potest explicari quid sit hæc alia unio arctissima corporis Christi secundùm se cum anima communicantis, ergo commentitia est hæc Calvinistica unio. Major ostenditur, quia si hæc unio arctissima consistit in donis gratiæ, tunc Christus non aliter conjungitur cum anima communicantis, quàm per suos effectus, siquidem dona omnia gratiæ, quæ in Eucharistia percipiuntur, sunt effectus Christi; & extremum non unitur alteri nisi per id secundùm quod ei annectitur: unde si hæc arctissima unio Christi cum anima communicantis consistit in donis gratiæ afficientibus animam jam non aliter Christus eidem unitur, quàm secundùm suos effectus, qui immediatè ut quod uniuntur cum anima. Sin autem dicatur non consistere in donis gratiæ afficientibus, ac informantibus animam communicantis: ergo necesse est, quod ipsum Christi corpus secundùm suum esse reale, ac substantiale percipiatur unà cum accidentibus panis, ac unitatur cum ipso communicante, ut Fides Catholica docet. Minor etiam ostenditur; scilicet non posse concipi quid, aliud esse possit hujusmodi arctissima unio. Non enim explicatur per hoc, quòd Calvinistæ asserant vinculum hujus conjunctionis esse Spiritum Christi, cujus nexu copulamur; quia quæstio non est de causa efficiente hujus arctissimæ conjunctionis, quam Calvinistæ volunt fieri efficacitate Spiritus Sancti, sed quæstio est, quid sit illud, quo proximè, & formaliter Christus, & anima communicantis ita nectuntur, ut non solùm secundùm dona gratiæ, sed etiam secundùm se dicantur, ac sint uniti. Unde vel nexus hujus arctissimæ conjunctionis, quæ dicitur haberi efficacitate Spiritus Sancti, est ipsemet Spiritus S. ut Spiritus S, vel quatenus aliquid in anima communicantis ait, id operante Christo. Sed Spiritus S. ut præcisè talis nequit dici iste nexus, quia hujusmodi nexus plerumque dissolvitur, quoties homo lethaliter peccat, & Spiritus Sanctus ut præcisè, & simpliciter talis nulli est mutationi obnoxius, unde vel nexus iste esset perpetuus, & immutabilis: vel Spiritus Sanctus foret mutationi obnoxius. Sin autem nexus hujus conjunctionis dicatur esse Spiritus Sanctus non præcisè qua talis, sed quatenus unà cum Christo aliquem effectum in anima communicantis operatur, ut fidem, gratiam, charitatem, vel aliquod aliud donum supernaturale, &

hoc

hoc pacto non est Spiritus S. secundùm se proximus, ac formalis nexus, sed potius ille effectus Spiritûs S. & Christi cooperantis, consequenter Christus nonnisi secundum suum effectum unitur cum anima communicantis, proinde communicans in Eucharistia non percipit corpus Christi, sed tantum ejus effectum cui soli ejus anima unitur. Firmatur ex eo, quia ex sententia Calvinistarum Christus eodem genere conjunctionis unitur spiritualiter cum anima communicantis, quo fideles in veteri lege fuerunt uniti cum Christo venturo; ait enim Beza in actis colloquii Molpelgartensis pag. 77. Patres in veteri Testamento non minus participes fuerunt corporis, & Sanguinis Christi, quàm nos sumus in cœna Dominica. Sed in veteri lege fideles nonnisi secundũ spiritualem fidei, & gratiæ effectũ, quem meritò futuræ passionis Christi perceperunt uniti fuerunt Christo: ergo in sententia Calvinistarum Christus in Eucharistia non percipitur à comunicantibus nisi secundùm effectum fidei, vel charitatis, & non secundùm verum, ac proprium suum corpus substantiale. Minor liquet, quia quod actu non est, non potest actualiter, ac reverà uniri alteri, sed tantùm secundùm effectum, vel ut causa moralis, ob cujus respectum aliquid fiat: sed in lege veteri Christus ut homo nondum fuit actu, neque extitit, sed tantùm erat extiturus, quia venturus, ergo re ipsa secundùm se Christus non fuit unitus cum Patribus veteris Testamenti, sed tantùm secundùm gratiam, cujus fuit tunc Christus causa moralis, quatenus gratia impertiebatur ratione futuræ Passionis Christi.

Hinc Calvinistæ non intelligunt, quid sibi velint, & ideo varia, & sibi contraria adstruunt, etenim Calvinus dixerat prius cum Zuinglio panem esse Symbolum Christi absentis, eò quia tanto intervallo abesset Christus ab Eucharistia, quanto abest cœlum à terra: & postea asserit contra Zvvinglium panem esse Symbolum Christi præsentis, ita ut non solùm repræsentaret, sed etiam reipsa Christum nobis exhiberet, & quamvis hæc duo contradictoria ipsum non laterent, ne proprium revocaret assertum, plurà quæsivit verborum involucra, quibus contradictionem obtegeret; asseruitque rem esse perdifficilem captu, ac mysterii plenam, quæ nec verbis explicari, nec ingenio comprehendi possit: ait Calvinus lib. 4. Instit. ca. 16. §. 7. *Nihil restat nisi ut ejus mysterii admirationem prorumpam, cui nec mens planè cogitando, neque lingua explicando par esse potest*. Et nonnullis interjectis subdit §. 10. *Et si autem incredibile videtur, in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, ut nobis sit in cibum, meminerimus, quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus Sancti virtus, & quàm stultum sit, ejus immensitatem nostro modo velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipit fides.* Calvino assentitur Beza in tract. de re Sacramentaria quæst. 9. inquiens: *Fatemur incomprehensibile esse mysterium Dei, quo fit, ut quod est, manet in cœlis, & non alibi; verè communicetur nobis, qui in terra sumus, & non alibi.* Ecce quibus tergiversationibus nituntur eludere contradictiones, in quibus se norunt deprehensos; ipsam contradictionem mysterium interpretantur; quæ manifestior contradictio, quàm uno loco asserere, corpus Christi nusquam esse quàm in cœlo, & in alio corpus Christi conjunctum esse in Symbolo panis Eucharistici? hanc autem luculentam contradictionem Calvinus, & Beza vocant mysterium, nostrum fugiens captum. Rursus Calvinistæ in hac materia labuntur in aliam contradictionem, objiciunt enim impossibile esse idem corpus simul existere in diversis locis, ex quo principio inferunt contra Catholicos, Christum non posse in cœlo simul esse, & in Eucharistia: atqui si hoc est impossibile, quomodo erit possibile, quod Calvinistæ docent Christum esse in cœlo & non alibi, & tamen simul esse in Eucharistia. Id enim perinde est, ac dicere, Christus in cœlo tantùm est, Christus in cœlo tantùm non est: hæc autem contradictio non sequitur ex assertione Catholicorum asserentium posse divinitus idem corpus esse in pluribus locis, in quo nullam esse repugnantiam superius evicimus.

Probatur secundò dogma Catholicum. Illud dogma circa mysteria Religionis Christianæ censendum est commentitium, ac omnino rejiciendum, quod per nullam vocabulorum notionem mente concipi, & verbis explicari potest: Sed hujusmodi est Calvinistarum dogma circa Sacramentum Eucharistiæ, ergo commentitium est, ac rejiciendum. Major est certa, quia mysteria Catholicæ Religionis debent posse explicari, & per communes vocabulorum notiones, quibus in eorum possimus devenire cognitionem; alioquin usurparemus verba sine sensu, & essemus perinde, ac ii, quos Apostolus 1. ad Timoth. 1. dixerat: *Non intelligere nec quæ loquuntur, nec de quibus affirmant*, hinc laxissima statim pateret occasio fingendi infinita propemodum mysteria ad confusionem invehendam, & fideles decipiendos. Minor probatur, quia per nullam vocabulorum notionem explicari potest substantiam corporis Christi secundum se ipsam, vera & reali unione percipi, ac sumi in Sacramento Eucharistiæ, ac uniri cum ipso communicante, si realiter non sit in Sacramento sub speciebus consecratis panis, & vini, quia secundum communes vocabulorum notiones, quoties duæ res simul uniuntur realiter secundum illud esse reale, quod habent, si earundem una sit substantialis, & altera accidentalis, tunc accidens unitur per informationem alteri rei substantiali, quo pacto habitus charitatis unitur substantiæ animæ ad constituendum unum secundum quid: sin autem una se habet per modum materiæ physicæ, & altera sit forma substantialis, tunc uniuntur per modum potentiæ, & actus substantialis in ordine ad constituendum unum per se simpliciter; quo pacto uniuntur in homine anima rationalis & corpus in ligno materia prima, & forma ligni: quòd si res ita uniantur, ut una alteram non informet, tunc uniuntur vel per continuitatem, ut duo palmi ligni bipalmaris; vel per contiguitatem ut lapides in acervo; vel per præsentiam intimo localem, ut cum duo corpora simul penetrantur, & eundem occupant locum: præter has recensitas unionum notiones non datur alia conjunctionis notio. Sed in sententia Calvinistica Christus nulla ex prærecensitis unionibus unitur cum ipso communicante non informativè ut accidens, quia Christi corpus est vera, ac realis substantia; neque informativè substantialiter sicut forma auri unitur materiæ primæ, quia corpus Christi est ens in actu completo; & ipse communicans est etiam ens in actu completo, proinde non potest informativè substantialiter uniri; repugnat enim duo entia substantialia in actu perfecto, & completo ita uniri; quia quæ ita uniuntur, ita se habent per modum actus, & potentiæ, ut constituant quid unum simpliciter. Neque Christi corpus unitur cum ipso communicante unione accidentali per continuitatem, vel contiguitatem, aut intimam præsentiam localem, seu indistantiam, quia hæ omnes uniones supponunt essentialiter extrema, quæ uniuntur præsentia secundum proprium suum esse reale quod habent; & in sententia Calvinistica corpus Christi non est secundum suum reale, ac substantiale in Eucharistia, à qua abest longissimo locorum intervallo quanto distat cœlum à terra, ergo per nullam communem vocabulorum notionem potest explicari in sententia Calvinistica, quòd Christus in Eucha-

ristia uniatur cum communicante, si non est ibi præsens, nec continetur sub accidentibus Eucharisticis secundùm suum proprium esse reale, ac substantiale.

Respondent Calvinistæ posse hanc conjunctionem Christi cum anima communicantis explicari communibus notionibus, quæ habentur in scripturis scilicet quòd sit instar conjunctionis vitis, & palmitis; stirpis & plantæ; ædificii, & fundamenti, membrorum & capitis, sponsi, & sponsæ, domus templi, & inhabitatoris. Sed contra, quia in recensitis rebus ex scripturis non est talis conjunctio, quam fingunt Calvinistæ inter Christum, & communicantem asserentes hac propriè non esse secundum effectum, & influxum virtutis sicut est in pluribus ex prærecensitis rebus; neque est substantialis, qualis habetur inter membrum & caput vitem & palmitem, stirpem, & plantam; neque per continuitatem vel contiguitatem, aut localem indistantiam, seu præsentiam localem, quia nolunt corpus Christi contineri sub specibus eucharisticis, sed longissimo ab iisdem distare locorum intervallo, quanto distat cœlum à terra: quamobrem præfatæ similitudines desumpæ ex sacris Scripturis non sunt ad rem, neque per ipsas Calvinistæ explicant hanc Christi conjunctionem cum ipso communicante, ac sumente eucharistiam. Si dicas, scripturas uti præfatis similitudinibus ad explicandam conjunctionem arctissimam Christi cùm anima communicantis contra est, quia præfatæ similitudines eo pertinent, ut declarent Christum cum hominibus piis uniri vel secundùm effectum; ac influxum spiritualis virtutis instar capitis & membrorum, vitis & palmitis; stirpis, & plantæ; vel secundum affectum ut sponsus unitur sponsæ. Præterea ex prælatis similitudinibus etiam intelligimus, quòd vita & profectus omnis noster spiritualis dependet à Christi gratia, sine qua sumus sicut membra sine capite, palmites sine vite, rami sine stirpe, si enim hæc nullum percipiant vitalem influxum à capite, à vite, à stirpe, à radice, necesse est, deficiant, & arescant. Rursus explicant perinde nos à Christo diligi sicut à sponso dilectissima sponsa. At Christus in Sacramento Eucharistiæ unitur cum communicantibus realiter secundùm propriam suam substantiam, & per intimam localem præsentiam, quatenus percipitur, ac sumitur unà cum accidentibus panis, sub quibus peracta consecratione continebatur verè & realiter.

Quamobrem sententia Catholica per hoc differt à Calvinistica: quia hæc est spiritualis non solùm secundùm Christi effectum, sed etiam ipsius Christi secundùm se, non enim est cum locali indistantia & intima præsentia, quia Calvinistæ volunt corpus Christi non contineri sub speciebus eucharisticis, neque sumi una cum ipsis à communicantibus; sed existere in cœlo, & ab iis tanto distare intervallo, sicut cœlum distat à terra. Secus Catholici credunt hanc unionem non solum fieri per effectus seu dona gratiæ, sed sed etiam per localem indistantiam, ac intimam præsentiam veri realis, ac substantialis corporis Christi contenti sub speciebus consecratis panis, cum quibus simul à communicantibus sumitur, & hanc Catholicorum doctrinam, seu fidei dogma asseruerunt Apostoli, docuerunt Patres, & Ecclesia ut à Christo ad fideles derivatum semper inconcussa tenuit firmitate. Etenim sancti Patres in Ecclesia, ut ait D. Augustinus lib. 2. contra Julianum, *quod invenerunt, tenuerunt, quod didicerunt, docuerunt, quod à Patribus acceperunt, hoc filiis reliquerunt*, quapropter nulli dubium quin maximi sit facienda veterum Patrum authoritas in fidei quæstionibus. Sanctos Patres hanc jugiter docuisse veritatem, liquet, & ut aliquos recenseam Irenæus lib. 5. cap. 2. ex eo probat carnem nostram resurrecturam, ac immortalitate esse donandam, quia nutritur corpore, & sanguine Christi, ait ipse: *Quomodo negant carnem capacem esse donationis DEI, quæ est vita æterna, quæ sanguine, & corpore Christi nutritur?* Atqui hoc argumentum nullius esset roboris, si communicantes in Eucharistia non perciperent verum reale, ac substantiale Christi corpus, & sanguinem, sed tantùm utriusque signa, quia pura signa in sententia Calvinistica sunt accidentia, quæ vim non habent nutriendi sicut substantia, Tertullianus lib. de resurrect. carnis ait: *Caro corpore, & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur:* atqui carnem nostram vesci corpore, & sanguine Christi, ut anima de Deo saginetur, idem est ac nos ore corporis in Eucharistia sumere verum, ac reale Christi corpus, de quo loquebatur Tertullianus, & de quo lib. 2. ad uxorem scripserat: *Non credi à gentili homine esse in Eucharistia*, S. Cyprianus serm. 5. de lapsis contra indignè communicantes ait: *Exhalantibus nunc etiam suum scelus faucibus, ac redolentibus funesta contagia Domini corpus invadunt*, id est verum, & substantiale Christi corpus, quod sub accidentibus continetur eucharisticis: hinc paucis interjectis subdit: *Vis infertur corpori ejus, & sanguini. Et plus modo in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negaverunt:* atqui sumere indignè solùm ac purum signum corporis Christi non esset gravius delinquere ex Cypriano, quàm Christum abnegâsse. Præterea de iisdem ægrè ferentibus sibi Eucharistiam negari subdit: *Quod non statim Domini corpus inquinatis in manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur.* Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Joan. cap. 13. ac si prævidisset suo tempore errorem Calvinistarum egregiè impugnat, inquiens: *Non negamus recta nos fide, & charitate sincera Christo spiritualiter conjungi. Sed nullam nobis conjunctionis rationem secundùm carnem omnino esse, id profectò negamus, idque à divinis Scripturis omnino alienum dicimus*, & aliquibus interjectis subdit: *Unde considerandum est non habitudine solùm & per charitatem intelligitur Christum in nobis esse, verum etiam participatione naturali. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem, & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei conjungeretur:* & explicat hanc conjunctionem corporis Christi cum nostro per similitudinem ceræ igne liquefactæ, quæ alteri similiter liquefactæ ita immiscetur, ut ex utraque factum quid unum esse videatur Cyrillus Hierosolymitanus 4. Mystag. expressè ait: *Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis, ut sumpto corpore, & sanguine Christi efficiaris comparticeps corporis & sanguinis, sic Christophori erimus, seu Christum ferentes cum ejus corpus, & sanguinem in membra nostra receperimus, atque ut B. Petrus dicit: Divinæ naturæ consortes efficiemur.* Nil expressiùs contra Calvinistas asseri potuit; Origenes Homil. 5. in diversa loca Evangelii scribit, *quando manducas, & bibis corpus, & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians te ipsum imitare hunc centurionem, & dicito Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Calvinistæ verò dicerent: Domine cùm sis tantùm in cœlo non potes sub tectum meum intrare. S. Hilarius lib. 8. de Trinit. ait. *De veritate carnis, & sanguinis non est relictus ambigendi locus.* D. Hieronymus in cap. 1. Malach. *Polluimus panem, id est, corpus Christi, quando indignè accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus.* S. Augustinus concione 1. in Psal. 33. ait: *Ferebatur Christus in manibus suis, quomodo commendans ipse corpus suum ait: Hoc est corpus meum.*

Fere-

ferebat enim illud corpus in manibus suis & non solùm corporis figuram, ut putant Calvinistæ, & lib. 2. contra Adversar. Legis & Prophetæ cap. 9. ait: *Mediatorem Dei & hominum Christum Jesum carnem suam nobis manducandam bibendumque sanguinem dantem fideli corde atque ore suscipimus*, asserit Augustinus Christum in Eucharistia non solùm suscipi fideli corde seu spiritualiter so ordine ad effectum, sed etiam ore corporis, adeò ut verum ac reale Christi Mediatoris corpus sumatur in Eucharistia unà cum accidentibus panis cum Calvinistæ velint tantùm in Eucharistia sumi signa, & figuras corporis Christi, contra quos videtur Damascenus scripsisse lib. 4. de fide cap. 14. cum dixit: *Non est figura corporis & sanguinis Christi, absit enim hoc, sed ipsum corpus Domini deificatum*, & Theophylactus in c. 26. Matth. ait: *Non dixit, hoc est figura: sed hoc est corpus. Ineffabili enim operatione transformatur etiam, si nobis videatur esse panis*. D. Ambrosius hanc eandem veritatem contra Calvinistas adstruit lib. 4. de sacrament. c. 4. ubi ait: *Panis est ante verba sacramentorum: ubi accesserit consecratio de pane fit caro Christi*, & lib. de Mysteriis initian. c. 9. ait: *Fortè dicas, aliud video, quomodo tu mihi asseris, quòd Christi corpus accipiam? Et hoc nobis superest, ut adhuc probemus. Quantis utimur exemplis, ut probemus non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit? majoremque vim esse benedictionis, quàm naturæ; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur*. Et post multa sic concludit. *Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quæ sunt in id mutare, quod non erat?* Loquitur de vera, & reali mutatione panis, & vini in carnem & sanguinem Christi, quàm Calvinistæ oppugnant, & orthodoxi propugnant. Optatus Milevitanus lib. 6. contra Parmenionem ait: *Quid est altare, nisi sedes corporis & sanguinis Christi?* Et infra: *Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum credidistis etiam calices Christi sanguinis portatores*. Gregorius Magnus Homil. 23. in Evangel. ait: *Quid prodest corpus, & sanguinem Christi ore percipere, & ei perversis moribus contraire*. Gregorium fuisse locutum de vero reali, ac substantiali Christi corpore, quod à communicantibus sumitur unà cum accidentibus eucharisticis, ex eo liquet, quia ibi dixerat: *Quid sit sanguis agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis: qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur*. Hinc Chrysostomus Homil. 60. ad populum Antioch. *Quod nunc dicunt vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta: Ecce ipsum vides, ipsum tangis, ipsum manducas. Et tu quidem vestimenta videre cupis. Ipse autem tibi concedit, non tantùm videre, verùm & manducare, & tangere, & intra te sumere*, & homil. 45. in Joan. exclamat. *O miraculum! ò Dei benignitatem, qui cum Patrem sursum sedet in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur*. Et reliqui omnes sancti Patres ab ecclesiæ primordio ad nostrum usque sæculum hanc edocuerunt veritatem, quæ suum à Christi institutione duxit initium, & per Apostolos, & Patres ad nos fuit derivata & per plura miracula etiam confirmata.

Miracula enim ut docet D. Thomas 3. *part. quæst. 29. art. 1. ad. 2.* Quædam sunt objecta fidei quatenus creduntur, & quædã sunt testimonia, seu motiva fidei, quam juvant, & confirmant, priora solent occulta esse, ut eorum fides oberiora meritorum incrementa ad se trahat. Posteriora verò debent esse publica, & nota, ut fidem nostram testentur, & confirment. Hæc duo miraculorum genera reperiuntur circa Eucharistiam, prioris generis potiora sunt quatuor, quorum primum est, quod substantia panis & vini convertatur in carnem, & sanguinem Christi. Secundum, quod accidentia panis, & vini maneant sine subjecto. Tertium quòd corpus Christi existat sine extensione locali. Quartum, quod existat in diversis locis, quæ quatuor miraculorum genera sub sensus non cadunt, & fide creduntur. Posterioris generis sunt varia, quibus confirmatur præsentia Christi in Eucharistia, quorum quædã contigerunt, ante ortam hæresim Berengarii, & quæ recensentur à pluribus fide dignis præsertim à S. Cypriano *serm. de lapsis*. Nicephoro *lib. 13. cap. 17*. Sozomeno *lib. 8. cap. 5* D. Prospero *in lib. de prædictionib. cap. 6*. Gregorio *lib. 2. Dialog. c. 24.* & *lib. 3. c. 3.* Petro Diacono *in vita ejusd. Gregorii*. Alia contigerunt post ortam hæresim Berengarii, & hæc habentur apud Pascasium *in lib. de corpore & sanguine Domini c. 14.* Guidmundum *lib. 3. de sacram.* Et his miraculis ipse Berengarius permotus fuit ad suam hæresim ejurandam. Alia contigerunt post Joannem Wicclefium, qui hæresim Berengarii renovavit, ut liquet ex Thoma Waldensi *Tom. 2. de sacram. c. 63.* ubi refert se præsente Londini in Ecclesia S. Pauli quendam Wicclefistam ab Episcopo Cantuariensi jussum esse adorare Eucharistiam, & confiteri præsentiam Christi, sed facere cùm recusaret, respondit araneam esse digniorem veneratione quàm Eucharistiam. Quidni mox horribilis aranea ex summo templi tecto in os blasphemi Wicclefistæ descendit, & vix multorum manibus prohiberi potuit, quo minus ad linguam, & fauces penetraret. Hæc autem miracula ad tria reducuntur capita quædam continent singularia Dei beneficia, quæ ex fide præsentiæ Christi in Eucharistia conferuntur fidelibus, cujusmodi sunt restitutio sanitatis, liberatio à naufragio, vel incendio & alia id genus. Quædam continent pœnam, seu ultionem eorum, qui non credunt, vel rident præsentiam Christi in Eucharistia, quorum exempla sunt ubique obvia. Alia denique continent visiones, quibus Christus in Eucharistia sub forma pueri vel carnis legitur pluries apparuisse, legatur Algerus *lib. 1. de sacram. c. 3.* Ex his tribus generibus miraculorum, prima fiunt propter fideles, secunda propter infideles, ultima propter dubios.

Hinc tria possunt argumenta contra Calvinistas fieri. Primò illa fides non potest falsa esse quam Deus miraculis comprobat, & beneficiis confirmat, atqui fidem præsentiæ Christi in Eucharistia Deus confirmat miraculis, ac impertitis beneficiis, ergo illa fides nequit falsa esse. Major liquet, quia Deus cùm sit prima veritas, per essentiam non potest falli, nec nos fallere, consequenter nec potest confirmare falsitatem, seu mendacium. Minor patet ex Cypriano, & Nicephoro aliisq; narrantibus miracula facta à Deo in fidem præsentiæ Christi in Eucharistia & referentibus multos per invocationem Christi in Eucharistia impetrâsse ab eo sanitatem, & alia beneficia miraculosa. Secundum argumentum est, quia Deus non consuevit eos miraculosè punire, qui aliquid dicunt, faciunt ex vera fide: sed miraculosè illos punit, qui negant, vel rident præsentiam Christi in Eucharistia, ut refert Thomas Waldensis, & Optatus Milevitanus narrat quosdam suis canib⁹ objecisse, & ab iisdem canibus indicantibus injuriam Christo illatam in plura fuisse frusta discerptos, ergo eam negando, vel ridendo non agunt ex vera fide. Tertium argumentum quia in fide dubii, & qui à Deo veritatem in simplicitate quærunt, non solent à Deo illudi falsis apparitionibus: ergo quando apparet illis Christus in eucharistia sub forma pueri, vel carnis non est falsa apparitio: proinde per eandem significat Christus se verè, & realiter secundùm carnem & sanguinem esse præsentem in Eucharistia. Cùm igitur dogma Catholicæ fidei sit Christum esse præsentem sub accidentibus eucharisticis secundùm verũ proprium reale, ac substantiale suum corpus, & sanguinem ex vi verborũ consecrationis. Inferimus primò contra Lutheranos

in Germania, Protestantes in Anglia, Christi corpus & sanguinem in Eucharistia existere verè, & realiter secundũ proprias substantias extra usum, seu esum hujus Sacramenti. Idque ex eo evincitur, quia Christus dixit: *Hoc est corpus meum, hic est Sanguis meus*, in ultima cœna antequam singuli Discipuli hoc Sacramentum sumpsissent, cùm enim, cùm Christus protulisset illa verba, non statim & in eodem prorsus momento Apostoli communicaverint, sed aliquid effluxerit temporis, certum est toto illo temporis spatio, antequam communicarent, ac ederent, fuisse sub speciebus illis panis, & vini verum reale, ac substantiale Christi corpus, & sanguinem, adeò ut panis prius fuerit consecratus ac conversus in corpus Christi, quàm frangeretur, ac distribueretur Discipulis: unde Apostolus 1. Corinth. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est*, ex quibus verbis Apostoli claret panem prius consecrari & converti in corpus Domini, quàm frangatur, ac distribuatur. Non enim ait Christus futurum esse corpus Domini, quod frangitur in ejus usu, seu esu; sed jam esse corpus Domini, eo ipso quod proferuntur verba consecrationis, quæ sunt operatoria, ut *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*; id est, quod est panis statim cùm primum dicitur, est corpus meum, fit corpus Christi, & vinum ejus Sanguis, perinde ac cùm Deus dixit, *fiat lux*, statim absque mora facta est lux: cum dixit leproso, *volo mundare*, statim mundatus est à lepra. Cum dixit paralitico, *Tolle grabatum tuum & ambula*, statim sanatus est; cum dixit Lazaro mortuo, & quatriduano fœtenti in sepulchro, *Lazare veni foras*, statim è sepulchro exivit redivivus, ita cum primum Christus in ultima cœna panem benedixit dicens: *Hoc est Corpus meum*, substantia panis conversa fuit in verum reale, ac substantiale Christi corpus; & vinum in Sanguinem: efficax enim Christi verbum, neque quidquam potest illi obsistere, nec ejus impedire, ac remorari effectum, qui effectu habetur, cum primum verbum profertur: semel enim quòd Sacerdos ut minister Christi profert verba illa *Hoc est Corpus meum*, simul substantia panis conversa est in Christi corpus. Huc accersendus S. Cyrillus Alexandrinus epist. ad Calosyrium ubi refellit errorem Calvinistarum, quasi illum præviderit, inquiens: *Porrò alios etiam esse audio, qui mysticam benedictionem, nihil ad sanctificationem juvare dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insaniunt verò, qui hæc asserunt. Neque enim alteratur Christus; nec sanctum ejus corpus immutatur, sed benedictionis vis, ac facultas, & vivificans gratia perpetua in ipso existit.*

Respondent Lutherani Christum in hujus Sacramenti institutione dixisse: *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum*, ex quibus verbis inferunt Christum non esse in Eucharistia nisi in ordine ad manducationem, proinde non esse ibi nisi in manducatione. Sed contra negatur consequentia; quia licèt manducatio sit finis ob quem fuit instituta Eucharistia, non tamen est finis totalis; quia fuit instituta etiam ut Christi corpus à fidelibus coleretur sub illis speciebus consecratis panis, & vini; & per fidem uberiora in nobis crescerent incrementa meritorum. Præterea Christi corpus non ponitur sub speciebus Eucharisticis virtute manducationis, quia manducatio non est cibus, sed illum supponit, non ponit: sed substantia panis convertitur in corpus Christi ex vi horum verborum; *hoc est corpus meum*, quibus prolatis Christus est, & remanet in Eucharistia, quamdiu species quæ sunt signa Christi corporis præsentis non corrumpuntur: unde quamvis panis consecratus non manducetur, manet Christi corpus sub illis speciebus. Alioquin sicut assignatur causa, cur Christi corpus dicatur esse sub speciebus Eucharisticis, & sunt verba prolata à Christi ministro *hoc est corpus meum*, ita deberet assignari alia causa cur prolatis illis verbis desinat esse sub speciebus consecratis ex eo quòd non manducatur, hæc autem causa nullibi potest in sacris Scripturis assignari. Neque potest esse non manducatio; quia si manducatio non est causa, cur Christi corpus sit præsens; non manducatio nequit esse causa absentiæ, alioquin non manducans crearet pristinam substantiam panis sub speciebus Eucharisticis; vel efficeret ut accidentibus Eucharisticis nulla subesset substantia. Præterea ponamus Christi ministrum consecrare panem, quem porrigat moribundo: & Sacerdos proferat verba Christi: *Accipite, & manducate hoc est corpus*, in quo instanti quo hæc verba proferuntur ponitur corpus Christi sub speciebus Eucharisticis; modò si moribundus non possit species consecratas sumere, vel saltem per parum temporis debeat Sacerdos expectare donec moribundus communicet; quæro an illis instantibus interjectis sit corpus Christi sub speciebus illis consecratis, vel non; si dicatur hoc secundum debet hujus absentiæ assignari causa; cum non possint Christi verba esse falsa, debet necessariò illis prolatis poni sub illis accidentibus corpus Christi, ac ibi manere. Quòd si in illo tempore interjecto est corpus Christi sub illis speciebus, cur non etiam per aliquod aliud temporis, & sic deinceps quandiu incorruptæ manent species consecratæ. Si dicas pro illo parvo tempore, quo moribundus protrahit communicare esse sub illis speciebus consecratis corpus Christi ex vi verborum *hoc est corpus meum*, quæ fuerunt paulò antea prolata, proinde moribundum communicando sumere verum reale, ac substantiale corpus Christi, eò quia species illæ recens consecratæ, adhuc ordinantur ad manducationem, cum ad id fuerint consecratæ, ut moribundus communicaret. Secus quando diutius servantur species cultûs causâ, non videntur tunc ordinari ad manducationem, consequenter non esse sub ipsis verum, & reale Christi corpus. Contra est, quia species panis semel consecratæ ex sua institutione sunt ordinatæ ad manducationem, quamvis serventur in pyxide, vel etiam ponantur in ostensorio, ut Christi humanitas à populo sub speciebus illis consecratis colatur, quia Sacramentum Eucharistiæ fuit institutum à Christo per modum convivii, unde canit Ecclesia: *O sacrum Convivium in quo Christus sumitur*, convivium autem ex se semper instituitur, & paratur in ordine ad manducationem, quamvis convivæ non statim comedant, sed per plures horas post paratum convivium expectent: ergo sicut ex eo quòd sub speciebus consecratis sit corpus Christi per paucula illa instantia temporis antequam moribundus communicet, eò quia species illæ ordinentur ad manducationem, sequitur manifestè semper manere sub iisdem speciebus semel consecratis quamdiu non corrumpuntur, quia species illæ semper ordinantur ex sua institutione ad manducationem. Hinc Lutheranorum errorem negantium Christi corpus, & Sanguinem esse in Eucharistia extra usum, seu esum actualem Tridentina damnavit Sess. 13. can. 4. *Si quis dixerit peractâ consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantùm in usu dum sumitur, non autem ante, vel post & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post Communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema sit.* Per hoc differt Eucharistia à reliquis Sacramentis, quia cætera Sacramenta perficiuntur usu materiæ, quando scilicet contingit ea alicui administrari. Baptismus siquidem naturam suoe adipiscitur Sacramenti, cum re ipsa homo aqua abluitur, sed ad perfectionem Eucharistiæ sufficit ipsa conse-

consecratio materiæ seu panis. hac enim semel posita sacramentum esse non desinit quamvis in pixide asservetur, qui nulla potest ex scripturis ratio assignari, cur corpus Christi sub speciebus illis Eucharisticis non debeat manere cum ex sui institutione sit hoc sacramentum semper ordinatum ad manducationem.

Inferimus secundò rectè esse ab ecclesia institutum ut Eucharistia in sacrario reservetur, & ad infirmos deferatur, & in Ostensorio populo ostendatur ut debita veneratione colatur, fuit enim hæc veteris Ecclesiæ consuetudo semper in eadem servata, ut liquet ex Sanctis Patribus, qui sub Ecclesiæ initiis floruerunt, ut Justinus Martyr Apologia pro Christianis, quæ secunda inscribitur, ubi ait: *Præsidens postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque Ministri, distribuunt unicuique præsentium ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt.* Sic post peractam gratiarum actionem, & consecrationem Ministri Ecclesiæ panem conseratum distribuunt, & ad absentes perferunt, sequitur necessario post consecrationem manere sub speciebus Eucharisticis verum reale, ac substantiale Christi corpus, tametsi non statim sumatur ad comedendum, si enim post consecrationem distribuitur à Diacono, vel Ministro populis, qui ultimo communicant, debent diu expectare, donec præcedentes communicaverint, ut etiam absentes, donec iisdem deferatur Christi corpus sub consecratis panis speciebus. Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 5. ait: *Latebis ne tu, cùm lectulum cum corpusculum tuum signas, cùm etiam per noctem exsurgis oratum? & non magia aliquid videberis operari? non sciet maritus quid secretè ante omnem cibum gustes, & sciverit panem non illum credis esse, qui dicitur?* & lib. de orat. cap. 24. *Accepto corpore Domini, & reservato utrumque salvum & participatio sacrificii, & executio officii.* S. Ireneus Martyr epist. ad Victorem Pontificem Maximum in qua ipsum hortatur, ne velit asiaticos ob diversum morem celebrandi pascha ab unitate ecclesiæ, ac communione abscindere, scribit, ejus decessores à communione sua non rejecisse Episcopos, qui luna quarta decima consueverant pascha celebrare, & an ipsos Eucharistiam misisse, ut refert Eusebius lib. 5. Histor. Ecclesiast. cap. 24. inquiens: *Ne illi unquam ob ejusmodi consuetudinem rejecti. Verùm illi ipsi, qui te præcesserunt Presbyteri, quamvis id minimè observarent, Ecclesiarum Presbyteris, qui id observabant, Eucharistiam transmiserunt*: non potuissent autem Eucharistiam mittere nisi sub speciebus Eucharisticis remansisset post peractam consecrationem verum, reale, ac substantiale Christi corpus. S. Cyprianus *lib. de Lapsis* testatur moris fuisse suo tempore, ut fideles Eucharistiam domum deferri consueverint, & narrat etiam miraculum, quo cujusdam mulieris sacrilegium detectum, ac punitum fuit: cum enim hæc mulier arcam suam, in qua Sanctum Domini, seu Eucharistia fuit manibus indignis tentâsset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et S. Gregorius Nazianzenus orat. in funere sororis suæ Gorgoniæ narrat: Eam apud se in cubiculo reconditum habuisse corpus Christi, & fusis ante ipsum precibus à gravi morbo fuisse sanatam. S. Basilius epist. 285. ad Cæsaream Patritiam scribit: *Quoniam per tempora illa persecutionum cogebantur homines necessariò, sacerdote, vel Ministro non præsente propriis manibus percipere communionem, non est nisi supervacuum, ut demonstrem illam ipsam rem non esse gravem, ut utique ferendam eo quod inveterata consuetudo hoc ipsum re ipsa confirmatum dederat. Nam & illi omnes qui per eremos vitam monasticam instituunt, ubi copia non suppedit sacerdotis, cùm habeant domi communionem de suis manibus illam percipiunt. Alexandriæ autem & per Ægyptum unusquisque etiam de plebe ut plurimum habet domi sua communionem. Nam cùm semel sacerdos sacrificium peragat, & distribuat, qui suscepit illud integrum simul, & quotidie de illo sumpserit, quam à dante acceperat sacerdote credere debet, & tenetur, nec injuria, se eandem suscipere, & percipere.* S. Joan. Chrysost. epist. ad Innoc. I. ait: *Nam & sanctuaria ingressi sunt milites quorum aliquos scimus nullis initiatos mysteriis, & viderunt omnia, quæ intus erant: quin & sanctissimus Christi sanguis sicut in tali tumultu contingit in prædictorum militum vestes effusus est, ferebantq; quasi in barbarica captivitate omnia.* Quamobrem Christi corpus, & sanguis moris tunc fuit, ut in sacrario servarentur in Ecclesia Constantinopolitana, & tempore S. Joan. Chrysost. moris fuit, ut in Ecclesia servarentur hostiæ consecratæ, ut & vinum pro infirmis volentibus communicare: & quamvis nullus esset, qui actu communicaret sive sanus, sive infirmus, adhuc reverenter Christi corpus servabatur, & colebatur in sanctuario à fidelibus. D. Ambros. orat. de obitu Satyri laudat ejus pietatem eò quis in periculo naufragii constitutus Eucharistiam orario involutam collo alligaverit, ait ipse: *Non mortem metuens, sed ne vacuus Mysterii exiret è vita, quos initiatos esse cognoverat, divinum illud fidelium sacramentum poposcit, non ut curiosos oculos inferret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium, etenim ligari fecit in orario, & orarium involvit in collo, atque ita se dejecit in mare, non requirens de navis compage resolutam tabulam, cui supernatans juvaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat.* Ecce quomodo primi illi fideles apud se sacram servarunt synaxin, ut imminentibus periculis ea munirentur, ac reficerentur: crediderunt igitur primo in Ecclesia fideles semel à Christi Ministro prolatis consecrationis verbis manere sub speciebus panis verum, reale, ac substantiale Christi corpus, quamdiu species non corrumperentur. S. Hieron. epist. 4. ad Rustium narrat de S. Exoperio Episcopo Tolosano consuevisse corpus Christi canistro vimineo secum deferre, & ait: *Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo sanguinem portat in vitro.* Viaticum Eucharistiæ dari Moribundis etiam statuunt antiqui canones: & ad usum Eucharistiæ pro infirmis asservandæ suspensas olim fuisse in altari turres aureas, testantur plures, præsertim Venantius Fortunatus lib. 3. carmine 25. ad Felicem Bituriensem Episcopum, & Gregorius Turonensis lib. 1. de gloria Martyr. cap. 86. Imò non solum turres aureas, sed etiam columnas argenteas ad usum Eucharistiæ suspensas in altari fuisse, legimus in vita S. Basilii. Eas postea fuisse sublatas à Severo Heretico conquæsti sunt Clerici, & Monachi Antiocheni oblato ob id Synodo Constantinopolitanæ sub Menna supplici libello. Hinc Tridentina Synodus sess. 13. c. 6. ait: Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos & hunc usum diligenter in ecclesiis conservari, prætorquam quod cum summa æquitate, & ratione conjunctum est, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more est observatum: quare sancta hæc synodus retinendum omnino salutarem hunc, & necessarium morem statuit, & canone 7. ait: *si quis dixerit non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari; sed statim post consecrationem adstantibus necessariò esse distribuendam aut non licere, ut illa ad infirmos honorificè deferatur anathema sit*, injungit ergo Tridentina Synodus hostias conse-

crata

oratas juxta Parochiæ laxitatem, & communicantium frequentiam, ac multitudinem in pixide, & tabernaculo servandas esse, & saltem quinque perpetuo custodiendas, ut fideles quocumque tempore Christi humanitatem sub speciebus Eucharistiris venerentur: Octavo tamen quoque die, vel saltem decimo quinto sacerdos debet hostias illas renovare scilicet veteres absumere ne ex temporis diuturnitate corrumpantur, & novas consecrare; & valde congruum esset, si quinta quoque feria in qua Christus Dominus hoc sacramentum instituit hæc innovatio fieret. Rursus conveniens est hostias innovandas recentes esse, ut remotiores sint à periculo corruptionis: quæ omnia instituit S. Carolus. & Parochis injunxit servanda in institutionibus Eucharistiæ.

Infertur tertiò corpus Christi esse sub specie panis & sanguinem sub specie vini, vi, & efficacia verborum consecrationis, imò & ipsum corpus etiam per concomitantiam sub specie vini, ut & sanguis sub specie panis, adeo ut æquè sumat totum Christum communicans sub una tantùm specie quàm sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur, & cum divinitate quæ quod semel assumpsit, nunquam dimisit, ita statuit Tridentina Synodus *sess.* 13. *c.* 3. Hinc in Eucharistia quædam sunt ex vi & efficientia consecrationis, quia cum verba illa efficiant, quod significant, id esse in sacramento vi sacramenti divinarum rerum; scriptores asseruerunt, quod verborum forma exprimitur; adeo ut si contingeret aliquid ab aliis rebus omnino sejunctum esse sicut in triduò mortis anima separata fuit a corpore Christi, id solum, quod forma significat in sacramento tunc esset non ita reliqua in eodem extarent. Quædam autem in sacramento continentur, quia illis rebus conjuncta sint, quæ forma exprimuntur: quia cum forma quæ ad panem consecrandum adhibetur, corpus Domini significet: *Hoc est corpus meum* ipsum Christi Domini corpus vi horum verborum in Eucharistia erit. Sed quia corpori sanguis, anima, & divinitas, ac persona verbi conjunguntur, hæc omnia in Eucharistia reperiuntur non vi formæ seu verborum, sed ex necessaria concomitantia, ut ea, quæ corpori conjuncta sunt, ac ad ipsum consequuntur, quoties enim duo inter se sunt necessariò conjuncta, si unum sumatur necessè est ad se trahat & aliud. Hinc in cap. necessariu distinct. 11. de consecratione habentur sequentia verba quæ fuerunt desumpta ex epistola S. Cyrilli & ex Synodo Alexandrina ad Nestorium: Suntque *Annuntiantes secundùm carnem mortem unigeniti Filii DEI, id est, JESU & resurrectionem ejus, & in cælos ascensionem pariter confitentes incruentam celebramus in ecclesiis sacrificii servitutem. Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur participes sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum Redemptoris effecti: nam ut communem carnem percipientes (quod absit) nec ut viri sanctificati, & verbo conjuncti secundùm dignitatis unitatem: aut sicut divinam possidentis habitationem, sed verè vivificatricem, & ipsius verbi propriam factam.* Quòd verò non solùm in utraque specie, sed in quavis utriusque speciei particula totus Christus contineatur, adeo ut sacerdotes communicantes sub duplici speciei panis, & vini cæteris paribus non plus gratiæ recipiant, quàm recipiat laicus qui sub una tantùm specie panis communicat, est certum, & docetur à D. Thoma *Opusculo.* 58. *cap.* 29. ubi asserit: Tam utilem esse laico communionem sub una specie, quàm sacerdoti sub utraque, & 3. *part. quæst.* 80. *art.* 12. *ad* 3. asserit posse sacramentum absque ullo detrimento sumi sub una tantùm specie, quam sententiam docent communiter Theologi. Probant aliqui cum Salmerone assertum eò quia si sumptio utriusque speciei majoris esset efficaciæ, ac uberius causaret augmentum gratiæ non potuisset Ecclesia authoritate propria privare laicos communione sub utraque specie, quia Ecclesia non est auctrix, sed tantùm dispensatrix donorum Christi: quin imò Ecclesia egisset contra justitiam, & Christi Sponsionem. quia non dispensaret legata juxta voluntatem legantis: ergo cùm Ecclesia in administratione Sacramentorum debeat se gerere ut fidelis dispensatrix donorum, quæ Christus ut parens amantissimus suis legavit Filiis non potuisset ecclesia privare laicos hoc majori fructu spirituali, qui ex communione utriusque speciei perciperetur: ergo sacerdos communicans sub duplici speciei panis, & vini non plus percipit gratiæ quàm laicus communicans sub una tantùm specie panis, si uterque æqualiter sit dispositus. Sed hæc ratio non videtur urgere, quia potuisset ecclesia propter reverentiam hujus Sacramenti, & ob morale periculum effundendi sanguinem, & propter alia incommoda privare laicos aliquo fructu spirituali ad salutem non necessario. Etenim ob tale periculum ecclesia privat infantes, qui aliàs capaces sunt fructus hujus sacramenti, ut etiam phreneticos, & eos, qui vomitum patiuntur. Neque ecclesia egisset contra justitiam, & Christi voluntatem si negâsset populo communionem sub utraque specie, quia Christus reliquit suam voluntatem pro tempore, loco, & personis interpretandam ecclesiæ.

Alii ex eo probant assertum, quia si sacerdos communicans sub utraque specie plus gratiæ reciperet quàm laicus communicans sub una tantùm specie, vel hæc inæqualitas proveniret ex speciebus diversis, vel ex re contenta sub ipsis, sed ex neutro capite potest hæc inæqualitas oriri: non ex speciebus continentibus, quia species secundùm se & ut abstrahunt à re contenta non habent vim productivam gratiæ: neque à re contenta sub speciebus, quia idem Christus æqua totus sumitur sub una ac sub utraque specie: ergo sacerdos communicans sub duplici specie panis, & vini non plus recipit gratiæ, quàm laicus, qui sub unica tantùm panis specie communicat, si uterque supponatur æquè dispositus. Sed nec ratio ista videtur satisfacere: quia tantùm probat de integritate rei contentæ non verò de integritate fructus. Potest enim integer Christus sub una duntaxat specie sumi & nihilominus plus gratiæ accipi sub utraque. Tum quia integritas effectus non dependet in sacramento ex integritate causæ, sed ex ipsa Christi voluntate: siquidem potuit Christus instituere ut plus gratiæ conferretur communicanti sub utraque specie, quàm sub una tantùm. Si dicas Christum nonnisi ut determinatum, & applicatum per species sacramentales, sensibiles causare gratiam Eucharisticam, & Christum æquè esse applicatum per unam, ac per duas species, eò quia sit totus sub unaquaque earum, consequenter non conferre majorem gratiam sub utraque, quam sub una tantùm. Contra est, quia licèt Christus nonnisi ut applicatus per species sacramentales, & sensibiles causet gratiam; potuit nihilominus plus gratiæ conferre per utramque speciem, eò quia tunc applicetur, ut perfectè refectus alimonia spirituali: unde hoc totum videtur dependere à sola Christi voluntate. Probatur igitur efficacius ex fine propter quem Christus hoc sacramentum instituit scilicet ad conjungendas animas fidelium, speciali vinculo charitatis, cum Christo: etenim hunc fuisse finem Christi instituentis hoc Sacramentum satis expressè colligitur ex illo Joan. 13. *Cum dilexisset suos in fine dilexit eos:* hinc Tridentina Synodus sess. 13. cap. 2. docet

Chri-

Christum in institutione hujus Sacramenti effudisse divitias sui amoris erga homines, hinc scitè D. Chrysostomus homil. 61. ad populum Antiochen. ait: *Ardenter amantium hoc est proprium, ut ex ipsis fiat unum corpus, & una caro, quod in hoc Sacramento fit, per unionem sacramentalem carnis cum nostra*: unde Sancti Patres vocant effectum hujus Sacramenti incorporationem nostri cum Christo: atqui hoc speciale vinculum charitatis nostri cum Christo æquè causatur per unam tantùm ac per utramque speciem siquidem æquè una, ac utraque significat hanc specialem unionem charitatis nostri cum Christo. Tum quia communicans sub una tantùm specie panis non sumit solum corpus, sed concomitanter etiam sanguinem, sumit enim corpus, quod Christus dum consecravit in ultima cœna posuit sub speciebus Eucharisticis, sed corpus Christi tunc fuit vivum, proinde cum sanguine, & hoc idem corpus sumunt fideles, & sub una specie. Neque obstat, si dicas, hanc charitatem significari à corpore Christi per modum cibi, & à sanguine per modum potûs; quia inde non importatur, quidquam diversum in ipsa spirituali unione charitatis nostri cum Christo: quia hæc charitas consistit in peculiaribus auxiliis, quibus promovemur ad familiaritatem Christi, proinde quælibet species uniens nos sacramentaliter cum Christo, vobis necessariò adfert hæc specialia auxilia; adeo ut non sit major significatio ex parte rei significatæ in utraque specie simul, quàm in una tantum: quia æquè utrique quàm uni pro re significata respondet perfecta nostri cum Christo familiaritas; adeo ut major significatio habeatur tantùm ex parte modi significandi, quatenus eadem spiritualis conjunctio per utramque speciem exprimatur per modum cibi, & potus; & per unam non nisi, vel per modum cibi, vel per modum potûs tantum. Major autem expressio ex parte modi significandi, non semper in Sacramento importat aliquid majus in re significata: etenim ex modo significandi in Sacramento baptismi immersio trina expressiùs significat consepulturam baptizati cum Christo, quàm significetur per solam aspersionem; & nihilominus baptismus utroque modo collatus, eandem semper confert gratiam: ergo sacerdos communicans sub utraque specie cæteris paribus non plus accipit gratiæ, quàm laicus communicans sub sola panis specie. Neque obstat, quod Clemens VI. in Bulla ad Regem Galliæ, cui concesserat facultatem communicandi sub utraque specie, fateatur se ipsi hoc concessisse privilegium *ad majus gratiæ augmentum*: proinde censuisse Pontificem communicantem sub utraque specie plus gratiæ accipere, quàm communicans sub una tantùm. Nam Pontifex tantùm fuit loquutus de augmento gratiæ ex opere operantis, seu de majore dispositione, quam supponebat in Rege communicante sub utraque specie, quatenus sumpto corpore Christi sub specie panis magis se disponit ad recipiendum sanguinem sub specie vini; cæterum potest contingere, ut laicus communicans sub una tantùm specie panis plus gratiæ accipiat ob majorem dispositionem, quàm sacerdos communicans sub utraque specie cum minori dispositione.

Objicies Sacramenta novæ legis causant id quod significant: sed majorem gratiam significat utraque species, quàm alterutra, quia utraque species significat plenitudinem convivii spiritualis, & perfectam animæ refectionem, quam non significat alterutra tantùm species. Tum quia cibus, & potus materiales important diversas corporis refectiones; ille enim roborat, iste exhilarat; ille famem depellit; iste sitim extinguit: ergo etiam in hoc Sacramento utraque species simul significat plenitudinem convivii spiritualis, & producit eosdem effectus quoad vitam spiritualem, quos operantur cibus & potus materialis quoad vitam corporalem. Præterea, quia non minus est verum Sacramentum species vini, quàm panis, ac signum rei sacræ sanctificantis animas: ergo non minus uni, quàm alteri debet correspondere propria gratia. Sed contra, quia ex allato argumento tantùm concluditur significari pleniorem refectionem spiritualem ex parte tantùm modi significandi, non ex parte rei significatæ; adeo ut utraque species simul ex parte modi significandi pleniorem significet refectionem spiritualem, quàm alterutra tantum; non tamen ex parte rei significatæ; quia unio spiritualis charitatis nostri cum Christo, & est res significata, æque habetur per unam, ac per utramque speciem simul, adeo ut major significatio habeatur ex parte modi significandi. Et quamvis hoc Sacramentum eosdem effectus causet in anima; ac cibus, & potus materialis in corpore: negatur tamen, quod sicut diversi effectus causantur à cibo, & potu materiali in corpore: ita etiam diversi effectus causentur ab utraque specie in anima; quia ex parte rei significatæ quidquid utraque causat, causatur etiam ab alterutra. Ad aliud quod addebatur non minus speciem vini quàm panis esse Sacramentum, ac signum rei significantis animam; respondetur, utramque speciem seorsim sumptam esse verum Sacramentum, ac signum spiritualis alimoniæ, & unicuique speciei correspondere per se gratiam sanctificantem; quia unaquæque species concomitanter continet aliam, adeo ut sumens sanguinem sub specie vini sumat concomitanter etiam corpus; ut etiam sumens corpus sub specie panis, sumat concomitanter & sanguinem, unde ratione compartis recipit integram refectionem, quia ratione compartis integratur totum Sacramentum. Præterea tribuitur uni parti, quod causatur per aliam, ut liquet in aliis Sacramentis, gratia enim baptismalis, quæ interdum producitur in ipsa aspersione aquæ tribuitur significationi verborum, id quod producitur in ultimo instanti completivo Sacramenti: quidni? eadem ratione potest tribui uni speciei Eucharistiæ, quod producitur per aliam, ut etiam toti Sacramento constanti ex utroque specie, quod fit per unam tantùm speciem: eo enim ipso, quòd quælibet species integrat hoc Sacramentum cum altera, quidquid causatur per unam, tribui etiam potest alteri, ut integrum sit idem Sacramentum.

Objicies si species panis, & vini non causarent diversas gratias, sed unam tantam, & eandem inde sequeretur, quod tota hæc gratia conferetur sacerdoti in ipsa sumptione speciei panis, & speciem vini non esse verum Sacramentum, quia non causaret gratiam, quam significat: neque dici potest, gratiam conferri partim in sumptione hostiæ, & partim in haustu calicis, quia non videtur, quod possit ratio assignari, cur species panis sumpta à laico, ei statim conferat totam suam gratiam, quam apta est conferre, non item sacerdoti, sed tantum dimidiatam, ergo communicans sub utraque specie plus gratiæ recipit, quàm communicans sub unica tantùm, tametsi uterque censeatur æqualiter dispositus. Sed contra, quia licèt in ipsa sumptione hostiæ seu speciei panis conferatur sacerdoti tota gratia, non tamen inde sequitur, sumptionem calicis non esse verum Sacramentum: quia ut sit verum Sacramentum, non est necesse, ut gratiam actu conferat: etenim Eucharistia asservata in pixide est verum Sacramentum

tum, & nihilominus actu non causat gratiam: unde ad rationem Sacramenti sufficit, si quantum est, ex se possit eam conferre subjecto disposito: hinc quia sacerdos in sumptione hostiæ accipit totum effectum Sacramenti, in sumptione calicis hunc effectum non recipit ratione subjecti, quod non est dispositum: hinc etiam laicus, si post sumptam unam particulam consecratam immediatè sumeret aliam, & post hanc aliam immediatè, post receptam gratiam in sumptione primæ particulæ non reciperet aliam gratiam, quia subjectum non esset dispositum, & quia totum effectum Sacramenti recepit in sumptione primæ particulæ. Quòd si post sumptionem unius speciei vel particulæ augeretur subjecti dispositio, vel haberetur nova dispositio; tunc ratione hujus novæ dispositionis sacerdos in sumptione calicis novam consequeretur gratiam: hinc factu est optimum, si sacerdotes post sumptionem hostiæ paululum immorentur, actus eliciant amoris in Deum, ac novam sibi procurent dispositionem, exciténtque ferventiorem devotionem, ut novam suscipiant gratiam in ipsa calicis sumptione.

C A P U T XI.

An Ecclesia justè interdixerit Laicis communionem sub utraque specie?

NUlli dubium, quin fideles sub Ecclesiæ initiis consueverint communicare modò sub una tantùm, & modo sub utraque specie, adeo ut in potestate Ecclesiæ fuerit præcipere communionem modò sub una, & nunc sub utraque specie, prout magis congruum visum eidem fuit, ad evellendos & confutandos errores Hæreticorum, ut ex Conciliis, & Sanctis Patribus liquet. Etenim quia Nestorius docuit fideles sub speciebus panis sumere tantùm corpus Christi sine sanguine, & sub speciebus vini sumere tantùm sanguinem sine corpore; Ecclesia in Concilio Ephesino ad extinguendam hanc hæresin, quamvis fideles antea communicaverint sub utraque specie, præcepit, ut imposterum sub specie tantùm panis communicarent, ut crederent totam Christi humanitatem seu corpus cum sanguine sumi sub una tantum specie panis. Verbum divinum, quod semel assumpsit, numquam dimisit, unde si sub specie panis reperitur cum corpore, necesse est, sit ibi etiam cum sanguine. Præterea, quia Apostoli in ultima cœna communicantes sub specie panis non sumpserunt Christi corpus sine sanguine, neque corpus mortuum, seu Christi cadaver, quia nondum Christus mortuus erat, sed corpus vivum, consequenter cum sanguine: sed fideles nunc communicantes sumunt idem corpus Christi, quod in ultima cœna sumpserunt Apostoli, consequenter sumunt corpus vivum, & cùm sanguine, quia corpus humanum sine sanguine non vivit. Nestorii igitur hæresis occasionem dedit Ecclesiæ præcipiendi fidelibus communionem sub sola specie panis. E converso quia Manichæi asseruerunt, Christum non habuisse verum corpus humanum, sed tantùm phantasticum; Ecclesia, ad extinguendam hanc hæresin, præcepit fidelibus communionem sub utraque specie, ut crederent, se sumere verum, & reale corpus, verum, ac realem sanguinem Christi, & Gelasius *Papa. cap. Comperimus de consecrat. dist.* 2. vocat Sacrilegos communicantes sub sola specie panis, eò quia cum Manicheis crederent à se sumi phantasticum corpus Christi, in quo sensu à Gelasio hæc communio sacrilega dicitur. Hinc patet, posse Ecclesiam præcipere communionem sub una, vel sub utraque specie, prout congruentius visum fuerit, & juxta diversas circumstantias temporum, & personarum, ac exigentiam Ecclesiæ, ad expugnandos hæreses. Leges enim Ecclesiasticæ conduntur, vel mutantur, prout bonum commune Ecclesiæ, & fidelium exigit, perinde ac leges civiles sanciuntur, vel abrogantur à Principibus sæcularibus juxta exigentiam boni publici. Hinc Ecclesia, quia Nestorius negavit, Mariam Virginem esse Matrem DEI, sed tantùm Jesu hominis, non DEI, præcepit in Concilio Ephesino, ut à fidelibus Mater DEI vocaretur. Quia Donatistæ iterabant baptismum, quamvis hoc Sacramentum ab Ecclesia eo tempore per trinam immersionem conferretur; in Concilio Toletano sub Gregorio Magno statutum fuit, ut imposterum nonnisi per unicam infusionem aquæ conferri deberet ad abolendam hæresim Donatistarum. Imò Apostoli, ne cùm Judæis convenirent, festum sabbathi transtulerunt in diem dominicum.

Cæterum certum est, sacerdotem celebrantem teneri communicare sub utraque specie. Ratio est, quia in missâ conficit sacrificium, quod coalescit ex corpore, & sanguine Christi, & sumptio utriusque speciei pertinet ad consummationem talis sacrificii: quapropter respectu sacerdotis celebrantis communio sub utraque specie est necessaria necessitate præcepti, quod tamen intelligendum est, quoties sacerdos celebrat principaliter, quia Neo-Mistæ, qui sacerdotio initiantur, & simul cum Episcopo celebrant, non communicant sub utraque specie. An verò hoc præceptum sit divinum, vel tantùm ecclesiasticum, non est ita certum, quia tametsi omnes fateantur intentionem, & præceptum Christi esse, ut hoc sacrificium consummetur ab alio; nihilominus videtur sufficere, si quod consecratum est, ab eo sumatur, qui consecravit vel ab alio sacerdote. Difficultas est de laicis, an Ecclesia justè ipsis interdixerit communionem sub utraque specie. Paulò ante Concilium Constantiense Bohemi affirmabant communionem sub utraque specie esse necessariam ad salutem consequenter non posse Ecclesiam privare laicos usu calicis.

Dicendum est primò, nullum posse jus divinum assignari, ratione cujus teneantur laici communicare sub utraque specie, ita definitum fuit in Tridentina Synodo *sess.* 21. *can.* 2. Ratio est, quia si aliquod extaret jus divinum, quo laici tenerentur communicare sub utraque specie, utique deberet hoc jus colligi vel ex facto Christi, vel ex scripturis, vel ex antiqua praxi Ecclesiæ; vel demum ex natura hujus Sacramenti: atqui ex nullo capite potest hoc jus colligi: ergo nullum extat jus divinum, ratione cujus teneantur laici sub utraque specie communicare. Major, & consequentia tenent, minor ostenditur, etenim non potest colligi ex facto Christi, quia quidquid Christus egit, non præcepit, ut ab aliis etiam fieret; alioquin cùm Christus consecraverit vespere post cœnam tenerentur sacerdotes hoc tantùm tempore consecrare. Præterea Christus in sola panis specie

specie communicavit suos Discipulos euntes in Emaus, quorum Luc. 24. habetur, quòd Christus cum primum Discipulis consecratum porrexit panem, evanuis ex oculis eorum: quòd verò panis iste à Christo consecratus fuerit Eucharistia ex eo evincitur, quia Luc. 24. subjungitur, quòd Discipuli *cognoverunt Dominum in fractione panis*, & per fractionem panis simpliciter dictam in scripturis significatur Eucharistia, ut constat ex illo Pauli 1. ad Corinth. 10. *Panem, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est.* Neque potest colligi hoc jus divinum ex scripturis: quia Actorum 2. fit tantùm mentio de sola communione sub specie panis: *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis*, & cap. 20. Fideles dicuntur una sabbathi convenisse ad fractionem panis, quod omnes de communione sacramentali intelligunt. Tum quia, ut rectè notat Concilium Tridentinum *sess. 26. cap. 1.* licet Joan. 6. habeatur: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; adhuc ibidem dicitur: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Quinimò Christus in eodem capite undecies meminit hujus Sacramenti sub specie panis, & sub nomine carnis, & sanguinis simul tantùm quater; scilicet ut significaret ad salutem sufficere solam speciem panis, quapropter concludit Christus, *qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Rursus quamvis Christus Joan. 6. dixerit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, & rursus, *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam eternam*, & demum, *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*, adhuc tamen, ut ostenderet, se non loqui conjunctivè, sed tantùm disjunctivè eodem capite subdidit: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum*, & rursus, *panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* & *qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Quamobrem cum in hisce & aliis locis meminerit solius panis, sequitur, quòd cùm simul mentionem facit de carne, & sanguine, fuerit locutus disjunctivè, non copulativè, nisi ratione Sacrificii id exigente natura Sacrificii.

Rursus neque jus hoc divinum de laica communione sub utraque specie potest colligi ex praxi Ecclesiae, quia olim sub primis Ecclesiae exordiis moris fuit, ut fideles sub una tantùm communicarent specie, ut referunt Sancti Patres primitivae Ecclesiae, praesertim Clemens Alexandrinus *lib. 1. Strom. sub init.* Cyprianus *serm. de lapsis.* Basilius *epist. ad Caesaream Patritiam.* Augustinus *serm. 222.* & alii Patres, qui floruerunt primis Ecclesiae temporibus: quinimò S. Basilius testatur Monachos eremi cultores consuevisse secum deferre ad proprias cellulas sacram Synaxin sub sola specie panis, quia cùm non haberent copiam sacerdotum, eam asservabant in propriis cellis ad usum. Praeterea D. Augustinus refert, consuevisse mulieres Eucharistiam sumere in mundo linteolo, quod tamen de specie vini non potest intelligi. Hoc idem etiam colligitur ex antiquissima praxi, quae semper in Ecclesia viguit, scilicet ut in die parasceves hoc Sacramentum sub sola panis specie sumatur à sacerdote officium die illo celebrante, ut colligitur ex D. Gregorio Magno in suo Sacramentali; & significatur etiam in sexta Synodo Trulana can. 52. hinc Innocentius I. *epist. 1. cap.* 4. asserit, fuisse traditionem Ecclesiae, ut in die parasceves sacerdos non sacrificaret, rationem etiam assignat D. Thomas *3. part. quaest. 83. art. 2. ad 2.* quia veniente veritate cessat figura: & quia hoc Sacramentum est figura, & repraesentatio dominicae passionis, non videbatur conveniens, ut eo ipso die, quo ab Ecclesia Christi passio recolitur, missae Sacrificium offerretur, unde Hugo Victorinus 2. Cod. Missel. lib. 5. ait: *Hodie non sacrificamus, quia nobis hostia de manibus tollitur, non sacrificant amici, dum trucidant inimici.* Rursus Nazarei sub initio nascentis Ecclesiae dicuntur à Sanctis Patribus communicâsse tantùm sub specie panis, quia ex lege Mosaica, quae initio conversionis permittebatur servari ab iisdem, non liceret eis vinum bibere.

Neque hoc jus divinum communicandi sub utraque specie colligi potest ex ipsa natura hujus Sacramenti. Quia hoc Sacramentum integrè salvatur in qualibet specie, quia in alterutra continetur totus Christus, & tota refectio animae. Praeterea quia una species in ratione Sacramenti non dependet ab alia, sed tantùm in ratione Sacrificii. Tum quia si ex natura hujus Sacramenti inferretur necessitas communicandi sub utraque specie in ordine ad laicos debeberet colligi, vel ex ejus effectu, vel significatione, vel re contenta, vel speciebus continentibus: sed ex effectu nequit colligi, quia hic totus tribuitur communicandi sub una tantùm specie, adeo ut communicans sub utraque specie non plus gratiae reciptat, quàm communicans sub una tantùm, ut evicimus superius, unde ex effectu non potest colligi hoc jus divinum. Praeterea quia licèt communicans sub utraque specie majorem effectum reciperet, non tamen hic necessarius esset ad salutem: ergo ex illo non possumus colligere hoc jus divinum. Neque ex ipsa significatione, quia haec per se pertinet ad hoc Sacramentum, ut tale reduplicativè, & ad ejus effectum; est enim significatio unionis membrum Ecclesiae cum Christo & capite: haec autem perfectè reperitur sub singulis speciebus, scilicet sub pane quatenus ex multis granis conficitur, & sub vino quatenus unus liquor ex multis uvis, & acinis exprimitur: repraesentatio enim expressa passionis magis pertinet ad rationem Sacrificii, quàm Sacramenti. Praeterea quia non est de ratione Sacrificii, ut omnes adstantes illud participent; sed satis est, si publicus Minister illud consummat. Neque colligi potest ex re contenta in hoc Sacramento, quia res contenta est Christus, qui totus continetur sub singulis speciebus. Neque ex ipsis speciebus continentibus potest hoc jus divinum communicandi sub utraque specie colligi, quia sumptio specierum est tantùm vel propter significationem, vel propter effectum, vel propter rem contentam: ergo cùm ex his tribus non sequatur necessitas communicandi sub utraque specie, sequitur neque ex ipsis speciebus continentibus posse colligi hoc jus, consequenter non tenentur laici communicare sub utraque specie, alioquin si communio sub utraque specie esset necessaria jure divino, & ex Christi praecepto non posset potestas ulla humana circa jus hoc dispensare, neque permittere, ut interdum laici sub una tantùm specie communicarent. Demum quia ipsi Haeretici in suis Ecclesiasticis ordinationibus circa hoc dispensant permittentes, ut abstemii communicent sub sola specie panis, unde asserentes esse de jure divino communicare sub utraque specie sibi contradicunt.

Objicies. Christus Joan. 6. dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, ergo communicare sub utraque specie, seu comedere carnem Christi, & ejus sanguinem bibere, est praeceptum Christi, sed contra negatur consequentia, quia illa particula *Et* ponitur disjunctivè loco *vel*, juxta subjectam materiam,

teriam, ut notant Juristæ de præposit. & verbor. significat. tit. de hoc. n. 2. Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancellar. Gloss.* 3. *n.* 14. & tunc sumitur particula *Et* disjunctivè, quando ponitur inter eas, quæ sunt ejusdem potestatis, & effectus, ut declarant Oldradus *cons.* 186. *n.* 8. Bursat. *cons.* 8. *n.* 20. atqui Eucharistia sub specie panis, & vini, est ejusdem potestatis, & effectus, quia sub utraque specie continetur totus Christus. Prætetea quamvis particula *Et* sumeretur conjunctivè, non tamen exigit concursum utriusque conjuncti, sed sufficit unum, ut docent Juristæ Alexand. *consil.* 101. *n.* 8 *lib.* 3. Alban. *tit.* 1. *art.* 4. *n.* 7. Tuscus. *lit. E. conclus.* 274. *n.* 54. Idque præsertim intelligitur, quando duæ orationes copulantur principaliter per se, ut in verbis Christi: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem*, sufficit enim manducare, aut bibere: unde ex verbis Christi non infertur necessitas in laicis communicandi sub utraque specie. Quòd si dicas id inferri ex facto Christi, qui non solùm instituit hoc Sacramentum sub utraque specie, verum etiam sub utraque illud distribuit: unde cum factum Christi ordinetur ad ejus passionem commemorandam, debet eodem modo commemorari, quo Christus instituit esse commemorandam, consequenter ex facto Christi sufficienter colligitur necessitas in laicis communicandi sub utraque specie. Sed contra negatur antecedens, quia factum Christi, ut paolò superiùs evicimus, etiam circa Sacramenta non semper inducit obligarionem, sed tantùm quoad ea, quæ sunt substantialia, ut enim dicebamus, Christus vesperè sub cœna consecravit, ac distribuit non jejunis, & tamen hæc duo non inducunt obligationem. Prætetea Christus Eucharistiam instituit non solùm per modum Sacramenti, sed etiam per modum Sacrificii, & quia est Sacrificium, in quo fit separatio sanguinis à corpore, exigit utramque speciem: & quia sacerdos tenetur consumere Sacrificium, ideo debet illud sumere sub utraque specie, secus qui sumunt hoc Sacrificium laico modo, non est necesse, ut illud sumant sub utraque specie, quia sufficit, si recolant passionem Christi participando de Sacrificio, ut est Sacramentum. Quòd si dicas, Christum in institutione calicis dixisse: *Bibite ex eo omnes*, consequenter omnes fideles teneri communicare sub utraque specie. Contra est, quia illa dictio *Omnes* in illo loco tantùm supponit pro Discipulis adstantibus, quia erat unicus tantùm calix, de quo omnes Discipuli debebant sumere. Prætetea quia etiam Marci 14. habetur: *Biberunt ex illo omnes*, & tamen soli Apostoli biberunt. Quòd si dicas Apostolum 1. ad Corint. cap. 11. loquentem de communione sub utraque specie scribere: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, proinde communicare sub utraque specie esse præceptum Christi ex Apostolo. Contra est, quia Apostolus ibi tantùm refert, & tradit, quod ipse acceperat, adeo ut nil novi ponat, sed tantùm explicet institutionem Eucharistiæ, eam relinquendo in ea forma, & mensura, in qua facta fuit à Christo Domino. Si dicas, Christum in institutione hujus Sacramenti legâsse corpus suum & sanguinem non tantùm sacerdotibus, sed etiam laicis, & hæreditas testatoris non debet dividi, proinde non est laicis subtrahenda sumptio sanguinis Sed contra, quia quamvis non liceat subtrahere sanguinem, quoad esse sacramentale; licèt subtrahere quoad specialem modum significationis sacramentalis, quia per hoc, quod subtrahatur sub specie vini, non subtrahitur quoad esse sacramentale, quia adhuc simul cum corpore est sub speciebus panis ejus sanguis, licèt non quoad significationem, unde tantùm subtrahitur quoad specialem modum significationis, quatenus hæc refectio per species vini significatur sub ratione potûs. Si dicas, Christum non præcepisse communionem dimidiatam, ac mutilam, sed integram, & de integritate communionis esse utramque speciem. consequenter fideles teneri ex præcepto divino communicare sub utraque specie, ac non posse Ecclesiam iisdem prohibere communionem calicis, contra est, quia licèt Christus præceperit communionem integram integritate respiciente substantiam Eucharistiæ communionis, non tamen integritate respiciente significationem Eucharistiæ communionis minùs expressæ. Quia sub una tantùm specie panis continetur primario corpus Christi, & per concomitantiam ejus sanguis, ideo qui communicant ei sub specie tantùm panis sumunt integram Eucharisticam communionem quoad substantiam, & significationem minus expressam; quatenus sumunt sub eadem specie panis verum corpus, & verum sanguinem Christi. Integritas substantiæ seu essentiæ communionis Eucharistiæ in eo est sita, ut sumamus Dominum nostrum Jesum Christum totum integrum cum corpore simul, & sanguine, anima, & divinitate: sed hæc omnia sumuntur sub specie etiam solius panis, licèt tunc sanguis sumatur minùs expressè, seu per concomitantiam, quia verbum divinum, quod semel assumpsit, nunquam dimisit. Integritas verò significationis quoad finem in eo consistit, ut recordemur corpus, & sanguinem Christi, quæ nos sumimus fuisse separata in passione, & morte Christi cruci affixi, ut scripsit D. Paulus 1. Cor 11. *Quotiescunque manducamus panem hunc, & calicem Domini bibimus, mortem Domini annunciamus donec veniat.* Laici quamvis communicent sub una tantùm specie panis, adhuc per concomitantiam, sumunt etiam sanguinem; quia cum corpore sumunt verbum divinum, quod nunquam dimisit sanguinem, quem assumpsit.

Instabis communio integra etiam quo ad significationem magis explicitam, seu sub utraque specie est de præcepto divino; quia Joan. 6. Christus ait: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* ergo Laici & non conficientes Sacrificium tenentur communicare sub utraque specie. Prætetea quia Christus in ultima cœna, quando instituit hoc Sacramentum, illud distribuit omnibus Discipulis; & non solum corpus sub specie panis, sed etiam sanguinem suum sub specie vini. Sed contra distinguitur antecedens, communio integra quoad significationem magis explicitam, seu sub utraque specie est de præcepto divino quo ad conficientes, Sacrificium missæ comeditur; quo ad non conficientes negatur antecedens, & consequentia. Ad illud Joan. 6. respondetur, ibi Christum non præcipere, ut Laici communicent sub utraque specie, quia particula *Et*, ut superius explicuimus, est disjunctiva, quæ idem sonat, ac particula *vel*, idque ex eo infertur, quia Christus Joan. 6. ait: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, unde spondet vitam æternam manducantibus explicitè solum suum panem: ergo ad assecutionem æternæ salutis non est necessarium communicare sub utraque specie. Neque obstat, quod Christus in ultima cœna distribuerit corpus, & sanguinem suis Discipulis sub utraque specie; quia Discipuli utpote sacerdotes erant sacrificaturi in altari, & ad ipsos, & alios initiatos sacerdotes direxit verba illa. *Hæc quotiescunque feceritis, in meam commemorationem facietis.* Cum igitur soli sacerdotes sacrificent, ipsi soli tenentur tunc sumere corpus, & sanguinem Christi sub utraque specie panis, & vini, ut perficiant, & consumment sacrificium. Qui verò non celebrant, non tenentur communicare

nicare sub utraque specie; sed id dependet ab ordinatione Ecclesiæ, quæ, prout congruentiùs visum fuerit, concedit, vel negat comunionem sub utraque specie. Integritas tamen significationis magis expressæ, quæ est dispensabilis respectu non celebrantiū; non potest dispensari respectu celebrantium, quibus dixit Christus: *Hæc quotiescunque feceritis*, seu conficietes Sacrificium, *in mei memoriam facietis*, illis enim antea dixerat: *Bibite ex eo omnes*, scilicet ex meo sanguine, qui confecturi eritis hoc Sacrificium. Unde communio sub utraque specie non fuit à Christo præcepta non sacrificantibus, sed solis sacerdotibus conficientibus hoc Sacrificium: idque ex eo etiam liquet, quia Christus discipulis proficiscentibus in Emaus ministravit Eucharistiæ Sacramentum in sola specie panis, ut explicant S. Patres, D. Augustinus, Theophilactus, & alii observantes, quòd S. Lucas cap. 24. postquam dixit: *Accepit panem, & benedixit, ac fregit. & porrigebat illis*: & nihil dixit de distributione calicis; sed subdit: *Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum in fractione panis. & ipse evanuit ab oculis eorum*. Quia imò etiam ab ipsis Apostolis fuit Eucharistia ministrata sub sola panis specie. Act. cap. 3. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*, ubi nullum fit verbum de communione calicis. Hinc Ecclesia, ut refert S. Ambrosius in obitu Satyri fratris, consuevit primis illis temporibus concedere non consecrantibus communionem Eucharisticam sub specie tantum panis, præsertim maria trajicientibus, qui secum Eucharistiam deferebant, ut imminente vitæ periculo communicarent. Iis etiam, qui quotidie domi communicabant, una tantùm permittebatur species panis, ut etiam infirmis, ut narrat Eusebius lib. 5. histor. Eccl. cap. 26. Dionysius Alexandrinus apud eundem Eusebium etiam refert, Pœnitentes reconciliatos sub una tantùm communicâsse specie panis. Unde liquet, S. Patres non existimâsse absolute necessarium præceptum communicandi sub utraque specie, quoad non consecrantes; nec ullum Laicis resultare defectum, ex eo, quòd communicant sub sola specie panis, quoad essentiam integritatis; sed tantùm integritatem significationis fieri minus expressam, circa quod ad removenda incommoda potuit Ecclesia dispensare.

Aliud est, Ecclesiam non posse dispensare circa integritatem Sacramenti, ejusque essentiæ; & aliud posse dispensare circa evidentiam significationis Sacramenti, seu circa significationem minus expressam; hoc secundum de facto præstat Ecclesia non primum, imponens non consecrantibus communionem sub una tantùm specie panis. Præterea quia Christus instituit hoc Sacramentum in fine ultimæ cœnæ, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & Apôstoli eadem hora celebrârunt, quæ celebratio significavit, Eucharistiam esse Sacrificium ultimorum temporum, ut prædixerat David Ps. 151. *Elevatio manuum mearum Sacrificium vespertinum*. & nihilominus ob majorem reverentiam in hoc Sacramentum, vult Ecclesia, ut sacerdotes non nisi mane, ac jejuni celebrent, & ut Laici non nisi jejunii communicent, adeo ut immutaverit hanc Eucharistiam cœnam, quamvis significativam, & mysticam, in aliam sumptionem jejunam, & sacramentalem, ut notavit Concil. Constant. Sess. 15. Præterea Ecclesia dispensavit circa immersionem significativam in Sacramento baptismi. Christus enim instituit baptismum ministrari per immersionem in aquam, & non per aspersionem, Matth. 18. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* verbum *baptizantes* in textu Græco idem significat, ac immergentes, & effundentes in aquam; idque causæ, cur Joan. Bapt. & Apostoli convenire ad ripas Jordanis consueverint, ut gentes baptizarent, seu ter immergerent toto corpore aquis repetentes in singulis mersionibus nomen trium divinarum personarum, ut referunt Tertull. lib. adversus Praxeam cap. 16. Damasc. epist. de Trisagio. Quælibet hæc mersio baptismalis in modum crucis fiebat, ut significaretur à Christi morte, quæ in cruce peracta fuit, merita redemptionis nostræ profluxisse, ut ajunt S. Patres, præsertim S. August. Serm. 119. ad Competentes, seu Catechumenos, ubi ait: *Lancea perforatum est corpus Christi, & manavit pretium nostrum: ideo signo crucis signatur baptismus, id est aqua, ubi tingimini.* Chrysost. homil. 55. in cap. 16. Matth. & nihilominus hæc trina aquis immersio, quamvis pertineret ad integritatem significationis, quatenus significabat Christi sepulturam, per quam nos protestamur fuisse antea cum Christo sepultos, & egressio ab aquis indicaret Christi resurrectionem, & nostram regenerationem à morte peccati ad statum gratiæ ex D. Paulo ad Rom. 6. ab Ecclesia congruentiùs immutata fuit in aspersionem; quamvis aliqui S. Patres, ut refert S. Cyprianus Epist. 76. ad Magnum dubitaverint, an valide ministraretur baptismus sine hac trina immersione, à qua tantum exempti erant infirmi constituti in extremo vitæ periculo, & imminente jam morte. Unde Ecclesia in ministrandis Sacramentis potest ritus, & quæ non sunt de essentia immutare, prout consultius visum fuerit. Etenim Christus vespere post cœnam consecravit, ac distribuit Eucharistiam; & tamen quia hæ circumstantiæ non sunt de essentia Eucharistiæ, Ecclesia eas immutavit, ac instituit, ut non nisi mane consecraretur in altari, & Eucharistia non nisi à jejunis sumeretur ob majorem reverentiam in Christi corpus. Si dicas, has circumstantias temporis, & jejunii non esse de essentia Eucharistiæ proinde potuisse ab Ecclesia immutari, sed sumptionem calicis esse de essentia, eò quia à Christo fuerit instituta, cum dixit: *Bibite ex eo omnes*, sed contra, quia præfata verba, ut superius ostendimus, fuerunt tantùm directa ad solos suos discipulos, & successores sacerdotes ut clarè colligitur ex sequentibus verbis: *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis*, qui verò non consecrant, non conficiunt Sacrificium, proinde non est necesse, ut bibant de calice. Præterea quia in ultima cœna unus tantùm fuit calix, de quo sumere omnes debebant, Marc. 14. *Et biberunt ex illo omnes*, & tamen soli Apostoli biberunt. Christus enim instituit Eucharistiam non solùm per modum Sacramenti, verum etiam per modum Sacrificii, & quia est Sacrificium cruentum, requiritur utraque species, ut fiat separatio sanguinis: & quia sacerdotes celebrantes conficiunt Sacrificium, debent utramque partem, seu corpus, & sanguinem sumere, ut perficiant Sacrificium Laici verò non conficientes Sacrificium, non est necesse, ut communicent sub utraque specie, sed sufficit, si sub sola specie panis sumant corpus Christi, quia in corpore concomitanter continetur sanguis, quem sumunt una cum corpore, quia hoc sumitur ut vivum, proinde cum vita, quæ ex Philosopho sita est in sanguine. Unde nulla fit Laicis injuria, si sub una tantum panis specie communicent. Hinc

Dicendum est secundò, Ecclesiam justè interdixisse Laicis communionem sub utraque specie. Idque constat ex Tridentino Concilio, ubi *Sess. 21. can. 2.* anathemate eos fecit, qui dixerint, Ecclesiam Catholicam non justis causis, & rationibus adductam fuisse, ut Laici, atque etiam Clerici non consecrantes sub una tantum panis specie communicent. Justæ causæ bujus prohibitionis plures sunt: quarum prima ast ad refellendam hæresim asserentium sub specie

panis esse tantùm corpus, & sub specie vini esse tantùm sanguinem, ut refert Bellarm. *lib. 4. de Eucharistia cap. 8.* asserebant plures Lutherani tempore concilii negantes concomitantiam sanguinis cum corpore Christi; sub specie panis esse solum corpus, & non sanguinem. Secunda ad præcavendum periculum erroris: quia si in triduo populus sumeret sanguinem sub specie vini, vix crederet ipsum esse sub specie panis concomitanter cum corpore. Tertia ad refellendum errorem, quòd sola species panis non sufficiat ad salutem. Quarta ad evitandum periculum effusionis propter multitudinem, quæ ad altare comprimit, neque enim in sumptione panis adest tale periculum. Tum quia licèt aliqua particula in terram decidat, potest tamen hæc commodè colligi; non ita gutta sanguinis. Quinta, quia Ecclesia animadvertens, plures esse natura abstemios à vino, ac ipsius solius odoris impatientes, ac vinum pluribus in locis non posse in tanta copia haberi, ut plura hominum millia possint communicare, ac durum obtingeret sacerdoti absumere id, quod ab omnibus delibatum erat, ac remanebat, præsertim cùm ad communicandum accederent aliqui malè affecti, sordidi, ac moribus infecti, qui etiam alios à communione deterrebant, eo quia ex eodem calice debuissent bibere ex istis, & aliis justissimis causis interdixit Ecclesia Laicis communionem sub utraque specie. Hinc infertur, non esse nunc licitum Laicis communicare sub utraque specie, quia non solum habetur consuetudo Ecclesiæ in contrarium, sed etiam prohibitio in Concilio Constantiensi Sess. 13. & Tridentino Sess. 21. cap. 2.

Infertur primò non solùm in utraque specie, sed in quavis utriusque speciei particula, quæ sub sensus cadit, totum Christum contineri, estque dogma fidei, quod colligitur ex Evangelistis. Neque enim credendum est, ait Catechismus, singula panis frusta propria verborum forma à Domino consecrata esse, sed eadem simul omnem panem, qui ad sacra mysteria conficienda, atque Apostolis distribuenda satis futurus esset: id quod de calice factum esse apparet, cum ipse dixit: *Accipite, & dividite inter vos.* Propterea *cap. singuli dist. 11. de consecratione* desumpto ex præfatione Dominicæ V. post Epiphaniam in Missali Ambrosiano & in Sacramentario S. Gregorii habetur: *Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est; nec per singulos minuitur; sed integrum se præbet in singulis*, & cap. *Ubi* eadem distinct *Ubi pars est corporis, ibi est totum. Eadem ratio est in corpore Domini, quam manna, quod in ejus figura præcessit, de quo dicitur*, qui plus collegerat, non habuit amplius, neque qui minus paraverat, invenit minus. *Non est omnino quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus Sacramenti spiritualis.* Idque declaravit itidem Concilium Tridentinum Sess. 13 can. 3. *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & singulis cujusque speciei partibus, separatione facta totum Christum contineri, anathema sit.* Ratio itidem hoc suadet; quia Christus non est in hoc Sacramento ut in loco: locus enim res ipsas consequitur, ut magnitudine aliqua præditæ sunt. Sed Christus non est in hoc Sacramento, ut magnus, aut parvus est, quod ad quantitatem pertinet; sed ut substantia est: etenim vi verborum consecrationis substantia panis, & vini convertuntur in substantiam corporis & sanguinis Christi non in quantitatem extensam actu, aut magnitudinem. Atqui substantia secundùm se æquè in parvo, ac in magno spatio continetur: substantia aeris, ac naturæ æquè continetur in minima parte aeris, ac in magna: cum igitur panis substantiæ corpus Domini nostri succedat, tenemur fateri substantiam corporis Christi eodem modo in Sacramento esse, ac substantia panis ut præcisâ à quantitate ante consecrationem. Hoc idem explicat S. Thomas exemplo speculi opusc. 58. Si mihi plura exhibeantur specula, in omnibus æqualiter, ac integrè mea apparebit facies & si unum confringas speculum, ut in plurimas dissiliat partes, in singulis illis particulis eadem tota mea facies repræsentatur, adeo ut sit una, & eadem in singulis fragmentis absque ulla mutatione: perinde in Sacramento Eucharistiæ, quod ab Apostolo vocatur *speculum, & imago illius*, licet species panis in plures dividantur partes, in singulis totus, ac integer est Christus. Sed quamvis totus Christus sit sub unaquaque parte speciei consecratæ, ac separatæ ab aliis; optimè tamen fuit institutum, ut separatim duæ consecrationes fierent. D. Thomas 3. part. quæst. 76. duas assignat rationes; quarum prima est, ut passio Christi Domini, in qua sanguis à corpore separatus fuit, magis exprimeretur: & hujus rei causa in consecratione sanguinis effusionem exprimimus, & illam commemoramus. Secunda est; quia perquam consentaneum fuit, ut sicut ultimur Eucharistiâ, ut alatur, ac nutriatur anima, nobis distribuendum erat sub utraque specie panis, & vini, ut integrum convivium repræsentaret.

Infertur secundò Christo in Eucharistiæ Sacramento deberi cultum latriæ, etiam externum, idque esse certum de fide. Quia de fide tenemur credere eundem Deum præsentem in Eucharistia adesse, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dixit Matth. 2, Matth. 28. Luc. 24. *Et adorent eum omnes Angeli Dei*: Et quem *Magi procidentes adoraverunt.* Est siquidem in Eucharistia Christi corpus, seu humanitas subsistens non personalitate propria, sed persona Verbi divini; adeo ut cum Christi humanitate sit etiam persona Verbi divini; quæque est ipsa persona Christi; sed persona Verbi divini est adoranda cultu latriæ, etiam externæ: ergo Christus in Eucharistia est adorandus cultu latriæ, etiam externo. Hoc esse dogma fidei, fuit declaratum in Sinodo Tridentina Sess. 13. cap. 5. & can. 6. *Si quis dixerit, in S. Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum; atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum; neque in processionibus secundum laudabilem, & universalem Ecclesiæ S. ritum, & consuetudinem solemniter circumgestandum; vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras, anathema sit.* Etenim S. Patres fatentur hanc consuetudinem adorandi cultu latriæ externo Christum sub speciebus Eucharisticis, & Sacramentum Eucharistiæ publicè circumgestandi semper viguisse in Ecclesia ab ejus exordio, post ejus institutionem Cyrillus Alexandrinus agens contra Nestorium anathematismo 8. ait: *Una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorandum, sicut ab initio Ecclesiæ traditum est*; quod assertum approbavit Synodus Ephesina, & Concilium Oecumenicum Constantinopolitanum 2. can. 9. Quia cum totus Christus sit verè, & realiter præsens in Sacramento Eucharistiæ sub utraque specie, quod est dogma fidei, sequitur Christum in Eucharistia esse adorandum cultu latriæ interno, & externo. D. Joannes Chrysostomus plerisque in locis asserit Angelos cum tremore, & timore interesse Sacrificio missæ, & venerabundos circumvallere sacrum altare instar militum Principem stipantium, ac DEUM præsentem sub speciebus panis, & vini venerari, eique

eique ſupplicare pro his, pro quibus corpus ſuum voluit immolare, ita enim ferme loquitur *homil. 3. de incomprehenſibili Dei natura*, & *lib. 6. de Sacerdotio cap. 4.* & *Homil. 21. in Act. Apoſt.* D. Ambroſius lib. 3. de Spiritu S. cap. 12. ait: *Adoravit Chriſtum Maria: adoraverunt Apoſtoli: adoraverunt & Angeli, de quibus ſcriptum eſt, & adorent eum omnes Angeli ejus. Adorent autem non ſolùm divinitatem, ſed etiam ſcabellum pedum ejus, quia ſanctum eſt. Per ſcabellum terra intelligitur, per terram caro Chriſti, quam hodie quoque in Myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Jeſu adorarunt. Neque enim diviſus Chriſtus, ſed unus.* D. Auguſtinus in Pſal. 98. Hoc idem aſſerit, ac edocet, inquiens: *Quomodo adorabimus terram, cum dicit apertè ſcriptura, Dominum Deum tuum adorabis, & hic dicit, adorate ſcabellum pedum ejus. Quæro, quid ſit ſcabellum pedum ejus. Exponens autem mihi, quid ſit ſcabellum pedum ejus, dicit terra autem ſcabellum pedum meorum, anceps factus ſum. Timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cælum, & terram. Rurſus timeo non adorare ſcabellum pedum Domini, quia Pſalmus mihi dicit: adorate ſcabellum pedum ejus.* Et paucis interjectis ſubdit: *Fluctuans converte me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hic, & invenio, quomodo ſine impietate adoretur ſcabellum pedum ejus: ſuſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit: & quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, niſi priùs adoraverit: inventum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini. & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* Tantum abeſt, ait Auguſtinus, ut quis peccet, ſi cultum latriæ etiam externum corpori Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis exhibeat, ut hunc cultum Chriſto in Euchariſtia denegantes anathemate percutiantur à Concilio, & graviſſima noxa ſe noverint coinquinatos; contra Calvinum ejúſque Sectatores præſertim Theodorum Bezam lib. de cœna Domini contra Weſtphalum Lutheranum, ubi ait: *Illud de cæteris demiror, qui adorationem iſtam liberam relinquas, qui tamen Chriſtum re ipſa corporaliter ut in cœlis cum pane adeſſe dari, & ſumi in terris fatearis. Id enim, ſi ita crederem adorationem illius profectò non modo tolerabilem, & religioſam, ſed etiam neceſſariam arbitrarer.* Cenſuit Beza, Chriſti corpus ita eſſe in cœlis ad dextram Patris, ut non poſſit ſimul terris ineſſe, neque ſub ſpeciebus Euchariſticis, quas propterea inficitur eſſe adorandas, eò quia ſub iiſdem non ſit corpus Chriſti. Quòd ſi ibi adeſſet, in hac hypotheſi non ſolùm eſſet Chriſtus adorandus ſub illis ſpeciebus, & talis adoratio eſſet tolerabilis, & religioſa, ſed etiam neceſſaria, eò quia ubi reperitur Chriſti corpus debeatur ipſi ratione perſonæ divinæ, qua ſubſiſtit cultus latriæ internus, & externus. Calviniani igitur ideo aſſerunt, Euchariſtiam non eſſe adorandam cultu latriæ, eo quia putent, ſub illis ſpeciebus panis, & vini non adeſſe verum reale, ac ſubſtantiale corpus Chriſti, cenſentes non poſſe eſſe ſimul in cœlo, & in terra. Lutherani verò, quia in ſolo uſu, & eſu aſſerunt adeſſe ſub ſpeciebus Euchariſticis Chriſti corpus redarguuntur à Beza, ſi comedentes non adorent Chriſtum ſub ſpeciebus panis, eò quia talis adoratio ex ſuppoſitione, quod adſit corpus Chriſti, non ſolum eſt tolerabilis, & religioſa, ſed etiam neceſſaria.

Infertur tertiò pium, ac religioſum fuiſſe morem inductum, ut quot annis peculiari quodam & feſto die præcelſum, ac venerabile Euchariſtiæ Sacramentum ſingulari veneratione celebretur, ac in proceſſionibus cum debitis obſequiis per publicas plateas, & vias circumgeſtetur. Hunc in Eccleſia morem approbat ſacra Tridentina Synodus *ſeſſ. 13. cap. 5.* & *can. 5.* ubi ait: *Æquiſſimum enim eſt, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, quibus Chriſtiani omnes ſingulari, ac rara quadam ſignificatione gratos, & memores teſtentur animos erga communem Dominum, & Redemptorem pro tam ineffabili, & planè divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus repræſentatur: atque ſic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio, & hæreſi triumphum agere: ut ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris; & in tanta univerſa Eccleſia lætitia poſiti vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti, & confuſi aliquando reſipiſcant.* Hæc autem ſolemnitas die feſto corporis Chriſti ex triplici cauſa fuit inſtituta ab Urbano VI. Pontifice Maximo diplomate ſancito in urbe veteri anno 1264. die octavo ſeptembris, quæ inſtitutio à Clemente V. in Concilio Oecumenico Viennenſi anno 1311. confirmata fuit. Prima igitur cauſa hujus inſtitutionis fuit, ut memoriam recoleremus tanti beneficii à Chriſto Domino & Salvatore noſtro nobis collati in hujus Sacramenti inſtitutione. Ideoque ad publicam grati animi ſignificationem conveniens fuit, ut fideles aliquo ſtatuto die per annum ſolemnitatem hujus inſtitutionis celebrarent. Secunda cauſa fuit, ut Hæreticorum perfidia, & inſania publica fidelium lætitia, & ſolemnitate deleretur. Tertia ut reſarciretur publica ſolemnitate, ac privata devotione quidquid toto anni decurſu in miſſarum ſolemniis, vel etiam ex negligentia in miſſis privatis & fragilitate humana ad tanti Sacramenti venerationem geſtum eſt. Hæc triplex ratio exponitur in Clementina: *Si Dominum titulo de reliquiis, & venerat. Sanct.* Quòd ſi licuit Synagogæ feſtos quoſdam, & ſolemnes dies inſtituere per annum in memoriam beneficiorum collatorum à Deo populo Iſraelitico: potiori jure debuerunt fideles, & Eccleſia, quæ vera eſt Chriſti ſponſa, & Spiritu Sancto regitur ſacrum hunc diem ſolemnem ſtatuere, quo fideles ſibi à Chriſto impertita beneficia recolerent, eique gratias agerent. Proceſſiones autem, quod attinet ſive ſupplicationes ſolemnes, quibus Euchariſtiæ Sacramentum religioſè circumgeſtatur, nil in iiſdem notari poteſt, quod pietatem non ſapiat, & quod arcæ circumgeſtatione ſolemni in veteri teſtamento facta vindicari non poſſit ab hæreticorum calumniis. Ex quo arca fœderis juſſu Dei conſtructa fuit. Iſraelitæ ex monte Synai per deſertum arca præeunte, ac Levitis ipſum geſtantibus proceſſerunt, donec ad terram promiſſam perveniſſent. Cum enim elevaretur arca, dicebat Moyſes Joſue 3. *Surge Domine, & diſſipentur inimici tui; & fugiant, qui oderunt te à facie tua,* & cum eadem arca deponeretur, ajebat: *Revertere Domine ad multitudinem exercitus Iſrael.* Rurſus præſente arca Jordanis exſiccatus areſcentes in alveo arenas exhibuit Iſraelitis, ut per ſicca veſtigia ad aliam citra periculum ſubmerſionis ripam tranſirent. Prætetea ſolemni ritu circumgeſtata etiam fuit arca in circuitu murorum Jericho ſepties, & cum ſeptimo die ſacerdotes illam geſtarent clangentibus buccinis, quarum uſus erat anno Jubilæi, & vociferante populo, ac altiori voce clamante, ac Deo ſupplicante ſtatim Jerichontini muri corruerunt ſolo æquati, & Iſralitæ voti competes divinoque muniti præſidio civitatem fuerunt abſque ullo obſtaculo ingreſſi, quam etiam occupârunt, & funditus deleverunt.

Rurſus

Rursus cum fuisset collocata arca in loco, quem Deus elegerat, Israelitæ memores miraculorum, quæ Deus in eorum gratiam operatus fuerat, cum illa per sacerdotes circumgestaretur temporibus Moyses, & Josuë, & etiam sub Heli pontificatu arcam circumferentes, etiam in castra detulerunt, ut adversus Philisthæos iisdem esset subsidium, 1. Reg. cap. 4. quod & David immitatus fuit, quapropter Deus benedixit Obededom & omnem domum ejus propter arcam, quæ apud eum deposita fuerat. Quòd si in veteri lege arca fœderis quoties insurgerent hostes, vel imminuerent pericula, circumferebatur, ut præsidio Israelis esset Deus, quantò magis in lege Evangelica fideles non arcam testamenti, sed ipsam Christi humanitatem decens est, ut per plateas circumferant, & fideles omnes lætentur, ac solemni veneratione debitum eidem cultum exhibeant; cùm enim per desertum hujus mundi ad cœlestem patriam peregrinemur, congruum erat, ut nos præcederet non arca testamenti, sed Eucharistia sub speciebus panis veram, realem, ac substantialem continens humanitatem, in qua & ipsa reperitur divinitas, quæ nobis vires suppeditat contra insurgentes diabolicas potestates, & ad ejus præsentiam mundi fluxa, ac vana exiccantur.

Infertur quartò, accidentia panis, & vini in Eucharistiæ Sacramento existere sine subjecto, quod nonnisi divinitus potuit contingere, quatenus substantia panis, & vini convertitur in substantiam corporis, & sanguinis Christi, non enim hæc accidentia inhærent Christi substantiæ, cùm non sit proprium eorundem subjectum: & cùm sensu exploratum est, facta transubstantione panis & vini in corpus, & sanguinem Christi, accidentia adhuc manerent, necesse est ibi, existant sine subjecto, quia constat, ea non posse inhærere corpori, & sanguini Christi incapacis alterationis, & corruptionis in statu gloriæ, ex quo sequitur, ut supra ordinem totius naturæ divina virtute remaneant sine subjecto, cum ibi non sit substantia panis, & vini; & corpus Christi utpote gloriosum, & inalterabile non sit eorundem subjectum, ut semper docoit, & credidit Ecclesia, quæ inter Wicclessi articulos in Concilio Constantiensi hunc damnavit: Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento: & probari etiam solet *ex cap. nos autem distinct. 2. de consecratione*, quod nomine S. Augustini in lib. sentent. Prosperi refert Gratianus. Nos autem in specie panis, & vini, quam videmus rei invisibilis, id est, Christi carnem, & sanguinem honoramus, nec similiter comprehendimus has duas species, ex quibus consecratur dominicum corpus, quemadmodum ante consecrationem comprehendebamus: cùm fideliter fateamur ante consecrationem esse panem, & vinum, quod natura formavit; post consecrationem verò Christi carnem, & sanguinem, quod benedictio consecravit. Hunc fidei articulum Landfrancus lib. de corpore, & sanguine Domini cap. 18. contra Berengarii hæresin explicat, inquiens: *Credimus terrenas substantias, quæ in mensa dominica per sacerdotale ministerium divinitus sanctificantur, ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter operante superna potentia converti in essentiam Dominici corporis reservatis ipsarum rerum speciebus, & quibusdam aliis qualitatibus ne percipientes cruda, & cruenta horrerent, & ut credentes fidei præmia ampliora perciperent: ipso tamen dominico corpore existente in cœlestibus ad dexteram Patris, immortali, inviolato, integro, incontaminato, illæso, ut verè dici possit & ipsum corpus, quod de Virgine sumptum est, nos sumere, & tamen non ipsum, ipsum quidem quantum ad essentiam, veræque naturæ proprietatem atque virtutem: non ipsum autem, si spectes panis, vinique speciem, cæteraque superius comprehensa. Hanc fidem tenuit à priscis temporibus, & nunc tenet Ecclesia, quæ per totum diffusa orbem Catholica nominatur.* Assignat rationes, quibus reserventur species panis & vini, sub quibus fideles sumunt corpus, & sanguinem Christi; quia si perciperent nudum corpus, nudùmque sanguinem horrerent, crudas carnes comedere, ac sanguinem bibere, proinde averterentur potius à sumptione synaxis: secunda ut fideles credentes sub speciebus panis, & vini sumere verum reale, ac substantiale Christi corpus, & sanguinem per merita fidei, præmia susciperent auctiora. Quòd verò divinitus fieri possit, ut accidentia sine subjecto remaneant in Eucharistia, explicat S. Basilius homil. 6. in Hexameroo. ubi ait: Lucem prima die conditam à Deo triduo mansisse absque subjecto inhæsionis, & quarta die imbibitam sole, ac collectam cum solari luce tantum inhæsisse subjecto, ait enim D. Basilius: Tunc enim ipsa natura lucis producta est; nunc autem hoc solis corpus eo conditum est, ut illi primogenitæ luci vehiculum esset. Atqui incredibile nemini videatur, & à fide abhorrens, quod dictum mihi est, aliud nimirum quoddam esse à luce splendorem, aliud item corpus subsidens luci, ac subjectum. Primum enim res omnes compositæ sic à nobis dividi solent in ipsam essentiam susceptricem, & in eam, quæ ipsi accidit qualitatem. Ut igitur diversa sunt hæc natura albedo, & corpus dealbatum; sic & ea, quæ modo diximus, differunt quidem, unita tamen sunt potentia Creatoris, itaque ne dixeris mihi, fieri boc non posse, ut lux à corpore solis separetur. Neque enim ego lucis à solis corpore separationem mihi, ac tibi possibilem esse dico: sed asserendum censeo, quæ mentis sola cogitatione disparari à se possunt, ea re ipsa sejungi facultate Creatoris utriusque naturæ posse hactenus D. Basilius. S. Thomas triplicem itidem assignat rationem, cur Christus corpus suum, & sanguinem sub alienis speciebus dare voluerit fidelibus. Prima est, quia non est consuetum hominibus, sed horribile potius hominis carnem comedere, & ejus sanguinem bibere, ideoque ad hunc abigendum errorem maluit carnem suam sub speciebus panis, & sanguinem sub speciebus vini, seu sub accidentibus rerum, quæ magis sunt nobis in usu fidelibus tradere. Secunda, ne hoc Sacramentum ab infidelibus irrideretur, si sub propria specie Dominum nostrum manducaremus. Tertiò, ut dum invisibiliter corpus, & sanguinem Christi Domini sumimus per fidem nostra augeantur merita, quia, ut ait S. Gregorius, fides: *Ibi non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum*, quapropter Angelius Doctor in officio de sanctissimo Sacramento ait: *Accidentia sine subjecto in eodem existunt, ut fides locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur sub aliena specie occultatum: & sensus à deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus judicant sibi notis.* D. Thomas Opusculo 58. de Sacramento Altaris cap. 7. aliam etiam adfert rationem, cur voluerit Christus, ut ejus corpus, & sanguinem sumerent fideles sub speciebus panis, & vini, quia sicut primorum parentum incredulitas incepit ex auditu verbi diaboli suadentis primæ fœminæ in terrestri Paradiso cibum continentem in se mortem; & in eo sunt sensus eorum valde delectati; sic congruit, ut fides salvandorum incipiat ex auditu verbi Salvatoris suadentis sumere cibum habentem veram vitam absconditam, & in quo nostri sensus

piè,

pè, ac sanctè decipiantur præter auditum, ut sit fides ex auditu tantùm & non ex visu, vel aliis sensibus, & auditus sit per verbum Christi. idque adumbratum nobis fuit Genes. 27. In ipsa benedictione, qua Jacob fuit prælatus Esau fratri, in ea siquidem sensus Isaac senescentis, & caligantis decumbentisque in lectulo fuerunt decepti, putavit enim se sentire Esaum natu primum ex suis Filiis, dum sentit similitudinem ejus scilicet Jacob, qui vestibus Esau indutus erat. Isaac & Rebecca masculus, & fœmina duas significant naturas in nobis corpus, & animam: masculus, qui magis solet esse manifestus, & exterioribus plus intendit significat exteriorem hominem, seu corpus cùm suis sensibus: fœmina quæ domi residet, & familiam regit interiorem hominem, seu animam, quæ salutis suæ, & aliorum curam gerit. Jacob natu minor bonus, & formosus habitans in tabernaculis, quem diligit Rebecca, seu fidelis anima significat verum corpus Christi. Esau quem amat Isaac id est corpus, eò quia de cibis illius vescatur, significat substantiam panis cum accidentibus. Quamobrem dum Isaac quasi homo exterior, seu sacerdos benedicit, substantia panis recedit; sed similitudo Esau scilicet accidentia panis quasi vestes manent circa Jacob, seu circa corpus Christi; & sensus nostri falluntur. Ibi fallitur visus Isaac caligans id est debilis corporis nostri, quia putat præ oculis se habere Esau, seu panem; & tantùm videt vestes ejus, scilicet speciem panis sub qua latet Jacob velatus, seu Corpus Christi. Ibi fallitur gustus, quis putat se comedere cibum Esau seu panem, & gustat tantùm similitudinem ejus. Ibi fallitur olfactus, quia putat se sentire odorem Esau, seu panis, qui verè non est, sed sentit odorem vestimentorum ejus, seu specierum panis, quibus velatum est corpus Christi. Sapiens erat Isaac, sed in cognitione Esau fallebatur: sic exterior homo noster in judicio de pane altaris fallitur excepto auditu, unde dixit Isaac seniculus, & caligens: *Vox quidem vox Jacob est, manus autem, manus sunt Esau*, quia manus, quas tango sunt Esau, quo nihil falsius: vox dicentis *ego sum* vox est Jacob, quo nihil verius. pari pactu sacramentum, quod tango substantia panis est; quo nihil falsius: vox dicentis *Hoc est corpus meum*, vox est Christi quo nil verius. hactenus fermè D. Thomas. Si tamen propriè velimus loqui sensus non falluntur cum percipiunt accidentia sensibilia suo destituta subjecto, quia ut ait D. Thomas 3. *part. quæst.* 75. *art.* 5. *in respons. ad* 2. & 3. *objectionem. Sunt enim ibi secundum rei veritatem accidentia quæ sensibus dijudicantur. Intellectus autem, cujus proprium objectum est substantia per fidem à deceptione præservatur. Fides vere non est contra sensum, sed est de eo, ad quod sensus non attingit.*

Infertur quintò, quod tametsi frangantur, ac dividantur species, non tamen frangitur, nec dividitur corpus Christi, sed integrum sub utraque specie perseverat, ut canit ecclesia in hymno *lauda Sion: Salva torem, lauda Ducem, & Pastorem*, quem D. Thomas composuit: ibi enim habetur, *a sumente non concisus, non confractus, non divisus integer accipitur. Fracto demum sacramento ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur. Nulla rei fit scissura signi tantùm fit fractura, qua nec status, nec statura signati minuitur*, unde quamvis frangantur species panis in plura frustula non tamen frangitur Christi corpus, quia incorruptibile est & impassibile; quamvis calefiant species Eucharisticæ non tamen alteratur corpus Christi, quia cùm sit gloriosum, non est alterationi obnoxium estque totum in toto, & totum in qualibet parte, sive integra, sive divisa; quapropter fractio in symbolis seu speciebus panis, & vini exercetur; non verò in Christi corpore, quod integrum semper perseverat, quamvis millies frangantur, dividantur species sensibiles: ait D. Thomas 3. *part. quæst.* 77. *art.* 7. Ipsum corpus Christi non frangitur nisi secundùm speciem sacramentalem, & hoc modo intelligenda est confessio Berengarii relata cap. Berengarius dist. 2. de consecrat. cujus hæc sunt verba. *Consentio Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ sedi, & ore, ac corde profiteor, Panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, & sensualiter non solùm sacramento. sed etiam in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, ac fidelium dentibus atteri*, ad quod fractio, & attritio referatur ad speciem sacramentalem sub qua verum, reale, ac substantiale est corpus Christi. Unde quamvis species sacramentales interdum corrumpantur; corruptio tamen illa in corpus Christi non redundat: quia ut loquitur Apostolus *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors ultra illi non dominabitur:* sicut in ipsius divinitatem ob unionem personalem cum natura humana, injuriæ illius naturæ, sive corporis infirmitates, ac passiones non redundabant: ita neque specierum corruptio, & alteratio, ac immutatio in corpus Christi jam immortale, ac incorruptibile refunditur propter unionem sacramentalem corporis cum speciebus. Sicut solis radii pertransentes lutum, ac stercora nihil inde contrahunt maculæ, nec fœditatis; ita corpus Christi quamvis uniatur speciebus panis, quæ alterantur, immutantur, corrumpuntur, non tamen Christi corpus has passiones suscipit, neque fit illis obnoxium, quia post mortem non amplius moritur, estque gloriosum, immutabile, impassibile. Symbolum hujus impassibilitatis fuit rubus, quem vidit Moyses incombustum in medio flammarum: stetit in medio rubi ardentis Angelus gerens Dei personam absque ulla læsione; ita Christi corpus in Eucharistia, quamvis species panis immutentur, corrumpantur, non tamen immutatur, nec corrumpitur; *non enim potest sanctum Dei videre corruptionem*. & quamvis Christi corpus deglutiatur ab impiis, & sacrilegis non tamen quidquam patitur detrimenti. Quòd si species corrumpantur, desinunt ibi esse corpus, & sanguis Christi, non tamen initio corruptionis; sed cum corruptio consummata est: hinc S. Cyprianus Tract. de lapsis. *Et alius quia, & ipse maculatus, sacrificio à sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere: Sanctum Domini edere, & contrectare non potuit; cinerem ferre se apertis manibus invenit. Documento cujus ostensum est, Dominum recedere, cum negatur; nec immerentibus ad salutem prodesse, quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente Christo præsentiam sacramentalem substrahente, mutetur.* Quod si contingeret hostiam consecratam à muribus corrodi, ac devorari ab aliis bestiis substantia corporis Christi sub illa non desineret quamdiu species Eucharisticæ panis perseverarent ut docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 80. *art.* 3. ubi sit de contraria sententia quam asseruerunt Guitmundus *lib.* 11. *de veritate Eucharistiæ*. Magister sententiarum *lib.* 4. *dist.* 13. §. 1. Innocentius III. *lib.* 4. *de mysteriis missæ cap.* 11. *Derogat enim veritati hujus sacramenti, ad quam pertinet, ut manentibus speciebus corpus Christi sub ipsis maneat, & sub eis esse non desinat. Nec tamen dicendum est, quod animal brutum sacramentaliter corpus Christi manducet, quia illo non convenit utitur, ut sacramento,*

LIBER SEXTUS.

DE

Christi impeccabilitate Mediatione, ac Merito.

CAPUT I.

Ostenditur contra Calvinum, DEUM non esse Authorem peccati.



Alvinus sicut fidem profitetur distinctam ab ea, quam docet Ecclesia Catholica; ita & alium habet Deum, quem authorem asserit peccati, adeo ut nullum committatur peccatum cujus non sit Deus author, quo pacto, ut ipse asserit, ab æterno non solùm præscivit, ac permisit peccatum Adæ in ruinam totius posteritatis, verùm etiam ipsum voluit, ut inde occasio illi non deesset homines peccantes puniendi, eosque æternis suppliciis addicendi, quia licèt per peccatum amiserint liberum arbitrium, contraxerunt tamen peccatum originale, quo digni sunt punitione continua, quia tamdiu in nobis manet, quamdiu in hac vita sumus, cum per baptismum non tollatur. Hæc est Calvini doctrina, quam desumpsit ex antiquis hæreticis Cerdone, Marchione, Manichæo, Floruno, & aliis. Id enim hæreticorum proprium, damnatos plures ab ecclesia errores iterum excitare, ac innovare, seque de scelere gloriantes, eorundem jactare authores.

Dicendum primò, Deum permisisse quidem Adamum operari juxta proprium liberum arbitrium ac transgredi injunctum sibi præceptum non comedendi de fructu arboris scientiæ boni, & mali; non verò intendisse, nec voluisse tale peccatum. Est contra Calvinum asserentem, Deum voluisse, ac prædestinasse primi parentis, ac totius humani generis lapsum ait enim lib. 3. Instit. cap. 2. 3. §. 4. *Fateor sane in hanc, qua nunc illigati sunt, conditionis miseriam Dei voluntate devenisse universos filios Adæ.* & §. 8. Disertis verbis ait, *decretum fuisse à Deo, ut sua defectione periret Adam.* Et infra *decretum quidem horribile fateor, inficiari tamen nemo poterit, quin præsciverit Deus, quem exitum esset habiturus homo.* Hæc Calvini propositio falsa est, & hæretica.

Probatur, quia Deus non potest velle, nec desiderare quod divinæ naturæ est plane contrarium, quodque ipse vel maximè execratur: sed peccatum est tale: ergo Deus nequit velle peccatum, neque desiderare ut fiat. Major est per se nota: minor ostenditur; quia infinita bonitas identificatur cum divina natura; & peccatum est malitia, quæ directè repugnat bonitati infinitæ; ex qua repugnantia fit ut peccatum nullo pacto sit referibile in Deum sive ut in finem ultimum sive ut in causam efficientem, formalem, & materialem: quia ut unum in aliquo genere causæ sit referibile ad aliud, necesse est detur aliqua proportio: & ubi est summa repugnantia, ibi non datur proportio: unde non potest Deus esse Auctor, seu causa efficiens peccati, quia inter causam efficientem, & effectum debet dari aliqua proportio, ac convenientia, quæ non datur inter Deum, & peccatum, quod summè repugnat Deo. Hinc peccatum neque potest referri in Deum ut finem ultimum ob eandem repugnantiam, & præsertim, quia peccatum lethale avertit à fine ultimo; & ita dicendum de cæteris causarum generibus. Hinc Christus Matth. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere.* Unde S. Basilius homil. 2. in Hexamer. *Nihil contrarium à contrario sui gignitur. Neque enim vita mortem parere solet; neque tenebræ principium adferunt luci; neque sanitatem morbus efficit.* quæ omnia nostro instituto egregiè adaptavit D. Gregorius Nyssenus homil. 2. in ecclesiastem inquiens: *Deus, qui est natura bonus bona quoque prabet omnino; quoniam omnis arbor bona bonos fructus facit; & neque ex spinis uva, neque ex vite spina nascitur. Quod sua natura bonum est, ex thesauris malum non produxerit; neque enim bonus homo ex abundantia cordis mala loquitur, quæ suæ naturæ sunt convenientia. Quanto ergo magis fons bonorum nihil mali ex sua natura profuderit.* Hinc Sapient. 4. *Odio est DEO impius, & impietas ejus.* Ratio itidem est quia in Deo voluntas, & natura sunt idem; proinde quod divinæ naturæ contrarium est; hoc etiam divinæ voluntati contrariatur; proinde divina voluntas non potest illud velle, sed potius debet execrari. Hinc odium quo Deus fertur in peccatum non est liberum, sed naturale, ac necessarium; perinde ac amor, quo amat se ipsum necessarius est. Odium siquidem supponit amorem in quo fundatur. Eatenus Deus odit peccatum, quia contrarium est propriæ naturæ, quam amat; & sicut naturam suam amat necessario; ita necessariò odit peccatum; adeo ut nullo modo possit DEUS velle, aut amare peccatum. Neque refert si peccatum committatur à reprobo, vel prædestinato, quia semper necessario execratur à Deo, ut suæ naturæ summè contrarium. Firmari etiam potest argumento philosophico. Quia omnis appetitus fertur in aliquod bonum sive verum, sive apparens, quod si appetitus est rectus, & ordinatus semper fertur in bonum verum, & honestum:

sed

sed voluntas DEI est ordinatissimus appetitus : ergo semper fertur in bonum verum, & honestum : consequenter nunquam fertur in peccatum sub ratione peccati, proinde non potest velle peccatum, sicut non potest DEI voluntas non esse ordinatissima. Quòd si dicas, DEUM non posse velle peccatum sub ratione peccati, bene tamen sub ratione boni honesti, scilicet ob finem bonum ad manifestandam suam justitiam in vindicandis delictis, & ad arcendos homines ab iisdem perpetrandis. Contra est quia Calvinus asseruit, DEUM velle peccatum sub ratione peccati, docet enim velle, ac prædestinare peccatum, ut inde habeat causam damnationis reproborum : & causa damnationis reproborum est peccatum sub ratione peccati. Præterea bonus finis non excusat, quando objectum voluntatis est turpe; quo pacto furtum semper est illicitum quamvis agatur ob honestum finem dandi eleemosynam ; quia ut scribit Apostolus ad Rom. 3. *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

Probatur secundò, Deus non potest ex animo velle, & desiderare ut id fiat quod serió prohibet, ac severè punit, quia Deus non potest habere contrarias voluntates circa idem objectum : sed Deus serió prohibet, & severè punit peccata ergo non potest peccata velle. Hoc argumentum proponitur à Calvino, à quo tamen non solvitur. Siquidem lib. 1. Instit. cap. 18. §. 3. ait : *Nam quod primò objiciunt, si nihil eveniat, nisi volente Deo, duas esse in eo contrarias voluntates : ergo non potest unum idemque velle, ac prohibere, seu quod occulto consilio decernat, qua lege sua palam vetuit, facilè diluitur.* Sed videamus quàm facilè diluatur ab ipso. Statim ad fugiendam vim argumenti digreditur instar concionatoris ut verborum redundantia mentes præoccupet aliorum, ne de argumenti cogitent efficacia. Deinde solvit argumentum his verbis : *Quomodo idem diverso modo nolit fieri, & velit, non capimus :* ecce quomodo diluit argumentum ? fatetur se non intelligere, quod ei objicitur, & rectè respondit *non capimus* quia Calvinus præter illam voluntatem, DEUS in scripturis prohibet peccata, aliam fingit in DEO voluntatem occultam, qua dicit velle peccata, quæ voluntate manifesta prohibet: & quia hanc voluntatem dicit esse occultam ; adeo fuit Calvino obscura ut illam nequiverit capere ; & per verbum unicum nescire, objectum sibi difficultatem soluit. Præterea si Deus voluntate occulta vult peccata ; quomodo voluntate manifesta illa prohibet; & si voluntate occulta illa vult, ac prædestinat, quomodo ea punit? si fiant juxta suam voluntatem? Nemo, nisi tyranni induat naturam, punit quod ipse fieri voluit : sed in sententia Calvini Deus punit peccata, quæ prædestinat & vult fieri, & quidem suppliciis atrocissimis tam in hac, quam in alia vita : ergo ne tyranni infigamus notam Deo summo bono concludendum est, peccata hominum non fieri voluntate, & Concilio DEI. Nec valet, quod respondent Calvinistæ DEUM punire peccata ob finem optimum, & honestum, seu ad manifestandam suam potentiam, ac justitiam in vindicandis sceleribus. Sed contra quia non potest quis velle furari, vel homicidium patrare, ob bonum aliquem finem ; quia ut scribit Apostolus ad Rom. 3. *Nunc sunt facienda mala ut inde eveniant bona.* Præterea Tyrannorum est eo tantùm consilio, & voluntate velle alios delinquere, ut possit quia propriam ostendere potentiam, & explere libidinem in vindicandis delictis, quæ vult committi.

Probatur tertiò, quia si Deus vellet hominem peccare ut censet Calvinus ; sequeretur hominem peccando non peccare, quod est contradictorium, quia ille non peccat, qui propriam voluntatem divinæ conformat, quique idem vult, quod DEUS vult illum velle, cum enim divina voluntas sit prima regula rectitudinis moralis non potest esse obliquum, nec peccaminosum, ac deficere à morali rectitudine, quod eidem est conforme, ergo si DEUS vellet peccatum Petri, hic peccando non peccaret, quia se conformaret divinæ voluntati, & ejus actio conformis esset primæ regulæ rectitudinis, consequenter non posset esse defectuosa, neque deficere à rectitudine : ergo Petrus peccando non peccaret, quod est luculenta contradictio. Quòd si nullum fuisset peccatum quod Deus non prædestinasset, ac voluisset, vera esset sententia Athei peccatum nihil esse nisi falsam opinionem. Idque firmari potest, quià quod rectæ regulæ correspondet non potest esse curvum, ac distortum : atqui voluntas Dei est regula, norma, & lex nostrarum actionum, quod non inficiatur Calvinus lib. 3. Instit. cap. 23. ubi expressè ait : *DEI voluntas non modo ab omni vitio pura, sed summa perfectionis regula, & legum omnium lex est :* Sed per Calvinum omne peccatum utpote prædestinatum, ac volitum à Deo est conforme divinæ regulæ, seu voluntati divinæ, consequenter nulla actio peccaminosa esset curva, & vitiosa. Præterea ex Doctrina Calvini voluntas DEI est lex nostra : sed voluntas DEI est, ut peccemus, ergo peccantes adhuc servamus legem DEI, consequenter peccantes non peccamus siquidem servantes legem DEI non peccant, cum peccatum sit contra legem, & ejus transgressio. Rursus divina lex ab omnibus observaretur, & Deus puniendo peccatum puniret ob legis observantiam : etenim eatenus Judæi spoliantes Ægyptios non commiserunt peccatum furti ; eatenus Oseas Propheta sumens sibi uxorem fornicationum, & ex illa generans filios fornicationum ; eatenus Abraham volens interficere filium suum unicum Isaac, non peccaverunt, sed bene ac laudabiliter egerunt, quia Spoliatio Ægyptiorum facta à Judæis, accessus Oseæ Prophetæ ad fœminam fornicatam, & Imolatio Isaaci fuerunt juxta Dei voluntatem, cui si nostræ conformentur voluntates, & actiones bene, & laudabiliter agimus ; ergo si Deus, ut putat Calvinus prædestinaret peccata hominum ; ac illa vellet, sequitur, quod peccantes peccando non peccent, sed bene ac laudabiliter agant, eò quia conformiter ad Dei voluntatem operentur, ac eorum actiones conformes sint primæ regulæ rectitudinis moralis, quæ non potest deficere.

Probatur quartò, quia si DEUS ab æterno prædestinasset omnia peccata, quæ absolutè vellet fieri tali tempore, loco, & à tali persona, frustra docuisset nos Christus enixim Deum orare verba illa in oratione Dominica *Et ne nos inducas in tentationem*, etenim si DEUS ab æterno decrevit, ac prædestinavit peccatum crastinum Petri victi à tentatione, ac prolapsi in peccatum, utique hoc decretum mutari non potest à Petro in sententia Calvini delentis liberum arbitrium ab homine, ergo nihil prodesset Petro preces illas fundere, ac Deum rogare, ne inducatur in tentationem. Præterea si DEUS prædestinat omnia peccata, quæ ab hominibus perpetrantur, sequitur apud Calvinistas non delinquere, neque peccare, qui aliena invito Domino surripiunt, adulteriis thorum alterius maculant, innocentis sanguinem homicidio fundunt, templa spoliant, altaria evertunt ; & è contra, eos Principes, vel Judices gravissimè peccare, qui hæc fieri prohibent : siquidem surripientes aliena, perpetrantes adulteria, & homicidia

cidia spoliantes templa se conformant divinæ voluntati, consequenter rectè operantur: & Principes ac Judices prohibentes furta, adulteria, homicidia peccarent, quia directè obsisterent divinæ voluntati vetantes ea fieri, quæ Deus absolutè vult fieri.

Probatur quintò, quia Deum velle, ac prædestinare peccata hominum repugnat sanctitati Dei, ac ejus summæ bonitati, est enim sanctitas bonitas moralis, quæ generatim aliud non est, quàm ipsa perfectio morum in actu vel habitu, & in Scripturis etiam dicitur justitia, sitque perinde esse justum, & esse sanctum; unde Sancti illi propriè sunt, qui & in justitia perfecti: & sicut perfectio naturalis in rebus creatis in eo est sita, ut aliquid sit commensum suæ regulæ juxta quam factum est: perinde perfectio moris consistit in commensione cum lege æterna secundùm quam tenemur operari: quemadmodum idea rerum creatarum est in mente divina mensura perfectionis naturalis, seu entitatis in rebus omnibus: perinde lex æterna est mensura perfectionis moralis, & sanctitatis naturæ rationalis in omnibus operibus bonis: & ex hominibus is dicitur perfectus & sanctus, cujus affectus, & mores exactè conformantur legi æternæ. Sanctitas verò Dei est perfectio longè altioris rationis, quia voluntas divina ejusque mores non sunt accidentario modo conformes legi æternæ, sed essentialiter, & ab intrinseco; neque per varias virtutes per se, & per suam essentiam, ex cujus ratione oritur lex æterna, quæ sicut est origo primordialis omnis perfectionis entitativè ita etiam est origo omnis perfectionis moralis, omnisque rectitudinis aff.ctus, & moris, unde ex eo, quod lex æterna oritur ex ratione divinæ essentiæ fit, ut perfectio, & sanctitas consistat etiam in conjunctione cum Deo per affectum, quapropter amor Dei est ipsa sanctitas, & cùm sit Deus sibi maximè conjunctus per naturam, & amorem ipse summè est sanctus; adeo ut Deus multipliciter sit, ac dicatur sanctus primò radicaliter, quia divina essentia est prima radix, & fons originalis totius sanctitatis, ac origo primordialis omnis perfectionis: hinc ejus voluntas, quia est eadem cum essentia divina est prima regula rectitudinis, & lex æterna. Secundò est sanctus objectivè, quia est objectum omnis sanctitatis: siquidem omnis sanctitas sita est in amore, & conjunctione cum Deo, unde est etiam mensura totius sanctitatis. Est enim sanctitas quædam puritas: & quemadmodum impuritas oritur ex contactu inferiorum, ut cùm vestis luto coinquinatur, vel cùm anima per affectum concupiscentiæ inordinatæ inhæret creaturis: perinde puritas oritur ex contactu superiorum, cùm affectus ad sublimiora assurgit, & iis inhæret, & quia supremum omnium, ac simplicissimum, & purissimum est Deus, in quo residet summa puritas ideo sanctitas, & puritas consistit in adhæsione cum Deo, quia est ratio objectiva, & mensura sanctitatis. Rursus dicitur etiam Deus exemplariter sanctus in modum regulæ, sitque propterea prima regula totius sanctitatis, & in creaturis conformatio affectus cum lege æterna sit vera sanctitas. Demum est etiam Deus formaliter sanctus: siquidem sanctitas formaliter est puritas affectus, quo amor Dei consistens in adhæsione cum Deo, quod est purissimum, ac nobilissimum, unde cùm Deus sit amor sui hac ratione est, & dicitur formaliter esse sua sanctitas, & quia se amat infinitè quantum est amabilis, est etiam infinitè sanctus: & rursus quia nihil amat nisi propter semetipsum, ideo etiam in amore omnium creaturarum est sanctus, unde David Psal. 144. *Justus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis:* Non enim Deus amat creaturas ultimò propter se ipsas, sed propter excellentiam propriæ bonitatis divinæ, in quo affectu sita est ipsa sanctitas. Deinde dicitur Deus Sanctus in omnibus operibus suis, quia omnes ejus effectus, ac operationes exactissimè conformantur rectitudini legis æternæ. Voluntas enim Dei per se suamque essentiam ex æquo respondet legi æternæ, cui commensuratur. Ex quo sequitur Deum non posse velle peccatum ut putavit Calvinus, sed necessariò illud odisse odio infinito, ac ipsum nullo modo velle: quia cùm necessariò amet rectitudinem legis æternæ necessariò odit, quidquid huic rectitudini adversatur, & quia peccatum illi adversatur, eò quia sit contra legem Dei æternam, ideo sequitur DEUM necessariò odisse peccatum, nec posse illud prædestinare, ac velle. Ex eo itidem, quod DEUS necessariò amet suam bonitatem, & perfectionem, sequitur necessariò etiam odisse omne peccatum, quod divinæ bonitati repugnat, non ut forma formæ, sed ut inordinatum, & obliquum suæ regulæ, ac mensuræ. Quòd verò DEUS necessariò oderit peccatum ex eo conjicitur, quia peccatum si fuerit lethale privat hominem infinito bono, seu possessione DEI, qui propterea infligit pœnam peccantibus, & per æternos cruciatus vult eos torqueri. Tum quia DEUS ad delendum peccatum Filium suum incarnari, ac mori voluit: ergo Deus non potest velle peccatum, nec illud prædestinare.

Quòd si objicias illud Apostoli ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*, ex quo loco inferunt Calvinistæ, Adamum Deo volente, ac prædestinante lapsum fuisse & argumentantur omnia quæ in mundo fiunt tam bona, quam mala Deus operatur consilio voluntatis suæ: sed in mundo perpetrantur peccata, ergo Deus operatur peccata consilio voluntatis suæ. Rursus producunt hoc aliud argumentum, omnia quæ DEUS operatur utique consilio suæ voluntatis operatur, sed DEUS operatur peccata, ergo illa operatur consilio voluntatis suæ. Verum hæc argumenta nihil concludunt. Major enim primi argumenti est falsa, quia Deus secundùm consilium suæ voluntatis non operatur peccatum, quia ipsum non potest velle, quia contrarium suæ bonitati, à qua non potest moveri nisi ad amorem sui, & peccatum avertit ab hoc amore, estque contrarium divinæ bonitati, propterea non potest à DEO esse volitum. In secundo argumento minor propositio, quæ erat Deum operari peccata est etiam falsa ob eandem rationem, unde cùm dicitur Deum operari omnia secundùm consilium voluntatis suæ non intelligitur quòd ipse operetur, ac velit peccatum. quia hoc in sententia D. Thomæ consistit formaliter in privatione, & defectu, unde non provenit à causa operante, sed tantùm à deficiente: & Deus agendo non potest deficere, unde Augustinus lib. 12. de Civit. cap. 7. ait: *Nemo quærat causam malæ voluntatis: non enim est efficiens, sed deficiens, quia neque illa est effectio, sed defectio.* Quòd si peccatum consistat in positivo, non tamen habet entitatem in recto, consequenter non est terminus positivæ operationis, sed tantùm quædam relatio, ad objectum dissonum rectæ rationi, quæ relatio tametsi constituat peccatum, non tamen propriè est res, sed rei quidam modus resultans ex positione entitatis peccati. Objiciunt Calvinistæ etiam illud Isaiæ 45. *Ego Dominus & non est alter faciens pacem, & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc.* Sed contra quia inde non sequitur Deum creare peccatum: duplex enim est malum morale unum, pœnale aliud, hoc secundum

dum vult DEUS, ut divinæ justitiæ satisfaciant peccantes, malum autem morale, quod est peccatum non vult, sed potius odit, detestatur, ac prohibet, ut quid repugnans divinæ bonitati. Hinc Tertullianus lib. 2. contra Marcionem: *Maledicuntur & delicta, & supplicia. Nos separatis malis delictis, & malis suppliciis; malis culpa, & malis pœna suum cuique parti definimus authorem, malorum quidem peccati, & culpæ Diabolum, malorum vero supplicii pœnæ Deum Creatorem.* Hoc idem docent Cassianus *collat. 6. cap. 6.* Damascenus *lib. 4. cap. 40.* Divus Hieronymus in *lament. Jeremiæ cap. 3.* Origenes *lib. 6. contra Celsum*, Esichius *lib. 4. in Levit. cap. 14.* & consentiunt Theologi in scholis qui duplex distinguunt malum unum culpæ, alterum pœnæ negantes, primum esse à Deo, sed tantùm malum pœnæ, unde falsum est, quod asserit Calvinus adulterium Absolonis fuisse à Deo, quia tametsi voluerit Deus prævisâ malâ voluntate Absolonis ea uti ad puniendum Davidem; non tamen dedit illi malam voluntatem, sed tantùm illam permisit, hinc Augustinus *lib. 5. de Civit. cap. 8.* ait: *A DEO sunt omnes potestates, quamvis ab illo non sint omnium voluntates.* Et Cap. 9. *Sicut omnium creaturarum Creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum, malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est*, & lib. de spiritu & littera cap. 3. *Nusquam legimus non est voluntas nisi à Deo; & rectè non scriptum est, quia verum non est. Alioquin etiam peccatorum quod absit author est Deus, si non est voluntas nisi ab illo, quoniam mala voluntas jam sola peccatum est, etiam si desit effectus, id est, si non habeat potestatem.* Et lib. 2. de peccator. meritis, & remiss. cap. 18. ait: *Malam voluntatem ad Deum esse referendam nefas est dicere.* Et rursus: *Si ergo voluntas aut bona est, aut mala, & utique malam non habemus ex Deo, restat, ut bonam habeamus ex Deo.* Hinc constat, quàm impium sit, ac falsum, quod Philippus Melanthon in cap. 8. epist. ad Roman. ait: *Adulterium Davidis & proditio Judæ ita est proprium opus Dei, sicut vocatio, & conversio D. Pauli.* Cui cùm postea adhæsisset Calvinus etiam ipse asseruit: detestabile scelus Absolonis esse opus Dei, & Deum in omnibus sceleribus clavum tenere, & Deum non solum concursum quendam generalem præbere ad agendum, sed specialem etiam quandam exhibere actionem in unoquoque facinore, adeo ut sit Deus, qui operatur peccatum tanquam agens principale, & homo ut instrumentum, quæ omnia impia sunt, & blasphema, & apertè contra Scripturas Sacras: DEUS enim odio habet peccatum, consequenter non exhibet specialem concursum, quo dicatur illud operari principaliter, dicitur enim Sapient. 11. *Nihil odisti eorum quæ fecisti*: ergo si Deus odit peccatum Sapient. 14. *Odio est Deo impius, & impietas illius* sequitur evidenter Deum odisse peccatum, & illud noluisse. Quòd si Deus nihil eorum odit, quæ ipse operatur; & Deus odit peccatum sequitur non operari peccatum. Iisdem testimoniis usus est etiam D. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. ubi disputans, cur Deus dixerit Jacob dilexi, Esau autem odio habui, quærit, quomodo Deus potuerit odisse Esau, cùm tamen dicatur odisse nihil eorum, quæ fecit, aut quare potius dixerit Deus Jacob dilexi, Esau autem odio habui: & similiter non dixerit solem dilexi, lunam autem odio habui, & post multa respondet: *Quomodo ita solvitur, ut intelligamus omnium creaturarum esse artificem DEUM: omnis autem creatura Dei bona est, & omnis homo in quantum homo est creatura est, non in quantum peccator. Est ergo creator Deus, & corporis, & animi humani, neutrum horum malum, & neutrum odit Deus. Nihil enim odit eorum quæ fecit. Est autem animus præstantior corpore, Deus verò & animo & corpore utriusque effector, & conditor, nec odit in homine nisi peccatum. Est autem peccatum hominis inordinatio, atque perversitas, id est à præstantiore conditore aversio, & ad condita inferiora conversio. Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Esau peccatorem.* Ita Augustinus, cui consentiens D. Ambrosius lib. de paradis. cap. 15. ait: *Deus operatur, quod bonum est, non quod malum*, & lib. 1. Hexameron. cap. 8. ait: *Nunquid malitiam Deus creavit, sed ex ea nobis orta non à Creatore Deo condita morum levitate generatur*, & nonnullis interjectis subdit: *Eradicari hanc Deus vult de animis singulorum, quomodo ipse eam generaret, cum clamet Propheta: Desinite à malitia, & præcipuè David desine à malo, & fac bonum: quomodo erga ea initium à Domino damus; sed hæc opinio feralis eorum, qui perturbandam Ecclesiam putaverunt.* Hinc luce meridiana clarius constat Deum non operari peccatum nullo modo in genere moris consequenter neque ut agens principale: quia si illud operaretur, ut agens principale, & homo ut instrumentum, inde sequeretur peccatum Deo potius imputari, quàm homini, quod impium, blasphemum, & hæreticum est, siquidem in opere malo non instrumentum, sed principale operans meretur reprehensionem, vel quia ineptum petit instrumentum, vel quia sciens ac volens eo malè usus est. Præterea sequeretur hominem damnari, & puniri propter peccata, quæ DEI potius, quàm hominis sunt opera. Et cùm hoc argumentum objiceretur Zuinglio adeo indignè illud tulit, ut statim objicienti irasceretur respondítque: *De hoc ipsum Deum interroga tu. Ego enim non fui ei à consiliis.* Calvinus verò *lib. 1. Instit, cap. 10. §. 1.* quærens: quomodo Deus agat per reprobos, & nullam ex eorum vitio labem contrahat; imò in opere communi ab omni culpa sit immunis Ministros autem suos justè damnet, respondet *vix hoc capit sensus carnis.*

Objiciunt etiam Calvinistæ persæpe unum peccatum esse pœnam alterius; sed Deus vult pœnam peccati, ergo vult etiam ipsum peccatum. Major asseritur à D. Augustino *lib. 5. contra Julianum cap. 5.* & manifestè colligitur ex illo Apostoli ad Rom. 1: *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Sed contra quia cùm dicitur unum peccatum esse pœnam alterius, posterius peccatum propriè non est pœna prioris, sed tantùm impropriè, quatenus Deus aliquando denegat suam gratiam in pœnam præcedentis peccati, & homo destitutus divina gratia facilè in aliud delabitur peccatum, unde non ipsum peccatum quod sequitur, sed desertio quæ præcedit est pœna justè à Deo inflicta, in quo sensu fuit locutus Apostolus, cùm ad Romanos scripsit Deum dare peccatores in reprobum sensum; quatenus illis auxilia suæ gratiæ non dat, & peccatores natura proni ad peccatum promptius liberè in illud prolabuntur. Præterea quia persæpe contingit, ut posteriori peccato sit annexa aliqua infamia, vel tristitia aut simul incommodum, & tunc peccatum posterius non ratione sui, sed ratione mali adnexi dicitur esse pœna prioris peccati; & in hoc sensu intelligitur D. Augustinus lib. 1. confess. cap. 12. *Jussisti Domine, & sic est, ut pœna sua sit omnis inordinatus animus.* Demum objiciunt Calvinistæ, quia si DEUS solùm permittit pec-

cidia spoliantes templa se conformant divinæ voluntati, consequenter rectè operantur: & Principes ac Judices prohibentes furta, adulteria, homicidia peccarent, quia directè obsisterent divinæ voluntati vetantes ea fieri, quæ Deus absolutè vult fieri.

Probatur quintò, quia Deum velle, ac prædestinare peccata hominum repugnat sanctitati Dei, ac ejus summæ bonitati, est enim sanctitas bonitas moralis, quæ generatim aliud non est, quàm ipsa perfectio morum in actu vel habitu, & in Scripturis etiam dicitur justitia, sicque perinde esse justum, & esse sanctum; unde Sancti illi propriè sunt, qui & in justitia perfecti: & sicut perfectio naturalis in rebus creatis in eo est sita, ut aliquid sit commensum suæ regulæ juxta quam factum est: perinde perfectio moris consistit in commensione cum lege æterna secundùm quam tenemur operari: quemadmodum idea rerum creatarum est in mente divina mensura perfectionis naturalis, seu entitatis in rebus omnibus: perinde lex æterna est mensura perfectionis moralis, & sanctitatis naturæ rationalis in omnibus operibus bonis: & ex hominibus is dicitur perfectus & sanctus, cujus affectus, & mores exactè conformantur legi æternæ. Sanctitas verò Dei est perfectio longè altioris rationis, quia voluntas divina ejusque mores non sunt accidentali modo conformes legi æternæ, sed essentialiter, & ab intrinseco; neque per varias virtutes per se, & per suam essentiam, ex cujus ratione oritur lex æterna, quæ sicut est origo primordialis omnis perfectionis entitativè ita etiam est origo omnis perfectionis moralis, omnisque rectitudinis affectus, & moris, unde ex eo, quod lex æterna oriatur ex ratione divinæ essentiæ fit, ut perfectio, & sanctitas consistat etiam in conjunctione cum Deo per affectum, quapropter amor Dei est ipsa sanctitas, & cùm sit Deus sibi maximè conjunctus per naturam, & amorem ipse summè est sanctus; adeo ut Deus multipliciter sit, ac dicatur sanctus primò radicaliter, quia divina essentia est prima radix, & fons originalis totius sanctitatis, ac origo primordialis omnis perfectionis: hinc ejus voluntas, quia est eadem cum essentia divina est prima regula rectitudinis, & lex æterna. Secundò est sanctus objectivè, quia est objectum omnis sanctitatis: siquidem omnis sanctitas sita est in amore, & conjunctione cum Deo, unde est etiam mensura totius sanctitatis. Est enim sanctitas quædam puritas: & quemadmodum impuritas oritur ex contactu inferiorum, ut cùm vestis luto coinquinatur, vel cùm anima per affectum concupiscentiæ inordinatæ inhæret creaturis; perinde puritas oritur ex contactu superiorum, cùm affectus ad sublimiora assurgit, & iis inhæret, & quia supremum omnium, ac simplicissimum, & purissimum est Deus, in quo residet summa puritas ideo sanctitas, & puritas consistit in adhæsione cum Deo, quia est ratio objectiva, & mensura sanctitatis. Rursus dicitur etiam Deus exemplariter sanctus in modum regulæ, sitque propterea prima regula totius sanctitatis, & in creaturis conformatio affectus cum lege æterna sit vera sanctitas. Demum est etiam Deus formaliter sanctus; siquidem sanctitas formaliter est puritas affectus, quo amor Dei consistens in adhæsione cum Deo, quod est purissimum, ac nobilissimum, unde cùm Deus sit amor sui hac ratione est, & dicitur formaliter esse sua sanctitas, & quia se amat infinitè quantum est amabilis, est etiam infinitè sanctus; & rursus quia nihil amat nisi propter semetipsum, ideo etiam in amore omnium creaturarum est sanctus, unde David Psal. 144. *Justus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis:* Non enim Deus amat creaturas ultimò propter se ipsas, sed propter excellentiam propriæ bonitatis divinæ, in quo affectu sita est ipsa sanctitas. Deinde dicitur Deus Sanctus in omnibus operibus suis, quia omnes ejus effectus, ac operationes exactissimè conformantur rectitudini legis æternæ. Voluntas enim Dei per se suamque essentiam ex æquo respondet legi æternæ, cui commensuratur. Ex quo sequitur Deum non posse velle peccatum ut putavit Calvinus, sed necessariò illud odisse odio infinito, ac ipsum nullo modo velle: quia cùm necessariò amet rectitudinem legis æternæ necessariò odit, quidquid huic rectitudini adversatur, & quia peccatum illi adversatur, eò quia sit contra legem Dei æternam, ideo sequitur DEUM necessariò odisse peccatum, nec posse illud prædestinare, ac velle. Ex eo itidem, quod DEUS necessariò amet suam bonitatem, & perfectionem, sequitur necessariò etiam odisse omne peccatum, quod divinæ bonitati repugnat, non ut formu formæ, sed ut inordinatum, & obliquum suæ regulæ, ac mensuræ. Quòd verò DEUS necessariò oderit peccatum ex eo conjicitur, quia peccatum si fuerit lethale privat hominem infinito bono, seu possessione DEI, qui propterea infligit pœnam peccantibus, & per æternos cruciatus vult eos torqueri. Tum quia DEUS ad delendum peccatum Filium suum incarnari, ac mori voluit: ergo Deus non potest velle peccatum, nec illud prædestinare.

Quòd si objicias illud Apostoli ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*, ex quo loco inferunt Calvinistæ, Adamum Deo volente, ac prædestinante lapsum fuisse & argumentantur omnia quæ in mundo fiunt tam bona, quam mala Deus operatur consilio voluntatis suæ: sed in mundo perpetrantur peccata, ergo Deus operatur peccata consilio voluntatis suæ. Rursus producunt hoc aliud argumentum, omnia quæ DEUS operatur utique consilio suæ voluntatis operatur, sed DEUS operatur peccata, ergo illa operatur consilio voluntatis suæ. Verum hæc argumenta nihil concludunt. Major enim primi argumenti est falsa, quia Deus secundùm consilium suæ voluntatis non operatur peccatum, quia ipsum non potest velle, quia contrarium suæ bonitati, à qua non potest moveri nisi ad amorem sui, & peccatum avertit ab hoc amore, estque contrarium divinæ bonitati, propterea non potest à DEO esse volitum. In secundo argumento minor propositio, quæ erat Deum operari peccata est etiam falsa ob eandem rationem, unde cùm dicitur Deum operari omnia secundùm consilium voluntatis suæ non intelligitur quòd ipse operetur, ac velit peccatum. quia hoc in sententia D. Thomæ consistit formaliter in privatione, & defectu, unde non provenit à causa operante, sed tantùm à deficiente: & Deus agendo non potest deficere, unde Augustinus lib. 12. de Civit. cap. 7. ait: *Nemo quærat causam malæ voluntatis: non enim est efficiens, sed deficiens, quia neque illa est effectio, sed defectio.* Quòd si peccatum consistat in positivo, non tamen habet entitatem in recto, consequenter non est terminus positivæ operationis, sed tantùm quædam relatio, ad objectum dissonum rectæ rationi, quæ relatio tametsi constituat peccatum, non tamen propriè est res, sed rei quidam modus resultans ex positione entitatis peccati. Objiciunt Calvinistæ etiam illud Isaiæ 45. *Ego Dominus & non est alter faciens pacem, & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc.* Sed contra quia inde non sequitur Deum creare peccatum: duplex enim est malum morale unum, pœnale aliud, hoc secundum

dum vult DEUS, ut divinæ justitiæ satisfaciant peccantes, malum autem morale, quod est peccatum non vult, sed potius odit, detestatur, ac prohibet, ut quid repugnans divinæ bonitati. Hinc Tertullianus lib. 2. contra Marcionem: *Maledicuntur & delicta, & supplicia. Nos separatis malis delictis, & malis suppliciis; malis culpæ, & malis pœnæ suum cuique partis definimus authorem, malorum quidem peccati, & culpæ Diabolum, malorum vero supplicii pœnæ Deum Creatorem.* Hoc idem docent Cassianus *collat. 6. cap. 6.* Damascenus *lib. 4. cap. 40.* Divus Hieronymus in *lament. Jeremiæ cap. 3.* Origenes *lib. 6. contra Celsum.* Esichius *lib. 4. in Levit. cap. 24.* & consentiunt Theologi in scholis qui duplex distinguunt malum unum culpæ, alterum pœnæ negantes, primum esse à Deo, sed tantùm malum pœnæ, unde falsum est, quod asserit Calvinus adulterium Absolonis fuisse à Deo, quia tametsi voluerit Deus prævisâ malâ voluntate Absolonis ea uti ad puniendum Davidem; non tamen dedit illi malam voluntatem, sed tantùm illam permisit, hinc Augustinus *lib. 5. de Civit. cap. 8.* ait: *A DEO sunt omnes potestates, quamvis ab illo non sint omnium voluntates.* Et Cap. 9. *Sicut omnium creaturarum Creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum, malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est*, & lib. de spiritu & littera cap. 3. *Nusquam legimus non est voluntas nisi à Deo; & rectè non scriptum est, quia verum non est. Alioquin etiam peccatorum quod absit author est Deus, si non est voluntas nisi ab illo, quoniam mala voluntas jam sola peccatum est, etiam si desit effectus, id est, si non habeat potestatem.* Et lib. 2. de peccator. meritis, & remiss. cap. 18. ait: *Malam voluntatem ad Deum esse referendam nefas est dicere.* Et rursus: *Si ergo voluntas aut bona est, aut mala, & utique malam non habemus ex Deo, restat, ut bonam habeamus ex Deo.* Hinc constat, quàm impium sit, ac falsum, quod Philippus Melanthon in cap. 8. epist. ad Roman. ait: *Adulterium Davidis & proditio Judæ ita est proprium opus Dei, sicut vocatio, & conversio D. Pauli.* Cui cùm postea adhæsisset Calvinus etiam ipse asseruit; detestabile scelus Absolonis esse opus Dei, & Deum in omnibus sceleribus clavum tenere, & Deum non solum concursum quendam generalem præbere ad agendum, sed specialem etiam quandam exhibere actionem in unoquoque facinore, adeo ut sit Deus, qui operatur peccatum tanquam agens principale, & homo ut instrumentum, quæ omnia impia sunt, & blasphema, & apertè contra Scripturas Sacras: DEUS enim odio habet peccatum, consequenter non exhibet specialem concursum, quo dicatur illud operari principaliter, dicitur enim Sapient. 11. *Nihil odisti eorum quæ fecisti*: ergo si Deus odit peccatum Sapient. 14. *Odio est Deo impius, & impietas illius* sequitur evidenter Deum odisse peccatum, & illud noluisse. Quòd si Deus nihil eorum odit, quæ ipse operatur; & Deus odit peccatum sequitur non operari peccatum. Iisdem testimoniis usus est etiam D. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. ubi disputans, cur Deus dixerit Jacob dilexi, Esau autem odio habui, quærit, quomodo Deus potuerit odisse Esau, cùm tamen dicatur odisse nihil eorum, quæ fecit, aut quare potius dixerit Deus Jacob dilexi, Esau autem odio habui: & similiter non dixerit solem dilexi, lunam autem odio habui, & post multa respondet: *Quomodo ita solvitur, ut intelligamus omnium creaturarum esse artificem DEUM: omnis autem creatura Dei bona est, & omnis homo in quantum homo est creatura est, non in quantum peccator. Est ergo creator Deus, & corporis, & animi humani, neutrum horum malum, & neutrum odit Deus. Nihil enim odit eorum quæ fecit. Est autem animus præstantior corpore, Deus verò & animo & corpore utriusque effector, & conditor, nec odit in homine nisi peccatum. Est autem peccatum hominis inordinatio, atque perversitas, id est à præstantiore conditore aversio, & ad condita inferiora conversio. Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Esau peccatorem.* Ita Augustinus, cui consentiens D. Ambrosius lib. de paradis. cap. 15. ait: *Deus operatur, quod bonum est, non quod malum*, & lib. 1. Hexameron. cap. 8. ait: *Nunquid malitiam Deus creavit, sed ex ea nobis orta non à Creatore Deo condita morum levitate generatur*, & nonnullis interjectis subdit: *Eradicari hanc Deus vult de animis singulorum, quomodo ipse eam generaret, cum clamet Propheta: Desinite à malitia, & præcipuè David desine à malo, & fac bonum: quomodo ergo ejus initium à Domino damus; sed hæc opinio feralis eorum, qui perturbandam Ecclesiam putaverunt.* Hinc luce meridiana clarius constat Deum non operari peccatum nullo modo in genere moris consequenter neque ut agens principale: quia si illud operaretur, ut agens principale, & homo ut instrumentum, inde sequeretur peccatum Deo potius imputari, quàm homini, quod impium, blasphemum, & hæreticum est, siquidem in opere malo non instrumentum, sed principale operans meretur reprehensionem, vel quia ineptum petiit instrumentum, vel quia sciens ac volens eo malè usus est. Præterea sequeretur hominem damnari, & puniri propter peccata, quæ DEI potius, quàm hominis sunt opera. Et cùm hoc argumentum objiceretur Zuinglio adeo indignè illud tulit, ut statim objicienti irasceretur responditque: *De hoc ipsum Deum interroga en. Ego enim non fui ei à consiliis.* Calvinus verò *lib. 1. Instit. cap. 10. §. 1.* quærens: quomodo Deus agat per reprobos, & nullam ex eorum vitio labem contrahat: imò in opere communi ab omni culpa sit immunis Ministros autem suos justè damnet, respondet *vix hoc capit sensus carnis.*

Objiciunt etiam Calvinistæ persæpe unum peccatum esse pœnam alterius; sed Deus vult pœnam peccati, ergo vult etiam ipsum peccatum. Major asseritur à D. Augustino *lib. 5. contra Julianum cap. 5.* & manifestè colligitur ex illo Apostoli ad Rom. 1: *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Sed contra quia cùm dicitur unum peccatum esse pœnam alterius, posterius peccatum propriè non est pœna prioris, sed tantùm impropriè, quatenus Deus aliquando denegat suam gratiam in pœnam præcedentis peccati, & homo destitutus divina gratia facilè in aliud delabitur peccatum, unde non ipsum peccatum quod sequitur, sed desertio quæ præcedit est pœna justè à Deo inflicta, in quo sensu fuit locutus Apostolus, cùm ad Romanos scripsit Deum dare peccatores in reprobum sensum; quatenus illis auxilia suæ gratiæ non dat, & peccatores natura proni ad peccatum promptius liberè in illud prolabuntur. Præterea quia persæpe contingit, ut posteriori peccato sit annexa aliqua infamia, vel tristitia aut simul incommodum, & tunc peccatum posterius non ratione sui, sed ratione mali adnexi dicitur esse pœna prioris peccati; & in hoc sensu intelligitur D. Augustinus lib. 1. confess. cap. 12. *Jussisti Domine, & sic est, ut pœna sua sit omnis inordinatus animus.* Demum objiciunt Calvinistæ, quia si DEUS solùm permittit pecca-

cidis spoliantes templa se conformant divinæ voluntati, consequenter rectè operantur: & Principes ac Judices prohibentes furta, adulteria, homicidia peccarent, quia directè obsisterent divinæ voluntati vetantes ea fieri, quæ Deus absolutè vult fieri.

Probatur quintò, quia Deum velle, ac prædestinare peccata hominum repugnat sanctitati Dei, ac ejus summæ bonitati, est enim sanctitas bonitas moralis, quæ generatim aliud non est, quàm ipsa perfectio morum in actu vel habitu, & in Scripturis etiam dicitur justitia, sicque perinde esse justum, & esse sanctum; unde Sancti illi propriè sunt, qui & in justitia perfecti: & sicut perfectio naturalis in rebus creatis in eo est sita, ut aliquid sit commensum suæ regulæ juxta quam factum est: perinde perfectio moris consistit in commensione cum lege æterna secundùm quam tenemur operari: quemadmodum idea rerum creatarum est in mente divina mensura perfectionis naturalis, seu entitatis in rebus omnibus: perinde lex æterna est mensura perfectionis moralis, & sanctitatis naturæ rationalis in omnibus operibus bonis: & ex hominibus is dicitur perfectus & sanctus, cujus affectus, & mores exactè conformantur legi æternæ. Sanctitas verò Dei est perfectio longè altioris rationis, quia voluntas divina ejusque mores non sunt accidentario modo conformes legi æternæ, sed essentialiter, & ab intrinseco; neque per varias virtutes per se, & per suam essentiam, ex cujus ratione oritur lex æterna, quæ sicut est origo primordialis omnis perfectionis entitativè ita etiam est origo omnis perfectionis moralis, omnisque rectitudinis affectus, & moris, unde ex eo, quod lex æterna oriatur ex ratione divinæ essentiæ fit, ut perfectio, & sanctitas consistat etiam in conjunctione cum Deo per affectum, quapropter amor Dei est ipsa sanctitas, & cùm sit Deus sibi maximè conjunctus per naturam, & amorem ipse summè est sanctus; adeo ut Deus multipliciter sit, ac dicatur sanctus primò radicaliter, quia divina essentia est prima radix, & fons originalis totius sanctitatis, ac origo primordialis omnis perfectionis: hinc ejus voluntas, quia est eadem cum essentia divina est prima regula rectitudinis, & lex æterna. Secundò est sanctus objectivè, quia est objectum omnis sanctitatis: siquidem omnis sanctitas sita est in amore, & conjunctione cum Deo, unde est etiam mensura totius sanctitatis. Est enim sanctitas quædam puritas: & quemadmodum impuritas oritur ex contactu inferiorum, ut cùm vestis luto coinquinatur, vel cùm anima per affectum concupiscentiæ inordinatæ inhæret creaturis: perinde puritas oritur ex contactu superiorum, cùm affectus ad sublimiora assurgit, & iis inhæret, & quia supremum omnium, ac simplicissimum, & purissimum est Deus, in quo residet summa puritas ideo sanctitas, & puritas consistit in adhæsione cum Deo, quia est ratio objectiva, & mensura sanctitatis. Rursus dicitur etiam Deus exemplariter sanctus in modum regulæ, sicque propterea prima regula totius sanctitatis, & in creaturis conformatio affectus cum lege æterna sit vera sanctitas. Demum est etiam Deus formaliter sanctus: siquidem sanctitas formaliter est puritas affectus, quo amor Dei consistens in adhæsione cum Deo, quod est purissimum, ac nobilissimum, unde cùm Deus sit amor sui hac ratione est, & dicitur formaliter esse sua sanctitas, & quia se amat infinitè quantum est amabilis, est etiam infinitè sanctus; & rursus quia nihil amat nisi propter semetipsum, ideo etiam in amore omnium creaturarum est sanctus, unde David Psal. 144. *Justus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis:* Non enim Deus amat creaturas ultimò propter se ipsas, sed propter excellentiam propriæ bonitatis divinæ, in quo affectu sita est ipsa sanctitas. Deinde dicitur Deus Sanctus in omnibus operibus suis, quia omnes ejus effectus, ac operationes exactissimè conformantur rectitudini legis æternæ. Voluntas enim Dei per se suamque essentiam ex æquo respondet legi æternæ, cui commensuratur. Ex quo sequitur Deum non posse velle peccatum ut putavit Calvinus, sed necessariò illud odisse odio infinito, ac ipsum nullo modo velle: quia cùm necessariò amet rectitudinem legis æternæ necessariò odit, quidquid huic rectitudini adversatur, & quia peccatum illi adversatur, eò quia sit contra legem Dei æternam, ideo sequitur DEUM necessariò odisse peccatum, nec posse illud prædestinare, ac velle. Ex eo itidem, quod DEUS necessariò amet suam bonitatem, & perfectionem, sequitur necessariò etiam odisse omne peccatum, quod divinæ bonitati repugnat, non ut forma formæ, sed ut inordinatum, & obliquum suæ regulæ, ac mensuræ. Quòd verò DEUS necessariò oderit peccatum ex eo conjicitur, quia peccatum si fuerit lethale privat hominem infinito bono, seu possessione DEI, qui propterea infligit pœnam peccantibus, & per æternos cruciatus vult eos torqueri. Tum quia DEUS ad delendum peccatum Filium suum incarnari, ac mori voluit: ergo Deus non potest velle peccatum, nec illud prædestinare.

Quòd si objicias illud Apostoli ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*, ex quo loco inferunt Calvinistæ, Adamum Deo volente, ac prædestinante lapsum fuisse & argumentantur omnia quæ in mundo fiunt tam bona, quam mala Deus operatur consilio voluntatis suæ: sed in mundo perpetrantur peccata, ergo Deus operatur peccata consilio voluntatis suæ. Rursus producunt hoc aliud argumentum, omnia quæ DEUS operatur utique consilio suæ voluntatis operatur, sed DEUS operatur peccata, ergo illa operatur consilio voluntatis suæ. Verum hæc argumenta nihil concludunt. Major enim primi argumenti est falsa, quia Deus secundùm consilium suæ voluntatis non operatur peccatum, quia ipsum non potest velle, quia contrarium suæ bonitati, à qua non potest moveri nisi ad amorem sui, & peccatum avertit ab hoc amore, estque contrarium divinæ bonitati, propterea non potest à DEO esse volitum. In secundo argumento minor propositio, quæ erat Deum operari peccata est etiam falsa ob eandem rationem, unde cùm dicitur Deum operari omnia secundùm consilium voluntatis suæ non intelligitur quòd ipse operetur, ac velit peccatum. quia hoc in sententia D. Thomæ consistit formaliter in privatione, & defectu, unde non provenit à causa operante, sed tantùm à deficiente: & Deus agendo non potest deficere, unde Augustinus lib. 12. de Civit. cap. 7. ait: *Nemo quærat causam malæ voluntatis: non enim est efficiens, sed deficiens, quia neque illa est effectio, sed defectio.* Quòd si peccatum consistat in positivò, non tamen habet entitatem in recto, consequenter non est terminus positivæ operationis, sed tantùm quædam relatio, ad objectum dissonum rectæ rationi, quæ relatio tametsi constituat peccatum, non tamen propriè est res, sed rei quidam modus resultans ex positione entitatis peccati. Objiciunt Calvinistæ etiam illud Isaiæ 45. *Ego Dominus & non est alter faciens pacem, & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc.* Sed contra quia inde non sequitur Deum creare peccatum: duplex enim est malum morale unum, pœnale aliud, hoc secun-

dum

dum vult DEUS, ut divinæ justitiæ satisfaciant peccantes, malum autem morale, quod est peccatum non vult, sed potius odit, detestatur, ac prohibet, ut quid repugnans divinæ bonitati. Hinc Tertullianus lib. 2. contra Marcionem: *Maledicuntur & delicta, & supplicia. Nos separatis malis delictis, & malis suppliciis; malis culpa, & malis pœna suum cuique partis definimus authorem, malorum quidem peccati, & culpa Diabolum, malorum verò supplicii pœna Deum Creatorem.* Hoc idem docent Cassianus *collat. 6. cap. 6.* Damascenus *lib. 4. cap. 40.* Divus Hieronymus in *lament. Jeremiæ cap. 3.* Origenes *lib. 6. contra Celsum*, Esichius *lib. 4. in Levit. cap. 24.* & consentiunt Theologi in scholis qui duplex distinguunt malum unum culpæ, alterum pœnæ negantes, primum esse à Deo, sed tantùm malum pœnæ, unde falsum est, quod asserit Calvinus adulterium Absolonis fuisse à Deo, quia tametsi voluerit Deus prævisâ malâ voluntate Absulonis ea uti ad puniendum Davidem; non tamen dedit illi malam voluntatem, sed tantùm illam permisit, hinc Augustinus *lib. 5. de Civit. cap. 8.* ait: *A DEO sunt omnes potestates, quamvis ab illo non sint omnium voluntates.* Et Cap. 9. *Sicut omnium creaturarum Creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum, mala quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est*, & lib. de spiritu & littera cap. 3. *Nusquam legimus non est voluntas nisi à Deo; & rectè non scriptum est, quia verum non est. Alioquin etiam peccatorum quod absit author est Deus, si non est voluntas nisi ab illo, quoniam mala voluntas jam sola peccatum est, etiam si desit effectus, id est, si non habeat potestatem.* Et lib. 2. de peccator. meritis, & remiss. cap. 18. ait: *Malam voluntatem ad Deum esse referendam nefas est dicere.* Et rursus: *Si ergo voluntas aut bona est, aut mala, & utique malam non habemus ex Deo, restat, ut bonam habeamus ex Deo.* Hinc constat, quàm impium sit, ac falsum, quod Philippus Melanthon in cap. 8. epist. ad Roman. ait: *Adulterium Davidis & proditio Judæ ita est proprium opus Dei, sicut vocatio, & conversio D. Pauli.* Cui cùm postea adhæsisset Calvinus etiam ipse asseruit: detestabile scelus Absolonis esse opus Dei, & Deum in omnibus sceleribus clavum tenere, & Deum non solum concursum quendam generalem præbere ad agendum, sed specialem etiam quandam exhibere actionem in unoquoque facinore, adeo ut sit Deus, qui operatur peccatum tanquam agens principale, & homo ut instrumentum, quæ omnia impia sunt, & blasphema, & apertè contra Scripturas Sacras: DEUS enim odio habet peccatum, consequenter non exhibet specialem concursum, quo dicatur illud operari principaliter, dicitur enim Sapient. 11. *Nihil odisti eorum quæ fecisti*: ergo si Deus odit peccatum Sapient. 14. *Odio est Deo impius, & impietas illius* sequitur evidenter Deum odisse peccatum, & illud noluisse. Quòd si Deus nihil eorum odit, quæ ipse operatur; & Deus odit peccatum sequitur non operari peccatum. Iisdem testimoniis usus est etiam D. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. ubi disputans, cur Deus dixerit Jacob dilexi, Esau autem odio habui, quærit, quomodo Deus potuerit odisse Esau, cùm tamen dicatur odisse nihil eorum, quæ fecit, aut quare potius dixerit Deus Jacob dilexi, Esau autem odio habui: & similiter non dixerit solem dilexi, lunam autem odio habui, & post multa respondet: *Quòmodus ita solvitur, ut intelligamus omnium creaturarum esse artificem DEUM: omnis autem creatura Dei bona est, & omnis homo in quantum homo est creatura est, non in quantum peccator. Est ergo creator Deus, & corporis, & animi humani, neutrum horum malum, & neutrum odit Deus. Nihil enim odit eorum quæ fecit. Est autem animus præstantior corpore, Deus verò & animo & corpore utriusque effector, & conditor, nec odit in homine nisi peccatum. Est autem peccatum hominis inordinatio, atque perversitas, id est à præstantiore conditore aversio, & ad condita inferiora conversio. Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Esau peccatorem.* Ita Augustinus, cui consentiens D. Ambrosius lib. de paradis. cap. 15. ait: *Deus operatur, quod bonum est, non quod malum*, & lib. 1. Hexameron. cap. 8. ait: *Nunquid malitiam Deus creavit, sed ex ea nobis orta non à Creatore Deo condita morum levitate generatur*, & nonnullis interjectis subdit: *Eradicari hanc Deus vult de animis singulorum, quomodo ipse eam generaret, cum clamet Propheta: Desinite à malitia, & præcipuè David define à malo, & fac bonum: quomodo ergo eis initium à Domino damus; sed hæc opinio feralis eorum, qui perturbandam Ecclesiam putaverunt.* Hinc luce meridiana clarius constat Deum non operari peccatum nullo modo in genere moris consequenter neque ut agens principale: quia si illud operaretur, ut agens principale, & homo ut instrumentum, inde sequeretur peccatum Deo potius imputari, quàm homini, quod impium, blasphemum, & hæreticum est, siquidem in opere malo non instrumentum, sed principale operans meretur reprehensionem, vel quia ineptum petit instrumentum, vel quia sciens ac volens eo malè usus est. Præterea sequeretur hominem damnari, & puniri propter peccata, quæ DEI potius, quàm hominis sunt opera. Et cùm hoc argumentum objiceretur Zuinglio adeo indignè illud tulit, ut statim objicienti irasceretur respondit que: *De hoc ipsum Deum interroga tu. Ego enim non fui ei à consiliis.* Calvinus verò *lib. 1. Instit, cap. 10. §. 1.* quærens: quomodo Deus agat per reprobos, & nullam ex eorum vitio labem contrahat; imò in opere communi ab omni culpa sit immunis Ministros autem suos justè damnet, respondet *vix hoc capit sensus carnis.*

Objiciunt etiam Calvinistæ persæpe unum peccatum esse pœnam alterius; sed Deus vult pœnam peccati, ergo vult etiam ipsum peccatum. Major asseritur à D. Augustino *lib. 5. contra Julianum cap. 5.* & manifestè colligitur ex illo Apostoli ad Rom, 1: *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Sed contra quia cùm dicitur unum peccatum esse pœnam alterius, posterius peccatum propriè non est pœna prioris, sed tantùm impropriè, quatenus Deus aliquando denegat suam gratiam in pœnam præcedentis peccati, & homo destitutus divina gratia facilè in aliud delabitur peccatum, unde non ipsum peccatum quod sequitur, sed desertio quæ præcedit est pœna justè à Deo inflicta, in quo sensu fuit locutus Apostolus, cùm ad Romanos scripsit Deum dare peccatores in reprobum sensum; quatenus illis auxilia suæ gratiæ non dat, & peccatores natura proni ad peccatum promptius liberè in illud prolabuntur. Præterea quia persæpe contingit, ut posteriori peccato sit annexa aliqua infamia, vel tristitia aut simul incommodum, & tunc peccatum posterius non ratione sui, sed ratione mali adnexi dicitur esse pœna prioris peccati; & in hoc sensu intelligitur D. Augustinus lib. 1. confess. cap. 12. *Jussisti Domine, & sic est, ut pœna sua sit omnis inordinatus animus.* Demum objiciunt Calvinistæ, quia si DEUS solùm permittit pecca-

tum

cidia spoliantes templa se conformant divinæ voluntati, consequenter rectè operantur: & Principes ac Judices prohibentes furta, adulteria, homicidia peccarent, quia directè obsisterent divinæ voluntati vetantes ea fieri, quæ Deus absolutè vult fieri.

Probatur quintò, quia Deum velle, ac prædestinare peccata hominum repugnat sanctitati Dei, ac ejus summæ bonitati, est enim sanctitas bonitas moralis, quæ generatim aliud non est, quàm ipsa perfectio morum in actu vel habitu, & in Scripturis etiam dicitur justitia, sitque perinde esse justum, & esse sanctum; unde Sancti illi propriè sunt, qui & in justitia perfecti: & sicut perfectio naturalis in rebus creatis in eo est sita, ut aliquid sit commensum suæ regulæ juxta quam factum est: perinde perfectio moris consistit in commensione cum lege æterna secundùm quam tenemur operari; quemadmodum idea rerum creatarum est in mente divina mensura perfectionis naturalis, seu entitatis in rebus omnibus: perinde lex æterna est mensura perfectionis moralis, & sanctitatis naturæ rationalis in omnibus operibus bonis: & ex hominibus is dicitur perfectus & sanctus, cujus affectus, & mores exactè conformantur legi æternæ. Sanctitas verò Dei est perfectio longè altioris rationis, quia voluntas divina ejusque mores non sunt accidentario modo conformes legi æternæ, sed essentialiter, & ab intrinseco; neque per varias virtutes per se, & per suam essentiam, ex cujus ratione oritur lex æterna, quæ sicut est origo primordialis omnis perfectionis entitativè ita etiam est origo omnis perfectionis moralis, omnisque rectitudinis affectus, & moris, unde ex eo, quod lex æterna oriatur ea ratione divinæ essentiæ fit, ut perfectio, & sanctitas consistat etiam in conjunctione cum Deo per affectum, quapropter amor Dei est ipsa sanctitas, & cùm sit Deus sibi maximè conjunctus per naturam, & amorem ipse summè est sanctus; adeo ut Deus multipliciter sit, ac dicatur sanctus primò radicaliter, quia divina essentia est prima radix, & fons originalis totius sanctitatis, ac origo primordialis omnis perfectionis: hinc ejus voluntas, quia est eadem cum essentia divina est prima regula rectitudinis, & lex æterna. Secundò est sanctus objectivè, quia est objectum omnis sanctitatis; siquidem omnis sanctitas sita est in amore, & conjunctione cum Deo, unde est etiam mensura totius sanctitatis. Est enim sanctitas quædam puritas: & quemadmodum impuritas oritur ex contactu inferiorum, ut cùm vestis luto coinquinatur, vel cùm anima per affectum concupiscentiæ inordinatæ inhæret creaturis; perinde puritas oritur ex contactu superiorum, cùm affectus ad sublimiora assurgit, & iis inhæret, & quia supremum omnium, ac simplicissimum, & purissimum est Deus, in quo residet summa puritas ideo sanctitas, & puritas consistit in adhæsione cum Deo, quia est ratio objectiva, & mensura sanctitatis. Rursus dicitur etiam Deus exemplariter sanctus in modum regulæ, sitque propterea prima regula totius sanctitatis, & in creaturis conformatio affectus cum lege æterna sit vera sanctitas. Demum est etiam Deus formaliter sanctus: siquidem sanctitas formaliter est puritas affectus, quo amor Dei consistens in adhæsione cum Deo, quod est purissimum, ac nobilissimum, unde cùm Deus sit amor sui hac ratione est, & dicitur formaliter esse sua sanctitas, & quia se amat infinitè quantum est amabilis, est etiam infinitè sanctus; & rursus quia nihil amat nisi propter semetipsum, ideo etiam in amore omnium creaturarum est sanctus, unde David Psal. 144. *Justus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Non enim Deus amat creaturas ultimò propter se ipsas, sed propter excellentiam propriæ bonitatis divinæ, in quo affectu sita est ipsa sanctitas. Deinde dicitur Deus Sanctus in omnibus operibus suis, quia omnes ejus effectus, ac operationes exactissimè conformantur rectitudini legis æternæ. Voluntas enim Dei per se suamque essentiam ex æquo respondet legi æternæ, cui commensuratur. Ex quo sequitur Deum non posse velle peccatum ut putavit Calvinus, sed necessariò illud odisse odio infinito, ac ipsum nullo modo velle: quia cùm necessariò amet rectitudinem legis æternæ necessariò odit, quidquid huic rectitudini adversatur, & quia peccatum illi adversatur, eò quia sit contra legem Dei æternam, ideo sequitur DEUM necessariò odisse peccatum, nec posse illud prædestinare, ac velle. Ex eo itidem, quod DEUS necessariò amet suam bonitatem, & perfectionem, sequitur necessariò etiam odisse omne peccatum, quod divinæ bonitati repugnat, non ut forma formæ, sed ut inordinatum, & obliquum suæ regulæ, ac mensuræ. Quòd verò DEUS necessariò oderit peccatum ea eo conjicitur, quia peccatum si fuerit lethale privat hominem infinito bono, seu possessione DEI, qui propterea infligit pœnam peccantibus, & per æternos cruciatus vult eos torqueri. Tum quia DEUS ad delendum peccatum Filium suum incarnari, ac mori voluit: ergo Deus non potest velle peccatum, nec illud prædestinare.

Quòd si objicias illud Apostoli ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*, ex quo loco inferunt Calvinistæ, Adamum Deo volente, ac prædestinante lapsum fuisse & argumentantur omnia quæ in mundo fiunt tam bona, quam mala Deus operatur consilio voluntatis suæ: sed in mundo perpetrantur peccata, ergo Deus operatur peccata consilio voluntatis suæ. Rursus producunt hoc aliud argumentum, omnia quæ DEUS operatur utique consilio suæ voluntatis operatur, sed DEUS operatur peccata, ergo illa operatur consilio voluntatis suæ. Verum hæc argumenta nihil concludunt. Major enim primi argumenti est falsa, quia Deus secundùm consilium suæ voluntatis non operatur peccatum, quia ipsum non potest velle, quia contrarium suæ bonitati, à qua non potest moveri nisi ad amorem sui, & peccatum avertit ab hoc amore, estque contrarium divinæ bonitati, propterea non potest à DEO esse volitum. In secundo argumento minor propositio, quæ erat Deum operari peccata est etiam falsa ob eandem rationem, unde cùm dicitur Deum operari omnia secundùm consilium voluntatis suæ non intelligitur quòd ipse operetur, ac velit peccatum. quia hoc in sententia D. Thomæ consistit formaliter in privatione, & defectu, unde non provenit à causa operante, sed tantùm à deficiente: & Deus agendo non potest deficere, unde Augustinus lib. 12. de Civit. cap. 7. ait: *Nemo quærat causam malæ voluntatis: non enim est efficiens, sed deficiens, quia neque illa est effectio, sed defectio.* Quòd si peccatum consistat in positivo, non tamen habet entitatem in recto, consequenter non est terminus positivæ operationis, sed tantùm quædam relatio, ad objectum dissonum rectæ rationi, quæ relatio tametsi constituat peccatum, non tamen propriè est res, sed rei quidam modus resultans ex positione entitatis peccati. Objiciunt Calvinistæ etiam illud Isaiæ 45. *Ego Dominus & non est alter faciens pacem, & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc.* Sed contra quia inde non sequitur Deum creare peccatum: duplex enim est malum morale unum, pœnale aliud, hoc secun-

dum

dum vult DEUS, ut divinæ justitiæ satisfaciant peccantes, malum autem morale, quod est peccatum non vult, sed potius odit, detestatur, ac prohibet, ut quid repugnans divinæ bonitati. Hinc Tertullianus lib. 2. contra Marcionem: *Maledicuntur & delicta, & supplicia. Nos separatis malis delictis, & malis suppliciis; malis culpæ, & malis pœnæ suum cuique parti definimus authorem, malorum quidem peccati, & culpæ Diabolum, malorum vero supplicii pœnæ Deum Creatorem.* Hoc idem docent Cassianus *collat. 6. cap. 6.* Damascenus *lib. 4. cap. 40.* Divus Hieronymus in *lament. Jeremiæ cap. 3.* Origenes *lib. 6. contra Celsum*, Esichius *lib. 4. in Levit. cap. 14.* & consentiunt Theologi in scholis qui duplex distinguunt malum unum culpæ, alterum pœnæ negantes, primum esse à Deo, sed tantùm malum pœnæ, unde falsum est, quod asserit Calvinus adulterium Absolonis fuisse à Deo, quia tametsi voluerit Deus prævisâ malâ voluntate Absolonis ea uti ad puniendum Davidem; non tamen dedit illi malam voluntatem, sed tantùm illam permisit, hinc Augustinus *lib. 5. de Civit. cap. 8.* ait: *A DEO sunt omnes potestates, quamvis ab illo non sint omnium voluntates.* Et Cap. 9. *Sicut omnium creaturarum Creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum, malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est*, & lib. de spiritu & littera cap. 3. *Nusquam legimus non est voluntas nisi à Deo; & rectè non scriptum est, quia verum non est. Alioquin etiam peccatorum quod absit author est Deus, si non est voluntas nisi ab illo, quoniam mala voluntas jam sola peccatum est, etiam si desit effectus, id est, si non habeat potestatem.* Et lib. 2. de peccator. meritis, & remiss. cap. 18. ait: *Malam voluntatem ad Deum esse referendam nefas est dicere.* Et rursus: *Si ergo voluntas aut bona est, aut mala, & utique malam non habemus ex Deo, restat, ut bonam habeamus ex Deo.* Hinc constat, quàm impium sit, ac falsum, quod Philippus Melanthon in cap. 8. epist. ad Roman. ait: *Adulterium Davidis & proditio Judæ ita est proprium opus Dei, sicut vocatio, & conversio D. Pauli.* Cui cum postea adhæsisset Calvinus etiam ipse asseruit: detestabile scelus Absolonis esse opus Dei, & Deum in omnibus sceleribus clavum tenere, & Deum non solum concursum quendam generalem præbere ad agendum, sed specialem etiam quandam exhibere actionem in unoquoque facinore, adeo ut sit Deus, qui operatur peccatum tanquam agens principale, & homo ut instrumentum, quæ omnia impia sunt, & blasphema, & apertè contra Scripturas Sacras: DEUS enim odio habet peccatum, consequenter non exhibet specialem concursum, quo dicatur illud operari principaliter, dicitur enim Sapient. 11. *Nihil odisti eorum quæ fecisti*: ergo si Deus odit peccatum Sapient. 14. *Odio est Deo impius, & impietas illius* sequitur evidenter Deum odisse peccatum, & illud noluisse. Quòd si Deus nihil eorum odit, quæ ipse operatur; & Deus odit peccatum sequitur non operari peccatum. Iisdem testimoniis usus est etiam D. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. ubi disputans, cur Deus dixerit Jacob dilexi, Esau autem odio habui, quærit, quomodo Deus potuerit odisse Esau, cùm tamen dicatur odisse nihil eorum, quæ fecit, aut quare potius dixerit Deus Jacob dilexi, Esau autem odio habui: & similiter non dixerit solem dilexi, lunam autem odio habui, & post multa respondet: *Qui nodus ita solvitur, ut intelligamus omnium creaturarum esse artificem DEUM: omnis autem creatura Dei bona est, & omnis homo in quantum homo est creatura est, non in quantum peccator. Est ergo creator Deus, & corporis, & animi humani, neutrum horum malum, & neutrum odit Deus. Nihil enim odit eorum quæ fecit. Est autem animus præstantior corpore, Deus verò & animo & corpore utriusque effector, & conditor, nec odit in homine nisi peccatum. Est autem peccatum hominis inordinatio, atque perversitas, id est à præstantiore conditore aversio, & ad condita inferiora conversio. Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Esau peccatorem,* ita Augustinus, cui consentiens D. Ambrosius lib. de paradis. cap. 15. ait: *Deus operatur, quod bonum est, non quod malum*, & lib. 1. Hexameron. cap. 8. ait: *Nunquid malitiam Deus creavit, sed ex ea nobis orta non à Creatore Deo condita morum levitate generatur*, & nonnullis interjectis subdit: *Eradicari hanc Deus vult de animis singulorum, quomodo ipse eam generaret, cum clamet Propheta: Desinite à malitia, & præcipuè David desine à malo, & fac bonum: quomodo ergo ei initium à Domino damus; sed hæc opinio feralis eorum, qui perturbandam Ecclesiam putaverunt.* Hinc luce meridiana clarius constat Deum non operari peccatum nullo modo in genere moris consequenter neque ut agens principale: quia si illud operaretur, ut agens principale, & homo ut instrumentum, inde sequeretur peccatum Deo potius imputari, quàm homini, quod impium, blasphemum, & hæreticum est, siquidem in opere malo non instrumentum, sed principale operans meretur reprehensionem, vel quia ineptum petit instrumentum, vel quia sciens ac volens eo malè usus est. Præterea sequeretur hominem damnari, & puniri propter peccata, quæ DEI potius, quàm hominis sunt opera. Et cùm hoc argumentum objiceretur Zuinglio adeo indignè illud tulit, ut statim objicienti irasceretur respondit que: *De hoc ipsum Deum interroga tu. Ego enim non fui ei à consiliis.* Calvinus verò *lib. 1. Instit. cap. 10. §. 1.* quærens: quomodo Deus agat per reprobos, & nullam ex eorum vitio labem contrahat; imò in opere communi ab omni culpa sit immunis Ministros autem suos justè damnet, respondet *vix hoc capit sensus carnis.*

Objiciunt etiam Calvinistæ persæpe unum peccatum esse pœnam alterius; sed Deus vult pœnam peccati, ergo vult etiam ipsum peccatum. Major asseritur à D. Augustino *lib. 5. contra Julianum cap. 5.* & manifestè colligitur ex illo Apostoli ad Rom. 1: *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Sed contra quia cùm dicitur unum peccatum esse pœnam alterius, posterius peccatum propriè non est pœna prioris, sed tantùm impropriè, quatenus Deus aliquando denegat suam gratiam in pœnam præcedentis peccati, & homo destitutus divina gratia facilè in aliud delabitur peccatum, unde non ipsum peccatum quod sequitur, sed desertio quæ præcedit est pœna justè à Deo inflicta, in quo sensu fuit locutus Apostolus, cùm ad Romanos scripsit Deum dare peccatores in reprobum sensum; quatenus illis auxilia suæ gratiæ non dat, & peccatores natura proni ad peccatum promptius liberè in illud prolabuntur. Præterea quia persæpe contingit, ut posteriori peccato sit annexa aliqua infamia, vel tristitia aut simul incommodum, & tunc peccatum posterius non ratione sui, sed ratione mali adnexi dicitur esse pœna prioris peccati; & in hoc sensu intelligitur D. Augustinus lib. 1. confess. cap. 12. *Jussisti Domine, & sic est, ut pœna sua sit omnis inordinatus animus.* Demum objiciunt Calvinistæ, quia si DEUS solùm permittit pecca-

dem vult DEUS, ut divinæ justitiæ satisfaciant peccantes; malum autem morale, quod est peccatum non vult, sed potius odit, detestatur, ac prohibet, ut quid repugnans divinæ bonitati. Hinc Tertullianus lib. 2. contra Marcionem: *Maledicuntur & delicta, & supplicia. Nos separatis malis delictis, & malis suppliciis; malis culpa, & malis pœnæ suum cuique parti definimus authorem, malorum quidem peccati, & culpæ Diabolum, malorum vero supplicii pœnæ Deum Creatorem.* Hoc idem docent Cassianus *collat. 6. cap.* 6. Damascenus *lib. 4. cap.* 40. Divus Hieronymus in *lament. Jeremiæ cap.* 3. Origenes *lib. 6. contra Celsum*, Esichius *lib. 4. in Levit. cap.* 14. & consentiunt Theologi in scholis qui duplex distingunt malum unum culpæ, alterum pœnæ negantes, primum esse à Deo, sed tantùm malum pœnæ, unde falsum est, quod asserit Calvinus adulterium Absolonis fuisse à Deo, quia tametsi voluerit Deus prævisâ malâ voluntate Absolonis eâ uti ad puniendum Davidem; non tamen dedit illi malam voluntatem, sed tantùm illam permisit, hinc Augustinus *lib. 5. de Civit. cap.* 8. ait: *A DEO sunt omnes potestates, quamvis ab illo non sint omnium voluntates.* Et Cap. 9. *Sicut omnium creaturarum Creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum, malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est*, & lib. de spiritu & littera cap. 3. *Nusquam legimus non est voluntas nisi à Deo; & rectè non scriptum est, quia verum non est. Alioquin etiam peccatorum quod absit author est Deus, si non est voluntas nisi ab illo, quoniam mala voluntas jam sola peccatum est, etiam si desit effectus, id est, si non habeat potestatem.* Et lib. 2. de peccator. meritis, & remiss. cap. 18. ait: *Malam voluntatem ad Deum esse referendam nefas est dicere.* Et rursus: *Si ergo voluntas aut bona est, aut mala, & utique malam non habemus ex Deo, restat, ut bonam habeamus ex Deo.* Hinc constat, quàm impium sit, ac falsum, quod Philippus Melanchon in cap. 8. epist. ad Roman. ait: *Adulterium Davidis & proditio Judæ ita est proprium opus Dei, sicut vocatio, & conversio D. Pauli.* Cui cùm postea adhæsisset Calvinus etiam ipse asseruit: detestabile scelus Absolonis esse opus Dei, & Deum in omnibus sceleribus clavum tenere, & Deum non solum concursum quendam generalem præbere ad agendum, sed specialem etiam quandam exhibere actionem in unoquoque facinora, adeo ut sit Deus, qui operatur peccatum tanquam agens principale, & homo ut instrumentum, quæ omnia impia sunt, & blasphema, & apertè contra Scripturas Sacras: DEUS enim odio habet peccatum, consequenter non exhibet specialem concursum, quo dicatur illud operari principaliter, dicitur enim Sapient. 11. *Nihil odisti eorum quæ fecisti*: ergo si Deus odit peccatum Sapient. 14. *Odio est Deo impius, & impietas illius* sequitur evidenter Deum odisse peccatum, & illud noluisse. Quòd si Deus nihil eorum odit, quæ ipse operatur; & Deus odit peccatum sequitur non operari peccatum. Iisdem testimonia usus est etiam D. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. ubi disputans, cur Deus dixerit Jacob dilexi, Esau autem odio habui, quærit, quomodo Deus potuerit odisse Esau, cùm tamen dicatur odisse nihil eorum, quæ fecit, aut quare potius dixerit Deus Jacob dilexi, Esau autem odio habui: & similiter non dixerit solem dilexi, lunam autem odio habui, & post multa respondet: *Quomodo ita solvitur, ut intelligamus omnium creaturarum esse artificem DEUM: omnis autem creatura Dei bona est, & omnis homo in quantum homo est creatura est, non in quantum peccator. Est ergo creator Deus, & corporis, & animi humani, neutrum horum malum, & neutrum odit Deus. Nihil enim odit eorum quæ fecit. Est autem animus præstantior corpore, Deus verò & animo & corpore utriusque effector, & conditor, nec odit in homine nisi peccatum. Est autem peccatum hominis inordinatio, atque perversitas, id est à præstantiore conditore aversio, & ad condita inferiora conversio. Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Esau peccatorem.* Ita Augustinus, cui consentiens D. Ambrosius lib. de paradis. cap. 15. ait: *Deus operatur, quod bonum est, non quod malum*, & lib. 1. Hexameron. cap. 8. ait: *Nunquid malitiam Deus creavit, sed ex ea nobis orta non à Creatore Deo condita morum levitate generatur*, & nonnullis interjectis subdit: *Eradicari hanc Deus vult de animis singulorum, quomodo ipse eam generaret, cum clamet Propheta: Desinite à malitia, & præcipuè David desine à malo, & fac bonum: quomodo ergo ei initium à Domino damus; sed hæc opinio feralis eorum, qui perturbandam Ecclesiam putaverunt.* Hinc luce meridiana clarius constat Deum non operari peccatum nullo modo in genere moris consequenter neque ut agens principale: quia si illud operaretur, ut agens principale, & homo ut instrumentum, inde sequeretur peccatum Deo potius imputari, quàm homini, quod impium, blasphemum, & hæreticum est, siquidem in opere malo non instrumentum, sed principale operans meretur reprehensionem, vel quia ineptum petit instrumentum, vel quia sciens ac volens eo malè usus est. Præterea sequeretur hominem damnari, & puniri propter peccata, quæ DEI potius, quàm hominis sunt opera. Et cùm hoc argumentum objiceretur Zuinglio adeo indignè illud tulit, ut statim objicienti irasceretur respondítque: *De hoc ipsum Deum interroga tu. Ego enim non fui ei à consiliis.* Calvinus verò *lib. 1. Instit. cap.* 10. §. 1. quærens: quomodo Deus agat per reprobos, & nullam ex eorum vitio labem contrahat: imò in opere communi ab omni culpa sit immunis Ministros autem suos justè damnet, respondet *vix hæc capit sensus carnis.*

Objiciunt etiam Calvinistæ persæpe unum peccatum esse pœnam alterius; sed Deus vult pœnam peccati, ergo vult etiam ipsum peccatum. Major asseritur à D. Augustino *lib. 5. contra Julianum cap.* 5. & manifestè colligitur ex illo Apostoli ad Rom. 1: *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Sed contra quia cùm dicitur unum peccatum esse pœnam alterius, posterius peccatum propriè non est pœna prioris, sed tantùm impropriè, quatenus Deus aliquando denegat suam gratiam in pœnam præcedentis peccati, & homo destitutus divina gratia facilè in aliud delabitur peccatum, unde non ipsum peccatum quod sequitur, sed desertio quæ præcedit est pœna justè à Deo inflicta, in quo sensu fuit locutus Apostolus, cùm ad Romanos scripsit Deum dare peccatores in reprobum sensum; quatenus illis auxilia suæ gratiæ non dat, & peccatores natura proni ad peccatum promptius liberè in illud prolabuntur. Præterea quia persæpe contingit, ut posteriori peccato sit annexa aliqua infamia, vel tristitia aut simul incommodum, & tunc peccatum posterius non ratione sui, sed ratione mali adnexi dicitur esse pœna prioris peccati; & in hoc sensu intelligitur D. Augustinus lib. 1. confess. cap. 12. *Jussisti Domine, & sic est, ut pœna sua sit omnis inordinatus animus.* Demum objiciunt Calvinistæ, quia si DEUS solùm permittit pecca-

tum, & illud non vult: vel illud permittit volens aut nolens: si nolens omnipotens non est, cùm non possit coërcere voluntatem peccantis: si volens, ergo peccata fiunt Deo volente, quæ est Calvini sententia. Sed contra respondetur: Deum volentem permittere peccata, ita tamen ut volente DEO non fiant peccata, sed Deo non volente. Aliud enim est, peccatum, & aliud permissio peccati: siquidem peccatum per se malum est, permissio autem non est mala, quia tantum est relinquere peccatorem, ut utatur libero arbitrio in persecutionem boni, vel aversionem mali. DEUS igitur vult permissionem peccati, seu hominem uti libero arbitrio prout ipsi magis libuerit, quæ permissio bona est non mala: Hinc permissio peccati fit Deo volente, non verò peccatum ipsum quod Deus prohibet, & non vult ut fiat. Sed instant Calvinistæ, si peccatum non fit Deo volente, ergo fit Deo nolente, & invito, ergo omnipotens non est. Sed contra, quia eo ipso, quòd peccatum non fit Deo volente non sequitur fieri eo invito, & nolente, bene tamen sequitur fieri eo permittente: velle enim & nolle sunt duo contraria, inter quæ dari potest medium scilicet permittere, unde hæc tria distinguenda sunt peccatum fit Deo volente, peccatum fit Deo nolente; peccatum fit Deo permittente, duo priora falsa sunt, & tertium est verum: Deum verò permittere peccatum perinde est ac Deum non velle peccatum, quod est quid medium inter volens & nolens. Hinc Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 1. ait: *Multa quidem fiunt à malis contra voluntatem Dei; sed tanta est ille sapientiæ, tantaque virtutis, ut in eos exitus sive fines, quos bonos, & justos ipse præscivit tendant omnia, quæ voluntati ejus videntur adversa.* Loquitur Augustinus de permissione Dei ut homines operentur juxta proprium arbitrium, non quod ipse velit peccatum, nec illud prædestinat, unde D. Fulgentius lib. 1, ad Monimum cap. 13. ait: *Potuit Deus sicut voluit prædestinare quosdam ad pœnam, & quosdam ad gloriam. Sed quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad justitiam; quos autem prædestinavit ad pœnam non prædestinavit ad culpam. Posset enim peccatum aliquod ex prædestinatione Dei esse, si posset aliquis hominum justè peccare, Nullus autem hominum justè peccat, quamvis eum Deus justè peccare permittat.* Et Sanctus Prosper respons. ad Capitula Gallorum cap. 12. ait: *Voluntas Dei nunquam vult nisi bona: præscientia autem & bona noscit, & mala. Sed bona, quæ aut ipse faciat, aut etiam ut nos faciamus imperat: mala autem, quæ omnino ipse non faciat, nec fieri jussit, aut impulit*, & cap. 14. ait: *Infidelitas non credentium Evangelio nequaquam ex Dei prædestinatione generatur, bonorum Deus Author non malorum.* Hinc D. Leo Papa Epist. ad Petrum Antioch. scribit: *Credo Deum prædestinâsse solùm bona, præscivisse autem bona & mala*, quamobrem constat ex Scripturis & Sanctis Patribus Deum non esse authorem peccati, nec posse peccatum velle, neque illud prædestinare. Hinc Concilium Arausicanum cap. 25. *Aliquos ad malum divina potestate esse prædestinatos, non solùm non credimus, sed etiamsi sint, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.*

Dicendum secundò contra Calvinum, Deum ab æterno non prædestinasse lapsum Adæ, neque voluisse ejus peccatum ac omnium Posterorum eo fine, & consilio ut haberet occasionem ostendendi suam misericordiam in condonando, & justitiam in puniendo, ut putavit Calvinus duo fingens Dei decreta; unum quo ab æterno ex toto humano genere alios ad vitam, & alios ad mortem & damnationem æternam prædestinavit sua voluntate nullo præcedente ipsorum merito, & demerito. Alterum quo præfinivit media, quibus hi ad vitam, illi ad mortem, & supplicia pervenirent ita Calvinus lib. 2. de Instit. cap. 31. §. 1. ubi ait: *Palam est, Dei nutu fieri, ut aliis ultro offeratur salus: aliis ab ejus aditu arceantur.*

Sed hæc facilè impugnantur, & primò quòd Deus nullâ sumptâ occasione ex parte hominum aliquos non prædestinaverit ad gloriam, & alios ad æterna supplicia: quia in sententia Calvini parvuli decedentes sine Baptismo salvantur in fide parentum; ergo Deus saltem in electione parvulorum habuit aliquem respectum ad Fidem parentum; consequenter non fuit eorum electio facta nulla ex parte electorum sumpta occasione. Præterea si DEUS prædestinavit electos ex mero suo beneplacito absque ullo respectu ad nostra opera, oportuit, ut prædestinatio ad gloriam facta sit ante prævisum peccatum originale, proinde ante decretum Verbi divini Incarnationem: Si hoc asseratur quomodo potuit esse facta in Christo, quomodo potuit in Christi meritis fundari? cùm tamen Calvinus *lib. 3. Inst. cap. 24. § 1.* expressè fateatur nos in Christo electos esse; & *lib. 2. cap. 12. §. 5.* asserat, Christum non fuisse venturum in carne nisi Adam peccâsset; nec ex alio fine in mundum venisse, quàm ut perditis hominibus succurreret. Ergo in sententia Calvini prius prævisum fuit peccatum Adami, quàm decreta Verbi divini Incarnatio. Ergo quomodo prædestinatio facta sit in Christo, & fundata in meritis Christi, & simul ex suo puro beneplacito videris Calvinus.

Rursus asserit Calvinus, DEUM æterno decreto, quosdam ad mortem, & damnationem destinâsse sine respectu aut prævisione ullius operis mali, quod apertè opponitur Sacris Scripturis, in quibus habemus, Deum hominem creâsse propter æternam gloriam in cœlis, & omnes eò perducere quantum est ex se. Vult enim Deus omnes homines salvos fieri, si ipsi peccando non impediant. Rursus constat, DEUM non obligare hominem ad pœnam mortis nisi ob patrata peccata. Præterea quia Deus pronior est ad ostendendam suam pietatem, & misericordiam; quàm ad justitiam, & severitatem. Demum asserit Calvinus, DEUM ideo prædestinâsse lapsum Adæ, & omnium Posterorum, ut haberet occasionem ostendendi suam justitiam in puniendo, & suam misericordiam in condonando. Sed contra quia cùm DEUS sibi non præfixerit finem, quem prætendunt Calvinistæ, non potuit prædestinare media ad illum finem efficaciter obtinendum. Præterea Ecclesiastici 14. habetur. *Non dicas ille me implanavit: Non enim necessarii sunt ei homines impii.* Calvinus autem asserit DEUM implanâsse Adamum: ergo vel Scriptura, vel Calvinus mentitur: Sed Scriptura non mentitur; quia Spiritus S. non potest mendaciū dictare: ergo Calvinus mentitur, cùm asserit implanâsse Deum impios, ut in illis puniendis ostenderet justitiam suam. Rursus Adamus antequam peccaret erat justus; ergo quando Deus prædestinavit peccatum Adami, voluit, ut Adamus ex justo fieret injustus, ex bono malus, ex probo improbus: sed justitia non est ex justo facere injustum, ex recto perversum; huc accersendus S. Fulgentius *lib. 8. ad Monimum cap. 22. Ut ex malis fiant homines boni, & ex impiis justi, laudanda est Dei misericordia. Sed ut ex bonis fiant mali, ex justis iniqui, si divina* præ-

prædestinationis asseritur causa, erit, quod absit, vituperanda justitia. Quinimò nec justitia justa dicetur, si peccandum reum non invenisse dicatur. Major verò erit injustitia, si lapso Deus retribuat pœnam, quem sententia prædestinasse dicitur ad ruinam. Pari pacto misericordia dicenda non est, sed potius iniquitas, quæ ex justo facit impium, ut cum ab impietate possit liberare. Crudelis est misericordis, quæ hominem spoliat, ut iterum vestiat, in foveam dejicit, ut iterum erigat: Et D. Augustinus *lib. 3. confess. cap. 2.* vocat malevolam illam benevolentiam, quæ miserum aliquem esse velit, ut ei misereatur.

Dicendum tertiò contra Calvinum, & alios hæreticos ex peccato Adami homines non amisisse liberum arbitrium, & in statu naturæ lapsæ liberè operari sive bonum sive malum. Pro quo tamen juvat adnotare dupliciter posse intelligi hominem per Adæ peccatum amisisse liberum arbitrium; primò in ordine ad opera supernaturalia, cujusmodi sunt credere, sperare, diligere, ut oportet in ordine ad salutem supernaturalem. Secundò quoad opera naturalia, cujusmodi sunt, comedere, bibere, ambulare, sedere, loqui, facere; Calvinus asserit utroque modo hominem amisisse liberum arbitrium scilicet quoad opera naturalia, & supernaturalia. Hinc docet, omnia quæ fiunt ab hominibus, sive sint opera civilia, siva supernaturalia fieri Deo volente, & non tantùm permittente, & hanc Dei voluntatem esse rerum necessitatem; & quia omnia fiunt Deo volente, sequitur in sententia Calvini omnia fieri necessariò; & nihil liberè.

Notandum secundò: *Liberum arbitrium* definiri *potentiam, qua positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere, vel non agere*; & hoc liberum arbitrium perimi seu tolli per simplicem necessitatem, seu determinationem ad unam eripientem facultatem alterius partis eligendæ. Rursus *voluntarium* est *unius principium in ipso agente, & cognoscente singula, in quibus est actio*, seu ut ait Damascenus: *quod fit à principio intrinseco, cum cognitione finis. Coactum* definitur, *quod est à principio extrinseco, passo nihil conferente, sed potius repugnante*, ut cum Aristotele docent Philosophi, qui etiam distinguunt inter se violentum coactum, & involuntarium perinde ac genus in suas species. *Violentum* enim dicitur, *quod est contra inclinationem res cujuslibet etiam inanimæ. Coactum* spontaneo tantùm opponitur, estque omne id, quod fit contra inclinationem appetitus sensitivi, aut rationalis. Involuntarium soli adversatur voluntario, estque omne id, quod fit contra inclinationem voluntatis. Hinc omne involuntarium est coactum, & omne coactum est violentum; non è contra omne violentum est coactum, neque omne coactum est involuntarium. Cæterum voluntati non potest vis inferri quoad actus elicitos, seu fieri non potest, ut actus aliquis à voluntate elicitus sit involuntarius, & coactus. Quia nullus actus elicitus à voluntate potest esse à principio extrinseco voluntate nil conferente. Potest tamen vim pati quoad actus imperatos, seu possunt actus aliarum facultatum, quæ natura sua voluntatis subjiciuntur, imperio poni voluntate renitente; potest enim quis adigi ad audiendum, quod audire nollet; & ad ambulandum per locum, quem nollet. His præmissis docent Hæretici in statu naturæ lapsæ absolutam, & antecedentem necessitatem inferri voluntati hominis adeò ut à concupiscentia necessitetur ad malum, & à gratia adigatur ad bonum. Verum quia ad meritum requiritur ex parte actus libertas, dicitque propterea S. Bernardus serm. 81. in Cantic. *Ubi non est libertas, nec meritum*, seu liberi arbitrii exercitium, ideo S. Thomas & reliqui Theologi quadruplicem distinguunt libertatem, quarum prima dicitur libertas à miseria, seu esse liberum à miseriis quod perinde est, ac esse sine miseriis, & hæc libertas includit beatitudinem æternam, quæ est bonorum omnium complexio cum expulsione cujusvis miseriæ, & de hac libertate loquens Apostolus ait ad Roman. 8. *Creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*, vocat libertatem à miseria libertatem gloriæ quatenus nectitur cum cœlesti beatitudine excludente omnem angorem corruptionem, & miseriam. Secunda libertas dicitur à peccato, quatenus voluntas sine peccato lethali est libera ab illo, à quo propterea non tenetur, & est in statu gratiæ, qua à servitute peccati liberamur, & de hac libertate scribens Apostolus ad Roman. 6. ait: *Liberati à peccato, servi facti estis justitiæ*, seu positi estis à Deo miserente in statu gratiæ sanctificantis. Tertia est libertas à coactione, & tunc habetur cum voluntas sine ulla violentia externa elicit suos & generatim habetur, quoties aliquid fit sine violentia sine vi illata ab extrinseco, quantumvis necessario fiat. Quarta demum libertas dicitur à necessitate, quatenus voluntas à nullo adacta sponte sua operatur, & habet dominium intrinsecum expeditum ad agendum, vel non agendum, prout illi magis placuerit, & de hac libertate scribens Apostolus 1. Corinth. 7. *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis.* Has quatuor libertatum species distinxit S. Fulgentius in responsione ad primam inquisitionem Ferrandi inquiens: *Malos habere liberum arbitrium non liberatum, liberari verò per gratiam. Ex quo enim primus homo libero arbitrio venundatus est sub peccato, ideo mala capit esse libertas hominis, quia ipsi libero arbitrio ablata est bonitas voluntatis*; quatenus per peccatum voluntas pronior est ad malum, ac pravis adhærendum concupiscentiis. Et hic est ille scopulus, in quem Hæretici impingunt censentes à peccato ablatam esse bonitatem voluntatis, seu libertatem ad bene agendum.

Sed non esse hominem destitutum libertate ad bene vel malè agendum prout ipsi magis placuerit mediante Dei gratia, probatur ex Scripturis, etenim Genes. 4. vers. 7. Deus ipse declarat esse in potestate ac dominio humani arbitrii consentire, vel dissentire appetitui, seu esse sui juris ad bene, vel malè agendum in ordine ad merendum, aut demerendum, ait enim Deus: *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem malè statim in foribus peccatum aderit: sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*, si appetitus est sub dominio humanæ voluntatis: potest hæc ut domina illum coërcere, vel eidem adhærere prout magis ei placuerit. Rursus Deuter. 30. v. 19. *Testes invoco hodie cœlum, & terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem*, & nonnullis interjectis subditur: *Elige ergo vitam, ut & tu vivas.* Quod si utrumque proponitur, & in dispositione relinquitur voluntatis unum eligere pro altero: Sequitur arbitrium non rapi necessario ad alterum, sed hoc liberè eligi à voluntate, quapropter ex hoc loco D. Cyprianus *lib. 3. ad Quirin. cap. 52.* probat credendi, vel non credendi libertatem positam esse in arbitrio hominis. Præterea hæc in homine libertas ad bene, vel malè agendum expressè significatur *cap. 31. Ecclesiastici*, ubi etiam manifestè asseritur ad meritum requiri libertatem non solùm à coactione, sed etiam à necessitate simplici: siquidem fatetur illum esse laudandum, *qui potuit transgredi, & non est transgre-*

gressus facere mala, & non fecit: in quem sensum S. Irenæus lib. 4. cap. 71. ait: *Qui operantur bonum gloriam, & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cùm possent non operari illud*, ubi expressè asserit voluntatem esse liberam à necessitate simplici & esse indifferentem ad utrumlibet, seu agendum, vel non agendum prout ipsi magis libuerit. Rursus *Luc.* 10. *v.* 42. Laudatur à Christo Domino, Maria soror Marthæ, eò quia optimam partem præ Martha elegerit, ad quam Maria non magis necessitabatur quàm Martha; neutra autem olim fuisset laudem promerita, si ex necessitate partem aliquam elegisset; non enim est dignum laude, quod fit ex necessitate: quamobrem ex Scripturis constat hominem gaudere libero arbitrio ac liberè operari, & per peccatum originale non amisisse libertatem, ut etiam Concilia Scripturis inhærentia hanc declararunt, ac decreverunt de fide veritatem, & contrarium damnârunt, ut Concilium Constantiense sub Joanne Papa XXIII. anno 1414. sess. 8. quod damnat articulum Wicleffi asserentis *omnia de necessitate absoluta evenire*, cujus articuli damnati sensum hunc tradit Waldensis lib. 1. doctrinæ fidei cap. 23. & 24. ubi affirmat Wicleffistas docere Deum non necessitare necessitate coactionis ad bonum, quia illa sola tollit arbitrii dignitatem non alia necessitas. Rursus Concilium Senonense sub Clemente Papa VII. anno 1528. & habetur tom. 4. Concil. in decreto fidei, decreto 15. ubi dicitur: *Cùm reliquerit DEUS hominem in manu consilii sui apposueritque coram eo ignem, & aquam, bonum, & malum, ut ad quodcunque voluerit, porrigat manum suam: neque abs re ille beatus dicatur, qui potuit transgredi, & non est transgressus, & facere mala, & non fecit; quòd sub ea sit appetitus ejus, & dominetur illius, ac denique percurrenti sacram Scripturam passim obvium sit, quòd liberum utramvis in partem hominis arbitrium asseveret.* Ex quibus constat hominis voluntatem esse liberam non coactione, sed etiam à simplici necessitate, possitque sua sponte liberè operari vel non operari, eò quia indifferens sit ad utrumlibet, & ipse dominium habeat supra suos actus ad eos eliciendos vel non eliciendos. Hanc eandem arbitrii nostri libertatem ad utrumlibet pluribus locis dissertè asserit Tridentinum Concilium, ut sess. 6. can. 4. ubi anathemate percutit negantes liberum hominis arbitrium motioni divinæ posse dissentire, si velit & studiosè intendit salvare veram, & propriam arbitrii libertatem ad merendum necessariam, quæ libertas salvari non potest, quoties voluntas ita prævenitur necessitate ad unam partem determinante, ut non possit alteram assequi. Rursus can. 6. anathemate ferit negantes *esse in potestate hominis, vias suas malas facere*, & ibi declarat voluntatem, cum peccat non tantum posse peccare, sed ulterius habere peccatum in sua potestate, & ita posse actum peccaminosum elicere, ut si velit possit illum coërcere, sive non producere: hoc autem non esset, si peccandi necessitate adigeretur voluntas ad actum malum eliciendum. Præterea in eadem sess. can. 32. habetur hominis justificati *bona opera elicita esse DEI dona, ut sint etiam bona ipsius justificati merita*: ergo si bona opera elicita sunt merita hominis justificati, sequitur hujusmodi bona opera fuisse liberè elicita ab homine justificato in statu naturæ lapsæ, meritum enim supponit libertatem, quia quod fit necessario meritorium non est præsertim necessitate simplici, hinc D. Augustinus plerisque in locis contra Manichæos evincit justificatos non agere naturali necessitate, alioquin nihil laudis, ac meriti ex operibus bonis consequerentur. Demum à Conciliis Senonensi, & Tridentino contra Lutheranos definitum fuit, *quod in instanti in quo liberum arbitrium movetur à Deo efficaciter manet in eo libertas, & expedita facultas, qua potest non operari, si velit.* Hinc summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. damnârunt propositiones Baii, quæ erant: *Quod voluntariè fit, & si necessariò fiat, liberè tamen fit.* Item: *sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

Ex sanctis Patribus etiam expressè colligimus, per peccatum Adæ homines non amisisse liberum arbitrium, neque necessitari ad ea, quæ agunt. Etenim D. Augustinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 1. probat contra Manichæos voluntatem nostram non agere ex naturali necessitate inquiens: *Qui motus si culpa deputatur, non est utique naturalis, sed voluntarius* scilicet non fit necessariò, sed liberè, quia quod necessariò fit, non datur culpæ facienti. Et in fine capitis ex confessione adversarii subdit: *Motus quo huc, atque illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius atque in nostra positus potestate, neque laudandus cùm ad superiora, neque culpandus homo esset, cùm ad inferiora detorquet, quasi quendam cardinem voluntatis.* Tertullianus adversus Marcionem *lib.* 2. *cap.* 5. *post medium*, hanc eandem adstruit voluntatis libertatem ad merendum, vel demerendum; & *cap.* 6. ait: *Quasi libripens emancipata à Deo boni libertas, & potestas arbitrii:* & paucis interjectis subdit: *Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi, ut sui Dominus constanter occurreret, & bono sponte servando, & malo sponte vitando. Cæterum nec boni, nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inventus non voluntate.* Expressè asserit bonum, vel malum esse non posse eum, qui necessitate simplici adigitur ad bene, vel malè agendum. Rursus D. Augustinus lib. 2. de natur. grat. contra Pelag. cap. 65. post medium approbat sententiam D. Hieronymi asserentis: *Nec ad virtutem, neque ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas nec corona est, quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat.* Et lib. de duabus animabus contra Manichæum, cap. 11. ait Augustinus: *Neminem vituperatione suppliciòve dignum, qui aut id velit, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantant, & in montibus Pastores, & in theatris Poëta, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum.* Quamobrem ad demerendum requiritur libertas à simplici necessitate, adeò ut voluntas sit sui juris, ac prorsus indifferens ad utrumlibet scilicet ad agendum, vel non agendum, quod necessarium est ad coronam, seu ad meritum. Quod Augustinus etiam inculcat lib. 3. de lib. arbitr. cap. 1. circa med. *Si natura vel necessitate iste motus existit, culpabilis esse nullo modo potest*, consequenter, qui motum hunc ex necessitate elicit reus non est demeriti. Rursus Augustinus de actis cum Felice Manichæo lib. 2. c. 4. ait: *Habet unusquisque in voluntate aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere, quæ mala sunt, & esse arbor mala.* Quòd si est in potestate cujusvis eligere bona, vel mala, sequitur humanam voluntatem plena gaudere libertate, & nulla adigi necessitate simplici ad bene, vel malè agendum; idque probat idem Augustinus nonnullis interjectis subdens: *Hoc ergo Dominus dicens aut facite illud, aut facite illud, scil. Matth. 12. aut facite arborem bonam, aut facite arbo-*

eorum malum ostendit esse in potestate, quod facerent : & quia si bonum eligerent, premium illius esperent : si malum eligerent, pœnam illius senterent. Non potest quis præmium accipere nisi præcesserit merita quia præmium sequitur ad meritum perinde ut pœna ad demeritum, & delictum, & utrumque dependet ab electione voluntatis, & quia electio oequit esse circa unum duntaxat objectum sequitur ibi non dari electionem, ubi non adest arbitrii libertas ad utramlibet, hanc enim libertatem simplex necessitas, seu determinatio ad unum tollit. Rursus lib. de vera religione cap. 14. post med. ait: *Voluntate ergo peccatur, & quoniam peccari non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim servos suos meliores Deus esse judicabit si ei servirent liberaliter. Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent.* Unde Augustinus operosè inculcat ad peccandum requiri libertatem à simplici necessitate, ut etiam ad rectè operandum in Dei servitio, eò quia non possent mereri, si non voluntate, sed necessitate servirent, & ibi non est libertas in serviendo, ubi plena est necessitas. Quod si omne liberum est in nostra potestate, & nullum necessarium est in nostra potestate, sequitur nullum necessarium esse liberum, neque sufficiens ad merendum, & demerendum. Possent congeri authoritates aliorum sanctorum patrum præsertim utriusque Clementis Romani, & Alexandrini, & sanctorum Martyrum Ignatii, Dionysii, Justini, Irenæi, Cypriani, & aliorum, à quibus tamen supersedendum puto, cum ex uno Augustino satis probata sit veritas Catholica contra Hæreticos.

Hinc Calvini propositio, qua asserebat ex peccato Adami secutam fuisse in posteris amissionem liberi arbitrii, repugnat scripturis, Conciliis, & sanctis Patribus, imò etiam rationi philosophicæ & naturali: etenim si quæramus à Calvino, an Adamus ante peccatum habuerit liberum arbitrium, & aliquem ipsius usum? quidquid ipse responderit, id contra ipsum deprehenderit. Si enim dicat non habuisse, ergo non potuit ipsum amisisse, id enim non amittimus, quod nunquam habuimus: si respondeat, habuisse, ergo ante peccatum usus fuit libertate arbitrii. Vel igitur usus est tali libertate volente Deo, vel tantùm permittente. Si Deo volente sequitur manifestè Dei voluntatem non esse necessitatem rerum, nec adigere voluntatem humanam ad unum potius quàm ad aliud, si Deo permittente usus est ante peccatum libertate arbitrii, ergo non omnia fiunt Deo volente, sed plura Deo permittente: ergo Dei voluntas nullam imponit necessitatem voluntati creatæ, neque tollit liberum arbitrium. Prætereà si voluntas Dei esset necessitas rerum jam liberum arbitrium non peccato primi parentis, sed Dei decreto, & voluntate sublatum esset; ergo nec Adamus in paradiso, nec Dæmones ante lapsum habuerunt libertatem arbitrii imò nea in cœlo, nec in terra unquam fuit liberum arbitrium, quia omnia quæ in cœlo, terra, & alibi fiunt, Deo volente fiunt, & voluntas Dei est necessitas rerum, quæ fiunt in sententia Calvini.

Dicendum est quartò contra Calvinum originale peccatum in Posteris Adæ non manere quamdiu in hac vita sunt, sed per baptismum tolli, ait enim Calvinus lib. 4. cap. 15. §. 10. *Jam perspicuum est, quàm falsum fit, quod docuerunt pridem nonnulli, in quo alia persistunt, per baptismum solvi nos, & eximi ab originali peccato*, & in Antidoto Concilii Tridentini ad sess. 5. ait: *Proinde manet verè peccatum in nobis, neque per baptismum statim una die extinguitur: sed quia deletur reatus imputatio nullum est.* Vult Calvinus peccatum originale quatenus habet rationem peccati, culpæ, & aversionis à DEO verè manere in renatis quamvis iisdem non imputetur, verba enim Calvini sunt; *Manet verè peccatum in nobis, neque per baptismum extinguitur*, neque quid aliud esse potest peccatum remanere, & per baptismum non extingui, nisi quòd peccatum ut habens rationem peccati maneat, quia si rationem peccati non habuerit non est verè peccatum, nec peccatum verè manet perinde, ac si homo æger amittat rationem ægritudinis, non rectè dicitur homo ille æger manere bene tamen sanitate donatus. Prætereà hæc sententia Calvini repugnat sacris scripturis, etenim Joan. 1. habetur: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, non dicitur qui tegit, sed qui tollit, quòd si peccata tolluntur non amplius manent. Prætereà quia scriptura expressè ait: *Eos qui in Christo justificati sunt, nihil habere in se damnationis sed esse DEO reconciliatos sanctos, immaculatos, irreprehensibiles, mundatos ab omni peccato.* ut scribit Apostolus *ad Roman.* 8. *ad Coloss.* 1. Quomodo ergo Calvinus asserit peccata non tolli, sed in peccatoribus manere. Rursus Deus non dicitur tegere, sed delere peccata; & quod deletur non manet, alioquin deletum non esset Isaiæ 43. ait DEUS: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas*, & sicut à nemine nisi à creditore pecunia quæ debetur remitti potest, ita cum Deo peccatis obstricti simus, à nemine nisi à solo Deo possunt nobis peccata condonari propterea quotidie illum rogamus: *Dimitte nobis debita nostra*; semel autem quod creditor remittit debitori, quod ei debebat, debitum extinguitur, & amplius non est, hinc Augustinus *in Enchirid. cap.* 64. ait: *Remissionem peccatorum confitemur per hanc enim stat Ecclesia quæ in terris est, per hanc non perit, quod perierat, & inventum est, excepto quippe baptismatis munere, quod contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur, & tamen activa quoque peccata quæque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit, hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus, & ingeneratus, & additus; ipsa etiam vita cætera jam ratione utentis ætatis, quamtalibet præpolleat fœcunditate justitiæ sine peccatorum remissione non agitur, quoniam filii Dei, quamdiu mortaliter vivunt, cum morte confligunt, & quamvis de illis sit veraciter dictum, quotquot spiritu DEI aguntur, hi filii sunt Dei: sic tamen spiritu DEI excitantur & tanquam filii proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo maximè aggravante corruptibili corpore tanquam filii hominum quibusdam humanis motibus deficiant ad se ipsos & ideo peccent.* Expressè asserit Augustinus peccatum originale per baptismum remitti, ac deleri, & actualia peccata per pœnitentiam: ergo si per baptismum remittitur ac deletur peccatum originale, non amplius manet post baptismum, macula enim, quæ deletur non amplius manet, alioquin non esset deleta. Hinc Christus, qui fuit verus Deus, & verus homo, ut ostenderet, se habere potestatem delendi, ac remittendi peccata, quæ non amplius manerent ait Matth. 9. *Ut sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata ait Paralytico surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.* Paralysis symbolum fuit peccati, quo anima infirmatur, & sicut paralysis non amplius mansit in homine sanitate donato, ita neque peccatum semel à DEO condonatum, & remissum manet in ratione peccati: & hanc potestatem dimittendi peccata, quæ non amplius maneant, suæ concessit Ecclesiæ, ac ejus Ministris ad id ordinatis, unde Joan. 20. ait Christus Apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum*

quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, scilicet Spiritus Sanctus dimittit non vos, Spiritus autem Deus est. Deus ergo dimittit non vos. 1. ad Corinth. 6. *Nescitis quia templum Dei estis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Deus habitat in sanctis suis fidelibus in ecclesia & per eos dimittit peccata.

Hinc Calvinus extenuat vim, & efficaciam baptismi, & meritorum Christi, quia non potest dici, quòd homo renascatur per baptismum, si verè peccatum originale manet in baptizato. Rursus sancti Patres docent baptismum fuisse præfiguratum in circumcisione in mari rubro in Jordane purgante lepram eamq; delente, in probatica piscina, ergo debet esset proportio in effectu: sed in circumcisione verè abscindebatur caro, in mari rubro verè suffocati sunt Ægyptii. In aquis Jordanis verè deleta est lepra; & in probatica piscina verè curatus fuit morbus, qui non amplius mansit, ergo cur in baptismo non tollitur, & deletur verè peccatum originale ut non amplius maneat, si Naaman Syrus verè mundatus fuit à lepra, ut hæc non amplius manserit, ut habetur. 4. Reg. cap. 6. *Restituta est caro ejus sicut caro pueri parvuli, & mundatus est*: similia sunt verba, quibus dicimur per baptismum à peccato sanari, etenim. 1. Petri 2. *Sicut modo geniti infantes sine dolo lac concupiscite*, scilicet absque ullo peccato. 1. Joan. 1. *Sanguis Christi mundat nos ab omni peccato*, Præterea Calvinus ait: *Per baptismum deletur reatus*: quæritur quid ipse intelligat per reatum qui deletur: culpamvè, an dignitatem pœnæ, seu obligationem ad subeundam pœnam, quæ fundatur in culpa? utrumque intelligi potest, & in utroque impingit Calvinus: si per reatum culpam intelligit: ergo culpa seu peccatum originale sub ratione peccati deletur, & tollitur per baptismum; consequenter vera sunt verba Concilii Tridentini. *Si quis asserit non tolli id, quod veram, & propriam peccati rationem habet anathema sit*: & falsa sunt Calvini verba: *Manet ergo peccatum in nobis, neque per baptismum extinguitur*. Sin verò per reatum intelligit dignitatem pœnæ: ergo quando dicit reatum tolli, & peccatum manere, censet peccatum lethale manere in homine justificato, & tolli tantum obligationem sub eundæ pœnæ, quod est falsum, quia culpabilis quamdiu est culpabilis est dignus pœna; non enim fieri potest, ut manente culpa, non maneat dignitas pœnæ. Respondet Calvinus, peccatum originale post baptismum manere quidem, sed non imputari. Sed si quæratur quid sit, peccatum non imputari, respondet nil aliud esse, quàm peccatum verè quidem esse in homine, quatenus habet rationem peccati, non tamen censeri pro peccato: perinde ac si quis verè sit leprâ infectus; & nihilominus ab aliis censeatur à lepra mundatus, & lepra ipsi non imputetur; vel si discipulus vere sit indoctus, & à Magistro, cui nota est illius ignorantia habeatur pro docto; colligitur hujusmodi explicatio ex ipso Calvino lib. 3. Instit. cap. 11. §. 3. ubi agens de imputatione, sicillam explicat: *ut pro justis à Christo censeamur, qui in nobis non sumus.* seu cum non simus justi, à Christo tamen justi censemur; unde peccatum non imputari perinde est, ac peccatum revera esse, ac manere in homine, sed censeri, ac si non esset: seu hominem esse quidem peccatorem, sed censeri à Deo justum; ac si non esset peccator: quod quàm sit falsum, ex eo liquet, quia cum DEUS sit prima veritas, quæ non potest falli, nec nos fallere, non potest de rebus judicare nisi secundùm veritatem; seu nisi prout revera res sunt in se, & non aliter: quia ut scribit Apostolus ad Roman. 2. *Judicium DEI est secundùm veritatem*, Calvinus verò contrarium asserit, scilicet Deum non judicare prout res se habent; siquidem non imputando peccatum, censet peccatores esse justos, immaculatos, quos propterea ut tales suo favore prosequitur, ac dissimulat, tegitque sua peccata ne appareant. Rursus scriptura expresse ait nullam esse societatem lucis ad tenebras, nullam participationem justitiæ cum iniquitate: hanc societatem invehit Calvinus, asserens in homine manere peccatum originale, & justitiam ei à DEO imputatam. Præterea ait Calvinus, peccatum originale nil aliud esse, quàm depravationem, seu corruptionem naturæ, ac concupiscentiam depravatam, ac rebellem rationi, ac pronam ad res illicitas. Verùm hæc sunt effectus peccati originalis ad quod se habent consecutivè, ut & spoliatio donorum supernaturalium; ut docet D. Thomas 1. 2. *quæst. 5. art. 3.* asserens quatuor vulnera naturæ humanæ fuisse inflicta per peccatum primi hominis Adæ, nempe ignorantiam intellectus, malitiam in voluntate, infirmitatem in appetitu irascibili, & concupiscentiam pravorum, ac carnalium in appetitu irascente; causa horum quatuor vulnerum fuit peccatum originale; quamobrem illa pronitas quæ nostris inest potentiis ad res illicitas, & concupiscentia carnis non est peccatum originale ut censuit Calvinus; sed ejus effectus: quia ut superiùs ostendimus peccatum originale est deordinatio voluntatis Adæ, ac transgressio divini præcepti, quam deordinationem contrahunt posteri quatenus voluntates posterorum includebantur moraliter in voluntate primi parentis, quæ deordinatio totaliter deletur per baptismum, quo peccatum originale omnino extinguitur: si igitur peccatum originale tollitur remanente concupiscentia ad illicita, sequitur manifeste peccatum originale non esse concupiscentiam, & pronitatem ad res illicitas, ne idem dicatur simul tolli, & non tolli. Præterea potentiæ animæ per justificationem donantur donis supernaturalibus. Quamvis appetitus sensitivus non acquirat ex se originalem justitiam; intellectus tamen, & voluntas sanantur, hæc per habitus spei, & charitatis, ille per habitum fidei; non tamen ita sanantur, ut omnes concupiscentiæ motus, actusque inordinati sublati sint; sed ut hos motus, & actus possimus coërcere, ad declinandum peccatum mediante divina gratia, quâ Deus non patitur nos tentari supra id quod possumus; hinc DEUS dixit D. Paulo 2. Corinth. 12. *Sufficit tibi gratia mea.* Rursus voluntatem sanari habitu charitatis, & justitia nobis inhærente perspicuum est ex illo Apostol. ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

Rursus ait Calvinus per peccatum originale fieri, ut omnia nostra opera sint immunda, & peccata asserit enim lib. 3. Instit. cap. 1. §. 8. *Peccatum originale hereditaria natura nostra est pravitas, & corruptio in omnes animæ partes diffusa, quæ primum facit nos reos iræ DEI: tum etiam opera in nobis profert, quæ scriptura vocat opera carnis.* Quæ propositio ex eo est falsa quia asserit omnia opera inquinari per peccatum originale: tametsi peccatum hoc efficiat reos iræ divinæ eos, qui nondum per baptismum sunt justificati, & donec lustrali aqua baptismi mundentur, maneat in iisdem peccatum originale, non propterea hoc coinquinat omnia opera quæ fiunt: siquidem ab hominibus infidelibus plura fiunt opera, quæ tametsi meritoria non sint vitæ æternæ coram Deo, sunt nihilominus moraliter honesta, & non

non habent quidquam turpitudinis admixtum, præsertim quando fiunt honesta, & recta voluntatis intentione, ut cum Ethnicus videns hominem extrema laborantem paupertate ei opitulatur per elargitionem pecuniæ, aut aliorum. Præterea quis dicat Obstetrices Ægyptias peccâsse, quando pepercerunt infantibus Hebræorum, quando noluerunt occidere innocentes, quis dicat exercitum Hebræorum Nabuchodonosoris, quando fideliter suo Principi inservivit bello justo contra Tyrum siquidem Nabuchodonosor mercedem accepit à Deo, ait D. Hieronymus: *Ex eo, quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei Judicis præteriri.* Quòd si Deus opera ab Ethnicis, seu existentibus adhuc in peccato originali remuneratur, non sunt opera mala, & Peccata, quæ potius pœnam merentur quàm præmium. Quod Calvinus docent omnes homines injustos esse coram Deo, & omnia eorum opera esse peccata mortalia, & neminem esse justum justitia inhærente liquet ex lib. 2. Instit. cap. 1. §. 8. ubi ait: *Sic omnibus natura nostra partibus vitiati, perversique, jam ob talem duntaxat corruptionem damnati meritò convictique coram Deo tenemur, cui nihil est acceptum nisi justitia, innocentia, puritas*, & §. 9. subdit: *Hinc tantùm breviter attingere volui, totum hominem quasi diluvio à capite ad pedes sic fuisse obrutum, ut nulla pars à peccato sit immunis, proinde quidquid ab eo procedit, in peccatum imputari: sic dixit Paulus: Omnes affectus carnis, vel cogitationes esse inimicitias adversus Deum, & ideo mortem.* Hæc autem doctrina quàm falsa sit ex eo statim deprehenditur, quia Luc. 1. habetur. *Erant autem justi ambo coram Deo*, si justi ergo non infecti peccato, de sene Simeone etiam dicitur, quòd fuerit vir justus. Rursus falsum est omnia nostra opera esse peccata mortalia, id enim adversatur scripturis, etenim Apostolus 1. ad Corinth. 7. scribit: *Si acceperis uxorem, non peccâsti*, quòd si uxorem ducere peccatum non est, ex Apostolo sequitur non esse peccata lethalia omnia nostra opera. Rursus 2. Petr. 1. monemur, bene agere, ut per bona opera nostram faciamus vocationem certam, *satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis. Hoc enim facientes non peccabitis aliquando.* Præterea si omnia hominum opera essent peccata lethalia, inde sequeretur, quod Calvinistæ per peccata justificarentur, quia ipsi putant justificari fide, quæ est opus Dei Joan. 6. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Falsum est etiam, quòd asserit Calvinus nullum esse justum justitia inhærente, id enim opponitur scripturis, ubi Apostolus ad Roman. 5. scribit: *Sicut per inobedientiam Adami peccatores constituti sunt multi; ita per obedientiam Christi justi constituuntur multi.* Quòd si per obedientiam Christi constituuntur homines intrinsecè justi, sequitur justitiam esse donum supernaturale inhærens animæ justæ, etenim si per inobedientiam Adami peccatores ita sunt constituti multi, ut peccatum intrinsecè iisdem inhæreat; si per obedientiam Christi non constituerentur multi justi justitia intrinsecè inhærente plus potuisset efficere inobedientia Adami, quàm obedientia Christi, quod adversatur scripturis, ubi Apostolus ad Roman. 5. scribit: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.*

Dicendum est quintò Legem divinam non esse observatu impossibilem, ut censuit Calvinus lib. 2. cap. 7. §. 5. ubi expressè ait: *Quod autem impossibilem legis servationem diximus, id est paucis verbis explicandum, simul & confirmandum, solet enim vulgò absurdissima sententia videri, ut Hieronymus non dubitaverit anathema illi denuntiare. Quid visum sit Hieronymo, nihil moror.* Eandem rem recoxit Jansenius in suo opere, cui titulus est Augustinus, ubi asserit aliqua Dei præcepta hominibus justis & volentibus, & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, quæ possibilia fiant, quam propositionem Innocentius X. ut temerariam, impiam, blasphemam anathemate damnatam, & hæreticam declaravit, & ut talem damnavit, etenim Jansenius Tom. 3. de Gratia Christi Salvatoris lib. 3. cap. 13. col. 324. editionis primæ Lovaniensis typis Jacobi Zegeri anno 1640. quæ fuit editio approbata à discipulis authoris, ait enim in ipso capitis titulo, quod sibi probandum proponit scilicet *esse quandam voluntatis infirmitatem, qua non potest tentationes superare nec adest gratia, qua superentur, nec spiritus orationis, quo vires impetrentur.* Et cùm id adnixus esset probare postea veluti consectarium infert: *primum quidem esse quædam homini præcepta secundùm statum & vires, in quibus constitutus est, impossibilia. Secundum non adesse semper gratiam, qua possumus, hoc est, qua illa eadem præcepta implere sufficiamus. Tertium hanc impotentiam reperiri non solùm in excæcatis, & obduratis, & infidelibus, de quibus nunquam vel Augustinus, vel Ecclesia, sed solùm scholastici nonnulli ex humanis rationibus dubitârunt, sed etiam fideles, & justi, qui & fidem Christi, & charitatem justitia susceperunt. Quartum hanc impossibilitatem fidelibus accidere non tantùm, quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt:* Hæcque quatuor Consectaria sub finem ejusdem capitis inculcat inquiens. *Hæc igitur omnia plenissimè, planissimeque demonstrant, nihil esse in D. Augustini doctrina certius, ac fundatius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque & justis volentibus conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia: hoc enim S. Petri exemplo, aliisque multis quotidie manifestum esse, qui tentantur, ultra quam possint sustinere.* Ex quibus constat manifestè Jansenium eandem recoxisse Calvini crambem, ac censuisse aliquot Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires esse servatu impossibilia & deesse etiam illis gratiam, qua possibilia fiant, quæ fuit propositio damnata ut blasphema & hæretica ab Innocentio Decimo, & quam etiam Lutherani, aliique docuerunt, Lutherus enim in confutatione rationis Latomian ait: *Tot Scripturæ testimonia probant mandatum esse impossibile nobis, ut nihil sit manifestius.* Joannes Mouhemius dialogo 3. *Nemo quantumvis perfectus præstare potest, quod lex jubet.* Hoc idem docuit Philippus Melanchton in cap. 4. ad Roman. edit. 1. in Apolog. tit. de votis monasticis. Visus est etiam consensisse Luthero, & Calvino, Chemnitius in Exam. Trident. ad sess. 6. can. 4. & 5. *Non sunt frustra præcepta, & si nihil possit liberum arbitrium sine gratia necessitante, quam soli Electi habent.*

Verùm quàm falsum sit, ac hæreticum hoc Calvini, Lutheri, & Jansenii dogma liquet, quia adversatur sacris Scripturis, Conciliis, & sanctis Patribus, etenim Deuter. 30. v. 11. ait Deus: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum: sed juxta te est, sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Quòd si sermo Dei & ejus mandatum est in corde hominis, ut illud adimpleat, jam non est servatu impossibile, ne-

que supra vires hominis facientis, sed juxta ipsum, cui propt.rea vires suppetunt, qu bus possit, si velit, divinum præceptum servare, hinc Christus Luc. 59. v. 21. ait: *Regnum Dei intra vos est*, hoc est in manu, in potestate vestra Tertulliano interprete lib. 4. contra Marcionem cap. 25. Rursus Matth. 11. v. 8. loquens Christus de suis præceptis ait: *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Sin autem præcepta Dei essent servatu impossibilia, jugum Christi non posset portari, seu servari, si igitur jugum Christi suave est, & onus leve Dei præcepta non sunt supra vires hominis, sed juxta, ut possint mediante divina gratia, quæ non deest, facilè servari, unde Apostolus 1. ad Corinth. 10. v. 13. ait: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Si autem nobis injungeret præcepta servatu impossibilia utique nos tentaret supra id, quod possumus, hinc etiam 1. Joan. 5. vers. 3. habetur: *Mandata ejus gravia non sunt*, quòd, si non gravia ergo servatu facilia.

Adversatur etiam Calvini dogma Conciliis, & præsertim Arauxicano II. de gratia, & libero arbitrio, contra Pelagium, quod Concilium fuit coactum sub Felice Papa IV. anno Christi 529. ac deinde à Bonifacio II. confirmatum anno 530. etenim can. 25. post medium habetur, *hoc etiam secundùm fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere:* Sed ad salutem animæ vel maximè pertinet observantia præceptorum Dei, cùm dicat Christus, *si vis ad vitam ingredi serva mandata:* ergo Dei præcepta non sunt observatu impossibilia nec iis, qui inter eos reprobi, & obdurati sunt. Tridentina Synodus sess. 6. cap. 11. etiam expresè damnat dogma hoc Calvini inquiens: *Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet: Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam DEUS impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis.*

Quòd si Deus absolutè ope suæ gratiæ nos adjuvat, ut possimus bene agere, & per bona opera æternam consequi salutem, utique nos adjuvat, ut divina præcepta servemus, ejusque mandata exequamur, consequenter nulla Dei præcepta sunt nobis servatu impossibilia, sed facilia mediante ope divinæ gratiæ, quam Deus munifica sua largitate nobis impertitur. Unde Cnocilium Tridentinum loc. cit. can. 18. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia anathema sit.*

Adversatur itidem dogma Calvinisticum sanctis Patribus, etenim D. Basilius Tom. 1. in orat. attende tibi post init. ait: *Impium est asserere præcepta Spiritus sancti impossibilia esse observatu.* Si impium, ait, est credere Dei præcepta esse observatu impossibilia, pietas, & veritas satis apertè suadent esse servatu facilia mediante ope divinæ gratiæ, quæ non deest, cùm Deus fidelis sit, & non patiatur nos tentari supra id, quod possumus, ut scribit Apostolus 1. ad Corinth. 10. D. Hieronymus Tom. 6. in Matth. sub finem ait: *Sciendum est Christum non impossibilia præcipere sed perfecta:* quia si impossibilia præciperet, injungeret ea, quæ cognosceret non posse ab hominibus servari, proinde transgressio præcepti non posset justè puniri, cùm ad impossibilia nemo teneatur. Rursus D. Hieronymus in expositione fidei ad Damasum ait: *Maledictus, qui dicit Deum impossibilia præcepisse:* quia Tyranni est non Principis Clementis, & benigni leges sancire, quas novit non posse à subditis servari.

D. Augustinus à quo Jansenius gloriatur: suam decerpsisse propositionem eidem expresè adversatur, etenim serm. 191. de tempore sub finem ait: *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in commune posse servari*, hæc verba expresè habentur in editione Parisiensi Nivellii anno 1571. Rursus in Psalm. 56. explicans textum Joan. 15. de dilectione proximi ait: *Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile esse judicaret, ut hoc ab homine fieret, si considerans infirmitatem tuam deficis sub præcepto confortare in exemplo; sed etiam si exemplum ad te nullum est; adest ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.* Tametsi ob naturæ infirmitatem deficiamus sub præcepto non tamen debemus animo cadere, neque credere esse præceptum nobis servatu impossibile, sed fundendæ sunt Deo preces, ut præbeat auxilium, detque suam gratiam, qua si cecidimus resurgamus, & ita imposterum stemus, ne amplius cadamus. Rursus lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 3. sub. init. ait: *Quod si nolumus, non peccamus: nec præciperet Deus homini, quod esset humanæ voluntati impossibile*, si igitur nolentes non peccamus, tametsi gravis nos pulset tentatio ad alicujus præcepti transgressionem, possumus tamen mediante ope divinæ gratiæ eidem obsistere, ut nolentes præceptum non transgrediamur, sed volentes illud adimpleamus, & in eod. lib. cap. 6. sub finem ait: *Dubitare non possum nec DEUM aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum, & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse, ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato adjutus à Deo:* Quod si potest homo, si velit, esse sine peccato; potest, si velit, servare omnia divina præcepta mediante ope suæ divinæ gratiæ adeò ut adjuto à DEO nullum sit divinum præceptum servatu impossibile. Hoc idem Augustinus inculcat de natura & gratia cap. 69. sub init. loquiens: *Eo ipso, quo firmissimè creditur DEUM justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus:* Hoc idem etiam expressiùs adstruit lib. 1. contra Manichæos cap. 3. *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporalium se ad ejus præcepta servanda convertunt, quod omnes homines possunt, si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.* Ex hisce liquet, nullum divinum præceptum esse hominibus volentibus, & conantibus servatu impossibile.

Dicendum est sextò, DEUM non mandare, urgere, & impellere sathanam, ut homines ad peccatum inducat, est contra Calvinum lib. 1. Instit. cap. 18. §. 1. ubi ait: *Scimus sathanam se coram DEO sistere ad excipienda jussa non minus quàm Angelos, qui sponte obediunt, diverso quidem id modo, & fine; sed tamen ne quid aggredi possit, nisi volente DEO.* Et infra: *Ergo quidquid agitent homines vel sathan ipse, DEUS tamen clavum tenet, ut ad exequenda sua judicia convertat eorum conatus. Vult DEUS perfidum Regem Achab decipi: Operam suam offert diabolus ad eam rem, mittitur*

tum

cum certo mandato, ut sit spiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Et nonnullis interjectis subdit: *Ridiculum esse judicem tantum permittere non etiam decernere quid fieri velit, & mandare executionem Ministris.* Hoc idem pluries repetit, & inculcat asserens Sathanam esse DEI ministrum, & ex ejus mandatis homines urgere, impellere ad peccandum, quod quàm impium, & hæreticum sit ex eo statim liquet, quia divinis adversatur Scripturis, etenim Ecclesiast. 15. 21. habetur: *Nemini mandavit Deus impiè agere.* Quòd si Sathan impiè agit, quando ex mandato Dei urget, & impellit ad peccandum, sequitur Deum ipsi injungere impiè agere, proinde falsa essent Scripturæ verba, quòd si tunc impiè Sathan non agat, sequitur incitare ad peccatum, & peccare non esse impium, sed opus bonum: qui enim alium urget ad peccandum etiam ipse peccat, & si impium non est urgere, nec impium erit peccare. Præterea de dæmone ait Scriptura Joan. 8. *Cùm loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax est & pater ejus.* Sed ex sententia Calvini cùm loquitur mendacium non loquitur ex propriis, sed ex Deo, ergo Deus est in dæmone causa mendacii, & ut expressè ait Calvinus: A Deo ipso manat efficacia erroris, & mendacii, unde Calvinus non dæmonem, sed Deum facit Patrem mendacii. Rursus sequitur ex sententia Calvini, mandata Dei esse contraria, siquidem mandat diabolo, ut inducat hominem ad peccatum, & rursus injungit homini ut non peccet, sed resistat diabolo. Præterea sequitur mandata Dei, quibus præcipit peccata, habere efficaciam à Deo, quia suum sæpe sortiuntur effectum, ut asserit Calvinus: mandata verò quibus vetat peccata, & præcipit virtutes non habere efficaciam à Deo, quia non semper effectum habent. Imò ait Calvinus non solum Deum mandare, urgere, & impellere Sathanam ut inducat homines ad peccandum, verum etiam asserit Deum ipsum per se occultà quadam vi incitare, movere, ac necessitare miserè ad omnia vitiorum genera perpetranda, etenim lib. 1. Instit. cap. 18. §. 2. ait: *Quantum ad arcanos motus spectat, quod de corde Regio prædicat Salomo flecti huc, illuc prout Deo visum est ad totum certè genus humanum extenditur, & tantundem valet, ac si dixisset, quidquid animis concipimus arcana Dei inspiratione ad suum finem dirigi. Et certè nisi Deus intus operaretur in mentibus hominum, non rectè dictum esset auferre labium à veracibus, & à senibus prudentiam, auferre cor Principibus terræ, ut errent per devia.* Et nonnullis interjectis loquens de Assyriis subdit: *Unde apparet certâ destinatione Dei impulsos.* Verùm hæc etiam Calvini propositio expressè adversatur Scripturis, in quibus habemus Deum nec per se, nec per alium occulta vi, vel aperta incitare, movere ad peccatum: etenim Ecclesiastici 15. habetur de Deo: *Nemini mandavit impiè agere,* & Jacob. 1. *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Observat D. Augustinus lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 3. duplex esse genus tentationis unum ad probandum, & alterum ad seducendum. De priore genere scriptum est Genes. 22. *Tentat Deus Abraham,* & de secundo Jacobi 1. *Ipse autem neminem tentat.* Unde hæc sententia D. Augustini Deus neminem tentat ad seducendum, seu excitando ad peccatum, sed tantùm ad probandam virtutem, quo pacto dicitur tentâsse Abrahamum ad sumendum experimentum de illius obedientia, quinimò non solùm Deus non nos excitat, ut peccemus, sed ne peccemus, dat suam gratiam, ut scribit D. Paulus 1. Corint. 1. *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis,* ac si diceret tantùm abest, ut Deus vos tentet, & incitet ad peccatum, ut ne patiatur quidem vos tentari, & suam vobis elargitur gratiam, ut possitis tentationi obsistere. Præterea Deus Jerem. 19. ait: *Ædificaverunt excelsa Baalim, quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* Quæri potest, num Judæi quando Idola erexerunt falso Numini id præstiterint Deo incitante, impellente, ac necessitante? si id asseratur, ergo falsa est Scriptura id negans: Si negetur; ergo falsum est Calvini dogma, cùm asserat Calvinus, Deum per se occulta quadam vi incitare, movere, necessitare miserè ad omnia vitiorum genera perpetranda; consequenter etiam ad idololatriam. Neque obstant, quæ ex Sacris Scripturis objiciunt Calvinistæ, ex quibus colligunt, Deum instigare ad peccatum 2. Reg. 16. *Dominus præcepit Semei, ut malediceret David.* Et 2. Reg. 24. *Commovit Dominus David dicens, vade, numera Israel, & Judam.* Et Ezech. 14. *Ego Dominus decepi Prophetam illum.* Et 2. ad Thessal. 2. *Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Et David Psal. 43. *Declinasti semitas nostras à via tua.* Et Psal. 104. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus.* Et Joan. 13. dixit Christus Judæ proditori: *Quod facis fac citius.* Respondetur, Deum circa peccata hominum plura facere, ex quibus citatæ Scripturæ textus explicandi sunt. Primò dicitur facere quatenus non impedit conatum eorum, qui perperam operari sunt parati. Secundò quatenus denegat illis speciale auxilium gratiæ, quo carentes non obsistunt tentationi concupiscentiæ, & in peccatum delabuntur: unde Deus non positivè præstando positivum concursum dicitur peccata facere, sed negativè non dando auxilia gratiæ, vel substrahendo quam dederat gratiam. Tertiò quatenus permissivè se habet ad peccatum. Quartò quia persæpe Deus præbet homini occasionem boni, qua ipse abutitur ad malum. Quintò quatenus peccata impiorum dirigit ac ordinat ad salutem electorum.

Respondent Calvinistæ, Deum excæcare, ac obdurare reprobos, ut nec credere possint Evangelio, nec de peccatis dolorem concipere; ait Calvinus lib. 1. Instit. cap. 14. §. 2. *Sed nihil clarius potest desiderari, quàm ubi toties pronunciat, se excæcare hominum mentes, ac vertigine percutere, spiritu soporis inebriare, incutere amentiam, obdurare corda;* & infra ait: *Dicitur Sathan excæcare infidelium mentes: sed unde hoc, nisi quòd à Deo ipso manat efficacia erroris.* Et lib. 3. cap. 23. §. 14. ait: *Si non creditis ideo fit, quia jam divinitus exitio destinati estis.* Sed hæ propositiones impiæ, ac hæreticæ sunt. Pro earum explicatione juvat observare cum D. Thoma, excæcationem seu obdurationem duobus modis sumi posse. Primò pro ipso peccato, quo resistitur vocationi, aut motioni Dei. Secundò pro subtractione gratiæ, quâ fit, ut homo permittatur obdurari in malo, ac resistere divinis inspirationibus. Si sumatur excæcatio priori modo pro peccato, certum est, Deum non esse causam illius; quia ut superius ostendimus Deus non est causa peccati. Sin autem excæcatio sumatur posteriori modo, sive per negationem gratiæ, vel subtractionem ejusdem, & uberioris auxilii denegatum incrementum; in hoc sensu Deus dici potest excæcare, & esse causa excæcationis; quia plerumque Deus in pœnam præcedentium peccatorum denegat uberiora gratiæ auxilia, vel subtrahit quæ dederat, non quòd DEUS deserat totaliter hominem; sed quia hic uberiori gratiæ auxilio destituitur. Hâc præmissâ explicatione facilè conciliantur plura S. Scripturæ loca, quæ alioquin viderentur inter se pugnare. Ea Scripturæ loca, quæ homini adscribunt excæcationem, intelliguntur de

excæcatione sumpta pro peccato, quia hoc tribuitur soli homini deficienti non Deo efficienti, ut etiam excæcatio, & obduratio, qua Deo inspiranti resistit homo; seu sciens, & volens resistit divinæ vocationi, in quo sensu dicitur Psal. 99. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*, scilicet nolite divinæ vocationi obsistere, sed eidem obtemperare: unde infra dicitur: *Semper hi errant corde, ipsi verò non cognoverunt vias meas*, seu non sunt ingressi vias mandatorum Dei, quia detrectarunt parêre Deo vocanti. In eodem sensu intelligitur illud Jerem. 5. *Domine percussisti eos, & non doluerunt; attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: Induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti.* Et illud Actor. 7. *Dura cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus: vos semper Spiritui S. resistitis.* Et illud Apostoli ad Rom. 2. *Secundùm duritiem tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram*: Ex quibus constat, excæcationem, quatenus pro peccato sumitur non solùm homini esse adscribendam; verùm etiam in hominis voluntatem refundendam, adeo ut sit in potestate hominis eam non ponere; non enim Deus reprehenderet hominem excæcatum, & obduratum nisi in ejus potestate esset eam non ponere: neque Deus hominem hortaretur ne se obduret, si à solo Deo esset efficacia obdurationis. Præterea Deus vocat ad se omnes quos reficiat Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Si omnes vult reficere, quos ad se vocat neminem excæcat, neminem obdurat, alioquin ad ipsum non possent venire. Hinc Spiritus S. in Apocalypsi 2. ait: *Ego sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit mihi introibo ad eum.* Non pulsaret si obduraret, quia esset illis impedimento ne aperirent. Unde manet in potestate hominis Deo vocanti obsequi, ejusque vocem sequi vel non sequi. Id explicat D. Augustinus exemplo Pharaonis, & Nabuchodonosoris; quorum alter suâ voluntate emollitus est, alter sua pertinacia mansit obduratus: ait S. Augustinus lib. de Prædestinatione, & gratia cap. 15. *Quantum ad naturam ambo homines erant: quantum ad dignitatem ambo reges, quantum ad causam ambo captivum populum Dei possidentes: quantum ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti, Quid ergo fines eorum fecit esse diversos, nisi quod unus manum Dei sentiens, in recordatione propria iniquitatis ingemuit; alter libero arbitrio contra Dei misericordissimam veritatem pugnavit.* Alia Scripturæ loca, quæ Deo tribuunt excæcationem & obdurationem intelligenda sunt, quatenus Deus subtrahit suam gratiam, ac permittat, hominem excæcari in malo, ac in illo obdurari, adeo ut Deus non positivè excæcet, & obduret hominem incitando, movendo, impellendo ad peccatum ut voluit Calvinus; sed tantùm negativè per subtractionem suæ gratiæ, & permissionem lapsûs, adeo ut excæcatio, & obduratio sumatur pro subtractione seu denegatione auxilii divini, quæ per modum pœnæ à Deo infligitur, ut Exod. 7. *Ego indurabo cor Pharaonis.* Deuter. 2. *Induraverat Dominus spiritum Sehon.* Isaiæ 6. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava.* Isaiæ 63. *Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis; indurasti cor nostrum ne timeremus te.* Ad Rom. 4. 1. *Tradidit eos Deus in reprobum sensum.* Ad Rom. 9. *Cujus vult miseretur, & quem vult obdurat.*

An verò præcitata Scripturæ testimonia possint intelligi de sola, & simplici subtractione gratiæ, quatenus Deus præcisè denegat homini suam gratiam, quem propterea deserit; adeo ut hæc sola, & præcisa denegatio gratiæ dicatur hominis obduratio est quæstio inter Theologos Catholicos, qui respondent, DEUM circa peccata hominum plura facere, quorum primum est non impedire eorum conatum, qui parati sunt malè agere, seque præcipites dare in aliquod vitium, quod præcipitium posset DEUS impedire ne contingeret, impertiendo suam gratiam, qua destinarentur à lapsu. Secundum, subtrahere auxilia suæ gratiæ, quibus destitutus homo facilè corruit; & nova perpetrat peccata, in quibus obduratur, idque in pœnam præcedentium peccatorum, quibus meruit peccator divinis auxiliis privari, in quo sensu dicuntur in Scriptura peccatores despecti, derelicti, & projecti à DEO Psal. 81. *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum.* Act. 14. *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas* Eccles. 7. *Nemo potest corripere, quem Deus despexerit.* Psal. 50. *Ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum, ne auferas à me*, hoc est gratiam tuam, quæ est Spiritus, quo vivimus, ne subtrahas à me; in quo sensu Augustinus Epist. 105. ad rem nostram ait: *Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam:* Non tamen DEUS ita peccatorem deserit, cum subtrahit ei suam gratiam ob præcedentia peccata, ut omnem gratiam illi deneget; id enim dici nequit, cùm dicatur ipse stare ad ostium, & pulsare corda nostra, & ad se invitet omnes etiam peccatores: *Ego sto ad ostium, & pulso, venite ad me omnes, qui onerati estis:* Sed tantùm negat majora, atque uberiora gratiæ suæ auxilia, quæ si impertiret, facilius peccatores resipiscerent juxta illud Matth. 21. *Si in tyro & sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent.* Tertium tolerare impios patientia, & longanimitate, ac quasi dissimulare eorum peccata, & non procedere ad promeritam punitionem; sed peccantes expectare ad pœnitentiam, quo fit, ut magis in suis peccatis obdurentur, ut scribit D. Paulus ad Roman. 2. *An divitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: Secundùm autem duritiem tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & justi judicii Dei*, apertè declarat Apostolus propter nimiam DEI longanimitatem multos fieri corde duros, & impœnitentes & ad peccatum confidentiores, in quo sensu dixit Job 24. *Dedit ei Dominus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam.* Quod etiam indicatur Ecclesiast. 8. *Quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Quartum ita interius flectere impiorum voluntates, ut tametsi vitio proprio malæ sint, à divina nihilominus providentia ad unum potius malum quàm aliud non tamen positivè, sed permissivè ordinentur, ut si videat Deus hominem sua sponte paratum ad detrahendum alteri honorem permittit, ut honori unius detrahat non alterius, in quo sensu dixit Hugo à Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis p. 5. cap. 29. *Deum malis voluntatibus non dare corruptionem, sed ordinem*, eò quia cùm jam proprio vitio sint corruptæ, & propensæ ad peccata permittit Deus in uno non in alio delinquere, quod est dare ordinem malis voluntatibus non verò corruptionem, seu ipsa peccata, quæ Deus licet permittat, non tamen vult positivè. Quintum persæpe offerre homini peccatori occasionem alicujus boni operis exercendi, qua tamen occasione ipse abutitur ad malum: quia sicut bonus vir omnia vertit in bonum, ita malus æquè bona, ac mala vertit in suam perniciem, & sicut de bonis ait Apostolus ad

Rom.

Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ſeu in propriam utilitatem, ac ſalutem, ita de malis dicitur Sapient. 14. *Creatura Dei in odium facta ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium*, eodem pacto, quo in deſerto manna quamvis ſuaviſſimi eſſet ſaporis, ac bonis ſaperet, malis tamen erat inſipidum, qui propterea faſtidiebant cibum leviſſimum, unde quod uni vertitur in utilitatem, alteri contingit in perniciem: Miracula, quæ ſolent animos flectere ad meliorem frugem Pharaonem efficaciorem, ac duriorem effecerunt. cùm Hebræi ad credendum DEO, ejusque nuntio Moyſi promptiores effecti fuerint. Et in hunc ſenſum ait Auguſtinus lib. 5. contra Julianum cap. 3. dicitur Deus corda indurare non ſolùm per patientiam, & permiſſionem, verùm etiam per potentiam, & actionem? eò quia plura agat circa hominem induratum, cui plura impertitur beneficia, quibus ille fit deterior. Solet miſericors DEUS in peccatore varios excitare effectus ſpei, fiduciæ, cupiditatis, timoris, triſtitiæ, immittit ſomnia, & perplexas cogitationes: procurat admonitiones, correptiones, flagella, beneficia, & miracula. Verùm peccator pronior ad malum hiſce omnibus beneficiis abutitur in propriam perniciem, amplectendo quæ mala ſunt, & contemnendo quæ bona. Sextum eſt uti peccatis impiorum ad ſalutem electorum inſtar medici, ut ait D. Baſilius: Qui non facit venenum viperæ, ſed eo utitur ad ſanitatem corporum curandam, & conſervandam: Hinc Geneſ. 50. *Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum ut exaltaret me.*

CAPUT II.

Refertur, & refellitur Calviniſtica prædeſtinatio.

Ex eo, quòd Calvinus Authorem conſtitueret peccati, ac aſſeruerit homines ex neceſſitate non propria libertate peccare in alios plures prolapſus eſt errores circa prædeſtinationem hominum. Vult enim DEUM æterno ſuo decreto quoſdam homines ad vitam æternam prædeſtinare, & alios ſuppliciis addicere gehennæ abſque eorum merito, & culpa, nec ex alia cauſa niſi quia ipſi ita placuit. Et hoc decretum adeo eſſe immutabile, ut tollat omnem arbitrii noſtri libertatem in negotio prædeſtinationis, ac reprobationis, nec ullo modo in noſtra ſit poteſtate ſalvari aut damnari, ſed inevitabili quâdam neceſſitate ii ſalventur, qui ſalutem conſequentur, & illi pereant, qui æternis torquentur ſuppliciis. Verùm ut hoc decretum executioni demandetur, ſeu ut prædeſtinati ſalventur, & reprobi pereant aſſerit Calvinus hanc ſervatam eſſe à DEO rationem, quia abſolutè voluit, & ordinavit, ut Adam cum tota ſua poſteritate peccaret, ut inde occaſionem ſumeret exercendi ſuam juſtitiam circa reprobos, & miſericordiam circa prædeſtinatos, ſeu electos, deinde cùm æquè omnes homines eſſent in maſſa perditionis aſſerit prædeſtinatis dediſſe Chriſtum Redemptorem, qui electos ab illa maſſa perditionis extraheret, & ad gloriam pertraheret, ad quam ante erant præordinati, & cenſet reprobos reliquiſſe ſine Redemptore, eò quia jam pridem eos morti devoviſſet, adeo ut Chriſtus nonniſi pro electis mortuus fuerit, ac ſolis prædeſtinatis detur fides in Chriſtum, quam deperdere nequeunt: & reprobi ad fidem nunquam vocentur, niſi fortaſſis externa voce, nec habeant ſufficientem gratiam, qua ſalvari poſſint etiam ſi velint: ex quo fit fieri ut ſoli prædeſtinati ſint in Eccleſia Dei per fidem adſcripti, & reprobi à fide excludantur. Rurſus quod prædeſtinati, quamvis peccent, eorum tamen peccata à DEO non imputentur: reprobi verò incitentur à DEO ad peccandum, ut damnari poſſint, quapropter nullum peccatum illis unquam remittitur. Hæc eſt tota doctrina, quam Calvinus circa prædeſtinationem ſuis tradidit Diſcipulis, vel potius eſt coacervatio quædam errorum, quos jam Eccleſia in variis Conciliis damnaverat, una congeſſit, & ex antiquarum Hæreſum putridis reliquiis malitioſè ſuam paravit cœnam. Ex qua doctrina Calvini aſſeclæ conſueverunt argumentari: vel ſum prædeſtinatus à Deo, vel reprobatus: Si prædeſtinatus procul dubio ſalutem ero conſecuturus ſive bene ſive perperam agam: ſi reprobatus quidquid egero neceſſariò damnabor, nec poſſum contra DEI decretum obniti, neque illud immutare: ergo quid aliud mihi ſupereſt, quàm ut fruar mundi voluptatibus, indulgeam meis concupiſcentiis, & quamdiu vixero indulgeam meo ſenſui ac appetitui, quia neque obeſſe poſſunt prædeſtinato vitia, & peccata, quæ pari vero neque prodeſſe reprobo ſaltem in hac vita. Hoc dilemate Calviniſtæ ſibi amplam ad vitiis indulgendum viam ſternunt, & abſque ullo obſtaculo vias percurrunt perditionis. Verùm hoc dilema nullius eſt momenti, nec ponderis, etenim potuiſſet ſtatim hoc aliud objici Calvino, vel tu es prædeſtinatus ut hodie moriaris, vel non: vult enim Calvinus id DEUM decreviſſe ab æterno, & DEI decretum eſſe immutabile & fixum, adeo ut impoſſibile ſit non evenire in tempore ſicut DEUS decrevit ab æterno. Si igitur Deus non decrevit ab æterno, quod tu moriaris hodie, tametſi ex præalta turri te in imum terræ præcipites, non morieris; Sin autem decrevit te moriturum hodie, quidquid egeris, morieris, cùm non poſſis fruſtrare divinum decretum, ergo da nobile ſpectaculum tui ipſius, & in confirmationem tuæ doctrinæ hoc age miraculum, aſcende ſummum hujus præaltæ turris faſtigium, ut inde te inſanus præcipites, tanto hoc miraculo, quod non moriaris plurimum authoritatis tua obtinebit doctrina. Adhæsiſſetne Calvinus huic ſermoni, dediſſetne ſui ipſius hoc ſpectaculum? egiſſetne tantùm miraculum? non puto in talem voluiſſe dementiam delabi. Decrevit quidem DEUS ſalutem æternam prædeſtinatis, ſed ſi bene egerint, ſi vitia declinaverint. DEI decretum quamvis æternum, & ſubjectivè abſolutum, eſt tamen objectivè conditionatum, ut docent cum Divo Thoma 1. *contra gentes cap.* 86. ferè omnes Thomiſtæ; & cum Scoto *in* 1. *diſtinct.* 41. *quæſt.* 1. Scotiſtæ & alii, quia ſi in voluntate humana dantur de facto plures actus ſubjectivè abſoluti, & objectivè conditionati, eò quia non tendant in objectum niſi ſuppoſitis quibusdam conditionibus, & in modo tendendi in objecta nulla involvatur imperfectio, rectè intelligun-

tur

tur hujusmodi decreta absoluta ex parte actûs, & conditionata ex parte objecti esse in DEO: Siquidem quidquid convenit voluntati creatæ, si non involvat imperfectionem vel præcisum à quolibet defectu potest divinæ convenire. Quòd verò hic actus absolutus ex parte subjecti, & conditionatus objectivè, conveniat voluntati creatæ liquet ex votis sub conditione elicitis: talia enim vota obligant completa conditione, adeo ut eo ipso, quòd conditio impletur votum obliget, quia licèt votum includat actum intellectûs, supponit tamen actum voluntatis, & propositum adimplendi promissum. Rursus constat etiam ex contractibus, qui fiunt ex mutuo contrahentium consensu, quorum plures conditionati sunt: Siquidem contractus emptionis, & venditionis plerumque fiunt sub aliqua conditione, in quo sensu contrahentes de facto obligantur, & habent voluntatem se obligandi, dummodo purificetur conditio qua purificata, manent obligati, quæ obligatio non stat absque actu voluntaris elicito in ipsa Celebratione contractus, unde dantur in voluntate humana hujusmodi actus subjectivè absoluti, & conditionati objectivè. Quòd verò in hisce actibus vel decretis subjectivè absolutis, & objectivè conditionatis nulla involvatur imperfectio, ac propterea sint ponendi in DEO, ex eo liquet, quia de facto voluit DEUS Incarnationem Verbi, si Adam peccaret, ut docent communiter Thomistæ cum Divo Thoma, adeo ut hæc conditio fuerit aliquo modo ratio, cur DEUS voluerit Incarnationem Verbi: pari pacto quos Deus ab æterno prædestinavit ad æternam salutem, hoc DEI decretum licèt absolutum ex parte DEI, est tamen conditionatum ex parte hominum, quia enim DEUS prævidit eos bene acturos, ac posituros media proportionata ad consecutionem salutis, ideo DEUS eos prædestinavit ad salutem, ut è contra quia prævidit reprobos non posituros hæc media eos ad supplicia destinavit, idque explicatur historiola, quam refert Cæsarius. Cùm Ludovicus Landgravius propter vivendi licentiam nimis laxam à viris religiosis moneretur, ut vitam emendaret, mores corrigeret, & vitiis non amplius indulgeret, sed ex corde resipisceret, antequam inopina morte præveniretur; ipse respondit religiosis illis, si prædestinatus sum nulla peccata, nec vitia poterunt mihi esse impedimento, quin sim salutem consecuturus, quia DEI decretum est immutabile: sin verò reprobus sim, bona opera non possunt mihi prodesse, neque resipiscentia quidquam afferre solatii. Et noluit sinere se suaderi à viris illis religiosis, quos à se expulit. Sed Ludovicus non paulò post in gravem ac lethalem morbum incidit, & febri æstuante, ac maligna correptus statim Medicum ad se vocavit, qui præmonitus à religiosis egregiè retorsit argumentum, quod Ludovicus religiosis objecerat. Cùm primum Medicus cubiculum fuit decumbentis ingressus dixit frustra Domine mi vocas me, quia si venit mortis tuæ hora, & DEUS decrevit ab æterno, ut ex infirmitate sis moriturus, non indiges mea opera, quia ego non possum DEI decretum immutare. Sed Ludovicus iterum instetit, rogavitque enixim Medicum, ut in tanto periculo constitutum juvaret: Tune Medicus si putas vitam corporis posse conservari adhibita medicina, cur similiter non credis posse vitam animæ juvari pharmaco pœnitentiæ, & opportuno resipiscentiæ remedio? si non obstante DEI decreto tu petis à me juvari, & media vis adhiberi; quibus valeas salutem corporis conservare; cur non obstante eodem decreto non adhibes media necessaria, ut conserves salutem animæ: hâc retorsione Medicus persuasit Landgravio vitam emendare, & per veram resipiscentiam saluti animæ serió consulere. Perinde Theologi respondent dilemati, si prædestinatus sum, seu si à DEO ordinatus sum ad vitam æternam per certa media, quæ in mea sunt potestate consequendam: Certò consequar vitam æternam: dummodo media illa adhibuerim: DEUS enim habet ab æterno decretum absolutum ex parte actus prædestinandi ad gloriam æternam electos, si adhibuerint illa media, quæ necessaria sunt ad illam consequendam, sitque propterea decretum hoc conditionatum ex parte hominum. Rursus si sum reprobatus, seu à Deo ordinatus ad supplicia gehannæ propter mea peccata quæ liberè, & ex malitia sum commissurus procul dubio damnabor, si illa peccata perpetravero, & ab iisdem non abstinuero. Hæc est solutio, quæ mentem tranquillat, & Calvinistarum dilema solvit.

Dicendum primò Deum æterno suo decreto nullum hominem prædestinâsse ad vitam æternam vel mortem absque ullo merito vel culpa, adeo ut quos prædestinavit ad vitam præviderit posituros media opportuna, ac rectè operaturos, & quos destinavit ad supplicia æterna malè acturos, ac plura peccata congesturos. Calvinum docuisse DEI decreto alios ad vitam, & alios ad mortem prædestinatos esse citra ullum eorundem meritum, & emeritum liquet, quia Calvinus lib. 3. Instit. cap. 21. §. 5. ait: *Prædestinationem vocamus æternum DEI decretum, quod apud se constitutum habuit, quid de unoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes, sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam, vel ad mortem prædestinatum dicimus.* Et §. 7. circa finem. *Quod ergo Scriptura clarè ostendit dicimus æterno, & immutabili consilio DEUM semel constituisse, quos olim assumere vellet in salutem, quos rursum exitio devovere. Hoc consilium quoad electos, in gratuita ejus misericordia fundatum esse asserimus, nullo humana dignitatis respectu, quos verò damnationi addicit, his justo quidem & irreprehensibili, sed incomprehensibili ipsius judicio vita aditum præcludit.* Et cap. 22. §. 3. ait: *Ubicunque verò hoc regnat DEI placitum nulla in considerationem veniunt opera.* Et §. 11. *Si non possumus rationem assignare cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam illi ita placet, neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quàm ejus voluntatem.* Et cap. 23. §. 1. *Minimè consentaneum est præparationem ad interitum aliò transferre, quàm ad arcanum consilium DEI.* Ex quibus apertè constat, Calvinum docuisse æterno DEI decreto quosdam homines esse ad æternam gloriam prædestinatos citra ullum ipsorum meritum, & alios ad æterna supplicia esse destinatos absque ullo eorumdem demerito, adeo ut Calvini propositio duas includat partes, unam de æterna electione prædestinatorum ad gloriam citra ullum ipsorum meritum, & alteram de destinatione reproborum ad æterna supplicia absque ullo eorundem demerito. Quod potest dupliciter intelligi. Primò DEUM ab æterno ante prævisionem peccati originalis ex toto humano genere adhuc integro quosdam elegisse ad vitam; & quosdam destinâsse ad æternas supplicia

sine

sine ulla eorundem vel primi parentis culpa. Secundò potest intelligi DEUM post prævisionem peccati originalis cum jam corruptum esset humanum genus, & veluti massa quædam deperdita, quosdam ex sola sua misericordia elegisse ad gloriam, ac effecisse vasa in honorem; alios verò reliquisse in massa perditionis, ut essent vasa in contumeliam absque ulla propria & personali culpa; non tamen sine culpa originali, & protoparentis. Propositio in priori sensu intelligitur à Calvino, probatur, & propugnatur assertum, quia si electio facta sit ante prævisionem peccati originalis, utique facta est ante decretam Christi incarnationem, consequenter non potuit facta esse in Christo, & in Christi meritis fundari. Atqui Calvinus asserit merita sanctorum fundari in Christi meritis, unde non potest hic evadere, quin sibi contradicat, siquidem lib. 3. Instit. cap. 24. §. 5. fatetur, nos in Christo electos esse, & *lib. 2, cap.* 12. §. 4. expressè asserit: Christum non fuisse venturum in carne nisi Adam peccâsset, nec alio fine in hunc mundum venisse, quàm ut perditis hominibus succurreret, ex quo sequitur fuisse priùs prævisum peccatum Adæ, quàm decretam Christi incarnationem, consequenter si electio ad vitam facta est ante prævisum peccatum, ut censet Calvinus, multò magis ante decretam Christi incarnationem, proinde electio ad vitam non fundatur in meritis Christi contra ipsum. Præterea docet Calvinus parvulos decedentes sine baptismo salvari in fide parentum; sed si decretum prædestinationis fuit ante prævisam Verbi incarnationem, quomodo possunt esse prædestinati, ac salvari in fide parentum, si nondum fides de Christo supponitur haberi. An filii fidelium salvantur, & filii infidelium pereunt? id necesse est sequatur in doctrina Calvini. Deinde sequitur necessariò Deum in electione parvulorum fidelium habuisse aliquem respectum ad fidem parentum; quod si hoc est, quomodo asserit prædestinationem electorum factam fuisse absque ullo intuitu ad opera.

Præterea si Christus promeruit nostram prædestinationem non fuit hæc facta ante prævisum peccatum originale; sed Christus promeruit nobis nostram prædestinationem: ergo non fuit hæc facta ante prævisum peccatum originale. Major est certa in sententia asserentium, quod si Adam non peccasset, verbum divinum nostram non suscepisset humanitatem, adeout peccatum Adæ fuerit occasio verbo divino assummendi nostram humanitatem. Minor facile evincitur ex scripturis ad Ephes. 1. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo, sicut elegit nos in ipso, ut essemus sancti* & infra expressiùs ait Apostolus. *Prædestinavit nos in adoptionem Filiorum Dei per Christum:* & communiter SS. Patres hoc docent, præsertim Augustinus lib. 1. de Prædest. sanct. cap. 17. & lib. de Correptione, & gratia cap. 4. Div. Athanasius serm. 5. contra Arianos prope finem, & alii explicantes *in ipso, & per ipsum* ut significent causam; asserentes Christum meruisse nostram prædestinationem; adeout per Christum, & in Christo simus prædestinati. Quòd si dicas ex verbis Apostoli tantùm deduci, Christum meruisse nobis electionem ad gratiam justificantem, & ad filiationem adoptivam, non verò nostram prædestinationem absolutè, eo quia non meruit auxilia gratiæ, quæ præcedunt justificationem. Contra est quia D. Paulus absolutè loquitur, & ait Christum meruisse nobis omnem benedictionem spiritualem, & cum Apostolus non limitet benedictionem, non potest intelligi de sola benedictione per gratiam sanctificantem, quæ constituit homines filios Dei adoptivos: sed intelligenda sunt verba Apostoli de quacunque benedictione, quâ disponimur ad filiationem adoptivam, seu de quocunque auxilio gratiæ, ut D. Ambrosius explicat verba Apostoli inquiens: *Omne donum gratiæ Dei in Christo est, & si quis spreto Christo benedici se à Deo putat errare se sciat.* Præterea si Apostolus ibi excluderet aliquam dispositionem præcedentem gratiam sanctificantem, maximè excluderet vocationem, quæ est prima gratia: hanc autem non excludit, quia in eodem capite expressè asserit, primam vocationem intrinsecam provenire in nobis ex meritis Christi, verba Apostoli sunt: *In quo fortè vocati sumus* scilicet in Christo. Unde Concilium Trident. sess. 6. cap. 5. *Declarat præterea ipsius justificationis exordium in adultis à Deo per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione.* Ratio etiam id suadet, quia causa producens formam producit etiam dispositiones ad formam: sed vocatio & prima gratia & dispositio ad quasi formam prædestinationis, & ad gratiam sanctificantem: ergo eo ipso quòd Christus nobis promeruit formam justificationis, & prædestinationis, nobis etiam promeruit primam vocationem, & gratiam. Non tamen per illas particulas in Christo, & per Christum intelligimus causam efficientem physicam, sed moralem nostræ prædestinationis.

Secunda pars propositionis Calvini, quâ asseruit, Deum æterno, ac immutabili decreto quosdam destinasse ad mortem, & æterna supplicia absque ullo respectu ad eorum demerita, & peccata est impia, & hæretica. Quia Deus quantum est ex se omnes quotquot condidit homines, eritque conditurus non vult perire, sed æternam consequi salutem, & ad hunc finem illos condit, & Joan 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* quæ verba expendens D. Augustinus tract. 2. in Joan. ait: *opus est, ut non recedas ab eo, qui nusquam recedit, opus est ut non deseras, & non desereris; noli cadere, & non te occides; si tu feceris casum, ille tibi facit occasum; si tu stas, præsens est tibi;* & in Psal. 102. *in hunc sensum expendit verba Christi* Matth. 6. *Oriri facit solem suum super justos, & super peccatores, vocat undique ad correctionem, vocat ad pœnitentiam, vocat impertiendo tempus vivendi.* Hoc idem firmatur ex illo Christi Matth, 11. *Venite ad me omnes* quibus verbis Deus omnes ad se vocat, neminem excludit, excipit neminem. *Quoscunque inveneritis vocate ad nuptias.* Hinc Sapientia Proverb. 1. *Clamitat in plateis convertimini ad correptionem meam. En profero vobis spiritum meum:* ubi D. Augustinus lib. 83. quæst. *Nec illi qui voluerunt venire, alteri debent imputare, sed sibi tantùm, quoniam ut venirent, vocati sunt.* Unde DEUS quantum est ex se sincere statuit totum humanum genus condere ad æternam felicitatem, & eò omnes perducere, si ipsi non fuerint sibi impedimento. Neque DEUS obligare voluit hominem ad pœnam mortis nisi divino præcepto rebellis esset. Neque magis decevit ostendere suam justitiam, quàm misericordiam. Præterea quòd Deus quantum est in se velit omnes homines condere propter vitam, & gloriam æternam probant Sancti Patres ex illo Genes. 1. *Creavit DEUS hominem ad imaginem, & similitudinem suam.* Hanc imaginem, & DEI similitudinem plerique Patres ita explicant, ut per imaginem intelligantur dona naturæ, seu intellectus, & voluntas, memoria, & liberum arbitrium: per similitudinem verò dona gratiæ, ut justitia, sancti-

tas, innocentia; & etiam Calvinus pro eodem usurpant. Verùm si usurpemus id, in quo omnes conveniunt, utroque vocabulo non solùm dona naturæ; sed etiam gratiæ comprehenduntur: proinde nihil aliud est, hominem esse conditum ad imaginem, & similitudinem DEI, quàm in prima sui creatione, cum intellectu, voluntate, & libero arbitrio fuisse præditum; & insuper ornatum gratia, virtute, sanctitate, ut hisce præsidiis roboratus vitam æternam si velit, possit consequi; neque hoc de solò primo Parente intelligitur, sed etiam de singulis posteris; qui in Ipso veluti in capite, ac radice totius humani generis continebantur. Unde tota posteritas in prima sui origine, ac ortu ad æternam felicitatem à creatore fuit destinata; & nullus ad mortem, ac interitum ante lapsum primi parentis ordinatus: hæc ratiocinatio clara est, cui etiam assentitur Calvinus lib. 1. Instit. cap. 15. §. 4. contra Osiandrum ubi ait: *Sub imagine ad quam conditus est homo comprehendi quidquid ad spiritualem, & æternam vitam spectat* ex lib. 2. Instit. cap. 1. cum plura dixisset de fine ob quem conditus fuit homo, seu ob æternam salutem postea §. 7. ait: *Ornamenta illa quibus præditus fuit Adam, non uni homini data fuisse, sed universæ hominis naturæ attributa*; quid aliud ex hisce verbis colligi potest, quàm Calvinum censuisse, totum humanum genus in Adamo fuisse conditum ad æternam salutem; an non sibi contradicit cum postea asserit lib. 3. Instit. cap. 22. & sequent. DEUM primaria, & antecedente voluntate quosdam ad interitum, & æterna supplicia destinâsse sine ullo ad eorundem demerita, & peccata respectu? Nec mirum: quia cum docuit, DEUM condidisse homines propter æternam fœlicitatem; oppugnavit Osiandrum, Servetum, & alios ejusdem furfuris hæreticos, quos convincere non poterat nisi per doctrinam Catholicorum. Quando verò docuit, DEUM nullo habito respectu ad propria demerita, & peccata, quosdam destinâsse ad supplicia æterna, impugnabat Catholicos asserentes, DEUM neminem destinare ad interitum, & æterna supplicia nisi ob propria demerita, & peccata.

Præterea Apostolus sæpe nos serio monet, ut per Christum reformemur ad imaginem illius status, ex quo per peccatum Adæ primi parentis excidimus: atqui per Christum reformamur justitia, & sanctitate in vitam æternam: ergo status humani generis ante prævaricationem Adæ fuit status sanctus ordinatus ad vitam æternam ait D. Paulus ad Ephes. 4. *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm DEUM creatus est in justitia. & sanctitate veritatis:* non enim quid aliud est renovari, quàm ad pristinam novitatem redire; prima autem hominis novitas fuit status innocentiæ; & hanc novitatem amisimus ob peccatum primi parentis; ideoque nos monet Apostolus, ut renovemur, seu redeamus ad statum innocentiæ, & sanctitatis, ad statum in quo omnes ad cælestem destinabantur felicitatem; tunc enim in protoparente eramus novi animo, & corpore, scilicet animo sancti, innocentes, ac divinæ participes amicitiæ, ac Filii DEI adoptivi; & corpore immortales, incorruptibiles; hanc novitatem tunc amisimus cum Protoparens Adam illectus dulcedine pomi divinum maluit transgredi præceptum, quam fœminæ suadenti esum pomi displicere; quapropter nos hortatur Apostolus, ut satagamus primævam illam novitatem recuperare. Modum quo debeamus renovari præscribit, cum nobis suadet, ut induamus novum hominem objicientes veterem, peccatis coinquinatum scribit enim ad Coloss. 3. *Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum.* Vetus homo est Adam qui nos peccato infecit; novus est Christus, qui nos refecit, & mundavit à peccato: ergo satis apertè constat, DEUM ante prævisum Adæ peccatum, nullum destinâsse ad mortem, & æterna supplicia, quinimò si Adam non peccâsset; omnes fuissent immortales, & incorruptibiles; & nullus morti obnoxius. Constat ex scripturis triplicem esse mortem, unam corporis sitam in amissione vitæ temporalis; alteram animæ, quæ incurritur per peccatum lethale, quo anima privatur gratia sanctificante, quæ est vita, qua DEO vivimus; Tertia infligitur per æternam damnationem, & consistit in privatione æternæ gloriæ. Adam igitur per peccatum lethale, seu transgressionem divini præcepti, duplicem ad se mortem accersivit corporis, & animæ. quia cum esset corpore immortalis factus est morti obnoxius, & perdidit gratiam sanctificantem. Non tamen DEUS incitavit Adamum ad hanc præcepti sibi injuncti transgressionem, cum ipsi præceperit, ne comederet, evidens est noluisse hanc transgressionem, neque mortem hominis, Sapient. 1. *DEUS mortem non fecit.* Sapient. 2. *DEUS creavit hominem inexterminabilem; invidiâ autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Et Apost. ad Rom. 5. ait: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*: ergo DEUS ante prævisum Adæ peccatum neminem destinavit ad mortem, & supplicia æterna. Tum quia Apostolus 1. Corinth. 16. ait: *Omnes homines in Adamo moriuntur*: hæc scripturarum testimonia adeo perspicua sunt, ut nullum supersit effugium ea eludendi. Hinc D. Augustinus lib. de Prædestin. cap. 1. ait: *Creavit DEUS hominem, & prædestinavit, ut si obediens esset, & à gustu vetiti pomi se abstineret, in vita permaneret: Sin autem inobediens esset, sententiam mortis subiret*: ergo non DEI decretum immutabile, sed voluntas hominis detestabilis seu peccatum hominem ad interitum, ac æterna supplicia destinavit: nonullis interjectis subdit Augustinus: *Quia ergo peccavit homo, justum erat, ut moreretur; non moriturus, si non peccâsset.* Liquet igitur in statu innocentiæ ante Adæ peccatum DEUM neminem destinâsse ad mortem, & supplicia æterna, & falsam esse Calvini propositionem, quæ asserit, Deum creasse quosdam ad mortem, ac interitum absque respectu ad ullam culpam. Erat inter Augustinum, & semipelagianos contentio de prædestinatione. Isti ut aliquam illi maculam tribuerent, asseruerunt quosdam articulos expresse hæreticos, quos Augustinus ut spurios, & non suos rejicit, & damnat. Tertius eorum erat Augustinum docuisse, *DEUM majorem partem generis humani ad hoc creasse, ut illam in æternum perderet*, qui articulus Calvinisticus est, & refellitur contra semipelagianos ab Augustino lib. 8. ad articulos falso sibi impositos art. 5. ubi ait: *Omnium quidem hominum DEUS creator est, sed nemo ab eodem creatus est, ut pereat, quia alia est causa nascendi, alia pereundi: ut enim nascantur homines, est beneficium; ut autem pereant, prævaricatoris est vitium.*

Quod Calvinus asserat Deum ad ostendenda sua attributa misericordiæ, & justitiæ, electos prædestinare

ſtinare ad gloriam, & præſcitos ad æterna ſupplicia nullo habito reſpectu ad eorum merita, & peccata; falſum eſt, & hæreticum; quia DEUS cum affectu ſincero velit omnes homines quos condit ſalvos fieri, neminem addit pœnis æternis ſine propria culpa. Tum quia cum ex hominibus plures ſint qui damnantur, quàm qui æternam conſequantur ſalutem inde ſequeretur majorem eſſe oſtenſionem juſtitiæ, quàm miſericordiæ; quod adverſatur ſcripturæ. Cum ſit miſericordia virtus incitans voluntatem ad opitulandum alienæ miſeriæ, eamque depellendam; & DEUS miſerit filium ſuum unigenitum, ut totum, ac univerſum humanum genus redimeret à ſervitute peccati à famulitio Dæmonis, miſericordia DEI clarior ſplendet nobis luculentiùs manifeſtatur, quàm juſtitia unde David Pſal. 141. *Suavis Dominus univerſis; & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Imò tanta eſt DEI miſericordia ut omnem noſtram ſuperet cogitationem, ſuperexcedat ſermonem Exod. 34. *Dominator Domine DEUS miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſerationis, & verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & ſcelera, atque peccata* Pſal. 85. *Et tu Domine DEUS miſerator, & miſericors, patiens, & multa miſericordia.* Præterea duplex ineſt DEO miſericordia una generalis, alia ſpecialis; illa prior eſt, hæc poſterior non ratione ſui & affectus interni; ſed ratione effectus externi. Generalis eſt, quâ ab initio tota, ac univerſa creatura rationalis Angelica, & humana condita eſt, & propter humanam mundus corporeus ex nihilo traductus eſt ad illam plantarum, animalium, herbarum florum ſpeciem quam continet; ut hominum indigentiis non ſolùm conſuleret, ſed etiam iiſdem eſſet illicio intra naturæ limites, intra quos cum eſſent homines pluribus obnoxii miſeriis, ac defectibus, miſericordia motus ad ſtatum nobiliorem, ac longè excellentiorem elevavit, & donis omnibus naturæ debitis alia addidit ſupernaturalia, quibus ad dignitatem divinæ filiationis adoptivæ promoverentur, ac participes fierent cœleſtis gloriæ. Particularis eſt qua beneficiis ſuis hunc vel illum cumulat, trahitque ad ſe per illicia gratiæ; & ſi peccaverit auxilia ſuppeditat, quibus reſipiſcat; tempus concedit ut pœnitentiam agat. Hinc falsò aſſerit Calvinus, DEUM aliquos reliquiſſe in maſſa perditionis, quos damnaret, ſed omnibus ſuppeditavit media ſufficientia, quæ ſi fuiſſent adhibita conſequi potuiſſent æternam gloriam. Non igitur Deus cordè deſtinavit ad interitum, & æterna ſupplicia ante præviſum Adæ peccatum, & ſine reſpectu ad peccata perſonalia in adultis. De parvulis decedentibus ſine baptiſmo cum ſolo peccato originali, tametſi diſſentio ſit inter Theologos adhuc DEUS media ſufficientia iiſdem ſuppeditavit, quæ ſi à parentibus fuiſſent adhibita non fuiſſent in utero matris mortui, & in lucem editi ſuſcepiſſent baptiſmum, quapropter ex injuria parentum, non ex Dei voluntate deceſſerunt ſine baptiſmo. Cæterum ſi loquamur de adultis an illi deſerantur in maſſa perditionis propter ſolùm originale, & abſque ullo reſpectu ad præviſione peccatorum actualium. Dicendum eſt Deum nullum adultum ſine reſpectu ad propria peccata perſonalia reprobâſſe ac deſtinâſſe ad æterna ſupplicia, quia ſacræ ſcripturæ paſſim teſtantur Deum, quantum eſt in ſe nolle mortem peccatoris, ſed ei ſuppeditat dona ſuæ gratiæ ut reſipiſcat, & pœnitentiam peragat, vult enim Deus voluntate ſincera omnes ſalvos fieri, 1. Timoth. 2. *DEUS omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Petr. 3. *Expectat propter vos nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Ezechiel. 18. *Nolo mortem morientis dicit Dominus Deus. Convertimini, & vivite.* Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſrael, ex me tantummodo ſolus.* Unde nulli dubium, quia DEUS attributum ſuæ miſericordiæ luculentius exerceat in homines quam attributum juſtitiæ: ſiquidem prima rerum productio ex nihilo in ſuas ſpecies, & naturas cum perfectionibus naturalibus effectus fuit divinæ miſericordiæ, cùm enim creatura penitus non eſſet ex ſua bonitate, ac miſericordia traduxit ad illud eſſe quod poſſidet, proinde creando hominem ſuam in ipſo exercuit miſericordiam, qua expulit miſeriam ſui nihili: & quamvis creatura non fuerit antequam eſſet propriè miſera, nec ulli obnoxia malo, ſi rigorosè ſumatur malum, prout eſt privatio boni, quod deberet ineſſe ei ſubjecto, cui non ineſt, quia tunc ſupponit ſubjectum exiſtens, cui ſi non ineſt poſſit ineſſe: attamen ſi malum, & miſeriam non ita ſtrictè, & rigorosè accipiamus, ſed pro eo tantùm à quo natura abhorret, ſive poſitivum ſit, Vel negativum, vel privativum, hoc pacto non eſſe non modica eſt miſeria, eſt ſiquidem ſumma imperfectio, ac ſummus defectus evacuans totam bonitatem proinde ab hoc defectu tota rerum natura vehementiſſimè abhorret. Quia natura rerum repellit quantum poteſt ſuum defectum, & ſatagit, quantum poteſt ſui conſervationem adeo ut animalia quæque graviſſima malint mala perpeti, quàm ſubire interitum, eo quia non eſſe ſit ſemper miſerabilius, quàm miserè eſſe. Hinc opera miſericordiæ partiri poſſunt in tres ſpecies, quarum prima eſt, qua res omnes præſertim ratione præditæ ex nihilo in quo delituerant ad participandas ſuas proprias naturas quas poſſident traductæ fuerunt. Deus enim videns illas in defectu ſui nihili quadam commotus miſericordia ſtatuit miſeriam illam depellere, & ex nihilo extrahere, ac in lucem propriæ eſſentiæ educere. Naturas eiſque ſuas proprietates facultates potentias, & ornamenta impertiri. Secunda eſt qua genus humanum ſtatuit promovere ad ſupernaturalem ſtatum, eique auxilia, & media ſuppeditare, quibus æternam poſſent gloriam enanciſci. Tertia, qua natura humana à ſtatu ſupernaturali per peccatum decidit ſpoliata omnibus ſupernaturalibus ornamentis, & DEUS ut poſſit reſurdere ſua impertitur auxilia. Quòd ſi magna eſt miſericordia prima ſpecies, qua omnia ex nihilo, & non eſſe traducit ad eſſe, & ad participandam menſuram ſuæ bonitatis in naturis, & eſſentiis quas poſſident, Secunda eſt longè excellentior, qua creaturæ ad ordinem ſupernaturalem elevantur cùm infinitè præſtantior ſit gratia, quàm natura & communicatio bonorum divinorum, quam omnia dona naturalia. Adhuc tamen tertia miſericordia eſt præſtantior, per quam redimimur à peccato, & juſtificamur per merita Salvatoris Chriſti. Ex his conſtat DEUM non ſolùm circa prædeſtinatos, ſed etiam circa reprobos eſſe magis clementem, & miſericordem, quàm juſtum, & ſeverum, quia ſi Pſal. 24. dicitur *univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas* Pſal. 32. ait David: *Miſericordia Domini plena eſt terra*, & Pſal. 35. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia ejus*; & tandem Deum uberius ac luculentius ſuam in homines exercere miſericordiam quàm juſtitiam expreſsè aſſerit David 144. *Suavis Dominus univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus:* Hinc concludimus contra Calvinum,

num, Deum non solùm circa prædestinatos, verùm etiam circa reprobos magis clementem esse, & misericordem, quàm justum, & severum, unde falsò asserit Calvinus, Deum nonnisi circa paucos prædestinatos exercere suam misericordiam; & circa reprobos omnes nonnisi suam justitiam, & severitatem: & hos devovere æternis cruciatibus incitare ad peccatum, ut inde occasionem habeat eos deserendi, puniendi, ac destruendi omni præsidio gratiæ.

Objicit tamen Calvinus illud D. Pauli ad Rom. 9. ex quo conjicit, nullam aliam posse assignari causam, cur Deus ex hominibus quosdam suppliciis addicat æternis, præter divinam voluntatem. cùm enim nondum nati fuissent, aliquid boni egissent, aut mali (ut secundùm electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est: *Jacob dilexi, Esau odio habui* Hoc idem corroborat ex illo Apostoli: *Non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis*, & ex illo alio, *cujus vult miseretur, & quem vult, indurat.* Ut etiam ex illo Apostoli; *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Verùm hæc scripturarum testimonia, & si quæ alia sunt, non suffragantur Calvino, quia Scripturæ loquuntur de corrupto per peccatum originale ut omnes Patres explicant, cùm enim tota posteritas Adami per peccatum originale fuisset deperdita, & amisisset jus ad æternam beatitatem, Deus ex sua misericordia filium suum unigenitum misit, ut fieret homo, & satisfaceret divinæ justitiæ, & per merita Christi omnes possent salvari, si vellent, & ad hunc finem omnibus suppeditat media & auxilia: quod si nolint non in Dei voluntatem id refundendum est, sed in malitiam nolentium bene agere. Calvinus non probat hisce scripturis Deum reprobasse quosdam ante prævisum peccatum originale, & nullo habito respectu ad propria personalia peccata, unde prærecensitæ scripturæ non juvant Calvinum. Secundò quia allegata testimonia tantùm agunt de reprobatione à gratia: Calvinus verò intendit quosdam à Deo rejici à gloria ante prævisa peccata. Deus enim circa reprobos quatuor exercet actus quorum primus est, quo permittit eos elabi in peccatum. Secundus, quo permittit eos perseverare, & mori in eodem. Tertius quo excludit eos à regno. Quartus, quo addicit æternis cruciatibus. Quando autem Calvinus loquitur de reprobatione tantùm assignat, tertium & quartum actum: quærit enim quare Deus aliquos destinaverit ad damnationem; & respondet non aliam esse causam nisi meram voluntatem: & hoc probat, ex locis D. Pauli; quæ eidem non suffragantur. siquidem Apostolus ad Rom. scribit: Qui mixti erant ex Judæis & Gentilibus; & quia Judæi efferebant se propter legem, & circumcisionem. D. Paulus nititur eos repellere, & excludit Judæos à Lege evangelica, ad quam Gentiles admittit. Potuissent Judæi objicere, quare repellerentur ipsi, & Gentiles admitterentur, cùm promissio facta fuerit à Deo Judæis; & promissionem Dei semel factam, suum sortiri effectum debere, & non posse irritari. Respondet Apostolus Dei promissionem firmam esse, si bene intelligatur: Abraham enim credidit Deo asserenti fore, ut in senectute acciperet filium, & propter hanc fidem facta est illi promissio de Messia ex ipso nasciturо: hæc autem promissio sicut facta est Abrahamo ob singularem ipsius fidem; ita pertinet ad filios Abrahæ, qui Patris sui fidem sunt imitaturi. Sed Judæi cùm primùm natus fuit Messias ex posteris Abrahæ detrectârunt in Christum Messiam credere, ideoque promissio à Deo facta ad ipsos non pertinet, quia in fide Abrahæ non perstiterunt, unde possunt salva promissione Dei facta Abrahæ, & ejus posteris excludi à gratia evangelica ob incredulitatem. Neque contra hunc Apostoli scopum possunt quidquam Calvinistæ respondere, quod falsò eorum dogmati faveat, quia Judæi ex Apostolo repelluntur à gratia evangelica, eò quia non manserunt in fide Abrahæ Patris eorum, promissio enim Dei tantùm facta fuit ob fidem, quam habuit Abraham de Messia venturo, & quia Judæi hanc fidem rejecerunt, ideo expelluntur à gratia evangelica: Calvinus verò vult Apostolum loqui de exclusione à gloria, de qua non loquitur Apostolus. Præterea Judæi reprobati sunt non ex sola Dei voluntate; sed propter incredulitatem: & Calvinus asseruit reprobationem fieri per solam Dei voluntatem absque hominum culpa: alia testimonia Apostoli desumpta ex cap. 9. ad Rom. eò tantùm collimant, ut ostendant Deum pro suo arbitrio inæqualiter distribuere sua dona, quod enim uni det plus quàm alteri non habet iste, cur debeat conqueri; & quia poterant Judæi respondere non solùm se, sed etiam Gentiles esse peccatores, ac proinde parem esse utrorumque causam consequenter non debuisse ipsos magis excludi quàm illos: respondet Apostolus Deum in pari duorum causa posse uni plus elargiri quàm alteri; tametsi Jacob & Esau essent pares in donis naturalibus ac fratres, placuit tamen Deo unum præferre alteri in benedictione temporali. Par etiam fuit causa Pharaonis, & Nabuchodonosoris, & tamen hujus misertus est Deus, & alterum obduratum reliquit, in quo sensu dicit Apostolus: *Cujus vult miseretur, & quem vult, indurat*, non quòd Deus positivè induret, sed quia permittit obduratum in peccato perseverare in eadem obduratione. Rursus ex duobus in massa peccatorum existentibus, qui luto sunt longè viliores, alterum ex misericordia assumit ad gratiam; & alterum ex justitia relinquit in peccato, eò quia gratiæ quam ipsi contulit, noluit cooperari: & hoc indicat Apostolus: cùm ait: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Hinc si quæratur, cur è duobus existentibus in solo peccato originali, imò etiam in actuali Deus uni majorem suam exhibeat misericordiam, quàm alteri non alia potest causa assignari, quàm Dei voluntas, quæ neutri facit injuriam, & utrique suum impendit beneficium, quod enim Princeps det uni aliàs immerenti mille aureos, & alteri itidem immerenti tantùm centum nemini dicitur adferre damnum, sed utrique conferre sua beneficia. Quòd verò qui mille accepit, bene iisdem utatur, & alius centum quos acceperat, dissipet, id non est refundendum in voluntatem Principis, sed in dispositionem, & voluntatem eorum, qui aureos illos acceperunt: hinc si quæramus, cur Deus hunc vel illum repellat ab uberiori gratia, & æterna gloria tota causa refundenda est in ipsum peccatorem non verò in voluntatem Dei, ut asseruit Calvinus, & nobis favet Apostolus; si enim quæramus, cur Judæi repulsi sint à gratia evangelica, respondet D. Paulus cap. 11. v. 20. Non quia Deus sic voluit, sed ob incredulitatem Judæorum promisit quidem Deus Abrahæ nasciturum ex sua posteritate Messiam, sed causa hujus promissionis fuit fides, quam habuit Abraham, quam Judæi nato Messia noluerunt habere, ideoque promissio ab ipso ad incredulos facta non fuit. Hinc D. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. ait: *Deus non odit Esau hominem, sed odit Esau peccatorem:* perinde Deus non exclusit à gratia evangelica Judæos ut posteros Abrahæ, sed ut incredulos, ac nolentes credere in Messiam natum: ita si quæratur, cur Deus unius misereatur, non alterius, respon-

spondet D. Augustinus epist. 105. *Quibus Deus misericordiam non impertitur; ut non impertiatur, merentur.* Pari pacto quaerenti, cur Deus induret aliquos, respondet, quaerimus meritum indurationis, & inveniemus. Si quaeramus, cur Christus in reprobos sententiam dicat: *Ite maledicti in ignem aeternum*, causam sententiae ipse assignat: *Esurivi enim, & non dedisti mihi manducare.*

CAPUT III.

Ostenditur Dei decreto non fuisse sublatam ab homine libertatem.

CAlvinus censuit Dei decretum, quo aliquos praedestinavit ad gloriam, & quosdam ad interitum destinavit absque ullo respectu ad propria merita, vel demerita adeò esse fixum, ac immobile, ut tollat omnem arbitrii nostri libertatem in negotio praedestinationis, ac reprobationis, adeò ut non sit in hominis potestate, quòd illi salutem consequantur, & isti aeternis cruciatibus addicantur, sed inevitabili necessitate fieri, ut illi salutem consequantur, & isti aeternum interitum incurrant, ita docet Calvinus lib. 3. cap. 21. §. 7. ubi ait: *Dicimus aeterno & immutabili consilio Dei semel constituisse, quos olim assumere vellet in salutem, & quos rursum exitio devovere*, & cap. 23. §. 8. *Hic ad distinctionem voluntatis, & permissionem concurrunt, secundum quam obtinere volunt permittente modo, non autem volente Deo, perire impios*, & nonnullis interjectis subdit: *Non dubitabo igitur cum Augustino simpliciter fateri voluntatem Dei esse rerum necessitatem: atque id necessariò futurum esse, quod ipse voluerit*: ex quibus elucet tria Calvinum velle, primum, decretum Dei esse immutabile: secundùm nihil fieri non permittente tantùm, sed & volente Deo; Tertium voluntatem Dei esse necessitatem rerum: quod si quaecunque fiunt, Deo volente fiunt, & voluntas Dei est necessitas rerum, sequitur omnia necessariò fieri, consequenter tolli omnem libertatem in negotio praedestinationis, & reprobationis, ex quo etiam sequitur eos necessariò damnari, qui aeternis torquentur suppliciis & alios necessariò salutem consequi, qui aeternae gloriae fiunt in coelis participes. Hinc apparet multa in doctrina Calvini involvi absurda: negat ipse nihil fieri Deo permittente, sed omnia eo volente fieri: quòd si ita est, sequitur Deum velle ipsum peccatum, & eo volente, ac impellente peccata fieri etque quod impiè Calvinus concedit, quod quàm falsum sit, superius fusè ostendimus. Secundum absurdum est asserere voluntatem DEI esse rerum necessitatem, quia inde sequeretur omnia fieri necessariò, etiam in rebus civilibus, & domesticis, consequenter Calvinistas nonnisi injustè fures, homicidas, & alios delinquentes damnare ad patibulum, siquidem quod necessariò fit absque culpa exercetur, & quod caret culpa non debet puniri. Tertium absurdum est, quia asserit suum dogma haereticum esse sententiam Augustini, cujus locum citat Calvinus, estque lib. 6. de Genes. ad litt. cap. 15. ibi enim Augustinus loquitur de creatione mundi ac primorum parentum, & bene asserit, primam illam creationem non fuisse in potestate creaturae, sed in sola Dei voluntate, propterea ait Augustinus eum in prima rerum molitione non potuerint creaturae Deo eas vocanti ex nihilo ad lucis usuram obsistere, ideo dixit Augustinus: cujus voluntas rerum necessitas est, quatenus necessariò debuerunt tunc fieri, quae facta fuerunt, dixit Deus: *Fiat lux, & facta est lux*, & quia lux non potuit DEO volenti resistere, necessariò ex parte lucis fuit lux è nihilo extracta & ad illuminandas alias creaturas traducta, aliud enim est non esse in potestate hominis antequam creetur, ut hoc vel illo modo creetur: & aliud non esse in potestate hominis postquam creatus est, ut hoc vel illud faciat. Primum verum est, & asseritur ab Augustino, quo pacto primi parentes non habuerunt in potestate, ut à Deo crearentur: secus postquam creati fuerunt, fuit in eorum potestate transgredi, vel non transgredi injunctum ipsis à Deo praeceptum non comedendi de pomo vetito.

Dicendum est non omnia fieri in mundo ex necessitate, sed homines gaudere plena libertate qua possint bene, vel malè agere, adeò ut electi, qui ad aeternam praedestinantur gloriam, quia liberè bene operantur, eam consequantur: & destinati ad aeterna supplicia, quia liberè peccârunt, ad merendum, ac demerendum in statu naturae lapsae requiratur in homine libertas, non solùm à necessitate, sed etiam à coactione.

Probatur ex Scriptura Genes. 4. v. 7. ubi Deus declarans esse in potestate arbitrii humani consentire, vel dissentire appetitui excitanti ad turpia, & homini inesse liberum arbitrium, ac posse bene vel malè agere in ordine ad merendum, aut demerendum respectivè: ait: *Nonne si bene egeris, recipies; sin autem malè statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Deuteron. 30. v. 19. *Testes invoca hodie coelum, & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem*, & nonnullis interjectis ait: *Elige ergo vitam, ut & tu vivas.* Quòd si unum eligitur prae altero, & id est in potestate hominis sequitur voluntatem hominis non rapi, nec trahi necessariò ad unum potius quàm alterum: alioquin non esset in potestate hominis transgredi vel non transgredi praeceptum, quòd advertatur Ecclesiast. cap. 31. ubi legitur de viro justo, & electo, *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Ubi ad meritum requiritur libertas non à coactione tantùm, sed etiam à necessitate simplici, sitque in libertate hominis transgredi & non transgredi, bene vel malè agere: Hinc S. Irenaeus lib. 4. cap. 77. ait: *Qui operantur bonum gloriam, & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cùm possent illud non operari.* Secus in sententia Calvini, qui operantur bonum ita necessariò illud operantur, ut non possint illud non operari, qui transgrediuntur praeceptum, ita illud necessariò transgrediuntur, ut non possint illud non transgredi, quod apertè repugnat Scripturis, in quibus Luc. 10. vers. 42. *Laudatur à Christo Maria soror Marthae*, eò quia optimam partem prae Martha elegerit, ad quam Maria non magis necessitabatur, quàm Martha, & neutra promerita fuisset ullam laudem, si ex necessitate egissent.

Prate-

Præterea si omnia quæ fiunt ab hominibus necessariò fierent, plura sequerentur absurda, Reges enim, & Imperatores frustra leges sancirent, præcepta injungerent, delicta prohiberent, frustra parentes juberent filios studiis incumbere, frustra eos monerent, ut timor DEI iisdem esset cordi, imò frustra Calvinistæ populum hortarentur ad hoc vel illud agendum, frustra fidem excitarent, frustra ostenderent, quæ sperare, quæ fugere debeant, quia si ab æterno decrevit Deus quidquid ab unoquoque fieri velit, & hoc necessariò est eventurum, quidquid egerit homo non poterit impedire, quin illud contingat, ac fiat. Non solùm in prælatis, & superioribus inanis ac frustraneus esset labor percipiendi, mandandi, hortandi, increpandi, corrigendi; sed etiam in subditis omnis cura, ac studium se corrigendi, ac emendandi, quia in eorum potestate non esset abstinere se è noxis, ad quas necessitarentur, sicque inanis foret omnis sollicitudo ad mores corrigendos. Semel concesso immutabili Dei decreto circa prædestinationem electorum, & condemnationem reproborum absque ullo respectu ad merita, & demerita; statim infertur nihil interesse quomodo quis se gerat, quomodo quis benè, vel malè operetur, cùm nostræ operationes nihil conferant ad prædestinationé, vel reprobationé independenter è nostris operibus à Deo decretam ante prævisionem peccati originalis ad ostendendam suam misericordiam circa prædestinatos electos; & justitiam circa addictos æternis suppliciis: hinc quisque indulgeret sensui, ut mundi frueretur voluptatibus, & quisque commodis tantùm inhiaret hujus vitæ: nullus vellet difficultates superare, quæ illi obviant in cultura virtutum. Rursus si in sententia Calvini necessitate adiguntur homines ad ea omnia quæ agunt; quâ justitia puniuntur adulteria, furta, homicidia, & alia quæ in republica perpetrantur delicta? sine libertate quæ fiunt non imputantur ad culpam, & quæ immunia sunt à culpa, digna non sunt supplicio, cùm hoc sequatur ad delictum. Cur igitur vitio dantur homini furta, & adulteria, si Deus eorum necessitatem suê prædestinatione imposuit? quid facerent homines, ad declinanda delicta, an cum divino deberent luctari decreto, ne id agerent, ad quod faciendum à divino necessitantur decreto? Ecce in quæ absurda impingit Calvini dogma. Ad hæc igitur absurda declinanda asserendum est, liberum arbitrium per peccatum originale primi parentis minimè sublatum esse, ut declaravit Concilium Tridentinum Sess. 6. & expressè colligitur ex Scriptura Numer. 30. *In arbitrio viri erit sive faciat, sive non faciat.* Josue 24. *Sin autem malum vobis videtur, ut Domino serviatis: optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui potissimum servire debeatis*, 2. Reg. 24. *Trium tibi datur optio, elige unum, quod volueris, ex his ut faciam tibi*, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos sub ala, & noluisti.* Apocal. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi januam intrabo ad illum:* Ergo DEUS suo decreto nullam imponit hominibus necessitatem, sed iisdem datur optio eligendi bonum, vel malum, prout ipsis magis placuerit: Si etiam nunc habet electionem vitæ, & mortis, si post Adæ peccatum possunt homines transgredi, vel servare præcepta; possunt Deo vocanti obedire, vel obsistere; eidem pulsanti aperire, vel non, nil impedit, quin post peccatum Adæ in statu naturæ lapsæ habeant libertatem operandi benè, & malè. Ratio etiam id evincit: quia nec per Adæ peccatum originale, nec per personale amisimus naturam, sed tantum perdidimus gratiam quâ eramus Filii DEI adoptivi; sed natura humana est libero instructa arbitrio, & ex se, suisque principiis intrinsecis operatur liberè, ut liquet experientia, etenim prout nobis placet, sedemus, stamus, quiescimus, ambulamus, loquimur, tacemus; assentimur dictis alterius, vel repugnamus: hæc experientia est adeo clara, ut ad id evincendum alio non indigeamus argumento. Quod si dicas liberum arbitrium quamvis per peccatum originale non sit penitus extinctum; est tamen adeo attenuatum, ac debilitatum, ut suas deperdiderit vires, ut non possit obsistere tentationibus concupiscentiæ. Contra est negatur consequentia; quia si naturales illius vires spectemus non est labefactatum; bene tamen spoliatum donis supernaturalibus, quibus in statu innocentiæ ornatum erat; ac proindé non potest tam multa præstare sicut in statu innocentiæ ante Adæ peccatum, quando donis istis supernaturalibus corroborabatur; & in hoc sensu dixit Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 1. *Liberum arbitrium non quidem extinctum esse, sed tamen viribus attenuatum.* Non dicitur extinctum, quia retinuit vires naturales; benè tamen attenuatum, quia spoliatum per peccatum donis supernaturalibus. Hinc si Pelagiani asserebant liberum arbitrium nullo modo per peccatum fuisse læsum, nec quidquam deperdidisse virium; Calvinistæ docent fuisse penitus extinctum, & omnino deletum. Catholici docent attenuatum esse quia spoliatum donis supernaturalibus, quibus corroborabatur in ordine ad prosecutionem boni moralis, & fugam mali.

Solet tamen in contrarium objici parabola illa *Luc.* 10. de homine qui descendens ab Hierusalem in Hierico incidit in latrones symbolum Adami, qui à statu justitiæ originalis configurato per Hierusalem decidit per transgressionem præcepti in peccatum. Non solùm homo ille spoliatus est vestibus, sed etiam per inflicta vulnera læsus in carne, ac semivivus relictus. Pari pacto inquiunt, liberum arbitrium non solùm per peccatum spoliatum fuit donis supernaturalibus, verùm etiam in propria natura vulneratum, ac saucium, ac quasi semivivum relictum; & D. Thomas 1. 2. *quæst.* 85. *art.* 3. docet hæc vulnera per peccatum inflicta libero arbitrio esse quatuor; ignorantiam, malitiam, infirmitatem, concupiscentiam. Sed respondetur, productam parabolam habere duplicem sensum, literalem unum, alterum mysticum, mysticus in argumento intenditur, quem Sancti Patres ita explicant, ut per hominem ab Hierusalem in Hierico descendentem intelligant Adamum cum sua posteritate. Hierusalem in monte erat ædificata, Hierico in valle; Hierusalem significat visionem pacis, & Hierico Lunam: Adam igitur ab Hierosalem, seu à statu gratiæ, ac sublimi dignitate in qua conditus erat, descendit in Jericho, seu in abjectum peccati statum ubi amissâ animi tranquillitate, ac gratiæ nitidissimo splendore factus est tenebriosus per peccati caligines, & in hac obscuritate mutabilis ut luna significata per Jericho. Latrones in quos incidit, sunt Cacodæmones, qui eum primò spoliaverunt gratia per extorsionem consensus ad transgressionem divini præcepti; deinde inflictis vulneribus eum sauciârunt. Per Sacerdotem & Levitam pertransientes viam illam intelligitur lex Mosaica, quæ primum hominem vulneribus saucium non sanavit. Per Samaritanum autem qui misericordia motus hominem posuit vulneratum supra jumentum suum Christus intelligitur, seu Verbum divinum, quod assumptâ humanitate hominem infirmum ac vulneribus fractum deduxit in

hospi-

hospitium, seu in Ecclesiam; cujus vulnera lavit vino seu suo Sanguine, & oleo perunxit scilicet misericordia, & charitate ejus vulnera curavit: & inde discedens, seu in cœlum rediens illum stabulario commendavit, seu Petro Ecclesiæ custodi, & Capiti, cui etiam Corporis, & Sanguinis sui pretium dispensandum reliquit: & hic est verus sensus mysticus, quem explicant SS. Patres: Sin verò quæramus, quomodo Adam non solùm spoliatus fuerit, sed etiam vulneribus saucius? Respondetur dona supernaturalia in primo homine triplicis fuisse generis: in primo genere recensentur gratia sanctificans, & charitas, quæ constituebant primum hominem justum gratum DEO, & ejus Filium adoptivum: In secundo ipsa justitia originalis, quæ coercebat carnis, & appetitus sensitivi motus rationi rebelles, utrumque enim appetitum perfectè subjiciebat rectæ rationi, ne contra ipsam insurgerent: In tertio recensentur corporis incorruptio ac immortalitas, quæ omnem excludebat læsionem, omnemque corporis fatigationem. Hisce per peccatum donis sublatis liberum arbitrium non solùm non potuit opera efficere supernaturalia & meritoria vitæ æternæ, eò quia spoliatum gratiâ, & charitate, quæ necessariò requiruntur ad opera meritoria, sed neque tam facilè, & commodè potuit exercere moralia, & civilia, quamvis non exigant gratiam, & charitatem: & per hanc spoliationem gratiæ, & charitatis contraxit liberum arbitrium infirmitatem, ac virium supernaturalium destitutionem. Præterea sublata etiam justitia originali cœpit caro repugnare rationi, & sublata incorruptione cœperunt organa corporis defatigari, imminui, ac destrui, & quia utrique appetitus concupiscibilis, & irascibilis rebellavit contra rectam rationem, cui parere detrectavit, veluti facto divortio vulnera fuerunt inflicta, quibus pars superior divisa ac separata ab inferiori fuit, & in hoc sensu vires naturales liberi arbitrii dicuntur vulnera accepisse, non quod in se vulneratæ fuerint, sed quia infirmiores factæ ob donorum supernaturalium deperditionem, & rebellionem, ac veluti separationem partis inferioris à superiore, seu recta ratione: & hoc significant illa quatuor vulnera prærecensita à D. Thoma; Sunt enim quatuor potentiæ animæ infirmæ, ac debiliores factæ scilicet intellectus, voluntas, & uterque appetitus irascibilis, & concupiscibilis: siquidem in intellectu primi hominis antequam peccaret, erat prudentia: in voluntate charitas & justitia, in irascibili fortitudo, & in appetitu concupiscibili temperantia, & quia hæ virtutes per peccatum originale ablatæ fuerunt, ideo potentiæ illæ non in se, nec in suis naturalibus læsæ fuerunt, sed tantùm infirmiores factæ ob privationem earundem virtutum, ut docet D. Thomas lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianor. cap. 2. ubi ait: *Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit arbitrium de humano genere? libertas perit quidem per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam.*

Quamobrem liberum arbitrium per peccatum originale fuit quidem attenuatum non verò sublatum, quinimò neque per peccata actualia, quæ quilibet homo propriâ voluntate committit, tollitur, proinde homo peccator semper liberè agit, tametsi ex defectu gratiæ, & charitatis non agat opera meritoria supernaturalia, potest tamen opera moralia, & naturalia agere; etenim peccator fuit Cain cùm occiderit fratrem suum Abelem, & tamen liberè postea egit, eique dictum fuit *sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Rursus peccator fuit David post perpetratum adulterium cum Bethsabea, & occisum Uriam, & tamen liberè postea egit Reg. 24. *Trium tibi datur optio: elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi:* Ergo quia peccatum originale vel actuale non delevit liberum arbitrium, alioquin non potuisset illi dari optio eligendi unum, quod voluerit ex tribus. Præterea peccator post primum peccatum commissum adhuc alia perpetrat, & peccata peccatis coacervat: Sin autem peccatum deleret in homine liberum arbitrium ut perperam autumant Calvinistæ non ulterius peccarent, quia sine libertate non dicitur quis peccare, unde Augustinus lib. de vera Relig. cap. 14. *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, seu liberè commissum:* quæ enim necessariò fiunt, facienti non imputantur culpæ. Rursus lib. de duabus animabus cap. 11. cùm dixisset Augustinus: peccatum non committi nisi ab eo, qui libero arbitrio est præditus, subdit: *Nonne ista cantant, & in montibus Pastores, & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in locis sacris, & in orbe terrarum genus humanum.*

Neque liberum arbitrium tollitur per divinam gratiam, sed ejus beneficio juvatur. Est gratia triplex præveniens, adjuvans, & justificans, & ex istis prævenientem non tollere libertatem declaratum, ac definitum fuit in Concilio Tridentino *Sess. 6. cap. 5. can.* 4. adeo ut homo ita liberè assentiatur, ac cooperetur gratiæ prævenienti, ut si velit possit eidem obsistere, ac dissentire, eamque rejicere: Hinc Zachariæ 1. Joel. 2. & Ezech. 18. monemur DEO vocanti obsequi, & renuentibus pœna intimatur æterna, *vocavi, & renuisti, & ego in interitu tuo ridebo, & subsannabo te*, & Deus Jeremiæ 7. ait: *Vocavi vos, & non respondistis*, & Christus Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti*, & Apoc 1. 3. *Sto ad ostium & pulso*, ex quibus constat Deum excitare, invitare, vocare ad se peccatores per gratiam prævenientem, seu excitantem, & liberum esse peccatoribus: eidem gratiæ excitanti assentiri vel dissentire, consequenter in statu peccati, adhuc peccator liberè operatur, alioquin superfluæ essent vocationes inanes monitiones, & superfluæ minæ, ac increpationes divinæ. Quod nec etiam gratia adjuvans tollat liberum arbitrium ex eo liquet, quia si liberè possumus assentiri gratiæ excitanti, seu prævenienti liberè assentimur per gratiam adjuvantem, quæ tantùm abest, quod libero officiat arbitrio, ut potius illud adjuvet, ac corroboret, ut assensum præstet. Neque gratia hæc adjuvans quid aliud est, quàm supernaturalis concursus DEI ad opera nostra supernaturalia, adeo ut perinde ad illa se habeat, sicut concursus naturalis DEI ad opera nostra naturalia: concursus autem naturalis in actionibus naturalibus eliciendis non tollit libertatem, ergo nec concursus supernaturalis, seu gratia adjuvans tollit libertatem. Quod nec etiam ipsa gratia justificans tollat liberum arbitrium, ex eo est probatu facilè, quia hæc gratia non infirmat, sed sanat, non destruit, sed perficit naturam, & liberum arbitrium, est quædam naturæ humanæ perfectio, quæ non tollitur per gratiam sanctificantem, sed perficitur. Quòd si contra gratiam excitantem objicias illud Joan. 6. *Ne-*

mo potest venire ad me nisi Pater traxerit illum, ex quo videtur sequi per hanc gratiam prævenientem tolli liberum arbitrium, siquidem qui aliquem trahit, vim, & necessitatem eidem infert; & quia DEUS per gratiam prævenientem trahit hominem ad se, sequitur per eandem gratiam inferri illi violentiam ac imponi necessitatem, consequenter non videtur gratia præveniens cohærere cum libertate arbitrii. Contra est quia diversimodè dicitur homo trahi, primo vi & necessitate, & qui hoc modo trahitur non dicitur liberè trahi sed violentia extrinseca. Secundò affectu, amore, allicientiâ, & qui hoc modo trahitur liberè & voluntariè trahitur, DEUS autem cùm trahit hominem ad se eum allicit beneficio suæ gratiæ, ut veniat ad ipsum illuminando intellectum, inflammando voluntatem; unde non vi, & necessitate trahit, sed amore, & benevolentiâ.

Neque libertas arbitrii tollitur vel impeditur per DEI præscientiam, quæ duplex est, una conditionata antecedens liberum actum voluntatis divinæ in sententia aliquorum inhærentium scientiæ mediæ, ac dicentium DEUM præcognoscere, quid liberum arbitrium cujusque hominis, aut Angeli facturum esset, si in tali rerum ordine & cum his, aut illis auxiliis, ac circumstantiis poneretur, quo pacto asserunt præcognovisse DEUM, Tyrios, & Sidonios fuisse pœnitentiam acturos, si miracula facta fuissent apud illos, quæ alibi facta fuerunt, eodem modo dicunt præcognovisse Saulem obsessurum Urbem Ceilam, & cives traditurōs Davidem Sauli nisi inde fugeret. Altera DEI præscientia est absoluta, quæ sequitur liberum decretum divinæ voluntatis, & beneficio hujus præscientiæ DEUS absolutè præcognoscit, quidquid re ipsa futurum est: quo pacto præcognovit, ac prædixit omnia: & singula, quæ in veteri Testamento obtigerunt, & quæ in novo sunt eventura: Hinc Tertullianus lib. 2. contra Marcionem scitè ait, præscientiam DEI tot habere testes, quot fecit Prophetas: & quia DEUS est prima veritas quæ non potest in cognitione falli, neque fallere, itaque præscientia certa est, & infallibilis: Præterea intellectus DEI, cùm sit infinitè perfectus, debet ad omnem veritatem se extendere, adeo ut nulla sit veritas, quæ ipsum possit latere. Quòd verò neutra præscientia tollat liberum arbitrium ex eo liquet, quia per præscientiam conditionatam Deus tantùm prævidet quid homo facturus esset, si in talibus, vel aliis circumstantiis, temporis, loci, personarum poneretur: Unde hæc scientia est potius speculativa, quàm practica, cùm reverà non sit homo illud facturus, quod præcognoscit Deus, quod facturus esset, sub tali vel alia conditione. Quòd nec etiam præscientia absoluta tollat libertatem arbitrii ex eo itidem evincitur, quia tametsi DEUS per illam absolutè prævideat, quid Petrus facturus sit, tamen præscientia DEI sequitur decretum divinæ voluntatis, consequenter prævidet res eo modo futuras, quo juxta divinum decretum, vel permissionem sunt futuræ: ergo si juxta decretum, vel permissionem DEI sunt futuræ contingenter, & liberè eas etiam prævidet futuras contingenter, & liberè, quòd si sint futuræ necessariò illas etiam cognoscit, & prævidet, ut necessariò futuras, Quamobrem nulla contingentia, nulla necessitas oritur ex hac DEI præscientia quæ potius præsupponitur. Tum quia ut argumentatur D. Augustinus, si præscientia DEI tolleret libertatem arbitrii, vel id faceret, quia præscientia est, vel quia DEI est; sed non quia præscientia alioquin nostra præscientia libertatem colleret, & si DEUS mihi revellaret Petrum cras profecturum alio, hæc mea præscientia, quam habeo per revelationem tollitet libertatem Petro, cui necessitatem imponeret proficiscendi, quod est falsum.

Dices præscientia DEI est certa, & infallibilis, consequenter quidquid DEUS præscit futurum, hoc certò, & infallibiliter est futurum, cùm non possit DEI præscientia esse obnoxia falsitati, atqui DEUS scit omnia, quæ facturi sumus, proinde omnia certò, & infallibiliter sunt futura, consequenter necessariò fiunt. Sed contra negatur hæc ultima consequentia, quia tametsi DEUS omnia futura certò & infallibiliter præsciat, & omnia hæc futura sunt certò, & infallibiliter, negatur tamen necessariò esse futura, siquidem potest aliquid certum, & infallibile, quod tamen non sit necessarium, sed contingens, & liberum: etenim certum est & infallibile me nunc stare, & nihilominus liberè sto, ergo enim infallibilitate, & certitudine rei futuræ non nectitur semper ipsa necessitas. Sed dices DEUS ab æterno præscivit Anti-Christum peccaturum: ergo Anti-Christus peccabit, & quia consequentia est legitima, antecedens est necessarium: & quia cum necessitate non potest libertas cohærere, sequitur Anti-Christum peccaturum necessariò, eò quia DEUS ab æterno præscivit eum peccaturum. Firmatur ex regula Dialecticorum, quia quando conditionalis propositio est vera, si ejus antecedens est absolutè necessarium, etiam consequens est absolutè necessarium, alioquin in bona consequentia posset esse antecedens verum, & consequens falsum: atqui hæc conditionalis est vera, si DEUS scivit futurum hoc eveniet, & antecedens est necessarium, scilicet Deum præcognoscere, quid sit futurum, quia Dei scientia est infinita. Sed contra, quia tametsi, quod DEUS præcognoscit futurum illud tamen præcognoscit eo modo, quo erit futurum: & quia futura libera sunt in se libera præcognoscuntur à DEO ut libera, & hoc pacto certo, & infallibiliter eveniunt ut libera, & contingentia, non enim DEI præscientia immutat futurorum naturas, sed illas attingit, ut sunt in se. Hinc ad regulam Dialecticorum, qua dicebatur, quòd quando conditionalis propositio est vera, si ejus antecedens est necessarium, etiam consequens sit necessarium, tantùm valet, quando antecedens est necessarium ex intrinseca connexione terminorum, non verò quando solùm est necessarium ex accidenti, seu ex suppositione: atqui hoc antecedens DEUS præscit Anti-Christum peccaturum non est necessarium ex intrinseca connexione terminorum, quia Dei præscientia non habet intrinsecam connexionem cum peccato Anti-Christi: est tamen necessarium ex suppositione, quòd Antichristus sit peccaturus, posita enim hac conditione Deus necessariò scit esse peccaturum, eò quia liberè se determinaverit ad peccatum, est enim præscientia Dei infinita attingens omne verum sive præsens, sive futurum. Præterea alia est necessitas antecedens, & alia concomitans, seu consequens illa oritur ex causa antecedente, & necessariò operante, & ad unum determinata, adeo ut posita tali causâ necessariò sequatur effectus, quo pacto necesse est, solem cras oriri, quia ortus solis provenit à causa necessaria, & determinata, quatenus DEUS ab initio determinavit ut sol percurreret intra viginti quatuor horas totum cœli circulum; necessitas dici-

quæ dicitur concomitans vel conſequens non oritur ex cauſa antecedente neceſſaria, ſed ex ipſa poſitione effectus, qui ſi liber fuerit, & à cauſa libera provenerit, hoc pacto cum ſedeo dicor neceſſariò ſedere, cum non poſſim ſimul & ſemel ſedere, & non ſedere, ſed hæc neceſſitas eſt concomitans, & ex ſuppoſitione, quòd ego liberè ſedeam. Hæc igitur neceſſitas non tollit libertatem, ſed potiùs illam præſupponit, unde quod DEUS præſciat Antichriſtum peccaturum eſt tantùm neceſſarium, neceſſitate conſequente non antecedente, quia illa neceſſitas non oritur ex ulla cauſa neceſſario operante, & quæ præcedat peccatum, ſed tantùm ex libera determinatione Antichriſti ad peccatum, poſito autem, quod Antichriſtus ſit liberè peccaturus, Deus neceſſario cognoſcit futurum peccatum Antichriſti, ut neceſſariò eventurum, liberè tamen committendum ab Antichriſto, quia enim Dei ſcientia eſt perfectiſſima, cognoſcit futura eo modo, quo ſunt in ſe, & non aliter.

Imò neque libertas arbitrii læditur ac impeditur per decretum aut voluntatem Dei. Eſt autem duplex decretum, de quo poteſt dubitari. Unum, quo Deus ab æterno ſtatuit concurrere cum libero noſtro arbitrio ad omnes ejus actiones: & alterum, quo ſtatuit dare gratiam prævenientem & adjuvantem ad opera meritoria, atqui hæc duo decreta nullam imponunt neceſſitatem libero arbitrio, nec ejus actionibus. Non prius decretum, quo Deus ſtatuit nobiſcum concurrere ad agendum, nam per hoc decretum nihil aliud fit in tempore, quàm quod detur nobis concurſus generalis ad omnes noſtras actiones; & concurſus hic generalis non tollit libertatem, quia non eſt prior noſtro concurſu, nec illum prævenit, aut determinat noſtram voluntatem ad agendum, ſed eſt ſimul tempore, & cauſalitate cum noſtra determinatione conſequenter nullam adfert neceſſitatem antecedentem, quæ ſola tollit libertatem arbitrii. Poſterius decretum, quo Deus ſtatuit, nos prævenire gratia excitante, vel etiam cooperante, nec etiam tollit libertatem arbitrii: quia Deus per hoc decretum tantùm nos vocat, & allicit, ut veniamus ad ipſum, & nos etiam juvat: hæc autem omnia non imponunt neceſſitatem, ſed indemnem relinquunt libertatem: ex eo enim, quòd Deus nos vocet, ad ſe non adigit nos, ſed tantùm invitat, & quaſi optionem nobis dat eligendi ad ipſum venire vel non. Quòd ſi dicas, neminem poſſe reſiſtere Dei decreto, proinde quæ Deus fieri decrevit, neceſſariò fiunt, reſpondetur, id non rectè inferri, ſed tantùm quod fient prout Deus decrevit, Deus autem non decrevit peccatum, ſed tantùm permittit, ut fiat liberè ab homine. Eſt enim decretum divinum idem ac divina volitio, quæ vult, ut homo operetur liberè, unde tantùm vult eo modo concurrere, cum noſtra voluntate ad agendum, ut voluntati relinquatur plena libertas, proinde non niſi cum voluntate noſtra liberè operante concurrit Deus. Et huic decreto nemo poteſt reſiſtere, quia nemo poteſt impedire, quo minus Deus liberè concurrat ad agendum cum voluntate noſtra libera. Ex hactenus dictis ſatis conſtat, libertatem arbitrii non tolli per peccatum originale, neque per actuale perſonale, neque per divinum decretum, nec per Dei præſcientiam, imò neque impediri per providentiam, aut prædeſtinationem Dei, quia in prædeſtinatione ex parte Dei nil aliud ſpectari poteſt, quàm præſcientia, & voluntas Dei, & neutra demit libertatem: & ex parte effectuum ſpectatur gratia exiſtans, adjuvans, & ſanctificans, quæ etiam cohærent cum libertate, quia per gratiam ſanctificantem non debelitatur, ſed corroboratur liberum arbitrium ad bene operandum per excitantem allicitur, & per concomitantem juvatur.

Dicendum eſt ſecundò, Chriſtum non eſſe mortuum pro ſolis prædeſtinatis, ſed etiam pro reprobis, & omnibus hominibus, eſt contra Calvinum docentem, Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe, non verò pro reprobis: ſiquidem lib. 3. Inſtitut cap. 22. §. 10. ait: *Si omnes vellet ſalvos cuſtodem illis præficeret Filium, & omnes in ejus corpus ſacræ fidei vinculo inſereret. Nunc conſtat eſſe paterni amoris pignus filiis, quos adoptavit reconditum*, quæ propoſitio hæretica eſt & impugnata à Sanctis Patribus, ac damnata, ut hæretica à ſummis Pontificibus, præſertim Innocentio X. contra Janſenium, qui Calvini crambem recoxit, ait enim Janſenius Tom. 3. col. 379. ſub init. cap. 21. *Argumentum pro gratia ſufficiente omnium ſumptum ex eo, quòd Chriſtus ſit Redemptor omnium, & pro omnibus crucifixus & mortuus, uſque ad nauſeam à Pelagianis, præſertimque Maſſilienſibus inculcatum fuit, ut mirum ſit recentiores tanto ſtudio trita hæreticorum arma colligere, & abſoleta recludere.* & Tom. 3. de gratia Salvatoris lib. 3. cap. 21. colum. 390. ait: *Nullo modo principiis Auguſtini conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium æterna ſalute mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe Patrem oráſſe ſentiatur.* Et nonnullis interjectis ſubdit: *Ex quo factum eſt, ut juxta ſanctiſſimum Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro Diaboli deprecatus fuerit. Sed ſi quid pro illis rogavit Patrem, pro temporalibus quibusdam juſtitiæ effectibus rogavit, & pro iiſdem obtinendis obtulit pretium, fuditque ſanguinem ſuum.* Verum D. Auguſtinus non docuit, ut falsò illi imponitur, Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe, ut infra conſtabit. Calviniſtæ itidem in Synodo Dordracena pag. 3. ajunt: Chriſtum pro omnibus, & ſingulis mortuum eſſe, his verbis conantur refellere. *Rem non novam agunt Remonſtrantes hoc articulo. Olim enim Semi-Pelagiani Maſſiliæ, & Syracuſis eundem tuebantur.* Beza Calviniſta in Theſibus de Sacrificio apud Malderum in Anti-Synodicis cap. 7. ait: *Coram Deo, & tota Eccleſia teſtamur figmentum illud inauditum, & dirutum; Chriſtum videlicet non minus pro impiis, quàm pro fidelibus eſſe mortuum.* Hieroymus Zanchius in Miſcel. Doctrin. ad 1. Joan 4. *Sanguis Chriſti non eſt ſecundùm propoſitum Dei, & re ipſa pro reprobis, & incredulis effuſus; ſed tantùm pro quibusdam multis, hoc eſt electis.* Benedictus Aretius in ſua Anatomia cap. 28. *negat Chriſtum oraſſe pro omnibus crucifigentibus*; & eos, qui ſuæ adverſantur propoſitioni, vocat *Pontificios.* Samuel Mareſius in ſua Synopſi cap. 4. impensè laudat Catechiſtam Janſenii, quòd aſſerat, *Chriſtum non eſſe mortuum pro iis, qui pereunt.*

Hanc Calvini propoſitionem ſacris adverſari ſcripturis, conſtat, quia Apoſtolus ſcribens ad Romanos 5. v. 18. ait: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.* Apoſtoli antitheſis in eo ſita eſt, ut probet, Chriſti meritum, nomine juſtitiæ judicatum omnibus hominibus profuiſſe, perinde ac Adæ peccatum omnibus adfuit hominibus, quos peccato originali infecit, corrupit, excepta una Deipara, cujus exceptioni non repugnat Concilium Tridentinum. Ergo ſi Chriſti meritum omnibus profuit hominibus,

Christus non solum pro prædestinatis mortuus est, sed etiam pro reprobis, qui si æternam non consequuntur salutem, sibi debent imputare, qui Christi merita per prava opera frustrarunt: hinc Apostolus 1. ad Corinth. 8. v. 11. *Peribit infirmus*, seu peccator, *in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est.* Hoc est, tametsi Christus mortuus sit pro peccatore reprobo, adhuc peribit, quia noluit resipiscere, nec agere pœnitentiam, sed in peccato perseveravit; adeo ut suppliciis destinetur æternis, non quia Christus non sit pro ipso mortuus; sed quia noluit ipse bene uti meritis Christi, noluitque bene operari. Ut enim quis fiat particeps æternæ gloriæ præter Christi merita, ejusque mortem pro omnibus adhuc requiruntur bona opera nostra: id asserit Apostolus, qui scribens ad Galat. 2. v. 20. ait: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, scilicet ut me redimeret à servitute paccati, à famulitio dæmonis pretium solvit sui sanguinis: & tamen idem Apostolus conscius suæ redemptionis antea scripserat 1. ad Corinth. 9. v. 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Apostolus quamvis scilicet Christum pro ipso mortuum, ac pretium suæ redemptionis solvisse adhuc per bona opera satégit corpus in servitutem redigere, ne reprobus fieret, & Christi merita in se frustraret. Unde bene ad Galat. 2. v. 20. scribit Apostolus: *In fide vivo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, scilicet pro mea redemptione, ut mihi coronam æternæ gloriæ donaret. Et 1. ad Timoth. 2. v. 1. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, gratiarum actiones pro universis hominibus pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt*, & v. 5. subdit: *Unus enim DEUS, unus & Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Argumentatur Apostolus tali pacto ideo pro omnibus etiam infidelibus, ex quibus erant Reges omnes & alii in sublimitate dignitatum constituti, & qui id temporis vivebant, orandum est, quia unus est omnium Deus, & unus omnium Mediator, nec plurium Deus, quàm Mediator, siquidem qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, omnino etiam infidelibus Principibus omnibus, & aliis in sublimitate dignitatum constitutis, adeo ut sicut pro omnibus absque ulla exceptione mortuus est Christus, ita pro omnibus præcepit Apostolus preces fundere, & Deum orare, sed ex historiis constat tempore D. Pauli scribentis ad Timotheum, Neronem fuisse Imperatorem, Parthos, & Medos suos habuisse Reges, suasque Provincias Romanis vectigales, & ab infidelibus in sublimitate constitutis, summa potestate administratas, & nihilominus Apostolus jubet pro omnibus indiscriminatim orare, ac fundi ad Deum preces ex ea ratione, quia *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*: & quia Nero Imperator, & alii Principes Ethnici mortui sunt, in Ethnicismo non fuerunt ex numero prædestinatorum ad gloriam, sed reproborum, & nihilominus Apostolus jubet præces fundi pro ipsis ad Deum, eò quia Christus dedit redemptionem semetipsum pro omnibus: ergo falsa, & hæretica est Calvini propositio, quæ asserit, Christum pro iis tantùm mortuum esse, qui prædestinati sunt, & æternam consequuntur salutem; si enim vera esset hæc propositio, nullius esset momenti argumentum Apostoli, vel deberemus Sanctorum cultum exhibere Neroni, Vespasiano, Tito, Galbæ, Othoni, Agrippæ, Felici, & aliis in sua infidelitate mortuis, quia Apostolus tacitè significabat, orandum esse pro ipsis, eò quia Christus pro iisdem dedit redemptionem semetipsum. hi enim omnes erant tunc in sublimitate constituti, quod quàm falsum sit, statim liquet ex eo, quia nemo tempore D. Pauli potuit salutem consequi, nisi qui renatus esset ex aqua Baptismi: ergo concludendum est, Christum mortuum fuisse, & dedisse redemptionem semetipsum pro omnibus iis etiam inclusis, qui non salvantur, & in sua infidelitate vel peccato moriuntur, qui, si voluissent, cum media iisdem non deessent, potuissent salutem consequi, cum Deus affectu sincero velit omnes salvos fieri. Prætetea Apostolus 1. ad Timot. 4. v. 10. scribit: *Qui est Salvator omnium hominum maximè fidelium*: quod si maximè fidelium, ergo etiam infidelium est Salvator, pro quibus etiam redimendis mortuus est, non solùm quoad sufficientiam pretii, quod posset omnibus applicari utpote infiniti valoris verùm etiam ex sincera voluntate, ut ad omnes suæ passionis fructus perveniret, omnésque participarent redemptionem, & salutem. Illi verò non dicuntur à famulitio redempti, pro quibus non est litrum persolutum: & quia Christus pro omnibus hominibus sive qui salutem consequuntur, sive qui ad æterna supplicia addicuntur, dedit redemptionem semetipsum, seu solvit pretium infiniti valoris pro omnibus, ideo omnes à Christo fuerunt redempti etiam infideles, qui propterea acceperunt media necessaria, ut si velint, possint credere. Quòd si ex fidelibus plures æternam non consequuntur salutem, id non ex defectu oritur redemptionis, sed eorum culpæ datur, qui non perseverârunt in gratia, & per patrata peccata jus perdiderunt ad æternam beatitudinem, ac hæreditatem, ab istis enim applicatio mediorum impeditur per peccata, quæ libera voluntate perpetrantur, 2. Petri 2. v. 1. *Fuerunt verò & Pseudo-Prophetæ in populo, & in vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant superinducentes sibi celerem perditionem*, ait D. Petrus Christum etiam emisse, seu redemisse eos, qui Dominum negant, & se ipsos perdunt, damnántque ad æterna supplicia, unde liquet Christum non solùm pro prædestinatis mortuum esse, sed etiam pro ipsis reprobis, qui ipsum negant, & se ipsos perdunt. 1. Joan. 2. v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*: per hæc postrema verba totius mundi Sancti Patres, & Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 2. & 3. intelligunt Judæos, & infideles Ethnicos, qui mortis Christi beneficium non suscipiunt, & quibus mors Christi non profuit ad salutem.

Non solùm Calvini propositio sacris adversatur scripturis, verum etiam fuit contra Concilia, enim Tridentinum, quod Sess. 6. cap. 2. loquens de Christo ait: *Hunc proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi*: hoc est pro omnibus hominibus fidelibus, & infidelibus prædestinatis, & reprobis innocentibus, & peccatoribus, pro omnibus enim proposuit Deus Christum propitiationem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris. Mox in 3. cap. sic ait: *Verum & si ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur*, unde ex Concilio Tridentino constat, perinde esse Christum esse à Deo positum propitiationem pro peccatis totius mundi, ac Christum mortuum esse pro omnibus fidelibus, & infidelibus, prædestinatis, & præscitis: hinc Christus Matth. 11. omnes homines invitat ad se: *Venite*

ad me

omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, vocat enim omnes, ut reficiantur, seu salutem consequantur, ad idenim media pro omnibus instituit, seu Sacramenta pro omnibus: omnes siquidem, si velint, possunt baptizari, & salutem consequi, cum Christus jusserit Apostolos omnes gentes baptizare, Matth. 28. *Baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quia ut habetur Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum DEI.* Unde quod plures æternis addicantur suppliciis, & salutem non consequantur, id non provenit ex eo, quòd Christus non fuerit pro ipsis mortuus, sed quia ipsi noluerint fructum redemptionis suscipere, etenim omnes, quotquot salvantur, mortis Christi beneficium suscipiunt: sed aliqui, pro quibus mortuus est Christus, hoc beneficium non suscipiunt, ergo aliqui, pro quibus mortuus est Christus, non salvantur: siquidem ex Concilio Tridentino, & scripturis expressè habemus, Christum pro omnibus hominibus indiscriminatim mortuum esse, & quia infideles nolentes baptizari non salvantur, sequitur Christum mortuum esse etiam pro iis, qui æternam salutem non consequuntur, unde Christi voluntas de redimendo humano genere latiùs patuit, quàm homines suscipientes fructum redemptionis, & consequentes æternam salutem. Præterea Tridentinum ead. sess. cap. 13. ait: *In Dei auxilio firmissimam spem collocare, ac reponere omnes debent*, loquitur de justificatis, qui debent spem suam ponere in auxilio necessario ad perseverandum: & spem firmissimam non haberent omnes in divino auxilio, si hoc meliori hominum parti denegaretur: quòd si justificatis omnibus paratum est, ergo in Deo est etiam parata voluntas juvandi, quantum est in ipso omnes justificatos ad æternam salutem consequendam: atqui ex semel justificatis multi sunt reprobi, justificatus enim fuerat Judas, qui tamen reprobus fuit, scilicet justificatus Dei gratia ad Christi discipulatum admissus, & propria sua culpa reprobatus, ex quo liquet, DEUM habere sinceram voluntatem juvandi ad salutem etiam reprobos, quantum est in se, consequenter Christum etiam pro ipsis mortuum esse. Cur autem debeant justificati spem firmissimam concipere, declarat Tridentinum eod. cap. 13. his verbis: *Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere.* Deus, quantum est ex se, vult, ut homines justificati in adepta semel justitia perseverent usque in finem, consequenter ut salventur.

Concilium Valentinum tertium sub Leone Papa IV. contra Prædestinatianos anno Christi 855. can. 5. ait: *Firmissimè tenendum credimus, quòd omnis multitudo fidelium aqua & Spiritu Sancto regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata, in morte Christi baptizata, & in ejus sanguine sit à peccatis suis abluta, ex ipsa tamen multitudine fidelium, & redemptorum alios salvari æterna salute, quia per gratiam DEI in redemptione sua fideliter permanent. Alios quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemptionis gratiam potiùs irritam facere, prava doctrina, vel vita, quàm servare elegerunt ad plenitudinem salutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire.* Et licèt Hæretici asserant, hoc Concilium ipsis favere, quàm id falsum sit, statim apparet, neque enim clariùs asseri potest, Christum Redemptorem esse etiam reproborum qui damnantur, & quibus pretio sui sanguinis emerat æternam salutem, quam irritam effecerunt propria electione. Rursus apud Carisiacum sub Carolo Calvo Rege, anno Christi 848. in quo Gothescalcus hæresis convictus Prædestinatianorum damnatus iterum fuit, expressè etiam declaravit, Christum pro omnibus omnino hominibus sive prædestinatis, sive reprobis mortuum esse, ait cap. 4. *Christus Jesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cujus natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licèt non omnes passionis ejus mysterio redimantur. Quod verè omnes passionis ejus mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem, & pretii copiositatem; sed ad infidelium, & ad non credentium, ea fide, quæ per dilectionem operatur, respicit partem, quia poculum humanæ salutis, quod confectum est infirmitate nostra, & virtute divina habet quidem in se, ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.* Ex Conciliis igitur constat veterem semper fuisse Ecclesiæ doctrinam docentem, Christum mortuum esse pro omnibus omnino hominibus, sive ipsi gratiam aliquando fuerint consecuti, sive in perpetua permanserint infidelitate, in qua mortui fuerint. Sed objiciunt Hæretici, si Christus mortuus est pro omnibus, cur non omnibus prodest? etenim Gentiles, Turcæ, Judæi, & plures parvuli expertes meritorum Christi sunt, quomodo igitur dicitur pro omnibus mortuus, si omnes non sunt participes meritorum Christi: Respondetur, in triplici sensu intelligi, ac verum esse, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse. Primò, quia causam totius humani generis suscepit. Secundò, quia adeo cumulata, & ingentia sunt ejus merita, & satisfactio, ut sufficiant pro omnibus. Tertiò, quia Christus neminem excludit à participatione suorum meritorum. Cæterum quod non omnibus prosint, id oritur ex parte hominum nolentium, ut Christi merita iisdem applicentur, idque potest exemplo declarari, Medicus pharmacum parat pro decem ægrotis, ad depellendum morbum, quo inficiuntur, & ipse vult pharmacum illud præsentissimum exhibere omnibus, sed ex infirmis quidam pharmacum suscipiunt, hauriunt, & sanitatem consequuntur, alii verò nolunt pharmacum sumere, nec permittunt sibi applicari, & isti eatenus sanitatem non consequuntur, non quia Medicus pharmacum pro iisdem non præparaverit, sed quia noluerunt ipsum sumere, nec ejus fructum percipere: pari pacto Christi merita veluti præsentissima pharmaca validissima sunt ad omnia depellenda peccata, & ad salutem consequendam, sed eadem merita non prosunt, nisi applicata fuerint, & quàmvis Christus illa exhibeat omnibus hominibus, qui fuerunt, sunt, & erunt, non tamen profuerunt omnibus, sed tantùm iis, qui siverunt sibi applicari: applicantur autem vel per susceptionem Sacramentorum, vel per gratiam prævenientem, & excitantem, vel per exercitia bonorum operum, ex quo infertur contra Calvinum, eos omnes participes fieri meritorum Christi, qui vel Sacramenta legitimè suscipiunt, vel præveniente gratia excitantur, vel eadem adjuvante benè operantur, & id non tantùm prædestinatis, sed etiam reprobis obtingit, etenim omnes parvuli, qui nascuntur ex parentibus Calvinistis, & ex instituto, ac intentione Christi baptizantur, utique per baptismum justificantur, & tamen non omnes prædestinantur, sed ii tantùm, qui decedunt ante usum rationis, quibus beneficio baptismi applicantur merita Christi ab Ecclesia, quibus salutem consequuntur: alii verò, qui adolescunt in

in hæresi Calvini, & in ea perseverant, ac decedunt, hi damnantur, eò quia merita Christi non siverunt sibi applicari per gratiam excitantem, & adjuvantem, quatenus à DEO vocati, ad meliorem frugem noluerunt resipiscere, nec DEO vocanti obsequi, stat enim DEUS ad ostium cordis eorum, & pulsat, gratiam offert, & tamen non omnes adulti sunt prædestinati. Tametsi pro aliquo tempore justificati manserint in statu gratiæ, ut notat D. Augustinus lib. de correpț. & gratia cap. 13. inquiens: *Credendum est, quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseverantia usque ad finem in fide, qua per dilectionem operatur incipere vivere, & aliquamdiu fideliter, ac justè, & postea cadere*, etenim Judas ad Apostolicam dignitatem erectus fuit, fidem Christi habuit, Evangelium gentes docuit, & miraculis claruit, & nihilominus postea proditor factus se ipsum perdidit, quis neget Judam participem fuisse meritorum Christi, & in justitia mansisse, quando promotus ad Apostolatum fuit Evangelium prædicavit, & miraculis claruit, ergo non omnes justificati salutem consequuntur, nisi in justitia perseverarint usque in finem. Rursus Nicolaus Antiochenus unus ex septem Diaconis, qui teste scriptura erant pleni Spiritu Sancto, & sapientia, tametsi in justitia ad tempus mansisset, reprobus tamen fuit, & Nicolaitarum hæresis author teste Irenæo *lib. 1. cap. 27.*

Constat igitur luce meridiana clarius Christum non pro solis prædestinatis, sed etiam pro reprobis, & omnibus omnino hominibus mortuum esse, idque ex scripturis, & Conciliis Ecclesiæ. Superest hoc idem confirmare doctrinis Sanctorum Patrum, & præsertim D. Agustini, qui ab hæreticis citatur in eorundem favorem, etenim D. Augustinus Tract. 4. in Joan. sub init. ait: *Populi autem spernentes propter superbiam suam humilitatem DEI crucifixerunt Salvatorem suum, & fecerunt damnatorem suum*, constat ex Augustino, Christum fuisse Salvatorem Judæorum, qui eum crucifixerunt, quantum in Christo erat, sed quia ipsi noluerunt ipsum redemptorem habere, sibi effecerunt damnatorem, adeo ut quamvis Christus eos redemerit pretio sui sanguinis, ipsi tamen noluerunt redimi, & maluerunt damnari. Rursus de Symbolo ad Catechumenos lib. 2. cap. 8. ait: *Videtis vulnera, qua infixistis? agnoscitis latus, quod pupugistis? quoniam & per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Christus pro omnibus & singulis hominibus latus suum aperuit, ut omnes, nemine excepto, exciperet in corde, sed quia non omnes voluerunt ingredi, ideo non omnes salutem consequuntur, non quia Christus eos noluerit suscipere, sed quia ipsi noluerunt à Christo suscipi, nec ejus latus ingredi. Præterea in Psalmum 68. v. 27. sub initium agens de Juda Proditore ait: *Projecit enim pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat: nec agnovit pretium, quo ipse à Domino redemptus erat. Factum est hoc in Juda.* Quòd si Christus Judam redemerat, procul dubio habuit voluntatem illum redimendi, & si pro illius redemptione pretium sui sanguinis sincera obtulit voluntate, quomodo eandem gratiam redemptionis aliis denegavit reprobis, præsertim cum vocet ad se omnes homines, nemine excepto, Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis. & onerati estis, & ego reficiam vos.* Rursus Augustinus serm. 67. de tempor. circa med. inducit Christum Judicem in judicio extremo reprobos alloquentem hoc pacto: *Flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfossus, ut tu eriperereris morti, animam in tormentis dimisi.* Et nonnullis interjectis subdit: *Suscepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem: suscepi mortem tuam, ut in æternum viveres, conditus jacui in sepulchro, ut tu regnares in cœlo*, loquitur Christus ad hominem generatim sumptum, eò quia pro omnibus hominibus fuerit flagellis cæsus, spinis coronatus, cruci affixus, vulneribus perfossus, & mortem subierit, ut omnibus vitam impertiret, & regnarent in cœlo, ait enim: *Suscepi mortem tuam, ut in æternum viveres*, seu pretium mei sanguinis solvi in cruce, ut te redimerem. Rursus serm. 114. de tempore sub init. ait: *Hodie Dominus noster in statera crucis pretium nostra salutis appendit, & una morte universum mundum sicut omnium conditor, ita omnium reparator absolvit. Indubitanter enim credamus, quòd totum mundum redemit, qui plus dedit, quàm totus mundus valeret.* Argumentatur Augustinus à valore pretii, quod solvit pro redimendo humano genere, & ex eo, quòd plus solverit, quàm totum humanum genus valeret, infert superabundanter solvisse pro omnibus omnino hominibus, & pretio copiosissimo redemisse omnes homines prædestinatos, & reprobos, ethnicos, & fideles probos, & improbos, ne Christus diceretur tantummodo redemptor electorum, & non reproborum, justorum, & non impiorum. Rursus Augustinus Tract. 36. in Joan. post init explicans verba illa Christi: *Ego non judico quemquam*, ait: *Venit Christus, sed primo salvare, postea judicare eos judicando in pœnam, qui salvari noluerunt: eos perducendo ad vitam, qui credendo salutem non respuerunt:* asserit Augustinus, Christum primò voluisse salvare omnes omnino homines, nemine excepto, & postea judicare in pœnam eos, qui salvari noluerunt, unde ex Augustino non solùm prædestinatos voluit salvare, sed etiam reprobos, quantum est in se, sed ideo illi perducti fuerunt ad vitam, quia credendo salutem non respuerunt, isti verò ad æterna fuerunt supplicia condemnati, quia salvari noluerunt, quia excitantem gratiam prævenientem, & adjuvantem noluerunt recipere, unde Christus mortuus est etiam pro iis, qui noluerunt salutem consequi, neque D. Augustinus aliam adfert damnationis eorum causam, quam ipsam nequitiam malitiosæ voluntatis. Huc etiam spectat, quod habet idem Augustinus lib. de Spiritu, & littera cap. 33. sub init. *Vult DEUS omnes homines salvos fieri; non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel malè utentes justissimè judicentur: quod cum sit infideles quidem contra voluntatem DEI faciunt, cum ejus Evangelio non credunt.* Asserit Augustinus, DEUM velle salvos fieri infideles, qui malè utuntur libero arbitrio nolentes credere, cum possint adjutorio oblatæ gratiæ promeritæ per Christum. Rursus lib. 6. contra Julianum Pelagianum cap. 4. post initium probat eatenus in uno Adamo omnes homines mortuos esse, quia pro omnibus omnino mortuus est Christus, ait: *Audiretis Apostolum hoc breviter explicantem, quia unum dixit fuisse, in quo omnes peccaverunt. In illo uno mortui sunt omnes, ut moreretur unus pro omnibus. Unus enim pro omnibus mortuus est. Ergo omnes mortui sunt, pro quibus Christus mortuus est. Nega igitur, Christum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, hoc est de contagio peccatorum:* expressè asserit Augustinus meritum

ritum passionis, & mortis Christi ad eos omnes se extendere, quos contagium peccati originalis affecit; sed originalis noxa omnes omnioo homines infecit, corrupit: ergo ex seotentia Augustini meritum passionis, & mortis Christi ad omnes omnino homines prædestinatos, & reprobos se extendit; consequenter Christus pro omnibus etiam reprobis mortuus est. Subdit Augustinus: *Quia si Christus & pro ipsis mortuus est; ergo & ipsi mortui sunt. Audisne Juliane? hæc Apostoli verba, non mea sunt. Quid à me quæris, quo factum sit modo, cum videas factum esse quocumque modo.* mortui omnes homines erant divinæ gratiæ ob originalem noxam; & Christus pro omnibus, qui mortui erant, mortuus est: ergo mortuus est pro omnibus hominibus prædestinatis, ac reprobis, cum omnes infecti fuerint originali noxa, omnes mortui divinæ gratiæ. Rursus *eodem lib. 6. cap. 6.* in fine ait Augustinus: *A morte quippe justissima damnationis per unum Mediatorem DEI, & hominum, liberatur genus humanum, non à morte corporis tantùm, sed à morte, quâ mortui sunt, pro quibus unus mortuus est. Et quia pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Et ne ullus superfit locus dubitandi de mente Augustini, ait lib. 1. cap. 50. contra Julianum: *Præclari prædicatores, si prædicatis JESUM, ut enim negetis parvulorum esse JESUM. Nolite Salvatorem in salvis pueris invidere*, & cap. 51. subdit: *Vos ergo, si carere vultis opprobrio, quo Ecclesia Catholica detestabiles facti estis, finite Christum parvulis esse JESUM.* expressè asserit, Christum esse Salvatorem puerorum, qui non salvantur: ergo ex mente Augustini Christus non pro solis prædestinatis mortuus est, sed etiam pro aliis, qui non salvantur, consequenter pro omnibus hominibus; loquitur Augustinus de parvulis, qui ad gratiam baptismi non perveniunt, & etiam pro quibus Christus mortuus est. Rursus lib. 2. operis imperfecti contra Julianum cap. 128. *Unus pro omnibus mortuus est Juliane, non hoc Augustinus, sed Apostolus dixit; ipse per suum Apostolum Christus: cohibe te vaniloquio, cede DEO, digere crapulam contentionis, & intellige.* Deinde ostendens discrimen inter duas illas voces: *Omnes, & multi*, in verbis Apostoli ad Rom. 5. v. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis prævaricatores constituti sunt multi*, & 1. Corinth. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur*, ita utrumque locum conciliat, inquiens: *Multi quippe isti, ipsi sunt omnes, de quibus alio loco dicit: Sicut in Adam omnes moriuntur.* Asserit Augustinus, Christum pro iis omnibus mortuum esse, qui in Adam fuerunt mortui, seu quos peccatum Adæ infecit: sed omnes omnino sive prædestinati, sive reprobi fuerunt io Adam mortui, quia peccatum originale omoes omnino homines (unâ exceptâ Matre DEI) infecit & corrupit. Tandem lib. 1. operis imperfecti cap. 110. ait: *Sinite ergo parvulos invenire ab eo, qui venit quærere, quod perierat alioquin liberatorem JESUM, quoniam & ipsi homines sunt, prorsus invidetis, quantacunque loquacitate crudelitatem vestri hujus erroris obtegendam esse credatis*, igitur ex Augustino JESUS ideo est Redemptor parvulorum, eo quia & ipsi homines sint, quæ ratio extenditur ad omnes omnino homines, sive prædestinati, sive reprobati sint, sive fideles, sive infideles, omnes enim homines sunt, proinde si ex Augustino Christus mortuus est pro parvulis, eò quia homines siot, sequitur mortuum esse noo solum pro prædestinatis, & electis, sed etiam pro reprobatis, & damnatis, & ipsi homines suot. Placuit hæc omnia Augustini testimonia congerere, eò quia Hæretici asserunt, ipsum docuisse, Christum mortuum fuisse tantùm pro prædestinatis, ut Jansenius Tom. 3. de gratia Salvatoris lib. cap. 21. col. 390. ubi ait: *Nullo modo principiis Augustini consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse Patrem orâsse sentiatur.* Et oonnullis interjectis subdit: *Ex quo factum est, ut juxta sanctissimum Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro Diaboli deprecatus fuerit. Sed si quid pro illis rogavit Patrem, pro temporalibus quibusdam justitiæ effectibus rogavit, & pro iisdem obtinendis obtulit pretium, fuditque sanguinem suum.* Quàm falsum sit, Augustinum asseruisse, Christum mortuum pro solis prædestinatis, ex eo liquet, quia ipse utitur verbis Apostoli: *Christus mortuus est pro omnibus*, tanquam principio ab adversariis satis cognito, & magis explorato, quam ipsa originalis noxa, & ex eo, quòd peccatum originale, cui probando præfatum Apostoli principium adhibebat, contraponit merito Christi ex sua passione, & morte, quia sicut peccatum originale omoes homines infecit, corrupit, ita Christi meritum ex sua passione, & morte omoes homines vivificavit. Augustini argumentum est, Christum mortuum esse pro omnibus, qui in Adamo mortui sunt, ut eos sua morte vivificaret: sed omnes omnino boonines exploratum est etiam apud Hæreticos esse mortuos, ergo Christus pro omnibus omnino hominibus, sive prædestinatis, sive reprobatis mortuus est, unde si Hæretici credunt, omnes hooines per peccatum originale esse mortuos gratiæ, necesse est, credant Christum pro omnibus universim sive prædestinatis, sive reprobatis mortuum esse, neque D. Augustious potuit aliter sentire, nisi secum voluisset pugnare, & Pelagianorum arma in proprium jugulum retorquere, asserebant enim Pelagiani: *Eos nequaquam esse mortuos, pro quibus Christus non est mortuus.* Quòd si juxta regulas Dialecticorum velimus argumentari, consequens noo potest universalius esse antecedente, adeo ut ex antecedente particulari malè concludatur universale, unde si Augustinus credidisset, Christum nonnisi pro quibusdam mortuum fuisse, non potuisset concludere, omnes in Adam peccâsse, & Christum mortuum esse pro omnibus, qui per peccatum Adæ mortui erant, ut eos vivificaret, oec potuisset ad id evincendum uti verbis Apostoli: *Christus pro omnibus mortuus est*, neque dixisset, omnes homines esse mortuos in Adam, quia pro omnibus hominibus Christus mortuus est.

Objiciunt tamen Calvinistæ aliqua scripturarum loca ad evincendum, Christum non fuisse mortuum pro omnibus, uec venisse pro omnibus, Matth. 9. *Non veni vocare justos, sed peccatores, non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt Domus Israel.* Verum hæc scripturarum loca ipsos Calvinistas oppugnant, nam si Christus non venit vocare justos, sed peccatores, ex sententia Calvini sequitur, solos reprobos esse justos, & solos peccatores esse prædestinatos. & justos reprobatos, contrarium autem docet Calvinus asserens, solos fideles

deles & justos esse prædestinatos, & pro ipsis Christum mortuum. Præterea si non est missus, nisi ad Judæos, sequitur solos Judæos esse prædestinatos, vel si sit missus etiam ad alios, sequitur non ad solos prædestinatos esse missum, contra Calvinum & ejus asseclas. Quamobrem alius est sensus scripturarum, quæ afferuntur, Christus enim venerat, ut sanaret omnes, qui se ægros esse fatebantur, ac medicinam petebant, alios verò, qui se sanos profitebantur, ut tunc erant Pharisæi, ideo non sanabat, quia opem medici respuebant, & ideo respondit Christus: *Non veni vocare justos, sed peccatores*, seu non veni, ut sanitatem impertirem sanis, & non egentibus opem medicis, sed ægris, ac malè se habentibus. Præterea quia Christus erat Messias promissus solis Judæis propter fidem Abrahæ, ideo dicit se missum ad solos Judæos, ut ipsis gratiam prædicationis & miraculorum exhiberet; non tamen Ethnicos exclusit à sua gratia, quinimo ipsos assumpsit, & jussit Apostolos eos docere Evangelium, Matth. 28. *Euntes ergo, docete omnes gentes*, hinc Apostolus ad Roman. 3. *An Judæorum tantùm DEUS? nonne & gentium, imò & gentium, quoniam quidem unus est DEUS, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*, & ad Galat. 2. *Creditum est mihi Evangelium Præputii, sicut Petro in Apostolatum circumcisionis operatus est mihi inter gentes*, ex quibus & aliis scripturæ locis clarè sequitur, Christi meritum ad omnes prorsus homines se extendere, ut omnes, quotquot peccârunt in Adam, sanaret, & ad æternam perduceret salutem quapropter Joan 12. ait: *Et ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, quibus verbis Christus vim & efficaciam suæ passionis, & mortis declarat, loquitur enim de se tanquam de milite pugnante cum Diabolo, & significat ex cruce sua veluti ex munitissima, & altissima turri pugnaturum, & omnes homines, quotquot Diaboli servitute opprimebantur, ex ipsius manibus erepturum, & in cœlum suscepturum, & quamvis non traxerit omnes effectu, eò quia non omnes siverunt se trahi, voluntate tamen, quantum ex se est, omnes traxit, quia voluit omnes ad ipsum converti, hinc etiam in ipsa cruce ambos Latrones veluti manu dextra, & sinistra prehensos ad se trahere voluit, sed effectu unum tantùm traxit, eò quia permisit se trahi; alterum non traxit, quia noluit ab ipso trahi.

Dicendum est tertiò, non solos prædestinatos, sed etiam reprobos à DEO vocari ad fidem, & justitiam, quam si velint, possunt deperdere, est contra Calvinum asserentem, solos prædestinatós non reprobos vocari ad fidem, & justitiam, eamque semel habitam amitti non posse, quæ propositio quoad utramque partem hæretica est, & repugnans divinis scripturis, ait enim Calvinus lib. 3. Instit. cap. 23. §. 7. *Quemadmodum vocatione, & justificatione electos suos Dominus signat, ita reprobos vel à notitia sui nominis, vel à Spiritus Sancti sanctificatione excludendo, quale maneat eos judicium istis veluti notis aperit.* Et cap. 22. §. 10. ait: *Si omnes vellet salvos custodem illis præficeret Filium, & omnes in ejus corpus sacro fidei vinculo insereret. Nunc constat singulare paterni amoris pignus filiis, quos adoptavit, recondi.* Rursus lib. 3. cap. 21. §. 7. ait: *Quos inseruit semel Christus in corpore suo, eorum neminem perire sinet.* Vult enim Calvinus Christum solos prædestinatos ad se vocare ac inserere suo corpori, & illos non posse amplius deperdere gratiam.

Quòd Christus non solùm prædestinatos, sed etiam reprobos, & omnes homines velit ad se venire, ac illis suppeditare media sufficientia, ut veniant, liquet ex scripturis, ubi Christus invitat omnes, Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis.* Præterea est certum ex iisdem scripturis, Christum vocâsse ad se, seu ad fidem vel justitiam, non solùm prædestinatos, sed etiam reprobos, inter quos fuerunt Judas proditor, Simon Magnus, Nicolaus Antiochenus. Et de Juda testatur D. Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos, & evincit ex verbis Christi, Joan. 17. *Pater, quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex eis periit, nisi Filius perditionis.* Quòd si Pater dedit illum Filio, procul dubio bonus erat; & si periit ex grege, certè antequam periret, jam in Christi grege continebatur. De Simone Mago testatur Sanctus Lucas in Actibus Apostolorum cap. 8. verbis illis: *Cùm verò credidissent Philippo Evangelizanti, tunc Simon & ipse credidit, & cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo.* De Nicolao Antiocheno scribit idem Lucas cap. 6. *Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonii septem plenos Spiritu Sancto, & sapientia, & elegerunt Stephanum, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum*: quamvis hi tres fidem habuerint, reprobi tamen fuerunt, unde non solùm prædestinati vocati fuerunt ad fidem, sed etiam reprobi.

Quòd Calvinus etiam asserat fidem, & justitiam semel habitam amitti non posse, falsum est, & hæreticum & olim à Joviniano Hæretico assertum, ut testatur D. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum. Etenim si fides semel habita amitti amplius non posset, falsum scripsisset Apostolus Paulus 1. Timoth. 1. *Quidam circa fidem naufragaverunt, ex quibus Hymenæus, & Alexander*, & 1. Timoth. 4. *In novissimis temporibus discedent quidam à fide.* Si igitur quæ D. Paulus scripsit, vera sunt, fides ab illam habentibus potest amitti. Præterea parvoli, qui nascuntur ex parentibus Calvinistis, per baptismum acquirunt veram fidem, quam servant, donec perveniant ad usum rationis, postea deperdunt, eò quia imbuantur erroribus parentum, proinde fides ab ipsis habita amittitur. Præterea plures sunt in scripturis, qui veram fidem amiserunt, inter quos Lucifer, quando ex justo Angelo factus est Diabolus. Adam, cum è statu innocentiæ excidit, David, cum adulterium perpetravit. Salomo, quando Idolis templa erexit, Petrus, quando ter Christum negavit. Denique omnes illi, qui teste Apostolo post agnitionem justitiæ retrorsum conversi sunt. Rursus si justitia semel habita non posset amplius amitti, non juberemur quotidie orare, ne inducamur in tentationem. Paulus Apostolus non castigâsset corpus suum, nec illud redegisset in servitutem ex timore, ne forte reprobus fieret. Hinc monet scriptura, ut qui stant, videant, ne cadant, & ut in timore salutem nostram operemur. Demum quia si justitia semel habita non posset amplius amitti, licitum esset habentibus justitiam vacare ebrietatibus, & commessationibus, indul-

indulgere voluptatibus sensus, furta, & adulteria perpetrare, alios occidere, quia adhuc perseverarent in justitia, & cur hæc omnia non sint licita Calvinistis, qui putant, se veram possidere fidem, & justitiam.

Objiciunt tamen Calvinistæ illud. 1. Joan. 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus*, ubi Apostolus docet, quo signo possint in hac vita filii Dei internosci, ac distingui à filiis Sathanæ; & ait, illud esse primarium, quod filii DEI non peccant, bene tamen filii Sathanæ. Verùm est difficultas, de quibus peccatis sit sermo; an de venialibus tantùm, ut censet D. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remissionibus cap. 7. & lib. de gratia Christi cap. 11. vel potiùs de mortalibus, ut asserit idem Augustinus *Tract. 5. in epist. Joan.* & D. Hieronymus lib. 1. adversus Pelagianos, & hoc posterius videtur præferendum, adeo ut sensus illius scripturæ sit, qui ex Deo natus est, non potest mortaliter peccare, quamdiu manet natus ex Deo, seu filius Dei, eò quia habeat in se charitatem, quæ non potest cohærere cum peccato ullo lethali, in quo differt ab aliis virtutibus Theologalibus fide, & spe, quæ possunt cum peccatis lethalibus cohærere, & quia per charitatem, & gratiam sanctificantem constituuntur homines filii, ideo quamdiu manent filii Dei, non possunt peccare, & dignoscuntur à filiis Diaboli, bene tamen cessantes esse filii Dei possunt peccare. Unde in sensu composito cum charitate non possunt peccare, sed tantum in sensu diviso. Instant adferentes illud Cantic. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* & illud Apostoli ad Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? certus sum, quia neque mors, neque vita, neque creatura aliqua poterit nos separare à charitate Dei*: & 1. Corinth. 13. Charitas nunquam excidit. Sed contra, quia allegata scripturarum testimonia non significant, charitatem semel habitam non posse amplius deperdi; sed tantæ esse efficaciæ, ut quamdiu ipsa manet, expellat à se peccatum, cum quo non cohæret, & quamdiu manet in homine justo, non possit frangi ullis molestiis, aut difficultatibus opprimi, sed vir justus prædido, ac ope charitatis omnia fortiter, ac patienter pro Christi nomine sustineat, ut explicat D. Augustinus *lib. 1. de moribus Ecclesiæ* cap. 11. & sequent. & infertur ex illo D. Pauli 1. Corinth. 13. *Charitas patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia sustinet.* Sed si quis incidat in peccatum lethale, statim deperdit charitatem, & simul cum ipsa patientiam, ac fortitudinem, reliquasque virtutes supernaturales, exceptis habitibus fidei, & spei, ut contigit illi, de quo Joannes in Apocal. 2. ait: *Habeo adversum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Hinc liquet, habentem charitatem posse illam deperdere, & iterum per resipiscentiam recuperare, superest explicandum aliud adductum à Calvinistis scripturæ testimonium Joan. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo, ei non sitiet in æternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Dicunt per hanc aquam intelligi charitatem, & gratiam sanctificantem, quam qui possidet, non potest amplius eam deperdere. Sed contra, quia sensus est, ut qui charitatem possidet, quamdiu eam possidet, non possit sitire, seu desiderare mundi illecebras, nec oblectamenta, quia habet in se fontem aquæ vivæ, ex quo veræ scaturiunt consolationes spirituales, ac vera dimanant gaudia: sed si fons exsiccetur, seu si charitas deperdatur; iterum incipit, qui charitate excidit, sitire mundi voluptates, ac carnis illecebras.

Dicendum quartò, Prædestinatos nonnunquam lethaliter peccare; & Reprobos non incitari ad peccatum, ut damnentur, est contra Calvinum docentem, omnia peccata prædestinatorum esse venialia, & ipsis non imputari, & reprobos incitari, cogi ad peccata, ut possint æternis addici suppliciis, nec ullum peccatum unquam illis remitti. Prima pars asseritur à Calvino lib. 2. Instit. *cap. 8. §. 9.* his verbis: *Habeant filii Dei omne peccatum mortale esse, quia est adversus Dei voluntatem rebellio, quæ ejus iram necessario provocat? quia est legis prævaricatio, in quam edictum est sine exceptione Dei judicium: Sanctorum delicta venialia esse non ex suapte natura, sed quia DEI misericordia veniam consequuntur.* Secunda pars asseritur à Calvino lib. 1. Instit. cap. 18. §. 1. ubi ait: *Absurdum videtur volente, ac jubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis suæ pœnas daturus est. Tergiversando igitur effugiunt, Deo tantùm permissu, non etiam voluntate hoc fieri: ipse verò palam se facere pronuntiant effugium illud repudiat*: & §. 2. ait: *Sed nihil clariùs potest desiderari, quàm ubi toties pronunciat, se excæcare hominum mentes, ac vertigine percutere.* Tertiam partem probat Calvinus lib. 1. Instit. cap. 1. §. 20. & 21. ubi docet, peccata non remitti nisi in Ecclesia, & cum ipse asserat, reprobos non esse in Ecclesia, sequitur necessariò eorum peccata non remitti.

Prima pars Calvinianæ propositionis asserentis, omnia peccata prædestinatorum esse venialia, & ipsis non imputari, repugnat sacris scripturis, & est hæretica. Etenim Protoparens noster Adamus conditus à Deo fuit propter cœli gloriam, fuitque prædestinatus, & tamen peccatum, quo fuit transgressus divinum præceptum, lethale fuit, cum mortem in mundum introduxerit, & omnes posteros infecerit, ac perdiderit, & ipse justitiam amiserit originalem: quòd Adamus fuerit à Deo prædestinatus, asserunt communiter Patres, Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Augustinus, & alii, qui Tacianum ex eo censuerunt hæreticis accensendum, quia negaverit, Adamum fuisse prædestinatum, ac fuisse æternam consequutum salutem. Quòd verò lethaliter peccaverit, & à Dei gratia exciderit, colligitur ex illo Apostoli ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors.* Neque Calvinus id inficiatur, etenim lib. 2. Inst. cap. 2. §. 12. expressè ait, per peccatum Adæ amisisse hominem omnia dona supernaturalia sanctitatis, ac justitiæ studium; hinc omnes Sancti Patres adstruunt, Adæ peccatum fuisse lethale. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem. Quis dubitabit illud Adæ delictum hæresim pronunciare? D. Ambrosius epist. 33. ad sororem Marcellinam alloquens Adamum ait: *Agnosces Adam te esse nudum, quia indumenta fidei perdidisti.* Augustinus lib. 14. de civit. Dei, & communiter alii Patres hoc idem asserunt, & fatetur etiam ipse Calvinus *lib. 2. cap. 1. §. 4.* inquiens: *Quia verò non leve delictum, sed detestabile fuisse scelus oportet, quod tam severè ultus est Deus. Species ipsa peccati in lapsu Adæ consideranda nobis est, quæ horribilem Dei vindictam accendit in totum humanum genus*: vocat hic Adæ peccatum non leve delictum, hoc est gravissimum, detestabile, quod Dei vindictam accendit in totum humanum genus: quomodo ergo alibi docet, peccata omnia prædestinatorum non esse mortalia, nec imputari prædestinatis, si Dei iram accendit in totum humanum genus, & morte

damna-

damnavit omnes homines: si pœna est gravis, non potuit ad culpam levem sequi.

Davidem fuisse prædestinatum, nemo est qui neget; satis enim id deprædicant suæ sanctitatis encomia; pœnitentia, quam agit; lacrymæ, quas fudit, & dolor, quem concepit; & tamen certum est, ipsum fuisse in peccatum lethale prolapsum, cum adulterium perpetravit, cumUriam jussit occidi: unde 2. Reg. 12. habetur: *Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi, & interfecisti eum gladio Filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quòd despexeris me, & tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua*, gravia igitur & lethalia fuerunt delicta, quibus David adulterium cum Bathsabæa commisit, & homicidium, quo mandavit occidi Uriam, & tamen prædestinatus fuit, & contractas peccatorum maculas lachrymis absterfit, noxásque dolore, & resipiscentia expulit. Fatetur ipse dolens suum peccatum Psal. 50. *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*, & enixim miserenti Deo supplicat, ut velit lethales maculas è suo corde delere, illúdque purgare, ac innovare: Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis*, & confidens in Dei benignitatem, & misericordiam, quasi tutus certúsque de venia sibi impertienda, condonatísque peccatis subdit: *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*. Huc accersendus D. Augustinus, qui in expendendo Psalmo illo inducit Davidem ita loquentem: *Miserere mei secundùm omnem misericordiam tuam, subveni gravi vulneri meo secundum magnam medicinam tuam. Grave est, quod habeo; sed ad omnipotentem confugio de meo lethali vulnere desperarem, nisi tantum Medicum reperirem.* Ergo David licèt cultura virtutum illustris, & sanctitate clarus, ac à Deo prædestinatus lethaliter peccavit. Ut etiam D. Petrus Apostolus, qui sine dubio prædestinatus etiam fuit, & tamen mortaliter peccavit, fatentur omnes cum ter proprium Magistrum, suúmque Redemptorem abnegaverit, tametsi & ipse lachrymis doloris, & resipiscentiæ patratas noxas absterserit. *Timendo mortem*, ait Augustinus Tract. 66. in Joan. *carnis tua mortem dabis animatua. Quanta enim vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum.* Et pluribus interjectis subdit: *Petrus ante mortem, & resurrectionem Domini, & mortuus est negando, & revixit plorando. Mortuus est, quia superbè præsumpsit; revixit autem, quia benignè ille respexit.* Quòd si transgressio divini præcepti in Adamo, adulterium & homicidium in Davide, perjurium, & negatio in Petro, noxæ fuerunt suapte natura lethales, jam sequitur contra Calvinum falsum esse & hæreticum omnia peccata prædestinatorum esse venialia, & ipsis non imputari, etenim vel Adam, David, & Petrus peccantes amiserunt justitiam, gratiam divinam, vel non, si dicatur hoc secundum jam amplissima aperitur janua ad omnia scelera, quia posset quilibet liberè transgredi divina præcepta vitiis indulgere, quia semper perseveraret in statu gratiæ, ac esset sanctitate insignitus, tametsi pluribus coinquinatus peccatis, quod est absurdum, & hæreticum, quia per peccatum esset homo aversus à Deo, & per gratiam conversus ad Deum, proinde a esset, & non esset filius Dei adoptivus. Si dicatur primum ergo prædestinatis imputantur peccata, quæ perpetrant, cùm priventur gratia sanctificante, & charitate.

Quod verò asserat Calvinus reprobos à Deo incitari, & adigi ad peccata, ut possit eos suppliciis addicere gehennalibus hæreticum est, & expressè contra scripturas, etenim Ecclesiast. 15. *Nemini mandavit impiè agere.* Si nemini Deus præcepit perperam agere, quomodo incitat ad peccatum, quomodo adigit reprobos, ut malè agant, ac peccent? Psal. 5. ait David: *Non Deus volens iniquitatem tu es*, expressè asserit, Deum nolle iniquitatem, & peccata ab homine fieri, hinc ipse Deus per suum Prophetam Jeremiam cap. 19. ait: *Ædificaverunt excelsa Baalim, quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum*, hoc est, peccata perpetrârunt idololatriæ, quæ non præcepi, nec quidquam de ipsis locutus fueram, quapropter per alium Prophetam Ose. 13. ait Deus: *Perditio tua ex te Israel tantummodo in me auxilium tuum*: ergo ex scripturis clarè constat, Deum non incitare, neque adigere reprobos ad peccandum, unde Jacob. 1. habetur: *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Et licèt permittat Deus peccata ab hominibus committi, non tamen vult ipse homines peccare, nec eos incitat, ut peccent, sed eum relinquit in suo libero arbitrio permittens ipsum agere, quod velit, ut ait Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 13. inquiens: *Modus quo traditus est homo in Diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri jusserit, sed tantùm permiserit.* Alioquin si Deus incitaret, & adigeret reprobos, ut peccarent, esset Deus Author peccati, imò & mendax, si verbis prohiberet fieri peccata, quæ te ipsa patrari debent, & ad illa incitaret: imò crudelis etiam foret, si aliquem incitaret, & impelleret ad peccatum, ad eum finem, ut posset ipsum punire. Rursus sequeretur non hominem peccantem, sed solum Deum peccare, quod est summa blasphemia, etenim nemo peccat in eo, quod vitare non potest, atqui homo non potest Deo resistere, neque evitare illas actiones, quas Deo jubente, & impellente agit: & ad quos necessitatem adfert, ergo non homo peccaret, sed solus Deus. Quamobrem Deus, ut liquet neminem vult peccare, sed tantùm permittere peccatum: aliud enim est velle, & illud permittere, illud se habet per modum præcepti, cui tenetur homo obsequi, istud verò non ponit, nec supponit præceptum, sed tantùm relinquit hominem in suo libero arbitrio, ut agat bene, vel male, prout ipsi magis placuerit. Quamobrem licèt Deus permittat, ordinet, & puniat, quæ tria ad ipsius pertinent providentiam, non tamen vult hominem peccare, nec ipsum adigit, nec incitat ad peccatum. Deus igitur permittit peccatum, quia vult hominem esse præditum libero arbitrio, ac esse sui juris, quæ voluntas bona est, & nihil mali includit, siquidem bonum est velle unicuique rei suas naturales proprietates, ac perfectiones: & quia libertas arbitrii est hominis proprietas, ideo si Deus hanc libertatem vult inesse homini, in hac voluntate nil mali reperitur, sed tantùm ratio boni relucet. Rursus quod Deus velit hominem habere plenum usum liberi arbitrii, eo modo, quo illi est naturale, est etiam hæc Dei voluntas bona, siquidem bonum est unumquodque operari juxta suam naturam, & proprietates. Rursus quod Deus prævidens hominem usurum malè libero arbitrio, & ipsum non impediat, cum possit, sed permittat hominem malè uti libero arbitrio; hæc Dei voluntas est etiam bona, eò quia velit relinquere hominem, ut operetur liberè, prout ipsi magis placuerit, unde quod homo bene, vel male utatur libero arbitrio, ipsi soli debet imputari, quia Deus ipsum relinquit in suo pleno jure utendi libero arbitrio, quia ad id non desint

sint illi honesti fines, ob quos ita velit. Et in hac ipsa volitione propriè consistit permissio peccati, nec quid aliud est DEUM permittere peccatum, quàm non impedire peccatum, quod posset dupliciter præstare, vel subtrahendo concursum generalem ad actum peccati, vel impertiendo majus incrementum gratiæ: & hic posterior modus pertinet ad ipsam permissionem peccati, est enim hæc permissio negatio uberioris gratiæ prævenientis, quam si Deus concederet, nollet peccatum illud permittere. Dupliciter igitur dicitur Deus permittere peccatum, vel quia permittit aliquem labi in primum peccatum: vel quia permittit illum in peccato perseverare, prima permissio dicitur simpliciter permissio, secunda verò vocatur obduratio, excæcatio, despectio, aggravatio: & hæ duæ permissiones conveniunt, quia tametsi utraque sit quædam subtractio majoris gratiæ, neutra tamen tollit gratiam necessariam, & sufficientem, quia cum Deus velit omnes homines salvos fieri, omnibus suppeditat ea auxilia, quæ necessaria, & sufficientia sunt, ut possit quis æternam salutem consequi, & consequenter non peccare, cum peccatum impediat salutis assecutionem, imò si peccaverit homo, adhuc Deus illi confert sufficiens auxilium gratiæ, quod possit resipiscere, & si velit resurgere: quia verò prævidet, quòd si illis impertiret uberiora gratiæ incrementa, fore ut non peccarent, aut si fuissent lapsi in peccatum, resurgerent, adhuc negat illa majora auxilia, & hæc negatio est permittere peccatum, & perseverantiam in illo. Hinc solvuntur facilè argumenta Hæreticorum de obduratione, excæcatione, qua Deus dicitur subinde in scripturis obdurare, & excæcare hominem: non enim Deus per se, & directè obdurat, & excæcat hominem, quasi ipse faciat, ut homo in peccato perseveret: sed tantùm indirectè, vel negativè, quatenus non dat uberius gratiæ incrementum, quo resipiscere posset, vel quia offerat illi varias occasiones bene agendi, quas tamen homo negligit, unde Augustinus epistol. 105. explicans hanc Dei permissionem indirectam, & negativam, quatenus non dat uberius auxilium ad non peccandum, vel resurgendum à peccato, ait: *Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam*, seu non concedendo illud uberius auxilium gratiæ. Neque potest homo dolere de hac sibi denegata gratia uberiori, quia Deus plures alias ei offert occasiones bene operandi, ut miracula Sanctorum, suasiones concionatorum vocationes interiores, & alia id genus, quibus posset, si vellet bene uti, unde licèt destitutus sit illo speciali auxilio, non tamen illi desunt alia communia, quæ ad bene agendum sufficiant, unde David nos monet, non obdurare corda nostra, si vocem Domini audierimus, Psal. 94: *Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Quapropter in nostra est potestate obdurari, vel emolliri, audire, vel non audire vocem Domini, quando adversa nos premunt, quando exempla bonorum nos movent, ut explicat D. Augustinus exemplo Pharaonis, & Nabuchodonosoris, de quibus lib. de prædest. & grat. cap. 25. ait: *Quantum ad naturam ambo homines erant, quantum ad dignitatem ambo Reges, quantum ad causam ambo captivum populum Dei possidentes, quantum ad pœnam ambo flagellis clementer caduntur, & admonentur. Quid ergo fines eorum fecit esse diversos? nisi quod unus manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio.* Non solùm permittit Deus peccata, sed etiam ordinat, & punit. Ordinat quatenus prævidens aliquem peccaturum, nisi ipse impediat, & tamen nolit impedire, sed permittere, & tunc non solùm habet honestos fines, ob quos velit illud permittere, verùm etiam magna illi occurrunt bona, quæ ex patrato peccato possit eruere, ut passim docet D. Augustinus, quamobrem Deus illud peccatum, quod permittit, dirigit ex sua providentia, & ordinat ad illa bona, quæ intendit sive spectent ad eum, qui peccat, sive ad alium: quo pacto permisit Deus peccatum D. Petri, ut inde per pœnitentiam & lachrymas illustrior surgeret: peccatum filiorum Jacob ordinavit ad Josephi exaltationem, ac promotionem ad subliniorem dignitatem, unde Genes. 50. habetur: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me*, permisit Deus peccatum Judæorum, qui Christum crucifixerunt, sed illud peccatum ordinavit ad salutem & redemptionem totius humani generis: hinc facilis est responsio ad solvenda argumenta Calvinistarum intendentium probare peccata fieri Dei decreto, & ordinatione. Nuo enim peccata dicuntur fieri ex Dei ordinatione in eo sensu Calvinistarum, ut Deus ea ordinet, ut fiant quasi ipse velit, sed cùm facta sunt Deo permittente, à Deo ordinantur in bonum eventum peccantium, vel aliorum, & in hoc sensu intelliguntur plures scripturarum textus, Genes. 45. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Actor. 2. *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis.* Actur. 4. *Convenerunt verè in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Israel facère quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri*: etenim in his & aliis scripturarum locis nil aliud significatur, nisi quòd Dei voluntate, & consilio factum sit, ut ex peccatis, quæ futura prævidebat, boni eventus provenirent; & in hoc sensu etiam intelligitur illud Proverb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum*, non enim sensus est, ut putant Calvinistæ, Deum eatenus impios creare ad interitum, ut in eorumdem punitione suam ostendat justitiam: sed sensus est, ut Deus, qui prævidet aliquos impiè acturos, nihilominus eos creare, & eorum peccata ordinare ad suæ justitiæ manifestationem: quod verò Deus puniat peccata, nulli potest dubium esse, quia cum sit DEUS justus, & supremus judex juxta merita, vel demerita hominum debet præmia vel supplicia impertiri. Est igitur in DEO justitia vindicatrix, quia hæc virtus est nullam in suo conceptu involvens aut supponens imperfectionem: non enim requirit strictam obligationem in vindicante, ut patet in republica libera, & in principe supremo, qui potest promeritam pœnam reo condonare. Et in DEO hanc virtutem dari, ex eo evincitur, quia hanc exigit divina providentia & mundi regimen, quod constat ex operibus misericordiæ, & justitiæ vindicativæ: quidquid enim Deus agit circa creaturas, est opus misericordiæ, & benignitatis erga hominem, vel justitiæ vindicis peccatorum, in quo sensu intelligitur illud Psalm. 34. *Omnes viæ Domini misericordia, & veritas*, adeo ut in justitia vindex dimidium occupet partem divinæ gubernationis. Rursus cum Deus non operetur, nisi propter se ipsum, & ad ostendenda sua attributa non exercet hanc justitiam vindicativam, nisi ob bonum finem, quapropter in scripturis perinde ac Dei misericordia, ita etiam justitia, ac severitas nobis proponitur, & commendatur & ut eam clarius apprehendamus, variis modis nobis describitur, ut ea perterriti à peccatis retrahamur, etenim Psalm. 75. ait David: *Vovete, & reddite*

Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus offertis munera. Terribili & ei, qui aufert Spiritum Principum. Terribili apud omnes Reges terræ. Psalm. 96. *Nubes, & caligo in circuitu ejus justitia, & judicium correctio sedis ejus. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit, & commota est terra. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra: Annuntiaverunt cœli justitiam ejus, & viderunt omnes populi gloriam ejus &c.* Matth. 12. *Dico autem vobis. quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Hæc est illa justitia, quæ plures Angelorum myriades ob peccatum Luciferi è cœlo expulit, æternâ gloriâ privavit, & in imum dejecit inferorum, hæc est, quæ primum hominem è paradiso terrestri ob violatum divinum præceptum exclusit statu innocentiæ, & justitia originali spoliavit, & obnoxium effecit morti, hæc est, quæ generalem Cataclismum evocavit, quo totus mundus eversus fuit, & paucis exceptis omnes homines naufragium passi perierunt, hæc est, qua Sodoma, Gomorra, Adama, & Seboim cum plerisque aliis locis igne sulphureo deleta sunt, Genes. 19. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorram sulphur, & ignem à Domino de cœlo, & subvertit civitates has, & omnem circa regionem universos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia,* in quo supplicio vel maximè severitas divinæ justitiæ splenduit. Hæc est, quæ in Ægypto aquas in sanguinem convertit, Exod. 7. Cum Aaron ex divino præcepto fluminis aquam virga percussisset, statim omnia flumina, & rivi, paludes, & lacus, omnésque aquæ, quæ per totam illam regionem in cisternis, vasis continebantur, versæ sunt in sanguinem, hæc è putrescentibus aquis infinitam ranarum copiam eduxit, quæ totam operuit Ægypti regionem, omnes occupans campos, & loca omnia undique penetrans in domos, in cubicula, lectos, cellaria, penum, ollas, mensas, & omnia suo contagio inquinavit esculenta, poculenta. Hæc Sciniphum plenos exercitus eduxit, cum Aaron, jussu Domini, virga pulverem percussit, totus enim pulvis terræ per totam Ægyptum versus est in Sciniphum innumera examina, quæ instar nebulæ totum impleverunt aërem, ipsis etiam solis radiis stipata sua multitudine interceptis. Hæc omnia muscarum, & insectilium genera eduxit, quæ universas Ægyptiorum domos invasêre, omnia suis sordibus inquinarunt, fœdârunt, & corruperunt. Hæc pestem accersivit in animalibus, qua eodem tempore perierunt, equi, asini, cameli, boves, oves, quæ in agris erant, exceptis iis, quæ ad filios Israël pertinebant, quæ fuerunt ab illa clade immunia. Hæc totum aërem pulvere opplevit, qui in hominum & animalium decumbens corpora sua acrimonia, & vi cutim attollebat in vesicas, quæ deinde humore putrescente, & cute exesa in ulcera, & sordidam ferventemque scabiem tabescebat. Erat hoc malum molestissimum pariter, ac fœdissimum. Hæc terribilem grandinem inter fulmina ventósque procellosos demisit è cœlo, ut in terris arbusta contereret, ac segetes omnes flagellaret. Cùm enim Dei præcepto Moyses virgam in cœlum extendisset statim Exodi. 9. *Dominus dedit tonitrua. & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram, pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti. Et grando, & ignis mista pariter ferebantur: tantæque fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit in universa terra Ægypti, ex quo gens illa condita est. Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta, quæ fuerant in agris ab homine usque ad jumentum, cunctamque terram agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit.* Hæc demum in ordinariis & quotidianis punitionibus splendet, quæ juxta communem rerum cursum directum à divina providentia inferuntur scilicet peste, fame, bello, incendiis, latrociniis, naufragiis, ventorum procellis, aquarum eluvionibus, terræ motibus, imbribus, siccitatibus, aliisque modis, quibus mundus divexatur, in quo sensu Isaiæ 45. dicitur: *Ego Dominus, & non est alter formans lucem, & creans tenebras faciens pacem, & creans malum,* ubi per malum intelligitur omnis calamitas, & afflictio, in quo sensu dicitur Amos. 3. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* Præsertim justitia DEI vindex in puniendis hominum delictis in hac vita mortali flagello utitur bellorum, quo Deus Judæorum peccata pluries vindicavit, usus opera Regum, vel populorum vicinorum, vel Assyriorum, vel Chaldæorum, vel Ægyptiorum, vel Romanorum, per quos extremis cladibus sæpe affecti fuerunt: quo pacto decem Tribus post quam à Regibus multis fuissent calamitatibus attritæ, nihilominus quia in sua pravitate persiterunt, justo DEI judicio ab Assyriis penitus excisæ fuerunt omnibus vel interfectis, vel in perpetuam servitutem abductis: & tribus Juda, & Benjamin, quæ solæ ex duodecim superant, à Chaldæis superatæ sunt, & in Chaldæam translatæ, ubi per annos septuaginta durissimam pertulerunt servitutem, quæ pœna illata fuit ob præterita peccata. An verò DEUS peccatum peccato puniat, seu an unum peccatum sit pœna alterius, Calvinistæ id asserunt, asserentes Deum sicut pœnæ ita & peccati authorem: sed Catholici docent, posterius peccati propriè non esse pœnam prioris, sed tantùm impropriè, vel quia DEUS aliquando deserat, & destituat hominem sua gratia in pœnam præcedentis peccati, ex qua desertione iterum homo peccat, adeo ut non sit ipsum peccatum, quod sequitur, sed desertio sit pœna justè à Deo inflicta juxta illud Apostoli ad Roman. 1. *Propter quod tradidit DEUS illos in reprobum sensum.* Vel quia sæpe fit, ut posteriori peccato sit annexa aliqua infamia, vel corporalis infirmitas, vel tristitia, imò & vermis conscientiæ, vel aliud simile incommodum, & tunc posterius peccatum dicitur esse pœnam prioris, non tamen ratione sui, sed ratione effectus procedentis à tali peccato.

Tertia pars propositionis à Calvino prolatæ, quæ quæ asserit peccatum reproborum nunquam remitti hæretica est, & divinis adversatur scripturis, & injuriam Deo irrogat, *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, ac est *propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Rursus Calvini propositio in desperationem homines trahit; etenim qui peccati sibi conscius, quid aliud ex doctrina Calvini sperare potest, quàm nullam esse spem veniæ. & condonationis; si enim est reprobatus, nil debet sperare, nisi æterna supplicia, nilque de divina misericordia. nihil de venia impetranda. Præterea id repugnat cum parabola Matth. 18. *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me:* si servo reprobo, seu nequam Paterfamilias condonavit debitum; per patremfamilias Sancti patres DEUM intelligunt, & per servum nequam hominem peccatorem, & reprobum, cui, si Deus peccata dimisit, sequitur, peccata reproborum dimittere, & condonare. Deinde Calvini propositio nititur falsis suppositis: quia certum est, aliquos reprobos reperiri in Ecclesia, pro quibus mortuum esse Christum, satis perspicuè superius ostendimus, ac proinde omnes sufficiens habent gratiæ auxilium ad assecutionem æternæ salutis: & cum

fit ho-

sit homo liberi arbitrii, qui cum auxilio gratiæ cooperari possit, si velit, & Deus injungat omnibus præceptum pœnitentiæ, & resipiscentiæ; ex hisce principiis præsuppositis sequitur, reprobos debere, ac posse resipiscere suorum pœnitere peccatorum, ac posse veniam de iisdem à Deo consequi, Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, vivet, & non morietur. Quoniam iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor amplius:* Et infra: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; & non erit vobis in ruinam iniquitas vestra. Et nolo mortem morientis, revertimini, & vivite.*

CAPUT IV.

Asseritur Christi impeccabilitas contra Hæreticos, & refelluntur quæ de Justificatione hominum asserunt Calvinistæ.

EO temeritatis Calvinus pervenit, ut ausus fuerit asserere, candidissimam, ac purissimam Christi animam obnoxiam fuisse peccato, & de facto incidisse in peccata impatientiæ, ac desperationis, ejus verba sunt, *asserimus sanctum ejus*, seu Christum, *in cruce incidisse in peccatum impatientiæ, ac desperationis*, & addit in horto tantâ fuisse perturbatione agitatum, ut oraverit sine spiritu, & plura alia blasphemavit, quæ non impugnatione, sed aurium obturatione magis digna sunt.

Dicendum est, Christum de facto nunquam peccasse, est certissima de fide propositio expressè significata in Scripturis. Joan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Petri cap. 2. ubi de Christo ait: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus:* Ex quibus certum est de Fide, Christum Dominum nunquam peccasse, Idque etiam Prophetæ prædixerunt Isaiæ 53. Christus dicitur *Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*. Si impollutus, ergo nullo unquam fuit peccato pollutus, & coinquinatus; hinc Apostolus ad Hebræos 5. *Qui nimirum compati possit infirmitatibus nostris tentatus autem per omnia absque peccato.* Ad Hebræos 4. *Obtulit enim semetipsum immaculatum DEO.* Imò non solùm sanctissima Christi humanitas omnino libera fuit à quovis actuali peccato, sed etiam ab originali, & id est iidem de fide colligitur ex Scripturis Luc. 1. *Quod enim ex te nascetur sanctum vocabitur Filius DEI*, quæ verba communiter à Sanctis Patribus intelliguntur de nativitate in utero, quâ Christi humanitas primò fuit formata ope Spiritus Sancti, & unita Personæ Verbi: Hinc Angelus dixit Luc. 1. *Quod in ea*, scilicet Maria, *natum est, de Spiritu Sancto est*; Ubi sermo est etiam de prima nativitate in utero, quæ sancta, seu absque ullo peccato asseritur, & additur causalis, quia de Spiritu Sancto est. Verba Angeli annuntiantis Mariæ Verbi divini Incarnationem eò tendebant, ut Mariam certam redderent parituram absque ullo periculo amittendæ Virginitatis, & Josephum Sponsum securum de uxoris inviolata integritate; neutrum autem sequeretur si non fuisset Angelus loquutus de prima nativitate in utero, sed tantùm de secunda ex utero, quia Baptista sanctus fuit natus ex utero, & non ex hoc Sancta Elisabeth illum in utero sine corruptione, & peccato originali concepit: ergo ut Angelus Mariam certam redderet de non amittenda virginitate in Christi Conceptione, & Josephum certum de illibata uxoris integritate loqui debuit de prima nativitate Christi in utero, non de secunda ex utero. Præterea Christum ab omni prorsus peccato liberum fuisse asserit Sponsa *Cant.* 6. ubi loquens de Sponso ajebat: *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus*, quæ verba Richardus Victorinus interpretatur de Christo, qui *candidus* à Sponsa dicitur quia innocens absque ulla omnino peccati labe, dicitur etiam *electus ex millibus*, quia solus sine dolo absque ullo peccato inventus fuit juxta illud Isaiæ cap. 53. *Qui peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus.* Liquet etiam ex D. Paulo ad Hebræos 4. ubi de Christo ait: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Ex cap. 7. subdit: *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus*, quibus Apostolus omne peccati genus removet à Christo: & rectè, quia tametsi Verbum divinum nostram assumpserit humanitatem, non tamen nostros assumpserit defectus ad alium finem, nisi ut satisfaceret pro nobis, & ostenderet veritatem naturæ humanæ assumptæ, nobisque præberet exemplum virtutis: atqui peccatum non pertinuit ad satisfactionem pro nostris peccatis, neque ad ostendendam veritatem nostræ humanitatis erat necessarium: ergo Christus in nostra humanitate non habuit peccatum. Major & consequentia tenent. Ostenditur minor; quia peccatum non potuit ad satisfactionem pro nostris peccatis conducere, quia potius virtutem impedit satisfactionis: neque ex illo nostræ ostenditur humanitatis veritas, quia peccatum non est conforme naturæ humanæ, sed eidem dissentaneum, ac contrarium, quia contra ejus naturalem inclinationem; neque potest virtutis esse exemplum, cum virtuti adversetur: unde peccatum non potest conducere ad illos fines propter quos Christus nostram assumpsit humanitatem; quæ propterea immunis fuit à omni prorsus peccato. Præterea peccatum non est quod satisfacit, sed pro quo Christus satisfecit. Quod si dicas posse peccare esse prædicatum essentiale naturæ humanæ, proinde pertinere ad ostendendam ejus veritatem; & hanc potentiam per peccatum cognosci, sicut per actum, & effectum cognoscitur ejus causa, proinde peccatum in Christo conducere ad manifestandam veritatem naturæ humanæ. Contra est quia potentia peccandi quamvis dici possit prædicatum essentiale naturæ humanæ, quatenus hæc facta est ex nihilo, estque essentialiter deficiens; non tamen est ejus prædicatum essentiale prout natura humana est à Deo: Hinc falsum est debuisse à Verbo divino una cum natura humana assumi peccatum, ut veritas humanæ naturæ etiam ut ex nihilo factæ manifestaretur; sufficiens enim fuit si veritas naturæ humanæ manifestaretur quatenus est à Deo, & ipsi subordinatur, estque à Deo constituta in suo esse; non verò ut est ex nihilo facta, estque propterea deficiens; natura peccando non est efficiens sed deficiens, quia deficit à rectitudine. Præterea potentia peccandi non est de essentia humanæ naturæ secundùm naturalem ejus inclinationẽ, sed potius est extra vel contra ejus naturalem inclinationem; quia naturalis propensio naturæ est ad rectã ope-

operandum in ordine ad assecutionem sui finis: unde Christus ad ostendendam veritatem humanæ naturæ secundùm ejus naturalem inclinationem non debuit assumere peccatum: peccatum enim tantùm manifestat defectibilitatem naturæ, non verò ejus naturalem inclinationem ad finem ultimum, seu summum bonum; proinde cùm natura humana non debuit Christo inesse.

Si urgeas Verbum divinum cum natura humana debuisse peccatum assumere et nobis exhiberet exemplum virtutum omnium: Christus enim hoc exemplum nobis dedit, consequenter fuit in ipso peccatum: quia sine peccato non potuisset actum pœnitentiæ exercere; quia pœnitentia propriè non est de alieno, sed de proprio peccato: ergo ut Christus nobis præberet exemplum omnium virtutum, etiam pœnitentiæ debuit illi peccatum inesse. Sed contra quia tametsi peccatum in Christo non fuerit, adhuc potuit nobis exemplum pœnitentiæ præbere: quia ut docet D. Thomas *3. part. quæst. 15. art. 1.* Pœnitens potest laudabile exemplum dare non ex hoc quod peccaverit; sed per hoc quod voluntariè quædam sustinet pro peccato. Unde Christus maximum dedit exemplum pœnitentiæ, dum non pro peccato proprio, sed alieno voluit suam sustinere passionem, & mortem ipsam subire. Si instes, actum quo Christus aliorum pœnas voluntariè suscepit, & sustinuit non pertinere ad eandem virtutem, ad quam pertinet actus, quo quis voluntariè dolet de peccato proprio, siquidem hic actus propriè pertinet ad virtutem pœnitentiæ, non ille. Contra est, quia Christus tametsi innocentissimus & absque ullius peccati suspicione potuit suo exemplo movere homines ad pœnitentiam dolendo de aliorum peccatis, & pœnas pro iisdem sustinendo: Etenim si Christus qui peccatum non fecit, neque dolus inventus est in ore ejus, dolet de peccatis alienis, & pro iisdem acerbissimas sustinet pœnas, à fortiori debent exterè homines dolere de peccatis propriis, & debitas pro iisdem pœnas suscipere: ergo ut Christus suo exemplo moveret homines ad pœnitentiam, non fuit opus ut in se peccatum susciperet. Tum quia Christus debuit esse exemplar omnium virtutum absque ullo malo exemplo, hoc autem non contigisset si peccatum commisisset. Instabis cato Christi sumpta fuit de Adamo: Ergo etiam Christi humanitas saltem in Adamo peccavit perinde ac reliqui homines, aitenim Apostolus *ad Rom. 5. Omnes in Adam peccaverunt*, scilicet quotquot ex illo fuerunt originaliter: & Christi caro ab illo suam etiam traxit originem: Ergo Christus peccavit in Adamo. Sed contra quia ut rectè respondet D. Thomas *quæst. 15. art. 1. ad 2.* Nos fuimus in Adamo contenti secundum seminalem rationem, quia ex ipso originem trahimus mediante virili semine. Christus autem tametsi fuerit in Adamo secundùm corpoream substantiam, quatenus carnem sumpsit ex Virgine, quæ contenta fuit in Adamo, à quo suam traxit originem, non tamen Christus fuit in Adamo secundùm seminalem rationem, quia Christus non fuit conceptus mediante virili semine, sed ejus humanitas ope Spiritûs Sancti formata fuit ex purissimo Sanguine Virginis in ejus utero: Hinc est quod nos per generationem contrahamus peccatum originale; non ita Christus, qui secundùm seminalem rationem non descendit ab Adamo sicuti reliqui homines. Dices D. Paulus 2. ad Corinth. 5. loquens de Christo ait: *Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit.* Sed contra quia inde non sequitur Christum peccasse, sed tantùm ut explicant plures, factum esse habentem similitudinem carnis peccati propter corpus passibile & mortale, quod assumpsit. Præterea respondetur Apostolum dixisse, Christum non novisse peccatum cognitione scilicet & scientia experimentali; consequenter ex Apostolo sequitur, Christum non peccasse, quia si peccatum non novit, non potuit peccatum committere; quia si commisisset illud novisset scientia experimentali. Quamobrem cùm Apostolus ait, Christum pro nobis peccatum fecisse, id non intelligitur de peccato, cùm repugnet, Deum esse causam peccati, ut superius evicimus: Sed sumitur ibi peccatum pro hostia peccati, quatenus Christus factus est hostia pro peccatis nostris, seu victima, ut Deo Patri, ac divinæ justitiæ effusione sui Sanguinis, seu solutione pretii nostræ redemptionis satisfaceret, ut explicat D. Thomas 3. part. quæst. 15. art. 1. juxta illud Oseæ cap. 4. *Peccata populi mei comedunt Sacerdotes*, seu, hostias pro peccatis oblatas, quas secundùm legem Sacerdotes comedebant.

Hæretici blasphemo ducti spiritu probaturi, Christum tempore suæ passionis, in cruce desperasse, ac plura commisisse peccata adferunt illud Psal. 21. *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti, longè à salute mea verba delictorum meorum*, quæ verba ex Christi persona interpretantur à Sanctis Patribus. Sed contra quia verba illa multiplici sensu à Sanctis Patribus, & Theologis explicantur. Primò negativè scilicet: longè à salute mea verba delictorum meorum, eò quia cùm nullum commiserim peccatum longè sint, seu penitus absint à salute mea, seu ab anima mea: hæc explicatio est Euthymii, cui plures Theologi cum Vasquezio assentiuntur. Secundò explicatur de operibus Christi honestis, quæ à Christo delicta vocantur, non quia in se fuerint peccata, sed quia fuerunt à persecutoribus Judæis delicta falsò existimata; ideoque & ipse accusatus apud Pontium Pilatum, missus ad Caipham, & Herodem. Tertiò intelliguntur præfata verba quoad pœnam; quatenus peccata hominum quæ quoad culpam fuerunt eorumdem, quoad pœnam Christus eadem sibi assumpserit, quatenus pro iisdem satisfacturus cruciatus, tormenta, vulnera, & mortem ipsam patienter sustinuit & sensus verborum est: Salus remota est à verbis meis, quæ ut delicta à Judæis mihi imputantur: vel causa totius generis humani à me redempti mihi tribuuntur peccata hominum, ac si essent mea propria, cùm sint aliena; & ego velim fusione mei Sanguinis delere ne amplius appareant, neque fiat; est interpretatio S. Hilarii in Psal. 68. explicantis verba illa: *Domine tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.* Cæterum verbum illud dereliquisti, non est intelligendum de derelictione quoad culpam, sed quoad pœnas; & sensus sic quare in tormentis & atrocissimis suppliciis non es mihi solatio, & meæ humanitatis tutelam, mei corporis defensionem suspendisti, ne ullum experiar levamen, nullam sentiam consolationem, quâ meæ carnis dolores mitigentur; hæc interpretatio est Carthusiani *de orthodoxa fide art. 56.* ubi ait Christum tempore passionis nullam fuisse consolationem expertum in portione inferiori, neque ullum corporis solamen; adeo ut quærimonia non sit de diffidentia, quasi Christus de Deo Patre diffideret, ac veluti desperaret; sed tota est de magnitudine pœnarum, ac cruciatuum absque ullo solatio temperante acerbitatem dolorum, ut explicat D. Augustinus de gratia novi Testamenti cap. 6. Alia verborum explicatio est quia Christus *Psal. 21.* vocat peccata hominum delicta sua; eò quia sit Christus

Caput

Capiti omnium hominum, qui sunt membra Christi; & quia actiones membrorum solent capiti attribui; ideo in hoc sensu Christus peccata hominum sua propria dicit: in hoc sensu intelliguntur plures Scripturæ ut Psal. 39. *Comprehenderunt me iniquitates meæ.* Et Psal. 68. *Domine tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita:* Hi textus qui de Christo interpretantur, tribuunt Christo peccata suorum fidelium, non quod Christi sint propria peccata, nec Christus illa velit, sed quia cùm sit Caput Ecclesiæ, & fideles membra, ideo peccata membrorum dicuntur peccata capitis denominativè, non formaliter, quasi afficiant, informent Christum, eò quia ab ipso commissa, sed quia à suis membris perpetrata sunt; & Christus in se suscepit per fusionem sui Sanguinis delenda: Hac explicatione utitur D. Augustinus in Psal. 21. dicens, regulam tribuendi capiti quæ propria sunt membrorum esse Ticonii, quæ hic nequit admitti; tunc enim quæ membris convenniunt possunt tribui capiti, quando caput influit in actiones membrorum, sed Christus non influit in peccata fidelium, alioquin esset ipse Author & causa peccati quod dici nequit: Ergo peccata membrorum, seu fidelium in Ecclesia non possunt Christo, ut Capiti tribui. Tum quia in Concilio Basileensi fuit rejecta ut scandalosa, & erronea propositio Archi-Episcopi Nazareni Augustini de Roma, qui asserebat, *Christum quotidie peccare*, & quamvis intelligeret non de peccato proprio Christi, sed de peccatis fidelium in Ecclesia, seu membrorum Ecclesiæ, quæ cum Christo ut Capite constituunt unum corpus integrum, & actiones membrorum attribuuntur capiti; adhuc propositio illa damnata fuit ut scandalosa: Ergo cùm agitur de peccatis regula Ticonii, quamvis approbata à D. Augustino non potest in Christo admitti. Verùm hæc non obstant, quia ex Scripturis constat, Christum peccata hominum vocare sua non quod ipse peccaverit, sed quia in se assumpsit, ut pro iisdem satisfaceret divinæ justitiæ: Sicut cùm quis assumit sibi debitum alterius ad satisfaciendum creditori; dicit illud suum debitum, quamvis illud non contraxerit: ita Christus vocat sua hominum peccata, non quia ipsa commiserit, sed quia illa sibi assumpsit, ad satisfaciendum divinæ justitiæ, ut Deo Patri creditori, pro debito hominum satisfaceret. Quamobrem quæ propria sunt membrorum capiti tribuuntur non solùm, quando ex influxo capitis membra operantur; verùm etiam cùm à capite aliqua ratione in se suscipiuntur, tunc quamvis capitis non sint influxivè, sunt tamen capitis reputativè, quatenus reputantur, ut capitis, quatenus caput illa in se suscipit, ut pro illis satisfaciat: & quia Christus peccata omnium hominum in se suscepit delenda; in hoc sensu peccata omnium hominum dicuntur esse delicta Christi. Ad secundum petitum ex Concilio Basileensi respondet Vasquez, tale Concilium nullius fuisse authoritatis quia Schismaticum contra Eugenium IV. & licèt Nicolaus V. aliqua dogmata, & illius acta approbaverit, & confirmaverit, non tamen omnia: unde admissa etiam tali censura, non ob authoritatem illius concilii; sed quia propositio revera videatur scandalosa: adhuc respondemus peccata hominum posse Christo attribui non influxivè, sed tantùm reputativè; si ex modo proferendi non denotetur influxus: & quia hæ propositiones *Christus peccat: & similes:* simpliciter prolatæ videntur denotare influxum in peccatum ideo sunt reprobandæ ut scandalosæ: Secus quando Christus peccata hominum sua dicit, non significatur influxus Christi in peccata; proinde in præexpenso sensu possunt admitti. Non tamen in eodem sensu sunt à nobis usurpandæ, quamvis subinde Scripturæ eo modo loquendi utantur; ut nec semper modus loquendi Sanctorum Patrum est à nobis usurpandus, ut cùm Patres dicunt Verbum divinum assumpsisse hominem in concreto, sed benè humanitatem in abstracto, quia in concreto includit etiam personam hominis quam verbum non assumpsit, cùm in Christo non sit nisi una persona divina, secus humanitas abstrahit à ratione personæ.

Dices si Christo reputativè tribuuntur peccata hominum: ergo etiam hominibus justificatis imputatur justitia Christi, & non justificantur homines per justitiam inhærentem. Contra est quia catenus Christo tribuuntur non influxivè sed reputativè peccata hominum, quatenus sibi assumpsit debitum satisfaciendi divinæ justitiæ pro peccatis hominum. Secus homo non justificatur eò quia illi imputetur justitia Christi, quis ex se homo non est justus, sed per justitiam eidem intrinsecè inhærentem, & a Deo misericorditer illi impertitam: Secus Christus non assumpsit intrinsecè peccatum, sed tantùm debitum satisfaciendi pro peccato, quia homo ex se non erat solvendo. Unde

Dicendum secundò hominem justificari per justitiam intrinsecè inhærentem, est de fide: & suadetur ex illo Apostoli ad Ephes. 4. ꝟ. 24. *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus in justitia, & sanctitate veritatis.* Si cùm justificatur homo induit novum hominem; ergo quid novi in se accipit, alioquin non diceretur illud induere; & si induit, inhæret homini induto, quo pacto dicimus induere vestes ut non bis inhæreant; hoc tamen discrimine quòd vestes inhærent tantùm corpori extrinsecè; & gratia justificans intrinsecè animæ. Ad Coloss. 3. 9. *Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem, cum actibus suis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundùm imaginem ejus, qui creavit illum.* Hortatur nos Apostolus ad interiorem animi renovationem, in quo sita est renovatio; ut restituamur pristino statui, à quo per Adæ peccatum excidit homo, seu redeamus ad statum gratiæ sanctificantis quam per peccatum perdidimus: neque Calvinus id potest inficiari, siquidem *lib. 2. Instit. cap. 1. §. 5.* ait: *Postquam in Adamo obliterata fuit cœlestis imago, non solus sustinuit hanc partem, ut in locum sapientiæ, virtutis, sanctitatis, veritatis, justitiæ, quibus ornamentis vestibus erat; teterrima cederent pestes, cæcitas, impotentia, impuritas, vanitas, injustitia.* ergo ex sententia Calvini in illo statu, ex quo per peccatum excidimus, fuit homo ornatus sapientia, virtute, sanctitate, veritate, justitia; & ad hunc statum redimus per merita Christi, cùm surgimus à peccato, & justificamur: ergo per Christum recuperamus sapientiam, virtutem, sanctitatem, veritatem, justitiam, quæ ornamenta nobis intrinsecè inhærent; & hæc acquisitio ornamentorum est interior animi renovatio. Evincitur ulterius hæc interior animi renovatio ex eodem Apostolo 1. Corinth. 3. 16. *Nescitis quia templum Dei estis vos; & spiritus Dei habitat in nobis? Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et 1. Corinth. 6. 20. *Membra vestra templum sunt Spiritûs S. qui in vobis est.* Et rursus 2. Corint. 6. 16. *Vos estis templum Dei vivi.* Quòd si quæramus, cur non Pater; nec Filius, sed Spiritus S. dicatur habitare in nobis? res non caret mysterio: agebatur de renovatione, seu sanctificatione, quæ ad Spiritum S. pertinet; quamvis divina omnia attributa communia sint omnibus tribus divinis personis, singulis tamen personis singula per modum proprietatis accommodantur, ut Potentia Patri, Sapientia Filio, & Sanctificatio Spiritui S. attribuatur: unde Apost. 1. Corint. 12. 4. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiri-*

spiritus; & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus, & divisiones operationum sunt, idem verò Deus: hinc Patri tribuit divisiones operationum, quæ à potentia dimanant ad quam pertinet. Filio tribuitur divisio ministrationum, quæ pertinet ad sapientiam in gubernando mundo; & Spiritui S. tribuitur divisio gratiarum, quæ ad sanctificationem referuntur: neque putes id sine causa fieri; quia Pater est principium sine principio, & ideo illi tribuitur potentia, quæ principiũ est operandi. Filius quia procedit à Patre per intellectum, illi sapientia, & veritas adscribitur: Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio per voluntatem, ideo bonitas, amor, & sanctificatio animarum illi congruunt. Hinc Apostolus non aliam ob causam dixit Spiritum Sanctum habitare in hominibus justis, nisi quia illos sanctificat per inhærentem animæ gratiam, qua renovamur sanctificati à Spiritu Sancto per infusionem donorum supernaturalium. Sed cur Spiritus Sanctus non dicitur potius inesse, quàm inhabitare justis? quia aliud est domo inesse, & aliud habitare in domo: qui habitat habet ibi bona sua, & thesauros: neque aliud sunt thesauri Spiritus Sancti in hominibus, in quibus habitat Spiritus Sanctus, quàm gratia, charitas, sanctitas, justitia: Hi ergo thesauri sunt in hominibus justis, in quibus habitat Spiritus Sanctus, unde Apostolus 2. Corint. 4. 2. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Idque causæ cur non Pater, nec Filius, sed Spiritus Sanctus dicatur habitare in hominibus justis, quia illos sanctificat per gratiam intrinsecus inhærentem, quâ renovantur. Hinc Spiritus S. dicitur habitare in nobis non quomodocunque, sed tanquam in templo, quia templum sanctum est, & Deo consecratum, quod nonnisi divinis laudibus Deo occinendis, & divinis officiis, ac functionibus deservire debet. Perinde homo fidelis in quo habitat Spiritus S. veluti in suo templo sanctitate, justitia, & omnigena virtute debet præditus esse, omnesque suas actiones dirigere ad laudem, & gloriam Dei, cujus impulsu ad sanctè operandum movetur: unde Apostolus ad Rom. 8. *Vos in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis*; & nonnullis interjectis subdit: *Quicunque spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei.* Incipit Spiritus S. tunc habitare in nobis, quando veniens ad nos pulsat ad ostium cordis nostri Apocal. 3. 20. *Ego sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi januam intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecum:* Neque putes aliam esse Spiritus S. vocem præter illam, quæ exprimitur apud Zachariam cap. 1. 3. *Convertimini ad me, & ego convertor ad vos*, hanc vocem si audierimus; id est, si per veram resipiscentiam ad ipsum convertamur, ingreditur Spiritus S. ad nos, nobisque inhabitat per gratiam sanctificantem quâ constituimur filii Dei adoptivi, tunc parat in nobis suam mansionem Joan. 14. 23. *Qui diligit me diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus*; In qua mansione non credas otiari, quia plura agit: primò diffundit se in cor hominis per dona gratiæ, & charitatis, ut ait Apostolus ad Rom. 3. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* Secundò per hanc diffusionem gratiæ veluti solaris jubaris expelluntur tenebræ omnes peccatorum, & dies gratiæ in corde nostro illucescit 2. Corint. 4. 6. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris.* Et 1. Thes. 5. 4. *Vos autem fratres non estis in tenebris: filii lucis estis.* Tertiò per hanc diffusionem restituitur nobis vita gratiæ, & Deo revivíscimus 1. Joan. 3. 14. *Translati sumus de morte ad vitam*, seu de morte peccati ad vitam gratiæ; cùm enim per peccatum fuerimus filii iræ, mortis, & damnationis, renascimur filii reconciliationis, vitæ, ac æternæ hæreditatis. Quartò liberamur à dæmonis famulitio, & libertate donamur; ut de se ipso asseruit Apostolus ad Rom. 8. 2. *Lex Spiritus vitæ in Christo JESU liberavit me à lege peccati, & mortis.*

Præterea fideles justificari per justitiam, seu gratiam intrinsecè inhærentem solet itidem evinci ex illo Apostoli ad Rom. 12. 5. *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Et 1. Corinth. 12. 22. *Vos estis Corpus Christi, & membra de membro.* Sed viva membra non solùm vivunt vita capitis, sed etiam in seipsis habent vitam quâ vivunt: non enim anima est vita capitis, sed etiam totius corporis, adeo ut omnia membra vivificet, & in omnibus operetur, & cùm homines justificati sint viva membra sub Capite Christo, sequitur homines justificatos non solùm in Capite Christo, sed etiam in se ipsis vitam supernaturalem habere, ac vitales operationes: Est autem hæc vita justitia seu gratia sanctificans, quam Spiritus Sanctus diffundit in cordibus nostris, & vitales operationes sunt bonorum operum exercitia: vocatur hæc gratia justitia, quia beneficio illius reddit homo unicuique, quod suum est, scilicet Deo cultum, & obedientiam, proximo amorem, & obsequium, & sibi ipsi exclusionem vitiorum, & virtutum incrementa unde scribit Apostolus ad Roman. 6. 18. *Liberati à peccato servi facti estis justitiæ.* Neque verum est, quod Calvinistæ objiciunt vitam, qua spiritualiter vivimus sub Christi Capite non aliam esse, quàm Fidem, eò quia Apostolus ad Roman. 1. 17. scribat: *Justus ex Fide vivit*; Siquidem Fides est tantùm instrumentum, quo vitam acquirimus, non verò ipsa vita, qua formaliter vivimus, & constituimur viva membra JESU Christi Capitis omnium fidelium: Est enim vita ipsa gratia habitualis sanctificans fideles, quæ vita licèt non habeatur nisi per Fidem, non tamen est Fides, quia hac perseverante potest non remanere vita, ut cùm fidelis lethaliter peccat, amittit gratiam sanctificantem, non verò deperdit Fidem habitualem, quæ perseverat in fideli, tametsi per peccatum exciderit à gratia. Quòd justus vivat vita propria, & sibi inhærente, & non solùm vita capitis evincitur etiam ex illo Joan. 14. 4. *Ego sum vitis vos palmites manete in me, & ego in vobis:* Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Non solùm Christus dicitur Caput fidelium, & fideles membra corporis sub Capite Christi, sed etiam vocatur vitis, & nos palmites. Et sicut in vite ex palmitibus quidam sunt aridi, & emortui, qui nullum ferunt fructum, quia tametsi sint in vite, non tamen vitis illis inest, seu non tribuit illis succum, & humorem vitalem quo nutriantur; & alii sunt vivi succulenti, vegeti, & frugiferi, qui non solùm viti adhærent, sed ab ea etiam vitam, & humorem trahunt: pari pacto ex fidelibus sunt qui per Fidem Christo adhærent, sed quia succum vitalem ab eo non trahunt, scilicet gratiam sanctificantem non accipiunt lethali peccato infecti, sunt quidem palmites, sed infructuosi, & emortui: Alii non solùm per fidem conjuncti sunt illi, verùm etiam humorem gratiæ, & sanctitatis ab eo participant, & hi palmites dicuntur fructuosi, vegeti, ac florentes, & ut loquitur Apostolus: *Divites sunt in operibus bonis, & cum metu salutem suam operantur.*

Quamobrem falsò asserit Calvinus docens justitiam nobis non inesse intrinsecè, sed tantùm justitiam Christi nobis imputari, quo pacto vocari imputativã, & tunc

nobis

nobis imputari, quando eam fide apprehendimus, & per hanc fidem nos justificari, seu justos censeri à Deo: siquidem ostendimus, justitiam nobis infundi à Deo, ac nobis intrinsecè inhærere, unde falsum est, sola Christi justitia nos justos esse censeri. Neque Calvinus ullum textum in tota scriptura inveniet, qui asserat, Christi justitiam nobis imputari, seu nostram censeri, & quamvis Calvinistæ nitantur id probare variis scripturis, non tamen evincunt fideles per solam fidem justificari, quatenus justitia Christi iisdem imputatur, & censentur justi, tametsi justitia intrinsecè, seu gratia sanctificans illis non insit, adferunt enim primò illud ad Roman. 4. 5. *Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam*: siquidem aliud est fidem, quæ nobis inest imputari nobis ad justitiam: & justitiam Christi, quæ extra nos est, nobis imputari ad justitiam. D. Paulus asserit primum, non verò secundum, quid verò sit hæc fides, quæ nobis inest, ac reputatur nobis ad justitiam, explicat Apostolus probans in eodem capite, non ex operibus, sed ex fide hominem justificari apud Deum, idque evincit exemplo Abrahami, cui non opera, sed fides reputata est ad justitiam, quia sine fide homo non potest quidquam operari, quod conducat ad justitiam, est enim fides fundamentum justitiæ: notatu sunt digna tria, quæ sæpe in D. Paulo occurrunt, & sumuntur pro eodem, quorum primum est, *non ex operibus, sed ex fide justificatur*: Secundùm, *fides justificat non opera*: Tertium, *non opera, sed fides reputatur ad justitiam*: unde male argumentantur Calvinistæ, cum ex eo, quod fides nobis imputetur ad justitiam, inferunt justitiam Christi nobis imputari, ac si dicerent, fides justificat, ergo justitia Christi nobis imputatur, quæ consequentia non sequitur ex illo antecedente, quia aliud est fides, quæ est dispositio ad justitiam, seu gratiam sanctificantem, & aliud ipsa justitia, quæ non necessariò semper inest, quamdiu fides manet, ut liquet in fidelibus per peccata lethalia excidentibus à gratia sanctificante, qua destituuntur manente habitu fidei: secundò objiciunt illud ad Roman. 5. *Per unius obedientiam justi constituuntur multi*, ex quo textu inferunt, Christi obedientiam nostram esse justitiam, cùm per illam nos justi constituamur: sed contrarium facilè evincitur ex antithesi, qua utitur Apostolus, opponit enim obedientiam Christi inobedientiæ Adami, & sicut per hanc injustos, ita per Christi obedientiam asserit nos justos constitui: atqui per inobedientiam Adami non formaliter, sed efficienter, & meritoriè constituimur injusti: ergo similiter per Christi obedientiam non formaliter, sed efficienter, & meritoriè justi constituimur. Sicut igitur Adam per suam inobedientiam promeruit suis posteris carnaliter ex ipsos nascentibus, ut in se ipsis contrahant peccatum originale, & in se ipsis sint injusti, & peccatores, ita è converso Christus per suam obedientiam promeritus est omnibus per ipsum spiritualiter renascentibus, ut singuli in se ipsis justitiam, & sanctitatem participent, qua in se ipsis, & non tantùm extra se ipsos justi & sancti sint, unde ex Paulina antithesi clarè contra Calvinistas infertur, fideles sanctificari non per justitiam tantùm extrinsecam illis imputatam, sed per justitiam intrinsecè iisdem inhærentem. Tertiò opponunt illud Apostoli 1. Corinth. 1. 30. *Christus factus est nobis à Deo sapientia, & justitia, & redemptio*, ex quo deducunt, justitiam Christi esse justitiam hominis justificati. Sed contra, quia Apostolus tantùm asserit, Christum esse nostram justitiam, non verò justitiam Christi nostram asserit esse justitiam: primum verùm est, & fatemur cum Apostolo, posterius negamus contra Calvinistas. Christus enim dicitur quidem esse nostra justitia, sed non dicitur justitia Christi esse nostra justitia imputativè, nec sapientia, nec redemptio, quasi per illius sapientiam, & redemptionem, fide apprehensam: Simus sapientes, & redempti formaliter; bene tamen effectivè, quatenus nos redemit, & sapientes effecit: hinc eum Apostolus dicit, Christum factum esse nobis à Deo sapientiam & justitiam, & redemptionem, non intelligitur imputativè, quasi per illius sapientiam, justitiam, & redemptionem facti simus sapientes justi, & redempti, tantùm imputativè, sed effectivè, quatenus Christus nos effecit sapientes justos, & redemptos. Hi modi loquendi in scripturis sunt frequentes, quo pacto Psalm. 17. 1. dicitur: *Diligam te Domine fortitudo mea*, seu quatenus tu fuisti impertitus fortitudinem, qua potui obsistere inimicis meis, & mala, quæ obtigerunt sustinere. Psalm. 70. *Tu es patientia mea Domine*, id est, tu dedisti mihi virtutem patientiæ, ut æquo animo adversa quæque tolerarem. Psal. 26. 1. *Dominus illuminatio mea, & salus mea*, scilicet effectivè, & non imputativè, quatenus DEUS mentem Davidis illuminavit, & salvum eum effecit, quòd verò hi textus scripturæ sint intelligendi effectivè, non solum imputativè, ut asserunt Calvinistæ, explicat ipsamet scriptura, Psalm. 36. 39. *Salus autem justorum à Domino*, non dicit salutem Domini imputari justis, sed salutem justorum effectivè esse à Domino. Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non dicit, lumen Dei imputari hominibus, sed quòd Deus illuminet effectivè omnem hominem venientem in hunc mundum, quatenus efficit lumen, quo omnes homines illuminantur: hinc 2. Reg. 22. 38. *Deus qui me accinxit fortitudine*: seu qui dedit mihi fortitudinem, seu causavit in me fortitudinem: unde præfatæ locutiones in scripturis, necessariò sumendæ sunt effectivè, & non imputativè, ut cùm Christus dicitur esse nostra justitia, nostra sapientia, nostra redemptio, quatenus scilicet nos pretio sui sanguinis redemit effectivè, nobis promeruit sapientiam, & justitiam. Non igitur, ut censent Calvinistæ, justitia Christi ita nobis imputatur, ut per eam formaliter justi censeamur, quod quam falsum sit, hactenus evicimus, bene tamen Christus per merita suæ passionis satisfecit pro nobis Deo Patri, & nobis impetravit remissionem peccatorum, & omnia dona gratiæ, & justitiæ inhærentis: & in hoc sensu passio Christi dicitur nobis imputati, non quia per illam formaliter justi simus, sed quia ex merito, & efficacia ejus donatur nobis gratia sanctitas, & justitia nobis intrinsecè inhærens, & qua grati Deo, sancti, & justi verè intrinsecè sumus. Hoc pacto intelligendi & explicandi sunt plures alii loci scripturarum, qui à Calvinistis adferri solent.

Rursus per hanc justitiam nobis intrinsecè inhærentem, non solùm teguntur peccata lethalia, ut censent Calvinistæ, sed etiam totaliter delentur, adeo ut non amplius maneant in justificatis, est contra Calvinum asserentem, peccata non tolli in justificatione, sed tantùm tegi per justitiam Christi fide apprehensam, quod intelligit de quovis peccato tam originali, quàm actuali, & de omni justificatione, sive in Sacramento, sive extra Sacramentum, adeo ut peccata tecta maneant quidem in justificatis, sed iisdem non imputentur, ait enim Calvinus in antithodo Concilii Tridentini, sess. 5. *Manet verè peccatum in nobis, neque per baptismum extinguitur, sed quia deletur reatus, imputatione nullum est*: & lib. 4. Instit. cap. 15. §. 10. *Jam perspicuum est, quàm falsum*

falsum sit, quod docuerunt pridem nonnulli, per baptismum solvi nos, & eximi ab originali peccato. Tria docet Calvinus. Primum peccata in justificatione non tolli, sed manere. Secundum manere, sed tegi, & occultari, ne amplius appareant. Tertium non imputari ad pœnam, quæ tria quàm falsa sint, statim evincitur ex scripturis contrarium docentibus. Quod peccata non maneant in homine justificato, habetur Joan. 1. 19. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Actor. 3. 19. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra:* & Apostolus ad Hebr. 9. 28. scribit: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata,* scilicet ad totaliter tollenda, ut non amplius maneant, & Micheæ. 7. 19. *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra,* ex quibus clarè constat, beneficio justificationis non tegi, sed tolli, & totaliter deleri peccata, quæ propterea non amplius manent: quod enim tollitur, deletur, exhauritur, ac longè projicitur, non dicitur manere, ergo peccatum per justificationem hominis non manet, sed omnino tollitur, non tegitur, sed omnino deletur. Notandum est, scripturas solere res spirituales, quæ nostros cadunt sub sensus per corporeos, & sensibiles explicare, ut manifestè fiant: hinc peccata, quia rebus spiritualibus accensentur, quatenus inficiunt animam, eamque afficiunt variis modis, ac metaphoris scriptura ea nobis proponit, etenim vocat peccata, maculas, sordes, inquinamenta, quibus homo maculatur, inquinatur, & sordes contrahit, Josue. 22. 17. *Usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet.* Apocal. 22. 11. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc, & qui justus est, justificetur adhuc.* Matth. 15. 11. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit de ore:* rursus scriptura vocat peccata, vincula, funes, & compedes, quibus homo illigatur, à Dæmone, constringitur, & captivus tenetur, Psalm. 115. 7. *Dirupisti Domine vincula mea,* scilicet peccata mea contrivisti, quatenus per gratiam id mihi dedisti, ut possem resipiscere, Proverb. 5. 22. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Tertiò vocantur peccata etiam in scripturis, vulnera, livores, & plagæ, quibus homo sauciatur, vulneribus cruentatur, & ægrè afficitur, Isaiæ. 30. 26. *In die, qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ ejus sanaverit.* Micheæ. 1. 9. *Desperata est plaga ejus,* scilicet peccatum ob duritiem cordis nescientis emollescere. Imò vocatur etiam mors, & interitus, quia per peccatum vita deperditur spiritualis, seu gratia sanctificans. 1. Joan. 3. *Translati sumus de morte ad vitam,* scilicet de peccato ad statum gratiæ sanctificantis. Demum vocatur peccatum etiam vomitus, nausea. 2. Petri. 22. *Contigit eis illud veri proverbii; canis reversus ad suum vomitum,* scilicet ad peccatum, quod patrare consueverat. Contra Calvinistas possent tot argumenta cudi, quot sunt metaphoræ, quibus in scripturis significatur peccatum, etenim maculæ, sordes, inquinamenta corporis per externam lotionem ita eluuntur, & absterguntur, ut non amplius maneant in corpore, sed totaliter evanescant, adeo ut corpus non dicatur amplius maculatum, sordidum, inquinatum, sed mundum, purum, immaculatum: pari pacto maculæ animæ, seu peccata per internam lotionem, quæ fit in justificatione, ita eluuntur, absterguntur, ut non amplius maneant in anima, sed omnino deleantur, ut anima dici amplius non possit maculata, sordida, inquinata, bene tamen pura, munda, & immaculata: & de hac lotione fuit locutus David, cùm dixit Ps. 50. *Asperges me Domine Hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor,* in quo sensu Ezech. cap. 36. v. 25. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris,* & Apostolus 1. Corinth. 6. *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* Hæc autem ablutio, ut fiat, duo aperit Ecclesia publica balnea baptismum, & pœnitentiam. in primo balneo eluuntur, ac delentur omnia pecata originale, & actuale: in posteriori autem tantùm purgaotur sordes peccatorum actualium: in priori balneo lotus fuit Saulus, cui dixit Ananias Actor. 22. 16. *Exurge baptizare, & ablue peccata tua,* in posteriori ablutus David maculas adulterii, & homicidii abstersit, ut etiám Petrus trinam negationem, & Magdalena sordes impuritatum, quando lachrymis peccata perpetrata fuerunt detestati: hæc autem balnea non naturali aqua, sed Christi pretioso sanguine oppleta sunt, Joan. 1. 7. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.* Apocal. 1. 6. *Lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo,* & Apostolus ad Hebr. 9. 13. *Si enim sanguis hircorum & taurorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.* Hinc Calvinistæ Injurii sunt Christi sanguine asserentes sortes peccatorum per ablutionem in baptismo non deleri, sed manere. Rursus posset aliud argumentum peti à corporis vinculis, funibus, & catenis, quia sicut disruptis vinculis, quibus illigabatur aliquis, is eximitur, & liberatur, ut non amplius tali vinculo sit obstrictus: pari pacto, qui à spiritualibus vinculis, funibus, & catenis, quæ sunt peccata, solvitur per justificationem, is non dicitur amplius detinere talia vincula, nec per illa alligari, unde David, ut se manifestaret liberatum ait Psal. 115. 6. *O Domine, quia ego servus tuus,* scilicet non amplius servus peccati, sed Dei, & addens causam subdit: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis;* scilicet remisisti mihi peccata, & in statu gratiæ tibi sacrificabo hostiam laudis: & sicut olim David; ita & nos quotidie per Christum liberamur à vinculis peccatorum, & eripimur à captivitate Sathanæ, & in libertatem filiorum Dei restituimur; ut scripsit Apostolus ad Rom. 6. 22. *Nunc verò liberati à peccato, servi facti estis Deo,* & ad Coloss. 1. 13. *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ:* hinc Christus dicitur noster Redemptor, & redemptio nostra quatenus solvit pretium sui sanguinis, ut nos liberaret à servitute peccati, ut nos redimeret à famulitio Sathanæ. 1. ad Timoth. 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem:* quòd si petas quo sanguine nos redemerit, non credas alio pretio, quàm suo sanguine ad Ephes. 1. 17. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus;* hinc 1. ad Corinth. 6. 20. *Empti estis pretio magno.*

Rursus peccata tolli per justificationem evinci iridem potest ex proportione morborum corporis, & animi. Quia si Medicus corporalis in sua arte peritissimus ita morbis, ac vulneribus corporis scit mederi; ut omnino non maneant in corpore, sed totaliter tollantur è corpore, ut non amplius appareant, neque ullum sui vestigium relinquunt: perinde Medicus spiritualis, qui peritissimus est, ita morbos curabit animi, seu omnia delebit peccata, ut nullum eorum amplius appareat, nec supersit vestigium; adeo ut omnino tollantur, & non tegantur tantum: & quia in hoc genere peritissimus Medicus est Christus, qui propterea Salvator dicitur; ideo ipse non tegit,

sed

sed totaliter tollit peccata, quibus anima vulneratur, & affligitur: unde per Christum medicum non manent amplius peccata, cùm justificatur homo. Christum esse peritissimum medicum constat ex evangelio. Nam cùm Pharisæi quærerent ex Apostolo, cur Magister ipsorum cum publicanis non cum Pharisæis ageret, cùm isti justi haberentur, & illi peccatores; respondit Christus, medicum non ad bene valentes, sed ad infirmos ire consuevisse; & indicavit se peritissimum esse medicum animorum, siquidem non de infirmitatibus corporis, sed de ægritudine animæ agebatur. Quòd verò Christus in hac arte medica curandi animas peritissimus sit, ex eo facilè evincitur; quia quos sanat, totaliter liberat ab ægritudine, ut nihil morbi reliquum sit juxta illud ad Rom. 8. 1. *Nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo JESU, qui non secundùm carnem ambulant.* Præterea quia scit, & potest omnia morborum genera sanare: quapropter curat ad se malè valentes, quos perfectæ restituat sanitati: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, ut ego reficiam vos*, nullum excipit morborum genus, omnes vult reficere, ac sanare; idque præstitit, cum in Evangelio claudos, cæcos, mutos, surdos, aridos, leprosos, hydrope, ac febribus laborantes, paralyticos, & reliquos sanavit morbos: sicut nullus fuit corporis morbus, quem Christi medica manus non sanaverit; ita nulla est animi ægritudo, nullum peccatorum genus, quod curare, ac prorsus delere non posset: & quia tantam in illo virtutem Pharisæi non credebant, illam miraculo comprobavit; quando dixit paralytico jacenti in grabato: *Fili remittuntur tibi peccata*; & quia Pharisæi putabant plus potestatis sibi arrogare, quàm revera haberet, respondit ipsis. *Quid ista cogitatis in cordibus vestris; quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua; an dicere, surge, tolle grabatum, & ambula; ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico, tibi dico, surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam; & statim surrexit ille, & sublato grabato abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, & glorificarent DEUM.* D. Thomas recensens vulnera humanæ naturæ inflicta per Adæ peccatum, ut in Evangelio symbolicè repræsentata per Samaritanum, qui ab Jerusalem descendens in Jericho incidit in latrones, qui eum vulneraverunt, & semivivum reliquerunt, ait quatuor fuisse hæc vulnera, malitiam in voluntate, cæcitatem in intellectu, infirmitatem in irascibili, & propensionem ad illicita in concupiscibili. Hic homo, qui incidit in latrones, est Adam cum tota sua posteritate; qui ejus misertus sanavit illius vulnera, Christus est; vinum & oleum quod adhibuit, ejus sanguinem sancti Patres interpretantur, quo uncti, loti, abluti, sanati sumus, ut ait Apostolus ad Hebr. 1, 3. *Purgationem peccatorum faciens*: quia sicut Medicus purgat corpus malè affectum expellendo peccantes homores, ut nihil supersit vitiati, nilquè corrupti; Ita & Christus cœlestis medicus nostra peccatorum vulnera, nostras sanavit infirmitates, ut nihil superfuerit, sed omnia deleta fuerint, & non tantùm tecta quasi vulnera peccatorum sint tantum fasciis involuta, non intus sanata, ut putant Calvinistæ. Hinc monet sapiens Ecclesiast. 21, 25. *Veme, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem:* qui enim apud se vomitum retinet, & humores superfluos, ac semicorruptos infirmitati, & ægritudini fit obnoxius, & qui per vomitum malè congesta in stomacho foras rejicit, refrigeratur: quid per vomitum indicatur nisi peccatum, quod qui in se retinet ægrum, & nauseantem, necesse est animum habeat, & qui totaliter projicit sanitatem recoperat; si autem peccata projiciuntur, & evomuntur in sacramentali confessione jam non manent, si totaliter absterguntur maculæ peccatorum per lavacrum baptismi, nihil superest ex peccati turpitudine: consequenter Calvinistæ asserentes peccata non deleri nec remitti, sed tantùm tegi, & non imputari, malunt suum vomitum retinere quàm abjicere.

Peccata non tegi sed aboleri, ac totaliter remitti, evinci etiam potest ex proportione, quæ intercedit inter mortem corporalem, & spiritualem; etenim quando corpori mortuo restituitur vera vita, tunc necesse est, mors tota extinguatur, seu rejiciatur à tali corpore, cùm repugnet esse simul vivum, & mortuum, quando enim mortuo Lazaro fuit vita restituta, nil in ipso superfuit mortis: ergo pari pacto cum animæ peccatis emortuæ vitæ restituuntur spirituali beneficio gratiæ sanctificantis, necesse est tota mors peccati deleatur, & nihil ei supersit, cum repugnet eandem animam simul spiritualiter vivere, & mortuam esse spiritualiter, peccatum enim est mors animæ, quæ cum restituitur vitæ, necesse est peccatum, totaliter aboleri, adeò ut in baptismo non teguntur, sed delentur, non involvuntur, sed aboleantur, ut ait Apostolus ad Roman. 6. 4. *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus:* Sicut Christus ita resorrexit à mortuis, ut nihil in ipso superfuerit mortis, ita & homo cum è morte peccati resurgit, & vitæ restituitur spirituali, ita vivit, ut nihil in ipso supersit mortis peccati, quod propterea non tegitur, sed deletur, non occultatur, sed aufertur, hinc ait Apostolus ad Roman. 6, 6. *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* Si destruitur, non manet, si non manet, non tegitur, sed totaliter deletur, hinc idem Apostolus v. 22. Liberati à peccato servi facti estis justitiæ, igitur ut docet Apostolus Paulus per baptismum, morimur peccato, & vivimus Deo, mors destruitur & vita renascitur, adeò ut baptismus vocetur nova generatio, & nativitas ab Apostolo ad Titum 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, & Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu, non potest introire in regnum Dei:* & sicut per naturalem generationem necesse est, aliud corrumpatur, & aliud generetur, ita per generationem spiritualem in baptismo, necesse est, corrumpatur vetus homo, seu peccatum, ut novus generetur: quòd si per veterem hominem intelligatur filius Diaboli, servus peccati, per novum hominem intelligitur filius Dei, servus justitiæ, proinde cum iste generatur, corrumpitur ille, cum iste nascitur, ille moritur: hinc est, quòd baptismus pariari soleat mari rubro, quia sicut Ægyptii insequentes Israëlitas in mari illo suffocati, & extincti remanserunt, ut nullos ex ipsis potuerit naufragium evadere, sed omnes perierint, periride peccata omnia suffocantur in baptismo, & extinguuntur, ut notat D. Gregorius lib. 9. epist. 39. inquiens: *Qui dicit peccata in baptismate non funditus dimitti; dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos*, & D. Augustinus in Psalm. 115. ait: *Sicut Ægyptios illi mari obrutos, ita baptismo delicta nostra demersa, & extincta luce clarius intimat Propheta dicens: Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra:* hoc est, projiciet peccata, non ut tegantur aquis, sed extinguantur, non occulentur, sed penitus deleantur.

Quòd si petas, quomodo à Calvino peccata dicantur tegi, & occultari; respondet ipse cum suis se-

sectis in Antidoto Concilii Trident. *sess.* 5. & *lib.* 3. *Instit. cap.* 11. §. 2. Peccata tegi, & occultari justitia Christi veluti pallio, ne appareant in conspectu Dei Patris. Quod quàm falsum sit, liquet ex hactenus probatis, si enim peccata verè tolluntur, ac delentur, sequitur non tantùm tegi, & occultari, sed totaliter aboleri, ac penitus deleri. dicitur enim Christus pretioso suo sanguine abstersisse ac totaliter delevisse omnia peccata nostra, propterea dicitur *agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, quòd si tollit, jam non tegit, sed delet, hinc ait Deus: *Convertimini, ut deleantur peccata vestra*, quòd si delentur, non amplius manent, & si non manent, non teguntur, quia quod tegitur, non tollitur, sed manet. Quamobrem per Christi justitiam veluti per lineamina non teguntur peccata, nec occultantur, sed delentur & totaliter abjiciuntur, ut non amplius sint. Neque obstat illud Psalm. 31. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, ex quo tractu infert Calvinus peccata non tolli, sed tegi, non deleri, sed occultari, nam contra est, quia cùm sint propemodum innumera Scripturæ testimonia asserentia peccata tolli. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, deleri, *convertimini, ut deleantur peccata*, ablui, exhauriri, projici, disrumpi, hæc omnia interpretatur, tegi, contra verum, & proprium significatum omnium verborum, cum potiùs debuisset verba illa, quorum tecta sunt peccata interpretari, quorum deleta sunt peccata cum David Psalm. 31. vocet beatos, *quorum remissæ sunt iniquitates*; quid per iniquitates intellexit quàm peccata? quæ si remissa sunt, non amplius maneut, consequenter, ne sibi contradicat verba illa, *quorum tecta sunt peccata*, intelligi debent, quorum deleta sunt peccata, cum plura sint Scripturarum testimonia asserentia peccata tolli, vel enim tegi peccata, & tolli sunt idem vel non, si idem cur Calvinus asserit peccata tegi, & non potius tolli, si non sunt idem, cur potiùs non explicat illud tegi per non amplius apparere, ac non esse, adeò ut peccata tegantur, & simul tollantur, cùm utrumque dicatur a Spiritu sancto, & unum alteri non sit contrarium, nec repugnet, ut explicat D. Augustinus enarrat. 2. in Psalm. 31. Ea proportione vulnerum corporis, quæ duobus modis tegi dicuntur, primò à vulnerato, secundò à Medico vulneratus ea tegit fasciis, & velaminibus, sed non tollit: Medicus verò balsamo tegit, & tollit: perinde fit in peccatis, quæ tegi possunt ab ipso peccatore vulnerato, & à Deo sanante dicitur peccator sua tegere peccata, quando ea dissimulat, & non aperit in confessione sacramentali, & quæ intus in animo latent exterius ore non prodit: quo pacto sua texit peccata, Pharisæus cum dixit Luc. 18. *Non sum sicut cæteri hominum raptores, injusti, adulteri*, Deus verò nostra tegit peccata, quando per infusionem gratiæ ea sanat, tollit, & penitus delet, quo pacto texit peccata Publicani, quando descendit justificatus: scitè ergo David beatos dixit, *quorum tecta sunt peccata* à cœlesti Medico, qui per infusionem gratiæ ita peccata texit, ut penitus deleverit, unde Augustinus in Psalm. 31. ait: *DEUS ergo tegat vulnera non tu, nam si tu tegere volueris erubescens, Medicus non curabit sanans. Medicus tegit, & curat, emplastro enim tegit; sub tegmine Medici sanatur vulnus: sub tegmine vulnerati, celatur vulnus.* Non homo peccata tegat, sed Deus protegat, & tegat, non erubescentia hominis peccata tegat, & occultet, sed gratia Dei, tegat, & curet: David Beatos vocat, quorum peccata tecta sunt per hanc internam infusionem gratiæ, & sanctitatis, qua non solùm peccata teguntur, sed simul sanantur, hæc enim *infusio gratiæ* est intrinseca, quæ simul tegit, & sanat, Calvinistarum verò integumentum, quo peccata teguntur, est tantùm extrinsecum, seu externa Christi justitia fide peccatoris apprehensa, quâ peccata teguntur, sed non sanantur, occultantur, sed non delentur. Præterea cum Apostolus dicat omnia esse Deo explorata, & nihil posse ejus scientiam subterfugere ad Hebr. 4. v. 13. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis Dei*, quomodo peccator potis est peccata sua tegere per justitiam Christi fide apprehensam, si Dei oculos subterfugere non possunt, vel enim tecta peccata per justitiam Christi fide apprehensam, Deus videt & cognoscit, vel non? si videt, quomodo tecta sunt, quomodo occulta, quæ enim videntur, patent, & quæ patent explorata, non occulta sunt; si non videt, quomodo ait Apostolus: *Omnia nuda & aperta sunt oculis ejus*, an cæcutit Deus in sententia Calvini, qui non videat sicut Isaacus filium suum Jacobum. Quòd si respondeat Calvinus peccata dici tegi, & occultari, ne appareant in conspectu Dei non propriè quasi Deus ea non videat, sed metaphoricè, eò quia à Deo non imputentur peccatori, contra est, quia dupliciter potest intelligi peccata non imputari ad culpam, primò quatenus tolluntur in judicio Dei quoad culpam, adeò ut peccata maneant quidem in homine, sed tollantur in judicio Dei quatenus Deus peccata hominibus non imputat ad culpam. Secundò potest intelligi peccata non imputari ad pœnam, seu tolli in judicio Dei quoad pœnam: ex his duobus sensibus primus falsus est, & hæreticus, quia si peccata manent in homine quoad culpam, jam in homine remanet culpa, quæ propterea à Deo illi imputatur: Deus enim judicat, prout res sunt in se, & cum in peccatore remaneat peccatum quoad culpam, Deus judicat tale peccatum verè manere quoad culpam, proinde per tale judicium Dei imputatur homini peccatum quoad culpam: neque potest intelligi, quomodo peccatum possit non imputari ad culpam, si homo retinet reatum culpæ, adeò ut verè sit culpabilis peccator, & injustus, neque potest intelligi, quomodo pro tali non habeatur in judicio Dei, cùm Deus judicet res, prout sunt in se, ait enim Apostolus Roman. 2, 2. *Judicium Dei est secundùm veritatem*, si secundùm veritatem, ergo conforme rebus, quæ ab ipso judicantur, & quia in peccatore re vera manet peccatum quoad culpam in sententia Calvini, Deus si judicat secundùm veritatem, seu si judicat res, ut sunt in se, debet judicare in tali homine remanere peccatum quoad culpam, cui propterea debet à Deo imputari quoad culpam, cum aliud non sit peccatum imputari alicui, quàm judicari manere in illo peccatum quoad culpam. An si Deus hominem sordibus fœdatum, & spurcitiis sordidatum, judicaret esse mundum, pulchrum, incontaminatum, esset verum ejus judicium? si ut ait Sapiens 14. v. 9. *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus*, quomodo Deus non oderit peccatorem habentem in se peccatum, licèt tectum pallio justitiæ per fidem apprehensæ? Quòd si Deus odit peccatum, quod manet in peccatore certè propter culpam Deo exosam, ergo imputat illi peccatum ad culpam, quam odio habet? Quòd si odit peccatum propter culpam manentem in peccatore, utique etiam odit ipsum peccatorem propter peccatum, quod in ipso manet quoad culpam, cùm dicat Sapiens 14. *Odio sunt DEO impius & impietas ejus.* Quòd si impius odio est DEO illi procul dubio imputatur peccatum quoad culpam: siquidem impossibile est peccatum manere in homine quoad culpam, & Deum odio non

habe-

habere hominem illum, cùm sit inter utrumque naturalis repugnantia: DEUS enim natura sua est bonitas infinita & peccatum natura sua est malitia, quæ adversatur bonitati infinitæ, proinde in sententia Calvini peccator nunquam potest fieri Filius Dei adoptivus, nec hæres regni cœlorum, sed perpetuo est DEO exosus, eò quia semper in ipso maneat peccatum quoad culpam, quod non potest eidem à DEO non imputari. Si dicat Calvinus peccata manere quidem in homine, sed tolli in judicio DEI quoad pœnam, id etiam dupliciter potest intelligi, primo taliter ut DEUS judicet hominem non esse dignum pœna, cùm severa in se dignus sit, & hoc repugnat DEO, quia judicaret hominem aliter ac sit in se contra illud Apostoli ad Roman. 2. *Judicium DEI est secundum veritatem*, vel potest intelligi ut DEUS judicet quidem hominem dignum esse pœna, sed statuat illum non punire, & hoc neque concedimus, quia tametsi possit DEUS statuere non punire peccatorem tali, vel tali genere pœnæ, non tamen potest statuere omnino impunitum dimittere, quia id adversatur divinæ justitiæ, cum quis pœna est, & quidem gravissima, DEI odium sustinere, à qua pœna non liberatur peccator, quamdiu retinet in se culpam, quia odium Dei in homine non tollitur, nisi in eodem tollatur culpa. Hinc liquet, quàm falsum sit, quod docent Calvinistæ peccata manere in homine justificato, sed non imputari à DEO, & nullius esse momenti fundamentum cui nituntur, scilicet illud Apostoli ad Roman. 4. 8. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum:* respondent enim communiter Sancti Patres, quod Deus tunc peccatum non imputet, quando tollitur, & quando non est, unde Apostolus vocat beatum hominem non habentem peccatum, vel quia nondum illud commiserit, vel si commiserit, resipuerit, ac fuerit illi remissum, & tunc illi non imputatur: quia illi non inest.

Dicendum tertiò in justificatione hominis infundi gratiam, & justitiam inhærentem, qua homo interius verè renovatur, & in se fit justus, est contra Calvinum asserentem in justificatione non infundi gratiam inhærentem homini, sed illi tantùm imputari externam Christi justitiam, qua extra se justus esse censetur, ait enim Calvinus lib. 3. Inst. c. 11. §. 23. *Vides non in nobis sed in Christo esse justitiam nostram*, & cap. 16. §. 1. ait: *Quare ergo fide justificamur: quia fide apprehendimus Christi justitiam qua unâ Deo reconciliamur* & in Antidoto Concilii Tridentini *Falsum esse contendo ullam justitiæ partem in qualitatem sitam esse vel habitu, qui in nobis residet*, ex quibus liquet Calvinum negare justitiam inhærentem, & nobis tantùm imputari justitiam Christi quatenus eam fide apprehendimus, & DEO reconciliamur. Prima pars repugnat sacris scripturis, & ut hæretica rejicitur, ait enim Apostolus ad Ephes. 4. v. 24. *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis*, ad Coloss. 3. v. 9. *Nolite mentiri invicem expoliantes vos veterem hominem, cum actibus suis, & induentes novum eum qui renovatur in agnitionem secundùm imaginem, qui creavit illum:* ubi Apostolus nos hortatur ad interiorem animi renovationem, in qua consistit justificatio, cujus beneficio revertimur ad illum statum ex quo per peccatum Adæ excidimus. Quod si petas à Calvino qualis sit hic status, & quæ perfectiones in ipso contentæ fuerint, respondet ipse lib. 2. Inst. cap. 1. §. 5. *Postquam in Adamo obliterata fuit cœlestis imago non solus sustinuit hanc pœnam ut in locum sapientiæ virtutis sanctitatis veritatis, justitiæ quibus ornamentis vestitus erat, deterrimæ cederent pestes, cæcitas, impotentia, impuritas, vanitas, injustitia.* Ergo ex doctrina Calvini in illo statu è quo excidimus per peccatum Adæ homo fuit ornatus sapientia, sanctitate, veritate, justitia, & aliis virtutibus intrinsecè homini inhærentibus: Atqui per merita Christi restituitur homo huic statui, ac omnibus suis perfectionibus, consequenter per Christum, & ejus merita recuperamus sapientiam, sanctitatem, veritatem, justitiam, & reliquas virtutes verè intrinsecè nobis inhærentes, & hæc recuperatio pristini status est interior animi renovatio, ad quam nos hortatur Apostolus ad Ephes. 4. *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm DEUM creatus est in justitia & sanctitate veritatis.*

Quòd in justificatione infundatur gratia, & justitia inhærens intrinsecè homini justificato, evinci etiam potest ex illo Apostoli. 1. Corinth. 2. v. 16. *Nescitis, quia templum DEI estis: & Spiritus DEI habitat in vobis? templum DEI sanctum est, quod estis vos.* Apostolus non dixit Pater aut Filius habitat in vobis, sed tantùm Spiritus Sanctus, quia licèt tres personæ sint simul identificatæ, & una ac eadem res divina, tamen munia iisdem tribuuntur, Patri enim convenit potentia, eo quia sit principium sine principio, & potentia est principium operandi. Filio congruit sapientia, & veritas, quia à Patre procedit per intellectum: Spiritu Sancto tribuitur bonitas, amor, sanctificatio, quia per voluntatem procedit à Patre, & Filio, hinc Apostolus in sanctificatione hominis solius Spiritus Sancti meminit, quia per ipsum sanctificamur per infusionem bonorum supernaturalium, quæ paulò superius recensuimus.

Falsum igitur est hominem justificari, eò quia illi imputetur externa Christi justitia, qua extra se justus esse censeatur, siquidem nullus potest locus inveniri in scriptura, qui asserat Christi justitiam nobis imputari, & à DEO nostram censeri; sequitur etiam post justificationem hominem non manere peccatorem neque injustum contra Calvinum asserentem peccatum post justificationem in nobis manere, quamvis nobis non imputetur, ait enim lib. 3. Instit. cap. 11. §. 3. *Ut pro justis in Christo censeamur, qui in nobis non sumus*, & §. 11. *Hoc modo justus est non re ipsa, sed imputatione*, & in Antithedo Concilio Tridentini sess. 6. ad cap. 5. ait: *Confugiamus ad solum Christum, ut in ipso justi censeamur, quod in nobis non sumus*, quod falsum, & hæreticum est, quia cum Christi pretioso sanguine verè, & realiter lavemur, & sanemur à peccatis nostris, sequitur peccatum non amplius manere in nobis, unde David Psal. 50. *Asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor*, qui verò mundatur? huic maculæ quas contraxerat prorsus delentur, alioquin si manerent, quomodo diceretur mundari? ergo in hominis justificatione peccata non manent, sed delentur. Neque ullius est momenti, quod respondent Calvinistæ hominem mundari, & dealbari non in se ipso, sed in Christo: quis non dixit asperges Christum, & mundabor in Christo; lavabis Christum, & in Christo dealbabor, sed asperges me, & in me mundabor, lavabis me, & in me dealbabor, unde hunc fuisse verum Davidis sensum ex eo liquet, quia postea dixit: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum re-*

ctum innova in visceribus meis, non dixit cor mundum in Christo crea, sed in me non spiritum rectum innova in Christo, sed in visceribus meis, unde per justificationem homo non manet amplius peccator sed sanctus, & justus. Neque omnia opera hominis justificati sunt peccata mortalia, ut censuit Calvinus lib. 1. Institut. cap. 14. §. 4. Ubi ait: *Habemus ne ullum à sanctis exire opus, quòd si in se censeatur non mereatur justam opprobrii mercedem*, asserit Calvinus omne opus à sanctis elicitum, esse in se seu ex natura sua peccatum, ac mereri justam opprobrii mercedem, quod falsum, & hæreticum est cum Apostolus expressè asserat uxorem ducere non esse peccatum. 1. Corinth. 7. v. 8. *Si acceperis uxorem non peccâsti*, vel igitur Apostolus erravit, vel Calvinus falsum dixit: sed Apostolum errâsse non asserit Calvinus, ergo ipse Calvinus falsum dixit. Præterea Matth. 26. v. 10. ait Christus: *Quid molesti estis huic mulieri, opus enim bonum operata est in me*: ergo non omnia opera hominis justificati sunt peccata mortalia cum Magdalena non peccaverit effundendo unguentum pretiosum super caput Christi recumbentis. Rursus 2. Petri 1. v. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando* si opera sunt moraliter bona, sunt conformia primæ regulæ, consequenter non sunt peccata. Petrus siquidem nos hortatur ut bona opera faciamus, at si nulla essent bona opera, & omnia forent peccata mortifera, quomodo posset nos D. Petrus hortari ad faciendam nostram vocationem per bona opera? qua ratione posset affirmare eos non peccaturos, qui ipsius monita exequuntur, & quorum opera essent peccata mortalia. Præterea quando Calvinistæ credunt, sibi remissa esse omnia peccata, vel credendo peccant mortaliter, vel non; si peccant, ergo ipsi peccando justificantur, quo nil absurdius, nil falsius; si non peccant, ergo verum non est, quod omnia opera justificatorum sint peccata mortalia. Ratio itidem id suadet: quia ex scriptura: Arbor bona non potest malos fructus facere: sed homo justificatus in scripturis dicitur arbor bona: ergo nequit malos fructus facere, proinde opera, quæ ab ipso ut existente in justitia procedunt non sunt peccata mortalia. Major est certissima quia prolata à Christo Domino Matth. 7. v. 18. *Non potest arbor bona malos fructus facere nec arbor mala bonos fructus facere.* Minor est etiam certa; quia homo justificatus habet in se Spiritum Sanctum inhabitantem per donum charitatis, & gratiam sanctificantem, & reliquas virtutes; & nihil damnationis in ipso reperitur; ergo ejus fructus sunt boni, seu ejus opera bona, & sancta; non verò peccata mortalia; hinc Apostolus ad Galat. 5. v. 22. *Fructus autem spiritus est, gaudium, charitas, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*; quæ non sunt opera mala nec peccaminosa; alioquin virtutes naturam induerent vitiorum; quod quàm falsum sit, asserit Christus Matth. 5. v. 4. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*: si mitibus, & exercentibus misericordiam promittit præmium; ergo eorum opera sunt non mala, nec peccata lethalia. Demum habemus acta sanctorum miracula ab iis patrata, & in sacris scripturis Job & David præclara dederunt suorum operum testimonia Job. 1. v. 22. *In omnibus non peccavit Job labiis suis; neque stultum aliquid contra Deum loquutus: & cap. 23. Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit illi similis in terra, vir simplex & rectus, & recedens à malo, & adhuc retinet innocentiam.* Et David de se ipso ait Psal. 16. v. 3. *Probasti cor meum; & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas* & Psal. 17. v. 22. *Custodivi vias Domini impiè non gessi à Deo meo.* Si Job non peccavit labiis suis quomodo omnia justorum opera dicuntur à Calvinistis peccata mortalia? si Deus non invenit iniquitatem in corde David; nunquid Calvinistæ sunt Deo oculatiores, qui videant, quæ Deus ipse non videt? Hinc falsum est quod asserunt Calvinistæ, Legem Dei esse observatu impossibilem; nunquid fuit impossibilis Jobo, ex pluribus aliis viris piissimis, ac innocentissimis; an mentitus est; qui dixit, *Jugum meum suave est, & onus meum leve*? an falsum asseruit Apostolus cum dixit: *Mandata ejus gravia non sunt*: & cur Evangelista dixit: *erant ambo justi ante DEUM incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela*: si incesserunt in omnibus mandatis Dei; ergo Dei mandata sunt servatu possibilia: unde Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & & remiss. cap. 6. *Dubitare non possum, nec DEUM impossibile aliquid homini præcepisse, nec DEO adopitulandum, & adjuvandum, quo fiat, quod jubet impossibile aliquid esse.*

Dicendum quartò solam fidem non justificare hominem, neque solam sufficere ad hoc, ut nobis imputetur justitia Christi, per quam peccata nobis non imputentur, est contra Calvinum asserentem, solam fidem justificare, ac sufficere, ut nobis imputetur justitia Christi, per quam peccata nostra tegantur, eo quia sola fides sit quæ justitiam Christi apprehendit. Verba Calvini lib. 2. Instit. cap. 11. §. 19. sunt. *Dicimus hominem sola fide justificari*, & in Antidoto *Vim justificandi, ac facultatem fidei in solidum vindicamus* & lib. 3. Inst. cap. 11. §. 2. *Justificabitur ille fide qui Christi justitiam per fidem apprehendit.* Unde Calvinus duo docet scilicet solam fidem justificare: & asserit modum quo justificat quia scilicet apprehendit Christi justitiam. Utrumque falsum est. Siquidem sola fides non justificat formaliter, quia non est forma, à qua homo justificatur, nec qua dicitur justus sicut sola albedo, est forma à qua paries vocatur albus; quia fidelis in statu peccati lethalis non justificatur, & nihilominus retinet habitum fidei. Neque fides justificat antecedenter, & causaliter; quia sola non sufficit, ut justitiam acquiramus. Neque justificat consecutivè; quia sola fides non efficit, ut justificationem semel habitam conservemus, cum plures fideles conservantes habitum fidei lethaliter peccent. Calvinus tamen asserit fidem justificare non primo modo formaliter sed secundo, & tertio, seu causaliter, & consecutivè, quia licet fides non sit formaliter Christi justitia, quæ non est in nobis sed in Christo, per fidem tamen apprehensa nobis imputatur, & justi censemur non in nobis, sed in Christo, cui justitia nobis imputata inest.

Sed solam fidem non justificare causaliter, seu non sufficere ad justitiam acquirendam, probari solet: quia in re magni momenti non debet quid asseri nisi fundetur in sacris scripturis: sed in scripturis nullibi habetur homines justificari per solam fidem; ergo non debet id asseri. Major non potest negari, quia quæ pertinent ad fidem debent in sacris scripturis fundari. Minor etiam constat, quia nullus est locus in tota sacra scriptura, in quo sola fides dicatur justificare. Loca quæ à Calvinistis solent adferri sunt, Primò illud ad Roman. 3. v. 28. *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis* & ad Eph. 2. 8.

Salvati

Salvati estis per fidem non operibus. Ad Roman. 3. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Luc. 7. v. 50. *Fides tua te salvam fecit.* Joan. 1. *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* Joan. 3. *Qui credit in filium habet vitam æternam.* Luc. 8, 60. *Crede tantùm & salva eris.* & tandem Actor. 13. v. 39. *In hoc omnis qui credit justificatur* & ad Rom. 10. *Omnis qui credit in illum non confundetur.* Verum hæc scripturæ testimonia non probant solam fidem justificare. Ad primum in quo Apostolus ad Rom. 3. videtur opponere fidem operibus, ex quo inferunt Calvinistæ sola fide justificari hominem sine operibus. Respondetur ex operibus alia præcedere, & alia subsequi fidem; illa quæ præcedunt excludit Apostolus, non quæ sequuntur, cujusmodi sunt actus timoris spei dilectionis pœnitentiæ, & alii, qui funduntur in fide; Fidelis enim timet Deum, eo quia fide credit posse eum ad gehennam damnare, sperat in Deo, quem diligit, quia fide credit posse ab ipso æterna donari beatitate. hi enim actus quia fundari in fide non excluduntur ab Apostolo. Mens igitur Apostoli erat, ostendere nec Judæos ex nuda observatione legis Mosaicæ; neque gentiles propter bona opera ante Christi fidem susceptam peracta justificari, seu justitiam à Deo non consequi; sed ex fide in Christum, quia fides est initium nostræ salutis, & justificationis; *accedentem ad Deum oportet credere*; neque fides cum sit donum supernaturale datur ex operibus quæ præcedunt fidem, sed ex Dei bonitate; est enim donum Dei. Ad secundum petitum ad Rom. 3. Respondetur nos dici gratis justificari, non quia justificatio fiat sola fide, sed quia ut erat mens D. Pauli, Judæi & gentiles eam non merebantur per opera ab ipsis peracta ante susceptam fidem. Secundò quia cum fides sit donum supernaturale, quidquid disponit ad fidem suscipiendam, estque ejus dispositio, debet esse supernaturale, quia dispositio est in eodem ordine, in quo est forma, ad quam disponit; & cum natura non possit quicquam producere supra suas vires naturales, ideo hæc dispositio est gratuita, sicut & ipsa fides donum gratuitum. Tertio quia posito actu fidei, spei, & charitatis, adhuc ex mera Dei munificentia, & liberalitate sequitur infusio gratiæ, & remissio peccatorum; non enim fides meretur de condigno justificationem, quæ propterea dicitur donum gratuitum, & nos gratis justificari. Ad aliud petitum ex Luc. 1. *Fides tua te salvam fecit* respondetur scripturam meminisse solius fidei non excludendo reliquos actus; scriptura enim aliquando meminit solius fidei, aliquando solius spei, & interdum solius dilectionis, aut pœnitentiæ; unde quando meminit unius, non excludit alios. Neque urget si dicas fidem excludere reliquos actus eo quia Christus Luc. 8, 60. dixerit. *Crede tantum, & salva eris* illud adverbium tantùm excludit omnem alium actum; nam contra est quia textus iste Luc. 8. non est de justificatione neque ibi Christus loquitur de remissione peccatorum; sed tantùm de excitatione puellæ mortuæ. Neque Christus fidem exigebat à puella, quæ mortua erat, sed à parente deprecante pro sua filia. Ad illud Joan. 1. respondetur credentibus dari Filios DEI fieri, non quod fides sit ipsa filiatio, seu justificatio, & gratia sanctificans; sed quia hæc non datur nisi habentibus fidem, & elicientibus alios actus supernaturales, qui sunt dispositiones ad gratiam sanctificantem: sicut si Princeps dicat bene pugnanti dabo centum aureos, hoc præmium sequitur pugnam bene pugnatam; non vero est ipsa pugna: eodem pacto respondetur ad illud petitum ex Joan. 3. qui credit in Filium habet vitam æternam; quia vita non datur nisi credenti in Filium. Ad aliud petitum ex Actor. 13. & ad Roman. 10. Respondetur in locis illis scripturas significare nullam esse personarum acceptionem apud DEUM, sed omnes homines sive Judæi sint, sive Græci posse æternam consequi salutem per fidem JESU Christi non quod fides sit ipsa justificatio, sed quia requiritur, & sit conditio sine qua non justificatur homo. Præterea Apostolus ad justificationem præter fidem requirit etiam charitatem, ait enim ad Galat. 5. v. 6. *In Christo JESU neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Tum quia D. Petrus Actor. 10. v. 34. non meminit fidei, sed tantùm timoris, & aliorum operum, quæ fundantur in fide ait enim: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor DEUS, sed in omni gente qui timet eum, & operatur justitiam acceptus est illi,* ex quibus constat, nullum in sacris scripturis posse assignari locum, in quo sola fides dicatur justificare, quia scriptura non minus requirit actum timoris, spei, charitatis, & pœnitentiæ ab eo, qui vult justificari, quàm actum fidei, etenim Ecclesiast. 1. v. 29. *Qui sine timore est, non potest justificari.* Proverb. 28. v. 25. *Qui sperat in Domino sanabitur.* 1. Joan. 3. v. 14. *Qui non diligit manet in morte*, & Actor. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Respondent Calvinistæ, quòd tametsi alii etiam requirantur actus, non tamen habere vim justificandi, quia hæc vis est solius fidei, ait enim Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini sess. 6. ad can. 9. *Adde quod, hominem sola fide justificari, cum dicimus, fidem non fingimus charitate vacuam, sed ipsam solam justificationis causam esse intelligimus*, hinc ad Can. 11. subdit. *Fides ergo sola est, quæ justificat fideles: tamen quæ justificat non est sola.* Sed contra, quia scriptura hanc vim justificandi, & remittendi peccata non minus tribuit actibus aliarum virtutum quàm ipsi fidei etenim Ecclesiast. 1. v. 27. *Timor Domini expellit peccatum*, quòd si hic timor vim habeat expellendi peccata, hanc vim non habet sola fides. Rursus Luc. 7. v. 47. ait Christus: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, scilicet remittuntur Magdalenæ multa peccata, non quia multum credidit tantùm, sed quia multum dilexit, ergo remissio peccatorum in scripturis non solùm fidei, sed etiam charitati tribuitur. Quòd si dicas tribui soli fidei ut informatæ charitate, & timore, aliisque actibus, posset statim responderi vim remittendi peccata tribui charitati, sed non soli, bene tamen, ut comprehendit fidem, timorem, pœnitentiam, & alios actus ad justificationem requisitos. Quòd si dicas, actus charitatis timoris, & alios similes non justificare nisi in virtute fidei. Contra est, quia è contra fides potiùs in virtute charitatis justificat, ut expressè docet D. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 18. inquiens: *Ipsam fidem non facit utilem nisi charitas sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non prodesse:* & probat ex illo Apostoli ad Gal. 5. v. 6. *In Christo JESU neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur*, ubi Apostolus ait non solam fidem justificare, sed fidem ut informatam charitate, quia fides ex se non est efficax ad justificandum sine charitate, fideles enim prolapsi in peccatum lethale conservant quidem habitum fidei, non tamen justificantur, nec justi denominantur, quia carent chari-

tate, & gratia sanctificante, hinc Augustinus in Enchirid. cap. 8. ait: *Sine amore Fides nihil prodest*: Hinc Calvinistæ enormiter errant, cùm in materia de justificatione rejiciunt distinctionem Fidei informis, & formatæ, docent enim Catholici Fidem non justificare nisi formatam charitate, nec esse efficacem nec posse meritoriè operari nisi per charitatem, & gratiam sanctificantem, Calvinistæ verò asserentes solam Fidem justificare sine charitate, quamvis Fides non sit sine charitate, asserunt Fidem informem habere vim justificandi, quod est hæreticum, si enim sola justificat sine charitate, adeo ut tota vis justificandi tribuatur Fidei, sequitur Fidem ex se præcisè, proinde informem justificare, vel enim charitas simul cum Fide concurrit ad justificationem vel non, si dicatur hoc secundum sola Fides informis justificat, si primum, ergo non est Fides informis, sed formata charitate, quæ justificat.

Præterea eatenus Fides sola justificat, eò quia certò credens, certoque sibi persuadens se justum esse, & per Christum remissa sibi esse peccata, ut docet Calvinus, atqui si hoc esset omnes illi justificarentur, & salutem æternam consequerentur, qui crederent sibi esse peccata remissa, & sibi persuaderent, se justos esse, hinc Lutherani, Anabaptistæ, & reliqui Acatholici sibi persuadentes se justos esse, & per Christum sibi remissa peccata non essent Acatholici, quod Calvinistæ non concedunt habentes illos pro Hæreticis, à quibus propterea discedunt. Rursus si quis certò credat, remissa sibi esse per merita Christi peccata, sibique persuadeat per hanc solam Fidem se justificari, vel is est veræ Fidei justificantis actus, vel non, si primum, ergo Lutherani veræ Fidei justificantis actum habent, quia & ipsi hoc credunt, si non est, ergo Calvinistæ non habent veræ Fidei justificantis actum neque valet, quod respondent Calvinistæ, actum quo Lutherani credunt, sibi per Christum remissa esse peccata, ac sibi persuadent justos esse, conjunctum esse cum variis erroribus, quatenus Lutherani perversè sentiunt de Prædestinatione, Eucharistia, Ubiquitate. Nam si docent Calvinistæ solam Fidem, qua quis credit remissa sibi esse peccata, justificare, hæc sola posita in Lutherano, jam iste justificatur in sententia Calvinistæ, quod si est justificatus non potest perire; & si pereat, sequitur non fuisse justificatum per solam Fidem. Præterea eatenus justificantur per solam Fidem, quatenus sibi certò persuadent per merita Christi remissa sibi esse peccata, ergo ex vi hujus Fidei delentur omnia peccata, propterea non possunt Calvinistæ Lutheranis objicere, ideo non salvari per solam Fidem, quia perversè sentiunt de Eucharistia, Prædestinatione, Ubiquitate, essent enim hæc peccata, quæ delerentur per actum Fidei, quo crederent sibi per Christi merita remissa esse omnia peccata. Hinc non oporteret, ut ulla amplius institueretur controversia Fidei, quia unicuique sufficeret, si sibi persuaderet justum se esse in Christo, & peccatorum remissionem certò consecutum: rursus posset quisque sensui, carnis concupiscentiis, mundi deliciis, & voluptatibus liberè, & absque ullo remorsu conscientiæ indulgere, adulteria, furta, homicidia, & alia scelera perpetrare, quia ex eo, quòd certò crederet sibi remissa esse peccata per Christum, & hac sola Fide se justificari justi semper essent, & nunquam peccatores, quia hic actus Fidei in ipsis perseveraret. Quòd si Calvinistæ respondeant se non habere semper hanc Fidem actu, propterea esse peccatores contra est, quia talis actus censetur virtualiter perseverare, donec retractetur, vel alius actus contrarius eliciatur. Calvinistæ explicantes modum, quo sola Fides justicat, duplicem adferunt similitudinem unam manûs, alteram ollæ; Sicut enim manus pauperis apprehendit eleēmosynam ei à prædivite porrectam, ita ajunt, Fides peccatoris apprehendit justitiam Christi à DEO Patre ipsis oblatam. Rursus sicut olla, quòd continet in se plures aureos, quibus hominem ollæ professorem locupletat; ita Fides comprehendit justitiam Christi, qua hominem justificat. Utraque similitudo per se corruit, olla enim fictilis est & nullius pretii, ac dignitatis, proinde neque similitudo petita ab olla fictili ullius censenda est momenti, quia Fides in se non continet gratiam, sanctificantem eo modo, quo olla fictilis aureos dicitur comprehendere, & manus pauperis eleemosynam sibi exhibitam, quia æquè pecunia includitur in manu pauperis, ac in olla fictili, & gratia justificans non continetur in Fide, sed Fides tantùm est dispositio ad justificationem, perinde ac calor, & siccitas in ligno sunt dispositiones ad formam ignis, non verò sunt ipsa forma substantialis ignis, quia forma est in ordine substantiæ, & dispositiones in ordine qualitatum. Hinc cùm Calvinistæ asserunt solam Fidem justificare, eo pacto, quo sola olla locupletat hominem, vel Fides est causa effectiva justificationis, vel meritoria, vel dispositiva aut instrumentalis, vel tantùm relativè justificat. Calvinistæ ad hanc interrogationem titubant, asserentes nunc unum, modò aliud, semper ancipites nunquam certi. Rursus dicunt solam Fidem justificare, eò quia solam justitiam Christi apprehendat, perinde ac olla ideo locupletat hominem, quia plures aureos in se comprehendit. Sed non explicant, quis sit propriè ille actus Fidei, qui justitiam Christi apprehendit, & justificat hominem: siquidem Calvinistæ varios adducunt actus Fidei, quorum primus est apprehendere mortem, & passionem Christi seu justitiam ejus actualem. Secundus est credere promissionem DEI Patris, qua promisit fore nobis propitium propter mortem, & passionem Christi. Tertius credere hanc promissionem sibi applicari, ac certò credere ac statuere omnia peccata sibi remissa esse à DEO Patre propter merita Christi. Quartus certò credere se perpetuò justum mansurum, & non posse excidere à justitia semel adepta, ac proinde prædestinatum esse ad vitam æternam: ex hisce actibus quis sit, qui hominem justificat propriè, & immediatè, an unus tantùm vel plures, vel omnes simul non assignant Calvinistæ, & varia respondent, cum Calvino, qui lib. 3. Instit. cap. 11. §. 2. ait: *Justificabitur ille fide, qui Christi justitiam per Fidem apprehendit*, & cap. 17. §. 1. ait: *Quare ergo fide justificamur, quia fide apprehendimus Christi justitiam*, unde tota via justificandi à Calvino tribuitur actui, quo apprehendimus justitiam Christi actualem. Rursus lib. 3. Instit. cap. 2. §. 2. ait: *Ex eo salutem consequimur, quando Deum agnoscimus Deum esse propitium Patrem*, & justificationem non amplius primò, sed secundo actui tribuit. Rursus §. 16. *Verè fidelis non est, nisi qui solidâ persuasione sibi propitium, benevolumque Patrem esse persuasus de ejus benignitate omnia sibi pollicetur.* Alibi justificationem tribuit tertio actui, seu promissioni nobis factæ, ait enim

eisdem lib. 3. cap. 2. §. 10. *Peccatorum remissionem Spiritus Sanctus propriè in solis electis obsignat, ut eam speciali fide in usum suum applicent.* Tandem §. 26. tribuit hanc justificationem quarto actui inquiens: *Verè fidelis non est nisi qui confidenter se regni cœlestis heredem gloriatur.* Ecce quàm varius, quàm anceps, & incertus est Calvinus docens per solam fidem homines justificari, respondent Calvinistæ hominem non justificari per unum tantùm ex prærecensitis actibus, sed per omnes simul, sed id non possunt ex Scriptura probare, & sibi contradicunt, cùm asserunt solam fidem justificare asserentes ad id evincendum verba Christi Luc. 7. *Fides tua salvam te fecit*, & Luc. 8. *Filia fides tua salvam te fecit*, primum dictum fuit Magdalenæ, & alterum mulieri patienti fluxum sanguinis, & dicunt utramque fœminam fuisse justificatam sola fide, eò quia utraque habuerit omnes prærecensitos actus fidei. Sed quàm falsum sit ex eo conjicitur, quia Magdalena non poterat sibi persuadere remissa sibi peccata, & habere Deum Patrem propitium propter mortem, & passionem Christi, eò quia nihil adhuc sciret de morte, & passione Christi, cùm nondum Christus fuisset passus. Rursus Apostoli fuerunt justificati, quamvis non crederent Christum passurum, & mortem subiturum, etenim Luc. cap. 18. v. 31. *Assumpsit autem Jesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellaverint, occident eum, & tertia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt*, quia ipsis nondum exploratum erat, quod Christus deberet à Judæis crucifigi, & post mortem tertiâ die resurgere, hinc Christus Matth. cap. 16. v. 21. *Exinde cœpit JESUS ostendere discipulis suis, quia oportet eum multa pati à senioribus, & occidi, & tertia die resurgere, & assumens eum Petrus cœpit increpare illum dicens absit a te Domine, non erit tibi hoc.* Quomodo ergo poterant Apostoli justificari per actum fidei, quo crederent Christum passurum, à Judæis mortem subiturum, & tertia die resurrecturum, quomodo potuerunt credere per Christi mortem, & passionem remissa esse sibi peccata, cum nihil adhuc scirent de Christi passione, & morte: si igitur Magdalena, & Apostoli fuerunt justificati non per fidem, qua crederent per Christi mortem, & passionem sibi remissa esse peccata, nec per fidem quæ apprehenderent actualem Christi obedientiam, & justitiam, nec per fidem, qua certi essent se perpetuo mansuros justos, cùm Petrus postea Christum negaverit, sequitur evidenter per omnes prærecensitos actus fidei homines non justificari.

Dicendum quintò fidem justificantem non consistere in eo, quod quis certo credat peccata omnia sibi remissa esse propter merita Christi ac se justum esse in conspectu DEI, est contra Calvinum lib. 10. Instit. cap. 2, §. 16. ubi ait: *Verè fidelis non est, nisi qui sola persuasione DEUM sibi propitium benevolumque Patrem persuasus de ejus benignitate omnia sibi policetur*, vult enim fidem justificantem in eo consistere, ut quis firmiter, & certo credat peccata omnia sibi esse remissa propter merita Jesu Christi, quod quàm falsum sit ex eo evincitur faciliè, quia nihil fide Catholica, & justificante credendum est, nisi quod Deus revelavit: sed DEUS nullibi in Scripturis revelavit Calvinistis, quod peccata sint ipsis remissa, ac proinde justi sint, ergo non possunt Calvinistæ id credere fide Catholica, & justificante. Major non potest difficultatem pati, siquidem adæquatum fidei objectum est veritas à Deo revelata, proinde actus, qui non versantur circa hoc objectum per aliquam illius partem non possunt esse actus fidei ex defectu objecti. Minor est etiam certa, quia tametsi vivente in terris Christo fuerit nonnullis revelata remissio peccatorum, ut paralitico, Zachæo, Magdalenæ, latroni in cruce pendenti, nulli tamen ex Calvinistis post Christi ascensionem in cœlum fuit hæc remissio peccatorum revelata. Quòd si Calvinistæ respondeant hanc revelationem contineri, ac deduci ex Scriptura Actor. 13. 39. *In hoc omnis qui credit, justificatur*, & ad Roman. 3. 22. *Justitia Dei per fidem JESU Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* Contra est, quia hæc promissio, & revelatio generalis est, neque Scriptura dicit hunc, vel illum Calvinistam esse justum, eò quia certè & firmiter credat peccata omnia sibi remissa esse propter merita JESU Christi. Rursus neque generalis hæc promissio potest applicari huic vel illi particulari nisi argumentemur hoc modo. Omnis qui habet veram fidem in Christum, & certo ac firmiter credit peccata omnia sibi esse remissa propter merita JESU Christi justificatur: sed Calvinus, Lutherus, Servetus habent veram fidem in Christum, & credunt sibi esse remissa omnia peccata propter merita Christi, ergo justificantur: ex hoc tamen argumento non potest quidquam concludi ad evincendum hunc vel illum Calvinistam esse justificatum, eò quia credat peccata omnia sibi remissa per merita Christi, licet enim major propositio sit vera desumpta ex Scripturis, minor tamen non est revelata, imò est falsa, quia Calvinus, & Lutherus, & alii non possunt habere veram fidem in Christum, cum non credant omnes fidei articulos, quos Christus revelavit. Quòd si Calvinus & Lutherus non habent veram fidem, eò quia non assentiantur omnibus revelatis à Deo, & Christo, quæ continentur in Scripturis, non potest eorum fides eos justificare.

Præterea actus fidei justificantis debet justificationem præcedere, seu remissionem peccatorum, siquidem omnis causa debet esse prior suo effectu, & fides est causa, cur justificemur: sed actus ille, quo quis credit sibi remissa esse peccata, & se justificatum esse non præcedit justificationem, & remissionem peccatorum, ergo non potest esse actus fidei justificantis, quia fides justificans debet esse prior ipsa justificatione, ut etiam docet D. Augustinus lib. de spiritu, & littera cap. 30. ubi hunc ponit ordinem in justificatione, ut primo loco sit lex, per quam est cognitio peccati, secundo fides, quæ impetrat gratiam contra peccatum, tertio gratia, quæ justificat à peccato, ait Augustinus *per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ abolitione peccati* & epist. 106. hoc idem repetit asserens: Per fidem remissionem impetrari peccatorum, consequenter fidem esse priorem justificatione. Minor, seu actum, quo quis credit sibi remissa esse peccata non esse priorem justificatione, consequenter non esse actum fidei justificantis, ex eo facilè evincitur, quia si præcederet justificationem is, quis crederet sibi remissa esse peccata, falsum crederet, quia dum eliceret talem actum nondum essent remissa, sed tantùm essent remittenda. Respondent Calvinistæ actum illum & remissionem peccatorum esse simul, adeò ut in eodem instanti quo quis credit peccata sibi remis-

remitti, hæc remittantur. Sed loquendo de ordine naturæ, seu causalitatis non potest dici, quòd ille actus sit simul cum remissione peccatorum, quia si ille actus præcedit, & est prior, necesse est remissionem peccatorum esse posteriorem, quamvis sit id absurdum, siquidem remissio peccatorum sequitur ad ipsum actum, quo quis credit esse sibi remissa peccata; quia hic actus, ut concedunt Calvinistæ, est causa remissionis: & rursus esset posterior remissione, quia est objectum illius actus ipsa remissio peccati, de ratione enim actus est præsupponere non ponere suum objectum, ergo idem actus esset prior, & posterior ipsa remissione peccatorum, quod repugnat.

Rursus quando Scriptura loquitur de fide justificante, non intelligitur esse de illo actu, quo quis certò credit remissa sibi esse peccata, sed de alio actu, ergo actus, quem ponunt Calvinistæ, non est ille qui justificat, antecedens patet ex pluribus Scripturis, ad Hebræos 11. v. 6. *Sine Fide impossibile est placere Deo. Credere oportet accedentem ad Deum, quia est & inquirentibus se remunerator sit.* Apostolus loquitur de Fide justificante, cùm dicat sine Fide impossibile esse placere Deo, hic autem actus non est, quem ponit Calvinus, & quo credit certò per Christi merita sibi remissa esse peccata, quia Apostolus objectum Fidei non ponit remissionem peccatorum, sed Deum, ait enim: *Oportet credere, quia Deus est, & quia inquirentibus remunerator sit*, nullam hic mentionem facit de remissione peccatorum. Præterea ad Romanos 8. v. 10. ait: *Si confitearis ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus suscitavit illum à mortuis salvus eris*, hic etiam Apostolus agit de fide justificante, ait enim: *Si credideris salvus eris*, & nemo potest salutem consequi nisi fuerit justificatus, & tamen nulla hic fit mentio remissionis peccatorum. Rursus Joan. 20. v. 31. *Hæc autem scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Hic etiam sermo est de Fide justificante, & quæ adfert vitam, & est Fides, de qua dicit D. Paulus ad Roman. 1. *Justus ex Fide vivit*, & tamen nulla fit mentio remissionis peccatorum, ex quo conjicitur actum illum, quo justificamur non habere pro objecto ipsam remissionem peccatorum, sed Christum esse & inquirentibus se remuneratorem esse, quem actum habuit D. Petrus cùm dixit Matth. 16. *Tues Christus Filius Dei vivi*, & quidem à Deo habuit, ut testatur Christus ipse inquiens: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelabit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Neque Calvinistis suffragantur illa Scripturarum loca, quibus ad justificationem videtur sufficere sola Fides Matth. 9. 2. *Videns JESUS Fidem illorum dixit Paralytico confide fili remittuntur tibi peccata tua*; & v. 22. *Confide filia fides tua te salvam fecit*, Luc. 17. v. 19. *Vade quia fides tua te salvum fecit.* Luc. 8. v. 42. *Respice fides tua te salvum fecit*, hæc enim & alia, quæ à Calvinistis adferuntur Scripturæ testimonia non intelliguntur de illo actu Fidei, quo quis credit remissa sibi esse peccata per Christi mortem, & passionem; sed de illo, quo, qui à Christo sanati sunt, credebant eum habere vim eos sanandi, & firmiter credebant se posse à DEO juvari, ut patet ex ipso contextu. Neque illis favet illud Apostoli ad Roman. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam*, quia Fides Abrahæ, quæ fuit illi reputata ad justitiam, non consistebat in eo, quòd certò crederet remissa sibi esse peccata, id enim Scriptura non asserit; sed in eo quòd crederet se futurum Patrem multarum gentium ex Filio, quem sibi centenario uxor nonagenaria & sterilis paritura esset præter consuetum naturæ cursum. Hoc autem credere nil aliud erat nisi credere certò DEUM servaturum suum promissum, ed quia crediderat DEUM omnipotentem esse, & fidelissimum; & hoc expressè significat Apostolus eod. cap. v. 18. ubi loquens de Fide Abrahæ ait: *Qui contra spem in spem credidit, ut fieret Pater multarum gentium secundùm quod dictum est ei, sic erit semen tuum sicut stella cœli, & arena maris. Et non infirmatus est fide: nec consideravit corpus suum emortuum cùm verè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ, sed confortatus est fide, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus potens est & facere.* Demum neque illis favet articulus Symboli *Credo remissionem peccatorum*, quia sensus non est credo, & illicò mihi remissa sunt peccata, quasi ex vi, & virtute fidei remittantur peccata, vel sit ipsa Fides quæ peccata obliteret: Sed sensus illius articuli est, credo & confiteor inesse Ecclesiæ donum remissionis peccatorum, quod per Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ percipitur, seu credo per ambo Sacramenta remitti peccata. Quamvis remissio peccatorum propria sit Dei Isaiæ 43. *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas*, quia à nemine nisi à creditore pecunia quæ alteri debetur, remitti potest: Cùm igitur uni DEO peccatis obstricti simus, perspicuum est à nemine præter Deum peccata nobis posse condonari, quapropter quotidiè in oratione Dominica DEUM rogamus: *Demitte nobis debita nostra.* Hinc non minor potestas est necessaria ad hominem ex impio justum reddendum, & animam à morte peccati suscitandam, quàm ad mundi creationem, & corpora à morte excitanda; ad quod præstandum certum est requiri infinitam Dei virtutem. Hæc autem potestas remittendi peccata antequam Verbum æterni Patris nostram assumeret humanitatem nulli fuit creaturæ à Deo concessa: & primus omnium qui ut homo dimitteret peccata, fuit Christus Salvator noster, quod munus à Deo Patre accepit Matth. 9. *Ut sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata ait Paralytico: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.* Hanc eandem potestatem Christus suæ concessit Ecclesiæ ab Episcopis, & Presbyteris ad hoc ordinatis ministris exercendam, illius vice, & authoritate non verò suis propriis meritis ministrorum, cùm & ipsi medico cœlesti indigeant, à quo à lepra purgentur peccatorum. Hinc Christus Joan. 20. ait: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, scilicet Spiritus Sanctus remittit peccata ut causa principalis remissionis, & Sacerdotes tantùm ut ministri, in quibus habitat Spiritus Sanctus 1. Corinth. 6. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Deus dicitur habitare in templo sancto suo, seu in sanctis suis fidelibus, in sua Ecclesia, & per eos dimittit peccata, quia viva sunt templa; unde Augustinus in Enchiridio cap. 64. ait: *Remissionem peccatorum confitemur: per hanc enim stat Ecclesia, quæ est in terra: per hanc non perit quod perierat, & inventum est. Excepto quippe baptismatis munere, quod contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione retrahatur, & tamen activa quoque peccata, quæcunque ore, corde, opere commissa invenerit, tollit.* Hæc tamen ablatio seu remissio peccatorum fit per sacram exhomologesin, seu Confessionem Sacramentalem, & hæc

hæc remissio peccatorum non solùm culparum abolitionem, sed etiam pœnarum remissionem secum trahit: siquidem effectus omnes gratiæ Christi, & fructus omnes sanguinis ipsius complectitur, ac plenam, & integram totius hominis renovationem.

Dicendum est sextò fidem non solùm electis, sed etiam reprobis dari contra Calvinum asserentem fidem esse propriam electorum, & ab ea reprobos excludi, ait enim lib. 5. Instit. cap. 22. §. 10. *Quòd si electio fidei mater est, in eorum caput retorqueo argumentum, ideo non esse generalem fidem, quia specialis est electio.* Et cap. 24. §. 13. ait: *Cur ergo gratiam illis largiendo, hos prætermittit, de aliis causam reddit Lucas, quia ad vitam sunt ordinati, de aliis ergo quid sentiemus, nisi quia sunt vasa iræ in contumeliam*, ubi Calvinus non solùm excludit reprobos à fide, verùm etiam causam addit, cur excludi debeant, nimirum quia destinati sunt ad contumeliam. Verùm quàm falsum sit hoc assertum, ex eo est probatu facilè, quia in Scripturis expressè habemus etiam reprobos veram habere fidem ut Matth. 13, 11. *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum*, loquitur Christus de duodecim suis Apostolis, inter quos erat Judas reprobus, quia proditor, Luc. 9. *Convocatis autem duodecim Apostolis dedit illis virtutem, & potestatem super dæmonia, ut languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei*, & infra v. 6. *Egressi autem circuibant per castella evangelizantes, & curantes ubique.* Quòd si Judas unus ex duodecim Apostolis fuit à DEO missus, & prædicavit fidem Evangelii, certè Judas fidem habuit, & nihilominus reprobus fuit, etenim Joan. 17. v. 8. habetur: *Verba quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognoverunt vere, quia à te exivi, & crediderunt, quia tu me misisti*, loquitur Christus de suis discipulis, rursus Joan 6. v. 70. *Nonne ergo vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est*, quasi dicat, nonne cum omnes fueritis à me electi boni omnes ac iustis, quomodo ergo nunc unus ex vobis de Angelo lucis, mutatus est in diabolum tenebrarum, ergo Judas, cùm electus fuit à Magistro Christo bonus fuit, & vir probus, ac propterea veram habuit fidem, quam postea coinquinavit factus reprobus, & proditor. Rursus etiam Simon magus fidem habuit, quamvis reprobus fuerit, ut testatur sanctus Lucas in Act. Apostolor. cap. 8. v. 12. *Cùm verò credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, & in nomine JESU Christi baptizarentur viri, ac mulieres, tunc Simon & ipse credidit, & cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo.* Quòd si Simon credidit, baptizatus fuit, Philippo adhæsit, seu fidem veram habuit, & tamen reprobus fuit. Nicolaus Antiochenus etiam ipse veram habuit fidem, & tamen reprobus fuit, ait Lucas cap. 6. v. 3. *Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonii septem plenos Spiritu sancto, & sapientia. Et elegerunt Stephanum, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Simonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum.* Quòd si Nicolaus plenus fuit Spiritu Sancto, & sapientia, procul dubio veram habuit fidem, sine qua, ut ait Apostolus, impossibile est DEO placere: & quia Nicolaus fuit reprobus, jam satis apertè constat etiam reprobos veram habere fidem. Neque ullius est momenti, quod respondent Calvinistæ fidem Judæ, Simonis, & Nicolai non fuisse veram, sed tantùm fallacem simulationem: nam ex quonam loco Scripturæ Calvinistæ id deducunt? si fides Judæ fallax erat simulatio, nunquid Christus eam ignoravit? cur ipsum elegit Joan. 17. vers. 10. *Pater, quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis*; Quod si Pater dedit Filio duodecim Apostolos, quos inter erat Judas, si Christus eos recepit in suam custodiam, si ex iis solus Judas periit, ergo Judas fuit aliquando vir probus, fidelis, & habuit veram fidem. Tum quia quos Pater dat Filio, hi veniunt ad filium Joan. 6. 37. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*: Sed Pater dedit Filio Judam ut discipulum, ergo Judas venit ad filium, sed non potest quis ad filium venire, nisi per internam fidem, & vocationem à Deo Patre perfectam Joan. 6. vers. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum*, non funibus, & catenis, non vi sed interno amore, & benevolentia, adeò ut Judas interno instinctu, & dilectione fuerit ad Christum perductus, proinde tunc erat fidelis, & vir probus. Rursus quos Christus recipit in custodiam, à Christo non deseruntur, nisi ipsi Christum deserant, ac perinde quamdiu manent, sub tali custodia, & protectione habent omnia gratiæ præsidia, quæ necessaria sunt ad salutem, propterea ait Christus Joan. 6. *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras*, ac si diceret, neminem ego ejicio, sed qui vult à me discedere, discedat, Joan. 6. 39. *Hæc est voluntas Patris mei, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo*, scilicet ex mea negligentia non perdam quemquam, sed si quis vult à me discedere ex sua culpa discedit; & quia Judas fuit semel receptus cum reliquis Apostolis in Christi custodiam, quamdiu in illa mansit, non defuerunt illi præsidia ad salutem necessaria, ergo neque fides. Præterea Judas fuit electus, & non eligimus nisi bona, nisi fortassis aliquo mentis errore teneamur, qui in Christum cadere non potest.

Falsum est etiam, quod asserunt Calvinistæ fidem semel habitam non posse amplius amitti, ait enim Calvinus libro 3. Institut. cap. 2. §. 11. *Ergo ut solos electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regeneret, ut nunquam dispereat semen vitæ, eorum cordibus insitum; ita solidè in illis obsignat adoptionis suæ gratiam, ut stabilis, ac rata sit*, & §. 12. subdit: *Hoc interim tenendum est, quantumvis exigua sit, ac debilis in electis fides, quia tamen Spiritus Dei certa illis arrha est ac sigillum suæ adoptionis, nunquam ex eorum cordibus deleri posse ejus sculpturam.* Hæc enim propositio hæretica est, & à Joviniano olim asserta, ut testatur D. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum repugnat enim Scripturis, etenim si fides semel habita non potest amplius amitti, cur scripsit Apostolus 1. Timoth. 1. v. 19. *Quidam circa fidem naufragaverunt, ex quibus est Hymenæus, & Alexander.* Si naufragaverunt circa fidem, ergo quia antea fuerunt in fide, propterea habuerunt fidem, rursus cap. 4. *In novissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum*, si discedunt à fide, eò quia dicuntur spiritu erroris, & doctrinis adhærent dæmoniorum, ergo ante discessum fuerunt in fide, & habuerunt fidem, alioquin non discessissent à fide. Præterea quotquot in peccatum delabuntur infidelitatis, & in hæresi sordescunt, fidem amittunt, ex qua causa plures fuerunt Hæresiarchæ, qui deficientes à vera fide hæreses somniatas asseruerunt, quibus & adhæserunt, quapropter dixit Apostolus: *Oportet hæreses esse.* Demum ex discrimine quod interest Paganos

inter & Hæreticos satis apertè evincitur fidem semel habitam posse amitti, siquidem Pagani non credunt, & fidem nonquam habuerunt, hæretici verò non credunt, sed fidem habuerunt, & amiserunt, de quibus ait Apostolus Actor. 20. v. 30. *Ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa.*

Falsum est etiam, quod asserunt Calvinistæ fideles certos esse de sua justitia, & prædestinatione, etenim nemo absque speciali revelatione certus est de sua justitia, ac remissione peccatorum Ecclesiast. 9. 1. *Nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta* Ecclesiast. 5. vers. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Psal. 18. v. 13. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine,* & Apostolus 1. Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui autem judicat me, Dominus est.* Quòd si nescit homo, utrum sit amore dignus vel odio, sed omnia in futurum servantur incerta, eò quod universa æquè eveniant justo, & impio, quomodo potest quis certus esse de justitia sua, & peccatorum remissione. Neque obstat, quod respondent Calvinistæ Salomonem non loqui de notitia fidei, sed de fide, quæ haberi potest ex externo eventu, eò quia ex beneficiis, vel adversitatibus, quæ à Deo hominibus obveniunt, non possunt homines cognoscere, quos Deus diligat, & quos odio habeat, eò quia æquè beneficia, & adversa communia sint bonis, & malis, unde Calvinistæ inferunt, homines tantùm per internam fidem posse cognoscere se justos esse, & fideles, & remissa sibi esse peccata, non verò posse id cognoscere per externa beneficia, vel tribulationes, quas patiuntur, sed contra quia Salomon loquitur de interna fide, ex qua non possit homo cognoscere certo, an remissa sint illi peccata, & esse ipsum justificatum, quia nescit homo, utrum odio, vel amore dignus sit, adeò ut non possit homo in hac vita de seipso dicere, ego sum justificatus, ego à Deo diligor; quis si id posset cognoscere certè non per fidem internam, quia objectum fidei sunt tantum revelata, & quæ continentur in Scripturis; & quia nulla hic habetur specialis revelatio per fidem internam, non potest homo cognoscere in hac vita, an diligatur, necne: unde si posset id cognoscere, maximè ex beneficiis Dei id agnosceret; sed Dei beneficia communia sunt bonis & malis, nec propterea possunt fideles certiorari, quòd sint in statu gratiæ, quòd diligantur à Deo, proinde non possunt id certo cognoscere. Præterea ait Salomon, *omnia in futurum servantur incerta*, quod verum non esset, si quisque per internam fidem cognosceret, & certus esset, se à Deo diligi, ac esse in statu gratiæ, & sibi remissa esse peccata. Hinc D. Paulus ait: *Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer: sed neque me ipsum judico*, seu neque meo judicio fidere audeo. *Nam & si nihil mihi conscius sim, non tamen in hoc justificatus sum*, scilicet quamvis mihi non sit exploratum contraxisse noxam aliquam & per examen conscientiæ nihil mihi conscius sim, non tamen possum judicium ferre de mea justitia, & judicare me gratum esse Deo, & mihi remissa esse peccata, & quod alii forassis de me judicent existimantes me gratum esse Deo: mihi pro minimo est, ut ab hominibus judiseu non curo hominum judicium, quia *qui judicat me, Dominus est*, seu solus Deus, qui est verus judex, quique omnia novit ex hoc discursu Apostoli inferunt communiter sancti Patres incertitudinem gratiæ & remissionis peccatorum, quia si Paulus Apostolus, & Doctor Gentium fatetur; nec se nec quempiam alium hominem scire absque speciali Dei revelatione an sit in statu gratiæ nec ne, certe neque nos possumus id certo scire, quamvis fideles simus, & nullius lethalis noxæ conscii, hinc Augustinus in Psalm. 41. expendens verba Apostoli ait; *Tantamne profunditatem credidis esse in homine, quæ lateat ipsum hominem, in quo est?* Et nonnullis interjectis: *Cor hominis abyssus est, quid est profundius hoc abysso, loqui homines possunt, videri possunt; audiri in sermone, sed cujus cogitatio penetratur? cujus cor inspicitur?* & serm. 13. de verbis Domini. *Fortassis tu nihil invenis in conscientia tua, sed invenit ille, qui melius videt.* Objiciunt tamen Calvinistæ. Primò illud ad Roman. 8. 38. *Certus sum, quia neque mors neque vita poterit me separare à charitate Dei.* Secundò illud 1. Corinth. 2. vers. 12. *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ donata sunt nobis.* Tertiò 1. Joan. 3. v. 14. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*, & cap. 4. vers. 13 *In hoc cognoscimus, quoniam in Deo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis*, & cap. 5. 19. *Scimus, quoniam ex Deo sumus.* Quartò illud 2. Corinth. 13. 5. *Vosmet ipsos tentate, si estis in fide. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus in vobis est? nisi fortè reprobi estis*, ex quo loco inferunt Calvinistæ solos reprobos esse, qui non cognoscunt se esse in fide, & gratia Christi, sed è converso omnes prædestinatos id cognoscere. Sed contra quia hæc congesta Scripturarum testimonia Calvinistis non favent, Apostolus enim ad Roman. 8. non loquitur de certitudine fidei, sed tantùm de morali, quæ ex signis, & conjecturis haberi potest, quapropter etiam sancti Patres Ambrosius, Hieronymus, & alii asserunt, nos aliam certitudinem non posse de nostra justificatione habere nisi moralem ex signis & conjecturis, & illud certus sum, asserunt, græcè sonare persuasus sum, seu confido me esse in gratia. Ad secundum petitum ex 1. Corinth. 2. respondetur, donorum Dei duo esse genera, quædam enim sunt, quæ dantur in hac vita, & pertinent ad ipsam gratiam, & quædam quæ tantùm in altera & spectant ad gloriam, nos loquimur tantùm de priori genere, & Apostolus loc. cit. de posteriori, unde rectè citantur à Calvinistis ejus verba; sensus enim est nos à solo Dei Spiritu didicisse, quæ dona ab æterno DEUS nobis præparavit post hanc vitam, idque colligitur satis apertè ex præcedentibus Apostoli verbis, ait enim, *oculus non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum: nobis autem revelavit DEUS per spiritum suum*, ex quibus constat Apostolum loqui de donis pertinentibus ad gloriam æternam, quæ à nobis cognoscuntur, quatenus fuerunt nobis revelata; quæstio autem est de donis supernaturalibus pertinentibus ad statum præsentis vitæ, an possit homo fide interna cognoscere, se esse in statu gratiæ, & sibi remissa esse peccata. Ad tertium petitum ex 1. Joan. 3. respondetur Joannem in illo loco non loqui de notitia fidei sed de conjecturali, siquidem fidei notitia fundatur in revelatione Dei ex parte intellectus, qui eatenus assentitur alicui rei per notitiam fidei, quia à DEO fuit revelata, secus notitia de qua Joannes agit non est fundata in revelatione; sed tantùm in signo seu effectu, quem in nobis expe-

experimur, ex parte voluntatis, siquidem ait nos scire, quia sumus translati de morte ad vitam, & quod in Deo maneamus, quia diligimus fratres seu, quia experimur in nobis effectus charitatis circa proximum, qui non potest esse nisi à DEO quapropter subdit: *Qui non diligit fratrem manet in morte*, unde ex defectu amoris colligimus non esse in morte sicut ex amore inferimus esse amicos DEI: hæc autem notitia quæ per internum experimentum habetur, non est omnino & physicè infallibilis, sed tantùm moraliter, ut superius explicatum est. Ad quartum petitum ex illo 2. Corinth. 13. v. 5. Respondetur verba illa Apostoli non favere Calvinistis, quia Apostolus tantùm loquitur de justitia, & remissione peccatorum, quæ procul dubio distinguitur à fide. Hinc ex eo, quod quis certus sit de sua fide, non sequitur certum esse de sua justitia, & remissione peccatorum. Præterea respondent alii Apostolum loqui de Christo habitante in Corinthiis per potentiam, & miracula; quæ in illa civitate faciebat, non verò de Christo habitante in Corinthiis per gratiam sanctificantem, hinc Apostolus Corinthios hortatur ut examinent se ipsos, si sint in fide, non quod desideret singulos certos esse de sua fide, quam quisque habet, sed quod velit eos attendere an non credant Christum apud ipsos virtutes, & miracula operari.

Hinc neque certi & securi esse possumus de perseverantia, quia si nemo certus est, de sua justitia ut ex scripturis evicimus, sequitur non posse esse certum de perseverantia in justitia: nemo enim certus est, se esse perseveraturum in illo statu in quo non est certus an sit, hinc scriptura nos hortatur ad timorem non ad securitatem, ad Roman. 11. v. 20. *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time*, & ad Philip. 2. v. 12. *Cum metu, & tremore salutem vestram operamini* nos hortatur Apostolus non securi simus de nostra salute, sed ut cum metu & tremore illam operemur: hinc etiam David Psalm. 2. *Servite Domino in timore, apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Hinc nec etiam potest quis certus esse de certitudine suæ prædestinationis, quia si certo nescit an sit perseveraturus in gratia nec ne, imò, si nescit homo an sit in statu gratiæ, an dignus DEI amore vel odio non poterit certo scire, se prædestinatum esse; & æternam consecuturum gloriam, tum quia si fideles certi essent de sua prædestinatione abjicerent omnem timorem, & solicitudinem, proinde frustra admoneremur in scripturis, ut in tremore nostram operaremur salutem. Neque obstat, quod Calvinistæ objiciunt ex illo, 1. Joan. 5. *Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii DEI*, nam respondetur Joannem loqui de fide, quæ habetur in spe non in re de vita æterna, adeo ut sensus sit, qui credunt habere vitam æternam in spe juxta illud Apostoli ad Roman. 8. v. 14. *Spe salvi facti sumus*; non verò quod in re accipient vitam æternam, quia ad id requiritur perseverantia finalis dicente Apostolo ad Hebræ. 3. v. 14. *Participes Christi effecti sumus si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem, firmum retineamus.* Neque sola fides ad conservationem justitiæ ad perseverandum, & ad consequendam vitam æternam, ut putant Calvinistæ, quia fides sola sine operibus mortua est, & tantùm abest, quod ducat ad gloriam æternam, ut potiùs ad supplicia perducat gehennæ. Matth. 3. v. 10. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*: per hanc arborem fidei indicatur bonis destituta operibus, quæ in ignem æternum mittetur, quia ut ait Christus Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*, hoc est bene operare juxta divinam legem, seu ut scribit Apostolus ad Roman. 12. v. 10. *Odientes malum adhærentes bono. Honore invicem prævenientes. Orationi instantes. Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes*, seu bene operantes juxta ea, quæ in divina lege præscribuntur. Jacobi 2. v. 14. *Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat*, fides enim sine bonis operibus inutilis est, & non proderit illam habenti, quia *fides* ut ait idem Apostolus *sine operibus mortua est*, & iterum ait expressè contra Calvinistas: *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, non ex fide tantùm.* Unde 2. Petri 10. hortamur bene agere, ut per bona opera æternam consequamur salutem. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.*

CAPUT V.

An Christus de potentia absoluta potuerit peccare.

Evicimus Christum de facto non peccasse neque de lege ordinaria potuisse peccare concedunt omnes Catholici, quia id fit de lege ordinaria quod Deus statuit aliquando efficere, aut permittere; & tantùm abest DEUM statuisse aliquando efficere, aut permisisse peccatum in Christo, ut potius voluerit oppositum: alioquin sequeretur, Christum aliquando peccasse, quod quàm falsum sit ostendimus: quamobrem indubitatum est de lege ordinaria, Christum non potuisse peccare. Tum quia Christo à primo suæ conceptionis instanti erat debita visio beata ratione unionis hypostaticæ, & carentia beatitudinis non fuit de lege ordinaria in Christo possibilis; sed cum beatitudine non est componibile peccatum ullum, quia visio beata non potest repræsentare voluntati motivum ullum se avertendi à summo bono; neque intellectus beati in divina essentia videt aliud motivum, quàm summi amoris: ergo de lege ordinaria non poterat Christus peccare. Præterea cum plenitudine gratiæ non est peccatum componibile, quia hoc semper, saltem consecutivè, dicit aliquam carentiam gratiæ, proinde destruit ipsam plenitudinem gratiæ; ergo cum Christus à primo instanti suæ conceptionis fuerit cum plenitudine gratiæ ratione unionis hypostaticæ, quæ veluti proprietatem radicabat hanc plenitudinem; ideo Christus non solum nunquam peccavit, sed nec de lege ordinaria potuit peccare. Unde difficultas est, an de potentia absoluta potuerit Christus subesse peccato, vel peccatum committere; non quidem in eo sensu, ut Deus vires exhibeat ad peccandum, vel sun speciali concursu juvet ad peccatum; id enim ab omnibus censetur impossibile, quia Deus foret author peccati; sed in eo sensu, ut Deus utendo sua absoluta potentia removeat à Christu dona repugnantia cum peccato, ut sunt beatitudo, gratia habitualis, & virtutes

supernaturales; vel non tribuendo humanitati hujusmodi dona.

Dicendum est, Christi humanitatem etiam de potentia Dei absoluta non potuisse ullo pacto actu peccare servando unionem cum persona Verbi: adeo ut Christi humanitas ex vi unionis hypostaticæ etiam præscindendo ab aliis donis fuerit impeccabilis: ita communiter Theologi cum D. Thoma quæst. 2. art. 1. in 3. contra Durandum, Gabrielem Scotum, Marsilium, & alios paucos.

Evincitur assertum authoritate sanctorum Patrum: etenim S. Athanasius serm. 2. contra Arianos, vocat *Christum per se sanctum, & Dominum sanctificationis, & natura sua justum, & immutabilem ad malum.* Quòd si Christus est per se sanctus, & ex natura sua justus; sequitur quòd per se, & servando suam naturam non possit nec de potentia Dei absoluta peccare alioquin si posset peccare non servaret eandem naturam S. Epiphanius in Anchorat. ait *Christum esse tum internè, tum supernè sanctum, id est, secundum divinitatem, & humanitatem, quam verbum in se continuit, ne ad malitiam posset dividi.* Dionysius Alexandrinus in Epist. contra Paulum Samozatenum, ex eo ostendit animam Christi fuisse incapacem peccandi; quia erat verbo divino unita: & ait quòd *si Christus non esset Deus, non esset alienus à ratione peccandi:* sed quia unitus verbo est Deus, ideo non potest nec de potentia Dei absoluta peccare. S. Hilarius lib. 1. de Trinit. circa medium ait: *Dum Christus est, ea quæ quis Christus est, non potuit amittere quod Christus est:* hoc est, dum Christus est Christus, seu unctus divinitate, non potest deperdere hanc unctionē; quia tunc non esset amplius Christus, seu unctus, & careret divinitate: unde quamdiu manet Christus non potest peccare. D. Anselmus lib. 2. Cur Deus homo, cap. 10. asserit Christum eatenus non potuisse peccare; *quia non solum; sed etiam Deus erat*: hoc idem asserunt communiter alii Sancti Patres docentes, Christum fuisse impeccabilem: sed si Christus licèt non peccâsset, adhuc habuisset potentiam peccandi? non fuisset impeccabilis, quia ab hac potentia peccandi denominaretur peccabilis, quamvis non peccaret; quia non stat, aliquem non peccare actu, & posse peccare, ac esse impeccabilem; eo enim ipso quod potest peccare, quamvis actu non peccet non est impeccabilis, quia habet potentiam ad peccandum: ergo ex communi consensu sanctorum Patrum ideo Christus est impeccabilis, quia humanitas Christi est uncta divinitate, subsistit per subsistentiam verbi divini. Hoc idem etiam evincitur ex sexta Synodo Constantinopolitana œcumenica, act. 8. ubi contra Machatium, & Stephanum negantea duas voluntates naturales in Christo humanam scilicet, & divinam, definitum fuit, Christum duas habuisse voluntates ambas impeccabiles: eatenus hæretici negarent in Christo voluntatem humanam, quia hæc esset ex se peccabilis, & Christus fuit impeccabilis: Concilium autem declaravit voluntatem humanam in Christo fuisse impeccabilem, & duas fuisse in Christo voluntates divinam, & humanam. Verba Concilii habentur in 3. tom. Concil. part. 2. pag. 24. suntque: *Si itaque, & humanam impeccabilem voluntatem assumpsit Dominus noster, & Deus Jesus Christus, & divinam ante sæcula cum Patre & Spiritu Sancto habuit voluntatem proculdubio duas naturales voluntates, orthodoxes operies confiteri*: unde Concilium expressè definivit, duas Christo inesse voluntates divinam unam, alteram humanam impeccabilem, Quòd si dicas sanctos Patres, & Concilium solùm asseruisse voluntatem humanam Christi impeccabilem esse de lege ordinaria. Contra est, quia sancti Patres, & Concilium loquuntur de impeccabilitate quæ soli Christo convenit; & talis non est impeccabilitas de lege ordinaria: quia certum est de fide B. Virginem de facto nunquam peccâsse, nec potuisse de lege ordinaria peccare: quia is dicitur de lege ordinaria impeccabilis, qui secundùm legem à Deo statutam non potest peccare: unde impeccabilitas de lege ordinaria non convenit soli Christo: & sancti Patres loquuntur de impeccabilitate propria solius Christi; quia ex ipsa unione hypostatica quæ convenit soli Christo infertur impeccabilitatem humanæ voluntatis in Christo.

Neque urget quod respondent aliqui Scotistæ, Sanctos Patres probare quidem impeccabilitatem in Christo & unione hypostatica, & deificatione humanitatis; non quod hæc unio sit essentialiter cum peccato incompossibilis; vel sit formalis ratio impeccabilitatis in voluntate humana Christi: sed quia rationis hypostaticæ erat debita humanitati Christi impeccabilitas debito congruentiæ, non debito necessitatis, & essentiali, qua ratione fuerunt etiam debita reliqua dona gratiæ, & visio beatifica, cum qua peccatum est incompossibile: & quia hæc dona potuerunt de potentia absoluta non infundi humanitati Christi; ideo hac ratione humanitas etiam unita verbo divino potuit de potentia absoluta peccare; quia debitum congruentiæ non tollit potentiam ad oppositum. Nam contra est, quia Patres ita ratione unionis hypostaticæ, ac divinitatis unitæ humanitati attribuunt Christo impeccabilitatem, ut si Christus non esset unctus, seu esset Deus non posset esse alienus à potestate peccandi: sed si esse Deum non esset ratio impeccabilitatis in Christo; sed tantùm redderet formam talis impeccabilitatis debitam debito solius congruentiæ; posset esse alienus à peccandi potestate tametsi Christus Deus non esset: siquidem cum sola visione beatifica stat impeccabilitas: ergo incapacitas peccandi convenit Christo formaliter ratione unionis hypostaticæ: alioquin si impeccabilitas Christi tantum proveniret à sola visione beata adæquatè formaliter, & ex unione hypostatica tantùm congruenter, inde sequeretur sanctos Patres agentes de impeccabilitate Christi assignâsse non causam pro vera causa. Præterea nullus ex sanctis Patribus causam impeccabilitatis in Christo assignavit visionem beatam; sed omnes ipsam unionem hypostaticam: unde si vera esset responsio scotistarum sancti Patres assignâssent non causam pro causa impeccabilitatis in Christi humana voluntate, quia omissa visione beata in qua pec scotistas consistit tota formalis, & adæquata causa impeccabilitatis Christi, asseruerunt Christum esse impeccabilem ratione unionis hypostaticæ.

Suadetur secundo, quia si Christi humanitas in sensu composito eum verbo, seu ut præcisè unita verbo divino potuisset peccare, sequeretur, quòd verbum divinum etiam potuisset peccare non solùm ratione communicationis idiomatum, verùm etiam ut immediatum principium, ac esset auctor peccati veluti actionis propriæ quatenus ad peccatum concurreret speciali concursu, omne enim quod terminat specialem Dei concursum refunditur in ipsum ut in causam propriè talem: sed repugnat verbum divinum posse peccare, ergo humanitas Christi in sensu composito cum divinitate, seu ut unita verbo divino nec de potentia DEI absoluta peccare potuit. Sequela probatur, quia actio dicit ordinem transcendentalem ad principium, à quo dependet: sed actio non solùm dependet à principio *quo*, sed etiam à principio *quod*, quia ratio suppositi, est complementum in ratione principii: & verbum divinum est principium *quod* operationum,

num, quæ à Christo eliciuntur, & humanitas est principium *quo* proinde actio peccaminosa in Christo, si possibilis esset dependeret à Verbo divino, quod propterea esset principium, & author peccati: & ex eo etiam firmari potest, quia quod antecedit causalitate aliquam operationem est principium illius: & verbum divinum præcederet causalitate peccatum, quatenus sustentaret in se humanitatem, cui assisteret, ac daret posse operari, consequenter esset principium actionis peccaminosæ, quod repugnat.

Probatur ulteriùs quia quoties duo simul uniuntur in aliqua natura vel persona inferius naturaliter subordinatur superiori, & ex hac subordinatione, oritur obligatio in superiori ad regendum, & gubernandum inferius: sed ex vi hypostaticæ unionis ad verbum duæ naturæ divina, & humana conveniunt in una Christi persona. Ergo ratione hujus unionis natura divina utpote superior tenetur regere, ac gubernare naturam humanam inferiorem; proinde peccatum humanitatis unitæ Verbo, tribueretur ipsi verbo non solùm ut subsistenti in humanitate, sed etiam secundùm se, & quatenus in divinitate subsisteret. Firmari etiam potest, quia corpus utpote inferius animâ, eò quia cum eadem anima unitum conveniat in eadem natura, quatenus ex unione corporis, & animæ, fit una ac eadem natura humana, oritur obligatio in anima utpote superiore regendi corpus inferius, adeout peccata sensuum in corpore inferiori tribuantur animæ, quæ propterea denominatur peccatrix; sed humanitas in Christo est inferior divinitate, & ex vi unionis conveniunt humanitas, & divinitas in eadem Christi persona, proinde ex vi hujus unionis incumbit divinitati regere, & gubernare humanitatem, adeo ut hac peccante tribuatur divinitati peccatum. Firmatur secundò, quia quoties in una, ac eadem natura conveniunt plures potentiæ, quarum una sit superior, & altera inferior incumbit eidem naturæ obligatio regendi potentiam inferiorem per superiorem, idque liquet in natura humana, quæ tenetur naturali obligatione gubernare appetitum inferiorem per voluntatem superiorem: sed in eadem persona Christi conveniunt duæ naturæ divina, & humana: ergo oritur in illa obligatio, regendi, & dirigendi naturam humanam per divinam, & voluntatem naturæ humanæ per voluntatem naturæ divinæ, proinde peccante voluntate humanitatis Christi peccatum tribueretur voluntati naturæ divinæ, quod repugnat. Quòd si dicas ex vi unionis hypostaticæ non sequi ullam specialem obligationem in verbo gubernandi humanitatem, quamvis conjunctam cum deitate in eadem persona neque paritas de anima rationali, & voluntate humana respectu corporis, & appetitus, & inter divinitatem, & humanitatem in eadem persona Christi urget: quia quod in homine sit obligatio regendi corpus per animam, & appetitum inferiorem per voluntatem superiorem; id non oritur præcisè ex illorum conjunctione, sed ex eo quòd sola anima utpote agens per voluntatem liberam est capax obligationis, quapropter tenetur per voluntatem actiones sensuum inferiorum, & appetitus, ac membrorum corporis dirigere: secus quia in Christo utraque natura propria gaudet voluntate libera, ideo nulla oritur obligatio in voluntate divina dirigendi actiones humanitatis inferioris ex eo, quòd divinitas, & humanitas simul conjungantur in eadem persona Christi. Nam contra est, quia quòd homo teneatur per voluntatem dirigere appetitum, & omnia membra sui corporis id non oritur ex defectu libertatis in appetitu & membris, sed ex convenientia in una & eadem natura: licèt appetitum inferior capax esset libertatis adhuc eadem obligatio inesset appetitui superiori regendi, & gubernandi inferiorem: ordo enim rerum id exigit, ut quoties plura uniuntur in unum, inferiora dirigantur per superiora ut patet inductione. sublunaria enim reguntur per corpora cœlestia, quæ sunt superiora, ergo quamvis humana Christi voluntas gaudeat propria libertate, quia tamen est inferior, & cum ipsa divinitate convenit in una eademque Christi persona, oritur in divinitate obligatio regendi, & gubernandi humanitatem, adeo ut voluntas humana Christi exigat dirigi per voluntatem divinam, quæ est superior. Rursus defectum libertatis in appetitu inferiori non esse rationem, cur oriatur in superiore seu voluntate obligatio eum dirigendi ex eo probari potest: quia filius in creatis habet propriam libertatem in suis operationibus, & tamen quia filius censetur quid unum cum patre ex conjunctione sanguinis oritur in Patre obligatio, & cura regendi filium: tametsi appetitus inferior gauderet propria libertate adhuc ex conjunctione naturali cum appetitu rationali, seu voluntate cui subordinaretur adhuc exigeret ab appetitu superiori regi, ac gubernari: ergo ex unione seu conjunctione personali humanitatis cum divinitate in eadem persona Christi oritur in verbo obligatio gubernandi humanitatem, tametsi hæc propria gaudeat libertate.

Probatur quartò, quia natura ex eo præcisè constituitur impeccabilis, quia conjungitur immobiliter regulæ rectæ rationis, ut è converso eatenus natura est peccabilis, quia potest deflectere à recta regula operationis: sed humanitas Christi præcisè ex unione ad verbum conjungitur immobiliter primæ regulæ operationis, seu divinæ sanctitati, & sapientiæ, ergo ex vi talis unionis præcisè seclusa etiam visione beatifica constituitur impeccabilis, & incomponibilis cum peccato. Major constat quia eo ipso, quòd natura conjungitur immobiliter rectæ regulæ operationis non potest non operari nisi juxta rectam regulam & operari hoc pacto est bene non malè operari. Minor etiam liquet, quia cùm ex vi unionis verbum divinum teneatur gubernare, ac dirigere naturam humanam assumptam non potest hæc adhærere immobiliter verbo dirigenti, ac divinæ voluntati, à qua humana regulatur. Præterea quia humanitas Christi ratione unionis hypostaticæ perfectiori modo conjungitur DEO, qui est prima regula rectæ operationis, quam per visionem beatam, quia prima unio est substantialis, & hæc accidentalis, quapropter si anima Christi ex vi visionis beatificæ præcisè ita constituitur impeccabilis, ut repugnet animam Christi in sensu composito cum visione visione beatifica posse componi cum peccato, ut docent Scotistæ, & alii, sequitur à fortiori etiam ex vi unionis hypostaticæ præcisè esse naturam humanam Christi incomponibilem cum peccato. Præterea quia Verbum divinum sustentando naturam humanam non potest non dignificare ejus operationes conferendo eisdem suum valorem; per hoc enim habetur præcisè dignificatio, quod actiones sint a natura dignificata per tale suppositum, proinde repugnat actionem peccaminosam de potentia DEI absoluta posse elici à natura hypostaticè unita verbo. Quòd si dicas in tali hypothesi actionem illam peccaminosam non fore summi valoris ob dignificationis incapacitatem contra est,

quia

quia dignificatio oritur ex eo, quòd actio ut propria suppositi dicat ordinem ad ipsum suppositum: & quia in data hypothesi actio illa adhuc diceret ordinem ad suppositum divinum cujus esset propria idem oriretur in ipsa dignificatio. Si dicas naturam humanam Christi fuisse ex se præcisè, & ex suis prædicatis intrinsecis peccabilem, proinde etiam in Christo quia ratione unionis hypostaticæ non fuit intrinsecè immutata in ordine naturæ. Contra est, quia tametsi non fuit intrinsecè mutata, fuit tamen completa per Verbum divinum in ratione termini, & qualibet natura operatur juxta determinationem, quam habet ratione sui complementi, quo constituitur in ratione principii *quod*, & cùm natura humana in Christo stet sub determinatione subsistentiæ Verbi divini, ideo repugnat, posse peccare sub hac determinatione, quia Verbum, & natura simul essent principium *quod* peccati: quapropter si Christus peccaret, peccatum tribueretur Verbo, non solùm ratione communicationis idiomatum sicut tribuitur passio, flagellatio, mors, verùm etiam ut principio *quod* causativo.

Posset etiam ex eo evinci Christi impeccabilitas de potentia Dei absoluta, quia sanctitas, qua nulla major intelligi potest, excludit necessariò omne peccatum lethale, & veniale, quia si sanctitas ut sic est exclusiva peccati; sanctitas qua nulla major intelligi potest, erit essentialiter exclusiva omnis peccati, etiam in potentia in sensu composito cum tali sanctitate, alioquin posset excogitari aliqua major sanctitas, quæ non solùm peccatum actuale, verùm etiam potentiam peccandi excluderet: ergo si sanctitas Christi fuit qua nulla potest major intelligi, non solùm excludit actuale peccatum, sed etiam potentiam peccandi: Sanctitatem ut sic excludere peccatum est doctrina communis Sanctorum Patrum definientium sanctitatem esse puritatem à quovis peccato liberam, & ex omni parte immaculatam, quapropter sanctitas, qua nulla potest major intelligi excludit essentialiter non solùm peccatum actuale, sed etiam posse peccare in sensu composito cum tali sanctitate, alioquin ex parte potentiæ non esset exclusiva peccati, consequenter non esset ex omni parte immaculata: sed sanctitas in Christo est, qua nulla potest intelligi major, quia humanitas Christi per unionem ad Verbum sanctificatur infinitè simpliciter, proinde sanctitas qua nulla potest excogitari major est exclusiva omnis peccati, & potentiæ peccandi, quia repugnat sanctitatem infinitam esse componibilem cum peccato, & potentia peccandi: quia esse infinitè sanctum perinde est, ac esse infinitè mundum, ac purum, & esse peccato infectum est esse immundum simpliciter, quia sicut sanctitas definitur esse immaculata puritas; ita peccatum definitur esse immunditia, & turpitudo: & quia repugnat esse infinitè mundum, & esse simpliciter immundum, ita repugnat infinita sanctitas, quæ sit componibilis cum peccato, & potentia peccandi. Hinc Tertullianus lib. de carne Christi quærens cur caro Christi non sit peccatrix, cùm nostra caro obnoxia sit peccato, & Verbum divinum nostram assumpsit carnem peccatricem, ex quo videtur inferendum, quod si nostram induit carnem Christi carnem fuisse peccatricem, respondet carnem Christi non fuisse peccatricem, eò quia suam carnem fecerit seu nostram carnem sibi appropriavit, ait Tertullianus: *Nostram induit carnem, suam fecit, & suam faciens non peccatricem effecit.*

Dices ex infinita sanctitate non demonstrari illam omnimodam impeccabilitatem humanitatis Christi, quia gratia habitualis est forma sanctificans, & tamen peccatum lethale in probabili sententia plurium non excluditur necessariò à gratia sanctificante, adeo ut hæc de potentia absoluta sit componibilis cum peccato lethali: ergo ex eo, quod Christi humanitas ratione unionis ad Verbum sit infinitè sancta, non sequitur esse impeccabilem, etiam de potentia Dei absoluta. Quòd si dicas esse discrimen inter sanctitatem Christi, & gratiam habitualem puri hominis; quia gratia puri hominis cùm sit finita, fortassis est componibilis cum peccato, non ita sanctitas humanitatis Christi, quia cùm hæc ratione unionis ad Verbum sit infinitè sancta, est incomponibilis cum peccato, respondetur enim peccatum non esse incomponibile cum sanctitate ut est infinita, sed cum sanctitate ut sic consequenter tam est incomponibile cum sanctitate infinita, quàm cum finita. Præterea quia sanctificatio Deitatis nullam conferebat humanitati activitatem, proinde licèt posita tali sanctitate non posset humanitas malè operari, poterat tamen non operari bene, consequenter peccare saltem per omissionem, ergo ex eo, quòd Christi humanitas fuerat ratione unionis hypostaticæ infinitè sancta, inde non probatur, quod fuerit omnino impeccabilis etiam de potentia DEI absoluta. Sed contra est, quidquid sit de probabilitate sententiæ asserentis gratiam habitualem posse in pura creatura simul cohærere cum peccato, cujus oppositum fusè demonstravi in tractatu de gratia, negatur absolutè, posse peccatum lethale simul cohærere cum gratia substantiali, & infinita humanitatis Christi: quia fieri potest, ut peccatum non habeat omnimodam incompossibilitatem cum sanctitate ut sic; & illam nihilominus habeat cum sanctitate substantiali, & infinita, quia sanctitas hæc infinita habetur ratione unionis hypostaticæ cum Verbo, in quo oritur obligatio gubernandi, ac dirigendi humanitatem assumptam, quæ obligatio non est respectu alterius naturæ, cui tantùm inest gratia sanctificans. Ad illud quod addebatur Deitatem sanctificantem non contulisse directè humanitati ullam activitatem ad implendum opus præceptum, respondetur indirectè contulisse activitatem, quatenus humanitas infinitè sanctificata, adeo aliena esse debuit à peccato, ut nullam possit in se maculam contrahere, vel omissionis, vel commissionis, adeo ut si per ipsam liberè non operaretur instante præcepto, deberet à DEO necessitari ad positivè operandum, vel saltem tollendo advertentiam ad peccatum, ne omissio esset illi culpabilis.

Dicendum est secundò peccatum grave habituale pugnare cum unione hypostatica etiam ut præcisa ab omni dono accidentali, idque non solùm ex natura rei, sed etiam de potentia DEI absoluta. Prima pars suadetur, quia gratia habitualis ex natura rei excludit peccatum grave habituale, alinquin gratia habitualis non esset perfecta sanctitas, ergo gratia substantialis unionis cùm sit multò perfectior in ratione sanctitatis, quàm sit gratia sanctificans, à fortiori excludet peccatum quodvis grave habituale. Quòd si dicas gratiam habitualem non habere hanc repugnantiam naturalem cum peccato, consequenter posse unionem substantialem hypostaticam cohærere saltem cum potentia peccandi, Con-

tra

tra est, negatur consequentia, quia unio substantialis hypostatica est longè perfectior in ratione sanctitatis gratia habituali, ergo tametsi gratia habitualis non haberet hanc vim sibi connaturalem expulsivam peccati, non inde sequitur, hanc vim non inesse unioni hypostaticæ, præsertim cum gratia substantialis unionis sit infinita in ratione sanctitatis, & gratia habitualis sit finita. Præterea dato etiam quòd gratiæ habituali non inesset vis expulsiva peccati lethalis habitualis, adhuc est discrimen, quia in peccato mortali est gravitas offensæ infinita ratione divinæ bonitatis, cui injuria irrogatur, vel saltem est in ordine superiori ad gratiam habitualem, cujus vim excedit, & ideo peccatum habituale lethale non expellitur ex natura rei a gratia sanctificante, cujus vis finita est, ut & sanctitas. hæc autem ratio locum non habet in gratia unionis, quia unio hypostatica est infinita in ratione sanctitatis, & in ordine superiori respectu gravitatis offensæ, proinde licèt non pugnet gratia habitualis cum peccato habituali lethali, pugnat tamen cum isto unio substantialis hypostatica, cujus sanctitas est infinita, & in superiori ordine.

Quòd etiam de potentia absoluta pugnet peccatum grave habituale cum unione hypostatica etiam ut præcisa ab omni dono accidentali ex eo evincitur, quia omne, quod à Verbo assumitur immediatè vel mediatè, necessariò constituitur dignum adoratione, & veneratione, atqui peccato habituali repugnat dignitas adorationis, proinde implicat peccatum grave habituale assumi à Verbo divino. Verùm posset responderi non minus esse de ratione unionis ad Verbum sanctificare naturam immediatè assumptam, quàm dignificare, quæ immediatè assumuntur, atqui potest immediatè uniri Verbo natura sanctificationis incapax, qualis est natura irrationalis, quæ in sententia plurium potest assumi à Verbo divino, ergo non repugnat posse peccatum assumi à Verbo mediatè, quamvis incapax sit adorationis, unde nisi ex alio capite repugnet, ex hoc præcisè quod peccatum non sit dignum adorationis, & venerationis non probatur non posse mediatè assumi à Verbo divino; cùm natura irrationalis non sit digna adoratione, & veneratione, & nihilominus possit à Verbo assumi. Præterea quia non solùm assumptio mediata vel immediata est sufficiens causa adorationis, sed etiam ipse contactus Christi, ut liquet in Christi vestibus, cruce, corona, & aliis instrumentis passionis ipsius, quæ ex solo contactu ad Christum digna sunt adoratione latriæ, & nihilominus, potest aliquid physicè tangere Christum, quin dignum adoratione, & veneratione constituatur: etenim manus Malchi, qui alapam in Christi faciem impegit physicè Christum tetigit, & tamen ex hoc contactu non fuit digna adoratione, & veneratione ulla, ergo non repugnat posse aliquid Christo conjungi, & à verbo assumi mediatè, quamvis non sit capax venerationis, & adorationis. Præterea quia offensa moraliter subjectatur in Deo, & ex hoc ut docet D. Thomas contrahit infinitam gravitatem in ratione offensæ, & tamen non est offensa hæc digna veneratione cùm de se incapax sit venerationis: ergo peccatum ex præfata ratione poterit etiam assumi à Verbo mediatè, tametsi dignum non sit veneratione, cui peccatum repugnat.

Alii probant assertum ex eo, quia ratione unionis hypostaticæ incumbat Verbo divino obligatio gubernandi humanitatem perinde ac Pater, maritus, tutor tenentur gubernare suos filios, uxorem & pupillos, ergo eadem obligatione tenetur Verbum divinum in natura humana assumpta impedire, ne peccet, imò & tenetur etiam peccatum utpote malum morale ab humanitate repellere, alioquin si statim non depelleretur Verbo divino imputaretur ad culpam, quod implicat. Sed hæc ratio tametsi efficax sit ad probandum non posse humanitatem assumptam peccatum actuale committere, ut in assertione prima evicimus, non tamen videtur ita convincere nec habere eandem efficaciam respectu peccati habitualis, quia obligatio ratione unionis in Verbo gubernandi humanitatem, dicitur esse perinde ac obligatio in Patre, domino, marito, & tutore, qui tenentur gubernare filios, servos, uxorem, & pupillos, sed quamvis isti teneantur præcavere in illis, qui subsunt suæ curæ, ne malè operentur, & id omittere ipsis imputetur ad culpam; non tamen tenentur ad procurandum ut statim beneficio contritionis depellant peccatum habituale, quod contraxerunt: proinde verbum non tenetur ad statim depellendum peccatum habituale ab humanitate assumpta, si illam peccato habituali infectam assumeret, quia sicut est in potestate Verbi ab humanitate excludere peccatum habituale, ita est in potestate Patris, curare ut filius se disponat ad remissionem peccati obtinendam pee sacram exhomologesin & hoc illi persuadere, ita etiam Verbum divinum non tenetur ab humanitate assumpta expellere peccatum habituale grave. Non enim convenit Verbo major obligatio gubernandi humanitatem & vitandi illius mala qua directione, quam insit humanitati, atqui si humanitas lethaliter peccaret, non teneretur statim se disponere ad remissionem, & expulsionem sui peccati habitualis, consequenter Verbum divinum assumens naturam peccato lethali habituali contaminatam non tenetur hoc depellere ab humanitate assumpta in primo instanti assumptionis. Major non patitur difficultatem, quia non apparet, unde possit hæc major obligatio ostendi. Minor etiam probatur, quia communiter docent Theologi hominem cùm primùm lethaliter peccat teneri se disponere ad remissionem talis peccati, & confiteri sacramentaliter, proinde si Verbum humanitatem assumeret, quæ in instanti assumptionis vel tempore antecedente peccâsset, non obligaretur humanitas in primo instanti assumptionis se ad justificationem disponere, & in sacra exhomologesi suum aperire peccatum, ergo non incumberet Verbo obligatio excludendi in instanti assumptionis ab illa peccatum actuale, alioquin esset major obligatio in Verbo gubernandi humanitatem, & impediendi illius malum, quàm in ipsa humanitate. Præterea vel hujusmodi obligatio convenit ante assumptionem Verbo vel ex assumptione: Sed neutrum asseri potest, consequenter repugnantia peccati habitualis in humanitate assumpta non potest fundari in obligatione morali ipsius Verbi. Minor pro prima parte ostenditur, quia obligatio excludendi peccatum habituale dicitur fundari in obligatione gubernandi, & regendi humanitatem assumptam, sed hæc obligatio dicitur etiam oriri ex unione humanitatis ad Verbum, proinde repugnat posse in Verbo assumptionem præcedere, alioquin non oriretur ex unione hypostatica, unde liquet obligationem excludendi pec-

peccatum habituale ab humanitate assumpta non posse Verbo ante assumptionem competere. Quod nec etiam hæc obligatio competat Verbo in ipsa assumptione liquet, quia peccatum habituale excluditur formaliter in sententia adversariorum per ipsam gratiam unionis sive id præstetur à modo substantiali unionis sive à subsistentia Verbi, secundùm illam rationem quam addit ad lineam absolutam sive à Deitate inclusa: atqui ex vi unionis ad Verbum non potest in Verbo oriri hæc moralis obligatio in ordine ad effectum, vel quasi effectum formalem cum tali unione connexum, quia obligatio moralis non est ad effectum formalem formæ, sed ad actus eliciendos, vel omissiones actus impediendas, ergo hæc obligatio non potest in Verbo oriri ex vi assumptionis.

Probant alii assertum: quia gratia unionis hypostaticæ pugnat cum peccato; & quantum est de se illud naturaliter excludit: ergo ut conservetur in humanitate assumpta contra virtutem naturalem gratiæ unionis expulsivæ peccati, debet à Deo speciali influxu conservari: antecedens liquet, quia eo ipso, quod gratia unionis naturaliter pugnat cum peccato habituali, naturaliter petit detinere in subjecto, in quo habetur gratia unionis; consequenter ut non desinat ad præsentiam illius, necesse est, ut supernaturaliter conservetur per specialem concursum conservativum Dei: sed repugnat, Deum speciali concursu conservare peccatum habituale; quia peccatum habituale tribueretur Deo authori quod implicat. Verùm hæc ratio patitur difficultatem, quia inde sequeretur, habitus vitii, & virtutis acquisitæ non posse de potentia absoluta simul esse in eodem subjecto quod est falsum; quia vitium, & virtus acquisita opponuntur contrariè ut communior ac verior sententia docet; proinde in gradibus intensis pugnant ex natura rei, & non possunt simul esse in eodem subjecto: ergo si quæ ex natura rei opponuntur simul de potentia absoluta existerent in eodem subjecto, requireretur specialis Dei concursus ad utrumque terminatus; ut vitium cum virtute existeret requireretur specialis DEI concursus terminatus ad habitum vitii; repugnat autem Deo speciali concursu concurrere in primam existentiam habitus vitiosi, ut & in ejus conservationem influere; quia Deo tribueretur vitium: ergo ex allato argumento sequitur vitium & virtutem acquisitam non posse de potentia Dei absoluta simul cohærere in gradibus intensis in eodem subjecto quod falsum est, quia contraria possunt simul divinitus coexistere. Hisce omissis argumentis.

Probatur exactius assertum: quia peccatum habituale non potest manere in humanitate assumpta, quin peccatum actuale moraliter perseveret: sed repugnat existentia, aut permanentia moralis peccati actualis præcedentis in humanitate assumpta: ergo in illa implicat peccatum habituale: minor probata est in præcedente assertione: quia eatenus ut evicimus repugnat peccatum actuale in humanitate assumpta, quia Verbum speciali influxu in illud influeret: hæc autem ratio non minus convincit de existentia morali, quàm de physica peccati actualis; quia deberet in illud, ut moraliter existens specialiter influere: unde sicut repugnat peccatum actuale compossibile cum gratia substantiali unionis: perinde etiam implicat peccatum habituale compossibile cum eadem gratia unionis. Major ostenditur: quia peccatum habituale dependet à voluntate creata in fieri, & conservari ut à prima causa deficiente: cùm Deus non sit causa peccati; sed tantùm voluntas creata illud causet, & conservet mediante peccato actuali, sed repugnat existentia peccati habitualis absque morali perseverantia peccati actualis; quia effectus in genere causæ efficientis non potest conservari, non existente ejus causa: ergo ut peccatum actuale præteritum influat in conservationem peccati habitualis debet existere saltem moraliter.

Dices per attritionem supernaturalem sufficientem ad Sacramentum Pœnitentiæ, & ejus effectum, seu gratiam, tollitur moralis existentia præcedentis peccati actualis: quia existentia moralis peccati consistit in peccasse actualiter, & negatione efficacis retractationis peccati præcedentis: & quia attritio sufficiens ad Sacramentum est dolor efficax de præcedenti peccato, est etiam efficax retractatio illius; consequenter per attritionem sufficientem ad Sacramentum, & ejus effectum retractatur præcedens peccatum, proinde tollitur ejus moralis existentia, quæ tamdiu perseverat, quamdiu non retractatur: Sed positâ attritione sufficiente ad Sacramentum pœnitentiæ, & ejus effectum, si Sacramentum non succedat, adhuc perseverat peccatum habituale: quia hoc si sit lethale non tollitur extra Sacramentum nisi mediante perfectâ contritione: ergo potest non perseverare moraliter peccatum actuale, manente habituali. Contra tamen est negatur major, ad cujus probationem respondetur cum distinctione: peccati existentia moralis consistit in peccâsse, & negatione perfectæ retractationis efficacis, conceditur; imperfectæ negatur: & eodem pacto distincta minore negatur consequentia; quia præcedens peccatum est offensa Dei sita in aversione ab ipso, & conversione ad creaturam ut ad ultimum finem: & attritio quamvis supernaturalis, & sufficiens ad Sacramentum, & ejus effectum, seu remissionem peccati; est nihilominus dolor imperfectus de peccato, non quia est offensa Dei, sed ex alio motivo, ut ex illius turpitudine, vel ob gehennæ supplicia, vel ob alia mala pœnæ à DEO infligenda. Præterea attritio non est aversio à creatura, & conversio in DEUM ut finem ultimum; proinde licèt sit dolor efficax de peccato, non tamen est perfecta retractatio illius, proinde ex se non est sufficiens ad tollendam existentiam moralem nisi conjungatur cum Sacramento pœnitentiæ.

Dices secundò: Non minus dependet obligatio voti ab actu libero voventis, ac vinculum matrimonii à consensu libero contrahentium, quàm peccatum habituale à peccato actuali; sed stat perseverare obligationem voti absque existentia morali actus liberi voventis, & vinculum matrimonii absque eo quod existat moraliter consensus liber contrahentium, quamvis enim vovens retractet votum à se emissum: quamdiu tamen non solvitur ab habente facultatem absolvendi, manet in vovente ejus obligatio; & quamvis conjuges velint invaliditatem matrimonii probare, adhuc manet vinculum donec sententia feratur à Judice Ecclesiastico: ergo pari pacto stat perseverantia peccati habitualis absque morali existentia peccati actualis præcedentis; ergo ex eo, quod in humanitate assumpta nequeat perseverare moralis existentia peccati actualis, quod in humanitate ante assumptionem præcessisset, & ex quo fuit causatum in eadem humanitate peccatum habituale: non rectè, & efficaciter probatur repug-

repugnantia habitualis peccati simul cum unione hypostatica Verbi cum eadem humanitate, eò quia debeat perseverare moralis existentia actualis praecedentis peccati; quia petinde peccatum habituale dependet ab actuali praecedente; sicut obligatio ex voto praecedente; & tameo perseverat obligatio sine actu voventis; & vinculum matrimonii absque actu libero contrahentium. Sed contra negatur suppositum majoris. Potest enim Deus de potestate sua absoluta duos marem, & foeminam ligare vinculo matrimonii absque libero eorundem consensu; ut etiam hominem obligare ad plura exercenda opera honesta, sine praecedente actu libero obligali ad talia opera: non autem potest se ipso peccatum lethale causare, quia cum sit prima regula essentialiter indefectibilis, non potest deficere à rectitudine honestae operationis; alioquin esset, & non esset prima regula indefectibilis. Praeterea quamvis obligatio matrimonii in fieri dependeat à praevio consensu libero, non ita in conservari, ut etiam obligatio voti. Peccatum vero dependet in fieri, & conservari à sola voluntate creata, quae est causa prima, & adaequata peccati actualis, & habitualis; non enim DEUS potest esse causa prima peccati: dependentia autem à causa prima, & adaequata est ab illa in fieri, & conservari: & haec est ratio, cur Verbum divinum in Christi humanitate non possit influere in conservationem peccati habitualis, quamvis contracti ante assumptionem humanitatis à Verbo; secus vinculum religionis, & matrimonii non dependet à voluntate creata, ut à causa prima adaequata; proinde non est necesse, ut in conservari dependeat ab actu libero praecedente. Praeterea peccatum habituale nequit habere rationem peccati, nisi sit voluntarium; quia eatenus est peccatum, quatenus est voluntarium; & non potest ratio voluntarii conservari, quin conservetur dependentia à voluntate creata, adeo ut nequeat peccatum habituale subsistere sine dependentia à voluntate, absque eo quòd terminet influxum voluntatis, & repugnat, peccatum habituale terminare influxum Verbi divini; alioquin Deus concurreret & influeret in peccatum, & esset causa illius: secus vincula voti, & matrimonii, quamvis in fieri voluntaria sint, non tamen sunt essentialiter voluntaria in conservari; ut superius ostendimus.

Probari potest ulterius assertum: quia eatenus gratia habitualis sanctificans creaturam non solùm ex natura rei, sed etiam essentialiter pugnat cum peccato lethali, quod propterea expellit ab eodem subjecto, quatenus est formalis, vel specialis participatio Sanctitatis increatae: sed gratia unionis, est gratia increata, seu Verbum divinum unitum Christi humanitati, cui per unionem hypostaticam communicatur gratia increata: ergo à fortiori non potest cohaerere cum peccato habituali lethali: juxta axioma Philosophicum, propter quod unumquodque tale, & illud magis: unde si gratia habitualis sanctificans in homine pugnat cum peccato habituali gravi, eò quia sit formalis participatio gratiae increatae; sequitur, hanc gratiam increatam magis pugnare cum peccato habituali gravi. Neque urget, si dicas, gratiam habitualem creatam inhaerere physicè creaturae, seu animae, quam physicè informat; & divinum Verbum, seu gratiam increatam non uniri humanitati per modum informationis, sed tantum terminationis; proinde esse discrimen, & ex eo, quòd gratia creata sanctificans sit essentialiter expulsiva peccati habitualis lethalis, non sequi gratiam itidem increatam habere hanc essentialem repugnantiam cum peccato habituali lethali. Nam contra est, quia gratia habitualis creata non ex eo pugnat essentialiter cum peccato gravi habituali, quia praecisè informat animam, quae erat tali peccato coinquinata; sed quia illam constituit objectum congruum simpliciter divinae dilectionis, quae non potest ferri in peccatum lethale habituale, quod est essentialiter dignum odio, non amore divino, alioquin Deus amaret, ac vellet peccatum lethale habituale, quo nil absurdius: Deitas autem personaliter unita humanitati, quamvis eam physicè non informet, illam tamen constituit objectum DEI amoris amicabilis; consequenter expellit essentialiter peccatum habituale grave, quia repugnat hoc amari à Deo amore amicabili. Praeterea licèt Deitas personalis non informet physicè humanitatem, ab illa tamen excludit essentialiter peccatum lethale habituale, alioquin quomodo sanctificaret humanitatem, si haec maneret coinquinata peccato lethali habituali? seu aversa à DEO, & objectum divini odii? est enim de ratione sanctitatis essentialiter excludere peccatum lethale habituale: unde quamvis Deitas personalis non informet physicè Christi humanitatem adhuc pugnat in ipsa cum peccato habituali gravi, quod essentialiter expellit. Rursus tametsi Deitas personalis non informet physicè Christi humanitatem, illam tamen constituit dignam visione beata, & omnibus donis supernaturalibus, quorum est creatura capax: ergo sine physica informatione excludit peccatum habituale lethale, quia non stat indignitas peccati cum visione beata in anima Christi.

Solet tamen in oppositum objici: quia peccatum habituale non potest physicè tolli sine physica mutatione peccatoris: sed Deitas, ut est sanctificativa humanitatis Christi non immutat physicè humanitatem: ergo non habet vim excludendi peccatum habituale ab humanitate assumpta, si contraxisset aliquod lethale peccatum: Major docetur à D. Thoma, & est fere communis: Minor ostenditur, quia Deitas non sanctificat physicè humanitatem, sed tantùm moraliter, siquidem non nisi moraliter radicat dona gratiae, scilicet gratiam, charitatem, & alias supernaturales virtutes. Sed contra, quia ipsa Deitas non immutet physicè humanitatem, nec illam informet, sed tantùm terminet, ipsam tamen immutat per ipsam unionem hypostaticam, quae est modus substantialis subjectatus in humanitate, quam propterea physicè immutat, & quia peccatum habituale lethale non est componibile cum peccato gravi habituali, ideo illud expellit ab humanitate. Quamvis igitur Deitas personalis utpote sanctificans moraliter humanitatem illam non immutet physicè, praesuppositivè tamen eam immutat, & expellit peccatum, quatenus supponit unionem subjectatam in humanitate, quam physicè immutat, & expellit peccatum habituale lethale. Dicitur Deitas personalis sanctificare moraliter humanitatem, quatenus radicat dona supernaturalia in ordine gratiae tantùm moraliter, seu quatenus ratione Deitatis exigit talia dona, & ut humanitas assumpta sanctificetur formaliter ex morali exigentia.

Dices purus homo non sanctificatur, neque transit de statu peccati ad statum gratiae, & sanctificationis sine physica mutatione praestita formaliter ab ipsa forma sanctificante: ergo neque humanitas lethali culpa inquinata, si assumeretur à Deitate personali, non posset sanctificari, quin ab ipsa Deitate physicè mutaretur. Sed contra negatur consequentia, est enim discrimen; quia purus homo existens in peccato lethali eatenus non potest emundari à tali peccato, neque sanctificari sine physica mutatione, quia non aliter sanctificatur, quàm per gratiam habitua-

bitualem sanctificantem, quæ non inhæret homini, nisi per physicam informationem, seu nisi physicè illi uniatur. Secus Deitas personalis potest uniri humanitati non illam physicè informando, sed tantùm terminando; proinde unitur tantùm per modum formæ sanctificantis, unione tantùm morali; quatenus licèt humanitati immediatè physicè non uniatur per modum formæ, eidem tamen unitur per modum termini radicantis moraliter dona supernaturalia, & propterea sanctificantis moraliter humanitatem assumptam, seu morali exigentia, quatenus exigit, ut in humanitate assumpta sint omnia dona supernaturalia ratione unionis hypostaticæ, inhærentis humanitati assumptæ, ac propterea eam physicè immutantis: adeo ut Deitas personalis tantùm mediatè, seu mediante unione sanctificet physicè humanitatem; & immediatè tantum moraliter.

Probari etiam ulteriùs posset assertum, quia repugnat subjectum aliquod infinitè simpliciter sanctum esse in peccato gravi: sed humanitas Christi per unionem ad verbum sanctificatur infinitè simpliciter, ergo repugnat cum gratia unionis hypostaticæ esse compossibile in eadem humanitate peccatum lethale. Major liquet, quia eo ipso, quòd subjectum est infinitè simpliciter sanctum nequit dari majus in ratione sanctitatis, sin autem subjectum infinitum simpliciter sanctum posset cum peccato gravi componi, posset dari aliud subjectum magis sanctum: siquidem quod caret omni immunditia peccati sanctius est eo, quod aliquo inficitur, & coinquinatur peccato, quia sanctitas excludit peccatum, ergo, ubi exclusio est major, ea sanctitas est perfectior. Prætèrea repugnat dari objectum aliquod dignum infinita complacentia divina sine termino, & simul esse dignum gravi displicentia divina: quod autem est infinitè simpliciter sanctum & objectum dignum complacentia divina sine termino in infinitum, & quod est gravi peccato inquinatum est objectum dignum divina displicentia, ergo quod est infinitè sanctum, necesse est, excludat omnem rationem peccati. Definitur enim, sanctitas esse immaculata puritas, proinde esse infinitè sanctum perinde est, ac esse purum ab omni immunditia peccati, & esse mundum infinitè: & repugnat subjectum aliquod esse infinitè mundum, & esse simpliciter immundum, & subjectum peccati lethalis, quia quodlibet peccatum constituit immundum subjectum, cui inest.

Dices gratiam habitualem justificantem posse de potentia absoluta componi cum peccato gravi, proinde etiam gratia substantialis unionis hypostaticè poterit de potentia absoluta simul existere in humanitate cum peccato lethali. Antecedens à pluribus propugnatur, adeo ut saltem sit probabilis: consequentia ostenditur, quia gratia habitualis constituit hominem objectum congruum dilectionis DEI amicabilis; & peccatum illud teddit objectum dignum odii, & inimicitiæ Dei, & tamen simul potest esse de potentia absoluta cum peccato: ergo tametsi gratia unionis substantialis constituat humanitatem dignam dilectione Dei amicabili, adhuc non repugnat, posse in eodem subjecto cohærere cum peccato gravi. Sed contra quidquid sit de antecedente, negatur consequentia, quia quòd unum ac idem subjectum sit dignum odio, & inimicitia, & simul dignum amore amicabili perinde repugnat; ac unum & idem objectum simul tempore amare, & odio habere: & licèt secundum diversa salvetur contradictio, objectum tamen semper amatur, & non amatur, quia cùm non sit diversum à se ipso, contradictio cadit supra idem terminativè: unde quamvis gratia & peccatum grave sint duo diversa, non tamen gratia se sola constituit objectum dignum dilectionis Dei amicabilis, nisi gratiæ adnectatur exclusio peccati: hinc gratia substantialis unionis eò quòd in sanctificando sit infinita, se sola constituit humanitatem, cui unitur, objectum dignum dilectionis DEI amicabilis, & complacentiâ, & infinitâ, unde exclusio peccati necessaria est, ut unio hypostatica hos effectus præstet humanitati.

Dicendum tertiò etiam peccatum habituale leve, nec de potentia Dei absoluta posse componi cum gratia substantiali unionis hypostaticæ. Ratio est, quia peccatum habituale, quantumvis leve, eo ipso, quòd existeret in humanitate assumpta, à verbo non posset non denominare suppositum divinum, ut in eadem humanitate subsistens tali peccato infectum: Sed hæc denominatio repugnat divino supposito, consequenter implicat peccatum leve in humanitate assumpta. Prætèrea quia peccatum quamvis leve habituale dependet in conservari ab actu peccaminoso, ut moraliter perseverante: Sed existentia moralis peccati actualis præcedentis repugnat in humanitate assumpta, alioquin tribueretur supposito divino, à quo sunt actiones totius, quæ ipsum denominant. Rursus subjecto infinitè sancto repugnat quodlibet peccatum, quamvis leve: siquidem à D. Dionysio definitur sanctitas, *Immaculata puritas*, adeo ut subjectum, si sit infinitè sanctum, debeat esse essentialiter infinitè purum, ac immaculatum, proinde debet excludere omnem immunditiam, quantumvis levem, alioquin esset excogitabile aliud subjectum magis sanctum, illud scilicet, in quo non esset hæc immunditia levis, quo pacto daretur unum infinitum alio majus, quod repugnat: sed gratia unionis sanctificat infinitè humanitatem, quatenus Deitas personalis, ut infinitè sanctificans humanitatem illam reddit infinitè gratam DEO, & objectum dignum infinita DEI complacentia: atqui repugnat humanitatem esse dignam infinita complacentia, & esse infectam peccato quamvis levi, siquidem omne peccatum DEO displicet, & constituit subjectum, quod inficit objectum divinæ displicentiæ; & repugnat idem subjectum esse simul dignum omni complacentia, & esse dignum aliqua displicentia, quia semel, quod est dignum aliqua displicentia, non est dignum omni complacentia, cui detrahitur per displicentiam: ergo repugnat peccatum leve cum Deitate personali sanctificante infinitè humanitatem Christi. Prætèrea Deitas personalis sub conceptu infinitæ sanctitatis non solum essentialiter pugnat cum peccato gravi, sed etiam cum levi, adeo ut utrumque peccatum essentialiter repugnet Deo, ratione infinitæ sanctitatis, sed hanc repugnantiam Deitas personalis præstat humanitati assumptæ, quamvis ei non conveniat per essentiam, sed tantùm per communicationem: ergo Deitas ut infinitè sanctificans humanitatem, repugnat essentialiter cum peccato veniali, proinde non potest in eadem humanitate simul cum sanctitate substantiali unionis cohærere peccatum habituale quamvis leve.

Quòd si dicas gratiam habitualem non opponi essentialiter peccato veniali, cum justus dicatur septies in die cadere, quod Sancti Patres intelligunt de lapsu in peccata venialia, quæ propterea simul cohærent cum justitia seu gratiâ sanctificante: consequenter nec cum gratia substantiali unionis pugnabit essentialiter peccatum habituale leve. Contra est, negatur consequentia, & ratio discriminis est, quia ad oppositionem essentialem sanctitatis cum minori malitia requiritur major perfectio sanctitatis: sed sancti-

Sanctitas substantialis excedit infinitè ratione Deitatis Sanctitatem participatam à gratia habituali, ergo quamvis gratia habitualis non habeat oppositionem cum peccato veniali; adhuc sanctitas substantialis essentialiter pugnat cum quovis peccato etiam levi. Praeterea quia gratia habitualis non constituit objectum dignum omni complacentia divina, sed tantùm aliqua scilicet amicabili, cum qua non pugnat displicentia ratione alicujus peccati venialis, quod tantùm dicitur peccatum secundum quid quod non tollit amicitiam DEI, nec est aversio à DEO ut fine ultimo, secus gratia substantialis unionis, quia constituit objectum dignum omni complacentia divina, excludit essentialiter omne peccatum etiam leve, cum hoc semper displiceat DEO, & displicentia non sit componibilis cum omnimoda complacentia. Sed instabis: tota ratio, qua peccatum veniale habituale non sit componibile cum gratia unionis substantialis in eo est sita, quia humanitas sanctificatur infinitè ex vi unionis, haec autem ratio assertum non convincit; quia Deitas est semper sanctior ipsa humanitate, quamvis haec consideretur, ut unita Verbo: sed eo ipso, quod Deitas est sanctior humanitate assumpta, non est haec infinitè sancta, siquidem infinitum in aliquo genere est, quo majus esse non potest; & eo ipso, quod DEUS est sanctior humanitate, est aliquid in humanitate majus in ratione sanctitatis, proinde non est humanitas etiam ut unita Verbo infinitè sancta, proinde ex hoc capite non probatur, peccatum veniale esse incomponibile cum humanitate, ut unita Verbo. Contra est, quia quamvis humanitas, ut unita Verbo non sit infinitè sancta in omni linea sanctitatis, est nihilominus infinitè sancta in linea talis sanctitatis communicatae. Quapropter licèt humanitas non sit infinitè sancta in linea sanctitatis per essentiam, est nihilominus infinitè sancta in linea sanctitatis per communicationem: non enim intra hanc lineam est intelligibilis alia sanctitas major: & haec sanctitas infinita sufficit, ut non possit cum humanitate unita Verbo componi peccatum ullum quantumvis leve, quia hoc semper displicet Deo, & sanctitas infinita, quamvis communicata est digna omni complacentia excludente omnem displicentiam. Ut igitur Deus sit magis sanctus, quam humanitas sufficit, si Deo conveniat per essentiam, & à se ipso sanctitas, & repugnantia cum quolibet peccato; & humanitati non conveniat per essentiam, sed per communicationem: sed hoc, quod est repugnare ex se, & per essentiam cum malitia peccati est perfectio in linea sanctitatis, & quamvis haec repugnantia essentialis cum peccato veniali conveniat Deo, & humanitati assumptae à Verbo; quia tamen Deo convenit à se & per essentiam, & humanitati tantùm per communicationem, & ab alio, sequitur, quod Deus in ratione sanctitatis excedat sanctitatem humanitatis unitae Verbo divino, quamvis haec sanctitas communicata sit, & ipsa infinita in propria linea sanctitatis communicatae, & digna infinitae DEI complacentiae. Sed instabis eatenus Deitas sub conceptu sanctitatis pugnat essentialiter cum omni peccato sive gravi, sive levi, quia habet à se, & per essentiam sanctitatem infinitam, proinde subjecto, cui à se & per essentiam non convenit haec sanctitas infinita, non debet dicere essentialem repugnantiam cum peccato gravi, & levi, quia tali subjecto non convenit modus infinitatis per essentiam, ex quo oritur illa repugnantia cum quovis peccato quantumvis levi: sed humanitati etiam, ut unitae Verbo non est debita per essentiam sanctitas, quia semper participat sanctitatem per communicationem ab alio, seu à Verbo, consequenter non debet dicere essentialem repugnantiam cum peccato levi. Sed contra, quia tametsi formae sanctificanti conveniat repugnantia essentialis cum peccato veniali ex conceptu sanctitatis per essentiam nihilominus eo ipso, quod talis forma potest convenire dupliciter per essentiam, seu à se, & per communicationem, seu ab alio potest etiam utroque modo hanc praestare repugnantiam, hoc tantùm discrimine, quia subjecto, cui convenit per essentiam talis sanctitas, convenit etiam per essentiam repugnantia cum peccato, & subjecto, cui convenit per communicationem, & ab alio, convenit etiam haec repugnantia per communicationem, & ab alio: quia verò Deitas personalis, ut unita humanitati, hanc constituit objectum congruum dilectionis amicabilis DEI, ac dignum haereditate, & omni complacentia Dei, ideo constituit eandem humanitatem, cum qua unitur absque identitate objectum congruum, ac dignum omnis complacentiae divinae, & etiam gloriae, ut statim conferendae, & cùm hisce non potest simul stare, eandem humanitatem esse dignam alicujus displicentiae, ergo idem repugnat essentialiter componi cum peccato etiam levi.

CAPUT VI.

An in Christo fuerit vel potuerit esse fomes peccati?

Non desunt ex Haereticis, qui asserunt, fomitem peccati fuisse in humanitate Christi licet coërcitum per divinitatem: sed Christi humanitatem fuisse absque fomite peccati, est sententia vera Catholica. Juvat observare fomitem peccati dici appetitum sensitivum, ut potentem rectam rationem praevenire, ac ei resistere inclinando in bonum sensibile delectabile contra dictamen rectae rationis: alioquin si per fomitem peccati intelligeretur solus appetitus sensitivus simpliciter & praecisè, non esset dubium, quin in Christo fuisset fomes in hoc sensu, siquidem fuisse in Christo appetitum sensitivum, est certum de fide, & liquet ex epistola Agathonis, quae refertur in Sancta Synodo Generali, ubi habetur: *Confitemur in Christo omnia duplicia, quae ad naturas pertinent: duas rationes ejus praedicamus, & utramque proprietates naturales habere: & confitemur divinam omnia, quae divina, & humanam omnia, quae humana sunt, absque ullo peccato habere*; & ex Concilio Chalcedonensi Act. 5. ubi habetur: Christum rationalem animam perfectam assumpsisse salva omni ejus proprietate, & per omnia nobis similem absque peccato: sed appetitus sensitivus est proprietas humanae naturae, consequenter fuit & ipse assumptus à Verbo. Praeterea, quia Christus fuit perfectus homo non tantùm sub conceptu rationalis, sed etiam sub conceptu animalis: sed appetitus sensitivus proprietas est naturae animalis, perinde ac voluntas est proprietas naturae rationalis: si ergo Christus fuit perfectus homo etiam sub conceptu animalis, sequitur assumpsisse una cum humanitate appetitum sensitivum. Idque ex eo etiam evincitur, quia in Christo fuerunt actus aliqui appetitus sensitivi cujusmodi sunt tristitia pavor, & taedium, ac timor, etenim de tristitia habetur Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem*, de timore, & taedio, Marci. 14. *Cepit Jesus pavere, & taedere:* & cum repugnat actus sine potentia, cui est proprius, sequitur in Christo

Christo fuisse hunc appetitum sensitivum, à quo dimanârunt actus tristitiæ, timoris, tædii, hinc fomes peccati non est appetitus sensitivus nudè, & præcisè sumptus, sed est appetitus cum addito, scilicet prout prævenit rationem, cui resistit inclinando ad aliquid, quod si fiat cum advertentia rationis, & libertatis sit peccatum, adeo ut fomes peccati consistat in hac propensione & inclinatione inordinata appetitus sensitivi ad objecta sensibilia contra dictamina rectæ rationis, adeo ut fomes peccati de materiali dicat positivam inclinationem appetitus, & de formali carentiam originalis justitiæ coërcentis appetitum, eúmque subjicientis rationi, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæst.* 82. *art.* 3. & *quæst.* 4. *de malo art.* 2. *ad* 4. & *ad* 7. ubi ait: *Concupiscentia contracta per originem nihil aliud est, quàm destitutio inferiorum jurium à retentaculo justitiæ originalis*, & hæc destitutio est carentia justitiæ originalis, cujus præ cæteris effectibus unus erat appetitum sensitivum obtemperantem rationi superiori efficere, & sub imperio illius continere, adeo ut non posset contra rationem insurgere, quamdiu ratio maneret DEO subjecta in statu innocentiæ, in quo conditus fuit homo, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæst.* 89. *art.* 3. ex quibus constat, fomitem de suo formali importare carentiam justitiæ originalis, ut subjicientis appetitum sensitivum rationi. Præterea potest fomes peccati considerari in actu primo, estque ipsa inclinatio habitualis inordinata appetitus sensitivi ad objecta sensibilia dissona rationi; & in actu secundo estque ipsa actualis inclinatio appetitus ad bona illicita sensibilia, ut præveniens rationem. Rursus fomes potest vel ligari, vel extingui: dicitur ligari, quando removentur per extrinsecam providentiam occasiones omnes, ex quibus sequeretur operatio insurgens contra rationem. Extinguitur verò, quando appetitus ita subordinatur rationi, ut nonnisi ex rationis imperio possit in actum prodire; nec magis prodire, quàm recta ratio dictaverit; ex eo, quod DEUS deneget illi concursum ad præveniendam rationem, vel infundat habitus, per quos appetitus eo modo cohibeatur. Hinc in statu innocentiæ fomes peccati non solùm fuisset ligatus, sed etiam extinctus, adeo ut fomes in appetitu inferiori cœperit excitari post peccatum originale. Videtur tamen oriri difficultas, quia inclinatio habitualis appetitus sensitivi in objectum delectabile contra rationem est aliquid positivum: est enim motus actualis in objectum delectabile dissonum rationi, & motus est quid positivum, estque effectus inclinationis habitualis, consequenter hæc inclinatio est quid positivum, quia in privatione tanquam in causa non potest positivum contineri, sed in hac inclinatione consistit essentia fomitis: ergo fomes de suo formali non dicit privationem, vel negationem, sed rationem positivam. Sed contra, quia tametsi inclinatio habitualis remota sit aliquid positivum, si præscindat ab inclinatione expedita, & impedita: inclinatio tamen habitualis proximè expedita ad motus dissonos rationi non est quid positivum: fomes autem non est inclinatio remota appetitus sensitivi ad motus dissonos rationi; sed est inclinatio expedita, dicens de materiali entitatem appetitus inclinantis in motus dissonos; & de formali expeditionem in eosdem motus dissonos rationi, quæ expeditio consistit in negatione vel privatione formæ impedientis, seu justitiæ originalis subjicientis appetitum rationi, eúmque coërcentis, ne insurgat contra rationem: quamobrem licèt inclinatio appetitus in motus dissonos rationi sit aliquid positivum; non inde sequitur fomitem de suo formali importare aliquid positivum.

Dicendum est, non fuisse in Christi humanitate motus inordinatos appetitus sensitivi, ita communiter Theologi censentes oppositum esse hæreticum, quia in 5. Synodo Act. 8. can. 12. damnatur Theodorus, eò quia asseruerit, alium esse Deum Verbum, & alium Christum à passionibus animæ, & desideriis carnis molestiis patientem; adeo ut non solùm damnatum fuit in Theodoro, alium esse Deum Verbum, & alium hominem Christum, verùm etiam, quia asseruerit, hominem Christum carnis molestias fuisse passum, seu motus inordinatos appetitus sensitivi; sed fomes peccati in actu secundo consistit in molestiis istis carnis, seu motibus dissonis rectæ rationi, proinde censendum est de fide non fuisse in Christo fomitem peccati. Præterea quia communiter asserunt Patres, non fuisse in Christo pugnam carnis contra Spiritum, quam Paulus expertus in se describit ad Rom. 7. *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio*: & rursus: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Hinc Leo magnus epist. 15. loquens de Christo ait: *Nihil enim carni sua habebat adversum, nec discordia desideriorum gignebat pugnantiam voluntatum: sensus corporei vigebant sine lege peccati, & sub moderatione rationis, ac mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis.* Hoc idem etiam docent reliqui S. Patres.

Ratio etiam id suadet, quia motus dissoni rationi non fuissent in Adamo, si perseverâsset in statu innocentiæ, imò nec fuerunt in Beata Virgine, nec erunt in statu gloriæ, ex communi Patrum & Theologorum sententia: ergo à fortiori neque debuerunt esse in Christi humanitate, alioquin in Christo fuissent peccata, quod est hæreticum; quia motus appetitus sensitivi in objectum delectabile dissonum rationi in homine, qui potest eos cohibere, & vitare, si eos non cohibeat, vel declinet, non carent culpa, ut communiter docent Theologi: sed Christus potuisset hos motus coërcere, & vitare, ne contra rationem excitarentur, nec rationem prævenirent: etenim Beati ratione visionis beatificæ, vel alterius doni possunt hos motus coërcere: Adamus etiam in statu innocentiæ poterat illos declinare, ratione justitiæ originalis adjuvantis, & coërcentis hos motus. Christus autem fuit beatitudine donatus à primo suæ conceptionis instanti, & habuit justitiam originalem quoad effectum subjiciendi appetitum sensitivum rationi, ergo potuisset hos motus coërcere, & impedire, ne insurgerent contra rationem eamque prævenirent, proinde si eos non coercuisset, illi fuissent imputati ad culpam. Præterea quia hi motus inordinati in Christo non poterant conducere ad finem redemptionis, consequenter non fuerunt in Christo, quia ea fuit operatus, quæ ad redimendum humanum genus conducebant; & non erant dissona rationi. Rursus in Christo fuerunt gratia, & virtutes in summo gradu perfectionis: ergo fuit in Christo appetitus sensitivus omnino subjectus rationi, si quidem virtutes morales convenientes appetitui illum subordinant rationi, & quò perfectiores sunt, eo perfectius subjiciunt, quapropter virtutes in summo gradu subjiciunt etiam summè appetitum inferiorem rationi superiori: ergo in Christo, quia appetitus fuit plenè subjectus rationi non potuerunt insurgere motus inordinati, ac dissoni rationi superiori: quia, quod appetitus efficiat tales motus, oritur ex defectu subjectionis ad rationem. Adde quia quod appetitus inferior moveatur absque consensu portionis superioris, est quidam defectus humanæ naturæ, quia tunc pars inferior non subordinatur plenè ac perfectè parti superiori: sed hujusmodi defectus non potuit Christo inesse, quia in illo omnia fuerunt ordinatissima: & ipsa beatitudo, & alia dona dabant Christo perfectissimum imperium

rium in omnes actus appetitus sensitivi, quod imperium fuit in Adamo ante peccatum, ratione justitiæ originalis, ergo à fortiori hoc imperium perfectissimum fuit in Christo, in quo non fuit peccatum originale, neque debitum illius. Hinc in epistola Sophronii in 6. Synodo Act. 11. dicitur, quod Christus fuerit sibi humanarum passionum, & actionum reconditor, & arbiter, adeo ut eas non receperit necessitate, & involuntariè, sed quando, & quantum consulebat, & annuebat recta ratio: ergo in Christo non fuerunt motus isti inordinati.

Sed objicies Christus passus fuit interiorem carnis tentationem: sed hæc consistit in motibus appetitus rationi dissonis, consequenter fuit in Christo fomes peccati. Major liquet, quia, ut docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 1. *ad* 1. Christus tentari voluit à Dæmone, ut illum vincens nobis contra tentationes auxilia præberet: hæc autem ratio æquè probat de tentationibus carnis, quia Christus vincens tentationem carnis potuit nobis mereri auxilia ad similes tentationes vincendas, nobisque dare exemplum ad easdem tentationes superandas. Præterea quia eatenus D. Thomas excludit peccatum à Christo, quia nec ad finem redemptionis conducit, cum potiùs redemptionem impediat; nec ad ostendendam veritatem humanæ naturæ, quia peccatum est potiùs contra naturam, nec ut nobis virtutis exemplum daret, quia peccatum opponitur virtuti. Sed motus appetitus insurgere contra rationem, & ab illa superari, potest ad finem redemptionis meritoriè conducere, causando in nobis auxilium ad superandos similes motus insurgentes contra rationem: & rursus potest deservire ad exemplum virtutis, ut est reportare victoriam de iisdem tentationibus prostratis, ac superatis: siquidem in hac victoria vel maximè relucet virtus, cum dixerit Christus Apostolo: *Sufficit tibi gratia mea. nam virtus in infirmitate perficitur*: ergo saltem ob has rationes debuerunt motus sensitivi appetitus inesse Christo, ut ab ipso vincerentur, nobisque daret exemplum illos superandi. Sed contra, quia ut rectè respondet D. Thom. 3. *part. quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 3. Christus tentari voluit à Dæmone in omnibus absque peccato: & adfert discrimen inter tentationem prævenientem à Dæmone, & ortam à carne; quia illa potest esse sine peccato, cum fiat per solam extrinsecam suggestionem: secus tentatio orta à carne recalcitrante contra portionem superiorem rationis, nequit esse sine peccato; quia hæc tentatio fit per delectationem, & concupiscentiam, & adfert authoritatem S. August. *lib.* 19. *de civit. cap.* 4. ubi ait: *Nonnullum peccatum est, quando caro concupiscit adversus spiritum; & ideo Christus tentari voluit ab hoste, sed non à carne.* Ergo cum peccatum nequeat esse meritorium, neque virtutis exemplum; & motus sensitivi insurgentes contra rationem ex Augustino sint aliquod peccatum; sequitur non potuisse hujusmodi motus in Christo conducere ad honestos fines prærecensitos. Quòd si instes, tentationem carnis provenientem ab interiori appetitu posse esse sine peccato, quia ut docet Trident. *sess.* 5. in decreto de peccato originali: *Fomes in renatis relinquitur ad agonem, nihil tamen non consentientibus nocet*; quod intelligitur de fomite in actu secundo, seu de ipsis motibus insurgentibus contra rationem: ergo cum tentatio carnis interior possit contingere sine peccato, non rectè videtur excludenda à Christo, ex eo quòd sit peccatum. Sed contra; quia licèt hujusmodi tentatio carnis possit esse in puris hominibus sine peccato, eò quia possint beneficio gratiæ tentationi obsistere; non tamen semper possunt concupiscentiam, & motus inordinatos ita coërcere; proinde non imputantur ad culpam ut motus primo primi, quos non valent coërcere; hi enim motus, qui à Theologis vocantur primò primi, à puris hominibus non possunt impediri, nec coërceri, ne excitentur, proinde non imputantur iisdem ad culpam: secus quia in Christo, ratione supereminentiæ, erat facultas coërcendi omnem inordinatũ motum, ne contra rationem insurgeret, si tales motus non impedivisset, imputarentur ipsi ad culpam.

Dices in Christo fuit tristitia de morte subeunda juxta illud Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem*: sed tristitia est fuga mali: ergo fuit in Christo fuga mortis tolerandæ: sed hic actus tristitiæ fuit erga objectum sensibile dissonum rationi: tunc enim objectum est rationi dissonum, quando est aliqua lege prohibitum. Sed negatio mortis, in quam talis actus tendebat, erat Christo prohibita; quia mors subeunda à Christo erat præcepta à Deo: proinde actus appetitus sensitivi, quo Christus mortem subire fugiebat, versabatur circa objectum sensibile dissonum rationi; proinde in Christo fuit etiam fomes peccati. Occurrit huic difficultati Vasquez respondens, hunc actum non esse in Christo dicendum fomitem, eò quia non tenderet in objectum ex se malum; sed tantum lege positiva prohibitum; & fomitem non importare quemcunque motum appetitus, cui si voluntas efficaciter consentiret, peccaret: sed fomes est motus appetitus in objectum ex se malum. Hæc tamen solutio non satisfacit, quia actus appetitus sensitivi licet inclinet voluntatem ad malum sola lege positiva prohibitum: adhuc retinet rationem fomitis in actu secundo: etenim actus appetitus sensitivi inclinans voluntatem ad comedendas carnes die veneris, quo urget præceptum abstinendi ab esu carnium, habet rationem fomitis in actu secundo, ut cõmunior fert sententia: & nihilominus objectum non est ab intrinseco malum, cum malum non sit carnes edere die Jovis vel Dominico; sed tantùm est malum, quia prohibitum lege positiva: ergo ex eo, quòd fuga mortis in Christo tenderet in objectum lege positiva prohibitum, non evincitur, non fuisse in Christo fomitem in actu secundo. Præterea actus appetitus, qui est tentatio interior ad malum propriè est actus fomitis: & hic actus est actus appetitus inclinans voluntatem in objectum prohibitum sola lege positiva: etenim Dæmon suadens exterius actum prohibitum lege positiva propriè dicitur tentare exteriori tentatione, quo pacto tentavit primos parentes: ergo actus appetitus sensitivi alliciens interius voluntatem, eámq; inclinans ad malum prohibitum sola lege positiva, est propriè interior tentatio, proinde actus fomitis. Exactiùs igitur respondetur cum D. Thoma 5. *part. art.* 4. *ad* 3. actum, quo Christus mortem fugiebat, non fuisse actum fomitis, quia non tendebat ad objectum illicitum: neque fuit actus dissonus rectæ rationi; sed potiùs eidem conformis: quia mors non erat Christo præcepta, ut erat malum naturæ; sed quatenus conducebat ad finem nostræ redemptionis; proinde negatio mortis non erat Christo prohibita, prout erat bona naturæ; sed tantum prout opponebatur fini humanæ redemptionis, & spectatis omnibus circumstantiis: sed motus appetitus sensitivi, quo Christus tristabatur de morte, non erat de morte ut conducente ad finem nostræ redemptionis, & attentis omnibus circumstantiis: sed talis actus fuit potiùs quædam complacentia de denegatione mortis, ut convenientè naturæ; & simplex fuga mortis, ut est mala, & disconveniens naturæ. Tristitia igitur fuit in Christo de morte iminente subeunda, quatenus hæc erat malum naturæ; non verò ut erat medium conducens ad redemptionem humani generis; proinde tristitia illa non fuit circa objectum illicitum, nec actus fomitis; fugere enim mortem simpliciter, ut est malum naturæ, & sibi complacere de

negatione mortis non est quid malum, neque prohibitum, quia mors non erat Christo præcepta, ut erat malum naturæ; sed ut ad finem conducebat humani generis, & sub hac ratione Christus non fugiebat mortem; nec mori recusavit, sed mortem concupivit, & mori voluit, *oblatus est, quia ipse voluit:* ad Gal. 2. v. 20. ait Apostolus: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*; hoc est, liberè mori voluit, ut sua morte me vivificaret, ad Timoth. 2. *Unus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis.*

Contra definitionem fomitis dices, fomitem præter propensionem appetitus sensitivi ad objectum dissonum rationi, & prohibitum à lege dicere de suo formali morbidam qualitatem relictam à peccato originali: ergo non rectè fuit fomes peccati definitus. Sed contra, quia tametsi Ochamus *in* 3. *q.* 2. *art.* 1. Gabriel *in* 3. *dist.* 3. *q.* 2. *art.* 1. Almainus *in* 3. *dist.* 3. *quæst.* 2. & alii pauci docuerunt fomitem peccati ad motus inordinatos addere quandam morbidam qualitatem relictam in nobis ex peccato originali; communior Theologorum sententia hanc morbidam qualitatem superadditam ad motus inordinatos impugnat, ac rejicit: primò quia non potest assignari causa hujus morbidæ qualitatis; proinde non datur, quia cuilibet effectui debet propria causa assignari, alioquin daretur effectus sine causa, quod est implicatorium. Probatur antecedens, quia causa hujus morbidæ qualitatis non est Deus: quia hæc morbida qualitas determinat ad malum, & inclinat voluntatem ad peccatum: & Deus non potest causare qualitatem determinatè inclinantem ad malum, & inducentem ad peccatum: proinde nequit esse causa illius. Secundò quia etiamsi concederemus, posse Deum hanc qualitatem de potentia absoluta causare, sine sufficiente fundamento adhuc assereretur, hanc de facto à Deo causari: quemadmodum licèt plures doceant, posse Deum habitum vitiosum se solo producere; nullus hactenus dixit, illum aliquando causasse. Præterea quia assertores hujus morbidæ qualitatis putant, peccatum originale consistere in hac morbida qualitate: sed repugnat, Deum esse causam peccati originalis, quia foret author illius: ergo nec de potentia absoluta potest Deus causare hanc morbidam qualitatem, sicut non potest causare peccatum. Secundò nec causa hujus morbidæ qualitatis potest homo assignari, qui per proprios actus illam causet: quia parvuli vix in lucem editi, imò & in primo generationis instanti contrahunt peccatum originale, & hanc morbidam qualitatem, quamvis nondum sint capaces eliciendi liberas operationes: ergo homo per proprios actus non causat hanc morbidam qualitatem. Tertio neque dici potest causari ab ipso peccato capitali Adami; quia peccatum capitale Protoparentis fuit actus immanens, seu inhærens voluntati: & actus immanentes nullam physicam entitatem producunt extra proprium subjectum; ergo non est assignabilis causa hujus morbidæ qualitatis. Tum quia actus voluntatis Adami secluso divino pacto, & transfusione voluntatum posterorum in voluntatem Adami non erat potens de se causare efficienter hanc physicam qualitatem: sed ex pacto & transfusione prædicta Adam non fuit immutatus in voluntate physicè: ergo etiam positis pacto, & transfusione, mansit voluntas Adæ impotens ad illam causandam, siquidem Adam peccavit per actum immanentem voluntatis, qui actus non est potens producere in posteris hanc morbidam qualitatem. Denique quia hæc qualitas non solùm dicitur inesse appetitui sensitivo, sed etiam voluntati; consequenter non solùm appetitum, sed etiam voluntatem moveret ad operandum: sed voluntas non potest moveri ab ullo creato extrinseco in genere causæ efficientis, nisi à solo Deo, qui author est ipsius voluntatis, ut docet D. Thomas 1. 2. *q.* 9. *art.* 6. & alibi frequenter: unde peccatum capitale Adami non potest hanc morbidam qualitatem causare efficienter. Neque audiendi sunt, qui somniarunt causam extrinsecam hujus morbidæ qualitatis fuisse flatum, ac sibilum serpentis; quia vel flatus serpentis effecisset hanc morbidam qualitatem propria virtute naturali, vel ex divina elevatione: neutrum dici potest, non primum quia flatui serpentis non potuit naturaliter hæc vis competere efficiendi in nobis hanc physicam, & morbidam qualitatem: neque secundum, quia DEUS non potest supernaturaliter elevare aliquid ad efficiendum id, quod est ad malum, & ad peccatum inclinat: neque ad peccandum requiritur elevatio ad statum supernaturalem.

Dicendum secundò, Fomitem in actu secundo, seu ipsos motus inordinatos, nec de potentia Dei absolota potuisse esse in Christo. Ratio est perspicua, quia summa Sanctitas Christi pugnat non solùm cum peccato, verum etiam cum motibus appetitus inclinantibus ad peccatum: cum Sanctitas in Christo fuerit summè talis, & de ratione sanctitatis sit distare à peccato; quo sanctitas est major eò distantia longior: sed major distantia à peccato est non solum opponi cum ipso peccato, verùm etiam repugnare cum illo, quod inclinat ad peccatum: ergo summa Sanctitas in Christo non solum pugnat cum peccato, quod excludit; sed etiam essentialiter cum motibus appetitus inclinantibus, & excitantibus ad peccatum: consequenter ex eo, quod in Christo fuit summa Sanctitas, nec de potentia absoluta potuit esse in Christo fomes in actu secundo, seu non potuerunt esse motus inordinati. Firmari ex eo potest, quia quòd gratia unionis sit summa sanctitas, ac summè distans à peccato non solum opponitur peccato, sed etiam potentiæ proximæ, & expeditæ ad peccatum, ut concedunt adversarii: sed motus inordinati appetitus quamvis præveniant rationem ut motus primo primi, & non sint liberi, neque includant formaliter malitiam moralem; nihilominus adhuc magis accedunt ad peccatum, quàm potentia proximè expedita ad peccandum: siquidem motus illi inclinant ad peccatum, ad quod non inclinat potentia proxima expedita peccandi: proinde ex eo, quòd summa Sanctitas in Christo excludat potentiam proximè expeditam ad peccandum, debet à fortiori excludere præfatos motus inordinatos appetitûs. Firmari ulterius potest, quia omnes effectus proprii alicujus sanctitatis possibiles debent tribui Sanctitati Christi, quia cum sit summa, debet præstare omnes effectus sanctitatis possibilis, alioquin dari posset alia sanctitas major; illa scilicet, quæ posset præstare omnes illos effectus, consequenter Sanctitas Christi non esset major, nec summa: atqui potest aliqua sanctitas esse tanta, quæ non compatiatur secum fomitem peccati: siquidem justitia originalis excludebat hunc fomitem: ergo à fortiori Sanctitas Christi utpote summa debet hunc fomitem excludere. Firmatur etiam ex eo, quia nullus fuit in Christo motus præveniens rationem, si verbum tenetur hos motus prævenientes rationem impedire, & quidem eodem modo, quo voluntas tenetur eos motus impedire, qui sunt peccata, quia debet eamdem directionem exhibere humanitati sibi unitæ quam voluntas appetitui: ergo nullus fuit in Christo motus, nec esse potuit, qui præveniret rationem.

Dices, si motus isti prævenientes rationem nec de potentia DEI absoluta potuissent inesse Christo, maximè quia essent moraliter mali; sed motus primò primi prævenientes rationem non sunt moraliter mali,

mali, quia non sunt liberi, nec liberè eliciuntur à suis suit potentiis, & formalis malitia fundatur in libertate; ergo cum hi motus prævenientes rationem non sint formaliter mali potuissent Christo inesse saltem de potentia Dei absoluta. Sed contra, quia tametsi hi motus utpote indeliberati non sint formaliter mali, neque induant moralem malitiam; nihilominus dicunt quamdam moralem indecentiam in natura sensitiva conjuncta cum rationali; adeo ut viri studio pietatis, & culturæ virtutum addicti erubescant illos pati; sed de ratione summæ sanctitatis, qualis fuit in Christo, non solùm est pugnare cum malitia morali, sed etiam cum qualibet morali indecentia; quia hæc sanctitas pugnans etiam cum qualibet morali indecentia, est major aliâ non pugnante cum hac morali indecentis; & cum sanctitas Christi major sit qualibet alia sanctitate, debet essentialiter excludere omne id, quod in Christo diceret hanc moralem indecentiam, alioquin sanctitas Christi non esset summa, & qua major in natura humana non potest excogitari. Firmari potest, quia gratia unionis, ex eo quòd sit summa sanctitas, non solùm opponitur transgressioni legis obligantis ad culpam; sed etiam legis obligantis ad pœnam solam, non ad culpam; quia transgressores legis pœnalis digni sunt aliqua reprehensione; & in Christum nulla potuit reprehensio cadere: sed transgressio legis purè pœnalis non est peccatum formaliter, nec induit moralem malitiam peccati, sed tantùm est inconveniens aliqua moralis indecentia: ergo summa Christi sanctitas, ex vi summæ sanctitatis non solùm pugnat cum peccato, & cum potentia proximè expedita ad peccandum; verum etiam cum omni eo, quod dicit moralem indecentiam; proinde quamvis præfati motus prævenientes rationem non sint peccata, neque induant moralem malitiam, quia tamen moraliter includunt indecentiam, non sunt componibiles cum summa Christi sanctitate. Præterea sanctitas, quæ essentialiter opponitur, non solùm malitiæ morali formaliter, sed etiam morali indecentiæ non implicat ex terminis, & est major sanctitate componibili cum morali indecentia, ergo si Christo convenit summa sanctitas, qua major non sit humanitati possibilis; non solum debet excludere peccatum, sed etiam omnem moralem indecentiam; alioquin esset possibilis major, quæ moralem omnem excluderet indecentiam. Si instes hos motus inordinatos includere quidem indecentiam moralem respectu puri hominis justi, non vero respectu humanitatis Christi; proinde non excludi ex vi conceptus summæ sanctitatis: eatenus respectu puri hominis dicunt moralem indecentiam, quia alliciunt ejus voluntatem ad peccatum, cum sit purus homo peccabilis: secus Christus, quia impeccabilis non potuit ab illis motibus perturbari, nec allici ad peccandum, proinde in Christi humanitate impeccabili, non dicebant moralem malitiam, nec moralem indecentiam. Contra est, quia tametsi voluntas Christi, quia impeccabilis non potuerit de facto allici à prædictis motibus ad peccandum, nec inclinari ad malum, adhuc tamen, quia hi motus inordinati ex se & propria natura inclinant ad malum, & alliciunt voluntatem ad peccatum, includunt intrinsecè aliquam moralem indecentiam, à qua præscindi non possunt, perinde ac non præscinduntur à propria natura, & prædicatis intrinsecis ex quibus motus prævenientes rationem contrahunt hanc moralem indecentiam, & allicientiam ad peccatum. Quòd verò in Christi humanitate non potuerint allicere voluntatem ad peccandum, id oriebatur ab extrinseco, seu ab ipsa impeccabilitate voluntatis Christi, non verò ab intrinsecis prædicatis talium motuum, qui propterea, quantum est ex se, includunt moralem indecentiam incomponibilem cum summa sanctitate Christi. Si dicas, tunc appetitum habere rationem fomitis, quando vel inclinat in bonum sensibile dissonum rationis, vel retrahit à bono ratione difficultatis obviantis, & appetitum Christi retraxisse à bona ratione difficultatis, consequenter habuisse rationem fomitis in actu secundo. Contra est, quia tunc tantùm difficultas in bono habet rationem fomitis, quando oritur ex inclinatione ad bonum sensibile rationi dissonum; & tunc non habet rationem fomitis, quando difficultas in bono oritur ex natura hominis, & ex natura objecti propositi, ut horrere mortem non est quid dissonum rationi, consequenter timor mortis imminentis, quæ erat in Christo, non erat fomes in actu secundo.

Suaderi etiam posset assertum ratione desumpta ex obligatione Verbi divini gubernandi humanitatem: etenim licet motus inordinati appetitus, quia indeliberati, & quia non possunt coërceri à natura rationali, non sint peccata respectu puri hominis, attamen respectu humanitatis Christi imputarentur Verbo divino ad culpam; quia ex vi unionis humanitatis ad Verbum inest Verbo specialis obligatio dirigendi, & gubernandi humanitatem non solùm ut rationalem, verùm etiam ut sensitivam; & ex alio capite potuisset facilè Verbum divinum hos motus compescere, & coërcere, ne insurgerent contra rationem: sed repugnat, posse culpam imputari Verbo divino, ut superiùs fusè ostendimus, non enim potest Deus esse author peccati, neque influere in actus malos malitia morali: ergo nec de potentia absoluta potuit fomes in actu secundo inesse Christo. Quòd verò Verbo divino ut anito humanitati inesset obligatio gubernandi appetitum sensitivum ejusdem humanitatis; ex eo colligitur, quia hæc obligatio gubernandi humanitatem oritur ex conjunctione utriusque naturæ humanæ, & divinæ in una Christi persona, sed natura humana non solùm ut rationalis, verùm etiam sensitiva est Verbo divino conjuncta, proinde inest Verbo hæc obligatio gubernandi humanitatem secundum utrumque appetitum rationalem & sensitivum, ac vitandi malum utriusque appetitus, proinde sicut malum appetitus rationalis imputaretur Verbo ex vi talis obligationis, ita etiam imputaretur eidem malum morale appetitus sensitivi: quia eo ipso, quòd obligatio convenit Verbo gubernandi naturam ut sensitivam; cum Verbum possit motus inordinatos naturæ sensitivæ, seu appetitus inferioris impedire, si in eos non impediret, attribuerentur ipsi ad culpam, quod repugnat. Quòd si dicas, naturam sensitivam hominis ut prævenientem rationem esse ejusdem rationis cùm natura irrationali, quæ eatenus non est obnoxia peccatis, quia non gaudet libertate, nec ratione: sed si Verbum assumeret naturam irrationalem, ut de potentia absoluta potuisset assumere in sententia plurium; non inde teneretur impedire motus appetitus sensitivi, ergo neque illos tenetur impedire in natura sensitiva conjuncta cum rationali, quâm sibi de facto univit. Præterea eatenus Verbum divinum non teneretur impedire in natura rationali motus appetitus sensitivi, quia essent consoni tali naturæ, & peccata non essent: sed motus inordinati appetitus sensitivi naturæ sensitivæ conjunctæ cum rationali sunt etiam consoni huic naturæ, & ex alio capite non sunt peccata, quando rationem præveniunt, consequenter Verbum non tenetur hos motus in huma-

nitate

nitate assumpta impedire. Contra est, quia tametsi natura sensitiva hominis ut præveniens rationem, sit physicè ejusdem rationis cum natura irrationali, moraliter tamen non est ejusdem rationis, quia ex conjunctione appetitus sensitivi cum natura rationali fiunt tales motus prævenientes rationem moraliter indecentes, & inclinantes ad peccatum ad quod alliciunt: consequenter licet nulla adesset obligatio in Verbo ad motus illos coërcendos in natura irrationali assumpta; adhuc inesset Verbo specialis obligatio impediendi motus inordinatos in natura sensitiva conjuncta cum rationali. Ad aliud, quod addebatur, non teneri Verbum præfatos motus impedire in natura irrationali assumpta, eò quia non essent peccata, & ex alio capite consoni essent naturæ irrationali, respondetur hanc causalem non esse adæquatam: siquidem non solùm negatur obligatio in Verbo respectu naturæ irrationalis impediendi hujusmodi motus, quia non sint peccata, & sint consoni tali naturæ, sed ulterius, quia non sunt moraliter indecentes, neque alliciunt ad peccatum: secus in natura sensitiva ut conjuncta cum rationali, quamvis motus prævenientes rationem non sint formaliter mali in genere moris, adhuc sunt moraliter indecentes, eò quia quantum est ex se, alliciunt ad peccatum, & sunt objectivè mali: ob hanc rationem inest Verbo obligatio impediendi hos motus naturæ sensitivæ ut conjunctæ rationali.

Probatur tertiò assertum, quia repugnat Deum ut causam specialem causare motus inordinatus appetitus sensitivi: atqui si darentur in humanitate verbo unita, Verbum, prout in ea subsistit, esset specialis causa motuum inordinatorum appetitus sensitivi, consequenter tales motus implicant in humanitate unita Verbo, quia omnes operationes humanitatis unitæ hypostaticè Verbo tribuuntur ipsi Verbo, ut in illa subsistenti non solùm denominativè, sed etiam effectivè, & influxivè, ut causæ speciali: consequenter cum motus inordinati appetitus sint actiones naturæ sensitivæ, attribuerentur Verbo, ut subsistenti in natura illa, & quidem ut causæ particulari. Major ostenditur, quia etsi motus inordinati appetitus sensitivi, ut prævenientes rationem non sint formaliter peccaminosi, sunt tamen formaliter mali malitia objectiva, consequenter non possunt à Deo fieri, ut à causa speciali. Præterea quia habitus vitiosus non potest à Deo causari, ut à causa speciali etiam de potentia absoluta, ut communior docet sententia, quia tametsi peccatum non sit, determinatè tamen inclinat in peccatum, & repugnat, Deum esse causam specialem entitatis inclinantis determinatè ad peccatum: atqui hujusmodi motus inordinati appetitus sensitivi prævenientes usum rationis, quamvis peccata non sint, inclinant tamen ad illud, consequenter nequit Deus ut causa specialis illos causare. Præterea quamvis odium Dei, ut præveniens usum rationis non sit formaliter peccatum defectu libertatis, & quia non est actus liber essentialiter requisitus ad peccatum, non tamen potest à Deo efficienter ut à causa speciali procedere: ergo etiamsi motus inordinati appetitus prævenientes usum rationis non sint formaliter peccata, eò quia destituti libertate adhuc non possunt à DEO procedere, ut à causa speciali: etenim odium Dei indeliberatum in humanitate unita, sive ratione summæ sanctitatis, sive ratione obligationis specialis illam gubernandi, & in bono continendi, sive quia repugnet Verbo, ut subsistenti in humanitate attribui, ut causæ speciali implicat, consequenter etiam implicant in humanitate unita Verbo motus inordinati appetitus sensitivi, quamvis indeliberati, ac prævenientes usum rationis, eo enim pacto, quo implicat odium Dei indeliberatum in humanitate unita Verbo repugnant etiam motus inordinati prævenientes usum rationis. Quòd si dicas esse discrimen, quia odium Dei indeliberatè elicitum, quamvis non sit peccatum formaliter ex defectu libertatis, est tamen materialiter peccatum incomponibile cum sanctitate infinita, cui repugnat non solùm peccatum formaliter, sed materialiter tale: sed motus inordinati appetitus sensitivi non sunt peccata, nec formaliter, nec materialiter, quando præveniunt usum rationis, tunc enim sunt actiones rationales, animales, unde non repugnat cum sanctitate infinita. Sed contra, quia actum aliquem esse materialiter peccatum est versari circa objectum malum, & prohibitum sine formali malitia ex defectu advertentiæ ad præceptum vel defectu libertatis: sed motus inordinati appetitus sensitivi, quamvis prævenientes usum rationis versantur circa objecta prohibita, & solùm à malitia excusantur, ex defectu libertatis, consequenter sunt materialiter peccata, quamvis non includant malitiam formalem. Major ostenditur, quia pecatum materialiter tale, ut distinctum à peccato formaliter tali non potest aliter explicari, nisi quia sit circa objectum malum, & prohibitum sine formali malitia ex defectu vel advertentiæ, vel libertatis: neque alia ratione odium Dei indeliberatum est peccatum materialiter, nisi quia prohibitum, & à malitia excusatur ex defectu libertatis, vel notitiæ, seu ex ignorantia invincibili, si posset hæc esse. Minor etiam ostenditur, quia motus inordinati appetitus per hoc distinguuntur ab ordinatis, quia isti eliciuntur cum advertentia, & sunt liberi; illi verò præveniunt usum rationis, & defectu libertatis dicuntur indeliberati. Rursus deliberati, & ordinati tendunt in objecta sensibilia nulli legi adversantia; inordinati verò in objecta aut lege naturali, aut positiva prohibita: ergo motus appetitus sensitivi prævenientes usum rationis, quia tendunt in objecta prohibita, sunt peccata materialiter, licèt non formaliter defectu libertatis. Etenim odium DEI indeliberatum ideo est peccatum materialiter, quia si liberè à voluntate procederet, esset malum malitia morali: sed motus inordinati appetitus si liberè procederent à suo principio, essent etiam peccata formaliter, ergo ex eo, quòd indeliberatè procedant ab appetitu, & præveniant usum rationis, sunt materialiter peccata. Rursùs motus inordinatus voluntatis indeliberatè elicitur, quatenus prævenit usum rationis circa materiam veneream, est peccatum materialiter: consequenter motus appetitus sensitivi prævenientes usum rationis, & tendentes in eandem materiam veneream sunt peccata materialiter, quia non alia ratione motus inordinatus voluntatis in materia venerea est peccatum materialiter, nisi quia est tendentia non libera in objectum lege prohibitum: & non solùm hujusmodi motus prohibentur voluntati, verùm etiam appetitui sensitivo, quia hic ex conjunctione, quam habet cum rationali, est capax libertatis; ergo si motus inordinatus voluntatis est peccatum materialiter, hoc idem dicendum erit de motu inordinato appetitus sensitivi. Antecedens liquet, quia non alia ratione odium DEI indeliberatum est peccatum materialiter, nisi quia versatur erga objectum lege naturali prohibitum, quod si attingeret, deliberatè contraheret malitiam formalem: atqui etiam motus absolutus indeliberatus voluntatis circa materiam veneream, versatur circa objectum lege naturali prohibitum, & ideo est tantùm peccatum

mate-

materiale, quia prævenit usum rationis, & fit indeliberatè: quòd si fieret deliberatè, & cum usu rationis contraheret malitiam formalem, & esset peccatum formaliter.

Dices contra assertionem motus inordinati non sunt mali, nec formaliter peccata, sed ad summum materialiter, & malitiæ purè objectiva, ut concessum fuit: atqui non repugnant humanitati Christi de potentia absoluta actus solùm materialiter, & objectivè mali, ergo non repugnant in humanitate Christi motus inordinati appetitus sensitivi saltem de potentia Dei absoluta.

Major liquet, quia si sint indeliberati, non possunt esse mali malitiâ formaliter, quia hæc supponit libertatem actus, & super illam fundatur. Minor etiam probatur, quia actus, qui potest esse meritorius præmij supernaturalis, non repugnat humanitati unitæ verbo, nec ratione summæ sanctitatis, nec ratione indecentiæ moralis; sed actus materialiter, & objectivè mali possunt esse meritorii præmii supernaturalis, quia potest quis ignorans invincibiliter carnes esse prohibitas, & illas comedere comestione orta ex motivo supernaturali, hic enim actus materialiter, & objectivè esset malus, quia contra legem, & esset meritorius præmii, quia elicitus ex motivo supernaturali, unde actus materialiter, & objectivè mali possunt esse meritorii, & laudabiles, consequenter actus materialiter, & objectivè tantùm mali de potentia saltem absoluta Dei non repugnant humanitati Christi. Præterea potest quis amicum occidere putans eum Reipublicæ hostem, & licitum esse talem occidere, hic enim actus est materialiter, & objectivè malus, & posset esse meritorius, consequenter actus materialiter & objectivè mali possunt esse meritorii præmii supernaturalis, ac inesse Christi humanitati, quia summa sanctitas non pugnat cum actu meritorio, quinimò sanctitas dat valorem eidem actui: & supposita ignorantia invincibili non reperitur in tali actu ulla indecentia moralis, sed potiùs bonitas, & laudabilitas. Si respondeas hoc argumento probari actus materialiter malos ex objecto intrinsecè malo, ut est odium Dei, mendacium, repugnare quidem humanitati unitæ verbo, non ita actus malos materialiter ex objecto
a sola lege positiva prohibito, cujusmodi est comestio carnium die prohibito, quæ præsupposita ignorantia prohibitionis potest meritoriè fieri, & ab omni indecentia morali purgari. Contra est, quia inde sequitur potuisse esse actum fomitis in Christo, erga objecta sola lege positiva prohibita, quod non potest concedi, quia si actus fomitis non repugnaret de facto esset admittendus. Prætereà etiam actus ab intrinseco mali possent inesse humanitati Christi, siquidem hi actus possunt fieri meritoriè supposita ignorantia invincibili de illorum prohibitione, ut si quis invincibiliter ignoret mendacium esse prohibitum; posset ex fine supernaturali operando laudabiliter, & meritoriè mentiri.

Respondetur igitur exactius negando minorem principalis argumenti, quia tametsi actus ex objecto de se bonus, laudabilis, & meritorius ex nullo capite repugnet summæ sanctitati; & actus ex objecto malus meritorius, & laudabilis supposita ignorantia invincibili non pugnet cum sanctitate summa ex ratione meriti, & bonitatis; pugnat nihilominus cum illa ratione indecentiæ moralis inclusæ in illo modo operandi, & quamvis ignorantia purè negativa, quæ nescientia dicitur, non dicat indecentiam moralem repugnantem humanitati unitæ de potentia absoluta: attamen operari circa objectum lege prohibitum ex ignorantia invincibili est moraliter indecens: etenim odium Dei, mendacium, quamvis ex ignorantia invincibili excusentur à culpa; non tamen excusantur ab aliqua indecentia morali, & quamvis ex superveniente motivo supernaturali fiat, ac evadat meritorius, inde non tollitur illa moralis indecentia; quo fit, ut ex ratione meriti non tollatur repugnantia talis actus cum sanctitate infinita, quamvis ex illa non nascatur, præsertim in sententia docentium posse eundem actum esse simul bonum, & malum meritorium, & demeritorium, hi enim actus semper repugnant cum summa sanctitate non ex qua parte sunt boni, & meritorii, sed ex qua ratione includunt moralem indecentiam. Instabis actus materialiter, & objectivè malus & meritorius ob præsuppositam ignorantiã terminat specialem Dei influxum, quia procedit à gratia supernaturali consequenter potuit etiam procedere à persona Verbi subsistentis in humanitate; & à Verbo ut Deo in humanitate permitti non obstante obligatione speciali gubernandi humanitatem, proinde potest componi cum summa sanctitate humanitatis unitæ.

Præterea quia supposita ignorantia invincibili prohibitionis melius est operari erga objectum re ipsa prohibitum ex motivo supernaturali quàm non operari circa tale objectum: sed in cessatione ab operatione nulla invenitur indecentia, ergo neque in operando erga illud ex supernaturali motivo. Major liquet, quia quod bonum & meritorium est, semper est melius, quod fiat, & est melius quam omittere, quod nec bonitatem, nec meritum habet: & cessatio à boni operatione erga objectum illud prohibitum non est bona, nec meritoria, cùm operatio erga illud elicita bona sit, & meritoria: ergo supposita ignorantia invincibili melius est operari erga objectum re ipsa prohibitum, quàm cessare ab omni operatione. Sed contra negatur consequentia primæ instantiæ, quia quamvis omnis actus conveniens humanitati unitæ possit esse à Deo generali vel etiam speciali influxu; non tamen omnis actus, qui esse potest à Deo speciali influxu potest humanitati unitæ competere, quia potest aliquam indecentiam habere, ratione cujus repugnat humanitati unitæ Verbo, quæ tamen non obstat actui ad hoc ut terminet supernaturalem, & specialem Dei influxum; Prætereà posset respondera actus illos posse considerari sub ratione, qua sunt supernaturales, & meritorii, & quatenus sunt moraliter indecentes, & quamvis sub prima consideratione terminent specialem Dei influxum non ita sub secunda, ex quo solùm sequitur actus illos non repugnare humanitati unitæ sub conceptu bonitatis, & meriti, non verò quòd illi non repugnent ratione moralis indecentiæ. Ad secundum distinguitur major: est melius tunc operari per se, & ex meritis objecti, negatur major; est melius per accidens, permissa majore, & concessa minore, negatur consequentia: quia licèt, quòd est melius per se, & ex meritis objecti non possit moralem indecentiam habere, si illius oppositum, quod in bonitate superat, moralem indecentiam non habet: nihilominus quod non est melius per se, & ex meritis objecti; sed tantùm per accidens ratione ignorantiæ præsuppositæ potest aliquam indecentiam habere sumpta ex attingentia objecti per se, quam illius oppositum non habeat: hinc supposita ignorantia invincibili mendacii, melius est mendacium ex motivo supernaturali imperatum, quàm carentia mendacii procedentis ex nullo motivo supernaturali: & tamen in mendacio procedente ex ignorantia, moralis indecentia reperitur;

ritur; secus in carentia mendacii; & hoc ex eo oritur, quia ille excessus non convenit mendacio per se, sed tantùm per accidens ratione ignorantiæ invincibilis. Hoc idem dicendum de quovis actu materialiter, & objectivè malo, quamvis per accidens meritorio, & bono. Præterea quamvis supposita ignorantia prohibitionis sit melius; ignorantia tamen supposita est indecens indecentia morali; siquidem est ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur in ordine ad operandum. Præterea actus moraliter mali ex objecto eliciti ex honesto motivo supposita ignorantia invincibili, non inclinant voluntatem ad malum actum, quia solùm possunt causare in voluntate habitum inclinantem ad similes actus imperatos ex eodem motivo, in quibus ut sic non reperitur malitia. Sed motus appetitus sensitivi erga objectum delectabile dissonum legi, & rationi quodo rationem præveniunt, nulla gaudent bonitate morali sumpto ex aliquo honesto motivo; & quamvis ipsi formaliter non attingant malitiam objectivam moralem, inclinant tamen, quantum est ex se voluntatem ad actus circa eadem objecta morali malitia deturpatos, proinde sunt indecentes moraliter, & pugnant cum summa sanctitate; si tamen imperentur ex motivo aliquo honesto supposita ignorantia invincibili prohibitionis, ut eius carnis die prohibito supposita ignorantia invincibili prohibitionis, non sunt mali malitia morali.

CAPUT VII.

Quomodo Christus exercuerit munus Redemptoris.

Redemptio fit, cum res aliqua ad manus alienas deveniens per compensationis exhibitionem ab iisdem liberatur, & pristino restituitur Domino, seu in pristinum reducitur statum, hinc redemptio *est exhibitio compensationis, seu pretii, cujus solutione res vendicatur à potestate unius in potestatem alterius, ad quem antea pertinebat.* Hæc communis ratio redemptionis accommodatur Christo, qui propterea Redemptor mundi dicitur; juxta hanc enim vocabuli rationem Christus passim in Scripturis Redemptor dicitur humani generis, quatenus à potestate diaboli nos pretio sui sanguinis redemit 1. ad Timoth. 5. *Unus enim Deus, unus, & mediator Dei, & hominum, homo Christus JESUS, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Tametsi homo per peccatum non omnino ereptus fuerit, nec potuerit eripi de potestate, & servitute Dei, neque venisse in absolutam potestatem dæmonis: siquidem is dicitur absolutè habere rem aliquam in potestate, qui jus ejusdem obtinet absolutum, adeò ut pro suo libito possit re ipsa uti sive ad destructionem, sive conservationem sive alienationem; & hoc jus absolutum ita convenit Deo ut non possit illud amittere, nec ulla creatura ab illo se subtrahere, unde licèt peccaverit homo, & factus fuerit sub potestate diaboli, non tamen hoc jus ipse acquisivit, & peccator fuit ereptus à dominio Dei, quia ut ait David Psal. 23. *Domini est orbis terrarum, & plenitudo ejus, & universi qui habitant in eo*, ex quo sequitur non plus posse dæmonem in perniciem hominum, quàm facta illi fuerit à Deo potestas, qui æquè est absolutus Dominus dæmonum, quàm hominum. Quia tamen propter peccatum homo à servitute Dei in servitutem dæmonis translatus est, à qua sine divinæ gratiæ præsidio, quo per peccatum fuit destitutus, non potest à peccato resurgere, nec se à servitute dæmonis liberare, necessum fuit, ut divina gratia juvaretur, & per quandam compensationem à tali dæmonis servitute liberaretur. Ob patratum enim peccatum incurrunt homines, quantum in ipsis est quandam necessitatem parendi voluntati diaboli contra Dei voluntatem, in quo sensu dicuntur facti dæmonis servi. Id enim dæmon ob odium, quod fovet contra Deum & invidiam, qua flagrat erga humanum genus enixim optat, & agit, ut homines perseverent in peccato, cujus fuit ipse suasor, & aliis peccatis se coinquinent, quibus iucuriam divinæ irrogent majestati, & hoc modo dicitur homines decessisse ex potestate, & servitute Dei, & fuisse prolapsos in servitutem dæmonis, à qua non potuerunt se ipsos eripere naturæ suæ viribus, neque destituti gratia supernaturali per peccatum, potuerunt Deo servire meritoriè, ut est Deo grati: quia tamen non possunt homines ab absoluto Dei dominio se subtrahere, potest Deus peccatoribus uti tanquam rebus suis, eosque punire, vel iisdem sua suppeditare auxilia, quibus resurgant à peccato, & beneficio charitatis Deo iterum conjungantur, quia Deus semper absolutè, & simpliciter retinet jus suum integrum, ac plenam potestatem in peccatores, quibus potest absolutè uti ad obsequia charitatis præstanda & munia aliarum virtutum exercenda, mediante auxilio gratiæ, quo resorgent à peccato, & meritoriè operantur, quia tunc ex injustis, & impiis eos constituit justos, & pios, unde licèt quamdiu peccatores perseverant in statu peccati, non possint ullum Deo obsequium charitatis præstare, eò quia vires naturales non sufficiant, ut possint placere Deo, sicut oportet, ideo dicuntur homines per peccatum se subtraxisse de potestate, & servitute Dei, & se transtulisse in servitutem dæmonis. Hinc in sacris Scripturis homines justi, & pii speciali quadam ratione vocantur servi Dei cùm e converso peccatores dicantur esse servi diaboli, hinc Apostolus ad Rom. 8. *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, & Joan. 8. *Qui facit peccatum, servus est peccati*, ac propterea etiam diaboli ratione peccati, & 2. Petri 2. *A quo enim quis superatus est, hujus & servus factus est:* quem textum videtur Apostolus declarâsse 2. ad Tit. 2. Cum scripsit, *Deus det illis pœnitentiam, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem:* explicat Apostolus rationem hujus captivitatis, ac servitutis in eo consistere, quia homines laqueis peccatorum impliciti, & constricti teneantur juxta diaboli voluntatem. Rursus modum quo homines per peccatum se subtrahunt ex servitute justitiæ Dei, & incidunt in servitutem peccati, docet Apostolus ad Rom. 6. ubi ait: *Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam*, & nonnullis interjectis subdit: *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ.* Hoc est, cum peccatum vos obstrictos teneret voluntati diaboli, illius servi facti eratis, liberati quodammodo à servitute justitiæ Dei, unde pergit Apostolus: *Nunc verò liberati à peccato: servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificatione*, hinc quod antea dixerat esse servitutem justitiæ modo vocat servitutem Dei, quia per justitiam & gratiam sanctificantem speciali ratione sumus in servitute Dei, sicut è converso per peccatum recedimus

mus à servitute Dei, & transimus in potestatem diaboli, cujus propterea servi dicimur peccantes facti. Idque causæ cur ab ipso Christo diabolus dicatur princeps hujus mundi Joan. 12. quatenus ut explicat D. Augustinus Tract. 52. in Joan. *Princeps ac Dominus malorum omnium, qui habitant in mundo, factus est diabolus.*

Rursus quia homines per peccatum constituuntur extra Dei servitutem, & fiunt servi diaboli non aliquo jure ipsius diaboli, sed tantùm jure Dei permittentis illos esse in miserabili illo, ac deplorabili statu peccati, ideo ut ab ea servitute redimerentur homines non diabolo, sed ipsi DEO facienda erat compensatio, seu pretium solvendum pro iis gratiæ divinæ donis, in quibus libertas ab ea diabolica servitute consistit, quia ut ait Apostolus: *ubi Spiritus Domini, ibi & libertas*, & hoc est, quod præstitit Christus, ut nos redimeret, siquidem ut gratiæ donis divinitùs locupletaremur, & jugum dæmonis excuteremus, & à servitute dæmonis liberaremur, se ipsum obtulit Deo Patri proprium sanguinem fundens pretium nostræ redemptionis, ac mortem oppetiens pretium obtulit soli Deo Patri in compensationem donorum gratiæ, quibus liberati à peccato afficeremur, & in pretium recuperatæ libertatis ait enim Apostolus ad Timoth. 2. *Dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*. & 1. ad Timoth. 4. v. 10. *Qui est Salvator omnium hominum*, & ad Ephes. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo.* Et D. Petrus etiam hoc ipsum explicat inquiens 1. Petr. 1. *Non corruptibilibus auro, & argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati, & incontaminati Christi*, hinc etiam in Apocal. 5. dixit Joannes: *Redemisti nos DEO in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione*, quatenus Christus ut nos redimeret à potestate diaboli, qui mundo quodammodo dominabatur, voluit debitam compensationem exhibere DEO Patri, ut liberati à servitute diaboli DEO tantùm nostra exhiberemus obsequia, quapropter Christus ipse imminente jam morte tempore scilicet passionis dixit: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum*, hoc est, nunc diabolus ejicietur è suo dominio, destituetur potestate quam exercuit in homines, qui ex illius dominio eripiebtur: & ego exaltatus à terra omnes homines traham ad debita obsequia exhibenda Deo Patri. Et hoc est præcipuum munus, quo Christus Dominus secundùm Fidem Catholicam functus nos redemit pretio sui sanguinis à diaboli famulitio: hinc patet quam enormiter cæcutierit Petrus Abailardus, cujus error à D. Bernardo redarguitur, negavit enim Christum humanum genus à servitute diaboli redemisse, eò quia diabolus nullum potuerit acquirere jus in humanum genus: non enim Abailardus intellexit, qua ratione fuerint homines per peccatum captivi diaboli, laqueis enim diaboli peccato irretiti, nec resipiscentes tenebantur homines obliti, qui propterea peccantes obsequebantur ejus voluntati, ut scribit Apostolus 2. ad Ti. 2. *Deus det illis pœnitentiam, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem*, dicuntur igitur homines captivi teneri à diabolo, & esse sub ejus potestate, ac vinculis servitutis obstringi, quatenus peccantes fuerunt obsecuti voluntati diaboli, & perseverantes in peccato eidem obediunt, perinde ac famuli suo Hero. Hinc effectus nostræ redemptionis fuit liberatio ab hac servitute, in qua genus humanum inforduit, cum per peccatum se averterit à DEO Summo bono, & adhæsit bono commutabili, & creaturæ juxta voluntatem diaboli, hinc est, quod genus humanum incurrerit per injuriam Deo irrogatam Dei indignationem; & propterea nos sua benevolentia gratuita, & supernaturali destituit, & æternæ damnationi addixit juxta merita peccatorum. Rursus etiam statuit nobis restituere dona gratiæ, si ad compensandam injuriam ipsi illatam solveretur pretium, seu daretur debita satisfactio, alioquin nunquam potuisset humanum genus DEO reconciliari. Sic etiam DEUS quantum in ipso est, voluit hominibus reconciliari & illis suppeditare præsidia, quibus indigent, ut in ejus gratiam redeant, & pœnam peccatis debitam declinent, aditumque habeant, si voluerint resipiscere ad cœlestem gloriam. Quòd si resipuerint, eos in gratiam suam recipit, à reatu etiam pœnæ solvit, & jus ad cœlestem hæreditatem impertitur, unde Christus, & nos redemit à peccatis, & liberavit à miseria servitutis diaboli, tametsi nihil ex parte sua expenderint homines, hoc enim solo quod Christus semel passus est, debita satisfactio data est Deo Patri, unde Apostolus ad Coloss. 2. ait: *Sustulisse de medio chyrographum decreti contrarium nobis, & affixisse illud cruci*: seu flexisse à severitate, quam peccata nostra merebantur ad misericordiam æternum Patrem, ut quantum in ipso est, vellet hominibus propter Christum reconciliari, ut pristinæ restitutionis gratiæ, & à reatu æternæ pœnæ solvantur, simulque acciperent jus ad æternam beatitudinem, quod beneficio Christi Redemptoris nobis obvenit; voluit tamen Christus, ut præter suam passionem quibusdam uterentur homines mediis quibus DEO Patri reconciliarentur: quæ media fuerunt, fides, baptismus, pœnitentia, obedientia Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, & Luc. 24. *Ut prædicaretur in nomine ejus pœnitentia & remissio peccatorum.* Rursus nos etiam hortatur ad usum horum mediorum, ut ait Apostolus 2. Corinth. 7. *Pro Christo legatione fungimur tanquam DEO exhortante per nos, reconciliamini DEO, ut emundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus perficientes sanctificationem in timorem Dei*: quia nostræ operationes adjuvante ipso Deo necessariæ sunt, & valent, ut DEO reconciliemur, ut innuit Joannes in sua Apocal. 1. ubi in uno loco dicit de Christo: *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, quatenus Christus ob amorem in homines voluit homo fieri, & sanguinem suum fundere, simulque abstergere peccata nostra, & nos à maculis peccatorum emundare, ut grati DEO Patri essemus: & in alio loco agens de illis, quibus immensum hoc redemptionis beneficium integrè ac absolutè profuit, ait Apocal. 7. *Hi sunt, qui venerunt ex tribulatione magna, & laverunt stollas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni. Ideo sunt ante thronum DEI.* Unde quamvis Christus sanguine suo laverit nos, ac mundaverit à maculis peccatorum, nobisque absolutam remissionem peccatorum obtinuerit, vult tamen, ut & nos in eodem sanguine lavemus, quapropter ait Isaias 1. *Mundamini & mundi estote*, adeò ut præter passionem Christi ad assecutionem salutis nostræ etiam requirantur operationes, unde Augustinus lib. contra articulos sibi falsò impositos in respons. ad 1. art. ait: *Cùm per unam omnium naturam, & omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam redempti omnes rectè dicantur: non tamen omnes à captivitate sint eruti: redemptionis proprietas haud dubium penes illos est, de quibus prin-*

princeps hujus mundi missus est foras, & jam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Hinc Apostolus ad Timoth. 2. v. 5. ait: *Unus enim DEUS unus & mediator DEI, & hominum homo Christus JESUS, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ubi Apostolus asserit speciali quadam ratione homines fuisse à Christo redemptos: unde Bernardus intellexit illud Psal. 106. *Dicant, qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici*, hoc etiam docuit D. Thomas 3. *part. sum. quæst.* 49. *art.* 1. *ad* 3. ubi ait: *Christum sua passione non à peccato liberâsse causaliter: quia scilicet præsidia necessaria salutis hominibus comparavit, ut quod in DEO quidem est, omnes qui eo beneficio uti velint, à quibuscunque peccatis, quæ unquam faciant liberari queant. Ut si quis medicus faceret ejusmodi medicinam per quam possint omnes morbi sanari.* Ex hac doctrina Angelici Doctoris inferunt Theologi Christi passionem operatam esse omnium peccatorum remissionem quoad sufficientiam, non verò quoad applicationem, & efficaciam, quo dicendi modo non redarguunt quasi Christi passio efficax non fuerit ad redimendos efficacissimè homines à suis peccatis, sed tantùm explicant, quomodo Christus voluerit ut valor suæ passionis nobis applicaretur, scilicet per illa media, quæ ipse instituit, ejusmodi sunt baptismus, sacramentum pœnitentiæ, charitas, unde Christi passio est efficacissima ad homines liberandos ab omni peccato; eosque redimendos à servitute Dæmonis, sed ut passio Christi applicetur hominibus exigit, ut si sint Ethnici baptizentur, si sint baptizati, & peccato lethali infecti per sacramentum pœnitentiæ vel per actum contritionis, seu charitatis cum sacramento pœnitentiæ in voto ipsis applicetur valor passionis Christi ac à suis absolvantur peccatis, & à Dæmonis liberentur famulitio, unde Augustinus lib. adversus articulos sibi falso impositos in respons. ad. 1. art. ait: *Poculum immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra* (seu de natura humana assumpta à Deo Filio) *& virtute divina habet in se ut omnibus prosit, sed si non bibitur non proficit*, si Medicus quispiam in sua arte excellentissimus pharmacum componeret ad morbos omnes curandos ac infirmitates singulas sanandas, utique includeret in se hanc virtutem contra ægritudines omnes, non tamen quamvis pharmacum esset efficacissimum infirmis prodesset, nisi ab iisdem applicaretur, ac sumeretur, nisi enim pharmacum applicetur, & sumatur ab infirmo, non potest eidem suam communicate virtutem neque sanitatis effectum producere, perinde Christus veluti panaceam universalem posuit suam passionem suumque sanguinem in cruce effusum, & est pharmacum nobilissimum curandis omnium peccatorum infirmitatibus aptissimum, & efficacissimum, adeo ut nil in ipso notetur defectus, nil possit ulteriùs desiderari; sed ita Christus quæ passionis & sanguinis pharmacum præparavit, ut non prodesset, nisi homines illud sibi applicarent per susceptionem sacramentorum, ac bonorum operum. Unde quamvis redemptio facta fuerit pro omnibus non tamen ejus valor in omnes derivatur, sed tantùm in eos qui sibi applicant hoc pharmacum efficacissimum ad expellendas omnes ægritudines, hinc intelligimus quis propriè sit effectus redemptionis factæ per Christum, & quomodo talis effectus beneficio Christi in nos derivetur: eatenus absoluta, & perfecta efficacissima redemptione per Christum adhuc non omnes liberantur à peccato, quia scilicet non usurpant requisita media sine quibus noluit Christus remissionem peccatorum impertiri, hinc apparet quam absurda, & inepta sit illa argumentandi forma, qua utuntur Hæretici contra Catholicos; cum enim isti asserant ad salutem esse necessaria media adhibenda per sacramenta & bona opera, inferunt hæretici exinde sequi passionem Christi non fuisse sufficientem ex se ad nostram salutem, vel homines etiam concurrere ad propriam redemptionem, cum præter Christi passionem requiratur etiam, ut ipsi bene operentur, suscipiant sacramenta, & resipiscant, quod perinde est, ac concurrere ad ipsam redemptionem, vel remissionem peccatorum, quia sine adhibitione horum mediorum Christi passio nobis non prodest. Verùm Hæretici non propugnant infinitum valorem sanguinis Christi, & merita infinita, & efficacissima passionis Christi, sed potiùs ignorant, quænam fuerit Christi passionis efficacia, & virtus, nescientes etiam modum, quo Christus homines redemerit. Etenim non ne Apostolus expressè 2. Corinth. 7. monet: *Ut perficiamus ipsi sanctificationem nostram*, & tamen non negat munus redemptoris à solo Christo expletum fuisse, nec nos hortatur ad hanc redemptionem efficiendam, ut auxiliarem operam Christo veluti deficienti præstaremus. Fuit igitur Christi passio infiniti valoris, & redemptio à Christo facta efficacissima, ac infiniti pretii, sed ut nobis prodesset voluit, ut eandem passionem, & redemptionem nobis applicaremus, per exercitia virtutum per efficientiam bonorum operum, per legitimam sumptionem sacramentorum & hoc est, quod monet Apostolus, *ut perficiamus ipsi sanctificationem nostram.* Rursus Apocal. 7. Vult Joannes, ut postquam lavit nos in sanguine suo Christus, in eodem sanguine lavemus ipsi nos, hoc est, licèt Christus fuerit passus pro nobis pretium sui sanguinis fuderit, & solverit pro nostra redemptione, & laverit nos in sanguine suo debemus & nos in eodem sanguine lavare, quod est idem ac per susceptionem sacramentorum, & exercitia bonorum operum applicare nobis Christi passionem, & nos lavare in suo sanguine. Neque Hæretici possunt D. Paulo, neque Joanni objicere ipsos mancam fecisse, ac deficientem Christi passionem, eò quia moneant, ut perficiamus ipsi sanctificationem, ut lavemus nos in eo sanguine, quia hæc sunt media quibus Christi passio infinita, & efficacissima nobis applicatur. tum quia scripturæ asserunt posse nos peracta redemptione per solum Christum adhuc adjuvante DEO aliquid efficere quod conferat ad obtinendam salutem quoad applicationem passionis Christi, & executionem dependentem ex usu mediorum, non igitur Christi passio ad effectum redemptionis proprium insufficiens fuit, nec nos nostris cooperationibus Christum juvamus in obeundo officio proprio redemptoris, sed tantùm sufficientissimam ejus passionem nobis applicamus per eadem media, quæ ipse Christus instituit, voluitque ut nos adhiberemus, qua ratione Christus propriè functus est, & quidem solus officio redemptoris, quia per pretium sui sanguinis plenè satisfecit justitiæ æternæ Patris, quem etiam obligavit, ut quantum in ipso est facta sponsione vellet hominibus reconciliari, ac conferre salutem, & etiam id facere quoties ipsi homines uterentur mediis; quæ propter ipsorum utilitatem majorem quasi ex conventione facta intra Christum, & æternum Patrem ad eum effectum valerent: hanc autem obligationem sine adminiculo alicujus nostræ coopera-

cionis

tionis aut usus mediorum Christus noluit ab hominibus assumi, quia Christus per semetipsum solus pretium solvit pro omnibus, quia ut ait Isa. 63. *Torcular calcavit ipse solus.* Quòd si solus operatus est opus nostræ redemptionis; si solus in torculari suæ passionis sanguinem fudit; nostra bona opera ipsum non juvarunt, DEUS tamen propter suam bonitatem, ac nostrorum operum, ut procedunt à gratia per Christum parta, nobis confert effectum meriti, & sanctificationis nostræ, sed quatenus nostra opera substant ut ita dicam divinæ promissioni, quam promissionem non fuimus nos promeriti nostris satisfactoriis operibus; sed solus Christus virtute suorum meritorum à Deo Patre impetravit. Unde cum primum officium Redemptoris non intelligamus obivisse Christum; nisi quatenus hanc etiam nobis promissionem meruerit, satis clarè liquet nos minimè Christum adjuvare in opere nostræ redemptionis.

Quod si dicas, initium nostræ redemptionis fuisse Dei bonitatem quâ voluit per Christum hominem redimere; proinde Christum sua passione primum nobis non obtinuisse, ut Deus vellet hominibus reconciliari ac salutem ipsis conferre; antecedens constat ex illo Joan. 3. *Sic DEUS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Præterea quia DEUS sponte sua mittere voluit, ut dicitur Psal. 110. *Populo suo redemptionem.* Sed respondetur, DEUM per se, & sua sponte veluti primordiali quadam voluntate, & consilio suo primo voluisse reconciliari hominibus eo ipso, quòd ex mera misericordia erga homines commotus voluit iisdem providere, & impertiri remedium reconciliationis, & salutis; sed hac voluntate primordiali præcisè, & formaliter considerata nondum voluit immediate, & proximè hominibus quantum in ipso est reconciliari: sed hanc proximam voluntatem habuit insigno posteriori, quatenus intuens in merita, & passionem Christi hominibus voluit proximè reconciliari: idque explicat D. Chrysostomus, qui expendens verba Apostoli ad Ephes. 1. *Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo* ait Chrysostomus homil. 1. in epist. ad Ephes. 1. *Quàm diligenter loquatur, principium quidem, propositum, consilium primum motum ab ipso patre esse: plenitudinem verò, quae operum est, per Christum fieri demonstrat.* subindicat duas in Deo voluntates quibus vult hominibus reconciliari; quarum prima est illa veluti primordialis, quam intelligimus antecessisse Christi passionem & merita, quatenus statuit tantùm mittere filium suum ex motivo suæ bonitatis. Secunda voluntas est veluti proxima quæ ex passione, & meritis filii sui voluit de facto nobis reconciliari, ac impertiri dona suæ gratiæ; neque hæ duæ voluntates diversos important actus, sed sunt unus ac idem simplicissimus actus, quem dividimur veluti in duas voluntates, ut explicemus quomodo, & propter quid unumquodque voluerit ab æterno.

Porro Christi operationes tanti fuerunt valoris, ut earum quælibet sufficientissima fuerit ad redimendum humanum genus ex abundanti, quia quælibet operatio fuit infiniti valoris ob infinitam dignitatem personæ dignificantis easdem operationes; nude Christus fuit officio redemptoris functus omnibus operationibus, quas per totam vitæ tempus exercuit liberè à primo instanti incarnationis usque ad mortem in cruce; verùm licèt per quamlibet suam operationem potuisset mundum hunc & alios mille, & ultra redimere; voluit tamen nostram absolvere redemptionem nisi omnibus simul, & præsertim oblatione sui orta ex perfectissima charitate, ac obedientia ad mortem in cruce subeundam; ut sua morte nobis vitam obtineret æternam; hæcque voluntas non solùm Christi patientis, ac nos redimentis fuit; verum etiam æterni Patri ut non nisi in cruce solutio pretii nostræ redemptionis perficeretur. Quòd Christus functus fuerit officio Redemptoris toto vitæ tempore ex eo evincitur, quia ingrediens mundum ut scribit Apostolus ad Hebr. 5. 10. usurpaverit orationem illam Psal. 36. *Oblationem, & hostiam noluisti, holocaustomata, & pro peccato non placuerunt* tibi, *corpus etiam aptasti mihi. Tunc dixi: Ecce venio: & in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam:* ex quibus constat, à primo in mundum ingressu cœpisse Christum opus nostræ redemptionis exequi, ad quod sacrificia veteris legis non sufficiebant, & quia voluntati Patris volebat perfectissimè obtemperare usque ad mortem appetendam in ara crucis, totum nostræ redemptionis pretium fusione sui sanguinis solvit. Unde Christus per singulas, quas exercuit, operationes functus est munere redemptoris, quia quælibet operatio fuisset sufficiens pretium solvendum pro nostra redemptione. Hinc Isaias 53. *Pro eo quod laboravit anima ejus videbit & saturabitur:* sed laboravit per totam vitam ab initio infantiæ usque ad mortem, consequenter toto vitæ cursu per singulas operationes functus fuit munere Redemptoris; maximè quia singulæ Christi operationes æterno Patri gratissimæ fuerunt, & per iisdem fuit hominibus placatus, ac reconciliatus: & Christus in singulis suis operationibus gloriam spectavit æterni Patris, & simul negotium nostræ redemptionis, ob quod voluit nostram assumere humanitatem ut solutio pretii fieret ex toto rigore justitiæ: huc pertinet illud Isaiæ 40. *Ecce Dominus veniet, & merces ejus cum illo, & opus ejus coram illo* quatenus ingrediens mundum nil ipsi magis cordi fuerit, quàm humanum genus redimere, & à servitute peccati, & dæmonis vendicare: quapropter dixit Christus Joan. 17. *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut facerem*, quòd si opus nostræ redemptionis consummavit jam illud antea inchoaverat, & quidem à primo instanti, quo nostram induit humanitatem tametsi illud plenè non consummaverit nisi per obitum in cruce mortem, tunc enim opus redemptionis nostræ consummatum fuit, cum ipse inclinato capite emisit Spiritum, ut liquet ex scripturis Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccatis animam suam videbit semen longævum.* Joan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet*, & Apostolus scribens ad Colos. ait: *Per mortem Christum delevisse Chyrographum, quod erat contrarium nobis, & affixisse cruci*, quia in cruce solutum fuit pretium plene, & totaliter nostræ redemptionis, quamvis per præcedentes operationes Christi fuerit sufficientissimè etiam solutum, unde dicitur per mortem crucis delevisse Chyrographum, seu satisfecisse pro nostro debito æterno Patri, non quia præcedentes Christi operationes non fuerint infiniti valoris, & sufficientissimæ ad nostrum debitum extinguendum, sed quia ipse ex charitate, & amore in genus humanum voluit per effusum suum sanguinem in cruce delere nostrum debitum, & sua morte vitam nobis obtinere æternam, adeo ut mors illius & sanguis effusus fuerint objecta illius charitatis, & obedien-

tiæ, qua voluit sanguinem fundere, quo nostra delerentur peccata, & extinguerentur debita, & mori, ut nobis vitam impertiret, adeo ut morte quoque ipse nos redemerit veluti per quandam operationem ut docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 50. *art.* 6. & propterea David vocat nostram redemptionem copiosam Psalm. 129. *Copiosa apud Deum redemptio*, quatenus non solum quævis qualibet Christi operatio fuerit copiosa apud DEUM redemptio, verum etiam, quia morte ipsa Christi pretiosissima fuit, & totaliter completa; neque ex ulla necessitate fuit Christus adactus ad mortem subeundam, sed omnino liberè, & quia voluit liberè carnem assumere operationes elicere, quæ pretium essent nostræ redemptionis, & tandem liberè mori, ut habetur Isaiæ 53. *Oblatus est, quoniam ipse voluit*; & in Evangel. Joan. 10. ait Christus: *Animam meam pono pro ovibus meis*, & paulò infrà *propterea Pater diligit me quia pono animam meam*: & rursus *potestatem habeo ponendi animam meam*. hoc est facta mihi est facultas liberè ponendi animam meam, seu mortem subeundi. hæc enim libertas desiderabatur ad rationem meriti exigentis opus liberum.

Quomodo verò Christus potuerit per charitatem, & per obedientiam qua se obtulit ad mortem genus humanum redimere, ut etiam per obedientiam, qua se obtulit ad subeundam mortem videtur difficile captu, quia cum Christus esset beatus non liberè sed necessariò diligebat æternum Patrem, cujus essentiam summa claritate intuebatur adeo ut non potuerit æternum Patrem odisse, neque ullo momento non diligere. Rursus quia impossibile fuit Christo peccare; non potuit præcepto moriendi, quod à Patre acceperat, non obtemperare, ex quo videtur sequi non liberè, sed necessariò obedivisse. Sed quod ad charitatem attinet respondent aliqui Christum præter illum actum charitatis, qui visionem beatificam necessario consequebatur; alium habuisse charitatis actum liberum qui consequebatur illam cognitionem, quam Christus habuit de DEO per scientiam aliam infusam & distinctam à scientia beata, adeo ut primus actus charitatis ortus fuerit ex visione beatifica necessariò, & secundus actus ex cognitione quam habuit de DEO per scientiam aliam infusam; & hoc secundo actu ut distincto à primo formaliter ratione præviæ cognitionis & aliquo modo libero ajunt Christum elicuisse actum amoris infiniti meriti ac valoris sufficientissimi ad redimendum humanum genus; asserunt hunc actum fuisse aliquo modo liberum, ut posset ab eo aliquando desistere, non quod posset elicere contrarium odium, sed quia potuit aliquando cessare ab actu illo libero amoris, adeo ut hic actus liber fuerit tantùm quoad exercitium non verò quoad specificationem; & hic actus liber amoris Christo ut Viatori, & humani generis redemptori vel maximè congruebat. Quòd si dicas inde secuturum, duo accidentis ejusdem speciei solo numero differentia posse simul eidem inesse subjecto, quod negant Philosophi, & Theologi, respondetur actus illos amoris differre plus quàm numero, siquidem unus respicit DEUM ut clarè visum per scientiam beatam; & alius respicit quidem eundem DEUM; sed ut cognitum per scientiam infusam, & hoc discrimen videtur sufficere; ut duo illi actus differant plus quam numero, quia cùm unus dicat aliquid, quod alius non dicit, sequitur non solo numero differre, sed etiam in aliquo alio superaddito. Respondant alii etiam illum actum amoris provenientem ex visione beata fuisse in Christo aliquo pacto liberum saltem quoad exercitium, non quidem absolutè, quatenus per illum Christus diligebat divinam bonitatem secundùm se; sed simul tanquam objectum aliquod secundarium diligebat etiam genus humanum pro cujus redemptione liberè susceperit passionem, & mortem, qui actus fuit liber, & fuit etiam actus summæ charitatis, & intendebat per talem actum bonum quoddam DEO Patri gratum, & quod illi placeret ob finem, & fructum qui inde erat secuturus, fuit enim hic fructus nostra redemptio: neque in hoc ulla videtur esse difficultas: cùm & nos soleamus uno & eodem actu ferri in varia objecta subordinata diversis modis, quo pacto voluntas fertur in finem propter se, & in media non propter se, sed quatenus conducunt ad assecutionem finis, & utraque responsio probabilis est ac potest sustineri. Quod verò ad Christi obedientiam pertinet, diversimodè solent Theologi respondere, alii enim dicunt Christum non fuisse quidem liberum ad mortem oppetendam, eò quia si ipsam recusasset fuisset præceptum Patris transgressus, quod non potuit transgredi, cum peccatum fuerit Christo impossibile, Unde asserunt Christum non fuisse liberum postquam mori jussus est: absolute tamen, & simpliciter fuisse liberum ac potuisse mortem recusare, quatenus si voluisset non fuisset a Patre jussus mori. Alii respondent Christum liberè fuisse mortuum quoad exercitium quatenus liberum ei erat mortem oppetere hoc vel illo tempore, vel hoc, aut illo actu, vel in his aut aliis circumstantiis: hinc inferunt posse intelligi, quomodo Christus per obedientiam liberè nos redemerit, quia illi actus, vel circumstantiæ circa subeundam mortem fuerunt liberè eliciti; quia Christo fuit tantùm præceptum injunctum de morte subeunda pro humano genere redimendo, non vero in his vel illis circumstantiis, & hoc vel alio actu, vel tempore, & quia id fuit in libertate Christi seligere unum potius quàm aliud tempus unam circumstantiam non aliam ajunt liberè fuisse mortuum.

CAPUT VIII.

Quibus operationibus Christus nos redemerit; & an opera justorum sint bona & necessaria ad assecutionem æterni salutis, & an lex divina sit servatu impossibilis.

QUod ad titulum, & operationes, quibus Christus nos redemit, certum est duplici titulo iisdem operationibus Christum nos redemisse, scilicet titulo satisfactionis, & meriti, ut docet D. Thomas, & propter meritum, & satisfactionem Christi Deum Patrem fuisse reconciliatum humano generi, & ex aliqua obligatione justitiæ deposuisse indignationem, quam justissimè conceperat contra humanum genus ob transgressionem præcepti in Protoparente: Hinc Christus propriè nos redemit, quia satisfecit per sua merita pro nostris delictis, ut declaratum fuit in Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 7. ubi habetur: *Causa meritoria justificationis est Dominus noster Jesus Christus, qui cùm essemus inimici propter nimiam charitatem, qua dilexit nos sua sanctissima Passione in ligno Crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit*, ex quibus postremis verbis intelligimus fuisse in Christi operibus utramque rationem satisfactionis, & meriti, siquidem satisfecit pro injuriis Deo irrogatis, quatenus ob dignitatem suarum operationum obtinuit, ut Deus qui jure infensus erat humano generi eidem placaretur, ac reconciliaretur. Rursus per easdem operationes etiam meruit, ut Deus Pater acciperet satisfactionem pro humano genere cui conferret dona gratiæ, quibus æternam posset salutem consequi.

Quòd si dicas inde sequi nostras operationes non esse necessarias ad assecutionem salutis, eò quia Christus jam nobis promeruerit vitam æternam, & plenè satisfecerit Deo Patri. Respondetur nostras operationes etiam requiri, ut æternam possimus salutem consequi, quia tametsi Christus nobis promeruerit vitam æternam per merita suæ Passionis, & mortis, & eam non consequamur nisi per Christi merita; ut tamen hæc nobis applicentur, requiruntur bona nostra opera, quæ propterea necessaria sunt ad salutem consequendam, cùm merita Christi nobis non applicentur, nisi ratione bonorum operum, quæ à nobis fiunt. Neque opera justorum sunt damnatione vitiata, & inquinata, & peccata mortalia, ut falsò asseruit Calvinus *lib. 3. Instit. cap. 12. §. 4.* ubi ait: *Omnia hominum opera nihil esse nisi inquinamenta, & sordes, & quæ justitia vulgò habetur ea apud Deum meram esse iniquitatem*, putavit enim peccatum originale manere in hominibus justis, & ejus contagione infici omnia eorum opera, & peccatum illud semper manere, ut docet *lib. 3. Instit. cap. 1. §. 9.* ubi ait: *Hinc tantùm breviter attingere volui totum hominem quasi diluvio à capite ad pedes fuisse obrutum, ut nulla pars à peccato sit immunis, & proinde quidquid ab eo procedit in peccatum imputari.* Et in Antidoto Concilii Tridentini *Sess. 6. cap. 16.* ait: *Vitiositas quæ nobis inhæret deformat coram Deo quidquid è nobis operum prodit*: & asserit id adeo verum esse, ut etiam justorum opera quæ fiunt ex gratia & instinctu Spiritus Sancti dicat vitiari, & inquinari, siquidem in Antidoto Concilii Tridentini *Sess. 6. cap. 14.* ait; *Speciosum quidem est quod obtendunt fluere omnia à Spiritu Christi. Sed ubi absoluta Spiritus S. virtus reperietur? annon ad mensuram unicuique distribuitur. Debebant ergo observare semper aliquid nostræ fæcis admixtum, quod puritatem illam inficiat*, & *lib. 3. Instit. cap. 15. §. 5.* *Tantùm hoc hominis assignamus, quod ea ipsa, quæ bona erant sua impuritate polluit, contaminat*, ex quibus infert legem Dei esse impossibilem, ut & mandata Dei servatu impossibilia etiam à justis, quorum omnia opera sunt immunda, & coinquinata, hinc ait: Nec Prophetas, nec Patriarchas nec ullum alium mortalium unquam fuisse qui legem observaverit, & in Antidoto Concilii Tridentini *Sess. 6. cap. 12.* *Mihi abundè sufficit neminem extitisse unquam, qui legi Dei satisfecerit, nec ullum posse inveniri.* Præ cæteris asserit duo esse mandata impossibilia alterum de diligendo Deo è toto corde, & alterum de non concupiscendo; de utroque *lib. 2. Instit. cap. 7. §. 5.* ait: *Si ab ultima memoria repetamus, neminem Sanctorum extitisse dico, qui corpore mortis circumdatus ad eum dilectionis scopum pertigerit, ut ex toto corde, & tota mente, ex tota anima, & ex tota potentia DEUM amaret: neminem rursum, qui non concupiscentia laboraverit.*

Contra est, quia non omnia opera justorum peccata sunt, ut perperam asseruit Calvinus, siquidem est certum de fide beneficio Baptismi, & justificationis tolli omnia peccata, & infundi gratiam, ac justitiam inhærentem, facientem hominem Deo gratum, & amicum atque ab omni contagione peccati liberum, ac mundum: hinc sicut ab homine immundo, & coinquinato peccato lethali procedunt opera injusta, & coinquinata, perinde ab homine justo, & mundo & internis gratiæ donis ornato procedunt opera justa, munda, & Deo grata, quia ut ait Christus Matth. 7. v. 18. *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*, onde sicut coinquinati peccato lethali veluti malæ arbores fructus bonos non parturiunt: ita homines justi, & probi nulla coinquinati lethali noxa veluti arbores bonæ malos fructus non faciunt, sed bonos, qui Deo placent, suntque eidem grati. Tum quia Christus *Joan. 15. v. 5.* ait: *Ego sum vitis, & vos palmites, qui manet in me & ego in eo hic fert fructum multum.* Quòd si omnis palmes, qui est in fœcunda vite potest fructum bonum facere, certè Apostoli, & Christi Discipuli erant palmites in Christo veluti in fœcunda vite: consequenter Apostuli poterant fructus bonos facere, consequenter falsum est omnia justorum opera esse inquinamenta & peccata lethalia: siquidem ut palmes ferat fructum plura requiruntur, scilicet ut sit in vite, ut succum, & humorem ab ea trahat, ut sufficienti solari luce foveatur, ut nullum sit impedimentum, quo lædi, aut impediri possit, cujusmodi sunt frigus, gelu, vermis corrodens, & alia id genus: hæc autem omnia locum habent in homine justo, est enim in Christo perinde ac palmes in vite Joan. 15. v. 5. *Ego sum vitis vos palmites manete in me, & ego in vobis.* Rursus vir justus à Christo trahit succum & humorem divinæ gratiæ Joan. 4. v. 14. *Aquam, quam ego dabo ei fiet in eo*

fons

fons aquæ salientis in vitam æternam. Præterea non deest illi beneficus calor, quo intus foveatur spiritu, ut fructus maturiant bonorum operum, seu multiplicentur, ac perficiantur Luc. 12. v. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur,* & cap. 24. v. 32. *Nonne cor nostrum erat ardens in nobis.* Demum nec ullum adest impedimentum, quo homo justus coërceatur à fructu boni operis exercendo cum Apostolus ad Rom. 8. v. 1. dicat: *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ambulant.* Et ad Roman. 8. v. 38. *Certus sum quia neque mors neque vita, neque Angeli neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura ulla poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Jesu Domino nostro,* unde nullum adest impedimentum internum, & externum, quo vir justus impediatur à bonis operibus exercendis. Præterea si vir pietatis studio addictus audiat verba Christi *date eleemosynam*, statim cognoscit honestum, ac præclarum esse pauperibus, & indigentibus opitulari: & quia adest etiam divina motio, qua cor ejus tangitur, & exstimulatur ad elargiendam eleemosynam ipse statim consentit, & imperat executionem: mox positis consensu, & imperio nil impedit, quin si divitiis affluat possit pauperi statim eleemosynam elargiri, hoc opus est elicitum ab homine justo, & quid mali potest contrahere, si honestum sit pauperibus opitulari; a quonam trahat inquinamentum hoc opus, certè non ab intellectu, qui fide collustratus judicat, quod honestum est, & laudabile. Nec à voluntate, quæ à Deo mota, & corroborata vult, & imperat executionem consilii Christi, neque à manibus largientibus eleemosynam, quia hæ obtemperant voluntatis imperio honestissimo. Neque ab intentione potest hoc opus depravari, quia Deus est, qui voluntatem hominis justi movet, ut ex vera dilectione elargiatur pauperi eleemosynam, & huic motioni acquiescere non est mala, sed bona intentio: unde contra Calvinum potest argumentum fieri: quoties homo justus aliquod opus exercet, quod à Deo præcipitur & laudatur, & in eo faciendo habet bonam intentionem, tunc totum opus est honestum bonum & laudabile; hoc autem fit, quando ex amore Dei & impulsu divino pauperi opitulatur, ergo tunc opus, quod exercet bonum est, & honestum, præsertim cùm fiat ex justa, pia, & honesta intentione, quia *si oculus tuus fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit*, hoc est si intentio bona fuerit, totum opus tuum erit bonum. Hinc Christus reprehendit Judæos, eò quia orarent, jejunarent, eleemosynas darent non bona, sed prava intentione ad captandam inanem gloriam ex bonis operibus, ergo quando intentio est recta, & ex impulsu Dei opus est honestum; & quando intentio est mala, opus est itidem malum; & hæc causa fuit, cur Christus Apostolos fuerit hortatus, & alios Discipulos, ac viros justos ut bona non mala intentione opera sua perficiant, & in iisdem se exerceant, ut grata sint coram Deo. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab iis.* Et infra: *Te autem faciente eleemosynam nesciat manus sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito; & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.*

Præterea non solùm ex contrario fundamento sententia Calvini refellitur; sed etiam ex Sacris Scripturis clarè rejicitur: ait Christus Matth. 5. 17. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Non possent autem Apostoli, & alii viri justi quos Christus alloquebatur opera bona exercere, si omnia justorum opera, ut ait Calvinus, reprehensibilia, iniqua, & damnabilia essent. Non possent glorificare Patrem cœlestem, si omnia essent inquinamenta peccata lethalia; quia hisce injuria irrogatur Deo, non obsequium præstatur. Si Apostolus 1. Corinth. 7. v. 28. scripsit: *Si acceperis uxorem non peccasti,* quomodo Calvinistæ asserunt omnia opera justorum esse peccata lethalia, quomodo uxorem ducere est peccatum lethale in eorum sententia, si Apostolus expressè affirmat non esse peccatum; an Apostolus mentitus fuit, & Calvinus veritatem est fassus? Sed si ducentes uxorem lethaliter peccant, an non Sacrilegi sunt Calvinistarum præcones cùm uxores ducant? filios procreent? si non peccant: ergo falsò asseruit Calvinus omnia opera justorum esse peccata lethalia, & damnabilia. Rursus nonne Christus Matth. 26. v. 10. loquens de Maria Magdalena ait: *Quid molesti estis huic mulieri; opus enim bonum operata est in me,* si ex Christi testificatione Magdalena bonum fuit opus operata, quomodo Calvinus audet hoc opus bonum damnare, & asserere fuisse peccatum lethale? an peccavit, quia Judas de unguento effuso super Caput Christi à Magdalena dixit: *Ad quid perditio hæc*: ergo Calvinistæ adhæsuri sententiæ Judæ proditoris, Christum redarguunt mendacii, cùm dixit: *Bonum opus operata est in me.* Præterea nonne S. Petrus nos monet, ut per bonorum operum exercitia satagamus nostram operari salutem 2. Petri 1. v. 10. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis; hoc enim facientes non peccabitis aliquando,* asserit Apostolorum Princeps illos non peccare, nec peccaturos, qui per bona opera satagunt certam facere propriam vocationem; quomodo ergo asserit Calvinus omnia opera justorum esse damnabilia, & pecata lethalia? Rursus Apostolus Paulus 1. Corinth. 4. testatur, nescire se coinquinatum esse ulla lethali noxa: *Nihil mihi conscius sum,* & tamen plura Doctor gentium operabatur in propagatione Evangelii in procuranda hominum æterna salute, quæ opera si peccata fuissent dixisset, mihi malè conscius sum, quia cognovisset, omnia sua opera esse damnabilia, & inquinamenta conscientiæ. Præterea idem Apostolus ad Titum 2. v. 14. ait: *Christus dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, Sectatorem bonorum operum. Hæc loquere, & exhortare.* Si Christus sui Sanguinis fusione nos emundavit, nostrasque lavit conscientias; nihil in nobis superest inquinamenti; nisi nos ipsos post Baptismum iterum inquinemus per transgressionem præceptorum; & quia viri justi exercitiis addicti virtutum non transgrediuntur præcepta eorum opera mala non sunt, sed bona, non condemnabilia, sed laudabilia. Deinde Sacra Scriptura expressè testatur Jobum fuisse virum justum absque peccato, Job. 1. 22. *In omnibus his non peccavit Job labiis suis.* Et cap. 2. v. 3. *Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit illi similis in terra, vir simplex, & rectus, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam.* Si Job non peccavit labiis suis sequitur manifestè non omnia Jobi opera fuisse peccata; Si recessit à malo, & retinuit innocentiam non peccavit, quomodo igitur omnia opera justorum sunt peccata si David Psal. 16. 3. Deum alloquens ait: *Probasti cor meum, & visitasti nocte, & non est inventa in me iniquitas.* Si Deus scrutator cordium examinavit cor Davidis, & nullam in illo invenit iniquitatem: ergo non omnia opera Davidis fuerunt peccata; unde ipse

fatetur

fuerunt non fuisse perversè semper operatum. Psal. 17. 22. *Custodivi vias Domini nec impiè gessi à Deo meo.* Si custodivit Dei præcepta, & impiè non gessit, sequitur evidenter non semper peccasse, nec ejus omnia opera fuisse animæ inquinamenta. Quòd si Job non peccavit labiis suis; si recessit à malo, quomodo Calvinistæ asserunt omnia opera viri justi esse peccata lethalia? Si Deus iniquitatem non invenit in corde David, quomodo omnia ejus opera fuerunt inquinamenta? Præterea si omnia opera justorum sunt inquinamenta, & peccata lethalia; & Calvinistæ docent, homines per actum fidei justificari, & emundari à suis inquinamentis; sequitur homines se peccato coinquinantes purgari ab iniquitatibus, & tunc justificari cùm peccant, quò nil absurdius: etenim actus ille fidei quo homo in sententia Calvini justificatur, & mundatur à suis inquinamentis est opus aliquod hominis; sed omnia opera hominum sunt peccata lethalia, animæ inquinamenta in sententia Calvinistarum: ergo cùm peccant exercentes opus fidei justificantur; cùm se peccatis coinquinant mundantur; & solum peccatum justificat. Rursus cùm omnia opera justorum sint peccata lethalia sequeretur, viros justos non debere actus fidei, nec amoris in Deum elicere, quia hæc opera utpote peccata lethalia essent prohibita; & viri justi ne peccarent, deberent abstinere ab hisce actibus amoris, quò nil absurdius. Deinde cùm Deus præcipiat ut Deum ex toto corde diligamus, & proximum sicut nos ipsos; sequeretur quòd Deus præciperet peccata, & vellet nos peccare; essetque propterea causa peccati.

Neque ullius sunt momenti quæ ex Sacris Scripturis solent Calvinistæ objicere. Fundamentum suæ sententiæ eruunt ex illo Ecclesiastæ 7. v. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet:* Quòd si homo justus in terra non facit bonum, & peccet, omnia opera justorum sunt peccata, & inquinamenta animæ. Contra est quia verba Ecclesiastæ intelliguntur; quod non sit vir justus, qui tametsi faciat opera bona, tamen aliquando non peccet venialiter, quia cum peccato veniali cohæret justitia, in quo sensu dicitur Prov. 24. *Justus septies in die cadit:* Non enim sensus est quòd nullus sit justus qui faciat bonum, ac propterea semper peccet; hic enim sensus falsus est; quia si homo justus nunquam bene ageret, & semper peccaret, quomodo esset justus? etenim justè & malè agere non cohærent simul. Præterea si intelligantur verba Ecclesiastæ quòd justus peccet lethaliter id omnino falsum est & contra Scripturas 1. Joan. 9. *Omnis qui natus ex Deo est peccatum non facit.* Si intelligantur de peccatis venialibus id verum est; quia justi aliquando venialiter peccant, sed statim corriguntur Prov. 24. 16. *Septies in die cadet justus, & resurget.* Neque majoris ponderis est aliud quod objiciunt ex Isais 46. v. 6. *Et facti sumus, ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostra.* Quia hic textus non intelligitur de hominibus justis; de quibus habetur 1. Joan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit;* qui verò nascuntur ex Deo sunt viri justi; unde textus Isaiæ intelligitur de hominibus impiis, virisque nequam, quales tunc fuerunt Judæi de quibus Isaias loquebatur, & non de omnibus Judæis, sed de impiis tantùm, ad quos sua direxerat Isaias verba. Alii respondent, Isaiam fuisse loquutum de omnibus Judæis, non tamen de omnibus eorum operibus, sed solùm de sacrificiis & neomeniis, in quibus Judæi præcipuè voluerunt collocatam esse suam justitiam, juxta illud Isaiæ 1. 13. *Ne offeratis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi,* prohibuerat Judæis Deus sacrificia quia sacrilega, & quæ illi displicerent.

Quod verò præceptum illud Decalogi *Non concupisces* servari possit ab hominibus justis superest ostendendum. Pro quo tria possunt considerari, quorum primum est ipsa concupiscentia, seu pravitas quædam naturæ ad concupiscendum, seu concupiscentia in actu primo. Secundum est motus concupiscentiæ in actu secundo præveniens rationem. Tertium est ipse consensus proveniens à voluntate libera. Calvinistæ docent, hæc omnia esse peccata; concupiscentiam in actu primo asserunt esse peccatum ipsum originale ab Adamo transfusum in totam posteritatem. Motum concupiscentiæ prævenientem advertentiam rationis, & consensum voluntatis volunt esse peccata actualia, mortifera, & contra præceptum *Non concupisces*, docent hoc præcepto non prohiberi non solum consensum, verùm etiam ipsos concupiscentiæ motus prævenientes consensum, ex quibus inferunt præceptum illud *Non concupisces* non posse ab hominibus etiam justis in hac vita servari, eò quia non possint vitare motus concupiscentiæ, qui in hoc præcepto prohibentur, quod falsum est, primò quia concupiscentia in actu primo non est peccatum originale; sed tantùm quædam pronitas naturæ, quæ per se culpabilis non est. Neque motus concupiscentiæ prævenientes rationem, & dicuntur motus primo primi peccata sunt lethalia, nec prohibentur præcepto illo *Non concupisces*, unde solus consensus qui provenit cum advertentia rationis est peccatum, quod prohibetur præcepto illo *Non concupisces*, ac proinde hoc præceptum non est servatu impossibile, sed servari potest à viris justis per gratiam Dei, qui non patitur nos tentari supra id, quod possumus. Matth. 11. v. 8. *Jugum meum suave est, & onus meum leve,* quod si suave procul dubio servatu facile, si leve est onus præceptorum certè non intolerabile, neque impossibile sed ferendum, seu servandum, quia per præceptum illud *Non concupisces* non prohibet Deus motus concupiscentiæ prævenientes rationem, neque ipsam concupiscentiam in actu primo seu pronitatem illam naturæ ad concupiscendum, sed prohibet solum consensum, qui liberè potest non præstari, quia ut habetur Deuter. cap. 30. v. 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi, hodie non supra te est: neque procul positum, sed juxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo ut facias illum.* Quòd enim concupiscentia in actu primo non sit peccatum originale ex eo liquet, quia originale peccatum tollitur per Baptismum, ut est de fide, non ita tollitur concupiscentia, seu pronitas illa naturæ ad concupiscendum, proinde nequit concupiscentia in actu primo esse, nec dici peccatum originale: Hæc enim concupiscentia non solùm comprehendit pronitatem, & inclinationem, quæ appetitui sensitivo inest ac concupiscenti, sed etiam irascenti, & illam pronitatem, quæ est in intellectu, & voluntate, quia hæ quatuor facultates, intellectus, voluntas, & uterque appetitus concupiscens, & irascens suam habent pronitatem ad motus quosdam inordinatos, ac rectæ rationi dissonos, scilicet intellectus ad judicia erronea, & falsa, voluntas ad odium, invidiam, & alios affectus in homine repugnantes rectæ rationi, appetitus sensitivus, & concupiscens suam habet pronitatem ad carnalia terrena desideria, ut etiam appetitus irascens habet suam pronitatem ad vindictam, & ad injurias sibi irrogatas alieno sanguine delendas: hæc pronitas harum facultatum in homine vocari solet concupiscentia in actu primo, quæ peccatum originale non est, cùm per Baptismum non deleatur, sed tantùm est languor quidam naturæ, infirmitas, fons à quo scaturiunt tentationes, & fomes

motes peccati, hinc est, quod Apostolus interdum hanc concupiscentiam rebellantem contra rationem peccatum dicat, & alibi legem vocet membrorum: non quòd ipsa concupiscentia per se peccatum sit, sed quia est effectus, & causa peccati, nō quòd peccatum sequatur necessariò, sed quia viam veluti aperit ad illud, quod à voluntate coerceri potest, ut asserit D. Augustinus *lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap. 23.* Ex quibus liquet ipsam concupiscentiam in actu primo non esse peccatum originale. Quòd nec etiam motus concupiscentiæ prævenientes rationem sint peccata lethalia, nec prohibeantur per illud præceptum *Non concupisces*, ex eo liquet, quia peccatum non est nisi liberè fiat, & motus prævenientes rationem non fiunt liberè, quia excitantur in nobis, sine nobis, seu sine advertentia, & libertate, unde solus consensus in objectum lege prohibitum & rationi dissonum est peccatum mortale, quia consensus oritur à libertate voluntatis, quatenus hæc cùm sit sui juris potest assentiri, vel dissentiri, & coercere voluntatem ne præstet consensum, hinc Ecclesiast. 5. 2. *Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui.* Nos hortatur, ne sequamur concupiscentiam cordis nostri, eò quia cum libertate gaudeamus, possumus illam sequi, vel illam declinare, & coercere, unde Apostolus ad Rom. 6. v. 12. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis vestris*, loquitur enim Apostolus de ipso consensu, adeo ut illud *obediatis* perinde sit, ac non præstetis assensum concupiscentiis ejus. Hoc idem etiam docent SS. Patres præsertim Augustinus *lib. 1. de nuptiis, & concupiscent. cap. 23.* ubi ait: *Ipsa quidem concupiscentia jam non est peccatum in generatis, quando illi ad illicita opera non consentitur.* Et lib. 5. contra Julianum cap. 3. ait: *Aliud est habere mala desideria carnis, & aliud tradi eis consentiendo*, & lib. 10. de Civit. Dei cap. 25. ait: *Quòd si concupiscentialis obedientia absque culpa est in corpore dormientis, quantò magis absque culpa in corpore non consentientis:* ergo motus concupiscentiæ prævenientes rationem, ejusmodi sunt motus primo primi non sunt peccata lethalia nisi accedente libero consensu hominis, hinc clarè liquet per præceptum illud *non concupisces* prohiberi solum consensum liberum, non enim Deus intendit nos obligare ad id, quod non est in nostra potestate, cùm Deuter. 30. v. 11. dicat: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie non supra te est, sed juxta te*, scilicet in libertate nostra ut illud servemus vel transgrediamur, & Christus Luc. 19. v. 21. ait: *Regnum Dei intra vos est, seu in manu & potestate vestra*, ut interpretatur Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem cap. 25.* Sed motus concupiscentiæ prævenientes rationem excitantur in nobis sine nobis, seu sine nostra libertate, & voluntate, quapropter dicuntur motus primo primi, quia præveniunt rationem, & fiunt à nobis, quatenus oriuntur à nostra concupiscentia sed sine nobis quia iisdem liberè non assentimur, ergo Deus per præceptum illud *non concupisces* non prohibet motus prævenientes rationem, sed tantùm consensum. Major est certa, alioquin esset crudelis obligatio obligare ad id præstandum, quod non potest homo præstare, quod in DEUM cadere non potest, cùm scribat Apostolus 1. ad Corinth. 10. v. 13. *Fidelis DEUS, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis:* pateretur autem, imò & nos tentaret supra id, quod possumus, si præceptum illud *non concupisces* esset servatu impossibile; neque posset Deus justè hominem punire ob transgressionem ejusdem præcepti, quia ab homine servari non potuit.

Neque obstat; quod objicit Calvinus de illis duobus Decalogi præceptis: *Non mœchaberis, non furtum facies* prohiberi consensum in concupiscentiam uxoris alterius; & rei alienæ, ex quo infert in hoc alio præcepto *non concupisces* prohiberi motus concupiscentiæ sine consensu, alioquin idem bis prohiberetur. Sed respondetur in illis præceptis *non mœchaberis, non furtum facies* prohiberi adulterium, & furtum externo opere patratum; in illo verò præcepto non concupisces prohiberi peccatum, quod solo consensu perficitur, adeo ut in his tribus præceptis semper prohibeatur peccatum, in duobus primis adulterium, & furtum, quod externo opere committitur, in alio non concupisces peccatum quod solo consensu perficitur. Deus enim his tribus præceptis nos docuit non solùm peccari externo opere, sed etiam interno consensu, ut explicat Christus Matth. 5. v. 22. *Audistis quia dictum est antiquis non occides. Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio.* Et nonnullis interjectis v. 28. subdit: *Audistis quia dictum est antiquis non mœchaberis. Ego autem dico vobis quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam jam mœchatus est in corde suo.* Hinc infertur discrimen inter legem divinam, & humanam, quia humana tantùm versatur circa operationes externas, quæ cadunt sub sensus, & de quibus possunt homines judicare, lex autem divina latius extenditur etiam circa ea, quæ interna sunt, & solo interno consensu perficiuntur, adeo ut lex divina æquè prohibeat actiones externas, ac ipsum internum consensum, qui sub sensus exteriores non cadit, quia solus DEUS penetrat internas hominum cogitationes Apocal. 2. v. 23. *Ego sum scrutans renes, & corda*, unde cùm homines non possint judicare, nisi de externis, lex humana ad illa tantùm extenditur, Deus verò, quia est scrutator cordium, & penetrat, ac perfectè cognoscit internas hominum cogitationes, actus voluntatis, etiam actus internos, & consensum, proinde lex divina ad omnes istos actus potest se extendere. Hinc patet contra Calvinistas præceptum illud *non concupisces* posse in hac vita servari ab homine justo, quia per tale præceptum non prohibentur motus concupiscentiæ prævenientes rationem, & qui ab homine justo vitari non possunt, cùm fiant in nobis sine nobis; sed tantùm prohiberi consensum voluntatis, qui est in nostra potestate, idque convincitur ex illo Sapient. 8. v. 21. *Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det, adii Dominum, & deprecatus sum illum*, ac si diceret, experior excitari in membris meis motus repugnantes legi tuæ, & ob meam infirmitatem non possum iisdem resistere, nec continens esse nisi sua gratia corroboratus fortior fiam, & motus illos possim coercere; nec DEUS nobis deest auxilio suæ gratiæ cùm ut ait Apostolus 1. Corinth. 10. *Non patiatur nos tentari supra id quod possumus*, ait ipse v. 13. *Fidelis Deus qui non patitur vos tentari supra id quod potestis.* Quòd sine nostro consensu motus illi concupiscentiæ non sint peccata lethalia colligitur ex eodem Apostolo 2. Corinth. 12. v. 7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ ut me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me, & dixit mihi sufficit tibi gratia mea:* Ergo auxilio suæ gratiæ nobis non deest DEUS, qui nos corroborat, & juvat ne cadamus. Ad aliud præceptum quod attinet, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* servari etiam à viris etiam justis potest: siquidem de fide est plures in hac vita ex toto corde Deum dilexisse,

ac pro-

& proinde præceptum illud servâsse, etenim David Psal. 118. ait: *In toto corde meo exquisivi te*, scilicet dilexit te super omnia alia, & 3. Regum cap. 14. *Non fuisti sicut servus meus David qui custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo faciens quod placitum est in conspectu meo*, & 4. Reg. 23. de Rege Josia dicitur. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua juxta omnem legem Moysi*: Hinc constat Davidem, & Josiam dilexisse Deum ex toto corde juxta præceptum Decalogi. Hoc idem præstitisse plures alios Abrahamum, Moysem, Samuelem, Eliam, Jeremiam, Elisæum, & in novo Testamento Virginem Matrem, Apostolos, Stephanum, & alios plures ex Scripturis, & Historiis Ecclesiasticis facilè deprehenditur. Illud enim præceptum *Diliges Deum ex toto corde tuo*, in triplici potest sensu accipi. Primus est, ut Deum diligamus ex toto corde, seu ut totum cor nostrum in eo solo diligendo occupetur, nec quid aliud amemus, aut diligamus quàm ipsum, & in hoc sensu non potest intelligi præceptum de diligendo DEO cum præcipiamur etiam diligere proximum. Secundus sensus est, ut diligamus Deum ex toto corde, non quod totum cor nostrum in eo diligendo debet occupari, sed quod tanto conatu in eum ferri debeat, quanto fieri potest: & neque in hoc sensu intelligitur præceptum de diligendo Deo quamvis si præciperetur servari posset, nec esset observatu impossibile, quia illud non dicitur impossibile, quod ab alio fieri potest. Tertius sensus est, ut Deum diligamus ex toto corde, seu ut eum diligamus super omnia, hoc est, eum amemus supra omnia alia extra Deum, & illum præferamus rebus aliis omnibus, & in hoc sensu intelligitur præceptum de diligendo Deum, adeo ut obligemur eum amare supra omnes creaturas, & potius centies mori, quàm diligere creaturam, & injuriam inde irrogare Deo per aversionem ab ipso; & hunc esse verum sensum præcepti illius asserit Apostolus ad Roman. 8. 29. inquiens: *Nulla creatura poterit nos separare à charitate DEI*, hoc est nulla poterit efficere, ut illi postponamus Dei dilectionem; neque obstat, quod plerumque quis pro jactura rei temporalis magis doleat ut pro morte filii, vel parentis, quàm pro injuria Deo irrogata: siquidem pro morte filii intentius tristatur, & pro parentis peccatis lethalibus nullam effundit lachrymam. Nam licèt intensivè subinde amor parentis in filium sit major appreciativè, tamen amor DEI quamvis non sit ita intensus semper præfertur amori creaturæ; & hic amor appreciativus, quo volumus potius mori, & omnia in mundo perdere, quàm DEO injuriam irrogare, est ille amor quo præcipimur Deum diligere ex toto corde, & de quo Christus Matth. 10. v. 37. ait: *Qui amat Patrem, aut matrem plus quàm me non est me dignus*: hoc est, qui amorem parentum præfert amori DEI non diligit DEUM super omnia. Amorem DEI prætulit Abraham amori filii, & DEUM dilexit super omnia, quando unicum filium suum Isaac, quem intimè diligebat, duxit ad fastigium montis eum Deo immolaturus, unde cùm mallet filium perdere, quàm DEO non obtemperare, ejus amor procul dubio fuit super omnia, & Abraham servavit præceptum de diligendo DEUM super omnia, quod propterea non est servatu impossibile ut asserunt Calvinistæ. Verum tamen est, quod in hac vita non ita perfectè Deum diligimus sicut in altera, quia dilectio semper supponit cognitionem rei amatæ, & in hac vita non cognoscimus Deum clarè & perfectè, sed tantùm per fidem, quæ est argumentum non apparentium, consequenter per cognitionem obscuram, & ænigmaticam, unde non mirum, si in hac vita minus perfectè Deum amemus, quàm in alia, ubi nostra de Deo cognitio clarior erit, & intensior.

Ex hactenus dictis de duobus illis præceptis Decalogi *non concupisces*, & *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo* facilè ostendi potest totam legem Decalogi posse ab homine justo servari, quia si duo præcepta quæ videbantur omnium difficillima ut probatum est servari possunt à fortiori, etiam reliqua, eo quia Deus nunquam desinat suâ gratiâ nos corroborare, & vires impertiri, ut totam legem servemus, hinc Concilium Arausicanum sub Felice Papa IV. celebratum Anno Christi 529. & confirmatum Anno 530. à Bonifacio II. Papa can. 25. statuit, *hoc etiam secundùm Fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per Baptismum gratiâ omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante, qua ad salutem animæ pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*. Censuit enim Concilium præcepta DEI non esse observatu impossibilia, cùm omnes per Baptismum regenerati Christo auxiliante, & cooperante possint si velint, quæ necessaria sunt ad salutem, adimplere: & quia observantia præceptorum est omninò necessaria, sequitur omnia Dei præcepta posse servari, & nullum esse servatu impossibile, quod etiam Tridentinum declaravit Sess. 6. cap. 11. ubi habetur: *Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet: Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Cùm ergo Deus absolutè nos adjuvet, ut possimus adimplere omnia necessaria ad salutem, & servare divina præcepta, sequitur hæc non esse servatu impossibilia, hinc Tridentinum can. 18. ejusd. Sess. 6. ait: *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia anathema sit.* Quòd si possunt justi Deum amare ex toto corde ut superius ostensum est, sequitur posse etiam totam legem servare, quia hæc duo amare Deum ex toto corde, & mandata Dei custodire re ipsa idem sunt, vel saltem unum necessariò connectitur cum altero, non enim fieri potest, ut diligat quis Deum ex toto corde, & non servet omnia ejus præcepta, hinc Josue 22. v. 5. monemur ut diligamus Deum, & observemus ejus mandata: *Ut diligatis Dominum Deum vestrum, & observetis mandata illius*: Et Christus Joan. 15. 10. *Si præcepta mea servaveritis manebitis in dilectione mea.* Demum Scriptura recenset plures, qui legem totam custodierunt 3. Reg. 14. v. 8. *Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo.* Lucæ 1. 6. de Zacharia, & Elisabetha. *Erant justi ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela*: Quis neget B. Virginem omnia Dei præcepta servâsse, Et revera si lex divina foret servatu impossibilis, ad quid Deus illam nobis imponeret servandam? Ad quid Christus Matth. 11. v. 30. diceret: *Tollite jugum meum super vos, jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Ad quid Apostolus 1. Joan. 5. 3. diceret? *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt.* Ad quid David de se ipso dixit? Psal. 118. v. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Ad quid de omnibus justis Ezech. Propheta 36. 27. ait: *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis*, An non ex iis constat Legem Dei esse suavem, & serva-

servatu facilem, quòd si Calvini sententia vera esset omnes allatæ Scripturæ falsæ essent, & divina testimonia pora mendacia; & Spiritus Sanctus per dona sua non posses efficere, ut Legem divinam servaremus, quæ propterea non in commune humani generis bonum sancita esset, sed in solam hominum condemnationem ob non servatam legem quo nil potest absurdius audiri. Si D. Paulus ad Philip. 4. v. 13. dixit: *Omnia possum in eo, qui me confortat*, ergo potuit legem Dei servare, mandata divina custodire.

Sancti Patres unanimes asserunt Legem Dei esse suavem, ac servatu facilem, non verò impossibilem, inter quos D. Basilius tom. 1. in orat. Attende tibi post initium ait: *Impium est asserere præcepta Spiritus Sancti impossibilia esse observatu.* S. Hieronymus tom. 6. in Matth. 5. in fine: *Sciendum est, Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta*, & in Expositione fidei ad Damasum. *Maledictus, qui dicit, Deum impossibilia præcipere*, à qua maledictione se alienum esse dixit Calvinus cum lib. 2. Instit. cap. 7. respondit esse puri hominis sententiam, adeoque inane fulmen obstrepens ad rectorem non ferieus ad vulnus. S. Augustinus serm. 191. de tempore sub finem: *Execramur*, inquit, *blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid à Deo homini esse præceptum, & mandata Dei, non à singulis, sed ab omnibus in commune posse servari.* In Psal. 56. sub init. explicans illud Joan. 15. de dilectione proximi ait: *Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile esse judicaret, ut hoc ab homine fieret. Si consideras infirmitatem tuam, deficis sub præcepto, confortare in exemplo: sed etiamsi exemplum ad te nullum est; adest ille, qui præbuit exemplum, uti præbeat, & auxilium* afferit. Augustinus, Deum semper præsto esse, ut nobis suum suppeditet auxilium, quo possimus Dei mandata servare. Et lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 3. ait: *Quod si nolumus, non peccamus, nec præciperet Deus homini, quod esset humanæ impossibile voluntati.* De natura, & Gratia cap. 69. *Eo ipso quod firmissimè creditur, Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus*, & plura alia Augustini testimonia omittam, illud addam de Genes. contra Manichæos lib. 1. cap. 3. *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum & temporalium se ad ejus præcepta servanda convertunt, quod omnes homines possunt, si velint; quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.*

Superest, ut satisfaciamus objectionibus Calvinistarum, objiciunt enim illud Actor. 15. 10. *Quid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, quod nec patres nostri nec nos portare potuimus*, quæ verba prolata fuerunt à Petro Apostolo asserente Legem esse jugum importabile, quod non possumus ferre per legis observantiam, nec salvari posse per eandem observantiam, quia impossibilis sit, sed tantùm per misericordis Dei gratiam. Sed contra quia D. Petrus ibi non loquitur de lege morali comprehensa in decalogo; sed tantùm de lege ceremoniali Judæorum, & ostendit Christianos non esse obligandos ad circumcisionem, & similes ceremonias Judaicas, quia sint jugum grave importabile: & quia in lege evangelica illæ ceremoniæ sint inutiles ad justificationem, & hanc causam innuit Apostolus, qui scribens ad Galat. 4. v. 9. *Nunc autem cum cognoveritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quia denuò servire vultis*, vocat legem veterem ceremonialem elementa infirma, & egena, quia non conducunt ad salutem; nec quidquam prosunt in ordine ad eandem. Vocatur etiam lex illa onus importabile, non quod portari omninò non possit, sed quia ægrè ac difficulter observabatur, ut docet D. Thomas in 2. dist. 28. quæst. unica art. ad 3. Alioquin si lex fuisset observatu impossibilis, non dixisset scriptura de Zacharia, ut Elisabetha Luc. 1. 6. *Erant ambo justi ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela*, seu erant justi observantes totam legem, quæ proptereà non est servatu impossibilis; sed tantùm ægrè, & difficulter ferebatur, in quo sensu etiam Christus vocavit Pharisaicas traditiones onera importabilia Matth. 23. 4. *Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere.* Neque obstat illud Apostoli ad Galat. 3. 10. *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea*, ex quo inferunt Calvinistæ legem Dei esse servatu impossibilem; quia D. Paulus dicit maledictum esse, qui non servat totam legem; proinde qui volunt justificari ex operibus legis, seu legis observantia sunt maledicti; eò quia nullus possit servare totam legem. Nam contra est, quia verba illa: *Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*, non significant eos esse maledictos, qui legem implentes, seu observantes justificari volunt; cum Apostolus ad Rom. 2. v. 13. scribat: *Factores legis justificabuntur*; sed eos esse maledictos, qui destituti fide & donis gratiæ propriis viribus arbitrantur posse legem implere, ac justificari; qui non ex operibus legis habetur justificatio, sed ex auditu fidei; quod innuit Apostolus inquiens: *Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* opponit eos, qui sunt ex fide iis, qui sunt ex operibus legis; de illis ait: *Qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham*: de istis: *qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*, unde Apostolus non dicit legem esse servatu impossibilem; sed sine fide, & gratia Dei propriis tantùm naturæ viribus nemo potest legem servare & salutem consequi, quia sine fide non possumus DEO placere; neque ex operibus legis tantùm sine fide, justificari, quia sine fide & gratia Dei non possumus totam legem servare; & qui totam legem non servat, maledictus est; *qui enim offendit in uno* (ait Apostolus Jacobus) *factus est omnium reus.* Neque ullum facessit negotium aliud ad Rom. 7. 18. *Velle quidem adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*, ex quo testimonio inferunt Calvinistæ, neminem etiam volentem legem implere, posse illam servare. Nam contra est, quia Apostolus non loquitur de observantia legis, sed de motibus concupiscentiæ, quos vellet quidem coërcere, & etiam iisdem prorsus carere; sed non posse propriis viribus id assequi sine Dei gratia, sine divino auxilio meam corroborante infirmitatem: quasi diceret Apostolus, cognosco bonum esse carere motibus concupiscentiæ, & ideo hoc bonum opto, & volo; sed sine Dei gratia non possum habere. Opponunt etiam Calvinistæ illud Jacobi 3. 2. *In multis offendimus omnes*, & 1. Joan. 1. 8. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus*, ex quo inferunt Calvinistæ, neminem posse totam legem implere, quia omnes peccant, & ideo peccant, quia legem non observant, sed illam transgrediuntur. Sed contra quia Joannes loquitur de peccatis venialibus, quæ cohærent in viris justis cum adimpletione legis; non verò de mortalibus, quibus transgredimur legem: etenim viri justi possunt vitare omnia peccata mortalia; licèt de lege ordinaria non possint omnia venialia declinare, nisi ex speciali Dei gratia,

Cùm igitur opera justorum sint bona, & non omnia peccata lethalia sequitur homines teneri aliqua bona opera facere, ac legem servare, adeò ut teneantur bene operari juxta præscriptum legis, si velint salutem consequi, neque sufficiat sola fides, ut autumant Calvinistæ, & alii hæretici, eò quia meritum Christi sit infiniti valoris, & superabundanter satisfecerit pro peccatis totius mundi. Hæc enim necessitas bene operandi non obstante Christi merito infinito nobis significatur in Scripturis Matth. 3. 10. ait Christus: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur:* ne igitur in ignem gehennæ mittatur homo, necesse habet per bona opera legem adimplere, & divina præcepta servare. Jacobi 3. 14. *Quid prodest fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat,* & infra subdit: *Fides sine operibus mortua est,* sola enim fides sine bonis operibus est veluti cadaver exanime sine motu, absque operatione ulla, & nil prodest, unde D. Petrus 2. Pet. 1. v. 10. nos hortatur, ut per bona opera nostram consequamur salutem; *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis,* quamvis vocatio nostra certa sit, ut & fides certissima, non tamen sufficit ad assecutionem æternæ salutis, nisi bene operemur, & satagamus per bona opera illam consequi: Unde Christus Matth. 5. 21. *Nisi abundaverit justitia vestra, plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Hanc necessitatem bene operandi ut salutem æternam consequamur, nos edocuit Christus, quando in monte postquam plura dixisset de bonis operibus, præsertim de eleemosyna, jejunio, oratione, & aliis similibus postea conclusit: *Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra firmam petram: Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea; similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Videant, quotquot negantes necessitatem bonorum operum ad assecutionem salutis audiunt verba Christi & soli fidei nituntur, an ædificent super arenam; vel super petram.

Ad eludenda hæc Scripturarum testimonia ex ex Calvinistis sunt, qui adhibent distinctionem dicentes opera bona esse necessaria ad assecutionem salutis necessitate præsentiæ, seu concomitantiæ, non verò necessitate efficientiæ, & scripturas asserentes necessitatem bonorum operum ad assecutionem salutis loqui de necessitate præsentiæ, non efficientiæ, adeò ut sola fides habeat vim justificandi, & salvandi, proinde solam fidem necessariam esse ad salutem necessitate efficientiæ, quatenus actus fidei debet à nobis elici: & quia hæc fides debet esse viva, & non potest viva esse sine operibus, ideo opera bona sunt necessaria necessitate præsentiæ, & concomitantiæ, non verò ut efficiant salutem, quam sola fides efficit. Verùm hæc distinctio nullam vim habet contra allata testimonia Scripturarum, Primò quia Calvinistæ docent omnia opera justorum esse damnabilia, & peccata mortalia; quòd si ita est, quomodo fructus fidei vivæ sunt opera bona necessaria ad salutem necessitate præsentiæ? præterea hæc opera non possunt effici à fide, quin fiant à fideli, quia fides est habitus, qui tantùm inclinat ad actus fidei non ad actus aliarum virtutum: quod si fiant, à Fidelibus sequitur, bona opera esse necessaria necessitate efficientiæ, & non solùm concomitantiæ, & præsentiæ. Præterea bona opera hominis justi merentur vitam æternam Matth. 20. 8. *Voca operarios, & redde illis mercedem,* nec alia est hæc merces, quàm vita æterna. Matth. 5. 12. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis:* ergo si bona opera merentur vitam æternam non solùm necessaria necessitate præsentiæ, & concomitantiæ, sed etiam necessitate efficientiæ. Rursus Scriptura apertè docet bona opera effectivè concurrere ad salutem. Apostolus ad Philip. 2. 12. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini,* si monet, ut cum metu, & tremore operemur nostram salutem: Ergo præter fidem requiruntur nostra opera facta cum metu, & tremore. 2. Corinth. 7. 10. Tristitia, quæ secundum Deum est pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Demum legis observantiam necessariam itidem esse ad salutem facilè ostenditur ex Scripturis Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Joan. 14. 25. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Matth. 11. 29. *Tollite jugum meum super vos,* id est, servate legem, & mandata, quæ ego injunxi vobis. Unde sic argumentum. Deus in Scripturis vult, ut legem servemus: vel ergo vult seriò, ut legem servemus, vel tantùm per jocum: si primum, ergo jam seriò tenemur illam servare: si per jocum, cur ergo seriò transgressores legis punit? an ironicè nobis proponit legis observantiam, cum dicit Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Objiciunt Calvinistæ, Christianos esse liberos ab observantia legis: consequenter non est necesse, ut legem observent. Tum quia lex est servatu impossibilis, & non servantes legem maledictioni subjacens: ex quo sequeretur, quòd vel omnes fideles maledictionem incurrerent; vel omnes à debito servandæ legis deberent liberari; primum non dicitur; ergo posterius verum est, seu omnes fideles liberari ab observatione legis, idque innuit Apostolus ad Galat. 3. v. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis.* Et ex illo 1. Timoth. 19. *Justo non est lex posita:* ex quibus inferunt, Christianos esse liberos à lege, ejusque observantia; & Christum non esse legislatorem, sed Redemptorem. Sed contra respondetur negando suppositum, totum enim argumentum fundatur in falso supposito, seu quod lex sit observatu impossibilis, quod superius evicimus falsum ex Scripturis, & ratione. Præterea concedimus, omnes transgressores legis maledictioni subesse, & damnationi esse obnoxios, juxta illud: *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Verum est etiam infideles, & peccatores non posse solius naturæ viribus sine Dei gratia, & auxilio legem servare cum ipse Christus Joan. 15. 5. dicat: *Sine me nihil potestis facere.* Justos tamen per Dei gratiam, & divino adjutos auxilio posse totam legem implere, ut scribit Apostolus ad Philip. 4. 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Quamobrem licèt peccatores, qui legem transgrediuntur, sint obnoxii maledictioni, justi tamen legem adimplentes eidem non subsunt maledictioni, in quo sensu dixit Apostolus Christum redemisse nos à maledicto legis, quatenus nobis gratiam obtinuit, qua suffulti, & adjuti possimus legem adimplere, & maledictionem evadere. Quòd verò ad Christianam libertatem attinet, & quam Calvinistæ exaggerant, ac fideles esse liberos à legis observantia, respondetur fideles

Christianos esse liberos, si justi sint à peccato, & morte, qua libertate donati sunt per merita JESU Christi Joan. 8. v. 36. *Si vos Filius liberaverit verè liberi eritis*, & Apostolus ad Roman. 6. v. 18. ait: *Liberati à peccato servi facti estis justitiæ*, hoc est, cùm per inesita Christi liberati sitis à peccato, & servitute Dæmonis servi facti estis divinæ gratiæ, cujus beneficio lumen accipitis ut rectè operemini. Rursus non solùm Christus nos liberabit à peccato & morte, sed etiam à jugo legis cæremonialis, cui observandæ in lege evangelica non sunt obnoxii fideles, juxta Apost. ad Galat. 4. v. 9. *Quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo servire vultis.* Imò etiam nos liberavit à dominio, & reatu legis moralis dicente Apostolo ad Roman. 6. v. 14. *Non estis sub lege, sed sub gratia*, & 2. Corinth. 3. v. 17. *Ubi Spiritus Dei ibi libertas*, ad Galat. 5. v. 18. *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege*: quia sunt fideles operantur in lege instinctu Spiritus Sancti, proinde quomvis sint in lege morali, quam operante divini Spiritus gratia adimplent fideles, non tamen sunt sub lege, quia nulla coactione, & vi adigimur legem adimplere, ut famuli obtemperantes Heris suis, sed spontè, alliciente divina gratia, opera legis facimus, & omnia mandata adimplemus, in quo sensu dicuntur fideles non esse sub lege, tametsi sint in lege in quo bene agunt, & Dei mandata observant, Sumus igitur in lege, quia secundùm legem operamur: non verò sumus sub lege, quia non adigimur operari libertate donati, ut explicat D. Augustinus in enarratione primi Psalmi, ubi ait: *Aliud est esse in lege, & aliud sub lege. Qui est in lege secundùm legem agit: qui est sub lege, secundùm legem agitur. Ille liber est, iste servus*, & in lib. de natur. & grat. cap. 57. *Si Spiritu ducimini non estis sub lege*, hoc est, sub lege, quæ timorem incutit, non tribuit ebrietatem: ergo tametsi Christiani liberi sint à lege peccati à jugo legis cæremonialis à Dominio, & reatu legis moralis, non tamen sunt liberi ab observantia legis, quia sunt in lege, & tenentur opera legis facere adeo ut libertas evangelica non excludat legem, sed tantùm dominium legis, neque servitutem justitiæ, sed peccati, neque jugum Christi, quod suave est, sed jugum mosaicum, quod grave erat. Ad aliud petitum ex 1. Epist. ad Timoth. 19. *Justo non est lex posita, sed injustis & non subditis.* Respondet D. Thomas 1. 2. *quæst. 96. art. 5.* Legem duplicem esse directivam unam alteram coactivam; illam positam esse omnibus tam justis, quàm injustis, quia omnes diriguntur à lege, quæ dirigit, ac præscribit omnibus, quid agere, & quid omittere debeant. Quoad verò vim coactivam non esse positam justis, sed tantùm impiis, quia justi non coactè sed spontè libenter, & alacriter ex instinctu charitatis ea faciunt, quæ à lege præscribuntur: impii verò, quia persæpe recalcitrant, & à legis obedientia se subducunt, ideo indigent vi coactiva, qua adigantur ad legis observantiam.

Nituntur Calvinistæ probare non teneri Christianos ad legis Christianæ observantiam ex discrimine legis Mosaicæ, & Evangelicæ intelligentes per legem mosaicam doctrinam veteris testamenti, & per evangelicam doctrinam novi testamenti, & asserunt hoc esse discrimen utriusque, quia in lege veteri continebantur tria scilicet leges comminationes, & permissiones cum conditione observationis legis, quæ tria non sunt in lege evangelica, & sensus illorum est, quia homines in veteri testamento leges habuerunt, quibus obligabantur, & si eas servarent, quod tamen non poterant promittebat illis DEUS benedictionem; & si eam non servarent Deus comminabatur maledictionem: sed in novo testamento non sunt ullæ leges, quia Christus cùm cognosceret eas servari non posse ideo ab earundem observantia nos liberavit, quapropter non indigemus comminationibus, & terroribus, quibus adigamus ad earundem observantiam: hæc est doctrina Calvinistarum asserentium itidem promissionem vitæ æternæ nobis pluries in scriptura factam non pendere à legis observantia, sed à sola fide cujus beneficio salvamur. Sed contra quia totus iste discursus etiam fundatur in falso supposito, quod lex sit servatu impossibilis, ideoque ne subjiciamur legis maledictioni nos Christus liberavit à legis observantia. Rursus discrimen utriusque legis non est, quod assignatur à Calvinistis, quia sicut in veteri ita etiam in novo testamento proponuntur leges comminationes, & promissiones conditionatæ. Etenim ex legibus aliæ sunt mosaica de quibus agitur apud *Matth. cap. 5. 6. & 7.* Aliæ sacramentales Matth. 28. v. 29. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.* Alii sunt fidei ut Marci 16. *Qui non crediderit condemnabitur* quæ lex comminatoria est, ut etiam hæ aliæ leges Matth. 5. v. 23. *Qui dixerit fratri suo fatue reus erit gehennæ ignis*, & cap. 15. v. 30. *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores* & cap. 5. v. 21. *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm scribarum, & Pharisæorum non intrabitis in regnum cælorum*, ex quibus satis apertè claret in lege evangelica esse itidem comminationes, & promissiones conditionatas, ut Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata* & discrimen assignatum à Calvinistis esse apertè falsum. Differunt igitur lex vetus, & evangelii perinde ac doctrina inchoata, & perfecta, ut ait D. Thomas. 1. 2. *quæst. 6. art. 3.* inquiens: *Evangelium continetur in lege sicut arbor in semine*, & D. Augustinus *lib. 16. de Civit. Dei cap. 9.* ait: *Testamentum vetus est occultatio novi, & novum est veteris revelatio* quamobrem primum discrimen utriusque legis est, quia vetus fuit tantùm quædam inchoatio, & evangelica perfectio. Secundum discrimen est quia vetus per Moysem data est, qui fuit tantùm Legislator: evangelica verò per Christum, qui non solùm Legislator, verùm etiam Redemptor fuit, quapropter lex vetus fuit sola, & lex evangelica non sola, sed cum gratia. hinc habetur tertium discrimen, quia lex vetus non habuit vim justificandi; quam habet evangelica scribente Apostolo ad Galat. 3. v. 11. *In lege nemo justificatur apud Deum*, & loquitur Apostolus de lege veteri, quæ non habet vim justificandi, siquidem de lege evangelica ait ad Roman. 1. v. 16. *Evangelium est virtus DEI in salutem omni credenti*, & 1. ad Corinth. 15. *Notum facio vobis evangelium per quod salvamini.* Quartum discrimen est, quia lex vetus timoris & servitutis fuit cum lex evangelica amoris sit & libertatis ad Roman. 8. *Non accepistis Spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum*, & ad Galat. 4. v. 31. *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ*, & 2. Timoth. 17. *Non dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis.* Quintum demum discrimen est, quia lex mosaica fuit observatu difficilis, & gravis ut habetur *Actor. 15. v. 10* Secus lex evangelica est servatu facilis Matth. 11. v. 30. *Jugum meum suave est, & onus meum leve*, & hæc facilitas oritur ex divina gratia, qua corroboramur, & adjuvamus & ex eo quod non plura contineat præcepta, sicut lex vetus, quæ præter præcepta moralia, continebat etiam cæremonialia, & demum, quia major nobis promittitur retributio, seu vita æterna.

Quòd

Quòd opera justorum meritoria sint vitæ æternæ liquet ex scripturis Matth. 5. v. 12. *Gaudete, & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cælis* Math. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, esurivi enim & dedistis mihi manducare*, ubi bonis operibus promittitur regnum cœlorum, unde Apostolus ad Rom. 26. ait. *Deus reddet unicuique secundùm opera sua.* Iis quidem qui secundùm potentiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt vitam æternam, & 1. ad Corinth. 38. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem*, & ad Gal. 6. v. 17. *Qui seminat in spiritu de spiritu metet vitam æternam.* Hinc patet non solùm bona opera esse meritoria vitæ æternæ, sed etiam necessaria: quia cælestis gloria nobis promittitur sub titulo mercedis Matth. 5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*, & eam dandam pro labore nostro tanquam in sua vinea desudantibus spopondit denarium diurnum; & Matth. 5. v. 8. Ut justitiæ coronam quæ ulli non impertitur, nisi post exantlatos labores. 2. Timoth. 4. Ut currentibus *bravium*, adeò ut tota causa, cur nobis tribuatur vita æterna, sint ipsa bona opera, quæ propterea necessaria sunt ad assecutionem æternæ salutis, nec opera justorum tantùm sunt causa præmii sed etiam ex justitia iisdem debetur præmium æternum, ut innuit Apostolus. 2. ad Thessal. 10, 6. *Justum est apud Deum retribuere vobis, qui tribulamini requiem nobiscum*, & 2. Timoth. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ*, & ad Hebr. 6, 10. *Non est injustus Deus ut obliviscatur operis vestri*: quinimò Christus nonnisi conditionatè æternam nobis spopondit salutem, si nimirum ejus legem servaverimus, & mandata ejus custodierimus, adeo ut promissio ab operibus dependeat, & bene operantibus competat jus exigendi promissam mercedem, Matth. 18, 17. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Præterea opera justorum digna esse præmio vitæ æternæ apertè asserit Salomon Sapient. 3. 8. *Deus tentavit eos, & invenit dignos se*, & Apostolus. 2. ad Thessal. 1, 8. hortatur Thessalonicenses ad tolerantiam malorum, ut inde digni fiant regno Dei inquiens *Ut digni habeamini regno Dei; pro quo & patimini.* Respondent Calvinistæ Deum quidem bonis operibus promisisse mercedem, & illam intuitu bonorum operum reddere, sed negant id esse adscribendum merito, & dignitati operum, sed meræ, ac soli Dei liberalitati, quod probant ex illo Apostoli ad Rom. 6, 23. *Gratia Dei vita æterna in Christo.* Sed contra; quia si merces ut ipsi fatentur datur intuitu bonorum operum, & merces datur dignis cujusmodi sunt insudantes in vinea Domini & plurimum laborantes; ac observantes Dei mandata, sequitur justos dignos esse accipere mercedem ob exantlatos labores; ob servatam Dei legem, proinde ob dignitatem, & meritum eorundem operum unde sunt opera, quæ justis dignitatem impertiunt: si enim justi ex nulla parte digni essent, & non daretur merces intuitu bonorum operum, non hæc injungerentur; & si dignitatem in se non haberent, non possent illam communicare justis, nec eos constituere dignos vitæ æternæ: quòd si merces datur justis propter dignitatem bonorum operum ex justitia, jam non ex liberalitate aliquin. 1. 2. Tim. 4. Merces Justorum non diceretur *justitiæ corona*, sed potius indulgentiæ, vel liberalitatis. Tum quia omnes homines sine bonis operibus per se sunt æqualiter indigni mercede, & tantùm fiunt digni per bona opera, quæ exercent Psal. 61. 13. *juxta opera sua* & Apostolus. 1. Cor. 3. 8. ait fieri dignos *secundùm suum laborem*, adeo ut proportio mercedis dependeat ab ipsa proportione operum, unde dignitas inesse bonis operibus nulli potest dubium esse, alioquin homo justissimus, & qui plus cæteris laboravit in vinea Domini non acciperet majus præmium, quàm simpliciter justus.

Calvinistæ tamen cæcutientes in luce asserunt omnia justorum opera immunda esse, & coinquinata; propterea ex se nullam includere dignitatem, sed tantùm ex Dei mera liberalitate nobis vitam æternam dari, quod quàm falsum sit, superiùs evicimus, cùm nobis promittatur vita æterna sub titulo mercedis supponentis laborem, coronæ justitiæ, quæ non datur nisi egregiè pugnantibus, & vincentibus, sub titulo bravii quod non recipiunt nisi superantes in cursu alios, hæc enim supponunt operationes, quæ dignæ sint mercede, corona justitiæ, & bravio. Dicea vita æterna in scripturis vocatur hæreditas; atqui hæreditas debetur filiis non ex merito, & labore; sed ex solo jure filiationis naturalis, vel adoptivæ; ergo vita æterna nobis non datur ex dignitate operum, sed ex jure filiationis, unde Calvinus in Anthidoto Concilii Tridentini *sess. 6. cap. 16.* ait: *Quòd vitam æternam faciunt mercedem in eo ab illis dissentio. Quin potiùs hæreditatem esse ubique scriptura clamat, quæ non alio quàm gratuito adoptionis jure nobis obvenit.* Sed cur Calvinus non dixerit ab illis & sacris scripturis dissentio; cùm sint scripturæ sacræ, quæ asserunt vitam æternam nobis dari ut mercedem bonorum operum. Quòd si vita æterna in scripturis vocatur etiam merces Matth. 5. *Gaudete, & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Matth. 2. v. 8. *Voca operarios, & redde illis mercedem* ergo datur vita æterna intuitu meritorum, ergo non solo jure adoptionis, rursus hæc adoptio in sententia Calvini perinde est ac prædestinatio, & prædestinationi opponitur reprobatio, & utraque facta est secundùm Calvinum ex solo beneplatito nullo habitu respectu ad bona vel mala opera. Quòd si ex eo, quòd vita æterna debetur titulo adoptionis, seu prædestinationis, sequitur non dari ex merito bonorum operum, ita etiam ex eo, quòd pœna æterna debeatur titulo reprobationis sequeretur non dari ex merito malorum operum; quod asserere non audent Calvinistæ, quia Deus non puniret delinquentes, nec justitiam exerceret. Quamobrem cum non simus filii DEI per naturam, sed tantùm per adoptionem, qua adoptamur, vel ante usum rationis beneficio baptismi, vel post usum rationis in prima justificatione, ut adulti; qui convertuntur ad Deum, inde fit, ut parvuli decedentes ante usum rationis accipiant vitam æternam solo titulo hæreditatis, adulti verò, qui ratione utuntur, & in adoptione filiorum usque ad mortem perseverant, duplici titulo accipiunt vitam æternam, scilicet sub titulo hæreditatis, quatenus fuerunt adoptati in filios Dei per gratiam sanctificantem, & sub titulo mercedis, quatenus perseverârunt in bonis operibus; & hæc est ratio, cur in scripturis dicatur vita æterna nobis promitti modò sub titulo hæreditatis; & modo sub titulo coronæ justitiæ, vel mercedis, vel bravii; unde ex eo quod justi sub titulo hæreditatis accipiant vitam æternam quatenus fuerint adoptati per gratiam sanctificantem in filios Dei; inde non sequitur; quod non debeant etiam illam accipere sub titulo mercedis, hoc innuit Apostolus ad Colos. 2. v, 23. *Quodcunque facitis ex animo operamini; sicut Domino non hominibus, scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Simul nectit Apostolus utrumque titulum retributionis, & hæreditatis, quia gloria æterna sub utroque titulo confertur adultis;

quia cùm non sint filii per naturam, sed tantùm per adoptionem, potuit DEUS ea conditione adoptare, ut non adirent æternam hæreditatem, nisi ut filii servarent mandata Patris adoptantis, cum æquum videatur, ut filii præcepta Patris servent, & quæ à Patre præcipiuntur fideliter exequantur, quapropter adulti sub utroque titulo mercedis, & hæreditatis accipiunt vitam æternam. Quidni etiam ipse Christus sub utroque titulo eandem accepit: siquidem jure hæreditatis supposita unione hypostatica ei debebatur gloria corporis, & exaltatio proprii nominis, & nihilominus illam obtinuit suis meritis, & quia obtemperavit mandatis æterni Patris juxta illud Apostoli ad Philip. 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & DEUS exaltavit illum.* Si igitur Christo, qui fuit filius DEUS naturalis data est gloria corporis, & nominis exaltatio sub duplici titulo hæreditatis, & mercedis, non debet mirum videri, si nobis qui sumus filii tantùm per adoptionem sub utroque titulo detur vita æterna. Neque obstat distinctio nonnullorum Calvinistarum asserentium sub titulo mercedis nobis dari vitam æternam, impropriè, & sub titulo hæreditatis propriè, quia cum filiatio alia sit naturalis, quæ propria dicitur, & alia per adoptionem quæ legalis, & impropria vocatur, potiùs è contra asserere deberent, vitam æternam sub titulo mercedis nobis propriè conferri cum propriè bona opera exerceamus digna mercede, & sub titulo hæreditatis impropriè cùm sit hæreditas filiationis adoptivæ, quæ legalis est, & impropria. Præterea si gloria corporis, quæ Christo data est propriè habet rationem mercedis, & hæreditatis, cur non etiam gloria animæ, quæ nobis datur, cùm non repugnat aliquid esse propriè hæreditatem, & simul propriè mercedem. Neque inde sequitur feliciores esse parvulos decedentes ante usum rationis, quàm sint adulti, quia majus est accipere jure hæreditatis aliquid quàm ex merito laboris, sicut titulus filii dignior, & major est titulo famuli, qui nonnisi per susceptos labores aliquid lucratur. Nam adulti sunt semper parvulis feliciores, quia sub titulo meriti adeunt hæreditatem æternæ vitæ, quod est magis honorificum, nec pariter de famulis est ad rem, quia isti tantùm sub unico titulo mercedis accipiunt, quod ipsis debetur ob exantlatos labores, justi verò adulti sub duplici titulo hæreditatis, eò quia sint filii adoptivi per gratiam, & sub titulo mercedis, quatenus perseverârunt in bonis operibus exercendis, ideoque sunt feliciores parvulis, & famulis adultis, quia parvuli tantum sub uno titulo filiationis adeunt hæreditatem, & famuli sub altero titulo tantùm mercedis lucrantur, quod illis debetur. justi verò adulti sub utroque titulo filiationis adoptivæ adeunt æternam hæreditatem, & sub titulo mercedis eandem accipiunt. Tum quia quo plura sunt illorum merita, eò majorem etiam consequuntur hæreditatem, hinc justi adulti sunt semper feliciores parvulis decedentibus ante usum rationis, unde Apostolus. 1. Corinth. 3. ait: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* Rursus objiciunt Calvinistæ, quia tametsi scriptura asserat vitam æternam nobis donari ut coronam, asserunt tamen hanc coronam nobis dari ex misericordia, & non ex justitia, cùm dicat David Psal. 102. v. 4. *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*, & Matth. 5. v. 7. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, Sed contra quia sicut hic vita æterna vocatur corona misericordiæ, ita alibi dicitur corona justitiæ. 2. Timoth. 4. v. 8. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die justus Judex.* Est igitur vita æterna corona justitiæ, quia ex meritis, & ob merita confertur servato ordine justitiæ commutativæ, & distributivæ, quia unicuique pro meritorum qualitate major, vel minor proportio præmii seu gloriæ tribuitur, in quo sensu ait D. August. lib. de natur. & gratia cap. 2. *Non est injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ.* Quia verò ipsa merita, quibus debetur corona justitiæ habent vim suam ex Dei gratia, ideo dicitur dari ex misericordia Dei, quatenus gratia nobis datur gratis, & ex divina misericordia, quia gratia non est volentis, nec currentis, sed miserentis Dei, in quo sensu vita æterna vocari solet corona misericordiæ, non respectu meritorum, quia runo illis debetur ex justitia; sed quatenus procedunt ex divina gratia, quæ nobis datur ex DEI misericordia, ut explicat D. Augustinus lib. de corrept. & gratia cap. 15.

Objiciunt Calvinistæ alia scripturæ loca, præsertim illud ad Rom. 6. v. 23. *Stipendium peccati mors: gratia autem DEI vita æterna* ex quo inferunt, mortem æternam dari propter mala opera; & vitam æternam non dari propter bona opera; sed ex mera gratia cujus tantùm meminit Apostolus exclusivè ad bona opera. Sed contra quia Apostolus non excludit bona opera; sed vocat vitam æternam gratiam; quia procedunt merita, & bona opera ex DEI gratia, sine qua non fierent bona opera, nec essent; ex eo igitur quòd vita æterna detur ex meritis quæ procedunt ex gratia, & hæc ex misericordia dicitur corona misericordiæ, & dari ex gratia ut explicat D. Augustinus lib. de gratia, & lib. arbitrio cap. 8. & 9. ubi ait Apostolum æquè potuisse dicere stipendium justitiæ vita æterna, sicut dixit stipendium peccati mors. cum ad Roman. 2. v. 6. dixerit. *Reddet unicuique secundùm opera sua. Iis quidem qui secundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt vitam æternam: iis autem qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati ira, & indignatio:* hoc est sicut DEUS damnabit impios propter mala; ita coronabit justos propter bona opera: unde pari pacto sicut stipendium impiorum erit mors: ita & justorum stipendium erit vita æterna. Rursus objiciunt illud Isaiæ 55. v. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite, venite emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac.* Sed contra quia inde non sequitur vitam æternam nobis dari independenter à bonis operibus, non enim per vinum & lac emendum sine pretio intelligitur vita æterna, quæ nobis detur sine bonis operibus; sed intelligitur gratia, quæ nobis gratis à DEO datur, ut interpretantur Sancti Patres præsertim D. Hieronymus: & colligitur ex ipso contextu, habetur enim: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetes argentum, properate, emite, & comedite: venite emite absque argento* id est omnes quotquot destituti estis cœlesti humore ac refrigerio divinæ gratiæ, & propterea arescentes sititis, venite ad aquas, seu accipite gratiam; & qui non habetis argentum, seu qui non potestis opera naturalia exhibere, quibus possitis illam promereri nec ad ipsam vos disponere, venite emite, seu accipite absque opere naturali, absque

argento

argento seu pretio, vel dispositione operis naturalis; quia gratia ex Dei munificentia vobis omnino gratis datur. Unde etiam Christus Joan. 7. 37. ait: *Si quis sitit.* seu exarescit sine humore gratiæ, *veniat ad me. & bibat*, seu accipiat à me refrigerium gratiæ, ubi Christus loquitur de gratia præsentis vitæ; non de gloria futuræ. Prima enim gratia datur nobis gratis, sine pretio nostri operis, quia opera nostra naturalia non possunt ad ipsam disponere, non enim illam accipere est volentis nec currentis, sed miserentis est DEI.

Opponunt etiam illud Lucæ 17. 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, quia servi inutiles sumus*; si inutiles: ergo nihil inde accipiunt meriti, consequenter bona nostra opera ut sunt observationes præceptorum Dei inutilia sunt; & observantes præcepta nullum inde accipiunt emolumentum, cum inutiles sint. Respondetur Calvinistas abuti scripturis: nam cum docuissent nos esse filios Dei, & tituln filiationis nobis deberi hæreditatem regni cœlestis sine ullo nostro labore; nunc opponunt nos non filios esse, & habere jus ad hæreditatem; sed servos esse inutiles, quibus nihil debetur. Præterea vel Christus vocat servos inutiles, qui servant omnia præcepta; aut illos, qui non servant: si primum ergo omnia divina præcepta servari possunt ab hominibus justis, contra Calvinum asserentem aliqua Dei præcepta esse observatu impossibilia, præsertim illa duo: *Diliges Deum tuum, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis*: Et *non concupisces*, si dicit servos inutiles eos, qui divina non servant præcepta, id verum est, sed nihil contra nos concluditur, siquidem & nos asserimus, non servantes divina mandata esse servos inutiles, & non mereri vitam æternam. Cæterum cum servantes præcepta dicuntur inutiles servi, id potest dupliciter intelligi, primò quoad nostras vires, quatenus ex Adamo nati contrahimus peccatum originale, & nascimur filii iræ, in quo sensu sumus servi peccati, & inutiles ad gratiam, quam non possumus ex nostris viribus acquirere. Secundò quoad operationem gratiæ divinæ, quatenus in Christo renascimur, & ita sumus servi inutiles, quia ut scribit Apostolus 2. Timoth. 2. v. 21. *Si quis emundaverit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino.* Et in hoc secundo sensu dicimur servi inutiles, respectu Dei, quamvis omnia divina præcepta servemus, quia inde nullam utilitatem DEO inferimus, cum ipse non indigeat bonis nostris, ut explicat Beda in Commentario: & licet tunc servatio mandatorum DEI sit nobis utilis, non tamen DEO quidquam accrescit utilitatis, adeo ut mandatorum observantia sit tantum utilis respectu nostri, quatenus cadit in nostrum emolumentum, & utilitatem, est verò inutilis respectu DEI, cui nihil utilitatis accedit ex nostro labore, & industria. Quamobrem ex duplici capite servantes mandata omnia servi inutiles sumus, primò respectu gratiæ necessariæ ad observantiam mandatorum DEI, ad quam cùm non possimus puris naturæ viribus nos disponere, nec illam nobis comparare, ideo inutiles sumus servi: Secundò respectu DEI, cui ex nostris bonis operibus nil accrescit utilitatis, sed totum emolumentum est nostrum, & propterea nobis tantùm utiles sumus, non Deo, quapropter sumus semper servi inutiles, quamvis omnia divina præcepta servemus, quia, nisi Deus liberaliter suam nobis impertiret gratiam, non possemus præcepta servare. D. Augustinus *serm. 3. de verbis Domini* ait: Nos esse seros inutiles, tametsi omnia divina præcepta servemus, quia nisi Deus liberali pacto nobiscum convenire voluisset, nullam mercedem ex justitia potuissemus à Deo petere, unde quidquid facimus, semper inutiles sumus ad mercedem vitæ æternæ, secluso divino pacto, & tantùm utiles sumus ex Dei facta promissione. Solent etiam Calvinistæ objicere illud Apostoli ad Roman. 8. v. 18. *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Quòd si non sunt condignæ, quia non possunt mereri vitam æternam, quia non datur proportio inter nostra opera, & vitam æternam: & inter meritum, & præmium necesse est, proportio intercedat. Sed contra, quia sicut D. Paulus ad Romanos scribit, nostra opera non esse digna præmio vitæ æternæ, 2. ad Thessal. 1. scribit, esse digna tali præmio, ait enim v. 5. *Ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini*, hinc quia D. Paulus non est sibi contrarius, debent necessariò hujusmodi textus reconciliari. Si igitur spectemus durationem temporis, nulla est proportio inter opera præsentia, & futuram gloriam, quia hæc perpetua est, & illa momentanea. Sin verò consideremus gratiam, à qua procedunt opera meritoria, datur proportio inter opera nostra facta ex gratia, & futuram gloriam; quia gratia, ut loquuntur Theologi, est semen gloriæ: & sicut datur proportio inter semen & plantam, ita etiam inter gratiam, & gloriam. Hanc autem proportionem sufficere, quamvis nulla sit durationis proportio, liquet ex illo Apostoli 2. Corint. 4. v. 17. *Id quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*: ait Apostolus, opera nostra ut momentanea non habere proportionem respectu gloriæ æternæ, quæ nullo unquam claudetur termino: quatenus verò profecta ex divina gratia, quamvis momentanea adhuc operantur pondus æternæ gloriæ, non tamen operantur æternam gloriam physicè, sed tantùm meritoriè, quatenus bonis operibus inest vis merendi æternam gloriam, non tamen simpliciter, ut sunt opera nostra, sed simul ut sunt supernaturalia. & profecta ex divina gratia. Idque firmatur exemplo dominicæ passionis, quæ tametsi temporanea, & veluti momentanea fuerit, adhuc per eam nobis meritus est vitam æternam. Tum quia etiam peccata impiorum in præsenti vita sunt transitoria, & momentanea, & nihilominus pœnam merentur æternam, quia, sicut opera bona procedunt ex divina gratia, peccata oriuntur ex formali, vel virtuali contemptu DEI, qui contemptus habet proportionem cum æterna pœna, sicut gratia cum æterna gloria. Quamvis igitur bona nostra opera non operentur physicè æternum gloriæ pondus, illud tamen meritoriè operantur; & hoc meritum est sufficiens proportio inter momentaneum, & leve tribulationis nnstræ, & æternum gloriæ pondus. Præterea opora justorum sunt naturalia filiorum DEI, & membrorum Christi, & fiunt ope divinæ gratiæ proportionatæ ad nmne præmium, consequenter & ipsa nostra opera per eandem divinam gratiam quodammodo informata, habent penportionem ad præmium vitæ æternæ: imò non solùm inest illis proportio, sed etiam condignitas ex dignificatione gratiæ habitualis afficientis, & dignificantis opera nostra, unde non solùm datur proportio, sed etiam condignitas cum præmio. Hinc tametsi Deus noluisset nostris bonis operibus dare præmium, adhuc nostra opera illud promererentur, neque inde sequitur, quod seclusa promissione simpliciter teneatur DEUS dare præmium, quia in hoc negotio DEUS est quasi mercator, qui non tenetur acceptare pro suis mercibus æquale pretium, si nolit eas vendere, secus si semel pactum inierit de acceptando pretio, tenetur

merces illas extradere ex vi pacti initi. Perinde Deus, tametsi nostra opera beneficio gratiæ digna fiant, ut vita æterna pro iisdem nobis tribuatur, non tamen tenetur Deus hanc nobis impertire, nisi hæc eadem opera pro tanta mercede acceptâsset, & promisisset, se illam daturum servantibus præcepta, & mandata sibi injuncta.

Demum argumentantur Calvinistæ, non esse necessaria nostra bona opera, quia Christus nobis meruit vitam æternam, proinde eam non meremur nostris operibus, quia vel Christi meritum per se sufficiens est, vel non, si primum, inutilia sunt nostra merita, & frustra exiguntur, quia non sunt necessaria: si Christi meritum non sufficit, maximam DEO irrogamus injuriam, ergo nostra merita non requiruntur ad vitam æternam. Hoc argumento ineptissimo sibi cavent Calvinistæ, tametsi nullius sit ponderis. Existimant ipsi merita nostra opponi Christi meritis, ac proinde, quantum laudis nostris tribuitur meritis, tantùm detrahi meritis Christi, quod falsum est, quia merita nostra non detrahunt quidquam meritis Christi, sed potiùs ex iisdem oriuntur, à quibus etiam omnem vim, & virtutem accipiunt, adeo ut quidquid laudis, & dignitatis nostris inest meritis, totum redundet in laudem, & dignitatem meritorum Christi, qui propterea similem se dixit viti, Joan. 15. 4. *Ego sum vitis, vos palmites.* Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis, an palmites totam suam virtutem, & fructus desumentes à vite aliquid dignitatis & virtutis detrahunt à vite: si quidquid succi virtutis, & humoris habent palmites, à vite non opponuntur viti, nec ejus dignitati detrahunt, quinimò hoc totum in uberiorem gloriam vitis redundat, adeo ut quò palmites sunt magis frugiferi, eò vitis sit fœcundior, ac majore laude digna. Non igitur nostra bona opera quidquam dignitatis detrahunt à meritis Christi, neque in minorem honorem Christi redundat, si servi Christi uberiores fructus faciunt, quos non producerent, nisi essent in Christo, à quo veluti palmites succum, & humorem divinæ gratiæ sumerent. Unde quamvis Christus nobis promeruerit vitam æternam, adhuc, ut eam enanciscamur, necessaria sunt nostra bona opera, quæ tamen non requiruntur, quia Christi merita sunt insufficientia, sed quia Deus ita ordinavit, & voluit, & ut Christi merita nobis applicarentur per bona opera, ex quo potiùs sequitur, Christi meritum esse efficacissimum, cùm non solùm nobis obtinuerit jus ad vitam æternam, sed etiam vim, & virtutem acquirendi vitam æternam per propria merita. Præterea cùm teneamur post reconciliationem servare legem, seu operari bene, & gratiam per baptismum susceptam non deperdere, adigimur pugnas inire cum triplici hoste, mundo, carne, dæmone, quæ pugna, cum sit superatu difficilis, ideo vincentibus datur vita æterna ut corona, & præmium. Ex eo igitur, quòd Christus pro nobis abunde satisfecerit, non sequitur, bona nostra opera non esse necessaria, quia, quando asserimus, nos per bona opera nostra posse remissionem peccatorum obtinere, non hoc asserimus, quasi intuitu tantùm nostrorum operum promereamur hanc peccatorum remissionem, & DEI gratiam, sed quod nunc primum Christi merita per opera bona veluti media ad id ordinata à Deo nobis applicentur, ut efficiamur participes ejus passionis, ac mortis: licet passio Christi Domini fuerit sufficientissima, & longè superabundans ad redimendum totum humanum genus, non tamen nobis applicatur, nisi per media nostrorum bonorum operum: & sicut per fidem & baptismum non perficimus merita, nec satisfactionem Christi, quæ semper fuit perfectissima, sed eandem satisfactionem Christi tantum vobis ipsis applicamus, ita opera nostra facta cum Dei gratia non perficiunt ullo modo perfectissimam Christi satisfactionem, sed tantùm per illa veluti media à Deo constituta nobis impetramus applicationem Christi satisfactionis sufficientissimæ, quapropter licèt Deus per passionem & mortem suam pro peccatis omnibus perfectissimè satisfecerit, non sequitur, quod bona opera nostra sint inutilia, & non necessaria: siquidem sunt necessaria non ad satisfaciendum eo modo, quo Christus satisfecit, neque sunt necessaria ad aliquid novi promerendum, quod Christus non promeruerit, sed ad id sunt necessaria, ut Christi sufficientissima, & superabundans satisfactio per nostra bona opera veluti per media necessaria nobis applicetur: ex quo tantum abest, quòd injuria Deo irrogetur, ut honor potiùs dimanet: cum enim merita omnium nostrorum operum suam accipiant virtutem, & dignitatem à Christi meritis in majorem id potiùs resultat honorem Christi, ipse enim vitis est, & nos palmites, & nihil de gloria viris detrahitur, si palmites ipsius fructum multum adferant.

Imò dantur etiam opera quædam supererogationis, & dicuntur, quæ à fidelibus exercentur bona opera, quæ à Christo non percipiuntur, sed tantum commendantur, ut quæ fiunt ex consiliis evangelicis, quæ, quamvis non sint opera præcepta, consilium tamen nobis datur ad illa exercenda. Hæc opera supererogationis sunt igitur, quæ tametsi à Christo nullibi præcipiantur, nobis tamen suadentur, & distinguuntur à præceptis, eò quia difficiliora sint, nec omnibus communia, sed tantùm paucis, & propterea nun obligant, adeo ut eorundem amissioni nulla sit adnexa pœna. Et supererogationis opera, quæ etiam consilii dicuntur opera, sunt præsertim tria Religionis vota, castitas, paupertas, obedientia, etenim castitas voluntaria suadetur à Christo Matth. 19. v. 11. ubi asserentibus Discipulis non expedire nubere respondit: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est, sunt enim Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat:* ubi Christus non præcipit, omnibus servare castitatem, nec impedire nuptias, sed tantùm id suadet aliquibus, qui ad culturam castitatis se sentiunt propensos: unde castitas hæc voluntaria est tantùm consilium, non verò præceptum, alioquin nulli liceret nubere. Ex Acatholicis Lutherani non desunt, qui censeant hanc castitatem à Christo præcipi, loc. cit. Matth. 19. non tamen omnibus, sed tantùm habentibus donum castitatis, quibus ajunt, licitum non esse nubere. Sed contra, quia, si illi tantùm præcipiuntur servare castitatem, qui dono muniuntur castitatis, ferme nulli inter Calvinistas, & Lutheranos reperiuntur, qui donum habeant castitatis, consequenter ex iis, qui uxorem ducunt, nullus adest, nec est assignabilis, qui hoc donum habeat, imò neque alii non ducentes uxorem, quia ipsi fatentur, posse unumquemque uxorem ducere, vel omittere, prout iisdem magis placuerit. Præterea quomodo potest quis certo scire, se habere donum castitatis, & obligari, ad non ducendam uxorem; nemo potest cognoscere sibi præceptum hoc esse injunctum de castitate servanda. Sin autem scire nequit, præceptum non potest ad illud obligari, proinde, tametsi habeat quis donum castitatis, adhuc non obligabitur ad illam servandam, cum ipsi non constet de præcepto sibi injuncto castitatis servandæ. Quòd verò castitas voluntaria non sit de præcepto,

sed

sed tantum de consilio evincitur ex Apostolo 1. Corinth. 7. v. 25. & sequent. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, & rursus: *Bonum est mulierem non tangere*, & iterum: *Dico autem innuptis, & viduis, bonum est, si sic permanserint, sicut & ego*, prætetea: *Qui matrimonio jungit virginem, benefacit, & qui non jungit, melius facit*, & de vidua ait idem Apostolus: *Cui vult nubat, tantum in Domino: beatior autem erit, si sic permaneat, secundum meum consilium, puto autem, quod & ego Spiritum DEI habeam.* Quod ad paupertatem attinet voluntariam, hæc nec etiam præcipitur, sed tantùm suadetur, ut medium perquam utile ad perfectionem, & ostenditur ex illo Matth. 19. v. 21: ubi Christus ait: *Si vis perfectus esse vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo & veni, sequere me*: hoc autem non esse præceptum necessarium ad salutem, sed consilium perfectionis satis claret ex verbis Christi, quia interroganti adolescenti quid faceret, ut salvus fieret, respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, ubi ostendit, observantiam mandatorum sufficere ad salutem, postea subdit: *Si vis perfectus esse*, hoc est, si non es contentus æterna vita, sed in eadem desideras gradum eminentiorem, *vade, & vende omnia*, non dixit volo, jubeo, præcipio tibi, ut vidas, & vendas omnia, quæ habes, & des pauperibus, sed optio datur adolescenti, cùm dicitur, si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, cæterum si adolescens nollet hunc gradum perfectionis, adhuc posset servare præcepta legis, & æternam consequi salutem, quamvis non ita perfectè. Rursus venditionem bonorum omnium non esse præcepti, sed consilii ex eo liquet, quia si foret præceptum, non posset aliud esse, quam præceptum charitatis: & hoc non est, consequenter nullum est præceptum, sed purum consilium suadens, non obligans. Minor ostenditur, quia charitas erga proximum non exigit, ut omnia nostra proximis donemus, & nihil nobis reservemus: sed præcepto satisfacimus, si ita indigentibus nostra elargiamur, ut partem rerum nostrarum retineamus. Tum quia, si esset præceptum necessarium, ad salutem omnes fideles obligarentur, ad sua omnia vendenda, & pauperibus donanda: atqui certum est, ad id neminem obligari, ergo est purum consilium, non vero præceptum obligans. Neque urget, quod respondent Lutherani, præcepta divina non omni tempore obligari, sed tantùm cum opportunitas, & necessitas se offert, proinde præceptum hoc non obligare, nisi in extrema proximi indigentia. Nam contra est, quia tametsi indigentia proximi sit extrema, adhuc satisfit obligationi Christianæ charitatis, si proximo extremè indigenti ita opitulemur, ac elargiamur necessaria ad victum, & vestitum, ut adhuc plura nobis retineamus, quibus & nobis consulamus: si igitur in illa proximi extrema indigentia non tenemur omnia nostra divendere, & distribuere pauperibus, consequenter ad hoc præceptum nunquam tenemur, si nunquam obligari possumus. Superest obedientia voluntaria, quæ etiam habetur opus supererogationis, ut ostenditur ex illo Matth. 19. ubi Christus adolescenti dicit, *sequere me*, sequi enim Christum perinde est, ac Christum imitari, *& Christus factus est obediens usque ad mortem*, ut ait Apostolus ad Philipp. 2. Unde qui Christum sequitur, debet fieri obediens, ac voluntatem suam abnegare, cum dicat Christus Matth. 16. v. 24. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me.* Se ipsum abnegare, est judicio suo, & affectibus renuntiare; seque alterius judicio subjicere, & accommodare: quod totum ad virtutem pertinet obedientiæ. Idque non solùm de obedientia præstanda DEO intelligendum est; verùm etiam de ea, quæ hominibus præstatur, dum illis propter DEUM voluntariè nos subjicimus: quia cum per verba, *sequi Christum*, intelligitur, Christum imitari; & Christus obediverit DEO, & hominibus, quibus se sponte subjecit, *& erat subditus illis*, Luc. cap. 2. v. 5, debent hoc idem præstare, qui sequuntur Christum, seu illius actiones imitantur; per votum enim obedientiæ se aliis hominibus subjiciunt; præsertim si præsint, sintque præpositi, de quibus ait Christus Luc. 10. *Qui vos audit, me audit*; & Apostolus ad Hebræ. 13. *Obedite præpositis vestris.* Hanc tamen obedientiam, de qua Christus loquitur, non esse præcepti, sed consilii, ex eo liquet; quia Christus adolescenti dixit, *sequere me*, cui antea dixerat; *si vis perfectus esse*, & cum hoc prius fuerit tantùm consilii; erit etiam consilii illud, *sequere me*, seu me imitamini in obedientia, aliisque virtutibus.

Supersunt evertenda fundamenta, quibus nituntur hæretici; quorum primum est DEI præceptum: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde, ex tota anima tua, ex tota mente, & ex omnibus viribus tuis*: ex quo inferunt, nil posse in hominibus excogitari, quin DEO sit debitum, proinde nil possumus supererogationis illi præstare; quia, quantum facimus, & multo ampliora DEO debentur; alioquin eum non diligeremus ex toto corde, & ex totis viribus, quia aliquid præstaremus, quod DEO non deberetur. Sed contra, quia per verba illa ex toto corde, anima, mente, & viribus, non præcipimur DEUM diligere secundùm omnes, ac singulos perfectionis gradus, intra quos continentur opera supererogationis: sed tantùm, ut amori DEI nil anteponamus, vel æquemus; sed DEUM præferamus omnibus aliis, eúmque amemus super omnia; adeo ut amor DEI appretiativè sit super omnia; & non sit necesse, ut etiam intensivè. Quod si dicas per particulas, *ex toto, & ex omni*, significari omnem possibilem dilectionis intentionem; falsum enim est, per illas particulas exprimi omnem possibilem intentionem; sed sufficit, si appretiativè DEUM diligamus super omnia, & parati simus potiùs centies mori, quàm semel DEUM graviter delinquendo offendere ex adhæsione ad aliquam creaturam; unde per illas particulas monemur syncère, & magno conatu DEUM diligere; & quia in hac dilectione plures dantur gradus intentionis, potest quis præcepto satisfacere, tametsi minus intensè eum diligat, dummodo appretiativè amet super omnia. Illæ enim particulæ, *ex toto, ex omni*, in sacris scripturis non significant semper totum, & omnem gradum intentionis; sed plerumque partem majorem, quamvis aliquam partem ex toto non excludant, Matth. 2. v. 3. *Turbatus est Herodes, & omnes Hierosolyma cum illa*; seu turbata est major pars civium habitantium in Jerusalem. 2 Reg. 15. v. 13. *Toto corde universus Israel sequitur Absolonem.* Genes. 31. v. 6. *Scitis, quod totis viribus servierim Patri vestro*: & tamen Jacob id temporis plura alia præstitit servitia aliis. Et plura alia possent adduci scripturæ loca, in quibus præfatæ particulæ significant tantùm maximam partem rei, de qua agitur; quamvis aliquam partem excludat. Opponunt secundo illud Christi mandatum Matth. 5. *Estote perfecti*: ex

quo inferunt, cuncta, quæ ad assecutionem salutis agimus, ex DEI præcepto nos facere; proinde non dantur hæc opera, quæ dicuntur supererogationis. Sed contra negatur consequentia; quia duplex datur perfectio, una, quæ consistit in plena mandatorum observantia, & hæc perfectio necessaria est ad salutem, ad quam omnes obligamur; qoia tenemur omnes servare mandata legis, si volumus æternam consequi salutem: *Si vis in vitam ingredi, serva mandata.* Alia est perfectio præstantior, quæ non simpliciter ad salutem necessaria est; sed tantùm ad excellentiorem gradum gloriæ consequendum, & consistit non solum in adimpletione totius legis, sed etiam in observatione consiliorum; & hanc perfectionem DEUS suadet, sed non præcipit: non enim tenentur omnes omnia sua divendere, & pretium distribuere pauperibus; neque tenentur omnes cœlibes vivere ad servandam castitatem. Alia producunt Calvinistæ argumenta, quæ tamen falsò nituntur supposito, scilicet DEI præcepta esse observatu impossibilia; ex quo inferunt, nulla dari opera supererogationis; quia cum impossibile sit facere, quæ nobis præcipiuntur; multò minus valebimus ea bona opera agere, ad quæ non obligamur. Quod totùm, quàm falsum sit, supra ostendimus.

CAPUT IX.

An Christus satisfecerit pro debito humani generis ex toto rigore justitiæ.

Certum est Christi satisfactionem datam æterno Patri pro debito humani generis, seu pro offensa ei illata ab hominibus fuisse condignam, quatenus fuit tanti valoris, & dignitatis, ut collata cum offensa fuerit illi æqualis in morali æstimatione, adeo ut fuerit condigna ex se ab intrinseco valore, ita communiter docent Theologi cum D. Thoma 3. part. quæst. 1. art. 2. ad 2. idque evincitur ex scripturis, ad Roman. 5. scribit Apostolus: *Sed non sicut delictum, ita & donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia DEI, & donum in gratia unius hominis JESU Christi in plures abundavit.* Ubi Apostolus ad redimendum humanum genus præfert meritum Christi demerito Adæ ad perdendum omnes: ergo à fortiori Christi meritum est ex se sufficiens & condignum ad reparandas ruinas, quas mundo intulit Adæ peccatum; alioquin efficacius fuisset Adæ peccatum ad perdendum, quàm Christi meritum ad salvandum. Ratio est, quia illa satisfactio est condigna ab intrinseco, cujus valor ex se, & ex natura sua in morali æstimatione adæquat gravitatem injuriæ alteri illatæ: sed satisfactio Christi seclusa omni extrinseca acceptione, & pacto adæquat ex se, & ex natura sua in morali æstimatione gravitatem injoriæ DEO illatæ: ergo est condigna ex se, & ex natura sua ab intrinseco. Major & consequentia tenent. Minor probatur: Quia opera Christi ex natura rei procedebant à persona divina: ergo ex natura rei, & ab intrinseco seclusa DEI acceptatione vel pacto habebant condignitatem intrinsecam, & valorem ab intrinseco satisfactorium ad æqualitatem pro offensa DEO ab hominibus irrogata: antecedens liquet, quia actiones sunt suppositorum, proinde valor satisfactorius pensatur ex eo, quod sit satisfactio DEI, seu infiniti valoris. Præterea qoia non est minus potens dignitas personæ satisfacientis, ad valorandum actum satisfactorium, quàm sit potens dignitas personæ offensæ, ad refundendam gravitatem injuriæ sibi allatæ: ergo si persona satisfaciens sit divina, non minorem dat valorem actui satisfactorio, quàm persona divina gravitatem injuriæ sibi illatæ: & cum satisfactio Christi sit satisfactio personæ divinæ; ejus valor ex natura sua, & ab intrinseco est infinitus. Firmari etiam ex eo potest, quia eatenus DEUS prædestinavit Christum Redemptorem, quia non inveniebatur alia hostia sufficiens ad placandum DEUM offensum, & ad expianda peccata humani generis, consequenter oblatio Christi in cruce fuit ab intrinseco, & ex natura rei pretium æquale pro debito contracto per culpam ab humano genere. Antecedens asseritur ab Apostolo, *impossibile enim est*, sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata ideo ingrediens in mundum dixit: *hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptâsti mihi*, non loquitur Apostolus de materiali sanguine taurorum, & hircorum, cum certum esset, non valere ad abstergendas spirituales maculas animarum, neque ad placandum DEUM, sed Apostolus loquitur de actibus ipsis humanis, quibus sanguis ille effundebatur in DEI honorem, & gloriam: & de iisdem actibus asserit, impossibile esse, quòd valeant DEUM placare, & peccata delere. Firmatur ulterius, quia DEUS eatenus voluit placari morte, & sanguine Christi, ad ostendendam suam justitiam, ut ait Apostolus ad Roman. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo JESU, quem proposuit DEUS propitiatorem in sanguine suo, ad ostensionem justitiæ suæ*: ex quo sequitur, satisfactionem Christi fuisse ex natura sua æqualem debito, alioquin si fuisset inæqualis debito, & DEUS sua bonitate supplevisset, quod ei deerat, non posset in illo ostendi DEI justitia, quia hæc exigit æqualitatem.

Certum est secundò, valorem satisfactionis Christi non solùm fuisse condignum ad æqualitatem, & sufficientem pro peccatis totius humani generis, verùm etiam superexcedentem, & superabundantem intrinsecè, & ex natura rei. Quòd fuerit superabundans, liquet ex scripturis Psalm. 129. *Et copiosa apud eum redemptio.* Isaiæ. 40. *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis.* Job. 6. *Utinam appenderentur peccata, quibus iram merui, calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret.* Ubi Expositores pro statera intelligunt Christum Dominum, eò quòd ejus passio longè major, ac dignior fuit peccatis omnium hominum, ut indicat Apostolus ad Roman. 5. *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Quòd verò Christi satisfactio fuerit etiam superabundans ex intrinseco, & ex natura rei, ostenditur, quia Apostolus instituens comparationem inter Adæ delictum, quoad vim nocendi; & merita Christi quoad virtutem sanandi, præfert efficaciam meritorum efficaciæ peccatorum, inquiens ad Roman. 5. *Non sicut delictum, ita & donum, si enim*

si enim unius delicto mortui sunt, multo magis gratia DEI, & donum in plures abundavit. Et in calce ejusdem capitis subdit: *Ubi abundavit delictum, superabundavit, & gratia.* Ex hisce Apostoli verbis Sancti Patres efficaciter probant, fuisse longè validius donum Christi ad gratiam comparandam, quam peccatum primi parentis ad mortem inferendam: Observant Sancti Patres postrema verba Apostoli, *ubi abundavit delictum*, illud adverbium *ubi* referri ad humanam naturam, quasi Apostolus diceret in eadem natura humana, in qua delicta abundaverant, gratiæ affluentiam ex Christi Domini justitia superabundasse: id autem verum non esset, nisi Christi satisfactio excessisset ab intrinseco, & ex natura rei debita, quæ per peccata contraximus: etenim si Christi satisfactio non fuisset ab intrinseco superabundans, non rectè diceretur, magis abundare, quàm peccatum, quòd etiam ab intrinseco, & ex natura rei habuit vim nocendi omnibus hominibus, & satisfactio Christi habuisset virtutem meritoriam, & satisfactoriam tantùm ab extrinseco favore, & acceptatione divina, unde Apostolus fuit locutus de excessu intrinseco, & superabundantia ex natura rei valoris satisfactorii Christi. Tum quia ad Coloss. 2. loquens de Christo ait: *Delens quod adversus nos erat Chyrographum & traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso:* sin autem Christi satisfactio non ex se, & ab intrinseco, sed tantùm ex acceptione DEI extrinseca fuisset superabundans, Christus non in se ipso de nobis à se redemptis triumphâsset, sed potiùs in DEI acceptatione. Tum quia idem Apostolus 1. ad Corinth. vocat nos redemptos pretio magno passionis Christi. *Redempti pretio magno.* Sed pretium emptionis habet in se valorem intrinsecum condignum cum re empta, ergo valor satisfactorius Christi fuit ex se, & ab intrinseco magnus, & superabundans, & non ex DEI extrinseca acceptatione. Ratio etiam id evincit, quia valor satisfactorius Christi excedit ab intrinseco, & ratione sui gravitatem offensæ lethalis in morali æstimatione; sed quod aliud excedit in aliquo ordine, & in illo ordine excedens, & superabundans ratione sui, & ab intrinseco, alioquin non excederet ratione sui, ergo satisfactio Christi est ab intrinseco, & ratione sui superabundans, minor, & consequentia tenent, major evincitur, quia gravitas offensæ lethalis fundatur in unione affectiva, cum divina majestate offensa, quatenus per peccatum lethale DEUS affectivè subjicitur offensori: atqui valor satisfactionis Christi fundatur in unione physica personæ Verbi operantis, & satisfacientis cum operationibus à Christi humanitate elicitis, eò quia persona infinita, & divina satisfaciens subjicit se mediatè DEO offenso per peccatum hominis, quatenus humanitas Christi physicè unitur supposito divino: sed valor fundatur in unione hypostatica, & physica est major in morali æstimatione, ipsa gravitate offensæ, quæ tantùm fundatur in unione effectiva, consequenter valor satisfactionis Christi est major ratione sui, & ab intrinseco, quàm sit gravitas lethalis offensæ. Et firmari ex eo potest, quia quo forma perfectiori modo unitur subjecto, eo ejus effectus est præstantior: hinc actus increatus, si meritorius esset majoris foret valoris meritorii, quàm actus Christi elicitus media humanitate; quia tametsi eadem esset forma, quæ valoraret operationem Christi, & valoraret actum increatum: adhuc quia actui increato conveniret per essentiam, & actui creato Christi non per essentiam, sed per communicationem, ideo valor, qui proveniret ab actu increato, esset præstantior, & in dignitate excederet valorem intrinsecum actus creati valorati per eandem formam, sed Deitas ut valorans operationes Christi præstantiori modo iisdem unitur, quàm offensa lethalis uniatur DEO, cui injuria irrogatur: quia nonnisi moraliter offensa lethalis DEO unitur, quatenus DEUS in morali æstimatione censetur, pati talem injuriam, ac esse subjectam talis offensæ, sed operationes Christi fundantur in unione physica, & immediata Verbi cum humanitate: consequenter plus valoris refundit Verbum divinum in operationes elicitas ab humanitate ut terminata per suppositum divinum, cui hypostaticè unitur, quàm refundat gravitatis offensæ DEUS, cui injuria irrogatur, proinde Christi satisfactio pro offensa, est superabundans ab intrinseco, & ex natura rei.

Certum est tertiò, valorem satisfactorium Christi Domini fuisse simpliciter infinitum in morali æstimatione, ut docent communiter Theologi cum D. Thoma in 2. *distinct.* 9. *quæst.* 1. *art.* 8. & 3. *part. quæst* 48 *art.* 2. *ad* 3 Idque etiam evincitur ex scripturis Psalm 129. *Copiosa apud eum redemptio.* 1 Joan. 2. *Non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi*, in hisce textibus quamvis expressè non adstruatur infinitas satisfactionis Christi, indicatur tamen valor quidam ipsius inæstimabilis, & ex testimonio Joannis infertur, Christi satisfactionem esse sufficientem pro infinitis peccatis, quod verum non esset, nisi valor satisfactorius Christi esset itidem infinitus. Tum quia valor satisfactorius pro culpis syncathegorematicè infinitis non potest convenire satisfactioni, nisi hæc sit valoris simpliciter infiniti, sed Christi satisfactio habet valorem satisfactorium sufficientem pro peccatis syncategorematicè infinitis, ergo in ratione valoris est satisfactio simpliciter infinita. Tum quia vis effectiva physica effectum in perfectione inæqualium in infinitum absque termino est propria causæ infinitæ physicæ: siquidem vis ad effectus syncategorematicè infinitos inæqualis perfectionis arguit in causa virtutem infinitam: ergo vis effectiva in genere moris effectuum sine termino inæqualium convenire non potest actioni, nisi hæc in genere moris sit simpliciter infinita, quia vis satisfactoria pro culpis syncategorematicè infinitis continet moraliter effectus inæquales absque termino; consequenter arguit valorem in morali æstimatione simpliciter infinitum, quia repugnat effectum infinitum contineri in causa finita, quia effectus excederet suam causam, & secundum mensuram effectus esset effectus sine causa. Tum quia opera Christi habent valorem simpliciter infinitum, si valoris tam satisfactorii, quàm meritorii forma intrinseca constitutiva est simpliciter infinita, sed hujusmodi se habent opera meritoria Christi, quæ propterea sunt valoris simpliciter infiniti Major ex eo liquet, quia forma intrinsecè infinita præbet effectum formalem itidem infinitum, quia effectus formalis formæ est ipsa forma, ut exhibita subjecta, proinde si forma fuerit infinita, necesse est, ut etiam ejus effectus formalis sit infinitus. Minor ostenditur. quia id, quo operationes Christi per se primò, & formaliter accipiunt, ut sint acceptabiles ad præmium, & compensationem pro peccatis est forma intrinseca constitutiva valoris meritorii, & satisfactorii: sed Christi operationes per infinitam dignitatem Verbi divini accipiunt per se primo formaliter hanc acceptabilitatem

ad præmium, & compensationem pro peccatis: sicut enim opera hominis justi à dignitate personæ operantis, seu à gratia habituali accipiunt intrinsecam condignitatem meriti, & satisfactionis pro peccato veniali, ut liquet, sequitur, quòd etiam opera Christi à dignitate personali, & infinita Verbi divini accipiant valorem infinitum, præsertim cùm opera Christi sint intrinsecè theandrica, seu divina, & humana, quapropter liquet, operationes Christi esse infiniti valoris, alioquin non essent divinæ & humanæ; nec essent actiones DEI hominis. Præterea quia opera satisfactoria Christi procedebant à supposito simpliciter infinito, seu à persona divina, ergo ex natura rei, & ab intrinseco erant simpliciter infiniti valoris in ratione satisfactionis. Antecedens liquet, quia actiones, ut docet Philosophus, sunt suppositorum, consequentia ostenditur, quia valor satisfactorius crescit ex dignitate & persona satisfaciente: sed persona satisfaciens est infinitæ dignitatis, consequenter ejus satisfactio est infiniti valoris. Quòd satisfactio crescat ad incrementum dignitatis personæ satisfacientis, ex eo liquet; quia si Rex detegat suum caput, ut honoret alium, pluris æstimatur, quam genuflexio viri nobilis, præsertim si Rex id faciat in recompensationem injuriæ alicui irrogatæ: quia tametsi operans non sit principium *quo* operationum, est tamen principium *quod*.

Difficultas est, an Christi satisfactio fuerit ex toto rigore justitiæ, juvat observare sex assignari conditiones requisitas ad valorem satisfactionis ex toto rigore justitiæ, quarum prima est, ut sit adæquata: secunda ad alterum veluti actus justitiæ, quæ est virtus ad alterum: tertia ex bonis propriis: quarta cum alteritate jurium. adeo ut dominium debitoris non sit subjectum dominio creditoris: quinta ut non sit alio titulo debita, & sexta, ut creditor obligetur acceptare talem satisfactionem. Dicendum est, Christi satisfactionem fuisse ex toto rigore justitiæ, & quidem non defuisse eidem primam conditionem sitam in eo, ut satisfactio sit adæquata, ex eo liquet, quia ex præcedentibus liquet, Christi satisfactionem non solùm fuisse adæquatam, sed etiam superabundantem, ac fuisse simpliciter infinitam, adeo ut de hac prima conditione non superfit difficultas, sed tantùm de aliis. Doctores in duas dividuntur sententias, quarum prima docet fuisse quidem satisfactionem Christi perfectam ex rigore meriti, & condignitatis, eò quia fuerit æqualis, imò & superabundans pro offensa DEO illata, non tamen hæc sententia concedit fuisse perfectam de rigore justitiæ, ex defectu reliquarum conditionum. Secunda sententia asserit, satisfactionem Christi non solùm fuisse perfectam de rigore meriti, & condignitatis, verùm etiam de toto rigore justitiæ, eò quia habuerit omnes conditiones, quæ requiruntur ad hanc satisfactionem de toto rigore justitiæ, quæ sententia præferenda est, quia ille modus satisfactionis est tribuendus satisfactioni à Christo exhibitæ pro peccatis humani generis, quem eidem tribuunt scripturæ, Patres: sed scripturæ, Patres tribuunt modum ex toto rigore justitiæ, quia Christus satisfecit pro hominibus satisfactione proveniente ex perfecta justitia, sed nequit esse satisfactio ex perfecta justitia, nisi sit de rigore justitiæ, siquidem deficere à rigore justitiæ, est deficere à perfectione justitiæ, unde si satisfactio Christi fuit de perfecta justitia, fuit etiam de toto rigore justitiæ, consequenter habuit omnes conditiones, quæ requiruntur ad rigorem justitiæ: Quòd verò scripturæ tribuant satisfactioni exhibitæ à Christo modum ex toto rigore justitiæ, probatur ex illo, 1. ad Corinth. 1. ubi Apostolus loquens de Christo ait: *Qui factus est nobis sapientia, & justitia, sanctificatio, & redemptio.* Quòd si justitia certè non imperfecta, ergo perfecta, & ex toto rigore, quia hæc est perfectio, quæ Christo erat debita, ratione divinitatis hypostaticè unitæ humanitati. Rursus Apostolus ad Roman. 3. loquens de Christo ait: *Proposuit propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ:* atqui justitia Christi non potuit imperfecta esse, sed perfecta ratione personæ, consequenter hæc propitiatio per fidem in sanguine Ipsius facta fuit ad ostensionem perfectissimæ justitiæ, seu de toto rigore justitiæ, hinc Apostolus ad Roman. cap. 5. *Sicut per unius delictum in omnes in condemnationem: sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* & ad Coloss. 2. Christus dicitur *delens, quod adversus nos erat Chyrographum decreti.* Quòd si delevit Chyrographum decreti jam plenè satisfecit, consequenter & de toto rigore justitiæ alioquin Chyrographum non fuisset deletum. Hinc Isaiæ 51. & Jeremiæ 33. Christus vocatur *Justus, & germen justitiæ*, & David loquens de Christo ait Psalm. 97. *Revelavit justitiam suam.* Idque etiam infertur ex pluribus aliis scripturæ locis, in quibus Christus dicitur nos emisse, redemisse, pro nobis solvisse, satisfecisse, emere autem & delere Chyrographum, sunt proprii actus justitiæ, unde ex scripturis satis apertè constat, Christum pro peccatis hominum satisfecisse ex justitia: sed non satisfecit ex justitia imperfecta, alioquin non plenè, & tantùm imperfectè pro nobis satisfecisset: ergo satisfactio Christi fuit ex perfecta justitia, proinde ex toto rigore, quia si deesset aliqua conditio, quæ exigeretur à rigorosa justitia, jam deficeret à perfecta justitia; ergo Christi satisfactio fuit ex toto rigore justitiæ. Ratio itidem hoc idem evincit, quia illa satisfactio est de rigore justitiæ, quia reparatur ad æqualitatem justitiæ violatæ per offensam, & habet omnes conditiones, quas exigit rigorosa justitia: sed Christus satisfecit ad æqualitatem, quatenus reparavit perfectissimè justitiam violatam per offensam, & ejus satisfactio habuit omnes conditiones requisitas ad rigorem justitiæ, ergo Christi satisfactio fuit de toto rigore justitiæ. Major & consequentia tenent, minor ostenditur quoad primam partem, seu quod satisfecerit ad æqualitatem, jam constat ex prædictis, quòd verò habuerit cæteras conditiones requisitas ad perfectam justitiam superest probandam, unde

Dicendum est secundò, Christi satisfactionem habuisse conditionem, quæ est, esse ad alterum. Aristoteles 5. *Ethic. cap.* 1. & 2. docet: *Justitiam, & injustitiam ejusdem ad se ipsum esse non posse,* & concludit, justitiam debere esse ad alterum, ut etiam injustitiam, quia nemo intendit lædere se ipsum: ex quo sequitur, quod neque ad se ipsum possit esse satisfactio, quia hæc supponit injuriam, quæ sicut alterum respicit, ita satisfactio debet ad alterum esse. Hinc oritur difficultas contra nostram assertionem, petita à secunda conditione requisita ad satisfactionem de toto rigore justitiæ, siquidem satisfactio debet necessario esse ad alterum: sed Christi satisfactio non fuit ad alterum, ergo non fuit de toto rigore justitiæ, minor, in qua est difficultas ostenditur,

quia

in Christi satisfactione satisfaciens fuit suppositum Verbi subsistens in humanitate, & satisfactio fuit facta DEO: & inter Verbum divinum satisfaciens, & Deum offensum, cui facta fuit satisfactio, nulla datur distinctio realis, alioquin suppositum Verbi non esset DEUS, quod adversatur fidei: ergo satisfactio Christi non fuit de toto rigore justitiæ, quia non fuit ad alterum, & deficit à præcipua conditione rigorosæ justitiæ. Præterea quia Christus eadem satisfactione, qua satisfecit Patri, & Spiritui Sancto, satisfecit toti Trinitati, consequenter etiam sibi ipsi, ut erat persona divina, consequenter non potuit hæc satisfactio esse ad alterum, nec de toto rigore justitiæ ob defectum secundæ conditionis. Ad satisfaciendum huic argumento plures adinventæ sunt responsiones. Respondent aliqui cum Vasquez *disput. 9. cap. 2. n. 86.* Satisfactionem Christi non processisse à Verbo, ut subsistente in humanitate, sed fuisse ipsam humanitatem, quæ satisfecit, & cui satisfactio tribuitur non solùm ut principio *quo* operandi, verùm etiam ut principio *quod*, adeo ut supposito Verbi nonnisi remotè, & per communicationem idiomatum tribuatur satisfactio, quia inter humanitatem satisfacientem, & Deum, cui fit satisfactio, intercedit vera, & realis distinctio, sequitur satisfactionem Christi, verè, & propriè fuisse ad alterum, ac servasse hanc conditionem requisitam à justitia de toto rigore. Quòd humanitas satisfecerit non solùm ut principium *quo*, verùm etiam ut principium *quod* proximè, & immediatè evincitur ex illo Apostoli 1. ad Corinth. 1. *Factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio:* & D. Athanasius epistol. ad Epictetum verba Apostoli intellexit de humanitate Christi, sed de Christo verè asserimus, fuisse nobis redemptionem ut *quod*, adeo ut fuerit principium *quod* nostræ redemptionis: ergo cum Christi humanitas fuerit, quæ satisfecit DEO offenso, sequitur satisfactionem Christi fuisse ad alterum. Probant ulterius, quia D. Thomas *3. part. quæst. 26. art. 7.* docet, Christum non fuisse Mediatorem ut Deum, sed ut hominem, & particulam *ut* non sumi specificativè, sed reduplicativè, quia ut homo specificativè est Deus, consequenter specificativè non potest salvari conditio ad alterum; nec Christus specificativè fuit Mediator. Præterea quia D. Thomas docet, munus redemptionis pertinere ad divinitatem remotè non proximè: consequenter Christus ut homo reduplicativè satisfecit, & fuit principium *quod* nostræ redemptionis, consequenter humanitas fuit, quæ satisfecit ut principium *quod*, ex quo sequitur, Christi satisfactionem fuisse ad alterum, & ex hac conditione fuisse de toto rigore justitiæ. Probant etiam tertiò, quia cùm satisfactio sit actio satisfactoria, illud fuit principium *quod* satisfactionis, quòd fuit principium *quod* proximum ipsius operationis: sed principium proximum *quod* operationum elicitarum ab humanitate non fuit Verbum, sed sola humanitas: quia Verbum non magis influit in operationes elicitas ab humanitate, quàm influat aqua calida ad producendum calorem, cujus principium proximum *quod* non est aqua, sed calor, adeo ut calor productus nonnisi denominativè tribuatur aquæ, ergo principium proximum *quod* satisfaciens, cum non fuerit Verbum, sed humanitas, adeo ut Verbo nonnisi denominativè, & per communicationem idiomatum tribuatur satisfactio, & humanitati proximè, sequitur Christi satisfactionem fuisse ad alterum. Sed hæc solutio non satisfacit, estque contra communem Theologorum sententiam docentium, Christi humanitatem non esse principium *quod* satisfactionis, sed tantùm principium *quo*, asserentes, principium *quod* esse ipsum suppositum divinum, seu personam Verbi ut sustentantem humanitatem: & id colligunt ex omnibus illis scripturæ locis, in quibus satisfactio tribuitur Christo, ad Galat. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum:* verba sacræ scripturæ accipienda sunt in toto rigore, ac proprietate verborum, quando inde non sequitur inconveniens juxta vulgarem regulam Sanctorum Patrum, præsertim Augustini *lib. 3. de doctrina Christi cap. 10.* atqui per hoc, quod satisfactio tribuatur Christo, seu Verbo sustentanti humanitatem, non sequitur ullum inconveniens, ergo suppositum divinum ut subsistens in humanitate satisfecit, ut principium *quod*, id enim magis conducit ad perfectam satisfactionem de toto rigore justitiæ, consequenter non humanitas, sed suppositum Verbi satisfecit pro nobis ut principium proximum *quod.* Minor ostenditur, quia, ut aliqua propositio in proprietate sermonis vera sit, requiritur necessario, ut prædicatum conveniat ut *quod* illi, pro quo ut *quod* supponit objectum, quia prædicatum & subjectum debent supponere pro eodem: atqui hoc concretum Christus non supponit pro humanitate, sed pro Verbo in humanitate subsistente, siquidem nomen concretum non pro natura, sed pro supposito subsistente in natura supponit, quo pacto hoc nomen concretum *homo* non supponit pro humanitate, sed pro supposito subsistente in humanitate, quamvis de formali significet humanitatem, ut formam totius concreti; perinde ac album de formali significat albedinem, quæ est forma concreti, quod dicitur album: & supponit pro corpore habente albedinem: ergo ut hæc propositio, *Christus satisfecit pro nobis*, vera sit, debet satisfactio convenire, ut *quod* supposito divino subsistenti in humanitate.

Quòd verò concretum, licèt significet formam, supponat pro supposito, ex eo etiam liquet, quia eatenus hæc propositio, *album est albedo*, est falsa, quia prædicatum, & subjectum non supponunt pro eodem, quod requiritur, ut propositio vera sit: eodem pacto hoc nomen concretum *Deus*, quia non supponit pro Deitate, sed pro habente Deitatem; hæc propositio, *DEUS genuit Deitatem*, est falsa, quia Deitas est ipsa essentia, quæ non generatur ad intra. Ad id, quod respondebant aliqui cum Vasquez, respondetur, humanitatem esse tantùm principium *quo* nostræ redemptionis; & suppositum Verbi, ut subsistens in humanitate principium *quod* proinde humanitas dicitur pro nobis sapientia, sanctitas, justitia, & redemptio nostra, quia fuit principium *quo* nostræ redemptionis, quatenus suppositum Verbi, quod subsistit in humanitate, & est principium *quod* nostræ redemptionis, per humanitatem, ut per principium *quo* satisfecit. Ad aliud de Christo Mediatore, respondetur, Christum ut hominem dici Mediatorem inter nos, & Deum, quia concretum quod dicitur Christus, importat suppositum divinum, ut subsistens in natura humana, quæ fuit principium *quo* nostræ redemptionis, & Verbum divinum ut subsistens in natura humana principium *quod*, & quia satisfecit mediante humanitate ut principio *quo* rectè totum concretum, quod dicitur Christus, pro nobis asseritur satisfecisse, ac dicitur Mediator inter Deum, & hominem, quia ut subsistens in humanitate non est purus Deus, nec purus homo; sed veluti quid medians inter purum Deum, & purum hominem. Ad tertium negatur minor, quia humanitas non fuit principium *quod* nostræ redemptionis; sed tantùm principium *quo*; alioquin non nisi impropriè

propriè Christus diceretur pro nobis satisfecisse; sicut non nisi impropriè aqua calida dicitur calefacere; sicut calor in aqua est, quæ calefacit; ita Verbum divinum in humanitate est, quod pro nobis satisfecit ut principium *quod*, & humanitas ut subsistens subsistentia Verbi ut principium *quo*. Præterea Verbum divinum complet humanitatem in ordine ad existendum, consequenter etiam in ordine ad operandum, quatenus fungitur munere subsistentiæ creatæ; & sicut subsistentia creata per se concurreret ad operationem; ita subsistentia increata in Christi humanitate concurrit ad operationes à Christo elicitas, ut complementum humanitatis constituens suppositum ut *quod* in ordine ad operandum; ideo ut subsistentia Verbi per se, & non per accidens influat in operationes humanitatis, & comparetur ad ipsas ut principium *quod*; & humanitas ut principium *quo*; Hinc patet discrimen de aqua calida, quia aqua non complet naturam caloris, sed tantùm gerit vices subjecti, quinimo calor est potius contrarius naturæ aquæ, quæ propterea non operatur, ut principium *quod* per se requisitum ab actione caloris ratione sui: siquidem ut calor calefaciat, non exigit naturam aquæ, quæ vicem gerit alicujus requisiti à calefactione; quo fit, ut aqua calida tantùm dicatur calefacere, ut principium *quod* remotè, denominativè, & per accidens, non verò denominativè per se perseitate essentiali, aut connaturali. quia nullo ex his modis calor exigit aquam ad calefaciendum: sed tantùm dicitur aqua calefacere denominativè per accidens, quatenus calor, quia est quoddam accidens, exigit inhærere alicui subjecto: quod verò subjectum præter naturale, sit aqua vel ferrum id per accidens se habet, quia calor ex natura sua non exigit tale subjectum per se, ut est talis specifica qualitas, sed tantùm ratione qualitatis ut sic, quæ exigit inhærere subjecto, ex quo fit, ut aqua tantùm denominativè per accidens, & remotè dicatur principium *quod* calefactionis. Secus personalitas Verbi non per accidens, sed per se concurrit ad operationes humanitatis, & non per modum principii *quo* earundem, sed ut principium *quod* proximum operans, eò quia sit complementum principii *quo*, seu humanitatis, in qua vicem gerit propriæ subsistentiæ.

Respondetur igitur ad argumentum, ad rationem rigorosæ justitiæ sufficere, si satisfactio sit realiter æqualis offensæ sive relatio, qua satisfactio, & persona satisfaciens ad Deum, ut offensum, & ad offensam ipsam referuntur, sit realis vel rationis, quia Deus non refertur ad creaturas relatione reali, sed tantum rationis, ut docet D. Thomas 1. *part. quæst.* 13. *art.* 7. & nihilominus Deus dicitur realis Dominus creaturarum, ergo tametsi relatio æqualitatis, qua satisfactio ad offensam, & Christus satisfaciens ad Deum ut offensum referuntur, non sit realis, sed rationis; adhuc satisfactio dici potest realis, & æqualis offensæ, ut etiam Christus dici potest, satisfecisse realiter æqualiter pro offensa. Quamobrem cum Verbum divinum satisfecerit æterno Patri. non simpliciter ut est secunda persona, sed ut subsistens in natura humana, quam complet in ratione subsistentiæ consequenter & operationis, sequitur ejus satisfactionem fuisse ad alterum, quia ut subsistens in humanitate non est purus Deus, nec purus homo, proinde quid medium distinctum à puro DEO, & puro homine, proinde satisfecit æterno Patri, & toti Trinitati ex alienis respectu personarum, & ex propriis respectu Christi, DEI & hominis.

Dicendum est tertiò, satisfactionem Christi exhibitam DEO Patri pro peccatis humani generis fuisse ex bonis propriis, & aliis indebitis DEO creditori proinde fuisse satisfactionem ex rigore justitiæ, quæ exigit, ut satisfaciens ex bonis propriis satisfaciat, & non ex bonis alio titulo debitis creditori. Ratio est, quia dupliciter possunt bona debitoris deberi DEO creditori, primò ex vi dominii universalis tantum; secundò universalis, & particularis simul. Tametsi respublica habeat universale dominium in bona civium, hoc tamen non impedit, quò minus possint cives veros contractus inire cum republica: sicut etiam Vasallus, seu Fiduciarius, quamvis habeat tantùm dominium utile sui fundi, adhuc potest ex fructibus ejusdem fundi satisfacere Domino ex toto rigore justitiæ, & veros actus justitiæ commutativæ erga illum exercere. quia dominium universale non tollit particulare, sicut nec causalitas universalis impedit particulares causalitates causarum inferiorum. Quamobrem licèt operationes elicitæ ab humanitate Christi fuerint sub dominio generali Dei, adhuc fuerunt sub dominio particulari Christi: & de ratione dominii particularis est, ut Dominus possit super rem aliquam dare talem facultatem, ut possit ea uti, tanquam materia justitiæ rigorosæ: cùm igitur Christus etiam ut homo fuerit liberi arbitrii, & ratione illius habuerit dominium particulare super suas operationes, quamvis istæ fuerint etiam sub generali DEI dominio, adhuc potuit Christus eas offerre Deo in satisfactionem pro peccatis humani generis, ex toto rigore justitiæ. Neque obstat, si dicas, valorem satisfactorium Christi desumi ex ipsa persona Verbi divini, & personam Verbi habere rationem creditoris, respondetur, quod tametsi totus valor satisfactorius Christi procederet à divino supposito, non tamen procedebat ab ipso, ut præcisè erat suppositum divinum, quia sub hac ratione erat creditor, cui satisfactio offerebatur; sed procedebat à Verbo divino non simpliciter, sed ut unito in ratione suppositi humanitati, non enim qui satisfecit, fuit persona divina simpliciter, sed ut unita hypostaticè humanitati, adeo ut principium *quod* satisfecit, fuerit hoc concretum *Christus* ut includens personam divinam, & humanitatem simul; & quia concretum Christi distinguitur à concreto DEI; & concretum Christi habet particulare dominium, ratione voluntatis humanæ liberæ super suas operationes, ideo satisfecit Deo creditori ex bonis propriis: siquidem dominium particulare Christi in eo est situm, quia tametsi operationes humanitatis, postquam fuerunt elicitæ, fuerint sub dominio Dei, quia tamen Christus eas elicuit, ut fuerit in potestate illius, eas non elicere, ideo antecedenter ad eliciendum habuit dominium liberum ad eas eliciendas, vel non, & in hoc sensu Christus dicitur satisfecisse pro peccatis humani generis ex bonis propriis. Rursus, quamvis opera humanitatis Christi fuerint sub dominio Dei jure creationis, conservationis primæ causæ; adhuc erant sub alio dominio Christi, quatenus ita eas elicuit, ut in libertate illius fuerit, eas non elicere; & quia voluit eas liberè elicere, & offerre Deo Patri, ideo ex propriis dicitur satisfecisse, tametsi postquam Christus suas posuerit operationes, fuerint etiam sub dominio DEI, quia in fieri erant tantùm specialiter à Christo, à qua potuerunt non poni, & sub hac ratione non erant saltem secundùm se sub Dei dominio: speciale enim dominium, quod Christus habuit in suas operationes, fundatur in libera productione earundem. Hinc quamvis Christus obtulerit DEO, quæ erat sub dominio DEI, titulo creationis conservationis, & primæ causæ, non tamen obtulit, quæ erant sub dominio DEI, ut suppo-

suppositi à quo proximè, & liberè eliciebantur, & in hoc sensu clarè intelligimus quomodo Christus satisfecerit ex toto rigore justitiæ, quia solùm est contra rationem satisfactionis ex rigore justitiæ, si id, quo fit, satisfactio fit, omnibus modis, & titulis sub dominio creditoris, quia tunc debitor satisfaceret creditori non de bonis propriis, sed de bonis creditoris: eo autem ipso, quod aliquo modo, vel sub aliquo titulo non est sub dominio creditoris, nil obstat, quin creditor possit illi satisfacere ex toto rigore justitiæ: quia tunc debitor dat bona creditori, sub novo titulo possidenda, & sub quo antea non possederat, hoc enim pacto satisfactio non fit ex bonis creditoris, sed ex bonis propriis ipsius debitoris elicitivè proximè, & liberè, quo pacto procedunt opera satisfactoria ab ipso debitore, cui sunt propria. Neque neget si dicas absolutionem de rigore justitiæ requiri, quòd debitor transferat dominium pretii in ipsum creditorem, & operationes à Christo Deo oblatas fuisse sub pleno, & perfecto dominio Dei creditoris. Respondetur distinguendo minorem: erant sub dominio Dei creditoris omnibus modis, & titulis negatur, sub dominio creditoris titulo creationis, conservationis, & causæ primæ conceditur, & negatur consequentia; quia non erant sub dominio Dei ut suppositi à quo elicitivè, & proximè procedebant, sed tantùm sub dominio Dei titulo creationis, conservationis, & primæ causæ, unde quamvis non possit per talem oblationem transferri dominium illud, quod antea habebat, transfertur tamen aliud dominium, quod antea non habebat, & sicut Christus ita liberè elicuit operationes satisfactorias ut potuerit eas non elicere; eo ipso quod eas elicuit, posuit sub dominio Dei, sub quo antea non erant, antequam eas eliceret: hinc, si per impossibile Deus ex aliis titulis non haberet dominium in operationes Christi, adhuc ea vi elicientiæ, & oblationis factæ à Christo esset Deus verus Dominus earundem operationum. Responderi etiam posset ad satisfactionem exhibitam pro injuria alteri illata, quando satisfactio non fit per bona alterius ordinis, sed per bona ejusdem ordinis, ut per humiliationem satisfacientis non requiri tunc dominium ejusdem rei oblatæ in satisfactionem, & pretium, atqui in casu nostro actus humiliationis transfertur in creditorem à satisfaciente: quia lucrum quod comparatur per hanc satisfactionem creditori non sumitur propriè, sed impropriè, quatenus per hanc humiliationem reparatur honor creditoris, qui per offensam læsus fuerat: ex quo fit, quòd satisfactio pro offensa non ordinetur ad constituendum ipsum offensum in dominio, aut possessione entitatis ipsius satisfactionis, sed simpliciter præcisè ad resarciendum honorem ablatum, & hic honor rectè potest resarciri per actionem aliquam, quæ non ponatur de novo sub dominio personæ offensæ, ut liquet in humanis; ubi ut homo aliquis satisfaciat pro convitio prolato contra alium non est necesse; ut eum constituat in dominium suæ locutionis, qua retractat tale convicium, sed sufficienter ex rigore justitiæ intelligitur satisfacere per hoc præcisè, quod se subjiciat alteri, & se humiliet personæ offensæ, quæ actiones non transeunt in dominium ipsius personæ, cui fuit injuria irrogata, sed manet sub dominio satisfacientis. Præcedens tamen solutio, qua diximus operationes Christi elicitivè fuisse sub particulari dominio Christi, consequenter Christum satisfecisse ex propriis est communior, & verior, quia ad rigorem justitiæ in satisfactione sufficit, si res, qua satisfit, sit elicitivè sub dominio satisfacientis, adeo ut antequam exhiberetur liberè à satisfaciente non fuerit sub dominio creditoris, sed tantùm sub dominio satisfacientis, quatenus ita eam exhibet, ut potuerit illam non exhibere.

Dices bona servi, quia sunt sub dominio sui Domini non sunt apta ad ineundum contractum, adeo ut non possit servus ex talibus bonis inire contractum ex rigore justitiæ cum domino, eò quia bona servi sunt sub dominio sui domini: Sed satisfactio ex rigore justitiæ exigit esse ex bonis propriis ipsius debitoris satisfacientis, adeo ut nullo pacto sint sub dominio creditoris, & cùm operationes Christi postquam fuerunt elicitæ, fuerunt sub dominio creditoris, sequitur Christum non satisfecisse omnino ex propriis, consequenter neque ex rigore justitiæ. Præterea quia quamvis Christi satisfactio antequam poneretur, non esset sub dominio Dei actualis creditoris, erat tamen debita titulo dominii in potentia, quia Deus hanc satisfactionem poterat sub hoc titulo exigere, tametsi illam sub hoc titulo non postulaverit: consequenter satisfactio Christi non fuit ex toto rigore justitiæ, quia si Christus titulo dominii exegisset eadem opera exhibita à Christo Domino in satisfactionem pro peccatis nostris non fuisset satisfactio ex rigore justitiæ, ex eo autè, quod titulo dominii in potentia hanc satisfactionem non exegerit, fuit id mera gratia in non exigendo, quod poterat exigere: ergo satisfactio à Christo Domino exhibita pro peccatis nostris non fuit ex toto rigore justitiæ. Contra est, negatur causalis majoris propositionis principalis argumenti, quia non ideo servus in humanis non potest ex bonis ab ipso acquisitis dominum obligare ex justitia, nec ex rigore justitiæ cum illo contrahere, quia omnia bona mancipii sunt constituta sub dominio ipsius Domini: sed quia taliter pertinent ad Dominum, ut nullo pacto sint servi; quia quidquid servus acquirit non sibi, sed domino acquirit, adeo ut servus ut talis non habeat dominium in ullum bonum externum; sed omnia bona à servo acquisita sint sub dominio domini positivè, & privativè, ex quo fit, quòd non possit servus ex iisdem bonis contrahere de rigore justitiæ cum domino: Secus operationes à Christo Domino elicitæ non solùm sunt Dei, sed etiam ipsius Christi ut hominis titulo libertatis; quo fit, ut quamvis sint Dei creditoris positivè, non tamen sunt sub dominio Dei privativè, ad exclusionem cujusvis alterius, quia etiam continentur sub dominio Christi, ut Domini. Ad aliud, quod addebatur, Christi satisfactionem fuisse Deo debitam titulo dominii in potentia, respondetur, quod quamvis Deus titulo supremi dominii exegisset operationes elicitas à Christo, adhuc operationes Christi non fuissent debitæ, quatenus præveniebant à satisfaciente ut *quod* ratione formæ valorantis operationes satisfactorias: sed ratione humanitatis, quæ erat principium ut *quo* elicitivum operationum, quibus satisfactio fuit facta: unde quòd Deus non exegerit titulo supremi dominii has operationes non fuit gratia impertita satisfacienti ut *quod*, sed tantùm ratione principii *quo* elicitivi, quod non obstat satisfactioni ex rigore justitiæ.

An vero Christi satisfactio fuerit fundata in gratia Dei creditoris, est alia conditio requisita ad satisfactionem de rigore justitiæ, ut satisfactio non fundetur in gratia creditoris, unde oritur dubium, an Christi satisfactioni adfuerit hæc conditio, & satisfactio fuerit ex rigore justitiæ, si enim Christi satisfactio fundata fuit in gratia creditoris, seu in gratia unionis hypostaticæ, qua Verbum divinum fuit unitum humanitati, & in pluribus aliis auxiliis, quæ gratiosæ fuerunt collatæ humanitati: hæc enim unio erat necessariò prærequisita, ut persona Verbi divini influeret valorem infinitum in operationes satisfacti-

rias elicitas ab humanitate: ergo Christi satisfactio supponit fundata in gratia Dei creditoris nuo fuit ex rigore justitiæ, quia fit debitor utatur gratiâ creditoris ad satisfaciendum sequitur in illa gratia relaxari debitum, & ubi debitum per gratiam relaxatur, vel extinguitur non intervenit solutio debiti ex rigore justitiæ. Ad hoc argumentum, quod est præcipuum fundamentum negantium Christi satisfactionem fuisse de toto rigore justitiæ, respondent aliqui, rigorem justitiæ in satisfactione excludere quidem gratiam factam ex intentione, & fine satisfaciendi; non verò gratiam non factam ex hac intentione: Hinc respondeo gratiam unionis hypostaticæ, & alia dona humanitati à Deo gratiosè collata, non fuisse gratias à Deo datas ex intentione, & fine ut Christus satisfaceret pro peccatis nostris, sed ex aliis motivis; consequenter has gratias collatas Christi humanitati non obstare, quominus satisfactio pro nobis à Christo exhibita Deo fuerit ex rigore justitiæ. Verùm hæc solutio non satisfacit, quia inde sequeretur Christum non satisfecisse ex rigore justitiæ, quia revera gratia unionis facta fuit humanitati ex intentione, & fine, ut Christus satisfaceret de condigno pro peccato humani generis, & ut nos redimeret à servitute peccati, unde ex data solutione sequitur Christi satisfactionem non fuisse de toto rigore justitiæ. Præterea quamvis gratia unionis non fuisset facta humanitati à Deo ex intentione, & fine, ut Christus satisfaceret condignè pro peccatis humani generis, adhuc auxilia supernaturalia fuerunt collata humanitati ad operandum, ut Christi humanitas per hæc dona gratiosè data elueret operationes illas satisfactorias: siquidem auxilia applicantia ad operationem, & præstantia sufficientiam ad eandem habent pro fine eandem operationem, quia dantur ex intentione, ut talis operatio eliciatur, vel saltem possit elici, unde ex data solutione, adhuc sequitur satisfactionem Christi fundari in gratia Dei creditoris facta humanitati ex intentione, & fine satisfactionis, consequenter non fuisse ex rigore justitiæ. Præterea quamvis concederemus decretum Incarnationis de facto non habuisse pro fine *cujus* gratiam, nec pro fine *cui* redemptionem humani generis, & condignam satisfactionem pro peccatis hominum, adhuc negare non possumus decretum incarnationis potuisse ex tali fine procedere: *in* quo casu gratia unionis concessa fuisset humanitati ex intentione, & fine satisfactionis, atqui in hac hypothesi non minus perfecta fuisset Christi satisfactio, quàm sit de facto, ergo non solùm esset condigna, sed etiam ex rigore justitiæ: unde ex eo, quod gratia fiat à creditore ex intentione, & fine satisfactionis id non impedit, quò minus satisfactio sit ex rigore justitiæ.

Exactius respondetur difficultati, qua afferebatur Christi satisfactionem non fuisse ex rigore justitiæ, eò quia fundata fuit in gratia creditoris, & ad satisfactionem de rigore justitiæ requiri, ut satisfactio non fundetur in gratia creditoris, procedendum enim est cum distinctione ad satisfactionem ex rigore justitiæ requiritur, ut non fundetur in gratia creditoris, quæ suppleat defectum dignitatis in actu satisfactorio conceditur major; requiritur ut non fundetur in gratia creditoris, dante operi satisfactorio dignitatem, & illud valorante ad æqualitatem negatur. Licèt igitur satisfactio Christi fundetur in gratia unionis facta humanitati, quia tamen gratia non supplet defectum dignitatis in operationibus satisfactoriis elicitis à Christo, neque acceptat operationes satisfactorias supra valorem & dignitatem earundem: sed potius dat operibus humanitatis dignitatem, & valorem adæquantem, imò & superexcedentem gravitatem injuriæ, ideo hæc ratio non impedit, quò minus Christi satisfactio in eadem fundata fuerit ex rigore justitiæ. Sed urgebis eo ipso, quòd operationes satisfactoriæ fundantur in gratia creditoris non possunt adæquare gravitatem offensæ, consequenter satisfactio pro offensa non potest esse ex rigore justitiæ, quia ad hanc satisfactionem requiritur adæquatio, antecedens liquet, quia si Petrus debeat Paulo centum aureos, & Paulus totidem gratis donet Petro deducta solutione in pactum sub ea conditione, ut solvat centum aureos debitos, solutio tunc non esset ex rigore justitiæ, neque adæquaret debitum; quia talis solutio fundaretur in gratia creditoris, volentis saltem virtualiter remittere debitum: ergo ex eo quòd satisfactio Christi fuerit fundata in gratia Dei creditoris, non fuit ex rigore justitiæ. Contra est, negatur antecedens, quia cùm gratia Dei sit, quæ dignificat, & valorat operationes satisfactorias Christi, ex eo, quòd operatio aliqua eliciatur mediante Dei gratia non videtur posse deficere à condignitate, consequenter neque à rigore justitiæ, quia in morali æstimatione operationes satisfactoriæ Christi infinitè dignificatæ adæquant infinitam gravitatem offensæ. Ad probationem antecedentis respondetur illam solutionem fundari virtualiter in gratia creditoris remittentis debitum non verò in gratia valorante solutionem, eique tribuente æstimabilitatem, unde est dispar ratio, quia gratia unionis, in qua fundatur satisfactio Christi, non est gratia, quæ virtualiter remittat debitum, sed est gratia, quæ dignificat, & valorat operationes Christi, ut satisfactio sit æqualis, imò & superabundans pro offensa, ratio discriminis est, quia si Paulus det Petro debitori centum deducta solutione in pactum sub conditione, ut totidem sibi debita solvat, non transeunt illa centum in absolutum dominium Petri, quapropter illa donatio est tantùm palliata, revera enim est virtualis, & gratiosa remissio debiti; secus Christi operationes satisfactoriæ, tametsi procedant à gratia unionis, & eliciantur mediis aliis auxiliis supernaturalibus, adhuc sunt sub dominio Christi jure libertatis, proinde, quamvis sint dona Dei, & satisfactio fundetur in gratia creditoris, quia tamen hæc gratia non est virtualis remissio debiti, neque supplet defectum dignitatis in actu satisfactorio, quin potius eidem tribuit valorem superabundantem, sequitur, hanc gratiam non impedire, quò minus Christi satisfactio fuerit ex rigore justitiæ.

Sexta conditio requisita, ut satisfactio sit ex toto rigore justitiæ erat, ut creditor Deus teneatur acceptare satisfactionem à Christo exhibitam pro humani generis redemptione. Superest examinandum, an in Deo fuerit hujusmodi obligatio acceptandi hanc satisfactionem à Christo exhibitam pro injuriis ipsi ab hominibus irrogatis. Pro quo juvat observare, Deum fuisse liberum ad acceptandam, vel non acceptandam hanc Christi satisfactionem, quia simpliciter, & absolutè potuit non habere decretum, quo Verbum divinum incarnaretur, & Christus satisfaceret pro peccatis nostris: supposito tamen tali decreto, quo liberè voluit, ut Verbum incarnaretur, & Christus satisfaceret pro peccatis nostris, non potuit Deus non acceptare satisfactionem illi exhibitam à Christo; quia in hoc decreto liberè à Deo posito includitur omnis actus, qui ex parte Dei requiritur, ut fiat reparatio hominum per Christi satisfactionem, adeo ut in decreto Incarnationis includatur acceptatio satisfactionis. Certum est etiam, Deum de facto acceptasse Christi satisfactionem pro peccatis nostris exhibitam:

bitam: sed difficultas est, an revera in Deo fuerit hæc obligatio acceptandi satisfactionem Christi etiam ex alio capite, & ex simplici veracitate, & fidelitate, quam Deus debet sibi ipsi servare in suis promissis: & etiam an in Deo fuerit talis obligatio proveniens à rectitudine justitiæ comutativæ in ordine ad alterum; adeo ut si Deus non acceptasset Christi satisfactionẽ, egisset contra rectitudinẽ justitiæ commutativæ.

Dicendum est quartò, Deum acceptasse satisfactionem Christi ex justitia speciali. Ita D. Bonaventura *in 3. dist.* 20. *quæst.* 5. Scotus *in* 4. *dist.* 29. *quæst.* 1. *art.* 3. Ratio est; quia pactum sub conditione operis onerosi, & condigni purificata, & adimpleta conditione inducit in promittente obligationem ea justitia speciali adimplendi rem promissam: Sed Deus pepigit cum Christo remissionem offensæ sibi illatæ ab hominibus, & redemptionem humani generis sub conditione condignæ satisfactionis exhibendæ a Christo: & Christus hanc conditionem adimplevit, quia posuit satisfactionem condignam, & æqualem; imò & superexcedentem pro offensa ab hominibus Deo irrogata: ergo Deus acceptavit satisfactionem à Christo exhibitam ex justitia speciali. Major communiter conceditur, minor liquet ex Scripturis Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longævum, videbit, & saturabitur*, in verbis istis juxta communem interpretum expositionem includitur pactum de redimendo homine sub conditione passionis, & mortis Christi: unde Deus virtute pacti initi sub conditione operis onerosi acceptavit satisfactionem ex speciali justitia. Quòd si dicas, majorem propositionem esse tantùm veram inter puras creaturas, non verò inter Deum & creaturam; quia quidquid Christus homo potuit exhibere semper fuit sub perfectissimo, & pleno Dei dominio; & ex pluribus aliis titulis erat Deo debitum; proinde licèt ex parte Dei intercesserit promissio sub conditione operis onerosi, & condigni, & Christus adimpleverit conditionem; non tamen potuit Deus obligari ea justitia ad acceptandam satisfactionem, quia hæc illi debebatur ex pluribus titulis. Secus inter creaturas res aliter se habet, quia cùm una creatura non sit sub dominio alterius; ideo potest una alteri se obligare ex rigore justitiæ sub conditione operis onerosi, & condigni: quia hoc opus condignum exhibitum à creatura satisfaciente taliter est sub ejus dominio, ut non sit sub dominio promittentis, nec illi ex aliis titulis debeatur: unde quamvis inter creaturas pactum sub conditione operis onerosi, & condigni inducat in promittente obligationem specialis justitiæ adimplendi rem promissam purificata, seu adimpleta conditione: non tamen hoc pactum potest hanc obligationem inducere in Deo promittente in ordine ad creaturam. Contra tamen est; quia promissio sub conditione operis onerosi, & condigni purificatâ, seu adimpleta conditione revera inducit in promittente obligationem, sed non ex sola fidelitate: ergo ex speciali justitia: antecedens liquet; quia obligatio solius fidelitatis non opponitur rationi gratiæ: & obligatio orta ex promissione sub conditione operis onerosi, & condigni excludit rationem gratiæ, consequenter hæc obligatio non est ex sola fidelitate; sed ex speciali justitia. Præterea unio hypostatica est gratiarum maxima, quam Deus hominibus impertivit; & nihilominus divina promissio præcessit hanc gratiam: rursus gratia sanctificans confertur homini perfectè contrito gratis; & nihilominus habetur divina promissio de danda gratia hominibus verè contritis Zachar. 1. *Convertimini ad me; & ego convertar ad vos:* unde, quod à Deo obligato ex sola fidelitate confertur, est absolutè gratia: sed redemptio, & vita æterna confertur bene operantibus, ut præmium debitum, proinde non ex gratia, quod enim datur gratis non debetur: & gloriam æternam non dari gratis asserit Apostolus ad Rom. 4. *Ei qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum:* ergo Deus conferens hominibus justis gloriam intuitu bonorum operum, quæ fiunt in statu gratiæ, dat ex debito; eò quia præsupponitur pactum de danda gloria bene operantibus: ergo obligatio dandi gloriam orta ex pacto sub conditione operis condigni, & æqualis excludit rationem gratiæ, & includit titulum justitiæ specialis. Ad id quod addebatur Christi operationes fuisse sub pleno Dei dominio, proinde non potuisse Deum obligari ex justitia, sed tantùm ex fidelitate, respondetur, quòd tametsi Christi operationes non potuerint subterfugere universale Dei dominium, fuerunt nihilominus sub speciali dominio Christi quatenus, ut superius explicuimus, fuerunt ita liberè à Christo elicitæ, ut potuerit Christus eas non elicere, ad rigorem autem justitiæ sufficit, si satisfactio fiat ex propriis satisfacientis positivè; adeo ut, quando fit satisfactio, sit sub dominio satisfacientis, & antecedenter negativè absolutè, seu quòd, antequam exhiberetur liberè à satisfaciente, non fuerit sub dominio creditoris; & concomitanter privativè non absolutè. Sed sub aliqua speciali ratione, adeo ut quando exhibetur satisfactio sit aliquo titulo sub dominio satisfacientis, & sub eo titulo non sit sub dominio creditoris: atqui satisfactio à Christo exhibita hæc omnia continet: siquidem fuit actus elicitus liberè à Christo & titulo libertatis sub illius dominio, quatenus potuit actum meritorium elicere vel non elicere: Rursus antequam satisfactio exhiberetur à Christo non erat sub dominio actuali Dei creditoris, sed in libertate Christi, qui sicut liberè posuit operationes ita potuit eas non ponere, quapropter dependebat à libertate Christi tales operationes ponere sub actuali dominio Dei. Præterea quamvis, postquam operationes fuerunt elicitæ, extiterint sub dominio Dei creditoris titulo creationis, & efficientiæ; non tamen fuerunt sub dominio Dei creditoris ut liberæ volentia per actus voluntatis à Christo Domino elicitos; nec fuerunt sub dominio Dei ut suppositi elicientis eosdem actus, hoc enim pacto operationes Christi erant elicitivè, & liberè sub dominio Christi satisfacientis.

Potest etiam ostendi assertum ex eo, quia Deus non potuit justè non acceptare satisfactionem Christi, ergo tenebatur ea justitia eam acceptare; antecedens liquet: quia potens justè non acceptare aliquam satisfactionem sibi à debitore oblatam, potest etiam posita satisfactione debitum exigere: Sed semel oblata DEO Christi satisfactione non potuit Deus justè exigere debitum ab humano genere, quia nullus potest justè debitum exigere nisi ratione inæqualitatis, quam patitur: & cui æqualis imò & superexcedens satisfactio fit, nullam patitur inæqualitatem, nec læsionem, consequenter non potest justè debitum exigere, alioquin exigeret justè aliquid ultra debitum; ergo, si posita Christi satisfactione Deus non potuit eandem non acceptare, sequitur manifestè eam acceptâsse ex speciali justitia. Quòd si dicas inde sequi, teneri Deum acceptare Christi satisfactionem tantùm negativè, non verò positivè per elicientiam actus positivi, quo illam acceptet, & dicat se esse placatum per satisfactionem à Christo exhibitam, sufficit enim, quòd Deus negativè illam acceptet, adeo ut non possit amplius exigere debitum humani generis. Contra est, quia posita ac-

ceptatione negativa, & exclusa positiva adhuc Deus exigeret debitum, quia seclusa acceptione positiva, adhuc puniret pro offensa humani generis, consequenter exigeret delictum siquidem infligens pœnam pro offensa, exigit satisfactionem, quæ debita est offensæ. Antecedens ostenditur, quia seclusa acceptatione positiva Deus non conferret hominibus ubertima illa auxilia deperdita per primum peccatum Adæ, non enim hæc possunt tribui sine actu positivo, quo Deus velit illa conferre: & hic actus positivus est effectus positivæ acceptationis, seu voluntatis antecedentis salvandi homines propter merita Christi, & volitionis efficacis salvandi aliquos, hæ duæ voluntates sunt ipsa positiva acceptatio satisfactionis Christi; & ipsa positiva remissio offensæ, quantum ipsa satisfactio exigebat.

Suaderi ex eo itidem potest, quia, si Deus acceptet satisfactionem Christi ex justitia speciali, & ex illa remittat hominibus offensam intuitu satisfactionis à Christo exhibitæ, nullum sequitur inconveniens, nulla notatur imperfectio: ergo Deus de facto acceptavit satisfactionem Christi ex justitia speciali, & ex eadem remisit hominibus offensam, non intuitu hominum, sed intuitu Christi satisfacientis, adeo ut remissio offensæ procedat ea justitia respectu Christi, & sit gratiosa respectu hominum, quibus offensa remittitur: eo ipso, quòd ex tali acceptatione nulla oritur in Deo imperfectio, est illi tribuenda, quia Deo debemus concedere omnem perfectionem, quæ in suo formali conceptu non involvit imperfectionem: & operari ex justitia est aliqua perfectio, cùm justitia sit virtus Quòd verò nulla inde oriatur in Deo imperfectio ex eo ostenditur, quia acceptare satisfactionem Christi ex justitia speciali, & ex illa hominibus offensam remittere est illam acceptare in ordine ad jus operationum Christi: & in hoc modo operandi nulla involvitur imperfectio; consequenter ex eo quòd Deus satisfactionem Christi acceptaverit ex justitia speciali, & ex illa remiserit offensam hominibus intuitu solius satisfactionis exhibitæ à Christo, nulla involvitur imperfectio. Quòd si dicas inde sequi Deum obligari à jure alterius, seu Christi, & Deum ita obligari ab aliquo extra se ad remittendam offensam, esse imperfectionem incompatibilem cum supremo Dei dominio, quo fit, ut non possit talis acceptatio ex speciali justitia deprorari ab omni imperfectione repugnante Deo. Contraest, quia, tametsi Deum obligari ab aliquo à se distincto absolutè obligatione independente ab illius libera voluntate sit imperfectio obstans supremo Dei dominio; obligari tamen ex suppositione aliqua libera Dei, ac dependente ab ejus libera voluntate nullam involvit imperfectionem incompatibilem cum supremo Dei dominio; sed acceptare satisfactionem à Christo exhibitam ea hac obligatione, perinde est, ac illam acceptare ex speciali justitia, ergo ex eo, quòd Deus acceptaverit Christi satisfactionem ex speciali justitia, nulla inde oritur imperfectio: incompatibilis cum supremo Dei dominio. Tum quia non est minus de ratione libertatis exclusio necessitatis, quàm sit de ratione potentiæ exclusio impossibilitatis, & de ratione dominii exclusio obligationis: sed cum suprema Dei libertate componitur necessitas orta ex suppositione libera Deo, quia supposito, quòd Deus decreverit efficaciter dare gratiam Petro, ut convertatur ex hoc decreto libero præsupposito simul necessitatur ad præstandum Petro simultaneum concursum, quia hic est simpliciter necessarius ut Petrus convertatur: ex eadem suppositione liberi decreti cum potentia Dei componitur etiam impotentia, seu impossibilitas; quia ex suppositione, quòd Deus decreverit non conferre amplius Petro gratiam efficacem, collatio talis gratiæ redditur ex hac suppositione impossibilis: proinde cum supremo Dei dominio potest etiam componi obligatio operandi orta ea suppositione libera Deo absque eo, quòd ea tali modo operandi oriatur imperfectio Deo incompatibilis. Solet tamen contra postremam hanc assertionem objici. Primò quia inter servum, & dominum non potest dari justitia propriè, & rigorosè sumpta ut communiter docent Jurisperiti, & Philosophi cum Aristotele 5. *Ethic. cap. 6.* quia servus non est sui juris, cùm omne jus servi sit sub dominio sui heri: sed Christus secundùm humanitatem est verus servus Dei: siquidem Christus ut homo in fieri conservari, & operari dependet ab ipso Deo, proinde Christus ut homo fuit sub pleno Dei dominio, ex quo sequitur, non potuisse Deum obligari à Christo ut homine ad acceptandam ex justitia speciali ejus satisfactionem. Sed contra quia Christus ut homo non subjicitur dominio Dei eo modo, quo inter creaturas servus subjicitur Domino, ac est sub ejus dominio, Christus siquidem ut homo subjicitur dominio Dei, sed diverso modo: est enim discrimen inter servum servitute legali, qua servitute homo subjicitur homini, & inter servum servitute naturali, qua servitute Christus ut homo est servus Dei: etenim servus servitute legali nõ est sui juris, nec habet alicujus rei dominium; sed quidquid habet est proprium Domini non tantùm positivè, sed etiam privativè, ut nullo pacto sit sub dominio servi, & inde sequitur, quòd servus servitute legali quidquid acquirit Domino acquirit non sibi. Secus servus Dei servitute naturali, quamvis omnia quæ habet accipiat à Deo, adhuc ratione liberi arbitrii est Dominus suarum operationum, habetque verum dominium supra suas actiones: Hinc tametsi omnia quæ existunt sub dominio servi servitute naturali, sint etiam positivè sub dominio Dei, non ita privativè, quia creatura ratione liberi arbitrii potest elicere, vel non elicere actiones, proinde pro suo libitu potest eas ponere vel non ponere sub actuali positivo Dei dominio: hinc servus servitute naturali potest per suas operationes existentes sub dominio Dei obligare Deum ex justitia, si intercesserit pactum sub opere oneroso ut intercessit inter Deum & Christum de acceptanda satisfactione pro peccatis humani generis. Quamvis Christus ut homo sit servus naturalis Dei, adhuc potuit Christus ut homo per actus ab ipso liberè elicitos Deum obligare ex justitia ad acceptandam satisfactionem ab ipso exhibitam pro redemptione humani generis, quia stante pacto, quòd, si Christus liberè posuerit talem satisfactionem, velit Deus eam acceptare, tametsi Christus ut homo sit sub dominio Dei, & servus naturalis illius, adhuc ponere vel non ponere talem satisfactionem dependebat à Christo, & quia liberè voluit eam ponere, Deus ex vi sui pacti initi de illa acceptanda tenetur ex justitia speciali eã acceptare.

Sed urgebis, Deus non est capax obligationis, & debiti respectu alterius, quia esse obligatum esse debitorem respectu alterius dicit quandam inferioritatem respectu illius cui obligatur, & omnis inferioritas Deo repugnat, proinde non potest Deus obligari est justitia speciali ad acceptandam Christi satisfactionem pro peccatis humani generis: Tum quia Deus nullis tenetur legibus, consequenter non potest operari ex ullo debito legali, quod oritur ex lege, vel præcepto superioris. Hinc communiter docent SS. Patres Deum non esse debitorem creaturis, quia juxta Augustini effatum *reddit debita nulli debens.* Tũ quia Deus

us non potest necessitari ab ullo extrinseco, quia, quidquid operatur ad extra, liberè operatur; consequenter potuit Deus liberè acceptare, vel non acceptare Christi satisfactionem. Contra est, quia quamvis Deus incapax sit debiti, & obligationis non provenientis saltem radicaliter ex ipsa libera Dei voluntate: potest nihilominus obligari præsupposita ejus libera voluntate, & præsertim, si ineat pactum sub opere oneroso cum creatura, quia tunc supposito tali pacto præcedente liberè a Dei voluntate; si creatura purificet, seu adimpleat conditionem pacti; potest tunc Deus obligari ex justitia speciali ad dandum, quod pepigit. Hinc quando debitum, & obligatio proveniunt omnino ab intrinseco, & non à propria voluntate ipsius debitoris, tunc constituunt ipsum debitorem inferiorem, non ita, si proveniant à propria voluntate debitoris, & illam supponant: atqui satisfactio Christi præsupponit in Deo pactum de illa acceptanda: hinc etiam in humanis, quamvis Princeps juxta communiorem sententiam teneatur suis legibus, non exinde ponitur in Principe aliqua inferioritas, aut imperfectio, idque non ob aliam rationem, quia talis obligatio oritur ex ipsa voluntate Principis volentis liberè se obligare ad observantiam legum. Hinc ad illud, quod addebatur Deum nullis teneri legibus, respondetur, concesso antecedente negando consequentiam; quia debitum legale non solùm provenit ex lege, aut præcepto superioris, sed etiam ex propria voluntate uniuscujusque interveniente ex parte alterius opere aliquo oneroso, quod cedat, & redundet in utilitatem aliquam ipsius debitoris, ut contingit in casu nostro Deum inter & Christum. Ad secundum petitum ex sanctis Patribus respondetur sanctos Patres tantùm asserere Deum absolutè & simpliciter nulli esse debitorem, non verò quòd facta aliqua suppositione propriæ voluntatis non possit Deus liberè se obligare respectu creaturæ, si hæc adimpleverit pactum liberè a Deo positum: & in casu nostro tale pactum intercessit, & Christus posuit opus onerosum, cui propterea erat debita acceptatio operis illius onerosi ex speciali justitia. Ad aliud, quo asserebatur Deum non posse necessitari ab aliquo extrinseco, respondetur necessitatem acceptandi Christi satisfactionem non oriri simpliciter, & absolutè ab aliquo extrinseco, sed ab ipsa libera Dei voluntate: potest enim Deus ex suppositione sui decreti necessitari necessitate consequenti ad aliquid præstandū ad extra.

Objiciunt secundò nullus tenetur acceptare satisfactionem pro offensa sibi illata, si satisfactio non exhibeatur ab ipso offensore: ergo Deus non tenebatur acceptare satisfactionem exhibitā à Christo pro peccatis nostris, quia Christus nullam irrogaverat Deo injuriam: antecedens probatur, quia de ratione satisfactionis pro injuria irrogata alteri est, ut ponatur æqualitas per humiliationem, & subjectionem offendentis ad personam, cui fuit offensa illata: per hoc enim differt satisfactio pro offensa ab ipsa restitutione, quia hæc ponit æqualitatem reddendo rem secundùm se & sine ordine ad restitutionem respectu restituentis; secus in satisfactione pro offensa debet ipse offensor se subjicere personæ offensæ: atqui per Christi satisfactionem, & passionem non humiliatur, neque subjicitur ipse offensor, quia hic non fuit Christus, sed purus homo, qui injuriam Deo irrogavit. Sed contra est, quia antecedens tunc tantùm est verum, quando, qui offert satisfactionem, non est caput in genere moris illius, qui offenderat: & in casu nostro Christus est caput omnium hominum, proinde, quamvis purus homo, & non Christus Deum offenderit, adhuc Christus ut caput offensoris satisfecit, & offensor dicitur satisfecisse in capite. Rursus illud antecedens est verum, quando creditor non inivit liberè pactum de condonanda offensa ea conditione, ut mediator tertius distinctus ab offensore exhibeat ipse pro offensore debitam satisfactionem, quia tunc si à Mediatore purificetur ac adimpleatur conditio tenetur offensus ex vi pacti initi acceptare talem satisfactionem, & condonare offensam, sed in casu nostro Christus fuit constitutus caput in genere moris totius humani generis, & Mediator inter Deum & purum hominem, proinde ex hoc titulo potuit pro humano genere; cujus erat caput, & Mediator, satisfacere Deo offenso. Præterea quia intercessit pactum inter Deum, & Christum sub opere oneroso de acceptanda satisfactione pro injuria Deo illata ab humano genere, ut colligitur ex Apostolo ad Hebr. 10. ubi explicat de Christo illud Psal. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adoptâsti mihi, holocaustum & pro peccato non postulâsti: tunc dixi, ecce venio, ut faciam voluntatem tuam Deus*, unde inter Deum & Christum intercessit pactum de acceptanda satisfactione à Christo exhibita pro peccatis nostris.

Objiciunt ulterius, si Deus debuit ex justitia acceptare satisfactionem exhibitam a Christo pro peccatis hominum, inde sequeretur per talem satisfactionem fuisse totaliter extinctum debitum, & homines non amplius remansisse Deo debitores, proinde non posse Deum ab ipsis exigere debitum, neque posse justè hominem amplius puniri ob perpetrata peccata cum pro iisdem Christus abundè satisfecerit ex justitia speciali: sed hæc doctrina hæretica est, & Lutheranorum asserentium omne debitum nostrum fuisse totaliter extinctum per merita Christi, adeò ut homines non sint amplius Deo debitores, quia per solutionem adæquatam debiti extinguitur formaliter ipsum debitum: repugnat enim ex natura rei, quòd remaneat debitum præsupposita æquali solutione ejusdem: ergo cùm Christus satisfecerit pro omnibus peccatis hominum tum originali, tum actualibus, nullo excepto, sequitur totum debitum esse extinctum, & Deum non posse aliquem hominem punire pro peccato, sive originali, sive actuali. Sed contra quia licèt comparativè ad Christum per satisfactionem ab ipso exhibitam pro peccatis nostris fuerit adæquatè extinctum omne debitum, quod contraxerat humanum genus per injuriam Deo irrogatam, & in hoc sensu, ut si Christus vellet satisfactionem taliter Deo offerre, ut nil aliud ab hominibus exigeretur, ne ipsa oblatio teneret, & homines ex sola Christi satisfactione absque propriis meritis salvarentur: quia satisfactio Christi fuit sufficiens ad extinguendam adæquatè totum debitum, si tamen consideretur Christi satisfactio comparativè ad ipsos homines, pro quibus satisfecit, non fuit omne debitum ab hominibus contractum per offensam Deo irrogatam omninò extinctum ex sola Christi satisfactione, quamvis hæc sufficiens imò & superabundans fuerit: ratio est, quia Christus ita voluit operationes suas satisfactorias offerre pro hominibus, ut iisdem non prodessent, nisi sub conditione, & pacto, ut iisdem applicarentur per sacramenta, & per bona opera: unde stante satisfactione exhibita à Christo pro peccatis nostris, & acceptata, à Deo ex justitia, adhuc manent homines debitores quantum ad sacramentorum susceptionem & exercitia virtutum, & bonorum operum, quæ tamen obligatio non oritur ex defectu ullo ipsius satisfactionis à Christo exhibitæ, sed tantùm ex libera ejusdem Christi voluntate, quatenus ita voluit satisfacere, ut sua satisfactio nobis non prodesset nisi mediante susceptione sacramentorum, & exercitio bonorum operum. Hinc

Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, & Apostolus 2. ad Thessal. 10. v. 6. *Justum est apud Deum retribuere vobis, qui tribulamini requiem nobiscum*, & 2. Timoth. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus Judex.* Quòd si vita æterna nobis datur ut corona justitiæ, exiguntur nostra opera, quibus coronam illam mereamur. Tum quia Christus vocat æternam vitam mercedem justorum, quam asserit futuram in cœlis copiosam *Matth. 5. v. 12.* Eteam quidem pro labore nostro dandam, ut in vinea Domini laborantibus, hinc *Matth. 5. v. 8.* præcipit insudantibus in vinea dari denarium. Rursus 2. Tim. 4. sub symbolo bravii nobis exhibetur, & quia bravium non accipiunt nisi, qui in cursu alios superaverint, adeò ut bravium supponat præcedentem laborem, ita æterna vita non datur nisi bene operantibus. Et quia hæc & alia Scripturæ loca manifestè significant requiri necessariò bona nostra opera, ut salutem æternam consequamur, Lutherani respondent, Deum promisisse quidem nostris bonis operibus mercedem, & illam intuitu etiam bonorum operum nobis reddere: sed volunt non ratione meritorum, & dignitatis operum nostrorum, eò quia nostra opera nullius sunt meriti, & dignitatis, unde ajunt esse ad scribendam merè & soli Dei liberalitati, juxta illud Apostoli ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna in Christo.* Verùm hæc responsio nullius est momenti, quia si datur merces intuitu bonorum operum, jam datur merbes dignis, consequenter quod justi habeantur digni accipere mercedem, id habent ab operibus, quæ propterea digna sunt, & meritoria alioquin non possent dignitatem, & meritum refundere in exercentes talia opera, neque enim possumus intelligere, quomodo addant dignitatem ad mercedem, nisi in se ipsis fint mercede digna, ergo opera in se habent talem dignitatem, proinde datur iisdem merces propter dignitatem suam ex justitia, & non tantùm ex Dei liberalitate, alioquin Apostolus non vocaret hanc mercedem 2. ad Tim. 4. *Justitiæ coronam.* Præterea quia homines omnea sine bonis operibus per se sunt æqualiter indigni mercede, & tantùm digni fiunt, ut ait David Psal. 61. v. 13. *Juxta opera sua*, & ut scribit Apostolus 1. Cor. 3. *Secundùm suum laborem*, vel ut legitur in Apocal. 22. v. 12. *Secundùm opera sua*, adeò ut proportio mercedis dependeat à proportione operum: quod non esset, nisi opera essent per se digna, & meritoria, rum quia si nihil meriti, nihil dignitatis operibus nostris inesset, sequeretur hoc absurdum, quod homo justissimus, & pientissimus, qui jugiter se exerceret in studiis virtutum, non acciperet majus præmium, quàm aliquis simpliciter justus. Ad id, quod dicebatur ex Apostolo; *Gratia Dei vita æterna in Christo*, respondetur D. Paulum ad illos scribere, qui operibus legis & naturæ nimium fidebant, & ait vitam æternam esse gratiam Dei, quia merita, quibus ut merces datur vita æterna, dimanant ex gratia tanquam semine, & radice. Tandem objiciunt, quia Deus est supremus Dominus satisfactionis Christi, siquidem hæc satisfactio fuit quid creatum, consequenter sub pleno Dei dominio: sed cum supremo dominio, quamvis possit componi obligatio orta ex fidelitate, non ita potest componi obligatio orta ex justitia speciali: ratio est, quia dominium consistit in libera facultate utendi re sua in quoscunque usus absque injuria alterius; & obligatio ex speciali justitia ad acceptandam Christi satisfactionem non potest cum hac libera facultate componi, quia si Deus ex justitia obligatur ad acceptandam Christi satisfactionem, si eam non acceptaret, utique irrogaret Christo injuriam, unde Deus non potuit obligari ex justitia speciali ad acceptandā Christi satisfactionem, sed tantùm ex virtute fidelitatis. Sed contra negatur minor, & ad ejus probationē respondetur cum distinctione: Dominium consistit in libera facultate, & potestate absoluta, & antecedente utendi re sua citra injuriam alterius, conceditur: consistit in facultate seu potestate consequenti, & facta quacunque suppositione expedita ad utendum ea sua absque injuria alterius, negatur. Hinc cum potestate antecedente, & absoluta de non acceptanda Christi satisfactione sine injuria ipsius Christi, quæ facultas sufficit ad rationem supremi dominii, rectè componitur in porrectia ex suppositione aliqua libera Dei ad negationem acceptationis citra injuriam Christi: hæc autem sufficit ad obligationem ex justitia speciali; quapropter hæc obligatio rectè componitur cum supremo Dei dominio; quia ad hoc dominium tantùm requiritur facultas antecedens ad utrumque, non verò consequens, quæ in quacunque suppositione sit expedita ab omni obligatione: quia non minus est contra libertatem necessitas, ac sit contra dominium obligatio: & tamen necessitas antecedens licèt sit incompatibilis cum suprema Dei libertate; necessitas tamen consequens non officit supremæ Dei libertati, quinimo supponit ejus liberum exercitium; quia necessitas consequens fundatur in libero Dei decreto, quod non potest frustrari: ergo quamvis obligatio antecedens sit incomponibilis cum supremo Dei dominio; non ita obligatio consequens, quia hæc fundatur in libero decreto, & pacto liberè inito cum Christo de acceptanda ejus satisfactione sub pacto onerosi operis, seu passionis, ac mortis subeundæ pro humano genere.

CAPUT X.

Quomodo Christus exercuerit munus Mediatoris.

Mediator, qui suam à medio sortitur nomenclationem, & aliàs sequester dicitur, dupliciter sumi potest; primò quoad aliquam substantialem mediationem, secundò per operationem: quia Mediator propriè est, qui inter aliquos dissidentes, vel non conjunctos medium se interponit, ut eos redigat ad concordiam, vel novo fœdere conjungat; & id potest fieri vel per substantialem mediationem, vel operationem. Priori modo potest Christus dici Mediator, quatenus ejus personalitas novo fœdere, & quidem mirabili, & arcano conjunxit divinam, & humanam naturam; & quamvis de hac mediatione persæpe loquantur Patres; non tamen de hac in præsenti est sermo; quia non fit ratione naturæ, sed tantùm ratione personæ nectentis naturam divinam cum humana; ita tamen ut unio non fiat in natura divina, sed tantùm in persona supplente in humanitate Christi personalitatem humanam, quæ destituitur. Neque hujusmodi mediatio est inter personas dissidentes, quia Christi humanitas nunquam fuit contraria divinitati. In præsenti loquimur de illa mediatione, qua Christus innocens Patri reconciliavit peccatores. Hæc autem mediatio non nisi per operationem habetur, & quadrupliciter fieri potest. Primò discernendo causam, ad judicium de eadem inferendum; & hoc pacto arbitri dici possunt mediatores; & hic primus modus Christo tribuitur à D. Ambrosio *in cap. 2. v. 1. ad Timoth.*

Timoth. ait enim D. Ambrosius Christum factum è Deo arbitrum judicasse sic fieri posse pacem, si Deus primum agnosceret, & homo deinceps in Dei fide perseveraret. Secundò tastrendo utrinque pacta, & conditiones pacis ineundæ, ac servandæ inter partes dissidentes ut reconcilientur; in quo sensu internuncii dicuntur Mediatores; & in hoc sensu videtur Moyses usurpasse nomen Mediatoris cum dixit Deuter. 5. *Ego medius, & sequester inter Deum, & vos in illo tempore*, ut etiam Apostolus ad Galat. 3. *Data est lex per Angelos in manu Mediatoris* seu Moysis; & hic modus mediationis Christo etiam convenit, quia annuntiavit hominibus Dei voluntatem, ac leges; unde Malach. 3. dicitur *Angelus testamenti* & ab Apostolo ad Hebr. 9. vocatur *Mediatoris novi testamenti*; alludit D. Paulus ad Moisem qui fuit Mediator veteris testamenti, annuncia vit enim populo DEI voluntatem, ac leges. Tertiò sumitur Mediator quatenus supplicat uni parti in favorem alterius, & in hoc sensu munus Mediatoris convenit etiam Christo, quia ad Rom. 8. dicitur *interpellare pro nobis*; & Joan. c. dicitur *advocatus noster*. Quartò dicitur Christus Mediator, quatenus solvit pretium nostræ redemptionis, & satisfecit uni parti pro alia; seu æterno Patri pro humano genere; & in hoc sensu officium Mediatoris propriissimè convenit Christo, quia factus fuit *hostia pro peccato*, seu obtulit se ipsum in satisfactionem æterno Patri pro nostris peccatis, in quo sensu D. Paulus 2. Timoth. 2. cum de Christo scripsisset *Unus Mediator DEI, & hominum, homo Christus Jesus*; postea addidit causam subdens; *qui dedit semetipsum redemptionem pro multis*: ex his modis, quibus munus intelligitur Mediatoris, quattus modus ita est proprius Christi, ut nulli alteri conveniat; reliqui priores modi possunt etiam creaturis esse communes quæ discernunt, & judicant causas nostras, sunt mediatores, quatenus partes dissidentes componunt, simulque reconciliant, Pacta & conditiones utriusque partis referunt, in ordine ad pacem ineundam; interpellant etiam pro nobis; Sed nulla pure creatura dedit se redemptionem pro multis seu pro toto humano genere; ideoque modus iste mediatoris fungendi munere est proprius solius Christi. Docent communiter Catholici, Christum fuisse Mediatorem, non ut erat solus Deus; nec solus homo, sed ut coalescebat ex utroque, seu erat simul Deus & homo; seu Verbum æterni Patris non solùm, sed ut indutum nostra humanitate; adeo ut principium *quod* operabatur opera mediatoris fuerit Deus homo simul; & principium *quo* opera illa fiebant à Mediatore, fuerit natura humana, non divina; quia licèt DEUS nostra indutus humanitate oraverit, obedierit, fuerit passus, hæc omnia præstitit secundùm formam servi; non secundùm formam Dei ut docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 26. *art.* 2.

Dicendum est Christum ut complectentem simul DEUM & hominem fuisse principium *quod* & fuisse officio mediatoris functum. Ratio est, quia præcipuum opus mediatoris fuit passio JESU Christi sed hæc in Scripturis tribuitur Christo ut coalescenti ex Deo & homine simul, quatenus humanitas subsistens per Verbi Divini personalitatem dignificabat operationes mediatoris, quibus impertiebatur ratione divinæ personæ valorem infinitum, sufficientissimum ad reconciliandum humanum genus Deo irato ob injuriam ei ab hominibus illatam; ergo Christus ut subsistens per Verbi divini personalitatem, & ut includens utramque naturam divinam, & humanam fuit principium *quod* operis mediatoris, fuitque verus Mediator inter Deum, & hominem. Mediator debet esse medius inter duos dissidentes; & Christus ut purus homo non fuit medius sed pars quæ dissidebat; neque ut purus Deus fuit medius, quia Deus fuit altera pars, cui facta ab homine injuria illata: ergo fuit Christus Mediator, & functus munere Mediatoris quatenus fuit simul Deus, & homo; idque significatur in Scripturis, & docent Sancti Patres; etenim Actor. 20. dicitur: *Deus Sanguine suo Ecclesiam acquisivisse*, & Apostolus 1. ad Corinth. 2. scribit, Dominum gloriæ fuisse crucifixum ait ipse *Dominus gloriæ crucifixus* & ad Philip. 2. *Qui in forma Dei erat æqualis Patri humiliavit se ipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* ubi passio, effusio sanguinis, & mors ipse obita quæ fuerunt opera Mediatoris tribuuntur Christo ut fuit DEUS & homo, non quod DEUS fuerit simul cum homine passus, & mortuus, sed quia personalitas divina complebat in ratione subsistendi Christi humanitatem, quæ fuit principium *quo* operationum Mediatoris; & Christus ut complectens simul DEUM, & hominem principium *quod*. Hoc idem docent Sancti Patres Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Hilarius *lib.* 9. *de Trinit. non procul ab initio*. Epiphanius *in Anchorata ante medium* Cyrillus *lib.* 12. *Thesauri cap* 10. & *lib.* 1. *de Trinit. ante medium*, Augusti in *lib.* 9. *de civit. Dei cap.* 17. Fulgentius *lib. de fide ad Petrum cap.* 2. & alii communiter asserunt, Christum ideo vocari à D. Paulo unicum Mediatorem, quia ille solus est verè medius DEUM inter & hominem eò quia utriusque naturam includat, & probant Sancti Patres non potuisse Christum esse efficacem Mediatorem nisi esset divina persona quæ officium Mediatoris exerceret: & Divina persona sola non poterat munus exercere Mediatoris, quia tunc fuisset altera pars dissentiens, unde divina persona, ut munus exerceret Mediatoris, debuit assumere naturam humanam, adeo ut Mediator non esset simpliciter DEUS, nec simpliciter homo, sed DEUS, & homo simul, proinde asserunt Sancti Patres, unicum & verum Mediatorem DEUM & hominem esse debuisse, qui tunc Mediator distinguitur à Deo simpliciter sumpto & à puro homine & est medius inter DEUM & hominem, eò quia utriusque naturam participet, quod non convenit soli DEO, nec soli homini. Hinc D. Basilius expendens illud Psal. 48. *Frater non redimit, redimet homo* ait: *si homo non redimere non potest, qui non redemit non est homo. Ne igitur propterea, quòd in similitudine carnis peccati ad nos accessit hominem solum putes Dominum nostrum*, & Nazianzenus orat. 2. de paschate circa finem ait: *Indigebamus ut DEUS carnem assumeret, & mortem subiret, ut nos viveremus*. Cyrillus lib. de recta fide ad Reginas asserit Mediatorem inter DEUM & humanum genus non potuisse elium esse, nisi Christum DEUM & hominem inquiens: *Ex confessa salutaris est mors Christi, sed si non esset DEUS, quomodo ipse & solus sufficeret ad hoc ut esset pretium? sed sufficit solus pro omnibus mortuus quia super omnes est*. Clarius etiam D. Augustinus hoc idem explicat homil. de ovibus cap. 12. inquiens; *Non Mediator homo præter deitatem, non Mediator DEUS præter humanitatem ecce Mediator: divinitas in humanitate non est Mediatrix sed inter divinitatem solam, & humanitatem solam Mediatrix est humana divinitas, & divina humanitas Christi*: & quamvis Augustinus omninò improprie utatur nomine abstracto, pro concreto clarius

clarius tamen, & expressius explicat mediatorem nostrum non esse solum Deum, nec solum hominem, sed Deus homo simul, quod concretum per nomina abstracta explicatur à D. Augustino veluti per notiora. cùm dicat mediatricem esse humanam divinitatem, & divinam humanitatem Christi, hinc in Enchiridio cap. 108. ait: *Neque per ipsum liberaremur unum Mediatorem Dei, & hominum hominem Christum JESUM nisi esset & Deus:* Vult enim Mediatorem non solùm esse hominem, sed etiam Deum simul, quia ut scitè loquitur Sanctus Leo serm. 1. de natali Domini: *Nisi esset verus Deus, non afferret remedium; nisi esset verus homo, non praberet exemplum.* Ratio etiam id evincit, quia si sola humana persona pro nobis satisfecisset, non refudisset in opera nostræ redemptionis infinitum valorem, & dignitatem, quia persona humana cùm sit finita non potest infinitatem alteri communicare, quia nemo dat, quod non habet, consequenter persona humana non satisfecisset ex rigore justitiæ defectu æqualitatis inter opera satisfactoria, & Deum offensum, quia si injuria crescit, quo persona, cui est injuria irrogata, est dignior; cùm Deus sit infinitè dignus ex hoc capite injuria illi ab homine irrogata objectivè contrahit quandam infinitatem, quæ non potest compensari, nisi per aliam actionem, quæ itidem sit infinitæ dignitatis, & valoris, & cùm talis non sit actio à sola persona humana profecta, sequitur evidenter personam purè humanam non potuisse pro nobis satisfacere ex rigore justitiæ, quòd si sufficiens fuisset satisfactio, quæ non esset ex rigore justitiæ, inde sequeretur non fuisse necessariam incarnationem: ergo si Christi satisfactio fuit ex rigore justitiæ, debuit necessariò procedere à persona, quæ illi communicaret valorem, & dignitatem infinitam, proinde non potuit munus Mediatoris exercere, nisi Christus, qui erat Deus, & homo simul. Objiciunt tamen Hæretici epistolam Agathonis lectam in sexta Synodo Act. 4. in qua negatur opus personale, & asseritur opus naturale in Christo, ex quo inferunt opera Christi in præfata epistolo tribui naturis non verò personæ. Sed contra quia Agatho non negat opera Christi esse opera personæ unius, sed tantùm asserit non esse in Christo unum tantùm opus juxta unam personam operantis, sed esse duo opera juxta duas naturas, per quas una, ac eadem persona operatur: siquidem opera multiplicantur ad multiplicationem principii formalis; sicut etiam in Trinitate tres sunt, qui operantur, quamvis unum sit trium personarum opus, eò quia unum sit formale principium divinarum operationum seu una natura divina.

Calvinus in duabus epistolis ad Polonos asserit, Christum exercuisse officium Mediatoris secundùm utramque naturam divinam, & humanam, cui sententiæ adhærent Ministri Tigurini, & alii plures ejusdem furfuris. Fatentur se dissentire in hac quæstione à Magistro sententiarum, & aliis Scholasticis, quia isti doceant Christum esse Mediatorem secundùm naturam humanam, non verò divinam, quamvis ipse Mediator sit Deus, & homo. Rursus ex operibus elicitis à Mediatore docent quædam esse humanitatis quoad rem, & divinitatis quoad efficaciam ut pati, mori; & quædam solius divinitatis, ut illuminare mentes, condonare peccata, sacrificium offerre; victimam autem esse soli tribuunt naturæ humanæ, adeo ut Calvinus in Epistola ad Polonos scribi jusserit de Christo hæc verba: *Est Pontifex, & Sacerdos divina natura, sacrificium verò humana:* quod est veluti Arianismum excitare, ut & Eutichianismum. Quod verò tantùm secundùm naturam humanam Christus fuerit Mediator si loquamur de principio formali, non de supposito liquet ex Scripturis 1. ad Timoth. 2. *Unus Deus, unus & Mediator Dei, & hominum homo Christus JESUS:* ait Apostolus Mediatorem esse hominem Christum, ut exprimeret naturam secundùm quam est Mediator, ut notavit D. Augustinus *lib. 2. de peccato originali cap. 28.* & *serm. 11. de verbis Apostoli.* Rursus Apostolus distinguit Mediatorem à Deo inquiens: *Unus Deus, unus & Mediator Dei, & hominum:* Ex quo liquet non esse Mediatorem secundùm naturam divinam, sed tantùm secundum humanam, quia Christus à Deo distinguitur. Neque obstat, quod respondent Hæretici Apostolum indicare distinctionem ratione personæ, censentes per unum Deum intelligi Patrem, à quo distinguitur Filius personaliter, alioquin sequeretur quaternitas ut ipsi ajunt, si à tota Trinitate distingueretur Mediator. Hinc Calvinus in 2. epistola ad Polonos per unum Deum ait non posse intelligi Trinitatem, quod est incidere in arianismum, siquidem Ariani ubicunque in Scripturis legitur unus Deus, aut simpliciter Deus, voluerunt id intelligi non de Trinitate, sed de solo Patre. Rursus Sancti Patres præsertim Chrysostomus notant Apostolum per verbum illud *unus* non excludere Filium, sed tantùm Deos gentium, unde per unum Deum non Patrem, sed Trinitatem intellexerunt, quapropter Augustinus in Psal. 29. explicans hæc ipsa verba Apostoli ait: Unum Deum significare Trinitatem & Christum esse Mediatorem inter Trinitatem, & humanum genus inquiens: *Quid est Mediatorem esse inter Deum, & homines? non inter Patrem, & homines, sed inter Deum & homines? Quid est Deus? Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Qui sunt homines peccatores, impii mortales. Inter illam Trinitatem, & hominum infirmitatem, & iniquitatem Mediator factus est homo non iniquus, sed tamen infirmus.* Id est Mediator inter Deum & hominem est Christus, seu Deus & homo simul, non solus Deus nec solus homo: quia solus Deus non erat obnoxius passionibus, & morti, & solus homo non poterat satisfacere ad æqualitatem, proinde Mediator debuit esse Deus & homo simul, adeo ut in nomine Dei non solus Pater intelligatur, sed tota Trinitas: quia non solus Pater fuit à peccatis hominum injuria affectus, sed etiam Filius & Spiritus Sanctus, seu ipse Deus ut includens Trinitatem, ac tres personas divinas, quia homo per peccatum se avertit à Deo & omnibus tribus personis, proinde non solus Pater placandus fuerat à Mediatore, sed etiam Filius & Spiritus Sanctus, adeo ut tota Trinitas fuerit à Mediatore hominibus reconcilianda. Quamobrem quando Apostolus ait: *Unus Deus, unus Mediator Dei & hominum,* per unum Deum totam Trinitatem significavit. Neque inde sequitur quaternitas, quia Christus propter duas naturas numeratur inter personas Trinitatis cui debetur satisfactio, & simul ipse est, qui satisfacit ut homo, adeo ut sit Mediator ad se ipsum, non ut Deus homo simul est, sed tantùm ut Deus & sit satisfactor, quatenus est homo non simpliciter, sed ut subsistens per divinam subsistentiam valorantem, & dignificantem actiones humanitatis in Christo, unde Augustinus lib. 10. Confess. cap. 43. ait: *In quantum homo in tantum mediator, in quantum autem Verbum non medius, quia aqualis Deo, & Deus apud Deum, & cum Patre, & Spiritu Sancto unus Deus,* & Epistolà 59. ad Paulinum scribit: *Per Mediatorem non Deum, quod semper Verbum erat; sed hominem Christum Jesum,* seu ut coalescentem simul

ex

ex Deo, & homine, ideo ut Christus, ut includens utramque naturam divinam & humanam sit tantùm principium *quod* operationum, quibus Christus reconciliavit DEUM hominibus, & humanitas fuerit principium *quo*, quia pati, mori fuerunt operationes profectæ ab humanitate, quapropter Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 7. ait: *Christus in forma Dei æqualis Patri, in forma servi Mediator Dei & hominum*, hoc est per humanitatem fuit Mediator ut per principium *quo*, in quo sensu lib. 1. de consensu Evangelistarum cap. 3. ait: *Secundùm hominem Christus & Rex, & Sacerdos effectus est, ut esset ad interpellandum pro nobis Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*. & lib. de peccato originali cap. 28. ait: *Non per hoc Mediator est, quòd æqualis Patri, per hoc enim quantum Pater tantùm & ipse à nobis distat. Et quomodo erit medietas, ubi eadem distantia est? ideo Apostolus non ait Christus Jesus, sed homo Christus Jesus, per hoc ergo Mediator, per quod homo, inferior Patre per quod nobis propinquior, superior nobis per quod Patri propinquior. Quid apertius seu dicitur inferior Patre, quia in forma servi, superior nobis, quia sine labe peccati.* Cyrillus in Apologia pro 12. capitibus contra Orientales proponit hanc objectionem contra decimum caput: *Si Deus Verbum, est Sacerdos, cui vel quali Deo suum ministerium offert? & respondet: Quando factus est homo, vocatus est Pontifex, non quod majori Deo offerret sacrificium, sed sibi ipsi & Patri.* Et pluribus interjectis subdit: *Audiens quod dictus est sacerdos propter humanitatem erubescis ne? deinde quomodo non admiraris eo, quod non secundùm sacerdotum morem alteri fecerit sacrificii modum, sed sibi ipsi potiùs & Patri?* ubi Cyrillus non solùm ait Christum esse Pontificem propter humanitatem, sed etiam adigit nos intelligere negativè, scilicet non propter divinitatem, cùm asserat eum sacrificium sibi ipsi obtulisse, & Patri; quia non potest unus ac idem ut idem sacrificium offerre & accipere: sed accepit sacrificium ut Deus, & obtulit sacrificium ut homo.

81 Igitur Christus ut Deus simul, & homo fuit verus Mediator inter Deum & hominem, quia de ratione Mediatoris est, ut sit medius ac distet aliquo modo ab utraque parte dissidente; quia si omnino sit idem cum una parte non potest respectu illius esse Mediator: atqui Christus ut Deus simpliciter fuit idem cum parte una, & ut homo purus & simpliciter fuit etiam idem cum altera parte; consequenter ut esset medius non debuit esse nec solus Deus, nec solus homo, sed Deus homo simul, quia ut homo distat à Deo, & ut Deus distat ab homine; proinde ut Deus & homo simul fuit medius. Neque obstat, quòd Christus ut Deus non distet ab ipso Deo, quia non est Mediator ut Deus tantùm, sed ut Deus & homo simul, alioquin si Christus esset Mediator ut est Deus, sequeretur omnes tres personas esse Mediatores, quia cùm natura divina sit communis tribus personis quidquid secundùm illam convenit uni personæ, id convenit etiam tribus, quapropter Sancti Patres asserunt opera Trinitatis esse indivisa; omnes autem tres personæ divinæ non possunt esse nec dici Mediatores, alioquin non daretur persona respectu cujus esset Mediator, non enim Filius respectu sui potest esse Mediator. Rursus officium Mediatoris propriè est mediare & reconciliare partes dissidentes, proinde debet esse distinctus à partibus dissidentibus, & cum Christus ut Deus homo simul sit distinctus à puro homine, & à Deo solo, ideo Christ' ut Deus homo est ver. Mediator seu ut quid medium à solo & puro homine, & à solo Deo; & quia proprium est Mediatoris, etiam satisfacere; ideo ita est Mediator Christus ut functus etiam fuerit officio Sacerdotis, cujus proprium est sacrificare, & sacrificando satisfacere, ut constat ex *cap. 7. 8. & 9. ad Hebraes*: atqui sacrificare non potest Christo convenire secundùm divinitatem, sed secundùm humanitatem, quia asserere Filium esse Sacerdotem, perinde est ac illum asserere creaturam, ac invehere arianismum, quia omnis Sacerdos est minor eo, cujus est Sacerdos, quia officium Sacerdotis est ministrare, unde D. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 5. ait: *Idem Sacerdos, idem & hostia, & Sacerdotium tamen & Sacrificium humanæ conditionis officium est*, & D. Hieronymus in Psal. 109. expendens illud. *Juravit Dominus. Tu es Sacerdos in æternum*, ait; *Non illi juravit qui ante Luciferum genitus est, sed illi, qui post Luciferum natus ex Virgine est.* Stat igitur Christum fuisse Mediatorem ut principium *quod*, quatenus erat Deus, & homo simul, & ut principium *quo* fuisse ipsam humanitatem dignificatam per Verbum divinum, quatenus hoc dignitatem & valorem refundebat in Christi operationes.

Objiciunt tamen quia Christus Joan. 8. ait: *Ego pono animam meam*, ubi Calvinus in Epistola ad Polonos scribit: Christum id dixisse ut Mediatorem, & non ut hominem, sed ut Deum, quod evincit ex eo, quia nemo habeat arbitrium vitæ, & mortis nisi Deus. Sed contra quia animam ponere proprium est illius, qui animam habet, & homo cùm constet ex anima & corpore dicitur animam habere, & illam ponere, unde ponere animam non est Dei, sed hominis, tametsi potestas illam ponendi & recipiendi sit à Deo data homini, neque quid aliud est animam ponere quàm mori, ut & resumere animam, quàm resurgere: & quia mori & resurgere est proprium hominis, non Dei, ita verba Joannis intelliguntur de Christo ut homine, non tamen simpliciter, sed ut unito divinitate, seu subsistente per subsistentiam divinam. D. Augustinus Tract. 47. expendens verba Joannis ait: Animam sumi pro ipsa substantia animæ, & postea quærens quid sit ponere animam, verbine an carnis, an ipsius animæ, respondet non esse verbi, quia verbum nunquam dimisit animam, nec esse animæ, quia hæc à se ipsa non potest separari; & concludit esse carnis quæ animam aliquando relinquit, & aliquando recipit, ut ipse: *Caro ponit animam suam, & caro iterum sumit eam, non tamen sua potestate caro, sed potestate habitantis carnem.* Chrysostomus etiam explicans verba Joan. 6. ait: Verba illa fuisse prolata à Christo secundùm humanitatem, non verò secundùm divinitatem, ut censuit Calvinus.

Objiciunt secundò illud Apostoli 2. Corinth. 5. *Omnia autem ex Deo qui nos reconciliavit sibi per Christum*, & infra, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*; & ulterius: *Pro Christo ergo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos: Obsecramus pro Christo reconciliamini Deo*: Atqui reconciliare exhortari, sunt actiones Mediatoris; consequenter Christus non ut homo sed ut Deus fuit Mediator. Sed contra quia non semper reconciliare, & exhortari sunt opera Mediatoris, si enim quis per se ipsum reconciliet sibi inimicum per humiliationem, & actus obsequii is non dicitur Mediator, quia non est medius respectu sui, neque distinguitur à se ipso, quod est de ratione Mediatoris, & tamen reconciliat sibi inimicum, unde non omnis qui reconciliat est Mediator. Præterea aliud est reconciliare per Mediatorem, & aliud esse Mediatorem, siquidem potest pars una ex duabus dissidentibus sibi procurare Mediatorem, & per ipsum etiam reconciliationem cum altera parte dissidente, quamvis non sit Mediator: Deus igitur reconciliavit nos sibi, sed per Mediatorem, quem ad nos misit. Neque obstant verba Apostoli ad Hebræos 4. *Habemus Pontificem qui penetravit*

cales, penetrare autem cœlos non convenit homini, sed soli Deo: ergo Christus ut Deus est Pontifex, & Mediator. Nam contra est, quia Pontifex, qui ab Apostolo dicitur penetrasse cœlos fuit Christus Dominus, qui post resurrectionem ascendit in cœlum, unde non qua Deus tantùm cœlos penetravit, nec quà homo tantùm, sed ut Deus homo simul, hic enim fuit Pontifex, qui cœlos penetravit, fuit Sacerdos, qui victimam obtulit ad reconciliandum Deum hominibus, imò fuit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech sine Patre, sine matre, sine genealogia, quia Christus ut homo caret Patre, ut Deus caret matre, & est sine genealogia, quia ut Deus non habet Majores, quos recenseat. Rursus quia Deus habet Patrem, quia Deus de Deo, ut homo habet Matrem, quia natus ex Maria Virgine.

Objiciunt tertiò quis S. Irenæus lib. 3. cap. 20. ait: *Oportuerat Mediatorem Dei, & hominum per suam ad utrosque domesticitatem in amicitiam, & concordiam utrosque reducere, & facere ut Deus assumeret hominem, & homo se redderet Deo.* Sed contra quia Irenæus tantùm loquitur de principio *quod* mediationis, seu de mediatione substantiali, quæ facta est in ipso Christo per Incarnationem, & fuit necessaria ad mediationem per operationem, quia si Christus non fuisset simul Deus & homo, non fuisset suppositum divinum operans in natura humana, consequenter opera Mediatoris non fuissent infiniti valoris, & pretii, & redemptio humani generis non fuisset facta ex rigore justitiæ: unde Christus ut est Deus & homo simul fuit verus Mediator, quantum ad mediationem operationis, & dignificationem ejusdem, quia ut Deus communicabat dignitatem, & valorem infinitum operationibus humanitatis, & ut homo easdem operationes humanas eliciebat, adeo ut principium *quod* earundem fuerit Christus ut Deus & homo, & principium *quo* fuerit humanitas, quæ eliciebat operationes, quibus Deo Patri reconciliabatur humanum genus: Hinc Augustinus in Enchirid. cap. 108. ait: *Neque liberaremur per unum Mediatorem Dei & hominum nisi esset Deus*, loquitur enim de persona, quæ communicabat dignitatem, & valorem operationibus humanitatis.

Objiciunt quartò, renovare corda, & dare Spiritum Sanctum, sunt opera Mediatoris, ut docent Sancti Patres, præsertim Augustinus in Enchirid. cap. 33. ubi ait per Mediatorem nos recipere Spiritum S: sed dare Spiritum Sanctum, & renovare corda est solius Dei: Ergo Christus non ut homo, sed ut Deus tantùm fuit functus officio Mediatoris. Rursus docere est etiam opus Mediatoris; & tamen Augustinus *lib. de magistro* asserit solum Deum esse verum Magistrum docentem homines scientiam: ergo Christus ut Deus fuit Mediator. Sed contra, quia dupliciter potest intelligi dari nobis Spiritum Sanctum, primò meritoriè; & hic modus dandi Spiritum Sanctum est proprium Christi ut hominis, & Dei simul; quia Christus sua Passione, & morte nobis meruit Spiritum Sanctum, & gratiarum omnia dona. Secundò efficienter, & ut Authorem donorum omnium gratiarum; & in hoc sensu dare Spiritum Sanctum non est opus Mediatoris, sed illius apud quem Mediator intercedit, seu Patris, Filii, & Spiritus Sancti; dona gratiæ, ut & illuminatio intellectus ad cognoscendam veritatem, & inflammatio voluntatis ad rectè operandum sunt opera totius Trinitatis: proinde si hujusmodi donationes essent propriæ Mediatoris; tota Trinitas esset mediatrix; proinde Filius esset mediator apud se ipsum. Hinc etiam docere principaliter est Dei, seu totius Trinitatis; & docere per modum instrumenti proprium est hominis. Christus igitur ut Deus est verus magister principalis, Christus verò ut homo mediator Dei & hominum fuit magister ut instrumentum divinitatis, sed instrumentum conjunctum, & singulare; non separatum, & commune.

Objiciunt quintò cum Calvino in Epistola ad Polonos, Christus fuit Caput Angelorum, & hominum etiam ante lapsum Adæ integro adhuc perseverante rerum statu ad Colossens. 1. *Primogenitus omnis creaturæ*; ergo fuit etiam Mediator Christus ante lapsum primi hominis; sed tunc Christus nondum erat homo; ergo ut Deus erat hominum & Angelorum, Caput & Mediator. Sed contra quia Christus ut Deus fuit ante lapsum Angelorum, & hominum Caput eorum, sed non Filius solùm, sed etiam Pater, & Spiritus Sanctus. Non verò ante lapsum Angelorum, & hominum erat Mediator Christus ut Deus, quia cùm Deus includat omnes tres personas divinas, Pater, & Spiritus Sanctus essent etiam Mediatores: Licèt Scriptura dicat Christum fuisse Caput omnium Angelorum, & hominum, nontamen asserit, esse mediatorem Angelorum: aliud est esse Caput, & aliud esse mediatorem: hic enim supponitur medius inter partes dissidentes, & ante lapsum Angelorum, & hominum creaturæ non dissidebant à Deo, consequenter inter partes dissidentes non potuit dari mediator.

Objiciunt sextò illud D. Pauli 1. ad Timoth. 2. *Christus est unus Mediator*: Ergo non rectè à Catholicis invocantur Sancti veluti intercessores: alioquin Christus non esset unus Mediator; sed plures essent Mediatores. Sed contra quia tametsi Christus fuerit unus Mediator universalis inter Deum, & totum humanum genus modo perfectissimo, inde tantùm sequitur non dari alios Mediatores eodem modo perfectissimo; non verò quod non dentur alii Mediatores alio modo minus universali, & perfecto: non enim Apostolus dixit Christum absolutè esse unicum Mediatorem, ut præter Christum nullus alius detur Mediator: neque dixit esse unicum Mediatorem post mortem, ut præter illum nullus alius hac vita defunctus possit à nobis invocari. Etenim quod Apostolus non asseruerit, præter Christum non dari alium mediatorem patet evidenter ex Scripturis; quia *Deuter.* 5. Moyses ait: *Ego sequester & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo.* Et Hieremias cap. 18. *Recordare quòd steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, & averterem indignationem tuam ab eis.* Ubi apertè fatetur se functum fuisse officio Mediatoris aliquo saltem modo, quamvis non modo illo perfectissimo, quo Christus ab Apostolo dicitur *unus Mediator*. Imò & ipse Apostolus aliquo modo ait, se functum itidem fuisse officio Mediatoris 2. ad Corinth. 5. *Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos; reconciliamini Deo.* Præterea 1. ad Timoth. 2. jubet fideles pro omnibus hominibus preces fundere, & Deum orare, quod perinde est ac fungi officio Mediatoris. Quod nec etiam Apostolus asseruerit, Christum post passionem fuisse unicum tantùm Mediatorem negativè, seu exclusivè respectu aliorum, etiam est probatu facilè. Primò quia in Scripturis nullum habetur verbum quod hoc innuat; & sine Scripturis non debemus hoc asserere. Secundò quia Apostolus loquitur de Christo, quatenus singularis fuit, & unicus Mediator patiendo pro nobis, quod ille præstitit in hac vita. Tertiò quia si Apostolus post mortem intendisset alios Mediatores excludere: inde sequeretur, quod Sancti independenter à nostris precibus non possent;

possent pro nobis intercedere, fungique officio mediatoris; quod tamen Hæretici non diffitentur Sanctos ex charitate, quâ in homines sunt propensiores in cœlis, quàm fuerint cùm viverent in terra; intercedere pro nobis, ac proinde fungi munere Mediatoris. Christus igitur ab Apostolo Paulo 1. *ad Timoth.* 2. dicitur *unus Mediator Dei & hominum*, quia fuit Mediator pro toto humano genere, seu pro omnibus puris hominibus, cùm ipse non fuerit purus homo; sed Deus & homo simul; & quia nullus alius fuit hoc pacto Mediator, ideo rectè dicitur unus, vel unicus Mediator, quia verè fuit unicus qui hoc modo totum humanum genus reconciliaverit Deo. Secundò quia dedit etiam semetipsum; subdit enim Apostolus: *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*: non tamen Apostolus inde excludit alios Mediatores, qui aliis modis minus perfectis interpellant pro nobis apud Deum. Neque Apostolus asserit, Christum post mortem unicum nostrum esse Mediatorem exclusivè ad alios, quia de hoc nec unum profert verbum. Tertiò quia Christus naturâ fuit medius inter Deum, & homines, quia Deus, & homo simul, ideoque perfectissimus fuit Mediator. Quartò quia dedit semetipsum redemptionem pro omnibus omnino. Quando igitur Sanctos fusis precibus invocamus, non facimus eos Mediatores hoc perfectissimo modo: non enim Sancti qui à nobis invocantur, sunt Deus & homo simul, nec dant se ipsos redemptionem pro omnibus: Christus igitur est Mediator principalis; & Sancti dicuntur Mediatores dispositivè, & ministerialiter.

CAPUT XI.

De Christi merito, quo tempore, & quibus meruerit.

Meritum, ut ad præsens attinet institutum, est obsequium à creatura rationali Deo præstitum, vimque habens sua bonitate ut Deus moveatur ad præmii retributionem, & bipartitur in condignum, & congruum; illud habetur quoties valor obsequii sua æstimabilitate valorem adæquat præmii, & minus præmium non compensaret ad æqualitatem præstitum obsequium. Meritum congruum, est obsequium quod licèt aliquam habeat condignitatem, & proportionem ad præmium, absolutè tamen compensarur sufficienter minori præmio: quo pacto actus contritionis qui elicitus à peccatore resipiscente, non nisi de congruo meretur gratiam sanctificantem; elicitus à viro justo illam meretur de condigno: Ratio discriminis est, quia Deus per injuriam sibi à peccatore illatam graviter offensus, non tenetur peccatorem ad suam statim recipere gratiam quamvis hic per actum amoris resipiscat; & convertatur ad Deum: sed quia peccator per actum contritionis nititur eo meliori modo, quo potest, Deo offenso satisfacere; movetur Deus congruè & rationabiliter ad illum recipiendum in sua gratia, qua Dei amicus constituitur: Secus merita viri justi, & Filii adoptivi Dei, nequit Deus aliter compensare, quàm per uberiorem redamationem, quâ incrementum illi conferat gratiæ sanctificantis. Rursus certum est, Christum fuisse simul comprehensorem, & viatorem; siquidem ratione beatitudinis essentialis erat comprehensor; & quia corpus nondum erat gloriosum, quia passibile erat respectu gloriæ corporis nondum acquisitæ viator. Hinc Christus non solùm nobis promeruit gratiam & gloriam essentialem, & accidentalem; sed etiam sibi gloriam corporis, & exaltationem proprii nominis; seu promeruit sibi omnia, quæ accepit post passionem suam ut ostenditur ex illo ad Philip. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod, & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen*. Et ad Hebræ. 2. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum*. Ubi Apostolus Paulus refundit in Christi passionem, & mortem ut in causam meritoriam ejus gloriam, & honorem. Neque obstat, quod respondet Calvinus ex citatis Scripturis tantùm significari, Christum post passionem suam, & mortem habuisse gloriam; non verò passionem fuisse causam meritoriam talis gloriæ; ut cum Luc. ult. dicitur: *Oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam*. Nam contra quia etiam verba Lucæ intelliguntur de causa meritoria, quia idem significans *oportuit Christum pugnare, & vincere, & sic triumphare*, victoria de victis hostibus est causa meritoria triumphi. Præterea Apostolus ad Philip. 2. & Hebræos 2. ponit expressè particulam *propter* quæ causam significat: Est enim sensus: quia Christus obedivit Deo Patri, Deus honoravit illum scilicet propter merita obedientiæ. Etiam Matth. 16. post confessionem factam à Petro dixit ei Christus: *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: quæ verba expendens D. Hieronymus ait. *Mercedem recepit vera Confessio*. Sancti Patres hoc idem affirmant S. Chrysostomus homil. 7. ad Philippenses ait: *Extremam Christus præstitit obedientiam, propterea accepit supremum honorem*, & hortatur ad exercitia obedientiæ, & humilitatis; ut inde promoveatur homo ad æternam gloriam; ergo quia illud *propterea* significat causam meritoriam, adeo ut exercitia virtutum fuerint in Christo causa meritoria supremi honoris: Hinc D. Ambrosius in cap. 2. ad Philippenses. *Quid & quantum humilitas mereatur, hic ostenditur*. D. Augustinus expendens textum Apostoli tract. 104. in Joan. ait: *Humilitas claritatis est meritum: Claritas humilitatis est præmium; sed hoc factum est in forma servi*: & reliqui Sancti Patres docent Christum per exercitia virtutum præsertim humilitatis, & obedientiæ meruisse gloriam non solùm nobis sed etiam sibi. Respondet Calvinus; ergo debuisset Christus iisdem virtutibus sibi etiam promeruisse gratiam, scientiam, & gloriam animæ. Sed respondetur cum D. Thoma 3. *part. quæst.* 19. *art.* 3. Christum debuisse habere omnia optimo modo; & quia sunt aliqua bona ita eximia, & excellentia, ut melius sit, illis nunquam carere, quàm ea acquirere ex merito; eò quia magis detrahat perfectioni alicujus eorum carentia ad tempus; quàm dignitas merendi, quamvis non possit quis ea sibi mereri, nisi aliquando illis careat: talia fuerunt in Christo gratia, gloria animæ, scientia, & præsertim unio hypostatica, quæ singula Christus ab initio habuit: secus gloria corporis, & exaltatio nominis minora sunt, quàm ipsa dignitas merendi, & ideo melior fuit eorum carentia ad tempus, & ex merito illa acquirere, quàm carere dignitate merendi.

Objicit tamen Calvinus *lib.* 2. *Instit. cap.* 17. §. 6. quia Filius Dei non habuit opus descendere de cœlo ut sibi in terris acquireret aliquid novi. Secundò quia Christus in Scripturis dicitur pro nobis laborasse usque ad mortem. Ad Rom. 8. *Proprio Filio non pepercit, sed pro vobis tradidit illum*. Isaiæ 9. *Puer natus*

est nobis. Zachar. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi.* Joan. 17. *Pro eis ego sanctifico me ipsum:* ergo descendit de cœlo ut nobis non sibi mereretur gloriam. Tertiò quia alioquin detraheretur charitati Christi, quam D. Paulus commendat ad Rom. 5. ubi ait Christum pro suis inimicis mortem subiisse. Quartò quia non potest explicari, quibus meritis homo potuerit assequi ut Judex esset mundi, & Caput Angelorum, ac summo Dei potiretur imperio. Sed contra, hæc enim facilè rejiciuntur. Ad primum respondetur Dei Filium non indiguisse re ullâ; neque descendisse, ac carnem sumpsisse ut aliquid sibi acquireret: quia qui descendit, & carnem assumpsit fuit Deus non homo; & ipse descensus fuit assumptio nostræ humanitatis; sed postquam descendit, & formam servi accepit, aliquid non sibi, sed eidem formæ servi quam assumpserat acquisivit, scilicet gloriam corporis, & propter nominis exaltationem. Quòd si dicas gloriam corporis sequi per se ex gloria animæ; & accessorium non cadere sub meritum. Respondetur gloriam corporis absoluè non esse accessoriam, quia sequitur ad gloriam animæ ex Dei determinatione, & congruentia meritorum. Voluit enim Deus ut gloria animæ redundaret in corpus, quatenus gloria animæ sequititur per actus, qui exercentur per membra corporis; ex quo fit ut sicut gloria animæ, ita & gloria corporis cadat sub meritum. Præterea nil videtur obstare quo minus accessorium possit cadere sub meritum, ut alio quoque titulo debeatur: unde licèt gloria corporis deberetur Christo ratione gloriæ animæ, adhuc sub alio titulo poterat illi convenire scilicet jure præmii, & mercedis. Ad secundum respondetur Christum laborâsse, ac fuisse exinanitum pro nobis, seu pro salute nostra, & gloria æterna; sed ut mereretur etiam sibi gloriam corporis, & nominis exaltationem: potest enim quis in commodum alterius aliquid agere, quod etiam sibi mereatur aliquid commodi, & laudis: Miracula quæ Christus agebat in utilitatem aliorum, redundabant etiam in propriam laudem, quia inde à populo prædicabatur Propheta magnus, cui inesset virtus Dei omnipotentis. Neque obstat, nullam fieri mentionem in Scripturis hujus gloriæ corporis Christi; quia cùm nos fuerimus causa suæ exinanitionis, ideo Scriptura nostræ meminit gloriæ, & salutis per Christi merita; si enim Adam non peccasset, Dei Filius non fuisset incarnatus, ut Christus pateretur, & mortem subiret. Ad tertium, meritum proprium non obstare, quominus ardor charitatis diffundatur in alios: sic Deus Pater quamvis nullum potuerit gloriæ incrementum recipere Joan. 3. *Sic dilexit mundum ut Filium suum traderet.* Et ad Rom. 8. *Proprio Filio non pepercit:* ita persona Christi, cui nihil poterat utilitatis accrescere maximam in humanum genus exercuit charitatem, cùm nostram assumpsit humanitatem, ut sua exinanitione, & morte, æternam nobis mereretur vitam. Ad quartum, Christum suis meritis non fuisse assecutum, ut esset Caput Angelorum, & summo potiretur Dei imperio; quia id ei conveniebat ex natura ut erat Deus; & quamvis non fuisset exinanitus in assumptione nostræ humanitatis.

Dicendum igitur primò Christum verè, & propriè meruisse, quod probari solet ex illo Apostoli ad Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod Deus exaltavit illum.* Hinc Tridentinum *Sess.* 6. *cap.* 7. definivit, Christum fuisse causam meritoriam nostræ justificationis, ratio itidem est, quam assignat D. Thomas, quia Christus habuit totam illam perfectionem, quæ poterat convenire aliis, sed mereri est summa perfectio: Siquidem melius est habere aliquid ex se & per proprium meritum, quam precario ab aliquo: ergo sicut posse mereri est perfectio in aliis hominibus justis, ita tribuenda est Christo, præterea quia in actibus saltem pluribus elicitis à Christo reperiuntur omnes conditiones requisitæ ad verum meritum: Siquidem sex solent de lege ordinaria assignari conditiones ad merendum necessariæ, quarum prima est, ut actio meritoria sit libera, quia per necessarias, nec meremur, nec demeremur. Secunda ut sit bona ex objecto, & omnibus circumstantiis, quia actus malus non meretur præmium, sed pœnam. Tertia ut procedat à subjecto grato juxta illud Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus,* hoc est, respexit prius ad subjectum sibi gratum, postea ad ejus merita; quia nisi subjectum fuerit gratum ejus opera non sunt Deo grata. Quarta ut formaliter, vel virtualiter referatur in finem supernaturalem, quia ut docet D. Thomas 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 4. Charitas est, quæ conjungit actus cæterarum virtutum cum fine ultimo, adeo ut ex imperio charitatis habeant actiones, ut sint meritoriæ vitæ æternæ. Quinta ut sit elicita à Viatore, quia Beati, & damnati cùm sint in termino nec mereri possunt, nec demereri. Sexta ut adsit pactum, & promissio ex parte Dei, & ex parte operantis, seu merentis, & ordinatio operis ad præmii assecutionem, quia sine tali promissione & ordinatione Deus non potest obligari ad reddendum præmium: & quia in pluribus Christi actionibus reperiuntur omnes istæ conditiones, siquidem fuerunt liberæ saltem quoad exercitium, & procedebant à voluntate: fuerunt honestæ, & bonæ ex objecto, & omnibus circumstantiis: fuerunt elicitæ à subjecto gratissimo Deo, uterat Christus referrebantur ad finem supernaturalem seu ad redemptionem humani generis, & ad salutem ac gloriam hominum, & procedebant ex imperio charitatis. Fuerunt itidem actiones viatoris, quia Christus fuit simul comprehensor, & viator; adfuit etiam divina promissio, & acceptatio, cùm dixerit Deus Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum,* scilicet ut explicat D. Thomas: *Videbit usque ad finem mundi filios sibi regenerari ex virtute mortis ejus,* ex quibus constat Christum verè, & propriè meruisse, sed difficultas est aliqua de tempore, quo Christus meruerit. Quatuor sunt tempora, de quibus potest dubitari, an Christus meruerit scilicet an in primo instanti suæ conceptionis, & per reliquum vitæ usque ad mortem, in instanti mortis, & tempore, quod successit post mortem.

Dicendum est secundò Christum meruisse in primo instanti suæ conceptionis, ita D. Thomas 3. *part.* *qu.* 34. *art.* 3. Et probatur ex illo Apostoli ad Hebr. 10. *Ideo ingrediens mundum dixit hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, tunc dixi: ecce, venio, ut faciam Deus voluntatem tuam:* In voluntate ait Apostolus: non esse sanctificatos per oblationem corporis Christi semel, quapropter juxta D. Paulum Christus ingrediens mundum, se morti obtulit, & passioni, quæ oblatio cùm libera fuerit, non caruit merito, sed Christum ingredi mundum verificatur de primo instanti suæ conceptionis, quia tunc quis incipit in mundo esse, cùm quis in mundo concipitur: Non enim potest intelligi de tempore subsequente ad conceptionem, neque de tempore antecedente, quia in antecedente nondum est mundum ingressus, & in subsequente supponitur jam ingressus: Siquidem pro tempore sequenti ad ingressionem non verificatur de præsenti, quod ingrediatur, sed

de præterito quod fuerit ingressus, qua propter Christum ingredi in mundum, si propriè accipiatur, tantùm verificari potest de primo conceptionis instanti, consequenter Christus in illo primo instanti meruit. Tum quia in illo instanti habuit perfectum usum rationis, ut docet D. Thomas *quæst.* 34. *art.* 2. & colligitur ex illo Jeremiæ 31. *Novum creavit Dominus super terram, mulier circumdabit virum* scilicet Christum, ut explicant sancti Patres, vir enim cum primùm in utero matris fuit circumdatus, dicitur à Jeremia non corporali fortitudine, sed virili ratione, eò quia habuerit plenum, ac perfectum usum rationis, unde Zachariæ 6. dicitur *Vir oriens*, quatenus à primo ortu in hunc mundum, qui est nativitas in utero, pollebat virili ratione, unde stat Christum à primo instanti suæ conceptionis habuisse plenum ac perfectum usum rationis, sed perfectus rationis usus non habetur sine actu regulato per rationem, & liberè elicito à voluntate, ergo Christus in primo suæ conceptionis instanti se exercuit in actu libero voluntatis, proinde potuit per talem actum mereri. Neque urger, quod respondet Durandus Christum à primo instanti suæ conceptionis fuisse perfectum virum tantùm quoad habitus scientiæ, gratiæ, & virtutum, in quibus tantùm consistit meritum virtualiter, & in radice non verò fuisse perfectum virum quoad usum rationis, in quo consistit meritum formaliter. Nam contra est, quia habitus supernaturales non expediti ad suos actus non constituunt virum in ordine supernaturali, alioquin etiam pueri suscipientes baptismum, cum recipiant habitus gratiæ, fidei, spei, & charitatis, dicerentur viri in ordine gratiæ, quod tamen nullus hactenus concessit: arg hi habitus, etiamsi perfecti sint, si tamen expediti non fuerint ad operandum, non possunt perfectum virum in habitu constituere: sed in sententia Durandi habitus infusi Christo in primo suæ conceptionis instanti non fuerunt expediti ad actiones meritorias, consequenter non poterunt constituere Christum in illo instanti virum perfectum in habitu: quòd si habitus isti Christo infusi in tali instanti fuerunt expediti, potuit Christus in eodem instanti elicere actus meritorios, ac habere perfectum meritum. Præterea, quia Christo tribuenda est ea major dignitas, & perfectio, quæ compossibilis sit cum munere Redemptoris, nisi oppositum sit revelatum: sed mereri in primo instanti suæ conceptionis non est perfectio, quia transfert potentiam de actu primo ad secundum: & hæc perfectio est possibilis in illo instanti, quia sufficit si causa sit prior natura effectu, seu actu meritorio; neque hæc perfectio repugnat muneri redemptoris cùm potiùs manifestet ejus charitatem in homines: & rursus quòd Christus non meruerit in illo primo instanti suæ conceptionis non est revelatum, ergo in illo primo instanti de facto meruit.

Dicendum est tertiò, Christum meruisse toto tempore infantiæ, & deinceps absque ulla interruptione usque ad mortem, ità communiter sancti Patres præsertim D. Ambrosius lib. 1. in Luc. cap. de nativit. Salvatoris, ubi ait: *Ne illius infantiæ panni vagientis abluunt fletus, mea delicta lavant lachrymæ illæ.* D. Augustinus serm. 11. de tempore. *Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta sunt emplastra naturæ.* Hinc D. Thomas 3. *part. quæst.* 37. *art.* 1. præ aliis rationibus, quibus Christus voluit subjici circumcisioni hanc adfert: *Ut legis onus in se sustinens alios à legis onere liberaret.* Ratio itidem est, quia Christus in infantia, & toto vitæ tempore habuit actus scientiæ infusæ absque ulla interruptione: siquidem isti non dependebant ab organis, & Christi virtutes nunquam potuerunt esse otiosæ; unde Christus potuit semper mereri, quia secundùm scientiam infusam erat expeditus ab organis: & quia summè diligebat Deum, habebat propositum efficax placendi Deo, consequenter debuit continuo mereri, alioquin minus placuisset Deo, quam potuisset, placere; tum quia Christo tribuenda est major perfectio possibilis, quæ non repugnat cum munere Redemptoris, & Christum nobis meruisse in infantia, & toto vitæ tempore usque ad mortem, est dignitas, & perfectio possibilis, quæ non repugnat cum muneta Redemptoris, nec cum majori perfectione, ergo dicendum est Christum nobis meruisse in infantia, & toto vitæ tempore usque ad mortem.

Dicendum est quartò, Christum post mortem non amplius meruisse est communis cum D. Thoma 3. *part. quæst.* 19. *art.* 3. *ad* 1. *& quæst.* 50. *art.* 6. *ad* 2. & probatur ex illo Joan. 9. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: veniet nox, quando nemo potest operari.* Patres communiter per diem intelligunt tempus hujus vitæ nobis concessum, ut possimus operari opera meritoria vitæ æternæ: & per noctem intelligunt tempus alterius vitæ, quo non amplius nobis concessum est posse operari opera meritoria vitæ æternæ juxta illud Eccles. 9. *Quodcunque facere potest manus tua instanter operare, quia neque opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas*, & D. Hieronymus utrumque explicat de tempore merendi hujus vitæ, & non alterius. Rursus D. Paulus ad Hebr. 10. ait: *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ubi Chrysostomus Homil. 18. circa finem ait: *Si ergo remisit peccata per unum sacrificium, non est amplius opus secundo.* Ratio est, quia una ex conditionibus necessario requisitis ad meritum est status viatoris: Sed Christus eandem merendi viam habuit, quam habent cæteri homines: siquidem Christus servavit cæteras leges, quas habuit nobiscum communes, proinde servavit etiam istam, cum nulla fuerit necessitas in hac dispensandi. Præterea quia ad hanc dispensationem nullum adest fundamentum, & infinitas meritoria operationum Christi oppositum suadet, ergo cum cæteri homines non mereantur, nisi in statu viæ, & non post mortem, ut indicat Apostolus ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum*, quæ verba expendens D. Hieronymus ait: *Tempus sementis, ut diximus, est tempus præsens & vita, quam currimus. In hac licet nobis quod volumus seminare, cùm ista vita transierit operandi tempus aufertur: unde & Salvator ait: Operamini, dum dies est, veniet nox, quando jam nullus poterit operari:* ergo Christus post mortem quando non fuit amplius viator non meruit, sed tantùm in statu, quando fuit viator, adeò ut tunc cessaverit mereri, quando cessavit esse viator.

Dices vulnus lateris Christi, quod à sanctis Patribus vocatur fons omnium sacramentorum fuit inflictum post mortem, & nihilominus fuit meritorium, quia ut ait Leo Magnus epistol. 4. cap. 6. *Tunc regenerationis potentiam sanxit, quando perfluxerunt ex eo sanguis redemptionis, & aqua baptismatis:* Et D. Ambrosius lib. 10. in Lucam ait: *Ex illo incorrupto corpore, sed defuncto omnium vita manabat, aqua enim & sanguis exivit, illa, quæ diluat, iste qui redimat:* ergo Christus etiam post mortem nobis meruit. Sed contra quia vulnus illud Christi pectori inflictum dupliciter potuit esse meritorium: primò objectivè, secundò repræsentativè: objectivè quidem quatenus prævisum, & acceptatum fuit à Christo ante mortem, quamvis meritorium tunc non fuerit, quando fuit inflictum: & repræsentativè, quatenus per illud

illud vulnus, è quo fluxit sanguis & aqua fuit repræsentata mundities, & redemptio, quæ appellatur in sacramentis. Unde vulnus illud non fuit causa meritoria efficaciæ sacramentorum; sed tantùm repræsentatio bujus efficaciæ: perinde ac Christi resurrectio dicitur causa repræsentativa, non meritoria nostræ justificationis. Rursos posset responderi volnus illud Christi pectori inflictum fuisse causam virtutis sacramentorum efficientem non meritoriam, ut docet D. Thomas *quæst.* 50. *art.* 6. ubi ait: Mortem Christi in facto esse causâsse nostram salutem.

Dicendum est quintò, Christum meruisse per actum charitatis non eum tantùm, qui pendet à scientia infusa, sed etiam per actum amoris regulatum per scientiam beatam erga DEUM, seu per actum dependentem à scientia beata sumptum determinatè. Quòd Christus meruerit per actum charitatis, docent communiter cum D. Thoma, *in* 3. *dist.* 18. *quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 5. quia actus cæterarum virtutum non sunt meritorii præmii supernaturalis, nisi quatenus sunt imperati à charitate: sed actus aliarum virtutum fuerunt in Christo meritorii præmii supernaturalis, consequenter hujusmodi actus fuerunt Christo imperati à charitate, quæ propterea ut imperans hos actus fuit in Christo meritoria, tum quia radix merendi ut docet D. Thomas, est imperium charitatis, & quia sublato radice tollitur radicatum, seu meritum sequitur actum charitatis in Christo fuisse meritorium. Tum quia aliqua charitas in Christo potest esse meritoria, si potest esse libera, sed aliquis actus charitatis potest in Christo esse liber, ut dependens à scientia infusa, quia si Christus per scientiam infusam cognoscit Deum, potest etiam eidem scientiæ correspondere amor: qui sit liber. Præterea quia dilectio non necessariò, sed liberè imperat actus reliquorum virtutum, proinde si isti, quia liberè imperati & eliciti, sunt meritorii; etiam dilectio liberè imperans debet meritoria esse; sed dilectio, ex cujus imperio, & directione actus reliquarum virtutum constituuntur meritorii, est dilectio Dei, quia ad hoc requiritur imperium charitatis, ut actus per eandem imperati sint meritorii, & ordinentur ad finem, qui est objectum charitatis: unde inficiari non potest, quin in Christo fuerit aliqua dilectio meritoria. Secunda pars scil. er amorem beatificum sumptum determinatè pro se fuisse meritorium ex eo indem ostenditur, quia tametsi Christus per visionem beatam necessitetur ad amandum Deum, & intrinseca ejus bona non tamen necessitatur ad amanda extrinseca ejus bona, alioquin necessitaretur etiam ad volendum, quod est optimum: ergo potest Christus per actum amori regulatum à visione beata tantùm amare Deum & intrinseca ejus bona vel etiam amare simul Deum, & intrinseca ac extrinseca ejus bona, seu creaturas: sed hoc est actum amoris per visionem beatam directum esse determinatè liberum, quia eo ipso, quod hujusmodi actus est liber, potest etiam esse meritorius: quia tunc actus liber est sufficienter meritorius, quando voluntas per talem actum plus vult quàm ex necessitate antecedenti teneretur velle: sed Christus, volens bona Dei intrinseca, & simul extrinseca, plus vult, quam teneretur velle ex necessitate antecedente, quia potuisset voluntas Christi per charitatem regulatam visione beata amare DEUM tantùm & ejus bona intrinseca, non verò extrinseca, seu creaturas: ergo ejusmodi actus regulatus per scientiam beatam est liber & sufficiens ad meritum. Cæterum amor beatificus sumptus indeterminatè non est liber nec meritorius, quod potest dupliciter intelligi, primò taliter ut sit necessarius, ut regulatus scientia beatifica, & liber ut regulatus per scientiam infusam, sed idem actus non potest simul esse liber, & necessarius, ex eo, quòd oriatur à diversis principiis regulativis, quia hæc principia, cum sint conditiones extrinsecæ, non possunt inducere diversitatem specificam, quia diversitas specifica non petitur nisi à diversis motivis; & in data hypothesi haberetur unicum tantùm motivum, proinde idem specie actus: qua ratione ait Apostolus charitatem viæ & patriæ esse ejusdem specie, quia licèt procedat ex diversis cognitionibus quatenus amor viæ regulatus per cognitionem abstractivam, & amor patriæ per cognitionem intuitivam habetur nihilominus idem motivum formale, seu Dei bonitas, proinde idem specificè amor, in quo sensu ait Apostolus: *Charitas nunquam excidit.* Præterea quia actus liber is est, qui positis omnibus suis principiis adhuc est in libertate eliciendi vel non adeò ut ad actum liberum requiratur, ut nullum interveniat principium, à quo necessario eliciatur; proinde idem numero actus non potest dici necessarius ut regulatus per scientiam beatificam & liber ut regulatus per scientiam infusam. Secundò potest etiam idem actus intelligi esse necessarius ut terminatus ad Deum & ad intrinseca ejus bona: & potest intelligi liber ut terminatus ad extrinseca Dei bona, seu ad creaturas; sed idem actus non potest dici necessarius quatenus terminatus ad Deum, & liber ut terminatus ad creaturas, quia perinde implicat eandem indivisibilem entitatem actus esse necessariam respectu unius objecti, & liberam respectu alterius, ac implicet esse simul necessariam, & liberam respectu diversarum causarum, quia actus liber est, qui positis omnibus requisitis ad agendum, adhuc agens potest illum non elicere, & semel quod est necessarius ex aliquo comprincipio non potest non elici. Neque valet, si dicas secundùm diversas rationes posse contradictoria salvari, consequenter eundem actum posse secundùm diversas terminationes esse liberum, & necessarium, ut terminatus ad Deum, & ejus bona intrinseca sit actus necessarius, & ut terminatus ad bona extrinseca seu creaturas sit liber, quia eadem entitas amoris creati specificatur à divina bonitate, quæ est ejus motivum formale, & per eundem actum amantur Deus, & creaturæ: visio enim, qua DEUS videtur cum creaturis manens immutata non potest terminari ad solum Deum, alioquin esset visio entitativè distincta; sed amor regulatus per visionem beatificam est necessarius quatenus DEUM respicit, consequenter est etiam necessarius, ut respicit creaturas, nisi quid aliud addatur, & sumatur amor beatificus determinatè, ut superiùs explicuimus.

Dicendum est sextò Christum meruisse per actus virtutum moralium supernaturalium non tantùm denominativè, & materialiter, sed intrinsecè & formaliter, & probatur ex illo Apostoli ad Roman. 5. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam justi constituentur multi*, & ad Philip. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod super omne nomen.* Apostolus in primo texto tribuit obedientiæ Christi nostram justificationem: & in secundo exaltationem sui nominis ejus humilitati.

Præte-

Præterea veritas nostræ assertionis colligitur ex Bulla Pii V. & Gregorii XV. contra Michaelem Bajum, qui in vigesima propositione damnata asserunt. *Videtur insinuare, quod opera justitiæ, & temperantiæ, quæ Christus fecit ex dignitate operantis non contraxerint majorem valorem*, sed virtutes justitiæ, & temperantiæ sunt morales, ergo Christus revera meruit intrinsecè & moraliter per actus virtutum moralium supernaturalium præsertim obedientiæ, Justitiæ, Temperantiæ. Quòd si dicas D. Paulum in primo textu opponere obedientiam Christi inobedientiæ Adæ, & inobedientiam Adæ fuisse talem tantùm materialiter quatenus omne peccatum includit transgressionem præcepti divini, consequenter ouque obedientiam Christi fuisse formalem, sed tantùm materialem, quatenus omnis actus honestus includit observantiam legis, & adimpletionem divinæ voluntatis. Contra est, negatur minor, quia ut docet D. Thomas. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 2. *ad* 1. In peccato Adæ non solùm fuit malitia formalis intemperantiæ, & superbiæ; sed etiam inobedientiæ: siquidem non repugnat in uno eodemque actu physico dari plures malitias morales. Sed quidquid sit an in peccato Adæ fuerit expressa, & formalis inobedientia; adhuc potuit in actu Christi esse vera obedientia, quia id non repugnat rationi humanitatis, & si tribuatur Christo meliùs salvantur scripturæ.

36 · Ratio itidem est, quia actus virtutum moralium supernaturalium si eliciantur à puris hominibus justis sunt meritorii: ergo à fortiori, fuerunt etiam in Christo meritorii, cum in ipso fuerint liberi, & perfectissimi. Tum quia actus harum virtutum potuerunt in Christo imperari à charitate & esse meritorii: quia non repugnat, ut virtus imperans distincto actu elicito ex proprio motivo imperat alteri, ut suum eliciat actum ex proprio motivo, in qua hypothesi actus virtutis imperatæ induit intrinsecam honestatem sibi refusam ex proprio motivo. Tripliciter potest charitas imperare actum alterius virtutis. Primò ut charitas ex suo tantùm motivo eliciat actum alterius virtutis ut temperantiæ, & tunc actus elicitus pertinet ad temperantiam tantùm materialiter, & ad charitatem formaliter, quia intrinsecè, & essentialiter ordinatur ad finem charitatis. Secundò imperando temperantiæ, ut ipsa ex suo proprio motivo eliciat actum temperantiæ; & tunc actus elicitus est propriè temperantiæ, & tantùm extrinsecè ac denominativè ordinatur in finem charitatis per actum distinctum à charitate. Tertiò ut charitas & temperantia ex propriis motivis simul concurrant ad eundem actum. Christus igitur secundo, & tertio modo potuit elicere actus virtutum moralium ex imperio charitatis, quia actus ita elicitus est perfectior ob plures honestates quas induit: unde Christus meruit intrinsecè & formaliter per actus virtutum moralium supernaturalium.

Dicendum est septimò, Christum condignè etiam meruisse per actus virtutum naturalium. Ratio esse potest, quia catenus in aliis justis opera naturalia non sunt meritoria præmii supernaturalis, quia dignitas accidentalis personæ operantis non dignificat talia opera, cum non sint opera hominis justi reduplicativè ut justi: sed dignitas substantialis personæ Christi dignificat omnia opera: ergo Christus per actus virtutum naturalium meruit de condigno; minor liquet, quia actus virtutum naturalium in puro homine justo proveniunt ab illo ut homine operante juxta naturale dictamen rationis, consequenter proveniunt ab homine ut homine, non reduplicativè ut justo: quia actus virtutis naturalis temperantiæ possunt etiam elici ab homine non justo, & existente in statu peccati. Præterea, quia Christus potuit non solùm per charitatem imperare virtutibus supernaturalibus; verùm etiam naturalibus, ut ex proprio motivo honestatis naturalis elicerent suos actus; & rursus actus ita elicitos potuit referre in finem ejusdem charitatis: quia, tametsi actus ex naturali honestate eliciti non sint ab intrinseco proportionati, & condigni præmio supernaturali, in Christo tamen fiebant condigni, & proportionati tali præmio ex valore, & dignitate personæ operantis, quæ communicabat suum valorem, & moralem æstimabilitatem omnibus suis actibus; ergo Christus omnes suos actus reddebat proportionatos, & condignos quovis præmio supernaturali.

Dices, Christum non elicuisse nisi actus virtutum supernaturalium: ergo per actus virtutum naturalium non meruit. Antecedens ostenditur: quia Christus semper fuit operatus, quod erat optimum, & perfectius: atqui perfectius erat operari per virtutes supernaturales actus itidem supernaturales, ergo Christus nunquam meruit per actus virtutum naturalium formaliter, sed tantùm materialiter, & denominativè. Sed contra negatur antecedens; & ad ejus probationem negatur major, quia nulla fuit necessitas, ut Christus semper operaretur, quod erat optimum, & perfectius si præscindamus à majori DEI beneplacito ei manifestato: unde potuit sine indecentia operari minus perfectè: sicut neque DEUS semper adigitur ad faciendum quod est optimum. Præterea quia si Christus fuit necessitate adactus ad operandum moraliter optimo modo, fuisset etiam adactus physicè: siquidem, eatenus adigeretur ad optimam, & perfectissimam operationem, quia perfectissima sanctitas esset incompatibilis cum imperfectione, vel indecentia: sed perfecta sanctitas non solùm moraliter, sed etiam physicè excludit omnem imperfectionem à voluntate humana Christi: ergo Christus etiam physicè esset necessitatus ad operandum optimum,

CAP.

CAPUT XI

An Christus omnibus prorsus hominibus meruerit media salutis, seu an pro universis hominibus mortuus fuerit; & non pro solis electis.

CHristum fuisse mortuum pro omnibus prorsus hominibus dupliciter possumus intelligere quo ad sufficientiam, & quoad efficaciam: intelligitur Christus mortuus quoad sufficientiam pro illis, quibus applicata sunt Christi merita, ut haberent gratiam cujus beneficio possent æternam consequi salutem, & revera illam consequerentur si vellent eam consequi: adeo ut quòd non salventur id oriatur ex eorundem voluntate, quia nolunt operari, nec salvari. Quoad efficaciam dicitur Christus mortuus pro illis, quibus applicavit sua merita ut haberent gratias, cum quibus de facto salvantur: & hac posteriori modo certum est, Christum non fuisse mortuum pro universis hominibus; quia certum est non omnes æternam consequi salutem; ut sunt Ethnici, Judæi, Turcæ & omnes non baptizati; & ex baptizatis decedentes in peccato lethali sive resipiscentia. Quæstio tantùm procedit circa priorem modum, an quoad sufficientiam sit Christus mortuus pro omnibus hominibus offerendo mortem suam pro salute omnium, & merendo, ut dentur singulis gratiæ, cum quibus assequantur salutem, si velint. Novatores sequuti Lutherum, Calvinum, Melanctonem, Bezam asserunt contra scripturas sole meridiano clariores, Christum non nisi Electorum, ac prædestinatorum esse redemptorem, scilicet paucissimorum & pro illis tantùm mortuum esse non pro aliis, qui æternam non consequuntur salutem: ita censuit Jansenius Iprensis Episcopus, qui plures habuit in Gallia, & Belgio sectatores. Imò asseruit Jansenius, oppositam sententiam scilicet Christum mortuum esse pro omnibus generatim hominibus sapere hæresim semipelagianorum ait ipse tom. 3. col. 379. & 380. *Argumentum pro gratia sufficiente omnium sumptum ex eo, quòd Christus sit Redemptor omnium, & pro omnibus crucifixus, & mortuus usque ad nauseam à Pelagianis præsertim Massiliensibus inculcatum fuit: ut mirum sit, recensiores tanta studio trita hæreticorum arma colligere, & absumpta recudere.* Et tom. 3. cap. 21. col. 390. ait: *Nullo modo principiis Augustini consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium; vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuum esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, patrem orasse sentiatur:* & paucis interjectis subdit *ex quo factum est, ut juxta sanctissimum doctorem non magis patrem pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro Diabolo deprecatus fuerit. Sed si quid pro illis rogavit Patrem pro temporalibus quibusdam justitiæ effectibus rogavit, & pro iisdem obtinendis obtulit pretium, fuditque sanguinem suum.* Hinc eandem Jansenii sententiam docuerunt Hæretici docentes Christum pro solis prædestinatis fuisse mortuum, etenim Calvinistæ in Synodo Dordracena pag. 3. ajunt: *Christus pro omnibus & singulis mortuus est* hæc propositio fuit Semipelagianorum: *Rem non agunt demonstrantes novam hoc articulo. Olim enim Semipelagiani Massiliæ, & Syratusi eundem errorem tuebantur:* hoc idem etiam frequenter repetunt pagin. 354. num. 6. Et Beza in thesibus de sacrific. apud Malderum in Anti-Synodicis cap. 7. ait: *Coram DEO, & tota ecclesia testamur figmentum illud inauditum, & dilutum, Christum videlicet non minus pro impiis, quàm pro fidelibus esse mortuum.* Hieronymus Zanchius in Miscelan. Doctrina ad 1. Joan. 4. ait: *Sanguis Christi non est secundùm propositum DEI & re ipsa pro reprobis, & incredulis effusus, sed tantùm pro quibusdam, multis hoc est, electis.* Iisdem ferme verbis loquuntur Beza in Actis Colloquii Bernensis pag. 222. Kimedoncius in *Synopsi de redemptione pag.* 89. & Grinæus *Tom. 4. problem. pag.* 371. Molinæus in *sua anathom. cap. 18.* negat Christus orâsse pro omnibus crucifigentibus, huic doctrinæ dissentientes vocat Pontificios. Benedictus Aretius *part. 2. problemat. fol.* 868. negat Christum esse desperantium & damnatorum Salvatorem. Samuel Maresius in sua Synopsi cap. 4. laudat Cathechistam Jansenii, eò quia asserat Christum non esse mortuum pro iis, qui pereunt, & demum horum omnium Magister hoc idem docuit in 1. *Joan.* 2. & *in cap.* 17. *Joan.* Lutherani itidem hoc idem docent.

Dicendum est Christum generalem esse Redemptorem omnium hominum etiam reproborum pro quorum salute merita sua obtulit, ac obtinuit gratias omnes cum quibus si vellent possent omnes æternam consequi salutem, estque propositio hæc de fide, quia Innocentius X. & Alexander VII. damnârunt inter alias Jansenii propositiones etiam hanc, quæ ordine erat quinta scilicet *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse*, quàm ut falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus, ut impiam, blasphemam, contumeliosam divinæ pietati derogantem, & hæreticam declarârunt, & ut talem damnârunt, quia aperte adversatur scripturis ad Roman. 5. v. 18. & 19. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituentur multi.* Cujus Paulinæ Antithesis vis in id collimat, ut probet Christi justitiam seu meritum per passionem, & mortem omnibus omnino hominibus profuisse, sicut Adæ peccatum toti ejus posteritati obfuit, una excepta Deipara Virgine non dissentiente Tridentino Concilio; unde sicut Adæ peccatum totum humanum genus infecit, ita Christi mors totum humanum genus refecit, restauravit & sicut Adæ peccatum omnes homines perdidit, ita mors Christi omnes homines vivificavit dummodo velint ipsi vitam accipere & bene uti gratiis, quas Christus fuit omnibus prorsus hominibus promeritus. Rursus Apostolus 1. ad Corinth. 8. v. 11. scribit. *Peribit infirmus in tua scientia frater propter quem Christus mortuus est*, ex quo loco Malderus in *Anti-Synodicis cap.* 7.

ita

ita argumentatur: Nullus electus perit, aliquis propter quem mortuus est Christus, perit; ergo aliquis propter quem mortuus est Christus non est electus. Quòd si Christus mortuus est etiam pro non electis, sequitur mortuum esse pro omnibus prorsus hominibus prædestinatis, & reprobis. Rursus D. Paulus ad Galat. 2. v. 20. ait: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, quatenus scilicet pretio sui sanguinis me redemit, & æterna salute donavit, & 1. ad Corinth. 9. conscius hujus suæ redemptionis scripserat: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicaverim ipse reprobus efficiar*, tametsi D. Paulus collegio fuerit Apostolorum aggregatus, & se redemptum à Christo sciret, adhuc corpus in servitutem redigit, ne reprobus fieret. Rursus 1. ad Corinth. 2. ait: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, gratiarum actiones pro universis hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt*, postea adferens causam cur injunxerit omnibus preces fundere pro omnibus prorsus hominibus sive Reges, sive in sublimitate constituti, sive subditi, & pauperes subdit: *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, quia scilicet Christus redemptionem semetipsum dedit pro omnibus omnino hominibus, adeo ut mortuus fuerit pro omnibus, argumentum Apostoli est, eatenus pro omnibus etiam infidelibus, qui tunc temporis erant in dignitate constituti fundendæ sunt preces; quia unus est omnium Deus, & unus omnium mediator, nec plurium Deus quàm mediator; siquidem dedit redemptionem semetipsum pro omnibus omnino etiam infidelibus, Regibus, & aliis in sublimitate, seu dignitate constitutis: sed ex historiis tum Ecclesiasticis, tum profanis eo tempore, quo D. Paulus scripsit ad Corinthios: Neronem Romanum Imperium rexisse, Parthos, & Medos Reges suos habuisse; & vectigales Provincias Romanis ab Infidelibus summa potestate fuisse administratas: cùm igitur Apostolus jusserit etiam pro istis fundi preces, sequitur evidenter ex argumento Apostoli Christum pro illis omnibus mortuum fuisse. Quòd si ex mente Jansenii Christus pro iis tantùm mortuus est, qui æternam consequuntur salutem, nullius momenti & ponderis fuisset Apostoli ratiocinatio, vel in sententia Jansenii inter Sanctos enumerandi essent Nero, Vespasianus, Titus, Galba, Otho, Agripa, Felix, & alii, quos scimus in sua fuisse infidelitate mortuos, siquidem Apostolus si non explicitè, implicitè tamen significat etiam pro istis orandum esset cùm jusserit preces fundi pro Regibus, & iis, qui in sublimitate sunt, & pro quibus Christus dedit redemptionem semetipsum, vel cum Apostolo concludendum est Christum mortuum fuisse, ac dedisse redemptionem semetipsum etiam pro iis, qui æternam non consequuntur salutem, & in sua perpetua infidelitate decesserunt, ut prærecensiti Principes, quapropter 1. Timoth. 4. ait de Christo: *Qui est Salvator omnium hominum maximè fidelium.* Quòd si maximè fidelium ergo etiam infidelium, pro quibus redimendis mortuus est ex sincera voluntate, ut quantum per ipsum staret omnibus fructus suæ passionis prodesset. Quamobrem ex meritis passionis Christi etiam infideles acceperunt media necessaria, ut credere possint & salutem consequi, si velint: Justi autem etiam sua culpa non perseverantes, gratiam & in illa jus ad Dei hæreditatem acceperunt: tametsi applicatio horum mediorum persæpè impediatur à reprobis per peccata, quæ libera voluntate committunt, vel quia nolunt cooperari divinæ gratiæ, Rursus 1. Joan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*, ubi per postrema verba *totius mundi*, Tridentinum *Sess. 6. cap. 2. & 3.* intelligit, Judæos, & infideles Gentiles, qui beneficium respuunt mortis Christi, hoc idem etiam apertè asserunt omnia illa Scripturæ testimonia, in quibus exprimitur sincera Dei voluntas de omnium hominum salute.

In Conciliis hæc eadem veritas etiam declarata fuit, præsertim in Tridentino *Sess. 6. cap. 2.* ubi loquens de Christo ait: *Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ejus pro peccatis nostris, non solùm autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.* Rursus cap. 3. *Verùm & si ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt: sed ii duntaxat quibus meritum ejus passionis communicatur*: Quamobrem juxta Tridentinum perinde est Christum mortuum esse pro omnibus, ac positum esse propitiationem pro peccatis totius mundi: ergo asserere Christum mortuum esse pro solis electis apertè adversatur Concilio Tridentino, quia Concilium numero eorum, pro quibus mortuus est Christus eos etiam comprehendit, qui mortis ejus beneficium non recipiunt, quatenus recusant sibi applicare pretium ejus sanguinis, seu usurpationem Sacramentorum Ecclesiæ, & exercitia virtutum, hæc enim sunt media, quibus nobis applicamus pretium Christi sanguinis: Unde potest construi argumentum: Omnes quotquot salvantur, recipiunt beneficium mortis Christi; sed aliqui pro quibus mortuus est Christus, non recipiunt beneficium mortis Christi, ergo aliqui pro quibus mortuus est Christus æternam non consequuntur salutem. Major propositio certa est, & conceditur à Jansenio. Minor fuit definita in Concilio Tridentino, & consequentia rectè infertur ex illis promissis, ergo Christus non pro electis tantùm, sed pro omnibus iis etiam, qui non consequuntur æternam salutem mortuus est. Tum quia Tridentinum loquens de justificatis cap. 13. *In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent*, scilicet in auxilio ad perseverandum necessario, quòd si omnes debent spem ponere in hoc auxilio, sequitur hujusmodi auxilium paratum esse omnibus justificatis, quatenus Deus habet sinceram voluntatem juvandi omnes in ordine ad salutem consequendam, & nihilominus non omnes quotquot semel justificantur, æternam consequuntur salutem, cùm ex iisdem plures non perseverent in justitia, ac sua culpa moriantur in statu peccati: unde ex Concilio claret, Deum habere sinceram voluntatem juvandi omnes etiam reprobos in ordine ad assecutionem æternæ salutis, consequenter Christus non solùm pro electis, sed etiam pro reprobis mortuus est. Rursus, cur justificati debeant spem hanc firmissimam concipere, causam assignat Concilium subjungens: *Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans verè perficere.* Vult igitur Deus, ut homines in adepta semel justitia perseverent, usque ad finem, & non posset id sincerè velle, nisi pariter vellet, ut æternam consequerentur salutem, ex quibus clarè constat, Christum non pro electis tantùm, sed etiam pro reprobis mortuum esse. Præterea hæc veritas etiam declarata fuit in Concilio Valentino 3. enacto sub Leone Papa IV. contra Prædestinationes Anno Christi 855. Can. 5. ubi habetur: *Firmissimè tenendum est, credimus, quòd omnis multitudo fidelium ex aqua, & Spiritu Sancto regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata, & in morte Christi baptizata in ejus sanguine sit à peccatis suis abluta: ex ipsa tamen multitudine fidelium,*

& Redemptorum alios salvari æterna salute, quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent. Alios quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemptionisque gratiam potius irritam facere pravâ doctrina vel vita, quàm servare, elegerunt, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire. Apertè constat ex Concilio Valentino Christum esse Redemptorem eorum etiam qui damnantur, quibus nihilominus pretio sui sanguinis æternam salutem emerat, & gratiam, ac auxilia obtulerat, quibus illam consequerentur, & nihilominus eam non fuerunt assecuti, quia propria electione eam irritam effecerunt. Demum hæc eadem veritas definita etiam fuit in Concilio apud Carisiacum sub Carolo Calvo Rege Anno Christi 848. in quo Gothescalkus convictus hæresis Prædestinatianorum iterum à Patribus damnatus fuit, habetur enim cap. 4. *Christus Jesus Dominus noster sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cujus natura in illa assumpta non fuerit; ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licèt non omnes passionis ejus mysterio redimantur. Quòd verò omnes passionis ejus mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem, & pretii copiositatem; sed ad infidelium, & ad non credentium ea fide, quæ per dilectionem operatur, respicit partem; quia poculum humanæ salutis quod confectum est in infirmitate nostra, & virtute divina habet quidem in se, ut omnibus prosit, sed si non bibitur non medetur:* Ex præcitatis Conciliis constat esse firmissimam ac veterem Ecclesiæ doctrinam, adeo ut Ecclesia Catholica semper docuerit Christum mortuum esse pro omnibus omnino hominibus sive ipsi fuerint aliquando gratiam consecuti, sive in perpetua infidelitate insorduerint, respuentes media necessaria ad credendum, & ultro oblata.

Sancti Patres itidem hanc veritatem semper docuerunt D. Gregorius Nazianzenus Tom. 1. orat. 25. ad Arianos num. 30. ait: *Ipsos Christi cruciatus, per quos omnes citra ullam exceptionem instaurati sumus, qui eidem Adamo participavimus.* Asserit D. Gregorius Christi cruciatus absque ulla exceptione omnibus illis profuisse, & Christum pretio sui sanguinis omnes illos redemisse, qui in Adamo fuerunt prævaricati divinum præceptum, consequenter fuisse mortuum non solùm pro electis, sed etiam pro reprobis, & pro omnibus omnino hominibus, seu toto humano genere, quod per peccatum Adæ infectum fuit, & corruptum, ac damnatum. Quia verò Jansenius nititur suum errorem fulcire authoritate D. Augustini, & S. Prosperi, à quibus tamen nihil præsidii desperatæ suæ causæ sperare potuit; omissis aliis Patribus examinandum superest, an Augustinus revera contrarium errori Jansenii docuerit; etenim Augustinum oppositum asseruisse clarè constat Tract. 4. in Joan. sub init. ubi ait: *Populi autem spernentes propter superbiam suam humilitatem Dei crucifixerunt Salvatorem suum, & fecerunt damnatorem suum*, ubi Augustinus expressè vocat Christum Salvatorem Judæorum, qui eum crucifixerunt, & cùm debuissent fructum ejus passionis, & mortis percipere, maluerunt habere damnatorem, adeo ut Christus mortuus fuerit etiam pro reprobis Judæis, quibus ejus cruciatus profuissent, si noluissent habere damnatorem. Rursus de Symbolo ad Catechumenos lib. 2. cap. 8. ait: *Videtis vulnera, quæ inflixistis? agnoscitis latus, quod pupugistis? quoniam & per vos, & propter vos apertum est; neque tamen intrare voluistis.* Direxit Augustinus hanc querelam ad reprobos, qui cùm potuissent ingredi Christi latus apertum etiam pro eorum æterna salute neglexerunt ingredi, & per susceptionem Sacramentorum, & exercitia bonorum operum noluerunt sibi applicare merita Christi, & æternam inde consequi salutem. Rursus idem Augustinus in Psal. 68. v. 27. sub init. agens de Juda proditore ait: *Projecit enim pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat: nec agnovit pretium, quo ipse à Domino redemptus erat. Factum est hoc in Juda.* Certum est Judam reprobum fuisse, & damnatum & tamen dicitur ab Augustino à Christo redemptus pretio sui sanguinis, quod pretium noluit agnoscere argenti pretio obcæcatus. Quòd si Christus etiam Judam redemit reprobum, non solùm pro prædestinatis, & qui æternam salutem consequuntur, sed etiam pro præscitis, qui æternis adjiciuntur cruciatibus, mortuus est, & omnibus omnino hominibus pretium redemptionis solvit, & gratias, ac auxilia omnibus omnino obtulit, quibus possent sibi applicare merita passionis Christi, si enim Judam ex Augustino redemit, voluntatem habuit illum redimendi, consequenter voluit etiam reprobos, & omnes omnino homines redimere, illisque impertiri auxilia, quibus possent æternam consequi salutem. Rursus serm. 77. de tempore circa medium Augustinus inducit Christum Judicem ita reprobos in judicio extremo alloquentem: *Flagellis cæsus, vepribus coronatus, Cruci affixus, vulnere perfossus, ut tu eriperêris morti animam in tormentis dimisi.* Et paucis interjectis: *Suscepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem. Suscepi mortem tuam, ut tu in æternum viveres. Conditus jacui in sepulchro, ut tu regnares in cœlo.* Hinc apparet, quàm falsò Jansenius tribuat Augustino, quòd docuerit, Christum non esse mortuum pro reprobis, nec sanguinem fudisse pro salute æterna eorum qui eam non consequuntur, asserit enim expressè Augustinus Christum passum, mortuum, sepultum fuisse, ut reprobi in æternum viverent, ac regnarent in cœlo. Præterea serm. 124. de tempore. hoc idem confirmat sub init. inquiens: *Hodie Dominus noster in statera Crucis pretium nostræ salutis appendit, & una morte universum mundum, sicut omnium Conditor ita omnium Reparator absolvit. Indubitanter enim credamus; quod totum mundum redemit, qui plus dedit, quam totus mundus valeret:* ait Augustinus sicut est omnium Conditor, ita omnium est Redemptor, sed est Conditor non solùm salvandorum, sed etiam damnandorum, ergo pro electis, & reprobis Christus mortuus est. Tum quia soli electi non dicuntur universus mundus, cùm hic etiam reprobos comprehendat: unde si Christus totum mundum redemit, certè etiam reprobos, qui tamen eatenus non salvantur, quia fructum redemptionis nolunt accipere, & per media Sacramentorum, ac per exercitia virtutum nolunt sibi applicari merita Christi. Rursus Tractat. 36. in Joan. post init. explicans ait: *Ego non judico quemquam*, ait: *Venit Christus, sed primo salvare, postea judicare, eos judicando in pœnam, qui salvari noluerunt, eos perducendo ad vitam, qui credendo salutem non respuerunt.* Ex quibus potest confici argumentum: quotquot à Christo judicantur in pœnam, eò quia salutem respuerunt, potuerunt salutem consequi; neque habuissent adjutorium gratiæ, nisi Christus pro iisdem moriendo eis impetrasset, ergo Christus mortuus est pro iis etiam, qui respuerunt salutem consequi: siquidem Augustinus non profert aliam causam eorum damnationis, nisi nequitiam malitiosæ voluntatis, ex quibus clarè infertur Christum non solùm pro ele-

ctis,

ctis, sed etiam pro reprobis, qui salutem non consequuntur, mortuum esse, ac pretium redemptionis solvisse, cùm Augustinus non proferat aliam damnationis eorum causam, quàm nequitiam malitiosæ voluntatis. Eodem spectat, quod idem Augustinus habet lib. de spiritu, & littera cap. 33. sub init. ubi ait: *Vult Deus omnes homines salvos fieri, non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissimè judicentur: quod cùm fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt*: scilicet ex mente Augustini, vult Deus omnes homines salvos fieri, etiam infideles, qui malè utuntur libero arbitrio, nolentes credere; cùm potuissent salvi fieri, & salutem consequi per adjutorium oblatæ à Christo gratiæ promeritæ. Celebris etiam ac insignis est Augustini doctrina hoc idem evincentis lib. 6. contra Julianum Pelagianum cap. 4. post init. ubi probat ex eo mortuos esse in uno Adamo omnes omnino homines, quia pro omnibus omnino mortuus est unus Christus, Augustini argumentum est hoc. *Audiretis Apostolum hoc breviter explicantem, qui unum dixit fuisse, in quo omnes peccaverunt. In illo uno mortui sunt omnes, ut moreretur unus pro omnibus. Unus enim pro omnibus mortuus est. Ergo omnes mortui sunt. Nega igitur Christum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, hoc est de contagio peccatorum*: Nervosè ostendit Augustinus Christum mortuum esse pro omnibus, qui in Adamo peccaverunt, & peccatum contrahunt originale, sed etiam reprobi, qui salutem minimè consequuntur, peccarunt in Adamo, & contagium contrahunt originalis noxæ, consequenter pro ipsis mortuus est Christus, unde subjungit Augustinus: *Quia si Christus & pro ipsis mortuus est, ergo & ipsi mortui sunt. Quomodo si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt. Audiune Juliane hæc Apostoli verba non mea sunt, quid à me quæris? quo factum sit modo, cùm videas factum esse quocunque modo.* Et lib. 6. cap. 6. in fine. *A morte quippe justissima damnationis per unum Mediatorem Dei, & hominum liberatur genus humanum, non à morte corporis tantùm; sed à morte, quâ mortui sunt, pro quibus unus mortuus est: & quia pro omnibus unus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Non poterat Augustinus clarius, ac distinctius probare, & explicare, Christum omnium omnino hominum esse Redemptorem, ac mortuum non pro electis tantùm, verùm etiam pro reprobis.

Quia verò Jansenius *Tom. 2. lib. singulari de gratia primi hominis*, passim citat pro se Augustinum, & crebrius lib. 1. de statu naturæ lapsæ, præsertim in 12. primis capitibus, quasi Augustinus in opere contra Julianum senserit cum Jansenio: operæ pretium est ostendere, quænam fuerit mens Augustini in illo opere lib. 1, cap. 50. operis imperfecti contra Julianum ait igitur Augustinus. *Præclari prædicatores si prædicatis Jesum ut eum negetis parvulorum esse Jesum: nolite Salvatorem non salvis pueris invidere.* Et cap. 51. subdit: *Vos ergo si carere vultis opprobrio, quo Ecclesiæ Catholicæ detestabiles facti estis, sinite Christum parvulis esse JESUM.* Atqui plures ex illis parvulis, quorum Christus dicitur esse Jesus, seu Salvator ad gratiam Baptismi nunquam perveniunt; ut decedentes in utero matris, vel vix in lucem editi absque eo, quòd ab originali noxa per lustralem Baptismi aquam emundentur: ergo ex Augustino, Christus non solùm est Redemptor parvulorum, qui per gratiam Baptismi salutem consequuntur, sed etiam aliorum, qui baptismo non emundantur, neque cœlestem gloriam consequuntur. Rursus eodem libro operis imperfecti cap. 128. ait Augustinus: *Unus pro omnibus mortuus est Juliane, non hoc Augustinus, sed Apostolus dixit, imò ipse per suum Apostolum Christus, cohibe te vaniloquio, cede Deo digere crapulam contentionis, & intellige.* Postea ostendens quomodo differant illæ duæ voces, *omnes & multi* 1. ad Rom. 5. v. 22. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi &c.* & ad Corinth. 13. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur*, utrumque locum conciliat Augustinus inquiens: *Multi quippe isti, ipsi sunt omnes, de quibus alio loco dicit: sicut in Adam omnes moriuntur*: Unde juvat argumentum constituere ex D. Augustino: Christus pro iis omnibus mortuus est, qui in Adamo protoparente mortui sunt: sed ex eodem D. Augustino nullus est homo, qui in Adamo non sit mortuus: ergo ex mente D. Augustini Christus pro omnibus tum electis, tum reprobis mortuus est. Demum lib. 1. ejusdem operis imperfecti cap. 110. ait: *Sinite ergo parvulos inveniri ab eo, qui venit quærere quod perierat; alioquin liberatorem Jesum, quoniam, & ipsi homines sunt, prorsus eis invidetis, quantacunque loquacitate crudelitatem vestri hujus erroris obtegendam esse credatis.* Juvat iterum argumentari; catenus ex Augustino Christus est redemptor parvulorum, quia & ipsi homines sunt: sed etiam reprobi homines sunt, & salutem non consequuntur; ergo Christus eorundem est Redemptor. Ideo Augustinus infert parvulos esse redemptos, & Christum fuisse mortuum pro parvulis, quia & ipsi homines sunt, quæ illatio nullius esset ponderis nisi Christus Redemptor esset omnium omnino hominum: quia cùm parvuli etiam includantur intra genus hominum, etiam eorum est Christus Redemptor: ergo ex Augustino clarè constat, Christum mortuum esse pro omnibus omnino hominibus, & non pro solis electis, & prædestinatis.

Quod ad D. Prosperum attinet, quem Jansenius citat, ut fautorem sui erroris, & vocat accuratum Augustinianæ doctrinæ assertorem tantùm abest, ipsum favisse sententiæ Jansenii; ut apertissimè cum D. Augustino oppositum docuerit: etenim lib. 2. de vocatione gentium cap. 26. ait: *Nulla ergo ratio dubitandi est, JESUM Christum Dominum nostrum pro impiis & peccatoribus mortuum; ù quorum numero, si aliquis liber inventus est, non est pro omnibus mortuus Christus. Sed prorsus pro omnibus mortuus est*: Quod inculcat Sanctus Prosper asserens ex ejus virtute datam esse omnibus gratiam sufficientem, cujus beneficio, si vellent, possent omnes homines salutem consequi, quia Christus *pro omnibus mortuus est*, & ideo mortuus, ut omnibus mortuis vitam impertiret: sed omnes mortui erant per originalem noxam; ergo pro omnibus ita mortuis Christus mortuus fuit, ut iisdem vitam donaret. Præterea lib. 2. de vocat. gentium cap. 31. ait D. Prosper: *Elaboratum est enim, quantum Dominus adjuvit, ut non solùm in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro sæculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus affuisse*: Quòd si omnibus hominibus: ergo etiam reprobis, cùm & ipsi homines sint; sed gratia non datur hominibus nisi per merita Christi; & Christi merita omnibus applicantur, pro quibus mortuus est Christus: ergo Christus mortuus est pro omnibus hominibus, consequenter etiam pro reprobis; alioquin si pro istis non fuisset mortuus, utique non posset dici mortuus pro omnibus hominibus, quia pro majori parte hominum non fuisset mortuus: hinc paucis interjectis subdit D.

Prosper: *Quoniam sive occultè, sive manifestè; ipse est* (ait Apostolus) *Salvator omnium hominum, maximè fidelium: qua sententia subtilissima brevitatis, & validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc* (de qua agimus) *controversiam dirimit. Dicendo enim; qui est Salvator omnium hominum, confirmabit bonitatem Dei super universos homines esse generalem.* Non posset autem dici bonitas diffusa esse super universos homines; nisi pro omnibus omnino hominibus solvisset pretium salutis: neque dici potest Salvator omnium, nisi hominibus omnibus electis, & reprobis procurasset salutem: ergo censuit D. Prosper, Christum non pro electis tantùm; sed etiam pro reprobis, & generatim pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, & pretium sui sanguinis pro nostra solvisse redemptione. Rursus lib. de vocatione gentium cap. 23. de parvulis ait: *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines, ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus, quâ utique si bene uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* Verùm D. Prosper assignat rationem, cur divina voluntas salvandi generatim omnes omnino homines suo in parvulis plerumque effectu careat, & parvuli ob non susceptum Baptismum non consequantur cœlestem gloriam, cur enim destituantur beneficio Baptismi & cœlesti beatitudine, hoc non præstitit peccatum originale parvulorum; sed injuria, & negligentia parentum, quibus ut vita; ita & salus parvulorum concredita est, quatenus parvulorum salus à vita dependebat productiore. Hinc quamvis parvuli decedentes sine lavacro Baptismi æterna in cœlis non donentur beatitate, inde non sequitur, Christum mortuum non fuisse pro hisce parvulis, quia fuerunt illis media suppeditata, quibus, si negligentia non obstitisset parentum; potuissent & ipsi æternam salutem consequi. Præterea D. Prosper in responsione ad objectionem primam Vincentianam post initium ait: *Quod ergo ad magnitudinem, & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet causam generis humani; Sanguis Christi redemptio est totius mundi.* Si totius mundi: ergo omnium omnino hominum, quotquot fuerunt, sunt, & erunt in mundo, sive prædestinati, sive reprobi, sive adulti, sive parvuli, sive baptizati, sive non baptizati Sanguis Christi fuit redemptio; & in fine cap. loquens de Christi Sanguine subdit. *Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur:* Hoc est Sanguis, & Passio Christi, ejusque merita habent quidem in se virtutem conferendi omnibus æternam salutem, dummodo per media ad id instituta seu per susceptionem Sacramentorum, & exercitia virtutum nobis applicemus; pro omnibus igitur omnino hominibus Christus mortuus est, & pro redemptione totius humani generis pretium fudit sui Sanguinis; sed ut redemptio nobis prosit, necesse est, ut per exercitia bonorũ operũ hoc pretium nostræ redemptionis nobis applicemus, quamvis parata sit medicina, non prodest nisi illam bibentibus. Ex iis igitur & pluribus aliis testimoniis clarissimè deprehenditur, duo præclara Ecclesiæ Catholicæ lumina, D. Augustinum, & S. Prosperum Aquitanium Episcopum Regiensem discipulum D. Augustini docuisse, Christum mortuum fuisse pro omnibus omnino hominibus, qui fuerunt, sunt, & erunt, sive prædestinati sint sive reprobati; sive baptizati sive non baptizati, parvuli, adulti, fideles, infideles, quapropter concludendum est cum D. Leone serm. 1. de nativitate: *Dominus noster peccati, mortisque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, sic pro liberandis omnibus venit.*

Rationibus potest itidem Catholica hæc veritas facilè demonstrari. Quia si Christus tantùm pro electis, & non etiam pro reprobis mortuus esset, inde sequeretur, quòd unusquisque fidelis teneretur de fide credere, se esse unum ex electis, quod erroneum est, ac dissentaneum Concilio Tridentino: ergo Christus non pro electis tantùm, sed etiam pro reprobis mortuus est. Sequela probatur, quia teneor divina fide credere, perinde ac quilibet alius fidelis, Filium Dei descendisse de cœlo propter meam salutem, carnem induisse, natum fuisse ex Maria Virgine, passum, crucifixum, & mortuum, ut habetur in Symbolo Nicæno, atqui si Christus pro solis electis mortuus esset, & non generatim pro omnibus omnino hominibus etiam reprobis, non possem hæc, quæ continentur in Symbolo, credere, nisi pariter crederem me esse unum ex electis ad gloriam: quia si Christus mortuus est pro solis electis, & ego teneor credere mortuum esse pro me, ut de facto omnes fideles tenentur hoc credere; jam teneor necessariò credere, me esse unum ex electis; quod est erroneum, & contra Concilium Tridentinum, imò & adversatur Scripturis, eò quia nemo scit; an sit dignus odio, vel amore, unde evidenter sequitur Christum non pro solis electis, verùm etiam pro reprobis mortuum esse. Secundò etiam potest hoc idem evinci, quia si Christus pro solis electis, qui de facto æternam consequuntur salutem, mortuus est, sequitur Deum non habere sinceram voluntatem salvandi omnes, eò quia Christus mortuus non esset pro omnibus: neque esset generalis Redemptor omnium, siquidem pro iis tantùm est Redemptor, pro quibus est mortuus, & Deus habet sinceram voluntatem salvandi eos tantùm, qui per Christi passionem, & mortem sunt redempti à servitute peccati; sed asserere Deum non habere sinceram voluntatem salvandi omnes est contra Apostolum, Sanctos Patres, & Ecclesiã docentem, Deum, quantum est in se, velle omnes homines salvos fieri, est enim hæc communis Sanctorum Patrum doctrina, quam D. Paulus asserit: siquidem repugnat divinæ bonitati, & clementiæ infinitæ, ratione cujus Deus, quantum est in se, vult omnium salutem, unde necessariò concludendum est Christum non pro solis electis, verùm etiam pro reprobis mortuum esse, & generatim pro omnibus hominibus. Tertiò quia si Christus pro solis electis tantùm mortuus esset, inde sequeretur, quòd DEI præcepta non essent observatu possibilia nisi solis electis contra Scripturas, Concilia, & Patres, etenim Matth. 11. ait Christus: *Jugum meum suave est, & onus meum leve*, si suave, ergo non impossibile, si leve, ergo non intolerabile, hinc Apostolus 1. ad Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*, sin autem impossibilia juberet, & præciperet, quæ non possent observari, utique pateretur nos tentari supra id, quod possumus: unde Tridentinum Sess. 6. cap. 11. *Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet DEI præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis:* Atqui auxilia gratiæ nonnisi per merita Christi hominibus conferuntur, proinde merita Christi ad omnes homines quotquot fuerunt, sunt, & erunt se extendunt, adeo ut possit quisque, si velit, ea sibi applicare per susceptionem Sacramentorum, & exercitia bonorum operum, quæ sunt media, quibus nobis Christi merita applicantur. Quartò

ex sententia Jansenii sequeretur, DEUM reprobare positivè homines, etiam ante ullam prævisionem peccatorum, quod est hæresis Calviniana à nobis in præcedentibus rejecta. Quintò sequeretur itidem, neminem posse gratias agere Christo Redemptori pro toleratis suppliciis, pro vulneribus, quibus fuit confossus, pro morte, quam pro nobis subivit; sequeretur, neminem posse in illo fiduciam habere, nec illum amare, ut benefactorem nec accedere tutò ad sacramenta, quia nesciret, an illi aperti essent fontes vitæ, & an esset unus ex electis, vel reprobis, unde concludendum est ad hæc declinanda absurda, Christum non solùm pro electis, sed etiam pro reprobis, & generatim pro omnibus omninò, & singulis hominibus mortuum esse, & pro redemptione totius humani generis pretium solvisse sui sanguinis.

Objicit nihilominus Jansenius contra hanc catholicam veritatem luce meridiana clariorem aliqua scripturæ testimonia Joan. 17. ubi Christus ait: *Non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi*, Matth. 26. *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur*, Joan. 10. *Animam meam pono pro ovibus meis*. Psal. 110. *Redemptionem misit Dominus populo suo*. Apocal. 5. *Redemisti nos in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, effecisti nos Deo nostro regnum*. Sed contra, quia hæc scripturarum testimonia non adversantur veritati catholicæ, & ineluctabili nostri asserti. Ad primum respondetur Christum in illo sermone habito ad discipulos, Joan. 17. negare tantùm se tunc pro mundo rogare, eo speciali modo, quò tunc orabat pro discipulis, quibus dicebat ultimum vale; & pro iis, qui verbum eorum erant credituri: sed exinde non sequitur Christum nunquam oràsse pro aliis, cùm Christus fateatur, se venisse in mundum, *non ut judicet mundum, sed ut mundus salvetur per ipsum*. Ad secundum petitum ex Matth. 26. respondetur, absonum omninò esse vim facere in eo, quod Christus dixerit: *Hic est sanguis, qui pro vobis & pro multis effundetur*, siquidem adfuit tunc etiam Judas cum cæteris discipulis, ut fatentur sancti Patres, & nihilominus fuit Judas de numero reproborum: ergo Christus asserit se fudisse sanguinem etiam pro reprobis, cùm illum fuderit pro Juda comprehenso in numero discipulorum: unde ex allato textu clarè constat, Christum non solùm pro electis, sed etiam pro reprobis sanguinem suum fudisse, neque obstat Christum dixisse, & *pro multis effundetur*, quia pro multis intelliguntur omnes omnino homines, quotquot fuerunt, sunt, & erunt, qui sine dubio multi fuerunt, sunt, & erunt, etenim etiam Apostolus usurpat eandem vocem ad significandum omnes omnino homines inquiens: *Si enim unius delicto multi mortui sunt*, hoc est, omnes omninò homines ob peccatum Adæ, quod totam posteritatem infecit, & corrupit: *Et sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*, ubi Apostolus nomine multorum significavit omnes, quotquot Adæ peccatum corrupit, neque est insuetum in scripturis per multos significare omnes: quando igitur Christus dixit *pro vobis, & pro multis effundetur*, perinde fuit, ac pro vobis, & omnibus omninò aliis. Ad tertium petitum ex Joan. 10. respondetur Christum pro suis ovibus, seu pro electis passum ac mortuum esse: imò & specialiter merita Christi pro iisdem applicari; non tamen negatur, quòd pro aliis non fuerit passus, & mortuus, Apostolus Paulus ad Rom. 5. scribit: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*, seu gratiam. Non enim ex affirmatione, seu inclusione unius tacitè infertur negatio, seu exclusio alterius non incompossibilis. Quamobrem ex eo quòd Deus miserit redemptionem populo suo, ut dicitur in duobus ultimis testimoniis Psal. 110. & Apocal. 5. Non infertur non misisse eam aliis, præsertim cùm ex aliis scripturæ locis constet Christum omnes redimisse 1. ad Timoth. 4. v. 10. *Qui est Salvator omnium hominum*. 2. Petr. 2. *Fuerunt verò & Pseudo-Prophetæ in populo, & in vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit eos, Dominum negant*: unde fatetur D. Petrus Christum pretio sui sanguinis etiam redemisse Magistros mendaces, & negantes ipsum Christum, qui propterea reprobi erant, & ut ait D. Petrus: superinducxerunt sibi celerem perditionem. 1. Joan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*, scilicet pro omnibus omninò hominibus, sive fideles sint, sivo infideles, Judæi, Ethnici, ut explicat Tridentinum sess. 6. cap. 8. & 3. Quamvis infideles beneficium mortis Christi non susceperint.

Objicit secundò Jansenius Concilium Valentinum III. cap. 4. ubi tanquam error in fide damnatur propositio asserens: Christum in sua passione fudisse sanguinem pro iis, qui ab exordio mundi mortui sunt in sua iniquitate, & ecclesiam Lugdunensem in epistola de Scripturæ veritate tenenda, ubi asserit, Christum pro solis fidelibus mortuum esse, & lib. de tribus epistolis negat Christum fuisse passum pro his, qui manserunt infideles. Contra est, ad Concilium Valentinum quod attinet constat ex eodem Concilio Christum mortuum pro omnibus omnino hominibus fuisse. Fuit enim hoc Concilium Valentinum III. coactum contra Prædestinatianus sub Leone Papa IV. anno Christi 855. quod verò non patrocinetur errori Jansenii, sed veritatem catholicam asseruerit, constat ex illius verbis, habetur enim canon. 5. *Firmissimè tenendum credimus, quod omnis multitudo Fidelium ex aqua, & Spiritu Sancto regenerata, & per hoc veraciter ecclesiæ incorporata, ac in morte Christi baptizata, in ejus sanguine sit à peccatis suis abluta, ex ipsa tamen multitudine fidelium, & redemptorum alios salvari æterna salute: quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent. Alios quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemptionisque gratiam potius irritam facere, pravâ doctrinâ, vel vita, quam servare elegerunt; ad plenitudinem salutis; & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire*, expressè asserit Concilium Valentinum ex redemptis à Christo pretio sui sanguinis alios salvari, quia per gratiam Dei in sua redemptione fideliter permanent, & alios damnari, & nullo modo pervenire ad perceptionem æternæ beatitudinis, quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, & gratiam redemptionis irritam effecerunt pravâ doctrinâ, & vitâ: illi autem, qui æternam salutem consequuntur, de numero sunt electorum, & isti, qui æternam damnationem incurrerunt de numero reproborum, & tamen Concilium expressè asserit, omnes istos tam electos, quàm reprobos de numero fuisse redemptorum à Christo. Unde Jansenius nullum patrocinium sui erroris potest ab hoc Concilio sumere. Neque enucleatiùs asseri potest Christum Redemptorem esse etiam eorum, qui damnantur, quibus tamen æternam salutem sua morte emerat, & gratiam consequendæ beatitudinis æternæ obtulerat, quam malnetunt propria electione irritam facere. Ad Ecclesiam Lugdunensem quod attinet, respon-

detur Ecclesiam illam in illa epistola tantùm loqui de redemptione quoad efficaciam, quam negat fuisse universalem pro omnibus: non verò de redemptione quoad sufficientiam, seu quoad exhibitionem pretii sufficientis, & voluntatem ut illud omnibus proficeret.

Objicit tertiò authoritatem D. Augustini docentis pluribus in locis Deum non velle, ut omnes homines salvi fiant, sed tantùm aliqui ex singulis regnis, provinciis, & nationibus, & asserit Jansenius Augustinum persæpe confutare illud præcipuum Pelagianorum, & Semi-Pelagianorum erroris fundamentum, quòd Christus Redemptor sit omnium. Sed contra quia ex præcitatis textibus divi Augustini satis clarè, & apertè constat eum expressè docuisse, Christum esse omnium omnino hominum Redemptorem non solùm electorum, verùm etiam reproborum, qui minimè salutem consequuntur, eò quia nolint uti fructu redemptionis, respuendo gratiæ beneficia, cui liberè nolunt cooperari. Augustinus igitur tantùm docet Deum velle omnes homines salvos fieri voluntate conditionata, non absoluta, quatenus exigit nostram cooperationem, & ut per susceptionem sacramentorum, & exercitia bonorum operum nobis applicemus fructum redemptionis nostræ. Præterea falsum est præcipuum fundamentum erroris Pelagianorum, & Semi-Pelagianorum fuisse, ut ajunt Janseniarii, quòd docuerint Christum generalem esse omnium Redemptorem, alioquin inde sequeretur, quòd Apostolus Paulus fuisset Pelagianus, cum 1. ad Timoth. 4. v. 10. de Christo scripserit: *Qui est Salvator omnium hominum maximè fidelium, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Quòd si maximè, seu præcipuè fidelium, certè etiam infidelium; pro quibus redimendis mortuus est; non solùm quoad sufficientiam pretii, quòd omnibus posset applicari, sed etiam ex sincera voluntate, ut omnibus quantum per ipsum staret illius passionis fructus prodesset. Rursus sequeretur Concilium Tridentinum fuisse itidem Pelagianum cum dixit sess. 6. cap. 3. *Christum pro omnibus mortuum esse, sed non omnes beneficium mortis ejus recipere.* Præcipuum fundamentum erroris Pelagianorum, & Semi-Pelagianorum, quale fuerit, explicuimus in tractatu de gratia, neque opus est idem repetere, cæterum in illis locis, in quibus Augustinus videtur negare Christum pro redemptione omnium passum esse, & sanguinem fudisse, fuit tantùm locutus de redemptione efficaci, qua de facto redempti fideles æternam recipiunt beatitudinem; non de sufficiente, ut sapientissimum Magistrum doctissimus discipulus sanctus Prosper explicat in responsionibus ad objectiones Vincentianas: neque D. Augustinus in illis locis potest aliter intelligi, ne sibi apertissimè contradicat: quòd cùm animadvertisset Jansenius ait lib. 3. de gratia Christi Salvatoris cap. 21. Augustinum non aliter intelligendum esse, quam de redemptione efficaci, quando negat Christum pro omnibus mortuum esse. Erravit tamen postea Jansenius, & cum ipso etiam ejus discipuli asserentes hanc sufficientem redemptionem in eo præcisè sitam esse, quòd Christus mortuus sufficienter sit pro omnibus, in hoc sensu, quatenus mors ejus sufficiens erat, ut illos redimeret, si voluisset, tametsi, neque Deus, neque Christus voluerit mortem hanc applicari ad eorum salutem, quæ interpretatio impia procul dubio censenda est, quia inde sequeretur, juxta hunc sensum mortem Christi sufficientem fuisse, ut etiam dæmones redimeret, si Deus & Christus voluissent, hinc Christus fuisset perinde omnium Redemptor, qui de facto salutem non consequuntur, ac dæmonum quod apertè adversatur scripturis. Præterea in hoc sensu divites avari, qui ob copiosas pecunias, quibus affluunt, possunt liberare captivos detentos in carcere essent eorundem redemptores, quia si vellent, eos liberarent è carcere exhibendo pro iisdem pretium. Præterea corrigendus esset Apostolus, cum dixit: *Qui est Salvator omnium maximè fidelium*, dixisset enim exactiùs, qui est Salvator paucorum, qui si voluisset, potuisset esse Salvator omnium. Ecce in quas absurditates prolapsus fuit Jansenius, ut suum propugnaret errorem.

Objicit quartò Jansenius aliquot rationes. Primò quia oblatio mortis Christi non potuit inanis esse, ut nec etiam oblatio propitiationis, & orationis, cùm dicat Apostolus: *Exauditus est pro sua reverentia*, & ipso Christo profitente: *Ego autem sciebam, quia semper me audis*, unde Christus non est mortuus pro iis, qui non salvantur. Secundò infidelibus, & pueris decedentibus in utero matris nulla salutis media sunt parata, consequenter pro illorum salute non videtur Christus mortuus. Tertiò repugnat aliquem esse redemptorem eorum, qui non redimuntur: sed reprobi non redimuntur, quia salutem non consequuntur æternam, ex quo infert Jansenius Christum non esse eorum redemptorem. Sed contra hæ congestæ rationes nullius sunt ponderis. Ad primam respondetur, Christi oblationem non fuisse inanem ex parte Dei nec ex parte Christi; sed tantùm ex mala voluntate reproborum, qui divinæ gratiæ nolunt acquiescere, nec cooperari, sed eam respuunt, quam Deus intuitu meritorum Christi solet ex sua bonitate hominibus conferre; quamobrem, quòd redemptio suum in reprobis non sortiatur effectum, id non provenit ex parte Dei, vel Christi, sed ex defectu vitiatæ voluntatis reproborum respuentium gratiam, quam Deus intuitu meritorum Christi iisdem confert. Ad secundam auxilia sufficientia ad salutem obtinendam parata esse omnibus, etiam infidelibus ex Christi meritis, ut fusè ostenditur in tractatu de gratia. Ad parvulos quod attinet, respondet sanctus Prosper *lib. 2. de vocat. Gent. cap. 23.* Etiam parvulis parata esse media sufficientia ad salutem in parentibus, quibus si bene uterentur, per ipsos juvarentur, ut paulò superiùs explicuimus. Hinc Augustinus in opere imperfecto contra Julianum lib. 1. cap. 50. hos hæreticos redarguit inquiens: *Præclari prædicatores, si prædicatis JESUM, ut eum negetis parvulorum esse Jesum, nolite Salvatorem non salvis pueris invidere.* Et cap. 32. *Vos ergo si carere vultis opprobrio, quo Ecclesia Catholica detestabiles facti estis, finite Christum parvulorum esse JESUM.* Ad tertiam respondetur implicare aliquem esse Redemptorem eorum, qui non redimuntur, sed negatur Christum non esse Redemptorem sufficienter eorum, qui non redimuntur, ex eo quod nolint liberari, nec uti oblatis ultro auxiliis: Si Princeps solvat pretium pro redimendis pluribus suis subditis à captivitate Turcarum, si ex iisdem redemptis aliqui nolint ad patriam reverti, & à captivitate liberari, adhuc Princeps eorum dicitur Redemptor, quia etiam pro iisdem pretium, unde quod efficaciter non redimantur, non provenit ex voluntate Principis redimentis, sed ex defectu nolentium reverti ad patriam.

Quæritur, quænam sint dona, quæ Christus nobis meruit. Certum est Christum meruisse hominibus plura dona naturæ imò & pluribus etiam ipsam existentiam, quos propterea Scriptura vocat *filios precum.* Certum est etiam nullum esse donum super-

natu-

naturale gratiæ actualis, & habitualis à mundi initio datum hominibus nec dandum usque ad finem mundi nisi ex meritis Salvatoris Christi, ut liquet ex illo Apostoli ad Ephes. 1. *Gratificavit enim nos in dilecto Filio suo in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus secundum divitias gratiæ ejus quæ superabundavit in nobis.* Et iterum *Benedixit nos omni benedictione cœlesti in Christo sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus.* Hinc Christus meruit omnibus hominibus remissionem utriusque peccati originalis, & actualis, ut scribit Apostolus ad Colos. 2. *Cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ convivificavit cum illo donans vobis omnia delicta.* 1. Joan. 1. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Ratio est, quia satisfecit superabundanter pro peccatis totius humani generis. Meruit etiam nobis gratiam sanctificantem ad Roman. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo JESU.* Neque inde sequitur, gratiam non dari nobis gratis, sed ex justitia, quia ex meritis Christi: etenim licèt nobis debita sit ex justitia respectu Christi; non ita respectu nostri, quia debitum fundatur tantum in meritis Christi. Rursus Christus meruit etiam nobis gloriam, & vitam æternam ad Titum. 3. *Ut justificati gratia ipsius heredes simus, secundùm spem vitæ æternæ:* quia cum nobis meruerit gratiam sanctificantem, meruit etiam adoptionem filiorum DEI, quæ dat jus ad vitam æternam. Meruit etiam justificatis specialiter omnes effectus sacramentorum, ut fuit definitum in Concilio Tridentino. Meruit itidem omnia & singula auxilia gratiæ quibus bene operamur Joan. 15. *Sicut palmes non potest fructum facere nisi manserit in vite, sic vos nisi in me manseritis:* hinc Tridentinum *loco cit.* definivit Christum jugiter influere in justificatos, virtutem; quæ bona eorum opera antecedat, & concomitetur, ac sequatur. Meruit etiam justificatis donum perseverantiæ, quia hoc donum habetur ratione specialium auxiliorum, quibus justi perseverant in bono usque ad finem vitæ: imò meruit etiam nobis incrementa gratiæ, & gloriæ, quia Tridentinum sess. 14. cap. 8. definit, merita nostra habere vim ex meritis Christi, quatenus meritum nostrum est pars aliqua meritorum Christi nobis communicata per influxus gratiæ. Meruit etiam nobis remissionem pœnæ temporalis, quæ fit per satisfactiones nostras: quia hæc satisfactio est actus supernaturalis in ordine ad salutem; & si non esset ex meritis Christi, non esset verum illud Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Imò etiam remissionem peccatorum venialium Joan. 2. *Sanguis ejus emundat nos ab omni peccato,* si ab omni peccato, etiam à veniali incluso in omni peccato. Item remissionem pœnæ in purgatorio ex vi suffragiorum, quia per hæc suffragia speciali modo applicantur merita Christi. Si dicas opera justorum habere sufficientem valorem pro obtinendis hia bonis; respondetur, opera justorum habere hanc sufficientiam, & condignitatem ex meritis Christi: ex quo non sequitur opera nostra esse meritoria de condigno; sed tantùm, quòd habeant hanc condignitatem ex meritis Christi, seu fundatam in iisdem; quo pacto sunt simul opera nostra, & ex meritis Christi, quibus etiam dignificantur; & ratione hujus dignificationis nobis etiam confertur præmium vitæ æternæ; adeo ut idem præmium quod habetur ex nostris meritis, habeatur simul ex meritis Christi.

CAPUT XII.

An Christi meritum sit simpliciter infinitum.

Certum est, Christum aliquid meruisse sibi scilicet exaltationem proprii nominis, & gloriam corporis, ut evicimus in præcedenti: & etiam nobis, quia ex Tridentino sess. 6. cap. 7. Christus fuit causa meritoria nostræ justificationis Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longævum, videbit, & saturabitur* Ad Philip. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, propter quod, & DEUS exaltavit illum.* ubi Apostolus exaltationem Christi attribuit ejus humilitati, & obedientiæ. Ratio itidem est quia opera Christi fuerunt libera, honesta, charitate DEI informata, & facta in DEI obsequium, ordinata ad præmium, & procedentia ab homine viatore; ergo includebant omnes conditiones requisitas ad meritum, consequenter fuerunt meritoria, & per illa Christus meruit. Si dicas, in Christo non fuisse liberum arbitrium; eò quia fuit determinatus ad solum bonum, & impotens ad malum, seu peccatum. Respondetur quòd tametsi non fuerit libertas contrarietatis sita in indifferentia ad bonum, & malum, quæ dicitur libertas imperfecta: fuit tamen libertas contradictionis sita in indifferentia ad ponendum, vel non ponendum actum hunc, vel alium bonum, quæ libertas perfectissima est, & DEO conveniens, & ad meritum sufficiens in habente superiorem in cujus obsequium fiat, ut fuit Christus ut homo. Si dicas per meritum crescere charitatem in subjecto operante, in quo est principium merendi; & charitatem Christi per illius opera non crevisse; eò quia fuerit adeo perfecta ut non fuerit capax incrementi. Respondetur quòd quando charitas subjecti merentis non est in termino augmenti, tunc per opera meritoria gratia, & charitas augentur; non iis quando charitas est in termino, ut fuit in Christo, in quo propterea non fuit capax incrementi. Si dicas, Christum à primo instanti suæ conceptionis fuisse comprehensorem, quia cœlesti beatitate jam donatum. Respondetur ad meritum requiri quidem ut operans meritorie sit in statu viæ; sed Christus quamvis quoad animam in primo instanti suæ conceptionis fuerit beatus intuens divinam essentiam; quo ad corpus tamen fuit viator, & potuit gloriam sui corporis sibi mereri: unde Christus secundùm diversa fuit comprehensor, & viator; non enim Christi corpus ante passionem fuit gloriosum, alioquin non potuisset pati, nec mortem subire. Nequeinde sequitur animas beatorum nunc esse in statu merendi, siquidem carent beatitudine corporis: unde si carentia beatitudinis corporeæ constituit Christum in statu merendi; etiam constituet in eodem statu animas beatorum. Nam contra est negatur sequela: quia Christus eatenus fuit capax merendi non solùm ex eo quia caruit beatitudine

titudine corporis quia gloria animæ in corpus non redundavit, ut posset pro nobis pati, & mori; verùm etiam quia anima Christi adhuc erat unita corpori passibili, passibilitate orta ex carentia beatitudinis corporis. Animæ autem sanctorum in cœlis non sunt unitæ corpori, consequenter non sunt in statu merendi gloriam corporis, ut Christus meruit sibi gloriam corporis, ut D. Thomas *quæst.* 29. *de Veritate art.* 6. *ad* 5. Neque inde sequitur, Christum tempore transfigurationis fuisse extra statum merendi; quia quamvis pro eo tempore gloriæ animæ redundaverit in corpus, non tamen id fuit per modum permanentiæ, sed tantum transeuntis, quod cum non fuerit sufficiens, ut esset beatus beatitudine corporis, de cujus ratione est permanentia; ita nec fuit sufficiens, ut desineret esse in statu viæ, & capaci merendi. Etenim etiam D. Paulus in raptu usque ad tertium cœlum vidit divinam essentiam, in qua visione consistit beatitudo essentialis animæ, & tamen, quia hæc non se habuit per modum permanentiæ, sed transeuntis adhuc permansit in statu viæ etiam quoad animam; perinde dicendum de gloria corporis non se habente per modum permanentiæ. Instabis Christum fuisse simul viatorem, & comprehensorem, oriebatur ex speciali ordinatione, Dei, ergo etiam quod Christus meruerit, id contigit ex speciali Dei ordinatione, consequenter Deus de lege ordinaria non meruit; sed contra, quia licet conjunctio utriusque status Viatoris, & comprehensoris, orta ex non redundantia beatitudinis animæ in corpus, facta fuerit in Christo ex speciali DEI dispensatione: posita tamen tali conjunctione, ut Christus mereretur, non indigebat ullo speciali privilegio, vel dispensatione; sed id contigit de lege ordinaria, & juxta communem DEI providentiam: ergo Christus meruit de lege ordinaria: etenim etiam conjunctio Verbi divini cum Christi humanitate fuit miraculosa, & contigit de lege speciali DEI; & tamen hac posita unione hypostatica Christus de lege ordinaria eliciebat actus humanos; neque talis elicientis fuit miraculosa, sed naturalis: ita, quamvis in Christo conjunctio utriusque status viatoris, & comprehensoris fuerit ex dispensatione speciali, Christus illa posita de lege ordinaria meruit.

Cum igitur constet, Christum fuisse simul comprehensorem, & viatorem, ac meruisse, difficultas est, quantum fuerit hoc Christi meritum, & an ejus valor fuerit infinitus, adeo ut operationes à Christo elicitæ fuerint infinitæ non in genere physico, quia in hoc genere omnes Christi operationes finitæ fuerunt, quia limitatam habuerunt physicam entitatem, & procedebant à principiis proximis, & remotis finitis in linea physica; sed an fuerint infinitæ, ac infiniti valoris in genere moris, & etiam infinitæ dignitatis, ac meriti. Juvat observare in Christi operationibus coincidisse rationem meriti cum ratione satisfactionis, ut docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 48. *art.* 1. & 2. & rationem meriti distingui formaliter à ratione satisfactionis, quia hæc respicit damnum personæ offensæ, ut repellendum, & compensandum: meritum verò respicit bonum merentis ut à DEO obtinendum, quo pacto dicimur DEO satisfacere pro nobis. Rursus valor satisfactorius sumitur ex dignitate personæ satisfacientis, & valor meritorius sumitur ab ipsius sanctitate. Authores circa hunc infinitum valorem in operationibus Christi in varias abierunt sententias. Gabriel *in* 3. *dist.* 19. *quæst. unica. art.* 1. Admainus *quæst.* 1. Joannes de Medina *Codic. de satisfact. quæst.* 1. Scotus in 3. *dist.* 19. *quæst. unic.* §. *in ista quæst.* quem sequuntur plures Scotistæ asserunt Christi operationes supremam inter omnes operationes creatas obtinuisse dignitatem non tamen infinitatem moralem, sive in ratione meriti, sive in ratione valoris. Alii concedentes Christi meritum fuisse ratione meriti infinitum, negant tamen fuisse infinitum simpliciter, sed tantùm secundum quid, eo quia non ex omni capite habuerit infinitatem, quod requiritur ad infinitatem simpliciter, sed tantùm ex parte personæ operantis. Alii distinguentes in Christi operibus rationem meriti, & rationem valoris, docent fuisse Christi operationes in valore infinitas, non ita in ratione meriti.

Dicendum est valorem satisfactorium Christi Domini fuisse simpliciter infinitum in morali æstimatione, ita ferè communiter Theologi cum D. Thoma in 3. *distinct.* 9. *quæst.* 1. *art.* 8. *ad* 2. & 4. *contra gentes cap.* 54. Sed, quamvis Theologi conveniant in asserenda infinitate valoris satisfactorii, dissentiunt tamen in explicanda ratione, & forma tribuente hanc infinitatem. Alii censent desumi ex re oblata per actus satisfactorios Christi, putantes non omnibus Christi operationibus etiam satisfactoriis infinitum inesse valorem, sed iis duntaxat, quibus Christus se ipsum offerebat. Alii non ex re oblata, sed ex eo, quòd per satisfactionem Christus se ipsum subjiciebat, volunt infinitatem desumi. Alii ex eo, quia Christi operationes erant infinitæ dignitatis, Alii ex Deitate infinities sanctificante immediatè humanitatem, & mediatè ejus operationes.

Probatur assertum primò ex scripturis, in quibus extollitur magnitudo satisfactionis Christi Psal. 129. *Copiosa apud DEUM redemptio.* 1. Joan. 2. *Non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi:* in his locis, quamvis expressè non adstruatur infinitas satisfactionis Christi, indicatur tamen valor quidam ipsius inæstimabilis præsertim ex testimonio Joannis asserentis satisfactionem Christi esse sufficientem pro infinitis peccatis, quod verum non esset, nisi valor satisfactorius Christi esset itidem infinitus. Rursus hæc veritas etiam suadetur ex Clemente VI. *In Extravag. Unigenitus de pœnitentiis, & remiss.* ubi loquens de thesauro Ecclesiæ ait: *De cujus consumptione aut diminutione non est aliquatenus formidandum propter infinita merita Christi*, ex cujus verbis satis apertè infertur Christi operationes fuisse valoris meritorii simpliciter infiniti, quia, si illorum valor non esset infinitus simpliciter, non deberent dici merita infinita absolutè, sed cum aliquo addito diminuente: infinitum namque absolutè prolatum significat infinitum absolutè: ergo meritum absolutè infinitum est meritum infinitum simpliciter: atqui Pontifex non cum addito diminuente, sed absolutè asseruit operationes Christi esse merita infinita, ergo quia censuit esse merita simpliciter infinita. Alioquin si merita Christi simpliciter infinita non essent, posset aliquatenus & cum aliquo fundamento formidari, ne in tantùm peccata crescerent, ut illorum multitudine thesaurus Ecclesiæ, constans ex meritis Christi, diminueretur, ac tandem exhauriretur: ergo cum Pontifex asserat, nullatenus formidandum esse de consumptione, aut diminutione thesauri Ecclesiæ propter infinita merita Christi, censuit fuisse infinita simpliciter; quia si non essent infinita simpliciter in ratione meriti, neque essent tales in ratione satisfactionis, proinde valor satisfactorius illorum esset simpliciter finitus, cum

non

non detur medium inter simpliciter infinitum, & simpliciter finitum; & quod simpliciter est finitum, terminis prefixis clauditur, unde si merita infinita non essent, adeo possent peccata crescere, ut tandem perveniretur ad terminos, quibus thesaurus Ecclesiæ clauderetur, ac exhauriretur. Præterea vis meritoria præmiorum inæqualis perfectionis absque termino in infinitum, habuit in actu valorem meritorium infinitum simpliciter: atqui vis meritoria operationum Christi extendebatur ad præmia inæqualis perfectionis sine termino in infinitum, ergo valor meritorius illarum est infinitus simpliciter: Minor constat, quia eadem est vis operationum Christi sub ratione meriti comparativè ad præmia, ac sub ratione satisfactionis per respectum ad peccata: sed habuerunt vim satisfactoriam pro culpis inæqualis malitiæ, sine termino in infinitum, alioquin vetendum esset, ne culparum multitudine tandem exhauriretur: ergo Christi operationes habuerunt valorem meritorium præmiorum inæqualem in perfectione, sine termino in infinitum. Tum quia omnia præmia creata, etiam collectivè sumpta, non sunt tantæ æstimationis, quantæ sunt opera Christi, propter unionem hypostaticam; proinde vis meritoria illorum extenditur sine termino ad omnia & singula præmia creata, vel creabilia, quæ inæqualis sunt perfectionis. Major etiam ostenditur, quia vis productiva physica effectuum inæqualis perfectionis sine termino in infinitum arguit entitatem, & actualitatem simpliciter infinitam: hinc quia omnipotentia hanc vim continet, inferimus esse entitatis, & actualitatis simpliciter infinitæ, ergo à pari vis meritoria se extendens ad præmia inæqualis perfectionis, sine termino in infinitum debet arguere valorem meritorium infinitum simpliciter: quia sicut vis effectiva physica fundatur in entitate, & actualitate causæ, perinde vis effectiva moralis & meritoria fundatur in valore morali, proinde si ex vi effectiva physica syncategorematicè infinita arguitur in causa entitas simpliciter, & categorematicè infinita; etiam ex vi effectiva morali infinita syncategorematicè colligitur valor moralis actu simpliciter infinitus. Præterea quod Christi merita fuerint simpliciter infinita, & thesaurus Ecclesiæ pariter infinitus, adeo ut nullo peccatorum multitudine extingui nullo tempore possit, asserit idem Pontifex in prædicta Extravagant. ubi ait: *Non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiosè velut quoddam profluvium noscitur effudisse*: postea subdit: *Volens suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, de cujus consumptione, vel minutione non est ulla quatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita.* Quòd si dicas, prææallegatas scripturas, & verba Pontificis commodè posse salvari, si Christi merita dicantur esse infinita, non ab intrinseco, & ex natura rei, sed ex eo, quod DEUS ea acceptaverit pro infinita multitudine peccatorum; adeo ut infinitas valoris satisfactorii Christi, tantùm habeatur ab extrinseca DEI acceptatione. Contra est, quia Clemens VI. ad ostendendam infinitatem meritorum Christi, assignat pro medio ad id evincendum intrinsecam conjunctionem ad Verbum: sed si Christi merita essent tantùm infinita ex Dei acceptatione extrinseca, non fuisset necesse, ut probaret hanc infinitatem ex intrinseca conjunctione ad Verbum: quia etiam merita puri hominis possent hanc infinitatem habere, si Deus vellet ea acceptare pro infinita peccatorum multitudine, unde Pontifex fuit locutus de infinitate intrinseca, tum quia de facto merita Christi non fuerunt acceptata pro infinitis peccatis, sed tantùm pro peccatis futuris, quæ sunt numero finita, proinde si Christi merita non haberent ex se, & ab intrinseco infinitum valorem, illum non reciperent ex DEI acceptatione extrinseca. Hinc firmari potest assertum, quia valor satisfactorius pro peccatis syncategorematicè infinitis non potest convenire satisfactioni, nisi hæc sit valoris simpliciter infiniti: sed satisfactio Christi habet valorem satisfactorium sufficientem pro peccatis syncategorematicè infinitis, ergo, in ratione valoris, est satisfactio simpliciter infinita. Major constat ex verbis Clementis VI. siquidem perinde est, merita Christi non posse peccatorum multitudine extingui, ac iisdem inesse vim satisfactoriam infinitam. Si dicas sufficere, ut Christi satisfactio sit intrinsecè condigna pro peccatis syncategorematicè infinitis, si sit superioris ordinis ad offensam, siquidem posita hac ordinis superioritate, nunquam potest valor Christi satisfactorius adæquari per peccata, quantumvis multiplicata in infinitum, quia res inferioris ordinis non possunt adæquare rem superioris ordinis: ergo ex eo, quod thesaurus Ecclesiæ non possit minui, nec exhauriri, inde non sequitur, valorem satisfactorium Christi esse infinitum ex natura rei, & ab intrinseco, sed sufficit, si sit in superiori ordine. Contra est, quia si hæc solutio subsisteret, sequeretur peccatum lethale in ratione gravitatis offensæ, moraliter infinitum non exigere pro condigna satisfactione infinitum valorem in genere moris, sed sufficere, si contineret valorem, qui esset in ordine superiori: quia res ordinis inferioris, quamvis infinita sit, ex data solutione non potest in perfectione adæquare rem in superiori ordine, quamvis hæc infinita sit: quo pacto, si valor infinitè intenderetur, nunquam posset adæquare perfectionem gratiæ finitæ, eo quia hæc esset in ordine superiori: ergo tametsi offensa lethalis esset gravitatis infinitæ in genere moris, adhuc non posset adæquare finitum meritorium Christi ex suppositione, quòd iste sit in ordine superiori: proinde ad satisfactionem condignam pro culpa lethali non requireretur satisfactio infinita, quod Theologi negant. Præterea quia, ut valor sit ex se, & ex natura sua condigna satisfactio pro injuria, debet tanti æstimari, quanti odio habetur injuria illata Deo, sed peccata infinita syncategorematicè digna sunt, ut odio habeantur sine termino: ergo ea tantùm actio est ex se condigna, & ab intrinseco satisfactoria pro culpis syncategorematicè infinitis, quæ ex se, & ab intrinseco est digna infinita amore, & æstimatione, consequenter, quæ sit infinita in morali æstimatione. Tum quia, tametsi quæ sunt infinitæ ordinis inferioris, non possunt physicè adæquare rem aliquam ordinis superioris, attamen nisi res superior sit physicè infinita, non potest physicè efficienter continere effectus infinitos, quia isti commensurantur ex continentia causæ, hac enim ratione probamus omnipotentiam divinam esse infinitam, ergo, tametsi quæ sunt infinita in ordine inferiori, non possint in genere moris adæquare rem ordinis superioris; non tamen possunt moraliter effectivè contineri in re illa ordinis superioris, nisi hæc fuerit infinita: & quia satisfactio condigna pro peccatis lethalibus syncategorematicè infinitis continet moraliter effectivè remissiones omnium peccatorum graviorum sine termino in infinitum, sequitur manifestè Christi satisfactionem non solum esse in ordine superiori, sed etiam in tali ordine esse simpliciter ex natura rei, & ab intrinseco infinitam.

Probatur secundò à priori: opera Christi habent

bent valorem simpliciter infinitum, si valoris tam satisfactorii, quàm meritorii forma intrinseca constitutiva sit simpliciter infinita: atqui talia sunt opera meritoria Christi, ergo sunt valoris simpliciter infiniti. Major liquet, quia forma intrinsecè infinita habet effectum formalem itidem infinitum, quia effectus formalis formæ est ipsa forma, ut exhibita subjecto, consequenter, si forma fuerit infinita, etiam ejus effectus formalis erit infinitus. Minor ostenditur, quia id, à quo operationes Christi per se primò, & formaliter accipiunt, ut sint acceptabiles ad præmium, & compensationem pro peccatis, est forma intrinseca constitutiva valoris meritorii, & satisfactorii: sed Christi operationes per infinitam dignitatem Verbi divini accipiunt per se primò formaliter hanc acceptabilitatem ad præmium, & compensationem pro peccatis, quia sicut opera hominis justi à dignitate personæ operantis, seu à gratia habituali accipiunt intrinsecam condignitatem meriti, & satisfactionis pro peccato veniali, ut ostendimus in præcedentibus, sequitur, quod etiam opera Christi à dignitate personali, & infinita Verbi accipiant valorem infinitum. Præterea quia opera Christi sunt intrinsece theandrica, hoc est divina, & humana, ut communiter docent Patres, præsertim Damascenus *lib. 3. de fide cap. 15.* ubi ait: Vivificas, & salutares fuisse Christi passiones, quia humanas, non humano modo sufficiebat, sed ut Deus: hinc Dionysius *epist. 4. ad Cajum* ait: *Divina non quatenus Deus est, perficit, nec humana quatenus homo, sed cum nobis conversatus est, Deus homo factus, novam quandam Dei virique actionem operatus est.* Hinc ex Patribus constat, operationes Christi esse infiniti valoris, eò quia sint theandricæ: sed actiones esse theandricas, nil aliud est, quam illas fuisse actiones totius concreti, quod est Deus, & homo, consequenter operationes Christi eatenus sint infiniti valoris, quia sunt actiones Dei hominis: Præterea quia Christi operationes ab illo principio, à quo habent, ut sint theandricæ, accipiunt infinitum valorem intrinsecum: sed ab infinita dignitate personæ divinæ habent, ut sint formaliter theandricæ: ergo ab ipsa accipiunt intrinsecum valorem infinitum. Firmari etiam ex eo potest, quia opera satisfactoria Christi procedebant à supposito simpliciter infinito, seu à persona divina: ergo ex natura rei, & ab intrinseco erant simpliciter infiniti valoris, in ratione satisfactionis. Antecedens liquet, quia, ut communiter docent Philosophi, cum Aristotele 1. Metaphys. actiones sunt suppositorum, consequentia ostenditur, quia valor satisfactorius crescit ex dignitate, & persona satisfaciente: sed persona satisfaciens est infinitæ dignitatis, ergo ejus satisfactio est infiniti valoris. Quòd satisfactio crescat ad incrementum dignitatis personæ satisfacientis, ex eo liquet, quia si Rex suum detegat caput, ut alium honoret, pluris æstimatur, quam genuflexio viri nobilis, præsertim si Rex id faciat in recompensationem injuriæ alicui irrogatæ: quia tametsi operans non sit principium *quo* operationum, est tamen principium *quod*. Sed dices, tametsi dignitas satisfactionis crescat ad incrementum dignitatis personæ satisfacientis, non tamen inde sequitur, operationes satisfactorias Christi esse infinitas, simpliciter ratio est, quia satisfactio non crescit arithmeticè ad incrementum dignitatis personæ satisfacientis, adeo ut æqualem cum illa dignitatem participet, sed tantùm geometricè, & secundùm proportionem, adeo ut si persona satisfaciens sit superior, illius satisfactio excedat satisfactionem exhibitam à persona inferiori: ergo ex eo, quòd persona Christi satisfaciens sit infinita, tantùm sequitur, quod ejus satisfactio excedat omnem satisfactionem, quam creaturæ possibiles possent exhibere: ratio à priori est, quia persona satisfaciens non influit immediatè per se ipsam, sed mediante principio *quo* operativo, adeo ut si hoc finitum fuerit, ut contigit in Christo, qui mediante humanitate finita, & gratia habituali itidem finita influit in operationes, non possit iisdem suam infinitatem communicare, ita sentiunt, & docent Scotistæ. Sed contra, quia ex eo, quod offensa non crescat arithmeticè ad incrementum dignitatis personæ offensæ, sed tantùm geometricè inferunt Scotistæ offensam lethalem contra Deum tantæ dignitatis non esse, ut pro illa non possit pura creatura condignè satisfacere: hinc infertur, si ex eo, quod gravitas offensæ tantùm crescat geometricè ad incrementum dignitatis personæ offensæ, sequitur satisfactionem exhibitam à pura creatura posset adæquare gravitatem offensæ divinæ: quod si ita est, ergo, si satisfactio non crescit arithmeticè, sed tantùm geometricè, seu proportionaliter ex dignitate personæ, poterit ita crescere satisfactio puræ creaturæ, ut in valore Christi adæquet satisfactionem, quod est falsum, cùm non possit dari creatura, quæ subsistat in persona digniore, quàm divina, consequentia ostenditur, quia eo ipso, quòd distantia personæ offensæ à persona satisfaciente non obstat, quò minùs satisfactio possit adæquare gravitatem offensæ, ergo neque distantia personæ Christi satisfacientis à persona creata satisfaciente poterit impedire, quò minùs satisfactio creaturæ valeat adæquare Christi satisfactionem: quia in eorum sententia persona Christi non præstat valorem simpliciter infinitum. Contra præfatam solutionem etiam validius urgetur, quia vel persona Christi ut satisfaciens præstat immediatè per se ipsam valorem, & dignitatem satisfactioni à se exhibitæ vel non: si primum ergo illi communicat infinitum valorem, quia cum persona Christi sit infinita, dignificat infinitè juxta capacitatem subjecti, proinde satisfactio Christi in genere moris est infiniti valoris: non enim potest assignari, à quo limitetur influxus iste in genere moris: si dicatur secundùm, ergo non dat valorem excedentem satisfactionem procedentem *à pura creatura*: ergo vel operationes Christi sunt valoris simpliciter *infiniti*, vel possunt saltem adæquari à satisfactione, quàm posset exhibere pura creatura. Respondent Scotistæ, personam Verbi influere dignitatem media humanitate, ut à se dignificata, quæ dignificatio non potest ulli creaturæ convenire, nec communicari præcisa unione hypostatica; proinde non esse possibilem satisfactionem provenientem à pura creatura, quæ valeat adæquare satisfactionem Christi, eò quia sit hæc, à natura subsistente in persona divina. Contra est, quia si persona Verbi divini dignificat humanitatem, eam non nisi infinitè dignificat, quia tota ratio, cur operibus ab humanitate Christi elicitis persona Verbi non communicet, infinitam dignitatem, est, ut volunt Scotistæ, quia influit in operationes, mediante humanitate, quæ est principium *quo* finitum: hæc autem ratio respectu humanitatis dignificatæ à Verbo, non urget; quia Verbum non dignificat mediante principio *quo* radicaliter vel proximè influente dignitatem, & quod finitum, ac limitatum sit, sicut natura humana respectu operationum, quas elicit: sed Verbum se ipso immediatè dignificat naturam humanam: proinde si persona Verbi influit valorem satisfactorium, ac meritorium in operationes Christi, mediante humanitate, ut à supposito divino dignificata; dat iisdem valorem infinitum meritorium simpli-

simpliciter infinitum. Ratio est, quia Verbum divinum non influit talem dignitatem mediante principio finito, ut finito, sed mediante principio quidem finito, sed infinitè dignificato, seu mediante humanitate infinitè dignificata à Verbo: proinde persona Verbi communicat Christi operationibus mediante humanitate infinitè dignificata elicitis valorem meritorium, ac satisfactorium simplicieiter infinitum.

Præterea persona operans dignificat proprias operationes, & maxime illas, in quibus se subjicit, qua ratione actiones imperatoris à persona operante desumunt dignitatem imperatoriam; & Christi operationes sunt theandricæ, seu propriæ Dei hominis à Sanctis Patribus vocantur: ergo, cum persona operans fuerit simpliciter infinita, debuit refundere in Christi operationes dignitatem infinitam, si, unde limitetur, non habuerit, nee unde infinitas impediatur: & hoc principium limitativum, & impediens infinitam dignitatem refundendam in Christi operationes, non potest assignari: quia non potest esse principium *quo* elicitivum operationum, quia limitatio principii *quo* elicientis operationes non limitat influxum personæ, quia tametsi principium *quo* efficiat operationes quo ad entitatem; non tamen dignitas earundem operationum causatur efficienter à principio *quo*; sed à persona simpliciter infinita, quæ propterea refundit infinitam dignitatem in operationes entitativè elicitas ab humanitate. Neque potest hæc dignitas limitari ab unione operationum ad suppositum Verbi: quia hæc unio est tantùm conditio; non verò ratio formalis recipiendi dignitatem; consequenter non potest impedire infinitam dignitatem derivandam à Verbo, ut à forma morali in ipsas operationes. Tum quia unitas humanitatis ad Verbum, quamvis finita sit, non tamen impedit, quo minus humanitas à Deitate, ut à personalitate Verbi infinitam recipiat dignitatem: ergo nec unio operationum cum persona Verbi valorante quamvis finita sit, non impedit, quo minus operationes Verbo divino conjunctæ valorentur infinitè. Neque entitas limitata operationum potest hanc communicationem infinitatis impedire; quia limitatio, & finitas humanitatis hypostaticè unitæ Verbo non impedit, quo minus humanitas sit infinitè sancta, & constituatur infinitè digna à Deo: ergo neque limitatio entitatum ipsarum operationum à Christo elicitarum impedit, quo minus à Verbo divino infinitam recipiat dignitatem.

Quòd si dicas, capacitatem subjecti finiti non posse esse nisi finitam; consequenter non posse recipere formam dignitatis infinitæ; quia communicatio debet fieri juxta capacitatem subjecti. Respondetur, limitationem subjecti tantum posse limitare formam educendam ex ipso, aut in eodem intrinsecè recipiendam; non verò formam, quæ per eductionem ex illius potentia non efficitur; neque in illo recipitur intrinsecè: sed forma dignificans, & valorans operationes Christi est ipsa persona divina, quæ ex potentia earundem non educitur, neque in iisdem intrinsecè & physicè recipitur: proinde limitatio operationum non potest impedire influxum hujus dignitatis infinitæ. Urgebis, opera Christi non habuerunt infinitum valorem, ratione infinitatis personæ Verbi, consequenter non fuerunt infiniti valoris: quia eo ipso, quòd ex infinitate personæ Verbi non habent infinitum valorem, non potest assignari, à quo alio principio possint illum recipere. Antecedens probatur; quia satisfactio non crescit ex dignitate personæ satisfacientis: si enim vir equestris, & rusticus debeant Mercenario decem, non meretur magis vir equestris solvendo decem, quàm rusticus; consequenter solutio facta à viro equestri, non est melior ex dignitate personæ. Sed contra, quia concedunt omnes valorem operum Christi provenire ex unione substantiali humanitatis ad Verbum divinum, ratione cujus saltem sunt in ordine superiori; adeo ut valor satisfactorius Christi non possit procedere, neque adæquari ab ulla pura creatura: sed valor satisfactorius Christi non posset ab hac substanciali unione procedere, quin proveniat ex dignitate personæ: quia humanitatem uniri Verbo divino, nihil aliud est, quam subsistere per subsistentiam personæ divinæ: & cum actiones sint suppositorum, seu personarum; sequitur, valorem satisfactorium Christi peti à dignitate personæ, quæ cum sit infinita, dignificat infinitè valorem satisfactorium Christi. Ratio potest à priori assignari, quia illi tribuitur necessariò valor actionis; cui actio tribuitur: sed actio non nisi supposito, seu personæ tribuitur; quia solum suppositum est principium *quod* talis actionis, ex quo factum est, ut actiones dicantur esse suppositorum; non quòd suppositalitas influat physicè in actiones; sed quia connaturaliter natura non agit, nisi existat completè, & subsistat; & quia suppositum est complementum naturæ, sequitur, quòd non nisi supposito tribuantur actiones, per quas suppositum etiam denominatur, adeo ut solum suppositum dicatur resistere, agere, pati. Præterea quia illi duntaxat, tribuantur actiones, quod solùm est habens naturam, & omnia principia operationum: & solum suppositum est habens naturam, & omnia principia operationum, quia solum suppositum est subjectum denominationis, & rectum omnium concretorum, quæ significant naturam, & principia operandi: hinc humanitas Christi dicitur haberi à persona Verbi, & singulari jure esse tota illius; idque causæ, cur omnes operationes humanitatis tribuantur Christi supposito, ut principio *quod* earundem operativo, & dignificentur infinitè à persona Christi, à qua recipiunt infinitum valorem. Ad exemplum allatum de viro equestri, & rustico, solventibus Mercenario decem, respondetur non esse ad rem; quia hæc solutio est in materia justitiæ. Quando Theologi dicunt, satisfactionem crescere ex dignitate personæ satisfacientis, id non intelligunt de satisfaciente in quamcunque materia justitiæ, sed tantum in satisfactione honoris, & injuriæ illatæ, ubi satisfaciens se illi subjicit, cui fit satisfactio.

Dices, personam Verbi divini in Christo non influere effectivè in operationes humanitatis: consequenter licèt dicantur esse à supposito, non tamen ab eodem dignificantur infinitè. Antecedens ex eo liquet, quia personalitas Verbi divini id tantum præstat, quod præstitisset personalitas creata in Christo, si adfuisset: sed personalitas creata non influit effectivè in operationes nostras, quia non est ratio agendi, sed tantùm conditio, quâ natura operatur: ergo operationes elicitæ à Christo non sunt infiniti valoris. Sed contra negatur antecedens, quia in sententia probabili plurium personalitas Verbi influit physicè in operationes humanitatis Christi, licèt non influxu distincto ab influxu ipsius humanitatis, alioquin sequeretur, quòd persona Verbi ratione divinitatis, & propriæ personalitatis haberet aliquam activitatem ad extra, quæ non esset communis Patri, & Spiritui Sancto, quod nequit concedi, cùm operationes ad extra sint communes totius Trinitatis: sed concurrit eodem prorsus influxu physico cum humanitate, perinde ac influxus causæ secundæ non est distinctus ab illo causæ primæ influentis

fluentis cum causis secundis ad omnes effectus. Hinc ad probationem antecedentis respondetur, personalitatem creatam revera concurrere ad operationes ut principium *quod* operatur: ad quod non requiritur ullus influxus physicus proprius tantùm ipsius personalitatis, & qui sit distinctus ab influxu naturæ, cum sufficiat, si influxus naturæ tribuatur supposito operanti per modum principii *quod*. Verùm, quidquid sit de hoc influxu effectivo physico procedente à Christi personalitate, respondetur, personam divinam Verbi concurrere moraliter ad valorem operationum Christi, & ratione hujus moralis influxus, personam Verbi infinite dignificare operationes humanitatis, ac iisdem communicare valorem infinitum: hic enim concursus moralis consistit in ipsa unione morali ipsius personæ Verbi, cum ipsis operationibus physicè elicitis à Christi humanitate; & in morali resultantia valoris in iisdem ex vi ejusdem moralis unionis: quia cùm operationes subordinentur naturaliter ipsi supposito ut agendi principali ut *quod*, vel ut sustentanti naturam, quæ est ratio agendi; ideo in morali æstimatione cum ipsis operationibus censetur quodammodo subjici, ac humiliari ipsa persona Christi, ad placandum Deum offensum, adeo ut persona Christi censeatur moraliter uniri iisdem operationibus humiliationis, & subjectionis, quatenus habent rationem materiæ satisfactionis: in quo sensu clarè intelligitur, quomodo operationes satisfactoriæ Christi ex vi moralis unionis cum persona Verbi sint valoris, & æstimabilitatis infinitæ. Sed instabis, quia vel persona Verbi est causa hujus valoris ex se simpliciter, & præcisè sumpta; velut hypostaticè unita humanitati: atqui neutrum dici potest; non primum, quia persona divina secundum se præcisè sumpta non est debitrix, nec satisfaciens, quinimò ut Deus est potiùs persona creditrix, cui fit satisfactio. Præterea quia inferioritas, & subjectio personæ satisfacientis, est incomponibilis cum persona divina secundum se præcisè sumpta, siquidem personæ divinæ sunt omnes omnino æquales, consequenter persona Verbi, secundùm se præcisè considerata non potuit esse causa talis valoris. Neque dici potest secundùm, quia ut unita humanitati non potest dare valorem infinitum, & æqualem offensæ, quia persona Verbi ut unita non potest causare talem valorem, nisi mediante unione humanitatis ad Verbum, & hæc unio cum finita sit, & creata limitat essentialiter influxum provenientem à persona Verbi, consequenter valor satisfactorius Christi non est infiniti valoris. Sed contra negatur minor quoad secundam partem, quia tametsi persona Verbi, nonnisi ut unita humanitati, sit causa hujus infiniti valoris, quem refundit in operationes satisfactorias Christi; non tamen inde sequitur, influxum moralem personæ Verbi limitari per unionem humanitatis ad Verbum, ratio est, quia cùm dicimus, personam divinam ut unitam humanitati non intelligitur reduplicativè, ut significet, ipsam unionem esse causam proximam, & formalem rationem talis valoris, sed tantùm sumitur specificativè, quatenus significat, unionem se habere per modum conditionis requisitæ, ut persona Verbi sit causa talis valoris: quamobrem causa per se hujus infiniti valoris, est sola persona divina, quæ actu causat valorem illum ut unita humanitati, adeo ut hæc unio non sit causa influens in ipsum valorem, sed tantùm conditio sine qua non, ex quo claret, valorem satisfactorium Christi esse simpliciter infinitum, quia non oritur à persona divina mediante unione ut à causa valoris, sed tantúm præcisè ut à conditione, quod non auget, nec minuit quantitatem effectus, de cujus ratione est correspondére adæquatè virtuti causæ. Sed urgebis conditio requisita ad agendum modificat concursum actualem causæ, tametsi non modificet virtutem activam ipsius causæ, ut liquet in igne, qui meliùs applicatus, & proximiùs admotus intensiùs calefacit, ac fortiùs urit; tametsi ex se non habeat majorem vim calefactivam cum tali meliori applicatione, quàm sine illa: ergo quamvis unio divinæ personæ cum humanitate non dicatur causa valoris satisfactorii, sed tantùm conditio sine qua non, adhuc modificat actualem communicationem valoris, unde licèt persona Verbi ut unita humanitati nonnisi moraliter influat in operationes Christi, adhuc ipsis non communicat valorem infinitum. Sed contra distinguitur antecedens: conditio requisita ad agendum modificat influxum actualem causæ, si hæc concurrat physicè, ut in allato exemplo de igne, conceditur, si influit tantùm moraliter, negatur antecedens, & consequentia: hinc unio hypostatica, quamvis ex se finita non modificat, nec limitat ullo modo moralem unionem personæ divinæ cum actionibus satisfactoriis Christi, quia tota dignitas personæ Verbi etiam supposita unione hypostatica per operationes satisfactorias, & elicitas, ab humanitate subjicitur, ac humiliatur, consequenter semper in genere moris refundit infinitum valorem in tales operationes satisfactorias, quamvis concederemus, personam Verbi etiam physicè concurrere ad easdem operationes, quia tametsi limitetur ab unione hypostatica concursus physicus, non ita moralis, ut patet ex dictis, quia cum unio hypostatica, ut paulò superiùs diximus, sit tantùm conditio, & non causa per se valoris satisfactorii; quamvis persona Verbi non sit infinitè unita humanitati, eò quia unio physica finita ac limitata modificet, ac impediat, ne persona Verbi infinitè uniatur humanitati; adhuc in genere moris refundit infinitum valorem in ipsis operationes satisfactorias elicitas ab humanitate Christi; quia, tametsi persona Verbi non sit infinitè unita humanitati, adhuc in se infinita est, & dignitatem habet illimitatam; & quia per operationes satisfactorias elicitas ab humanitate subjicitur, & humiliatur totus Christus, ita etiam ipsa persona divina in Christu ut infinita in se, & ut unita humanitati, proinde infinitè dignificat ipsas operationes elicitas ab humanitate, quia operationes tribuuntur supposito ut principio *quod*. Sed reurgebis, quia concursus physicus hujus suppositi Christi nonnisi finitus, ac limitatus erat, adeo ut etiam concursus physicus personæ Verbi ad actiones humanitatis Christi modificaretur ab ipsis potentiis humanitatis, per quas operabatur: ergo à pari etiam concursus moralis personæ Verbi ad valorem operationum humanitatis modificabatur ab ipsa humanitate, ut etiam ab habitibus supernaturalibus: ergo Verbum divinum nec in genere moris influit valorem infinitum in ipsas operationes elicitas à Christi humanitate. Sed contra negatur consequentia, & ratio discriminis in eo est sita, quia persona Verbi ad actiones humanitatis Christi inesse physico concurrit per concursum naturalem ipsius humanitatis, quam sustentat, & supposita, & quia humanitas non habet virtutem concurrendi infinitè, hinc est, quod persona Verbi in esse physico non dicatur concurrere infinitè, aloquin non concurreret per naturalem concursum ipsius humanitatis. Secus in genere moris persona Verbi concurrebat ad valorem moralem earundem operationum immediatè per se, vel etiam mediante gratia unionis, non ut causa, sed ut conditione, & cum in se persona sit infinita, potest infinitè dignificare.

Objicies

Objicies: quoties in aliquo concreto unum est finitum, & alterum infinitum, nequit concretum esse infinitum simpliciter, sed opus meritorium personæ infinitæ, seu Christi Domini est concretum, in quo unum est finitum, & alterum infinitum, quia conditiones actus finitæ sunt, & dignitas personæ infinita: ergo opus meritorium & satisfactorium Christi Domini non fuit simpliciter infinitum. Præterea quoties ad unum eundemque effectum concurrunt plura principia finita, & unum infinitum, tunc effectus nonnisi finitus est, quia tunc principium infinitum limitatur per principia finita: sed valor operum Christi est effectus, ad quem concurrunt plura principia finita, ut cognitio, intensio actus, potentia physica humanitatis, consequenter valor ille non est simpliciter infinitus. Demum eo, quòd aliquid in aliquo genere est simpliciter infinitum, non potest in eodem genere dari aliud, quod sit majus illo. Sed unus actus meritorius, & satisfactorius Christi est majoris valoris satisfactorii, quàm alius: etenim actus charitatis elicitus à Christo mediante humanitate adæquatur cum actu humilitatis in valore personali, & illum excedit in valore sumpto ex objecto, ex quo liquet, valorem satisfactorium Christi Domini non esse saltem simpliciter infinitum. Sed contra distinguitur major, quoties concretum coalescit ex finito, & infinito nequit esse simpliciter infinitum in omni genere, transeat major, quia fortassis, quod est infinitum in tali concreto, potest in se includere omnem perfectionem in omni genere: non est infinitum simpliciter in determinato genere, negatur major: hinc actus satisfactorius Christi, quamvis entitativè, & in esse physico sit finitus, est tamen infinitus moraliter in genere meriti, & satisfactionis, proinde concessa minore negatur consequentia. Vel posset aliter distingui major concretum coalescens ex uno finito, & altero infinito nequit esse simpliciter infinitum, si principium infinitum ingrediens constitutionem concreti non contineat eminenter alia principia finita, transeat: si illa contineat eminenter, negatur major, & eodem pacto distincta minore, negatur consequentia: ratio est, quia valor desumptus à persona Verbi divini continet eminenter alios valores desumptos ex objecto, gratia habituali, & intensione actus; & sicut totum complexum, quod est DEUS homo est simpliciter infinitum, quamvis humanitas sit quid finitum, eò quia DEUS continet eminenter perfectionem humanitatis, ut etiam omnem aliam perfectionem creaturæ; ita satisfactio Christi est valoris satisfactorii, & meritorii simpliciter infiniti: eò quia valor personalis continet eminenter omnes alios valores, qui ex pluribus aliis capitibus possunt desumi. Rursus quia quoties concretum ita coalescit ex uno finito, & altero infinito, ut infinitum sit simpliciter tale; non potest tunc infinitum ex consortio alterius componentis finiti suam deperdere infinitatem, proinde tunc totum concretum remanet simpliciter infinitum. Ad id, quod addebatur de effectu proveniente à pluribus principiis, quorum unum sit infinitum, & alia finita, adhuc respondetur cum distinctione, tunc effectus est finitus, si principia illa solùm effectivè concurrant, taliter, ut principium infinitum non concurrat influxu infinito, conceditur; si principium infinitum concurrat influxu infinito, & præsertim formaliter, negatur: siquidem, ut aliquis effectus sit formaliter infinitus, sufficit, si includat principium formale infinitum. Rursus quamvis Christi satisfactio dependeat ex pluribus causis, quarum aliquæ finitæ sint, ut humanitas, gratia habitualis, objectum; exinde tantùm sequitur valorem talium operationum ut provenientem à gratia habituali objecto, & aliis circumstantiis finitis non esse infinitum ratione sui, sed finitum, & limitatum: sed valor proveniens ex dignitate personæ operantis non dependet à gratia, nec ab aliis principiis concurrentibus ad actum, nisi tantùm præsuppositivè quatenus præsupponuntur ponere subjectum recipiens infinitatem à dignitate personæ Verbi, hæc autem præsuppositiva dependentia non obstat, quo minus persona Verbi refundat infinitum valorem io Christi operationes satisfactorias. Ad aliud in quo asserebatur ex operationibus elicitis ab humanitate Christi alias aliis fuisse magis meritorias, respondetur id verum esse, si sermo sit de majoritate extensiva, non ita si loquamur de intensiva, qua ratione hoc complexum, quod est DEUS homo, dicitur etiam extensivè quid majus, quàm DEUS solus, non verò intensivè, quia humanitas eminenter continetur in DEO. Ita pari ratione, quia valor meritorius in actu charitatis elicitò à Christo ex objecto continebatur eminenter in valore actus humilitatis Christi desumpto à persona operante, sequitur actum charitatis à Christo elicitum, mediante humanitate intensivè noo excedere actum humilitatis, sed tantùm extensivè, sed urgebis, illud tantùm continetur eminenter in alio, in quo contuietur per modum causæ: sed valor personalis operationum Christi non continet in se per modum causæ valorem desumptum ex aliis capitibus, consequenter verum non esse, quod valor personalis operationum Christi contineat eminenter valorem desumptum ex aliis capitibus. Sed contra, quia continentia eminentialis alia dicitur causalitatis, & alia æquivalentiæ; tametsi valor personalis operum Christi Domini non contineat eminenter eminentia causalitatis valorem desumptum ex aliis capitibus; eum tamen continet eminenter eminentia æquivalentiæ; quatenus ad nullum præmium promerendum extendi potest actus elicitus ab humanitate Christi, ratione valoris desumpti ex aliis capitibus, ad quod non extendatur ratione valoris personalis desumpti à persona operante; in quo sensu valor satisfactorius desumptus à persona satisfaciente dicitur continere eminenter eminentia æquivalentiæ valorem desumptum ex aliis capitibus.

Objicies secundò de ratione meriti, & valoris simpliciter infiniti est, quod nullo præmio dato illius vis meritoria exhauriatur, sed quocunque præmio assignato semper permaneat ioexhausta: sed valor operationum Christi non est hujusmodi, consequenter Christi operationes non sunt valoris meritorii simpliciter infiniti. Minor, in qua est difficultas, ostenditur: quia si Pater æternus carnem assumeret intuitu alicujus operationis Christi, vis meritoria talis operationis adæquatè exhauriretur, quia tunc meritum exhauriretur, quando ei correspondet præmium æqualis æstimationis, sed incarnatio Patris est æqualis valoris, & æstimationis cum quacunque Christi operatione; consequenter valor operationum Christi non est talis conditionis, ut quocunque præmio dato, manet inexhaustus. Huic argumento respondet de Lugo: Ab incarnatione Patris ut præmio non adæquari valorem meritorium operationis Christi; quia valor meritorius cujuscunque operationis à Christo eliciti tantus est, quanta est dignitas personæ Christi in se ipsa; dignitas autem personæ Christi in se est

fluentis cum cauſis ſecundis ad omnes effectus. Hinc ad probationem antecedentis reſpondetur, perſonalitatem creatam revera concurrere ad operationes ut principium *quod* operatur: ad quod non requiritur ullus influxus phyſicus proprius tantùm ipſius perſonalitatis, & qui ſit distinctus ab influxu naturæ, cum ſufficiat, ſi influxus naturæ tribuatur ſuppoſito operanti per modum principii *quod*. Verùm, quidquid ſit de hoc influxu effectivo phyſico procedente à Christi perſonalitate, reſpondetur, perſonam divinam Verbi concurrere moraliter ad valorem operationum Christi, & ratione hujus moralis influxus, perſonam Verbi infinite dignificare operationes humanitatis, ac iiſdem communicare valorem infinitum: hic enim concurſus moralis conſiſtit in ipſa unione morali ipſius perſonæ Verbi, cum ipſis operationibus phyſicè elicitis à Christi humanitate; & in morali reſultantia valoris in iiſdem ex vi ejuſdem moralis unionis: quia cùm operationes ſubordinentur naturaliter ipſi ſuppoſito ut agendi principali ut *quod*, vel ut ſuſtentanti naturam, quæ eſt ratio agendi; ideo in morali æſtimatione cum ipſis operationibus cenſetur quodammodo ſubjici, ac humiliari ipſa perſona Christi, ad placandum Deum offenſum, adeo ut perſona Christi cenſeatur moraliter uniri iiſdem operationibus humiliationis, & ſubjectionis, quatenus habent rationem materiæ ſatisfactionis: in quo ſenſu clarè intelligitur, quomodo operationes ſatisfactoriæ Christi ex vi moralis unionis cum perſona Verbi ſint valoris, & æſtimabilitatis infinitæ. Sed inſtabis, quia vel perſona Verbi eſt cauſa hujus valoris ex ſe ſimpliciter, & præciſè ſumpta; velut hypoſtaticè unita humanitati: atqui neutrum dici poteſt; non primum, quia perſona divina ſecundum ſe præciſè ſumpta non eſt debitrix, nec ſatisfaciens, quinimò ut Deus eſt potiùs perſona creditrix, cui fit ſatisfactio. Præterea quia inferioritas, & ſubjectio perſonæ ſatisfacientis, eſt incomponibilis cum perſona divina ſecundum ſe præciſè ſumpta, ſiquidem perſonæ divinæ ſunt omnes omnino æquales, conſequenter perſona Verbi, ſecundùm ſe præciſè conſiderata non potuit eſſe cauſa talis valoris. Neque dici poteſt ſecundùm, quia ut unita humanitati non poteſt dare valorem infinitum, & æqualem offenſæ, quia perſona Verbi ut unita non poteſt cauſare talem valorem, niſi mediante unione humanitatis ad Verbum, & hæc unio cum finita ſit, & creata limitat eſſentialiter influxum provenientem à perſona Verbi, conſequenter valor ſatisfactorius Christi non eſt infiniti valoris. Sed contra negatur minor quoad ſecundam partem, quia tametſi perſona Verbi, nonniſi ut unita humanitati, ſit cauſa hujus infiniti valoris, quem refundit in operationes ſatisfactorias Christi; non tamen inde ſequitur, influxum moralem perſonæ Verbi limitari per unionem humanitatis ad Verbum, ratio eſt, quia cùm dicimus, perſonam divinam ut unitam humanitati non intelligitur reduplicativè, ut ſignificet, ipſam unionem eſſe cauſam proximam, & formalem rationem talis valoris, ſed tantùm ſumitur ſpecificativè, quatenus ſignificat, unionem ſe habere per modum conditionis requiſitæ, ut perſona Verbi ſit cauſa talis valoris: quamobrem cauſa per ſe hujus infiniti valoris, eſt ſola perſona divina, quæ actu cauſat valorem illum ut unita humanitati, adeo ut hæc unio non ſit cauſa influens in ipſum valorem, ſed tantùm conditio ſine qua non, ex quo claret, valorem ſatisfactorium Christi eſſe ſimpliciter infinitum, quia non oritur à perſona divina mediante unione ut à cauſa valoris, ſed tantùm præciſè ut à conditione, quod non auget, nec minuit quantitatem effectus, de cujus ratione eſt correſpondere adæquatè virtuti cauſæ. Sed urgebis conditio requiſita ad agendum modificat concurſum actualem cauſæ, tametſi non modificet virtutem activam ipſius cauſæ, ut liquet in igne, qui meliùs applicatus, & proximiùs admotus intenſius calefacit, ac fortiùs urit; tametſi ex ſe non habeat majorem vim calefactivam cum tali meliori applicatione, quàm ſine illa: ergo quamvis unio divinæ perſonæ cum humanitate non dicatur cauſa valoris ſatisfactorii, ſed tantùm conditio ſine qua non, adhuc modificat actualem communicationem valoris, unde licèt perſona Verbi ut unita humanitati nonniſi moraliter influat in operationes Christi, adhuc ipſis non communicat valorem infinitum. Sed contra diſtinguitur antecedens: conditio requiſita ad agendum modificat influxum actualem cauſæ, ſi hæc concurrat phyſicè, ut in allato exemplo de igne, conceditur, ſi influit tantùm moraliter, negatur antecedens, & conſequentia: hinc unio hypoſtatica, quamvis ex ſe finita non modificat, nec limitat ullo modo moralem unionem perſonæ divinæ cum actionibus ſatisfactoriis Christi, quia tota dignitas perſonæ Verbi etiam ſuppoſita unione hypoſtatica per operationes ſatisfactorias, & elicitas, ab humanitate ſubjicitur, ac humiliatur, conſequenter ſemper in genere moris refundit infinitum valorem in tales operationes ſatisfactorias, quamvis concederemus, perſonam Verbi etiam phyſicè concurrere ad eaſdem operationes, quia tametſi limitetur ab unione hypoſtatica concurſus phyſicus, non ita moralis, ut patet ex dictis, quia cum unio hypoſtatica, ut paulò ſuperiùs diximus, ſit tantùm conditio, & non cauſa per ſe valoris ſatisfactorii; quamvis perſona Verbi non ſit infinitè unita humanitati, eò quia unio phyſica finita ac limitata modificet, ac impediat, ne perſona Verbi infinitè uniatur humanitati; adhuc in genere moris refundit infinitum valorem in ipſas operationes ſatisfactorias elicitas ab humanitate Christi; quia, tametſi perſona Verbi non ſit infinitè unita humanitati, adhuc in ſe infinita eſt, & dignitatem habet illimitatam: & quia per operationes ſatisfactorias elicitas ab humanitate ſubjicitur, & humiliatur totus Christus, ita etiam ipſa perſona divina in Christo ut infinita in ſe, & ut unita humanitati, proinde infinitè dignificat ipſas operationes elicitas ab humanitate, quia operationes tribuuntur ſuppoſito ut principio *quod*. Sed reurgebis, quia concurſus phyſicus hujus ſuppoſiti Christi nonniſi finitus, ac limitatus erat, adeo ut etiam concurſus phyſicus perſonæ Verbi ad actiones humanitatis Christi modificaretur ab ipſis potentiis humanitatis, per quas operabatur: ergo à pari etiam concurſus moralis perſonæ Verbi ad valorem operationum humanitatis modificabatur ab ipſa humanitate, ut etiam ab habitibus ſupernaturalibus: ergo Verbum divinum nec in genere moris influit valorem infinitum in ipſas operationes elicitas à Christi humanitate. Sed contra negatur conſequentia, & ratio diſcriminis in eo eſt ſita, quia perſona Verbi ad actiones humanitatis Christi in eſſe phyſico concurrit per concurſum naturalem ipſius humanitatis, quam ſuſtentat, & ſuppoſitat, & quia humanitas non habet virtutem concurrendi infinitè, hinc eſt, quod perſona Verbi in eſſe phyſico non dicatur concurrere infinitè, aloquin non concurreret per naturalem concurſum ipſius humanitatis. Secus in genere moris perſona Verbi concurrebat ad valorem moralem earundem operationum immediatè per ſe, vel etiam mediante gratia unionis, non ut cauſa, ſed ut conditione, & cum in ſe perſona ſit infinita, poteſt infinitè dignificare.

Objicies quoties in aliquo concreto unum est finitum, & alterum infinitum, nequit concretum esse infinitum simpliciter, sed opus meritorium personæ infinitæ, seu Christi Domini est concretum, in quo unum est finitum, & alterum infinitum, quia conditiones actus finitæ sunt, & dignitas personæ infinita: ergo opus meritorium & satisfactorium Christi Domini non fuit simpliciter infinitum. Præterea quoties ad unum eundemque effectum concurrunt plura principia finita, & unum infinitum, tunc effectus nonnisi finitus est, quia tunc principium infinitum limitatur per principia finita: sed valor operum Christi est effectus, ad quem concurrunt plura principia finita, ut cognitio, intensio actus, potentia physica humanitatis, consequenter valor ille non est simpliciter infinitus. Demum eo, quòd aliquid in aliquo genere est simpliciter infinitum, non potest in eodem genere dari aliud, quod sit majus illo. Sed unus actus meritorius, & satisfactorius Christi est majoris valoris satisfactorii, quàm alius: etenim actus charitatis elicitus à Christo mediante humanitate adæquatur cum actu humilitatis in valore personali, & illum excedit in valore sumpto ex objecto, ex quo liquet, valorem satisfactorium Christi Domini non esse saltem simpliciter infinitum. Sed contra distinguitur major, quoties concretum coalescit ex finito, & infinito nequit esse simpliciter infinitum in omni genere, transeat major, quia fortassis, quod est infinitum in tali concreto, potest in se includere omnem perfectionem in omni genere: non est infinitum simpliciter in determinato genere, negatur major: hinc actus satisfactorius Christi, quamvis entitativè, & in esse physico sit finitus, est tamen infinitus moraliter in genere meriti, & satisfactionis, proinde concessa minore negatur consequentia. Vel posset aliter distingui major concretum coalescens ex uno finito, & altero infinito nequit esse simpliciter infinitum, si principium infinitum ingrediens constitutionem concreti non contineat eminenter alia principia finita, transeat; si illa contineat eminenter, negatur major, & eodem pacto distincta minore, negatur consequentia: ratio est, quia valor desumptus à persona Verbi divini continet eminenter alios valores desumptos ex objecto, gratia habituali, & intensione actus; & sicut totum complexum, quod est DEUS homo est simpliciter infinitum, quamvis humanitas sit quid finitum, eò quia DEUS contineat eminenter perfectionem humanitatis, ut etiam omnem aliam perfectionem creaturæ; ita satisfactio Christi est valoris satisfactorii, & meritorii simpliciter infiniti: eò quia valor personalis continet eminenter omnes alios valores, qui ex pluribus aliis capitibus possunt desumi. Rursus quia quoties concretum ita coalescit ex uno finito, & altero infinito, ut infinitum sit simpliciter tale; non potest tunc infinitum ex consortio alterius componentis finiti suam deperdere infinitatem, proinde tunc totum concretum remanet simpliciter infinitum. Ad id, quod addebatur de effectu proveniente à pluribus principiis, quorum unum sit infinitum, & alia finita, adhuc respondetur cum distinctione, tunc effectus est finitus, si principia illa solum effectivè concurrant, taliter, ut principium infinitum non concurrat influxu infinito, conceditur; si principium infinitum concurrat influxu infinito, & præsertim formaliter, negatur; siquidem, ut aliquis effectus sit formaliter infinitus, sufficit, si includat principium formale infinitum. Rursus quamvis Christi satisfactio dependeat ex pluribus causis, quarum aliquæ finitæ sint, ut humanitas, gratia habitualis, objectum; exinde tantùm sequitur valorem talium operationum ut provenientem à gratia habituali objecto, & aliis circumstantiis finitis non esse infinitum ratione sui, sed finitum, & limitatum: sed valor proveniens ex dignitate personæ operantis non dependet à gratia, nec ab aliis principiis concurrentibus ad actum, nisi tantùm præsuppositivè quatenus præsupponuntur ponere subjectum recipiens infinitatem à dignitate personæ Verbi, hæc autem præsuppositiva dependentia non obstat, quo minus persona Verbi refundat infinitum valorem in Christi operationes satisfactorias. Ad aliud in quo asserebatur ex operationibus elicitis ab humanitate Christi alias aliis fuisse magis meritorias, respondetur id verum esse, si sermo sit de majoritate extensiva, non ita si loquamur de intensiva, qua ratione hoc complexum, quod est DEUS homo, dicitur etiam extensivè quid majus, quàm DEUS solus, non verò intensivè, quia humanitas eminenter continetur in DEO. Ita pari ratione, quia valor meritorius in actu charitatis elicito à Christo ex objecto continebatur eminenter in valore actus humilitatis Christi desumpto à persona operante, sequitur actum charitatis à Christo elicitum, mediante humanitate intensivè non excedere actum humilitatis, sed tantùm extensivè, sed urgebis, illud tantùm continetur eminenter in alio, in quo continetur per modum causæ: sed valor personalis operationum Christi non continet in se per modum causæ valorem desumptum ex aliis capitibus, consequenter verum non esse, quod valor personalis operationum Christi contineat eminenter valorem desumptum ex aliis capitibus. Sed contra, quia continentia eminentialis alia dicitur causalitatis, & alia æquivalentiæ; tametsi valor personalis operum Christi Domini non contineat eminenter eminentia causalitatis valorem desumptum ex aliis capitibus: eum tamen continet eminenter eminentia æquivalentiæ; quatenus ad nullum præmium promerendum extendi potest actus elicitus ab humanitate Christi, ratione valoris desumpti ex aliis capitibus, ad quod non extendatur ratione valoris personalis desumpti à persona operante; in quo sensu valor satisfactorius desumptus à persona satisfaciente dicitur continere eminenter eminentia æquivalentiæ valorem desumptum ex aliis capitibus.

Objicies secundò de ratione meriti, & valoris simpliciter infiniti est, quod nullo præmio dato illius vis meritoria exhauriatur, sed quocunque præmio assignato semper permaneat inexhausta: sed valor operationum Christi non est hujusmodi, consequenter Christi operationes non sunt valoris meritorii simpliciter infiniti. Minor, in qua est difficultas, ostenditur: quia si Pater æternus carnem assumeret intuitu alicujus operationis Christi, vis meritoria talis operationis adæquatè exhaurireretur, quia tunc meritum exhauriretur, quando ei correspondet præmium æqualis æstimationis, sed incarnatio Patris est æqualis valoris, & æstimationis cum quacunque Christi operatione; consequenter valor operationum Christi non est talis conditionis, ut quocunque præmio dato, maneat inexhaustus. Huic argumento respondet de Lugo: Ab incarnatione Patris ut præmio non adæquari valorem meritorium operationis Christi; quia valor meritorius cujuscunque operationis à Christo eliciti tantus est, quanta est dignitas personæ Christi in se ipsa: dignitas autem personæ Christi in se est

ſemper major dignitate, & ſanctitate, quàm perſonalitas Patris præſtaret humanitati; quia perſona Verbi in ſe ipſa eſt ſemper dignior humanitate ab ipſa dignificata, conſequenter valor unius operationis Christi in ratione præmii ſemper excedit incarnationem Patris, proinde per hanc valor operationis Christi non exhauriretur, & permaneret ſimpliciter infinitus. Verùm hæc ſolutio videtur pati aliquam difficultatem, quia non eſt ratio, cur in valorando meritum perſona Christi non cadat ab eo gradu dignitatis, quæ illi in ſe convenit per eſſentiam: & perſona Patris debeat à tali gradu cadere in ſanctificando, & dignificando humanitatem, non alia ratione, niſi quia dignitas humanitati præſtita à perſona increata, non adæquat ejus dignitatem in ſe, niſi quia præſtatur humanitati, quatenus illi unita, & eſt infinita, non per eſſentiam, ſed per communicationem: perſona verò increata in ſe ipſa eſt per eſſentiam infinita: ſed etiam valor operationum Christi à Verbo præſtatur, quatenus iisdem unito, & talis valor eſt infinitus, non per eſſentiam, ſed per communicationem, conſequenter non adæquat dignitatem Verbi in ſe ipſo, ergo exæquari, & exhauriri poterit ab incarnatione Patris, & præmio. Alii reſpondent, incarnationem Patris fore quidem in ratione præmii infinitam, non ita tamen ſicut valor meritorius operationum Christi, qui propterea non exhauriretur ab incarnatione Patris, quia hæc in præmium daretur: ſiquidem valor operationum Christi eſt in genere meriti tantus, quanta eſt perfectio Verbi in ſe ipſo, ac eſt in linea meriti valor ſimpliciter infinitus, eò quia majus meritum dari non poteſt, quia perſonæ divinæ in ſe ipſis ut ſubſiſtentes in Deitate non ſunt capaces merendi, & tantùm perſona divina in ſe poſſet valorem meritorium ejusdem, ut ſubſiſtentis in humanitate excedere: ſed dignitas præſtita humanitati à Verbo eſt in genere honoris, & juris ad beatitudinem, in quo genere non eſt infinita ſimpliciter, quia datur alia dignitas major illa ſcilicet, quæ divinis competit perſonis, ratione divinitatis: ſiquidem perſonæ divinæ in ſe ipſis, quamvis incapaces ſint meriti, non tamen ſunt incapaces juris ad honorem, & ideo dignitas humanitati præſtita à perſona Patris, ſi illam aſſumeret, non eſſet ita infinita, ſicut eſt infinitus valor operationum Christi, qui propterea non exhauriretur ab incarnatione Patris ut præmio, ita reſpondent ad argumentum plures cum Cipullo *quæſt.* 19. *art.* 3. *dub.* 8. *n.* 19. quæ tamen ſolutio non plenè ſatisfacit, quia quamvis meritum Christi ſit in ratione meriti infinitum ſimpliciter, eò quia majus in ratione meriti dari non poſſit, cùm Deus in ſe ipſo non ſit capax merendi, & humanitas à perſona Patris incarnati non redderetur ſancta infinitè in ratione ſanctitatis per eſſentiam, ſed tantùm in ratione ſanctitatis per communicationem, exinde tamen non colligitur ſanctitatem, & dignitatem à perſona Patris præſtitam humanitati non eſſe ita æſtimabilem, ac opus meritorium Christi, unde ex data differentia non rectè colligitur, incarnationem Patris in ratione præmii non adæquare valorem meritorium unius operationis Christi, cum adæquatio præmii cum merito penſanda ſit penes æſtimabilitatem, conſequenter ſi æſtimabilitas incarnationis Patris tanta eſſet, quanta eſt æſtimabilitas unius operationis Christi, hæc adæquaretur in ratione præmii cum illa in ratione meriti. Antecedens oſtenditur, quia operatio Christi quamvis dicenda ſit in ratione meriti abſolutè infinita; & humanitas in ratione ſanctitatis ſolum infinita cum addito, ſcilicet in ratione ſanctitatis communicatæ, id ex eo provenit, quia Deus in ſe ipſo non eſt capax merendi, bene tamen ſanctitatis: ſed ex hoc nulla dignitas accreſcit operi meritorio à Christo Domino elicito, neque in aliquo dignitas ſanctificationis humanitatis decreſcit, vel minuitur, ut per ſe eſt manifeſtum: tanta enim eſt modo ſanctitas humanitatis, quanta eſſet in hypotheſi, qua Deus capax ſanctitatis in ſe ipſo non eſſet, unde ex dato diſcrimine non videtur ſequi æſtimabilitatem incarnationis Patris, in ratione præmii non fore adæquandam cum æſtimabilitate operationum Christi in ratione meriti. Tum quia infinitas meriti Christi, quamvis in ratione valoris meritorii ſit ſimpliciter talis, non tamen eſt infinitas per eſſentiam, ſed tantum per communicationem, ſed talis etiam eſſet ſanctitas humanitatis à perſona Patris ei danda, eſſet enim etiam ipſa talis per communicationem: unde infinitas meriti Christi in ratione valoris meritorii adæquaretur in ratione meriti à ſanctitate, quam Pater communicaret humanitati in ratione præmii. Reſpondetur igitur exactiùs in eo caſu, quo Pater aſſumeret carnem intuitu alicujus operationis meritoriæ Christi exhauriendam fore talis operis condignitatem, ob rationem aſſignatam, negamus tamen, id obſtare ejus infinito valori, non enim exigit infinitas valoris meritorii exhauriri à præmio, quod eſt infinitum ſimpliciter, ſed tantùm exigit, ut finito præmio quantumcunque multiplicato nunquam poſſit exhauriri. Sicut enim de ratione potentiæ infinitæ non eſt, quòd non exhauriatur per productionem termini infiniti, ut liquet in potentia generativa Patris divini ad intra; quæ infinita eſt per eſſentiam, & tamen per generationem unius filii exhauritur, cùm æquè filius ſit infinitus, ac Pater. Igitur in caſu noſtro quamvis valor unius operationis Christi adæquatè exhauriretur, per incarnationem Patris ei reſpondentem in præmium, illius infinitati tamen non obſtet: quia incarnatio Patris non eſt minus infinita in ratione præmii, quàm ſit infinita Christi operatio in ratione meriti.

Objicies tertiò, quia quælibet operatio Christi potuit habere majorem valorem ſatisfactorium, quàm de facto habuit: ſed eo ipſo, quòd potuit ejus valor eſſe major, non fuit talis valor infinitus ſimpliciter, quia non datur infinitum majus alio, ergo valor ſatisfactorius Christi non fuit infinitus. Major oſtenditur, quia nulla eſt aſſignabilis Christi operatio, quæ non potuerit creſcere in objecto, ut ſi illud habuiſſet præſtantius, aut ex circumſtantiis, ſi talis operatio fuiſſet elicita cum majore intenſione, continuatione, duratione. Sed contradiſtinguitur major, quælibet operatio Christi potuit habere majorem valorem ſatisfactorium, quàm de facto habuit, extenſive conceditur; intenſivè negatur; quia quælibet Christi operatio ſatisfactoria ratione perſonæ operantis habet valorem infinitum, proinde licèt creſcat ex parte objecti, & aliarum circumſtantiarum, non tamen augetur intenſivè, ſed tantùm extenſivè, quamvis infinito, ex qua parte eſt infinitum, nequeat fieri additio, quâ majus conſtituatur; bene tamen poteſt incrementum ſubire, ex qua parte non eſt infinitum? & quia quælibet operatio ſatisfactoria Christi fuit infinita ſecundum intenſionem; ideo ex hac parte non potuit intenſivè eſſe capax incrementi; neque fieri major: ſecus quia Christi operationes ſatisfactoriæ non fuerunt infinitæ quoad numerum, valor ſatisfactorius ex hac parte potuit major eſſe, ſi operationes ſatisfactoriæ fuiſſent plures numerò, quàm fuerint: potuiſſet enim Christus plures alios actus elicere, quos de facto non elicuit; & potuit etiam eos cum majori intenſione, & conatu elicere, & diutius in iisdem perſeverare: ex quo tantùm ſequitur, quod valor ſatisfactorius

opera-

operationum humanitatis Christi potuit major esse extensivè, non intensivè; adeo ut unaquæque Christi operatio fuerit ex se seorsim ab alia infinita intensive: sicut si daretur una linea producta, in infinitum semper perseveraret infinita; quamvis plures aliæ producerentur lineæ infinitæ, quia cum essent distinctæ, una non adderet, neque minueret quidquam alteri; sed tantùm essent plures lineæ æquè infinitæ; perinde omnes, & singulæ operationes satisfactoriæ humanitatis Christi fuerunt infinitæ; absque eo, quod una alteri quidquam addiderit, vel detraxerit: & sicut lineæ in data hypothesi essent plures infinitæ extensivè; ita & Christi operationes satisfactoriæ sunt infinitæ, & plures extensivè. Instabis, valor desumptus ex circumstantia personæ operantis non continet formaliter, neque eminenter valorem desumptum ex objecto, & aliis circumstantiis: ergo valor desumptus ex circumstantia personæ operantis per additionem valoris ex objecto, & aliis circumstantiis fit major intensivè; adeo ut, licèt ratione personæ operantis sit Christi operatio satisfactoria valoris infiniti; adhuc additur huic infinito valori alius valor desumptus ex objecto, & aliis circumstantiis: consequenter crescit non solùm extensivè ratione numeri; sed etiam intensivè. Quòd valor desumptus ex persona operante non contineat alium valorem desumptum ex objecto, & aliis circumstantiis formaliter, liquet; quia sicut circumstantiæ distinguuntur, ita & valores, qui ex iisdem desumuntur: imò neque eminenter, quia valor desumptus ex persona operante non habet rationem causæ respectu valoris, qui desumitur ex circumstantia objecti. Consequentia est evidens; quia omnis magnitudo, vel quantitas, sive molis, sive virtutis crescit per additionem novæ quantitatis, non solùm extensivè ratione numeri; sed etiam intensivè, quando quantitas, quæ additur nullo pacto, continebatur in præexistente. Si per impossibile Deus nullo pacto contineret creaturas, majorem perfectionem intensivè includeret complexum ex Deo, & creaturis simul, quàm solus Deus, quamvis hic esset infinitus: ergo, valor desumptus ex circumstantia personæ operantis non est simpliciter infinitus, quia in ratione valoris potest incrementum subire. Sed contra, negatur antecedens, & ad ejus probationem respondetur, valorem ex circumstantia personæ divinæ continere eminenter eminentia non causalitatis, sed æquivalentiæ valorem ex objecto, ut paulò superiùs explicuimus, & etiam ex aliis circumstantiis desumptum; non enim ut valor desumptus ex objecto, & aliis circumstantiis contineatur in valore desumpto ex persona operante est necesse, quod contineatur in isto eminenter eminentia causalitatis; sed sufficit sola eminentia æquivalentiæ, quia tunc potest eundem effectum formalem præstare, quem præstat valor desumptus ex objecto, & aliis circumstantiis seclusa limitatione, & defectu: perinde ac anima rationalis dicitur continere eminentèr perfectiones animæ vegetantis, & sentientis, non quia sit utriusque animæ causa efficiens, sed quia dat materiæ esse vegetativum, & sensitivum, seu præstat eosdem effectus. Perinde valor desumptus ex persona infinita operante dicitur continere eminenter valorem desumptum ex objecto, & aliis circumstantiis, non quia sit causa efficiens illios; sed quia illi æquivaleat in ordine ad totum effectum valoris satisfactorii, quatenus constituit opus condignum ac proportionatum in ordine ad totam mercedem, quæ posset correspondere valori desumpto ex objecto, & aliis circumstantiis; & suo modo est causa ejusdem mercedis per modum valoris, & pretii oblati pro illa. Quia cum persona Verbi sit simpliciter infinita in omni genere, & contineat omne bonum, à quo posset actus humanus desumere aliquam bonitatem; ideo dat actui satisfactorio Christi provenienti à supposito divino valorem simpliciter infinitum: in hoc sensu valor desumptus ex persona operante dicitur continere eminenter eminentia æquivalentiæ omnes valores desumptos ex objecto, & aliis circumstantiis. Hinc etenus multiplicatio actus meritorii finiti auget valorem intensivè, adeo ut duo actus finiti meritorii habeant majorem valorem, & crescant intensivè, quia unus actus non continetur in alio continentia eminentialis æquivalentiæ, proinde sunt capaces augmenti: secus quia valor desumptus ex persona infinita operante est valor simpliciter infinitus, quia continet eminenter eminentia æquivalentiæ omnes alios valores, quos opus satisfactorium posset desumere ex objecto, & aliis circumstantiis.

Objicies quartò, de ratione meriti Infiniti valoris simpliciter est, quod non sit præmium assignabile, ad quod illius condignitas non extendatur, adeo ut ex vi condignitatis sit illi debitum omne præmium excogitabile, alioquin si esset præmium assignabile, quod non esset illi debitum, non esset infiniti valoris simpliciter, ac dari posset alius valor major, cui tale præmium esset debitum; quia præmium in ratione præmii præsupponit meritum sibi correspondens: sed est possibile præmium, ad quod non extendatur, nec possit extendi condignitas meriti operationum Christi: ergo merita Christi non sunt valoris simpliciter infiniti. Major & consequentia non patiuntur difficultatem: Minor evincitur in hac hypothesi, quà non solum Filius, sed etiam Pater naturam assumeret humanam: in hac hypothesi operationes utriusque humanitatis assumptæ essent meriti infiniti valoris simpliciter, quia procederent à persona divina, à qua infinitè dignificarentur; sed si ponamus, Patrem indutum humanitate petere à Deo, ne Lazarus resuscitetur, quem Filius humanatus, seu Christus petit resuscitari, in hoc casu non resuscitatio, seu negatio resuscitationis Lazari non caderet sub condignitate petitionis Patris humanati, alioquin mereretur de condigno, petitionem Christi non exaudiri à Deo, quo pacto petitio Christi non esset meriti infiniti valoris simpliciter, quia esset assignabile aliquod præmium, quod illi non debeteretur, & ad quod non se extenderet. Sed contra negatur minor, quia negatio resuscitationis Lazari ad preces Patris assumentis humanitatem potest dupliciter considerari, primò secundùm se præcisè, & secundò supposita oratione Patris humanati, & petentis negationem resuscitationis Lazari. Priori modo considerata resuscitatio Lazari cadit sub condignitate meritorum Christi: posteriori modo spectata, & supposita oratione Patris postulantis negationem resuscitationis Lazari, redditur incompossibilis hypothesis per locum intrinsecum, quatenus petitio Christi à postulatione Patris cessaret, esse condigna, qui aut mereretur de condigno resuscitationem Lazari, deberet Christi oratio esse major valore orationis Patris, ut impediret ejus efficaciam circa negationem resuscitationis Lazari, & eo ipso, quòd esset major, nun posset præsupponi in se infiniti valoris simpliciter, quia unum infinitum non est majus alio, nec potest, si semel infinitum sit, ullum subire incrementum, consequenter per locum intrinsecum cessaret operatio Christi esse infiniti valoris, consequenter modus iste argumentandi per factam hypothesin non est utilis, quia inde sequitur manifesta contradictio, quæ ex modo argumentandi per

ſemper major dignitate, & ſanctitate, quàm perſonalitas Patris præſtaret humanitati; quia perſona Verbi in ſe ipſa eſt ſemper dignior humanitate ab ipſa dignificata, conſequenter valor unius operationis Chriſti in ratione præmii ſemper excedit incarnationem Patris, proinde per hanc valor operationis Chriſti non exhaurietur, & permaneret ſimpliciter infinitus. Verùm hæc ſolutio videtur pati aliquam difficultatem, quia non eſt ratio, cur in valorando meritum perſona Chriſti non cadat ab eo gradu dignitatis, quæ illi in ſe convenit per eſſentiam: & perſona Patris debeat à tali gradu cadere in ſanctificando, & dignificando humanitatem, non alia ratione, niſi quia dignitas humanitati præſtita à perſona increata, non adæquat ejus dignitatem in ſe, niſi quia præſtatur humanitati, quatenus illi unita, & eſt infinita, non per eſſentiam, ſed per communicationem: perſona verò increata in ſe ipſa eſt per eſſentiam infinita: ſed etiam valor operationum Chriſti à Verbo præſtatur, quatenus iisdem unito, & talis valor eſt infinitus, non per eſſentiam, ſed per communicationem, conſequenter non adæquat dignitatem Verbi in ſe ipſo, ergo exæquari, & exhauriri poterit ab incarnatione Patris, & præmio. Alii reſpondent, incarnationem Patris fore quidem in ratione præmii infinitam, non ita tamen ſicut valor meritorius operationum Chriſti, qui propterea non exhaurietur ab incarnatione Patris, quia hæc in præmium daretur: ſiquidem valor operationum Chriſti eſt in genere meriti tantus, quanta eſt perfectio Verbi in ſe ipſo, ac eſt in linea meriti valor ſimpliciter infinitus, eò quia majus meritum dari non poteſt, quia perſonæ divinæ in ſe ipſis ut ſubſiſtentes in Deitate non ſunt capaces merendi, & tantùm perſona divina in ſe poſſet valorem meritorium ejusdem, ut ſubſiſtentis in humanitate excedere: ſed dignitas præſtita humanitati à Verbo eſt in genere honoris, & juris ad beatitudinem, in quo genere non eſt infinita ſimpliciter, quia datur alia dignitas major illa ſcilicet, quæ divinis competit perſonis, ratione divinitatis: ſiquidem perſonæ divinæ in ſe ipſis, quamvis incapaces ſint meriti, non tamen ſunt incapaces juris ad honorem, & ideo dignitas humanitati præſtita à perſona Patris, ſi illam aſſumeret, non eſſet ita infinita, ſicut eſt infinitus valor operationum Chriſti, qui propterea non exhaurietur ab incarnatione Patris ut præmio, ita reſpondent ad argumentum plures cum Cipullo *quæſt. 19. art. 3. dub. 8. n. 19.* quæ tamen ſolutio non plenè ſatisfacit, quia quamvis meritum Chriſti ſit in ratione meriti infinitum ſimpliciter, eò quia majus in ratione meriti dari non poſſit, cùm Deus in ſe ipſo non ſit capax merendi, & humanitas à perſona Patris incarnati non redderetur ſancta infinitè in ratione ſanctitatis per eſſentiam, ſed tantùm in ratione ſanctitatis per communicationem, exinde tamen non colligitur ſanctitatem, & dignitatem à perſona Patris præſtitam humanitati non eſſe ita æſtimabilem, ac opus meritorium Chriſti, unde ex data differentia non rectè colligitur, incarnationem Patris in ratione præmii non adæquare valorem meritorium unius operationis Chriſti, cum adæquatio præmii cum merito penſanda ſit penes æſtimabilitatem, conſequenter ſi æſtimabilitas incarnationis Patris tanta eſſet, quanta eſt æſtimabilitas unius operationis Chriſti, hæc adæquaretur in ratione præmii cum illa in ratione meriti. Antecedens oſtenditur, quia operatio Chriſti quamvis dicenda ſit in ratione meriti abſolutè infinita; & humanitas in ratione ſanctitatis ſolum infinita cum addito, ſcilicet in ratione ſanctitatis communicatæ, id ex eo provenit, quia Deus in ſe ipſo non eſt capax merendi, bene tamen ſanctitatis: ſed ex hoc nulla dignitas accreſcit operi meritorio à Chriſto Domino elicito, neque in aliquo dignitas ſanctificationis humanitatis decreſcit, vel minuitur, ut per ſe eſt manifeſtum: tanta enim eſt modo ſanctitas humanitatis, quanta eſſet in hypotheſi, qua Deus capax ſanctitatis in ſe ipſo non eſſet, unde ex dato diſcrimine non videtur ſequi æſtimabilitatem incarnationis Patris, in ratione præmii non fore adæquandam cum æſtimabilitate operationum Chriſti in ratione meriti. Tum quia infinitas meriti Chriſti, quamvis in ratione valoris meritorii ſit ſimpliciter talis, non tamen eſt infinitas per eſſentiam, ſed tantum per communicationem, ſed talis etiam eſſet ſanctitas humanitatis à perſona Patris ei danda, eſſet enim etiam ipſa talis per communicationem: unde infinitas meriti Chriſti in ratione valoris meritorii adæquaretur in ratione meriti à ſanctitate, quam Pater communicaret humanitati in ratione præmii. Reſpondetur igitur exactiùs in eo caſu, quo Pater aſſumeret carnem intuitu alicujus operationis meritoriæ Chriſti exhauriendam fore talis operis condignitatem, ob rationem aſſignatam, negamus tamen, id obſtare ejus infinito valori, non enim exigit infinitas valoris meritorii exhauriri à præmio, quod eſt infinitum ſimpliciter, ſed tantùm exigit, ut finito præmio quantumcunque multiplicato nunquam poſſit exhauriri. Sicut enim de ratione potentiæ infinitæ non eſt, quòd non exhauriatur per productionem termini infiniti, ut liquet in potentia generativa Patris divini ad intra; quæ infinita eſt per eſſentiam, & tamen per generationem unius filii exhauritur, cùm æquè filius ſit infinitus, ac Pater. Igitur in caſu noſtro quamvis valor unius operationis Chriſti adæquatè exhauriretur, per incarnationem Patris ei reſpondentem in præmium, illius infinitati tamen non obſtet: quia incarnatio Patris non eſt minus infinita in ratione præmii, quàm ſit infinita Chriſti operatio in ratione meriti.

Objicies tertiò, quia quælibet operatio Chriſti potuit habere majorem valorem ſatisfactorium, quàm de facto habuit: ſed eo ipſo, quòd potuit ejus valor eſſe major, non fuit talis valor infinitus ſimpliciter, quia non datur infinitum majus alio, ergo valor ſatisfactorius Chriſti non fuit infinitus. Major oſtenditur, quia nulla eſt aſſignabilis Chriſti operatio, quæ non potuerit creſcere in objecto, ut ſi illud habuiſſet præſtantius, aut ex circumſtantiis, ſi talis operatio fuiſſet elicita cum majore intenſione, continuatione, duratione. Sed contradiſtinguitur major, quælibet operatio Chriſti potuit habere majorem valorem ſatisfactorium, quàm de facto habuit, extenſive conceditur; intenſivè negatur; quia quælibet Chriſti operatio ſatisfactoria ratione perſonæ operantis habet valorem infinitum, proinde licèt creſcat ex parte objecti, & aliarum circumſtantiarum, non tamen augetur intenſivè, ſed tantùm extenſivè, quamvis infinito, ex qua parte eſt infinitum, nequeat fieri additio, quâ majus conſtituatur; bene tamen poteſt incrementum ſubire, ex qua parte non eſt infinitum: & quia quælibet operatio ſatisfactoria Chriſti fuit infinita ſecundum intenſionem; ideo ex hac parte non potuit intenſivè eſſe capax incrementi; neque fieri major: ſecus quia Chriſti operationes ſatisfactoriæ non fuerunt infinitæ quoad numerum, valor ſatisfactorius ex hac parte potuit major eſſe, ſi operationes ſatisfactoriæ fuiſſent plures numerò, quàm fuerint: potuiſſet enim Chriſtus plures alios actus elicere, quos de facto non elicuit; & potuit etiam eos cum majori intenſione, & conatu elicere, & diutius in iisdem perſeverare: ex quo tantùm ſequitur, quod valor ſatisfactorius

opera-

operationum humanitatis Christi potuit major esse extensivè, non intensivè; adeo ut unaquæque Christi operatio fuerit ex se seorsim ab alia infinita intensive: sicut si daretur una linea producta, in infinitum semper perseveraret infinita; quamvis plures aliæ producerentur lineæ infinitæ, quia cum essent distinctæ, una non adderet, neque minueret quidquam alteri; sed tantùm essent plures lineæ æquè infinitæ; perinde omnes, & singulæ operationes satisfactoriæ humanitatis Christi fuerunt infinitæ; absque eo, quod una alteri quidquam addiderit, vel detraxerit: & sicut lineæ in data hypothesi essent plures infinitæ extensivè; ita & Christi operationes satisfactoriæ sunt infinitæ, & plures extensivè. Instabis, valor desumptus ex circumstantia personæ operantis non continet formaliter, neque eminenter valorem desumptum ex objecto, & aliis circumstantiis: ergo valor desumptus ex circumstantia personæ operantis per additionem valoris ex objecto, & aliis circumstantiis fit major intensivè; adeo ut, licèt ratione personæ operantis sit Christi operatio satisfactoria valoris infiniti, adhuc additur huic infinito valori alius valor desumptus ex objecto, & aliis circumstantiis: consequenter crescit non solùm extensivè ratione numeri; sed etiam intensivè. Quòd valor desumptus ex persona operante non contineat alium valorem desumptum ex objecto, & aliis circumstantiis formaliter, liquet; quia sicut circumstantiæ distinguuntur, ita & valores, qui ex iisdem desumuntur: imò neque eminenter, quia valor desumptus ex persona operante non habet rationem causæ respectu valoris, qui desumitur ex circumstantia objecti, Consequentia est evidens; quia omnis magnitudo, vel quantitas, sive molis, sive virtutis crescit per additionem novæ quantitatis, non solùm extensivè ratione numeri; sed etiam intensivè, quando quantitas, quæ additur nullo pacto, continebatur in præexistente. Si per impossibile Deus nullo pacto contineret creaturas, majorem perfectionem intensivè includeret complexum ex Deo, & creaturis simul, quàm solus Deus, quamvis hic esset infinitus: ergo, valor desumptus ex circumstantia personæ operantis non est simpliciter infinitus, quia in ratione valoris potest incrementum subire. Sed contra, negatur antecedens, & ad ejus probationem respondetur, valorem ex circumstantia personæ divinæ continere eminenter eminentia non causalitatis, sed æquivalentiæ valorem ex objecto, ut paulo superiùs explicuimus, & etiam ex aliis circumstantiis desumptum; non enim ut valor desumptus ex objecto, & aliis circumstantiis contineatur in valore desumpto ex persona operante est necesse, quod contineatur in isto eminenter eminentia causalitatis; sed sufficit sola eminentia æquivalentiæ, quia tunc potest eundem effectum formalem præstare, quem præstat valor desumptus ex objecto, & aliis circumstantiis seclusa limitatione, & defectu: perinde ac anima rationalis dicitur continere eminenter perfectiones animæ vegetantis, & sentientis, non quia sit utriusque animæ causa efficiens, sed quia dat materiæ esse vegetativum, & sensitivum, seu præstat eosdem effectus. Perinde valor desumptus ex persona infinita operante dicitur continere eminenter valorem desumptum ex objecto, & aliis circumstantiis, non quia sit causa efficiens illius; sed quia illi æquivaleat in ordine ad totum effectum valoris satisfactorii, quatenus constituit opus condignum ac proportionatum in ordine ad totam mercedem, quæ posset correspondere valori desumpto ex objecto, & aliis circumstantiis; & suo modo est causa ejusdem mercedis per modum valoris, & pretii oblati pro illa. Quia cum persona Verbi sit simpliciter infinita in omni genere, & contineat omne bonum, à quo posset actus humanus desumere aliquam bonitatem; ideo dat actui satisfactorio Christi provenienti à supposito divino valorem simpliciter infinitum: in hoc sensu valor desumptus ex persona operante dicitur continere eminenter eminentia æquivalentiæ omnes valores desumptos ex objecto, & aliis circumstantiis. Hinc eatenus multiplicatio actus meritorii finiti auget valorem intensivè, adeo ut duo actus finiti meritorii habeant majorem valorem, & crescant intensivè, quia unus actus non continetur in alio continentia eminentialis æquivalentiæ, proinde sunt capaces augmenti: secus quia valor desumptus ex persona infinita operante est valor simpliciter infinitus, quia continet eminenter eminentia æquivalentiæ omnes alios valores, quos opus satisfactorium posset desumere ex objecto, & aliis circumstantiis.

Objicies quartò, de ratione meriti infiniti valoris simpliciter est, quod non sit præmium assignabile, ad quod illius condignitas non extendatur, adeo ut ex vi condignitatis sit illi debitum omne præmium excogitabile, alioquin si esset præmium assignabile, quod non esset illi debitum, non esset infiniti valoris simpliciter, ac dari posset alius valor major, cui tale præmium esset debitum; quia præmium in ratione præmii præsupponit meritum sibi correspondens: sed est possibile præmium, ad quod non extendatur, nec possit extendi condignitas meriti operationum Christi: ergo merita Christi non sunt valoris simpliciter infiniti. Major & consequentia non patiuntur difficultatem: Minor evincitur in hac hypothesi, quà non solum Filius, sed etiam Pater naturam assumeret humanam: in hac hypothesi operationes utriusque humanitatis assumptæ essent meriti infiniti valoris simpliciter, quia procederent à persona divina, à qua infinitè dignificarentur; sed si ponamus, Patrem indutum humanitate petere à Deo, ne Lazarus resuscitetur, quem Filius humanatus, seu Christus petit resuscitari, in hoc casu non resuscitatio, seu negatio resuscitationis Lazari non caderet sub condignitate petitionis Patris humanati, alioquin mereretur de condigno, petitionem Christi non exaudiri à Deo, quo pacto petitio Christi non esset meriti infiniti valoris simpliciter, quia esset assignabile aliquod præmium, quod illi non deberetur, & ad quod non se extenderet. Sed contra negatur minor, quia negatio resuscitationis Lazari ad preces Patris assumentis humanitatem potest dupliciter considerari, primò secundùm se præcisè, & secundò supposita oratione Patris humanati, & petentis negationem resuscitationis Lazari. Priori modo considerata resuscitatio Lazari cadit sub condignitate meritorum Christi: posteriori modo spectata, & supposita oratione Patris postulantis negationem resuscitationis Lazari, redditur incompossibilis hypothesis per locum intrinsecum, quatenus petitio Christi à postulatione Patris cessaret, esse condigna, qui aut mereretur de condigno resuscitationem Lazari, deberet Christi oratio esse major valore orationis Patris, ut impediret ejus efficaciam circa negationem resuscitationis Lazari, & eo ipso, quòd esset major, non posset præsupponi in se infiniti valoris simpliciter, quia unum infinitum non est majus alio, nec potest, si semel infinitum fit, ullum subire incrementum, consequenter per locum intrinsecum cessaret operatio Christi esse infiniti valoris, consequenter modus iste argumentandi per factam hypothesin non est utilis, quia inde sequitur manifesta contradictio, quæ ex modo argumentandi

per

per hujusmodi hypotheses potest dupliciter sequi formaliter, seu per locum intrinsecum, & materialiter per locum extrinsecum: & formaliter sequitur contradictio, quando in hypothesi, quæ fit una pars, destruit aliam secundùm suum esse formale, adeo ut subjectum propositionis secundum proprium esse formale destruatur per id, quod additur, & dici etiam solet suppositio de subjecto non constanti, quia non manet, quo pacto petitio Christi de Lazaro resuscitando, cùm procedat à persona divina, à qua infinitè dignificatur, est infiniti valoris simpliciter, & meretur Lazari resuscitationem, & in hypothesi data, si Pater etiam assumeret humanitatem, & Deum rogaret, ne Lazarus resuscitaretur, quia hæc petitio etiam procederet à divina persona, à qua dignificaretur, etiam ipsa esset valoris meritorii infiniti simpliciter: & quia non datur ullum infinitum majus alio, inde sequeretur, quod petitio Christi de Lazaro resuscitando non posset superare petitionem Patris, consequenter non posset obtinere in sensu composito cum petitione Patris ipsam resuscitationem Lazari, quo pacto cessaret, per locum intrinsecum esse infiniti valoris simpliciter, quia non posset obtinere terminum suæ petitionis, seu Lazari resuscitationem. Tum quia tametsi personæ divinæ distinguantur in ratione personæ, non ita in ratione voluntatis, adeo ut utriusque personæ sit una ac eadem voluntas, & quia petitio est actus voluntatis desideratis, & volentis, quod petitur, inde sequeretur, quod eadem voluntas vellet simul, & non vellet resuscitationem Lazari, quod est luculenta contradictio. Neque obstat, si dicas, in Christo præter voluntatem divinam identificatam cum persona dari etiam voluntatem humanam, ac esse distinctam à voluntate humana, quæ inesset in data hypothesi Patri incarnato, & petenti negationem resuscitationis Lazari, respondetur, utramque voluntatem humanitatis plenè conformari divinæ voluntati, proinde semper sequeretur eadem contradictio per locum intrinsecum: quapropter petitio Christi desiderantis resuscitationem Lazari, tametsi sit infiniti valoris simpliciter, & mereatur Lazari resuscitationem ex hypothesi, quòd Pater etiam incarnaretur, & peteret negationem resuscitationis Lazari, quia hæc petitio, ut procedens à persona divina æterni Patris esset infiniti valoris simpliciter, non posset superari à petitione Christi, quæ propterea per locum intrinsecum cessaret à sua infinitate simpliciter, quia ei non inesset vis obtinendi omne præmium, seu resuscitationem Lazari, posse enim mereri omne præmium, & de facto illud mereri, est prædicatum intrinsecum radicatum in operatione Christi petentis resuscitationem Lazari: & hoc prædicatum cessaret, si Pater æternus assumens naturam humanam peteret totum oppositum, seu negotionem resuscitationis Lazari. Dices, posset Deus in data hypothesi non exaudire petitionem Patris incarnati nolentis resuscitationem Lazari, in quo casu talis negatio non caderet sub condignitate meritorum Christi. Contra est, quia in data hypothesi, quòd Deus nollet exaudire petitionem Patris, Petitio Christi persisteret in suo valore intrinsecè simpliciter infinito, & mereretur omne præmium possibile, quia Pater cum assumpta humanitate ei non opponeretur.

Objicies quintò, tametsi objectum infinitum possit, quantum est ex se, actui ipsum attingenti communicare infinitam perfectionem, adhuc si principium *quo* elicitivum talis actus sit finitum, & limitatum, limitat influxum objecti, & impedit, ne objectum communicet actui suam infinitatem, ergo tametsi persona infinita satisfaciens possit, quantum est ex se, dare infinitum valorem actui satisfactorio, si tamen operetur mediante principio *quo* finito impeditur ab eodem principio *quo*, ne communicet actui valorem infinitum, sed principium *quo* in operationibus meritoriis Christi est finitum, & limitatum, siquidem est ipsa humanitas cum suis potentiis, quæ tametsi communita donis gratiæ semper est aliquid finitum, & limitatum: consequenter quamvis persona refundens valorem sit infinita, adhuc ejus influxus limitatur per principium *quo* finitum: ergo quamvis operationes satisfactoriæ Christi proveniant à persona infinita, ut à principio *quod*, adhuc sunt finiti valoris. Præterea quia eatenus objectum quantumvis infinitum limitatur à principio finito, quia finito modo tendit in ipsum: sed etiam actus proveniens à persona infinitè operante, ut à principio *quod* etiam limitatur à principio *quo* finito, siquidem egreditur ab eo finito modo, consequenter semper est valoris finiti. Contra tamen est, respondent enim communiter Theologi, dignitatem personæ satisfacientis plus influere in opera satisfactoria, quàm objectum, consequenter ex eo, quod objectum limitetur à principio *quo*, non sequitur etiam personam satisfacientem limitari: probant antecedens, quia obsequium exhibitum à Rege æstimatur regium, ratione personæ operantis; non ita obsequium exhibitum regi à rustico censetur regium, tametsi ejus objectum sit regium, seu sit ipse Rex: ex quo inferunt, personam satisfacientem plus valoris influere in actus satisfactorios, ratione dignitatis, quàm influat ipsum objectum, concursus enim personæ est uberior, & refundit suam dignitatem in ipsas operationes, quæ à persona eas eliciente denominantur: hinc operationes Christi à Sanctis Patribus vocantur theandricæ, seu Dei viriles, eò quia procedant à complexo, quod est Deus & homo: nihilominus operationes, quæ feruntur in Christum ut objectum, & eliciuntur à pura creatura, non sunt theandricæ, neque divinæ denominantur: quapropter ex objecto ad personam satisfacientem non ducitur efficax argumentum, unde ex eo, quod objectum infinitum non det actui à se specificato infinitam perfectionem, eò quia limitetur ejus influxus objectivos à principio *quo* finito, & limitato non valet inferri personam operantem infinitam non dare operibus à se elicitis infinitam dignitatem, tametsi ab illa egrediantur mediante principio finito, & limitato. Verùm hæc responsio licèt vera sit, & solvat allati argumenti difficultatem, adhuc videtur indigere majori explicatione, quia non videtur adæquatè explicare, quòd principium *quo* limitatum eliciens operationem limitet concursum objecti infiniti, & non influxum personæ infinitæ: unde ad pleniorem solutionem difficultatis assignandum est discrimen, quod intercedit inter objectum, & personam infinitam operantem; & est, quia objectum non dat se ipso per modum formæ perfectionem, & dignitatem à se specificato; sed tantùm concurrit specificativè ad illam sumendam effectivè à principio operante, ac elicitivo actus, quapropter si principium eliciens limitatum fuerit, non potest objectum communicare actui dignitatem infinitam: ratio à priori est assignatu facilis, quia quævis dignitas specificativè derivata ab objecto debet præcontineri effectivè in principio *quo* elicitivo, unde si principium *quo* limitatum fuerit, non potest objectum, quantumvis infinitum, infinitatem refundere in actum ad se terminatum. Secus valor desumptus à persona operante ab eadem procedit, ut à forma: & quia principium *quo* elicitu-

elicitivum non influit in talem formam, nec illam effectivè præcontinet, sequitur evidenter principium *quo* elicitivum non influere effectivè in valorem personalem desumptum à tali forma, sed tantùm ad illum concurrere antecedenter causando scilicet entitatem actûs valorandi.

Sed instabis non minus est sufficiens limitatio entitatis actus valorandi ad limitandum influxum formalem formæ, quàm sit limitatio principii *quo* elicitivi ad limitandum influxum specificativum objecti, ergo si principium *quo* elicitivum finitum, & limitatum limitat entitatem actus valorandi, ita etiam principium *quo* finitum limitat influxum formalem personæ: quia non possumus aliunde inferre, quòd principium *quo* effectivum limitet influxum moralem objecti, nisi quia in physicis experimur ita contingere: sed limitatio entitatis actus valorandi in physicis limitat influxum formalem physicum formæ, adeo ut in subjecto finitæ capacitatis non possit recipi forma physica infinita: quia subjectum non potest quidquam recipere ultra suam capacitatem, & hac ratione docent communiter gratiam habitualem receptam physicè in anima Christi infinitam non esse, eò quia capacitas in anima Christi finita sit: ergo limitatio physicæ entitatis actus valorandi impedit, ne persona valorans, tametsi infinita sit, infinitum communicet valorem actui limitato per principium *quo* elicitivum. Sed contra negatur major, & ad ejus probationem respondetur esse discrimen inter genus physicum, & morale, consequenter non valere argumentum ex physicis per formalem consequentiam ad moralia quia quòd in genere physico est subjectum, in genere moris est forma: & ratio, ob quam limitatio objecti à principio in genere physico se extendat ad genus moris, non ita limitatio formæ à subjecto non est eadem: quamvis verum sit in utroque genere ad limitationem objecti, à principio limitari actum terminatum ad objectum, eò quia principium *quo* elicitivum præcontineat effectivè actum, limitat concursum objecti, quod in utroque genere physico & morali est verum: sed limitatio formæ in genere moris non ita limitatur à subjecto finito: quia ratio quæ probat formam physicam limitari à subjecto, est, quia educitur ex ejus potentia, quia intrinsecè recipitur in tali subjecto: & quia receptum non potest excedere capacitatem recipientis, fit, quòd forma physicè infinita non possit recipi in subjecto finito: secus quia forma moralis est physicè extrinseca subjecto denominato, sequitur potiùs conditionem formæ extrinsecæ. Quæ si fuerit infinita, ab eodem subjecto non limitatur, quia forma purè extrinseca non limitatur à subjecto in quo physicè non recipitur, neque educitur ab ejus potentia; sed tantùm moraliter est intrinsecè in actu; quo pacto dicimus operationes satisfactorias Christi esse tantùm intrinsecè infinitas in genere moris, non verò physicè. Sed urgebis operationes Christi erant finitæ in genere entis, ergo etiam in genere moris, seu meriti & satisfactionis. Antecedens liquet quia fuerunt entitates creatæ elicitæ à potentiis humanitatis Christi, quæ finitæ erant, & limitatæ. Consequentia etiam probatur, quia valor operis est modus entitatis ipsius; & repugnat modum excedere entitatem, quam modificat. Contra est, negatur consequentia, quia tametsi entitas actus sit in genere physico finita; potest tamen in genere moris affici forma infinita, à qua desumat in genere moris infinitum valorem intrinsecè, quia sive valor satisfactorius intrinsecus sit, sive extrinsecus non commensuratur entitati ipsius actus præcisè sumpti, sed commensuratur actui, ut procedenti à persona operante, quæ si infinita fuerit dignificat infinitè ipsam operationem, in quam refundit valorem infinitum: ergo, cum modus adæquatus commensuretur entitati actus ut emanentes à persona infinita, non excedit objectum, quod modificat; quia actio Christi elicita à supposito divino, ut à principio *quod* includit infinitatē ipsius suppositi. Quòd valor meriti non oriatur adæquatè ex sola ipsa entitate operationis præcisa à respectu ad operantem, est probatu facilè: quia idem actus omnino invariatus quoad substantiam potis est in genere moris transire ex non meritorio ad meritorium ex sola extrinseca variatione circumstantiæ: actus enim attritionis peccatoris resipiscentis, & accedentis ad sacramentum pœnitentiæ, quamvis ante absolutionem non habeat valorem meriti, attamen per ipsam absolutionem incipit habere valorem ex sola mutatione circumstantiæ personæ transeuntis à statu peccati ad statum gratiæ, cui actus contritionis adnectitur.

Objicies secundò persona increata Verbi tametsi infinita sit, non tamen dat humanitati assumptæ ut infinitè subsistat, eò quia humanitas sit finita, etenim eadem ratione, neque divina essentia ut unita mentibus beatorum per modum speciei, vel formæ unitur iisdem modo infinito, eo quia intellectus finitus non sit capax formæ infinitæ: ergo tametsi subsistentia Verbi sit infinita non tamen dat subsistere infinitè humanitati, cui hypostaticè unitur: ergo à pari quamvis persona operans ut principium *quod* operationes satisfactorias Christi sit infinita, quia tamen non unitur physicè, & intrinsecè iisdem operationibus, quæ finitæ sunt, & limitatæ, non potest iisdem communicare valorem infinitum: ergo operationes satisfactoriæ Christi non fuerunt infinitæ quoad valorem intrinsecum, sed ad summum denominatione extrinseca desumpta à principio *quod* talium operationum. Sed contra est enim dispar ratio de subsistentia Verbi quia eatenus unita humanitati non dat eidem infinitè subsistere, quia subsistentia Verbi unitur humanitati supplendo vices subsistentiæ creatæ propriæ humanitatis, quam continet eminenter proinde non constituit illam tam perfectè subsistentem, ac redderet subsistentem naturam angelicam si Verbum divinum illam assumeret: quia cùm divina subsistentia contineat eminenter utramque subsistentiam humanam, & angelicam, & per hypostaticam unionem, cum naturæ creatæ tantùm suppleat vices subsistentiæ propriæ talis naturæ; cui hypostaticè unitur, ideo si verbum assumeret naturam angelicam supplendo vices subsistentiæ angelicæ, eam perfectiori modo redderet subsistentē, quàm reddat subsistentem humanam, quam de facto assumpsit: quia subsistentia naturæ angelicæ cujus vices gereret subsistentia Verbi est perfectior, quàm subsistentia naturæ humanæ, ex quo sequitur, quod tametsi natura humana subsistat per subsistentiam infinitam non tamen subsistat infinitè per subsistentiam infinitam. Divina etiam essentia unita per modum speciei vices gerit objecti determinantis ex parte principii, & quia non dat intellectus virtutem: sed illam supponit, fit quod debeat commensurari cum eadem virtute principii proximi, quæ cùm finita sit in intellectu creato; sequitur non posse essentiam divinam ut speciem constituere intellectum potentem infinitè videre divinam essentiam: sed

hæc ratio non militat de persona Verbi, ut valorante operationes humanitatis Christi, quia illas non valorat supplendo vices valoris finiti, nec iisdem unitur ut principium non ponens, sed supponens virtutem, ut divina essentia unitur per modum speciei cum intellectu creato. Sed unitur operationibus, quas valorat, ut forma adæquata dignificans, & valorans in ordine ad satisfaciendum: ex quo fit, quòd non limitetur ex limitatione physica actuum, quia persona Verbi unitur ut forma actibus meritoriis modo infinito moraliter, consequenter entitas limitata eorundem actuum non limitat influxum moralem personæ operantis.

Ex dictis constat Christi operationes non solùm fuisse infinitæ dignitatis, sed etiam meriti infiniti simpliciter, ut ostenditur ex Clementi VI. In Extravag. *Unigenitus de pœnitentiis, & remissionibus*, ubi Pontifex vocat merita Christi absolutè infinita, ac proinde non sit timendum ut thesaurus Ecclesiæ possit exhauriri, verba enim Pontificis sumenda sunt in sensu formali, proinde Christi operationes non solùm in ratione dignitatis, & valoris, sed etiam in ratione meriti fuerunt simpliciter infinitæ. Tum quia semel quòd fuerint infiniti valoris, & infinitæ condignitatis, fuerunt etiam infinitæ ratione meriti, quia per valorem, & condignitatem meritum constituitur in ratione condigni, consequenter si fuerunt operationes Christi infinitæ dignitatis & valoris, fuerunt etiam in ratione meriti infinitæ, quia ratio condigni est differentia contractiva meriti, quod dividitur in condignum, & congruum, consequenter meritum infinitum in ratione condigni est infinitum in ratione meriti. Neque urget, si dicas meritum esse abstractum concreti merentis, proinde non dicere solum valorem, & condignitatem, sed insuper applicationem & directionem ad præmium, & jus actuale ad illud supra applicationem, & valorem fundatum; unde quamvis valor operationum Christi fuerit infinitus, applicatio tamen ad præmium non fuit infinita, quia non fuit ex intentione Christi ad præmium infinitum applicata, nec jus actuale ad præmium fuit infinitum, quia operationes Christi non fundarunt jus ad infinitum præmium, consequenter, quamvis fuerunt infiniti valoris, non tamen fuerunt infiniti meriti. Nam contra est, quia merito Christi Domini correspondet præmium infinitum; unde quamvis requiratur ad meritum infinitum jus ad infinitum præmium, non ideo operationes Christi non fuerunt infiniti meriti. antecedens liquet, quia primium operationum Christi fuit remissio peccati mortalis, quæ in ratione præmii est infinita, unde merito Christi respondet præmium infinitum, siquidem tanti æstimatur remissio peccati lethalis, quanti odio habetur offensa, sed offensa noxæ lethalis cùm sit infinita simpliciter in ratione offensæ, eò quia sit offensa DEI infiniti odio habetur infinitè, consequenter ejus remissio infinitè æstimatur, & est in ratione præmii infinita. Præterea non videtur, quomodo ad rationem meriti infiniti sit necessarium jus ad infinitum præmium, quòd illi de facto respondet: unde licèt operationes Christi non dedissent Christo jus ad infinitum præmium adhuc fuerunt infiniti meriti, antecedens probatur, quia sicut meritum dicit jus ad præmium, ita sanctitas importat jus ad gloriam per modum hæreditatis: sed ut sanctitas sit infinita in ratione sanctitatis non est necesse, quod detur jus actuale ad hæreditatem actu infinitam; quia humanitas Christi fuit infinitè sancta per gratiam substantialem unionis, & nihilominus non habuit jus actuale ad hæreditatem actu infinitam, cum nec beatitudo essentialis, nec accidentalis in Christo fuerint de facto infinitæ, unde ad meritum actu infinitum non videtur necessarium jus ad præmium actu infinitum. Præterea quia ad meritum infinitum in ratione meriti sufficit jus infinitum: sed infinitas juris esse potest sine præmio actu infinito: ergo ad meritum actu infinitum in ratione meriti, non requiritur jus ad præmium actu infinitum. Minor ostenditur, quia stat infinitas juris hæreditarii absque actuali hæreditatis infinitudine, ut liquet in humanitate Christi cui ratione gratiæ substantialis convenit jus hæreditarium infinitum, alioquin ratione illius non esset infinitè sancta, & tamen hæreditas data humanitati Christi non fuit actu infinita, cum anima Christi finita fuerit, ergo potest stare infinitas juris meritorii absque infinitudine præmii actualis.



LIBER SEPTIMUS

DE

Summo Pontifice militantis in terris Ecclesiæ.

CAPUT I.

De Pontifice veteris legis.

TRes ab orbe condito solent hominum distingui status, quorum primus fuit naturæ ab Adamo usque ad Moysem, secundus fuit status legis Mosaicæ à Moyse usque ad Christum; tertius est præsens status legis Evangelicæ à Christo usque ad finem mundi. in primo statu naturæ omnes primogeniti erant sacerdotes, & divino cultui specialiter addicti, & qui in reges ungebantur si primogeniti fuissent, erant pariter Sacerdos fueritque propterea in iisdem regale sacerdotium. In secundo statu legis Mosaicæ tametsi voluerit DEUS omnes primogenitos sibi sanctificari Exod. 22. v. 2. nihilominus in eorum vices ex duodecim tribubus Israel sibi delegit tribum Levi, quam voluit divinis obseqoiis specialiter mancipatam Num. 3. v. 12. *Ego tuli Levitas à filiis Israel pro omni primogenito in filiis Israel, eruntque Levitæ mei.* & cap 8. v. 6. *Tolle Levitas de medio filiorum Israel, & purificabis eos* & nonnullis interjectis additur *Statuæ Levitas in conspectu Aaron, & filiorum ejus & consecrabis oblatos, ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei: & postea ingrediantur tabernaculum fœderis ut serviant mihi*: & rursus ait Deus *Tuli Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel, ut serviant mihi in tabernaculo, & orent pro eis, ne sit in populo plaga.* In hac tribu divino cultui specialiter mancipata alii erant simplices Levitæ, alii sacerdotes, ex quibus unus constituebatur qui esset summus Pontifex. Quamvis omnes qui erant ex tribu Levi Levitæ vocarentur, seu filii Levi; nihilominus ex usu scripturæ distinguebantur Levitæ à sacerdotibus, & summo Pontifice quia inferiores quoad dignitatem & munia obeunda. Sacerdotes enim victimas, & sacrificia Deo offerebant, & inter sacerdotes qui erat primus vocabatur summus Pontifex, & hic erat semper de familia Aaronis, qui fuit primus summus Pontifex à Deo constitutus, & à Moyse consecratus cum jure successionis, quia Filii Moysis non erant sacerdotes, nec Pontifex, sed implices Levitæ, quorum officium erat inservire sacerdotibus 1. Paralip. 23. 14. Aaroni successit Eleazar ejus filius; & Phinees, cui propter Zelum divini honoris spopondit Deus sempiternum Pontificatum Num. 25. 13. *Erit tam ipsi quàm semini ejus pactum sacerdoti sempiternum, quia Zelatus est pro DEO suo, & expiavit scelus filiorum Israel* & 1. Machab. 2. 54. *Phinees pater noster zelando zelum DEI accepit testamentum sacerdotii æternum.* Sed si primogenitus ex familia Aaronis ex Dei ordinatione succedebat Patri in pontificatu; & sic ei debebatur Pontificatus jure successionis, cur Deus Phineæ, & semini ejus promisit pontificatum sempiternum. Respondetur jus successionis in eo situm fuisse, ut filius primogenitus succederet Patri, si viveret. Sin autem, patre adhuc vivente, moreretur primo genitus tunc secundogenitus in locum primi demortui subrogaretur; proinde primogenitus vivente adhuc patre nunquam erat certus se successurum in pontificatu, quia si moreretur superstite patre secundogenitus succedebat in pontificatu. Unde Deus ut eum certum redderet quod non moreretur superstite adhuc Patre Eleazaro, promisit ei pontificatum, ac suis posteris. Sed quomodo hæc promissio fuit impleta, si constat Heli, & plures alios Pontifices fuisse, qui tamen non fuerunt ex semine Phineæ; sed ex familia Ithamar? Sed respondetur Dei promissionem fuisse adimpletam quatenus jus succedendi in pontificatu fuit semper in Posteris Eleazari & Phineæ, quamvis usus fuerit aliquando in aliis ex familia Ithamar; unde de jure Posteri Phineæ fuerunt semper successores in pontificatu, & Heli ac alii non de jure sed de facto fuerunt Pontifices. Alii respondent promissionem à Deo factam Phineæ non fuisse absolutam, sed conditionatam; proinde tamdiu tantùm duravit, quamdiu fuit servata conditio, quæ fuit, si ritè ac bene fungerentur officio Pontificio, quòd si secus facerent, privarentur tali jure, & quia non servarunt conditionem, fuerunt spoliati jure succedendi in pontificatu. Alii respondent jus succedendi mansisse quidem semper in posteris Phineæ; sed usum fuisse promissum non absolutè, sed conditionatè si bene fungerentur suo munere, & quia non servârunt conditionem spoliati fuerunt non jure, sed usu, quem acquisiverunt filii Ithamar. Posteri igitur Phineæ in pœnam negligentiæ in cultu divino, & peccati fuerunt spoliati usu pontificiæ dignitatis, qui transivit in posteros Ithamar, & permansit usque ad tempora Salomonis, qui ejecit Abiathar, & promovit ad Pontificatum Sadoc. Heli igitur primus fuit de familia Ithamar, qui usum habuit pontificatus, & habuit duos filios sacerdotes Ophni & Phinees 1. Reg. 1. 3. qui decesserunt superstite adhuc Patre, adeout neuter potuerit in pontificatu succedere Patri. Ophni nullum reliquit filium, bene tamen Phinees duos habuit Achitob & Ichabod qui fuit posthumus, & Achitob successit in usu Pontificatus Heli avo. & Achitobo Achias ejus filius, deinde Abimelech filius Achitob, & frater Achiæ 1. Reg. 14. 13. hic David fugienti dedit panes propositionis, & gladium Goliad, ob quam causam, à Saule occisus fuit cum aliis sacerdotibus, successit Abimelecho Abiathar filius

Abimelech, qui evasit è Saulis persecutione, & fugit ad Davidem, & perseveravit in usu Pontificatus usque ad tempora Salomonis 3. Reg. 2. 27. post Abiatherem iterum posteri Eleazari, & Phinees fuerunt restituti usui Pontificatûs. Salomon enim expulit ab usu Pontificiæ dignitatis Abiatherem ob conspirationem factam cum Adonia, & in Pontificem subrogavit Sadoc & posteri Eleazari & Phinees continuarunt in usu Pontificatus usque ad captivitatem Babylonicam. Sub initium captivitatis cum Saraias Pontifex ductus fuisset in captivitatem Babylonis successit illi in Pontificatu Phassur filius Emmer qui Jeremiam Prophetam vinxit in carcerem Jerem. 20. 1. An fuerit legitimus Pontifex, plures meritò dubitant. Post captivitatem Babylonicam primus Pontifex fuit Josue filius Josedec, & continuavit successio Pontificum usque ad Joannem Hyrcanum filium Simonis, Machab. 16. 24. reliqui Pontifices qui successerunt usque ad tempora Christi, & Apostolorum petendi sunt ex Josepho Hebræo, aliisque historiis profanis, quia Scriptura sacra illorum non meminit: tantùm ex Evangelio constat, Annam & Caipham fuisse Pontifices tempore Passionis Christi. Illud tamen notatu dignum, quod in hac Pontificum serie, hæc lex erat generalis ex Dei ordinatione ut nullus Pontifex nisi per mortem posset sua privari dignitate; neque Pontifice adhuc superstite potuisse alium subrogari. Hæc autem lex tunc tantùm servata non fuit quando Principes sæculares se rebus immiscuerunt Ecclesiasticis; ut tempore Salomonis, qui privavit Abiatherem Pontificatu, cui subrogavit Sadocum. Sub Antiocho Rege cujus imperio Onias expulsus fuit è Pontificatu, & successivè substituti fuerunt Jason, & Menelaus, qui & ipsi tali fuerunt postea dignitate spoliati. Sub Herode, qui rebus se immiscens Ecclesiasticis, promovit, ac amovit, quoscunque voluit, regia abusus potestate.

Pontifices veteris legis quamvis jure successionis Pontificia potirentur dignitate, non tamen officiis fungebantur Pontificis nisi prius consecrarentur. Ritus quo Pontifices, & Sacerdotes consecrarentur habetur Exod. 28. 1. & Levit. 8. per totum ut & ritus consecrandi Levitas Numer. 8. 6. & sequent. ubi habetur. *Levitæ purificati sunt, & laverunt vestimenta sua. Elevavit eos Aaron in conspectu Domini, & oravit pro eis, ut purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum fœderis coram Aaron, & filiis ejus:* Tria hoc in ritu considerantur scilicet purificatio Levitarum. Consecratio, applicatio ad usum ministerii. Purificabantur Levitæ ante consecrationem quatuor modis, aspersione aquæ lustralis, vel rasione pilorum totius corporis, vel lotione vestimentorum, vel oblatione Sacrificii pro peccato. Aqua lustrationis, seu expiationis dicebatur cui cineres vaccæ rufæ infusi erant; & hac lustrationis aqua mundabantur, qui contraxerant aliquam immunditiam legalem, sive ex contactu cadaveris, sive aliunde, ut habetur Numer. 19. omnes siquidem immundi legali immunditia arcebantur ab ingressu in tabernaculum, nisi prius hac lustrationis aqua mundatus esset. Rasio pilorum per singula corporis membra; & vestimentorum lotio non solùm adhibebatur in consecratione Levitarum; verùm etiam in expiatione laborantium lepra. Levit. 14. non tamen eodem modo, quia leprosi radebant pilos capitis, barbæ, superciliorum & totius corporis, ne quid superesset, quo lepræ foveretur immunditiès; imò præter rasionem pilorum, lavabant etiam vestes omnes ne lepræ occultarentur reliquiæ. Levitæ per illam extremam purgationem monebantur etiam interius oportere ab omni labe peccati mundatos esse ut sancta, nonnisi sanctè agerent. Peracta Levitarum purificatione sequebatur eorundem consecratio, quæ in eo sita erat, ut Aaron eos acciperet à filiis Israel loco primogenitorum, & Deo offerret in ministerium tabernaculi; ut ritè, ac sanctè suo fungerentur officio, cùm nonnisi purificati introducerentur in tabernaculum ad sua obeunda officia. Ritus consecrandi Sacerdotes, & Pontificem habetur Exodi 28. 1. & Levit. 8. per totum; eodem enim ritu consecratus fuit Aaron in Pontificem à Moyse, & filii ejus initiati Sacerdotes. In hoc ritu tria sunt notatu digna scilicet purificatio Pontificis, & Sacerdotum. Consecratio & applicatio ad usum ministerii. Purificatio fiebat lotione corporis, & oblatione sacrificii pro peccato. Consecratio fiebat tali pacto. Post lotionem totius corporis Pontifex ornatu Pontificiali, & Sacerdotes sacerdotali induebantur. Pontifex ungebatur oleo unctionis in capite, Sacerdotes verò in extremo auriculæ dextræ; & in pollice manus, ac pedes dextri tingebantur sanguine arietis, & oleo unctionis aspergebantur. Tandem plura frustula panum in canistro, & ex ariete immolato dabatur ipsis in manus, ut ea levarent coram Domino: & hoc signo non solùm dabatur ipsis potestas sacrificandi, sed simul etiam applicabantur ad usum ministerii, quod in sacrificando præsertim consistebat. Utque illustrior esset solemnitas hujus consecrationis, triplex in ipsa sacrificium offerebatur; nimirum vitulus in hostiam pro peccato. Aries in holocaustum, à quo detractis extis super aram imponebatur, ut totus cremaretur; erat enim holocaustum quo victima integra comburebatur; & tandem alius aries in hostiam pacificam: & series actionis procedebat hoc pacto. Aaron, & filii ejus qui erant consecrandi, publicè coram populo adducebantur ad tabernaculum, ubi aquâ munda, & pura lavabantur; dein Aaron ornatum induebat Pontificialem, & sub ejus Caput fundebatur chrisma, seu oleum unctionis. Filii itidem Aaron induebantur vestibus Sacerdotalibus absque tamen fusu olei unctionis super eorum caput: postea adducebantur ad ostium tabernaculi vitulus, & duo arietes: & offerebantur panes azimi in canistro; cum aliis nonnullis ad eundem usum pertinentibus. Postea fiebat primum sacrificium, quod erat immolatio vituli pro peccato: Aaron, & filii ejus Sacerdotes imponebant manus super caput vituli, qui mactabatur, dein pars ejus sanguinis ponebatur super cornua Altaris, & pars altera fundebatur ad ejus basim; totus adeps, qui operit intestina, & reticulum jecoris & duo renes cum suo adipe incendebantur super Altare. Demum, carnes, corium, & fimus comburebantur foris extra castra. Secundum inde sequebatur sacrificium, quod erat immolatio unius arietis in holocaustum; fiebatque tali pacto; impositis super caput arietis manibus mactabatur, & ejus sanguis fundebatur circum altare & supra; carnes secabantur in partes; intestina lavabantur; & jam lota cum pedibus ponebantur super caput, & alias partes, quæ omnia incendebantur super altare. Demum immolabatur alter aries in hostiam pacificam. Moyses sumebat de sanguine ejus, & oliniebat extremum auriculæ dextræ Aaronis, & filiorum ejus; itemque pollicem manus, ac pedis dextri, dein spargebat sanguinem super Altare per circuitum, & sumebat de sanguine, qui erat super altare, & de oleo unctionis, & aspergebat Aaronem, & filios ejus, ac eorum vestes. Postea sumebat adipem, caudam, pinguedinem, quæ operit intestina, reticulum jecoris, duos renes cum adipe eorum, armum dextrum, portionem panis, scutulam oleatam, & laganum, & tradebat Aaroni, & filiis ejus, ut levaret coram Domino. Demum iterum suscipiebat omnia de manibus

bus eorum, & incendebat super altare in holocaustum.

Si quæras quanto tempore perficerentur hæc sacrificia adhibita in consecratione summi Pontificis. Respondetur, primam consecrationem, quâ Aaron in Pontificem, & filii ejus in Sacerdotes consecrarentur, durasse per septem dies, idque ex Dei mandato ut legitur Exodi 29. 3. & Levit. 8. 33. An verò per singulos septem dies fuerit tota actio consecrationis repetita, adeo ut fuerint septem consecrationes respondentes septem diebus: an verò una ac eadem consecratio fuerit producta ad septem dies: plures censent verum hoc secundum; adeo ut primo die Aaron, & ejus filii fuerint loti, ac purificati; secundo die sacro habitu ornati; tertio die uncti, & aspersi, & sicdeinceps ut tota consecratio absolveretur spatio septem dierum; & die septimo imponeretur finis toti consecrationi. Alii verò probabilius censent, totam consecrationem integrè absolutam fuisse spatio unius diei, & postea eamdem repetitam per sex alios subsequentes dies; adeo ut Aarôn, & filii ejus septies fuerint loti aqua, septies induti sacris vestibus, septies uncti, tincti, aspersi, & septies tria sacrificia Deo oblata; & ita sentiunt Josephus Hebræus, Lyranus, & plures alii: & id inferunt ex verbis illis Exod. 29. 4. *Septem diebus consecrabis manus eorum, & vitulum pro peccato offeres per singulos dies ad expiandum*: ubi illa particula *per singulos dies* significat singulis diebus fuisse repetitam integram consecrationem Aaronis, & filiorum ejus; an verò omnes ceremoniæ fuerint singulis diebus repetitæ, vel tantùm aliquæ; censent etiam aliqui probabile nonnisi aliquas fuisse aliis diebus repetitas ceremonias; eò quia verosimilius sit Aaronem, & filios ejus nonnisi primo die fuisse lotos aqua; quia cùm fuerint jam purificati, nulla aderat ratio quâ deberent iterum purificari, præsertim cùm intra id tempus consecrationis caverint ab omni macula contrahenda. Idem potest asseri de aspersione ac effusione olei super caput Aaronis: utraque sententia intra limites solius probabilitatis continetur. An verò consecratio successorum in Pontificatu Aaronis duraverit per septem dies. Respondetur debuisse ita fieri. Ratio est, quia ritus ille cum omnibus suis circumstantiis fuit ex divino præc. pro generali Exod. 28. Levit. 8. per totum. Exod. 29. & Levit. 8. v. 34. habetur: *Septem enim diebus finitur consecratio. Die ac nocte manebitis in tabernaculo.* Et Exod. 29. 29. *Vestem autem sanctam, quâ utetur Aaron habebunt filii ejus post eum, ut ungantur in ea, & consecrentur manus eorum, septem diebus utetur illâ, qui Pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis ejus; & qui ingreditur tabernaculum testimonii, ut ministret in sanctuario.*

Voluit Deus consecrationem Pontificis, & Sacerdotum fieri pluribus istis cæremoniis, ac ritu solemniori etiam quoad durationem temporis, ut inde populus agnosceret quantæ sit præstantiæ, ac eminentiæ dignitas Pontificalis, & Sacerdotalis, quæ in majori haberetur veneratione, ac plurimi æstimaretur: & ne ullus auderet tanto munere fungi, nec officium obire Pontificis, nec Sacerdotis, nisi prius speciatim fuerit à Deo electus, vocatusque tanquam Aaron, & publico ac solemni ritu coram populo ad hunc finem consecratus: adeo ut gravissimè puniti fuerint qui ausi sunt aliter agere; ut fuerunt Chore, Jeroboam, & Ozia qui Summum Sacerdotium voluerunt sibi usurpare à Deo non electi. Terra enim aperto hiatu Chore vivum deglutivit Num. 16. Jeroboam manum statim exaruit, 3. Reg. 13. & lepra Oziam infecit, deturpavit, corrupit 2. Paral. 26. Secundò ut Pontifices, & Sacerdotes hoc solemni ritu consecrati meminerint proprii officii sanctè exercendi, seque virtutum omnium culturæ addictos esse, ac teneri sanctè vivere, ut exemplo fortius, quàm voce populum edocerent piè vivere, ac modum Deo placendi, & ut ipsi Pontifices, & Sacerdotes in adversitatibus tolerandis fortes essent. Hæc adversa fuerunt in veteri testamento experti Aaron *Numer.* 16. Zacharias 2. *Paral.* 23. Azarias 2. *Paral.* 26. & in novo Testamento Apostoli, quibus prædixerat Magister Christus Matth. 10. 16. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Joan. 16. 2. *Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Quas persecutiones, ærumnas, adversitates passus fuerit D. Paulus recenset ipse 2. Corinth. 11. 23. scribens: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci.* Cùm igitur homines ecclesiasticis dignitatibus insigniti tot sint persecutionibus, & adversitatibus expositi, ut has inconcussa pectoris firmitate, & animi infracta fortitudine tolerarent, necessum fuit, ut in virtutibus præsertim patientiæ, & fortitudinis exercerentur, ac divinâ gratiâ munirentur, ne succumberent oneri; accederent adversitatibus, quod in veteri Testamento factum fuit per solemnes ritus, ac cæremonias, quibus Sacerdotes, & Pontifices ex Dei mandato consecrabantur, inde enim exploratum illis erat, se à Deo speciatim electos fuisse ad munia illa Ecclesiastica ritè, & sanctè obeunda, & omnia adversa toleranda, quæ tali officio adnexa essent; præsertim cùm scirent, quidquid adversitatis ratione vocationis, & dignitatis, quidquid molesti contingeret, nonnisi in bonum exitum ex Dei ordinatione cessurum. Præterea voluit Deus solemnes hos ritus in consecratione Pontificis, & Sacerdotum institui, ut populus inde fructum aliquem perciperet ex tali solemnitate, nimirum, ut ex publica consecratione suos cognoscerent Pastores, quibus ipsorum salus concredita erat; & ut addiscerent quantum honorem, ac reverentiam ob officii sanctitatem illis præstare oporteret, & ut populus, qui solemni ritui intererat, sciret quanti sit æstimanda, & in honore habenda dignitas Pontificia. Quòd si in veteri Testamento nemo fuit in Pontificem assumptus, nisi, qui à Deo designatus, & electus fuerit, ac solemni ritu consecratus, ut meminit Apostolus ad Hebræ. 5. v. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* In novo itidem Testamento nemo ad summam Pontificiam dignitatem promovetur nisi instinctu Spiritûs Sancti electus fuerit, & solemni ritu consecretur, ut à populo, qualis sit eorum supremus Pastor dignosci possit, cui obsequatur, atqui hæc omnia negliguntur in Sectis Lutheranorum, & Calvinistarum, quia non quem Deus elegerit, sed qui ex turba, & populo voluerit, dummodo loqui sciat, ad munus obeundum Ecclesiasticorum assumitur nulla habita ratione ad studia virtutum, & culturam castitatis, cùm eorum Ministri ut plurimum sint uxorati, & cùm filios procreent, tota cura eorum est non in promovenda populorum salute; sed procuranda filiorum commoditate, & ob id toti sunt in congregandis divitiis, ne iisdem quidquam desit. Præterea quia in veteri Testamento tunc res censebatur majoris momenti apud Deum, quando pluribus solemnioribus ac sanctioribus ritibus, & cæremoniis agebatur: hinc quia pluris à Deo fit consecratio Sacerdotum, quàm Regum, plures, & solemniores fuerunt ritus instituti in Sacerdotibus consecrandis, quàm Regibus ungendis.

An verò omnes ritus, & cæremoniæ fuerint sem-

semper adhibitæ in consecratione cujusvis Pontificis, certum est ex præcitatis Scripturis fuisse in consecratione Aaronis adhibitas, & Moysem in consecratione Aaronis fratris in Pontificem illas exactè exercuisse, adeo, ut fuerit in illa consecratione loci ornatus, unctio in capite, tinctio, aspersio, trinum sacrificium, & solemnitas septem dierum: quæ omnia non videntur fuisse adhibita in consecratione Eleazari, qui proximè successit Aaroni Parenti: siquidem Numer. 20. v. 25. habetur: *Tolle Aaron & filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor, cumque nudaveris Patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium ejus, Aaron colligetur, & morietur ibi. Fecit Moyses, ut præceperat Dominus, & ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine. Cumque Aaron spoliasset vestibus suis induit eis Eleazarum filium ejus. Illo mortuo in montis supercilio descendit cum Eleazaro.* Et quia Scriptura ibi non meminit lotionis, unctionis, rinctionis, aspersionis, nec ullius sacrificii, nec solemnitatis dierum septem, videtur inferendum Eleazarum non alio ritu fuisse à Moyse consecratum, nisi quia induerit vestes Patris sui Aaronis, & ascenderit in montem Hor, ubi cùm induisset vestem Pontificiam Aaronis Patris, illico descendit de monte. Hinc censent plures Eleazarum in fastigio montis Hor ex Dei speciali voluntate, ac dispensatione factum fuisse Pontificem absque solemni ritu consecrationis per solam assumptionem vestis Pontificiæ. Alii censent ritum illum consecrationis verè adhibitum fuisse, non tamen in monte Hor, eò quia tabernaculum ibi non fuerat delatum, cùm mansisset in planitie inferiori, ac in medio castrorum: cumque Eleazarus descendisset de monte Pontificali veste indutus, & ad tabernaculum venisset, ibi censent præscriptas omnes cæremonias, & ritus in consecratione Pontificis adhibendas exercuisse: alii volunt non statim post descensum è monte Hor, sed post expugnatos Reges Amorrhæorum, & occupatas eorum terras. Imò putant alii, Eleazarum distulisse cæremonias, & ritus consecrationis post trajectum Jordanem, & adventum in terram promissionis. Alii opinantur non fuisse necesse adhibere totam solemnitatem, sed solam unctionem, & ornatum Pontificialem, eò quia censeant Eleazarum jam antea solemni ritu fuisse consecratum Sacerdotem, consequenter adhibuisse omnes cæremonias communes Sacerdotibus, & Pontifici, unde in monte Hor tantùm debuit adhiberi illas duas, seu unctionem in capite, & assumptionem vestis Pontificiæ, reliquas omnes jam adhibuerat, cùm fuit in Sacerdotem consecratus: quod in monte Hor assumpserit ornamenta Pontificalia Patris Aaron Scriptura expressè asserit: & quamvis unctionis capitis non meminerit, valde probabile est, fuisse hunc ritum etiam adhibitum. Verùm ex divino præcepto videtur necessum fuisse, ut nemo assumeretur ad Pontificatum nisi per septem dies maneret in tabernaculo indutus vestibus Pontificiis. Rursus ut ungeretur oleo unctionis in capite, & ut pollex dextræ manus, ac pedis, ut etiam extremum auriculæ dextræ tingeretur sanguine immolati arietis: hæ tres cæremoniæ habentur expressè in Scripturis *Exodi* 39. v. 29. unde probabilius sententia est, saltem has cæremonias fuisse etiam adhibitas in consecratione Eleazari in Pontificem.

Quod verò ad officium pertinet Pontificis veteris legis multiplex hoc fuit: siquidem Pontifex plura exercebat officia communia cum aliis Sacerdotibus, & plura quæ propria erant solius Pontificis. Communia numerantur decem scilicet offerre victimas, seu sacrificia super altare holocausti, hæc enim oblatio *Levit.* 1. v. 2. & 3. fiebat æque à Pontifice, ac Sacerdotibus. Secundum commune officium erat in eodem altari ad usum Sacrificiorum servare & nutrire perpetuum ignem, subjiciendo illi alternis vicibus ligna, quibus semper aleretur ut habetur *Levit.* 6. 12. Tertium bis quotidie manè, & vesperè adolere incensum super Altare Thymiamatis *Exod.* 20. 1. Siquidem aderant duo altaria unum holocausti in quo victimæ, seu sacrificia offerebantur, & alterum thymiamatis, in quo aromata suavissimi odoris cremabantur: & hoc aureum fuit, cùm illud nonnisi æreum. Quartum bis singulis diebus affuso oleo olivarum concinare lucernas, quæ erant in candelabro aureo juxta altare thymiamatis, ne unquam illis deesset pabulum, ex cujus defectu dormitarent, ac extinguerentur *Exodi* 25. 37 & *Levit.* 24. Quintum singulis Sabbathis duodecim panes calidos ponere supra mensam propositionis, & veteres absumere, seu comedere *Exod.* 25. v. 23. & *Levit.* 24. v. 5. Sextum immolare vaccam rufam extra castra *Numer.* 19 v. 3. Septimum adjurare mulieres in casu Zelotypiæ *Num.* 5. v. 21. Octavum discernere inter lepram, & lepram, seu judicare *Levit.* 13. Nonum expiare, seu mundare leprosos, puerperas, menstruosas, & semifluos *Levit.* 12. & *sequent.* Decimum tandem legem Dei interpretari, & alios docere *Malach.* 2. v. 7. hæc decem officia æquè exercebant Pontifex, & Sacerdotes. Quæ autem propria erant solius summi Pontificis quatuor recensentur, quorum primum est, nonnisi semel singulis annis intrare in sanctuarium. Secundum consecrare Levitas, & Sacerdotes, tertium in controversiis legalibus suscipere appellationes, & ultimam ferre sententiam cui omnes sub pœna capitis acquiescere tenebantur. Quartum in rebus incertis, ac dubiis, quæque majoris essent momenti, Deum consulere. Ad primum Pontificis officium quod attinet, erat que semel in anno, seu in solemni die expiationis, ac propitiationis introire in sanctuarium, & instituere publicam expiationem totius Israelis ab omnibus peccatis & immunditiis toto cursu illius anni contractis. Juvat observare duplicem fuisse in veteri lege expiationem, privatam unam, qua leprosi, vel puerperæ, & alii, qui immunditiam aliquam legalem contraxerant, expiare consueverant; & alteram publicam, & universalem, qua tota multitudo, seu Ecclesia Israelitarum purificabatur: illa fiebat sæpe in anno, hæc verò nonnisi semel: illa à quovis Sacerdote potuit fieri posterior à summo Pontifice tantùm; illa extra sanctuarium, hæc nonnisi in sanctuario exercebatur, & quidem hoc pacto totus populus eo die ut festo jubebatur cessare ab omni opere servili, & abstinere ab omnibus esculentis, & poculentis usque ad noctem. Rursus Pontifex lavabat se aqua pura, & nitida, postea induebat vestes Pontificiales, & antequam institueret publicam expiationem, tres areas præmittebat, quæ tamen publicè subserviebant, una sui ipsius, & familiæ suæ, & fiebat per oblationem vituli pro peccato, & arietis in holocaustum: alteram tabernaculi sanctuarii per nebulam aromatum accensorum, & per septennium etiam aspersionem sanguinis ex vitulo, & hirco immolatis, tertiam altaris thymiamatis per solam sanguinis aspersionem, quibus absolutis sequebatur expiatio publica in qua Pontifex, qui ab initio sortem miserat super duos hircos, ut eorum alter immolaretur pro peccato, & alter vivus dimitteretur, ut propria gauderet libertate in campis desertis. Posita igitur utraque manu super caput hirci, in quem sors ceciderat, confitebatur omnes iniquitates & peccata filiorum Israel, quæ capiti adstantis hirci imprecabatur, & postea dimittebatur per desertum quasi sectum deferens peccata totius populi. Idque causæ cur

caper

eaper emissarius etiam diceretur, hæc omnia habentur, *Levit. cap. 16.* Aliud officium Pontificis fuerat consecrare Levitas, & Sacerdotes cum illis cæremoniis, quæ notantur *Exodi 29. Levit. 8. v. 8.* & hoc Pontificis officium designabatur per unctionem capitis, quia sicut oleum unctionis, seu sacrum chrisma, quod effundebatur in caput Pontificis, defluebat inde ad alia membra juxta Psal. 192. *sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron,* ut exponit D. Thomas 1. 2. *quæst. 102. art. 5. ad 8.* perinde potestas offerendi sacrificia, & ministrandi in tabernaculo à Pontifice per legitimam consecrationem descendebat ad Sacerdotes, & Levitas veluti in membra inferiora. In hoc autem oleo unctionis explicanda sunt duo compositio, & usus: illa habetur *Exodi 30. v. 22.* ubi dicitur: *Locutus est Dominus ad Moysem dicens: sume tibi aromata prima myrrha, & electa quingentos siclos, & cinamomi medium, id est, ducentos quinquaginta siclos, calami similiter ducentos quinquaginta, cassia autem quingentos siclos in pondere sanctuarii, olei de olivetis mensuram Hin. faciesque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii.* Postea describitur usus, & modus adhibendi hanc unctionem olei sancti, &c. subditur v. 26. *Et unges ex eo tabernaculum testimonii, & arcam testamenti, mensamque cum vasis suis, candelabrum, & utensilia ejus, altaria thymiamatis, & holocausti, & universam supellectilem, qua ad cultum eorum pertinet sanctificabisque omnia, & erunt sancta sanctorum, qui tetigerit ea, sanctificabitur. Aaron & filios ejus unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi, filiis quoque Israel dices: hoc oleum unctionis sanctum erit mihi in generationes vestras. Caro hominis non ungetur ex eo, & juxta compositionem ejus non facietis aliud, quia sanctificatum est, & sanctum erit vobis.* Ex quibus constat non fuisse licitum uti hoc oleo unctionis, nisi ad ungendum Pontificem, sacerdotes, & tabernaculum, & ea quæ erant in tabernaculo, adeò ut Pontifex ungeretur in capite, non ita sacerdotes. Et res alias vel personas non potuisse hoc oleo ungi, nec ipsos Reges. Tertium officium proprium Pontificis erat in controversiis legis recipere appellationes, & ultimam ferre sententiam, cui tenerentur litigantes acquiescere sub pœna capitis, ut narrat Josephus Hebræus lib. 2. contra Apionem inquiens: *Pontifex ante alios sacerdotes Deo sacrificat, leges custodit, controversias dijudicat, convictos delicti punit: cui qui non obedit, is pœnam luit, tanquam in Deum impius.* Hoc idem infertur ex Deuter. 17. v. 12. *Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, morietur homo ille, & auferet malum de Israel.* Observatu dignum est, duas fuisse controversias legales in populo, aliæ enim propriè pertinebant ad sacerdotes ut controversiæ de lepra: & aliæ ad Magistratum Politicum, ut controversiæ de sanguine, ut habetur *Deuter. 27. v. 8.* Ambæ controversiæ dicuntur legales, eò quia ex lege non bene intellecta oriebantur, priores ex lege cæremoniali, posteriores ex judiciali 2. *Paral. 19. v. 10.* Secundò quia per latam sententiam Judicis veluti per veram legis interpretationem erant lites dirimendæ. Hinc in singulis civitatibus constituebantur inferiores Judices, ad quos ex officio pertineret has controversias dirimere. Deuter. 16. v. 18. *Judices, & Magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, & judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent;* & ex his judicibus constitutis in civitatibus, alii erant sacerdotes, qui judicarent de controversiis cæremonialibus ut de lepra; alii laici, qui de judicialibus, & de sanguine sententiam dicerent; quòd si Judices inferiores non possent inter se convenire, nec controversias ad se delatas ob difficultates dirimere, tunc appellatio fiebat Jerosolymas, ubi tanquam supremus Judex præsidebat Pontifex, cujus sententiæ litigantes tenebantur acquiescere sub pœna capitis, ut habetur Deuter. 17. v. 8. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam; lepram, & lepram, & judicium intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venietque ad sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem*, & postea additur: *Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, morietur homo ille:* seu qui noluerit obedire summo Sacerdoti, seu Pontifici, qui aliis sacerdotibus in judicio præsideret, ut habetur, 2. Paral. 19. v. 11. *Amasias autem Sacerdos, & Pontifex vester in his, qua ad Deum pertinent, præsidebit:* quæmobrem duplex fuit in Veteri Lege tribunal, supremum unum, alterum inferius; illud tantùm fuit in Jerusalem, & inferius in singulis civitatibus; in illo judicabantur difficiliores controversiæ, in isto faciliores; in illo præsidebat Pontifex, in isto minor sacerdos; & ab hoc licitum erat appellare ad supremum, non verò ab hoc ad inferius. In illo assistebant septuaginta Doctores præter Pontificem, in isto tantùm viginti tres: illud vocabatur Sanedrin, seu Concilium Seniorum, non ita aliud: utrumque Concilium suam à Moyse originem traxit, supremum tamen Concilium institutum fuit ex mandato Dei, & describitur *Exodi 18. v. 13.* Inferius verò institutum fuit ex Concilio Jethrom. Quia verò utrumque Concilium progressu temporis negligi incepit, ut collapsum videretur, & non amplius in usu, restauratum postea fuit à Josaphat Rege Juda, ut habetur 2. *Paral. 19. v. 4. & sequent. Habitavit ergo Josaphat in Jerusalem, rursumque egressus est ad populum de Bersabea usque ad montem Ephraim, & revocavit eos ad Dominum DEUM Patrum suorum. Constituitque Judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca: & præcipiens Judicibus, Videte ait, quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: & quodcunque judicaveritis in vos, redundabit,* & hæc intelliguntur de Conciliis inferioribus, quibus præsidebant Sacerdotes. De supremo tribunali, in quo Pontifex præsideret: *In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Israel, ut judicium, & causam Domini judicarent habitatoribus ejus, præcepitque eis dicens: Sic agitis in timore Domini fideliter, & corde perfecte, omnem causam, quæ venerit ad vos Patrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis inter cognationem, & cognationem ubicunque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus, ostendite eis, ut non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos, & super Patres vestros. Amasias autem Sacerdos & Pontifex vester in his, qua ad Deum pertinent, præsidebit;* ex quibus constat Pontificem præsedisse supremo tribunali, ac fuisse caput totius Concilii Seniorum. Hinc in deserto solus Moyses, qui erat Pontifex extraordinarius judicavit omnes controversias, quotquot insurrexerunt in populo, & quia onus ob causarum multitudinem gravius fiebat, additi fuerunt ei tribuni, Centuriones, Quinquagenarii, & Decani, qui minores causas judicarent, & majores ad illum remitterent. Demum ad majus etiam levamen septuaginta Seniores electi fuerunt illi assistentes in causis gravioribus.

Mor-

Mortuo postea Moyse, cùm filii Israël venissent in terram promissionis, duplex tribunal, ac judicium institutum fuit, unum Hierosolymis pro causis gravioribus, ac difficilioribus, & aliud in singulis civitatibus pro levioribus, ac minoris momenti.

Quartum tandem officium Pontificis fuit in rebus gerendis, ac dirigendis, quæ majoris momenti essent Deum consulere, & ab eo responsum accipere, quod officium à præcedente distinguitur, quia in illo Pontifex interpretabatur legem, & ex ejus interpretatione lites, & controversiæ legales dirimebantur: hoc verò quarto officio Pontifex sciscitabatur à Deo, an hoc vel illud negotium suscipiendum esset, unde in veteri testamento, si dubitatio aliqua majoris momenti circa res gerendas oriretur, recursus fiebat ad Pontificem, qui consulebat Deum, & accepto ab eo responso alios docebat, quid essent facturi, hinc in hoc officio duæ erant obligationes: una eorum, qui volebant rem aliquam gravioris momenti, ac majoris ponderis aggredi: nam isti tenebantur accedere Pontificem, & ab eo consilium petere: alia obligatio sa tenebat ex parte Pontificis, qui tenebatur rem illam Deo proponere, eumque consulere, ac fusis precibus rogare, ut vellet ei significare, quid agendum esset ad majorem ejus cultum, & utraque obligatio infertur ex illo Numer. 27. v. 18. *Dixit Dominus ad Moysem: tolle Josue filium Nun virum, in quo est spiritus, & pone manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel: pro hoc si quid agendum erit Eleazar Sacerdos consulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur, & ingredietur ipse, & omnes filii Israel cum eo, & cætera multitudo.* Ubi injunxit Deus Josuë, ut nulli indiceret bellum, neque progrederetur cum exercitu, neque rem aliam magni momenti aggrederetur, nisi priùs consuleret Eleazarum Pontificem, ex cujus sola directione ageret in dubiis circa res magni momenti, & Eleazar nullum daret responsum, nisi per fusas preces, quid agendum esset, à Deo peteret. Imò non solùm Josuë verùm etiam alii Principes, & Reges, qui dein fuerunt in Israel, ad hoc idem tenebantur ut in negotiis magni momenti, ac dubii exitus Pontificem consulerent, ex cujus arbitrio penderet operatio, vel ejus omissio; nec aliter Reges, & Principes agerent, vel omitterent nisi juxta Pontificis consilium; & cum iis semper actum est bene, & juxta vota res suum sortitæ fuerunt exitum; qui dependenter à Pontificis consilio operati sunt, vel nec aggredi omiserunt; & cum aliis malè qui neglexerunt Pontificis consilium. David cum intellexisset insidias sibi parari à Saule consuluit Abiatharem Pontificem, & per eum quæsivit à Deo, num tutus posset in urbe Ceila immorari, & num cives Ceilitæ essent eum tradituri Sauli persequenti 1. Reg. 23. v. 9. Rursus David anceps hærens num deberet Amalecitas bello aggredi, eo quia expilârunt, & flammis tradiderunt urbem Siceleg, voluit prius Pontificem consulere, quatenus à Deo per fusas preces sciscitaret, quid in hoc dubio agendum esset 1. Reg. 3. 6. quod consueverit David in rebus magni momenti Pontificem consulere, liquet ex 1. Reg. 27. 15. ubi Achimelech Pontifex accusatur apud Saulem, quia Davidi adhæret, & pro eo Deum consuluisset; respondit Sauli: *Numquid hodie cœpi pro eo consulere Deum?* quasi ante id tempus pluries id præstiterit. Secus Principes illi & Reges, qui inconsulto Pontifice ausi sunt res aggredi magni momenti, habuêre exitus infelices. Etenim Josuë & alii Principes in populo Israëlitico decepti fuerunt à Gabaonitis, eo quia fœdus cum iisdem facti essent non consulto prius per preces Pontificis Deo. Josuë 9. 14. Rursus Saul victoriâ elatus suisque confisus viribus, cum inconsulto per Pontificem Deo vellet aggredi Philisthæos, monitus à Pontifice suo, ne id faceret; & cum postea Deum consuluisset nullum accepit responsum, & non potuit victoria uti, prout sibi mente præfixerat 1. Reg. 14. 36. Tandem filii Israël pugnaturi cum Benjamitis; consuluerunt quidem Deum per Pontificem; sed quia magis confidebant propriis viribus, quàm Dei oraculo plures fuerunt ex iisdem cæsi, & fugati. Ad modum quod attinet consulendi DEUM ac sciscitandi quid agendum, & quid omittendum esset non unus, ac idem in omnibus fuit Pontificibus, Moyses consueverat ingredi tabernaculum fœderis, & facie ad faciem cum Deo loqui Exod. 35. v. 11. Alii Pontifices, qui postea secuti sunt, induti Ephod loquebantur cum Deo non quidem facie ad faciem, sed aliquo alio peculiari modo, qui tamen à sacris Interpretibus non satis explicatur.

Vestes, quibus Pontifex utebatur, cum suo proprio fungeretur munere, plures fuerunt: etenim cum ad ministrandum accedebat, ante omnia induebat feminalia seu femoralia linea *ad tegendam carnem turpitudinis suæ à renibus usque ad femora*, ut habetur *Exod.* 28. v. 42. erantque hæc femoralia veluti caligæ quædam, quas ut loquitur Josephus Hebræus quasi dimidiatas braccas Pontifex adhibebat. Sunt tamen, qui putent hæc femoralia fuisse contexta ex bysso contorta, verùm Moyses fatetur ea fuisse linea, post femoralia induebat tunicam lineam, quæ Exod. 28. v. 4. dicitur *linea stricta*, & Levit. 8. v. 7. *subucula linea.* Ratio cur diceretur linea stricta fuit, quia ad cutem stringeretur, non enim erat ampla, & laxa, sed quantitati corporis commensurata ne superfluaret, vel forsan verosimilius, quia baltheo stringeretur, seu cingulo interiore inter umbilicum & pectus; de quo ait D. Hieronymus ad Fabiolam. *Hoc cingulum in similitudinem pellis colubri, quæ exuit senectutem, sic in rotundum textum est, ut marsupium longius putes. Textum est autem sub tegmine cocci purpura, hyacintho, & flamine byssino ob decorem & fortitudinem, atque Polymita arte distinctum, ut diversos flores, ut gemmas artificis manu non textas, sed additas arbitreris. Lineam tunicam inter umbilicum, & pectus hoc stringunt baltheo*, eodem pacto describitur hoc cingulum à Josepho Hebræo lib. 3. Antiq. cap. 8. Post baltheum Pontifex induebat tunicam hyacinthinam, quæ erat laxa & oblonga per modum vestis talaris, in cujus fimbria inferiore pendebant alternatim mala punica, & tintinnabula aurea, ut ex eorum sonitu intelligeretur ingressus Pontificis in sanctuarium, & egressus ab illo Exod. 28. 35. dicebantur mala punica, non quia talia essent, sed quia ex hyacintho purpura, & cocco bis tincto confecta erant instar malorum punicorum, quorum & figuram præseferebant Exod. 28. 33. super hanc tunicam hyacinthinam Pontifex induebat Ephod, seu superhumerale, quo tegebat humeros, & anteriorem partem usque ad cingulum: erat hoc superhumerale intextum auro, Hyacintho, purpura cocco bis tincto, & bysso retorta, Exod. 28. v. 6. in utroque latere versus humeros duobus ornabatur lapidibus onychinis auro inclusis, unus fulgebat à dextris, & alter à sinistris, in quibus sculpta erant nomina duodecim filiorum Israël. In parte anteriori superhumeralis ad pectus Pontificis legabatur rationale Judicii, quod Hebræi vocant *Hosen*, seu pectorale, & texebatur ex eadem materia, qua Ephod, scilicet ex auro, hyacintho,

tho, purpura, cocco bis tincto, & bysso retorto. Figura in quadrangulum desinebat Exod. 28. 16. Aitebant in hoc rationali duodecim pretiosi lapides puro inclusi auro, ac per quatuor distincti ordines, in quibus sculpta iisdem erant nomina duodecim filiorum Israel, addebantur catenulæ aureæ, ac fasciæ quibus adeo arctè illigabatur superhumerali, ut non nisi difficulter sejungi posset. Præterea in rationali locatæ erant *doctrina*, *& veritas* Hebraicè *Urim, & Thummim*. In capite deferebat Pontifex Cidarim, seu tiaram, seu mitram quandam ex bysso confectam, quæ affigebatur aurea lamina super fronte Pontificia addita inscriptione *Sanctum Domino* Exod. 28. 36.

Quid verò significaverint hæc recensita Pontificis ornamenta D. Thomas in 1. 2. quæst. 102. art. 5. ad 8. geminam assignat significationem literalem unam, alteram mysticam; per primam asserit significari dispositionem hujus mundi: feminalia linea, & vestis linea significabant elementum terræ; eò quia linum ex terra nascatur, in terra crescat, adolescat; Balteus Oceanum, quo terra cingitur, tunica hyacinthina aërem, qui hyacinthi colorem exhibet; Tintinnabula illius tunicæ tonitrua aëris; Mala punica coruscationes nocturnas aëris; Ephod seu superhumerale, cœlum sydereum; duo Onychini, duo hemisphæria, vel solem & lunam; duodecim gemmæ totidem signa Zodiaci: Cidaris cœlum Empyreum & per laminam auream in cidari voluit designari Deum. Mysticè ait significari per hæc ornamenta virtutes, quibus qui cæteris in spiritualibus præsunt, & præsertim Pontifex debet enitere, in quo sensu femoralia denotabant virtutem castitatis cujus cultura vel maximè Pontificem decet; vestis linea puritatem cordis, & animi; cingulum directionem tunica hyacinthina cœlestem conversationem, tintinnabula auream sanam doctrinam; mala punica bonus mores; superhumerale sufferentiam infirmiorum populi; rationale in pectore cum nominibus filiorum Israel charitatem, & sollicitudinem pro fidelibus; tiara in capite rectam intentionem; lamina aurea in fronte ingenii memoriam, ac recordationem DEI; hæ sunt interpretationes literalis, & Mystica D. Thomæ. Alii hæc eadem ornamenta malunt de Christo interpretari, qui fuit supremus, ac primarius Pontifex, cujus typus fuit Aaron, & ejus successores in lege alteri; fuerunt siquidem in Christo ornamenta omnium virtutum: Christus enim suis humeris portavit binas gemmas seu pretium redemptionis duorum populorum Judæorum, & Gentilium; ille in suo pectore scripta habuit nomina electorum; ille quocunque incessit ex voce prædicationis, & suavissimo virtutum odore facilè dignosci potuit.

Norandum tamen est in lege veteri duplex fuisse Ephod, unum contextum ex auro, purpura, hyacintho, cocco bis tincto, & bysso retorta, alterum simplex, lineum candidum, priori Ephod solus Pontifex utebatur, quando ingrediebatur sancta sanctorum, & consulebat Deum in dubiis, posteriori utebantur etiam Levitæ, sacerdotes, imò & Reges ipsi, siquidem de Samuele, qui tantùm erat Levita, dicitur. 1. Reg. 2. v. 18. *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini puer accinctus Ephod lineo.* Quòd etiam sacerdotes illud adhibuerint, constat ex 1. Reg. 22. v. 18. *Doeg Idumæus irruit in sacerdotes, & trucidavit in die illa octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo.* ubi sacerdotes occisi viventes fuerunt usi Ephod. Quòd etiam Reges fuerint hoc usi constat 2. Reg. 6. v. 14. *David saltabat totis viribus ante Dominum accinctus Ephod lineo.* David autem fuit tantùm Rex, & cum choreas duceret ante Arcam Domini usus est Ephod, simplici tamen, non quale consueverint Pontifices adhibere, ut notant D. Hieronymus *epist. 127. ad Fabiolam*, & *epist. 130. ad Marcellam*. Abulensis *lib. 1. Reg. cap. 22. quæst. 27.* & alii plures. Consueverunt autem Pontifices proprio uti Ephod in consecratione, mortuo enim Pontifice successor, cui subrogabatur solemni ritu debuit consecrari, & cum tunc omnia vestimenta pontificalia induere debuit, & ritus omnes adhibere necesse fuit, ut etiam Ephod assumeret, quoties sanctuarium ingrediebatur, & quando sacrificabat, & deprecabatur pro populo, ac consulebat Deum in rebus dubiis, *Exod. 28.* Tribus modis consueverant in veteri lege Pontifices, & alii Deum consulere in rebus dubiis, & responsa ab ipso accipere scilicet per visiones, & somnia, per sacerdotes, & Prophetas, idque infertur ex 1. Reg. 28. v. 6. *Consuluit Saul Dominum, & respondit illi neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per Prophetas.* Modus consulendi DEUM per sacerdotes sic procedebat: Rex vel Princeps, aut populus si dubitaret, quid de rebus magni ponderis agendum sibi esset, vel omittendum jubebantur Pontificem adire, qui indutus Ephod consuleret pro ipsis Deum: neque semper necesse fuit ut qui per Pontificem DEUM consuleret, debuerit semper præsens esse Pontifici, quamvis sæpius id fieret. Etenim sicut absens poterat agere cum Propheta, ita cum Pontifice. Dubium tamen quod tunc occurrebat immediatè proponebatur Pontifici, & ab hoc DEO: & propositio Pontificis fiebat Deo coram Arca, quando hæc aderat. Quomodo verò consueverit DEUS dare responsa Pontifici sciscitanti non conveniunt Interpretes. plurea censent, responsa dedisse DEUM per Angelum voce humana loquentem: alii per occultam revelationem procedentem à Spiritu Sancto, alii per schedulam, & alii, inter quos Josephus, per quendam splendorem gemmarum, seu lapidum, qui erant in rationali supra pectus Pontificis, si enim lapides, seu gemmæ plus solito splenderent, signum erat feliciter successurum negotium de quo quærebatur; si minus malè successurum; si nec plus, nec minus splenderent, signum erat, tunc Deum nolle respondere, & censent tunc contigisse, quando Saul consuluit Deum pro sacerdote. Modus tamen iste consulendi Deum per Pontificem, & responsa ab ipso accipiendi cessevit progressu temporis, sed quando id contigerit, non conveniunt Interpretes. Abulensis censet, eo tempore cessâsse, quod inter Alexandrum Magnum & Machabæos intercessit. Genebrardus putat cessâsse usum consulendi Deum per Pontificem postquam Joas Rex occidit Zachariam Pontificem. Probabilior tamen sententia est cessâsse hunc usum sub initium captivitatis Babylonicæ, quia tunc cessavit sacrificium, quia cùm Judæi ob patrata peccata privati fuerint sacrificio, & oraculo, quod contigit initio captivitatis Babylonicæ, cessavit tunc adire Pontificem, ut per ipsum consulerent Deum in rebus dubiis, & huc videtur spectare illud Oseæ 3. v. 3. *Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod*, & tempore captivitatis Judæi fuerunt sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, consequenter cessavit in ipsis usus consulendi DEUM in dubiis per Pontificem: cum iste non aliter consuleret Deum nisi indutus Ephod.

CAPUT II.

De Authoritate, & reditibus Pontificis veteris legis.

CErtum est Deum pluribus modis in veteri testamento voluisse Pontifici authoritatem conciliare apud populum. Primò solemni, & publica consecratione coram populo, quæ functio ad septem dies protrahebatur. Secundò unctione sacri olei, quod in nullum usum profanum potuit adhiberi. Tertiò ipso ornatu pontificio, quia gemmarum pretiositate, aurea lamina, aureis tintinabulis, & malis punicis regium quemcunque ornatum longè excedebat. Quartò ingenti copia redituum, quos annuatim accipiebat. Quintò ob frequens colloquium cùm Deo præsertim in rebus dubiis proponendis. Sextò etiam variis miraculis quæ ad promovendam authoritatem Pontificis ad illius intercessionem DEUS faciebat. Etenim in primo sacrificio, quod Aaron obtulit in suo pontificatu ignis de cœlo depluit, qui coram populo holocaustum absumpsit, hoc enim miraculo voluit Deus approbare gratum sibi esse pontificatum Aaronis Levit. 9. v. 24. *Apparuitque gloria Domini omni multitudini: & ecce egressus ignis à Domino devoravit holocaustum, & adipes, qui erant super altare quod cum vidissent turbæ laudaverunt Dominum, ruentes in facies suas.* Aliud miraculum etiam obtigit in seditione Core, Dathan, & Abiram, tunc enim quia tumultuarunt, & conspirârunt contra primatum Moysis, & Aaronis, & populum contra ipsos excitârunt, terra aperuit hiatum, & complices seditionis deglutivit vivos Numer. 16. v. 1. *Ecce autem Core, & Dathan, atque Abiron surrexerunt contra Moysem, aliique filiorum Israel ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, & qui tempore concilii per nomina vocabantur. Cumque stetissent adversum Moysem, & Aaron dixerunt: sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus, cur elevamini super populum Domini?* & nonnullis interjectis v. 31. subjungitur: *Confestim disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis, & universa substantia eorum, descenderuntque vivi in infernum.* Tertium miraculum contigit in seditione populi, qui propterea partim incendio periit, & partim per intercessionem Aaronis mortem evasit, ut narratur *Numer. 16. v. 41. & sequent.* Quartum patratum fuit circa virgam Aaronis: siquidem cum populus sæpe obmurmuraret contra Aaronem Pontificem: & aliæ Tribus etiam non libenti animo haberent, quod ex sola Tribu Levi assumeretur Pontifex, qui aliis Tribubus imperaret; DEUS ad coërcenda hæc murmura illustri signo declaravit Aaronem fuisse legitimè à se electum in Pontificem, cui propterea reliquæ Tribus deberent sine murmure absque invidia parere, ac obsequi. Ad id ostendendum populo præcepit Moysi, ut acciperet duodecim virgas à duodecim Tribubus Israël, & in quibus singulis notarentur singula nomina Tribuum Israël. Has igitur cum virga Aaronis poneret in tabernaculo testimonii, & die sequenti iterum venisset, & vidisset, quòd ex iis virgis una tantùm floruisset & hanc virgam fuisse Aaronis cæpit à populo in verum, ac legitimum Pontificem haberi, eò quia videret ope divina solam illius virgam germinâsse, ac turgentibus gemmis flores emisisse, qui foliis dilatatis in amygdalas maturuerunt, ut habetur *Numer. 17. per totum.*

Hinc tanta fuit Pontificis authoritas, dignitas, & eminentia, ut præcelluerit aliis dignitatibus & primo titulo originis, eò quia dignitas Pontificia suam haberet originem à solo DEO: quapropter titulo originis præcelluit Regiæ dignitati, eò quia hæc non nisi ex importunitate populi fuit instituta: priùs enim proprio quasi motu instituit Aaronem Pontificem in Ecclesia Hebræorum cum jure perpetuo successionis: Regem verò instituit, ut petenti populo, & murmuranti, quasi satisfaceret, & non motu proprio videretur illum instituere ac populo concedere, ut habetur 1. *Reg.* 8 v. 4. Imò ægrè concessisse populo murmuranti Regem ex eo colligitur, quia potiùs iisdem persuasit, ne peterent, secundò quia prædixit fore, ut aliquando ipsos pœniteat suæ petitionis. Tertiò quia miraculo ostendit sibi displicere talem petitionem. 1. Reg. 12. v. 16. *Dixit Samuel ad universum Israel: & state, & videte rem istam grandem, quam acturus est Dominus in conspectu vestro. Nunquid non messis tritici est hodie, invocabo Dominum, & dabit voces, & pluvias: & scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini petentes super vos Regem. Et clamavit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces, & pluvias in illa die, & timuit omnis populus nimis Dominum, & Samuelem, & dixit universus populus ad Samuelem: Ora pro servis tuis ad Dominum DEUM tuum, ut non moriamur. Addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis Regem.* Præcelluit etiam Pontifex dignitati regiæ titulo antiquitatis, quia Pontifex primus fuit Aaron, qui tempore Moysis fratris à DEO speciatim electus fuit, & à Moyse jussu DEI consecratus statim post egressionem populi ex Ægypto *Levit.* 8. *v.* 1. Primus autem Rex fuit tantùm Saul, quem constat regnâsse post quadringentos annos à Moyse, & Aarone. Vixit enim Saul tempore Samuelis à quo unctus fuit in Regem, & inter Moysem, & Samuelem intercesserunt plures Judices quales fuerunt Josuë, Othoniel, Aod, Barac, Gedeon, Abimelech, Thola, Jair, Jephte, Abesan, Ahilon, Abdon, Samson, Heli, ex quibus clarè constat titulo antiquitatis pontificiam dignitatem præcedere regiam. Imò etiam titulo familiæ, qui Pontifex ex sola Tribu levi assumebatur, quæ Tribus speciatim divino cultui addicta, & sacrata erat, & præ cæteris Tribubus in majori habebatur honore. Secus Rex ex qualibet Tribu assumi poterat: siquidem Saul fuit ex Tribu Beniamin, David cum posteris ex Tribu Juda, Jeroboam ex Tribu Ephraim, Baasa ex Tribu Issachar, unde titulo familiæ Pontifex præcellebat Regi, quinimò tanta erat præcellentia tribus Leviticæ pro aliis, ut Pontifex prohiberetur uxorem ducere, quæ esset ex aliis Tribubus, eò quia id dedeceret dignitatem Pontificiam Levit. 21. v. 14. ubi de Pontifice dicitur: *Accipiet puellam de populo suo, ne commisceat stirpem generis sui.* Tum quia aliæ tribus in minore erant honore, & veluti populus respectu Principis, & quia non decet Principes uxores eligere ex communi hominum plebe, ideo prohibitum fuit Pontifici uxorem ducere ex aliis Tribubus. Non tamen prohibitum ei erat uxorem accipere ex familia regia, si vellet, quia di-

gnitas regia compensaret dignitatem tribus Levi, id præstitit Jojada Pontifex, qui duxit uxorem Josabet filiam Regis Joran, & sororem Regis Ozochiæ. 2. *Paral.* 22. *v.* 11. Dispensabatur tunc Pontifex, quia dignitas regia proximè accederet ad pontificalem. Secundò ut commodiùs servaretur pax in populo, si Reges, & Pontifices per connubia inter se sanguinis necessitudine cohærerent. Tertiò quia periculum Idololatriæ erat remotius acriùs, siquidem Reges qui Pontifici conjuncti erant non facilè recedebant a cultu, & religione veri Dei. Præterea Pontifex non assumebatur ex quacunque familia Levitici, Tribus, sed tantùm ex sola familia Aaronis: imò neque ex hac familia promiscuè quilibet, sed tantùm primogenitus, qui careret omni macula, & defectu corporis, & majestate esset decorus *Levit.* 21. *v.* 17. Cum in Regibus non haberetur ratio primogenituræ, ut notat Pineda *lib.* 2. *de rebus Salomonis cap.* 1. Certum est enim Salomonem, & alios plures non fuisse primogenitos, quamvis essent Reges: neque habebatur ratio corporeæ deformitatis, vel maculæ, quia non legimus quemquam ob corporis maculam, aut deformitatem à regno exclusum fuisse, ob lepram tamen excludebantur, quia hic morbus contagiosus est, propterea Ozias, quia hoc morbo laboravit ab aliorum consortio sejunctus fuit. Imò neque licuit Pontifici in uxorem suscipere viduam, vel repudiatam aut sordidam, vel meretricem, sed tantùm puellam virginem de populo suo Levit. 21. v. 13. *Virginem duces uxorem. Viduam autem. & repudiatam, & sordidam atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo sua;* idque ob prærogativam pontificiæ dignitatis supra regiam, quia Reges potuerunt uxores ducere tametsi viduæ, adulteræ essent: David siquidem Rex duxit viduam, & adulteram, siquidem Abigail, quam in uxorem duxit vidua erat, & Betsabea adultera: unde quamvis Reges & alii sacerdotes inferiores potuissent in uxores viduas accipere, non tamen id permissum fuit Pontifici, quia ejus dignitas cæteris aliis præcellebat. Imò non solum titulo familiæ, sed etiam inauguratione in majori habebatur Pontifex honore; si quidem Pontificis inauguratio speciali Dei jussu, & providentia fiebat cum solemniori pompa, cæremonia præsente populo, & inauguratio protrahebatur per septem dies, & inauguratio Regis cum tanta solemnitate non fiebat, legimus enim quosdam fuisse Reges unctos sine tot cæremoniis, & alios fuisse assumptos per solam faustam populorum acclamationem, & alios per Pontificem fuisse introductos, adeo ut Regum inaugurationem Deus non præceperit ut certo ritu, ac cæremonia fieret, hinc constat plures sine ulla solemnitate præcedente fuisse in Reges assumptos; & alios solo titulo successionis regnum accepisse imò & alios per vim, & fraudem fuisse intrusos in Reges. Quòd si Saul & David uncti fuerint alii à populo fuerunt acclamati, & alii per Pontificem introducti ut Joas, & alii per vim intrusi, ut Baasa, Zambri, & alii: & quamvis ex Regibus nullus fuerit tanta solemnitate inauguratus, sicut Salomon, ut narratur, 3. *Reg.* 1. non tamen hæc solemnitas fuit à Deo præscripta, nec ab omnibus Regibus servata, nec ejus solemnitas tanta fuit, ut posset æquare solemnitatem, qua Pontifex inaugurabatur, quia hæc inauguratio Pontificia protrahebatur ad septem dies, & fiebat coram tabernaculo, & sanctuario. Constabat pluribus ritibus, ac cæremoniis, & quotidie per illos septem dies triplici sacrificio distinguebatur à regia inauguratione.

Imò titulo unctionis etiam Regi præcellult Pontifex, siquidem omnes Pontifices ex DEI præscripto ungebantur, & nonnisi uncti potuerant suo fungi officio *Exod.* 29. & *Levit.* 8. & nullum aderat DEI præceptum, quo omnes Reges adigerentur inungi, cum constet ex scripturis nonnisi paucos unctos fuisse, ut ex Regibus Juda Saul, David, Salomon, Joas, ex Regibus Israel Jehu, an reliqui reges uncti fuerint non constat, & verosimilius videtur plures unctos non fuisse, cum non fuerit specialiter hæc unctio à DEO præscripta. Pontifices verò ex divino præscripto debuerunt ungi publicè coram populo, & tabernaculo DEI cùm reges si ungerentur non omnes publicè id præstarent, cùm legamus Saulem, Davidem privatim fuisse unctos; Saulem à Samuele in extrema parte civitatis nullo alio præsente. 1. *Reg.* 9. *v.* 27. Davidem ab eodem Samuele in domo Patris sui privatim. 1. *Reg.* 16. *v.* 13. Rursus Jehu à filio Prophetæ in cubiculo seorsim à populo. 4. *Reg.* 9. *v.* 6. Præterea Pontifices speciali oleo sancto, seu composito ex oleo myrrha, cinnamomo, calamo, cassia *Exod.* 30 *v.* 23. Reges verò nonnisi oleo simplici communi & probabilior fert sententia, quia DEUS *Exod.* 30. *v.* 30. præcepit, ut nullus hominum ungeretur oleo sancto nisi solus Pontifex, & sacerdotes, unde exclusit ab unctione cum hoc oleo Reges, qui propterea nonnisi oleo simplici fuerunt uncti. Rursus quia oleum, quo Pontifex inungebatur non fuit dictum oleum simpliciter sed cum addito oleum sanctum, vel oleum unctionis sanctæ, vel oleum sanctum unctionis *Exod.* 29. *v.* 7. *Oleum unctionis fundes super caput ejus*, & Levit. 8. v. 10. *Tulit unctionis oleum, quo linivit tabernaculum cum omni suppellectili suo*, & cap. 21, v. 12. *Oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est:* cùm enim non esset oleum simplex, sed potius unguentum compositum ex oleo myrrha, cinnamomo, calamo, ideo non simpliciter dicitur oleum, sed cum addito oleum sanctum, vel oleum unctionis, vel etiam unguentum dici debuit. Secus oleum, quo Reges ungebantur nunquam in scripturis dicitur oleum unctionis, sed simpliciter, & absolutè oleum, eò quia non erat compositum ex oleo, & aromatibus, sed purum, ac simplex oleum hinc 1. Reg. 10. *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit super caput ejus*, scilicet Saulis, & cap. 16. *Dixit Dominus ad Samuelem usque quo tu luges Saul cum ego projecerim eum, ne regnet super Israel? Imple cornu tuum oleo, & veni ut mittam te ad Isai Bethlehemitem: providi enim in filiis ejus mihi Regem.* & v. 13. *Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit Davidem in medio fratrum ejus.* In veteri testamento quatuor olei assignantur species. Primò oleo utebantur in lucernis aurei candelabri juxta altare thymiamatis. Alio utebantur in sacrificiis. Alio inungebantur reges, & alio Pontifices, & sacerdotes, & quoties scriptura meminit hujus quarti olei illud vocat oleum unctionis, vel sanctæ unctionis, reliqua verò olea non nisi, ac simplici nomine olei vocantur, etenim de eo oleo lucernarum habetur Levit. 24. v. 2. *Præcipe filiis Israel ut adferant tibi oleum de olivis purissimum, ac lucidum ad concinnandas lucernas jugiter.* Et de oleo sacrificiorum Levit. 2. *Anima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino simila erit ejus oblatio fundetque super eam oleum, & ponet thus.* Rursus de oleo, quo ungebatur Pontifex habetur *Lev.* 21. 10. *Pontifex, id est, sacerdos maximus inter fratres suos super cujus caput fusum est unctionis oleum. & cujus manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput* suum

suum non discooperiet, vestimenta non scindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino, super patre quoque suo & matre non contaminabitur, nec egredietur de sanctis, ne polluat sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est. Ego Dominus. Ex quibus constat legem fuisse, ut Pontifex prohiberetur externo ritu lugere mortuos, & egressus è sanctuario prosequi funera mortuorum nec quidem parentum suorum, & ratio assignatur, quia oleum sanctæ unctionis fusum est super caput ejus, ac proinde nullo modo debet contaminari, sin autem mortuos lugêret, vel eorum funera prosequeretur, contaminaretur: quod si Pontifex prohibebatur lugere mortuos, & eorum funera prosequi, eò quia oleum sanctæ unctionis fusum erat super caput ejus: Regibus prohibitum non erat lugere mortuos, & mortuorum prosequi funera; cùm id præstiterit David in morte Saulis, & Jonathæ, jam sequitur, quòd David non fuerit unctus oleo sanctæ unctionis, sed alio oleo distincto, unde titulo unctionis Pontifex præcelluit Regi. Tum quia Pontifex ungebatur oleo unctionis in capite, & ideo non lugebat ullos mortuos tametsi consanguinei essent & parentes: Sacerdotes verò ungebantur quidem eodem oleo non tamen in capite, sed tantùm in vestibus aspergebantur sanguine arietis immolati cum oleo sanctæ unctionis, & ideo poterant lugere propinquos, & consanguineos non tamen alios *Levit.* 21. 2. Reges neque in capite oleo ungebantur unctionis, neque in vestibus aspergebantur; sed oleo simplici, & vulgari ungebantur, ideoque potuerunt mortuos, quoscunque vellent, lugere. Præterea quia oleum sanctæ unctionis non potuit tangi nisi à Pontifice, & Sacerdotibus: sed Saul, David, & Jehu non fuerunt uncti à Pontifice; sed à Prophetis, quibus non licuit sanctum oleum tangere: ergo sequitur non fuisse unctos oleo sancto, seu oleo unctionis, sed simplici. Tum quia Elias Propheta missus est à Deo ungere Jehu in Regem Israel, & Hazaelem in Regem Syriæ, & Helisæum in Prophetam 3. Reg. 19. 15. & verisimile est quod ex eadem lenticula, vel cornu olei potuisset eos ungere: sed Hazaelem non potuit ungere oleo sancto, cùm fuerit Ethnicus: unde verisimile est simplici oleo, & non sanctæ unctionis unxisse Jehu, & Helisæum. Urget tamen difficultas quomodo Salomon unctus fuerit oleo sancto si nemo nisi Pontifex, & Sacerdotes poterant eo ungi 3. Reg. 1. v. 39. *Sumpsit Sacerdos Sadoc cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem*: Oleum autem quod in tabernaculo asservabatur, erat oleum sanctum. Ad hanc difficultatem alii respondent Salomonem ex speciali Dei dispensatione unctum fuisse oleo sancto. Alii sentiunt non fuisse opus dispensatione, quia in tabernaculo duplex oleum asservabatur, unum sanctum pro ungendis Pontifice, & Sacerdotibus, quod ex aromatibus compactum erat; & aliud simplex quo Reges ungerentur.

Præcelluit etiam Pontifex veteris Testamenti Regibus titulo ornatûs, & colligitur ex cap. 45. Eccles. ubi cùm sigillatim Ecclesiasticus descripsisset ornamenta Aaronis Pontificis, subdit: nunquam à mundi initio fuisse illis similia, neqùe deinceps fore aliquem extra numerum Pontificum, qui similibus uteretur: ait Ecclesiasticus: *Sic pulchra ante ipsum non fuerunt talia usque ad originem. Non est indutus illa alienigena aliquis; sed tantùm filii ipsius soli, & nepotes ejus per omne tempus*: Idque videtur etiam probatu facile, quia Pontifex in sua veste Pontificali habebat aurum, purpuram, hyacinthum, coccum bis tinctum, & byssum retortam: in fimbria, seu vestium extremitate mala punica, & tintinnabula aurea: in capite cidarim, seu tiaram cum lamina aurea: in pectore duodecim gemmas pretiosas, in humeris duos lapides onychinos auro inclusos: quæ ornamenta non habuerunt Reges, qui solum diadema consueverunt in capite deferre: neque de omnibus legimus quòd gestaverunt diadema, sed tantùm constat de Saule, Davide, & Joas. Saul enim fuit diademate ornatus quando in bello contra Philistæos occubuit interemptus, quod diadema à quodam adolescente delatum fuit ad Davidem 2. Reg. 1. 10. & ait adolescens: *Tuli diadema, quod erat in capite ejus, & attuli ad te Dominum meum huc.* David autem cùm expugnasset Rabba civitatem Ammonitarum, & accepisset coronam idoli Melchom fecit inde sibi diadema 1. Paral. 20. v. 2. *Tulit ergo David coronam Melchom de capite ejus, & invenit in ea, auri pondo talentum, & pretiosissimas gemmas fecitque sibi inde diadema*; & de Rege Joas habetur 2. Paralip. 23. 11. *Eduxerunt filium Regis, & imposuerunt ei diadema*: Non est autem ulla proportio inter Regium diadema, & tot & tam pretiosa Pontificia ornamenta. Præcelluit etiam Pontifex Regi, quia officium Pontificis erat longè excellentius, quàm Regis: quia Pontifex in suo officio non dependebat à Rege; sed Rex persæpè dependebat à Pontifice; qui propter suum officium Pontificale potuit præstare ea, quæ ad officium Regis spectabant; non è converso poterat Rex exercere quæ ad officium Pontificis pertinerent. Præterea, quia in omnibus controversiis legalibus tã ecclesiasticis, quàm politicis supremus Judex erat Pontifex non Rex: & jurisdictio Pontificia erat amplior, latiusque patebat quàm illa Regis. Quapropter officium Pontificis in legé Mosaica fuit excellentius illo Regis: quia officium Pontificis erat spirituale directum ad promovendam salutem animarum: & officium Regis erat temporale, & spectabat ad pacem externæ politiæ, & ad promovendum bonum commune temporale. Ad Pontificem pertinuit offerre Deo sacrificia, intrare in sanctuarium, expiare populum à peccatis, consecrare Levitas, & Sacerdotes; legem Dei interpretari in rebus dubiis responsa à Deo recipere. Ad Regem verò pertinebat præesse populo in temporalibus, conservare justitiam civilem, indicere bellum hostibus: Ad hæc enim præstanda petierunt filii Israel dari sibi Regem 1. Reg. 8. 19. *Noluit populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam. Rex enim est super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes: Et judicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* Quamvis populus petierit dari sibi Regem, hic tamen non poterat bellum suscipere, nec alia exercere, quæ ad officium suum pertinerent sine Pontificis subsidio, & nonnisi illo prius consulto Num. 27. 21. *Pro hoc* (seu Principe sæculari) *si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum. Ad cujus verbum egredietur & ingredietur ipse* (scilicet Josue, & quivis alius sæcularis Princeps, *& omnes filii Israel cum eo & cætera multitudo.* Præterea Pontifex non solùm quæ ad officium spectarent Pontificale, verùm etiam quæ ad officium Regis pertinerent exercere poterat: etenim Joiada Pontifex plura præstitit quæ ad Regem pertinebant, constituit Regem filium Joram, & Athaliam Reginam deposuit ab administratione Regni, ac interfecit. Convocavit omnes Principes familiarum Israel & Centuriones, Sacerdotes, Levitas & reliquam populi multitudinem, quibus suppeditavit lanceas, clypeos, arma, & alia necessaria ad bellum gerendum,

dum, quibus præcepit ut Joas filium Regis proclamarent Regem, ac in proprium Principem susciperent, erat tunc Joas adhuc puee septennis; & ut hoc idem absque tumultu exequerentur, distribuit armatum populum in plures classes, ut facilius impetus coercerentur adversariorum, templi, & regii palatii, januæ custodirentur, ac arcis defenderentur, Levitis etiam injunxit ut armis stipati, filium regis circumstarent, & quocunque iret comitarentur, quo tutiùs incederet, & in templo unxit eum Regem, porrexit ei legem Deuteronomii, & declaravit Regem acclamante populo *vivat Rex.* Mox proclamato Rege accessit ad Centuriones, & Principes exercitûs, ut Athaliam educerent extra septa templi, & ferro interimerent: occisa Athalia pepigit fœdus inter se & novum Regem, ac universum populum, vi cujus ingressus Joiada templum Baal jussit confringi simulacra, destrui altaria, soloque æquari, & Nathan Baalis Sacerdotem interfici; quibus peractis constituit novum ordinem in templo Salomonis, & singulis Levitis, ac Sacerdotibus sua officia distribuit; cumque omnia ad votum successissent convocatis Centurionibus Principibus, & universo populo novum Regem ex domo Dei deduxit in domum regiam, & in solio regali collocavit, ut narratur 2. Paralip. 23. & 4. Reg. 11. hæc omnia egit Joiada authoritate Pontificia, quamvis plura ad Regem pertinerent.

Non tamen Rex potuit se immiscere in officio Pontificis: siquidem non poterat sacrificia offerre, nec sanctuarium ingredi, neque populum expiare, neque Levitas, & Sacerdotes consecrare, nec legem Dei interpretari, nec in rebus dubiis induto rationali responsa à Deo petere, & si quid horum præstare ausus fuerat, non solùm à *Pontifice* acriter reprehendebatur, verùm etiam à Deo graviter puniebatur, ut contigit in Ozia Rege, qui cùm vellet adolere incensum super altare thymiamatis fuit à *Pontifice* reprehensus, deinde à Deo punitus lepra percussus, & infectus 2. *Paralip.* 26. v. 18. *Dixerat Pontifex: Non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium. Egredere de sanctuario, ne contempseris*; & nonnullis interjectis subditur: *Statimque orta est lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus*, imò adeo ægrè tulit Deus Oziæ Regis ausum in adolendo incenso super altare thymiamatis, ut non solùm lepra ipsum percusserit, sed etiam insueto terræ motu tractum illum terrarum punivit. Rursus quia etiam Saul Rex cùm Sacerdos abesset, ausus fuit Sacerdotis fungi officio & offerre holocaustum, & pacifica ad Deum placandum, eò quia videret populum à se distrahi, ac fugæ se dare ex timore, quia *Philisthæi* irruerent in Saulem, reprehensus statim à Samuele fuit, Rex verbis illis. 1. Reg. 13. v. 13. Stultè egisti, imò non solùm reprehensus à Samuele fuit, sed etiam à Deo punitus amissione regni. Rursus si quæ controversia legalis orta fuisset sive de rebus ecclesiasticis, sive de temporalibus, & inferiores Judices, qui per singulas inferiores dignitates judicium ferentes non potuissent ortas controversias dirimere, tunc recursus fiebat ad *Pontificem* veluti ad supremum Judicem, non verò ad Regem, & litigantes sub pœna mortis tenebantur sententiæ *Pontificis* totaliter acquiescere, neque Rex ullum ferebat circa legales controversias judicium, quia legem Moysis interpretari ad solum *Pontificem* pertinebat, proinde ad ipsum etiam spectabat dirimere, & dijudicare legales controversias. judicium enim ferendum est circa controversias legis ab illo supremo Judice, ad quem pertinet ipsam legem interpretari, quod munus summo *Pontifiei*, & Sacerdotibus demandatum à Deo fuit, non autem Regibus, & *Principibus* sæcularibus, quorum propterea non erat hujusmodi controversias dirimere, hinc Malach. cap. 2. v. 7. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus*, hoc est ex ore Sacerdotis non verò Regis, & *Principis* sæcularis; & additur etiam causa, cur id ad Sacerdotem pertineat, subditur enim: *Quia Angelus Domini exercituum est*, est siquidem Sacerdos nuntius, & interpres divinæ voluntatis, idque causæ, cur à sacerdote, & *Pontifice*, qui summus est sacerdos petenda sit divinæ legis interpretatio, & divinæ legales controversiæ quæ oriuntur. Quamvis non deessent ex *Principibus* & Doctoribus sæcularibus, qui legem scriptam rectè intelligerent, & bene interpretarentur, eorum tamen judicium, quia humanum, erat fallibile: secus judicium sacerdotis, & *Pontificis* ob specialem assistentiam *Spiritûs Sancti* erat æquitati semper conforme, & juxta Dei voluntatem. hinc assistentia *Spiritus Sancti*, quæ potissimum in hoc negotio spectanda est, à Deo *Pontifici* potius quàm aliis promissa fuit, quapropter Deus concessit Moysi majorem assistentiam quàm septuaginta senioribus subservientibus ei in officio, ut colligitur ex Num. 11. v. 17. ubi habetur: dixit Dominus ad Moysem: *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis ut sustentent tecum onus populi*, per spiritum auferendum à Moyse, & tradendum senioribus sacri interpretes intelligunt donum gratiæ, quod in iis requiritur, qui alios regunt, & subortas in iisdem controversias dirimunt, adeo ut sensus sit, quod Deus daret senioribus donum gratiæ, sed infra illud donum, quod Moysi contulerat, eò quia Moyses esset supremus Judex cui plus gratiæ erat dandum, quàm aliis inferioribus. Jurisdictio etiam Pontificis in veteri Testamento amplior erat illa Regis, eò quia ad plures causas se extenderet, non enim solùm controversias legales in causis ecclesiasticis, sed etiam temporales dirimere ad Pontificem pertinuit, quinimò ad plures etiam homines & loca extendebatur Pontificia jurisdictio, quæ propterea etiàm quoad locum latius patebat: siquidem mortuo Salomone regnique facta partitione, Rex Juda nihil habuit juris, ac potestatis in regno Israel, nec vicissim Rex Israel in regno Juda: cùm jurisdictio Pontificis in utrumque regnum se extenderet, in utroque enim poterat decimas exigere, ut & primitias, & pretia primogenitorum: in utroque etiam habebat Levitas sibi subjectos, & utriusque regni dirimere controversias legales ad Pontificem pertinebat, neque Reges utriusque regni poterant bellum indicere, vel rem aliam magni ponderis aggredi, nisi prius Pontificem consulerent, & juxta ejus oraculum se regularent: ex quo liquet Regem Israel non fuisse supremum, & absolutum Dominum in suo regno, sed dependentem à Pontifice immorante in regno Juda.

Rursus præcelluit Pontifex Regibus titulo exemptionis ecclesiasticæ, & temporalis, erat enim Pontifex exemptus à potestate Regis, non è converso Rex à potestate Pontificis. Pontificem fuisse exemptum à potestate regia in rebus ecclesiasticis, & quæ pertinerent ad divinum cultum ex eo liquet, quia Rex non poterat Pontifici in eo genere quidquam præcipere, nec poterat illum ad suum tribu-

nal trahere in controversiis ecclesiasticis, nec poterat illum punire, si deliquisset, eò quia exemptus fuerit à potestate Regis: ax eo enim quòd Pontifex fuerit supremus Judex in causis, & controversiis acclesiasticis, sequitur non potuisse eum trahi ad tribunal Regis, nec à Rege puniri, neque potuisse Imperio Regis subjici, siquidem supremus Judex in aliquo genere non potest intra illud genus ab alio judicari, puniri, alioquin esset inferior & subjiceretur alteri, sicque esset, & non esset ipse supremus Judex: quòd etiam omnes Levitæ in rebus ad cultum divinum pertinentibus fuerint exempti à potestate Regis, ex eo etiam liquet, quia ordo divinus, in quo erant Levitæ divino cultui addicti non subjicitur ordini inferiori Principis sæcularis, quòd si Levitæ erant exempti à regia potestate à fortiori Sacerdotes & summus Pontifex. Levitas autem fuisse exemptos ex eo constat, quia à Deo separati fuerunt à reliquo populo, & oblationes primogenitorum, quæ Deo debebantur, voluit esse Levitarum Numeror. 3. v. 12. *Ego tuli Levitas à filiis Israel pro omni primogenito, eruntque Levitæ mei, meum enim est omne primogenitum, ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti.* Et Numer. 8. 13. *Statuesque Levitas in conspectu Aaron, & filiorum ejus, & consecrabis oblatos Domino, ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei: quoniam dono donati sunt mihi à filiis Israel. Pro primogenitis accepi eos, mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israel, tam ex hominibus, quàm jumentis.* Quòd si Deus accepisset primogenita filiorum Israel tam ex hominibus, quàm jumentis, quæ speciali jure ei debebantur: filiis Israel nulla amplius inesset potestas nec jurisdictio in eadem primogenita, sed Deus eodem jure speciali, quod ipse babebat in primogenita, & poterat ille accipere, accepit Levitas loco primogenitorum, consequenter postquam Levitæ semel traditi, & consecrati fuerunt Deo non amplius erant sub potestate, & jurisdictione Regum, & Principum sæcularium, sed solius Dei: suffecti enim fuerunt Levitæ loco primogenitorum hominum, & jumentorum, quæ speciali jure Deo debebantur: quòd si DEUS accepisset hæc primogenita, fuissent hæc exempta à quovis alio jure, & tantùm fuissent sub Dei jurisdictione, ita etiam Levitæ exempti fuerunt à jurisdictione Regum & Principum sæcularium, quia Deus eos accepit loco primogenitorum, & sub sola ejus jurisdictione voluit esse, ut habetur Numer. 8. 18. *Tuli Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel, tradidique eos dono Aaron, & filiis ejus de medio populi*, ex quo liquet Levitas à Deo fuisse dono datos soli Pontifici non verò Regibus, & Principibus sæcularibus, quòd etiam liquet ex illo Numer. 18. 1. *Dixitque Dominus ad Aaron, excubabunt Levitæ ad præcepta tua*: quòd si Levitæ divino cultui addicti exempti erant à Regis jurisdictione, multò magis Pontifex ipse debuit exemptus esse, quia cùm Levitæ subjicerentur Pontifici, si Pontifex non fuisset exemptus à jurisdictione Principis sæcularis, neque Levitæ fuissent exempti. Præterea Pontifex in bonis temporalibus causisque politicis exemptus erat à potestate Regis, quia Rex non poterat illi quidquam imperare in eo genere, nec poterat eum trahere ad suum tribunal, neque à fortiori ferre sententiam contra ipsum, nec illum punire, neque ab illo tributum exigere, cùm enim esset Pontifex supremus Judex in causis ecclesiasticis, & temporalibus, & supremus Judex, in quo genere est supremus, non potest ab alio judicari nec puniri, neque alteri subjici, alioquin non esset in illo genere supremus, sequitur Pontificem exemptum fuisse à Regia sæcularis jurisdictione. Neque obstat Abiatharem Pontificem punitum fuisse a Salomone: siquidem Salomon ob conjurationem, & conspirationem cum Adonia deposuit illum ab officio Pontificali, aliumque in ejus locum subrogavit. Nam si Salomon id præstitit euthoritate regia non legitimè fecit, non enim quidquid à Regibus fit, id sanctum esse censetur, & legitimum. Neque Saul Rex sanctè & legitimè egit, cùm Abimelechum Pontificem interfecit in Nobe 1. *Reg.* 22. v. 17. neque Joas laudabiliter, & piè egit, cùm præcepit Zachariam Pontificem lapidibus obrui 2. *Paral.* 2. 24.

Fuisse Pontificem etiam exemptum ab oneribus tributorum, ac similium gravaminum constat, quia onera ad quæ præstanda tenebantur filii Israel, hæc erant: parati esse debuerunt ad nutum Regis ad bellum, & necessaria subsidia pro bellu ferendo conferre. Pro usu tabernaculi dimidium sicli annuatim excadere. Singulis annis decimas solvere omnium bonorum in sustentationem Sacerdotum, ac Levitarum. Primogenita hominum, & jumentorum Deo offerre, vel saltem pretio redimere. Conferre necessaria pro familia, & sustentatione Regis. Permittere alienationem propriarum domorum in perpetuum: atqui Pontifex ab hisce omnibus gravaminibus exemptus erat, præsertim ab onere belli, à quo non solùm ipse verùm etiam Sacerdotes, & Levitæ omnes eximebantur, quia cùm Deus præcepisset Moysi in deserto Sinai, ut lustraret, & numeraret omnes filios Israel, qui per ætatem apti essent bello, speciatim Levitas excepit, quos voluit ab hoc onere immunes esse, ut tabernaculo inservirent. Numer. 1. 48. *Tribum Levi noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israel, sed constitue eos super tabernaculum testimonii, & cuncta vasa ejus, & quidquid ad ceremonias pertinet.* Verum quamvis Levitæ exempti essent ab onere belli gerendi; potuerunt tamen eidem interesse, ut in rebus dubiis Deum consulerent pro Rege & exercitu, ut præstitit Achias Pontifex in bello Saulis contra Philisthæos, 1. *Reg.* 14. Imò etiam ut excitarent animos militum ad fortiter pugnandum, & hostes vel prosternendos, vel fugandos Deuter. 20. v. 1. *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus, & currus, & majorem quàm tu habeas, adversarii exercitus multitudinem non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti. Appropinquante autem jam prælio stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum: Audi Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.* Intererant etiam Levitæ castris, & bello, ut custodirent arcam Domini, quæ ad militum consolationem, animosque excitandos ad strenuè pugnandum consueverat ad castra, & bellum adduci, quo pacto Ophni, & Phinees filii Heli Pontificis adfuerunt exercitui contra Philisthæos, & fuerunt in pugna occisi. 1. *Reg.* 4. 11. Demum urgente extrema necessitate, si nihil aliud subsidii edesset arme sumebant etiam Levitæ, & pro patriis legibus propugnandis, ac cæremoniis defendendis bello intererant,

erant, id præstiterant Mathatias, & filii ejus Machabæi scilicet Judas, Jonatbas, Simoo Joannes, Hyrcanus, qui omnes erant ea ordine Sacerdotum, ut constat ea lib. 1. Machab. 2. Fuisse Levitas etiam exemptos à solutione dimidii sicli in usum tabernaculi habetur *Exod.* 30. *v.* 11. ubi illi soli dare debebant dimidium sicli, qui postea à Moyse erant recensendi in numero filiorum Israël, ut clarè constat ex citatis verbis: & Levitæ non erant recensendi in illo numero, ut constat Numer. 1.48. *Tribum Levi noli numerare*, unde à fortiori etiam Pontifex, & Sacerdotes exempti erant à solutione hujus oneris, quamvis in usum tabernaculi destinaretur. Quod etiam exempti fuerint à decimis solvendis liquet ex Scripturis *Levit.* 27. *v.* 30. Et *Num.* 18. 21. & *Deuter.* 12. *v.* 6. Ut etiam exempti erant ad redimeodum pretio primogenita hominum, & jumentorum Numer. 18. v. 5. *Dixit Dominus ad Aaron, quidquid primùm erumpit è vulva cunctæ carnis, quam offerant Domino sive ex hominibus sive de pecoribus fuerit, tui juris erit, ita dum taxat ut pro hominis primogenito pretium accipias, & omne animal, quod immundum est, redimi facias, cujus redemptio erit post unam mentem siclis argenti quinque pondere sanctuarii, primogenitum autem bovis & ovis, & capræ non facies redimi, quia sanctificata sunt Domino*: & ab onere procul dubio eximebatur Pontifex, cum tenerentur alii eidem primogenita offerre, vel eorum pretium. non enim Pontifex potuisset sibi offerre, quia cùm sibi daret, nullum sentiret onus: neque alteri, quia à Deo nullus designatus erat, cui teneretur Pontifex dare. Erat itidem exemptus ab onere solvendi necessaria pro luxu, & familia Regis, quia Levitæ non petebant Regem, sed tantùm populus aliarum tribuum. Tum quia Levitæ non erant futuri Centuriones, & Tribuni in bello, cum essent exempti ob onere belli: Præterea quia Levitæ non habebant alias possessiones nisi quadragiota octo civitates, cum earum suburbania, quæ non poterant vendi nec dari servis Regum juxta præceptum illud Levit. 25. v. 34. *Suburbana autem earum non veneant, quia possessio sempiterna est*. Ad solvenda autem necessaria pro luxu & familia Regis tenebantur tantùm, qui poterant in bello Centuriones fieri, & Tribuni, quique bona terræ possiderent, & alia haberent, quæ recensentur 1. Reg. 8. v. 10 ubi habetur; *Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat à se Regem, & ait: Hoc erit jus ejus, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi Tribunos, & Centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis. Sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis, & famulis suis. Servos etiam vestros, & ancillas, & juvenes optimos, & asinos auferet & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi. Et clamabitis in illa die à facie Regis vestri, quem elegistis vobis, & non exaudiet vos Dominus.*

Cùm igitur Levitæ non fierent Centoriones, nec Tribuni, in bello erant exempti ab onere belli: & cùm non haberent alias possessiones præter recensitas civitates non tenebantur solvere pro alenda familia Regis. Denique neque tenebantur divendere proprias domos neque permittere earum alienationem in perpetuum Levit. 25. v. 29. *Qui vendiderit domum intra urbis muros habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus, si non redemerit, & anni circulus fuerit evolutus emptor possidebit eam, & posteri ejus in perpetuum & redimi non poterit etiam in Jubilæo*, quod verò Pontifex, & Levitæ ab hoc onere essent exempti, constat ea eo, quod additur: *Ædes Levitarum, quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi; si redempta non fuerint in Jubilæo, revertentur ad Dominos.* Quamvis Pontifex & Levitæ essent exempti ab oneribus solvendis Regibus, & Principibus sæcularibus. Non tamen Reges in causis ecclesiasticis, imò neque in temporalibus erant exempti totaliter à potestate Pontificis, quia in causis ecclesiasticis poterat Pontifex illis præcipere, & imperare, imò & etiam eos punire, ut liquet in Ozia Rege 2. Paralip. 26. v. 16. ubi habetur. *Cum roboratus esset Ozias, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum, ingressusque templum Domini adolere voluit incensum super altare thymiamatis; statimque ingressus post eum Azarias Sacerdos, & cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi restiterunt Regi, atque dixerunt: Non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum. Egredere de sanctuario, ne contempseris. Iratusque Ozias tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum minabatur Sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus, qui expulerunt eum.* Ex quibus constat, quantum fuerit imperium Summi Sacerdotis in Regem, præsertim in rebus pertinentibus ad divinum cultum. Cum ausus fuerit Rex se in rebus divinis immiscere, Pontifex inconcussa pectoris firmitate se illi opposuit, dixitque: Audi Rex, res divinæ ad tuum non spectant officium; neque dignitas tua regia debet se iisdem immiscere: egredere de sanctuario; locus sanctus est, & nisi obedieris; pœnam experieris promeritam: Quidni Rex ægrè ferens correptionem, & minas Pontificis irascitur illi & Sacerdotibus; sed punitur reus, expellitur contumax; & protervus destituitur regno, abdicatur imperio. Non solùm non fuit in ecclesiasticis Rex exemptus; sed nec in temporalibus. Quia non poterat bellum suscipere, nisi prius Pontificem consuleret; & in controversiis legalibus non solùm ecclesiasticis, verùm & politicis debebat Pontifici acquiescere ut supremo Judici, & tenebatur eidem decimas solvere primitias, oblationes, & pretia primogenitorum, à quo onere non legimus, Regem fuisse exemptum. Hinc authoritas Pontificis major fuit authoritate Regis; quia consecratio Pontificis longè solemnior fuit, & unctio olei sacri major, ornatus splendidior; reditus annui copiosiores. Augebatur itidem authoritas Pontificis ex frequenti colloquio cum Deo, ex claris miraculis, quæ ad intensionem Pontificis Deus agebat, in his omnibus authoritas Pontificia erat major, exceptis fortassis congestis divitiis, quibus non debent divino cultui addicti, ac Dei servitio mancipati inhiare. Hinc populus plus honoris, ac reverentiæ tribuebat Pontifici, quàm Regi: cum Saul Rex suis mandâsset subditis, ut interficerent Achimelech Pontificem, noluerunt Regi obedire, quia plus is ab ipsis fiebat authoritas Pontificis, quàm Regia. Imò non solùm Reges Hebræorum, sed etiam Gentilium obsequabantur Pontifici, qui in summa habebatur veneratione; Etenim Joas Rex Juda apud Hebræos; & Rex Asiæ Seleucus apud Gentiles Pontificem in veneratione habuerunt, id est, Joas venerabatur Jojadam Pontificem, ut parentem; & eo vivente nihil agebat sine illius consilio, & directione 4. Reg. 12. 2. Seleucus adeò venerabatur Oniam Pontificem, ut in ejus gratiam magno honore, ac muneribus cumularetur templum Hierosolymitanum, ut habetur 2. Machab. 3. 1.

Quòd verò ad reditus Pontificis attinet, hi in decimis, primitiis, pretio pro primogenitis, & oblationibus consistebant & in aliquibus civitatibus. Deus enim

enim ex duodecim tribubus Israel unam selegit, quæ suo foret servitio mancipata, & hæc fuit tribus Levi, in qua erant Levitæ, Sacerdotes, & Pontifex; hanc tribum ut suis mancipatam obsequiis voluit sub speciali ejus cura esse, & de certis reditibus ei providere Numer. 18. 20. *Dixit Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil possidebitis, neque habebitis partem inter illos. Ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Israel*; idque causæ cur in partitione terræ promissionis, cum reliquæ tribus suam acceperint portionem, sola tribus Levi nihil acceperit, quia hæc fuit sub speciali cura Dei & dispergebatur per reliquas tribus. Quia verò hæc tribus Levi inserviebat tabernaculo, eratque rebus divinis speciali studio addicta, ne illi necessaria ad victum & vestitum deessent, dedit ei Deus quadraginta & octo civitates cum suis agris ad pastum jumentorum; ut & decimas reliquarum tribuum, quibus Levitæ alerentur; ut & primitias, & quæ à reliquis tribubus offerebatur Deo. Ex civitatibus ut habetur Josuë 21. tredecim fuerunt datæ Sacerdotibus; ex aliis sex erant civitates refugii, quarum nomina recensentur Josuë 20. 7. & omnes sitæ erant in montibus, exceptâ civitate Bosor, quæ sola erat in planitie patente tamen, & conspicua, reliquæ civitates erant communes Levitis.

Ad decimas quod spectat, certum est, Levitas esse à reliquis tribubus accepisse ex fructibus, pecoribus, ac jumentis, ut constat, Num. 18. 21. *Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis.* Rursus Levitæ ex his decimis, quas accipiebant à filiis Israel, iterum solvebant decimas decimarum, quæ Deo offerebantur Numer. 18. v. 21. *Filiis autem Levi dedi omnes decimas*, & paulo infra seu v. 26. *Præcipe Levitis, atque denuntia: cum acceperitis à filiis Israel decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ, ut reputetur vobis in oblationem primitivorum, tam de areis, quàm de torcularibus, & universis, quorum accipitis primitias offerre Domino, & date Aaron Sacerdoti.* An verò tota tribus Levi, ut complectebatur Pontificem, Sacerdotes, & Levitas acceperit has decimas, vel tantùm Levitæ Abulensis, & alii censent solos Levitas, ut distinctos à Pontifice, & Sacerdotibus accepisse has decimas. Sed alii cum Josepho Hebræo probabilius arbitrantur totam tribum Levi ut complectentem etiam Sacerdotes, & Pontificem accepisse has decimas à filiis Israel, idque videtur colligi ex 2. Esdræ 10. 37. *Ipsi Levitæ decimas accipient ex omnibus civitatibus operum nostrorum. Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum, & Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri.* Levitæ igitur & Sacerdotes simul decimas accipiebant à filiis Israël, & postea Levitæ ex susceptis ab aliis decimis decimas dabant Sacerdoti seu Pontifici, adeò ut Pontifex ab omnibus Levitis acceperit decimas decimarum. An verò hæ decimæ decimarum à Levitis darentur soli Pontifici, vel etiam Sacerdotibus? Abulensis, & Lyranus arbitrantur soli Pontifici datas fuisse, & fundatur hæc sententia, quia Numer. 19. 29. dicitur: *Date Aaron Sacerdoti.* Josephus verò, & cum ipso alii volunt non soli Pontifici, sed etiam aliis Sacerdotibus datas fuisse à Levitis. Alii volunt fuisse datas soli Pontifici non absolutè, sed ad custodiendas, ac distribuendas Sacerdotibus; & hæc sententia nititur, quia Num. 18. 8. *Locutus est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum*, seu ut illas conserves, &, prout opus fuerit, distribuas filiis suis Sacerdotibus: unde subditur: *Omnia quæ sanctificantur à filiis Israel, tradidi tibi, & filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna*; id firmatur ex 2. Esdræ cap. 10. v. 38. *Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri ad gazophylacium in domum thesauri*: in gazophilacio asservabantur, quæ aliis distribuebantur. Observandum est, apud Hebræos tria fuisse decimarum genera: primum eas comprehendebat decimas, quas singulis annis reliquæ tribus tenebantur solvere tribui Levitarum pro victu, & vestitu: secundum quas quilibet paterfamilias quotannis debebat apud se servare, & postea comedere cum Levitis in loco, ubi fuisset tabernaculum, vel templum, idque statis anni temporibus in Paschate, Pentecoste, & festo tabernaculorum; & de hisce decimis intelligitur illud Deuter. 14. 22. *Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos, & comedes in conspectu Domini tui, in loco quem elegerit, ut in eo nomen illius invocetur.* Tertium genus eas complectebatur decimas, quas tertio quoque anno debebant singuli separare, & cum Levitis, peregrinis, pupillis, ac viduis comedere juxta illud Deuter. 14. 28. *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones intra januas tuas. Venietque Levites, qui aliam non habent partem, nec possessionem tecum, & peregrinus atque pupillus, & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent, & saturabuntur, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus*, quamvis Levitæ participes essent trium horum generum decimarum; ex primo tamen præsertim alebantur.

Primitias non Levitæ, sed solus Pontifex, & Sacerdotes accipiebant, ut & primogenita ex aliis tribubus. Solvebantur primitiæ ter per annum, ut notant Interpretes cum Lyrano scilicet in Paschate de novis spicis, in Pentecoste de novis panibus; in Autumno in festo tabernaculorum de novis fructibus: tribus istis anni temporibus tenebantur omnes mares venire ad locum, quem elegerat Dominus, ut habetur Deuter. 16. v. 16. de primitiis spicarum, quæ in paschate offerebantur, intelligitur illud Levit. 23. v. 10. *Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad Sacerdotem, qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis altero die Sabbathi, & sanctificabit illum*, quo autem ritu manipuli spicarum, seu primitiæ messis offerri consueverint, describitur Levit. 2. 14. *Sin autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris, & sic offeres primitias tuas Domino fundens supra oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini est.* Primitiæ panum, quæ consueverant in Pentecoste Domino offerri significantur, Levit. 23. 15. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbathi, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies, & sic offeretis ex omnibus habitaculis vestris panes primitiarum DEO de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini.* Primitiæ novorum fructuum, quæ offerebantur in autumno mense Septembri, indicantur Num. 18. 13. *Universa frugum initia, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedunt in usus tuos, qui mundus est, in domo tua vescetur eis.* Harum primitiarum etiam fit mentio Deuter. 18. v. 4. *Dabunt Sacerdoti primitias frumenti, vini, & olei*, & Deuter. 26. v. 2. *Tolles de cunctis frugibus tuis*

primi-

primitias & pones in cartalo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, accedesque ad sacerdotem qui fuerit in diebus illis. Interest tamen hæc inter primitiarum tria genera discrimeo, quis primitiæ in paschate erant in solis spicis adhuc virescentibus: in Pentecoste ex solis novis panibus, & in autumno ex variis terræ fructibus. Rursus primitiæ spicarum dabantur in ipsa collectione fructuum terræ, nec ulli licebat quidquam comedere de novis fructibus, antequam primitiæ spicarum DEO oblatæ essent, ut habetur Levit. 23. v. 14. *Primitiæ vero in pentecoste & autumno offerebantur ex fructibus jam collectis, & domi asservatis*, & notat D. Augustinus *quæst. 32. super numer.* Præterea primitiæ panis & fructuum integrè cedebant in usum sacerdotum; primitiæ verò spicarum non integræ, quia primus spicarum manipulus consumebatur per modum sacrificii, & reliqui comedebantur à sacerdotibus. Rursus nomine primitiarum veniebant etiam primogenita, quorum tria erant genera, primum hominum, secundum pecorum mundorum, tertium immundorum: & singula primogenita primi & tertii generis redimebantur pretio quinque siclorum solvendo sacerdotibus; primogenita secundi generis per se illis offerebantur, eò quia fuerint primogenita munda, quæ sacerdotes decerent.

Præter decimas, & primitias fiebant etiam oblationes, quæ à filiis Israel fiebant in usum sacerdotum, & fuerunt triplicis generis, quia nonnullæ ex præcepto offerebantur, ut decimæ, primitiæ, primogenita, alia voluntaria, & sponte ex mera devotione: & alia ea emisso voto, quæ iterum variæ erant, quis liberum erat cuilibet sponte offerre hostias, libamenta, panes, pecuniam, & alia id genus: ut etiam liberum erat fuvere, quæ vovendi magis placerent: & hæ oblationes tribus præsertim anni temporibus fieri consueverunt scilicet in paschate, pentecoste, & festo tabernaculorum, quis tunc tenebatur quisque venire ad locum ubi erat arca propitiatorii vel templum, ut habetur *Deuter. 16. v. 16.*

CAPUT III.

De Summo Pontifice in lege Evangelica.

Diximus in præcedenti libro Christum instituisse militantem in terris ecclesiam, cujus propterea fuit caput, seu primus supremus Pontifex, super est inquirendum, qualenam fuerit officium Christi, seu summi Pontificis in lege Evangelica. Quando dicimus Christum esse caput ecclesiæ evangelicæ, id non debet intelligi nisi metaphoricè, & similitudinariè ob similitudinem quæ reperitur inter caput, & corpus, & quia hæc est etiam inter Christum, & ecclesiam dicitur Christus caput illius. Etenim tria spectantur in capite naturali, ut advertit D. Thomas 3. *part. quæst.* 8. *art.* 1. scilicet ordo, perfectio, & virtus: ordine caput est primum, seu supremum, & præ cæteris humani corporis membris præeminet. Perfectione quis in capite vigent sensus omnes tum interni tum externi, estque propterea caput prima, nobilior, ac præstantior pars humani corporis. Virtute quia caput dirigit, ac gubernat cæteras corporis membra. Hæc autem tria conveniunt proportionaliter Christo respectu Ecclesiæ: siquidem Christus in Ecclesia est omnium primus, & supremus. In ipso est tota gratiarum plenitudo & Christus est, qui Ecclesiam gubernat, habetque vim influendi gratiam in membra ecclesiæ; unde Joan. 1. v. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, seu de influxu cœlestium donorum. Quòd Christus regat, & gubernet ecclesiam per influxum gratiarum in ejus membra ex eo evincitur, quia duo sunt modi, quibus humanum caput reliqua regit, & gubernat membra corporis, scilicet per influxum internum in eo situm, quod ex capite ut ex fonte seu principio deriventur spiritus sensitivi in reliqua membra, & beneficio hujus influxus reliqua membra conservant vitam, suasque obeunt functiones. Rursus caput humanum non solùm per internum influxum reliqua corporis membra gubernat, sed etiam per externam directionem in eo sitam, ut per intellectum voluntatem, & sensus exteriores vigentes in capite dirigat reliqua membra in externarum actionum exercitio, ne errent in suis exercitiis in quo sensu caput per intellectum & voluntatem dicitur dirigere manus ad agendum hoc vel illud, per oculos dicitur pedes dirigere ut rectè ambulent, non impingant in lapidem, vel cadant in foveam. Christus igitur dicitur supremum caput ecclesiæ, quia hos duos modos in dirigenda, & gubernanda ecclesia imitatur, & quidem quod per influxum internum gubernet Christus ecclesiam expressè habetur in scripturis ad Roman. 12. v. 3. *Unicuique sicut divisit Deus mensuram fidei.* 1. Corinth. 12. v. 4. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus.* Rursus ad Epheseos. 4. v. 7. *Unicuique nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi*, & in pluribus aliis scripturæ locis clarè habetur Christum per internum influxum donorum supernaturalium influere in membra ecclesiæ. Quòd etiam influat per externum influxum, quo ecclesiam dirigat, ac gubernet apertè fatetur D. Paulus Ephes. 5. v. 22. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus est caput ecclesiæ:* quamobrem Christus ex Apostolo est caput ecclesiæ in eo sensu, quo vir dicitur caput mulieris: sed vir per externam gubernationem est caput mulieris, quæ propterea tenetur in externis actionibus se dirigere juxta voluntatem, & imperium sui viri, hinc Sara maritum suum Abrahamum vocavit Dominum suum, cui veluti ancilla obsequebatur, Genes. 18. v. 12. ait Sara loquens de Abrahamo *Dominus meus vetulus est*, Et DEUS dixit primæ mulieri Genes. 3. v. 16. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, & Apostolus, 1. Timoth. 2. v. 11. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione*, & 1. Petri 3. *Similiter & mulieres sint subditæ viris suis.* Ergo nulli dubium, quòd cum Christus ab Apostolo dicatur caput Ecclesiæ, sicut vir est caput mulieris, gubernet ecclesiam per influxum etiam externum, seu extrinsecam gubernationem, cujus propterea dicitur caput. Præterea quia nomen capitis, quando sumitur metaphoricè pro gubernatore alicujus populi usitatum est in scripturis, ut sumatur pro eo, qui gubernat per externam directionē hinc 1. Reg. 15. 17. *Nonne cùm parvulus esses in oculis tuis caput in tribubus Israel factus*

factus est? est sermo de Saule uncto in Regem populi Israelitici, cujus propterea dicitur caput, eò quia tribus omnes Israëlis per externam directionem gubernat. Rursus Isaiæ 7. v. 8. *Caput Damasci, Rasin caput Samariæ filius Romeliæ,* Rasin autem, quia tunc erat Rex Syriæ vocatur ab Isaia caput Damasci; & Phacee filius Romeliæ, quia erat Rex Israël, dicitur caput Samariæ, quapropter nomen capitis convenit Regibus, & Principibus, qui per externam directionem subditos gubernant. Rursus Isaiæ 19. v. 15. *Non erit Ægypto opus, quod faciat caput, & caudam* scilicet Ægyptii carebant Rege; cui subjiciantur, & Jerem. 31. 7. *Exultate in lætitia Jacob, & hinnite contra caput Gentium*, id est, contra Reges, & Principes populorum. Christus igitur rectè dicitur caput Ecclesiæ non solùm per internum influxum gratiæ verum etiam propter externam gubernationem, perinde ac vir est caput mulieris, hinc Christus cum adhuc in terris viveret, per se exercuit utrumque capitis officium in membra Ecclesiæ, quia per se impertiebatur fidelibus internam gratiam, & per se itidem dirigebat, & gubernabat fideles in externis actionibus, quæ ad Ecclesiæ statum pertinerent; nunc verò quia in cœlis sedet ad dexteram Patris, per se quidem gubernat suam Ecclesiam per internum influxum gratiarum: sed externa directione per suum in terris Vicarium seu summum Pontificem, quem ipse instituit, ut vices suas gereret, quamdiu duraret Ecclesia, quæ nunquam erat destituenda suo capite, seu Christi Vicario, qui illam per externam gubernationem dirigeret. Christus potest considerari ut DEUS, & ut homo: utroque modo per se dirigit Ecclesiam, gubernatione interna, seu per internum influxum gratiarum diversimodè tamen, quia quatenus Deus per se physicè, & effectivè producit gratiam: quatenus homo per se moraliter, & meritoriè illam confert prior modus regendi Ecclesiam est illi communis cum Patre, & Spiritu Sancto posterior verò est ei proprius. Hinc Christus ad regendam Ecclesiam ut summus Pontifex, & caput illius selegit Apostolos ut Administros, & Legatos, quos & misit in varias mundi partes, nomen enim Apostoli nuntium significat, & Legatum quapropter Christus Joan. 13. *Neque Apostolus major est eo, qui misit illum*: unde Apostolus dicitur missus, & divus Paulus etiam vocat Christum Apostolum, eo quia missus à Patre fuerit, ad Hebr. 3 *Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ JESUM Christum*, quæ verba expendens Theodoretus ait: *Quod autem nostræ etiam confessionis Apostolus factus est, postquam humanam sumpsit naturam, docuit in epistol. ad Gal. Quando enim, inquit, venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere. Et non dixit, misit ipsum, ut fieret ex muliere, sed factū ex muliere, ut clarum esset humanæ naturæ esse conducibile Apostolatûs: hoc est legationis, seu missionis nomen.* Quale verò fuerit officium Apostolatus sui explicuit Christus Luc. 4. cùm in Synagoga fuerit interpretatus de se ipso vaticinium Isaiæ 61. v. 1. *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, cæcis visum, dimittere confractos in remissionem: prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis*, ex quibus liquet omnia munera Apostolatus Christi ad id reduci, quod est evangelizare, sanare, dimittere, & prædicare Jubilæi libertatem, & diem retributionis, quæ in novissimo fiet. Ad hæc igitur munera obeunda Christus Apostolos selegit, quos Tertullianus lib. de præscript. *Missos* vocat, eò quia missi fuerint in varias mundi partes, ut docerent gentes evangelium, curarent infirmos, & alia obirent munera propria Apostolatus, quapropter sanctus Cyrillus Alexandrinus explicans illud Joan. 17. v. 18. *Sicut me misisti in mundum, & ego mitto eos in mundum.* Misisse autem eos in mundum ait ad imitationem suæ missionis. Apostolus enim, id est missus & Pontifex confessionis nostræ Jesus secundùm Paulum factus est, quapropter etiam divus Augustinus Tract. 108. in Joan. *Quos misit nisi Apostolos suos? nam & ipsum nomen Apostolorum, quod græcum est nihil nisi missos significat in Latino. Misit ergo Deus Filium suum non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati, & misit Filius ejus eos, quos natos in carne peccati sanctificavit à labe peccati*, & sicut ipse fuit à Patre missus in terras, ut humanum genus redimeret à famulitio peccati, & dœmonis, & ut militantem in terris institueret Ecclesiam, cujus ipse esset Pontifex, seu director, & caput, ita & ipse misit Apostolos, ut munere fungerentur nuntiorum, ac gentibus Evangelium enuntiarent Joan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, quæ verba expendens Cyrillus Alexandrinus lib. 12. cap. 55. *Quos ita dicit mittere, sicut ipse à Patre missus est, ut etiam Apostolatus dignitatem ostenderet, & magnitudinem potestatis eorum aperiret, & simul monstraret, quam viam in studiis suis vitaque sua sequi eos oporteret*, & nonnullis interjectis subdit: *Hæc omnia paucissimis verbis significavit dicens sic eos mittere, sicut à Patre missus est, ut hinc intelligant vocandos esse peccatores ad pœnitentiam curandos corpore, atque Spiritu malè habentes & in dispensatione rerum non suam, sed ejus, qui misit, voluntatem faciendam mundumque prædicationibus, & doctrina fidei salvandum.* Misit ergo Christus suos nuntios, seu Apostolos, sicut ipse fuit à Patre missus, & quia Christus de se dixit: *Spiritus Domini super me*, ita de suis Apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum*, si de se dixit, *propter quod unxit me*, scilicet sanctificavit, & consecravit unctione substantiali divinitatis, etiam pro Apostolis Patrem rogavit, ut eos ungeret unctione accidentali per gratiam sanctificantem, qua fierent filii Dei adoptivi, sicut filius fuit ipse naturalis Joan. 17. v. 17. *Sanctifica eos in veritate.* Si de se ipso & sua missione dixit Christus, *evangelizare pauperibus misit me*, scilicet fausta, & salutaria nuntiare: etiam suis Apostolis præscripsit formulam prædicandi Luc. 1. *Dicite, quia appropinquavit in vos regnum Dei*, hoc enim nuntio nil auspicatius, nil lætius, unde Apostolus Paulus 1. Corinth. 3. ait: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare*, & ad Ephes. 6. rogat, ut ei suppeditentur vires ad hoc munus ritè obeundum: *Ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere mysterium Evangelii, pro quo legatione fungor*, & 1. Corinth. 9. *Nam si evangelizem, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi, si non evangelizavero: si enim volens hoc ago, mercedem habeo: sin autem invitus dispensatio mihi credita est.* Rursus de se ipso dixit Christus Isaiæ 61. *Misit me sanare contritos corde*, & discipulis suis dedit potestatem curandi infirmos Marci 3. *Dedi potestatem curandi infirmitates & miracula patrandi.* De se dixit Isaiæ 61. *Misit me prædicare captivis remissionem, & cæcis visum*, & Apostolis injunxit, ut Evangelium prædicarent omnibus Gentibus, quas docerent veritatem Evangelii: *Docete omnes gentes*, quæ utpote cæcutientes in erroribus Ethnicismi commutaverant, ut scribit Apostolus ad Roman. 1. v. 25. *Veritatem Dei in mendacium & serviebant creaturæ potiùs, quam creatori.* Rursus de se dixit:

dixit: *Misit me dimittere confractos in remissionem*, & suis Apostolis hanc etiam potestatem remittendi peccata fuit impertitus: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Demum de se ipso dixit *Misit me prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis*. Plures interpretes per annum acceptum intelligunt tempus à baptismate ad ascensionem, & per diem retributionis diem judicii. De primo dixit Christus Actor. 1. 8. ad Apostolos: *Eritis mihi testes in Jerusalem & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*, & D. Petrus cum ageret de substituendo alium in locum Judæ, dixit Actor. 1. 24. *Oportet testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex his, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intravit, & exivit inter nos Dominus Jesus incipiens à baptismate Joannis usque in diem qua assumptus est à nobis*. Et de secundo idem Petrus ait Actor. 10. 14. *Præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo Judex vivorum, mortuorum*. Christus igitur sicut fuit ipse à Patre missus, ita & ipse suos misit discipulos, quos Apostolos dixit & hoc est, quòd dixit Joan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, scilicet Apostolatum suum illis injunxit, ut vices suas gererent, hæcque etiam ratio est, cur Apostoli persæpe à SS. Patribus vocentur Christi Vicarii: D. Ambrosius in epistol. ad Rom. cap. 1. *Misit Apostolos ut prædicarent fidem omnibus gentibus ut obedirent, & salvarentur, ut donum Dei non solis Judæis, verùm etiam omnibus gentibus concessum videretur: & hanc esse Dei voluntatem ut à Christo, & per Christum omnibus misereatur vicariis ejus prædicantibus*, scilicet Apostolis evangelizantibus, unde Apostolus 1. Corinth. cap. 3. scribit *Dei enim sumus operis adjutores*, quasi ipse erat Apostolus, qui Apostoli Vicarii sunt Christi quatenus vices illius in terris gerunt, & evangelizant, unde Paulus 2. Corinth. 5. *Pro Christo Legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos*, seu ut expendit Chysostomus Homil. 11. in 2. Corinth. *Pro Christo legatione fungimur, hoc esse illius loco; nam nos quæ illius officii sunt, suscepimus*. quapropter etiam Ecclesia vocat in præfatione missæ Apostolos Christi Vicarios, scilicet *Vicarios operis Christi*. Neque tantùm Apostolatus munere insigniti fuerunt, verùm etiam sacerdotio initiati in ultima cœna, ut offerrent pro salute hominum incruentum sacrificium corporis, & sanguinis ejus, sicut ea traditione Apostolica & communi consenso ecclesiæ susceptum est, tametsi Novatores id nitantur in dubium revocare secuti Lutherum, qui de hac veritate visus est dubitare; est enim proprium religionis munus non solùm sacrificia offerre, verum etiam ipsos offerentes sacerdotio initiare, divinam legem interpretari, cæremonias ordinare, titus ecclesiasticos instituere populos in vero DEI cultu continere, & personis Dei mancipatis jus dicere, & quidquid speciali jure ad Deum pertinet pro Dei dignitate moderari; quapropter factum est, ut hac potestate concessa, quibusdam ex insignioribus aliis fuerint præpositi in ecclesiastico regimine, & onus supra reliquos omnes, qui à Latinis Pontifex Maximus dicitur. Quamdiù enim unà cum synagoga stetit templum, & sacerdotium in veteri lege minores sacerdotes Presbyteri tantùm dicebantur, & majores Epicopi, quæ nomina etiamnum perseverant. Everso autem templo, & sublato Moysi sacerdotio cœpit in Ecclesia nomen sacerdotii usurpari, ut censent D. Hieronymus *ad Evagrium*, D. Ambrosius in *epist. ad Timoth.* Cyprianus *ad Florent.* Hilarius *adversus Constant. August.* Arnodius, Tertullianus, Damascenus, Gennadius, & communitat Sancti Patres hoc idem adstruunt, & omnes in Ecclesia Evangelica unum summum Pontificem gubernatorem, & directorem ejusdem agnoverunt. Necessum enim erat post Christi ascensionem in cœlum, ut daretur in ecclesia militante in terris aliquis ejus Vicarius, qui vices illius gereret.

Hæretici censentes Ecclesiam esse regimen Aristocraticum, vel Democraticum asserunt nullum dari summum Pontificem qui cæteris omnibus fidelibus præsit, & ecclesiam guberner. Dari autem ecclesiæ caput aliquod visibile, quod Christo sit subordinatum, & illius vices gerat in terris, necessum est fateamur quoad externam gubernationem, quia de interno influxu gratiæ non loquimur, cum nullus hominum in hac vita sit, qui per modum capitis possit nobis internam gratiam communicare, sicut Christus communicat cum fidelibus per internum influxum quo dona cœlestia nobis impertitur, unde necessitas capitis in terris est circa externam gubernationem in ecclesia, adeo ut oportuerit esse post Christum aliquod caput visibile Ecclesiæ, idque evincitur ex analogia veteris, ac novi testamenti, quia ut communiter docent Sancti Patres, & ratio ipsa suadet, figura debet correspondere figurato, & typus prototypo, sed vetus testamentum est figura novi, consequenter debet eidem respondere, atqui Synagogæ semper interfuit caput unum visibile, seu summus Pontifex ex Tribu Levi, qui eam gubernaret, & cui reliqui omnes in populo Israëlis subjicerentur, ac illi obedirent, & ad illum in controversiis legalibus haberent recursum, & litigantes sub pœna capitis acquiescerent illius sententiæ; Ex eo igitur, quòd figura debeat correspondere figurato, & delineatio imaginis ipsi imagini ad id procul dubio duo requiruntur, scilicet quidquid est in imagine aliquo modo repræsentetur in delineatione imaginis, & quidquid est in re figurata, repræsentetur per figuram, seu typum illius: Rursus requiritur quòd delineatio imaginis quà talis imperfectior sit ipsa imagine, ut & figura res illius, cujus est figura, siquidem figura semper est imperfectior ex natura sua, quàm res ipsa significata per figuram, adeo ut, quidquid perfectionis est in figura excellentiori modo, reperiatur in re figurata, atqui quòd in veteri lege esset Pontifex summus, qui præcelleret cæteris aliis, & cui reliqui omnes de populo subjicerentur, quædam fuit perfectio in lege illa, ergo debet hæc perfectior inesse legi evangelicæ, & in ecclesia Christi. Quòd verò vetus testamentum fuerit figura, seu umbra novi testamenti: & quæ contigerunt in veteri testamento sint figuræ, & umbræ eorum quæ contingunt in novo, seu lege evangelica, & ecclesia Jesu Christi expressè docet Apostolus 1. Corinth. 10. 11. & Hebræ. 10. 1. unde synagoga fuit figura, & umbra ecclesiæ; & Moses Mediator fuit figura Mediatoris Christi ut ait Apostolus ad Hebræ. 8. 6. & passim docent Sancti Patres præsertim Augustinus lib 83. quæstionum, quæst. 61. & serm. de verbis Domini cap. 6. & serm. 86. de tempore. Sed synagoga habuit semper suum caput visibile, seu Pontificem, qui cæteris præesset, ac reliquos gubernaret: hinc Deuter. 17. 12. habetur; *Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio morte morietur* unde unus præfuit reliquis omnibus sacerdos, cui reliqui omnes tenerentur sub pœna mortis obedire: neque id inficiantur hæretici cum Magdeburgenses centur. 1. lib. 1. cap. 7. asserant. *In ecclesia populi Judaici unus tantum erat in lege divina sacerdos summus, quem omnes cogebantur agnoscere, eique parere*. ergo si omnis perfectio quæ reperitur in figura debet exactius inesse rei cujus est figura, & modo excellentiori,

ri, sequitur quòd omnis perfectio, quæ fuit in synagoga perfectiori, & excellentiori modo sit in ecclesia evangelica, consequenter. si gubernari ab uno tantùm est perfectius quàm à pluribus debet in Ecclesia JESU Christi esse aliquis summus Pontifex qui cæteris præsit, & cui reliqui omnes teneantur obsequi, quique sit Judex, à quo controversiæ legis, ac religionis dirimantur, & ejus sententiæ, quæ ob promissam assistentiam Spiritûs S. non potest errori esse obnoxia, teneantur partes acquiescere.

Quòd perfectius sit ab uno tantùm gubernari, quàm à pluribus simul, docent communiter Doctores, Philosophi, & Theologi, & liquet ex mundi regimine, ac perfectissimo ordine, quibus mundus dirigitur: ex hoc enim ordine arguitur perfectissimum genus gubernandi: siquidem ex uno correlativo devenimus in notitiam alterius; & cùm ea quæ mundum constituunt perfectissimo ordine dirigantur, indicant unum tantùm dari supremum gubernatorem, ac totius universi moderatorem; perfectissimum siquidem regiminum genus est Monarchicum, ut docet Plato in politicis; ubi asserit rationem gubernandi monarchicè per unum tantùm Principem esse perfectissimam, ac conducere ad bene, beateque vivendum; cui adhæret Aristoteles 18. Ethic. cap. 10. ubi laudat illud Homeri: Non est bona pluralitas Principatuum: unus ergo Princeps; & ad divinum conscendens principatum adstruit necessariam unitatem Principis divini: quia sicut bonum familiæ, & exercitus unum exigit rectorem, unum ducem; ita bonum universi unum rerum omnium moderatorem; quod rusticum edocuit D. Hieronymus exemplo apum inquiens: *In apibus unus Princeps.* Deinde affert exemplum gruum: *Grues omnes sequuntur unam ordine literario. Imperator unus; unus Provinciæ Judex; in navi gubernator unus, & in mundana fabrica unus opifex, & unus moderator.* Si enim plures fuerint difficulter concordabunt. quilibet populus gubernatur vel per unum tantùm, qui cæteris omnibus præficiatur, vel per multos selectos ex populo; vel per omnes, & singulos: si per unum constituitur Monarchia; si per plures selectos ex multis Aristocratia; si per omnes & singulos democratia. Quamvis hæ sint tres formæ simplicis regiminis, adhuc possunt inter se permisceri, ex qua permixtione quatuor aliæ formæ oriuntur mixti regiminis ut notat Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 1. Una quæ sit temperata ex omnibus tribus; altera ex Monarchia, & Aristocratia; tertia ex Monarchia, & democratia, & postrema ex democratia, & Aristocratia; & ex his septem regiminum generibus Monarchicum, in quo unus Rector præficitur, cæteris præfertur. Calvinus verò cui exosa erat ac invisa Ecclesiastica Monarchia; Aristocratiam ex formis simplicis regiminis cæteris prætulit, & ex mixtis temperatum regimen ex Aristocratia, & democratia; & regimen Monarchicum præsertim in Ecclesia universa abominatur ut perniciosum; noverat enim facilius unum acquiescere rationi, ac veritati Scripturarum adhærere, quàm plures simul qui difficilius concordant, & unanimes conveniunt in unam, eamdemque sententiam, cùm plerumque quot capita tot sententiæ; & ne populus Calvini erroribus semel imbutus ad sanam frugem reverteretur, & excussis hæresum tenebris veritatis lucem amplecteretur, regimen suis asseclis suasit mixtum ex aristocratico, & democratico; & Monarchicum ut omnium deterrimum damnavit ait ipse *lib. 4. Instit. cap. 6. §. 9. Verum sit sanè ut volunt bonum atque utile orbem totum Monarchia contineri, quod est tamen absurdissimum, sed ita sit, ut nunquam tamen concedam id ipsum in Ecclesia gubernatione valere.* & cap. 20. §. 8. *Equidem si in se considerentur tres illæ, quas ponunt Philosophi, regiminis formæ, minimè negaverim vel Aristocratiam vel temperatum ex ipsa, & politia statum omnibus aliis longe excellere*, & ad id evincendum duas exhibet rationes, primam petitam ex experientia, secundam ductam ab authoritate divina inquiens: *Id cum experimento ipso semper fuit comprobatum, tum quoque sua authoritate Dominus confirmavit cùm Aristocratiam politiæ vicinam apud Israelitas instituit.* Catholici verò cum D. Thoma ex tribus simplicibus formis regiminis Monarchiam cæteris præferunt, quamvis plures censeant ob naturæ lapsum, & infirmitatem utiliorem esse monachiam temperatam ex Aristocratia, & Dimocratia, eò quia ubi sunt plura consilia ibi firmius stat respublica, cæterum Monarchiam cæteris formis præcellere regiminis fatentur ex omnibus gentibus doctiores. Hinc Philo in lib. de confusione linguar. commendans Homeri sententiam ait: *Multos imperare malum est, Rex unicus esto; non ad civitates, & homines magis pertinet, quàm ad mundum, & Deum.* Ex Græcis Justinus in orat. exhortatoria ad gentes docet, plurium principatum noxium esse, & unius regimen utile, & salutare ait ipse: *Unus principatus à bellis, dissidiisque solutus ac liber esse solet.* Ex Latinis Sanctus Cyprianus lib. de Idolor. vanitate ex eo potissimum probat, Deum esse unum, quia regimen Monarchicum optimum sit, ac aliis præferendum, ait ipse: *Ad divinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum quomodo unquam regni societas aut cum fide cœpit, aut sine cruore desiit.* Et D. Hieronymus in epist. ad Rusticum Monachum scribit: *Unus Imperator, Judex unus Provinciæ: Roma ut condita est simul habere duos Reges non potuit*; Ex Philosophis Plato in politico ultra medium Monarchiam etiam præfert aliis simplicibus formis gubernandi inquiens: *Unius dominatio bonis instructa legibus, illarum omnium optima est; gubernationem verò eam in qua non multi imperant, mediam censere debemus, cæterum multorum administrationem omnibus in rebus debilem atque infirmam.* Aristoteles itidem lib. 8. ethic. cap. 10. postquam recensuisset tres illas simplicis regiminis formas subdit: *Harum optima regnum, pessima respublica est*, cui adhærens Seneca lib. 2. de benefic. ait Marcum Brutum non satis prudenter egisse, cùm Julium Cæsarem spe libertatis occidit, & assignans rationem ait: *Cùm optimus civitatis status sub rege justo sit*, præfert gubernatorem unum sed justum pluribus simul in republica. Plutarchus itidem qui integrum composuit opusculum de Monarchia, & cæteris formis gubernandi populos, ait: *Si optio eligendi concessa fuerit, non aliud eligat, quàm unius potestatem*, & idem Plutarchus in Solone cùm dixisset Athenis plures seditiones fuisse ortas inter cives, tum democratia vigeret, subdit: *Una autem videbatur superesse ratio ad salutem & quietem si res delata ad dominatum essent.* Stat igitur ex consensu Doctorum perfectius esse ab uno tantùm, justo tamen gubernari, quàm à pluribus simul, quo pacto perfectius est mundum gubernari ab uno Deo, & regnum ab uno Rege, quàm à pluribus simul, quia ubi unus tantùm gubernat populum, ibi facilius servatur pax inter subditos, & præstantior est consensus civium, & via validior ad resistendum hosti, & regimen est magis stabile ac diuturnum, quia ubi plures regunt eundem populum cum pari potestate ibi facilius populus in partes dividitur, & inde ori-

tur

tur dissensio inter gubernatores, quando quisque suum sequitur judicium, & partem populi sibi adhærentem nititur protegere, & inde oriuntur factiones, jurgia, dissidia, quibus pax inter subditos violatur, ac frangitur, & bonum commune corruit, quia non potest esse tanta unio, & concordia ad resistendum hostibus irruentibus in rempublicam, neque propterea potest tale regimen stabile esse, ac diuturnum, cum Christus ipse Luc. 11. v. 17. dicat: *Omne regnum in se ipso divisum desolabitur*, idque experientia etiam Magistra nos edocet, etenim Lutherani, Anabaptistæ, Calvinistæ, & aliæ Sectæ Hæreticorum quia nullum agnoscunt Caput suæ religionis, cui subjiciantur, & ad quod in dubiis recurrant, facilè descinduntur in varias partes juxta varios præcones, quos ipsi consulunt. Hinc sicut voluit DEUS in veteri Testamento, seu Synagoga unum præesse Pontificem ex tribu Levi, & Aaronis Pontificis familia, ut regimen illud legale Monarchicum foret, ita etiam Christus in militante sua Ecclesia voluit unum tantum illius Caput constituere, seu Pontificem, & cum viveret ipsemet Pontifex fuit, & suum Successorem elegit D. Petrum Apostolorum Principem, & pro tempore illius successores, adeo ut quamdiu Ecclesia duraret in terris nunquam eidem deesset Pontifex, qui illam regeret, & vices Christi gereret. Quòd si dicas analogiam, quæ est inter Synagogam & Ecclesiam in eo consistere, quia sicut Synagoga habuit unum Pontificem, qui cæteris omnibus præesset, & ad quem pertineret lites circa controversias legales dirimere, ita Ecclesia debeat unum tantùm habere Caput, quod Christus fuit cum viveret, & post ejus mortem D. Petrus, & ejus Successores pro tempore in Pontificatu. Respondetur duplicem esse analogiam assignandam unam quoad internum influxum gratiæ, & alteram quoad externam gubernationem, & primam in eo consistere, quòd sicut Christus per sua merita prævisa à Deo contulit Synagogæ internam gratiam; ita per sua merita jam exhibita longè copiosiorem gratiam communicet Ecclesiæ: & secundam analogiam in eo sitam esse, quia sicut Moyses mediator veteris Testamenti fuit primum Caput visibile Synagogæ quoad regimen externum, perinde Christus Mediator novi Testamenti fuit primum Caput visibile militantis Ecclesiæ in externo regimine. Præterea sicut post mortem Moysis semper perseveravit visibile regimen Synagogæ, ita post Ascensionem Christi semper perseveravit visibile Ecclesiæ regimen per visibile Caput, seu summum Pontificem verum Petri successorem, & vices Christi gerentem ex utraque hac analogia tria inferuntur. Primum est, quod invisibile Caput Synagogæ & Ecclesiæ quoad internum influxum gratiæ sit unus ac idem Christus. Secundum ut visibile Caput Synagogæ, & Ecclesiæ quoad externam gubernationem sit diversum, siquidem visibile caput Synagogæ ab initio fuit Moyses, cui postea successerunt Pontifices legales, sed visibile Caput Ecclesiæ ab initio fuit Christus cujus vices postea gessit D. Petrus, & ejus successores usque ad præsens tempus. Tertium quòd Moyses fuit figura Christi quoad externum regimen: quia sicut Moyses fuit Legislator, Mediator, & Princeps in veteri testamento, ita Christus in novo, adeo ut Pontifices veteris Testamenti fuerint typus & figura Pontificum novi Testamenti, & sicut illi in externo regimine præerant toto populo Judaico, ita Pontifices in Ecclesia toti præsunt populo Christiano.

Quamobrem nulli dubium esse potest, quin Christus ita suam militantem Ecclesiam instituerit, ut eam gubernari monarchicè voluerit. Neque obstat; quòd Calvinus asserat, difficilius ingentem multitudinem per unum tantum posse regi, atque ad authoritatem Homeri in 2. Illiados, ubi protulit sententiam illam, regnum duos non capit Reges; lib. 4. Instit cap. 6. §. 8. dicat: *Facilem esse responsionem. non enim hoc sensu vel ab Homerico, Ulysse, vel ab aliis laudatur Monarchia, quasi unus debeat totum orbem imperio regere: sed Philosophos tantùm indicasse regnum duos non capere, & potestatem impatientem esse consortis.* Nam contra est, quia si ipse concedit regnum non capere duos Reges, jam sibimet contradicit, sic enim unum tantum capit Regem, quem exigit, ut ritè administretur, neque quid aliud pro regno intelligitur, quàm unius hominis in populum eumdem summa potestas: quod si regnum duos non capit, ergo unum tantum exigit, sed regimen quippe unius non est regimen duorum, proinde ac unus homo non sint duo homines. Hinc liquet regimen monarchicum, seu unius tantùm esse præferendum Aristocratico, & Democratico. Neque multitudo ingens populi obstat regimini monarchico, quia etiam Imperium Nini, regnum Cyri, & Alexandri, imò & Augusti Cæsaris amplissimum fuit, & nihilominus unum duntaxat præfuit Caput, seu Princeps. Quid? quòd Ecclesia extendatur per universum orbem Luc. 1. *Regni ejus non erit finis*, adhuc eidem regendæ par est unus summus Pontifex, qui per suos ministros ac subordinatos Episcopos, & Patriarchas suam regit Ecclesiam ubique locorum: sed Calvinus censet non solùm perniciosam esse Monarchiam in toto orbe terrarum, verùm etiam in qualibet exigua Provincia, imò & in exigua civitate, ut ipse fatetur lib. 4. instit. cap. 11. §. 6. ubi omnem ecclesiasticam potestatem cœtui tribuit seniorum, & eas laudat civitates, quæ excusso jugo principum à proprio senatu, & populo gubernantur. Verum sicut Deus Synagogam gubernavit in veteri lege per regimen monarchicum, ita etiam Ecclesiam in terris militantem, cujus fuit Synagoga typus, idque evincitur etiam ex illis Scripturæ testimoniis, ubi Ecclesia confertur cum exercitu ritè ordinato Cant. 6. v. 3. *Pulchra es amica mea, suavis, & decora sicut Jerusalem, terribilis, ut castrorum acies ordinata*: unde si exercitui ordinato uni præest Imperator, unus omnium militum præfectus, ita & in Ecclesia militante, unus præficitur summus Pontifex, qui totam moderetur Ecclesiam. Rursus monarchicum Ecclesiæ regimen probatur, eò quia conferatur cum regno, Daniel. 2. v. 44. *Suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur*. Rursus cum ovili Joan. 10. v. 16. *Fiet unum ovile, & unus Pastor*, ut etiam cum domo. 1. Timoth. 3. v. 15. *Ut scias quomodo te oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi.* Rursus cum humano corpore. 1. Corinth. 12. *Sicut corpus unum est, & multa habet membra, ita & Christus.* Quòd si exercitus regitur ab uno Imperatore ac supremo militum Præfecto; si regnum ab uno Rege, si ovile ab uno Pastore, si domus ab uno patrefamilias, si corpus humanum ab uno capite, ita decuit, ac oportuit militantem in terris Ecclesiam ab uno gubernari rectore, ac summo Pontifice, qui Christus est, nunc quoad internum influxum gratiæ, tametsi absens sit, & sedeat in cœlis ad dexteram Patris, cùm viveret tamen in terris rexit Ecclesiã etiam quoad externam gubernationem, cui quoad

externam gubernationem, cui quoad hoc externum regimen substitutus fuit D. Petrus: & quia Petrus erat brevi moriturus, ne Ecclesia quoad hanc externam gubernationem acephala remaneret sine capite, absque Rectore, ideo Petro substituit Linum, & huic Clementem, postea Cletum, Anacletum, Evaristum, Alexandrum, Sixtum, Thelesphorum, Hyginum, Pium, Anicetum, & alios successores Pontifices ritè creatos ad nostra usque tempora, par enim erat, ne Ecclesia ullo tempore maneret sine suo Rectore, & sine Vicario, qui vices Christi in Ecclesia quoad externam gubernationem gereret.

Præterea quia Christus fuit Institutor suæ Ecclesiæ militantis in terra, & primum regimen, quòd Christus in ea instituit visibile fuit, & monarchicum quoad externam gubernationem, siquidem Christus solus fuit Caput visibile Ecclesiæ, quam gubernavit, & quia parem in regimine non habuit, eam rexit monarchicè. Vel igitur post Christi Ascensionem in cœlum hoc regimen Ecclesiæ quoad externam gubernationem fuit immutatum, vel perseveravit sicut antea? si primum sequitur Ecclesiam ipsam mutatam esse neque eandem nunc esse, quæ olim fuit, quoties enim in republica mutatur forma regiminis, censetur & ipsa Respublica immutata, consequenter si regimen Ecclesiæ post Christi Ascensionem in cœlum mutatum fuit, sequitur etiam ipsam Ecclesiam Christi fuisse mutatam, quod est absurdum, & nemo hactenus dixit. Si regimen non fuit immutatum, ergo perseverat idem, quod fuit cùm Christus viveret in terris, & eam regeret quoad externam gubernationem: sed tunc fuit regimen monarchicum, ergo idem perseverat hodie, consequenter velint, nolint Calvinistæ, & alii Hæretici necesse est, concedant unum Caput, quo interum Corpus Ecclesiæ militantis regatur, & gubernetur; utuntur hoc argumento præsertim Sanderus, & Bellarminus. Præterea sicut Deus ex uno fecit omne genus humanum, ut ait Apostolus *Actor.* 17. Non enim virum, & fœminam ex uno produxit, sed virum tantùm ex humo, & fœminam ex viro, cujus causam assignat Chrysostomus *homil.* 34. *in epist.* 1. *ad Corinth. cap.* 13. nimirum ut esset inter homines non democratia, sed Monarchia, non respublica libera, sed regnum, & omnes homines ab uno tantùm capite dependerent, in cujus voluntate incluserat Deus voluntates posterorum: si enim plures homines simul ex humo producti fuissent omnes utique Principes suæ posteritatis esse debuissent, & merito potuissemus dubitare regimen unius gratum fore Deo: quis verò ex uno totum procreavit humanum genus, & omnes homines ab uno voluit dependere satis perspicuè nobis significatur, Deum prætulisse regimen monarchicum aliis formis regendi homines. Hinc rebus omnibus & non solùm hominibus impressit Deus quandam propensionem ad monarchicum regimen, & naturalis hæc propensio ab Authore naturæ seu Deo derivari nulli est dubium: unde & omnes homines ubique gentium, & terrarum conveniunt, quòd in qualibet domo naturaliter illius regimen ad unum pertineat Patremfamilias, qui tenetur propterea conjugem, filios, ancillas, & servos gubernare: & ex eodem instinctu oritur, quod ferme omnes terrarum tractus suos habeant Reges, & Principes, à quibus Monarchicè homines gubernentur, In Scripturis etiam constat homines semper monarchicè fuisse ab aliquo supremo directos, quo pacto Abrahamus *Genes.* 14. cùm bellum gessit contra quatuor Reges solus bellum indixit absque ullo senatu, à quo potestatem acciperet, quià ipse solus suum populum gubernavit. Judas *Genes.* 38. Nurum suam quæ stupri fuerat accusata flammis absumendam tradidit absque eo quod ullum consuleret senatum. Moysis *Exod.* 32. Plura Judæorum millia ob cultum præstitum aureo vitulo quem erexerant in deserto uno die jussit occidi, & non legimus consuluisse ullum Senatum, neque plebiscitum, quia ipse monarchicè populum illum Dei jussu rexit. Judices iisdem absque ulla dependentia à Senatu vel populo bellum gesserunt, & justitiam ipsi soli exercuerunt, Gedeon enim *Judic.* 8. prostratis, ac debellatis Madianitis occidit septuaginta viros, ac cives urbis Socoth, & turrim Phanuel subvertit, soloque æquavit. Reges itidem qui secuti fuerunt Judices, monarchicè populos gubernarunt, imo & Israelitæ instinctu naturali sibi à Deo impresso postularunt dari sibi Regem, ex quibus satis apertè liquet regimen monarchicum esse naturale, & cæteris formis gubernandi præferendum.

Objiciunt tamen Calvinistæ primum illud ad Rom. 12. v. 5. *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*, ubi Apostolus nullius meminit capitis, nisi solius Christi, & inter membra corporis non minus recenset Petrum, quàm reliquos fideles, quos vult membra esse non solùm respectu Christi, verùm etiam respectu ipsorum inter se, ut colligitur ex verbis illis: *Singuli autem alter alterius membra*, ex quibus inferunt Pontificem & fideles esse membra corporis Ecclesiæ, non solùm si conferantur cum Christo, verùm etiam si cum aliis fidelibus, ex quo concludunt Pontificem non esse Caput Ecclesiæ, sed tantùm ejus membrum, perinde ac quilibet alius fidelis: sed contra, quia Apostolus *loc. cit.* tantùm loquitur de Christo, ut est Caput Ecclesiæ per internum influxum donorum gratiæ, in quo sensu verum est omnes fideles, etiam Petrum, & ejus successores in Pontificatu esse membra non caput, quia omnes accipiunt gratiam à Christo tanquam à capite, & nullus à Petro vel suis successoribus. Quòd si sermo sit de Christo ut est Caput Ecclesiæ per externam gubernationem, tunc non solùm ipse, verùm etiam Petrus & ejus successores in Pontificatu sunt Caput Ecclesiæ, hoc tamen discrimine, quòd Christus sit Caput primarium propria virtute, & invisibile, cùm non sit corporaliter nobis præsens, sed sedeat in cœlis ad dexteram Patris; reliqui verò Pontifices in terris sunt tantùm Caput Ecclesiæ secundarium virtute sibi à Christo participata, & sunt etiam caput visibile, quo Ecclesia regitur per externam gubernationem. Quòd si dicas inde secuturum Ecclesiam fore bicipitem, eò quis duo ei insint capita; nam propriè non dicitur habere duo capita, nec esse biceps, quia Pontifex est quidem Caput sed Vicarius supplens præsentiam corporalem Christi; ac gerens tantùm ejus vices, perinde ac in qualibet religiosorum domu sunt præpositus, & Vicarius, & illo absente vices gerit illius Vicarius, & non tamen propriè duo sunt capita, sed unum tantùm, quia Vicarius à Præposito dependet, cujus vices tantùm gerit in ejus absentia, quoties enim duo in administranda republica ita se habent, ut unum alteri subordinetur, tunc propriè est tantùm Caput illo cui alter subordinatur: eodem pacto dicendum de Ecclesia militante, cujus primarium Caput est Christus, & secundarium summus Pontifex, qui subordinatur Christo cujus vices supplet in sua absentia. Apostolus etiam aliud adfert exemplum ad id evincendum ad Ephes. 5. v. 23. ubi ait: *Vir caput est mulieris.* Quòd si argumentum Calvinistarum

urgeret

rum urgeet, etiam vir concluderetur esse biceps: siquidem mulier præter virum suum habet caput naturale in suo corpore, unde si vir est caput mulieris, utique haberet duo capita: liquet igitur quàm infirmum, & frivolum sit productum à Calvinistis argumentum, (sed instant, quia sicut caput, & reliqua membra hominis constituunt unum integrum corpus naturale, perinde Christus, & Ecclesiæ constituunt unum integrum corpus mysticum compactum ex capite & membris. Ergo præter Christum, qui caput est, cæteri fideles sive Pontifices sint sive non, sunt tantùm membra corporis Ecclesiæ, consequenter præter Christum nullum aliud datur Ecclesiæ caput.) Sed contra quia ut diximus caput dupliciter potest cum membris conferri scilicet quoad internum influxum, qui procedit à capite in membra reliqua totius corporis & in hoc sensu unius corporis unum tantùm est caput, secundo potest conferri quoad externum regimen, & in hoc sensu unius corporis possunt duo esse capita, quo pacto dixit Apostolus corpus mulieris habere unum caput, à quo recipit influxum spirituum sensitivorum, & rursus habet aliud caput, à quo regitur in externis actionibus & gubernatur, in quo sensu vir dicitur esse caput mulieris, quatenus hæc ab illo regitur, perinde Ecclesia in terris militans habet unum caput quoad internum gratiæ influxum, & habet duo capita quoad externam gubernationem, quorum unum supplet vices alterius absentis: in priori sensu solus Christus est caput Ecclesiæ, & reliqui omnes in ipsa sunt membra, in secundo sensu Petrus, & ejus successores sunt caput visibile Ecclesiæ quoad externam gubernationem, & quoad vices supplendas ipsius Christi sedentis nunc in cœlis ad dexteram Patris, quando igitur dicitur, quòd Christus, & Ecclesiæ constituant unum integrum corpus mysticum compactum ex capite & membris, intelligi debet de capite primario, & quoad influxum internum gratiæ, qui influxus non potest ab alio provenire nisi à Christo, & in hoc sensu loquitur Apostolus de Christo, quem vocat caput Ecclesiæ quoad internam divisionem donorum gratiæ: si verò sumatur caput quoad gubernationem externam, prout est visibile, & caput secundarium subordinatum primario Petrus, & ejus successores dicuntur etiam esse caput Ecclesiæ, quatenus vices gerunt præsentiæ corporalis Christi, & ejus vices gerunt in externa gubernatione Ecclesiæ. Hinc quando sancti Patres dicunt, caput Ecclesiæ esse solum Christum, intelligendi sunt de capite secundùm internum influxum gratiæ, per communicationem gratiarum in membra inferiora, seu fideles.

Dices, Christus est Sacerdos in æternum, ut passim docet Scriptura Psal. 109. 4. & ad Hebr. 7. ergo non est necesse dari aliud caput. Sed contra, quia ex eo quòd Christus dicatur esse Pontifex in æternum secundùm ordinem Melchisech, nullus alius inde deberet Pontifex dari; inde sequeretur, quòd neque ullus deberet alius Sacerdos in Ecclesia dari nisi Christus, quia etiam ipse dicitur Sacerdos in æternum; quod non concedunt Novatores concedantes dari in Ecclesia plures Sacerdotes. Apostolus igitur ad Hebræos 7. 17. tantùm ostendit, Christum, qui est Sacerdos, & Pontifex Novi Testamenti dupliciter differre à Sacerdote, & Pontifice Veteris Testamenti; quia Pontifex iste mortalis erat; & Christus post resurrectionem non est amplius morti obnoxius: rursus Pontifex Veteris Testamenti, quando moriebatur indigebat successore; Christus verò quia amplius non moritur, non indiget successore. Neque Catholici dant Christo successorem, sed tantùm Vicarium, qui distinguitur à successore; quia hic succedit alteri defuncto cum pari potestate, ut Successor Regis, Imperatoris, in regno, in imperio; & in Pontificatu legali Successor Aaronis; & in Pontificatu Legis Evangelicæ Christi Vicario succedit alius Vicarius cum pari potestate in vicariatu. Sed nemo dicitur succedere Christo cum pari potestate; quia Vicarius non habet parem potestatem cum illo, cujus est Vicarius, quia potestas Vicarii non est principalis, sed delegata. Sicut igitur ex eo, quòd Christus sit Sacerdos, non repugnat dari alios Sacerdotes ejus vices gerentes in sacerdotio; ita ex eo quòd sit Pontifex, non debet repugnare dari alium Pontificem ejus vices gerentem quoad externam gubernationem Ecclesiæ.

Ad hæc respondent hæretici, Vicarium Christi in Ecclesia militante non fuisse Petrum, neque ullum ex suis Successoribus; sed Spiritum Sanctum semper fuisse, ac esse, qui docet Ecclesiam, eique assistit, ne erret. Sed contra quia hæc propositio redolet hæresim Macedonii; quia si propriè velimus loqui, Vicarius non habet parem potestatem cum principali cujus est vicarius, sed potestas Vicarii est delegata, adeo ut vicarius sit semper minor principali, ac ei inferior; ergo Spiritus Sanctus si propriè semper fuit, & est Vicarius Christi in Ecclesia militante quoad externam gubernationem; sequitur esse minorem, & inferiorem Christo, quæ propositio expressè est hæresis Macedonii. Etenim vicarium propriè talem esse inferiorem eo, cujus est vicarius, fatentur omnes, & colligitur, ex communi usu loquendi, hinc quia Calvinus scripsit Christum esse Vicarium Dei Patris, Calvinistæ propugnaturi sententiam magistri, hoc interpretantur de Christo secundùm humanitatem assumptam, qua est minor Patre, non verò de Christo secundùm divinitatem; quia tantùm secundùm humanitatem est minor, non secundùm divinitatem; & quia de ratione Vicarii est, ut sit inferior illo, cujus est Vicarius; sequitur Christum non posse Vicarium esse Dei Patris nisi secundùm humanitatem; sed Spiritus Sanctus non est minor Christo secundùm divinitatem: consequenter repugnat esse illius Vicarium in Ecclesia militante; quia Christus secundùm humanitatem est inferior & minor Spiritu Sancto, non hic est inferior Christo secundùm humanitatem; & secundùm divinitatem Spiritus Sanctus est æqualis Christo, & nequit esse illius Vicarius. Præterea vel Spiritus Sanctus propriè est Vicarius Christi secundùm humanitatem, vel secundùm divinitatem. non primum alioquin Spiritus Sanctus esset minor Christo ut homine, ex quo sequeretur illud absurdum hactenus inauditum, quòd Deus esset Vicarius hominis, ac inferior homine: neque secundum dici potest: quia de ratione Vicarii est, ut sit inferior illo, cujus est Vicarius, & Spiritus Sanctus non est minor Christo secundùm divinitatem, sed æqualis eidem divinitati. Rursus vel Spiritus Sanctus propriè est Vicarius Christi in externo, & visibili regimine Ecclesiæ, vel in interno, & invisibili: Neutrum dici potest, non primum; quia Spiritus Sanctus non gubernat per se Ecclesiam visibiliter: Sicut Christus cùm vixit in terris eam gubernavit. Neque posterius asseri potest, quia inde sequeretur Spiritum Sanctum esse inferiorem Christo, ut superius ostensum est. Tum quia internum Ecclesiæ regimen consistit in interno influxu donorum gratiæ; & hunc influxum præstat Christus vel meritoriè, quatenus est homo; vel effectivè physicè

sicè quatenus est Deus: Sed Spiritus Sanctus neutromodo potest esse Christi Vicarius; nun priori, quia cum non sit obnoxius laboribus, & passioni non potest nobis mereri gratiam; neque posteriori; quia tametsi dona gratiæ dicantur esse à Spiritu Sancto, & ab ipso nobis dari; illa tamen productio, & donatio gratiæ est opus ad extra commune totius Deitatis, quia juxta Theologicum axioma opera ad extra communia sunt totius Trinitatis, sunt indivisa, ad quæ concurrunt tres divinæ personæ: ergo nulla potest ratio assignari cur communicatio, & productio gratiæ nobis impertitæ tribuatur potius Spiritui Sancto, ut Christo Vicario, & non Patri, vel Filio, cum opera ad extra sint indivisa, & communia tribus divinis personis. Non enim productio gratiæ nobis collatæ procedit à Patre, quatenus Pater est; neque à Filio, ut Filius est; neque à Spiritu Sancto ut talis est specialis persona; sed procedit à Patre, Filio, & Spiritu Sancto, quatenus hæ tres personæ sunt unus Deus, adeò ut non sint tria principia productiva illius gratiæ ad extra, sicut sunt tres personæ divinæ, sed sit unum principium, quod propriè non potest dici vicarius sui ipsius, alioquin esset inferius se ipso, quod repugnat: ergo Spiritus Sanctus non potest propriè dici Vicarius Christi secundum divinitatem & quoad internum regimen Ecclesiæ, ac influxum internum donorum gratiæ.) Si dicas, Spiritum Sanctum in Scripturis dici missum fuisse à Patre, ut esset loco Christi in Ecclesia militante in terris quam gubernaret vices gerendo Christi Joan. 14, 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis*, & cap. 16. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: fin autem abiero, mittam eum ad vos*; ex quo inferunt, Spiritum Sanctum fuisse missum, ut in militante in terris Ecclesia vices gereret Christi sedentis in cœlo ad dexteram Patris.) Sed contra negatur consequentia quia Spiritus Sanctus missus quidem fuit non ut Christi Vicarius, neque ut vices illius gereret, quia hoc pacto esset inferior, & minor Christo; missus igitur fuit, ut doceret Apostolus ut Magister principalis, & primarius, non ut secundarius, & vicarius alteri subordinatus. Quòd si urgeant Joan. 14. dicere Christum de Spiritu Sancto, *quem mittet Pater in nomine meo*, quasi dicat, quem Pater mittet meum Vicarium. Contra est, quia illa particula *in nomine meo* no significat Vicarium Christi; sed quòd mittebatur Spiritus Sanctus in gloriam nominis Christi, quia Joan. 16. 14. dicit Christus de Spiritu Sancto: *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*; ita explicant illud in nomine meo plures cum Theophylacto. Alii asserunt *in nomine meo*, perinde esse ac per merita mea; quia Christus nobis promeruit missionem Spiritus Sancti, ut censet Toletus. Communior tamen explicatio est, quia cum Christus plura dixerit suis Apostolis, ac discipulis de sua passione, resurrectione, aliisque mysteriis, quæ ipsis tunc non totaliter explorata erant Luc. 18. 34. quando postea per internam vocem Spiritus Sancti cœperunt illa intelligere, tunc per mundum universum ea promulgârunt, ac prædicarunt docentes Gentes Evangelium, & quæ ipsis per internam vocem à Spiritu Sancto suggerebantur: Tunc enim Pater æternus per Christi merita misit Spiritum Sanctum, qui doceret omnia mysteria Christi discipulos, qui in gloriam retulit avit Magistri Christi Joan. 16. *Ille* (seu Spiritus Sanctus) *me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Quæ vobis externa voce dixi, neque bene intellexistis, perfectiùs clariùsque percipietis ex interna voce, ac suggestione Spiritus Sancti, quia à Patre mittendus est in nomine meo, seu per mea merita ad perficiendam doctrinam, quam vobis aperui, & significavi; ex hoc autem non sequitur Spiritum Sanctum esse Christi Vicarium.

CAPUT IV.

Quomodo & quando Christus instituerit D. Petrum suum in militante Ecclesia Vicarium, & primatus Petri evincitur.

Certum est ex pluribus Scripturæ locis, Christum commisisse D. Petro regimen totius Ecclesiæ, quam instituerat in terris, ac propterea eum declarâsse in regimine externo, ac sensibili Ecclesiæ suum Vicarium, quatenus post illius passionem, & mortem suas vices gereret, essetque caput totius Ecclesiæ, Summus Sacerdos, & Pontifex, cui tenerentur fideles omnes subjici, ac parère, seu tota Ecclesia sita in cœtu fidelium omnium, qui Romano Pontifici se subjiciunt ac obediunt in iis omnibus, quæ ad spiritualem animarum salutem pertinent, sive fidem, sive cultum, sive mores concernant, eò quia ob promissionem illi factam à Christo, & Spiritu Sancto sit infallibilis in iis declarandis, quæ ad fidem pertinent.

Dicendum est primariam in Ecclesia authoritatem fuisse à CHristo D. Petro collatam quem propterea constituit suum in militante Ecclesia Vicarium; & quia hæc quæstio est facti, evinci debet ex historia Evangelica, ubi boc factum enarratur.

Probatur primò ex textu illo perquam illustri apud Matthæum, ubi narratur Christum hanc primatiam in sua Ecclesia authoritatem permisisse divo Petro, cùm enim Christus Apostolos interrogaret, quem ipsi crederent esse Matth. 16. *Vos autem quem me esse dicitis*? tunc Petrus tanquam primus nomine aliorum respondit: *Tu es Christus Filius DEI vivi*; & has voces pronuntiâsse, ut cæterorum Apostolorum Principem fatetur D. Chrysostomus homil. 55. in Matth. Ubi vocat Petrum ita loquentem: *Os omnium Apostolorum, & vertex totius consortii*, cui Christus reposuit: *Beatus es Simon Bariòn, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus; qui in cœlis est; & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.*

Ex

Ex hoc celebri textu totidem solent argumenta produci ad evincendam, primariam in Ecclesia authoritatem fuisse à Christo D. Petro collatam, quòd vere sunt verba, ait enim Christus alloquens Petrum: *Beatus es Simon Bariona*, quia sicut ex omni illo cœtu Petrus solus responderat pro omnibus, & tam præclaram de Christo confessionem asseruit, ideo Christus prætermissis cæteris Apostolis, & Discipulis proprio nomine, imò & indicato etiam Patris nomine eum vocat, ut nimirum clarius intelligerent reliqui, ad quem dirigerentur promissiones sequentes scilicet ad solum Petrum, quem propterea vocat beatum. Dein subdit: *Quia caro, & sanguis non revelabit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*, ut declararet, quantam esset certitudinem habitura ea fidei doctrina, quam Petrus fideles in Ecclesia edoceret. Non enim doctrina Petri, seu Ecclesia, sensu nititur, qui sæpe fallit, neque ulli affectui carnis, & sanguinis, qui solet rectum judicium corrumpere, sed quæ cœlestis Patris inspiratione suggereretur de Christo, aliisque fidei nostræ mysteriis. Subdit: *Et ego dico tibi*, quæ verba explicans D. Hieronymus lib. 3. comment. in Matth. ait: *Mercedem recepit veræ confessio.* Hæc autem merces non potuit quid aliud esse, quàm donum aliquod speciale, & singularis prærogativa, qua Petrus à reliquis distingueretur Apostolis, ac cæteris præcelleret, ut explicant Sancti Patres, præsertim Chrysostomos, Euthimius, Hilarius, quia cùm præ aliis solus Petrus confessus fuit, ipsum esse Christum Filium Dei vivi, ideo ipsi soli præ aliis contulit primariam in Ecclesia authoritatem, unde Christus subjungit: *quia tu es Petrus*, quæ nominis mutatio promissio authoritatis fuit indicium, siquidem in scripturis, ubi habetur nominis commutatio divinitus facta ibi significatur aliqua nova dignitas ei collata, cui fuerat nomen immutatum, ut liquet in Abraham, Sara, Jacob, & aliis, de quibus eleganter Chrysostomus Humil. 18. in Joan. *Ipse DEUS est, qui nomina aptè, qui Abram Abraham, & Sarai Saram, & Jacob Israel vocavit, multis à nativitate nomina imposuit, ut Isaac, Samson, & iis, quorum meminit Isaias, & Osea. Quibusdam, quam acceperunt à parentibus appellationem, mutavit, ut prædictis & Jesu. Mos etiam antiquitus erat à rebus nomina imponi. Quod & Elias fecit. Hoc autem non temere fit, sed ut ea appellatio imponatur, quæ sit divini beneficii perpetuum monumentum, & memoria per prædicta nomina auditorum animis imprimatur.* Hinc Christus per impositum novum nomen confitenti ipsum esse Christum Filium DEI vivi, indicavit fore fundamentum totius Ecclesiæ, propterea *Petrum* vocavit, quod nomen saxum firmum, prægrandi ponderi sustinendo peraptum significat, utpote qui cœlestis doctrinæ soliditate, ac firmitate totius Ecclesiæ structuram sustentaturus erat, pulchrè D. Ambrosius *Serm. 47. de fide Petri* hoc innuit, inquiens: *Petrum Christus vocat, seu saxum immobile, eò quia in ædificio Ecclesiæ futurum esset firmissimum saxum immobiliter stans, utpote quod contineret totius operis Christiani molem, atque compagem.* Præterea Christus etiam multo antea hanc nominis immutationem, & cum nomine rei significationem promiserat Petro, quia cùm fuisset ab Andrea ad Magistrum Christum deductus, tunc cum ipsum Christus fuisset intuitus, vocavit eum Petram, Joan. 1. *Intuitus enim Jesus dixit, tu es Simon, filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, ut ait Evangelista, certè hanc nominis mutationem non potuit significare, nisi officii authoritatem, quam erat Petro postea collaturus, ac si dixisset, tu non amplius Simon filius Jona, sed Cephas vocaberis, quia totam molem ecclesiastici ædificii veluti firmissimum saxum, & basis immobilis eris sustentaturus. *Tu vocaberis Cephas*, ait D. Cyrillus lib. 1. in Joan. cap. 11. *Respicit ut Deum decet, qui corda, & renes scrutatur, videtque, qui nihil ignorat ad quantam fidem, & virtutem Discipulus perventurus sit*, deinde aliquibus interjectis subdit: *Nec Simon fore jam nomen sibi, sed Petrus prædicit: vocabulo ipso commodè significans, quod in eo tanquam in petra, lapideque firmissimo suam esset Ecclesiam ædificaturus.* Et D. Chrysostomus Humil. 38. in Joan. ait: *Quamvis non omnia quidem, quæ eventura ei erant, hoc primo congressu prædixit. Non enim tunc dixit: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, illud enim majoris erat potestatis, nec non est authoritatis*, & sicut Deus ex eo, quod dixerit Abræ Genes. 17. *Vocaberis Abraham*, ducens appellationem nominis à futura dignitate, subdens: *Quia Patrem multarum Gentium constitui te*: perinde Christus dicens Petro: *Tu vocaberis Cephas*, voluit indicare futuram illius dignitatem in Ecclesia, quamvis nondum id expresserit, sed postea cùm fuisset confessus Christi divinitatem, dixit ei Jesus: *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, & indicavit, cur voluerit imposterum Petrum vocari, seu Cephas, Joan. 1. *Tu vocaberis Cephas*, seu saxum firmissimum ac immobile, super quod erat Ecclesiam suam ædificaturus, adeo ut mercedem receperit vera confessio, cùm factus Petrus fuerit fundamentum totius Ecclesiæ, dixit igitur Christus Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, seu super te Petre, quia tu firmissimus & immobilis eris perseveraturus in fide, & sana doctrina, quam fideles edocebis. Neque refert, quod Christus non dixerit supra Petrum, sed supra Petram se ædificaturum Ecclesiam, quia id præstitit, non quia diversæ res per vocabula Petrus & petra significarentur, sed ut commodius loqueretur justa formationem latinam vocum. Hinc Græcè cum dixit: *Tu vocaberis Cephas*, hoc nomen petra interpretatur, & Latinè perinde est ac Petrus, idque evidenter demonstratur ex serie orationis Christi dicentis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ubi illud pronomen demonstrativum *hanc* dicit relationem ad ipsum Petrum, cujus est correlativum, adeout per petram, super quam erat Christus suam Ecclesiam ædificaturus, nonnisi Petrus intelligatur, de quo paulo antea dixerat: *Tu es Cephas*, id est petra, seu Petrus: & de hac petra loquens postea subdit: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, cum dixit *super hanc petram*, allusit ad Cepham, seu Petrum: & ita interpretantur verba Christi Sancti Patres, qui unanimi consensu docent Petrum ibi per petram à Christo significari, quem propterea Sanctus Dionysius epist. ad Timot. vocat fundamentum Ecclesiarum, & Tertullianus *lib. de præscript. Hæret.* ait: *Latuitne aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum.* Clemens epist. 1. ad Jacob. *Simon Petrus fundamentum Ecclesiæ definitus est, qua de causa etiam Dominiore cognominatus est Petrus* Origenes Humil. 5. in Exod. ait: *Vide magno illi Ecclesiæ fundamento, & petra solidissima, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur à Domino: Modicæ fidei quare dubitâsti.* S. Cyprianus in epist. ad Quint. baptis. Hæret. *Petrum primum Dominus elegit, super quem ædificavit Ecclesiam.* D Augustinus lib. 1. retract. cap. 21. *Hoc (scilicet gallo gallinaceo) ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit: qui sensus multorum ore cantatur.* D. Basilius in Concion. de pœnit. n. 18. *Petrus cùm dixisset, Filius DEI es* altissimi,

altissimi, & audivisset, petra es encomiis celeber factus est. Etiamsi autem petra est, non ut Christus petra est, sed ut Petrus petra. Christus enim revera petra inconcussa est: Petrus verè propter petram. Largitur enim Jesus suas dignitates, & non evacuatur, sed habens dat. D. Hieronymus lib. 1. contra Jovinian. circa med. ait: *Secundùm metaphoram petra rectè ei dicitur* (scilicet D. Petro) *ædificabo Ecclesiam meam super te.* D. Hilarius Can. 16. in Matt. esclamat: *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges dissolveret, o beatus cœli Janitor.* Paulinus epist. 4. ad Sever. scribit: *Petra est Christus. Etiam discipulo hujus vocabuli gratiam non negabit, cui dicit: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* D. Prosper Aquitanius lib. 2. de vocat. Gent, cap. 9. *Hac fortissima petra ab illa principali petra Christo communionem & virtutis sumpsit, & nominis.* Sanctus Epiphanius in Ancorato sub init. *Ipse Dominus constituit Petrum primum Apostolorum petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est,* & D. Maximus serm. de Petro, & Paulo: *Per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nulli igitur potest dubium esse, quin Christus, cum dixit, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, per petram intellexerit ipsum D. Petrum, de quo dixerat: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo*, adeout pronomen demonstrativum *hanc* apertè dicat relationem ad Petrum, ut communiter explicant, & doceot Sancti Patres, hactenus recensiti, & alii omnes.

Cum Christus igitur promisisset Petro primariam in sua Ecclesia authoritatem, & ipsum fore fundamentum militantis Ecclesiæ postea subjunxit, *& tibi dabo claves regni cœlorum*, qua sponsione confirmat primam promissionem, qua promiserat super Petrum veluti firmissimam petram se ædificaturum suam Ecclesiam, & primariam authoritatem, quam debuit Petrus in Ecclesiæ regimine exercere, hanc enim potestatem vocat claves regni cœlorum, quibus regnum cœlorum aperitur, & clauditur: per has enim claves Petrus debuit doctrinam fidei explicare, verum sensum scripturarum aperire leges salutares sancire, peccata remittere, & quæ pertinerent ad divinum cultum constituere, animarum saluti consulere, & aditum ad æternam beatitudinem aperire, vel claudere, cum beneficium remissionis peccatorum justis de causis negatur, cum alicujus vita aut doctrina condemnatur, cùm anathemate quis percutitur, & excluditur à communione fidelium, hisce omnibus dicitur Petrus per claves regni cœlorum illi à Christo traditas aperire. & claudere aditum ad cœlestem gloriam, adeo ut in hisce clavibus Petro traditis summa & primaria includatur potestas in Ecclesia, non enim hujusmodi claves regni cœlorum legimus Christum promisisse, aut tradidisse aliis Apostolis, tametsi iisdem usum clavium concesserit, scilicet ut clauderent cœlum, aut aperirent retinendo, vel remittendo, solvendo, vel ligando peccata, cæterum claves ipsæ, seu plena & summa potestas id omni ratione exequendi soli Petro conceduntur. Hinc id interest discriminis inter Petrum, & reliquos Apostolos quoad potestatem clavium, quia, ut notat D. Augustinus, ad utilitatem Ecclesiæ principatus soli Petro specialiter tributus est, ait ipse in Psalm. 108. *Et tibi dabo claves regni cœlorum*, quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur: neque tamen illustrem habent intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille cognoscitur in figura gestâsse personam propter primatum, quem in discipulis habuit, sicuti est: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Et *in Tractatu 124. in Joan.* hoc idem repetit, loquiens: *Quod ad Petrum propriè pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Christianus, abundantiore gratia unus primúsque Apostolus. Sed quando ei dictum est, tibi dabo claves, universam significabat Ecclesiam.* & Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmen. ubi ait: *Solus Petrus claves accepit,* & Origenes Tract. 6. in Matth. ait: *Quoniam oportebat aliquid majus habere Petrum, ideo illi quidem sic dicit, & tibi dabo claves regni cœlorum, & quæcunque ligaveris, super terram erunt ligata, & in cœlis, non ergo modica differentia est, quod Petro quidem sint data claves non unius cœli, sed multorum cœlorum, ut quæcunque ligaveris super terram, sint ligata non tantùm in uno cœlo, sed in omnibus cœlis; & quæ solveris super terram, sint soluta non solum in uno cœlo, sed etiam in omnibus cœlis. Ad eos autem, qui multi sunt ligatores, & solutores in terra, sic dicit, ut solvant, & alligent non in cœlis sicut Petrus, sed in uno cœlo, quia non sunt in tanta perfectione sicut Petrus.* Quamvis igitur plures sint in Ecclesia, qui usum clavium aperiant, seu remittant peccata, primaria tamen authoritas fuit à Christo soli Petro collata, quem constituit caput totius Ecclesiæ, & suum in eadem Vicarium, hinc Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ non longè ab initio asserit: *Primatum dari Petro, ut una Christi Ecclesia, & una cathedra monstretur,* & D. Hieronymus lib. 1. contra Jovin. circa med. scribit: *Inter duodecim unum eligi, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* Præterea quia in scripturis nomine clavium summa solet potestas assignari, adeo ut ille sit primaria potestate insignitus, cui claves tradi dicuntur, & quia Christus non aliis Apostolis, sed soli Petro dixit: *Tibi dabo claves regni cœlorum*, sequitur primariam in Ecclesia authoritatem fuisse à Christo soli Petro collatam. Quod verò in scripturis summa potestas per claves designetur, liquet ex illo Isaiæ 22. *Dabo clavem Domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudet, & claudet, & non erit, qui aperiat.* Hæc autem clavis summam in domo David significat potestatem, & in Ecclesia primariam authoritatem à Christo Petro collatam, ut quod à Petro rectè & ligitimè constitutum sit, ratum apud omnes, ac firmum esse debeat, nec possit ab ullo rescindi, cùm dicat Propheta: *Aperiet, & nemo claudet, & claudet, & non erit qui aperiet:* per hanc clavem significari supremam in Ecclesia potestatem etiam habetur in Apocal. 3. ubi Joan. ait: *Sanctus ille, & verus, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* Solus igitur Petrus summam habet potestatem usurpandi has claves, eò quia ipsi soli Christus tradiderit, reliqui tantùm habent usum clavium.

Rursus pergit Christus Matth. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, per portas inferi intelligi hæreses, & Hæresiarchas asserunt Sancti Patres, præsertim Epiphanius in Anchorato, ubi ait: *Juxta omnem enim modum in ipso Petro firmata est fides, qui accepit claves regni cœlorum*, quod si super Petrum Ecclesia fundata est, ut possit Petri opera adversus omnes hæreses. & omnem vim inferorum firmam stare necesse est, fateamur talem fuisse à Christo tributam Petro authoritatem, ut posset in omni quæstione fidei certo docere, quæ ad salutem animarum pertinerent, & fidelibus essent salutaria. Quod verò Christus subjunxerit: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, ad antecedentia referendum est, seu ad præstantiam, & inconcussam firmitatem

illius

illius potestatis, quæ à Christo fuerat Petro collata, ad quam explicandam subjunxit Christus, *& quodcunque ligaveris super terram erit ligatum, & in cœlis, & quodcunque solveris, super terram erit solutum, & in cœlis*, scilicet authoritativè ob plenam clavium potestatem, ut ex antecedentibus colligitur, quam potestatem cæteri Apostoli non acceperunt, quia soli Petro dixit Christus: *Et tibi dabo claves regni cœlorum.*

Neque obstat, quod objiciunt Acatholici ex præcitato loco Matth. 16. non evinci, primariam in Ecclesia authoritatem fuisse à Christo collatam D. Petro, neque hunc fuisse fundamentum militantis in terra Ecclesiæ: eo quia nomine petræ non Petrum esse intelligendum, sed Christum, qui in scripturis dicitur etiam lapis angularis; vel saltem confessionem divinitatis, vel fidei de divinitate à Petro assertam; idque colligunt ex Apostolo Corinth. 3. ubi Apostolus scribit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Nam contra est, quia licèt Christus dicatur lapis angularis, & fundamentum præcipuum, quo tota Ecclesia præcipuè nititur; attamen in prædicto textu Matth. 6. non posse Christum per petram intelligi, sed ipsum Petrum, quem Christus tunc alloquebatur, liquet ex communi consensu Sanctorum Patrum, quos pauloante attulimus, & ex rationibus id clarè ostendentibus. Quòd verò per petram confessio fidei de divinitate intelligitur, nullum fidetur negotium facessere; quia sive Ecclesia dicatur fundata supra Petri confessionem fidei de Christi divinitate; sive supra ipsum Petrum singulariter confitentem, semper sequitur, primariam in Ecclesia authoritatem fuisse à Christo soli Petro collatam, & ipsum solum fuisse institutum Christi Vicarium in Ecclesia in terris militante quoad externam illius gubernationem. Quando Petrus dicitur petra, & fundamentum Ecclesiæ, non intelligitur persona Petri nudè, ac simpliciter sumpta, sed cum circumstantia confessionis fidei de Christi divinitate, quia præmissa à Petro tali confessione Christus respondit; *& ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, quia antea vocatus à Christo fuerat *Cephas*, Joan. 1. *Tu vocaberis Cephas*, quod nomen interprete eodem Evangelista Petrum, & Petram significat: quamobrem asserimus, Ecclesiam fundatam super utrumque simul, scilicet super personam Petri, & ejus confessionem fidei de Christi divinitate; idque etiam docent Sancti Patres, præsertim Chrysostomus homil. 27. ubi ait: *Princeps Apostolorum Petrus, super quem Christus fundavit Ecclesiam, verè immobilis petra, & firma confessio.* Et homil. 55. cum dixisset, Ecclesiam fundatam supra fidem Petri, ut clarius id explicaret, addit, supra Petrum de fide certò pronunciantem Ecclesiam ædificari, ait ipse: *Id Christus agit, ut homo piscator, quavis petra firmior reddatur, universo terrarum orbe reluctante*, & postea concludit, super ipsum Petrum Ecclesiam ædificatam esse. & S. Hilarius lib. 6. de Trinit. ait: *Hæc fides Petri Ecclesiæ fundamentum est*, postea exclamat: *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum! o beatus cœli janitor.* Cæterum quòd Sectarii asserant, solum Christum esse Ecclesiæ fundamentum; respondetur, solum Christum esse fundamentum primarium, ac principalius Ecclesiæ; sed inde non sequitur, Petrum non esse fundamentum secundarium, & minus principale subordinatum Primario, & principali: etenim etiam solus Christus dicitur lux mundi; & tamen præter Christum in scripturis Episcopi, Doctores, & Pastores animarum dicuntur etiam lux mundi, non tamen eadem ratione, quâ Christus, sed diversa: quia Christus est *lux primaria, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ut habetur Joan. 1. Episcopi, Doctores, & Pastores dicuntur lux mundi secundariò, & cum dependentia & subordinatione à luce primaria: eodem pacto Christus dicitur *Pastor, qui posuit animam suam pro omnibus suis*, Joan. 10. & tamen plures alii in Ecclesia dantur Pastores subordinati uni primario, & principaliori. Christus igitur fundamentum primarium, ac independens Ecclesiæ dicitur esse, & asserimus, *fundamentum aliud neminem posse ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*, ut loquitur Apostolus 1. Corinth. 3. Christus igitur est primarium ac maximum Ecclesiæ fundamentum, independens nulli alteri fundamento subordinatum, sed cui reliqua fundamenta subordinentur, quapropter D. Augustinus vocat Christum *fundamentum fundamentorum Ecclesiæ.* Pontifex verò est fundamentum secundarium subordinatum primario, quod est Christus.

Instant Sectarii, quia, quidquid Matth. 16. Christus respondit Petro, hoc etiam aliis Apostolis tributum est: siquidem omnes Apostoli in Apocalypsi Joannis *fundamenta* vocantur: & Christus Matth. 18. omnibus dixit; *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata, & in cœlo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta, & in cœlo.* Rursus omnibus Apostolis dixit Christus: *Ite, ego mitto vos, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Præterea quia Sancti Patres asserunt, omnes Apostolos in potestate, & authoritate fuisse pares. Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ ait: *Hoc utique erant cæteri Apostoli, quod erat Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis.* Hoc idem affirmant Hieronymus lib. contra Jovinianum. D. Leo lib. ad Anastasium; & alii Patres. Præterea neque ipsa promissio clavium facta D. Petro est sufficiens ad evincendum, primariam in Ecclesia authoritatem fuisse à Christo collatam D. Petro; quia non ipsi Petro, ut personæ speciali, facta fuit talis promissio, sed toti Ecclesiæ, cujus figuram tunc Petrus exhibebat, ut explicat D. Augustinus. Sed contra, quia licèt Apostoli in aliquibus pares fuerint, ut probant, quæ objiciuntur scripturæ, in aliis tamen D. Petrus cæteros antecelluit, & supra cæteros auctoritate, & dignitate fuit à Christo constitutus. Fuerunt omnes Apostoli pares in eo, quod omnes fuerunt à Christo vocati, omnes fuerunt ejus discipuli; omnes ab ipso Christo proximè, & immediatè acceperunt auctoritatem ecclesiastici ministerii Apostolici, adeo ut omnes ab ipso immediatè missi fuerint; sicut Christus missus fuit à Patre. Imò fuerunt etiam pares, quia hanc Apostolicam authoritatem ita à Christo acceperunt; ut non in una, vel altera tantùm mundi parte; sed omnes ubique prorsus terrarum possent ritè, ac legitimè fungi munere Apostolatus, & exercere prædicationem, & officia omnia ecclesiastica: *Euntes, docete omnes gentes; prædicate Evangelium omni creaturæ.* Hæc sunt, in quibus omnes Apostoli pares fuerunt; sed in aliis Petrus non ut Apostolus simpliciter, sed ut singulare fundamentum, & caput Ecclesiæ, ac Pastor totius dominici gregis cæteris antecelluit Apostolis: siquidem illa auctoritas in mundum universum soli Petro data fuit ut ordinaria, & transmittenda in successores, in quibus esset duratura usque ad finem mundi. Reliqui Apostoli hoc modo non acceperunt hanc auctoritatem; quia in eorum successores non erat transitura; sicut in successores Petri, super cujus auctoritatem Christus

voluit suam Ecclesiam fundare: *Tu es Petrus, & super hanc petram* (scilicet super tuam auctoritatem, ac dignitatem) *adificabo Ecclesiam meam*; auctoritas reliquorum Apostolorum non fuit ordinata hoc modo, sed tantum ex privilegio, quo in universum orbem se extenderet; quia super authoritatem reliquorum Apostolorum non fuit Ecclesia fundata, sed supra solam Petri authoritatem, quæ erat perseveratura in suis successoribus; fundamentum enim debet durare, & stare quamdiu durat, & stat ædificium, seu Ecclesia; & quia Petrus erat brevi moriturus, debuit hoc fundamentum durare, permanere in suis successoribus legitimè electis, ne daretur res fundata sine fundamento post mortem D. Petri. Hinc cæteris Apostolis è vita decedentibus Apostolatûs dignitas simul cum ipsis desiit, neque derivata fuit ad eorum successores. Secundò præcelluit Petrus cæteris etiam Apostolis potestate, qoia ejos potestas se extendebat etiam ad alios Apostolos, quorum erat Pastor. Dixit enim Christus indefinitè, & absque ulla exceptiooe: *Pasce oves meas*; & quia reliqui Apostoli erant oves Christi, in cujus ovili comprehendebantur; ideo demandata fuit Petro facultas eos itidem pasceodi, consequenter auctoritas, & potestaa collata à Christo D. Petro fuit primaria, qua sopra cæteros Apostolos excelloit. Quòd si dicas, Episcopos in Ecclesia esse successores Apostolorum, & ad eos derivari potestatem Apostolorum. Respondetur, potestatem Apostolorum non derivari in Episcopos, quia unus Episcopus non habet jurisdictionem, & potestatem in totum orbem terrarum, sed tantum intra limites propriæ Diæcesis: & potestas cujuslibet Apostoli fuit io totum orbem ex privilegio immediatè, & proximè à Christo cuilibet Apostolo concessò. Præterea potestas Episcopi est subordinata summo Pontifici, à quo proximè & immediatè derivator, & potestas Apostolorum fuit iisdem immediatè à Christo collata. Licet igitur Apostoli fuerint pares in eo, quòd immediatè, & proximè acceperint omnes auctoritatem à Christo, in pluribus tamen aliis Petrua cæteris Apostolis antecelluit, & præsertim quia alii Apostoli utpote oves Christi subjiciebantur Petro, ut pastori dominici gregis. Neque S. Patres hanc D. Petri præemioentiam supra reliquos Apostolos iverunt inficias; sed ex ipso textu Matth. 16. eam asseruerunt, ut superius eorum testimonia congessimus. Hinc D. Hieronymus contra Juvinian. circa medium: *Propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* Fatetor, Petrum fuisse à Christo electum caput Collegii Apostolici; & sicut caput præeminet reliquis corporis membris, ita Petrus reliquis Apostolis. Hoc idem asseruit D. Leo Epist. ad Aoastas. Tharsensem, ad quem scribit: *Inter beatissimos Apostolos in pari honoris consortio fuit quadam discretio potestatis; & cum omnium par esset electio, uni tantùm datum est, ut cateris emineret.* S. Cyprian. lib. de Veritate Ecclesiæ ait: *Quamvis & alii Apostoli pastores constituti sint, tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram Christum constituisse, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuisse.* & postea expresse dicit: *Super Cathedram Petri Ecclesiam esse constitutam*: & ita reliqui SS. Patres. Ad ultimom, quod asserebatur, claves cælorum non fuisse à Christo Petro promissas, sed Ecclesiæ, cujua Petrus tunc erat symbolum. Respondetur, claves fuisse à Christo promissas, & datas Petro, non ut privatæ personæ, sed ut capiti Ecclesiæ. Neque Ecclesia quid aliud est, quàm cœtus fidelium; & in quolibet cœto hominom, qui dignitate, & auctoritate est prinous, cœtum repræsentat. Hinc si claves, quæ à Christo Petro pomittuntur, & dantur, dicuntur promissæ Ecclesiæ, sequitur fuisse promissas Petro, non ut privatæ personæ, sed ut capiti totius Ecclesiæ, non enim sumitur Ecclesia materialiter pro parietibus.

Secundus scripturæ locus, quo demonstratur D. Petro fuisse à Christo collatam primariam in Ecclesia authoritatem, desumitur ex Joan. 21. ubi Evangelista hanc enarrat facti quæstionem. *Erant Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilea, & filii Zebedai, & alii ex discipulis ejus duo &c. & dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine; tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis diligis me? Ait illi etiam Domine: tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Joannis amas me? contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò: amas me? Et dicit ei: Domine tu omnia scis, & scis, quia amo te. Dicit ei: pasce oves meas.* Ex hoc illustri textu D. Ambros. lib. 10. in Luc. cap. 24. infert Christum, cum esset in cœlum ascensurus, cæteris Apostolis prætulisse unum Petrum, quem pastorem constituit suarum ovium, quas ob specialem amorem ei concredidit, ait D. Ambros. *Vicarium amoris sui erga gregem D. Petrum relinquens omnibus enim Apostolis antetulit*, eique regimen Ecclesiæ toties ante promissum attribuit. Ratione id evincitur: quia Christus per citata verba singularem auctoritatem regendi, seu gubernandi Ecclesiam Petro attribuit, qualis non fuit cæteris concredita Apustolis: sed siogularis auctoritas regendi universum dominicum gregem, seo cœtum omnium fidelium, vel Ecclesiam constituit D. Petrum supra reliquos omnes Apostolos, quia ille solus præfertur ovibus, qui constituitur pastor, & gubernator ovium: atqui etiam Apostoli reliqui fuerunt oves Christi, & de illius ovili, quorum Pastor fuit Petrus à Christo constitutus: ergo primaria auctoritas in Ecclesia fuit à Christo Petro collata. Hunc Ecclesiæ primatum soli Petro esse collatum à Christo, potest etiam ostendi ex circumstantiis, quæ habentur in facti narratiooe recensita à Joanne 21. Primò interrogat Christus Petrum: *Simon Joannes diligis me plus quam his?* solum Petrum interrogavit de præstanti illius charitate supra cæteros discipulos, qui aderant, quia sicut noverat, ejus amorem esse præstantiorem, ac amore cæterorum majorem, & excellentiorem; ita ipsi soli majorem, & excellentiorem conferre voluit authoritatem, ac illi soli concredere totius militantis Ecclesiæ regimen, ut fieret in terris sopremus Pastor totius dominici gregis. Secundò, quia cum Petrus suom in Magistrum Christum fuisset amorem testatus, jossus est pascere dominicum gregem, *pasce oves meas*, scilicet omnes oves absque ulla diminutiooe, & exceptione, sed inter has oves erant etiam Apostoli; ergo & ipsi subjiciebantur Petro, ut eorum pastori. Tertiò, quia absque distinctione absolutè dixit Petro, *pasce oves meas*, ut significaret, eos non esse ex Christi ovili, neque de nomero suarum ovium, quos D. Petrus non pasceret. Neque obstat, quod respondet Calvinus lib. 4. Instit. cap. 7. Christum noo dixisse, *pasce omnes oves meas*, sed tantùm, *pasce oves meas*, quia voluit Apostolos excipere, quos pares fecerat Petro. Nam contra est, quia Christus, cum dixerit absolutè, & absque ulla restrictione, *pasce oves meas*, intellexit de omnibus suis ovibus: alioquin si non comprehendisset omnes suas oves, explicasset, quot & quales deberet Petrua oves pascere. Præterea cum Christus voluerit curam suarum ovium Petro concredere, dubium non est, quin voluerit, ut Petrus agnosceret, quas oves deberet pascere; ne illi commendaret curam ovium, quas non cognosceret:

sed nisi de omnibus fuisset ovibus loquutus, non satis potuisset Petrus percipere, quas oves deberet pascere, & quas omittere ut per se liquet: unde concludendum est, Christum commisisse Petro pascere omnes suas oves, & quia Apostoli vel maximè erant de ovili Christi, & ejus oves, ideo & ipsi pascendi erant à Petro, cui propterea subjiciebantur; adeo ut primaria Ecclesiæ dignitas. & auctoritas collata à Christo fuerit D. Petro. Hinc D. Bernardus de consideratione ad Eugenium paulò post medium ait: *Quamobrem neque Apostolos quidem à Petri cura exemit: Nisi forte non etiam illi Christi oves fuerunt:* unde omnes, & singulæ Christi oves etiam Apostoli Petro pastori subjiciebantur.

Respondent Sectarii, Apostolos non indiguisse Petro pastore, eo quia à Christo suam acceperunt doctrinam, suámque potestatem promulgandi Evangelium, & baptizandi gentes: dixit enim omnibus Apostolis: *Euntes in mundum universum, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Sed contra, quia Apostoli indiguerunt Petro pastore ad eum finem ad quem Christus illum assumpsit ut pastorem suarum ovium, scilicet ut oves illius unum haberent pastorem, quem cognoscerent, ac illi obsequerentur; seu ut in Ecclesia esset unum caput visibile, cui reliqui subjicerentur, ac obedirent; & per unitatem capitis omnis amputaretur occasio schismatis in membris inferioribus, quæ facile dissentiunt in illa hominum multitudine, in qua unus rector non præest reliquis. Neque obstat, Apostolos non indiguisse Petro pro illis facultatibus prædicandi, baptizandi, & aliis, quas à Christo immediatè acceperunt, quia adhuc indiguerunt Petro, ut eorum in terris visibili capite, cui obedirent, prout prædicatio videretur magis conducere ad salutem animarum, ac majorem Evangelii propagationem. Neque opus est, ut omnes subditi semper indigeant instrui vel puniri, ut sint sub uno superiore. Quamvis omnes subditi essent doctissimi, neque indigerent ab alio instrui, quamvis omnes servarent leges, neque ullus foret pœna dignus infligenda per sententiam superioris; nunquid adhuc essent subditi? & haberent caput cui obedirent? Neque illud verbum pascere ad solam coarctatur prædicationem, quâ non videbantur Apostoli indigere, cum doctrinam acceperint à Magistro Christo, & ab eodem etiam facultatem eam promulgandi. Est enim *pascere* proprium pastoris, exercere officium; & in officio pastoris tres includuntur actus, quorum primum est pabulum exhibere ad vires reficiendas, ac vitam sustentandam, & oves ad pascua ducere: hinc per Ezech. 34. 2. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos! Nonne greges à pastoribus pascuntur?* ubi per gregem non intelliguntur pecudes, nec bruta animalia, sed homines, quales fuerunt filii Israelis; ut & per pastores intelliguntur qui in Ecclesia cæteris præsunt, quos regunt, & gubernant: Hinc David Ps. 22. 1. *Dominus regit me,* (seu ut Græcè legitur) *pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit.* Secundum Pastoris officium est oves infirmas pristinæ restituere sanitati, dispersas colligere, errantes ad ovile reducere, periclitantes à lupis defendere, Ezech. 34. v. 5. *Dispersæ sunt oves meæ, eò quia non esset pastor, & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Erraverunt greges mei, & non erat qui requireret.* Et nonnullis interjectis v. 15. *Ego pascam oves meas, & ego accubare faciam, dicit Dominus Deus, quod perierat, requiram, & quod abjectum erat, reducam, & quod confractum erat, alligabo, & quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingue fortè custodiam.* Tertiùm pastoris officium est, præesse, regere, gubernare, judicare, punire, & ea omnia exercere, quæ ad superiorem pertinent, ut ritè suos possit in subditos munus obire, hinc 2. Reg. cap. 5. v. 2. dicitur: *Tu pasces populum meum Israel,* hoc est, tu reges, & gubernabis, ut colligitur ex sequentibus verbis: *Et tu eris Dux super Israel,* & Ps. 2. v. 9. *Reges eos in virga ferrea,* ubi Græcè legitur, *pasces eos.* Quod etiam ad Pastorem Ecclesiæ pertineat discernere, judicare subditos, habetur Ezech. 34. v. 17. *Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus, ecce ego judico inter pecus arietum, & hircorum,* & v. 20. *Ecce ego ipse judico inter pecus pingue, & macilentum,* ex quibus scripturis concluditur, quod cum Christus dixit Petro, *pasce oves meas,* ei proprium concredidit pastoris officium, seu superioris gubernatoris, ac supremi Judicis respectu omnium Christi ovium, seu omnium Christianorum, in quo numero etiam Apostoli reliqui comprehendebantur, quia Christus nullum excepit, & absque ulla limitatione dixit Petro: *Pasce oves meas,* consequenter dedit ipsi potestatem exercendi officium pastorale, quod est oves ad pascua ducere, morbosas curare, inter sanas & vitiosas judicare, dispersas colligere, contumaces adigere ad obediendum, lupos arcere; hæc enim omnia indicantur in sacris scripturis, & non intelliguntur de pastore multarum ovium, sed multò magis de pastore fidelium, unde Petrus, cui Christus concredidit suas oves, & tribuit officium pastoris, accepit potestatem, hæc omnia præstandi respectu omnium Christianorum, quia hoc officium soli Petro fuit à Christo tributum, ideo solus Petrus est pastor omnium ovium Christi, & cùm Apostoli alii essent & ipsi oves Christi, utique eorum etiam pastor fuit Petrus, ut explicant S. Patres, docentes per verba illa, *pasce oves meas,* aliquid speciale fuisse Petro datum, quod reliquis Apostolis concessum non fuit, alioquin si Petro nihil datum amplius fuisset, quàm quod antea acceperat per verba illa: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos,* quod fuit commune omnibus Apostolis, non fuisset opus soli Petro injungere, ut suas oves pasceret: *Pasce oves meas,* sed hoc officium injunxisset omnibus Apostolis, sicut omnes misit: neque fuisset opus præmittere trinam interrogationem factam soli Petro: *Simon Joannes diliges me plus his,* neque fuisset necessaria triplex illa commissio, *pasce agnos meos, pasce agnos meos, pasce oves meas,* hæc omnia supervacanea fuissent, si nihil amplius Petro dedisset, quàm antea dederat, cum alloquens omnes Apostolos dixit: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Cum igitur non omnibus Apostolis, sed soli Petro facta fuerit trina interrogatio, & postea per injunctum officium pastoris, *pasce oves meas,* quid aliud accepit tunc petrus à Christo, quod antea non acceperat. Respondent Acatholici: per illa verba Christum constituisse quidem Petrum pastorem, seu superiorem, non tamen primatu præeminentiæ supra reliquos Apostolos, sed ad declarandum primatum in amore, eò quia præmiserit trinam interrogationem, num ipsum amaret, & ideo concludunt ei contulisse primatum charitatis, seu declarâsse charitate erga Christum superâsse reliquos Apostolos, quia cùm Christus non potuerit ignorare amorem Petri, adhuc voluit ipsum interrogare, ut ejus amor aliis etiam innotesceret, quos charitate superaverat, præsertim cùm plura dedisset signa illius amoris erga Magistrum Christum, ut cum ambulavit super tumentes maris fluctus, ut citius ad Christum perveniret, cum nudato gladio Christum defendit, & Malchi militis auriculam amputavit, quod ex ferventissimo amore in Magistrum Christi egit, cum dixit: *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo,* cùm ægrè permisit sibi lavari pedes à tanto Magistro, *Tu mihi lavas*

pedes? ex quibus concludunt, Christum constituisse Petrum supra reliquos Apostolos, quatenus declaravit, ejus amorem fuisse supra reliquos alios Apostolos, proinde meruisse ut hoc exterius declararetur, & primatu charitatis insigniretur. Sed contra, quia primatus Petri à Christo ei collatus, cum dixit, *pasce oves meas*, non potest intelligi de primatu charitatis, sed necesse est, intelligatur de primatu præeminentiæ, quia vel Sectarii loquuntur de interno affectu charitatis vel de externo signo, quo se prodit internus affectus: si de interno is non potuit innotescere Petro, nec aliis Apostolis, non enim Petrus potuit scire, quantus esset affectus amoris in Joanne, nec Joannes quantus esset in Petro, & ita de reliquis Apostolis, quia solus Deus est cordium scrutator, & Ecclesia non nisi de externis cadentibus sub sensus exteriores judicat: quòd si dicant, Christum manifestâsse internum Petri affectum, cum dixit: *Diligis me plus his*, respondetur, hanc interrogationem factam fuisse post resurrectionem, consequenter antea amor, quo Petrus Magistrum diligeret, non fuit notus aliis Apostolis, ut cognosci posset fuisse majorem, & nihilominus Christo, tunc etiam primatum totius Ecclesiæ accepit, cùm fuerunt ipsi traditæ claves. *Tu es Petrus, & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Sin verò loquatur de signo exteriori charitatis, neque potuerunt reliqui Apostoli certo cognoscere, Petrum habere primatum charitatis, quia illa signa exteriora non erant sufficientia ad id demonstrandum: siquidem Christus quasi semper reprehendit Petrum, quando hæc signa exteriora sui amoris prodidit: etenim quando marinos fluctus calcavit, ut citius perveniret, dixit ei Christus Matth. 14. v. 31. *Modicæ fidei quare dubitasti.* Quando exserto è vagina gladio Malchi auriculam amputavit Matth. 26. v. 52. *Converte gladium in locum suum. Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Quando dixit: *Domine tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire: etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*: statim respondit ei Christus Luc. 22. v. 34. *Non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me*: cum dixit: *Tu mihi lavas pedes, non lavabis mihi pedes in æternum*: etiam respondit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, Joan. 13. v. 8. Et quando dixit: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*, respondit ei Christus Matth. 16. v. 23. *Vade post me Sathanas, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ DEI sunt, sed ea, quæ hominum.* Quòd si cæteri Apostoli has omnes reprehensiones factas Petro audierunt, ex iisdem non poterant conjicere, Petrum charitate in Magistrum Christum omnes alios superâsse, quinimo ex repræhensionibus illis inferre potiùs debuissent, Petrum amore sincero non dilexisse Magistrum. Præterea Christus an plus dilexerit Petrum quàm Joannem, & an Petrus intensius Christum amaverit, quàm Joannes non est exploratum apud Sanctos Patres, & D. Thomas. 1. *part. quæst.* 30. *art.* 4. *ad* 3. hanc quæstionem proposuit quidem, sed non definivit: sed tantùm adfert plures Authorum sententias, quorum alii asserebant, quod Petrus plus dilexerit Christum in membris, & ideo ei fuisse concreditum primatum Ecclesiæ: alii quod Joannes plus dilexerit Christum in se ipso, & ideo Mater Christi eidem fuit commendata. Alii dicunt amorem Petri quoad fervorem, & promptitudinem fuisse quidem majorem, non verò quoad familiaritatem, quia superabatur ab illa Joannis; unde ex primatu charitatis non potest concludi, fuisse Petro datam supremam authoritatem in Ecclesia, præsertim cùm D. Hieronymus *lib. 1. contra Jovinianum* ex pluribus titulis probet, Joannem fuisse chariorem Christo quàm Petrum, & Tertullianus *lib. de præscript. cap.* 22. Tametsi Petro concedat præeminentiam potestatis, Joanni tamen dat prærogativam dilectionis, ait ipse: *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves regni cælorum consecutum, & solvendi, & alligandi in cœlis, & in terris potestatem? Latuit aliquid Joannem dilectissimum Domino pectori ejus incumbentem, quem loco suo Filium Mariæ commendavit.* Demum tametsi Petrus plus dilexerit Christum quam Joannes, quod Patres non inficiantur, non tamen potestas à Christo tributa Petro, cum illi dixit: *Tibi dabo claves regni cælorum*: & illud aliud, *pasce oves meas*, consistit in illa dilectionis eminentia: primatus enim Petri, & authoritas ipsi tunc tributa consistit in prærogativa potestatis, & jurisdictionis, siquidem ligare, & solvere non pertinet ad eminentiam dilectionis, sed ad prærogativam jurisdictionis, ut per se liquet, & fatentur communiter Patres.

Mirum sane, quod ex Acatholicis non desint, qui censeant, à Christo non fuisse Petro alium primatum collatum supra reliquos Apostolos, quàm illum vocationis, quod nituntur ostendere ex Matth. 4. & Luc. 5. Quod quam falsum sit, statim liquebit, pro quo triplex distinguenda est vocatio, prima, qua Andreas, Petrus, Philippus, & Nathanael fuerunt ad Christum admissi tanquam familiares auditores: non quidem, ut cum ipso semper imposterum constanter manerent, sed ut viderent, ubi Christus habitaret, & quid diceret, & hæc admissio propriè non fuit vocatio, & in ipsa certum est, Andream præcessisse Petrum, & Philippum, & Nathanaelem, ut expressè habetur *Joan.* 1. *v.* 41. & consentiunt communiter Patres. Secunda vocatio fuit, quando propriè vocati à Christo fuerunt, ut discipuli constanter imposterum cum illo permansuri, & tunc Petrus & Andreas fuerunt simul tempore vocati, & post illos Jacobus, & Joannes pariter simul Matth. 4. v. 18. *Ambulans autem JESUS juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus mittentes rete in mare*, (erant enim piscatores) *& ait illis, venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum, at illi continuò relictis retibus secuti sunt eum, & procedens inde vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo Patre eorum reficientes retia sua: & vocavit eos. Illi autem statim relictis retibus, & Patre, secuti sunt eum.* Constat igitur, Petrum non fuisse solùm primò vocatum, sed simul tempore cum Andrea, consequenter primatum vocationis non deberi soli Petro. Tertia vocatio fuit, qua discipuli proprie vocati fuerunt, ut Apostoli, & illi ex numero discipulorum electi fuerunt ad Apostolatum ut ad gradum altiorem, & quoad hanc vocationem simul tempore fuerunt simul duodecim electi Luc. 6. 13. *Et cùm dies factus esset, vocavit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis: quos & Apostolos nominavit*, scilicet eodem tempore illos elegit, ac propterea Patres in hoc sensu dicunt omnes Apostolos in electione fuisse pares, & Melchiades in epistola ad Episcopos Campaniæ scribit: *Licèt cunctorum Apostolorum par esset electio, beato tamen Petro concessum est, ut aliis præemineret*, ubi præeminentia Petri supra reliquos Apostolos non est præeminentia vocationis, neque electionis ad Apostolatum, sed est præeminentia potestatis, & jurisdictionis, in

in omnes fideles. Quòd si interdum Patres videantur asserere, Petrum fuisse primum in ordine Apostolorum, debent Patres in eo sensu intelligi, quo intelligitur illud Matth. 10. v. 2. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus*, ubi illa vox, primus, non significat, Petrum fuisse primum ordine vocationis, sed ordine dignitatis, eminentiæ, & jurisdictionis, ut explicat D. Augustinus 10. *de verbis Domini cap. 3.* illud Apostoli Pauli 1. Timoth. 1. v. 15. *Christus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quorum primus ego sum*, ubi Augustinus ait: *Ante Paulum non erant peccatores? certè vel ipse Adam ante omnes: & plena peccatoribus terra deleta diluvio, & deinceps quàm multi? unde ergo verum est, ego primus sum: primum se dixit non peccatorum ordine, sed peccati magnitudine. Quomodo inter Advocatos primus est iste, non quia plures annos habet, ex quo causas egit, sed quia, ex quo cœpit, cæteros superavit.* Petrus igitur primus Apostolorum, non ordine temporis, sed dignitate officii, non quia primus omnium inchoaverit Apostolatum, sed quia, ex qoo cœpit, cæteros superavit. Neque Sancti Patres dicunt, Petrum ordioe temporis ante alios vocatum fuisse, nec io hac vocatione coosistere primatum Petri, sed primatum Petri constituunt in præeminentia dignitatis, & jurisdictionis. hinc Optatis lib. 2. contra Parmenianum prope initium ait, loquens de Romana Cathedra, in qua sedit omnium Apostolorum caput Petrus: *Unde & Cephas appellatus est, in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singula sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret, ergo Cathedra unica est.* Augustinus lib. de Pastor. cap. 13. *Imò verò & in ipso Petro unitatem commendavit. Multi erant Apostoli, & uni dicitur, pasce oves meas.* Quod expressius etiam indicat D. Hieronymus lib. contra Jovinian. ubi ait: *Propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* Cyprianus *lib. de simplicitate Prælator. Petro post resurrectionem suam dicit, pasce oves meas, & quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: sicut me misit Pater, & ego mitto vos, tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua authoritate disposuit.* Anselmus in cap. 16. Matth. *Eam potestatem ideo uni Petro concessit specialiter, ut ad unitatem nos invitaret. Ideo enim eum Principem Apostolorum instituit, ut Ecclesia quasi unum principalem Vicarium Christi haberet, ad quem diversa Ecclesiæ membra recurrerent, si fortè inter se dissentirent. Quoniam si diversa essent capita in Ecclesia, unitatis vinculum rumperetur per diversa schismata*, non poterat Anselmus clarius loqui, neque efficacius probare, præeminentiam jurisdictionis, & potestatis in Petro super reliquos omnes fideles. D. Bernardus lib. de coosideratione ad Eugenium, vocat Petrum unicum Christi Vicarium, non quòd reliqui Apostoli non fuerint Vicarii, sed quia non fuerint Generales Vicarii, respectu totius Ecclesiæ: ait ipse scribens ad Eugenium: *Inde est, quod Petrus altera vice instar Domini gradiens super aquas unicum se Christi Vicarium designavit, qui non uni populo, sed cunctis præesse deberet.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechef. 11. ait: *Omnibus Apostolis reticentibus Petrus Princeps Apostolorum, & supremus Ecclesiæ Præco dicit ad ipsum*; ubi vocat Petrum Principem Apostolorum, & postea explicans, quo sensu dicatur Princeps asserit esse supremum Ecclesiæ præconem. Cassianus lib. 3. de Incarnatione cap. 12. etiam vocat Petrum Principem Apostolorum, eò quia inter Apostolos erat summus, & præ reliquis habebat sacerdotii principatum, ait ipse: *Interrogemus summum illum, & inter Discipulos Discipulum, & inter Magistros Magistrum, qui Romanæ Ecclesiæ gubernaculum regens, sicut fidei habuit, ita & sacerdotii principatum. Dic nobis ergo, dic nobis Princeps Apostolorum Petre.* Et D. Ephren, Syrus serm. de transfigurat. Domioi confert D. Petrum in Ecclesia Christianorum Moysi in veteri testamento, quia sicot Moyses fuit Priioceps Hebræorum, ratione potestatis, & jurisdictionis, ita Petrus cum eadem potestate, & jurisdictione fuit Princeps Christianorum: ait ipse: *Sicut Moyses societatis illius, & conjunctionis Hebræorum jussu DEI Princeps fuit: ita Petrus Ecclesiæ Christianorum, atque ut ille veteris, ita hic novi testamenti Princeps.* D. Leo Papa serm. 3. de assumptione ad Pontif. *Unus de toto mundo Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur: ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Et Hugo Victorinus serm. 64. de Apostolis Petro, & Paulo ait: *Petrus cæteris eminet excellentia potestatis, Paulus excellentia prædicationis, Petrus Sol, Paulus Luna, Petrus Sol per collatam sibi divinitus potentiam: Paulus Luna per collatam sibi cœlitus sapientiam*; & paulò infra addit: *Petro soli inter cæteros, & præ cæteris à Domino cura pastoralis principaliter, & specialiter injuncta est, ubi dicitur, pasce agnos meos.* Arnobius ad Psal. centesimum trigesimum octavum: *Ecce Apostolo Petro pœnitenti succurritur, qui est Episcopus Episcoporum, & major gradus redditur ploranti, quàm sublatus est deneganti. Quod ut doceam illud ostendo, quod nullus Apostolorum nomen pastoris accepit. Solus enim Dominus Jesus Christus dicebat: Ego sum pastor bonus. Hoc ergo nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem post resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit, & ter negatus negatori suo, hanc, quam solus habuit, tribuit potestatem: ut non solum recuperasse, quod amiserat, probaretur, verùm etiam & multo amplius pœnitendo, quàm negando perdiderat, acquisivisse.* S. Eucherius Lugdunensis in vigilia Sancti Petri ait: *Dicit ei* (scilicet Petrus) *pasce oves meas. Priùs agnos, deinde oves commisit, quia non solùm pastorem, sed & pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves: pascit filios; pascit & matres: regit & subditos, & prælatos: omnium igitur pastor est, quia præter agnos, & oves in Ecclesia nihil est.* Hinc Sancti Patres disertè vocant S. Petrum *Vicarium Christi*, ut Ambrosius ad cap. 14. Lucæ. Anselmus in cap. 16. Matth. Bernardus lib. 2. de Considerat. ad Eugenium. Alii de Hieronymus *in Psal.* 13. Chrysostomus *homil.* 11. *in Matthæum* vocant Petrum *Caput Ecclesiæ.* Augustinus in lib. quæstionum veteris, ác novi testamenti, vel quis alius sit author quæst. 75. *Caput fidelium, & Pastorem Dominici gregis.* Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum, & Cyrillus Alexandriuus lib. 12. in Joan. cap. 64. *Caput omnium Apostolorum.* Basilius in procœmio præceptionum, *Principem Apostolorum.* Isidorus Peluriota lib. Epist. 142. *Coryphæum Apostolorum.* Origenes homil. 2. in diversos locos oovi testamenti *Verticem Apostolorum.*

Acatholici tamen objiciunt contra nostram assertionem aliquos Sanctos Patres. Primo S. Augustinum lib. 2. cootra Gaudentium cap. 12. obi expendens illud Christi ad Apostolos Act. 1. 8. *Eritis mihi*

mihi testes in Jerusalem, & in totam Judæam, & Samariam, usque ad terminos terræ, ex quibus verbis infert, Christum in suo discessu commisisse omnibus Apostolis officium prædicandi Evangelium in mundum universum; neque unum prætulisse aliis; sed omnibus indifferenter, & cum æquali potestate injunxit officium propagandi Evangelium in totum mundum: ait Augustinus: *Hanc sponsam* (scilicet Ecclesiam) *suis amicis sponsus abiens commendavit*, asserunt Augustinum docuisse, Christum commendâsse Ecclesiam, quæ sua est sponsa, æque omnibus Apostolis, tanquam suis Vicariis; neque Petro fuisse quidquam collatum supra reliquos Apostolos. Sed contra, quia D. Augustini sensus non est ille, quem Sectarii asserunt; sed tantùm Augustinus asseruit, Christum injunxisse suis Apostolis promulgationem Evangelii in mundum universum; non verò omnes Apostolos fuisse pares in regimine Ecclesiæ. Tametsi in præcitato textu Act. 1. 8. nil Petro fuerit collatum supra reliquos Apostolos; ei tamen fuerat antea concredita specialis, & primaria cura totius dominici gregis, cum soli Petro dixit: *Pasce oves meas*; ideoque pro ipso, & suis successoribus rogavit Patrem, ne unquam deficerent in fide: *ergo rogavi pro Te Petre, ut non deficiat fides tua*, & in Petro intellexit etiam ejus Successores in regimine militantis Ecclesiæ, cum Christus sciret, Petrum brevi fuisse moriturum. Neque est necesse, quod in locis omnibus semper omnia, & singula repetantur; alioquin Apostolis non fuisset tradita potestas baptizandi, cujus nulla fit mentio in præcitato loco Actor. 1. 8. sed solum officium prædicandi, ac promulgandi Evangelium in mundum universum. Quòd verò Sectarii asserant, Christum in suo discessu dedisse omnibus indifferenter curam totius mundi, & regimen suarum ovium, id falsum omnino est, quia per verba illa, *eritis mihi testes*, solùm junxit Apostolis officium, promulgandi Evangelium in mundum universum: neque ex verbis illis potest inferri, fuisse traditam curam, seu concessionem regimen universæ Ecclesiæ cum æquali potestate omnibus Apostolis, quia hoc supremum regimen fuit soli Petro concessum, quia illi soli post trinam interrogationem de ejus amore præ cæteris dixit: *Pasce oves meas*.

Objiciunt secundò D. Anselmum, qui in Psal. 38. ait: *Ascende ergo homo in cælum, & videbis verum illum, & æternum atque perpetuum Sacerdotem, cujus hic imagines videbas Petrum, Paulum, Joannem, Jacobum, Matthæum, Thomam*, ex quibus inferunt, D. Ambrosium docuisse, non solum Petrum, sed etiam reliquos Apostolos repræsentâsse æquè Christum, ac fuisse æque ejus Vicarios. Sed contra, quia D. Ambrosius nunquam dixit, omnes Apostolos fuisse æquè Christi Vicarios, & cum æquali potestate in Ecclesiæ regimine, sed tantùm asserit, omnes Apostolos fuisse imagines Christi, quatenus erant sacerdotio initiati, quod de reliquis sacerdotibus novi testamenti dici potest, omnes siquidem ratione sacerdotii sunt Christi imagines, tametsi non omnes æquales, cùm etiam Sectarii concedant, Episcopos saltem ratione jurisdictionis, & ex divina institutione esse majores, & eminentiores simplicibus sacerdotibus. Præterea qualis fuerit verus Ambrosii sensus, infertur ex verbis præcedentibus, ait enim: *Primum igitur umbra præcessit, secuta est imago, erit veritas. Umbra in lege: imago verò in Evangelio: veritas in cœlestibus. Umbra Evangelii, & Ecclesiæ in lege, imago futuræ veritatis in Evangelio, veritas in judicio Dei*: sub hac sententia asserit, sacerdotes legis Mosaicæ fuisse umbras respectu Christi: sacerdotes Evangelii esse imagines respectu ejusdem, & Christum in cœlo esse veritatem in ratione sacerdotii: ex quo Ambrosii sensu, sicut non sequitur, omnes sacerdotes veteris legis fuisse inter se æquales, sed unum fuisse, qui cæteris præesset, & cui concredita erat cura totius synagogæ, quique summus Pontifex vocabatur, ad quem pertinebat lites legales dirimere, & cui sententiæ sub pœna capitis debuerunt subditi acquiescere: ita in lege evangelica non omnes sacerdotes sunt æquales inter se, sed alii aliis præferuntur, & datur unus, qui omnium regimen in se habeat, & ad quem pertineat dubia, quæ occurrunt circa fidem explicare, ac populos docere: sicut igitur omnes sacerdotes legis Mosaicæ fuerunt umbræ Christi, & tamen inter illos Pontifex erat major aliis: perinde omnes sacerdotes evangelici, quamvis sint imagines Christi, adhuc Pontifex est cæteris eminentior, ac majoris potestatis.

Objiciunt tertiò, D. Chrysostomum homil. 11. in epist. 2. ad Corinth. ubi explicans verba D. Pauli, *pro Christo legatione fungimur*, ait: *Misit Filium Pater exhortari, & legatione fungi apud humanum genus pro se. Quoniam autem ille occisus abiit, nos legationem suscepimus, & pro illo, & Patre exhortamur vos.* Et nonnullis interjectis subdit: *Igitur pro Christo legatione fungimur, id est, illius loco. Nam nos, quæ illius officii sunt, suscepimus*. ex quo inferunt, omnes Apostolos fuisse pares in potestate, & jurisdictione, siquidem Legatus repræsentat suum principalem, à quo immediatè, & proximè mittitur, & vices ipsius gerit: atqui omnes, & singuli Apostoli ex D. Paulo sunt Legati Christi, ergo omnes, & singuli æqualiter supplent vices Christi, adeo ut D. Petrus non magis suppleat vices Christi, quàm alii. Verum contra est, quia Chrysostomus non solum Apostolos, sed etiam Christum asserit, fuisse legatione functum pro Deo: & nihilominus agnoscit, Christum esse majorem Legatum, quàm Apostolos, ergo ex eo, quòd D. Paulus asserat, omnes Apostolos fuisse functos pro Christo legatione, ideo non sequitur, omnes fuisse æquales in legatione, alioquo etiam Christus fuisset æqualis Apostolis. Præterea Chrysostomus asserit, Apostolos suscepisse, quæ erant officii Christi; atqui ejus officium fuit, sua morte redimere genus humanum, sacramenta instituere, ergo ex Chrysostomo Apostoli omnia hæc officia suscepere, quod est falsum. Quòd si Apostoli non susceperunt omnia, quæ fuerunt officii Christi, sed aliqua tantùm, non potest inde inferri, omnes fuisse æquales in hac legatione, quia potuit unus plura suscipere, quàm alius, & cum majore, vel minore limitatione exercere, quæ erant officii Christi. Etenim Legati, & Nuntii Apostolici, qui à summo Pontifice mittuntur in varias mundi Provincias, revera sunt ipsius Legati, & nihilominus nonnisi cum limitatione accipiunt, quæ pertinent ad officium Pontificis, & unus plus alio habet potestatis, & jurisdictionis, adeo ut quamvis omnes fungantur pro Pontifice legatione, non tamen omnes in hac functione sunt æquales ratione potestatis, & jurisdictionis. Hoc idem etiam dici potest de Legatis Principum, & Regum.

Rursus illustris textus, quo ex scripturis probatur, primariam in Ecclesia authoritatem fuisse Petro collatam, desumitur ex Evangelista Luca 28. ubi Christus contentione exorta inter Discipulos, *quis eorum videtur esse major*, hunc ambitionis tumorem oppressurus sui exemplo proposito, præscribit modum humilitatis illi, qui major esset futurus, ait enim: *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, vos autem non*

non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est sicut ministrator. Nam quis major est, qui ministrat, an qui recumbit? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Postea Petrum alloquens, & illi impetrans usum illius primariæ authoritatis in confirmandis fratribus in fide satis apertè significavit, solum Petrum fuisse illum, cui in antecedentibus modum exposuit tenendum in supremo gradu dignitatis, ait enim ad solum Petrum: *Simon ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem oravi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* In hac contentione inter discipulos orta notanda sunt aliqua, quorum primum est, Christum non rogasse in sua Ecclesia aliquem futurum fuisse, qui reliquis omnibus præesset, & cui regimen totius Ecclesiæ committeretur; imò hunc cæteris præferendum potius asseruit, cùm dixit: *Sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator*, quia jam decreverat Christus aliquem præficere, qui cæteris omnibus præesset, ad quem totum regimen Ecclesiæ pertineret, & hunc monet, ut in sublimi gradu dignitatis constitutus non secularium Principum ambitiosum rumorem imitetur, sed suam ipsius Christi moderationem atque submissionem, subdit enim: *Ego enim sum inter vos, sicut qui ministrat.* Quòd si Christus, cum major esset omnibus Apostolis, quorum & erat Magister, voluit inter ipsos esse, sicut qui ministrat, ita eum monuit, cui statuerat regimen totius Ecclesiæ concredere, ac aliis omnibus præficere, ut inter ipsos esset sicut qui ministrat. Præterea is, qui cæteris erat præficiendus, fuit solus Petrus, pro cujus fide oravit Christus æternum Patrem, ut firmior staret, cum esset fundamentum totius Ecclesiæ, & tunc eundem Petrum jubet fratres aliquando confirmare in fide, & quia hoc officium soli Petro demandatur, ei soli committitur regimen universalis Ecclesiæ, quod significatur in verbo illo confirmandi, *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, hoc enim vocabulo authoritatem in docendo procul dubio significat: hinc Petrus à Christo dicitur cæteris major non in vitæ sanctimonia, non in exercitio virtutis, non in studio charitatis, sed in munere authoritatis, cum enim illi injunxerit officium confirmandi fratres, ei regimen, & jurisdictinnem tanquam majori datur. Rursus quia Christus monuit, ut qui *major* futurus esset, fieret virtute humilitatis sicut minor: qua monitione is indiget, qui in maximo virtutis, & sanctitatis est gradu constitutus, & potestate cæteris antecellit, quia in sublimitate dignitatum constituti faciliùs superbia intumescunt ut reges gentium, quorum exemplum voluit Christus adferre, ut qui major est futurus inter Apostolos, studio esset humilitatis addictus. Neque enim Christi sermo Luc. 28. Quem instituit inter discipulos contendentes ad invicem, quis eorum videretur esse major, potuit esse de potestate alicujus temporalis principatus, quem vellet modestè, & humiliter ab aliquo Apostolorum geri, de hac enim potestate sæculari non fuit Christus locutus, sed de potestate spirituali, cum injunxerit ei, qui major esset futurus, ut fratres confirmaret in fide, quæ authoritas procul dubio est spiritualis, hinc D. Leo Papa serm. 3. de die anniverſ. assumpt suæ ait: *Erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & divinæ protectionis auxilio pariter indigebat; quoniam Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur. Tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Cùm itaque dilectissimi tantum nobis videamus præsidium divinitus institutum justè in Ducis nostri meritis, & dignitate lætamur, gratias agentes Redemptori nostri, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ Principem fecit.*

Sunt alia etiam scripturarum testimonia, quæ evincunt, primariam in Ecclesia authoritatem fuisse soli Petro collatam, præsertim Matth. 17. ubi Christus soli Petro nominatim injunxit, ut pro se, & pro illo tributum solveret illud exigentibus, jussit enim, *ut pro se, & pro illo iis, qui tributum exigebant, solveret staterem*, scilicet duo didrachma, ut explicat D. Hieronymus. Hoc textu Sancti Patres volunt primatum Petri significari, siquidem genus illud tributi fuerat tunc temporis census capitis, seu patrisfamilias, ac illius, qui in qualibet multitudine cæteris præesset, ut interpretatur D. Chrysostomus, qui propterea homil. 59. in Matth. sub init. ait: *Cum primogenitus esset Christus, Petrus quoque discipulorum primus esse videretur, ipsum adeunt*, & nonnullis interjectis subdit hunc locum Marcus, qui discipulus Petri fuit, ideo non scripsisse videtur, quoniam ingens hinc honor Magistro deferebatur, & postea subjungit: *In illa hora Petrum omnibus discipulis prætulit*, cum enim tributum stateris exigeretur ab iis, qui cæteris præficiebantur, & Christus jusserit Petrum solvere hoc tributum, ipsum constituit caput suæ Ecclesiæ, quem propterea prætulit reliquis Apostolis, hinc Augustinus quæst. 75. ex novo testamento ait: *Salvator cum pro se, & Petro dari jubet, pro omnibus exsolvisse videtur, quia sicut in Salvatore erant omnes causa magisterii, ita & post Salvatorem in Petro omnes continentur, ipsum enim constituit esse caput eorum, ut Pater esset gregis dominici.* Hinc factum est, ut occasione hujus honoris Petri, *in illa ipsa hora*, sicut Evangelista narrat, *discipuli adierint Jesum dicentes: Quis putas major est in regno cælorum?* causam hujus contentionis inter discipulos, & accessus ad Christum assignat D. Hieronymus in Commentar. Matth. 59. ubi ait: *Quia viderant pro Petro, & Domino idem tributum redditum, arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse Prælatum*, unde Chrysostomus homil. 59. in Matth. *Veritis turbationem profiteri suam non apertè, quare Petrum ipsis præponeret, sed confusè, quis ergo major est? interrogaverunt*, & postea subjungit: *Cum ad unum delatus honor est, tunc nimirum doluerunt, quamquam non ex hac re solum, sed ex aliis multis inflammati fuerunt. Tum quia dixit illi: dabo tibi claves regni cælorum. Tum quia beatus es tu Simon &c. & tum etiam, quia hic da illis pro te, & pro me.* Sed præcipuus textus est apud Joan. 1. ubi Christus audita confessione Petri: *Tu es Christus, Filius DEI vivi*, post ejus commendatam fidem ei vices quasi rependens dixit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum, & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Et quamvis Sectarii plura excogitaverint subterfugia, textus tamen est ita clarus, ut illum non intelligere de primaria authoritate in Ecclesia collata Petro perinde sit ac à sole caligines haurire, & in luce meridiana cæcutire, etenim quando Petrus hortatu Andreæ fratris ad Christum accessit, non Petri, sed Simonis nomine vocatur, sed cum primum Christus eum vidit, dixit ei: *Tu es*

Simon, filius Jona. Tu vocaberis Cephas: quod nomen Cephas est Syriacum significans Petrum, ut communiter explicant Patres, præsertim Hieronymus epist. ad Galat. cap. 2. Et quia in fundamento alicujus structuræ, quò hæc firmior stet, firmissima solet petra imponi. Unde quia Christus dixit: *Tu es Petrus. & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, apposité Sancti Patres inferunt tunc promisisse Christum Petro vices suas, & regimen universale totius Ecclesiæ, quod vaticinatus fuerat Isaias cap. 28. *Hæc dicit Dominus Deus: ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum*, scilicet in Christo, qui est primarium Ecclesiæ fundamentum, ut loquitur Apostolus 1. Corinth. 3. v. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Rursus Apostolos esse Ecclesiæ fundamenta secundaria, ait Joannes in Apocal. 21. v. 14. ubi describens Ecclesiam militantem ait: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni.* Cum igitur spondeat se missurum in fundamentis Ecclesiæ lapidem angularem fundatum in fundamento, claré innuit primariam in Ecclesia authoritatem conferendam Petro, super quem unum inter omnes Apostolos tanquam super firmissimam petram fundatam in fundamento Christi ædificaturus erat Ecclesiam, & quamvis hoc Isaiæ vaticinium principaliter, & per se dirigatur ad Christum, nemo tamen ivit inficias, quin ex ubertate sensuum sacræ scripturæ etiam Petro accommodetur, quia ut ait Basilius homil. de pœnit. *Christus axiomata sua largitur aliis; largitur autem ea non evacuatus, sed nihilominus habens.* Dicitur lapis angularis, quia non locum tantùm suum in ædificio implet in ratione lapidis, verùm etiam duos simul nectit parietes, quorum est principium & finis: quamobrem Christus de se ipso interpretatur illud Psal. 117. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* eo quia totum Ecclesiæ ædificium sustineat, & duos parietes, scilicet Judæos, & gentiles in unum angelum copulaverit, cujus ipse est caput, atqui Christus Petro Actor. 10. commisit primum conversionem, & baptismum gentilium, ideoque primus inter Apostolos fuit, qui in Ecclesiæ ædificio utrumque parietem conjunxit: unde D. Ambrosius serm. 2. de Sanct. ait: *Petra dicitur, eò quia in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molémque contineat. Petra Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur, rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis*, & ad hoc Isaiæ vaticinium videtur Petrus allusisse, cum Actor. 15. dixit: *Viri fratres vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum gentes audire, & credere*: Hæc igitur juxta vulgatam censetur consona interpretatio Isaiæ, & quamvis vaticinium videatur principaliter esse de Christo, tamen etiam de Petro convenientissimè interpretatur, promittitur enim Christus lapis lapidis, & tanquam fundamentum fundamenti, caput scilicet capitis, & Princeps principis, unde si Christus est lapis angularis, & dicitur fundamentum Ecclesiæ, quia est ejus caput, & princeps; eum Petrum petram efficit, Petrum futurum asserit Ecclesiæ fundamentum, ac ei pollicetur communionem principatus, & Monarchiæ; adeo ut Christus sit lapis lapidis, hoc est primarius, & principalis lapis nulli subordinatus, & Petrus sit lapis subordinatus lapidi, & fundamentum subordinatum fundamento. Neque obstat, quòd Sectarii respondent, vel Petrum alibi, vel petram hìc non significare personam Petri, sed Petrum, & petram gessisse Ecclesiæ personam, & typum, nam quàm ineptè sit hæc interpretatio, statim liquet, quia perinde fuisset, ac si Christus dixisset: Tu Ecclesia mea es petra, super quam ædificabo Ecclesiam meam, quæ illatio risum potiùs movet, quam intellectum acuat, quis enim tam crassè cæcutit, ut non videat per symbolum ædificii explicari à Christo prærogativas, quas Petro erat in Ecclesia collaturus, & tria esse, in quibus totam symboli, & analogiæ rationem constituit? scilicet ædificatorem, petram fundamentalem, & ædificium struendum, hisce enim tribus proportionaliter respondent, Christus ut primarius ædificator, Petrus ut fundamentum, & Ecclesia, ut ædificium supra fundamento ab ædificatore Christo ædificatum. Igitur Christus est Architectus, Petrus fundamentum, & Ecclesia ædificium, est enim hæc comparatio valdè accommoda, siquidem ad rectam comparationem requiritur res comparata, res cui comparatur, & qualitas, & quod qualitas communis sit cum utraque re, & sublato Petro deest res, quæ comparetur, & qualitas fundamenti non communicat cum re, cui comparatur. Est igitur Petrus, qui fundamento comparatur, ac est Ecclesiæ fundamentum, seu petra, supra quam architectus Christus suam fundavit Ecclesiam, hinc D. Leo Magnus serm. 3. de assumpt. sui ad Pontif. ait: *Sicut meus Pater manifestavit tibi divinitatem meam, ita & ego notam faciam excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id est, cum ego sim inviolabilis petra: ego lapis angularis, qui facio utraque unum ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.* Hinc Petrus rectè dicitur lapis lapidis, & fundamentum fundamenti, eò quia Christus sit lapis principalis ut est primarium fundamentum, Petrus verò hujus lapidis sit lapis per communicationem, & fundamentum per participationem, ut ait Leo Magnus. D. Joannes Chrysostomus in cap. 1. Joan. ait: *Advertendum, quòd non omnia, quæ ventura erant, ei hoc primo congressu prædixit; non enim appellavit eum Petrum, nec dixit, super eam petram ædificaturum se Ecclesiam suam, sed dixit: tu vocaberis Cephas; adhuc in futurum hoc differens: majoris enim erat authoritatis, & potestatis, & idcirco Christus non continuit. humiliùs à principio loquitur, cum verò divinitatem suam demonstraret, majora narravit, inquiens, & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et D. Maximus seni sui adhærens Chrysostomi ait: *Hic est Petrus, cui Christus Dominus communione sui nominis libenter indulsit. Ut enim, sicut Paulus Apostolus edocuit, Petra erat Christus, ita per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* D. Prosper lib. de vocat. gent. lib. 2. cap. 28. *Quis ambigat, quis ignoret, hanc fortissimam petram, quæ ab illa principali petra communionem, & virtutem sumpsit, & nominis hoc desiderium semper habuisse, ut ei moriendi pro Christo constantia donaretur.* S. Basilius homil. de Pœnit. *At Petrus dixerat, jam & Beatus pronunciatus fuerat, dixerat: Tu es Filius Dei excelsi, & vicissim audiverat se esse petram, ita laudatus à Domino: licet enim petra esset, non tamen petra erat ut Christus, ut Petrus petra erat. Nam Christus verè est immobilis Petra: Petrus verò propter petram. Axiomata namque sua Jesus largitur aliis, largitur autem ea non evacuatus, sed nihilominus habens.* Quia igitur non Ecclesiæ universæ, non aliis Apostolis, sed soli

Petro

Petro petræ nomen à Christo impositum fuit; sequitur ipsum solum Petrum ex omnibus Apostolis sustinendo Ecclesiæ ædificio, ac regendo ad Christi consortium destinatum fuisse, & Christum primariam in Ecclesia auctoritatem contulisse, cum dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; & nomine Petri non Ecclesiam universalem intellexisse, nec alios coapostolos, sed personam Petri non simpliciter, sed ut illi collatam primariam in Ecclesia auctoritatem, seu Petrum ut insignitum Pontificia dignitate. Hinc D. Augustinus serm. 16. de Sanct. *Petra dicitur, eò quia primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molémque contineat. Petra Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur: rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur, & operis.* & serm. 29. ait: *Dignus certè, qui ædificandis in domo Dei populis Petrus esset ad fundamentum, columna ad sustentandum, clavis ad regnum.* D. Ambrosius in Isai. cap. 2. *Hanc solam Ecclesiam navim ascendit Dominus, in qua Petrus Magister est constitutus, dicente Domino: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* S. Gregorius Magnus serm. 62. lib. 6. epist. 37. *Quis nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam; quia firmamentum, & mentis firmitatem traxit in nomine, ut Petrus à petra vocaretur.* D. Hieronymus epist. 17. ad Damasum: *Beatitudini tuæ, id est, Cathedra Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.* Ex Patribus Græcis S. Athanasius epist. ad Felic. *Tu es Petrus, sicut veraciter dicit divinum eloquium, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columna sunt confirmata.* Basilius lib. 2. contra Eunomium. *Statim ex hac voce Petra, intelligimus Petrum Jona filium, qui fuit ex Bethsaida Andreæ fratrem, qui ex piscatore ad Apostolatus ministerium vocatus est, qui quoniam fide præstabat. Ecclesia commissam sibi ædificationem suscepit.* S. Gregorius Nazianzenus orat. 26. *Vides quemadmodum ex Christi discipulis magnis, utique omnibus, & excelsis, atque electione dignis, hic scilicet Petrus petra vocetur, ac Ecclesia fundamenta in fidem suam accipiat.* S. Joan. Chrysostomus homil. in Petrum Apostolum: *Vide cujusmodi peccato permisit subjici Petrum illum talem, ac tantum virum, Apostolorum verticem, ac fundamentum immobile, & petram stabilem, & qua non posset concuti.*

CAPUT V.

Probatur Ecclesiæ primatus soli Petro collatus ex variis privilegiis illi in scriptura tributis.

PLura fuisse D. Petro præ cæteris Apostolis concessa privilegia, constat ex Evangelistis, ut quòd Christus inter omnes Apostolos soli Petro nomen mutaverit. Quod nomen Petri in recensendis aliorum Apostolorum nominibus semper primo loco ponatur. Quòd Evangelistæ loquantur de Petro, ut de capite, & principe Apostolorum, & omnium fidelium, quod Petrus nomine omnium, ut caput aliorum fuerit loquutus. Quod præ reliquis Apostolis soli Petro facta sit revelatio divinitatis Christi. Quòd soli Petro promissa fuerit, firmitas, ac stabilitas in fide, & cathedra. Quod Christus soli Petro injunxerit solvi tributum pro Petro, & se ipso. Quòd post resurrectionem præ reliquis Apostolis soli Petro primùm apparuerit. Quòd Petrus authoritativè vocaverit alios Apostolos ad electionem novi Apostoli loco Judæ proditoris. Quòd Petrus primus omnium promulgaverit Judæis Evangelium post acceptum Spiritum S. Quòd in fidei confirmationem primum miraculum inter Judæos effecerit. Quòd omnium primus prædicaverit gentibus Evangelium. Quod primus Jerosolimis congregavaverit Concilium. Quòd primus in Concilio sententiam dixit. Quamvis singula hæc privilegia seorsim non probent primariam in Ecclesia authoritatem, & dignitatem à Christo collatam Petro, omnia tamen simul ostendunt, primatum in Ecclesia præ aliis fuisse soli Petro collatum.

Ut autem de singulis explicatiùs constet. Ad primum quod attinet. Cum Petrus antea Simon vocaretur, cum primum ab Andrea fratre adductus fuit ad Jesum, vocatus postea fuit Cephas, seu Petra, Joan. 1. 42. hæc autem mutatio nominis facta à Deo in scripturis novam indicat dignitatem ei collatam, cui nomen immutatur; quo pacto tunc Abraham factus est Pater multarum gentium, cum illi fuit nomen immutatum, cum antea Abram vocaretur, seu Pater excelsus; addit Deus binas literas, ut pluritas literarum in nomine, pluralitatem gentium præmonstraret, quarum futurus erat Pater. Majorem tamen ex nominis mutatione recepit Petrus favorem, quàm Abraham: quia Petrus idem nomen sortitus quod Christus. Cephas enim Syriacè petram significat, & græcè caput, ut notat Optatus lib. 2. contra Parmenianum; & Christus in scripturis dicitur Petra. *Petra autem erat Christus*; ut & caput Ecclesiæ, quæ à Christo institutore veluti à capite regitur, sicut mulier à viro, ut loquitur Apostolus ad Ephes. 5. 23. Per hanc igitur nominis mutationem voluit Christus indicare, Petrum futurum caput, & fundamentum Ecclesiæ, sicut erat Christus, cujus vices debebat Petrus post resurrectionem, & ascensionem in cœlum gerere; sitque propterea Christus caput, & fundamentum primarium Ecclesiæ, & D. Petrus secundarium, ac subordinatum primario, quòd si dicas, etiam alios Apostolos fuisse fundamenta secundaria, ac subordinata primario, ut ait Apostolus ad Ephes. 2. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Contra est, quia licèt reliqui Apostoli dicantur etiam fundamenta secundaria, ratione doctrinæ, & prædicationis, quâ fulcitur, & sustentatur Ecclesia; in quo sensu Apostolus vocat fideles superædificatos super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, quia non solum Apostoli, sed etiam Prophetæ ratione prædicationis dicuntur fundamenta secundaria Ecclesiæ; quia Ecclesia nititur etiam Prophetis; sed inde non sequitur, primariam auctoritatem non fuisse à Christo soli Petro collatam; quia inter fundamenta secundaria solus Petrus fuit primum fundamentum secundarium, quia solus Petrus primarium occupat locum, cui Christus dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: & igitur Petrus inter fundamenta secundaria primum, à quo reliqua fundamenta dependent, & cui subji-

ſubjiciuntur. Solus Chriſtus eſt fundamentum primarium Eccleſiæ, quod ſua propria firmitate conſiſtit, ut ſcribit Apoſtolus 1. Corinth. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo ponere poteſt, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.* Apoſtoli enim per prædicationem Evangelii, & doctrinæ Chriſtianæ ſuſtentant Eccleſiam, quatenus eorum prædicatione, & doctrina fulcitur, ac ſuſtentatur Eccleſia; & per totum orbem ſuper eorum doctrinam, & fidem ſuperædificantur fideles. Sed inter hæc fundamenta ſecundaria principem locum occupat Petrus, qui reliquis præeſt Apoſtolis; quia ſoli Petro ſpecialiter dictum eſt: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam:* ſicut ſoli Petro aliquid ſpecialiter promittitur, quod aliis Apoſtolis non fuit promiſſum, ſcilicet firmitas, conſtantia, ſtabilitas Petræ, ſupra quam erat Chriſtus ſuam Eccleſiam ædificaturus: Luc. 22. 32. *Ego pro Te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, ideo ſolum Petrum inter fundamenta ſecundaria reliquis prætulit, ac ſoli Petro primariam in Eccleſia contulit auctoritatem. Apoſtoli igitur, & Prophetæ ſunt fundamenta Eccleſiæ, ut ait Apoſtolus, ſed ſecundaria, quia illorum doctrina, & fides, ac prædicatio fundatur in Chriſto: quem Prophetæ futurum prædixerunt, & Apoſtoli præſentem annunciarunt. Petrus autem inter fundamenta ſecundaria Eccleſiæ primam occupat ſedem, ac reliquis præeſt, quia ipſi, & ſuis ſucceſſoribus Chriſtus impetravit ab æterno Patre prærogativam conſtantiæ, & firmitatis in fide, quam reliqui Apoſtoli cum ſuis ſucceſſoribus non habuerunt, licèt reliqui Apoſtoli (uno excepto Juda) manſerint in ſuis propriis perſonis conſtantes in fide, in ſuis tamen ſucceſſoribus defecerunt; cum ſoli Petri Cathedra manſerit ſemper firma, & conſtans.

Secundò primaria in Eccleſia auctoritas infertur ſoli Petro collata ex eo, quia quando recenſentur nomina Apoſtolorum Marc. 3. Luc. 6. Act. 1. ſemper nomen Petri reliquorum Apoſtolorum præfertur nominibus; & Petrus nominatur primo loco. Neque poteſt reſponderi, Petrum vocari primo loco, eo quia fuerit primus ordine ætatis, & vocationis; Petrus enim ætate non fuit ſenior, quia, ut fatentur plures, Andreas ejus frater fuit natu major: neque fuit primo vocatus, quia, ut oſtendimus ſuperius, Petrus & Andreas ſimul, ſeo eodem tempore fuerunt vocati, & poſt illos Joannes & Jacobus ſimul: Matth. 4. 18. *Ambulans autem Jeſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus mittentes rete in mare, (erant enim piſcatores) & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuo, relictis retibus, ſecuti ſunt eum.*, ex quo textu apertè conſtat, Petrum & Andream fuiſſe ſimul vocatos, & non priùs Petrum, & poſtea Andream. Præterea, ſi Petrus in hac nominum recenſione diceretur primus ordine ætatis, & vocationis; etiam reliqui, qui poſt Petrum recenſentur, deberent eodem ordine procedere; quod falſum deprehenditur, quia nullus ferè inter eos ſervatur ordo: ſiquidem apud Matthæum poſt Petrum nominatur Andreas; & apud Marcum non Andreas nominatur, ſed Jacobus; Apud Luc. in Act. etiam nominatur Joannes; & aliquando Matthæus præponitur Thomæ, aliquando poſtponitur: unde aſſignanda eſt aliqua ſpecialis cauſa, cur ab omnibus Evangeliſtis ſemper nomen Petri præferatur; & cauſa eſt, quia poteſtate & juriſdictione præerat reliquis Apoſtolis, quorum erat caput, & Princeps.

Tertiò evincitur primatus Petri, eò quia in ſcripturis vocetur caput, princeps Apoſtolorum, & de iſtis tanquam de ſubditis Petri ait Marc. 1. 36. *Et proſecutus eſt eum Simon, & qui cum ipſo erant.* Et Luc. 8. 45. *Dixit Petrus, & qui cum illo erant.* Act. 2. 14. *Stans Petrus cum undecim.* Hic autem modus præferendi, ac nominandi principalem, & caput cæterorum uſitatus eſt in ſcripturis, ut conſtat 1. Reg. 30. 4. *David & populus, qui erat cum eo.* Et infra v. 9. *David & ſexcenti viri, qui erant cum eo.* 2. Machab. 8. 1. *Judas Machabæus, & qui cum illo erant.* Apocal. 12. 7. *Michael, & Angeli ejus præliabantur.* David autem, Judas, Michael, fuerunt principes reliquorum, & iiſdem præficiebantur: ergo ex eo, quòd ſolus Petrus proprio vocetur nomine, & reliquorum nomina reticeantur, quamvis aſſociati fuerint Petro, clarè infertur, Petrum fuiſſe principalem, ac caput reliquorum. Non enim ſolus Petrus nominatur, eo quia fuerit primus ætate, & vocatione utrumque paulo ſuperius evicimus falſum. Neque hæc prioritas poteſt aſſeri de Michaele, Juda Machabæo, non enim inter Angelos eſt unus alio ætate provectior, neque vocatione prior. Rurſus Judas Machabæus non ætate, non vocatione, ſed virtute bellica alios præceſſit, quorum fuit caput, & Dux: ita Petrus non ætate, ſed poteſtate, non vocatione, ſed juriſdictione reliquis præficitur Apoſtolis, totique dominico gregi.

Quartò quia perſæpe in ſcripturis Petrus nomine reliquorum Apoſtolorum loquitur; veluti illorum ſuperior, & paſtor: Matth. 16. v. 15. *Dicit illis Jeſus: vos autem, quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus, Filius DEI vivi.* Et Matth. 19. v. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.* Joan. 6. 68. *Dixit ergo JESUS ad duodecim, nunquid & vos vultis abire? Reſpondit ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes:* ſed quoties ex aliqua multitudine interrogata aliquis nomine totius multitudinis loquitur, is cenſetur plus auctoritatis, ac poteſtatis habere, ac aliis præeſſe: hinc Sancti Patres inferunt, Petrum reſpondentem nomine reliquorum Apoſtolorum iiſdem præfuiſſe auctoritate, ac juriſdictione, quatenus conſenſus ſubditorum cenſetur includi in conſenſu ſuperioris, & principis; quo pacto reſponſio principis cenſetur eſſe eadem ſubditorum: Unde Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joan. cap. 18. *Per unum qui poterat, omnes reſpondent*, ſeu per unum, qui aliis præerat. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 11. *Omnibus Apoſtolis reticentibus (ſupra vires enim erat hæc doctrina) Petrus princeps Apoſtolorum, & ſupremus Eccleſiæ præco dicit ad ipſum: Tu es Chriſtus, Filius DEI vivi.* Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. ad Cornelium poſt initium: *Petrus tamen, ſuper quem ædificata ab eodem Domino fuerat Eccleſia, unus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce reſpondens ait: Domine ad quem ibimus?* Plura nobis ſcripturæ exhibent exempla, quæ loquentes nomine alicujus multitudinis ſignificant eſſe ejuſdem ſuperiores. Quia Phariſæi Apoſtolos ut trangreſſores legis accuſabant, eo quia die ſabbatho ſpicas evellerent in campo, Chriſtus ut Magiſter, caput, ac eorum ſuperior reſpondit Matth. 9. 51. *Nec bene legiſtis, quod fecit David, cum eſuriiſſet ipſe.*

Quintò oſtenditur primaria in Eccleſia auctoritas ſoli Petro collata, ex eo, quia ipſi ſoli facta ſit prima revelatio de Chriſti divinitate, Matth. 16. 17. *Bea-*

17. *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus, qui est in cœlis:* & propterea beatus dicitur, ac reliquis præfertur, quia præ cæteris à Patre cœlesti ei revelatum fuerat: *Tu es Christus, Filius DEI vivi.* Insigne fuit hoc privilegium, quo præ cæteris divinitas revelatur Petro non ab homine, sed à cœlesti Patre: quia sicut unus seligitur, cui Christi divinitas revelatur; ita unus eligitur, qui reliquis præsit. Negant tamen Sectarii, primam de Christi divinitate revelationem factam Petro fuisse; asserunt enim, Nathanaelem citius Petro confessum fuisse Christi divinitatem, cum dixit Joan. 1. 49. *Rabbi tu es Filius DEI. Tu es Rex Israel.* Præterea etiam Joannes Baptista priùs Petro confessus fuerat Christi divinitatem, Joan. 3. 30. *Illum oportet crescere, me autem minui.* Demum quia alii Apostoli etiam ante Petri confessionem confessi sunt Christi divinitatem, Joan. 6. 70. *Et nos credidimus, & cognovimus, quia Tu es Christus, Filius DEI.* Sed contra ad primum respondent plures Nathanaelem non fuisse loquutum de Christo Filio DEI naturali, sed tantùm adoptivo: unde plus Petrus de Christo confessus est, quàm Nathanael; hic enim solam sanctitatem testatus est, Petrus verò ipsam divinitatem. sed dato etiam Nathanaelem prius Petro confessum fuisse Christi divinitatem, ut & Joannem Baptistam, non inde sequitur, Petrum deperdidisse suum privilegium, quodramen etsi commune fuerit cum Joanne, & Nathanaele, fuit tamen speciale, & proprium Petri relativè ad alios Apostolos, cum quibus nunc confertur, & cui propterea soli collata fuit à Christo primaria in Ecclesia authoritas, eò quia priùs quàm reliqui Apostoli confessus fuit Christi divinitatem, propterea promeruit, ut Christus ei diceret: *Beatus es Simon Bariona*, illum præ cæteris Apostolis beatum vocat, quem divinitatis confessio cæteris prætulerat. Quòd si dicas, Petrum antecedenter ad illam confessionem, *Tu es Christus, Filius DEI*, de se & aliis Apostolis dixisse, nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Christus, Filius DEI vivi. Respondetur inde non sequi, primatum Ecclesiæ non fuisse soli Petro collatum, imò contrarium potius inde inferri potest, quia cum Petrus præ aliis locutus fuerit, ita ante alios confessus fuit Christi divinitatem, cum enim reliqui Apostoli reticuerint, & solus Petrus nomine reliquorum locutus fuerit, sequitur illi soli debitum esse primatum confessionis, & primatum fidei, ideo enim meruit inter Apostolos aliis præfici, quia prior cæteris Christi divinitatem, & credidit, & confessus est. Sed cùm Petrus bis fuerit Christi divinitatem confessus semel, Joan. 6. v. 70. *Nos credidimus, quia tu es Filius DEI.* Et iterum Matth. 16. *Tu es Christus, Filius DEI vivi*; quæri posset, cur ad posteriorem Petri confessionem Christi divinitatis dictum sit: *Beatus es Simon Bariona*, & hanc beatitudinem non promeruerit in prima confessione. Et respondent plures Sancti Patres apud Theophilactum in cap. 1. Joan. id contigisse, quia priori loco multi ex discipulis discedebant à Christo, & non credebant, quæ ab ipso dicebantur de suæ carnis comestione, & potu sui sanguinis, quos propterea Christus redarguit: *Nunquid & vos vultis abire?* tunc respondit Petrus: *Nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Christus Filius DEI*, & ne Petrus, si à Christo fuisset laudatus, ac beatus vocatus se aliis præferret, qui à Christo videbantur recedere, & sibi uni de propria perseverantia eblandiretur, ideo noluit eum Christus laudare. At posteriori loco nulla aderat superbiendi occasio proinde fuit à Christo beatus vocatus.

Sextò ostendunt communiter Sancti Patres primariam in Ecclesia authoritatem, & dignitatem fuisse à Christo præ Apostolis Petro collatam, eò quia soli Petro promissio fuerit fidei constantiæ, & cathedræ, Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et Luc. 22. v. 32. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Quoad primam promissionem cùm Petrus & Cephas sint idem, & hæc duo nomina Petram significent, perinde fuit, ac si dixisset: Tu es petra, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. hæc autem petra cui innititur Ecclesiæ ædificium non significat solam, & puram personam Petri, sed ut qualificatam, & insignitam pontificia dignitate: neque per petram potest quid aliud intelligi, quam ipse Petrus, cum hac dignitate, cum qua est petra fundamentalis, super quam ædificata est Ecclesia: & quamvis etiam reliqui Apostoli dicantur lapides fundamentales à Joan. Apocal. 21. v. 14. *Et murus civitatis* (scilicet Ecclesiæ) *habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni*: fuerunt quidem etiam reliqui Apostoli fundamenta Ecclesiæ secundaria, sed Petrus inter hæc fundamenta secondaria principem obtinuit locum, meruitque, ut cæteris præficeretur, quamvis & ipse respectu Christi, qui fundamentum fuit primarium Ecclesiæ, fuit secundarium, hinc soli Petro concredita fuit cura totius dominici gregis, *pasce oves meas*, & soli Petro, non aliis Apostolis, neque illorum successoribus promissa fuit constantia, & firmitas, quæ & ejus successoribus promissa fuit, & ob hanc promissionem Petri Cathedra, & successorum ejus firma semper stetit, neque in ea deficit fides Catholica, ut observat D. Augustinus contra Partem Donati, ubi ait; *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede: & in ordine illo Patrum, quis cui successit videte. Ipse est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Cathedra igitur D. Petri, quia innixa promissioni ei à Christo factæ semper stetit firmissima in fide, cùm sedes aliorum Apostolorum, quibus non fuit facta talis promissio in successoribus lapsui fuerint obnoxiæ, & de facto corruerint, ut Cathedra D. Jacobi Hierosolymæ, Cathedra Joannis Ephesi, Cathedra Andreæ in Scithia, & illa Matthæi in Æthiopia. Rursus quòd per petram, supra quam Christus suam ædificavit Ecclesiam, intelligendus sit D. Petrus Apostolus, communiter adstruunt Sancti Patres, quia post ejus commendatam fidem de confessione divinitatis: *Tu es Christus, Filius DEI vivi*, vices ei rependens subjecit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum, & in cœlis.* Posuit Christus petram ad indicandum fundamentum Ecclesiæ, & claves ad significandam jurisdictionem, quia Syri, & Palestini consueverunt diversis symbolis cadentibus sub sensus exteriores hanc potestatem in Ecclesia, & jurisdictionem significare. Hinc D. Hieronymus in cap. 16. Matth. ait: *Secundum metaphoram petræ rectè dicitur ei, ædificabo Ecclesiam meam super te*, & D. Augustinus sermon. 15. de Sanctis ait: *Petrum itaque fundamentum Ecclesiæ Dominus nominavit, & ideo dignè fundamentum hoc Ecclesia colit,*

lit, supra quod ecclesiastici edificii altitudo consurgit. Et origenes homil. 5. in Exod. ait: *Vide magno illi Ecclesia fundamento, & petra solidissima, super quam Christus fundavit Ecclesiam, qui dicatur a Domino, Tu es Petrus, super quem Christi Ecclesia edificata est, contra quam inferorum porta non pravalebunt.* D. Ambrosius serm. 2. de Sanctis *Petra dicitur, eò quòd primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molémque contineat. Petra Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur, rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur, & operis.* Ex quibus constat, Petrum inter fundamenta secundaria esse primum fundamentum Ecclesiæ, & supra reliqua fundamenta secundaria, & ipsum solum esse petram solidam, stabilem, firmam, immobilem, super quam Architectus Christus suam fundavit Ecclesiam. Quòd si dicas, ex Patribus non deesse, qui per petram non intelligant ipsam personam Petri, sed fidem à confessione Petri; respondetur, Patres illos utrumque intellexisse simul Petrum scilicet, & ejus confessionem, siquidem confessio ab aliquo debet fieri, proinde Ecclesia fundata dicitur super personam confitentem Christi divinitatem: eodem pacto dicimus optimum regimen fundari super prudentiam, & sapientiam Principis, hoc est in Principe prudente, & sapiente, quia propter ipsius prudentiam, & sapientiam res bene geruntur. Quòd si dicas, Patres abstrahere à persona Petri, & asserere solam fidem in Petro, & confessionem esse fundamentum Ecclesiæ; contra est, quia Christus vocat Apostolos, & Prophetas fundamenta Ecclesiæ, quòd si reliqui Apostoli possint esse fundamenta secundaria Ecclesiæ quoad personas abstrahendo à confessione, cur non etiam Petrus unà cum sua confessione. Præterea falsum est, Patres abstrahere à persona Petri, & asserere, solam ejus confessionem esse fundamentum Ecclesiæ, quia confessio in abstracto sine persona non fit, unde sumenda est in concreto pro persona confitente Christi divinitatem. Præterea juvat observare, quomodo Christus, Petrus, & reliqui Apostoli, imò & fides ipsa dicatur esse Ecclesiæ fundamentum. Fides in Christum in eo sita, ut credamus, Christum esse Filium DEI, seu verum DEUM, & verum hominem; Christus est primarium fundamentum Ecclesiæ, ratione fidei circa ipsius divinitatem, & incarnationem. Secundò Petrus ratione confessionis illius fidei: qua dixit: *Tu es Christus, Filius DEI vivi*, est fundamentum secundarium Ecclesiæ, cui annexa est promissio firmitatis, & stabilitatis pro se, & suis successoribus. Tertiò ratione prædicationis ejusdem fidei in Christum Apostoli sunt secundaria fundamenta Ecclesiæ post Petrum, quibus tamen non adnectitur promissio stabilitatis & firmitatis in suis successoribus. De Christo intelligitur illud Apostoli 1. Corinth. 3. v. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus JESUS.* Ubi Christus dicitur fundamentum, sed primarium ratione fidei circa ipsius divinitatem, ut explicant Patres, & Interpretes *in citat. loc.* Hæc autem fides intelligitur viva esse, quæ per charitatem operetur, ut loquitur idem Apostolus ad *Galat. 5. v. 6.* & D. Gregorius expendens verba Apostoli: *Fundamentum aliud nemo potest ponere &c.* ait: *Quisquis ergo in dilectione DEI, & proximi fidei, quæ in Christo est, firmitatem tenet, eundem JESUM Christum, DEI & hominis Filium, apud se posuit fundamentum,* & quia D. Petrus confessione, & fide hoc fundamentum apud se posuit, quatenus confessus est Christi divinitatem, ideo meruit à Christo vocari beatus, ac primaria donari in Ecclesia dignitate, Matth. 16. v. 17. *Beatus es Simon Bariona,* scilicet propter confessionem fidei, quàm inspirante DEO Patre prodidit, cum dixit: *Tu es Christus, Filius DEI vivi,* & propter hanc confessionem dixit ei Christus: *Super te ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam,* quia confessio fidei, quam fecisti, nunquam erit in te defectura, nec in tuis successoribus, & ne dubitaret de sponsione sibi facta, eandem confirmat, subjungens: *Ego enim pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.* Quòd verò etiam reliqui Apostoli ob prædicationem Evangelii, & fidei confessionem sint fundamenta secundaria, asserit Apostolus ad Ephes. 2. v. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum,* scilicet super Apostolos, & Prophetas, qui ob prædicationem fidei in Christum facti sunt fundamenta Ecclesiæ secundaria, & super hæc eadem fundamenta superædificantur fideles, qui ob eorundem prædicationem ad fidem Christi convertuntur.

Septimo evincitur etiam primaria in Ecclesia authoritas soli Petro collata, ex eo, quòd Christus jusserit solum Petrum dare tributum pro se, & pro eodem Petro, seu statere m in Capharnaum, Matth. 17. v. 26. *Da eis pro me, & te,* ut ostenderet, unum Petrum esse cæteris omnibus præferendum, & ipsum solum ut Vicarium esse Christo associandum, ut explicat D. Augustinus lib. quæst. veteris, ac novi testamenti quæst. 75. ubi ait: Salvator autem eum pro se, & Petro dari jubet didrachma pro omnibus exsolvisse videtur; quia sicut in Salvatore erant omnes causæ Magisterii, ita & post Salvatorem in Petro omnes continentur, ipsum enim constituit caput eorum, ut esset pastor gregis dominici. Neque de alio primatu potest intelligi, quàm de illo potestatis præeminentiæ, & jurisdictionis. Legimus, Apostolos tribus vicibus contendisse de primatu, primò in via, quando post transfigurationem Capharnaum proficiscebantur. Secundò postquam appulissent Capharnaum, & tertiò quando postea venerunt Jerosolymam. Primæ contentionis meminit D. Marcus cap. 9. v. 32. *Et venerunt Capharnaum, qui cum domi essent, interrogabat eos, quid in via tractabatis? At illi tacebant, siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum major esset:* & ansam contendendi dederat, quia Christus in verticem Taboris, ubi fuit transfiguratus, duxit solum Petrum, Joannem, & Jacobum, & non reliquos Apostolos. Secundam contentionem describit Matth. cap. 18. inquiens: *In illa hora* (scilicet cùm solutum fuerat tributum pro Christo, & Petro) *accesserunt discipuli ad JESUM dicentes, quis putas major est in regno cælorum?* occasio hujus contentionis fuit solutio tributi, in qua solus Petrus videbatur omnibus aliis præferri, eò quia Christus ipsum solum jusserit dare pro omnibus, quasi omnes in uno Petro velut in capite continerentur reliqui Apostoli. Tertiæ contentionis meminit D. Matthæus cap. 20. v. 20. *Tunc accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans, & petens aliquid ab eo, qui dixit ei, quid vis? ait illi: dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo,* & nonnullis interjectis: *Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus. JESUS autem vocavit eos ad se, & ait scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, non ita erit inter vos.*

Sed

Sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester Minister. Quæri solet, de quo primatu contenderint Apostoli. Putant Acatholici contendisse de primatu ecclesiastico, quis scilicet eorum post mortem Christi futurus esset ipsius Vicarius, & qui omnibus aliis præesset, quod falsum est, quia Apostoli arbitrabantur, temporale Christi regnum non multum distare, & in eo cum ipso se regnaturos, ideoque disputasse, quis in illo regno post Christum major futurus esset, & quia in hoc regno errarunt, ideo à Christo corriguntur, ut censet Bellarminus *lib. de Pontifice cap.* 19. *in fin.* & probari solet hæc sententia e verbis Matris filiorum Zebedæi ad Christum: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo* vel ut explicat Marcus, in gloria tua. Per regnum Christi intellexerunt regnum hujus vitæ, quod credebant brevi Christum possessurum, ut explicat D. Chrysostomus homil. 66. in Matth. inquiens: *Quid porrò est, quod petunt: alius te docebit Evangelista, non quoniam inquit propè Jerusalem erant, credebántque regnum Dei jam jam eventurum, quod hujus vitæ, ac sæculare opinabantur, hæc postulabant, ut ob honorem faciliùs etiam omnia pericula possent evitare. Propterea Christus ab his eos cogitationibus abducens pericula, sanguinem, necémque ipsam expetendam esse jubet, potestisne, inquit, bibere calicem, quem ego bibo.* Et nonnullis interjectis subdit: *Volebant autem, ut ego conjicio, quoniam super duodecim sedes sessuros discipulos audierunt, primatum hujus consessus impetrare, & præponi quidem se cæteris præterquam Petro, sciebant quem formidantes dicere ausi sunt, dic ut unus à dextris, alter à sinistris sedeat. Quid igitur ipse? ut significaret, nihil eos petere spirituale, sed nec scire quidem quid postulent, nescitis, ait, quid petatis.* Quòd si quæras, unde potuerint Apostoli conjicere Christum brevi potiturum regno temporali. Respondetur ex duplici testimonio Christi, unum apud Matth. 16. v. 27. *Amen dico vobis; sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo,* ut habetur etiam apud Marcum 8. v. 29. & Luc. 9. v. 27. Alterum testimonium habetur Matth. 20. v. 18. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum.* Ex priori testimonio inferebant regnum temporale Christi jam proximè instare, & arbitrabantur sedem regni locari Jerosolymæ, ubi David, & alii Reges in Israël sederunt, & quia Christus etiam dixit: Ecce ascendimus Hierosolymam, sibi persuadebant, hoc regnum esse Hierosolymæ inchoandum, & in eodem se varia officia habituros, propterea contentio erat, quis in hoc regno eorum videretur esse major, seu primatias esset dignitates assecuturus; & quamvis Apostoli ex posteriori testimonio debuissent oppositum potiùs conjicere, scilicet Christum non regnaturum, sed moriturum Jerosolymæ, cumque de morte sua clarè loqueretur, absque ullo verbo de regno temporali: quia Apostoli tunc non intellexerunt sensum verborum Christi, ut asserit Lucas 9. v. 44. ubi ait: *At illi ignorabant verbum istud, & erat velamentum ante eos.* Hoc autem verbum, quod ignorabant, erat istud: *Filius hominis tradetur Principibus sacerdotum,* quod de morte & passione Christi erat intelligendum; quamobrem ex ignoratione hujus verbi errarunt Apostoli, putantes Christum ascensurum Jerosolymam ad possidendum regnum temporale, de quo crediderunt fuisse ante locutum, cum dixit: *Sunt aliqui de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.*

Octavò probatur primaria in Ecclesia authoritas collata soli Petro ex eo, quòd præ cæteris Apostolis Christus post resurrectionem soli Petro primò apparuerit, Luc. 22. v. 34. *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni,* si enim apparuisset etiam aliis Apostolis, utique hoc dixissent, & cùm non dixerint: apparuit nobis, sed Simoni, ideo prima apparitio Christi post resurrectionem facta fuit primo inter Apostolos, scilicet Petro, qui primus erat inter Apostolos, & cui traditæ fuerant claves regni cœlorum, & cura concredita dominici gregis. Hanc apparitionem factam fuisse soli Petro, etiam testatur Apostolus 1. Corinth. 15. v. 4. *Resurrexit tertia die, secundùm scripturas, & visus est Cephæ, & post hoc undecim.* Adeo ut primum apparuerit ipsi Cephæ, & postea alio tempore etiam aliis, ex quo D. Chrysostomus infert primariam in Ecclesia authoritatem à Christo soli Petro collatam, inquiens: *Itaque Petro primum apparet. Nam qui Christum primus confessus erat, non abs re primus etiam resurgentem videt. Itaque non omnibus initio visus est, nec pluribus simul, sed uni tantùm, & ei Principi, & fide maximè digno.* Respondent Sectarii, ideo Christum post resurrectionem apparuisse primò Petro, quia Petrus erat primus ordine vocatione, & ætate inter Apostolos. Tum quia ipse majori indigeret consolatione, ob præconceptum dolorem ex trina negatione in atrio Pilati. Nam contra est, quia ut superius evicimus, Petrus non fuit ordine vocationis, & ætatis primus inter Apostolos, quia fuit simul vocatus cum Andrea fratre ejus, neque ætate erat reliquis Apostolis provectior, unde primatus Petri erat primatus dignitatis, præeminentiæ, & jurisdictionis in alios omnes fideles. Idque causæ, cur in electione novi Apostoli solus Petrus præ cæteris omnibus Apostolis primus inceperit loqui, non quia ætate esset provectior, nec vocatione prior, sed quia cura fuerit illi soli demandata à Christo ecclesiastici regiminis, Actor. 1. v. 15. *In diebus illis exsurgens Petrus in medio fratrum dixit: Viri fratres oportet impleri scripturam,* dixit *oportet,* quasi juberet alios, qui actus fuit primus suæ provecturæ, de quo loquens Chrysostomus Homil. 3. in act. ait: *Quam fervidus est Petrus: quàm agnoscit creditum à Christo gregem: quàm in hoc Choro princeps est, & ubique primus omnium incipit loqui,* & nonnullis interjectis subdit: *Meritè primus omnium authoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu,* cui assentitur Oecumenius: *Surgit Petrus, non Jacobus, ut is, cui præsidentia discipulorum commissa erat. Neque ullus orationi Petri contradixit, sed mox ad ejus præceptum constituerunt duos, quos dignissimos eo gradu existimabant, ut unum eorum Deus ipse designaret.* Quòd si Petrus dicitur princeps omnium, qui aderant in electione Matthiæ in Apostolorum loco Judæ proditoris, si eos habuit in manu sua, agnovit eos tanquam gregem à Christo commissum, si in eos exercuit authoritatem, & jurisdictionem; & illi statim Petro imperanti fuerunt obsequuti, hæc omnia satis apertè significant, primariam in Ecclesia auctoritatem, & jurisdictionem in reliquos omnes fideles fuisse à Christo soli Petro concreditam: ait Chrysostomus: *Petrus agnoscit creditum sibi à Christo gregem,* quia cui commiserat, ut pasceret suas oves: *Pasce oves meas,* is debuit cognoscere suum gregem, in quo comprehenduntur & ipsi Apostoli, qui & ipsi oves fuerunt Christi: unde Petri jurisdictio ad alios etiam Apostolos se extendebat. Hinc Petrus post susceptum Spiritum Sanctum primus omnium promulgavit Evangelium Judæis, *Actor.* 2. 14. Sicut enim Moyses in veteri testamento promulgavit

gavit legem Decalogi, ac Deuteronomium, eo quia ad ipsum ut primum & caput aliorum pertineret: ita quaia Petrus à Christo constitutus fuerat pastor totius dominici gregis, debuerat ipse omnium primus promulgare Judæis, & gentibus: quòd si Moyses habuit primatum in Synagoga; ita Petro primaria auctoritas in Ecclesia fuit à Christo collata, ut primatum haberet Ecclesiæ, ac cæteris omnibus præesset; idque atiam causæ, cur in confirmationem Evangelii à se promulgati, primum ediderit miraculum Act. 3. 6. *In nomine Jesu Christi Nazareni surge. & ambula.* Primatum enim exercenti in Ecclesia facultas videbatur danda primum patrandi miraculum; ut per primum miraculum Petri primaria dignitas manifestaretur. Sicut in veteri testamento Deus miraculo confirmavit primatum Moysis Num. 16. ita in lege evangelica per primum miraculum primatum Petri voluit comprobare. Ratione hujus primatus Petrus in Concilio Hierosolymitano primus omnium sententiam dixit Actor. 15. 7. *Cum autem magna inquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos Viri fratres,* & omnes illius sententiæ acquieverunt, ait D. Hieronymus in epist. ad Augustinum quæ est undecima inter epistolas Augustini: *In sententiam ejus Jacobus Apostolus, & omnes simul presbyteri transierunt,* nimirum membra inferiora adhæserunt capiti, ut etjam Apostolus Paulus, de quo Theodoretus epist. ad Leonem ait: *Paulus preco veritatis, tuba Sanctissimi Spiritus ad magnum Petrum cucurrit. ut iis, qui Antiochia de legalibus institutis contendebant, ab ipso adferret solutionem.* Quamvis hactenus recensita privilegia seorsim non videantur semper demonstrare primariam in Ecclesia authoritatem fuisse à Christo soli Petro collatam: omnia tamen simul sumpta plurimum habent roboris ad demonstrandum Petri in Ecclesia primatum.

Sanctis Patribus tamen ad id evincendum sufficit unum vel alterum ex præcensitis privilegiis. S. Ambrosius ex eo probat, quod in actis præsertim Apostolorum dicatur, quod post Christi resurrectionem solus Petrus omnium primus publice ad multitudinem ex omni genere congregatam concionem habuerit, & primus Evangelium promulgaverit, tunc enim ut ait Ambrosius serm. 47. de fide Petri: *In nationibus fundamenta posuit fides*; & primus itidem fuerit in patrandis miraculis, ac claudi curatione fidem confirmaverit, in qua sola rectè incedendi modus invenitur, ut idem Ambrosius serm. 68. observat, inquiens: *Si Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia, rectè primus pedes sanat, ut sicut in Ecclesia fides fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet,* & rectè ambulare homines doceat. Ex eo itidem quod auctoritativè Ananiam, & Saphiram condemnaverit, quod ex aliis Apostolis ausus est nemo. Quòd Simonem Magum hæreticorum primum ejecit ex Ecclesia; & Romæ prorsus confudit. Quòd mota controversia de observatione legalium Concilium congregaverit, & primus in eodem fuerit loquutus, ac sententiam dixerit, remque definiverit veluti Princeps illius decreti, ut notat D Hieronymus in epistola, quam direxit ad Augustinum, quæ est undecima inter epistolas Augustini, ubi ait Petrus: *Vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis per os meum (hac speciali auctoritate) elegit audire gentes verbum Evangelii, & credere:* unde & ipsi visione cælesti monstratum est omnium primo, gentes in Ecclesiam Christi recipiendas esse, ait Chrysostomus homil. 21. in acta Apostolorum: *In summa ubique Petrus primus invenitur. Quando eligendus Apostolus, hic primus, quando loquendum Judæis, non esse Apostolos ebrios; quando curandus claudus, quando concionandum, quando agendum contra principes; quando contra Ananiam; quando ab umbra sanitates fiebant; primus hic erat, & ubi quidem erat periculum, hic, & ubique erat moderatio; Ubi autem tranquillitate res erant plenæ, communiter omnes: sic non exigit honorem majorem?* Inde Chrysostomus occasionem desumit Petrum commendandi à facilitate, & submissione, eò quia cum necessitas non exigeret authoritate, & primatu non fuit usus, neque se aliis Apostolis antetulerit, & dat etiam laudi reliquis Apostolis, eò quia sine controversia post Christi resurrectionem Petrum recognoverint suum superiorem in omnibus hactenus recensitis actis, ait Chrysostomus homil. 3. in act. *Considera quo pacto reliqui Apostoli concedunt Petro solium, nec amplius ambigunt disceptantes inter se, quis futurus esset eorum major.* Et Homil. 51. in Matth. ait: *Nondum gratiâ Spiritus Sancti corroborati facile movebantur. gratia verò accepta non tales nempe fuerunt, sed ubique primatum Petro prabent, & in concionibus eum anteponunt, quamvis cæteris rudior videretur.*

Quamvis hæc testimonia luce meridiana sint clariora, & argumenta hactenus allata convincant primariam in Ecclesia authoritatem fuisse à Christo soli Petro impertitam, & post resurrectionem reliqui Apostoli, ut superiorem ipsis ac majorem cognoverint, & approbaverint, nihilominus adhuc Lutherus, & Calvinus, Anabaptistæ, & alii Sectarii asserunt primatum Ecclesiæ non fuisse à Christo collatum Petro, & Petrum nunquam exercuisse hanc primariam potestatem in Ecclesia: dicunt enim, non constare Petrum in reliquos Apostolos potestatem illam exercuisse, quinimò ipsum Petrum cum Joanne missum fuisse cum aliis Apostolis in Samariam: & electionem Matthiæ, ac septem Diaconorum factam fuisse non à Petro, sed ab omnibus æquè Apostolis jactas fuisse sortes: neque solum Petrum controversiam de religione definivisse, sed in pleno Concilio, & ab omnibus rem illam fuisse conclusam, adeo ut Jacobus 1. Actor. 15. dixerit: *Ego judico &c.* Rursus D. Paulum apertè dicere ad Galat. 2. *Mihi autem, qui videbantur esse aliquid,* loquitur de Petro, Jacobo, & Joanne) *nihil contulerunt. Sed contra. cum cognovissent, quod creditum est mihi Evangelium Præputii, sicut Petro circumcisionis, (qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est mihi inter gentes) & cùm cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem.* Asserunt etiam, Paulum in faciem restitisse Petro, quem etiam reprehendit. Sed ad hæc simul congesta à Sectariis facile Catholici respondent, ad primum Petrum hahuisse primariam in Ecclesia authoritatem non solùm in simplices fideles, sed etiam in reliquos Apostolos, quamvis non semper fuerit illa usus, siquidem aliud est, non habere primariam authoritatem, & aliud illa non uti. Petrus igitur primariam habuit authoritatem in Ecclesia sibi à Christo collatam, quamvis propter modestiam, & submissionem, & exercitia virtutum, quæ à Christo Luc. 22. fuerunt illi commendata, usus non fuerit sua authoritate, & potestate in reliquos Apostolos, hinc reliqui Apostoli ipsi per se perquam diligenter, & honestè sua exequerentur munia, suisque fungerentur officiis, non indignerunt Petri imperio, neque ab illo urgeri, ut notat D. Gregorius lib. 7. registri epist. 64. *Si qua culpa in Episcopis reperitur. nescio quis*

quis Episcopus sedi Apostolicæ subjectus non sit, cùm verò culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt. Hanc in ecclesiastico regimine moderationem servando normam suis Petrus voluit relinquere successoribus. Neque obstat, quòd Petrus unà cum Joanne dicatur ab aliis Apostolis missus in Samariam, quia interdum à tota communitate mittitur ipsum caput utpote majoris authoritatis, & experimenti in rebus gerendis, ut felicem negotium sortiatur exitum: quo pacto Josuë 22. legimus filios Israëlis misisse ad filios Ruben Phineem filium Eleazari Sacerdotis, tametsi Phinees fuerit Dux eorum coram Domino, ut narratur in Scripturis: & quia Sectarii totam vim in verbo illo mittendi ponunt, in eorum sensu Petrus non solùm superior cæteris Apostolis non fuisset, sed nec etiam iisdem æqualis, quod tamen ipsi non concedunt. Etenim si vis fiat in verbo mittendi, inferior non mittit superiorem, ut neque æqualis æqualem: sed tantùm rogare potest æqualem, ut velit sibi talem gratiam impertiri, unde inferiores, & æquales non imperio, sed tantùm rogatu possunt alios mittere sibi æquales vel etiam superiores.

Quòd si velimus & nos in verbo mittendi vim facere reliqui Apostoli non imperio, sed tantùm rogatu Petrum miserunt in Samariam, & hoc pacto à tota communitate mittitur superior, qui cùm sit majoris authoritatis plus potest præstare in bonum ejusdem. Quod verò ad electionem Matthiæ, & Diaconorum pertinet, respondet D. Chrysostomus homil. 3. in act. *Quid? an non licebat ipsi Petro eligere? licebat ei quidem maximè, verum id non fecit, ne eis videretur gratificari.* Non elegit solus Petrus Matthiam & Diaconos, quamvis potuisset ob impertitam sibi à Christo facultatem, sed quia expedire tunc non censuit, ut ipse solus eligeret: quamvis primariam suam authoritatem satis clarè manifestaverit cum de electione facienda ipse solus cum authoritate reliquos Apostolos admonuerit, eosque ad id congregaverit, dixit enim Petrus Actor. 1. *Oportet enim ex his viris, qui nobiscum sunt unum eligere.* Hoc idem dicendum de coacto Apostolico Concilio ob controversiam de observatione legalium: non enim quidquam deperdidit authoritatis Petrus, quod ex aliorum etiam consensu voluit quæstionem illam dirimere: quinimò primariam etiam prodidit authoritatem suam, cum ipso loquente reliqui omnes tacuerunt, & ejus sententiæ acquieverunt Actor. 15. *Quo etiam loquente tacuit omnis multitudo.* Quod verò Jacobus dixerit: *Ego judico*, nil obstat, quia omnes, & singuli de Concilio ad id fuerunt vocati, ut suas proderent sententias, pertinet postea ad caput omnibus auditis suam proferre, & rem concludere, & ita contigit in Concilio illo, ubi loquente postea Petro tacuit omnis multitudo, & omnes illius sententiam fuerunt secuti. Cæterum notat D. Chrysostomus Homil. 33. in act. meritò Jacobum dixisse *ego judico*, quia cùm controversia de observatione legalium mota fuisset Jerosolymis, ubi ille Episcopus erat, debuit ipse suam proferre sententiam. Ait D. Chrysostomus homil. 33. in act. *Quæstio mota fuit, ubi Jacobus erat Episcopus, ideo suum debuit judicium prodere, ut in ore duorum, vel trium testium staret omne verbum.* Ad aliud ex D. Paulo respondetur D. Paulum tantùm significare se fuisse parem Petro in dignitate Apostolatus, qua ratione omnes Apostoli æquales fuerunt, sed id non impedit, quòd Petrus præter dignitatem Apostolatus obtinuerit à Christo quid aliud, ratione cujus præesset cæteris Apostolis: hoc autem fuit officium Pastoris totius sui gregis: *Pasce oves meas*, & quia etiam Apostoli erant oves Christi, & ea ejus ovili injunctum fuit Petro, ut etiam Apostolos pasceret, essetque eorum Pastor, unde Petrus quamvis dignitate Apostolatus fuerit æqualis cæteris Apostolis, ratione tamen officii Pastoris fuit superior. Quinimò Paulus hanc præeminentiam primatus cognovit in Petro, quando ut scribit ad Galat. 1. post annos tres prædicationis suæ venit Hierolymam videre Petrum veluti superiorem: quia ut ait Chrysostomus homil. 88. in Joan. *Os Apostolorum Petrus erat, Princeps & vertex ipsius cœtus, propterea Paulus ascendit eum videre præ aliis.* Cui adhærens D. Ambrosius cap. 1. ad Galat. ait: *Dignum erat, ut vellet videre Petrum, cui delegaverat Dominus curam Ecclesiarum.* Et D. Hieronymus in Comment. illius loci: *Ivit non discendi studio, sed honoris priori Apostolo deferendi*, hisce sanctis Patribus addendus est Tertullianus lib. de præscript. circa medium, ubi ait: *Ascendit Jerosolymam Petri cognoscendi causâ ex officio & jure scilicet ejusdem fidei & prædicationis.* Neque obstat Paulum scribere: *sibi in gentibus, Petro autem in circumcisione evangelium commendatum fuisse*: quia non ita est id intelligendum quasi nec Petro licuerit gentibus, nec Paulo Judæis prædicare, Evangelium siquidem ex actis cap. 10. ex ostenso cœlitus linteo, in quo erant omnia reptilia, & quadrupedia terræ, constat Petrum cognovisse ad se pertinere aggregare etiam gentes ad Ecclesiam, quod & ipse postea clariùs expressit Actor. 3. cùm dixit: *Deum elegisse se, ut ad ejus prædicationem Gentes crederent Evangelio.* Et de D. Paulo dicitur Actor. 3. *Quòd ingressus in synagogas prædicabat JESUM affirmans, quod hic est Christus, & confundebat Judæos*: quamobrem illa distributio præputii, & circumcisionis Petrum inter & Paulum facta tantùm fuit per quandam accommodationem, eò quia expedire tunc videretur, ut Paulus Gentibus, & Petrus Judæis speciali studio prædicaret Evangelium; cæterum hæc distributio præputii & circumcisionis non obstat, quia Christus primariam in Ecclesia authoritatem soli Petro contulerit.

Ad ultimum quòd addebatur Petrum fuisse reprehensum à Paulo, ut testatur Paulus ad Galat. cap. 2. v. 11. se in faciem restitisse Petro, eò quia ausus fuerit capiti Ecclesiæ obsistere. Verùm id non probat primariam in Ecclesiæ authoritatem non fuisse à Christo Petro collatam, etenim si dicamus errâsse Petrum, non tamen in aliquo fidei articulo, in quo errare non poterat juxta promissionem sibi à Christo factam, *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*: error enim Petri non fuit in jure, sed in facto, eò quia incautè simulaverit Judaismum non sine offensione gentium: hinc tametsi Paulus ob id ei in faciem restiterit, eò quia judicaverit hanc simulationem non esse tolerandam in Ecclesia ob scandalum pusillorum, see ex inde non sequitur primatum Ecclesiæ non fuisse à Christo collatum Petro, quia plerumque inferior, zelo motus, superiorem corrigit, si quem viderit in illo errorem, qui cæteris sit offensioni, imò & in scriptura 2. Reg. 19. v. 5. Legimus Davidem reprehensum fuisse à Joabo, seu Regem a subdito, & tamen ob hanc reprehensionem primatum regni non deperdidit David. Hinc sancti Patres docent, superiores posse ab inferioribus corrigi, si correctio fiat cum debita submissione, & charitate, ut scribit sanctus Cyprianus *epist. ad Quirin.* & D. Gregorius *homil.* 18. *in Ezech.* Neque inde sequitur Paulum temeritatis, & audaciæ incurrisse notam, eò quia ausus fuerit Ec-

elesiæ capiti in faciem obsistere, quia id præstitit ea booo zelo, & ad removendum scandalum à gentibus ortum ea incauta Petri simulatione Judaismi; sicut oec similem ootam contraait Joab, eò quia ausus fuerit, suum Regem corrigere, & objurgate. De hoc Petri, & Pauli facto plura scribunt sancti Pattea præsertim Augustinus in epist. 19. ad Hierooymum ubi ait: *Ipse Petrus quod à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, sancta & benigna humilitate pietatis accepit, atque ita rarius, ac sanctius exemplum posteris prabuit, quo non dedignaremur, sicubi forte recti tramitem reliquissemus, etiam à posterioribus corrigi, quam Paulus; hoc enim confidentius audebunt minores Majoribus per defendenda evangelica veritate, salva fraterna charitate, resistere.* Qmnimò D. Paulus non solùm exemplo, sed etiam scripto docuit superiores interdum mooeri, & eorrigi posse ab ioferioribus sine tamen ullo vulnere charitatis, & servata debita submissione, & teverentia, etenim ad Coloss. cap. 4. v. 17. scribit: *Dicite Archippo: vide mysterium, quod accepisti à Domino, ut illud impleas.* Erat Archippus Episcopus Collossensium successor Epaphræ, qui tunc Romæ captivus detenebatur in vinculis, de quo Paulus ad Philemonem v. 23. *Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo JESU.* Quòd si Paulus injungit Collussensibus, ut moneaot Episcopum, quem etiam corrigant, si suo negligat officio fungi, possunt & alii subditi hoc idem præstate, & suos corrigere Præfectos, monere, & reprehendere, si ita errent, ut cæteris sint scandalo: quia est dignum laud. opera misericordiæ æquè corporalia, ac spiritualia servato debito modo, ac ordine exercere: peccantes autem corrigere opus est misecicordiæ spiritualis, consequenter laudabile est, servato debito modo, & ordine id eaercere in indigentes: & quia non minus superiores quàm subditi possunt errare, & indigere monitione, & correptione possunt inferiores, debita tamen submissione, & reverentia, & sine vulnere ullo charitatis, illos monere, & corrigere, ut docet D. Thomas 22. *quæst.* 33. *art.* 4. ubi ait: duplicem dari correctionem justitiæ unam, quæ fit per inflictionem legitimæ pœoæ alteram charitatis, quæ exercetur per fraternam correctionem, & asserit, priorem convenire solis Prælatis respectu subditorum ob jurisdictionem sibi aonexam, quæ solis inest Prælatis: & posteriorem eooveoire æquè subditis, ac Prælatis, quæ ad omnes proximos sive Prælatos sive subditos se extendit. Com enim teneamur omnes ex charitate diligere, ut fratres, tenemur etiam omnes peccantes corrigere servato debito ordine juxta exigentiam charitatis, quæ non exigit, ut eadem libertate, & authoritate corrigamus superiores sicut subditos, illos enim debemus monere cum debita reverentia, & submissione: & istos cum mansuetudine, & patientia quantum fieri potest.

Verum quia Catholici ad explicandas Scripturas testimonia adferunt sanctorum Patrom huc idem etiam nituntur sectarii præstare; ut enim utar verbis Vicentii Lirineosis Communitorio 1. cap. 12. *Cùm sub alieno nomine heresin concinnare machinentur, captare plerumque solent veteris alicujus viri scripta paulò involutius edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant, ut ille nescio, quid quodcunque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur.* Hoc idem præstant Sectarii in præsenti quæstione, audent enim citare io favorem sui erroris S. Leonem Magnum, & S. Cyprianum illum epist. 89. ad Episcopum Viennensem; istum in lib. de unitate Ecclesiæ relatum à Gratiano 24. quæst. 1. cap. *Loquitur*, tametsi Leo, & Cyprianus expressissimè asserant primariam in Ecclesia authoritatem fuisse soli Petro collatam explicant Sectarii verba illa Christi: *Tu es Petrus*, esse intelligenda de Ecclesia universa, & eenlent id apertè significare testimonium Leoois asserentis ea verba fuisse à Christo prolata *In consortium individuæ Trinitatis.* Verùm ut percipiamus, qualis fuerit D. Leooia sensus res altius est repetenda, Fuit enim controversia tunc temporis orta iorec Episcopos Arelotensem, & Vienoensem, ad quemnam ipsorum spectaret ordinatio Episcoporum Provinciæ Vieunensis, supec qua re varia extant decreta rum Concilii Taurinensis cap. 1. tum Bonifacii, & Cœlestini Romanorum Pontificum, ille in epist. ad Hilariom Episcopum Narboneosem, & iste epist. 2. cap. 4. in quibus statuitur, ut unusquisque Metropolitanus ordioatione Episcoporum suæ Provinciæ cootentus esset, sed huic decreto noo acquiescentes Arelatenses sibi vendicarunt persæpe ordinationes Vieoneosium sicut tempore S. Leonis effecit Hilarius deposito Celidonio Episcopo, projectoque alibi in eadem Provincia ordioato, & quidem violenter adhibito auxilio à Valentiniano Imperatore, quærela ad Leonem Pontificem delata accessit eoidem urbem Hilarius, ibique suam causam exposuit, sed quia convictus non exspectatâ licentia, nec sententia ea urbe Roma Arelatum reversus fuit, ubi contra primarium Pontificia verba profundere liberius cœpit: hæcque causa fuit, cur sanctus Leo ad Episcopos Viennensis Provinciæ scripserit hoc pacto: *Divinæ cultum religionis, quem in omnes gentes, omnesque nationes Dei voluit gratia coruscare, ita Dominus noster JESUS Christus humani generis Salvator instituit, ut veritas, quæ ante Legis & Prophetarum præconia continebatur per Apostolicam tubam in salutem universitatis exiret, sicut scriptum est, in omnem terram exivit sonus eorum, sed hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret: ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, & exortem se intelligeret mysterii esse divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere:* Huoc enim io consortium iodividuæ uoitatis assumptum. *Id quod ipse erat, voluit nominari dicendo. tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, ut æterni ædificatio templi mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret, ac Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, neque portæ contra illam inferi prævalerent: verùm hanc Petræ istius sacratissimam firmitatem Deo, ut diximus ædificante constructam nimis impia vult præsumptione violare, quisquis potestatem ejus tentat infringere.* Hactenus in D. Leo io epistola ad Episcopos Provinciæ Vienoensis, ex qua clarissimè constat, particulam illam *hunc in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari*, noo significare Leooem fuisse locutum de coosortio & iodividua unitate Petri cum reliquis Apostolis, quasi primatus Ecclesiæ non fuisset soli Petro à Christo collatus, sed S. Leonem loqui de solo coosortio & iodividua uoitate Petri cum Christo, quem unum nomiois, & muneris sui coosurtem assumpsit, *ut exortem mysterii se intelligeret esse divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere*, siquidem *à Petro in reliquum Ecclesiæ corpus tanquam à capite in membra dona sua diffundere voluit*, quibus verbis D. Leo clarè asserit Petrum esse caput totius Ecclesiæ consequenter & reliquorum Apostolorum, idque etiam expressiùs asseruit serm. 3. de assumpt. sui, ubi ait:

ait: *Magnum, & mirabile huic viro consortium sua potentiæ tribuit divina dignatio, & si quid cum eo cæteris commune voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.* Rursus Leo Hilarium acriter invehit, eo quia non obtemperaverit decreto superioris, ait ipse: *Ipsius quoque beatissimi Petri reverentiam verbis arrogantibus minuebat, cui cum præ cæteris ligandi, atque solvendi tradita sit potestas, pascendarum tamen ovium cura specialius mandata est, cui quisquis principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ semetipsum in inferna demergit.* An non clarè, & expressè divus Leo primatum totius Ecclesiæ Petro attribuit? cum enim dicat, quod pascendarum ovium cura specialiùs demandata sit Petro jam huic soli competit omnes Christi oves pascere. In hac causa habetur integra constitutio Valentini ni Imperatoris in Codice Theodosiano, quæ prætereunda non est, eò quia Sectariorum os claudit, ait namque Imperator ad Aezium agentem in Gallia Magistrum militiæ, Cod. Theod. Tit. 24. de Episcop. Ord. *Cùm Sedis Apostolicæ primatum sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis coronæ, & Romanæ dignitas civitatis, sacræ etiam Synodi firmarit authoritas, ne quid præter authoritatem sedis istius illicitum præsumptio attentare nitatur; tunc enim demum Ecclesiarum pax ubique servabitur, si rectorem suum agnoscat Universitas, hæc enim cùm hactenus fuerint inviolabiliter custodita, Hilarius Arelatensis (sicut venerabilis Viri Leonis Papæ Romani fideli relatione comperimus) contumaci ausu illicita quædam præsumenda tentavit, & ideo Transalpinas Ecclesias abominabilis tumultus invasit, quòd recens maximè testatur exemplum. Hilarius enim, qui Episcopus Arelatensis vocatur, Ecclesiæ Romanæ urbis inconsulto Pontifice indebitas sibi ordinationes Episcoporum sola temeritate usurpans invasit, nam alios incompetenter removit, indecenter alios ordinavit. Qui quidem quoniam non facilè ab his, qui non elegerant, recipiebantur manum sibi contrahebat armatam, & claustra murorum in hostilem morem obsidione cingebat, vel aggressione reserabat, & adsedem quietis pacem prædicaturum per bella ducebat. His talibus contra Imperii majestatem, & contra reverentiam Apostolicæ Sedis admissis per ordinem religiosi viri urbis Papæ cognitione discussis, certa in eum ex his, quos malè ordinaverat, lata sententia est, & erat ipsa quidem sententia per Gallias etiam sine Imperiali sanctione valitura (quid enim tanti Pontificis authoritate in Ecclesias non liceret? sed nostram quoque præceptionem hæc ratio provocavit, ne ulterius vel Hilario, quem adhuc Episcopum nuncupari sola mansueti Præsulis permittit humanitas; nec cuiquam alteri ecclesiasticis rebus arma miscere, aut præceptis Romani Pontificis liceat obviare. Auribus enim talibus fides & reverentia nostri violatur Imperii: nec hoc solum, quod est maximi criminis submovemus, verùm ne levis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur, hoc perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis quàm aliarum Provinciarum contra consuetudinem veterum liceat sine viri venerabilis Papæ urbis æternæ authoritate tentare; sed illis omnibus, pro lege sit, quidquid vel sanxit, vel sanxerit apostolica sedis authoritas, ita ut quisquis Episcoporum ad judicium Romani Antistitis evocatus venire neglexerit, per moderatorem ejusdem Provinciæ adesse cogatur per omnia servatis, quæ divi parentes nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt. Aeti pater charissime Augusti unde illustris, & præclara Magnificentia tua præsentis edictalis Legis authoritate faciet, quæ sunt superiùs statuta servari, decem librarum multa protinus exigenda ab unoquoque Judice, qui passus fuerit præcepta nostra violari &c. Datum VIII. Idus Junii Romæ Valentiniano Aug. VI. Cons.*

Quod verò ad S. Cyprianum attinet, certum est ipsum pluribus in locis scripsisse, primariam Ecclesiæ auctoritatem fuisse à Christo soli Petro collatam. Adhortaturus enim Carthaginenses suos ad unitatem Ecclesiæ, quæ occasione schismatis Novatiani in Africa distrahebatur, hoc potissimum argomento eos orget, quod unitas Ecclesiæ ab unione cum cathedra Petri pendeat, quæ omnium Ecclesiarum est matrix, & radix; adeo ut qui cathedram Petri deserit, aut alium Episcopum sequitur quàm eum, qui à Romana cathedra profectos est, & cum Romana cathedra sentit, is non magis in Ecclesia sit, quàm ramus in arbore; qui à tronco, & à radice divellitur; & sicut Ecclesia est una tantùm, ita & ejus rectorem, ac moderatorem unum tantum esse dicit, qui cæteris omnibus præsit: scribit ipse Epist. ad Quintum de baptis. hæreticor. *Petrum primum Dominus elegit, super quem ædificavit Ecclesiam suam*, & de hujus Ecclesiæ unitate ait lib. de unit. ecclas. *Una est Ecclesia, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur: quo modo Solis radii multi, sed lumen unum: rami arboris multi sed robur unum tenaci radice fundatum: Et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt; numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium Solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit: Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit: A fonte præcide rivum, præcisus arescit: & sic Ecclesia Domini diffusa per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latiùs expandit; Unum tamen caput est, & origo una, & una mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius partu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos DEO servat, hæc filios regno, quos generavit, assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur à promissis Ecclesiæ separatur, nec pervenit ad Christi præmia. Qui relinquit Ecclesiam Christi alienus est, profanus, hostis est.* Videant Sectarii, an hujus solis sint radii; hujus arboris rami; hujus fontis rivoli. Si sejonguntur ab Ecclesiæ cathedra, ab obedientia summi Pontificis Romani, sunt rivuli sejuncti à fonte arescentes sine humore, radii separati à sole qui extinguuntur, rami præcisi ab arbore qui moriuntur. Sed Sectarii hisce ex Cypriano omissis alia in favorem sui erroris censent posse ex illo adferre: longque deprompta ex lib. de unitate Ecclesiæ ubi ait: *Loquitur Dominus ad Petrum: Tu es Petrus &c. super unum ædificat Ecclesiam, & quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat: Sicut misit me Pater,*

ego mitto vos &c. tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc utique erant cæteri Apostoli, quod Petrus fuit pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. Dicunt Sectarii as Cypriano: hoc idem fuisse Petrum, ac reliquos Apostolos *pari consortio præditi, & honoris, & potestatis*: At si medullitus verba considerentur Cypriani; ex iisdem potius asseritur primatus Petri. Dixerat enim quod dæmon videns idola derelicta hæreses invenit & schismata, quibus subvatteret fidem, veritatem corrumperet, & scinderet veritatem. *Quos detinere non potest in via veritatis, cæcitate circumscribit, & decipit novi itineris errore. Rapit de Ecclesia homines, & dum sibi appropinquasse jam lumini, atque evasisse sæculi noctem videntur; alias nescientibus tenebras rursus affundit, ut cum Evangelio Christi, & cum observatione ejus, & lege non stantes Christianos se vocent, & ambulantes in tenebris habere se lumen existiment. Hoc eò fit fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, neque caput quæritur, nec Magistri cœlestis doctrina servatur, quæ si quis consideret, tractatu longo atque argumentis opus non est, probatio est ad fidem facilis, compendium veritatis.* Mox explicans quid sit hoc compendium quo tanta facilitate fides ab hæresi, & Catholici à Schismaticis secernuntur, ait: *Loquitur Dominus ad Petrum. Ego dico tibi inquit, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam, & tibi dabo claves &c. & iterum eidem post Resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas, super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas.* Asserit expressè D. Cyprianus, Christum super unum Petrum ædificasse Ecclesiam suam, consequenter unum prælegit Petrum, quo Ecclesia sustentaretur, ac illum cæteris præfecit, & cui curam concredidit suarum ovium, cùm post Resurrectionem dixit: *Pasce oves meas*, Peto à Sectariis: num reliqui Apostoli fuerint oves Christi, & de illius ovili? si non fuerunt de Christi ovili, ergo non fuerunt de Christi Ecclesia, quod nemo ex *Sectariis* hactenus dixit: Si fuerunt de Christi ovili, & oves illius, ergo pascendi & ipsi erant à Petro eorum Pastore; consequenter Petrus, ut fundamentum Ecclesiæ, & ut Pastor ovium Christi præficiebatur cæteris Apostolis ex D. Cypriano, qui tantùm ratione Apostolatus & ejusdem dignitatis, honoris, ac officii dixit Petrum parem esse reliquis Apostolis; majorem tamen ratione fundamenti Ecclesiæ, & Pastoris ovium Christi, cui reliqui Apostoli subjiciebantur.

Instant Sectarii, quia licèt Christus voluerit Ecclesiæ fundamentum eligere Petrum, à quo tota Ecclesia penderet, si tamen post Resurrectionem æquavit reliquos Apostolos, verbis illis: *Sicut misit me Pater & ego mitto vos.* Tum quia reliqui Apostoli erant idem ac Petrus, fuerunt enim Presbyteri, ut Petrus, Episcopi ut Petrus, Apostoli ut Petrus, ac proinde pares Petro honore, & potestate. Sed contra; quia tametsi Christus Petro æquaverit reliquos Apostolos in officio, dignitate, & honore Apostolatûs; in officio tamen Pastoris, & regiminis totius Ecclesiæ Christus unum Petrum reliquis prætulit Apostolis: hanc doctrinam esse Cypriani clarè constat ex illius verbis: ait ipse in libello de unit. Ecclesiæ: *Et quamvis Apostolis omnibus post Resurrectionem parem potestatem tribuat; & dicat, sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt. Tamen ut unitatem manifestaret unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.* Hæc postrema verba Sectarii reticent, quia iisdem Cyprianus eorum solvit argumentum; si Christus ut unitatem suæ Ecclesiæ manifestaret, unam constituit Cathedram, unum & sua auctoritate disposuit magistrum, qui reliquos omnes de Ecclesia doceret: quòd si Magister præfertur discipulis quibus præficitur, sequitur manifestè Cyprianum non fecisse Petrum reliquis Apostolis parem, sed superiorem ob auctoritatem docendi è Cathedra, quæ sit una tantùm, & plures non habet nec capit magistros docentes, alioquin tot essent Cathedræ, quot Magistri. Sed Sectarii non solutionem objectionis, quæ Cypriani est, quærunt; sed objectionem, quam Schismaticorum nomine sibi opponit, arripiunt; & quasi Cyprianus Novatianis illam suggereret, ejus auctoritate Catholicis insultant. Quamvis igitur omnes Apostoli fuerint æquè missi, fuerint pares in dignitate, honore, ac officio Apostolatûs; seu fuerint omnes missi, ut promulgarent Evangelium, docerent gentes, baptizarent, ac alia obirent munera Apostolatus, in quo omnes erant pares Petro; adhuc in officio Pastoris unum prætulit Petrum reliquis Apostolis: Si enim quæras cur non plures, sed unam tantùm Christus sua auctoritate constituerit Cathedram, respondet Sanctus Cyprianus: *Ut manifestaret unitatem, & unitatis ejusdem* (Cathedræ scilicet) *originem ab uno incipientem.* Ecclesiam unam, Episcopatum unum, & Cathedram unam in universa Ecclesia Cyprianus esse sentit; eo tamen genere unitatis, quod sumitur ab una tantùm origine; quo pacto plures homines ab eodem semine propagati unam constituunt familiam, quam unum hominum genus vocare consuevimus: *Nemo fraternitatem mendacio fallat; nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat. Episcopatus unus est cujus à singulis in solidum pars tenetur; Ecclesia quoque una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur:* Et explicans, quomodo extendatur, adfert exempla radiorum plurium emanantium ab uno, eodemque sole; rivulorum plurium defluentium ab uno, ac eodem fonte; ramorum ab una eademque radice, & arbore ait ipse: *Quomodo solis multi radii, sed lumen unum; & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum: & cum de fonte uno rivi plurimi defluunt.* Confert Cyprianus Episcopatum, & Ecclesiam rebus illis, quæ unitæ sunt in origine, quamvis multiplicentur in propagatione: quo fit ut à Christo unus fuerit constitutus Episcopus, ex cujus Sede veluti à Matre fœcunda reliqui omnes per totum orbem Episcopi procrearentur, & ad quem veluti ad primam originem, & primum fontem Episcopatus omnes Cathedræ suam referrent originem. Ex Cypriano igitur unus tantùm fuit à Christo institutus supremus in Ecclesia Episcopatus, in quo solus Petrus, & ejus successores sederent; & à quo reliqui Episcopatus per totum orbem dimanarent, ac dependerent, eo quia regimen totius Ecclesiæ uni fuerit Petro, ac ejus successoribus creditum.

Quòd si quæras quando Christus hunc in Ecclesia primatum contulerit D. Petro? Respondetur, varias esse Doctorum sententias. Censent plerique tunc tantùm fuisse Petrum primatu Ecclesiæ à Christo initiatum, cùm Matth. 16. dixit illi Christus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam*

meam

meam, & quia hæc verba ad solum Petrum fuerunt directa, confent solum Petrum fuisse à Christo initiatû Episcopatu, & à Petro omnes alios Apostolos; adeo ut Christus tantùm instituerit Episcopum D. Petrum cum facultate, ut ipse reliquos Apostolos consecraret Episcopos. Alii tamen volunt Apostolos omnes fuisse à Christo institutos Episcopos. Alii verò putant omnem potestatem politici regiminis, seu jurisdictionis in foro exteriori à Christo immediatè datam fuisse uni Petro, & ab ipso communicatam cæteris Apostolis. Demum alii docent Christum omnibus Apostolis perinde ac Petro contulisse, quidquid potestatis illis inerat, ita tamen ut Petrus fuerit constitutus Caput & Princeps Apostolorum. Sed quo tempore, & quomodo contigerit Christum contulisse Petro primariam authoritatem in Ecclesia & principatum supra reliquos Apostolos, probabilint sententia est, hanc primariam authoritatem fuisse Petro à Christo promissam, cùm Matth. 16. illum alloquens dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; & tunc hunc primatum fuisse Petro datum, quando Joan. 21. illi injunxit, ut pasceret suas oves: *Pasce oves meas.* Hæretici tamen negant absolutè hunc primatum fuisse à Christo collatum Petro, & ex eo probant, quia Petrus nunquam legitur, quòd hunc primatum exercuerit in Ecclesia: siquidem quoties in Ecclesia opus fuit jurisdictionem exercere, omnes Apostoli simul illam exercuerunt & non solus Petrus. Hinc Actor. 6. non Petrus tantùm, sed etiam alii Apostoli instituerunt primos Diaconos. Tum quia Actor. 8. v. 18. Reliqui Apostoli miserunt Petrum & Jacobum in *Samariam*, ex quo inferunt non fuisse Petrum à Christo reliquis Apostolis prolatum, alioquin ipsum non misissent. Tum quia Paulus, & Barnabas quæstionem de circumcisione ad omnes Apostolos, ac seniores dirimendam detulerunt: quod si Petrus fuisset supremus Rector in Ecclesia, ac Judex controversiarum ad ipsum solùm detulissent quæstionem, ut ipse solus sententiam diceret. Sed contra falsum est, Petrum nunquam in Ecclesia exercuisse jurisdictionem primariæ authoritatis. An non solus, & propria authoritate convocavit omnes Discipulos ad electionem Matthiæ in locum Judæ? An non primus fuit, qui Evangelium Jerosolymæ promulgaverit? An non primus omnium promulgavit inter gentes Evangelium, & in Concilio Hierosolymitano primus omnium sententiam dixit, cui reliqui Apostoli & congregati acquieverunt. Hæc malunt Hæretici reticere, eò quia exercitium jurisdictionis in Petro clarè evincunt. Neque ullius sunt momenti quæ ipsi adducunt. Ex eo enim quòd omnes Apostoli simul instituerint primò Diaconos, inde non sequitur primatum Ecclesiæ non fuisse à Christo collatum Petro, sicut ex eo, quod Episcopi omnes alicujus Provinciæ simul conveniant in aliquibus legibus sanciendis, & pro bono Ecclesiæ instituendis aliquibus officiis non inde sequitur Metropolitanum, seu Archiepiscopum ejusdem Provinciæ non esse primum inter alios Episcopos suffraganeos, ut etiam ex eo, quòd Pontifex una cum toto Concilio declaret, vel statuat aliquid, inde non sequitur ipsum non esse primarium, ac exercere primariam jurisdictionem: ergo quamvis omnes Apostoli instituerint primos Diaconos, non valet consequentia, ergo Petrum in illo actu, quo constituebantur primi Diaconi non exercuisse primatum Ecclesiæ, quia ipse ut primus illos instituit, & reliqui Apostoli simul congregati ut subordinati Petro, adeo ut omnes juxta proprias dignitates concurrerint ad instituendos primos illos Diaconos. Præterea dato etiam, quòd Petrus in illo actu non exercuerit primariam jurisdictionem, neque Ecclesiæ primatum, inde non sequitur, quòd nunquam suum primatum exercuerit: siquidem illum exercuit in pluribus aliis actibus, præsertim cum propria authoritate convocavit omnes discipulos ad electionem novi Apostoli, cùm Concilium Hierosolymis convocaverit, & primus in illo sententiam dixerit. Ad aliud de Petro misso cum Joanne in Samariam à reliquis Apostolis jam respondimus superius Petrum non fuisse imperio, sed tantùm rogatu. triplex potest esse missio, prima ex imperio, quo pacto Herus mittit suum famulum ad aliquod servitium præstandum. Secunda ex consensu, qua ratione Deus Pater misit Filium in hunc mundum, & Filius Spiritum Sanctum. Tertia ex Concilio, & directione, quo pacto consiliarii interdum decentur mittere Imperatorem ad bellum, eò quia ejus præsentia tunc urgeat, & milites invictâ fortitudine pugnent. Petrus igitur missus fuit à reliquis Apostolis cum Joanne in Samariam non ex imperio, sed tantùm ex consilio, consensu, & rogatu, ex quo non sequitur Petrum æqualem, vel inferiorem fuisse reliquis Apostolis, quia consilio, & rogatu possunt Principes mitti à subditis, si noverint id posse in majus bonum subditorum resultare. Ad aliud quod addebatur de quæstione circa circumcisionem delatam ad omnes Apostolos & seniores, respondetur inde non sequi Petrum non habuisse tunc primatum Ecclesiæ, cùm enim Concilium esset Hierosolymis congregatum, & Petrus adfuerit toti Concilio, consequenter etiam Petro delata fuit quæstio: ex eo autem quod ad solum Petrum delata non fuerit, inde non sequitur non habuisse Petrum Ecclesiæ primatum, sicut enim in civilibus plures causæ deferuntur ad Senatum Regia etiam præsente Rege, qui tunc non deperdit suam regiam dignitatem, neque censetur eadem destitutus, ita etiam in Ecclesia possunt controversiæ ecclesiasticæ deferri ad Concilium, in quo Pontifex præest: neque per hoc Pontifex suam deperdit primariam dignitatem, qua cæteris præest. Cæterum controversia de circumcisione delata fuit ad Concilium, & non ad solum Petrum, ut decisio fieret, cum majore partium satisfactione.

Hujus rei si DEO placet probationem sumunt à Gruibus, ab apibus, quæ sibi ducem unum semper eligunt non plures. Recipio sane, quæ proferunt exempla, sed an ex toto orbe conflanunt apes, ut regem unum eligant? suis alvearibus contenti sunt reges singuli, ita quoque in gruibus una quæque caterva proprium Regem habet. Quid inde aliud evincent, quàm singulis ecclesiis debere suos Episcopos attribui. Sed huic responsioni occurrit Bellarminus lib. 1. de Pont. cap. 2. Quia sicut ecclesia est unum tantum ovile, ut habetur Joan. 10. & non multa ovilia: ita etiam unum alveare, & una caterva dici potest, ac propterea sicut rex unus est apibus, & grues unum sequuntur literato ordine; ita debet ecclesia universa unum habere: & sequi ducem, ac primarium rectorem, & doctorem. Rursus quia grues, & apes non sunt talis naturæ ut possint cum absentibus, ac longius dissitis animorum coojunctione vel per fomenta litterarum conjungi, hinc non mirum si ex toto orbe apes non confluant, ut regem unum eligant. Præterea ex eo, quod unaquæque apium caterva suum regem habet, quem sequatur, satis ostenditur indita ipsis propensio, ut ab uno tantùm ducantur, & regantur. Sed omissis brutis animalibus homines à mundi initio semper suos habuisse rectores, à quibus dirigerentur, satis constat ex sacris historiis. Abraham enim regia potestate præditus indictutus bellum adversus quatuor alios Reges *Genes.* 14. non accepit potestatem ab ullo senatu optimatum, imò nec ullum senatum consuluit. Judas *Genes.* 38. Nurum suam, quia stupri accusata fuit flamma damnavit, neque ipse ullum consuluit senatum. Moyses *Exodi* 32. Ut summus princeps Judaici populi plura Judæorum millia ob vitulum aureum erectum in deserto una die jussit interimi, nec ullum consuluit senatum, vel Plebiscitum. Hoc idem etiam præstiterunt Judices, quibus populi regimen fuit demandatum. Gedeon *Judic.* 8. Post delatam de Madianitis victoriam occidit septuaginta viros urbis Socoth, & Turim Phanuel solo æquavit, non igitur hæc regimina Patriarcharum regum & Judicum constabant ex optimatibus pluribus, sed unus tantùm erat Princeps, qui absolutè, & independenter ab aliis, quod justum erat exequebatur. Calvinus tamen objicit, quia lib. 1. Reg. cap. 8. reprehenduntur Israelitæ eò quia postulaverint Regem. Quia si Deo non placuit regem institui ad eam rempublicam gubernandam credibile non est Duces, & Judices fuisse à DEO constitutos cum regia potestate. Sed contra quia duobus modis potest aliquis toti Reipublicæ præfici cum summa potestate, primo, ut Rex & Dominus qui à nullo dependeat: altero modo, ut Prorex, qui toti quidem populo præsit, sed ipse regi subjiciatur. Deus igitur hoc posteriori modo tempore Ducum, & Judicum instituit rempublicam Judæorum, adeo ut tametsi ipse esset proprius, & peculiaris Rex illius populi, nihilominus, quia ipsi homines erant, ac indigebant rectore visibili, quem adire, & appellare possent, ideo constituit ipsis hominem tanquam Proregem, qui nullo pacto populo subjiceretur, sed eidem præficeretur, & solo vero rege, qui erat Deus subjiceretur, unde habetur illud ad Samuel. 1. Reg. 8. *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*, scilicet non abjecerunt supremum Regem, sed tantùm Proregem, quem noluerunt habere. Et quia Judæi hoc statu reipublicæ contenti minimè fuerunt, priorem modum regiminis expetierunt, adeo ut Regem voluerint, qui non modo unus omnibus imperaret, Duces, & Judices institueret, verum etiam universum regnum, ut suum, & proprium possideret & cum jure successionis ad filios, & nepotes devolveretur, adeoque à Deo reprehensi, ac puniti fuerunt. quia minimè contenti fuerunt illo monarchico regimine, quo voluit suum populum gubernari, quia hoc regimen ut optimum præferendum semper est aliis, habet enim proprietates quæ optimo regimini conveniunt, quarum prima est ordo, eo enim regimen est melius, quo perfectius ordinatur, & monarchia perfectioc semper ordinatur, quàm Aristocratia, vel Dimocratia, siquidem ordo in eo consistit, ut alii præsint, & alii subjiciantur. non enim inter pares, sed inter superiores, & inferiores ordo cognoscitur: & ubi regimen est monarchicum ibi servatur ordo, quia nemo est, qui non subjiciatur alicui excepto uno, qui reliquos omnes regit: & hæc proprietas monarchiæ inest Ecclesiæ Catholicæ, in qua summus est ordo, & quidem harmonicus, quo plebs subjicitur Parochi; Parochi Episcopo, iste Metropolitano, Metropolitanus Primatibus, & primates Pontifici Maximo, qui totam Catholicam Ecclesiam gubernat, & regit. Ubi verò regimen est Aristocraticum populus habet quidem suum ordinem, eò quia nemo sit de populo, qui non subjiciatur optimatibus, sed optimates inter se nullum ordinem habent, & à fortiori nullus est ordo ubi regimen est dimocraticum, in quo omnes cives imperant, omnes ejusdem sunt conditionis, & authoritatis. Secunda proprietas est assecutio proprii finis, quia illa est melior forma regendæ multitudinis, quæ facilius, & cum minore incommodo præstitutum sibi finem potest assequi, sed finis gubernationis est civium, commodum bonum publicum, & animorum inter se conjunctio, seu pax, hæc autem conjunctio in eo est sita, ut idem sentiant, idem velint, idem sequantur omnes, quod longè faciliùs & tutiùs obtinetur, si uni tantùm populus obediat, & ab illo dependeat, quia sublata hac dependentia, ac debita obedientia simul non possunt convenire, neque quæ præcepta servare debeant sciunt. Experimentum hoc idem etiam docet, legimus enim in historiis apud Romanos sub regibus raras fuisse dissentiones inter cives, secus cum per annuos Magistratos Respublica postea gubernaretur, semper singulis annis contendebant Patricii cum Plebejis & eò civiles contentiones fuerunt progressæ, ut suis manibus potentissima illa Respublica Romanorum corruerit; ac deleta fuerit. Tertia proprietas, est robur, & potentia reipublicæ. Illud enim regimen est cæteris excellentius, ac laudabilius, quo majus reipublicæ bonum promovetur, seu respublica fit fortior, ac valentior ad resistendum inimicis; & tunc vires acquirit uberiores, quando monarchicè gubernatur, quia tunc cives animis, ac viribus conjunguntur; & major conjunctio habetur, quando omnes dependent ab uno tantùm, quàm ubi à multis; ergo regimen monarchicum vires adauget reipublicæ, quam fortiorem, ac potentiorem reddit: idque experimento deprehenditur verum: etenim ex quatuor potentissimis imperiis tria sub regibus, seu beneficio regiminis monarchici creverunt; illud scilicet Assyriorum, Persarum, & Græcorum; vires verò deperdidit Romanum, quod etiam defecit, quia sub populari dominatu sine dictatore, absque rege: multo magis floruit crevitque adauctis viribus cum Augusto Monarcha; quàm tempore reipublicæ, ubi civium dissidia plurimum attulerunt nocumenti. Quarta proprietas est diuturnitas boni communis: nulli dubium quin illa gubernatio communitatis sit melior, quæ stabilior, firmior, ac diuturnior est: sed Monarchia est longè firmior, ac diuturnior quàm Aristocratica, & Dimocratica, si de vi agatur externa,

quia

claratur, *Romanum Pontificem, à nemine, ne quidem toto clero judicari posse; ab ipsa verò judicari omnes* Tom. 1. concil. post Concil. Nicænum & in Concil. Nicæno 1. n. 3 18. Papa dicitur esse vicarius Christi super omnes populos, & universam ecclesiam Christianam. Et Patres Concil. Sinuessani n. 108. concluserunt: *Non posse alterius ore, sed sua tantum judicari illum reum, illum judicem sui esse.* Tom. 2. Concil. Ex Sanctis Patribus S. Cyrillus lib. Thesaur. Tom. 2. *Sicut Christo à Patre omnis potestas, & nulli alteri data est: sic Petro, ejusq; successoribus supremam ecclesiæ curam, nullique alteri commissam.* Stephanus Archiepiscopus, & omnes Africæ Episcopi scribunt, Tom. 2. Concil. *Ad Romanam sedem omnia è longinquis etiam, remotisque locis negotia majoris momenti deferenda esse ejusque arbitrio finiri oportere* Epist. ad Damasum Papam S. Bernardus epist. 11. & lib. 3. de consideræt. cap. 2. *Quis mihi faciet justitiam de vobis? Extat quidem tribunal Christi; sed absit, ut ad illud appellem: itaque recurro ad eum, cui datum est judicare de universis; hoc est ad vos: vos appello ad vos, judicare inter me, & vos.* Infinita sont testimonia scripturæ, & sanctorum Patrum asserentium ad solum Summum Pontificem pertinere judicare de fidei controversiis, & non Christianæ plebi. Leges itidem ecclesiasticæ, vel à solo Pontifice, vel à Conciliis una cum capite, seu summo Pontifice leguntur latæ, & nunquam à populo Christiano; imò neque populi suffragium fuit requisitum. Idque ex eo liquet quia Actor. 15. D. Paulus transiens per Syriam, & Ciliciam præcipiebat populis, ut custodirent præcepta Apostolorum, & servarent mandata seniorum: ergo leges, & mandata Apostoli in ecclesia sanxerunt non plebs Christiana, quæ senioribus semper paruit: neque lex una assignari potest, quæ in ecclesia ullo unquam tempore fuerit plebiscitum. Neque unquam auditum fuit in ecclesia ut plebs judicaret Episcopos, ac ecclesiasticos prælatos; hi enim judicari semper fuerunt vel à solo summo Pontifice, vel à Concilio una cum capite seu summo Pontifice; legimus enim Nestorium ab episcopatu Constantinopolitano depositum ex mandato cœlestini Papæ ut narrat Evagrius lib. 1. cap. 4. Dioscorum pulsum ab episcopatu Alexandrino à Concilio Chalcedonensi ex sententia S. Leonis Papæ ut constat ex eodem Concilio act. 3.

Præterea, quia decebat sapientissimum regem non instituisse in sua ecclesia regimen illud, quod est omnium deterrimum quale est Dimocraticum, ut docent Plato in Axiocho ubi ait: *Quis beatus esse possit vulgi vivens arbitrio, tametsi faveatur ei, plaudaturque* & Aristoteles lib. 8. Ethic. cap. 10. asserens ex tribus formis regendi multitudinem Monarchiam esse optimam, Dimocraticam pessimam; quinimo ejus infinitæ sapientiæ conveniens erat ut perfectissimam seligeret formam, qua ab uno, qui reliquis omnibus præesset guberoaretur: ergo si Christus convenientissimo, & optimo modo voluit providere, ut ecclesia quæ ex multiplici conditione hominum, ac nationum varietate coalescit, esset una unitate doctrinæ, fidei, charitatis, & pacis; debuit etiam una esse unitate capitis, & Rectoris: ex hac enim unitate omne bonum derivatur in populum: quia sicut divisio vires minuit, ita unitas adauget: & nihil potest accommodatius esse quasi principium, & causa unitatis quàm ipsa unitas: siquidem per unitatem in unum copulantur cives, & virtus unita fortior, per dissidia enim, & controversias infringitur virtus, quæ in plures divisa partes in singulis infirmatur. Unde ut Deus ipse nos edoceret, hanc unitatem in regimine in charitate, & pace civium imò & in rebus omnibus, quæ nostros cadunt sub sensus, quæ fuerunt à sapientissimo Opifice Deo constitutæ, & ordinatæ, hanc intendunt unitatem, qua fulciuntur, adeo ut ex unitate pendeant, & ab unitate conserventur. Sic homo ita est constitutus in corpore, ut singula membra ab uno quodam præcipuo nempe à capite, vel corde dependeant, in quo sit quasi vitæ principatus & à quo, vim suam accipiunt, subsistunt, vivunt, & à quo, si sejungantur, statim deficiunt, & pereunt. In arboribus etiam omnes rami per truncum dilatantur, frondescunt, suosque parturiunt fructus, & tota arbor ex unica radice dependet, ex qua succum attrahit, qua omnes rami, folia, & fructus vegetent, & crescant. Non solùm in hominibus, & plantis, verùm etiam in gruibus, & apibus hæc apparet dependentia ab uno tantùm eorundem. apes enim regem suum sequuntur, cui & obsequuntur, & grues ordine litterarum unam sequuntur, qua reliquæ diriguntur. Tandem res omnes sive sensu destitutæ sive vita vigentes, quia in optimum sui statum propendent, unum tantum cognoscunt principium à quo perinde ac à Principe uno reguntur. Hinc etiam in veteri lege unus fuit tantùm summus sacerdos, cujus authoritate dirimerentur controversiæ legales, ex DEI jussu, & ordinatione: ergo in lege evangelica, cum conveniens fuerit, ut optimo gubernaretur regimine debuit unus tantùm esse summus Pontifex, cujus jurisdictione, & doctrinâ, quæ fidei controversiæ oriuntur dirimerentur.

Acatholici tamen, quamvis concedant Christum, & Beatum Apostolum Petrum summo fuisse Ecclesiæ pontificatu positos, & primatum Christus à se ipso habuerit, putant tamen D. Petrum non à Christo, sed ab aliis Apostolis accepisse, & postea Petro per Neronem sublato ecclesiæ regimen mutatum fuisse cum cæteris Episcopis loco, & gradu, adeo ut non unus tantùm ecclesiam gubernaret, sed plures in dignitate ecclesiastica constitutos, ex quo inferunt monarchiam ecclesiasticam Anno Christi 70. quo fuit Petrus Romæ cruci affixus in Aristocraticam defecisse, asserunt enim præeminentiam unius tantùm super alios omnes nullo expresso jure ostendi posse, neque Papam Romæ Episcopum ex ulla Apostolorum ordinatione superioritatem supra reliquos omnes ecclesiæ Prælatos evincere posse, neque ex Patrum assertis probare, propterea inferunt, hanc præeminentiam non esse admittendam. Rorius distinguunt papatum in tres periodos, quas status vocant, & primam producunt à morte Christi per 526. annos usque ad Justinianum Imperatorem. Secundam per 246. a Justiniano ad Carolum Magnum. Tertiam a Carolo Magno ad Julium II. Romanum Pontificem, & affirmant in prima periodo Romanos Pontifices nil potestatis in spiritualibus, vel temporalibus ultra suam diœcesin, quàm intra centesimum ab urbe lapidem coarctaor, statuisse, & specialim in reliquos Patriarchas Romano antiquiores. In secunda periodo à temporibus Justiniani I. Imperatoris scilicet ab Anno Christi 526. per 246. subsequentes usque ad tempora Caroli Magni volunt Episcopos Romanos semper subditos fuisse Imperatori, à quo instituerentur, & cui obedirent. In hac periodo duo præsertim observant Sectarii, quæ sunt veluti paparus incunabula scilicet constitutiones editas à Justiniano, Arcadio, & Honorio Imperatoribus pro libertate ecclesiastica, & decretum voce Imperatoris, quo primaria in universa Ecclesia authoritas in favorem Romani Pontificis contra Patriarcham Constantinopolitanum adjudicata fuit. In tertia periodo dicunt Ecclesiam af-

fluxisse divitiis propagasse dignitates, & ad illam amplitudinem protendisse, ut summus Pontifex à bonis spiritualibus ad temporalia suum extenderet regimen, idque ob leges Caroli Magni, & prætextu donationis Pipini Francorum Regis circa patrimonium Sancti Petri. Et asserunt Romanam Ecclesiam bona hæc temporalia occupantem accersivisse Romam viros doctos, quos & dignitatibus insignivit, ut Romana Curia illustraretur, virisque doctis repleretur, sibique alios Principes veluti subjicerent. Quæ omnia falsa sunt, & quod attinet ad primariam in Ecclesia authoritatem Hæreticorum assertum adversatur divinis Scripturis, in quibus ut superius evicimus, hæc primaria authoritas in universali Ecclesia collata fuit soli Petro, cùm eidem soli concredidit claves regni cœlorum, ut quodcunque solveret super terram, esset solutum & in cœlis, & quodcunque ligaret super terram esset ligatum, & in cœlis, seu peccata, quæ remitteret in terris, essent remissa & in cœlis, & quæ non remittuntur in terris, nec remittantur in cœlis; & cùm eidem demandavit curam pascendi dominicum suum gregem; *Pasce oves meas*, cùm enim omnes fideles sive ex plebe, sive in dignitatibus constituti sæcularibus, & ecclesiasticis, imò & Apostolatûs honore insigniti sint oves Christi omnes ex Christi mandato ab uno debent pasci Pastore, quia Christus indefinitè injunxerat Petro pascere suas oves absque ulla limitatione sine ulla exceptione, & hunc primatum in Ecclesia semper viguisse in Petro, & suis successoribus, adeo in historiis est perspicuum, ut negare non possit nisi mens improba ac nimis supina. Traditio enim Apostolica hunc asserit primatum in uno summo Pontifice, si enim ascendendo per Episcopos sibi invicem succedentes perveniamus ad Apostolum aliquem, & non possit ostendi, quòd ullus eorum Episcoporum introduxerit novam doctrinam, tenemur fateri in Ecclesia servari Apostolicas traditiones, quia Apostoli tradiderunt suis successoribus cum officio Episcopatus etiam doctrinam religionis. Unde S. Irenæus lib. 3. cap. 3. ait: *Traditionem Apostolicam in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire, & habemus enumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & Successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt. Sed quoniam valdè longum est omnium Ecclesiarum successiones enumerare, maxima, & antiquissima, & omnibus cognita à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundata, & constituta Ecclesia, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo præter quam oportet, colligunt.* Et lib. 4. cap. 43. ait: *Quapropter eis, qui sunt in Ecclesia Presbyteris, obaudire oportet his, qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione carisma veritatis certum secundùm placitum Patris acceperunt. Reliquos verò qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colliguntur suspectos habere, vel quasi Hæreticos, & malæ sententiæ, vel quasi scindentes, & elatos, & sibi placentes.* Tertullianus in lib. de præscript. pulchrè ita loquitur: *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem suorum Episcoporum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris (qui tamen cum Apostolis perseveraverit) habuerit authorem, & antecessorem. Hoc enim modo ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, sicut ecclesia Smyrnæorum habens Polycarpum ab Joanne conlocatum refert; sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit, proinde utique & cætera exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid Hæretici. Quid enim illis post blasphemiam illicitum est?* & nonnullis interjectis subdit. *Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ percurre ecclesias Apostolicas apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ eorum literæ recitantur sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaia habes Corinthum si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses, si potes in Asiam tendere, habes Ephesum, si aut Italiæ adjaces habes Romam, unde nobis quoque authoritas præsto est. Felix ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus passioni dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes postea quam in oleum igneum demersus nihil passus est, in Insulam relegatur.* Accedit etiam Augustinus epist. fundament. cap. 4. inquiens: *Multa sunt, quæ me justissimè tenent in ecclesiæ Catholicæ gremio. Tenent consensio populorum, & gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli usque ad præsentem Episcopatum continuata successio sacerdotum*, & hac regula usi sunt alii sancti Patres præsertim S. Hieronymus, Ambrosius, & alii, & Theodosius in lege cunctos populos Codice Theod. de fide Catholica ait: *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit temporamentum in ea volumus religione versari, quam divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio usque nunc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum virum Apostolicæ sanctitatis.* Ubi Theodosius Imperator non comparat Petrum Damaso dignitate, potestate, & gradu ut asserunt Sectarii, sed Petrum Damaso adjicit propter successionem Apostolicam. Quod si una Romana Sedes Orthodoxæ fidei argumentum erat sufficientissimum, multo efficacius esse debuit, si ad Romanam aliæ quoq; ecclesiæ Apostolicæ accessissent maximè patriarchales. Et quamvis defecerint certæ, & continuatæ Episcoporum successiones in aliis ecclesiis quas fundârunt Apostoli, ex peculiari tamen Petri privilegio sola Romana Ecclesia semper immobilis stetit, nunquam corruit, quia juxta Christi promissionem adversus illam, portæ inferi non prævaluerunt, nec prævalebunt. Quamobrem si ascendentes à præsente Summo Pontifice Clemente XI. usque ad Petrum Apostolum inveniemus omnes Romanos Pontifices, quorum monumenta extant constantissimè semper docuisse ac tenuisse primatum universæ Ecclesiæ Christi, ut successores divi Petri, adeo ut ex historiis nullo modo possit oppositum probari; & in ecclesiis primatum à Christo collatum D. Petro transiisse in successores fatentur non solùm historiæ, sed etiam omnes Sancti Patres, qui Novatoribus omni tempore semper obstiterunt, & Romanum Pontificem verum Petri successorem agnoverunt, & ab ipsum controversias circa religionem subortas detulerunt. dissidentibus enim inter se Romanis, & Græcis ecclesiis in celebratione paschatis, ut narrat Eusebius *lib. 5. cap. 24.* Policarpus quem totius Asiæ Principem Hieronymus vocat, ex Oriente Romam ad Anicetum venit, pro qua controversia etiam Irenæus non multo post ad Eleuterium ex Galliis legatus est, ait enim Irenæus: *Quoniam propter potentiorem principalitatem necesse erat, ut ad Romanam undique convenirent omnes Ecclesiæ, omnes fide-*

les.

les. Quæ autem tunc in Ecclesia gererentur tum Romæ, tum alibi juxta præscriptum legis Christi, ac summi Pontificis Vicarii Christi, ac Petri Successoris testatur Hegesippus apud Eusebium lib. 4. cap. 22. ubi ait: *Cùm essem Romæ mansi ibi usque ad Aniceti Pontificis tempora, cujus tum quidem Eleutherius Diaconus erat; huic successit Soter, quo morte extincto, Eleutherius munus Episcopale capessit. Nulla Episcoporum Sedes (successione ab Apostolis deducta) nulla civitas, in qua non ita observata essent omnia, ut lex præscripserat, docuerant Prophetæ, & Dominus ipse prædicaverat.* Et quia controversia de Paschate majora semper videbatur dissidia inter Ecclesias Græcam, & Latinam excitare; Eleutherii Successor omnes orientales Ecclesias anathematizavit, quæ in controversia de Paschate ab Ecclesia Romana dissentirent; & quamvis Pontifex nimia severitate visus fuerit processisse contra Ecclesias orientales, nemo tamen fuit, qui illius tunc oppugnaverit potestatem; nullus qui novitatis notam illi inureret; nullus qui usurpatæ sibi jurisdictionis accusaret, quia arbitrabantur omnes ad solum summum Pontificem Romanum judicare de rebus ecclesiasticis ob primatum in Ecclesia sibi à Christo collatum pertinere.

Præterea regimen Monarchicum Ecclesiæ evincitur ex Symbolo Apostolorum, quod tametsi Calvinus, ac nonnulli ejus Sectarii negaverint hoc Symbolum ab Apostolis editum fuisse, & traditiones Apostolicas ab ipsis Apostolis in Ecclesiam usque ad id temporis derivatas iverint inficias; attamen cæteri omnes etiam Hæretici consentiunt, Apostolos afflatu Spiritus Sancti composuisse hoc Symbolum, ut esset quasi prima tessera militiæ Christianæ. In hoc igitur Symbolo definitum fuit Ecclesiam esse credendam *Sanctam, & Catholicam*, & postea in Concilio Constantinopolitano ex Apostolica traditione additum fuit *Unam & Apostolicam*: ex eo autem quod sit una congruum erat ut ab uno tantùm regeretur cui à Christo tradita fuerit primaria auctoritas: quia *Ecclesia* ut definitur à S. Cypriano, *est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens*, adeo duæ sint partes essentiales Ecclesiæ, & sine quibus non esset ecclesia: plebs scilicet, & Sacerdos; grex, & Pastor, adeo ut si alterutra pars tollatur, corruat tota ecclesia; perinde ac si ab essentia hominis, si tolleretur animalitas quæ est genus, vel rationalitas quæ differentia, totus destrueretur homo. Unde juvat contra Sectarios argumentari: ab Apostolis definitum fuit Ecclesiam esse credendam: ergo definitum fuit credendum etiam esse aliquem unum Sacerdotem, & Pastorem illius si non explicitè, certè implicitè: Si enim credenda est explicitè ecclesia, cùm hæc ex Cypriano *sit plebs Sacerdoti adunata*, credendus est implicitè unus Sacerdos, unus Pastor totius dominici gregis, quia includitur implicitè in ipsa ecclesia ut pars essentialis illius: ergo ex eo quòd Apostoli definiverint credendam esse ecclesiam Sanctam, Catholicam; utique definiverunt etiam credendum unum Sacerdotem cui plebs adunetur; unum Pastorem suo gregi adhærentem: si enim Sacerdos, & Pastor est essentialis ecclesiæ, is alius nequit esse nisi Romanus Pontifex Petri successor in regimine ecclesiæ; neque hæc in ecclesia dignitas alteri cuiquam tribui potest quàm Romano Pontifici? hinc Cyprianus dennit, eccles. *Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat*, & D. Hieronymus scribens ad Damasum ait: *Ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est.* Et brevius, sed auctius S. Ambr. *Ubi Petrus, ibi Ecclesia.* Seu ubi Petrus, vel ejus successor, cù Petrus mortuus fuerit perseverãte ecclesia, quæ sine Pastore, seu Sacerdote supremo Judice esse non potest.

Hinc constat quàm falsò asserant Sectarii mortuo Petro per Neronem sublato regimen ecclesiæ mutatum fuisse, & Monarchiam Petri in ecclesia anno Christi 70. quo Petrus Romæ fuit Cruci affixus, defecisse in Aristocratiam, in qua omnes Episcopi pares sunt in regimine ecclesiæ. Nam si sublato per Neronem Petro forma regiminis ecclesiastici mutata esset, perperam in symbolo jussi fuissent fideles profiteri ecclesiæ unitatem, quia tot essent ecclesiæ quot diœceses; & si ecclesiæ simul non copularentur in uno corpore, ac dependerent ab una suprema, ac supereminente, quæ foret caput reliquarum, & totius corporis, non una esset ecclesia sed plures contra symbolum Apostolorum. Neque esset una ratione fidei, & charitatis; quam unitatem Christus antequam pateretur peculiari oratione est ei à Patre precatus. Si non unus esset in ecclesia supremus Judex ad quem pertineret ortas controversias dirimere, unitas fidei, & charitatis everteretur, ac penitus deleretur: etenim si Episcopi de rebus fidei inter se diffiderent, quemadmodum diffident Sectarii Calvinistæ, Lutherani, Anabaptistæ, Zuingliani & alii in varias discissi sententias de rebus fidei, quis eorum dissidia componeret, ac lites dirimeret? Respondent Hæretici Concilia generalia. Sed inde sequeretur, quòd ecclesia primis trecentis annis fuisset destituta hoc fundamento unitatis; nec tunc debuissent fideles credere unam ecclesiam; quia ecclesiam unam nulla poterant ratione fideles profiteri, quia una esse non poterat; unde vel malè fuisset ecclesiæ unitas articulus fidei insita; vel unus aliquis supremus Pastor, & Judex constituendus est, à quo suam etiam ecclesia desumat unitatem, ac denominetur una, ut pluries reperitur à S. Cypriano. *Una est Ecclesia à Christo Domino super Petrum origine unitatis, & ratione fundata*, & epist. 70. *Ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit*, & lib. de unit. ecclesiæ paulò post initium. *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra monstretur*, alioquin si Christus ad Patrem ascendens nullum supremum in ecclesia reliquisset gubernatorem, qui vices suas gereret, sed omnes Apostoli fuissent in regimine, & authoritate pares, & unus aliis non præesset; ecclesiæ unitas dissoluta fuisset, contra tamen sacras scripturas & Patres interpretes, tot enim fuissent ecclesiæ, quot gubernatores, qui in nullo capite, aut superiore simul colligerentur, sed quisque per se independenter ab alio, & absque ulla subordinatione suam propriam regeret ecclesiam. Quamobrem ut ecclesia unita servaretur primariam in ecclesia authoritatem Christus soli Petro contulit, qui tametsi in munere Apostolatus æqualis esset aliis Apostolis in jurisdictione tamẽ regiminis cæteris omnibus præesset: & ab hoc uno Petri primatu, qui in successores transfunditur, unitas dependet ecclesiæ, alioquin si primatus à Petro non transiret in successores, sublata ab ecclesia hac unitate dignitatis, & primatus in quo tota ratio unitatis sita est, non posset ecclesia una dici contra symbolũ Apostolor. scitè Aug. Epi. 162. *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus*, quòd si floruit principatus temporibus Augustini, hic à Petro in successores transfusus fuit, & à principatu, seu primaria authoritate etiam denominatur ecclesia una, quod ante Augustin. etiam edocuit Optatus lib. 2. contra Parmen. ubi ait: *Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primam Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput, in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ergo Cathedra*

unica est, quæ est prima de dotibus: sedit prior Petrus, cui successit Linus, & ita successivè, Lino Clemens, Clementi Cletus, huic Anacletus, dein Evaristus, Alexander, Syxtus, Telesphorus, Hyginus, Pius, Anicetus, Soter, Eleuterius, Victor, Zephirinus, Callistus, & alii successivè usque ad præsens tempus. Et ante optatum Concilium Nicænum I. can. 6. ut refertur in Concilio Chalcedonensi ait Act. 6. *Ecclesia Romana semper habuit primatum.* Imò & ante Concilium Nicænum hoc idem asseruit Cyprianus, cùm dixit: *Cum Fabiani locus idest cum locus Petri, & gradus Cathedræ sacerdotalis vacaret.* Unde primaria in Ecclesia authoritas collata fuit à Christo soli Petro, & quia Petrus erat brevi moriturus; ita Christus hanc primariam jurisdictionem, & dignitatem in Ecclesia Petro contulit, ut eo mortuo transfunderetur in successores pro tempore, & esset in Ecclesia semper una & eadem Cathedra, in qua successivè sederent summi Pontifices, qui universam Ecclesiam regerent, alioquin si Ecclesia careret hoc supremo Capite, una non esset, & Symbolum Fidei falsum esset, quia Ecclesia una non esset, quam tamen in Symbolo confitemur esse unam Catholicam, & Apostolicam.

Præterea si Ecclesia suo destitueretur capite, seu Romano Pontifice, & supremo dominici gregis Pastore, cui oves Christi, seu omnes fideles non adhærerent, falsò etiam nuncuparetur Ecclesia Catholica, siquidem fideli Catholico opponitur tam Hæreticus, quàm Schismaticus, Hæreticus quia perversè sentit de fide; & Schismaticus, quia non communicat cum Ecclesia, adeo ut nomen hoc Catholicum duo includat fidem orthodoxam contra hæresin, & communionem, ac pacem cum Ecclesia, unde Augustinus lib. de fide, & symbolo cap. 10. *Credimus Ecclesiam sanctam utique Catholicam, nam & Hæretici, & Schismatici congregationes suas Ecclesias vocant, sed Hæretici de Deo falsò sentiendo ipsam fidem violant, Schismatici autem dissensionibus iniquis à fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus, quapropter neque Hæreticus pertinet ad Ecclesiam Catholicam, quia non diligit Deum; neque Schismaticus, quia non diligit proximum:* Hæ autem duæ conditiones ab Augustino recensitæ nulli Ecclesiæ competunt primò, & per se nisi Romanæ; nulli fidelium primò, & per se nisi summo Pontifici. Cæteris verò Ecclesiis tantùm conveniunt quatenus conjunguntur Romanæ ut propriæ radicis, ac matris Ecclesiæ Christi, & Romano Pontifici tanquam supremo ejus capiti post Christum, eique per communionem superædificantur veluti fundamento domus Dei, adeo ut Cyprianus epist. 45. scripserit: *Scrupulo omni de singulorum pectoribus excusso per omnes omnino istic positos litteræ fierent (sicut fiunt) ut te universi Collegæ nostri & communionem tuam, seu Catholicæ Ecclesiæ unitatem pariter, & charitatem probarent firmiter, & tenerent.* Ubi Cyprianus vocat communionem cum Romano Pontifice unitatem Ecclesiæ Catholicæ, quia Ecclesia est cœtus fidelium quatenus adhærescit suo Sacerdoti, quia Sacerdos supremus Ecclesiæ est unus tantùm, & hoc asseruit Cyprianus qui antea pariaverat Ecclesiam universam solis radiis, quia eatenus unum lumen efficiunt, quia uniuntur in sole, ramis, qui unam arborem constituunt; quia in trunco uno, & radice unica conveniunt: rivulis quia una aqua sunt, quatenus ab uno, & eodem fonte promanant, & Cypriano sol, fons, radix una erat Ecclesia Romana, & Sedes Petri, ac Successorum, in cujus communione uniuntur omnes Ecclesiæ particulares, & ubique terrarum omnes fideles veluti radii soli, rami arbori, rivuli fonti, quapropter redarguens suos Carthaginenses ajebat: *Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non credat.* Et Sanctus Ambrosius orat. in fat. interrogatus, num cum Episcopis Catholicis, & cum Romana Ecclesia conveniret, respondit, *Certa mihi regula est, quòd ubi Petrus, ibi Ecclesia.* Ecclesia igitur universalis eatenus Catholica est; quia uni, & supremo adhæret Sacerdoti, seu summo Pontifici Romano, quem cognoscit, & fatetur, esse supremum Pastorem totius dominici gregis, unde si tollatur supremus Pastor seu Romanus Pontifex cæteri fideles illi non possunt adhærere, consequenter Ecclesia non esset una, neque Catholica, quod adversatur Symbolo Apostolorum. Hisce rationibus permoti Patres Concilii Florentini in litteris unionis expressè decreverunt, ac statuerunt primatum Romani Pontificis esse de fide, legitur enim in Concilio illo: *Definimus Sanctam, & Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum esse Successorem B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totius Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.* Et ante Florentinum etiam in Concilio Constantiensi Sess. 15. inter errores Joannis Huss speciatim damnati fuerunt 27. quo ajebat: *Non est scintilla apparentiæ, quòd oporteat esse unum Caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Ecclesia militante conversetur, & conservetur.* Rursus damnata fuit propositio 28. quæ erat: *Christus sine talibus capitibus monstruosis per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam Ecclesiam regularet,* ut etiam propositio 29. quæ fuit: *Apostoli & fideles Sacerdotes Domini strenuè in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papæ officium foret introductum, sic facerent deficiente Papa.* Cùm enim Joannes Huss tolleret ab Ecclesia primum, & supremum Pastorem totius dominici gregis, & tot divideret Ecclesias, quot sunt Sacerdotes Domini regulantes suas diœceses non esset Christi Ecclesia una; sed tot, quot sunt diœceses, quæ suis gubernantur, & reguntur Sacerdotibus: neque esset Catholica, quia universi fideles à quibus denominatur Ecclesia Catholica non adhærerent uni supremo Sacerdoti, qui Pastor esset totius dominici gregis, quapropter verum non esset Symbolum Apostolorum, in quo profitemur credere in unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Rursus Concilium Constantiense Sess. 8. inter errores Joannis Wicclefi hunc etiam damnat: *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias,* & Martinus V. speciali sua constitutione censuram confirmavit ejusdem usque sessionis, cui addidit hanc explicationem: *Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum summi Pontificis super alias Ecclesias particulares,* hanc tamen explicationem Anonymus quidam Sectarius nititur eludere, eò quia per Romanam Ecclesiam non intelligitur Ecclesia universalis, quæ propterea non est aliis superior, neque Catholica, eò quia per Romanam Ecclesiam non intelligatur universalis Ecclesia. Sed contra, quia Ecclesia Romana simpliciter potest sumi. Primò pro Ecclesia universali; quæ integratur ex omnibus Ecclesiis

parti-

particularibus. Secundò sumitur pro Concilio generali repræsentante universam Ecclesiam. Tertiò sumitur Ecclesia pro illa speciali, quæ est Romæ, & cujus Petri Successor est Episcopus: & juxta hos tres sensus Concilium declarat erroneã propositionem Wicclefi, & decernit de fide esse primatum supra reliquas omnes Ecclesias convenire soli summo Pontifici Romano, unde Ecclesia Urbis Romæ utcunque per Papam superior est omnibus Ecclesiis particularibus. Cæterum si sumatur Ecclesia Romana pro ea, quæ est Romæ non est universalis, sed tantùm Caput universalis Ecclesiæ, seu membrum præcipuum, quia in hoc sensu corpus universum Ecclesiæ integratur ex omnibus Ecclesiis, quæ longè, lateque sparguntur per universum orbem: unde in hoc sensu neque Concilium generale est Ecclesia universalis, sed tantùm membra Ecclesiæ corporis universi, quòd si Concilium generale non comprehendat summum Pontificem non est amplius generale, quamvis in ipso includerentur omnes, & singuli Episcopi per totum orbem, quia semper huic corpori deesset caput; essetque propterea corpus mutile, adeo ut Concilium generale non repræsentet Ecclesiam universalem, nisi eidem præsit summus Pontifex tanquam Caput. Universale tripliciter sumi potest quoad esse, repræsentare, & regere: Ecclesiæ universæ corpus, quod coalescit, & integratur ex omnibus fidelibus, qui communione associantur cum summo Pontifice est Ecclesia universalis quoad esse. Concilium generale constans ex omnibus Episcopis Catholicis, quorum unusquisque repræsentat suam Ecclesiam dicitur Ecclesia universalis in repræsentando; si tamen adsit ejus Caput, alioquin esset corpus mutile, & nnnimè universale, eò quia careret præcipuo membro, quod est Caput, Ecclesia igitur Romana, cujus Episcopo totum Christi ovile concreditum fuit, vocatur Ecclesia universalis in regendo, & gubernando. Quamobrem stat regimen Ecclesiæ esse monarchicum, & in Ecclesia unum dari summum Pontificem, qui sit Pastor totius dominici gregis, & à quo omnes & singuli fideles dependeant, exigantque ab illo pasci.

Sectarii verò nituntur ostendere regimen Ecclesiæ post Christi mortem fuisse immutatum, & ex Monarchico arbitrantur defecisse in Aristocratiam, eò quia ejus regimen pertinuerit ad omnes Apostolos, & etiamnum pertineat ad eorum Successores seu Episcopos, & nituntur eò quia in Actis Apostolorum nulla reperitur præcedentia, nec præeminentia ullius super alios, bene tamen in Scripturis habetur eorum paritas, nam cùm Apostoli contenderent, quisnam illorum esset major, respondit Christus Luc. 22. v. 25. *Reges gentium nominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui major est in vobis fiat sicut minor*; unde argumentantur omnes Apostoli etiam Petrus contendebant de primatu, sed si Petro fuisset promissus primatus non adfuisset occasio contendendi, ergò Ecclesiæ primatus non fuit Petro collatus à Christo; tum quia Christus omnibus eripit cogitationem de primatu temporali: Cùm dixit *vos autem non sic*, imò etiam delevit cogitationem de primatu, & jurisdictione spirituali, cùm ait: *Qui major est in vobis fiat sicut minor*, ex quo concludunt regimen Ecclesiæ non esse Monarchicum, sed fuisse à Christo Aristocraticum institutum. Sed contra quia ut respondet Bellarminus lib. de Pont. Apostoli errarunt, eò quia temporalem principatum somniaverint, adeo ut debuerit Christus hunc errorem corrigere, cogitabant enim Apostoli de primatu aliquo temporali, quem apud Christum essent habituri, quibus propterea respondit Christus: *Vos autem non sic*, & simul suo exemplo fuit eos hortatus, ut quisquis inter ipsos habiturus esset primatum ecclesiasticum, religiosam servaret modestiam, & humilitati, non elationi studeret, propterea dixit, *qui major est in vobis fiat sicut minor*, similem monitionem legimus de primatu Regis in veteri Testamento Deuter. 17. v. 18. *Postquam sederit in solio regni sui describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine.* Et paulò post: *Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos*: & sicut inde non possumus inferre regi veteris Testamenti non fuisse datam jurisdictionem in suos fratres, eò quia monitus à Deo fuerit, ut servaret modestiam, & non elevaret se supra suos fratres, ut solent gentium Reges, ita in casu nostro, ex eo, quòd Christus Petrum monuerit, & omnes Apostolos, ut essent humilitatis, demissionis studiosi, inde non possumus inferre Petro non fuisse à Christo collatam jurisdictionem ecclesiasticam in suos fratres, alioquin si argumentum valeret, neque Christo ipsi fuisset jurisdictio in Apostolos, eò quia illis studio humilitatis ministraverit, dicens: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat*; & suo exemplo hortatur Prælatos Ecclesiæ ad similem ministerium non tollens ab illis jurisdictionem, sed commendans humilitatem, unde ex eo, quòd Christus dixerit, *Qui major est in vobis fiat sicut minor*, exinde non sequitur non fuisse Petro collatam jurisdictionem, & primariam in omnes fideles authoritatem, unde Petrus reliquis præfuit Apostolis jurisdictione non Apostolatu. Tria possunt in Apostolis considerari quorum primum est dignitas Apostolatûs. Secundum est Sacerdotium. Et tertium administratio sacræ politicæ, quæ nomine Pontificatus designari solet. In munere Apostolatûs omnes Apostoli pares fuerunt, ut etiam quoad institutionem ac munera Presbyteratûs, sed inæquales fuerunt ratione Pontificatûs supremi Pastoris ac Rectoris universalis Ecclesiæ. Elegit duodecim, eosque nominavit Apostolos, *Matth.* 10. *Marci* 4. *Luc.* 6. unde pares fecit omnes in munere Apostolatûs, quòd munus erat evangelizare, testificari, prædicare omnibus gentibus, & miracula perpetrare. Rursus omnes Apostolos etiam ordinavit Sacerdotes *Matth.* 26. *Marci* 14. *Luc.* 22. adeo ut D. Paulus 1. *ad Corinth.* 11. dixerit, fuisse collatam potestatem conficiendi Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum omnibus Apostolis, & offerendi Deo incruentum Sacrificium Corporis, & Sanguinis sui, & huic potestati alteram etiam adnexuit dimittendi peccata in foro interiori *Joan.* 20. Verum ad Apostolatum, & Sacerdotium quæ communia fuerunt Christo cum Apostolis adhuc aderat in Christo jurisdictio, & administratio politica rerum sacrarum quæ in eo solo tanquam in supremo capite resedit, quamdiu vixit in terris, eò quia Synagoga translata fuerit in Ecclesiam, seu ab Aarone in Christum, & Cathedra Moysis in ovile supremi Pastoris: & hanc jurisdictionem ascensurus in cœlum ad Patrem non concessit omnibus Apostolis, quos insignivera munere Apostolatus, & instituerat Sacerdotes, sed uni soli Petro concredidit sicut antea promiserat, adeo ut quoad ordinem politicum, & regimen totius Ecclesiæ unum Petrum præfecerit omnibus aliis Apostolis, quos Petro subjecit, ut & totam Ecclesiam ubique terrarum longè lateque diffusam, ut supremo Pastori, quapropter soli Petro dixit: *Pasce oves meas.* Quidni etiam in sacris ordinibus ac Religiosorũ claustris, & domibus varii, ac diversi sunt religiosorum gradus, quamvis in pluribus pares sint & æqua-

æquales, non ita in omnibus: sunt enim omnes professi Sacerdotes, in quo conveniunt omnes Sacerdotes, qui propterea quoad professionem, & sacerdotium omnes sunt pares, quoad munera verò magisterii non omnes sunt æquales, quia Magistri præsunt simplicibus Sacerdotibus, & supra Magistros datur superior, seu Præpositus, qui quoad administrationem politicam & ejus ordinem cæteris præest, quamvis igitur Præpositus sit æqualis aliis Religiosis in professione religionis, & sacerdotii, non tamen est æqualis quoad munus administrandi politicum seu regimen Manasterii, ita à pari, quamvis omnes Apostoli pares essent in munere Apostolatûs, & Sacerdotii, quoad jurisdictionem tamen unus Petrus præficitur cæteris & illi soli primatia in tota Ecclesia authoritas confertur.

Instant tamen Sectarii, quia cura omnium populorum non uni Petro tantùm, sed reliquis etiam Apostolis demandata fuit à Christo Matth. cap. ult. *Euntes docete Gentes baptizantes eos:* & ibid. etiam dixit: *Ego vobiscum usque ad consummationem sæculi.* Verùm primùm testimonium tantùm probat omnes Apostolos pares fuisse in munere Apostolatûs, seu in munere docendi omnes gentes ac conferendi baptismum non verò probat non fuisse Petro collatam jurisdictionem in omnes, & singulas Christi oves cum soli Petro dictum fuerit, *pasce oves meas.* Quamobrem quidquid ad Apostolatum pertinet, id omnibus Apostolis concessum est, & Petro, at non vicissim quidquid concessum est Petro, id ipsum concessum est à Christo aliis Apostolis, non enim pastoralis dignitas, & suprema administratio juris Dei concessa fuit omnibus Apostolis, sed soli Petro. Objiciunt Sectarii illud Joan. 20. ubi dicitur; *Insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Sed contra quia eainde etiam sequitur tantum Apostolos fuisse pares in munere sacerdotii, remittendi peccata, vel retinendi, seu absolvendi à peccatis vel non. Sed non probatur, quòd jurisdictio non fuerit collata soli Petro, & suprema authoritas in Ecclesia in omnem dominicum gregem. Cùm enim Christus soli Petro dixerit: pasce oves meas, ipse solus factus fuit omnium Christi ovium supremus Pastor, cum pastura omnium ovium soli Petro & non aliis commendata fuerit; Neque ea eo quòd omnes fuerint æquè instructi, & æquè acceperint Spiritum Sanctum; Joan. 20. *Insufflavit, & dixit eis, accipite Spiritum Sanctum*, inde sequitur, unum non habere majorem jurisdictionem quam alii: quia aliud est loqui de doctrina, & sanctitate, & aliud de jurisdictione: non enim omnes, qui pares sunt in doctrina, & sanctitate, pares itidem sunt in jurisdictione: alioquin Imperator si parem saltem non haberet cum subditis doctrinam, & sanctitatem, majorem non haberet jurisdictionem. Frequentissimum est in religiosorum familiis, ut qui aliis præsunt, minus habeant doctrinæ, ac sanctitatis, quamvis plus habeant jurisdictionis. Ratio à priori petitur ex eo, quia jurisdictio per se non dependet à majori doctrina, & sanctitate. Dices ex S. Cypriano clarè infertur omnes Apostolos fuisse pares etiam in jurisdictione, siquidem in tract. de simplicitate Prælatorum, sive de unitate Ecclesiæ ait: *Hoc erant utique, & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur, ut ecclesia una monstretur.* Hunc Cypriani locum maximè urgent, in quo duæ continentur propositiones, una de paritate Apostolorum: altera de unitate; & primam ajunt non posse aliter intelligi, quàm quòd omnes Apostoli fuerint pares in honore, ac potestate, seu jurisdictione; ex quo inferunt, Petrum non habuisse plus jurisdictionis, quàm reliqui Apostoli. Quòd si Catholici velint secundâ propositionem interpretari, Ecclesiam esse unam ab unitate capitis habentis plus jurisdictionis; non salvatur Cyprianus à luculenta contradictione, sed contra respondetur utramque propositionem veram esse neque Cyprianum sibi contradixisse. Verum est, omnes Apostolos, antequam Petro collata fuit primaria in Ecclesia auctoritas, & dignitas supremi Pastoris totius dominici gregis per verba illa: *Pasce oves meas:* fuisse inter se æquales in honore apostolatûs, & potestate illum exercendi. Sed verum etiam est, Petrum post acceptam à Christo totius Ecclesiæ præfecturam fuisse cæteris omnibus in Ecclesia, etiam Apostolis majorem; officium enim pascendi dominicum gregem soli Petro datum fuit, cui Christus dixit: *Pasce oves meas*, & quia Apostoli erant Christi oves & intra illius ovile; ideo pascendi & ipsi à Petro erant; & hæc suprema præfectura collata soli Petro indicatur per verba illa Cypriani *exordium ab unitate*, unde Cyprianus confirmat cum Catholicis primariam in Ecclesia auctoritatem collatam à Christo soli Petro: etenim ex doctrina cœlestis Magistri ostendit, quodnam sit hoc caput, à quo est origo veritatis, & assignato capite ait removeri omne periculum recedendi à veritate; & concludit Petrum cum suis successoribus esse in Ecclesia militante hoc caput; ait ipse: *Quæ si quis consideret, & examinet tractatu longo, atque argumento opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt, nec vincent eam. Tibi dabo claves regni cælorum &c. & eidem post resurrectionem suam dicit: pasce oves meas.* Mox sibimet objicit: Christus omnibus Apostolis parem dedit potestatem: ergo Petrus non est major, sed æqualis reliquis Apostolis, consequenter non est caput Ecclesiæ. Et solvit objectionem concedendo, Christum dedisse quidem omnibus Apostolis parem potestatem: sed post suam resurrectionem ex omnibus æquali potestate præditis unum selegisse Petrū, ut esset caput, seu Pastor universalis omnium suarum ovium, cui illi soli injunxit ut indefinitè, absque ulla restrictione, sine ulla limitatione pasceret suas oves: pasce oves meas: ait Cyprianus: *Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat; & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum &c. tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejus originem ab uno incipientem sua authoritate disposuit*; idque expressiùs confirmat sequentibus verbis. *Hoc erant utique, & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus pari consortio præditi, & honoris, & potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.* Ex Cypriano igitur omnes Apostoli ante electionem capitis, seu supremi Pastoris, quæ electio facta fuit per verba illa, *pasce oves meas*, omnes erant pares in officio apostolatûs, in dignitate Sacerdotis: sed facta electione Petrus præficitur reliquis omnibus, fitque Monarcha totius Ecclesiæ, quia Pastor totius dominici gregis. Et concludit Cyprianus, eos non habere veram fidem, qui ab hoc capitis, & corporis veritate, ac unitate recedunt: *Hanc*, inquit, *ecclesiæ unitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit, qui ecclesiæ renititur, & resistit in ecclesia se esse confidit?* Ex doctrina igitur Cypriani infertur Apostolos fuisse pares, & inter se æquales, antequam unus supremus Pastor à Christo eligeretur, qui toti suo ovili præficeretur, ac cura demandaretur pascendi omnes suas oves:

sed

sed hoc supremo Pastore, seu Ecclesiæ capite, ac recto-re constituto non amplius fuisse pares. Secundò omnes deficere à fide, ac recedere à veritate, qui huic supremo capiti, Pastori, & Ecclesiæ gubernatori non adhærent, non illi obediunt, & fieri vel hæreticos, vel saltem schismaticos. Tertiò non esse opus magno labore, neque studio ad inquirendum, quæ sit vera fides, quia est vera fides, quæ est à capite veluti ab origine, & ex Christi institutione derivatur in reliqua membra.

Objiciunt Sectarii ad evertendum Petri in Ecclesia primatum illud Joan. 20. ubi insufflavit, & dixit eis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Sed contra, quia ut paulo superius diximus, eatenùs tantùm sequitur fuisse pares in sacerdotio & potestate absolvendi à peccatis: ex quo non sequitur, Petrum non fuisse primarium Pastorem cæteris præfectum à Christo: etenim hæc potestas absolvendi, & ligandi convenit etiam simplici Sacerdoti, qui tamen non est æqualis Episcopo, cui itidem convenit hæc eadem potestas adnexa sacerdotio; sed Episcopo præter potestatem absolvendi competit etiam jurisdictio, quæ simplici Sacerdoti non convenit. Neque obstat, quòd Dominus æquè omnibus insufflaverit, & dixerit: *Accipite Spiritum Sanctum*, quia si inde sequeretur, omnes Apostolos pares esse, & æquales Petro, non solùm Apostoli sed etiam reliqui omnes discipuli extra collegium Apostolorum essent pares Petro; quia non Apostolis tantùm, sed reliquis etiam discipulis Dominus insufflavit: siquidem ut habetur Luc. ult. discipuli illi euntes in Emaus, & quibus Christus apparuit in via: *regressi sunt Hierosolymam, & invenerunt congregatos undecim, & qui cum illis erant, dicentes, quia surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni: & ipsi narrabant in via, & quando cognoverunt eum in fractione panis. Dum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis &c. Tunc insufflavit & dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, ut narrat S. Joannes: sed hæc non Apostolis tantum, quibus succedunt Episcopi; sed etiam aliis discipulis, quibus succedunt presbyteri dicta fuerunt, ac insufflatum fuit à Christo; idque causæ, cur Ecclesia utatur iisdem signis in consecratione Sacerdotum: & Catholici asserunt per eadem signa conferri potestatem ordinis, non potestatem jurisdictionis fori exterioris ligandi, & solvendi; sed tantùm in foro poli, ut ajunt, seu interno, quæ potestas datur omnibus Sacerdotibus unà cum ordine sacerdotali non verò in foro fori, quia hæc potestas constituit superiorem politicum. Præterea quamvis solis Apostolis insufflâsset, ac dixisset: Accipite Spiritum Sanctum; non tamen æqualis esset Episcopo Presbyter; neque consequenter omnes Apostoli essent Petro æquales, si nullam aliam potestatem acceperent, nisi quæ omnibus simplicibus Presbyteris, & Sacerdotibus datur. Sed instant sectarii, quia Matth. 18. omnibus Apostolis fuerunt æqualiter cœlorum claves extraditæ: dictum enim omnibus fuit: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, sed contra quia claves regni cœlorum datas hoc loco fuisse Apostolis negant omnes Catholici, quia neque verbum unum profertur de clavibus, quarum nulla fit mentio: cùm enim Christus dixisset, quòd si quis Ecclesiam audire noluisset, is haberetur tanquam Ethnicus, & Publicanus, hoc unum adjecit: *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata, & in cœlo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*: quibus verbis datam fuisse Apostolis potestatem jurisdictionis afferunt plures, qui in tres dividuntur sententias, Cajetanus in Tom. 1. opuscul. D. Thomæ tract. 5. cap. 5. victoria Relect. 2. de potestate Ecclesiæ n. 9. & alii asserunt in hoc loco datam esse Apostolis potestatem regiminis, & administrationis politicæ. Sed Turrecremata lib. 2. c. 61. Bellarminus de Rom. Pontifice lib. 1. cap. 12. Suarez. de censuris disput. 1. sect. 2. & alii censent talem potestatem regiminis hoc in loco non fuisse Apostolis datam, sed tantùm promissam, sed D. Thomas docet hanc potestatem regiminis, & jurisdictionis non fuisse Apostolis datam, nec promissam ait S. Doctor in coment. ad Mat. c. 18. Efficacia hujus sententiæ. Quis posset aliquis dicere, quid curo ego, si Ecclesiæ dicatur, & sim excommunicatus: ideo ostendit efficaciam istam: Amen dico vobis &c. unde in sententia D. Thomæ hæc verba adjecta sunt à Christo ad indicandum robur ecclesiasticæ excommunicationis ex divina ratihibitione; estque etiam expositio D. Hieronymi in c. 18. Matth. Si ex hisce tribus sententiis sectarii velint primæ adhærere, respondent ejus Auctores fuisse quidem hoc in loco Matth. 18. æqualem potestatem jurisdictionis à Christo collatam omnibus Apostolis, quos propterea pares fecit in potestate ligandi, & solvendi; sed hanc postea æqualitatem sublatam fuisse, cum Joan. 21. soli Petro dixit Christus: *Pasce oves meas*, scilicet omnes, nulla excepta, tunc enim constituit Petrum supremum Pastorem sui ovilis, seu supremum gubernatorem suæ Ecclesiæ, cui propterea reliqui Apostoli non fuerunt amplius pares, sed unus Petrus cæteris omnibus præficitur. Si adhæreant secundæ sententiæ respondent ejus propugnatores: hanc potestatem jurisdictionis Matth. 18. fuisse quidem promissam omnibus Apostolis, qui pares fuerunt in hac promissione; sed postea data à Christo fuit immediatè soli Petro Joan. 21. & mediatè, seu mediante Petro reliquis Apostolis; adeò ut primò, & immediatè Petrus acceperit à Christo hanc potestatem jurisdictionis; & Petrus eam reliquis contulerit Apostolis: ut in Petro tanquam in capite, fonte, & radice *perpetuò Ecclesiæ unitas servaretur*, ut loquitur S. Cyprianus: Quòd si dicas omnes Apostolos accepisse à Christo hanc potestatem jurisdictionis, respondetur accepisse quidem à Christo sed mediatè, seu mediante Petro, qui solus eam immediatè accepit à Christo; quæ enim Princeps per suos ministros confert subditis, dicitur Princeps ea conferre. Si tertiæ sententiæ D. Thomæ velint Sectarii adhærere argumentum non impugnat primatum Petri, quia Christus Matth. 18. Pollicetur solam ratihibitionem excommunicationis. Facultas autem anathemate percutiendi in Ecclesia contumaces in sententia aliquorum, quos citat D. Thomas annexa est simplici animarum curæ; vel saltem simplici Episcopatui ut communior, ac verior docet sententia; unde argumentum sectariorum non impugnat primatum Petri. Si dicas, Christum voluisse pares omnes Apostolos in doctrina, pietate, bono exemplo aliis dando: *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, imò etiam pares in infirmitatibus curandis, ac dæmonibus ejiciendis Mar. 3. Joan. ul. Matth. 10. Contra est, quia Christus hanc potestatem non solum omnibus Apostolis, sed etiam aliis discipulis concessit Marc. 3. & Joan. ult. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt*: unde inde sequeretur non solum omnes Apostolos fuisse pares, sed etiam omnes fideles esse æquales Apostolis, & D. Petro.

Rursus objiciunt, quia Jacobus non à solo Petro, sed cum Apostolis ordinatus est Episcopus, & Anacletus epist. 2. ait; *Hierosolymitanorum primus Archiepisco-*

piscopus beatus Jacobus, qui justus dicebatur, & secundùm carnem Domini vocatus est frater, à Petro, Jacobo, & Joanne Apostolis ordinatus est. Sed contra hæc objectio est contra sectarios asserentes omnes Apostolos à Christo fuisse institutos Episcopos; ac fuisse omnes æquales: Etenim si Jacobus Apostolus ordinatur Episcopus à tribus aliis Apostolis, sequitur, non omnes Apostolos fuisse ordinatos à Christo, neque Christum eos reliquisse in Ecclesia pares. Neque ex eo quod alii duo Episcopi ordinaverint Jacobum unà cum Petro, sequitur Jacobum, & Joannem pares Petro fuisse à Christo constitutos; quia soli Petro injunxit, ut pasceret suas oves: hinc S. Chrysostomus homil. 28. in Joan. *Quòd si quis percunctaretur, quomodo Jacobus sedem Jerosolymis acceperit, respondebo: hunc totius urbis magistrum præposuisse Petrum.* Si dicas saltem tres illos Apostolos, qui ordinaverunt Jacobum, fuisse omnes ordinatos à Christo, & consequenter pares in dignitate, fuisse à Christo relictos. Contra est, quia sectarii volunt omnes Apostolos fuisse à Christo pares relictos, quòd si ita est cum Christus Jacobum justum non fecerit Episcopum, quomodo omnes potius pares reliquisse, si non omnes reliquerat Episcopos; quomodo pares si aliqui Episcopi, alii non. Quod si eos ordinatos à Christo non aliunde inferunt quam ab ordinatione Jacobi justi, pari ratione inferretur illos tres fuisse itidem à Christo baptizatos: quia illi tres reliquos baptizarunt, quod à vero longè distat; quia ut asserit Evodius Petri discipulus apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. *Christus manibus ipse suis Petrum tantummodo baptizavit. Petrus verò Andream, & filios Zebedæi, hi deinceps reliquos alios.*

Denique objiciunt D. Hieronymum lib. 1. contra Jovianum circa medium ubi loquens de æqualitate Apostolorum ait: *ex æquo super eos ecclesiæ fortitudo solidatur*, ubi expressè asserit Ecclesiam ex æquo fundari, ac solidari super omnes Apostolos, qui propterea in sententia sancti Hieronymi pares fuerunt non solum in officio Apostolatus sed etiam in ratione fundandi, ac fulciendi Ecclesiam. Sed contra, quia D. Hieronymus loc. cit. non confert, ut supponitur, D. Petrum cum reliquis omnibus Apostolis, sed tantum cum solo Joanne; & ait Joannem ob culturam castitatis fuisse Christo chariorem, quàm Petrum, qui non servaverat virginitatem; ut ostenderet Joviniano contra quem disputabat, virginitatem esse præferendam nuptiis: quod Jovinianus negaverat: postea subjungit: *Sin autem obnixè contenderis Joannem virginem non fuisse; & nos amoris præcipui causam virginitatem diximus, exponat ille, si virgo non fuit, cur cæteris Apostolis plus amatus fuerit: At dices, super Petrum fundatur Ecclesia: licèt id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos ecclesia fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio. Sed cur non Joannes electus est virgo? Ætati delatum est, quia Petrus senior erat; ne adhuc adolescens, ac pene puer, progressæ ætatis hominibus præferretur.* Hic est integer textus D. Hieronymi expressè asserentis primatum Ecclesiæ fuisse à Christo soli Petro collatum, & adfert etiam causam, cur non prætulerit Joannem, quem ob servatam castitatem plus cæteris diligebat. Sed sectarii dolosè textum adferunt mutilum, seu ea tantùm recitant verba, quæ sibi videntur aliquo pacto favere. Respondent, D. Hieronymum tantùm præferre Petrum reliquis Apostolis in primatu charitatis, ætatis, & vocationis non in primatu præeminentiæ, auctoritatis, ac jurisdictionis. Sed contra est, quia primatu charitatis videbatur Joannes præferendus, cum plus cæteris à Christo amaretur: unde etiam Joannes plus cæteris debuit JESUM diligere: quia ut docet D. Thomas 1. part. quæst. 20. art. 4. Deus diligit meliores: ergo si plus cæteris diligit Joannes, sequitur Joannem esse meliorem cæteris, consequenter etiam Petro; ergo Joannes plus dilexit JESUM, quàm Petrus, ille enim apud DEUM est melior, ac perfectior, qui ferventius, ac perfectius Deum amat: ergo primatus charitatis ex sententia Hieronymi non deberetur Petro sed Joanni. Præterea D. Hieronymus expressè ait, D. Petrum fuisse à Christo electum, ut esset caput Ecclesiæ, ergo antequam eligeretur, non fuerat caput Ecclesiæ, consequenter post electionem fuit Ecclesiæ caput, & divus Hieronymus etiam causam assignat, cur Petrus electus fuerit caput Ecclesiæ, estque ut schismatis occasio tolleretur. Unde ex divo Hieronymo fuit Petrus electus non pro sua tantùm persona, ut ajunt sectarii, sed etiam pro suis successoribus, quibus in Ecclesia inest eadem authoritas, quæ à Christo fuerat divo Petro impertita, adeo ut eadem prorsus authoritas supremi capitis transeat in successores, ut occasio amputetur schismatis, quia si tempore Apostolorum, quando Ecclesia exigua erat, & fideles pauci debuit eidem dari unum caput, ut occasio schismatis tolleretur, multò magis urgit hæc ratio post tempora Apostolorum, quando Ecclesia plura subiit incrementa cœpitque per totum orbem diffundi, ac dilatari. Unde tantùm abest, quòd divus Hieronymus neget primatum Petri supra reliquos Apostolos, ut contra sectarios eundem velit in successores transfundi. Rursus Hieronymus asserit Petrum potiùs electum esse in caput Ecclesiæ quàm Joannem, licèt cultura castitatis insignem, quia non decebat, ut Joannes, qui adhuc erat adolescens præferretur senioribus, ex quo inferunt perperam sectarii Petrum esse caput Ecclesiæ ob primatum ætatis, & vocationis, quod tamen non sequitur, alioquin cum quæreretur, cur non potiùs Joannes electus fuerit in caput, quàm Petrus perinde esset ac quærere, cur non potiùs Joannes sit electus, ut fieret senior ætate, & vocatione, quod est ridiculum. Neque obstat, si dicas divum Hieronymum asserere æqualitatem Apostolorum, quia fuerunt tantùm æquales in officio Apostolatus, in promulgatione Evangelii, in conferendo baptismate, & aliis sacramentis Gentibus, & fidelibus, & antequam ipse specialiter eligeretur in caput totius Ecclesiæ, ac ipsi committeretur cura pascendi dominicum gregem, *Pasce oves meas*, cum enim hæc verba directa fuerint ad solum Petrum ipse solus constitutus fuit à Christo Pastor totius dominici gregis, consequenter primaria in Ecclesia authoritas fuit soli Petro concessa, ut præesset omnibus fidelibus etiam ipsis Apostolis, qui cum essent oves Christi sub cura Petri erant, unde divus Hieronymus non dixit ex æquo super omnes Apostolos fundatam esse Ecclesiam, sed tantùm Ecclesiæ fortitudinem super Apostolos solidari quatenus Apostoli promulgantes Evangelium, & baptizantes gentes vires Ecclesiæ augebant, & propterea ejus fortitudo magis consolidabatur; & hic est verus sensus divi Hieronymi, nisi sibi contrarius esse velit: quod ostendi potest ex ipsa disputatione, quam instituit cum Joviniano, ajebat enim

Hie-

Hieronymus, Joannem plus fuisse à Christo amatum propter virginitatem, quàm Petrum non virginem, ex quo inferebat, virginitatem præstare matrimonio: sed Jovinianus negavit antecedens, scilicet Joannem fuisse virginem, quod Hieronymus probat, inquiens: Si virgo non fuit, cur ergo plus amatus fuit, quàm alii? sed respondit Jovinianus, Petrum fuisse plus amatum, quàm Joannem, eò quia super Petrum fundata sit Ecclesia, qua responsione adactus fuit Jovinianus asserere, primatum in Ecclesia authoritatem fuisse à Christo soli Petro collatam. Sed Hieronymus pergens in suo argumento ait: Si spectes, doctrinam Apostolorum super omnes æquè fundata est Ecclesia, eò quia una sit omnium doctrina, una & eadem fides: sed si jurisdictio attendatur, Petrus præ cæteris electus fuit, ut esset caput Ecclesiæ: & ex hoc non sequitur, plus dilectum fuisse à Christo, quia jurisdictio non supponit necessario sanctitatem, adeo ut crescat juxta mensuram sanctitatis. Sed Jovinianus adhuc non acquiescens petit, cur potiùs Joannes non fuit electus, si erat Virgo, & respondet Hieronymus, non fuisse electum ob defectum ætatis, quia adhuc in prima versaretur adolescentia, & non decebat, ut puer senioribus præficeretur cum potestate gubernandi. Hic videtur esse discursus ac sensus Hieronymi disputantis cum Joviniano, quia non est verisimile, Hieronymum statim sibi contradixisse: Sed Sectarii adhuc objiciunt alia Hieronymi verba contra eundem Jovinianum, ubi ait: *Joannes & Jacobus, quia plus cæteris petierunt, non impetraverunt: & tamen non est dignitas eorum imminuta, quia reliquis Apostolis æquales fuerunt.* Sed contra, quia id contigit ante electionem capitis, & antequam constitueret Petrum pastorem universalem omnium suarum ovium, *pasce oves meas*, quia tunc cessavit æqualitas, & Petrus cæpit esse pastor, seu princeps reliquorum, & universalis Ecclesiæ. Neque obstat, quod D. Hieronymus epist. 58. ad Damasum Pontificem scripserit: *ut qui Apostolos honore sequeris, sequaris, & merito.* Non enim dicit, qui Petrum, sed qui Apostolos honore sequeris, quod non scripsisset, nisi novisset Petri, & aliorum Apostolorum fuisse æqualem: sed respondetur, Hieronymum scripsisse ex Syria, ubi tunc morabatur, binas perbreves epistolas ad Damasum de eodem argumento, ubi illum consulit, ut Judicem omnium controversiarum, an salva fide concedi possit, tres inesse DEO hypostases? In priori enim epistola sic scribit: *Quoniam vetusto oriens inter se populorum furore collisus in discissam Domini tunicam, & desuper textam minutatim per frusta discerpit &c. ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam:* quibus verbis expressè & clarè fatetur D. Hieronymus, Romanum Pontificem esse verum Petri successorem, & ipsum solum esse Judicem controversiarum, ac litium, quæ in materia de fide oriuntur: hinc nonnullis interjectis subdit: *Apud vos solos incorrupta Patrum servatur hereditas*, scilicet apud solos Petri successores, postea subdit: *Quamquam igitur tua me terreat magnitudo, tua tamen me invitat humanitas. A sacerdote victimam salutis, à pastore præsidium ovis flagito.* Se fatetur Hieronymus ovem, ut & Damasum pastorem, sed non fuit Hieronymus tunc ovis Damasi, ratione particularis Ecclesiæ Romanæ, cum Damasus esset Romæ, & in Syria Hieronymus, sed ratione universalis Ecclesiæ diffusæ per totum orbem, & cujus Damasus erat supremus pastor, sicut Petrus, cujus authoritas transivit in successores. Rursus ait: *Ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ, seu Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est.* Neque hoc dicit de cathedra aliorum Apostolorum, sed de sola cathedra, quia in hac sola sedet verus Petri successor: ex quibus omnibus evidenter apparet, Petrum ex sententia Hieronymi non parem, sed superiorem fuisse aliis Apostolis. Quod verò in alia epistola scribat ad Damasum, *ut qui Apostolos sequeris, sequaris, & merito.* Sensus non est omnes Apostolos, honore, dignitate, & præeminentia æquales esse, ut Sectarii interpretantur: sed rogat Damasum, ut sicut est successor Apostolorum in honore, sic etiam sit successor in virtute, & merito, quod commodè intelligi potest, tametsi honor omnium Apostolorum non fuerit æqualis, alioquin si fuissent æquales in honore, fuissent etiam in merito, quod est falsum.

CAPUT VII.

An Petrus, & Paulus fuerint pares in regimine Ecclesiæ?

Lutherus, Wiclefus, & alii Sectarii agnoscentes Petrum à Christo constitutum pastorem totius dominici gregis, seu omnium suarum ovium, de quorum numero fuisse Apostolos reliquos, non superesse ambigendi locus; ut hanc Petri præeminentiam conarentur aliquo saltem modo extenuare, ac diminuere, adnixi sunt Paulum constituere æqualem Petro in potestate, ac regimine totius Ecclesiæ, consequenter Petrum non fuisse solum in tali regimine, quod propterea post Christum defecit à regimine Monarchico proprio unius tantùm solius in Aristocraticum, quod est plurium optimatum; Hanc paritatem probant, quare si Petro dixit Christus, *pasce oves meas*, etiam ipse Paulus de se ipso scribit 2. Corinth. cap. 11. v. 28. Se premi cura, & solicitudine omnium Ecclesiarum, ex quo inferunt, ovile Christi non minus fuisse commendatum Petro, quam Paulo, alioquin non debuisset premi cura, & solicitudine omnium Ecclesiarum. Sed contra, quia hæc cura, & solicitudo potest ex pluribus capitibus oriri, ut ex justitia, ex zelo, ex charitate, & ex aliis titulis, quæ oriuntur ex justitia, hæc inest Prælatis Ecclesiæ habentibus jurisdictionem ecclesiasticam: qua tenentur suos subditos pascere, eósque tueri, ne quid damni illis contingat, ad id enim sunt constituti pastores particularium Diœcesium, ut suas oves pascant, ac defendant. Quæ verò solicitudo, & cura oritur ex aliis titulis, potest aliis etiam competere, qui zelo, & charitate omnium animarum procurant salutem. Respondetur igitur ad argumentum Sectariorum, solum Petrum habuisse curam omnium Ecclesiarum ex justitia, eò quia habuerit jurisdictionem in universalem Ecclesiam, quæ jurisdictio significatur per verbum illud, *pasce oves meas*, his enim verbis ipsi injungitur officium pastoris, seu gubernatoris omnium fidelium, cui adnexa est essentialiter jurisdictio. Cura autem, & solicitudo omnium Ecclesiarum, qua Paulus asserit se premi, non fuit cura orta ex justitia, & jurisdictione, sed ex pura charitate, & zelo; cum enim enumerâsset labores, carceres, vulnera sibi inflicta,

flicta, famem, sitim, & alias ærumnas, quas pro Christo sustinuit, postea subdit: *Præter illa, quæ extrinsecus sunt instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum, quis infirmatur, & ego non infirmor, quis scandalizatur, & ego non uror*, postremis hisce verbis satis explicat originem suæ solicitudinis, & curæ, qua sentiebat se premi, scilicet ex duplici actu charitatis, quorum primus fuit dolor, quo angebatur ex miseria proximi, unde ait: *Quis infirmatur, & ego non infirmor*, ac si diceret infirmor cum infirmantibus, lugeo cum lugentibus, & doleo cum dolentibus. Secundus actus oriebatur ex amore, & zelo charitatis, quo accensus utebatur, propterea ajebat: *Quis scandalizatur, & ego non uror?* ac si diceret, quando quis patitur scandalum, tanto zelo, & amore inflammor ad illud delendum, ut quodammodo me uri præsentiam, ex quibus liquet curam Ecclesiarum, de qua loquitur Paulus, non fuisse ortam ex obligatione justitiæ, sed tantùm ex duplici actu charitatis, quæ cura suscipi potest à quolibet fidele procurante salutem animarum. Neque obstat, si dicas, Paulum 1. Corinth. 9. v. 16. scribere: *Si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi, si non evangelizavero*, ubi cum dicat, necessitatem ipsi incumbere, videtur fateri non ex sola charitate, sed ex justitia teneri evangelizare, consequenter Paulum habuisse jurisdictionem in omnes Ecclesias, quarum cura, & solicitudine propterea premebatur; & in regimine Ecclesiæ fuisse parem Petro. Nam contra est, quia licèt Paulus asserat, necessitam sibi incumbere evangelizandi, non tamen loquitur de necessitate justitiæ, sed tantùm de necessitate orta ex obedientia, neque loquitur de regimine universalis Ecclesiæ, sed tantùm de Evangelii prædicatione: siquidem ex obligatione præcepti tenebatur gentibus prædicare Evangelium: non tamen tenebatur, ex obligatione justitiæ regere totam Ecclesiam, quia id muneris in scripturis non legitur fuisse ipsi commissum.

Probant secundò hanc æqualitatem Petri & Pauli, eò quia Paulus parem cum Petro potestatem habuerit, quod deducunt ex epistola Pauli ad Gal. cap. 2. ubi scribit: *Cùm cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis.* Rursus *mihi autem, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt*; id est, principales Apostoli nihil contulerunt in notitia Evangelii, sed è contra ego contuli eis, ut exponit Nicolaus de Lyra. Mox clarius exprimit, *cùm vidissent, quod creditum est mihi Evangelium præputii sicut Petro circumcisionis, qui enim operatus est Petro in Apostolatu circumcisionis, operatus est mihi inter gentes*: ergo Paulus non à Petro, sed à Christo hoc suscepit officium. Hinc Glossa Augustini: *Qui videbantur esse aliquid, scilicet Petrus, & qui cum Domino fuerant, nihil addiderunt mihi, in quo apparet, quod illis inferior non ego sum, qui ita à Domino perfectus sum, ut nihil esset, quod in collatione perfectionis adderet.* Ad id confirmandum, Nicolaus de Lyra addit: *Cum vidissent, quod mihi creditum est Evangelium præputii, id est, officium Apostolatus ad prædicandum gentibus, & Petro circumcisionis, id est, officium Apostolatus ad prædicandum Judæis. Qui enim operatus est Petro &c. ab eodem enim uterque ad fidem, & Apostolatum evocatus*, ex quibus inferunt Sectarii, utrumque Petrum, & Paulum fuisse æqualiter missum cum pari auctoritate, ac jurisdictione.

Sed contra est, quia Sectarii epistolam illam secundam ad Galatas dolosè mutilarunt, & perverterunt: si enim suo quæque loco ponantur, apparebit, qualisnam fuerit illius epistolæ verus sensus. Certum est, Galatas fuisse hominum durum, & agreste genus, quod Paulus excoluerat, ut ruditate exuta principiis fidei imbuerentur, adeo ut plures è tenebris Ethnicismi ad lucem veritatis evangelicæ venerint: sed post Pauli discessum legalibus adhuc adhærentes eos subverterunt; & contra Paulum plura fuerunt mentiti, & præ cæteris duo; quorum primum erat, quod Paulus non esset Apostolus Christi; sed tantum Apostolorum; secundum quod doctrinam suam non accepisset à Christo, sed ab ipsis Apostolis, à quibus etiam in hoc dogmate dissideret, ac proinde Pauli doctrinæ fidendum non esset. Unde Paulus has calumnias sibi injustas rejecturus in 1. & 2. cap. ejusdem epistolæ narrat ex ordine vocationem suam, profectum, visitationem Petri, Apostolatum, doctrinæ approbationem, & alia, quæ huc pertinent, & speciatim cap. 2. ait: *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba assumpto, & Tito*; causam hujus profectionis subjudicans ait: *Ascendi autem secundùm revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus: seorsim autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne in vacuum currerem, aut cucurrissem*: hoc est, venit Jerosolimam ostensurus Evangelium præputii, seu quod prædicabat gentibus Petro, & aliis, qui cum ipso erant, ut ab iisdem approbarentur, ne in vacuum curreret, seu ne discreparet in doctrina à Petro, & reliquis Apostolis: si igitur Paulus subjecit suum Evangelium Petri censuræ, ac judicio, signum evidens est, novisse, Petrum esse supremum Ecclesiæ judicem, ad quem in dubiis deberent fideles omnes recurrere: ait Ambrosius epist. 86. censuisse Paulum, *se non habuisse securitatem Evangelii prædicandi, nisi Petri, & qui cum eo fuerant, fuisset sententia roboratus.* Et Tertullianus lib. contra Marcionem cap. 5. *Denique ad patrocinium Petri, cæterorúmque Apostolorum ascendisse Jerosolimam post annos quatuordecim scribit, ut conferret de Evangelii sui regula, ne in vacuum tot annis cucurrisset, aut curreret, si quid scilicet citra formam illorum evangelizaret, adeo ab illis probari, ac constabiliri desiderabat.* Hi verò, cum quibus suum contulit Evangelium, fuerunt Petrus, Jacobus, & Joannes, quorum nomina exprimit; & subjudicata æmulatione, quæ causa illi fuerat itineris suscipiendi, subjungit: *Ab iis autem, qui videbantur aliquid; quales aliquando fuerint, nihil mea interest: Deus personam hominis non accipit, mihi, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt*: ac si diceret; communicato Evangelio meo cum iis, qui tunc videbantur aliquid esse, imò æstimabantur præcipui Apostolorum, quales olim fuerint piscatores scilicet, & rudes, nihilque eruditione, ac doctrina minimè æquandi; nihil ad me, quia in collocandis muneribus suis hanc personarum rationem non habet Deus: hi ergo, qui communi populorum consensu censebantur Apostolorum coriphæi de suo proprio nihil prorsus mihi contulerunt; proinde falsum omnino esse, me non à Deo, sed ab Apostolis, & hominibus meum Evangelium accepisse. Licèt igitur Paulus contulerit Evangelium suum cum Petro, & aliis, qui cum ipso erant, ne in vacuum curreret; Petrus tamen, & qui cum illo erant, nihil de proprio contulerunt Paulo; quia ipse non indigebat à Petro, & aliis instrui, cum à Deo satis edoctus fuerat, utpote quem elegerit, ut esset vas electionis, & Doctor gentium; voluit nihilominus suum Evangelium conferre cum Petro, & aliis, qui cum ipso erant, ad tollendam omnem dubitationem, omnémque

quo

que abigendam suspicionis ombram inter gentes, quasi Evangelium suum non esset verum Jesu Christi Evangelium, & in vacuum curreret. Hic autem Pauli recursus ad Petrum in dubio sui Evangelii arguit majorem auctoritatem in Petro, circa res pertinentes ad fidem, quàm in Paulo: unde argumentum Pauli probat, primariam in Ecclesia auctoritatem fuisse à Christo soli Petro collatam: unde pergit Apostolus: *Sed è contra, cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis, (qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes) & cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem.* Fatetur Paulus ab iis, qui videbantur aliquid esse, nihil accepisse doctrinæ gentibus tradendæ. nihil, quod suo Evangelio præputii adderet, vel demeret: sed cum Petrus, & qui cum ipso erant, ex miraculorum vi, & energia, Deum hanc virtutem Paulo evangelizanti gentibus dedisset; & miracula à Paulo edita affinia essent iis, quæ Petrus evangelizans Judæis effecerat, dederunt Paulo, & Barnabæ sociales manus; hoc est, ut explicat Tertullianus de Præscrip. *Dexteras ei dederunt signum concordiæ, & convenientiæ.* Tota hæc disceptatio fuit de solo munere prædicandi, evangelizandi gentibus seu in præputio, & Judæis in circumcisione, & miracula patrandi, quæ omnia ad solum officium Apostolatûs pertinent; non ad illud Pontificatus, de cujus jurisdictione neque unum habetur verbulum; quia Paulus, cum novisset hanc Christum soli Petro dedisse, ad ipsum in dubio sui Evangelii habuit recursum, quia noverat ad ipsum, ut supremum in Ecclesia judicem constitutum pertinere solvere dubia, & dirimere controversias, quæ oriuntur circa Evangelium. Quamvis igitur in munere Apostolatûs Petrus, & Paulus, & reliqui Apostoli fuerint pares; quoad tamen jurisdictionem, & munus pascendi Christi oves, unus Petrus reliquis omnibus præcelluit. Non enim reliqui Apostoli missi fuerunt à Petro, alioquin dicerentur Apostoli Petri: sed omnes à Christo missi fuerunt, propterea fuerunt omnes Apostoli Christi, & in munere Apostolatûs pares. Tota igitur inæqualitas consistit in solo ordine politico, & jurisdictione à Christo data soli Petro, cum illi tantum dixit: *Pasce oves meas*; hanc jurisdictionem ac primatum in Ecclesia collatum Petro, cum Paulus novisset ad ipsum in dubio Evangelii præputii, seu quod gentibus annunciaret, recurrere voluit. Ex eo autem, quod Paulus dicat inter eos convenisse, ut Petrus & socii in circumcisione, seu Judæis enunciarent Evangelium; & Paulus, ac Barnabas in præputio, seu gentibus promulgarent; non tamen ita coarctarunt provincias, ut Petrus non prædicaret gentibus, & Paulus non promulgaret Evangelium Judæis, siquidem Paulus, & Barnabas prædicarunt etiam Judæis; ut & Petrus, ac alii Apostoli etiam gentibus: nunquam Apostoli abdicàrunt à se facultatem prædicandi Evangelium omnibus gentibus, & ubique terrarum gentibus, & Judæis, sed retento jure Apostolatûs, quo omni creaturæ prædicare, omnésque gentes docere, & baptizare poterant, quia tamen unusquisque omnibus in locis esse non possit, ut ubique terrarum annuntiaretur Verbum DEI, mundi Provincias, ac regna sibi diviserunt ad prædicandum Verbum DEI. Hinc D. Paulus Judæos persæpe etiam docuit, & ad Hebræos scripsit, rursus divulgavit Evangelium *Actor. cap. 9. 13. 14.* Damasci, Salaminæ, Antiochiæ, Iconi, & alibi Petrus etiam primus omnium gentibus prædicavit Evangelium, Actor. 15. Dixit, quòd DEUS ordinaverat ab æterno gentes per os ejus audire, & credere: plures etiam in Italia, aliisque Provinciis gentium fundavit Ecclesias, & simul cum Paulo Romæ gentibus annuntiavit Evangelium, & gentes illas edocuerunt veritatem, ubi & Martyrii coronam susceperunt: Joannes in Asia gentibus simul, & Judæis prædicavit, & Ephesi senio confectus obiit: Philippus in Asia, Andreas in Achaja, Jacobus Hierosolymis, & reliqui Apostoli per diversas orbis partes Judæis, & gentibus prædicando hujus mortalis vitæ cursum sanctè, & laudabiliter concluserunt.

Constat igitur ex scripturis, Petrum non fuisse parem in jurisdictione Paulo, sed tantum in Apostolatu, & ejus muneribus, superest probandum, neque ex Sanctis Patribus, Paulum fuisse parem Petro in regimine totius Ecclesiæ: siquidem Sancti Patres cæteris Apostolis præferunt Petrum, eò quia illi soli præ cæteris Apostolis promissa sit constantia fidei, & cathedræ, Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et rursus Luc. 22. v. 32. *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua*, quod ad primam attinet promissionem, promittit Christus Petro, se ædificaturum suam Ecclesiam supra Petri petram, seu supra dignitatem Petri, quæ fundamentum sit, quo nititur Ecclesia, adeo ut per petram non possit aliud intelligi, quàm ipse Apostolus Petrus, non quoad personam tantùm & simpliciter, sed ut insignitus dignitate pontificatus, hæc est enim petra fundamentalis, supra quam ædificata est Ecclesia: & quamvis etiam reliqui Apostoli sint lapides fundamentales, & sint illi duodecim, quos viderat Joannes in Apocal. 21. v. 14. *Et murus civitatis, id est, Ecclesiæ habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina, duodecim Apostolorum agni*: attamen reliquis Apostolis non fuit promissa constantia, & firmitas, quæ Petro, & illius successoribus. Quamobrem Cathedra Petri, & successorum ejus, adhuc firma stat, nec ullo unquam tempore in ipsa defecit fides Catholica, ut notat Augustinus in Psal. contra partem Donati inquiens: *Numerate sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo Patrum, quis cui successit videte. Ipse est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Sanctus reliqui Apostoli fuerunt quidem etiam fundamenta, sed secundaria, & subordinata D. Petro, cui soli data est jurisdictio, cum à Christo officium pastoris, & cura totius dominici gregis fuit demandata: *pasce oves meas*: & aliis Apostolis, quia Christus non promisit constantiam fidei, & cathedræ, ideo non perseverarunt in successoribus, & illorum cathedræ collapsæ fuerunt, ut cathedra Jacobi Hierosolymitana, Joannis Ephesina, Matthæi Æthiopica, Andreæ Scitica. Quod verò per hanc petram, super quam Christus ædificavit suam Ecclesiam, sit ipse Petrus Apostolus, seu non persona simpliciter Petri, sed persona ut insignita dignitate pontificatus, quia tunc est pastor totius dominici gregis, & fundamentum, quo nititur Ecclesia Catholica, docent Patres præferentes, propterea Petrum reliquis omnibus Apostolis etiam Paulo. Origenes homil. 5. in Exod. ait: *Vide magno illi Ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam quid dicatur à Domino*, & in Psal. 1. ait: *Petrus super quem Christi Ecclesia ædificata est, contra quam inferorum portæ non prævalebunt.* Et Epiphanius in Anchorato: *Ipse Dominus constituit Petrum primum Aposto-*

Apostolorum petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est, & portæ inferorum non prævalebunt adversus illam. Basilius Magnus ad cap. 2. Isaiæ: *Unus ex his montibus fuit Petrus, quem petram appellavit propter maximam firmitatem fidei, propter infractum animi robur, ad non cedendum inflictis plagis tentationũ supra quam petram promisit ædificare Ecclesiam suam:* & lib. 2. contra Eunomium: *Statim ex hac voce petra, intelligimus Petrum Jonæ filium, qui fuit ex Bethsaida, Andreæ fratrem, qui quoniam fide præstabat, sibi commissam ædificationem Ecclesiæ suscepit* Chrysostomus homil. in Petrum, & Eliam: *Sed vide ejusmodi peccato permisit subjici Petrum. illum talem, ac tantum virum Apostolorum verticem, fundamentum immobile, & petram stabilem, quæ non possit conteri.* Cyrillus lib. 2. in Joan. cap. 12. *Intuitus autem eum Jesus dixit: Tu es Simon, filius Jonæ, tu vocaberis Cephas, vocabulo ipso commodè significans, quod in eo. tanquam in petra, lapidéque firmissimo suam esset Ecclesiam ædificaturus:* & ex Latinis S. Cyprianus lib. 4. epist. 9. ad Papianum post medium scribit: *Loquitur illis Petrus, super quem ædificanda erat Ecclesia.* D. Hieronymus cap. 16. Matth. secundum metaphoram petræ rectè dicitur ei: *Ædificabo Ecclesiam meam super te.* Et D. Augustinus serm. 15. de Sanctis: Petrum *itaque fundamentum Ecclesiæ Dominus nominavit, & ideo dignè fundamentum hoc Ecclesia colit, super quod ecclesiastici ædificii altitudo consurgit.* Quòd si dicas, non deesse plures Patres, qui per petram non intelligant ipsum Petrum, sed tantùm fidem, seu confessionem Petri, respondetur, Patres utrumque simul intelligere & ipsum Petrum, ut insignitum pontificatu, & ejus confessionem: nam cum asserunt, Ecclesiam fundatam esse super fidem, & confessionem Petri, docent fundatam esse super Petrum insignitum pontificatu propter illius fidem, & confessionem, ut notat Bellarminus *lib. de Pontifice cap. 10. circa fin.* quo pacto etiam dicimus Rempublicam fundatam in prudentia, & fidelitate unius hominis, qui cæteris præsit propter ejus prudentiam, & fidelitatem.

Quòd si dicas, hanc explicationem non esse secundùm mentem illorum Patrum, eo quia Patres loquuntur de fide abstrahendo à persona Petri; adeo ut sola fides per se simpliciter, & abstractè considerata sit fundamentum, idque ut probes, ita argumentaris: Fides in Petro, vel est ratio finalis, cur Petrus sit fundamentum, & sic ubi erit illa fides, erit hoc fundamentum: vel est tantùm conditio, sine qua Petrus non esset fundamentum: & locutio est perquam impropria. Contra est, quia scripturæ expresè vocant fundamentum primarium, ac principalius Ecclesiæ Christum, & primum fundamentum ex secundariis Petrum, ut etiam alios Apostolos, ita tamen, ut sint fundamenta secundaria, quæ subjiciantur Petro. Quod si Christus, si Prophetæ, si Apostoli dicuntur in scripturis fundamenta Ecclesiæ, cur non etiam Petrus erit dicendus fundamentum Ecclesiæ; quod si super Christum, Prophetas, & Apostolos dicitur fundata Ecclesia, cur non etiam super Petrum? Quod si non Petrus, sed fides Petri esset fundamentum Ecclesiæ; etiam fides Christi, Prophetarum, & Apostolorum esset fundamentum Ecclesiæ, non Christus, nec Prophetæ, nec Apostoli, sed quid aliud ab iisdem separatum, seu eorum fides in abstracto, & veluti avulsa à subjecto; quod quàm falsum sit, ex eo facilè evincitur: quia quod non existit, nequit fundamentum esse ædificii existentis, alioquin existens fundaretur in non existente, ac esset fundamentum debilius re fundata, quod repugnat: sed fides in abstracto non existit. sed tantùm in concreto, seu in persona aliqua, quæ à fide vocetur fidelis, est enim fides virtus, & qualitas, quæ quamdiu existit, exigit inhærere alicui subjecto, perinde ac quælibet alia qualitas moralis, vel physica: ergo non fides ut avulsa à Petro, & in abstracto sumpta est fundamentum Ecclesiæ, sed ipse Petrus ut fidelis, ac habens fidem. Neque sequela in argumento subsistit: scilicet si fides in Petro est finis, propter quem Petrus est fundamentum Ecclesiæ, inde sequeretur, quod ubicunque esset fides, ibi esset fundamentum Ecclesiæ: sicut si sanitas est finis, propter quem sumitur medicina, non sequitur ergo, ubicunque est sanitas, ibi sumitur medicina. Neque si dicas, Petrum propter fidem, ut causam moralem assumptum fuisse, ut esset fundamentum Ecclesiæ, loquutio est impropria: sicut non est impropria locutio, si dicamus, Ministrum Imperatoris fuisse causam moralem, cur aliquis promotus fuerit ab Imperatore ad aliquam dignitatem: sic dicimus valde propriè, Christum esse causam meritoriam nostræ justificationis: & virtutem esse causam moralem, cur quispiam à Pontifice assumatur ad Episcopatum: in hoc sensu Sancti Patres asserunt, Petrum ob confessionem fidei quodammodo promeruisse, ut fieret petra, ac fundamentum Ecclesiæ.

Cæterum ut explicetur, quomodo Christus, Petrus, & reliqui Apostoli, imo & ipsa fides dicatur esse fundamentum Ecclesiæ, juvat observare, quod fides in Christum sita in eo, ut credamus, Christum esse verum DEUM, & verum hominem, sit ratio, cur Christus sit primarium, ac principalius fundamentum Ecclesiæ, scilicet ratione fidei circa illius divinitatem, & humanitatem, seu incarnationem. Petrus ratione confessionis hujus fidei, est secundarium fundamentum Ecclesiæ, hanc fidem confessus est, cum dixit: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, quatenus hæc confessio habuit sibi annexam promissionem stabilitatis pro se, & suis successoribus, ne unquam deficerent in hac fide; *& ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Apostoli post Petrum, sont etiam secundaria fundamenta sub jurisdictione Petri, ratione prædicationis ejusdem fidei in Christum; non tamen hæc fidei confessio in reliquis Apostolis habet annexam promissionem stabilitatis sicut in Petro. Juxta primam propositionem intelligitur illud Apostoli ad Corinth. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Apostolus dicit, Christum Jesum esse fundamentum ratione fidei circa ejus divinitatem, seu fidei vivæ, quæ per charitatem operatur, ut explicant S. Patres, Gregor. lib. 7. epist. 47. Anselmus & alii. Quoad confessionem fidei in Petro, qua dixit: *Tu es Christus. Filius Dei vivi*; ob hanc confessionem meruit fieri fundamentum secundarium Ecclesiæ. Super te ædificabo Ecclesiam meam: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; quatenus confessio fidei à Petro facta nunquam erat defectura in Petro, & suis successoribus. Quoad reliquos Apostolos sunt & ipsi fundamenta secundaria Ecclesiæ ratione prædicationis fidei, sub tamen Petri jurisdictione, cui soli Christus injunxit curam pascendi omnes suas oves: *Pasce oves meas*, scilicet omnes, nemine excepto rege, & dirige in viam salutis æternæ; & de hisce Apostolis intelligitur illud D. Pauli ad Ephes. 2. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum, seu Prophetarum*, seu super Apostolos, & Prophetas, qui propter prædicationem fidei in Christum sunt fundamenta Ecclesiæ secundaria, sub jurisdictione Petri; & super

hæc

hæc fundamenta secundaria proximè, & immediatè superædificantur alii Christiani, qui per illorum prædicationem ad fidem Christi convertuntur. Ex quibus constat Paulum, & reliquos Apostolos non fuisse pares Petro in ratione officii pascendi dominicum gregem, quia hæc cura soli Petro injuncta fuit: *Pasce oves meas.*

Coacervant Sectarii plures S. Patres asserentes æqualitatem Petri, & Pauli, imo & aliquos, qui non solum pares dicunt Petrum, & Paulum; verum etiam Paulum Petro majorem: sed non attingunt, in quo sensu Patres loquantur. Potest enim Petrus considerari ratione jurisdictionis, seu supremi pastoris, cui soli Christus injunxit officium pascendi suas oves, *pasce oves meas*, seu regendi, & gubernandi omnes fideles, ad quod officium exercendum requiritur jurisdictio: & ratione virtutum, laborum, Apostolatus, doctrinæ, ac prædicandi, ac promulgandi Evangelium. Si consideretur ratione jurisdictionis, Petrus est major, ac præcellit reliquis omnibus Apostolis, etiam Paulo; quia soli Petro concessum fuit à Christo, ut esset supremus pastor omnium suarum ovium; etenim non Paulo, non reliquis Apostolis, sed soli Petro dixit Christus: *Pasce oves meas*; & quia officio pastoris, seu gubernatoris est essentialiter annexa jurisdictio, sequitur evidenter Petrum jurisdictione, de quo est controversia, reliquis præcellere Apostolis, ac esse majorem Paulo. Sin verò consideretur Petrus ratione Apostolatus, sub hac ratione omnes Apostoli fuerunt pares, omnes habuerunt facultatem prædicandi, ac propagandi Evangelium, & baptizandi gentes à Christo, qui omnibus Apostolis dixit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, ite, prædicate Evangelium in omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* & sub hac consideratione docent S. Patres, omnes Apostolos fuisse pares. Sin verò consideretur Petrus ratione virtutis, laboris, ac meriti; ex S. Patribus plures affirmant Paulum in laboribus, & ærumnis pro Christo tolleratis præcelluisse Petro: sin verò ratione meriti, & virtutis; incertum est, uter alteri præcelluerit. D. Augustin. considerans labores, & ærumnas Paulum præfert Petro, quod explicat in Ps. 130. inquiens: *Paulus Apostolus, quamvis ex persecutore factus sit prædicator; abundantiorem gratiam consecutus est in omni labore Apostolico, quàm cæteri Apostoli*; ubi in tolerantia laborum, & ærumnarum præfert Paulum omnibus Apostolis, consequenter etiam Petro. Quoad munus Apostolatus lib. 2. de baptismo contra Donatistas cap. 4. vocat *Paulum collegam Petri.* Neque obstat, quod Origenes lib. 1. contra Celsum vocet Paulum *Fundatorem Ecclesiarum post Christum præcipuum*, quia exinde tantum sequitur, Paulum per exantlatos labores, & munus prædicationis, cæteris latius propagâsse Evangelium, ac per ejus prædicationem fundatas fuisse plures Ecclesias: sed id non est præferre Paulum, neque parem facere Petro in jurisdictione, sed tantùm in laboribus exantlatis pro Evangelii propagatione, & ærumnis toleratis pro conversione gentium. Cæterum omnes fatentur, jurisdictionem soli Petro fuisse à Christo tributam, cum illi soli concredidit suas oves, *pasce oves meas.* Objiciunt Sectarii D. Ambros. lib. de Spiritu S. in fine, ubi ait: *Una enim gratia fulgebat in his, quos Spiritus unus elegerat. Neque Paulus inferior Petro, quamvis ille Ecclesiæ fundamentum, & hic Sapiens Architectus sciens vestigia credentium fundare populorum. Neque Paulus indignus Apostolorum Collegio cum primo facilè conferendus, & nulli secundus.* Sed contra, quia cum Ambrosius ait: *Una enim gratia fulgebat in his, quos Spiritus unus elegerat*; loquitur de Paulo, & Barnaba, qui simul à Spiritu S. electi erant ad Apostolatum, Act. 13. 2. *Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus S. segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos*; quæ verba explicans Ambrosius ait: *Paruerunt ergo Paulus, & Barnabas Spiritui S. imperanti*, & paucis interjectis subdit: *Una enim gratia fulgebat in his, quos Spiritus unus elegerat.* Facta hac collatione inter Paulum, & Barnabam, pergit conferre Paulum cum Petro inquiens: *Neque Paulus inferior Petro, quamvis ille Ecclesiæ fundamentum, & hic sapiens Architectus*: unde tantum in officio Apostolatus pares facit Petrum, & Paulum, non vero in jurisdictione ecclesiastica: deinde pergit: *Nec Paulus indignus Apostolorum Collegio, cum primo facilè conferendus, & nulli secundus. Nam qui se imparem nescit, facit æqualem*, loquitur Ambros. de laboribus susceptis, & ærumnis toleratis pro Evangelii propagatione, & ait Paulum nulli fuisse inferiorem. Dices, D. Paulum non accepisse Apostolatum à Petro, neque ab aliis Apostolis, consequenter non fuisse sub jurisdictione Petri, sed parem illi fuisse, eo quia uterque Apostolatum immediatè accepit à Christo: antecedens liquet, quia ad Galat. 1. scribit: *Notum enim facio vobis Evangelium fratres, quod evangelizatum est à me, quod non est secundum hominem, non enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi*: ergo Paulus minor non est Petro quoad jurisdictionem. Sed contra, quia ex eo, quòd Paulus non acceperit Evangelium, seu Apostolatum, & munus prædicandi Evangelium à Petro, neque ab ullo homine, sed per revelationem à Jesu Christo, non sequitur, Paulum non subjecisse jurisdictioni Petri, & quoad jurisdictionem non fuisse inferiorem Petro: quia ut jam diximus pluries; aliud est munus Apostolatus, & facultas prædicandi, ac propagandi Evangelium; & aliud jurisdictio adnexa essentialiter gubernatori, rectori, ac pastori dominici gregis; fatemur in munere Apostolatûs, ac prædicandi Evangelium, omnes Apostolos fuisse pares; & omnes hoc officium accepisse à Christo, cum dixit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, ite, prædicate gentibus Evangelium, baptizantes eos*; sed munus supremi gubernatoris, & pastoris, cui essentialiter est adnexa jurisdictio soli Petro tributum fuit, quia Christus illi soli dixit Joan. 21. *Pasce oves meas*, quod si Paulus erat ovis Christi, debuit eum Petrus pascere, seu habere facultatem eum pascendi, si occasio contigisset; consequenter Paulus erat sub jurisdictione Petri, & illo inferior quoad jurisdictionem, & tantum fuit æqualis quoad munus Apostolatus. Catholicorum itaque sententia distinguit primatum ab Apostolatu, & jurisdictionem à doctrina; & quoad munera Apostolatus, seu evangelizandi, baptizandi omnes fuerunt pares, in doctrina vero unus potuit esse major alio, & Paulus excellentior Petro, ut etiam quoad labores exantlatos, potuit Paulus esse major Petro, eo quia plus laboraverit, plures ærumnas, ac pericula fuerit passus in promulgando Evangelium gentibus; hæc autem omnia pertinent ad munus Apostolatûs, non ad officium primatûs; idque causæ, cur Paulus per Antonomasiam gentium nuncupetur Apostolus, ait Augustin. *Apostolus cum dicitur, si non exprimatur quis Apostolus, non intelligitur nisi Paulus, quia pluribus est epistolis notior, & plus aliis laboravit.* Non tamen quoad jurisdictionem est major, neque æqualis Petro, quia illi soli dixit Christus: *Pasce oves meas*, sui officio commisit omnes suas oves, consequenter etiam Apostolos, & Paulum, quia hi omnes erant oves Christi, & de illius ovili, consequenter sub jurisdictione Petri, ut supremi pastoris: hinc Petrus non simpliciter Apostolus, sed princeps nuncupatur Apostolorum: hinc

vulgo dicitur: *Princeps clave Petrus, primus quoque dogmate Paulus.* Potuit Paulus doctrina reliquis Apostolis praecellere, sed jurisdictione caeteris omnibus, proinde etiam Paulo praecelluit Petrus; quod venuste expressit Fortunatus lib. 3. Carm. in honorem Petri, & Pauli:

Cælorum porta lati duo lumina mundi
Ore sonat Paulus, fulgurat arce Petrus
Inter Apostolicas radiante luce coronas
Doctior hic monitis, celsior ille gradu
Hunc per corda hominum reserantur, & astra per illum
Quos docet iste solo, suscipit ille polo.
Pandit iter cæli hic dogmate, clavibus alter.
Est via cui Paulus, Janua fida Petrus.

CAPUT VIII.

An Petrus fuerit Romæ, fundaverit ibi Ecclesiam, fueritque ibi Episcopus Ecclesiæ à se fundatæ, & an fuerit Romæ mortuus?

Evicimus Primatum totius Ecclesiæ Catholicæ fuisse à Christo collatum Petro, quando illi soli suas concredidit oves: *Pasce oves meas*; eo ipso, quod ipsum constituit supremum suarum ovium pastorem, ei tribuit jurisdictionem in totum Christi ovile, & singulas oves, supersunt nunc expendenda nonnulla, quæ se habent consecutive ad hunc Petri primatum in universa Ecclesia, & primo, an Petrus fuerit Romæ, an fundaverit ibi Episcopatum, & an ipse fuerit Romanus Episcopus, & mortuus Romæ Episcopus: hæc omnia, tametsi circa omnem dubitationem antiquitas per quindecim continuata sæcula pro certissimis, ac indubitatis habuerit; Sectarii nihilominus recentiores ausi sunt in dubium revocare, imò & inficiari contra omnium antiquorum sententiam. Notat Bellarmin. lib. 2. de summo Pontifice cap. 1. Primum omnium, qui docuit, D. Petrum nunquam fuisse Romæ, neque Episcopatum illum fundasse, neque fuisse ibi Episcopum, neque tandem Romæ mortuum, fuisse quemdam Gulielmum nomine Joannis Wicleff præceptorem, ut refert Thomas Waldensis lib. 2. doct. fidei art. 1. cap. 7. cui errori visus est adhærere Udalricus Velenus, Lutherana doctrina infectus, qui integrum tractatum, imò & librum hac super re scripsit, ac edidit, & per octodecim persuasiones, ut ipse vocat argumenta, quibus nititur, putat se demonstrasse, Petrum nunquam fuisse Romæ, & Petrum, & Paulum non Romæ, sed Hierosolymis fuisse occisos; Hoc mendacium postea divulgarunt alii ex livore contra summum Pontificem, ut Illyrius in libro, quem edidit contra primatum Papæ, ubi ait: *Demonstratio est, Petrum Romæ non fuisse*, & Calvin. lib. 4. Inst. cap. 6. §. 15. qui cum dixisset, rem totam esse dubiam, postea subdit: Tamen propter scriptorum consensum non pugno, quin illic, (scilicet Romæ) mortuus sit; sed Episcopum fuisse præsertim longo tempore, persuaderi nequeo. Cæterum non est necesse, ut successores D. Petri in regimine Ecclesiæ semper sint Romæ, ibique degant, nec illic fuerint, cum plures Romani Pontifices, quique fuerunt veri successores D. Petri in regimine Ecclesiæ Catholicæ, quam gubernarunt, nunquam fuerint Romæ, ut Clemens V. Joannes XXII. Benedictus XII. Clemens VI. Urbanus V. qui Avenione in Provincia, seu Gallia ordinati, ibi semper manserunt. Neque necesse est, successores Petri in regimine Ecclesiæ Romæ mori, cum plures fuerint extra urbem illam mortui, ut Clemens I. in Ponto, Pontianus in Sardinia, Joannes I. Ravennæ, Agapitus Constantinopoli, Innocentius III. Perusiæ, Innocent. IV. Neapoli, Joannes XX. Viterbii. Neque requiritur, ut Petri successores sint Episcopi Romæ, suamque Diœcesim ibi habeant, quia tametsi non essent Romæ Episcopi, adhuc essent Episcopi Ecclesiæ Catholicæ, seu universalis longè, lateque diffusæ per totum orbem, & huic Episcopo subordinatus esset Romanus Episcopus, quia Episcopatus urbis Romæ est particularis, & limitatus ad illam civitatem, & diœcesin, & Episcopus Ecclesiæ Catholicæ complectitur omnes alios Episcopatus particulares, & limitatos in suis diœcesibus, adeo ut omnes Episcopi particulares sint sub jurisdictione successoris Petri. Hinc Petrus licèt priùs fuerit Episcopus Antiochiæ, quia tamen sedem aliò transtulit, non propterea Episcopus Antiochiæ fuit unquam Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, seu universalis, sed tantùm Episcopus Antiochenus, seu particularis. Est enim distinguendus Episcopus totius Ecclesiæ universalis, & Catholicæ ab Episcopis particularibus locorum; siquidem Episcopatus Ecclesiæ Catholicæ veluti corpus comprehendit Episcopos particulares locorum veluti membra sub jurisdictione capitis, seu successoris Petri.

His prænotatis dicendum est, absque ulla hæsitatione D. Petrum fuisse Romæ, idque liquet ex ipsius Petri testificatione, ubi in fine prioris epistolæ scribit: *Salutat vos Ecclesia in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Petrum hanc Epistolam scripsisse Romæ, quæ ob confusionem gentium, ac religionum à Petro Babylon dicitur, testatur Papias, Apostolorum discipulus, apud Eusebium lib. 2. histor. cap. 15. ubi Eusebius ait: *Papias & hoc dicit, quod Petrus in prima epistola sua, quam de urbe Roma scripsit, meminerit Marci, in qua tropicè Romam Babylonem nominavit, cum dicit salutat vos, quæ in Babylone collecta est Ecclesia, & Marcus filius meus.* Assentitur etiam D. Hieronymus lib. de Viris Illust. in Marco inquiens: *Petrus in epistola prima sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans, ait: Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta.* Et ita sentiunt reliqui Sancti Patres, & Interpretes, qui in eandem epistolam commentaria scripserunt. Tum quia etiam Joannes in sua Apocalypsi persæpe Romam Babylonem nominat, juxta observationem Tertulliani *lib. 3. contra Marcionem*, & *lib. contra Judæos*: & clarè constat ex *capite 17. Apocal.* ubi dicitur: Babylon magnam sedere super septem montes, & habere imperium super Reges terræ, quæ civitas est Roma ædificata supra septem colles, & vel ipsi Sectarii hoc idem non diffidentur asserentes, Romam esse Babylonem, quam Joannes in sua Apocalypsi videtat plenam confusione, idque ansam dedit Luthero scribendi librum de captivitate Babylonica, & Magdeburgenses hanc ob causam præcipuè enumerant Apocalypsin inter libros canonicos, & authenticos, eò quia ibi plura adversus Romam sub nomine Babylonis narrentur, quæ ab Hæreticis intelliguntur de Ecclesia Romana, quod quàm falsum sit, ex eo liquet, quia Joannes in sua Apocalypsi non fuit locutus de Romana Ecclesia, sed de urbe Romæ, qualis fuerit eo tempore, ut explicat Tertul-

Tertullianus *lib.* 3. *contra Marcionem* inquiens: Sicut vera Babylon fuit caput imperii, & regem habuit Nabuchodonosorem, qui populum Dei persequebatur, ac in captivitatem adducebat: perinde etiam Roma, tempore quo Joannes scripsit suam Apocalypsin, erat caput Imperii, & Imperatorem habuit Neronem persequentem inhumana crudelitate Christi fideles. Joannes autem prædicit hanc Babylonem, seu humanum imperium ruiturum, & tunc contigit, cum Gothi, Wandali, Hunni, Longobardi Romanæ urbis ferme totum everterunt imperium, quasi solo æquantes, ac delentes: & de hac urbe Romæ scribens S. Leo Papa serm. 1. de natal. Apostol. ait: *Cum omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus:* & quia sub Ecclesiæ initiis Romæ revera confusio erat ob populorum varias nationes, & Imperatores persequentes Christi fideles, qui adigebantur subterraneas catacumbas inhabitare. D. Hieronymus vocat urbem illam Babylonem confusionis, & quia suo tempore nondum cessaverat hæc confusio, ideo in epistola ad Marcellam eam hortatur, ut ex urbe Roma in Bethlehem migret, non quia illa confusio esset in Ecclesia Romana, sed populo illo adhuc gentili, & compacto ex pluribus gentibus falsarum religionum, ingens inerat confusio: cæterum Hieronymus de Ecclesia, quæ tunc fuit Romæ, seu cœtu fidelium, scribit in eadem epist. ad Marcellam: *Est quidem ibi sancta Ecclesia, sunt trophea Apostolorum, & Martyrum, est Christi vera confessio, est ab Apostolo prædicata fides, & gentilitate calcata in sublime quotidie se erigens nomen Christianum*, ex quibus liquet non contra Ecclesiam Romanam, sed adversus Romanum Ethnicismum fuisse Joannem in sua Apocalypsi locutum.

Rursus Petrum revera fuisse Romæ, colligitur ex Actor. cap. ult. & ex epistola ad Roman. quia ex hisce testibus constat, plures Christianos fuisse Romæ, & Ecclesiam adauctam fidelibus florere tunc incepisse, antequam Paulus Romam veniret. Quòd si ante Pauli adventum fuerunt Romæ plures Christiani, non ab alio fuit iisdem promulgatum Evangelium, nisi ab ipso Petro, cum ex aliis Apostolis nullus Romam venerit ante Paulum, nisi solus Petrus, qui primus omnium gentiles Romanos Evangelium edocuit, & ibi Ecclesiam fundavit, ut scribunt Sancti Patres, ut Irenæus lib. 3. cap. 3. ubi asserit, Ecclesiam Romanam primò à Petro solo, deinde à Petro, & Paulo simul fundatam fuisse, quia antequam Paulus Romam veniret, Petrus ibi jam promulgaverat Evangelium, & veritatem edocuit populos illos, qui excussis Ethnicismi tenebris ad lucem Evangelii cœperunt vias perambulare salutis. Eusebius lib. 2. Histor. cap. 14. de Petro ait: *Salutaris prædicationis verbo primus in urbe Roma Evangelii sui clavibus januam regni cœlestis aperuit*, primus ergo ante Paulum fuit verus Romanæ Ecclesiæ fundator; cui consentiens Arnobius lib. 2. contra Gentes ait: Romam ideo conversam ad Christum fuisse, quia viderat Simonis Magi igneas quadrigas Petri ore difflatas, & invocato Christi nomine statim evanuisse: quòd si Petrus solus hoc miraculum ad Christi nominis invocationem perpetravit, & Simonem Magum evertit, ipse solus fuit tunc Romæ, ubi propterea dicitur primus omnium prædicâsse Evangelium Romanis, & Ecclesiam illam fundâsse antequam Paulus eò veniret. D. Chrysostomus in Psalm. 48. ait: *Piscator Petrus, quoniam civitatem maximè regiam occupavit, etiam post mortem resplendet sole clarius*, vocat Romam civitatem regiam, quam Petrus occupavit, & in ea mortuus fuit. Paulus Orosius lib. 7. Histor. cap. 6. ait in favorem Petri: *Exordio regni Claudii, Petrus Apostolus Domini nostri JESU Christi Romam venit, & salutarem cunctis fidem fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbavit, atque exinde Christiani Romæ esse cœperunt.* Quòd si sub initium Imperatoris Claudii Petrus fuit Romæ, promulgavit Evangelium, & plures gentiles ad fidem Catholicam convertit, sequitur jam ab eo tempore fundâsse Romæ Ecclesiam, cùm hæc nil aliud sit, ut ait Cyprianus, quàm cœtus fidelium suo adhærens sacerdoti: sed sub illo exordio imperii Claudii nondum Paulus Romam venerat, ergo solus Petrus Ecclesiam illam fundavit, hinc Sanctus Leo serm. 1. de Natal. Apostol. ait: *Cùm Apostoli imbuendum Evangelio mundum distributis sibi terrarum partibus suscepissent: Beatissimus Petrus, princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur Imperii*: ubi non meminit Pauli, qui nonnisi post Petrum, & promulgatum à Petro Evangelium Romam venit, unde & Theodoretus in cap. 1. ad Roman. ait: *Primus est Magnus Petrus doctrinam evangelicam præbuit*: & Gregorius Turonensis lib. 1. Histor. cap. 25. cum dixisset Petrum sub Claudio imperante Romam venisse, subdit: *Ab illis diebus Christiani apud civitatem Romanam esse cœperunt.* Ob tot Testimonia omni exceptione majora, Theodosius Imperator Codic. de summa Trinit. & fide Catholica lege, cunctos populos, ait: *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam beatum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usque adhuc insinuata declarat.*

Neque audiendus est Velenus, qui apud Bellarminum lib. 2. de Romæ Pont. cap. 2. asserit: tempore Tiberii, seu post Christi passionem statim cœpisse esse Christianos, ut testantur Orosius *lib.* 7. *Histor.* Tertullianus *in Apologet.* Platino *in vita Christi*, & Tranquillus *in vita Tiberii*, ex quo infert, Ecclesiam Romanam non fuisse à Petro fundatam, sed ab aliis fidelibus ante Petrum, cum Petrus non venerit Romam, nisi tempore Claudii Cæsaris. Nam falsum est, ullos fuisse Romæ Christianos tempore Tiberii, & verum est, quod Sancti Patres asserunt, Petrum primum omnium promulgâsse Evangelium tempore Claudii. Neque Tranquillus antiquissimus Historicus citatus à Veleno asserit, tempore Tiberii fuisse Romæ Christianos, qui Evangelium promulgarent, imò neque Tertullianus ab eodem citatus hoc asserit. Tranquillus enim in vita Tiberii nec ullum profert verbum de Christianis, ut legenti patebit; sed tantùm in vita Claudii, ubi affirmat, Judæos Christo impulsore tumultuantes fuisse à Claudio Roma expulsos, unde Tranquillus est in favorem Petri fundatoris Romanæ Ecclesiæ, quia tantùm tempore Claudii narrat, fuisse Romæ Christianos: & sub initium imperii Claudii Cæsaris Sancti Patres unanimes asserunt, Petrum venisse Romam, & promulgâsse Evangelium, ex qua promulgatione plures Romæ cœperunt esse Christiani. Quod ad Tertullianum attinet, citatum à Veleno constat, Tertullianum in Apologetico totum contrarium asseruisse: ait enim: Pilatum ex Palæstina scripsisse Tiberio de resurrectione Christi, & quòd à multis verus DEUS crederetur: & Tiberium id retulisse ad Senatum, an Christus esset recipiendus in DEUM, & Senatum recusâsse, eò quòd antea cœpisset à populis DEUS haberi, ut Pilatus scripserat, quàm fuisset à Senatu in DEUM consecratus: ex qua narratione non colligitur, tunc Romæ fuisse Christianos, sed potius non fuisse:

fuisse: quia si fuissent Christiani, eos Tiberius cognovisset, vel saltem famam Christi audivisset, antequam per epistolam à Pilato de illius resurrectione notitiam accepisset. D. Augustinus asserit, Senatum noluisse Christum in DEUM suscipere, eò quia lex esset, ut Numina Romani populi eo cultu venerarentur, quo ipsi coli vellent, & quia notum Senatui illi erat Christum eum tantùm admittere cultum, quo reliquorum omnium Numinum excluderetur cultus: ne cessaret populus alia colere Numina maluerunt Christum excludere, ne cogerentur, reliquos Deos omnes expellere. Orosius verò, cui adhæsit Platina, ad verba Tertulliani subjungit Senatum decrevisse exterminandos ab urbe Christianos, si Romam venissent, ex quo liquet, quod tunc nondum fuerint Romæ Christiani, hinc Orosius in *eod. lib.* 7. clarè asserit: tempore Tiberii non fuisse Romæ Christianos, sed tantùm post Petri adventum sub initium Claudii Cæsaris, adeo ut sensus promulgati edicti à Senatu Romano fuerit de non recipiendis Christianis, & si Romam venissent, statim delerentur, ne populus à cultu cessaret reliquorum Numinum, quod tamen edictum nullam vim habuit, quia, ut narrat Orosius, Tiberius à Christianis non abhorruit. Cùm enim Plinius delegatus ad regimen Græciæ jussus à Trajano fuisset inquirere de Christianis, quos audierat ibi immolari, & respondisset Imperatori, Christianos plures quidem esse, sed nullam adferre regimini molestiam, & nomen Christianorum omni carere flagitio; ipsos horis antelucanis simul congregari, & preces fundere, seque hortari ad rectè vivendum, & ad exercitia virtutum, ne ulli sint nocumento, sed ex charitate omnibus prosint: Respondit Trajanus Plinio actum, quem debuisti in excutiendis causis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in universum aliquid, quod certam formam habeat, constitui potest, conquirendi non sunt, si deferantur, & arguantur, tunc tantùm detinendi, ita tamen ut qui negaverit, se Christianum esse, idque reipsa manifestum fecerit supplicando diis nostris, quamvis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret: quinimò Trajanus in Provinciis Romano imperio subjectis Christianos, quantum potuit, potiùs dissimulando doleravit.

Rursus quod Petrus fuerit Romæ, etiam evinci potest ex Evangelio Marci, siquidem censent, imò & constantissimè credunt gravissimi Authores, Marcum scripsisse Romæ suum Evangelium juxta ea, quæ audierat à Petro ibi prædicante, ita narrant Eusebius *lib.* 2. *Histor. cap.* 15. ex Papia, & Clemente Alexandrino, Irenæus *lib.* 2. *cap.* 1. Hieronymus *de viris illust. in Marc.* Damasus *in Pontificali in vita Petri.* Isidorus *in vita Marci*, & plures alii, quos citat Bellarminus *lib.* 2. *de Romano Pontifice cap.* 2. *prope finem.* Quòd verò Velenus asserat, omnes istos, qui asserunt, Marcum scripsisse Romæ suum Evangelium fuisse deceptos, eò quia non noverint duos fuisse Marcos, unum qui diceretur Joannes Marcus, de quo mentio fit *in Act. Apostol. cap.* 12. & 15. & alium, qui dicebatur Marcus Aristarchus, cujus meminit Apostolus *in epist. ad Philemonem*, & ex his duobus priorem scripsisse Evangelium, ac fuisse Episcopum Alexandrinum Petri discipulum, & nunquam venisse Romam; posteriorem fuisse quidem Romæ cum Paulo, sed Evangelium non scripsisse. Sed decipitur ipsemet Velenus asserens in epistola ad Philemonem, Marcum Aristarchum unum tantùm fuisse hominem, cum constet, duos esse ex verbis Pauli scribentis: *Salutat te Epaphras, captivus meus in Christo JESU, Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas adjutores mei.* Et clarius ad Col. ult. ait: *Salutat vos Aristarchus, concaptivus meus, & Marcus consobrinus Barnabe*, ubi Paulus non potuit clariùs distinguere Aristarchum à Marco. Decipitur etiam Velenus, eò quia asserat, Marcum Evangelistam nunquam fuisse Romæ, eò quia fuerit Episcopus Alexandrinus, quæ causalis non subsistit, quia potuit Marcus esse Romæ, ibique scribere Evangelium ex auditis à Petro, & postea mitti Alexandriam; imò potuit etiam ex Alexandriâ Romam venire, & rursus ex urbe Roma Alexandriam reverti: hæ peregrinationes passim suscipiuntur ab aliis Episcopis venientibus è suis propriis Ecclesiis ad limina Apostolorum. Quod postea asserat, à Joanne Marco scriptum fuisse Evangelium, certum est, Joannem Marcum fuisse consobrinum Barnabæ, & Pauli discipulum, ut patet *ex cap.* 12. & 15. *Actor* & *ex epistola ad Colos. cap. ult.* & supervixisse usque ad annum quartum decimum Neronis, quia D. Paulus in epistola posteriore, quam direxit ad Timotheum anno Neronis quarto decimo Martyrin suo imminente, jussit Marcum ad se venire: & Marcus Evangelista, ac Episcopus Alexandrinus occisus fuit anno octavò Neronis, ut computant Eusebius *in Chronico*, & Hieronymus *lib. de viris illust. in Marco.* Unde nullum superesse potest dubium, quin Petrus fuerit Romæ, & ibi ante adventum Pauli promulgaverit Evangelium, converterit plures ad fidem, & fundaverit Ecclesiam Romæ. Quòd firmari præsertim potest ex miraculo Romæ facto à Petro circa Simonem Magum, quem superavit.

Imò non solùm Petrus Romæ fuit, sed etiam ibi suum consummavit gloriosum Martyrium una cum Paulo, idque testantur utriusque Apostoli sepulchra, fidem faciunt Petri, & Pauli capita, quæ Romæ in Ecclesia Lateranensi asservantur, & eorum corpora, quæ in Basilica Vaticana venerantur populi Romam confluentes ex variis mundi partibus: si enim Romæ Martyrium non consummassent sub Nerone Principe, quis eorum corpora Romam detulisse narratur? Quòd si Sectarii negent, corpora Apostolorum Petri, & Pauli Romæ asservari; assignent ipsi ubinam sint, id enim absque ullo fundamento, & contra communem omnium fidelium attestationem asseritur: neque videtur probabile, corpora summorum Apostolorum Petri, & Pauli adeo fuisse neglecta, ut fuerint omnino deperdita, & nullus fuerit Christianorum, qui ex pia devotione inquireret, ubinam essent. Huic rationi plenè acquiescens Eusebius supervacaneum censuit alia congerere argumenta ad probandum corpora Petri, & Pauli esse Romæ, & hos duos Apostolos gloriosum Martyrium Romæ consummâsse, ait enim Eusebius lib. 2. Hist. cap. 25. *Igitur Nero ut apertum se hostem divinitatis, pietatisque publicaret, ipsorum primus Apostolorum, quippe qui Duces, & Signiferi erant in populo Dei, expetit neces; & Paulum quidem capite in ipsa urbe Roma, Petrum vero crucis patibulo condemnat. Horum testimonium quærere extrinsecus superfluum puto, cum rem gestam insignia usque in hodiernum, & splendidissima eorum monumenta testentur.* Sed communis omnium fidelium consensus efficacissimum est argumentum inferendi Apostolos Petrum, & Paulú Romæ gloriosum consummâsse Martyrium, cum ex omnibus orbis terrarum partibus illuc confluant populi religionis causa, ut reliquias, seu corpora eorundem Apostolorum venerentur. Scribit Nicolaus 1. in epistola ad Michaelem; tot millia hominum ex omni terrarum orbe

orbe, religionis causa ad sepulchra Apostolorum quotidie confluere, ut ipsa sola Romana civitas satis ostendat, ecclesiam Christi esse Catholicam, seu universalem; cum ex omni hominum genere semper multi ad sepulchra Petri, & Pauli conspiciantur; & revera Christiani omnes ubique terrarum semper persuasi fuerunt Apostolos Petrum, & Paulum Romæ fuisse pro fide Christi sub Nerone Imperatore martyrium passos; & ibi eorum corpora asservari, ac coli à fidelibus; & tantum tempore Wicleffi Hæretici seu sæculo quarto decimo cœpisse ab hæreticis in odium Summi Pontificis veri Petri successoris in episcopatu Catholicæ Ecclesiæ ad verti in dubium. Cæterum extant testimonia veterum Patrum Græcorum, & Latinorum asserentium, Apostolos Petrum, & Paulum fuisse Romæ gloriosum passos Martyrium. Dionysius Corinthius qui floruit eodem ferme sæculo vel non multum paulo post ut refert Eusebius lib. 2. histor. cap. 25. cum esset Romæ dixit loquens de Petro, & Paulo. *Ambo in hac urbe simul docentes, etiam martyrio pariter, uno, eodemque tempore coronati sunt*; & Cajus posterior Dionysio tantùm quinquaginta annis apud eundem Eusebium hoc idem fatetur inquiens: *Ego habeo trophæa Apostolorum, quæ ostendam: si enim procedas via regali, quæ ad Vaticanum ducit: aut via Ostiensi; invenies trophæa defixa, quibus ex utraque parte constituitur Romana communitur ecclesia.* Egesippus, & ipse proximus Apostolorum temporibus lib. 3. de excidio Hierosolimæ cap. 2. recitans minutatim totam historiam addit ad ea quæ Dionysius, & Cajus dixerant: *Petrus Romæ capite deorsum inverso, ut ipse postulaverat, crucifixus fuit.* Eusebius in Chronico anni septuagesimi primi à Christo nato ait: *Primus Nero super omnia scelera sua etiam persecutionem in Christianos facit, in qua Petrus, & Paulus gloriosè Romæ occubuerunt.* Theodoretus in epistola ad Leonem Papam scribit: *Communium Patrum, & veritatis doctorum Petri, & Pauli sepulcra, quæ fidelium animas illuminant.* S. Athanasius in Apologia pro sua fuga; hoc idem adstruit: *Petrus & Paulus cùm audivissent, oportere se Romæ martyrium subire; non abjecerunt eam profectionem sed cum gaudio abierunt*, scilicet Romam ubi gloriosum martyrium consummarunt. Chrysostomus homil. 32. in Epistolam ad Romanos ait: *Non ita cœlum splendescit, quando sol radios suos ex se dimittit; quemadmodum Romanorum urbs, duas illas lampades ubique terrarum effundens. Hinc rapitur Paulus, hinc Petrus: considerate, & horrete quale spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro resurgentem in occursum Domini sursum ferri.* Ex Latinis Patribus asserentibus Apostolos Petrum & Paulum gloriosum martyrium consummasse Romæ fatentur Tertullianus de Præscriptionibus ubi ait: *Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Felix ecclesia cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur.* Lactantius lib. 4. divini Institut. cap. 21. *Christus discedens aperuit discipulis suis futura omnia, quæ Petrus & Paulus Romæ prædicaverunt*; & paucis interjectis: *Cum eos Nero interemisset, Judæorum nomen, & gentem Vespasianus extinxit, fecitque omnia, quæ illi futura prædixerant.* D. Ambrosius orat. contra Auxentium, quæ habetur lib. 5. epist. loquens de Petro fugiente ab urbe Roma ait: *Nocte muro egredi cœpit; & videns sibi in porta Christum occurrere, urbemque ingredi, ait; Domine quò vadis? respondit Christus; vado Romam, iterum crucifigi; intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsum*, & infra: *Satimque correptus per crucem suam honorificavit Dominum Jesum.* D. Hieronymus de viris illustribus in Petro. *Simon Petrus ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit usque ad ultimum id est quartum decimum Neronis annum, à quo & affixus cruci, martyrio coronatus est capite ad terram verso.* S. Augustinus de consensu Evangel. lib. 1. cap. 10. *Merita Petri, & Pauli propter eundem passionis diem, celebriùs, & solemniùs Roma commendat* S. Maximus serm. 5. De Natali Apostolorum. *Petrus, & Paulus Martyrium pertulerunt in orbe Romà, quæ principatum, & caput obtinet nationum; scilicet ut ubi caput superstitionis erat; illic caput quiesceret sanctitatis.* Alios Sanctos Patres, & antiquissimos testes hujus veritatis congerit Bellarminus de Rom. Pont. cap. 3.

Quòd verò non solùm Romæ fuerit, ibique ecclesiam fundaverit Romanam, & gloriosum consummaverit Martyrium; verùm etiam in Romana Ecclesia Episcopus fuerit usque ad mortem ex eo evincitur; quia superiùs ostendimus, solum Petrum fundasse Ecclesiam Romanam, & in ea præfuisse, & quia Christus illum jam constituerat supremum suarum ovium Pastorem, seu omnium fidelium Episcopum; sequitur manifestè, Petrum non solum fundasse Ecclesiam, sed etiam ibi fuisse supremum Pastorem, seu Episcopum illorum fidelium; Quòd primus omnium solus Petrus Ecclesiam Romanam fundaverit, quia Alii Apostoli non leguntur promulgâsse Romæ Evangelium nisi Petrum, & Paulum: sed Paulus cum primùm Romam venit, invenit ibi ecclesiam jam à Petro fundatam. Quia D. Paulus cum intellexisset Romæ à Petro conversos ad fidem fuisse plures gentiles, & alios; ad hoc fideles recens conversos scripsit ad Rom. 1. v. 8. *Fides vestra annunciatur in universo mundo* & tamen cum hæc scriberet, certum est nondum fuisse Romæ, quia subdit *desidero videre vos* videri desiderantur absentes, quia præsentes non desiderantur, sed videntur: & nonnullis interjectis suam indicat absentiam subdens: *Sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc.* Idque ex eo firmatur quia D. Paulus ad Rom. 1. v. 11. desideravit videre Romanos ob Petri prædicationem recens conversos non ex curiositate; *sed ut aliquid* inquit *vobis gratiæ spiritualis impertiar, ad confirmandum vos* quæ verba expendens Theodoretus ait: *Quia Petrus primus evangelii doctrinam illis tradiderat subjungit: ad confirmandum vos; quod perinde est, ac si diceret: Non aliam doctrinam vobis trado, sed traditam vobis à Petro confirmare volo.* Ergo solus Petrus fundavit Ecclesiam Romæ, & ibi fuit Episcopus usque ad mortem: consecratus enim fuit à Christo totius Ecclesiæ Catholicæ, seu omnium fidelium Episcopus cum ipsi soli officium commisit supremi Pastoris, ac suas concredidit oves, quas pasceret *Pasce oves meas.* Hinc Eusebius in Chronico anno 44. ait: *Petrus natione Galilæus, Christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundâsset, Romam proficiscitur, ubi evangelium prædicans, viginti quinque annis ejusdem urbis Episcopus perseverat.* D. Hieronymus in catal. scriptorum ecclesiasticorum ait: *Petrus Romæ viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit.* Et in Epistola ad Damasum: *Cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor: Ego beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri communione-*

munione consentior Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum ait: *Negare non potes, scire te in urbe Roma, Petro primam cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium primus Apostolorum, & caput.* Severus Sulpitius lib. 2. histor. *Namque eo tempore divina apud urbem religio invaluerat, Petro ibidem episcopatu gerente; & Paulo postquam ab injusto præsidis judicio Cæsarem appellaverit, Romam deducto.* Constat igitur ex Sanctis Patribus, Petrum circa annum secundum Claudii Romam venisse, & ibi sua prædicatione plurimos convertisse ad fidem, Romanam Ecclesiam, & Episcopatum fundasse, & fuisse ibi Episcopum usque ad finem vitæ quando gloriosum consummavit martyrium; adeout annis viginti quinque fuerit urbis Romæ Episcopus, & universalis ecclesiæ ab eo tempore, quo à Christo fuerat constitutus Pastor totius sui gregis, ac ei dixit *pasce oves meas*, adeout primus Pastor post Christum, seu summus Christianorum Pontifex, cathedram Pontificiam Romæ collocaverit, in qua ipse sedit annis viginti quinque, fueritque propterea Romana Cathedra Petri sedes; & Romana Ecclesia specialiter Petro concredita, quæ omnia non tribuuntur Paulo.

Sectarii tamen asserunt, Linum, & Clementem, qui primi in Romana Ecclesia successerunt Apostolis fuisse discipulos Pauli, ex quo inferunt magis Paulum, quàm Petrum fuisse Romæ Episcopum, ac sedisse in Romana cathedra. Sed contra quia gratis, & absque ullo fundamento affirmant, Linum, & Clementem fuisse discipulos Pauli; deberent id probare quod asserunt. Præterea quamvis fuissent Pauli discipuli, inde non sequitur magistrum illorum fuisse Pontificem; alioquin quotquot fuerunt magistri Pontificum, qui hactenus sederunt in Petri cathedra, fuissent, & ipsi pontifices, quod sectarii non concedunt. Hinc quotquot cathalogum scripserunt pontificum, initium posuerunt à Petro Lino, Clemente, Cleto, Anacleto, Evaristo & ita successivè de aliis nulla de Paulo facta mentione. Instant, quia plures Romani pontifices testantur se accepisse authoritatem à Petro, & Paulo simul, seque plura agere eorum authoritate: non minus Paulus quàm Petrus fuit Romæ Episcopus. Sed contra quia sicut Ecclesia Catholica est una tantum, ita una est ejus cathedra, & una sedes non capit duos simul; & sicut Ecclesia Catholica est una, ita & Romana fundata à D. Petro, quæ propterea non potuit duos simul Episcopos capere. Cæterum pontifices dicunt se multa facere authoritate Petri, & Pauli, quia ambo Apostoli sua prædicatione, & sanguine stabiliuerunt Ecclesiam Romanam; quam solus Petrus fundavit, & Paulus consolidavit sua doctrina, & prædicatione, ut superius probavimus, quia Romani primò conversi fuerunt à Petro antequam Paulus Romam veniret, quamvis uterque fuerit Apostolus Romanorum; Petrus tamen peculiari ratione fuit Episcopus, cui reliqui successerunt. Instant quia quoties ecclesia recitat officium de D. Petro, fit in illo commemoratio de Divo Paulo, & è converso cum fit officium de D. Paulo fit commemoratio de Divo Petro: ergo quia Ecclesia eos judicat pares: Sed contra, judicat pares in apostolatu, conceditur; in potestate, & jurisdictione, ac primatu ecclesiæ negatur consequentia. Quod solus Petrus sederit in Romana cathedra asserit etiam Prudentius in hymno de S. Laurentio.

Roma jam regnant duo
Apostolorum principes:
Alter vocatur Gentium
Alter cathedram possidens
Primam, recludit creditas
Æternitatis januas.

CAPUT IX.

Solvuntur quæ à sectariis objiciuntur contra Petri præeminentiam supra Paulum.

Petrum fuisse patrem Paulo non solum apostolatu verum etiam jurisdictione ex eo nituntur sectarii evincere quia omnes Apostoli, fuerunt tales à Christo instituti, à quo & æqualem acceperunt jurisdictionem, ex quo inferunt, Petrum non fuisse Paulo, nec aliis Apostolis superiorem, sed Petrum, & Paulum fuisse pares in apostolatu, & jurisdictione. Hinc quæ Petrus gessit non absolutè, & propria voluntate ac potestate id gessisse legitur sed ex consilio, & voto cæterorum, ut constat Actor. 15. Sed contra, quia quàm falsum sit, omnes Apostolos parem à Christo accepisse jurisdictionem, ex eo superiùs probatum fuit, quia soli Petro, & non reliquis Apostolis nec Paulo dixit Christus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum* per claves jurisdictionem intelligi explicant omnes sancti Patres; unde subdit: *& quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum, & in cælis. & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis*; condemnare & absolvere sunt actus jurisdictionis, quæ à Christo soli Petro promissa fuit; & data postea cum Joan. 21. ei injunxit officium pastoris, & suas concredidit oves *Pasce oves meas*: ergo cum hoc officium soli Petro non reliquis Apostolis, nec Paulo commissum fuerit, & hoc officium habeat essentialiter annexam jurisdictionem in totam ecclesiam, & omnes fideles, sequitur evidenter hanc jurisdictionem soli Petro fuisse à Christo datam, non Paulo, nec aliis Apostolis, qui propterea ratione jurisdictionis fuerunt Petro inferiores. Neque ex eo quòd Petrus gesserit plura ex consilio, & voto reliquorum Apostolorum, sequitur fuisse omnes pares in jurisdictione? quidni etiam principes sua non instituunt neque gerunt negotia nisi ex consilio, & voto ministrorum, & tamen jurisdictio est in solo principe, cui ministri subjiciuntur. Perinde quamvis Petrus in rebus magni momenti, ut cum ageretur de controversia legalium, congregaverit Concilium, & juxta congregatorum vota concluserit; inde non sequitur, fuisse Petrum Paris jurisdictionis cum reliquis Apostolis; alioquin neque in principe, in rege, Imperatore esset major jurisdictio quàm in suis Consiliariis, & administris; quod Sectarii cum non concedant, neque inferre debent æqualem jurisdictionem in omnibus Apostolis cum Petro ex eo quod Petrus nil gesserit sine consilio, & votis illorum.

lorum. Hinc factum est, ut Petrum nullam acceperit jurisdictionem in Paulum, & reliquos Apostolos: ex eo enim quòd Christus soli Petro dixerit: *Pasce oves meas*: illi soli commisit officium Pastoris, ac dedit jurisdictionem in omnes & singulas oves Christi, & quia Paulus & reliqui Apostoli erant, & ipsi oves Christi à Petro Pastore pascendæ, etiam Paulus, & reliqui Apostoli fuerunt sub jurisdictione Petri. Præterea in sententia Sectariorum non solùm Apostoli essent exempti à Petri jurisdictione, sed etiam alii extra Apostolicum Collegium; siquidem controversia illa legalium Act. 15. non solùm voto Apostolorum, sed etiam aliorum fuit terminata Act. 15. v. 6. *Convenerunt enim Apostoli, & seniores videre de verbo hoc.* Tum quia Apostoli, & seniores legatos decreverunt ad Antiochenos v. 22. *Tunc placuit Apostolis & senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam.* Præterea quia Epistola decretalis non solùm nomine Apostolorum, sed etiam seniorum scribitur v. 23. *Apostoli, & Seniores fratres his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus salutem*: ergo si pares fuissent Apostoli Petro in jurisdictione, eò quia ex ipsorum consilio, & voto fuerit controversia legalium terminata Act. 15. sequitur non solùm Apostolos, sed etiam seniores fuisse pares Petro in jurisdictione, quod Sectarii non concedunt.

Respondent Sectarii hanc paritatem in jurisdictione Petri cum cæteris Apostolis, & Paulo, Christum satis apertè indicâsse Matth. cap. 23. *Ne vocemini Rabbi, unus enim Magister vester est Christus; omnes autem vos estis fratres.* Si unus tantùm est Magister Christus, Petrus non est Magister super reliquos, sed frater ut cæteri, qui omnes pares propterea sunt in jurisdictione. Sed contra, quia Christus non ad solos Apostolos, & Discipulos verba illa protulit, sed etiam ad turbas Matth. 23. *Tunc enim loquutus est ad turbas & discipulos suos dicens.* Sed dato etiam quòd ad solos Apostolos verba Christi dirigerentur, non tamen ex illis destituitur Petrus jurisdictione, neque magisterio; sed tantùm hortantur omnes quotquot aderant ad deponendum tumorem, ac inanem jactantiam, quâ Scribæ, & Pharisæi intumescebant, quos propterea Christus redarguens dixerat: *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis servate, & facite, secundùm opera eorum nolite facere.* Cùm inter cætera Pharisæorum opera illud recenseret: *Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas Cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Ideo huic Pharisaico tumori appositurus Christianam humilitatem dixit: *Vos autem nolite vocari Rabbi.* Ita explicat textum Matth. 23. D. Augustinus de utilit. credendi cap. 3. Quod si dicant Christum non prohibuisse tunc fastum, sed jurisdictionem, tunc in errorem impingunt Anabaptistarum negantium omnem jurisdictionem inter homines: etenim quibus Magistri nomen Christus prohibet, iisdem prohibet jurisdictionem in fratres: Sed Christus nomen Magistri prohibet omnibus Discipulis, imò & omnibus Christianis: ergo omnibus Discipulis, imò & Christianis prohibet jurisdictionem in fratres; quod est evertere omnem potestatem politicam; invertere totum humani generis regimen. Id proprium Acatholicorum est Scripturas mutilare, in sensus detorquere improprios, ut suis videantur erroribus favere; quod observans S. Hieronymus epist. 103. ad Paulinum scribit dolore correptus: *Agricolæ, cæmentarii, fabri, metallorum cæsores, lanarii quoque, & fullones, & cæteri qui variam supellectilem, & vilia opuscula fabricantur, absque doctore esse non possunt, quod cupiunt, quod Medicorum est, promittunt medici, tractant fabrilia fabri; sola Scripturarum ars est, quam omnes passim sibi vindicant*, quatenus quisque videri vult magister prius, quàm ut discipulus doctorem audierit; quisque vult esse interpres, vultque ut magister scripturarum sensus alium edocere. *Hanc* (loquens de sacra Scriptura sit) *garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, antequam discant.* Et paucis interjectis. *Puerilia sunt hæc, & circulatorum ludo similia, docere quod ignores, immo ut cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire, quod nescias.* Idque proprium esse Hæreticorum notavit Tertullianus de præscript. ubi ait: *Omnes tument, omnes scientiam pollicentur: ante sunt perfecti Catechumeni, quàm edocti. Hæreticos propterea Apostolus conversos dicit in Mateologiam, volentes esse legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, hinc tandem fit ut scribit Judas: quod tanquam fluctus feri maris despumant tantùm suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum servata est.* Hunc igitur tumorem vult Christus esse à Christianis deponendum, ut culturâ humilitatis efflorescant.

Objicitur secundò illud Matth. 20. *Scitis quòd Principes gentium dominantur eis, & qui majores sunt, potestatem exercent in eis; non ita erit inter vos.* Et Marc. 10. *JESUS vocans Apostolos, ait illis: Scitis quod ii, qui videntur principari gentibus, dominantur eis, & principes eorum potestatem habent ipsorum, non ita autem est in vobis.* Et Luc. 22. *Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur, vos autem non sic.* Ex quibus inferunt inter Christianos non dari hanc præeminentiam, quâ unus cæteris præficiatur, ac exerceat in alios jurisdictionem; vult enim Christus à Christianis deponi omnem tumorem. Sed contra, quia licèt velit Christus suos fideles esse sine tumore superbiæ, sine fumo ambitionis, non tamen prohibet politicum regimen Monarchicum, quo ipse vult suam gubernari Ecclesiam, in qua sui Vicarium instituit D. Petrum, & ejus pro tempore Successores, quos cæteris præfecit. Quòd verò ad præcitata loca Scripturæ pertinet. Respondetur quòd cùm Apostoli audierint ambitiosam petitionem matris filiorum Zebedæi rogantis pro filiis suis, ut unus à dextris, & alter à sinistris sederet in regno suo indignabundi, quod virtutis præmia mulieris filii aliena gratia vellent præripere, obliquis oculis eos aspiciebant. Volens autem Magister Christus hæc Discipulorum componere dissidia, & ambitionis tumorem pharmaco curare humilitatis, omnes voluit ad se accersitos, quibus dixit Matth. 20. *Scitis quod Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt potestatem exercent in eos*: quasi diceret, Principes gentilium servorum instar habent servos suos, & suo arbitratu omnia disponunt, ac distribuunt dignitates, & officia, non juxta mensuram meritorum cujusque, sed pro arbitratu; *Sed non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis*; suo nos docuit exemplo humilitatem, & charitatem in fratres; & ut omnem ambitionis fumum longè excutiamus; non verò excludit dignitates, neque regimen Monarchicum, quod ipse in Ecclesia instituit: tota igitur antiphrasis consistit in sola me-

thodo conferendi dignitates: Reges gentium non juxta mensuram meritorum semper officia, dignitates, & titulos distribuunt dignis; sed plerumque ad preces, ac intercessionem administrorum, vel aliorum, quibus vult Princeps favere; non ita Christus, apud quem non erat acceptio personarum, sed præ oculis tantùm habebat virtutem, studia, & exercitia humilitatis, & charitatis in fratres, & juxta hanc interpretationem verba Christi, *Qui majores sunt, potestatem exercent in eos*, non intelliguntur de subditis; sed de Principibus: duplex est dominium tyrannicum unum; aliud politicum; illud est quo Princeps omnia in proprium tantùm commodum trahit nullo habito respectu ad utilitatem subditorum; istud è converso, quo Princeps non proprium; sed subditorum tantùm commodum promovet, cui propriam postponit utilitatem; hoc secundum dominium non excludit Christus in suæ Ecclesiæ præsulibus; sed tantùm primum. Quale fuerit Tiberii imperium, & aliorum Principum constat ex historiis; & hoc est quod Christus dixit: *Reges gentium dominantur eorum*, quia subditos habent velut mancipia, quorum tantùm volunt detrimentum, si in propriam resultet utilitatem, quam unicè intendunt, quod dominium Christus ut injustum damnat, & à suis excludit fidelibus: Hinc Seneca Principem alloquens ait lib. 1. de clement. cap. 18. *Civium*, inquit, *non tibi tradita est servitus, sed tutela, & neque Respublica tua est, sed tu Reipublica.* Rursus verba Christi: *Et qui majores sunt, potestatem exercent in eos*, de iis intelliguntur, qui in aulis Principum reliquos dignitate, auctoritate, ac præpotentia antecellentes suos nituntur Principes in regimine Tyrannico potius quàm civili imitari propriæ utilitati consulentes, populorum detrimentis, ac incommodis. Proposita igitur à Christo Tyrannide Regum, & Magnatum gentilium, quorum potentiam Apostoli tunc cogitabant, existimantes, tale futurum Christi regnum, ostensurus illis regimen Christianorum, & præsertim Ecclesiasticorum non esse tale, sed administrari per exercitia charitatis, & humilitatis: subdit: *Non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus*, ut scirent, qui cæteris præsunt, proprium officium non esse dominari, sed famulari, non subditis obesse, seu prodesse; & seipsum contraponens regibus gentium subjungit: *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Si igitur qui inter Apostolos major futurus erat, is ministrare debebat exemplo Christi eorumdem Magistri, sequitur regimen ecclesiasticum civile esse Monarchicum, plenum charitatis, & humilitatis, adeo ut jurisdictio exercenda in subditos, sit exercitium charitatis, & humilitatis. Unde ex præcitatis textibus Matth. 20. Marci 10. Luc. 23. tantùm abest ut quidquam de primatu Petri in Ecclesia, & jurisdictione in omnes fideles dematur, ut potius lucujentius confirmetur.

Objiciunt tertio probantes D. Petrum nunquam Romæ fuisse, estque argumentum Illyrici, & Veleni apud Bellarminum de Rom. Pont. lib. 2. c. 5. asserentes Petrum Romæ fuisse, & ibi sub Nerone Principe gloriosum consummasse martyrium, non conveniunt in assignando tempore quo venerit Romam: etenim Orosius narrat venisse Romam in exordio regni Claudii. D. Hieronymus scribit venisse Anno 11. regni Claudii, & in fasciculo temporum legitur venisse anno 4. ejusdem Claudii; imò in Passionali de vitis Sanctorum dicitur venisse Romam tantùm sub finem Claudii regni, seu anno 13. unde nihil firmiter colligi potest. Præterea discrepant etiam in numerandis Petri Successoribus. Aliqui post Petrum ponunt immediatè Clementem, ut Tertullianus de præscript. Hieronymus in cap. 53. Isaiæ. Alii post Petrum immediatè ponunt Linum, postea Clementem tertio loco, ut Optatus lib. 2. contra Parmenianum, & D. Augustinus Epist. 163. Alii post Petrum immediatè ponunt Linum, & Cletum, sive Anacletum, postea Clementem quarto loco ut Irenæus *lib. 3. cap.* 3. Eusebius *in Chronico*, Epiphanius *heresi* 27. Præterea quia plures confundunt Cletum, & Anacletum asserantes fuisse unam eandemque personam, & alii distinguentes asserunt duos fuisse Pontifices, adeo ut nihil certi inferri possit ex Authoribus, quo tempore Petrus venerit Romam, & quis eidem successerit in Pontificatu. Sed contra, quia tametsi non videantur Authores exactè concordare circa tempus, quo Petrus Romam venit, ferè tamen omnes unanimes asserunt sub exordium Claudii regni, & quamvis Orosius non recenseat propriè annum, sed tantùm dicat in exordio regni Claudii potior authorum pars cum D. Hieronymo asserit circa finem secundi anni regni Claudii. Præterea quamvis dissentiant circa tempus omnes tamen concordant, & fatentur Petrum Romam venisse regnante Claudio, unde quoad substantiam adventus omnes concordant; & circa tempus omnes etiam fatentur regnante Claudio venisse Romam, quamvis sit aliqua discrepantia circa annum. Sed id non potest in dubium revocare adventum Petri in urbem, constat enim de illius adventu juxta Authorum sententias, ut etiam de circumstantia temporis quoad regnum Claudii, quamvis sit aliqua discrepantia circa annum. Plerumque constat de re ipsa, de qua quæritur, quamvis non constet de omnibus circumstantiis, sed de una vel altera dubitetur, & tunc certum est de re ipsa, & tota quæstio volvitur circa illam tantùm circumstantiam, de qua dubitatur: hinc apud Christianos certum est, ac indubitatum Christum Hierosolymis in Calvariæ monte fuisse Cruci affixum, & mortuum pro nobis, & tamen non conveniunt de tempore, quo mortuus est, etenim Tertullianus *lib. contra Judæos*, Clemens Alexandrinus *lib. 1. stromatum*, & Lactantius *lib. 4. divinar. Instit. cap.* 10. asserunt Christum fuisse Cruci affixum anno Tiberii Cæsaris XV. & suæ ætatis anno 30. Ignatius verò Epist. ad Trallianos, & Eusebius in Chronico, & alii dicunt fuisse mortuum anno ætatis suæ 33. & Tiberii Cæsaris XVIII. Rursus Onuphrius Mercator, & alii censent Christum passum fuisse, ac mortem pro nobis subiisse anno ætatis suæ 43. imò Irenæus lib. 2. cap. 39. censet probabile Christum fere ad annum quinquagesimum protraxisse vitam, & non sub Tiberio, sed sub Claudio mortuum fuisse. De die etiam & mense quo Christus mortuus est dissentiunt etiam Authores, & Clemens lib. 1. stromatum post hinc inde plures recitatas Authorum discrepantium sententias postea concludit, non tamen inde negabimus Christum mortuum esse, cùm de illius morte nullus hactenus dubitaverit, quamvis de circumstantia temporis fuerit aliqua dissensio. Eadem ratione, quia constat in Christi Passione, ac nece impletas fuisse hebdomadas Danielis Prophetæ, adhuc tamen controversia est de tempore, quo inceperint, & desierint, ut etiam de annis Regum Persarum ut, Samuelis, Saulis, & aliorum Principum Judæorum, ut etiam de annis mundi quot hactenus fuerint elapsi, circa enim has controversias tot videntur esse diversæ sententiæ, quot varii ac plures sunt Chronologi.

logi. Et tamen nemo hactenus ivit inficias Regts Persarum regnasse, Saulem præfuisse Hebræis, mundum ipsum incepisse, ex quibus elarè infertur dubitare de aliqua circumstantia temporis vel loci non esse sufficiens argumentum inferendi rem illam non fuisse, quia tunc dubitatio non cadit supra rem, da qua quæritur, sed supra rei aliquam circumstantiam, quæ tametsi ignoretur, res tamen, de qua quæritur est certa: ita licèt controversia sit de tempore, quo Petrus Romam venit, re tamen ipsa certum est venisse Romam, ac ibi gloriosum Martyrium consummasse, cùm omnes in hoc conveniant exceptis aliquibus Sectariis recentioribus, qui meridiano in sole malunt cæcutire, quàm veritatis lucem aspicere. Præterea si circumstantia temporis exactè perpendatur, non videntur Authores saltem clariotis notæ inter se discrepare, omnes enim fatentur in exordio regni Claudii, seu sub finem anni secundi Petrum venisse Romam, ut censent Eusebius in Chronico, Ado Trevirensis in Martyrologio, Orosius lib. 7. ubi expressè ait, venisse Petrum Romam in exordio regni Claudii, quia si regnum Claudii dividatur in tres partes exordium, medium, & finem annus secundus includitur in exordio; & cum istis consentiunt omnes illi Authores, qui asserunt Petrum Romæ sedisse annis 25. & anno 24. Neronis gloriosum suum consummasse Martyrium, ita censent Damasus, Isidorus, Beda, Ado Viennensis. Unde non est audiendus Author Fasciculi temporum, & passionalis. Quoad successionem Pontificum, in qua Sectarii videntur vim aliquam facere, respondetur gravissimos Authores asserere, Petrum tempore imminentis suæ passionis commendasse Clementi tunc Romæ existenti Sedem Episcopalem, ut testantur Tertullianus de præscriptionib. Hieronymus lib. 1. in Jovinian. & in cap. 52. Isaiæ. Ruphinus Aquilensis in præfat. recognit. & invectiva in Hieronymum, Joannes tertius Papa in epist. ad Episcopos Germaniæ: idque causæ quòd plures Authores immediatè post Petrum recenseant Clementem successisse, quem & immediatè ponunt post Petrum; mortuo tamen Petro asserunt præfati Authores Clementem in Sede Apostolica recusâsse sedere donec vixerunt Linus, & Cletus, qui ipsius Petri adjutores in Episcopali officio fuerant, & ideò communi sententia post Petrum immediatè ponitur Linus, rem ita se habuisse refert S. Epiphanius hæresi 27. ubi ex sententia veterum refert Clementem Sedem Petri recusasse, quamdiu vixerunt Linus, & Cletus ejusdem Petri in officio Episcopali adjutores. Hinc in Cathalogo Pontificum ab Ecclesia approbato primus omnium, qui post Christum præfuit Ecclesiæ Catholicæ, fuit Petrus Apostolus post ipsum Linus, postea Clemens, Cletus, Anacletus, Evaristus, Alexander, Syxtus, Telesphorus, Hyginus, Pius, Anicetus, Soter, Eleutherus, & successivè alii usque ad nostra tempora. Præterea quamvis ignoraremus quis Petro proximè successerit, non inde tamen in dubium posset revocari, an aliquis successerit, sicut ut notat Bellarminus est quæstio inter Scriptores, quisnam fuerit maritus Esther, aliqui asserunt fuisse Assuerum Medum, alii Cambysem Persam, alii Darium Hisdaspim, alii Artaxerxem Longimanum, alii Menemonem, & tamen in hac sententiarum varietate nullus hactenus dubitavit, an Esther maritum habuerit: itaquamvis sit dubium quisnam immediatè successerit D. Petro in Pontificatu, & Cathedra Ecclesiæ Catholicæ, non tamen potest dubitari aliquem successisse; quia enim Clemens studio humilitatis post necem Petri noluit præesse, Linus utpote coadjutor Petri in officio Episcopali sedit quamvis debuisset post Petrum immediatè succedere Clemens, & quia nunc successit cùm alter debuisset prius succedere, inde nata est occasio diversimodè sentiendi de immediato Petri successore in Cathedra Ecclesiæ Catholicæ: hac distinctione desumpta ex S. Epiphanio, Eusebio, Optato, & aliis possunt facilè conciliari Authores, qui Clementem Lino, & Linum Clementi præposuerunt; quamvis hodie communiori sententia approbata ab Ecclesia, & à Sanctis Patribus præsertim Augustino, Hieronymo, Irenæo, Eusebio successor immediatus Petri in Cathedra Ecclesiæ Catholicæ ponatur Linus ob recusatum Episcopatum à Clemente, qui nonnisi post mortem Lini sedit in Cathedra illa. Post Linum plures etiam ponunt Cletum, sive Anacletum, ut notat Bellarminus loc. cit. & postea quarto loco Clementem, & ita censent Irenæus, Eusebius, Epiphanius, Hieronymus, & in Canone Missæ etiam legitur hoc ordine Lini, Cleti, Clementis, adeo ut Clemens quarto loco post Petrum sederit in Cathedra Catholicæ Ecclesiæ.

Secundò objiciunt cum Calvino Petrum non potuisse Romam venire ante annos octodecim post Christi mortem, idque ex eo nituntur ostendere, quia cùm fieret primum Concilium Jerosolymitanum Actor. 15. Petrus adhuc morabatur in Judæa, & Concilium illud circa controversiam legalium coactum fuit anno 18. à passione Domini, ut computat D. Hieronymus in cap. 2. ad Gal. siquidem Paulus postquam fluxissent tres anni à sua conversione venit in Jerusalem videre Petrum Galat. 1. Deinde post annos 14. iterum venit Jerosolymam ad Concilium, ut ipse scribit ad Galat. 2. quibus si addatur annus unus, qui effluxit à passione Domini usque ad conversionem Pauli computantur anni octodecim. Rursus addunt Petrum quinque annis fuisse in Judæa immoratum, & septem annis Antiochiæ, & pluribus aliis in Ponto, Galatia, Capadocia, Asia & Bythinia, & cum uno vel altero die non potuerit has omnes provincias peragrare, ac in iisdem promulgare Evangelium, ad quod præstandum non modicum requirebatur tempus, ideo ad minimum octodecim fluxerunt anni antequam Petrus Romam veniret. Quòd si ante annum 18. venisset Petrus Romam id contigisset anno secundo Claudii, quod fieri nequit, quia eo anno S. Petrus nondum fuerat à vinculis liberatus, in quæ illum Herodes conjecerat: siquidem ex D. Luca *Actor.* 12. & Josepho *lib.* 19. *Antiquit. cap.* 7. Petri solutio à vinculis contigit tantùm anno 3. Claudii. Præterea quia Christus injunxerat Apostolis, ut ante annos duodecim non discederent ab urbe Jerosolyma, ut ex Trasea Martyre refert Eusebius *lib.* 4. *Histor. cap.* 18. & annus duodecimus à Christi Resurrectione incidit anno 3. regni Claudii, ex quo inferunt Petrum anno 2. Claudii non potuisse Romam venire; sed ad summum post annum nonum, qui juxta computum erat decimus octavus à passione Christi. Rursus quia Petrus dicitur, à Damaso, Eusebio, Hieronymo, & aliis sedisse Romæ annis 25. inferunt supervixisse annos 43. à Christi Domini passione: sed tunc jam obierat Nero, imo etiam Galba, Otho, & Vitelius adeo ut eo anno imperaverit Vespasianus sub quo Principe debuisset Petrus suum consummâsse martyrium, quod dici nequit, quia Vaspasianus fuit Princeps mitissimus, & Romæ nullum occidit Christianum ut testantur Tertullianus *cap.* 5. *Apologet.* Augustinus *lib. de Civit. Dei* 3. *cap.* 21. Eusebius Orosius, & alii Historici, ex quibus Novatores inferunt Petrum nunquam fuisse Romæ

nec illic suum consummâsse martyrium. Sed contra quia tametsi concedamus Petrum sedisse Antiochiæ septem annis adhuc Catholicorum computus ritè cohæret cum Petro sedente Romæ in cathedra Ecclesiæ Catholicæ annis 25. ac illic suum consummâsse gloriosum martyrium. Fuit igitur D. Petrus quinque annis moratus in Judæa, & potuit D. Paulus post tres annos à sua conversione ipsum convenire Jerosolymis. Et Eusebius refert anno quinto à passione Domini venisse Petrum Antiochiam. Neque repugnat traditio Thraseæ Martyris, quia Christus non imperavit, ut omnes duodecim Apostoli morarentur in Judæa per annos duodecim, adeò ut nullus discederet, id enim deprehenditur falsum ex actis Apostolorum cap. 8. 9. & 10. ibi enim dicitur, quòd Petrus profectus fuerit in Samariam, Lyddam, Joppem, & Cæsaream, antequam ab Herode in vinculis detineretur, consequenter ante annum 12. à Christi passione; sed ut non omnes inde recederent, sed aliqui ex ipsis semper manerent Jerosolymis ad testificandum Hebræis: unde annò 5. à passione Domini Petrus profectus est in Syriam, & Antiochiæ sedem suam fixit, & mansit ibi per septennium. Neque probabile videtur, quod asserit Onuphrius in additionib. ad Platinam sanctum Petrum non sedisse Antiochiæ, nisi postquam fuerit reversus ab urbe Roma: Siquidem id omnino gratis, & absque ullo fundamento asserit, nec ullum citat Authorem fide dignum pro hac sententia. Rursus quamvis Petrus Antiochiæ suam fixerit sedem, non tamen semper mansit in urbe illa veluti clavus affixus tabulæ, sed finitimas Provincias Pontum, Asiam, Galatiam, Cappadociam, & Bythiniam peragravit, ac in iisdem Evangelium promulgavit. Inde profectus anno septimo Episcopatus Antiochensis, qui fuit undecimus à morte Christi, reversus fuit in Jerusalem, ubi comprehensus ab Herode in vincula conjectus fuit diebus Azymorum, ut legitur *Actor.* 12. & ex illis vinculis ab Angelo solutus eodem anno, qui fuit secundus regni Claudii, Romam venit, ubi suam fixit sedem, & ibi sedit per annos quinque supra viginti. Rursus neque totis illis viginti quinque annis Petrus mansit semper Romæ, sed postquam prædicasset annis septem Romæ, iterum reversus est Jerosolymam expulsus ex urbe Roma unà cum reliquis Judæis à Claudio, ut habetur *Actor.* 16. ubi legimus Claudium expulisse ab urbe Roma omnes Judæos, hoc idem etiam referunt Suetonius, in Claudio Josephus *lib. antiq.* quem citat Orosius *lib. 7. histor.* & hæc expulsio facta fuit anno 9. Claudii scilicet 18. à passione Domini: cùmque audivissent fideles, qui erant Antiochiæ Petrum venisse in Jerosalem, miserunt ad eum Paulum, & Barnabam, & tunc coactum fuit Concilium Jerosolymitanum ad terminandam controversiam de legalibus: mortuo interim Romæ Claudio, reversus est Petrus Romam, ubi mansit usque ad Neronem, sub quo Principe gloriosum consummavit martyrium. Neque repugnat, Petrum fuisse Jerosolymis in vincula conjectum, paulò ante mortem Herodis, ut narrant *Acta Apostol. cap.* 12. & ex Josepho *lib.* 19. *antiquit. cap.* 8. colligatur, quòd Herodes obierit anno tertio regni Claudii, quia *Actor.* 12. non dicitur Petrus in vinculis conjectus ante mortem Herodis, sed oppositum potiùs infertur, quia ibi dicitur, quòd post Petri solutionem à vinculis Herodes profectus sit Cæsaream, ubi etiam fuit commoratus, & quidem non modico tempore ad minimum spatio anni unius. Ideo S. Lucas refert post mortem Jacobi, & vincula Petri statim Herodis mortem, ut significaret interitum Herodis fuisse Dei punitionem, eò quia Apostolos vexaverit, ac persecutus fuerit.

Instant tamen Sectarii ostendentes Petrum non potuisse Romam venire ante annum undecimum Claudii, & postea non venisse, quia Claudius cùm jussisset Judæos ab urbe Roma expelli, utique jussit etiam, ut Judæi non permitterentur in urbem venire. Sed huic instantiæ jam satisfactum fuit, diximus enim Petrum anno nono Claudii non venisse Romam, sed ex urbe Roma discessisse à Claudio expulsis Judæis omnibus, & postea tempore Neronis iterum fuisse Romam reversum: quòd autem sub Nerone Principe potuerint Romæ esse Judæi, liquet *Actor. ult.* ubi narratur, quod Paulus Judæis Romæ prædicaverit. Instant iterum, quia quando Paulus reprehendit Petrum Antiochiæ, ut ipse scribit ad *Galat.* 2. peractum jam fuerat Concilium Jerosolymitanum, & tamen Petrus nondom venerat Romam. Sed contra, quia jam diximus Petrum antea venisse Romam, & iterum rediisse. Neque obstat, quòd Paulus scribens ad Romanos multos jubeat salutari ad *Roman. cap. ult.* & nullam de Petro mentionem faciat, ex quo inferunt sectarii Petrum nonquam fuisse Romæ, alioquin Paolus illius meminisset, ac injunxisset saltem salutem dici. Sed contra quia ex reticentia Pauli non potest inferri Petrum non fuisse Romæ, alioquin deberet iisdem inferri Joannem non fuisse Ephesi Episcopum nec Jerosolymis Jacobum, eò quia Paulus scribens ad Ephesios, & ad Hebræos non meminerit Joannis, & Jacobi; quamobrem ut scitè notat Bellarminus *lib. 2. de Roman. Pont. cap.* 7. Paulus non jussit Petrum salutari, quia suam tunc scripsit ad Romanos epistolam, eo tempore, quo Petrus revertebatur ex urbe Roma, & morabatur in Syria: Siquidem Paulus in itinere scripsit epistolam illam, cum Jerosolymam veniret, ubi & comprehensus fuit, scribit enim ad Roman. 15. *Et nunc proficiscor in Jerusalem ministrare sanctis. Probaverunt enim Achaja, & Macedonia collationem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt in Jerusalem.* Rursus Actor. 24. causam sui adventus aperiens ante tribunal Felicis Syriæ Præsidis ait: *Eleemosynas facturus in gentem meam veni, & oblationes, & vota.* Præterea hæc Pauli injectio in vincula contigit medio tempore inter Concilium Jerosolymitanum, & obitum Claudii, ut notat Bellarminus, quia post Concilium Jerosolymitanum Paulus peragravit in Macedoniam, & Achajam, ubi nunquam fuerat, & pervenit in Jerusalem sub præside Felice, qui præfuit Syriæ usque ad mortem Claudii & initium Neronis, ut narrat Josephus *lib. 2. Antiquit. cap. 9. & 13.* ex quibus infertur Paulum scripsisse epistolam illam ad Romanos circa annum undecimum, vel duodecimum regni Claudii, quo tempore D. Petrus ex urbe Roma fuerat reversus jussu Claudii, & Syriæ regiones peragravit: & hæc causa fuit, cur Paolus scribens ad fideles, qui ex Ethnicismo fuerant à Petro ad fidem conversi, non meminerit Petri, nec ullam jusserit salutem dici, cum non amplius Romæ fuisset. Neque obstat, quod asserunt Novatores Petrum, & Paulum fœdus inivisse, ut Petrus Judæorum, & Paulus Gentium essent Apostoli, ut scribit ad *Gal.* 2. Et non videri verisimile Petrum fœdus illud fregisse, vel pacti immemorem alicuam Provinciam invasisse, ac fuisse Romam profectum, ut ibi Gentibus promulgaret Evangelium. Et licet nolint, quòd possit quis asserere Petrum fuisse Romam profectum promulgaturum Judæis, qui ibi morabantur, Evangelium; quia Judæi, qui Romæ morabantur, veniente Paulo, fuerunt mirati doctrinæ novitatem, ut habetur Actor. ult. *Notum est nobis de secta hac, quia ubique ei contradicitur, rogamus autem audire, quæ sentis.* Et nonnullis interjectis subdirur. *Quidam credebant his, quæ dicebantur, quidam verò non credebant, cumque invicem*

non

non essent conservientes, discedebant. Sed contra tamen est, quia fœdus, quod Petrus & Paulus simul inivetunt, non fuit, ut perperam supponitur, ut Petrus nonnisi Judæis vel tantùm in Judæa promulgaret Christi Evangelium, & Paulus tantùm Gentibus & extra Judæam: neque enim poterat Petrus tale fœdus inire cum Paulo, quia ex officio ei à Christo injuncto tenebatur non solùm Judæis, sed etiam Gentibus promulgare Evangelium, præsertim cum Christus injunxerit Apostolis, ut prædicarent Evangelium Gentibus omnibus, & conversos baptizarent. Tum quia ad Petrum utpote à Christo institutum Pastorem totius dominici gregis præsertim pertinebat gentes omnes docere. Epistola igitur à Paulo scripta ad Romanos directa fuit ad illos omnes, qui conversi fuerant ad fidem Jesu Christi sive ex Judæis fuerint, sive ex Gentibus, nam in illa epistola D. Paulus primis quatuor capitibus disputat de justificatione ex fide sine operibus legis contra superbiam Judæorum, qui suis meritis tribuebant adventum Messiæ, & *cap.* 14. agit de illis, qui adhuc judaizabant se abstinentes à quibusdam cibis secundùm legem immundis: & *cap.* 16. plures salutat, quos constat ex Judæis ad fidem Christi fuisse conversos

Respondent Sectarii, Paulum scripsisse epistolam ad Romanos vivente Claudio, qui Judæos ejecerat ex urbe: unde non potuerunt esse Romæ Judæi, quos Paulus salutari præciperet. Sed contra quia Judæi tametsi à Claudio expulsi fuerint ex urbe Roma, fuerunt tamen paulò post Romam reversi; ut constat *Act.* 18. ubi narratur Paulum invenisse Corinthi Aquilam & Priscillam Judæos, qui pulsi à Claudio fuerunt ab urbe Roma, & cùm Paulus commoratus fuisset in Achaja anno uno, & sex mensibus, & postea in Asia hæsisset per duos annos Act. 18. & 19, profectus est Jerosolymam, & in eo itinere scripsit epistolam ad Romanos, & jussit salutari Aquilam & Priscillam, qui Romam fuerant reversi. Ad id quod addebatur de Judæis rogantibus Paulum, ut illis aperiret, quid sentiret de doctrina Christi. Respondet Bellarminus, non omnes Judæos, qui tunc Romæ erant rogâsse Paulum; sed tantum nonnullos nondum conversos, & qui optabant sibi explicari doctrinam à Paulo; præter hos plures alii fuerunt Romæ Judæi, quos Petrus converterat ad fidem Jesu Christi; imò etiam alii, qui nondum planè persuasi erant, cupierunt etiam Paulum audire.

Rursus Petrum nunquam fuisse Romæ nituntur Sectarii ostendere ex eo, quòd Paulus in suis epistolis quas Romæ scripsit ad Galatas, ad Ephesios, ad Colossenses, ad Philippenses, ad Hebræos, ad Timotheum, & ad Philemonem; nullibi Petri Romæ secum commorantis meminerit, imò nec in Epistolis Pauli ad Senecam, neque in illis Senecæ ad Paulum ulla fiat Petri mentio: Si enim quo tempore Paulus fuit Romæ commoratus, fuisset in urbe illa etiam Petrus, saltem una vel altera vice contigisset mentionem de ipso fieri: quinimò in prædictis Pauli epistolis non solum non dicitur Petrum fuisse Romæ; verùm etiam quasi apertè significatur, ibi non fuisse: etenim D. Paulus ad Philippenses de iis, qui Romæ erant, scribit: *Omnes quærunt, quæ sua sunt:* & ad Colossenses ult. ait: *Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, & Jesus qui dicitur justus: hi soli sunt adjutores mei in regno Dei,* Præterea 2. ad Timoth. 4. scribit: *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt:* ex quibus inferunt Petrum non fuisse tunc Romæ; vel Paulus injuriam ipsi intulisset, quia cum inter illos recensuisset, *qui quærunt, quæ sua sunt*, & qui non erant adjutores sui in regno Dei, quique eum angustiis pressum deseruerunt.

hoc argumento urget Calvinus, ut probet Petrum non fuisse Romæ. Verum hoc argumentum cum sola negatione nitatur, nihil concludit, etenim ex eo, quòd quis ab urbe Roma revertatur, & plura narret de ecclesiis ibi constructis, de palatiis erectis, de Religiosis, & fidelibus nihil narret, imò nec ullum verbum faciat de summo Pontifice, non sequitur eo tempore, quo fuit ipsa Romæ, non fuisse ibi Pontificem Romanum, alioquin, quia Matthæus nihil in suo Evangelio scribit de Christi circumcisione, nec Marcus de illius præsentatione, neque Lucas de nova stella, quæ Reges Magos perduxit ad præsepium, neque Joannes de Christo nato ex Maria Virgine, inde posset quis inferre ex argumento Calvini, & Sectariorum, Christum non fuisse natum ex Maria Virgine, stellam non perduxisse Magos ad præsepium, Christum non fuisse præsentatum, neque circumcisum, quæ illatio absurdissima esset, & hæretica. Quamobrem ex eo, quòd Paulus in suis epistolis, quas Romæ scripsit, & direxit ad Galatas, Ephesios, Collossenses, Philippenses, Hebræos, Timotheum, & ad Philemonem non meminerit Petri non potest inferri non fuisse Petrum tunc Romæ. Neque Paulus ex eo, quod ad Collossenses dicat Aristarchum, Marcum, & Jesum esse solos adjutores suos in regno Dei, id est in promulgatione Evangelii, sequitur Petrum tunc non fuisse Romæ Evangelii promulgatorem, quia Paulus tantùm loquitur de suis domesticis, & familiaribus, quique consueverant eidem ministrare, unde non erat necesse Petri meminisse, quia non erat Paulo subordinatus nec illius cooperator, sed principalis promulgator Evangelii. Hinc cum scribit 2. Tim. 4. *Lucas est mecum solus*, scribit de suis domesticis, & ministrantibus sibi, alioquin sequeretur non fuisse tunc Romæ alios fideles contra ipsum Paulum, qui epistola ad Roman. cap. ult. asserit, multos alios tam Judæos, quàm Gentiles conversos ad fidem fuisse tunc Romæ & promulgâsse Evangelium. Rursus in epistola ad Philippens. cap. 2. cum dicit: *Omnes quærunt, quæ sua sunt*, loquitur tantùm de aliquibus, non verò de omnibus absolutè, alioquin etiam Timotheus, Lucas, Aristarchus, & alii Adjutores Pauli quæsivissent, quæ sua sunt, non verò conversionem infidelium ad fidem. Rursus quia dixerat in 1. cap. Quosdam prædicare Evangelium ex charitate, quod si ex charitate non ob propriam utilitatem vel commodum consequenter non quærebant, quæ sua sunt, sed tantùm quæ Jesu Christi. Quòd verò 2. *ad Timoth. cap.* 4. scribat, quod in prima sua defensione nemo ipsum juverit, nemo illi adstiterit, ut ei prodesset, sed omnes eum dereliquerint, inde non sequitur, Petrum non fuisse Romæ, quia ipse tametsi adesset, non potuit ipsum juvare, nec ipsum defendere apud Imperatorem, cui non minus erat exosus, & invisus quàm Paulus, alioquin si comparuisset coram Cæsare, fuisset & ipse comprehensus sicut Paulus. qui propterea in illa epistola ad Timoth. tantùm loquitur de quibusdam nobilibus Romanis, qui potuissent ipsum juvare apud Cæsarem, qui tamen metu Tyranni hanc charitatem non exercuerunt. Alii etiam respondent, tempore, quo Paulus Romam appulit, & scripsit eas epistolas, Petrum non fuisse Romæ tametsi illic sedem suam fixerit, quia persæpe debuit abesse, ut saluti consuleret fidelium, qui variis in locis extra urbem erant, & ibi varias fundaret Ecclesias, ut notat Epiphanius *hæresi* 27. & dicunt hac de causa Petrum elegisse sibi coadjutores in promulgatione Evangelii Linum, & Cletum, qui in sua absentia etiam officia episcopalia obirent, ac vices suas gererent.

Pro-

Probant etiam Sectarii Petrum, & Paulum non Romæ à Nerone fuisse interfectos, sed Jerosolymis à scribis, & Pharisæis ex eo, quòd Matth. 23. Christus dicat: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex illis flagellabitis in synagogis vestris*, quem locum Chrysostomus expendit; & interpretatur de Apostolis, & iis, qui cum Apostolis fuerunt, & D. Hieronymus ait in Matth. 23. *Observa juxta Apostolum varia esse dona Discipulorum Christi, alios Prophetas qui ventura prædicabant, alios sapientes, qui noverunt, quando debeant proferre sermonem, alios scribas in lege doctissimos ex quibus lapidatus est Stephanus, Paulus occisus, crucifixus Petrus, flagellati in actibus Apostolorum Discipuli.* Sed contra, quia ex verbis Christi Matth. 23. & interpretatione Chrysostomi, non infertur Petrum & Paulum Jerosolymis fuisse interfectos, ut perperam inferunt Sectarii, non enim Christus ibi asserit omnes Apostolos esse occidendos in Jerusalem, sed ex illis tantùm aliquos, ait enim *ex illis occidetis*, non dicit omnes occidetis sed ex illis aliquot, quod impletum fuit in Stephano, quem lapidaverunt *Actor.* 7. in Jacobo Majore; quem Herodes in gratiam Judæorum occidit *Actor.* 12 in Jacobo minore, quem Judæi in urbe Jerosolyma interfecerunt, ut refert Josephus *lib.* 20. *Antiquit. cap.* 16. & in Simeone Jacobi successore, qui Jerosolymis crucifixus est, ut refert Eusebius *in Chronico*, quinimò plures etiam asserunt Matthiam fuisse in Judæa cruci affixum, alioquin si Christus fuisset locutus de omnibus Apostolis falsum esset Andream fuisse occisum in Achaia, Philippum, & Joannem in Asia, Thomam in India, Bartholomæum in Armenia, Matthæum in Æthiopia, sicque negandæ essent omnes historiæ, neque Hieronymus in ea fuit opinione, ut censuerit Petrum, & Paulum fuisse Jerosolymis interfectos, siquidem ipse in libro de viris illustr. expressè asserit Petrum & Paulum Romæ à Nerone fuisse interfectos; tantùm ex verbis Domini infert varia fuisse dona, & mortes diversas Discipulorum Christi, cum enim Christus dixisset, se missurum Prophetas, sapientes, & scribas, inde infert Hieronymus varia esse Discipulorum dona: & ex eo, quòd Christus subjungat, *& ex illis occidetis & crucifigetis*, infert, diverso mortis genere esse Discipulos interimendos, & ponit etiam exempla Stephani lapidibus obruti, Pauli capite cæsi, Petri cruci affixi, unde Hieronymus non negavit sed luculenter asseruit Petrum, & Paulum fuisse Romæ sub Nerone Principe interfectos.

LIBER OCTAVUS

DE

Petri Successore in primatu Ecclesiæ Catholicæ.

CAPUT I.

An primatus Ecclesiæ à Christo collatus D. Petro transeat in successores sitque in Ecclesia nunc idem officium supremi Pastoris totius Domini gregis quod fuit tempore D. Petri.



Uamvis Christus primatum in Ecclesia Catholica soli Petro contulerit, quia tamen non erat hic semper permansurus in ecclesia, sed aliquando moriturus: quæritur an hæc authoritas regendi universam ecclesiam unà cum D. Petro cessaverit, an vero in legitimos successores Romanos pontifices transierit, ac illis pro tempore existentibus insit. Sectarii quamvis fateantur, Christum, & D. Petrum potitos fuisse summo ecclesiæ pontificatu, Petro tamen per Neronem sublato, asserunt, ecclesiæ regimen mutatum fuisse, æquali tum loco, tum gradu cum reliquis Episcopis constituto Romano pontifice, qui propterea non sit majoris authoritatis, quàm sint reliqui episcopi; adeo ut regimen monarchicum ecclesiæ anno Christi septuagesimo, quo sub Nerone principe Petrus fuit cruci suffixus, defecerit in Aristocraticum.

Dicendum est, supremam potestatem, & infallibilem authoritatem collatam à Christo D. Petro non cessâsse cum persona D. Petri, sed transiisse, ac continuare in successoribus legitimè electis in munus, & officium D. Petri: adeo ut regimen ecclesiæ etiamnum sit monarchicum sicut cum viveret Christus in terris, & ejus Vicarius D. Petrus.

Probatur ex illo Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam*; & iterum: *Tibi dabo claves regnum cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris erit solutum & in cœlis*: quæ verba quamvis prolata in persona Petri, non tamen ad solam Petri personam restringuntur; sed ad ejus successores legitimè electos in pastorali munere regendi universam ecclesiam extenduntur; ut communiter docent Sancti Patres, & concilia. Ratio ex eo etiam petitur: quia non dixit: *Tu es*

Petrus,

Petrus, & super te decorando personam *ædificabo Ecclesiam meam:* Sed dixit: *& super hanc petram* denotando officium, ac dignitatem pontificiam *ædificabo Ecclesiam meam:* sed officium, seu dignitas transit in successores, ergo qui immediatè successerunt D. Petro in officio, & dignitate pontificia, ac authoritate, & jurisdictione regendi Ecclesiam, habent eandem potestatem à Christo collatam Petro ligandi, & solvendi; proinde iisdem competit idem regimen monarchicum sicut Petro in gubernanda Ecclesia. Tum quia non sine mysterio, Christus mutato Simonis nomine in cepham, quod græcè caput, ac Syriacè petram significat, quod est Christi nomen, potestatem regendi Ecclesiam pollicitus fuit Petro, sed ut clarè significaret unà cum nomine, etiam potestatem perpetuò gubernandi Ecclesiam illi contulisse, ut explicat S. Leo Papa *serm. 3. de Anniversario die suæ assumptionis ad Pontificatum.* Quamobrem Christus non contulit hanc dignitatem, ac facultatem regendi monarchicè Ecclesiam ut privatæ personæ, sed ut publicæ gerenti vicem supremi capitis totius Ecclesiæ, & quæ in successoribus perpetuanda esset. Firmatur, quia Christus pecilla verba: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, expressè significavit Petrum ut caput Ecclesiæ, esse fundamentum totius Ecclesiæ; sed Ecclesia est perpetua: ergo etiam fundamentum in Ecclesia debet esse perpetuum; alioquin si sublato fundamento corruit ædificium; petinde sine fundamento Ecclesia corrueret: non enim de ratione fundamenti est tantùm inchoare ædificium; sed etiam illud perpetuò, & quamdiu durat fulcire, deficiente enim fundamento, necesse est, deficiat ædificium; & quia de fide est manere adhuc veram Christi Ecclesiam, erit itidem de fide inesse Ecclesiæ fundamentum, quo sustentatur, & gubernatur. Sed Petrus, ut est persona particularis, nunc non potest esse fundamentum Ecclesiæ, quia amplius non existit, & fundamentum ædificii ex stentis necesse est, existat: ergo fundamentum Ecclesiæ, debet esse non persona particularis Petri, sed ejus dignitas, & auctoritas, seu jurisdictio, & primatus supremus, quia talis dignitas & jurisdictio transit in successores Petri, legitimè electos, & in iisdem perseverat, & existit: hinc eleganter S. Leo, loco cit. ait: *Soliditas illius fidei, quæ in Apostolorum principe est laudata, est perpetua; & sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit.*

Probatur secundò ex illo Joan. 21. ubi Christus indefinitè dixit Petro: *Pasce oves meas:* quibus verbis constituit Petrum supremum pastorem totius sui gregis, ut oves suas omnes pasceret: sed nos etiam, ut fideles omnes, qui nunc vivunt, sumos oves Christi; proinde de nobis etiam Christus loquebatur; & quia Petrus ut fuit particularis aliqua persona non amplius apud nos vivit, nos non pascit; ergo pascit nos per suos successores, in quos dignitas supremi pastoris transivit, ac in iisdem perseverat. Cum enim Petro demandata fuerit indefinitè cura, & officium pascendi Christi oves, Joan. 21. *Pasce oves meas;* non potuit hoc officium ei demandari immediatè pro semper, utpote aliquando morituro: ergo immediatè, vel mediatè per suos successores pro tempore: seu cura pascendi Christi oves fuit injuncta Petro, non ut personæ particulari brevi morituræ; sed officio supremi pastoris, ut annexo Petro, & suis successoribus legitimè electis.

Probatur tertiò ex perpetua successione summorum Sacerdotum, qui naturali generatione ex Aarone primo Sacerdote descendebant: Sicut Deus contulit Aaroni potestatem sacerdotalem in tota in Ecclesiam Israëliticam cum prærogativa eam transferendi in posteros ex eodem semine: pariter à Christo fuit collata Petro suprema auctoritas in totam Ecclesiam Christianam cum prærogativa eam transferendi in successores: alioquin non bene provisum fuisset Ecclesiæ conservationi, si mortuo Petro destituta fuisset Ecclesia visibili capite. Non bene consuluisset Christus suis ovibus, si mortuo pastore Petro, debuissent superstites oves manere sine pastore, qui eas pasceret, ac defenderet à lupis rapacibus, aliisque feris inhiantibus ovium perditioni. Hinc divus Petrus imminente mortis periculo, ac morti proximus sibi successorem in eodem officio supremi Pastoris delegit Clementem, ut ipse Clemens fatetur *lib. 3. Constit. Apostolic. cap. 46. & epist. 1.* Neque obstat Petro successisse in officio supremi Pastoris Linum, & hinc Cletum, quia ut superiùs diximus, Clemens fuit quidem à Petro declaratus successor in dignitate pontificia, cui Clemens humilitatis studio noluit assentiri, quamdiu vixerunt Linus & Cletus, qui fuerunt coadjutores Petri in cura pastorali; quibus defunctis successit Clemens Pontifex IV. ut constat ex cathalogo Pontificum: sed non potuisset Petrus sibi successorem deligere, nisi didicisset à Christo, supremam pastoris auctoritatem esse in Ecclesia perpetuò conservandam in successoribus legitimè electis, ac fungentibus officio primi, ac supremi pastoris: non enim potuisset Petrus proprii authoritate hoc supremum officium pastoris supremi, ut conservandum in successoribus instituere, qui Petrus, ut vicarius Christi ab ipso illud acceperat; neque in aliam formam à Christo traditam potuit illud immutare, sed eo modo quo ipse à Christo illud acceperat, in successores transfudit, ergo auctoritas suprema gubernandi universalem Ecclesiam non fuit tum persona Petri extincta in Ecclesia, sed perseverat in successoribus Petri. Firmatur, quia Christus ut testatur divus Paulus constituit in Ecclesia pastores, & doctores duraturos usque ad finem mundi: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei:* ergo si Christus voluit alios Pastores esse in Ecclesia perpetuos; à fortiori etiam supremum pastorem; quia aliqua suprema auctoritas infallibilis est magis necessaria ad regimen universalis Ecclesiæ ad dirimendas controversias, quæ oriuntur, & ad confutandas hæreses, ac sedanda schismata.

Probari etiam potest quartò ex fine ipsius regiminis, quod non est propter principem, sed propter rempublicam, & populum ut bonum illius promoveat, pacem conservet, dissidia componat; & extincto principe non extinguitur ejus officium, sed transit in successores jure vel hæreditatis, vel electionis: regimen autem supremum Ecclesiæ institutum est non in commodum Petri, neque supremi Pontificis, sed in utilitatem Ecclesiæ, ut asserit divus Augustinus de Pastoribus cap. 1. inquiens: *Quod Christiani sumus, propter nos est; quod verò Præpositi propter vos.* Sed perseverat eadem Ecclesia, & quidem cum majore necessitate ac antea, ut in ipsa sit unus supremus Pastor infallibilis authoritatis in definiendis controversiis fidei ob multiplicatas hæreticorum sectas; & hæreses, quæ frequenter oriuntur: ergo debuit in Ecclesia perseverare officium supremi Pastoris, ac Judicis, ad quem pertineret dirimere controversias circa fidem; alioquin malè provi-

ſum eſſet Eccleſiæ ; ſi cùm urget major neceſſitas habendi infallibilem aliquam , & ſupremam authoritatem , eâ deſtitueretur. Ergo adhuc perſeverat in Eccleſia ſuprema poteſtas , & infallibilis authoritas , quæ à Chriſto collata fuit Petro , cum quo non fuit extinctum officium ſupremi paſtoris , quod tranſivit in ſucceſſores , ut apertè teſtantur omnia Concilia œcumenica , quorum nullum hactenus fuit, quod præexcellentiam Romanæ Sedis ſupra omnes alias non fuerit confeſſum : etenim in Concilio Niceno 1. can. 2. definitur , ut omnibus liceat appellare ad Romanum Pontificem , ut ad ſupremam, & infallibilem authoritatem totius Eccleſiæ : quod etiam fatentur ſeptendecim alia concilia generalia, & plusquam trecenta provincialia , nationalia. Hæc omnia concilia cognoverunt , & faſſa ſunt , voluiſſe Chriſtum , ut Petro vita functo aliquis perpetua ſerie ſucceſſionis eſſet in Eccleſia, qui ſupremi paſtoris dominici gregis inſignitus officio dirimeret controverſias circa fidem , ac omnes Chriſti oves paſceret , easque doceret viam ſalutis.

Hanc autem Catholicam aſſertionem , evertere, ac inficiari nituntur hæretici, præſertim Joannes Wiclephus, cujus error vigeſimus ſeptimus , unà cum aliis in Concilio Conſtantienſi damnatus ſeſſ. 8. & 15. fuit : *Non eſt ſcintilla apparentiæ , quòd oporteat in ſpiritualibus eſſe unum caput regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa Eccleſia militante converſetur, & conſervetur.* Quo errore imbuti Lutherus , Calvinus, & alii Sectarii eundem docuerunt , ut primatum everterent collatum à Chriſto Petro , & à Petro transfuſum in ſucceſſores , quod quàm falſum ſit patet ex conſenſu Conciliorum , & Patrum , & ut diximus verbis Chriſti: *Tu es Petrus*, ſeu firmus, ac ſolidus in fide , *& ſuper hanc hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* , hoc eſt , tu eris fundamentum meæ Eccleſiæ, & quia Eccleſia poſt Petrum adhuc ſtetit , & etiam nunc exiſtit , adeò ut nunquam corruerit , debet neceſſariò, & eſſentialiter ejus fundamentum perſeverare , quia ſublato fundamento neceſſe eſt, corruat ædificium.

Idque ex eo etiam liquet, quia Chriſtus injunxerit Petro confirmare fratres ſuos, & paſcere oves ſuas : *Confirma fratres tuos , & paſce oves meas*, quod intellexit non ſolùm ad ipſam perſonam Petri , verum etiam ad ipſius ſucceſſores fungentes officio ſupremi paſtoris pertinere , quia ut diximus primatus Eccleſiæ fuit à Chriſto collatus Petro, ut ſupremo paſtori , & quia tametſi ceſſaverit perſona Petri , non tamen defecit officium , quod perſeverat in Eccleſia , ideo perſeverat in eadem etiam officium ſupremi paſtoris , & primatus , ut explicant omnes ſancti Patres , ille enim eſt certiſſimus Scripturæ ſenſus , quem Eccleſia eſſe intelligit. Præterea hæc eadem veritas evincitur ex verbis Chriſti , *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* , fuit enim Chriſtus locutus de illa Eccleſia , quæ juxta certiſſimas promiſſiones *Iſaiæ 59. Matth. ult.* perſeveratura erat uſque ad finem mundi , hanc autem Eccleſiam perſeveraturam uſque ad finem mundi ſola perſona Petri ut fundamentum non potuiſſet ſuſtinere , quia Petri perſona corpore brevi moritura non potuit uſque ad finem mundi vivere , conſequenter non potuit eſſe hoc fundamentum Eccleſiæ duraturæ uſque ad finem mundi , unde per petram ſuper quam erat Eccleſia fundanda , intelligendi erant Petrus , & ejus ſucceſſores non ſimpliciter , ſed ut fungentes officio ſupremi paſtoris, & Judicis , ad quem pertineret controverſias fidei dirimere, & dominicas oves paſcere , ſeu eas docere , quæ ad aſſecutionem æternæ ſalutis pertinent.

Rurſus ex eo , quòd Chriſtus dixerit Petro : *Paſce oves meas*, hæc eadem veritas clarè evincitur à Cajetano *in Tractat. de inſtit. Roman. Pontif. cap. 26.* quia officium Paſtoris tunc injunxit Petro, ut ex ipſo paſtoris nomine intelligeret, quale eſſet ſuum officium: atqui officium ordinarium Paſtoris tamdiu debet durare, quamdiu ipſæ oves ſunt duraturæ , alioquin remanerent oves ſine paſtore , atqui oves Chriſti ſunt duraturæ uſque ad finem mundi , & illas ſola perſona Petri ſine ſucceſſoribus non potuit perpetuò paſcere , ergo officium paſtoris non Petro tantùm à Chriſto collatum fuit , ſed etiam ſuis ſucceſſoribus, alioquin non bene proviſum fuiſſet ovili Chriſti, in quo remanerent oves ſine paſtore, à quo paſcerentur.

Præterea quia Chriſtus dixit Petro abſque ulla exceptione ſine ulla reſtrictione: *Paſce oves meas*, quæ verba diriguntur , & comprehendunt omnes oves pertinentes ad Chriſtum , & quæ propterea uſque ad conſummationem ſæculi efficiunt unum ovile, in quo ordine ſucceſſionis debet ſemper paſtor eſſe , quod non fieret niſi primatus à Chriſto collatus Petro , & officium ſummi paſtoris mortuo Petro tranſiviſſet in ſuos ſucceſſores , qui adhuc in Eccleſia funguntur munere ſupremi paſtoris. Hæc eadem veritas confirmatur unanimi conſenſu ſanctorum patrum. D. Hieronymus *lib. 1. contra Jovianum* ait: Chriſtum contuliſſe ſoli Petro primatum Eccleſiæ transfundendum in ſucceſſores , ut uno paſtore atque capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio , & ut una Eccleſia, & una cathedra eſſe monſtretur , ſanctus Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ : *Ut in illa una cathedra unitas ab omnibus ſervaretur* , & Chryſoſtomus Homil. 55. in Matth. vocat Petrum & ejus ſucceſſorem *paſtorem , & caput , præpoſitum à Chriſto univerſi orbis terrarum*, Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joan. cap. 64. vocat Petrum principem , & caput cæterorum. Cyrillus Hieroſolymitanus cathec. 2. 17. *Principem diſcipulorum , & regni cœlorum clavigerum.* Epiphanius hæreſ. 51. *Ducem diſcipulorum.* Euſebius lib. 2. hiſt. cap. 14. *Chriſtianorum Pontificem primum* , & reliqui ſancti patres aſſerunt Chriſtum contuliſſe ſoli Petro primatum Eccleſiæ, & officium paſtoris totius dominici gregis, ut tranſiret in ſucceſſores , & eſſet ſemper in Eccleſia paſtor , qui paſceret oves Chriſti, quique dirimeret controverſias, quæ circa fidem oriuntur, ac doceret viam ſalutis æternæ. Idque neceſſarium videbatur , ne oves ſine paſtore errarent , ac vias ambularent perditionis. Tum quia Dei filius non minus Eccleſiam nunc in terris militantem diligit , ac olim ſynagogam de qua per Iſaiam cap. 5. dixit : *Quid eſt , quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci :* atqui ſynagogæ paſtorem unum providit , ut illius authoritate controverſiæ omnes exortæ dirimerentur, & ſicut voluit, ut hæc authoritas in ſynagoga tranſiret in ſucceſſores ex ſemine Aaronis , ne ullo unquam tempore deeſſet ſupremus paſtor , cujus authoritate controverſiæ exortæ definirentur ; pari pacto Eccleſiæ ſuæ Petrum paſtorem præfecit , cui & primatum contulit, transferendum in ſucceſſores , eò quia Petrus eſſet brevi moriturus , & ſucceſſores uſque in finem mundi duraturi unà cum ovibus ſuis, ut hiſce ſemper proviſum eſſet de congruo paſtore. Neque ullum faceſſit negotium, quod aſſerunt ſectarii ſacerdotem illum in veteri ſynagoga tantùm debuiſſe judicare de controverſiis politicis , id enim falſum eſt , & contra ſcripturas. Deuter. 17. *Venies ad ſacerdotes , & ad Judicem , qui fuerit illo tempore &c. & facies , quodcunque dixerint , qui præſunt loco, quem elegerit Dominus , & docuerint te juxta legem ejus , ſequeriſque ſententiam eorum , nec declinabis ad dextram , neque ad ſiniſtram.*

Dein-

Deinde obedire detrectantibus minatur mortem subdens: *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino DEO ex decreto Judicis morietur homo ille*, unde non solùm in materia politica, & sæculari, sed multò magis in materia religionis tenebantur adire supremum Sacerdotem ejusque audire sententiam, eique acquiescere,

Calvinus tamen *lib. 4. Instit. cap. 7.* adfert aliquod discrimen inter Sacerdotem Synagogæ & Ecclesiæ Evangelicæ, ait ipse: *Dispar ratio est: nam Synagoga atque etiam Ecclesia quo tempore vivebat Petrus angustis terminis continebatur, postea per universum orbem diffusa est. Ita si maximè expedivisset tunc temporis illi præficere Pastorem unum: tamen non etiam expediret, ut postea quoque unicus Pastor præsit. Quemadmodum nec si commodè possit alicui colono unius vel alterius agri cura committi illicò sequitur perinde expedire, ut agrorum totius orbis cultura uni committatur.* Sed contra, quia hoc argumentum magis firmat Catholicum assertum, quia quò oves Christi magis multiplicantur per totum universum; majus inde imminet periculum dissidiorum & schismatum, quibus Ecclesia scindatur, ubi enim numerus populorum est major, ibi varietas opinionum crescit uberior, & facilè, cùm sit quisque suæ opinionis tenacissimus, insurgunt errores & hæreses, quibus Ecclesiis non modicum paritur detrimentum, unde major tunc fuit necessitas ut unus tantùm esset in Ecclesia pastor, cujus authoritate dissidia componerentur, suborti errores corrigerentur, & controversiæ circa res fidei dirimerentur, hinc ex eo, quod Sectarii nolint huic supremo pastori dominici gregis subesse, neque ejus sententiæ acquiescere, dividuntur in plores Sectas inter se dissentientes, adeo ut Londini, seu in unica tantùm civitate supra triginta recenseantur Sectæ omnes inter se discrepantes. Neque exempla de multiplicitate ovium, & extensione, ac amplitudine agrorum officiunt Catholicæ veritati, quia ex eo quòd unicus tantùm detur in tota Ecclesia supremus pastor & summus Pontifex, ad ipsum pertinet constituere subordinatos sibi Operarios, qui vineam Domini excolant, & oves ubique terrarum pascant, ad quod necesse erat, ut unus tantùm esset supremus pastor, ad quem inferiores, & subordinati pastores recurrerent in subortis difficultatibus, & controversiis, ut ab eodem solverentur, ac dirimerentur: quòd si plures essent supremi pastores, & ipsi inter se dissiderent, non possent controversiæ dirimi, neque difficultates solvi; & dissidia fierent majora, quatenus alii unum pastorem supremum adirent, & alii alium, & cùm pastores supremi non concordarent, inde oriretur in Ecclesia summa confusio, & perpetua schismata, quæ incommoda, ne contingerent, optimè provisum fuit, ut in Ecclesia unus tantùm daretur supremus pastor, ad quem pertineret constituere sibi subordinatos Operarios, & eorum subortas lites, & controversias dirimere.

Objiciunt Sectarii alias cavillationes, quibus student evertere primatum Ecclesiæ in Successoribus Petri, eò quia loca illa Evangelii, quæ sunt de Petri authoritate, ajunt ad ejus Successores non pertinere, quod tamen omnino gratis, & sine fundamento asserunt, proinde ad omnes illas cavillationes refutandas sufficit respondere in D. Petro esse considerandam rationem personæ simpliciter, & officium pastoris, quæ enim pertinent ad personam simpliciter, hæc non transeunt in Successores, sed cessant cum persona, quæ verò spectant ad officium pastoris, ad primatum Ecclesiæ, ad supremum Judicem controversiarum, hæc transeunt ad Successores in Ecclesia ritè electos. ad officium pastoris pertinent Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Luc. 22. *Confirma fratres tuos*, Joan. 21. *Pasce oves meas:* Hæc enim omnia pertinent ad officium non ad personam privatam, & quia officium transit in successores, & non cessat cum persona Petri, ne oves suo destituantur pastore, ne Ecclesia stet sine fundamento, ne fratres sinantur cadere. Quæ verò ad Petri privatam personam pertinent sunt illud Matth. 16. *Vade post me Sathana* Joan. 21. *Alius cinget te, & ducet quo non vis.* Luc. 22. *Tu aliquando conversus*, seu postquam à peccato resurrexeris, ac resipueris per pœnitentiam, hæc enim non est necesse transeant in Successores, neque necesse est omnes, qui officio summi pastoris functuri sunt in Ecclesia prius quàm fratres cum authoritate confirment, incidant in peccatum Petri, à quo postea resipiscant. Quæ pertinent ad ordinarium officium pastoris transire ad Successores communiter docent Theologi & Controversistæ. Turrecremata *lib. 2. de Eccles. cap. 35.* Thomas Waldensis *lib. 2. doctrin. fidei.* Cajetanus *Tractat. de institut. Roman. Pontif. cap. 12.* Melchior Canus *lib. 6. de locis Theolog. cap. ult.* Quæ verò sunt secundi generis, & respiciunt solam personam, non verò officium, hæc cessarunt cum persona Petri. Hinc D. Leo Papa serm. 2. de assumpt, sua ad tem nostram ait: *Soliditas illius fidei, qua in Apostolorum Principe est laudata perpetua est. Et sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit: manet ergo dispositio veritatis, & Beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit.*

CAPUT II.

An Romanus Pontifex pro tempore existens sit legitimus D. Petri Successor?

Ostendimus in præcedentibus Christum primatum Ecclesiæ contulisse D. Petro Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum, & in cœlis, & quodcunque solveris super terram erit solutum & in cœlis*, ut intelligeretur jurisdictio annexa primatui Ecclesiæ, & rursus illi injunxisse officium supremi pastoris, seu totius dominici gregis Joan. 21. *Pasce oves meas*, & quia hæc duo pertinent ad officium non verò ad personam præcisè sumptam; & officium transit in Successores, ne dicatur Ecclesia stare sine fundamento, & oves Christi sine pastore, modo quæritur, quinam sit legitimus Petri successor, qui in Ecclesia sit fundamentum, & fungatur munere supremi pastoris.

Dicendum est Romanum Pontificem ritè electum esse legitimum Petri Successorem in primatu totius Ecclesiæ, & in officio supremi pastoris totius dominici gregis, idque evincitur definitum de fide in Concilio Florentino ab Eugenio IV, in suo decreto ubi ait; *Item definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem*

esse Beati Petri, Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro JESU Christo plenam potestatem traditam esse. Rursus hanc Catholicam veritatem definiverunt omnia Concilia generalia, & sacri Canones, quorum omnium una vox est illa Concilii Chalcedonensis Act. 1. præsente Marciano Augusto scilicet *Ecclesiam Romanam esse Caput omnium Ecclesiarum*, Et Act. 1. *Romanam Ecclesiam aliis Ecclesiis præesse sicut caput membris, cui vinea totius custodia commissa est.* Constat etiam ex Pontificum decretalibus, in quibus nemine contradicente hanc semper sibi vendicarunt authoritatem, neque in propria causa ullam incurrerunt suspicionis notam, quia omnes illi Pontifices id testantes sancti fuerunt, & martyrio purpurati proinde non est probabile voluisse falsò sibi hanc dignitatem arrogare: eorum testimonia, & authoritates fusè congerit Andreas Duvallius in *Tract. de suprema Pontif. potest. part. 2. quæst. 9.* Præterea quia ab initio Ecclesiæ per orbem universum patriarchæ, Episcopi Ecclesiarum præsides, & fideles in suis controversiis semper ad Romanum Pontificem accesserunt, ut ejus sententiam audirent, cui & acquieverunt, & semper fassi sunt Romanam Sedem primatum totius Ecclesiæ Catholicæ tenere, hinc Athanasius patriarcha Alexandrinus, ut constat ex ejus Apologia, non appellavit nisi ad Julium Pontificem Romanum ait ipse: *Vos Praceptoresque vestros Apostolicos videlicet Præsides in summitatis arce constituit, & omnem Ecclesiarum curam habere præcepit.* Hoc idem asserunt Epistolæ Chrysostomi patriarchæ Constantinopolitani ad Innocentium Cyrilli *Epist. 16. ad Cælestinum.* Sancti patres itidem hoc asserunt. D. Augustinus Epistola 162. expressè asserit, viguisse semper in Romana Ecclesia principatum Cathedræ Apostolicæ, & D. Hieronymus scribens ad Damasum Epist. 57. vocat Romanum Pontificem piscatoris Successorem in eadem fidei Cathedra supra quam Ecclesia est ædificata, & ut alios reticeam, quorum numerum si velim recensere, infinitus essem, unum adsero Bernardum lib. 2. de consideratione cap. 7. & 8. ubi ait: *Tu Sacerdos magnus, tu summus Pontifex, tu Princeps Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, potestate Petrus, unctione Christus.* Non solùm hanc veritatem asseruerunt Sancti patres, sed etiam ipsi Imperatores, quinimò vel inviti adacti sunt eandem confiteri Hæretici: siquidem initio suorum errorum ferè omnes ad Romanum Pontificem appellaverunt ut ad supremam, ac infallibilem in Ecclesia authoritatem: ut præstitit Arius apud Athanasium in Epist. ad Solitarios. Petrus Abaillardus apud S. Bernardum *epist.* 106. Fortunatus apud Cyprianum *lib. 1. epist. 3. & 4.* & plures alii: unde ex tot testimoniis ecclesiasticis, & sæcularibus, nullus superest ambigendi locus, Romanum Pontificem esse legitimum Petri Successorem in primatu totius Ecclesiæ, & officio supremi Pastoris totius dominici gregis.

Ostenditur secundò hæc eadem veritas ex continuo usu & perpetua praxi ipsius Ecclesiæ. Primò certum est post electiones omnium Episcoporum ubique terrarum moris fuisse ut electi Episcopi a Romano Pontifice vel per se, vel per Legatos confirmarentur, ac investirentur, ut constat ex Concilio Sardicensi, unde orta fuit consuetudo antiquissima, ut Patriarchæ orientis statim post electionem mitterent epistolam synodicam ad Pontificem Romanum, qua postularent electionis confirmationem, ut constat ex *epistola 33. & 38.* Leonis Magni, & ex epistol. 63. Gregorii Magni, & consueverunt tunc temporis Pontifices Romani mittere pallium in confirmationem electionis, & in tesseram plenitudinis Archiepiscopalis, ut varia jura asserunt. Secundò quia leges ecclesiasticas obligantes Ecclesiam universalem, seu ubique terrarum fideles soli Romani Pontifices sanxerunt, ut constat ex libris antiquis decretalium, & testantur omnes etiam recentiores Canones, & Concilia, quæ Pontificum decreta tanquam à Christo emanata venerantur, & submissè suscipiunt. Tertiò quia in Ecclesiasticis legibus, & votis semper solet Romanus Pontifex destinare alios, quamvis Episcopos, & in dignitate ecclesiastica constitutos, ut constat ex Nicephoro *lib. 12. cap. 37.* Burchardo *lib. 1. cap. ult.* Turiano *lib. 3. contra Magdeburgios*, Quartò quia transgressores legum divinarum & ecclesiasticarum solus Romanus Pontifex pœnis mulctavit ecclesiasticis, & interdum in pœnam delictorum deposuit Episcopos, quos etiam anathemate percussit, etenim Felix I. deposuit Petrum Antiochenum, Damasus Clavianum Constantinopolitanum, & alii alios. Quintò quia ex toto terrarum orbe in dubiis & controversiis ad solum Romanum Pontificem directæ fuerunt appellationes ab Episcopis, Regibus, & aliis fidelibus, ut constat ex variis decretalibus. Sextò quia etiam ipsi Doctores Ecclesiæ in dubiis circa fidem & mores Romanum consueverunt Pontificem consulere audituri ab eo oraculum Christi, quo pacto Hieronymus consuluit Damasum, & alii alios. Septimò quia ad solum Romanum Pontificem semper pertinuit convocare Concilia generalia, & illa confirmare, adeo ut sine Pontifice & ejus confirmatione habita sint nullius authoritatis, & roboris. Octavò quia Pontifex Romanus semper alios Episcopos misit in varias mundi partes, ut prædicarent Evangelium, ut constat ex Augustino, & Beda. Nonò quia Romanus Pontifex ubique terrarum semper habuit Vicarios, & Legatos, quibus vices suas commisit. Decimò quia soli Romani Pontifices Hæreticos ab Ecclesia ejecerunt. Undecimò, quia nullus alius hactenus repertus est, qui se Petri Successorem affirmaverit, vel ab aliis ut talis sit habitus præter Romanum Pontificem, cui tota Ecclesia semper primatum dedit. Duodecimò quia à sententia Romani Pontificis nulla unquam ad aliud tribunal concessa fuit appellatio. Ex quibus infertur, nulli posse dubium esse, quin Romanus Pontifex sit de facto legitimus Petri Successor in primatu totius Ecclesiæ, & officio supremi Pastoris dominici gregis, seu omnium fidelium. Hinc errant, qui putant, Episcopum Antiochenum successisse S. Petro in primatu totius Ecclesiæ, eò quia D. Petrus Antiochenam prius Ecclesiam gubernaverit. Nam exinde tantùm infertur, Episcopum Antiochenum successisse Petro in officio pastorali solius particularis Ecclesiæ Antiochenæ, non verò Ecclesiæ Catholicæ seu universalis totius mundi; quia Petrus accepit à Christo hanc supremam authoritatem gubernandi universam Ecclesiam Catholicam diffusam per singulas mundi partes donec viveret, non poterat Petrus cum adhuc viveret substituere alium pastorem universalem Ecclesiæ Catholicæ, id enim non erat in ejus potestate, sed tantùm Christi, cujus vices Petrus gerebat.

Probatur tertiò, quia nulla hactenus Sedes præter Romanam in fide pura, ac illibata permansit, reliquæ enim Patriarchales Sedes Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, Constantinopolitana à vera fide, & doctrina Apostolorum defecerunt; unde Marcus summus Pontifex scribens ad Athanasium ait: *Hæc*

San-

Sancta Apostolica Mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quaper omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam aberrasse probatur, sed illibata hactenus permanet secundùm ipsius Domini pollicitationem: ergo jure merito sola Romana Sedes succedit Petro in regimine universalis Ecclesiæ, seu Catholicæ diffusæ per totum terrarum orbem: illa enim debuit Sedes Cathedræ Petri succedere, quæ constantissimè Petri doctrinam incorruptam servavit, ac semper propugnavit, ne ab Hæreticis contaminaretur.

Dices quamvis Petro successerint Romani Pontifices; non propterea sequitur, omnes Románus Pontifices esse Petri Successores; eò quia legitima hæc Pontificum successio interrupta persæpe fuerit per plura quæ in Ecclesia fuerunt schismata, tempore Urbani IV. anno 1378. fuit enim tunc electus Clemens VII. licèt plures censuerint Urbanum VI. fuisse verum, ac legitimum Pontificem; & post aliquot annos tres fuerunt Pontifices Gregorius XII. electus Romæ, Benedictus XIII. electus Avenione, & Joannes XXIII. electus à Concilio Pisano, qui omnes à Concilio Constantiensi fuerunt postea depositi; & in eorum locum electus fuit Martinus V. ex quo inferunt, quod cùm Romanorum Pontificum successio interrupta fuerit: ex eo quòd Romanus Pontifex successerit Petro, non sequitur omnes Romanos Pontifices esse legitimos Petri successores in primatu totius Ecclesiæ. Sed contra quia tametsi electio Romanorum Pontificum interdum dubia fuerit ob vitiosam electorum voluntatem, ut contigit in schismate Urbani VI. non inde sequitur, authoritatem Romani Pontificis nullam esse, quia transivit ad illos, qui legitimè fuerunt electi. Quando Pontifices non sunt legitimè electi non sunt Petri successores, consequenter neque illi succedunt in primatu Ecclesiæ Catholicæ, & tunc Sedes Apostolica vacat donec alius Pontifex legitimè eligatur quique sit verus Petri Successor. Non enim quilibet electus Pontifex, est Successor Petri; sed quilibet legitimè electus, cæterum cùm modus eligendi pontificem sit de jure ecclesiastico, non deest in Ecclesia modus, quo defectus electorum suppleri possit: hinc quando electores sunt dubii, vel non conveniunt, ex justis causis mutari potest modus eligendi à Concilio generali. Et quamvis modus eligendi pontificem per Cardinales mutatus non fuisset, adhuc ipsa confirmatio Concilii Constantiensis abundè supplevisset defectum electionis factæ à Cardinalibus dubiis; est siquidem in Ecclesia potestas jure divino concessa eligendi sibi supremum pastorem, qui sit legitimus Petri Successor, & supremus pastor dominici gregis. Unde Pontifex si sit legitimè electus est verus Petri Successor in regimine Ecclesiæ Catholicæ, ut communiter docent Sancti Patres: Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum ait; *Petro successit Linus*, & Augustinus epist. 165. ad Generosum: *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certius, & vere salubriter, ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti, Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus &c.* Hinc Philippus præsbyter in Concilio Ephesino tom. 1. c. 16. ait: *Nulli dubium, imò sæculis omnibus notum, Sanctum Petrum Apostolorum Principem, & Caput Ecclesiæ Catholicæ fundamentum per Successores suos hucusque semper vivere, causasque decernere, semperque victurum esse. Hujus itaque ordinarius Successor Papa Celestinus nos ad hanc Synodum misit*, ne in infinitum excurrant Patrum testimonia, quæ legi possunt in Bellarmino aliisque controversistis, vel in chronicis, martyrologiis, historiis ecclesiasticis, vel in cathalogis pontificum. Ubi enim recensentur supremi post Christum Ecclesiæ Catholicæ pastores initium ponitur à D. Petro, cujus Successores recensentur Linus, Clemens, Cletus, Anacletus, Evaristus, Alexander, Xystus, Telesphorus, Hyginus, Pius, Anicetus, Soter, Eleutherius, Victor, Zephyrinus, Callistus, Urbanus, Pontianus, Anterus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, & ita successivè de aliis usque ad præsens nostrum tempus omnes enim fuerunt D. Petri Successores, quia legitimè electi, hæc enim conditio legitimæ electionis necessaria est, ut pontifex sit verus Petri Successor; alioquin vacat Petri Cathedra ut tempore schismatis, quando pontifices non sunt legitimè electi, sed vi Imperatorum intrusi. Ratio itidem est, quia cùm Christus constituerit militantem in terris Ecclesiam visibilem, seque illius visibile Caput effecerit quamdiu vixit inter homines, & post ejus passionem, & mortem constituerit Caput ejusdem Petrum, qui fuit pastor visibilis totius dominici gregis; ita voluit, ut Ecclesiæ visibili Caput semper præesset visibile, seu summus pontifex qui esset Petri Successor, & in externo regimine gubernaret Ecclesiam. Neque forma hæc gubernandi Ecclesiam, & à Christo constituta fuit mutata post Ascensionem JESU Christi, unde etiam nunc indiget Ecclesia visibilis Capite visibili in externa gubernatione. Neque post Christum quis alius fuit hoc Caput, quàm Petrus, & post Petrum quàm Linus, & alii Successores legitimè electi; unde cùm neque post mortem Christi & D. Petri facta fuerit ulla mutatio in hac externa Ecclesiæ gubernatione; sequitur quòd eodem semper modo gubernetur per Caput visibile, sicut à Christo, & D. Petro gubernata fuit; consequenter pontifices legitimè electi sunt veri Successores D. Petri. Neque potest aliud Ecclesiæ visibile Caput assignari quàm Pontifex.

Sed instant Sectarii, quia nulli Apostolo datur personaliter pro una singularitate successio: consequenter neque hæc successio data fuit Petro. Sed contra distinguitur antecedens, nulli alii Apostolo pro sua singularitate data est successio in perpetuum duratura conceditur; non fuit data successio pro tempore negatur antecedens, & consequentia, quia cùm nullus alius ex Apostolis fuerit Caput Ecclesiæ, ideo nulli eorum fuit data perpetua successio, quia hæc non erat necessaria, ut in Petro, qui à Christo constitutus fuit Caput, & pastor supremus omnium suarum ovium: cùm Ecclesia Catholica sit visibilis in cœtu fidelium, indigebat Capite visibili à quo gubernaretur in externo regimine, & ne unquam suis ovibus deesset pastor, debuit successio data Petro tamdiu durare, quamdiu perseverat Ecclesia. Cæteris Apostolis data est si non omnibus saltem aliquibus successio ad tempus: etenim Jacobo in Ecclesia Hierosolymitana successit Simeon Cleophæ filius, ut refert Eusebius lib. 3. Histor. cap. 11. sed successio perpetua soli Petro data est; ut in illo impleretur Christi promissio: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.*

Objiciunt secundò omnes Episcopi sunt omnium Apostolorum Successores in solidum, proinde etiam Petri, cujus Successores non solùm Romani Episcopi, sed etiam aliarum Ecclesiarum: ergo Successor Petri non est solus Romanus Pontifex, verùm etiam quilibet alius Episcopus. Antecedens probant authoritate S. Leonis Papæ serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum ubi ait; *Ecclesiasticam potestatem, quam Petrus habuit, ad omnes Ecclesiæ Principes, idest, Episcopos commeasse.* Sed negatur, omnes Episcopos in solidum esse Petri Successores: solus enim Pontifex in solidum illi succedit, reliqui non nisi in partem, & qui-

& quidem dependenter à Pontifice, cui subordinantur. Neque D. Leo contrarium asseruit: etenim loc. cit. ait: *Unus de toto mundo Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Cùm enim Christus ex Apostolis solum Petrum selegerit, quem supremum pastorem omnium suarum ovium constituit, quando illi injunxit indefinitè, & absque ulla exceptione, vel limitatione, ut suas pasceret oves *Pasce oves meas*; & ad oves Christi pertinerent reliqui Apostoli; rectè dixit D. Leo: *Quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores omnes regat Petrus.* Sed Sectarii hæc verba reticent, quia mendacii eos accusant: & nonnullis interjectis subdit D. Leo. *Propter quod dicit Beatissimo Petro: Tibi dabo claves. Transivit quidem in alios etiam Apostolos vis potestatis illius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti hujus constitutio commeavit: sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur.* Unde D. Leo non asserit, potestatem ecclesiasticam à D. Petro ad omnes Episcopos in solidum commeasse; neque omnes Episcopos in solidum esse Successores Petri; alioquin sibi contradiceret, cùm in priori sententia contrarium asseruerit: ait enim *Unus Petrus eligitur, qui omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur:* Hæc autem primaria auctoritas in Ecclesia à Christo soli Petro collata non potuit commeare in omnes Episcopos, quia non est possibile omnes Episcopos omnibus aliis Episcopis præponi; alioquin quilibet sibi præponeretur. Sed instant quia tempore Apostolorum nulla Ecclesia habuit proprium Episcopum specialem; sed præcipuè Ecclesiæ à pluribus simul Episcopis in solidum regebantur: ergo Romanus Episcopus dici nequit ullius specialis Apostoli Successor; consequenter Romanus Pontifex non potest dici Successor D. Petri. Sed contra negatur antecedens; quia in Ecclesia Hierosolymitana proprium & specialem Episcopum legitur Jacobum fuisse: In Ephesina Timotheum, in Ecclesia Cretensi Titum: septem itidem Ecclesias Asiæ suos speciales habuisse Episcopos asserit Joannes in sua Apocal. cap. 2. & 3. ubi describit eorundem vitia, & virtutes.

Objiciunt ulterius quia Petrus eodem modo fuit Episcopus Romanus, ac Antiochenus: ergo non videtur adesse major ratio cur Pontifices sint dicendi Successores Episcopi Romani non Antiocheni. Sed contra quia tametsi Petrus fuerit priùs Episcopus Antiochenus, & postea Romanus, & tam Antiochiæ, quàm Romæ suos habuerit Successores; non tamen eodem modo; quia Antiochiæ habuit Successores in illa tantùm particulari Ecclesia; Romæ verò in Ecclesia Catholica universali per totum mundum longè lateque diffusa, quia fuit Romæ mortuus, ubi sub Nerone gloriosum consummavit Martyrium. Dupliciter potest Petrus considerari primò ut habens talem specialem Episcopatum in hac vel illa urbe, & sub hac consideratione non habet jurisdictionem nisi in tali speciali Ecclesia; & hunc specialem Episcopatum si velit potest resignare, ut de facto renuntiavit Episcopatui Ecclesiæ Antiochenæ, cui alter successit in tali speciali Episcopatu tantùm. Secundò potest considerari ut pastor totius Ecclesiæ Catholicæ, seu ut pastor universalis totius dominici gregis, seu omnium fidelium ita constitutus à Christo per verba illa Joan. 21. *pasce oves meas*; & hunc primatũ in Ecclesia Catholica sibi à Christo collatum non amisit per mutationem Episcopatus Antiocheni in Romanum, sed tantùm per mortem, quia tunc non potuit amplius visibiliter gubernare Ecclesiam: & quia Petrus mortuus fuerit Romæ non Antiochiæ; ideo Romæ tantùm amisit primatum universalis Ecclesiæ: consequenter Romæ non Antiochiæ habuit Successorem in primatu Ecclesiæ Catholicæ. Sed instabis Petrus perinde fuit Episcopus Romæ, ac fuerit antea Antiochiæ: sed Antiochiæ habuit Successorem illius tantùm specialis Ecclesiæ non universalis, & Catholicæ: ergo etiam Romæ habuit Successorem Romanæ tantùm Ecclesiæ, non universalis Catholicæ. Sed contra negatur illatum quia Petrus Romæ non solùm fuit Episcopus Romanæ Ecclesiæ in particulari, sed etiam Episcopus & pastor totius Ecclesiæ Catholicæ per verba illa Christi Joan. 21. *pasce oves meas*, scilicet omnes sine exceptione ulla, sine diminutione, & quia huic primatui sibi à Christo collato nunquam renuntiavit, & per mortem tantùm illum amisit, ideo tunc tantùm habuit in primatu illo successorem, quando Romæ illum per mortem amisit; & quia non Antiochiæ sed tantùm Romæ illum amisit, ideo non Antiochiæ sed Romæ habuit successorem universalis Ecclesiæ Pastorem. Petrus igitur Romæ non solùm fuit Episcopus Romanæ Ecclesiæ particularis, sed etiam totius Ecclesiæ Catholicæ universalis. Dupliciter potest Romana Ecclesia considerari, primò pro illa speciali Ecclesia, quæ fuit, & nunc adhuc est Romæ. Secundò pro collectione omnium fidelium ubique terrarum existentium, qui olim, & etiam nunc adhærent Romano Pontifici: Petrus igitur fuit Romæ Episcopus utroque modo. Sed respondent, Paulum non minus quàm Petrum fundasse Ecclesiam Romanam, & non minus fuisse Episcopum illius Ecclesiæ: ergo non est major ratio, cur Pontifex dicatur potius successor Petri, & non Pauli. Sed contra quia primus qui fundavit Romanam Ecclesiam fuit Petrus, quia ipse ut superius ostendimus primus omnium Romæ promulgavit Evangelium, & plures tum gentiles, tum Judæos convertit ad Fidem Catholicam, & Sedem Episcopalem Romæ fixit.

Demum objiciunt, quia adhuc controvertitur an Pontifex ut Pontifex debeat eligi à Clero tantùm Romano, an verò ab Ecclesia universali, vel etiam à Concilio generali repræsentante Ecclesiam universalem. Quòd si debeat à Clero tantùm Romano eligi, ergo non eligitur ut Caput universalis Ecclesiæ. Sin verò debet eligi ab universali Ecclesia; jam non eligitur ut Episcopus Romanus, & ut successor Petri in Romana Sede; quia Ecclesia universalis potest eligere quemcunque vult in proprium pastorem sine obligatione illum alligandi huic vel illi Ecclesiæ particulari. Sed contra, quia modus eligendi summum Pontificem est de jure ecclesiastico, adeo ut possit Ecclesia eum seligere modum, qui opportunior visus fuerit pro quiete communi. Modus autem eligendi Pontificem est per Cardinales, qui possunt considerari prout sunt Clerici Ecclesiæ Romanæ particularis; & prout sunt procuratores, & ministri Ecclesiæ universalis, & sub hac secunda consideratione eligunt summum Pontificem.

CAP.

CAPUT III.

An conjunctio primatûs Ecclesiæ universalis cum Episcopatu Romano sit de jure divino, vel tantùm ecclesiastico.

CONstat ex præcedentibus Romanos Pontifices legitimè electos, esse veros D. Petri successores; in primatu Ecclesiæ Catholicæ, seu universalis. Quia verò summus Pontifex legitimè electus est etiam Romanus Episcopus, seu Ecclesiæ Romanæ fundatæ à D. Petro, qui omnium primus Romæ promulgavit evangelium, & plures gentiles ac Judæos ibi commorantes convertit ad fidem JESU Christi, quæritur quo jure huic episcopatui Romano sit annexus primatus universalis ecclesiæ. Certum est primatum Ecclesiæ Catholicæ, seu universalis non esse de Jure Romano Imperatorum. Ratio est manifesta. Quia nemo dare alteri potest, quod in se non habet; sed principes sæculares, & imperatores nullum habent jus in res ecclesiasticas, cum non pertineant ad forum ecclesiasticum; & eorum potestas non excedit potestatem quam habent respublicæ sæculares, à quibus eliguntur in principes; & cum respublicæ in electione principum tantùm versentur intra limites humanorum jurium; sequitur non posse principes sæculares potestatem habere, quàm intra limites humanorum jurium; & quia potestas ecclesiastica est extra, & supra limites humanorum jurium; non possunt principes sæculares jus ullum ecclesiasticum habere quod conferant alteri. Hinc Ecclesiastici non subjiciuntur potestati Principum sæcularium ut scripsit Stephanus Papa Basilio Imperatori apud Baronium ad annum Christi octingentesimum octogesimum quintum inquiens: *Rectè noverit pia potentia tua quod manus regia non subjicitur sacerdotalis, & Apostolica nostra dignitas. Licet enim ipsius Christi imperatoris similitudinem in terris geras, rerum tamen mundanarum, & civilium tantùm curam gerere debes, quod etiam precamur, ut ad multos annos præstare valeas. Quo igitur pacto à Deo largitur es nobis, terrenis rebus præesse: ita etiam nos per principem Petrum spiritualibus rebus Deus præfecit.* Et nonnullis interjectis subdit: *Accipe, quæso te, benigna fronte quæ sequuntur. Datum est tibi curare, ut tyrannorum impietatem, & feritatem gladio potentiæ concidas, ut justitiam ministres subditis tuis, ut leges condas, ut terra marique militares copias disponas. Hæc est præcipua cura potentiæ, & principatus tui. Gregis cura verò nobis commissa est tanto præstantior, quantum distant à cœlo ea: quæ in terris sunt &c. Si ovis Dei existis (quod in votis habemus) ne transgrediaris limites Principum Apostolorum.* Et Gregorius II. ad Leonem Isauricum Imperatorem pari methodo scribens ait: *Obsecutus es pervicaci animo tuo, ac domesticis perturbationibus, & scripsisti Imperator sum, & Sacerdos* & paucis interjectis subdit: *Audi humilitatem nostram imperator, & ecce! Tibi palatii, ecclesiarum scribo discrimen, imperatorum, & pontificum; agnosce illud, & salvare, nec contentiosus esto. Nam quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi; sic neque Imperator in ecclesiam introspiciendi, & electiones in clero peragendi.* Hisce pontificum testimoniis addendum est illud D. Bernardi qui lib. 1. de consideratione ad Eugenium Pontificem scribit cap. 6. *Non monstrabunt, puto, ubi aliquando quispiam Apostolorum judex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse denique lego Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego, erit illud, non fuit: stare imminutor est dignitatis servus, si non vult esse major domino suo: aut discipulus, si non vult esse major eo, qui se misit, aut filius si non transgreditur terminos, quos posuerunt patres sui? Quis me constituit Judicem, ait ille, Dominus & Magister: & erit injuria servo, discipuloque nisi judicet universos? Mihi tamen videtur bonus æstimator rerum, qui indignum putat Apostolis, seu Apostolicis viris non judicare de talibus quibus datum est judicium in majora. Quidni contemnant judicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in cœlestibus & Angelis judicabunt? ergo in criminibus non in possessionibus potestas vestra: quoniam propter illa, & non propter has accepistis claves regni cœlorum prævaricatores utique exclusuri, non possessores, ut sciatis ait Christus quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.* & nonnullis interjectis subdit. *Quænam tibi major videtur dignitas, & potestas dimittendi peccata, an prædia dividendi? sed non est comparatio, habent hæc infima & terrena Judices suos Reges, & Principes terræ. Quid fines alios invaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis? non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatioribus occupatis. Denique ubi necessitas exigit, audi quid censeat non ego sed. Apostolus: si enim in nobis judicabitur hic mundus indigni estis, qui de minimis judicetis? Sed aliud est incidentes incurrere in ista causa quidem urgente aliud ultro incumbere istis tanquam magnis dignisque tali & talium intentione rebus.* Ubi potestas Imperatorum, & Regum sæcularium distinguitur à potestate summorum pontificum, quorum præcipua potestas est spiritualis, supra temporalem Regum & Imperatorum. Quòd si potestas spiritualis quoad regimen ecclesiæ est supra Reges, & Imperatores, repugnat, regimen universæ ecclesiæ Catholicæ jure Imperatorum uniri Episcopatui Romano: siquidem potestas data est pontificibus à Christo in ædificationem non destructionem, ut scribit S Paulus 2. *ad Corinth.* 10. *v.* 8. Sin autem esset de jure Imperatorum, esset in destructionem potiùs, quàm ædificationem, siquidem Imperatores sæculares impedirent potestatem, & curam spiritualem, quam in omnes mundi Ecclesias Romani Pontifices exercent, qui propterea quodammodo subjicerentur Imperatori à quo possent etiam amoveri & fideles inter se dissidentes, si ad votum ex sententia pontificis lites non concluderentur, recurrerent ad imperatorem, quod esset ecclesiam discindere in schismata camque destruere. Ecclesia igitur ingenuè fatetur rerum temporalium, & civilium curam ad Principes sæculares primariò, & directè pertinere, quos propterea Ecclesia, ut Advocatos, protectores, & justitiæ ministros semper veneratur, eò quia gladium à Deo acceperint ad defensionem proborum, ac innocentium, & vindictam malorum: sunt enim principes, Reges & Imperatores veluti sexaginta illi fortes qui custodiunt lectulum Salomonis omnes accincti gladiis propter

timores

timores nocturnos, & ad bella fortissimi; sunt enim à Deo instituti, & gladio muniti, ut Ecclesiam propugnent, ac defendant, & nullo modo in ejus jura, & administrationem veluti in alienam messem falcem immittant, quia ubi aram religionis invaderent, & evertendæ Ecclesiæ potautiam à Deo acceptam admoverent, possent à summo pontifice ut Christi Vicario, cui cura suarum ovium, ut supremo Pastori concredita fuit, ne noceant, ipsa potestate regia, & imperatoria privari, quia ut ait Apostolus: si enim etiam Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia: pertinet enim ad supremum Pastorem, cui cura totius gregis concredita est morbosas, ac infectas oves ab integris separare & lupos non voce tantùm, sed etiam baculo pastorali arcere, ut docuerunt Sancti Patres. Hinc falsum est, quod commentatur Calvinus de Phoca Imperatore qui primatum Ecclesiæ dederit Bonifacio III. & de Pipino Gallorum Rege, qui contulerit jurisdictionem ecclesiasticam in Gallia Zachariæ, id enim est omnino falsum, quia constat ante Pipinum Romanos Pontifices jurisdictionem exercuisse in Gallos, & Phocam duntaxat imperiali edicto declarâsse contra Cyriacum Patriarcham Constantinopolitanum sibi usurpantem titulum Oecumenici, seu Patriarchæ universalis soli Romano Episcopo hunc titulum jure deberi. Quamobrem Imperator non egit de primatu, quem proeul dubio soli Romanæ sedi cæteræ omnes ecclesiæ dederunt, sed tantùm de titulo Oecumenici, seu universalis Patriachæ, ut refert Baronius Anno Christi 606.

Dicendum igitur est conjunctionem primatûs universalis Ecclesiæ cum episcopatu Romano ad minimum esse de jure ecclesiastico. Ratio est, quia Christus Petro conferens primatum Ecclesiæ, hanc supremam pastoritiam dignitatem, ac potestatem pascendi oves suas ad nullum certum locum coarctavit, sed eandem potestatem in eadem persona Petri tradidit omnibus successoribus, ex quo infertur primatum Ecclesiæ universalis conjunctum cum episcopatu Romano non esse ex institutione Christi, neque ex speciali illius ordinatione, consequenter de jure ecclesiastico ex sola institutione Petri instituentis talem conjunctionem cum Episcopatu Romano. Quod Christus non coarctaverit hunc ecclesiæ primatum ad unum potiùs quàm alium locum constat ex ipsa forma verborum, quibus Christus hanc Petro potestatem contulit, dixit enim Matth. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram* (intelligendo dignitatem pontificiam) *ædificabo ecclesiam meam*, & Joan. 21. *Pasce oves meas*: in quibus verbis nulla apparet ad locum limitatio, sed tantùm explicatur primatus Ecclesiæ universalis, qui tradebatur Petro & ejus successoribus. Præterea quia potuisset Petrus supremam authoritatem exercere in universam Ecclesiam quamvis nullam sibi specialem appropriâsset sedem, ut de facto eandem potestatem exercuit toto eo tempore antequam fundâsset Ecclesias Antiochenam, & Alexandrinam: vel potuisset etiam semper sedere in cathedra antiochena, & tametsi Romam venerit potuisset sedem illam relinquere; & Lutetiam Parisiorum ire ac ibi morari, ac mori: quòd si præstitisset, qui ei successisset in Pontificatu, non fuisset Episcopus Romanus, sed potiùs Antiochenus vel Parisiensis: ergo quamvis de facto Petrus mortuus sit Romæ, ibique suam sedem fixerit, adhuc poterat alius, quàm Romanus Episcopus in primatu Ecclesiæ ei succedere imò & poterit etiam succedere, quia mors Petri non immutat Christi voluntatem in ordine ad conferendam universalem potestatem uni, qui sit caput totius Ecclesiæ: proinde primatus Ecclesiæ Catholicæ, seu universalis, non nisi de jure ecclesiastico videtur conjunctus cum Romano Episcopatu. Secundo quia posset Romanus Episcopatus cessare, vel per invasionem Turcarum, vel possessionem infidelium, utrumque enim est possibile si Deus permittat causas secundas uti suis viribus: sed in hoc casu adhuc daretur alibi, qui locò Petri totius Ecclesiæ curam gereret, ne oves Christi manerent sine Pastore ne Ecclesia staret sine suo fundamento, ex quo infertur conjunctionem primatus universalis Ecclesiæ cum Episcopatu Romano esse de jure tantùm ecclesiastico. Tertiò, quia si esset de jure divino deberet id constare per regulam aliquam canonicam ecclesiæ: sed ex scripturis non constat, neque ex traditionibus, neque ulla potest assignari definitio Ecclesiæ, quæ declaret esse de jure divino, etenim si quà est hæc tantum loquitur supposita electione Romani Episcopi in primatum Ecclesiæ non verò loquitur de Episcopo alterius diœcesis, si eligeretur in supremum Pastorem totius Ecclesiæ. Nihilominus

Dicendum secundò probabilius videri conjunctionem primatûs universalis Ecclesiæ cum Episcopatu Romano esse de jure divino, & hanc conjunctionem esse ex institutione Christi, seu ex speciali ejus ordinatione, ut censent plures præsertim Cajetanus *Tom. 1. opusc. Tractat. 3. de Pontif. instit. cap. 13.* ubi ita loquitur: Si ad ortum, atque initium successionis Romani Pontificis retro spectes rationem succedendi invenies fuisse Ecclesiæ Romanæ appropriationem ad Pontificatum Petri firmatam Petri morte, & Christi mandato, adhærent huic sententiæ Canus *lib. 9. de loc. Theolog. cap. 4. 5. & 6.* Valentia *disput. 8. quæst. 1. punct. 7. §. 37.* Malderus *22. quæst. 1. art. 10. dubitat. 3.* Bellarminus *lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 12.* Suarez. *disput. 10. sect. 3.* Torjanus *disput. 15. dub. 2.* Driedo *de variis dogmat. lib. 4.* Turrecremata in *cap. rogamus 24. quæst. 1.* Sylvius *lib. 4. de controvers. quæst. 5. art. 6.* Ratio est, quia Petrus ex speciali mandato Christi sedem suam juxta communem Patrum sententiam Romæ fixit, quando illi obviavit in fuga, ac apparuit, & interroganti Petro, quo iret, respondit, *vado Romam iterum crucifigi*, quibus verbis asserunt Sancti Patres Christum injunxisse Petro ut Romam reverteretur, ac ibi suam sedem figeret, & sua morte perpetuò firmaret, ut censet D. Ambrosius *orat. in Auxen. lib. 5. epist. 32.* Alii tamen cum Marcello Papa arbitrantur Petrum habuisse hoc mandatum à Christo, quando suam sedem primo Antiochia transtulit Romam, ut refertur *cap. rogamus 24. quæst. 1.* Tum quia quamvis urgerent innumeræ persecutiones, imminerent tot pericula, cum ab exteris fuit urbs obsessa, & possessa, & Romani Pontifices inde occasionem habuissent alio transferendi sedem Apostolicam, id tamen non præstiterunt, sed veluti immobiles steterunt: imò & ipse Petrus tot inter persecutiones, quibus fideles ab Imperatore ad necem quærebantur, maluit Romæ mortem subire, quàm alio transferre sedem illam, cum igitur non obstantibus persecutionibus, ac periculis quæ imminerent alio sedem non transtulerit quinimò & aufugiens debuerit ex mandato Christi Romam reverti, inde sufficienter conjicimus, voluisse Christum primatum universalis Ecclesiæ conjunctum cum Episcopatu Romano, & quamvis Pontifices per aliquot sæcula fuerint Avenione, & alibi propter persecutiones immorati, nunquam tamen desinebant esse Romani Episcopi, quapropter licèt ob aliquam causam Pontifex Romæ non immoraretur, quia tamen semper retineret Episcopatum Romanum semper esset Pastor universalis Ecclesiæ,

quia Episcopatus Romanus, & primatus totius Ecclesiæ non sunt duæ Sedes, nec duo Episcopatus, sed unus tantùm.

Stat igitur Romanum Pontificem Petro succedere in Episcopatu Romano, & in primatu universæ Ecclesiæ, quod Lutherus *lib. de potestate Papæ*, Illyricus *lib. contra primatum Papæ*, Synodus Smalchaldica *in lib. ejusd. argumenti*, Calvinus *lib. 4. Instit. cap. 6. & 7.* Magdeburgenses *in singulis centuriis ad finem cap. 7.* & alii negant præsertim Nilus Thessalicensis in *lib. adversus primatum Papæ*, ubi quamvis non neget, Petrum fuisse à Christo institutum pastorem sui gregis, & Romæ Episcopatum gessisse usque ad mortem, contendit tamen, & negat Romanum Pontificem Petro in præfectura totius Ecclesiæ Catholicæ, sed tantùm in Romano Episcopatu succedere, & tantùm concedit postea habuisse Romanum Pontificem, ex Conciliorum decretis, quemdam primatum relativè ad alios Episcopos, adeo ut primus sederet, primus sententiam diceret, sed non cæteris omnibus imperaret. Sed quàm falsum id sit jam explicuimus, & probavimus Romanum Pontificem Petro succedere in Pontificatu Ecclesiæ universæ jure divino, & successionis, cùm dixit Petro: *Pasce oves meas*, tamdiu enim debet pastor adesse quamdiu sunt oves, & quia hæ sunt, & erunt usque ad consummationem sæculi, debuit etiam pastor designari, qui cum ovibus perseveraret usque ad finem mundi: hic autem pastor non fuit sola persona Petri, quia cùm Petrus esset brevi moriturus, non potuit visibiliter oves superstites regere, consequenter fuit Petrus non simpliciter sed unà cum successoribus suis legitimè electis: vel fuit dignitas Pontificia in Petro non cessatura cum Petro, sed ut post mortem transitura ad successores & sicut institutio supremi pastoris, est de jure divino ita etiam, quòd Romanus Pontifex sit pastor totius dominici gregis erit de jure divino, debet enim jure divino aliquis Petro succedere in supremum pastorem totius dominici gregis: neque potest alius esse quàm Romanus Pontifex, cujus Romano Episcopatui de jure divino est unitus primatus totius Ecclesiæ Catholicæ. Joannes Calvinus hoc totum negat, & lib. 4. Instit. cap. 6. §. 8. ait: *Verùm ut de Petro illis concedam, quod petunt non est tamen causa, cur ex singulari exemplo universalem faciant regulam, & quod semel factum fuit ad perpetuitatem trahant*, & iterum §. 11. ait: *Jam ut alterum illis largiar, quod nunquam apud sanos homines obtinebunt sic constitutum in Petro primatum, ut perpetua successione semper maneret: unde tamen evincent Sedem Romæ ita collocatam, ut quicunque sit urbis illius Episcopus orbi universo præsideat.* Sed contra quia cum Pontifex sit propter Ecclesiam, & non Ecclesia propter Pontificem, ut asserit D. Augustinus lib. de pastoribus cap. 1. inquiens: *Quòd Christiani sumus propter nos est, quod Præpositi sumus propter vos est*: Sed Ecclesia non minus indiget nunc uno pastore, quàm tempore Apostolorum, quinimo major urget nunc necessitas, ut sit unus pastor universalis Ecclesiæ, quàm ab initio tempore Apostolorum, quia nunc Christiani sunt longè plures, & pejores, quàm sub Ecclesiæ exordio, ergo si moriente Petro cessasset officium in Ecclesia supremi pastoris, non bene Christus consuluisset suæ Ecclesiæ, & instituisset oves sine pastore, ædificasset Ecclesiam sine fundamento, quo perpetuò fulciretur, quamdiu durat: quòd si sublato fundamento corruit ædificium jam dudum cessasset Ecclesia, quæ & lapsa fuisset scilicet statim post mortem Petri, quia tunc cessasset fundamentum, quod quàm falsum sit, liquet ex visibili regimine Ecclesiæ, præterea, quia cùm Ecclesia sit una tantùm, & visibilis, & quidem eadem omni tempore non debet mutari forma regiminis, quæ est, qua respublica gubernatur, quod si Ecclesia est una, & eadem omni tempore, talis debet esse nunc, qualis fuit tempore Apostolorum, ergo si tempore Apostolorum aderat unus supremus pastor dominici gregis, debet & nunc idem pastor dominici gregis adesse, qui oves Christi pascat, ac defendat: dixit enim Christus Petro Joan. ult. *pasce oves meas*, officium autem pastoris est ordinarium, & perpetuum, quod ex natura rei tamdiu debet durare, quamdiu manet ovile: sed Christi ovile manet, manebitque usque ad finem mundi, consequenter durabit etiam aliquis successor Petri, qui sit pastor totius Christi ovilis: neque Petrus potest nunc esse pastor, quia sicut ovile est visibile, ita exigit pastorem visibilem, & cùm Petrus non amplius vivat in terris, non est visibilis Christi ovibus, consequenter non potest esse pastor visibilis earundem: tum quia cùm Ecclesia sit una tantùm, & visibilis exigit, ne sit monstrosa, unum Caput visibile, alioquin vel esset corpus acephalum sine Capite, vel monstruosum cum pluribus capitibus, præterea quia Christus Joan. 21. ait Petro: *pasce oves meas*, hoc est omnes oves suas ei concredidit, & non solùm ratione loci, sed etiam temporis, & quidem illimitati, & donec oves superessent ne suo destituerentur pastore: & cùm Petrus non posset diu vivere, debuerunt ejus successores Christi oves pascere, adeo ut Christus non solùm Petro, verum & suis successoribus dixerit *pasce oves meas* explicant Sancti Patres Chrysostomus *lib. 2. de Sacerdotio circa principium*, ubi ait: *Quanam de causa ille sanguinem effudit suum? certè ut pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri Successoribus committebat.* Asserit Chrysostomus Christum per illa verba *pasce oves meas* non solùm Petro, sed etiam ejus successoribus ritè electis curam injunxisse pascendi oves suas, ac totum suum concredidisse ovile. Sanctus Leo Papa serm. 2 de anniversario assumptionis suæ ad Pontificatum hoc idem expressè docet inquiens: *Manet dispositio veritatis & Beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit: perseverat videlicet Petrus, & vivit in successoribus suis.* Et Petrus Ravenas in epistol. ad Eutichen ait: *Beatus Petrus qui in propria Sede vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem*, scilicet in propria Sede vivit & præsidet, non in persone propria cùm jam mortuus fuerit, sed in Successoribus in Romano Episcopatu, cui de jure divino unitur primatus totius Ecclesiæ Catholicæ.

Porrò si asserimus conjunctionem primatus universalis Ecclesiæ cum Episcopatu Romano esse de jure divino, satisfiet rationibus, quibus innituntur propugnantes esse tantùm de jure ecclesiastico. Ad primam petitam ex forma, qua Christus tradidit Petro hanc supremam authoritatem gubernandi Ecclesiam universam respondendo exinde tantùm sequi, conjunctionem primatûs universalis Ecclesiæ cum Romano Episcopatu non esse de jure divino ex primaria Christi institutione, non tamen probatur esse de secundaria Christi voluntate. Ad id, quod addebatur, potuisse Petrum exercere authoritatem in universam Ecclesiam nulla sibi appropriata particulari Sede, respondetur in illis casibus talem conjunctionem primatus totius Ecclesiæ cum Episcopatu Romano non fuisse de jure divino, quia tunc non accessisset secundaria Christi intentio, sed mansisset sola prima Christi voluntas, vi cujus authoritas regendi universalem Ecclesiam collata fuit Petro, & ejus Successoribus absque ulla restrictione ad locum. Ad secundam respondeo

plures nunquam cessaturam Sedem Apostolicam in Episcopatu Romano, quia cùm Christus instituerit unum, infallibiliter præstabit aliud, à quo illud pendet: hinc asserit nunquam in Clero Romano defecturam fidem, quamvis defectura esset in cæteris aliis mundi partibus. Sed nulla necessitas nos adigit ad hanc responsionem, quia tametsi Urbs Roma occuparetur à Barbaris, adhuc perseveraret Romanus Episcopatus, cui annexus esset primatus universalis Ecclesiæ, tametsi Pontifex non Romæ, non in Italia, sed alibi moraretur. Ad tertiam jam diximus constare hanc conjunctionem esse de jure divino ex apparitione, qua Christus Petro obviavit, & *ex cap. rogamus* 24. S. Marcellus Papa epist. ad Antiochenos scribit Petrum jubente Christo venisse Romam; S. Ambrosius in oratione contra Auxentium; & Athanasius in Apologia pro fuga sua dicunt Petrū Christi jussu Romæ martyrium pertulisse, neque videtur improbabile Dominum etiam apertè jussisse, ut Sedem suam Petrus ita figeret Romæ, ut Romanus Episcopus absolutè illi succederet. Sed quicquid de hoc sit, certum est hanc rationem successionis non esse de primaria institutione Pontificatûs, sed tantùm de secundaria intentione. Præterea aliud est ipsa successio ad primatum Ecclesiæ; & aliud ratio successionis, quâ Romanus Pontifex succedat Petro, non Antiochenus, siquidem successio Romani Pontificis in pontificatu Petri est ex institutione Christi: ratio autem successionis, quia Romanus Pontifex potius, quàm Antiochenus, vel aliquis alius succedat in primatu Ecclesiæ D. Petro ex facto initium duxit à D. Petro: est verò ipsa successio de jure divino, quia Christus instituit in Petro Pontificatum duraturum usque ad finem mundi; proinde quicunque illi succedat à Christo semper accipit Pontificatum. Quod verò Episcopus potius Romanus quàm alius sit Petri Successor id ortum habuit ex facto Petri; quia potuisset Petrus nullam sibi particularem Sedem eligere, perinde ac per primos quinque annos dicitur nullam sibi elegisse Sedem in loco speciali; & tunc si non Romæ, sed tantùm Antiochiæ sedisset ac mortuus fuisset Episcopus Antiochenus, successisset Petro in primatu Ecclesiæ; sin verò neque Antiochiæ neque Romæ sedisset; in hac suppositione neque Antiochenus, neque Romanus Episcopus successisset, sed tantùm ille, quem sibi Ecclesia elegisset; sed quia de facto Petrus Romæ Sedem fixit, & mortuus est Romæ ex facto quòd Romanus Pontifex sit Successor Petri in primatu Ecclesiæ universalis ortum ducit à D. Petro: & quia ut superius diximus ex Christi suasu vel jussu Petrus martyrium Romæ pertulit; igitur non de primaria Christi institutione, sed tantum de secundaria voluntate, Successio Romani Pontificis in primatum Ecclesiæ dicitur esse de jure divino. Dices, Christum apparuisse Petro, ac illi injunxisse redire Romam, ac ibi immorari, & mori, non esse articulum fidei: ergo Romanum Pontificem esse Petri Successorem in primatu Ecclesiæ non est de jure divino nec primario, nec secundario. Sed negatur consequentia; quia ex eo quod aliquid non sit de fide non sequitur non esse de jure divino: aliud enim est esse de fide, & aliud esse de jure divino; etenim quod Adam comederit de pomo vetito ex suasu suæ conjugis, est articulus fidei, quia expressè habetur in Scripturis; non verò est de jure divino, quia Deus non præcepit Adæ sui præcepti transgressionem; neque secundariò voluit, ut illud transgrederetur: neque fuit de jure divino quòd Sara riserit; tametsi de fide sit Saram risisse, quia in Scripturis asseritur Saræ risus. Quamvis igitur Romanum pontificem succedere Petro in primatu Ecclesiæ Catholicæ non habeatur expressè in Scripturis: nihilominus aliquem succedere Petro in officio supremi pastoris dominici gregis deducitur per necessariam consequentiam ex divinis Scripturis ut superius evicimus: illum autem Successorem esse Romanum Pontificem habetur ex Apostolica traditione, quam traditionem Concilia generalia, pontificum decreta & Patrum unanimis consensus declaravit. Instabis ergo Romanus pontifex duos semper habet Episcopatus, unum particularem in Romana Ecclesia, & alium universalem in tota Ecclesia. Sed negatur sequela, quia Romanus Episcopatus, & primatus totius Ecclesiæ Catholicæ non sunt duæ Sedes Episcopales, neque duo Episcopatus. Non enim Petrus institutus à Christo pastor totius dominici gregis sibi adjunxit Episcopatum Urbis Romæ, quemadmodum Archiepiscopus Coloniensis sibi adjungit Episcopatum Leodiensem, vel Monasteriensem: sed Romanæ Urbis Episcopatum evexit ad summum totius Ecclesiæ Catholicæ pontificatum, ac supremum pastorem totius dominici gregis. Eo ipso quod Petro, & ejus Successori pro tempore existenti injunxit, ut suas pasceret oves 1. Joan. 21. *Pasce oves meas* sine ulla restrictione, & exceptione, sequitur Romanum Episcopum Petri Successorem esse supremum pastorem totius dominici gregis, proinde etiam ovium quæ sunt Romæ, adeo ut Romanus Episcopatus includatur in ipso Episcopatu Ecclesiæ universalis; sitque propterea unus tantùm Episcopatus actu totius, ac universalis Ecclesiæ, quo pacto summus Pontifex est Episcopus Catholicæ Ecclesiæ, quæ tantùm in potentia est multiplex, quatenus in plures dividitur particulares, quibus præficiuntur speciales Episcopi subordinati, ac dependentes à summo Pontifice.

Objiciunt tamen Sectarii. Primò: quia Romanus Pontifex primatum habuit à Patribus, eò quia urbs illa toti orbi imperaret, ut constat ex Concilio Chalcedonensi Act. 16. ergo Romanus Episcopus non est pastor totius Ecclesiæ Catholicæ ex Petri successione. Sed contra quia decretum illud Concilii Chalcedonensis fuit illegitimum, contra quod reclamarunt qui Consilio præsidebant, ut notat *Bellarminus* de Rom. Pontif. cap. 12. Secundò objiciunt quia Romanus Pontifex non est Apostolus sicut Petrus, neque Apostoli Apostolos ordinarunt, sed tantùm pastores; & Doctores: ergo Romanus Pontifex non succedit Petro in Apostolica potestate, sed solum in Romano particulari Episcopatu. Sed contra quia in Apostolatu tria continentur, officium promulgatoris Evangelii; institutoris, seu fundatoris Ecclesiarum per propagationem Evangelii in locis, in quibus nihil antea auditum fuerat de Evangelio, & conversionem infidelium ad Fidem JESU Christi; ad quod munus obeundum Apostoli in plures profecti fuerunt provincias, in quibus gentiles, & Judæos converterunt, & plures fundarunt Ecclesias. Et ut Apostolus summam habeat in omnem Ecclesiam potestatem; & hoc est quod ad summum pertinet Romanum Pontificem, cujus Cathedra dicitur propterea Apostolica, quia Romanus Episcopus Petro succedit, in quo hæc potestas fuit ordinaria, non delegata ut in reliquis Apostolis. Cæterum Romanus Pontifex per Missionarios promulgat Evangelium per omnes orbis partes; convertit gentiles, & novas semper fundat Ecclesias; unde exercet vel per se, vel per suos ministros munera omnis Apostolica. Cæterum non fuit necesse ut Apostoli Romanum Pontificem Apostolum crearent, quia id jam præstiterat Christus; & in Concilio Chalcedonensi Sedes Romani Pontificis vocatur Apostolica Act. 16.

CAP.

CAPUT IV.

Ex eo, quòd ad Romanum Rontificem detur appellatio evincitur primatus Ecclesiæ Catholicæ in Romano Pontifice.

JUre appellationis etiam evincitur Romanum Pontificem esse visibile Caput & supremum Judicem in tota Ecclesia Catholica, quia si fideles ex quavis orbis parte in ortis controversiis de fide, ac litibus de religione solent ad Romanum Pontificem appellare à quo sint sententiam audituri, sequitur Romanum Pontificem haberi supremum Judicem in Ecclesia universali; cujus sententiæ fideles acquiescant: id autem nihil aliud est in Ecclesia, quàm primatus, ac principatus in omnes fideles & Ecclesias ubique terrarum diffusas: neque possunt id diffiteri Sectarii cum ipse Calvinus lib. 5. Instit. cap. 7. §. 9. asserat: *Summum imperium penes eum esse constat, ad cujus tribunal provocatur*, & postea subjungit: *Multi sæpe Romanum Pontificem appellarunt, ipse quoque causarum cognitionem ad se trahere conatus est, sed semper fuit derisus, quoties suos fines excessit.* Ait Calvinus multos quidem provocâsse ad Pontificem ut effugerent legitima judicia, quamvis derisæ fuerint appellationes, quomodo nunc derideretur, qui damnatus ab Imperatore Romanorum appellaret ad Regem Gallorum. Sed appellationes ad Romanum Pontificem derisas non fuisse, sed acceptatas cum honore, & efficaces fuisse, constat, tum ex historiis, tum ex Conciliis.

Sic dissidentibus inter se Romanis, & Orientalibus Ecclesiis in celebratione paschatis, Polycarpus quem Hieronymus vocat totius Asiæ Principem ex oriente Romam venit ad Anicetum, pro qua controversia etiam Irenæus non post multum temporis ad Eleutherium ex Galliis legatus est, quia ut loquitur Irænæus *propter potentiorem principalitatem necesse erat, ut ad Romanam undique convenirent omnes Ecclesiæ, omnes fideles.* Quæ autem fierent eo tempore Romæ & alibi rectissimè & ad præscriptum legis Christi gesta esse testis omni exceptione major est Hegesippus apud Eusebium lib. 4. cap. 21. ait enim: *Cùm essem Romæ, mansi ibi usque ad Pontificis Aniceti tempora, cujus tum quidem Eleutherius Diaconus erat. Huic successit Soter, quo morte extincto Eleutherius munus Episcopale capessit, nulla Episcoporum Sedes (successione ab Apostolis deducta) nulla civitas, in qua non ita observata essent omnia, ut lex præscripserat, docuerant Prophetæ & Dominus ipse prædicaverat.* Sed controversiâ de paschate majora excitante dissidia Victor Eleutherii Successor anathematizavit omnes orientales, qui dissentirent in paschate ab Ecclesia Romana, & licèt nimiæ severitatis à plerisque notatus fuerit, à nullo tamen novitatis vel usurpatæ jurisdictionis, quia omnes noverant inesse Romano Pontifici primatum, & potestatem in totam Ecclesiam Catholicam diffusam per totum orbem, & ob id ad Romanum Pontificem deferebantur omnium fidelium causæ ex Africa, Asia, Europa, Gallia, Hispania, Germania, Græcia, Ponto, Ægypto, & aliis regionibus, in quibus degebant fideles, omnes enim illæ Ecclesiæ sub regimine erant Romani Pontificis, ut Capitis visibilis totius Ecclesiæ, & ex testimonio scriptorum illorum temporum Ecclesia Romana administrabatur, ut tradiderant Apostoli, docuerant Prophetæ, prædicaverat Christus, & leges ab ipso sancitæ præscripserant: unde appellationes ad Romanum Pontificem non fuerunt derisæ, ut censuit Calvinus, sed susceptæ & lites compositæ juxta præscripta à legibus sancitis à Christo, quas Apostoli tradiderant & docuerant fideles. Nec mirum si Sectarii rideant hujusmodi appellationes, cum Calvinus & alii ejusdem furfuris negaverint Symbolum Apostolicum ab ipsis Apostolis traditum fuisse sacrilegè proferentes Sanctorum & antiquorum patrum traditionem, nil enim facilius apud Sectarios, quàm veritatem negare, & traditiones abolere, ut notat Irenæus *lib.* 1. *cap.* 2. In Symbolo igitur Apostolico quod afflatu Spiritûs Sancti composuerunt Apostoli, antequam mundi provincias inter se dividerent, ut esset veluti prima tessera militiæ Christianæ: in hoc inquam symbolo definitur, quòd *Ecclesia sit Sancta, & Catholica*, & postea in Concilio Constantinopolitano I. ex Apostolica traditione additum fuit: *Una & Apostolica*, adeo ut eodem articulo, quo definitum est Ecclesiam esse unam, & Catholicam decretum etiam fuit, si non explicitè, certè implicitè primatum universalis Ecclesiæ deberi Petro, & Petri Successoribus: ait enim Cyprianus Ecclesiam nihil aliud esse nisi plebem Sacerdoti adunatam; & gregem pastori suo adhærentem, adeo ut duæ assignentur partes plebs & Sacerdos, grex, & pastor, & utraque pars est essentialis, adeo ut sine alterutra tota evertatur Ecclesiæ essentia; ex eo igitur, quòd Apostoli definierint esse de fide Ecclesiam esse credendam, sequitur esse itidem credendum inesse Ecclesiæ unum Sacerdotem, cui plebs adunetur, unum pastorem, qui Christi oves pascat, adeo ut quisquis de grege, vel plebe recedit ab hoc Sacerdote uno, qui cæteris præsit, quique sit Caput visibile Ecclesiæ, & pastor omnium Christi ovium ab Ecclesia recedat: ergo repugnat cum fide Apostolorum mutatio regiminis in Ecclesia quam Sectarii post obitum D. Petri fingunt in Ecclesia: si enim Sacerdos unus cui plebs adunetur, & adhæreat ex Cypriano est de essentia ipsius ecclesiæ: quamdiu perseverat ecclesia debet & ipse Sacerdos continuare, quia non potest res esse sine sua essentia: & quia Petrus erat brevi moriturus, & ecclesia usque ad finem mundi perseveratura debuit in ecclesia etiam usque ad finem mundi perseverare Sacerdos, cui plebs Christiana aduniretur, hic autem Sacerdos alius non potest esse, quàm Romanus Pontifex legitimè electus Petri successor quo pacto Petrus dicitur vivere in suis Successoribus usque ad finem mundi: neque quispiam ausus est hanc dignitatem supremi Capitis visibilis alteri Sacerdoti tribuere, quàm Romano Pontifici, hinc Cyprianus lib. de unitat. Eccles. ait: *Qui Cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia, deserit, non potest confidere se in Ecclesia esse.* Et D. Hieronymus scribens ad Damasum Papam ait: *Ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est*, & nonnullis interje-

terjectis subdit: *Quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est: Anti-Christi est*, & magis concise Ambrosius in Psal. 40. *ubi Petrus, ibi Ecclesia*, & Optatus lib. 2. contra Parmenionem: *Probatum est, nos esse in Ecclesia sancta & catholica, apud quos & symbolum Trinitatis est, & per cathedram Petri, qua apud nos est.*

Quamobrem eadem forma Ecclesiæ, quæ fuit tempore Christi, & Petri eadem etiam perseverat in successoribus, adeò ut semper fuerit, sit, & erit, una tantùm Ecclesia, seu plebs fidelis suo adunata sacerdoti, quòd si post obitum Petri forma regiminis ecclesiastici mutata fuisset, perperam Apostoli in symbolo injunxissent fidelibus, ut crederent in unam sanctam, & Apostolicam Ecclesiam, quia hanc Ecclesiæ unitatem non possent fideles profiteri, quia non esset amplius una, translata enim potestate ab uno Petro in omnes Episcopos, ut censent sectarii, transisset Ecclesia à Monarchia ad Aristocratiam, seu ab una specie politiæ ad aliam, imò tot essent Ecclesiæ, quot diversæ Hæreticorum sectæ, consequenter non possent fideles profiteri illam Ecclesiæ unitatem, quam Apostoli credendam injunxerunt. Rursus eversa forma Ecclesiæ primitivæ non esset amplius eadem Ecclesia, quæ sub Christo, & Apostolis fuit, proinde unam sanctam Ecclesiam credere falsò profiteremur, imò neque esset una ratione fidei, & charitatis: quam unitatem antequam pateretur Christus, ei precatus est à Patre peculiari oratione: quia ubi non est unus Judex controversiarum, sed omnes sunt pares in potestate, illis de rebus fidei inter se dissidentibus nemo posset assignari, à quo suborta dissidia componerentur, non enim Concilia Generalia semper præstò sunt, cùm nonnisi per multum temporis possunt congregari & quidem ingenti sumptu, incommodo, & labore. Deinde sequeretur Christum per primos trecentos annos Ecclesiam suam reliquisse destitutam hoc fundamento unitatis, & tamen per tria illa prima sæcula tenebantur fideles credere, & profiteri unam Ecclesiam, cum tamen una non fuisset, eò quia defuisset unitatis fundamentum, unde Cyprianus ait: *Una est Ecclesia à Christo Domino super Petrum origine unitatis, & ratione fundata*, & epistol. 70. ait: *Ut unitatem manifestarent, unam cathedram constituit*: & lib. de unit. Eccles. ait: *Primatus Petro datur, & una Christi Ecclesia, & cathedra una demonstratur*, sin autem Christus ascendens ad Patrem nullum supremum in Ecclesia principem reliquisset, sed omnes Apostoli fuissent parès in regimine supremo Ecclesiæ: hæc unitas Ecclesiæ dissoluta statim fuisset, neque fideles tenerentur profiteri, & credere Ecclesiam unam, quia statim fuisset divisa in tot Ecclesias, quot fuissent earundem capita, seu Apostoli. Quamobrem ut Ecclesiæ unitas servaretur Christus soli Petro primatum ecclesiasticum concessit, & officium supremi pasturis dedit verbis illis Joan. 21. *Pasce oves meas*: unde à Petri primatu unitas Ecclesiæ dependet, quod si post Christum potuit hæc unitas Ecclesiæ servari in Petro capite visibili ejusdem & primo sacerdote, cui adunantur omnes fideles, ita etiam post obitum Petri eadem prorsus unitas servata fuit in successoribus, ut semper fideles suo adhærent sacerdoti, & crederent, ac profiterentur Ecclesiam unam sanctam catholicam, & Apostolicam, unde Augustinus epist. 162. scribit: *In Romana Ecclesia semper Apostolica cathedra viguit principatus*: & ante Augustinum hoc idem asseruit Optatus lib. 2. contra Parmenianum, ubi ait: *Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primò cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur. Ergo cathedra unica est, qua est prima de dotibus: sedit prior Petrus, cui successit Linus, & alii.* Et ante Optatum Concilium Nicænum I. Can. 6. sicuti refertur in Concilio Chalcedonensi Act. 16. *Ecclesia Romana semper habuit primatum*, alioquin si Ecclesia careret summo Pontifice esset falsum symbolum Apostolorum, quia non esset amplius una, imò neque diceretur amplius Catholica: siquidem catholico opponitur, tam Hæreticus, quàm Schismaticus; Hæreticus quia malè sentit de fide, Schismaticus quia non communicat cum Ecclesia; Catholicus verò duo includit fidem orthodoxam contra Hæreticum & communionem, ac pacem cum Ecclesia contra Schismaticum, hinc Augustinus de fide, & symbolo cap. 10. ait: *Credimus Ecclesiam sanctam utique catholicam, nam & Hæretici & Schismatici congregationes suas Ecclesias vocant, sed Hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant; Schismatici autem dissensionibus iniquis à fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant, qua credimus. Quapropter nec Hæreticus pertinet ad Ecclesiam catholicam, quia non diligit Deum neque Schismaticus, quia non diligit proximum.* Cæterum hæ duæ conditiones nulli Ecclesiæ competunt primò & per se nisi Romanæ, neque ulli Episcopo nisi Romano; reliquis enim Ecclesiis tantùm conveniunt, quatenus conjunguntur Romanæ Ecclesiæ veluti rami arboris radici, ac matrici Ecclesiæ Christi, & Romano Pontifici, tanquam supremo visibili ejus capiti post Christum. Inde fit, quòd ad summum Romanum Pontificem à toto terrarum orbe detur appellatio, ut ad supremum Judicem potius universalis Ecclesiæ; cujus sententiæ tenentur fideles acquiescere, quia non possunt ulterius appellare ad alium superiorem.

Respondent Sectarii, Concilium generale repræsentare totam Ecclesiam catholicam; sed à minori judice ad majorem provocari certi est juris: consequentes dari appellationem à summo Pontifice ad Concilium. Sed contra distinguitur major, Concilium generale repræsentat Ecclesiam totam catholicam, seu universalem cum Romano Pontifice ut visibili Ecclesiæ catholicæ capite, conceditur, sine Romano Pontifice negatur, quia tunc repræsentat corpus acephalum mutilum, & sine capite; hinc concessa minori negatur consequentia: quia Papa respectu Concilii generalis non est minor Judex, à quo possit appellari ad concilium ut ad majorem Judicem: Siquidem Papæ judicium ultimum est neque potest ab alio rescindi; non enim suprema in Ecclesia visibili potestas alteri subjicitur potestati. Quòd non detur hæc appellatio à summo Pontifice ad concilium generale expressè definiunt asseruntque sacri Canones: etenim in cap. *cuncta* 9. *quæst.* 3. S. Gelasius ad Episcopos per Dardaniam constitutos scribit: *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quod sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat judicandi: neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio: siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est; ab illa autem nemo est appellare permissus, sed nec illa prætermitimus, quod Apostolica Sedes sine Synodo præcedente, & solvendi, quos Synodus iniquè damnaverat; & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuit facultatem: & hoc nimirum pro suo principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini, & voce tenuit semper, & tenebit.* S. Bonifacius martyr *in cap.* 51, *Papa dist.*

dist. 40. scribit: *Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens, deinceps deprehenditur inutilis, & remissus in operibus suis, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi, & omnibus; nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit, primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus. Hujus culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus: quia cunctos ipse judicaturus, à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius: pro cujus perpetuo statu universitas fidelium tanto instantius orat, quo suam salutem post Deum ex illius incolumitate animadvertit propensius pendere*: expressè asserit Romanum Pontificem omnes fideles judicare, & ipsum à nemine judicari: quia supra Pontificem non datur in terris visibile tribunal, ad quod possit Pontifex provocari: consequenter à Pontifice Romano ad Concilium generale non datur appellatio: sicut membra sunt capite inferiora; ita Concilium generale constans ex membris Ecclesiæ est inferius capite seu summo Pontifice. Hinc Patres Concilii Sinuessani ad Marcellinum Pontificem responderunt: *Absit, ut à nobis summus Pontifex judicetur. Negâsti tu? negavit, & Petrus magister tuus: & quis Apostolus ausus fuit, inde eum judicare? Sed flevit amarè, egressus foras. Tu ergo in sinum tuum causam collige: tu ore te judica non nostro judicio, quia prima sedes à nemine judicatur.* Rursus concilium Sardicense quod fuisse generale, & in Ecclesia ut tale receptum ac habitum testantur Sulpitius lib. 2. sacræ historiæ, eò quia ex toto orbe convocatum fuerit, & Socrates lib. 2. cap. 16. histor. ecclesiast. vocat illud generale: eo quia ut scribunt Athanasius initio secundæ apologiæ, & Hilarius in libro de Synodis interfuerunt plusquam trecenti episcopi catholici ex triginta sex provinciis totius orbis Christiani, quas omnes Athanasius nominatim exprimit ut Italiam, Galliam, Hispaniam, Britanniam, Africam, Ægyptum, Syriam, Thraciam, Pannoniam, & plures alias; adfuerunt etiam legati Papæ Julii, ut Athanasius ibidem refert. Quod verò hoc concilium omnes obliget, constat ex verbis ejusdem in fine. *Universa, quæ constituta sunt, catholica Ecclesia in orbe universo diffusa custodiat.* Igitur in hoc concilio can. 4. habetur. *Cum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, alter Episcopus in ejus cathedra, post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit, in judicio Episcopi Romani determinata*: & can. 7. ejusdem Concilii habetur. *Placuit, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint, si appellaverit, qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri; si justum putaverit, ut renovetur judicium, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut è latere suo presbyterum mittat; erit in potestate Episcopi, quid velit, & quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopo judicent, habentes ejus auctoritatem, à quo destinati sunt; erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo consilio suo judicaverit.* Hæc veritas evinci etiam potest exemplis eorum, qui ante concilium Sardicense ex variis mundi provinciis appellaverunt ad Romanum Pontificem.

Quòd moris fuerit in Ecclesia, quo ex diversis mundi provinciis fierent appellationes ad Romanum Pontificem, etiam ante concilium Sardicense variis solet exemplis ostendi, adeò ut Leo ad Episcopos Galliæ scribat, hanc esse antiquissimam consuetudinem: Anno siquidem Christi 142. Pio I. Pontifice Marcion ab Episcopo suo anathemate in Ponto percussus appellavit ad Romanum Pontificem, & venit Romam, ut à Romana Ecclesia absolveretur, ut refert sanctus Epiphanius hæres. 42. Anno 252. Pontifice Cornelio Fortunatus & Felix in Africa à Cypriano depositi appellarunt ad Cornelium Romanum Pontificem, & trajicientes mare Romam venerunt, ut narrat Cyprianus lib. 1. epist. 3. non post multum temporis, Basilides in Hispania depositus appellavit ad Stephanum Papam referente eodem Cypriano libr. 1. epist. 4. Anno 350 Athanasius ab orientalibus depositus ad Julium I. Romanum Pontificem appellavit, & ab eo restitutus est, ut narrat Sozomenus lib. 3. cap. 7. quod judicium & appellatio ad Romanum Pontificem contigit ante concilium Sardicense. Anno 400. Chrysostomus à Theophylo depositus appellavit ad Innocentium primum Romanum Pontificem, ut constat ex duabus epistolis ab illo ad Pontificem directis. Non post multum temporis Flavianus Episcopus Constantinopolitanus è sua sede pulsus appellavit ad Leonem Romanum Pontificem, ut refert Liberatus in Breviario cap. 12. Ad eundem etiam appellavit Theodoretus, ut ex illius epistola ad Leonem constat. Anno 500. Gregorius *lib.* 2. *epist.* 6. privavit sacra communione Joannem Episcopum græcum, quia judicasset Episcopum Thebanum, qui ad Romanum Pontificem appellaverit: Unde nulli dubium, quin Romanus Pontifex post mortem D. Petri supremam habuerit authoritatem in universalem Ecclesiam, fueritque supremus Judex in terris ad quem ex qualibet mundi parte appellarunt fideles, & Episcopi ab injustis sententiis contra ipsos prolatis. Appellatio enim semper fit à minore ad majorem Judicem; unde cum appellationes factæ fuerint ad Pontificem Romanum ex qualibet mundi parte, sequitur illum solum esse majorem, ac supremum Judicem totius Ecclesiæ catholicæ, ac omnium fidelium in quacunque mundi parte commorantium.

Ratio itidem hoc suadet, quia solus Papa legitimè electus est Vicarius Christi, quia verus successor D. Petri, hinc quod ligatur, & solvitur à Pontifice est solutum, & ligatum per ipsum DEUM, adeò ut sententia Papæ sit ipsa sententia Dei, sitque utriusque una ac eadem sententia, perinde ac est una, ac eadem sententia Papæ, & ejus auditoris nomine Papæ proferentis sententiam, quia est unum, ac idem tribunal. Vicarius enim dicitur, eò quia vices gerat principalis; adeò ut sit principalis, qui non immediatè per se ipsum, sed mediante suo vicario sententiam profert; hinc quæcunque Pontifex Romanus Petri successor ligat, vel solvit in terris est ligatum, vel solutum in cœlis; quia sententia Papæ in terris est sententia Christi sedentis in cœlis ad dexteram Patris.

Hinc beatus Augustinus libr. de Potest. Ecclesiast. quæst. 6. art. 1. ait: *Solus Papa dicitur esse Vicarius Dei, quia solum quod ligatur, vel solvitur per eum habetur solutum, & ligatum*

per ipsum DEUM: Sententia igitur Papa, & sententia Dei una sententia est: sicut una sententia est Papa, & ejus Auditoris. Cum igitur semper appellatio fiat à minore judice ad majorem, & superiorem; sicut nullus est major se ipse, ita nulla appellatio tenet facta à Papa ad Deum &c. Nullus potest appellare à Papa ad DEUM: sicut nullus potest intrare in consistorium DEI nisi mediante Papa, qui est aterna vita Consistorii claviger, & ostiarius: & sicut nullus potest appellare à Papa ad DEUM: quia una sententia est, una curia Dei & Papa.

A vicario igitur ad principalem, cujos vices gerit vicarius, non datur appellatio, quia vicarius habet unum, ac idem tribunal cum suo principali *cap. 2. de consuetudine in 6.* sed Papa est vicarius Christi: ergo à Papa ad Christum non potest appellari. Quia appellatio fieret ad idem tribunal, non ad majus, cum utriusque sit idem tribunal. Neque hæc appellatio potest fieri ad concilium generale: quia sicut à Christo appellari ad alium non potest; seu sicut à Christi tribunali non potest ad aliud tribunal appellari; ita neque à tribunali Papæ ad concilium generale dari potest appellatio, quia tribunal Papæ est unum ac idem Christi tribunal. Neque concilium generale potest hanc vicariam potestatem sibi vendicare; quia non potest assignari à quo, & quando fuerit illi collata hæc vicaria potestas, quæ si concilio generali data esset, jam duo in Ecclesia essent Christi vicarii, duo capita, ex quibus fieret Ecclesia corpus monstruosum, præterea quia nullibi in Scripturis, ac Conciliis lectum fuit, vel auditum esse Concilium generale Christi Vicarium, ac caput totius Catholicæ Ecclesiæ, coalescit enim Concilium generale ex Episcopis, ac Ecclesiæ Prælatis accersitis ab omnibus, & singulis mundi Provinciis, ex quibus componitur unum corpus repræsentans Ecclesiam universalem, cujus caput est solus Romanus Pontifex, ad quem propterea pertinet congregare Concilium, & illius statuta confirmare, ut constat ex *distinct.* 17. hinc vel Papa congregaret hoc Concilium generale vel non, si primum appellatio esset à Papa ad Papam, si secundum esset appellatio inutilis, ac impossibilis, quia non fieret ad Concilium validum, nec legitimum, quia nisi convocetur à Romano Pontifice nullius est authoritatis. Neque obstat, quod Augustinus epist. 162. scripserit causam Cæciliani primò à Pontifice judicatam fuisse, & postea ab Episcopis, quia illud non fuit ex necessitate sed ex quadam conniventia, ne hæretici inde sumerent causam tergiversandi, ut notat Gratianus ad *Can. Testes. 2. quæst. 7.*

Non potest igitur à Romano Pontifice appellari ad Concilium Generale neque ad ipsum Christum, id enim repugnat in adjecto, quia appellans debet esse sub jurisdictione, & potestate illius, à quo appellat, & ad quem appellat, qua ratione nonnisi subditus potest ad superiorem appellare, & quidem à minore ad majorem Judicem, atqui appellans à potestate alicujus Judicis se subtrahit ab ejus potestate, seque eximit ab illius jurisdictione, ergo si fideles possent à summo Pontifice appellare ad Concilium Generale vel ad Christum se eximerent à potestate illius & jurisdictione, quod est implicatorium, siquidem essent, & non essent Christi fideles; essent ex suppositione, & non essent, quia non essent sub potestate, & jurisdictione Romani Pontificis à quo se eximerent, & eo ipso, quòd non sunt sub jurisdictione Romani Pontificis non sunt amplius fideles, quia non sunt oves Christi, neque Christiani, siquidem Christus in quoscunque Christianos dedit Petro jurisdictionem, cum ei dixit Joan. 21. *Pasce oves meas*, non has vel illas, non hujus vel illius Regionis, sed generatim, & universim absque ulla exceptione sine limitatione injunxit Petro pascere suas oves, id est, omnes fideles, qui propterea subjiciuntur Pontificis Romani jurisdictioni, ergo appellantes à Pontifice ad Concilium generale vel ad Christum essent, & non essent christi oves, quod est luculenta contradictio.

Præterea quia appellans per appellationem recedit ab obedientia, & communione illius, à quo appellat, sed nullus Christianus in quacunque dignitate sit constitutus, potest ab obedientia & communione summi Pontificis, & ejus sedis recedere, quia tunc non esset amplius in Ecclesia, sed perinde ac Schismaticus extra Ecclesiam vel ut Hæreticus extra Noeticam Arcam, ut scribit divus Hieronymus ad Damasum Romanum Pontificem.

Tum quia à supremo Monarcha non datur apllatio, alioquin non esset supremus Monarcha, sed haberet alium superiorem se; ad quem fieret appellatio, quæ exigit fieri à minore ad majorem Judicem. Sed Pontifex Romanus est supremus Ecclesiæ Monarcha, cujus judicium propterea ex assistentia speciali Spiritus Sancti non est errori obnoxium, sed infallibile, ergo cum supra Romanum Pontificem non detur alius superior, sequitur non posse à summo Pontifice appellari ad ullum aliud tribunal, alioquin summus Pontifex in regimine externo Ecclesiæ esset & non esset supremus Monarcha, & caput visibile totius Ecclesiæ Catholicæ.

Hinc divus Bernardus epistol. 213. alloquens Romanum Pontificem ait: *Quis mihi faciat justitiam de vobis? si haberem Judicem, ad quem vos trahere possem, jam nunc ostenderem vobis (ut parturiens loquor) quid meremini. Extat quidem tribunal Christi, sed absit, ut ad illud appellem vos, qui illic, si vobis necessarium & mihi possibile esset, vellem magis totis viribus stare, & respondere pro vobis. Itaque recurro ad eum, cui in præsenti datum est judicare de universis, hoc est ad vos. Vos appello ad vos, vos judicate inter me, & vos.* Præterea appellans à Romano Pontifice negat ipsum esse supremum, & unicum caput totius Ecclesiæ, proinde negat Christum constituisse divum Petrum, & ejus successores caput visibile totius Ecclesiæ Catholicæ, quod adversatur Scripturis Joan. 21. *Pasce oves meas*, eo ipso, quod constituit Petrum & ejus successores Pastorem suarum oviom, generatim absque ulla restrictione, & limitatione, utique dedit Petro, & suis successoribus jurisdictionem necessariò conjunctam cum supremo regimine, consequenter concedens posse à Pontifice ad aliud tribunal appellari negat, Christum concessisse officium supremi Pastoris Petro, & ejus successoribus in Ecclesia militante. Præterea adversatur etiam articulo Nicænæ Synodi ubi vocat Ecclesiam; *Unam sanctam*: Unitas autem

tem

Unitas autem derivatur in Ecclesiam ex unitate capitis, quapropter Christus Joan. 10. ait: *Fiet unum ovile, & unus Pastor*, sin autem liceret appellare à Papa, & ille, ad quem appellaretur, esset caput, sequeretur, vel quod Papa non esset caput visibile totius Ecclesiæ Catholicæ: neque supremus Pastor ovium Christi contra scripturas, vel essent duo capita, quod esset monstruosum, & contra articulum Nicænæ Synodi, quia si duo essent capita Ecclesia non esset amplius una, quia cum habeat unitatem ex unitate capitis, sicut duo essent capita, duæ etiam essent Ecclesiæ & falsus articulus Nicænæ Synodi, quo credimus unam sanctam catholicam, & Apostolicam Ecclesiam: quapropter Bonifacius VIII. in *Extravag. Unam sanctam*, probat per unitatem Ecclesiæ, esse de necessitate salutis omnem humanam creaturam Romano Pontifici esse subjectam. Rursus concedens à Romano Pontifice posse appellari, negat Romanum Pontificem habere plenitudinem potestatis super omnes Christi oves, quia is, ad quem appellaretur, deberet majorem potestatem habere super Pontificem à quo appellatur quia is, ad quem appellatur potest mutare, vel moderari, vel etiam rescindere sententiam illius à quo appellatur: sin autem esset in Ecclesia qui posset sententiam summi Pontificis mutare: vel rescindere, utique esset majoris jurisdictionis, & authoritatis quàm Papa, qui tali potestate careret, & in hoc alteri subjiceretur, consequenter non haberet plenitudinem potestatis contra scripturas Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis, & quodcunque ligaveris in terris, & ligatum &c.* his enim verbis promisit Christus Petro, & suis successoribus plenitudinem potestatis in suas oves. Neque dici potest, Christum hanc plenitudinem potestatis soli Petro concessisse non verò ejus Successoribus, quia Christus eam concessit Petro non ut privatæ personæ sed ut insignito officio supremi Pastoris, seu dignitate Pontificia, hoc autem officium tamdiu debet durare in Ecclesia, quamdiu durant oves Christi, ne oves errarent sine Pastore & quia Petrus erat brevi moriturus, & post mortem Petri oves Christi perseveraturæ usque ad finem mundi, ideo officium supremi Pastoris cum plenitudine potestatis debuit à Petro in Linum transire, & à Lino in alios successores legitimè electos.

Hinc Summus Pontifex à nemine potest judicari, nisi à solo DEO, & ipse potest omnes Christi oves etiam in Concilio Generali congregatas judicare, adeo ut non sit Concilium Generale supra Pontificem, sed hic supra Concilium, possitque propterea Papa Concilium judicare, damnare, corrigere, & punire, non verò Papa potest à Concilio judicari, damnari, corrigi, & puniri, idque validius evinci non potest, quàm ex ipso facto Conciliorum, quæ se Pontifici Romano subjecerunt, & sententiam ab ipso prolatam audierunt: etenim Anno 303. cum Romæ Vulcanalia agerentur Marcellinus Papa ab Imperatoribus Diocletiano, & Maximiniano minis primùm, deinde blanditiis jussus Vestæ adoleret, cujus delicti à viris Christianis septuaginta duobus in Synodo trecentorum Patrum convictus & cum Sinuessæ in Crypta Cleopatrensi ubi coactum fuit Concilium nemo auderet in Pontificem sententiam proferre, sed unanimes dixerunt, ut sibimet jus diceret, seque ipsum vel absolveret, vel condemnaret: ipse in terram fusus velato capite, conspersoque cinere primus sententiam in se ipsum dixit: *Peccavi coram vobis, & non possum esse in ordine sacerdotum, quoniam avarus corrupit me auro* censuerunt igitur 300. illi Patres in Concilio congregati Pontificem à Concilio judicari non posse. Acta Concilii illius sunt hæc: *Synodus autem universa hoc dixit cunctorum judicio tu eris Judex: ex te damnaberis, & justificaberis: tu enim Judex tu reus.* Reliqua acta hujus Synodi habentur *Tom. 1. Concilior.* Rursus Anno 324. post baptizatum Romæ Constantinum à Beato Sylvestro in termis Trajani, 284. Episcopi se congregârunt Synodum celebraturi præsente Constantino ejusque Matre Helena, in qua hæresis Valentiniana, & Sabelliana damnata fuit, declaratum itidem fuit à prima sede seu Romano Pontifice non posse appellationem dari eò quia nulla sit Judex superior. Verba Concilii sunt: *Nemo dijudicet primam sedem, quoniam omnes sedes à prima sede justitiam desiderant temperare, neque ab Augusto, neque ab omni Clero* (seu Concilio Generali) *neque à Regibus, neque à populo Judex judicabitur*, habentur hæc verba in *cap. 20.* hujus Concilii, quod extat in *Tom. 1. Concilior.* Rursus anno 433. congregatum fuit Romæ in Basilica Heleniana in atrio Sessoriano Concilium in causa Sixti III. Pontificis, qui, cùm fuisset accusatus à Mariano Patritio, & ab Annitio Basso Consule stupri cum sacra Virgine, & Valentinianus Augustus adesset, cum dixissent Patres non licere adversus Pontificem dare: *Surrexit statim Imperator & arbitrio præfati Pontificis tribuit judicare judicium suum*, suntque verba Nicolai Papæ in epistola ad Michaelem Imperatorem quæ habetur Tom. 3. Concil. Rursus anno 502. sub Simacho Papa congregata fuit Romæ Synodus in Porticu Basilicæ sancti Petri quæ tunc temporis palmaria dicebatur, eò quia provecto ad Pontificatum Simacho Senatorum studiis, & pecunia oppositus fuerat Laurentius Anti-Papa, à quo cum calumniis Simachus denigraretur destinatus fuit à Theodorico Rege Italiæ Visitator, qui in vitam moresque Simachi inquireret, sed hic potius tyrannum agens, quàm visitatoris officium ac munus exerceret Inquisitoris, passus est in Synodo palmaria centum & quindecim Episcoporum dilutis criminibus, quæ Simacho opponebantur innocentiam suam probari: idque sequenti anno in alia Romana Synodo repetitum fuit, in qua etiam Enodio injunctum, ut scripta Apologia schismaticorum criminationem repelleret, quod tanta ab illo eloquentia, ac nervo factum fuit, ut omnium laudem mereretur, ait ipse in libel. qui extat Tom. 2. Concil. *Visitatores & aliis Episcopis dedit ipse, & justum est, ut falsi sui lege teneatur. Non vos in hoc titulo falsitatis successe dum mendacis adhærentia verba non arguo, Dico tamen latorem Juris definitionis sua, nisi velit, terminis non includi; & nisi princeps fastigii summum moderetur, frustra ad illud quod dederit, jus vocetur. Lex prohibentis, & mentis est, qua hominem viventem sine lege castigat: propriè moribus impendit, qui necessitati non debet disciplinam. Aliorum forte hominum causas DEUS voluit homines terminare: sed sedis istius Præsulis, suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli successores cœlo tantùm debere innocentiam, subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam. Nolite æstimare eas animas de inquisitoribus non habere formidinem,*

dinem, quas DEUS præ cæteris suo reservavit examini. Non habet apud illum Reus deallegationis minore subsidium; quando ipsorum factorum utitur eo teste quo Judice. Dicas forsitan omnium animarum talis erit in illa discrepatione conditio. Replicabo nunc dictum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & quæcunque solveris super terram erunt soluta & in cælis. Et rursus sanctorum voce patet, Pontificiam dignitatem sedis ejus factam toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium est, ubique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur de qua mihi videtur dictum per Prophetam: Si hæc humiliatur, ad cujus confugietis auxilium, & ubi relinquetis gloriam vestram? quid si immunda mihi labia habenti & nullis succensa carbonibus, ut Esaiæ concessum est, ut his ablutis ipsum ad passionis suæ tuenda privilegia Petrum Apostolum liceret evocare, & quod ait, precibus humana voce loqueretur? quem si audieritis, hæc diceret: Filii hominum usq; quò graves corde ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendaciũ? Scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum. Quid stabilia Christianis lubet cupitis fundamenta subruere? quid auribus imperitis illuditis, & graviorem vindictæ speciem facitis esse, quam culpa? si odium debetis excessibus, vos mundate. Cur liberius damnatis scelera, quam videtis? sui impugnator est qui fornicationis officiis urget adulteria, & per animarum stupra carnis accusat. Scriptum nempe retiae tis: maledicti omnes, qui fornicantur abs te. Fœda ergo à nitore Domini sui obligatione dissolvitur, qui statutis cœlestibus minus mera fidei dependit officia. Possessionis nostræ vobis (ut video) claritas movit invidiam quam simulata ut mali possessoris indignatione transfertis dum desudatis impendiis. Arcem, quæ fuistis conspicui, crebris labefactatam ictibus, nisi obsisterem, proposuistis subruere: & cœlo stabilitam machinam quanta sit ostendere per ruinam.

Anno 449. celebrata fuit secunda Synodus Ephesina sub Leone Pontifice Maximo Imperante Theodosio II. in qua Synodo interfuerunt Episcopi 128. & præsedit Dioscorus Patriarcha Alexandrinus, & à Leone missi fuerunt quatuor Legati, Renatus, & Hilarus Cardinales; Julianus Episcopus Puteolanus, & Dulcitius. In hac Synodo molitionibus Chrysaphii Eunuchi præpotentis, & præsertim Dioscoro minis, & armis omnia miscente, Euthiches absolutus, Flavianus Patriarcha Constantinopolitanus damnatus, & postea in exilium actus, & ibi consumptus. Legati Pontificis injuriis affecti, ac fugati, ut narrant acta Concilii Chalcedonensis in act. 1. & 2. Sed omnem audaciam excessit cum Alexandriæ in conventu paucorum Episcoporum quosque metu fregerat, ausus fuit in ipsum Leonem Pontificem sententiam proferre, ac eum sacris excludere. De hoc Dioscori scelere loquens Nicolaus I. in celebri epistola ad Michaelem Imperatorem ait: In tantum hanc præsumptionem sancti Patres apud Chalcedonem detestati sunt, ut Dioscorum Alexandrinum Antistitem licet cætera idcirco potissimum sine ulla restitutione damnaverint, quia in contumacia permanens, erga primæ sedis Romanæ privilegium resipiscere à suis superstitionibus ut servaretur à prima sede Apostolica, noluit: & ponens in cœlum os suum; & lingua ejus transeunte super terram excommunicationem in sanctum Leonem Papam dictavit, ita ut in sententia contra ipsum prolata hæc videantur memorare, præcipuè dicentes: quoniam secundis excessibus priorem iniquitatem valdè transcendit. Præsumpsit enim & excommunicationem dictare adversus sanctissimum, & beatissimum Archiepiscopum Magnæ Romæ Leonem. Nunquid ibi legitur inquisitionem fuisse factam; utrum justè, an injustè ipsum sit factum, Dioscorum excommunicationem dictâsse? Non planè, sed absque omni controversia hoc in eo ulti sunt, quia cum esset inferior, potiorem quibuslibet conatus est lacessere contumeliis; teste Anatolio Constantinopolitano Præsule, qui dicit propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit Domino Archiepiscopo Leoni, hactenus Nicolaus ad Michaelem. Hanc vero Synodum Ephesinam II. & omnia illius Acta damnavit, improbavit, ac irrita effecit Leo, ut constat ex illius Epistolis 22. 23. & sequent. quæ extant in Tom. 2. Concilior. ait Leo Epistol. 23. ad Theodosium Augustum. *Litteris Clementiæ vestræ, quas dudum ad beati Petri Apostoli sedem pro Catholicæ fidei amore misistis, tantam fiduciam sumpsimus defendendæ per vos veritatis, & pacis, ut in causa tam simplici, tamque munita nihil putaremus posse existere, quod noceret, præsertim cum ad episcopale Concilium, quod haberi apud Ephesum præcepistis, tam instructi sint missi, ut si scripta, quæ vel ad sanctam Synodum, vel ad Flavianum Episcopum detulerunt, Episcoporum publicari auribus Alexandrinus permisisset antistes, ita manifestatione purissimæ fidei, quam divinitus inspiratam, & accipimus, & tenemus omnium concertationum strepitus quievisset, ut nec imperitia ultra desiperet, nec occasionem nocendi æmulatio reperiret.* Quòd si Leo Romanus Pontifex hanc Ephesinam secundam Synodum delevit, ac irritam omnino effecit, & hæc irrationabilis comprobata à tota Ecclesia postea fuit, sequitur non Pontificem Concilio, sed Concilium Pontifici subjici, cum sententia & Acta Concilii deleta fuerint à Pontifice, & Pontificia sententia ab universali Ecclesia approbata.

Rursus Anno 800. sedente in Petri cathedra Leone III. & imperante Carolo Magno Romæ alia Synodus fuit congregata ex Episcopis omnibus Italiæ, & Galliarum, ut testatur Anastasius in vita Leonis: hujus congregandæ Synodûs causa fuit, quia cum Adriano Pontifici omnium suffragiis Leo successisset, cujus electionis invidiæ pulsati Paschalis, & Campulus Adriani Nepotes, eò quia & ipsi tiaræ inhiarent, ausi fuerunt Leonem solemni ritu preces fundentem armata manu invadere, cædere, ac in carcerem detrudere, & ut tam enormi sceleri velum prætenderent, ac veluti pallio tegerent; Leonem Pontificem variis patratis criminibus incusârunt, & cum jussu Caroli, qui decreverat in sacræ Majestatis reos vindicare, Episcopi inquirerent super objecta Pontifici statim omnium Antistitum audita fuit vox: *Nos sedem Apostolicam, quæ est caput omnium DEI Ecclesiarum judicare non audemus, nam ab ipsa nos omnes, & Vicario suo judicamur, ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit. sed sicut ipse summus Pontifex consuevit, jubeat canonicè, obediemus: at venerabilis Leo Præsul respondit, Prædecessorum Pontificum vestigia sequor, & de talibus falsis criminationibus, quæ super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum,* ita refert Anastasius in vita Leonis, & quasi iisdem verbis etiam Æmilius de gestis Francorum in Carolo M. Forma verò, quâ Leo se purgavit recitatur à Baronio ad annum 800. ex ritibus Rom. Ecclesiæ, ubi habetur: *Nota res est fratres charissimi malos adversum me homines insurrexisse, meq;*

ac vi-

ac vitam meam gravissimis criminibus infamâsse, cujus rei cognoscendæ gratia Clementissimus, ac Serenissimus Rex Carolus una cum Sacerdotibus ac Principibus suis in hanc urbem se contulit. Quamobrem ego Leo, Pontifex Sacra Romana Ecclesiæ, a nemine judicatus, neque coactus, sed mea voluntate impulsus, purgo me præsentibus vobis coram Deo, & Angelis ejus, qui conscientiam novit, & beato Petro, principe Apostolorum, in cujus conspectu consistimus, neque sceleratas res, quas mihi objiciunt perpetrâsse, neque perpetrari jussisse, Deum testans, in cujus judicium venturi sumus, & in cujus conspectu consistimus. Et hoc facio non legibus ullis obstrictus, neque hanc consuetudinem aut decretum in sancta Ecclesia successoribus meis, & fratribus Co Episcopis imponere cupiens, sed ut certius iniquis vos suspicionibus liberem. Rursus non desunt alia testimonia, quibus probatur, Concilia etiam generalia subjicere se Romano Pontifici, & hunc fateri supremum in Ecclesia Pastorem totius dominici gregis, seu totius Ecclesiæ, etiam in Concilio generali congregatæ: Anno Christi 868. in Synodo Romana sub Hadriano II. in causa Photii, in hæc verba Pontifex prælocutus fuit: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum præsulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licèt enim Honorio ab orientalibus post mortem anathema sit dictum; sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solum licitum est minoribus majorum suorum motibus resistere, vel pravos suos sensus liberè respuere: quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo, quamlibet fas fuerit, proferre sententiam, nisi ejusdem primæ sedis Pontificis consensus præcessisset.* Hæc autem verba lecta, & approbata fuerunt in octava Synodo Oecumenica Act. 7. Juvat observare, quòd tametsi omnia præfata Concilia non fuerint generalia; summam tamen vim habent, & auctoritatem ad probandum intentum, ac plenam fidem faciunt: non enim tot, tantique Episcopi doctrina insignes, pietate singulares, ab omni adulatione alieni, & Evangelii promulgatores, ignorantia decepti fuerunt; quod si censuissent Pontificem Romanum subjici Concilio generali, cum ipsi Concilium constituerent, sententiam contra seipsos non dixissent: sed quia Canones asserentes, Romano Pontifici Concilium subjici, non Pontificem Concilio, sunt luce meridiana clariora; nunquam Concilia hanc veritatem impugnare ausa sunt; quam declararunt S. Bonifacius Martyr *in c. si Papa dist.* 40. S. Anacletus *in dist.* 19. *c. electionem.* S. Innocentius Pontifex *in c. nemo* 9. *quæst.* 3. S. Anterus Martyr *in c. facta*, 9. *quæst.* 3. S. Gelasius Papa *in c. cuncta*, 9. *quæst.* 3. S. Nicolaus I. Papa *in epist. ad Michaelem Imperatorem c. patet* 9. *quæst.* 3. Paschalis Papa *in cap. significasti de elect.* Innocentius III. *in c. innotuit de elect.* Neque Pontifices testificantur pro sua propria causa, seu pro causa Dei, Christi, & Ecclesiæ, & pro ipsa rei veritate. Præterea Pontifex est supremus judex in Ecclesia constitutus à Christo, ut dirimeret controversias, quæ inter fideles oriuntur circa dubia religionis; proinde ad ipsum pertinet, hanc causam cognoscere, & sententiam dicere; alioquin si supremo in Ecclesia Pastori, & judici credi non debet, etiam loquenti in propria causa; quis huic controversiæ finem imponeret; non Consilium generale repræsentans universalem Ecclesiam, quia Concilium, cum sit pars, cum his instituitur, nequit esse judex, unde eadem exceptio premit etiam Concilium: Judex igitur hujus controversiæ debet Christus designari; & quia Christus non est in Ecclesia judex visibilis, cum non amplius vivat in terris, sed regnet in cœlis; debet ut Judex is in Ecclesia assignari, cui Christus suam credidit auctoritatem; is autem fuit Petrus, & ejus successores legitimè electi, quia cum Petrus esset brevi moriturus, non debuit Ecclesia destitui supremo Judice, neque oves Christi suo privari summo pastore. Quod si dicant Sectarii, Petrum patienter tolerasse objurgationem sibi à Paulo factam; cur ergo Papa non potest illam à Concilio generali procedentem æquo animo ferre? Respondetur nil obstare, quin ab inferiore possit superior objurgari, quia cum superior possit errare, corrigi potest ab inferiore, ut olim Nathan objurgavit, & correxit Davidem Regem: neque prohiberetur vir doctus, qui ut Paulus esset vas electionis, raptusque fuisset usque ad tertium cœlum peccantem Pontificem monere, vel corrigere, ut Paulus dicitur correxisse D. Petrum: secus ab inferiori nequit superior judicari, quia ferre judicium pertinet ad jurisdictionem, quæ repugnat in inferiore respectu superioris, alioquin esset superior ex suppositione, & non esset, quia subjiceretur jurisdictioni inferioris. Instant Sectarii asserentes Honorium Papam judicatum, & damnatum fuisse à sexta Synodo. Sed contra; quia vel Honorius fuit hæreticus, vel non fuit hæresi labe infectus: si fuit hæreticus, cessavit in ipso ex se sine alio judicio procedente à Concilio dignitas Pontificalis, & capitis visibilis Ecclesiæ: quia eo ipso, quod Papa est hæreticus, non est amplius membrum Ecclesiæ, consequenter neque caput ejusdem: si non fuit hæreticus, non fuit condemnatus: quia sententia condemnationis supponit delictum, supra quod debet essentialiter cadere. Præterea in Pontifice distinguenda est persona privata à Magisterio docente ex cathedra; quamvis ut persona privata obnoxius sit erroribus, non tamen ut publica docens ex cathedra ob specialem assistentiam Spiritus Sancti, & quia Christus rogavit æternum Patrem, ne unquam deficeret fides sui in Ecclesia Vicarii: *Ego rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua.* Hinc notandum est, Agathonem Papam in epist. ad Synodum 6. non dixisse Pontifices ut personas privatas non posse errare; sed sedem Apostolicam non esse erroribus obnoxiam; alius enim est error sedis Apostolicæ, & alius error personæ. Instant, quia sexta Synodus Oecumenica Can. 13. & 55. præcipit Romano Pontifici, ut permittat sacerdotibus matrimonii usum, & abroget Sabbathinum Jejunium. Respondetur, hanc Synodum fuisse Constantinopoli celebratam à solis Episcopis orientalibus duodecim annis à sexta Synodo sedente in Petri Cathedra Sergio Pontifice anno Christi 692. qui & eam vocarunt Penthectim, seu quini-sextam, eo quia eo prætextu fuerit congregata, ut quæ quintæ, & sextæ Synodi deessent, hæc, quæ & Trullana Synodus vocata fuit, suppleret, à loco instar Trullæ concamerato; adfuerunt quidem Patres 227. sed à sede Apostolica nullus missus, qui nomine Pontificis præsideret, propterea non fuit à Papa approbata, sed à Sergio damnata, ut referunt Beda de sexta ætate in Justiniano minore; & Anastasius in Sergio. Baronius ad annum Christi 692. Non tamen omnes Canones Trullani fuerunt à Pontifice damnati; sed tantùm aliqui, & alii tolerati causa vitandi schismatis, inter quos recensetur Canon de matrimonio Clericorum, ut notat Cabassutius ad Concilii Nicæni Can. 3. & Ancyrani Can. 10. ad Concilium Laodicenum c. 50.

Demum objiciunt c. si quis 42. q. 7. ubi legitur ex rescripto Romani Pontificis: *Si quis super his nos arguere voluerit, veniat ad sedem Apostolicam, ut ibi*

ut ibi ante confessionem B. Petri mecum justè decertet, quatenus inibi unus ex nobis sententiam suscipiat suam: ex quibus verbis infertur, Gregorium Papam (cujus sunt verba) agnoscere judicem aliquem, à quo possit judicari. Neque id novum, ac inauditum debet censeri, cum constet ex historiis, Liberium Pontificem à Constantio Imperatore, Sylverium à Justiniano, & Vigilium fuisse in exilium actos, & Joannem XII. ab Ottone I. depositum, & in ejus locum substitutum Leonem VIII. Et ab Henrico III. fuisse Gregorium VI. in ordinem redactum; & adactum Clementem II. se dignitate Pontificia abdicare. Ergo Romani Pontifices non sunt in Ecclesia primarii ac supremi judices, cum à Principibus sæcularibus judicentur. Quod si Principes sæculares potuerunt in Romanos Pontifices sententiam dicere; quanto magis poterit eos judicare Concilium generale repræsentans Ecclesiam universalem, & constans ex Sacerdotibus, ac Præsulibus, ut fatentur ipsi Romani Pontifices *in c. Petrus, & cap. Nos si incompetenter.* Sed contra, quia coacervata exempla non probant contra expressos Canones, etenim juxta regulam juris per textus l. sed licèt ff. de off. præf. l. Nemo c. de sent. & interlocut. & c. sana d. 9. *Non exemplis, sed legibus judicandum est.* Ratio est, quia exempla sunt hominum facta, quorum aliqua bona sunt; alia mala, & à lege prohibita; prius quàm adducerentur in probationem, ostendendum esset exempla illa bona esse, & juxta leges peracta: nullum est delictum, quod exemplo careat: unde non omnia exempla adduci possunt pro argumento ad aliquid probandum: in casu nostro Constantius, & Justinianus Imperatores injustè processerunt in Pontifices Romanos absque ullo jure, sed per summam injuriam. Otto I. Joannem XII. è trono, & sede Pontificali expulit ex zelo magis, quàm æquitate, cum nullum jus habuerit in Pontificem, sed quia delictis magis, quàm dignitate erat maximus Otto belli magis, quam legum, & juris peritus ex zelo ductus ipsum è Cathedra S. Petri expulit. Quod verò ad citatos Canones attinet, respondetur posse Pontifices certos propriæ innocentiæ, admittere examen propriæ causæ, eamque remittere ad principes sæculares, ut cognoscant innocentiam, videant justitiam; hoc autem non est subjici jurisdictioni alterius. Tum quia tunc non se ipsum ut personam publicam, ac supremum universalis Ecclesiæ pastorem Pontifex alteri submittit; sed tantùm suum factum ut procedens à persona privata; idque exemplo Christi Domini, qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum formam servi accipiens factus obediens usque ad mortem: hinc accersendus Gratianus post cap. testes 2. q. 7. ubi ait: *Aliud est, quod de rigore cogimur servare disciplinæ, aliud, quod admittitur ex perfectionis consideratione. Christus ad se arguendum Judæos admisit perfectione humilitatis, non severitate juris. Si enim legis rigore essent admissi, hac auctoritate criminosi, & infames in accusatione religiosorum essent recipiendi, cum essent sceleratissimi, qui de Christi nece tractantes, innocentem condemnare volebant. Hoc ergo exemplo Prælati non coguntur recipere subditos in accusatione sui, sed permittuntur. Item Paulus Petrum reprehendit, qui princeps erat Apostolorum. Unde datur intelligi, quòd subditi possunt reprehendere prælatos suos, si reprehensibiles fuerint. Sed hoc facile refellitur, si unde sit reprehensus, advertitur. Petrus cogebat gentes judaizare, & à veritate Evangelii recedere cum Judæis gregem faciens, & à cibis gentilium latenter se subtrahens. Par autem in se est, à fide exorbitare, & alios exemplo, vel verbo à fide dejicere. Ergo hoc exemplo non probantur prælati accusandi à subditis, nisi fortè à fide exorbitaverint, vel alios exorbitare coegerint:* hactenus Gratianus, qui ad aliud *c. Petrus eodem* ait: *Petrus potestatem regni acceperat, & tamen idem Apostolorum primus querimonia contra eum à fidelibus facta, cur ad gentes intrasset, non ex potestate officii, quâ posset dicere, oves pastorem suum non accusent, nec reprehendant; sed ex ratione divinæ virtutis, quâ gentiles acceperant Spiritum Sanctum, respondit.*

Ex SS. Patribus objiciunt, S. Cyprianum ægrè tulisse appellationes ad Romanum Pontificem, & eos reprehendisse qui ad Romanum Pontificem appellarunt, ait Cyprianus lib. 1. epist. 3. *Nam cum statutum sit ab omnibus nobis, & æquum sit pariter, ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum:* & paucis interjectis subdit: *Nisi si paucis desperatis, ac perditis, minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum,* ubi reprehendit appellantes ad Romanum Pontificem, eo quia Episcopi Africæ non sint minoris auctoritatis, cum id statutum fuerit in Concilio Episcoporum. Sed contra, quia Cyprianus tantùm ægrè tulit appellationem eorum, qui de manifestissimis criminibus convicti & judicati fuerant; non verò alias sustulit ad Romanum Pontificem appellationes; idque apertè constat ex lib. 1. epist. 4 ubi loquens de Basilide, qui damnatus in Hispania appellavit ad Stephanum Romanum Pontificem; ait enim: *Neque tam culpandus est ille,* (scilicet Stephanus) *cui negligenter obreptum est; quàm hic* (scilicet Basilides) *execrandus, qui fraudulenter obrepsit.* Quod si putasset, non esse appellationes ad Romanum Pontificem deferendas, certè culpandus esset, eo quia appellationem non rejecisset, tametsi Basilides justam habuisset causam. Ad aliud, quod ait Cyprianus: *Illic causa audiatur, ubi est crimen admissum;* respondetur hoc decreto constitui, ut causa primùm judicetur, ubi est crimen patratum; non tamen postea prohiberi, partem, quæ se gravatam putat posse ad supremum judicem, seu summum Pontificem appellare: asserit Cyprianus, non prohiberi rem semel judicatam posse secundò alibi judicari. Quòd si dicas, Cyprianum hoc decreto probâsse, non debuisse Basilidem appellare ad Romanum Pontificem; consequenter ex Cypriano hujusmodi appellationes esse prohibitas. Contra est, quia Cyprianus non ex hoc solo decreto argumentabatur; sed ex hoc decreto, & adjunctis pluribus aliis circumstantiis, & præsertim manifestissimis reorum criminibus: Cypriani argumentum erat: debet uniuscujusque causa ex decreto Concilii illic audiri, & judicari, ubi est crimen patratum: sed eorum causa jam audita est, & manifestè eorum crimina detecta, & probata, ergo non est necesse, ulterius Romam appellare, nisi fortassis Episcopi, qui jam causam judicaverunt, excesserint in pœnis injungendis: unde Cyprianus non prohibet appellationes ad Romanum Pontificem, si justæ causæ subsint. Præterea si per hoc decretum prohiberentur appellationes ad Romanum Pontificem, utique prohiberentur ad quemlibet alium judicem, ut fatentur Sectarii, præsertim Magdeburgenses cent. 3. cap. 7. col. 176. & verba ipsa, quæ generalia sunt, id significant: sed absurda est illa lex. quæ omnem prohibet appellationem à judice inferiore plerumque passione obcæcato ad superiorem tectum, & indifferentem, alioquin lex illa prohiberet ministrari justitiam, contra naturam legis, quæ exigit sanciri in commodum commune: ergo in Ecclesia Christi ineptissima esset lex illa, quæ prohiberet appellationes ad Romanum

Ponti-

Pontificem? & cum respublica ecclesiastica fuerit sapientissimè ordinata à Christo, non potest dari in illa lex ista. Ad aliud, quod Cyprianus addit, Episcopos Africæ non esse minoris authoritatis. Respondetur illud *minoris* non referre comparationem ad Romanos Pontifices, sed ad causam, de qua tunc agebatur: adeo ut sensus sit, Episcopos Africæ non esse minoris auctoritatis, quàm sufficiat ad causam illam judicandam; quod si Episcopi sunt judices competentes, & sufficientes ad rectum judicium ferendum, ad quid appellare ad judicem dissitum, & maria trajicere?

Objiciunt Lutherani epistolam Damasi Papæ directam ad Theophilum, & Anysium, estque inter epistolas Ambrosii 39. ubi ait: *Cum hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso, atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non potest:* ex quibus liquet, Pontificem Damasum fateri, non habere formam judicandi in id, quod à Concilio judicatum jam fuit. Sed contra, quia præcitata epistola non est Damasi, & in operibus Ambrosii tribuitur Ambrosio, imò neque est ipsius Ambrosii, cujus nulla prorsus in eadem fit mentio; sed est cujusdam alterius incerti, & addita epistolis ab Ambrosio congestis. Præterea tametsi concedamus, talem epistolam reverà fuisse Damasi; non tamen Damasus in ea dicit, se non posse judicare, sed tantum non convenire tunc judicium ferre, ad significandum, quod Concilium maturè perpensis omnibus rectissimè judicaverit, proinde non convenire, ut Romanus Pontifex, quamvis supremus Judex ulterius eamdem causam cognoscat, & judicet, quamvis eidem insit facultas judicandi.

Calvinus lib. 4. Instit. cap. 7. §. 7. objicit Concilium Milevitanum, eo quia in Canone 22. statuat: *Quòd si ab eis* (id est, Episcopis vicinis) *provocandum putaverint, non provocent, nisi ad Africana Concilia, vel ad primates provinciarum suarum. Ad transmarina autem, qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur.* Sed contra respondent plures cum Gratiano 2. *quæst. 6. can. placuit*, hunc Canonem citari à Sectariis mutilum, omittunt enim, quæ essent addenda hæc verba, *nisi forte ad Apostolicam sedem appelletur*, in negotio magni momenti; quia propter levia censuerunt Episcopi Africani, non esse appellandum ultra mare, seu ad Romanum Pontificem, cum maris trajectio periculis non sit vacua. Præterea appellationes ad Romanum Pontificem sunt appellationes Episcoporum, non minorum Clericorum; & Canon citatus loquitur de appellationibus minorum Clericorum. Cæterum Concilium Sardicense decrevit, Episcopos posse appellare ad Romanum Pontificem Can. 4. & 7. & voluit causas minorum Clericorum terminari apud vicinos Episcopos; ita tamen, ut liceat Clericis minoribus ab uno Episcopo appellare ad alium ejusdem provinciæ, ut habetur in Canone 17. & hos duos Canones Zozimus Papa non solùm approbavit, sed etiam innovavit, & præcepit Africanis mandari in executionem. Quòd verò Concilium Milevitanum loquatur de Clericis minoribus, non de Episcopis, constat ex ipso Augustino, qui huic Concilio interfuit: scribit enim in epistola 162. Licitum esse Episcopis Africanis appellare ultra mare, scilicet ad Romanum Pontificem: Incipit Augustinus suam epistolam: *Placuit ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici in causis, quas habuerint &c.* & Concilium Milevitanum fuisse approbatum ab Innocentio primo, constat ex epistola ab eodem Pontifice scripta ad Concilium, estque inter epistolas Augustini 93. Pontifex certè non approbasset Concilium Milevitanum, si in illo Apostolicæ sedi derogatum fuisset, ex quo apparet, quàm falsum sit, quod Calvinus somniavit, scilicet Zozimum conatum fuisse, ut Canon iste Concilii Milevitani in Concilio VI. Carthaginensi corrigeretur; constat enim oppositum, scilicet Zozimum jussisse, ut Canon ille confirmaretur. Neque obstat, quòd Romani Pontifices susceperint Apiarium Presbyterum Africanum appellantem ad sedem Apostolicam. Quia licet prohibitum fuerit Clericis inferioribus appellare ultra mare, non tamen Episcopi Africani prohibuerunt, neque potuerunt prohibere Pontifici, se illos ad se appellantes admittere. Præterea Romani Pontifices non tam susceperunt appellationem Apiarii, quàm audierint ejus querimonias, & injunxerint Episcopis Africanis, ut ejus causam diligenter cognoscerent, ac fideliter judicarent; ex iisdem epistolis apparet, Apiarium bis pro sua causa venisse Romam, & utraque vice remissum in Africam, & ibi in Concilio judicatum.

Objicit ulterius Calvinus lib. 4. Instit. c. 7. §. 10. epistolam 162. D. Augustini, ubi causa Cæciliani judicata priùs à Pontifice, adhuc jussu Imperatoris judicata postea fuit ab Episcopo Arelatensi; imò etiam tertiò ab ipso Imperatore, ex quo trino judicio infert, Romanum Pontificem non fuisse à Christo constitutum supremum Judicem, à quo non possit appellari ad alium judicem. Sed contra, quia Donatistæ non detulerunt causam Cæciliani ad Pontificem, à quo judicaretur; sed immediatè ad Imperatorem, à quo transmissa fuit ad Pontificem, ut ad judicem solum competentem, ad cujus forum causa illa spectabat: hinc Augustinus reprehendit Donatistas, quia causam illam ad judicem non competentem detulerint; & laudat Constantinum; qui non est ausus causas spectantes ad forum ecclesiasticum suscipere, neque cognoscere ad judicandum. Cæterum Pontifex, ut satisfaceret Donatistis, & acquiescerent. permisit etiam alios assignatos ab Imperatore intervenire illi judicio, ut omnes suspicionum umbras à Donatistis averteret. Quòd verò eadem causa jam à Pontifice judicata; iterum judicaretur ab Episcopo Arelatense, & Imperatore, respondet D. Augustinus, id non factum fuisse ex necessitate; sed tantum ad obstruenda ora Donatistarum; unde Imperator non nisi petita venia à Papa, & Episcopo Arelatense invitus cognovit causam Cæciliani, quamvis ad ipsius forum non pertineret, neque judicium esset validum.

Tandem argumentum aliis nervosius putant Sectarii esse petendum ex historia Concilii VI. Carthaginensis, quia ut ibi narratur, cum Zozimus Papa ab Africanis per Legatos petiisset, ut tres Canones Nicenæ Synodi servarent, quorum unus erat de Appellationibus Episcoporum ultra mare, seu ad Romanum Pontificem, alius de appellationibus Presbyterorum, ac minorum Clericorum ad Episcopos vicinos; & tertius de non frequentanda aula Imperatoris, audito Pontificis mandato Afri congregarunt Concilium nationale, in quo interfuerunt Episcopi ducenti & octodecim, qui mortuo Zozimo responderunt illius successori Bonifacio; se non invenire illos Canones in Concilio Nicæno, se tamen scripturos ad Patriarchas Orientis Constantinopolitanum, & Alexandrinum, ut ad se mittant authentica exemplaria Nicænæ Synodi; interim tamen se Canones illos mandaturos exequutioni salva diligentiore inspectione authenticorum exemplarium. Sed cum

venissent authentica exemplaria missa à Patriarchis Attico Constantinopolitano, & Cyrillo Alexandrino, in iis non fuerunt inventi præfati tres Canones; sed tantùm viginti illi, qui recitantur in Historia Ruffini lib. 10. cap. 6. quam Historiam Cyrillus citat in epistola ad Africanos: cumque Afri non invenissent in exemplaribus ad se missis Canones illos responderunt Cælestino Papæ, qui Bonifacio successerat; quòd cum Canones reperti non fuerint in authenticis exemplaribus Nicænæ Synodi, non facilè imposterum fore admittendas appellationes ex Africa: hæc omnia habentur in sexta Synodo Carthaginensi, cui inseruntur binæ illæ epistolæ. quid vero Pontifex responderit, ibi non habetur. Ex hac Historia Carthaginensis Concilii Sectarii, præsertim Illyrius plura effusit in Romanos Pontifices convicia, ad cujus retundendam temeritatem sufficit legere acta Concilii Carthaginensis, & epistolas ejusdem Concilii scriptas ad Bonifacium, & Cælestinum. Plura enim Illyrius fingit mendacia in suo libello. Primò asserit initio libri in Concilio illo Carthaginensi, interfuisse cum Augustino Prosperum, & Orosium; quod falsissimum est, quia Prosper, & Orosius non erant Afri, neque ipsos spectabat Concilium Carthaginense, ex solis Episcopis nationalibus, seu Africanis compositum; propterea tempore, quo Concilium Carthaginense fuit celebratum, Prosper, & Orosius non erant Episcopi: rursus in toto illo Concilio neque unica tantum vice Prosper, & Orosius nominantur; neque in Cathalogo Episcoporum, qui interfuerunt Concilio illi. Secundò asserit Illyrius cum Bonifacio Papa simul in schismate electum fuisse Eulabium, sed Eulabium quamvis à majore parte Cleri, & populi electum ob modestiam sponte cessisse. Sed gratis hoc Illyrius asserit, neque unum sui dicti adfert testem, nec quidquam, quo possit id verisimile suspicari: Bene tamen in oppositum adducitur Anastasius Bibliothecarius, qui in vita ejusdem Bonifacii refert ejectum Eulabium, ut illegitimè ordinatum; & confirmatum ut justè electum Bonifacium. Tertiò refert Illyrius, Romanos Pontifices à Patribus Afris postulâsse jurisdictionem sibi dari in Africam, & in omnes alias regiones; & in toto quinquennio continuâsset petitio: tandem à Concilio definitum fuisse, nullum jus esse Pontifici Romano concedendum in Africam, aliásque finitimas regiones. Sed hoc totum merum est mendacium, quia gratis sine ullo teste hoc asserit, & absque ulla probabilitate. Quis enim credat, Romanum Pontificem ab Afris postulâsse illam jurisdictionem, quam jam acceperat à Jesu Christo cum officio supremi Pastoris in Ecclesia. Deinde quomodo potuit Pontifex postulare ab Afris jurisdictionem in omnes alias regiones Asiam, Europam, Americam, si Afri nullum in his regionibus habuerunt dominium, nullam jurisdictionem, quomodo vir sensatus potest ab alio petere, quod scit non habere? Falsum est, etiam Africanos Patres in hac causa laborâsse toto quinquennio, cum uno vel altero verbo possent statim respondere. An non rideretur, si à Venetis peteret quis jurisdictionem in totum regnum Neapolitanum? & quod Veneti per quinquennium deberet laborare in respondendo, ad ipsos non pertinere disponere de alieno regno. Aliud Illyrius mendacium crassius fingit, scilicet Zozimum Papam falsasse ex industria, & contra conscientiam Nicænam Synodum ad eum finem, ut jugum imponeret Afris. Nam contra est, quia eatenus Zozimus dicitur ab hæreticis falsasse Nicænam Synodum, quia citavit tres Canones, qui non fuerunt ab Episcopis Africanis reperti in exemplaribus Nicænæ Synodi; hæc autem ratio est nulla, quia plures alii fuerunt Canones Concilii Nicæni, qui non continentur in iisdem exemplaribus missis à Patriarchis Alexandrino, & Constantinopolitano: non enim Canones illi fuerunt integri: unde ex eo, quòd tres illi Canones allati à Zozimo non fuerint inserti in præfatis exemplaribus, non sequitur, Zozimum falsasse ex dolo Nicænam Synodum, ut jugum imponeret Afris. Quòd Canones inserti exemplaribus non fuerint integri; probatum manifestè, quia Canones inserti exemplaribus missis ad Episcopos Africanos sunt tantum illi viginti, quos recitat Ruffin. lib. 10. c. 6. qui rem totam narrat, & recitat Canones insertos illis exemplaribus: etenim D. Ambros. in epist. 82. docet in Concilio Nicæno statutum fuisse, ne bigamus in Clericum assumatur; & hic Canon non invenitur inter 20. recitatos à Ruffino lib. 10. c. 6. Rursus D. Hieron. præfatione in Judith affirmat librum Judith à Concilio Nicæno fuisse inter Canonicos receptum; & tamen hujus libri nulla fit mentio in Canonibus illis 20. recensitis à Ruffino, & insertis exemplaribus missis ad Episcopos Africanos. August. epist. 110. de successore designando, ait in Nicæna Synodo prohibitum esse, ne duo Episcopi simul sedeant in eadem Ecclesia, contra quem Canonem se imprudenter fecisse, dolens fatetur; & tamen de hoc Canone nullum fit verbum in illis 20. recensitis à Ruffino. Porro in Concilio Africano Canone 14. asserunt Patres ex Canone Nicænæ Synodi, non licere eucharistiam deferre, nisi jejunis, & de hoc Canone nulla mentio in illis 20. adductis in exemplaribus missis ad Episcopos Africanos. Præterea in fine Concilii Chalcedonensis Atticus refert, in Nicæna Synodo decretam fuisse rationem scribendarum formatarum epistolarum, de quibus etiam loquitur Optat. lib. 2. contra Parmenian. inquiens: *Cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in communionis societatem communicat:* Concilium itidem Milevitanum prohibet Clericis ire ad comitatum sine literis formatis; de quibus nulla mentio in 20. Canonibus Ruffini: ergo Canones Nicænæ Synodi inserti exemplaribus missis ad Episcopos Africæ non fuerunt integri: proinde non mirum, si tres prærecensiti Canones à Zozimo Papa non fuerint inventi in illis exemplaribus missis ad Patres Africæ. Demum Sectarii, præsertim Lutherus, Calvinus ex Socrate lib. 1. hist. c. 8 adferunt Canonem Concilii Nicæni, quo permittitur Sacerdotibus uxores ducere; & tamen neque Canon iste reperitur in illis 20. relatis à Ruffino. Non igitur Zozimus Papa corrupit Nicænam Synodum ex eo, quòd recensiti Canones Nicænæ Synodi non fuerint inventi in illis 20. à Ruffino relatis: alioquin corrupissent, ac falsassent Nicænam Synodum Athanasius, Epiphan. Ambros. Hieron. Augnst. Constant. Atticus, Socrates non ob aliam causam, nisi quia Canones, quos citant SS. Patres, & alii non fuerint reperti in exemplaribus missis ad Episcopos African, nec in 20. Canonibus recensitis à Ruffino, quasi exemplaria, & Canones non potuissent ab hominibus mutilari, aut quidquam ex illis Canonibus omitti.

Sed dato etiam tres illos Canones recensitos à Zozimo Papa non fuisse expresse Nicænæ Synodi; non tamen inde sequitur, Zozymum dolosè Nicænam Synodum corrupisse: siquidem tres illi Canones, de quibus est quæstio cum Sectariis à Zozymo & Bonifacio vocantur Canones Nicænæ Synodi; quia Concilium Nicænum, & Sardicense habentur pro uno & eodem, & utriusque Concilii Canones conjuncti erant in Bibliotheca Romana, tanquam si unius fuissent Concilii; quia verò id latuit Episcopos Africanos, ideo nonnihil turbati fuerunt. Rationes id asserendi

affert

affert Bellarmin. lib. 11. de Rom. Pont. cap. 25. quarum prima est, quia eadem prorsus verba, quibus præfati tres Canones fuerunt expressi à Legatis Zozimi, habentur in Concilio Sardicensi, quòd si fuissent Canones Nicænæ Synodi, Patres Concilii Sardicensis eos non condidissent ut novos, sed dixissent à se renovari hos Canones antea conditos à Nicæna Synodo. Secunda, quia præfati tres Canones, si non explicitè saltem implicitè continebantur in Nicæna Synodo, quæ Canone sexto jubet servari antiquas consuetudines, & illarum una erat de appellationibus ad Romanum Pontificem, ut postea expressè Concilium Sardicense declaravit, ac decrevit. Tertia quia Atrebati habentur simul Canones utriusque Synodi Nicænæ, & Sardicensis, veluti ejusdem Concilii, & adhuc asservantur in Monasterio S. Vadasti. Quarta quia alioquin non posset reddi ratio, cur Concilium Sardicense non numeretur inter generalia, cum revera habeatur pro generali; sed ideo non additur aliis, quia pro uno, & eodem habetur cum Nicæna; eò quia fere iidem Patres utrique Concilio interfuerint, & nihil novi in Sardicensi quoad fidem definitum fuit, sed tantum Nicæna fides confirmata, magisque corroborata; & novæ quæ ortæ fuerunt hæreses damnatæ: unde Zozimus non fraudulenter citavit Concilium Nicænum pro Sardicensi, sed quia pro uno eodemque Concilio habebantur, & putat Bellarminus, hoc idem dicendum esse de Julio in epistola ad Orientales, Innocentio epistola ad Victricium; Leone epist. 25. ad Theodosium, qui hunc Canonem citant nomine Concilii Nicæni. Quo pacto Symbolum Constantinopolitanum persæpe vocatur Nicænum; eo quia sit explicatio Nicæni; ita Canones Sardicenses solent vocari Nicæni, eo quia sint explicatio Nicænorum; & qui in Nicæno ponuntur implicitè, in Sardicensi habentur explicitè. Addit Bellarmin. Patres Concilii Carthaginensis nunquam decrevisse, neque declarasse, ut nullum jus Rom. Pontifici in Africam tribueretur; neque ut Africani Episcopi non appellarent ad Roman. Pontificem; neque dissidium inter Rom. Pontificem, & Patres Concilii Carthaginensis fuit tantum, sicut exagerant Sectarii, præsertim Calvinus & Illyricus, qui totis viribus nituntur evertere supremam in Ecclesia auctoritatem, quam Christus dedit Petro, & ejus successoribus legitimè electis. Neque Sectarii possunt tale decretum emanatum à Patribus Concilii Carthaginensis afferre, neque judicare ubi extet; bene tamen extat, & vitatur epistola Patrum Carthaginensium scripta ad Bonifacium Rom. Pontificem, & alia ad Cælestinum, in quibus fatentur, ac declarant suam subjectionem ad sedem Apostolicam, citat utramque epistolam, & alteram S. Augustini Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 2. cap. 25. ipsum Consule.

CAPUT V.

Primatus in Ecclesia universali Romani Pontificis evincitur ex eo, quod à Concilio generali ad ipsum detur appellatio, ut à minori, & subdito ad majorem, & superiorem.

Ex eo quòd Romanus Pontifex à nemine possit in terris judicari; sed possit ipse omnes judicare, etiam totam Ecclesiam universalem repræsentatam in Concilio generali, à quo propterea ad Romanum Pontificem, ut ad supremum caput, & judicem detur appellatio, evidenter demonstratur, inesse illi supremam auctoritatem in Ecclesia, adeo ut eadem, quæ à Christo fuit collata Petro verbis illis Joan. 21. *Pasce oves meas*, transeat in Petri successores, qui & ipsi officio funguntur supremi Pastoris, quia Pastor debuit tamdiu durare, quamdiu sunt Christi oves, quæ cum sint perseveraturæ usque ad finem mundi, indigebant toto hoc tempore Pastore, à quo pascerentur, ac dirigerentur in viam salutis. Quòd si Christi oves seu fideles diriguntur, & judicantur à Romano Pontifice, tametsi Concilium generale repræsentet totam Ecclesiam Catholicam, seu universalem, sequitur Romanum Pontificem habere in Ecclesia eamdem primariam auctoritatem collatam à Christo D. Petro: siquidem exploratì est juris, illum esse majorem, ac superiorem habere potestatem, ad quem fit appellatio, quia hæc exigit fieri à minori ad majorem Judicem; quia Judex, ad quem appellatur, potest rescindere, corrigere sententiam illius judicis, à quo appellatur, ejusque suspendere jurisdictionem, & imperare executionem sententiæ, quæ omnia non possunt fieri, nisi à Judice habente majorem authoritatem, quique sit superior: unde si ostenderimus Concilia generalia appellasse in controversiis subortis ad Romanum Pontificem, probatum erit, Romanum Pontificem habere in Ecclesia supremam auctoritatem.

Probatur igitur primo ex Jure Canonico c. cuncta 9. quæst. 3. ubi habetur: *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quod sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat judicandi; nec cuique de ejus liceat judicare judicio: siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est: ab illa autem nullus permissus est appellare*; & paucis interjectis subditur: *hoc nimirum pro suo principatu. quem B. Petrus Apostolus Domini, & voce tenuit. & tenebit semper.* Quòd si potest de omnibus in Ecclesia judicare, etiam de Concilio generali repræsentante universalem Ecclesiam, proinde potest Concilium generale ad Pontificem Romanum appellare, ut ad supremum Judicem universalis Ecclesiæ. Hoc idem exprimitur in c. ipsi 9. quæst. 3. ubi legimus: *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluere deferri. Ab ipsa verò nusquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare; ipsam ad nullius commeare judicium: nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt, non oportere dissolvi, cujus potius decreta sequenda mandarunt.* Hinc D. Thomas de Pot. q. 10. art. 4. ad 13. ex gestis Chalcedonensis Concilii docet primò, sententiam Synodi à Papa confirmari. Secundò à Synodo appellari ad Papam. Tertiò à Papa ad Synodum non appellari, ut habetur ex gestis Concilii Ephesini. Et Gelasius 1. epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ ait: *Sedes B. Petri Apostoli jus habet resolvendi, utpote qua de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint; ab ea autem nullus sit appellare permissus.* Loquuntur de Pontifice, ratione solius Pontificatus, seu dignitatis Ecclesiasticæ, tametsi temporalem nullam haberet jurisdictionem, nec ditionem. Hanc veritatem declaravit, ac confirmavit Concilium Sardicense Oecumenicum sub Julio Pontifice, & Imperatoribus Constante, & Constantio

 anno

anno 347. in causa Athanasii celebratum; etenim hæc Synodus Canone 3. & 4. alias 7. hæc habet: *Quod si aliquis Episcopus adjudicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum judicium renovetur, si vobis placet, S. Petri memoriam honoremus, ut scribatur, vel ab his, qui examinaverunt, vel etiam ab aliis Episcopis, qui in propinquo morantur, Julio Romano Episcopo. Et si judicaverit, renovandum esse judicium, renovetur, & det judices; sin autem probaverit talem causam, ut ea non refricentur, quæ acta sunt; quæ decreverit Roman. Pontifex, confirmata erunt: sin autem omnibus placet, statuatur. Synodus respondit, placet.* Nicæna Synodus hoc idem asserit, & confirmat Can. 18. *Placuit ut omnes Episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necessè fuerit, libere Apostolicam sedem appellent; atque ad eam, quasi ad matrem confugiant, ut ab ea sicut semper fuit, piè fulciantur, defendantur ac liberentur. Cujus dispositioni omnes majores ecclesiasticas causas, & Episcoporum judicia, antiqua Apostolorum, eorúmque successorum, atque Canonum authoritas reservavit.* Hunc appellandi morem antiquissimum esse in Ecclesia, testatur S. Leo epist. 87. ad Episcopos Galliæ, quæ extat in Tomo 2. Conciliorum ante Concilium Chalcedonense: ubi præ aliis hæc habentur: *Nobiscum itaque vestra Fraternitas recognoscat Apostolicam sedem, pro sui reverentia, à vestra etiam Provincia Sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam, & pro diversarum (quemadmodum vetus consuetudo poscebat) appellatione causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse judicia, adeo ut servata unitate Spiritus in vinculo pacis commeantibus hinc inde literis, quod sanctè agebatur, perpetua proficeret charitati. Quam sollicitudo nostra non sua quærens, sed quæ sunt Christi, dignitatem divinitus datam nec Ecclesiis, nec Ecclesiarum Sacerdotibus abrogabat. Sed hunc tramitem semper inter majores nostros, & bene textum, ac salubriter constitutum Hilarius Ecclesiarum statum, & concordiam Sacerdotum novis præsumptionibus turbaturus, excessit.* Si igitur Rom. Pontifex ut supremus in Ecclesia Judex omnium fidelium suscipit appellationes, & causas judicat ecclesiasticas, sequitur supra Papam non dari alium judicem superiorem, neque à sententia Papæ posse appellari. Scitè S. Antonin. in summa T. 23. c. 3. §. 5. *Quicunque sentit, quod à Rom. Pontifice ad quemcunque alium liceat appellare, conatur, quantum in se est, auferre privilegia Romanæ Ecclesiæ, quod probatur ex omnibus præmissis. Quicunque sentit, Rom. Pontificem non esse summum, supremum, & unicum caput totius Ecclesiæ, auferre conatur privilegium Rom. Ecclesiæ à Christo concessum: sed quicunque à Papa appellandum esse sentit; utique sentit, Papam non esse summum, & unicum caput Ecclesiæ, consequenter sentit contra articulum Nicænæ Synodi, ubi credimus unam S. Catholicam Ecclesiam, quæ suam habet unitatem ab unitate capitis, Unde Joan. 10. dicit Christus: Fiet unum ovile, & unus Pastor: sed si licitum esset appellare à Papa, & ille, ad quem appellaretur esset caput, jam Romanus Pontifex non esset caput Ecclesiæ, vel duo darentur capita in uno Ecclesiæ corpore quod propterea monstrosum esset, ac dirumperet Ecclesiæ unitatem.*

Hinc statim apparet, quantum à vero erraverint Sectarii asserentes, Pontificem posse ab Imperatore judicari, quem errorem fusè ac nervosè impugnat Joannes de Turrecremata lib. 4. summæ de Ecclesia part. 2. cap. 37. & lib. 2. cap. 93. ubi primus hujus erroris author dicitur fuisse quidem Marsilius. Apparet itidem falsitas alterius erroris cujusdam Nili authoris Græci, qui in suo libro de primatu, quamvis doceat, Romanum Pontificem non posse judicari à Principe sæculari, vult tamen subjici Concilio Episcoporum, à quo possit judicari. Calvinus, & alii recentiores Sectarii eandem crambem recoquentes, utrumque errorem sibi usurparunt, ac nituntur propugnare, præsertim Calvinus *lib. 4. Instit. cap. 7. §. 19.* Sed uterque error est expugnatu facilis, quia cum Romanus Pontifex sit caput visibilis totius Ecclesiæ Catholicæ, seu universalis, sequitur evidenter non posse à sententia Papæ appellari ad alium judicem, neque ab ipso judicari, quia explorati est juris, majorem esse illum, ad quem appellatur eô, à quo appellatur, judex enim *ad quem* sententiam corrigit, rescindit, & jurisdictionem exercet in judicem, *à quo* appellatur, quæ omnia fieri non possunt, nisi à majore, ac superiore. Rursus ex eo, quod regimen ecclesiasticum sit spirituale, quod procul dubio majus est, ac longè sublimius quovis regimine temporali, sequitur non posse à sententia Papæ appellari ad Imperatorem, nec ad Principem Reipublicæ temporalis, alioqoin spiritualia subjicerentur temporalibus, & rerum ordo perverteretur. Quamobrem in spiritualibus æquè ecclesiastici, ac Principes sæculares judicantur à Romano Pontifice. Sed respondent Sectarii, ipsum Christum agnovisse potestatem Imperatoriam super se, cum dixit Pilato Joan. 19. *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper;* quibus verbis videtur Christus se subjicere potestati imperatoriæ, conseqenter à fortiori Romanus Pontifex eidem subjicitur, cùm tantùm sit Christi Vicarius, idque firmant, quia Augustinus expendens verba Christi, Joan. 19. ait: Potestatem Pilati in Christum fuisse à DEO, quia, ut ait Apostolus ad Roman. 13. *Non est potestas, nisi à DEO.* Sed contra, quia cùm Christus sit persona divina, de jure non potest ulli creaturæ subjici, conseqoenter nec ulli homini de jure, repugnat enim Dominum subjici famulo, & Principem subditis: nihilominus respondent aliqui, se subjecisse propter nos judicio Pilati non committendo illi super se aliquam authoritatem, sed tantùm humiliter eam tolerando, quam de facto habuit, non verò de jure, idque firmatur ex illo Matth. 17. ubi cum rogaretur Christus, tributum dare Cæsari, respondit primum se non teneri, eo quia non subjiciebatur jurisdictioni Cæsaris, & postea jussit dari, ne aliis esset scandalo, & ejus exemplo addiscerent subditi suis parere Principibus, ac superioribus, Cæterum qood Christus Joan. 19. dixerit: *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Respondent plures Sancti Patres, præsertim Cyrillus, & Chrysostomus, Christum non fuisse tunc locutom de potestate jurisdictioois, sed tantum de permissione divina, sine qua nec ipsa peccata perpetrantur, & de hac potestate asserunt, esse intelligendom illud Luc. 22. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Sed alii Sancti Patres, inter quos Augustinus, & Bernardus docent, Christum fuisse locutum de vera potestate jurisdictionis, quia Pilatus habuit in Christum potestatem, non tamen per se, sed tantùm per accidens, quatenus per se habuit potestatem in omnes Judæos, qoi Romano sobjiciebantur imperio, & quia Christus fuerat ei oblatus, veluti oous ex Judæis, propterea etiam in ipsum, ut ita oblatum per accidens potestatem habuit, & quamvis Pilatus dubitaret, an esset Filius Dei, non tamen illom judicavit ut Filium Dei, sed tantùm ut privatum Judæum: perinde ac si

Clericus

Clericus quispiam mutato habitu accusaretur ut sæcularis, & homicida apud prætorem posset prætor ex authoritate sibi facta à Principe eum judicare, quia non ut Clericum, sed ut sæcularem homicidam judicaret, & si prorsus ignoraret, eum esse Clericum, immunis esset à culpa.

Neque obstat, quod Sectarii objiciunt ex Actor. 25. ubi Paulus ipse ad Cæsarem appellavit, dixit enim: *Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari*; & nonnullis interjectis expressè dixit: *Cæsarem appello*, quòd si Paulus Cæsarem agnovit Judicem, etiam Petrus debuit ipsum agnovisse Judicem superiorem, cum Petrus & Paulus pares fuerint. Sed contra respondet Joannes de Turrecremata lib. 2. de Rom. Pont. cap. 29. Paulum appellâsse ad Cæsarem, quia Cæsar, si non de jure, de facto tamen erat ejus Judex, sed respondet Bicchius forsan exactius lib. 5. Hierarch. Ecclesiast. cap. 7. Paulum appellasse ad Cæsarem, quia erat Imperator Ethnicus, cui propterea in civilibus Paulus subjiciebatur non minus quàm cæteri homines: id interest discriminis inter Principes Ethnicos & Christianos, quia Petrus non est Pontifex, nec Judex Ethnicorum, sed fidelium & Christianorum, & in civilibus subjiciebantur Principibus Ethnicis: hinc D Paulus 1. Corinth. 6. *Quid ad me de his, qui foris sunt judicare*. Quod verò subjiceretur civiliter non solùm de facto, sed etiam de jure, est probatu facile, quia lex Christiana neminem privat suo jure & dominio, quapropter sicut ante legem Christi homines subjiciebantur Imperatoribus, & Principibus Ethnicis, ita etiam postea, qua ratione Petrus, & Paulus hortantur fideles, ut subditi sint, & obedientes suis Principibus, ut patet ad *Roman.* 13. *ad Tit.* 3. & 1. *Petri* 2. unde Paulus rectè Cæsarem appellavit, quem suum Judicem agnovit, cum accusaretur seditionis, & tumultus in populo excitati. Sed cum primum Principes profitentur legem Christi, & spontè legem susceperint Evangelii, statim fiunt oves Christi, & subjiciuntur Petro, ejusque successoribus ut supremo pastori ovium Christi. Neque obstat, quod D Paulus ad Rom. 13. scribat: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, & Petrus 1. Petri 2. cap. 2. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum sive Regi tamquam præcellenti*; nam sermo est de potestatibus sæcularibus, & nemo excipitur à subjectione sive Clericus, sive Episcopus, sive Papa sit, quia propositio est universalis: *Omnis anima subdita sit*. Quòd si respondeas, Apostolos fuisse locutos de Principibus, qui eo tempore regnabant, quique Ethnici erant. Nam cùm Ecclesia eadem semper verba recitet, satis clarè indicat, Apostolos fuisse locutos de omnibus Principibus, qui tunc erant, & futuri erant. Contra est, quia Apostoli fuerunt locuti generaliter, & hortabantur omnes subditos, ut suis obedirent superioribus, tam in spiritualibus, quàm temporalibus, & quilibet in suo ordine, & ritu: sed exinde non potest inferri, Romanum Pontificem subjici Principi sæculari, sed tantùm eum, qui est subditus debere suo superiori obsequi, ac debitam præstare obedientiam. quod Apostoli fuerint locuti generaliter, ex eo liquet, quia Paulus scripsit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, absque ulla restrictione ad potestatem sæcularem, sed tantùm loquitur generatim de omni potestate, adeo ut Ecclesiastici debeant suis superioribus Ecclesiasticis obedire, & sæculares suis Principibus sæcularibus. Neque obstat, si dicas, Paulum fuisse locutum de regibus, qui gladium portant, quia expressius voluit Paulus de lege sæculari loqui, quia circumstantia temporis illum adigebat, accusabantur enim eo tempore Christiani seditionis & rebellionis: unde Paulus in fine epistolæ scribit: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui honorem, honorem; cui timorem, timorem*: pari pacto Petrus generaliter loquens ait: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ*, seu omni creaturæ habenti potestatem: unde D. Bernardus epist 183. ad Conradum Imperatorem scribit: *Legi, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; quam sententiam cupio vos custodire in exhibenda reverentia Petri Vicario, sicut ipsam vobis vultis ab universo servari imperio.* Instant Sectarii, quia in lege veteri moris fuit, ut Rex judicaret & deponeret Pontificem: siquidem Salomon 3. Reg. 2. deposuit Abjathar, in cujus locum constituit Sadochum: ergo etiam in novo testamento Pontifex Romanus potestati subjicitur Imperatoris. Sed contra, quia hæc similitudo de veteri, & novo testamento non urget, siquidem in veteri testamento promissiones fuerunt tantum temporales, & in novo spirituales, & æternæ, ut docent Sancti Patres, præsertim Hieronymus *lib.* 1. *contra Pelagianos*, & *in epist. ad Dardanum de terra promissionis*, & Augustinus *quæst.* 33. *in lib. Numer.* & *contra Faustum lib.* 19. *cap.* 31. Sed quidquid sit de hac differentia, respondetur in testamento veteri, Pontificem fuisse majorem Rege, ac ejus superiorem, ut evincunt illo *lib. de victimis*, Theodoretus *quæst.* 1. *in Levit.* Procopius in 4. *cap. Levit.* & infertur ex *cap.* 27. *Numer.* ubi dicitur, quòd ad verbum Pontificis Eleazari tam Princeps Josuè, quàm omnis populus ingredi, & egredi deberet, Eleazarus autem non ita imperâsset Josuè, nisi cognovisset, eum esse sub sua jurisdictione, ac teneri ei obedire. Infertur etiam ex Levit. 4. ubi quatuor instituuntur Sacrificia, ex quorum ordine, & magnitudine infertur ordo, & dignitas personarum, pro quibus fiebant, etenim primum erat vituli pro Pontifice, secundum vituli pro toto populo, tertium hirci pro Rege, quartum capræ pro quolibet privato, ex quo ordine infertur, Pontificem præesse cæteris omnibus. Ad id, quod addebatur de Salomone, qui deposuit Abjatharem ex Pontificatu, Respondetur Salomonem non ut Regem, sed ut Prophetam, & executorem divinæ justitiæ deposuisse Abjatharem, & illi substituisse Sadochum, idque colligitur ex 3. Reg. 2. ubi cum Salomon deposuisset Abjatharem, dicitur, *ut impleretur sermo Domini.*

Congerunt Sectarii plures Imperatores etiam Christianos, qui judicarunt, & deposuerunt Romanos Pontifices, ajunt enim, Constantium in exilium misisse Liberium Papam, & à Justiniano eandem pœnam subiisse Sylverum, Romanum Pontificem. A Theodorico Rege Joannem I. fuisse in carcerem detrusum. Ab Othone I. Joannem XII. fuisse depositum à Pontificatu, & in ejus locum substitutum Leonem VIII. Ab Henrico III. Gregorium VI. fuisse itidem depositum, & Clementem II. jussu Imperatoris ordinatum. Sed contra, quia tametsi hæc concedantur facta, non tamen de jure fieri potuerunt. Ubi enim vires prævalent, jura necesse est cedant. Liberium injustè fuisse in exilium pulsum, testatur S. Athanasius *in epist. ad solitariam vitam agentes.* De Sylverio hoc idem asserit Liberatus *in Breviario cap.* 22. De Joanne detruso in carcerem D. Gregorius *lib.* 4. *Dialog. cap.* 30. asserit Constantium, & Theodoricum infectos fuisse Ariana hæresi, consequenter non potuisse tolerare Romanum Pontificem, Justinianus itidem Eutichiana hæresi tinctus odium fovit in Romanum Pontificem. Quòd verò attinet ad depositionem Joannis XII. factam ab Othone I.

scribunt,

ſcribunt, hunc Pontificem moribus foiſſe corruptum, ac pluribus coinquinatum ſceleribus, adeo ut Otho zelo motus eum maluit deponi, quamvis contra jura eccleſiaſtica, & non potuerit eum deponere, unde Otho Friſingenſis *lib. 6. cap. 23.* narrans hanc hiſtoriam modeſtè Imperatorem corrigit, eo quia ejus poteſtas non ſe extenderit ad talem actum, ait enim Friſingenſis, *utrum licitè fecerit an non, non eſt hujus temporis dicere*, ſubindicans perperam egiſſe, quamvis apertè temporis circumſtantiæ non permitterent id aſſeri. Quod verò ſpectat ad depoſitionem Gregorii, reſpondet Friſingenſis *lib. 6. cap. 23.* Henricum non depoſuiſſe Gregorium, ſed tantùm illi perſuaſiſſe, ut cederet, eò quia videretur ſimoniacè ingreſſus: & quia ſponte Gregorius ceſſit, legitimè poſtea electus fuit Clemens. Et Leo Hoſtienſis, qui tunc temporis floruit lib. 2. Chronici caſſinenſis cap. 80. ait: fuiſſe Concilium Epiſcoporum coactum, & ab Imperatore invitatum Pontificem, ut quamvis ipſius Pontificis cauſa ageretur, adhuc ipſe in illo congreſſu ſummus eſſet Judex, qui graviter erratorum convictus veniam poſtulavit, ſeque Pontificatu ſponte abdicavit.

Afferunt Hæretici etiam plures Pontifices, qui Imperatoribus ſe ſubjecerunt, eosque agnoverunt ut ſuperiores: etenim Gregorius apud Gratianum *Can. ſi quis 2. quæſt. 7.* ait: *Si quis nos ſuper his redarguere voluerit, veniat ad ſedem Apoſtolicam, ut ibi ante confeſſionem beati Petri mecum juſte decertet, quatenus ibi unus ex nobis ſententiam ſuſcipiat ſuam.* Adferunt etiam Adrianum I. qui Carolo Magno conceſſit jus eligendi Romanum Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem, ut habetur *diſtinct. 63, Can. Adrianus:* Et Leonem VIII. hoc idem etiam conceſſiſſe Othoni I. ut habetur *eadem diſtinct. 63. Can. in Synodo.* Rurſus citant Leonem IV. qui à Ludovico Imperatore Judices petiit, & promittit ſe eorum ſententiæ pariturum, ut habetur *Can. nos ſi incompetenter 2. quæſt. 7.* Sed contra, quia multa à Sectariis aſſeruntur, quæ tamen improbata deſeruntur, etenim illud Gregorii non invenitur in ejus operibus: neque Gregorius appellavit ad Judicem hominem, ſed ad ipſum Deum, loquitur enim de diſceptatione per juramentum, & de expectatione divinæ ſententiæ, quæ ſæpe ſtatim fertur contra perjuros. Adrianus & Leo non conceſſerunt Imperatori, niſi ut confirmaret, vel infirmaret Electionem novi Pontificis, & ordinaret Romanam Eccleſiam, non in ſpiritualibus, ſed tantùm quoad temporalem principatum, ex quo non ſequitur, hos Pontifices ut tales cognoviſſe Imperatorem ſuperiorem, qui propterea nullam habuit poteſtatem ſuper Pontificem, ut paſtorem univerſalem ovium Chriſti: & hæc duo privilegia Imperatori conceſſa ad ſedanda diſſidia, & cavenda ſchiſmata inter Longobardos, & Græcos Romanæ Eccleſiæ infenſos revocata poſtea fuerunt. Quod verò de Leone IV. addebatur, reſpondetur, hunc Pontificem non ſe ſubjeciſſe judicio coactivo Imperatoris, ſed tantùm diſcretivo, ut ex illo capite. Quòd ſi dicas, Pontificem in foro ſpirituali conſcientiæ ſubjectum eſſe ſuo Confeſſario, cur non etiam in foro exteriori poteſt ſubjectus eſſe Imperatori, ut Dei Miniſtro. Reſpondetur eſſe diſcrimen, quia in foro interno conſcientiæ Confeſſarius eſt merum inſtrumentum Dei, nec ipſe principaliter judicat, ſed Deus per ipſum, idque ex eo liquet, quia Confeſſarius non poteſt pœnitentem omnino invitum cogere ad pœnam ſubeundam. Præterea quia in Confeſſione fertur judicium etiam de occultiſſimis criminibus, quæ ad ſolius Dei pertinent cognitionem: ſecus in foro externo homo eſt verus Judex, etiam ut homo, quamvis ſit à Deo conſtitutus, ideoque tantùm judicat de manifeſtis, & poteſt cogere ad ſubeundam pœnam.

Calvinus *lib. 4. Inſtit. cap. 7. §. 19. & ſequent.* aſſerit ex Conciliis ſatis clarè deduci Romanum Pontificem judicari à Concilio generali: ſed nullum adfert exemplum, nullam adducit rationem alicujus probabilitatis, unde abſque ullo fundamento id aſſerit, quod vellet ita fuiſſe: ex Conciliis contrarium apparet, etenim Sanctus Leo Papa epiſtol. 23. ad Theodoſium Auguſtum Flavianum, Patriarcham Conſtantinopolitanum à Concilio Epheſino II. quod generale fuit, appellantem ad ſedem Apoſtolicam recipit, & rogat Imperatorem, ut appellationi deferat: Leo (in hac epiſtola duas Imperatori exponit cauſas, ob quas acta Concilii Epheſini II. reſcindenda eſſent: prima fuit, quia in Concilio omnia per vim, & tumultum peracta fuerunt. Secunda quia Flavianus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, appellaverit ad ſedem Apoſtolicam; & Flavianus quod poterat, non excepit de nullitate ſententiæ, ſed ſuppoſito etiam valore ſententiæ, maluit è Concilio generali Epheſino appellare ad Romanum Pontificem; & voluit uti certo, ac indubitato jure ſuperare omnem exceptionem. Eodem pacto in eodem Concilio Epheſino Theodoretus damnatus, ut conſtat ex epiſt. 113. directa ad Leonem Papam, appellavit & ipſe è Concilio generali ad Romanum Pontificem, ut ad caput univerſalis Eccleſiæ: proderit hic attexere, quæ aſſerit S. Antoninus 3. part. tit. 22. cap 6. §. 20. ubi ad rem noſtram ait: *Quæritur vigeſimo primò: Utrum ad Papam pertineat confirmare ſententias Synodorum. Item utrum ad Papam à Synodo appelletur. Item utrum ſolius Papa authoritate debeat univerſalis Synodus congregari. Item utrum neceſſe habeat Papa congregare Concilium univerſale, quotieſcunque habet aliquid de fide terminare. Ad omnes iſtas quæſtiones ſimul reſpondet S. Thomas. Ad primas tres affirmativè, ad quartum negativè, in quæſtionibus de potentia Dei, q. 10. art. 4. ubi quæritur: Utrum Spiritus Sanctus procedat à Filio, qui reſpondens argumento facto in contrarium dicit ſic: ſicut poſterior Synodus habet poteſtatem interpretandi ſymbolum à priori conditum, aut ponendi aliquid ad ejus explanationem, ita etiam Romanus Pontifex hæc ſua authoritate poteſt, cujus ſola authoritate Synodus & congregari poteſt, & à quo ſententia Synodi confirmatur, & ad ipſum à Synodo appellatur, quæ omnia patent in geſtis Chalcedonenſis Concilii vel Synodi. Non eſt neceſſarium, quòd ad hujusmodi expoſitionem faciendam univerſale Concilium congreget, cum plerumque id fieri prohibeant bellorum diſſidia, ſicut in ſexta Synodo legitur, quod Conſtantinus Auguſtus dixit, quod propter imminentia bella univerſaliter Epiſcopos congregare non potuit: ſed tamen illi, qui convenerunt, quædam dubia in fide orta ſequentes ſententiam Agathonis Papæ determinaverunt; ſcilicet, quod in Chriſto ſint duæ voluntates, & duæ actiones, & Patres in Chalcedonenſi Synodo congregati ſecuti ſunt ſententiam Leonis Papæ, qui determinavit, Chriſtum eſſe in duabus naturis.* Unde conſtat ex D. Antonino, & D Thoma à Synodo ad Papam appellari, non econtra à ſententia Papæ ad judicium Concilii generalis: hinc Sixtus Papa *Can. Si quis 2. quæſt. 6.* ait: *Si quis veſtrum pulſatus fuerit in aliqua adverſitate licenter hanc ſanctam & Apoſtolicam ſedem appelles, & ad eam quaſi ad caput ſuffugium habeat, ne ipſe innocens damnetur, aut Eccleſia ſua detrimentum patiatur.* Simile ſcribit Marcellus Papa ad Epiſcopos Antiochenæ

chenæ Provinciæ in cap. ad Romanam 6. can. 2. qu. 6. ubi ait: *Ad Romanam Ecclesiam omnes Episcopi, qui voluerint, vel quibus necesse fuerit, quasi ad Caput suffugere eamque appellare debent, ut inde accipiant tuitionem, atque consecrationem. Quod omnibus minimè convenit denegare Episcopis, sed absque ulla custodia, aut excommunicatione, vel damnatione, vel expoliatione ire concedatur.* Hinc S. Bernardus lib. 3. de considerat. cap. 2. ait: *Appellatur de toto mundo ad te id quidem in testimonium singularis primatus tui.* Neque obstat allegatos Canones nullam Concilii universalis expressam facere mentionem, nam id non debet mirum videri, quia hæc quæstio tunc temporis non fuit agitata, nec audita, & ex eo, quòd Concilia generalia quæ legitima sunt, Pontificis consensum desiderent, & confirmationem, jam satis apertè indicant Pontificem esse Concilii Caput, à quo reliqua membra dependent, & sine quo non possunt subsistere, unde si Concilia suum à confirmatione Papæ accipiunt valorem, & legitima esse desinunt, roburque deperdunt, cùm reprobantur, ut habetur in cap. Multi dist. 17. can. ad Apostolicæ, de re judicata in 6. Eodem modo per appellationem eorum sententia suspendi poterit, quia appellatio tendit ad confirmationem, vel correctionem vel rescissionem primæ sententiæ. Cæterum in admittendis appellationibus debet circumspectè procedi, ne privilegia Ecclesiarum turbentur, & ne tribunalia confundantur, & ne obtentu innocentiæ justitia conculcetur. Eleganter S. Bernardus lib. 3. de consid. c. 2. de appellationibus ad S. Pontificem hæc scribit. *Fateor grande, & generale mundo bonum esse appellationes: adque tam necessarium, quàm solem ipsum mortalibus. Revera quidam sol justitia est, prudens, ac redarguens opera tenebrarum. Prorsus fovenda, & manutenenda sunt, sed quas extorsit necessitas, non calliditas adinvenit.*

Neque obstat, quòd Patres sextæ Synodi Carthaginensis sub Bonifacio I. celebratæ anno Christi 419. fuerint graviter conquæsti de hisce appellationibus. Quia Patres non fuerunt conquæsti de ipsis appellationibus, sed de executoribus appellationum, ut constat ex epistola D. Augustini 261. Neque Patres Concilii Carthaginensis jus ullum appellandi ad Romanum Pontificem negarunt, neque tollere intenderunt, quod scirent in primatu fundatum; & usu fidelium confirmatum; sed tantùm temperârunt ut Clerici inferiores, & simplices præsbyteri appellarent ad Vicinos Episcopos; & Episcopi ultra mare ad Romanum Pontificem, ut ad Caput visibile universalis Ecclesiæ ut superius declaravimus, & constat ex epistola ejusdem Concilii ad Bonifacium c. 101. & ad Cælestinum Romanos Pontifices 102. & habentur *Tomo I. Conciliorum*; & *Concilio Carthaginensi* 3. *can.* 10. de hac controversia sexti Concilii Carthaginensis fusè scribunt Sanderus, *lib. 7. de Monarchia*, Peronius *in responsi. ad Regem Britanniæ* Tom. I. Conciliorum in Præfat. ad Concilium sextum Carthaginense, Baronius ad annum 419. ubi refert Canonem à Zozimo citatum fuisse Concilii Oecumenici Sardicensis quod tum Niceno computabatur unum ac idem; ut plerumque Sardicensis citaretur pro Niceno, & Nicænum pro Sardicensi quod causæ fuit ut Patres Concilii Carthaginensis non invenerint in Nicæno Canones missos à Zozimo circa appellationes, quas Patres Concilii Milevitani prohibuerunt in Clericis minoribus & simplicibus presbyteris contra Africanos judices *in cap. placuit* 2. *q.* 6. quia persæpe hujusmodi appellationes à reo damnato fierent dolosè ad remorandam executionem justitiæ, seu sententiæ

contra se pronunciatæ *c.* 5. 13. & 14. *extra de Appellationibus.* Sin autem simplex Sacerdos evidenter ostendisset se injustè damnatum fuisse, tunc ejus appellationes Romæ suscipiebantur, ne innocentia opprimeretur, ut legitur in epistolis Concilii Africani ad Bonifacium, & Cælestinum Pontifices, & extant in I. Tomo Concil.

Objicitur secundò *c. sanè profertur* 24. *q.* 1. ubi dicitur in sexta Synodo, quòd Dioscorus Papa fuerit ex Cathedra D. Petri expulsus, ac privatus pontificia dignitate, & ab Ecclesia Romanâ damnatus, quamvis prædictum fuerit. Sed contra quia S. Felici papæ successit B. Bonifacius II., cui à Schismaticis oppositus fuerit Dioscorus Antipapa, qui paulò post ultimum suum clausit diem, & damnatus Simoniæ fuit à Bonifacio. Neque à mortuo Antipapa valet argumentum ad legitimum Romanum pontificem verum D. Petri successorem; cujus non fuit Antipapa. Scio plores ab adversariis recitari appellationes à Romani pontificis sententia ad Concilium generale, ut quod anno 1303. Philippus pulcher appellaverit contra Bonifacium VIII. ad Concilium generale. Anno 1460. Regius procurator Caroli VII. Francorum Regis appellaverit contra Pium II. Anno 1478. Ludovicum XI. appellâsse contra Sixtum IV. Anno 1491. universitatem totam parisiensem contra Innocentium VIII. appellâsse ad futurum generale Concilium, & eamdem universitatem anno 1517. appellâsse iterum contra Leonem X. Anno 1246. Ecclesiam Anglicanam appellâsse ad Concilium generale contra Innocentium III. Anno 1245. Legatos Friderici II. appellâsse contra Innocentium IV. Anno 1264. Clerum, & prænobiles Regni Angliæ appellâsse à sententia Urbani IV. ad futurum generale Concilium. Anno 1323. Ludovicum Imperatorem è domo Bavarica appellâsse contra Joannem XII. ut refert Hervart in Ludovico defenso fol. 248. Michaelem Cæsanatem ordinis Minorum S. Francisci generalem anno 1331. appellâsse contra Joannem XII. anno 1509. Rempublicam Venetam contra Julium II. anno 1511. Rempublicam Florentinam contra eundem Julium II. ut narrat Guicciardinus lib. 10. Anno 1526. Carolum Imperatorem contra Clementem VII. Immo & domum Columnensem contra eundem Clementem VII.

Sed contra quia, si propriè velimus loqui, prærecensitæ appellationes formaliter non fuerunt appellationes, sed potius quandam recognitionem causæ, quæ fieret à plurib. omni suspicione vacuis intuleruntque: siquidem appellatio propriè & formaliter est à minore Judice, a quo appellatur ad majorem habentem jurisdictionem, & potestatem in minorem, cujus propterea potest sententiam corrigere, imò & rescindere, ejusque jurisdictionem suspendere, quæ singula non possunt fieri nisi à majore Judice habente Jurisdictionem in minorem: & cùm Concilium quantùmvis generale non sit Judex superior, nec habeat jurisdictionem ullam in summum pontificem, sequitur appellationem à sententia papæ ad Concilium generale non posse dici propriè & formaliter appellationem. Quamobrem licèt prærecensitæ appellationes factæ ad Concilium fuerint, non tamen ut ad majus tribunal & Judicem Papæ, à quo sententia papalis rescindi potest, sed ad melius, planiusque informandum ipsum papam, etenim possunt quæstiones præsertim in materia fidei, vel etiam morum adeo graves esse ac tantæ deliberationis, ut Concilium generale omnium Nationum videatur necessarium ad plenè informandum pontificem, & sine quo non censeatur sufficienter informatus, & instructus, ut possit ad sententiam definitivam procedere: cùm enim definitio fundatur in ali-

in aliquo facto, tunc intelligendi sunt Patres, & congregandum Concilium universale, ut notat S. Augustinus *lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 12. & lib. 1. de Baptis. contra Donatistas cap. 7. & cap. 18.* quamobrem omnes præcensitæ appellationes à sententia Romani Pontificis ad Concilium generale futurum factæ sunt pro informando melius Pontifice, & quia tale Concilium pro illa informatione videbatur necessarium, idque satis clarè liquet ex forma ipsa appellandi Philippi Regis, & Universitatis Parisiensis, ac aliorum; habentur enim hæc verba: *A Sanctissimo Domino nostro Papa Innocentio minus debitè consulto ad se ipsum meliùs consulendum, & ad Sanctam Sedem Apostolicam etiam meliùs consulendam:* Ex quibus clarè constat, tales appellationes non fuisse factas à Papa ad alium Judicem superiorem, sed ad eundem Papam ut meliùs informandum: alioquin nisi appellationes fierent ad eundem Papam ut melius informandum per Concilium generale, hoc nullius esset valoris, sicut enim non est Judex superior, qui posset Papæ sententiam rescindere ita nihil operaretur: ratio est perspicua, quia vel hoc Concilium congregaretur ex authoritate Papæ, qui esset Caput totius Concilii, & tunc Concilium seorsim à Papa non posset judicium ferre, quia Patres Concilii sunt tantùm membra totius corporis Concilii, cujus Caput est tantùm summus Pontifex, & membra non sunt supra, sed infra Caput, consequenter non habent jurisdictionem supra Caput, cujus sententiam possint rescindere: vel congregaretur Concilium sine authoritate Papæ, & ipso dissentiente, & hoc pacto Concilium esset corpus acephalum, seu coalescens ex pluribus membris sine capite, consequenter esset irritum, ac nullius valoris ad recognoscendam causam, & informandum Papam, sine cujus consensu, & authoritate, imò & confirmatione quæ aguntur in Conciliis etiam generalibus nullius sunt valoris. Quamobrem per præfatas appellationes nunquam Papa fuit provocatus ad Concilium generale, ut Papæ oppositum, & ejus authoritate destitutum, alioquin appellaretur ad Concilium illegitimum, sed fuerunt appellationes ad Concilium authoritate Romani Pontificis fultum & confirmatum, seu à Papa non debitè consulto ad eundem Papam meliùs consulendum per Patres Concilii omni suspicione vacuos.

Cæterum appellationes ad futurum Concilium, ut etiam ad futurum legitimum Papam sacris adversatur Canonibus clarè asserentibus posse sine Concilio generali Pontificem exactè informari per personas prudentes, sapientes, & alienas à qualibet passione quæque solùm procedant ex mera justitia. Tum quia hujusmodi appellationes ad futurum Concilium sunt appellationes ad Judicem non existentem, nec facilè exiturum, quòd si exiset, valde incertum est quo tempore, quo loco, quibus personis, quia antequam Concilium congregetur plurimum requiritur temporis in mittendis litteris invitatoriis, in loco, & tempore determinando, in præparatoriis, & itineribus à qualibet mundi parte, & interim plures possunt emori, & donec alii substituantur non modicum fluit temporis, & hisce modis eluduntur sententiæ à Pontifice prolatæ. Tum quia facilè Concilia tametsi inchoata impediri possunt ad quemlibet defectum obviam, imò & congregata, ac absoluta adhuc non recipi, ac novæ possunt oriri difficultates, ut contigit in actis Concilii Lugdunensis I. ubi legimus Legatum Friderici II. Imperatoris, qui ad tale Concilium provocaverat, & ab eodem Concilio damnatus fuit ad aliud statim provocâsse Concilium plenius Lugdunensi: & ut refert Palaviccinus in histor. Concil. cap. 5. Galli qui anno 1530. à summo Pontifice Concilium generale petierant paulò post illud idem Concilium ab ipsis postulatum rejecêrunt, neque voluerunt illud recipere, nisi in fidei dogmatibus, nec aliter se persuaderi passi sunt. Nil enim facilius est Regi, vel Imperatori, quàm Concilio objicere impedimentum ne fiat vel clavum figere, ne ulterius procedat, vel moras longissimas injicere, donec causa de qua agitur faciem mutet, & in aliam evadat, imò etiam congregato jam Concilio possunt semper plura opponi, ut universale non appareat, ac illegitimum habeatur; siquidem ad Concilium legitimum universale plura requiruntur, quæ non facilè possunt executioni mandari. Tum quia appellationes ad futurum Concilium, ut jam diximus, naturæ adversantur appellationis, quæ exigit fieri à minori ad majorem Judicem. *Can. Anteriorem 2. quæst. 6. can. cum inferior de majoritate, & l. 4. ff. de recept.* & Concilium sine authoritate Pontificis Romani non potest congregari nec ullam habere authoritatem, nec jurisdictionem in Papam, cujus sententiam possit rescindere, vel corrigere, quia membra non sunt supra, sed infra caput: Tum quia appellare ad futurum Concilium est appellare ad Judicem, qui nondum existit, & est incertum, an, & quando erit exiturus: atqui incertitudo vitiat omnem actum, ut nullum possit effectum producere, *l. cum 17. §. dein diem addict. l. cum post. 69. §. 1. gener. ff. de jure dot. l. ita stipulatur 115. ff. de V. O.* est enim aliquod inauditum appellare à sententia Judicis existentis ad nondum existentem, vel cum incertitudine, an & quando erit exiturus; hinc hujusmodi appellationes in utroque jure illusoriæ sunt, frivolæ, ac nullius momenti. Præterea cùm appellatio sit species defensionis, ac propterea juris naturæ, omnibus æquè concedenda est, nec magis principibus, quàm privatis personis, *cap. super 17. de appellat. cap. cum appellationibus eod. in 6. l. 4. §. item ff. de appell.* Unde quilibet posset à sententia sui Episcopi, & summi Pontificis appellare ad futurum Concilium, proinde singulis diebus deberent perpetuò præsto esse thedæ ad proficiscendum, equi ephippiati, naves velis instructæ, remiges in promptu, & hæc omnia prout appellanti placuerit, singulis horis parata esse, ut partes ad Concilium generale pergere possent, quæ omnia superant modum procedendi humanum. Rursus appellationes non admittuntur quoad effectum suspensivum, quando res de qua agitur dilationem non patitur, & omnem excludit moram *l. si res 7. ff. de appellat. recipiendis:* & persæpè contingit, ut in causis præsertim fidei non possit sine gravissimo damno Concilium exspectari, quia hæresis donec Concilium congregetur, & absolvatur potest irrepere, ac plures inficere provincias, quæ postea difficilioris sint sanationis, & pharmacum respuant. Rursus appellatio inducta fuit ad servandam justitiam, & propugnandam innocentiam, quapropter appellationes parvi momenti, quæque tantùm instituuntur morandæ litis causa non suscipiuntur, *cap. cum sit 5. cap. pervenit 13. cap. consuluit 14. cap. pervenit 28. de appellat. cap. qualiter 17. de Judic. l. 6. ubi de quando provocare:* Sed appellationes ad futurum Concilium causas non solùm morantur, sed etiam protrahunt ad plures, & plures annos, ut dissidentes prius vitam quàm litem finiant; præsertim ob difficultates superatu difficiles in congregando universali Concilio, & propter temporum vicissitudines, ac rerum mutationes, quæ plerumque opportunitatem exhibent sententiam evadendi non sine gravi vulnere justitiæ: quod si Concilium universale fuerit jam con-

congregatum adhuc plures possunt fieri exceptiones, & plura possunt tali Concilio opponi, ut in ultimo Concilio generali Tridentini celebrato experimentum satis docuit, duravitque tale Concilium octodecim annis: cùm igitur hujusmodi appellationes ad futurum Concilium generale lites non expediant, sed impediant, imò æternent, constituantque Pontificis authoritatem inutilem, sequitur hujusmodi appellationes plus damni Reipublicæ Christianæ adferre quàm emolumenti. Demum, quia appellationes inductæ fuerunt causâ litis finiendæ, cùm jura exterreantur lites in longum protrahi, verùmque statim finiri *Instit. de pœna temerè litigantium*, idem debet appellatio fieri ad Judicem certum, & cujus jurisdictio certa itidem sit & indubia, alioquin si appellatio fiat ad Judicem incertum, Judex à quo non tenetur Apostolos dare appellenti, nec appellationi deferre: Concilium autem generale est incertum, & non habet jurisdictionem ullam in Papam; & quomodo appellatio fit ad futurum Papam, hic est incerta persona, ad quam appellare Canones prohibent, ut habetur *cap. non licuit de appell.* Rursus ut appellatio valida sit, nulla causa debet expresso jure prohibita esse *cap. Pastoralis. cap. Consuluit. 29. de appellat. l. si res 7. §. 1. ff. de appellat. recipiendis.* Atqui appellationes à sententia Papæ ad futurum Concilium gravissimè prohibentur à Calisto III. à Pio II. qui in Conventu Mantuano gravissimam edidit Bullam contra appellantes à sententia Papæ ad futurum Concilium generale à Sixto IV. qui Anno 1480. anathemate percutit, qui appellant à Papa ad futurum Concilium generale, ait enim in suo diplomate: *Nos qui disponente Domino, qui nos unxit oleo lætitiæ præ consortibus nostris in eo summus officio constituit, ut singularum animarum saluti consulere, justitiam colere, & iniquitatem odisse debeamus, attendentes quod de minoribus ad majores Judices duntaxat appellare legalis permittit authoritas, & propterea inhibet ab imperialis, & præfato Prætorio judicio appellari, & quod non homo, sed is duntaxat, qui solo verbo fecit cœlum, & terram, Apostolicam Sedem, & in ea sedentem prælatis universis etiam Conciliis, quæ ab eo robur accepisse Sanctorum Patrum decreta testantur, & etiam Gelasius Papa contra Acacium Fausto legatum scribens, inquit: Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri, ab ipsa autem nunquam appellari debere, & illam de tota Ecclesia judicare, de ipsius autem judicio nunquam judicari sanxerunt. Et dum scribit ad Orientales Episcopos dicens: Sedem prædictam nulla Synodo præcedente solvendo, quos Synodus iniquè damnaverat, & damnando, quos oportuit, nulla existente Synodo habuisse facultatem.*

Testantur etiam plurimorum antiquorum Conciliorum epistolæ, in quibus verba ista apponuntur, Salva in omnibus Apostolicæ Sedis authoritate, & quod de iis, & quam plurimis aliis rebus, & Canonibus, & authoritatibus piæ memoriæ Pius Papa II. Prædecessor noster dudum de fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & Prælatorum, ac jurisperitorum tunc Romanam Curiam sequentium Consilio in Conventu Mantuano authoritate Apostolica in perpetuum valitura constituerat, omnes qualitercunque appellantes à Romano Pontifice Canonum transgressores, & illos etiam, qui ad non indictum nec congregatum Concilium appellare præsumerent aliud Caput in Ecclesia Dei ac imaginarium majus, ac sublimius tribunal confingentes contra Apostolum dicentem: Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod Christus instituit, hujus sanctæ Sedis primatum negare, Ecclesiæ unitatem dividere non unum solum privilegium eidem Ecclesiæ adimere, sed præcipuam & principalem dictæ Sedis authoritatem, quam & vox Christi & Majorum traditio, & Canonum fulsit authoritas penitus subvertere non verentur, præ cæteris detestabiliores esse, & eorum appellationes hujusmodi, quacunque occasione interponerentur, non solùm irritas, & inanes, sed fraudulosas, & sacrilegas, & hereticas esse declaravit &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1483. Idus Julii Pontificatus nostri anno duodecimo. Quidni Ludovicus Gallorum Rex hoc Pontificium diploma jussit in solemni hominum frequentia promulgari, quo nomine plurimas illi Pontifex gratias egit per Apostolicas litteras, ut refert Odoricus Raynaldus in suis annalibus Ecclesiasticis anno 1483. num. 22.

Cùm igitur solus Romanus Pontifex sit in militante in terris Ecclesia Christi Vicarius, & Caput universalis Ecclesiæ, est absque ullo dubio etiam Caput Concilii generalis, à qua propterea Patres, ex quibus coalescit, dependent, & cujus jurisdictioni subjiciuntur, sequitur Romanum Pontificem esse supra Concilium, eòque majorem in authoritate, & jurisdictione; ex eo enim, quòd sit immediatus Christi Vicarius, debet in Christi Ecclesia supremam habere potestatem, adeo, ut propositio huic opposita hæresin redoleat, & ut talis damnata fuit in Concilio Constantiensi *Sess. 8. art. 37.* ubi inter alios Wicleffi errores à Concilio damnatos ponitur iste: *Papa non est immediatus, & proximus Vicarius Christi & Apostolorum*, & *Sess. 45.* in Bulla Martini V. qua Basileense Concilium confirmatur, inter alios articulos, de quibus hæresis suspecti examinandi sunt etiam ponitur iste: *Utrum credat, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuit, ejus nomine proprio expresso, sit Successor Beati Petri habens supremam authoritatem in Ecclesia DEI.* Rursus in Concilio Nicæno can. 39. inter 80. Arabicos, qui habentur Tomo I. Concilior. post Acta Concilii Nicæni habetur: *Ille, qui tenet Sedem Romæ, Caput est, & Princeps omnium Patriarcharum. Quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam. Et quicunque contradixerit à Synodo excommunicatur.* Quòd si concilium Nicænum definivit Romanum Pontificem esse verum Petri Successorem, esse in militante Ecclesia Christi Vicarium super cunctam Christianam Ecclesiam, est procul dubio supra concilium generale, quod repræsentat cunctam Ecclesiam Christianam, consequenter à Romano Pontifice ad concilium generale non potest dari appellatio, quod etiam definitum fuit in concilio Florentino *Sess. ult. in literis unionis*, & Lateranensi *Sess. 11.* ut etiam Lugdunensi in *cap. ubi periculum de elect. in 6.* Ex eo autem, quòd Romanus Pontifex sit in militante in terris Ecclesia Christi Vicarius super cunctam Christianam Ecclesiam, evidenter infertur, majorem esse Pontificis, quàm concilii authoritatem, & Papam nullo modo subesse concilio, sed hoc jurisdictioni Romani Pontificis. Ratio est, quia tribunal Vicarii est prorsus idem, ac tribunal Principis, seu principalis, adeo ut tribunal Romani Pontificis sit idem ac tribunal Christi, & sicut supra Christi tribunal non datur in terris tribunal majus, nec majoris jurisdictionis, ita nec datur tribunal majus tribunali Romani Pontificis *cap. 1. de officio Vicarii in 6. & cap. 27. §. Porrò, de offic. deleg.* Quòd si Romanus Pontifex superiorem

in terris haberet in regimine spirituali, sequeretur quòd Concilium Constantiense erravisset, cùm dixit: Supremam potestatem in Ecclesia Christi esse penes Pontificem: etenim si subesset Concilio generali, non haberet ipse supremam potestatem, & posset ab alio doceri, & ejus sententia corrigi, imò & rescindi; quia Concilium Constantiense definivit, Papam esse proximum, ac immediatum Christi Vicarium, neque hæc vicaria potestas potest proximè, & immediatè à Christo data soli Petro, & ejus Successoribus canonicè electis usurpari à concilio generali, quia cùm Christus soli Petro, & ejus Successoribus pro tempore dixit Joan. 21. *Pasce oves meas*, fuit locutus in numero singulari, quia verba ad solum Petrum direxit, & quia Petrus erat brevi moriturus ad unum Successorem pro tempore existentem, ne ullo unquam tempore oves suæ pastore visibili destituerentur; quòd si Concilium generale hanc vicariam potestatem sibi usurparet, non unus tantùm, sed duo essent immediatè in Ecclesia Vicarii Christi, & duo suprema capita, quod est absurdum. Unde vel concedendum est à sententia Papæ ad Concilium generale non posse appellari, & solum Pontificem Romanum esse proximum, ac immediatum Christi Vicarium *tantò meliorem Conciliis factum*, ut loquitur D. Paulus *quantò differentius ab illis nomen hæreditavit, cui enim aliquando Conciliorum dictum est Vicarius meus es tu, super te ædificabo Ecclesiam meam, tibique dabo claves regni cælorum*: vel asserendum esset dari in Ecclesia duo suprema capita, quæ si dissiderent, ad quem Judicem fieret iterum appellatio, hoc enim inconveniens sequitur, si à sententia Papæ daretur appellatio ad Concilium generale. Quamobrem solum Romanum Pontificem esse Caput Catholicæ, & universalis Ecclesiæ definitum fuit in Concilio Constantiensi *Sess.* 15. *& ult.* in Bulla Martini V. & in Florentino *Sess. ult.* in Lateranensi *ult. Sess.* 11. Lugdunensi *cap. ubi periculum de elect. in 6.* & eleganter docet Sanctus Leo Papa in epist. ad Episcopos Viennenses 78. quæ habetur in *cap. Ita Dominus distinct.* 19. & Nicolaus Papa in *cap. fundamenta* 17. *de elect. in 6.* Hinc etiam Patres Concilii Ephesini se membra inferiora agnoscunt, & Pontificem Romanum Caput universalis Ecclesiæ, ut habetur in actis ejusdem Concilii *Sess.* 4. quod etiam docet D. Thomas *lib. 4. contra gentes cap.* 66. & *contra errores Græcorum cap.* 6. & 3. *part. quæst.* 8. *art* 6. Neque ratio capitis convenit Romano Pontifici jure tantùm humano, sed etiam divino, proinde immutabiliter, adeo ut nullus sit homo, qui possit hac potestate illum privare, ac titulo capitis destituere, ut scripsit Nicolaus I. in epist. ad Michaëlem Imperatorem, quæ extat Tomo 3. Concil. fuitque lecta, laudata, & approbata in 8. generali Synodo, scribit enim Pontifex loquens de Ecclesia Apostolica Romana: *Privilegia istius Sedis vel Ecclesiæ perpetua sunt, divinitus radicata, ac plantata sunt: impingi possunt transferri non possunt, trahi possunt, evelli non possunt, quæ ante imperium vestrum fuerunt, & permanent Dei gratiâ hactenus illibata, manebuntque post vos, & quousque Christianum nomen prædicatum fuerit illa subsistere non cessabunt immutilata. Ista igitur privilegia huic Sanctæ Ecclesiæ à Christo donata à Synodis non donata, sed jam solummodo celebrata, & venerata, per quæ non tantùm honor, quàm onus nobis incumbit, licèt ipsum honorem non meritis nostris, sed ordinatione gratiæ Dei per Beatum Petrum, & in Beato Petro simus adepti, nos cogunt, nosque compellunt omnium habere solicitudinem Ecclesiarum Dei.* Et pluribus interjectis pro fine subdit: *Et si cunctis generaliter Sacerdotibus, divina tractantibus, fidelium convenit corda submitti, quanto potiori jure sedis illius Pontificia consensus adhibendus est, quem cuncta Ecclesia generalis jugiter pietas celebravit? Ubi clementia vestra evidenter advertit, nunquam quovis penitus humano consilio elevare quemquam posse contra illius privilegium, vel confessionem, quem Christi vox prætulit universis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est, & habet devota primatum. Impelli non valent humanis præsumtionibus, quæ divino sunt judicio constituta. Desinant ergo (rogamus) temporibus vestris quidam per occasionem perturbationem ecclesiasticam appetere, & quæ non liceat, ambire. Alioquin, & quod malè appetiverunt, non perfruentur, & ipsam quoque Christianitatem, nisi resipuerint, prorsus amittent.* Ex hac prærogativa qua Romanus Pontifex est Caput visibile universalis Ecclesiæ plura deducuntur argumenta, quibus Romanus Pontifex esse supra Concilium clarè evincitur. Primò caput in corpore eminet supra reliqua membra non solùm situ, & pulchritudine, sed etiam influxu, causalitate, imperio, & regimine, quatenus caput reliqua membra dirigit, quibus imperat: & esset monstruosum illud caput, quod à membris dependeret, à quibus motum acciperet & imperium. Si igitur à Romano Pontifice ad Concilium generale daretur appellatio; adeo ut sententia Papæ corrigeretur, vel etiam rescinderetur à Concilio generali; vel Romanus Pontifex non esset Caput universalis Ecclesiæ; caput dependeret à membris, à quibus dirigeretur, ac corrigeretur: quia cùm Patres Concilii generalis sint præsules tantùm Ecclesiarum particularium sunt membra Ecclesiæ universalis, quam cum capite, seu Romano Pontifice repræsentant: unde membra præessent capiti, cui imperarent; proinde non caput membris præficeretur, sed membra capiti. Secundò, quia sicut repugnat corpus sine capite, aut corpus aliò, vel aliter moveri, quàm ex præscripto capitis: ita repugnat Concilium universale sine capite seu Romano Pontifice, ut etiam quod membra non consentiant capiti, seu Concilium Papæ, esset enim evertere ordinem naturæ. Tum quia quando dicunt à Pontifice ad Concilium generale dari appellationem vel Concilium generale, intelligunt concilium cum capite; vel sine capite; si primum perinde est appellare à Pontifice Romano ad concilium, ac appellare à Papa ad Papam, & concilium non est supra Papam, cùm in corpore membra non sint supra caput, sed infra: sin verò intelligatur concilium sine capite, non potest esse concilium subsistens, quia sine capite corpus non subsistit: & concilium, si non sit congregatum & approbatum à Romano Pontifice, nullius est valoris, quia destituitur influxu capitis.

Quod si respondeant concilium seorsim à Papa habere primatum Ecclesiæ, & officium supremi Pastoris sibi à Christo collatum, eo quia tunc ipsum concilium generale in Ecclesia militante vices gerat Christi, cujus vicaria potestate pollet; ac propterea non esse corpus mutilum nec acephalum. Respondetur hæc absque ullo fundamento, sine ulla sacræ Scripturæ authoritate, & sine ulla probabilitate asseri; quia in tota Scriptura neque unum sit verbum de hac vicaria potestate collata concilio generali: neque concilia generalia ausa unquam fuêre hanc sibi vicariam potestatem usurpare.

Quindecim recensentur tituli, qui Romano Pontifici tribuuntur, quos enumerat Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. c. 31. ex quibus ejus evincitur præeminentia, ac majoritas supra concilium generale sumtque

Papa,

Papa, Pater Patrum, Christianorum Pontifex, summus Sacerdos, Princeps Sacerdotum, Vicarius Christi, caput corporis Ecclesiæ, fundamentum ædificii Ecclesiæ, Pastor dominici ovilis, Pater & Doctor omnium fidelium, Rector domus Dei, custos vineæ Dei, Sponsus Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ Sedis Præsul, & Episcopus universalis. Primus titulus legitur in epist. S. Ignatii Martyris in epist. ad Mariam Zarbeoiem ubi ait: *Cùm esses Romæ apud Papam Linum*, quamvis hoc nomen *Papa* tribuatur etiam à veteribus cuilibet Episcopo, tripliciter tamen ex hoc nomine infertur primatus Romani Pontificis, primò quia per hoc nomen semper intelligitur Romanus Pontifex, ut præest Ecclesiæ universali, ut liquet ex concilio Chalcedonensi Act. 16. ubi habetur: *Beatissimus & Apostolicus vir Papa hoc nobis præcepit*. Neque additur Leo, nec Romanus, quia nomen Papa sufficit ad judicandum supremum totius Ecclesiæ catholicæ Pastorem. Secundò quia solus Romanus Pontifex per anthonomasiam dicitur Papa, ut constat ex concilio Chalcedonensi Act. 15. ubi Leo vocatur universalis Ecclesiæ Papa, & ex Liberato in Breviario cap. 22. ubi legimus, nullum esse Papam super Ecclesiam mundi totius præter Romanum Pontificem. Tertiò quia ab omnibus Christi fidelibus solus Romanus Pontifex vocatur Papa seu Pater, & ipse nullum vocat Papam, sed omnes filios vel fratres, ut ex Epistola ad concilium secundum apud Theodoretum lib. 5. cap. 10. Secundus titulus est *Pater Patrum*, qui tribuitur Damaso Papæ à Stephano Archiepiscopo Carthaginensi in epistola directa ad ipsum Damasum; cui titulus est: *Beatissimo Domino, & Apostolico culmine sublimato S. Patri Patrum Damaso Papæ.* Tertius *Pontifex Christianorum* habetur apud Eusebium in chronico anni 46. Quartus est *summus Pontifex* in eadem epistola Stephani, ubi etiam legitur *Summo omnium Præsulum Pontifici*, quo titulo etiam utitur D. Hieronymus in præfatione Evangeliorum ad Damasum, ait enim: *Tu qui summus Sacerdos es.* Quintus *Princeps Sacerdotum*, qui legitur in epist. Valentiniani ad Theodosium, quæ habetur ante concilium Chalcedonense Tom. I. conciliorum ubi habetur: *Beatissimus Romanæ urbis Episcopus, cui principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit.* Et D. Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 6. ait: *Roma propter Sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis, quàm solio potestatis.* Neque obstat quod opponit Calvinus lib. 4. Instit. cap. 7. §. 3. concilium Carthaginense III. can. 26. prohibere, ne quis dicatur *Princeps Sacerdotum*; quia id tantùm fuit statutum de Episcopis Africæ, inter quos multi erant primates æquales, ne ullus eorum diceretur summus Sacerdos. Sextus titulus est *Vicarius Christi*, quo titulo utitur concilium Lugdunense sub Gregorio X. & habetur etiam in jure canonico in 6. titulo de electione c. *ubi periculum*. Septimus *Caput Ecclesiæ*, quo utitur concilium Chalcedonense in Epist. ad Leonem ubi legitur: *Quibus tu velut membris caput præeras.* Et act. 1. ejusdem concilii Ecclesia Romana dicitur *Caput omnium Ecclesiarum*. Neque obstat quod objicit Calvinus *lib. 4. Inst. c. 7. §. 21.* S. Gregorium *lib. 4. cap. 82.* scripsisse ad Episcopum Constantinopolitanum: *Petrus primum membrum sanctæ, & universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Jacobus, quid aliud quàm singularium plebium sunt capita? omnes tamen sub uno capite membra Ecclesiæ sunt.* Ubi Gregorius redarguit Joannem qui voluit caput dici totius Ecclesiæ; quod falsitatis arguit, eo quia nec Petrus, nec ullus alius Apostolus caput fuit totius Ecclesiæ, sed tantùm capita fuerunt particularium plebium, seu Ecclesiarum, & membra Ecclesiæ universalis. Nam ut respondet Bellarminus dupliciter potest quis dici caput totius Ecclesiæ, primò ut ipse solus sit caput principale; & in hoc sensu solus Christus est caput Ecclesiæ militantis; Secundò ut sit caput cum vicaria potestate: & in hoc sensu S. Petrus, & illius successores dicuntur & sunt caput Ecclesiæ, quia in Ecclesia pollent vicaria Christi potestate: idque clarè innuit S. Gregorius lib. 11. epist. 42. *Apostolicæ Sedis reverentia nullius præsumptione turbetur; tunc enim membrorum status integer perseverat, si caput fidei nulla pulset injuria*; & Epist. 54. ait: *Sedes Apostolica omnium Ecclesiarum Caput est.* Octavus titulus est *Fundamentum Ecclesiæ Catholicæ.* D. Hieronymus Epist. 1. ad Damasum de nomine hypostasis ait: *Super hanc petram Ecclesiam fundatam scio.* Vocat Damasum Romanum Pontificem *petram* seu fundamentum *Ecclesiæ.* Nonus *Pastor dominici ovilis.* Ambrosius Epist. ad Siricium Papam: *Recognovimus literis sanctitatis tuæ boni Pastoris excubias, quam fideliter tibi commissam januam serves, & pia sollicitudine Christi ovile custodias.* Decimus *Rector domus Dei.* Ambrosius in 1. ad Timoth. 3. *Domus Dei est Ecclesia cujus hodie Rector est Damasus.* Undecimus *Custos vineæ*, concilium Chalcedonense in Epist. directa ad Leonem Papam: *Insuper contra ipsum, cui vineæ custodia à Salvatore commissa; id est contra tuam Apostolicam sanctitatem extendit insaniam.* Duodecimus *Pater & Doctor omnium Christianorum*, hic titulus habetur in Concilio Florentino *Sess. ult.* Decimus tertius *Sponsus Ecclesiæ*, ut vocatur in concilio generali Lugdunensi, & habetur in cap. *ubi periculum* de electione in 6. adeo ut principalis Ecclesiæ Sponsus sit Christus & Romanus Pontifex Vicarius cum vicaria potestate, qua in Ecclesia vices gerit Christi. Decimus quartus *est Apostolicæ Sedis præsul*, dicitur Apostolica Sedes simpliciter, ut intelligatur cathedra D. Petri, quæ est Romæ, estque Sedes universalis Ecclesiæ. Olim Sedes Patriarchales dicebantur etiam Apostolicæ non tamen simpliciter & absolutè, sed cum addito specialis Ecclesiæ Antiochenæ, Alexandrinæ, Hierosolymitanæ. Sola D. Petri cathedra dicitur simpliciter Apostolica. Decimus quintus titulus est *Episcopus universalis*, seu Ecclesiæ Catholicæ in concilio Chalcedonensi Act. 3. leguntur tres Epistolæ diversorum Græcorum ad Leonem Papam, quarum communis titulus est: *Sanctissimo, ac Beatissimo universali Archiepiscopo, & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni.* Hinc apparet falsum, quod ait Lutherus *de Potestate Papæ*, ubi cùm dixisset Gregorium recusasse nomen universalis Episcopi, postea subjungit, *quod dixisset de nomine summi, & sanctissimi*, asserit Lutherus titulum summi, & sanctissimi usque ad tempora Gregorii non fuisse audita in Ecclesia, quod quàm falsum sit, liquet ex concilio Chalcedonensi, & antiquis omnibus ante Gregorium, qui Romanum Pontificem *Sanctissimum* appellarunt. Aetius Episcopus Nicopolitanus in concilio Chalcedonensi vocavit Leonem Papam Dominum nostrum & Sanctissimum Papam, ait ipse: *Quoniam nunc Domini nostri, & Sanctissimi Papæ lecta est epistola.* Patet etiam falsitas Magdeburgensium asserentium centuria 6. cap. 7. colum. 439. Romanum Pontificem creatum fuisse Patriarcham à Justino Imperatore anno 520. siquidem in concilio Chalcedonensi quod celebratum fuit anno 444. frequenter vocatur Leo Papa universalis Patriarcha. Arguitur etiam falsitatis quod refert Calvinus lib. 4. Instit. c. 7. § 4. ubi refert verba Gregorii lib. 4. Epist. 32. quòd cùm oblatum fuerit prædecessoribus suis in concilio Chalcedonensi nomen universalis: subdit: *Hoc nullam habet veri speciem, neque enim tale quidpiam in Actis Concilii legitur.* Quia tametsi concilium nihil

statuerit circa nomen universalis: constat tamen non displicuisse Concilio Romanum Pontificem vocari Episcopum universalem, seu Ecclesiæ Catholicæ, etenim *act.* 3. persæpe Leo Pontifex à Concilio vocatur Episcopus universalis, seu totius Ecclesiæ Catholicæ, & nemo fuit in concilio, qui hanc reprehenderit nomenclationem. Instat Calvinus quia Gregorius lib. 4. epist. 32. & plerisque aliis in locis sæpissime repetit, hoc nomen Episcopi universalis esse profanum, & sacrilegum; & ideo neminem ex suis prædecessoribus voluisse illo uti. Citatur etiam Concilium Africanum relatum à Gratiano *dist.* 99. *can. Primæ sedis* ubi dicitur: *Universalis autem nec Romanus Pontifex appelletur* sed contra quia nomen universalis Episcopi dupliciter sumi potest. Primò ut Romanus Pontifex ita sit Episcopus universalis, seu omnium ecclesiarum particularium per totum orbem, ut præter ipsum non sint alii Episcopi, sed tantum Vicarii illius, qui dicitur Episcopus universalis, & in hoc sensu est nomen profanum rejectum à Gregorio, ut patet ex ratione, quam adfert lib. 34. ad Constantiam ubi scribit: *Triste valde est, ut patienter feratur quatenus despectis omnibus, prædictus frater, & coepiscopus meus solus conetur appellari Episcopus.* Et lib. 4. epist. 36. ad Eulogium: *Si unus Patriarcha universalis dicitur; Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Alio modo dici potest Episcopus universalis, qui regimen habet totius Ecclesiæ Catholicæ seu generale; ita ut non excludat particulares Episcopos locorum, & Archiepiscopos Provinciarum. Quemadmodum Generales Religiosorum ordinum sunt superiores universales totius ordinis, ita tamen, ut constituat non deleat provinciales superiores, nec priores particularium conventuum: & in hoc secundo sensu nomen universalis Episcopi à D. Gregorio tribuitur Romano Pontifici, ut etiam à Concilio Chalcedonensi, quod sanctum, & Catholicum fuisse testatur S. Gregorius, qui regimen universalis Ecclesiæ soli inesse Romano Pontifici exemplo, & scripto satis comprobavit, & in iis, quæ contra Joannem Patriarcham Constantinopolitanum decrevit, & præsertim *lib.* 7. *epist.* 63. & 64. *lib.* 11. *epist.* 42. & 54. Quòd verò Gregorius Magnus fuerit insectatus titulum Episcopi universalis, occasionem dedit ambitio, & fastus Patriarchæ Constantinopolitani, qui cum versaretur in urbe Imperatoris, & ibi sedem Patriarchalem fixisset, non contentus tribus Patriarchiis in Oriente, Alexandrino, Antiocheno, & Jerosolymitano, quartum voluit addere scilicet Constantinopolitanum, ac primatum eidem adnectere excluso Alexandrino edito tertio Canone in 2. Synodo Oecumenico, qui tamen utpote læsæ fidei à Damaso Papa non fuit confirmatus, neque effectui datus, quapropter repetitus fuit in Concilio Chalcedonensi urgente Anatholio Episcopo, & præsertim Imperatoris præpotentia, cui innixus vi omnia extorquebat, dissimulante Cæsare, qui suum credebat honorem, quidquid Patriarchæ Constantinopolitano accessisset dignitatis, & honoris. Verùm Leo Magnus quamvis ab Imperatore, à Senatu, & Concilio pluries rogatus fuerit adduci nunquam potuit, ut canonem illum approbaret, eo quia Concilio Nicæno, & juribus Patriarchæ Alexandrini adversaretur, neque enim est conveniens spoliis unius alium induere, & ornare. Quia verò urbs Roma è Barbaris occupata esset, & Romanus Pontifex suppetias petiisset ab Imperatore Orientis, favente occasione Episcopi Constantinopolitani à Leone, & Justiniano Imperatoribus diploma extorserunt, quo à Romano Pontifice titulum primatus Orientis acceperunt, imò & titulum Patriarchæ Oecumenici, quo Justinianus Epiphanium condecoravit in *Cod. de summa Trinit. leg.* 7. Imò & eo prætextu id factum fuit, quia Patriarchæ Constantinopolitano in Concilio Chalcedonensi asserunt omnia privilegia fuisse concessa, quæ Pontifici Romano, proinde etiam titulum universalis Episcopi, & Oecumenici, ut notat Glossa cap. dist. 22. & hoc titulo etiam Menas in Concilio Constantinopolitano, aliique Patriarchæ usi sunt, sed cæteris arrogantius Joannes Neosteta, qui pallio sanctitatis, & vitæ austerioris plausum, & gloriam captans sed tantam devenit vanitatem, ut se unum ad exclusionem cæterorum omnium, verum diceret Episcopum, propterea acriter increpatus fuit à Pelegio II. Romano Pontifice, postea à Gregorio Magno, qui titulum illum ut superbum, & insolentem execrari cœpit; & paulò post mortuo Joanne adhuc superstes fuit titulus, & in successores propagatus, donec Phocas Imperator anno 606. indignatus Ciriaco Patriarchæ propugnanti Ecclesiasticam immunitatem hunc titulum delevit in Episcopis Constantinopolitanis, & declaravit publico decreto Soli Romano Pontifici deberi, ut testatur Anastasius Bibliothecarius in Bonifacio III. & Paulus Diaconus lib. 4. de gestis Longobardorum. Et ista est vera origo, & causa cur Sectarii recentiores asserant Romanum Pontificem primatum accepisse è Phoca, cui successit Heraclitus in imperium Fautor Monotelitarum, quorum errores fuit etiam secutus, &, quia contrarius Romano Pontifici præfatum titulum Episcopi Oecumenici Patriarchis Constantinopolitanis iterum adnexuit, imò & postea ipse Phocas privatis odiis in Romanum Pontificem exardens præter titulum Episcopi universalis etiam primatu Ecclesiæ Christi eum insignivit excussa obedientia debita Romano Pontifici; hæcque causa, cur Gregorius Magnus fuit execratus titulum Episcopi universalis.

C A P U T VI.

Supremum regimen totius Ecclesiæ Catholicæ soli inesse Romano Pontifici ex eo evincitur, quia Concilium Universale non approbatum à Romano Pontifice fit erroribus obnoxium, quod probatur ex Conciliis, Patribus, & ratione naturali; & eluuntur plures objectiones.

CUm Christus rogaverit æternum Patrem, ut fides Petri, quem constituerat Pastorem universalem suarum ovium, nunquam deficeret, sequitur successores D. Petri in primatu Ecclesiæ universalis non posse deficere, neque errare in fide, dicente Christo: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*, & nomine Petri utpote brevi morituro intellexit etiam ejus Successores in regimine Ecclesiæ universalis, quod si isti non possunt errare in iis, quæ pertinent ad fidem, adeo ut Pontifex docens

docens ex cathedra, & ut universalis Pastor totius dominici gregis non verò ut persona privata, non possit errare, sequitur evidenter, quòd si Concilium universale à Pontifice non approbatum, est errori obnoxium primatum Ecclesiæ non Concilio, sed soli Romano Pontifici esse annexum, & Concilium non esse supra, sed infra Pontificem, à quo corrigi possit: si enim Concilium universale est errori obnoxium, debet posse ab aliquo corrigi; consequenter non potest esse prima regula in Ecclesia, sed necesse est, detur alia superior, à qua corrigatur, & omnis obliquitas emendetur. Quod verò Concilium universale non approbatum à Romano Pontifice pluries erraverit, non est probatu difficile, etenim anno 359. sub Liberio Pontifice erravit Concilium Ariminense, cui interfuerunt Episcopi quadringenti, & Legati Apostolici, quorum unus fuit Vincentius Capuanus Episcopus; hoc igitur Concilium generale prætextu componendæ pacis cum Arianis expuncta voce consubstantiali, seu *Homousion* filium dixerat similem Patri, quod perinde fuit, ac dexteras porrigere Arianis, & cum ipsis asserere Filium non esse ejusdem prorsus substantiæ cum Patre, quod aperta est hæresis: & tunc ut loquitur D. Hieronymus dedita velut arce fidei, & religionis Catholicæ Nicænæ Synodus damnatio est conclamata, & totus orbis ingemiscens, se Arianum esse miratus est: hinc totis viribus Liberius Romanus Pontifex huic se opposuit Concilio, quod nec approbare unquam voluit, nec eidem ullo modo adhærere, & ob id plures perpessus est persecutiones, & etiam in exilium deportatus: adest epistola Damasi, & Synodi Romanæ apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. ubi hæc leguntur: *Numerum Episcoporum, qui erant Arimini congregati, præjudicii vim habere non debere, præsertim cum formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cujus sententia præ cæteris omnibus erat expectanda, neque Vincentio, neque aliis eis consentientibus, cumque illi ipsi, qui in fraudem illecti à veritate deflexisse visi essent, postea ad meliorem mentem denuo traducti, planè testarentur hanc formulam sibi magnopere displicere.* Et merito debuit displicere Patribus illis, quia nemo similis est sibi, sed alteri à se distincto, est enim similitudo semper inter duo sejuncta, & distincta quoad entitatem, quam possident, quapropter eo ipso, quòd Filius dicitur similis est distinctæ substantiæ à Patre, consequenter Pater, & Filius in divinis non essent una ac eadem prorsus deitas, & substantia, quod est contra fidem, & manifesta hæresis Arianorum, hoc idem etiam refert Sozomenus *lib. 4. cap.* 18. Neque urget, quod asserunt Sectarii non fuisse in hoc Concilio legitimè processum, neque libera fuisse Episcoporum suffragia, eò quia fraudibus Arianorum metuque incusso extorta potiùs fuerunt. Sed quamvis verum sit suffragia Patrum non fuisse in Concilio Ariminensi omnino libera, ex hoc clarè apparet, Concilium metu, vel ignorantia, aut odio, vel qualibet alia ratione posse corrumpi, & errare, ac de legitimè congregato absolvi illegitimum, consequenter Concilium universale non approbatum, & confirmatum esse errori obnoxium, proinde primatum Ecclesiæ catholicæ non posse inesse Concilio universali sine capite, sed soli Romano Pontifici approbanti, & confirmanti Concilium: non enim constare potest, an Concilium generale legitimum sit, vel illegitimum nisi ex eo quod approbetur, vel non approbetur à Romano Pontifice, sine quo omnia in Concilio perturbationibus aguntur, & suffragia vi extorquentur, metuque incusso ambitio, & cupiditates regnant.

Secundò erravit anno 381. Synodus œcumenica Constantinopolitana, cui interfuerunt Episcopi centum, & quinquaginta, quando contra præscriptum Concilii Nicæni & Jura Ecclesiæ Alexandrinæ primatum concessit Patriarchæ Constantinopolitano, absente, & non audito Timotheo Patriarcha Alexandrino contra jura, quæ non permittunt inauditis partibus sententiam proferri: quem tamen Canonem nunquam Romani Pontifices ratum habuerunt, eò quia adversetur Nicæno Concilio, cujus decreta fuerunt à Pontifice approbata, eò quia editus fuerit Canon ille cum alterius injuria, cui nolenti auferri non poterant, quæ propria ei fuerant; ut scribunt S. Leo epistol. 52. ad Anatholium, & Gregorius Magnus *lib. 6. epist.* 52. Et quamvis error hujus Concilii non fuerit circa fidei articulus, fuit tamen in materia justitiæ, ac error dignus ut à Romano Pontifice emendaretur, & hinc patet, quòd Pontifex sit supra Concilium, & hoc infra Pontificem, cujus correctioni subjaceat, & suprema judicandi potestas soli insit Romano Pontifici, quia inferior non potest jus dicere superiori, quia enim jus dicit, necesse est, habeat jurisdictionem in eum, quem judicat, consequenter Romanus Pontifex est supra Concilium universale.

Tertiò erravit etiam anno 451. quarta Synodus œcumenica habita Chalcedone sub Leone I. Pontifice Maximo, & Martiano Imperatore: siquidem Concilium *Act.* 15. *Can.* 58. Primatum totius Orientis detulit Archiepiscopo Constantinopolitano, qui tamen Canon à Legatis Sedis Apostolicæ statim expungi jussus fuit, ut legitur Act. 16. & in epistol. S. Leonis 59. & epistol. ad Anatholium 51. Rursus in eadem Synodo Chalcedonensi sess. 6. cum à Patribus formula, & symbolum fidei conceptum fuisset, quia propter omissas Hæreticorum instinctu aliquas voces non satis clarè contra Eutichetem sententia catholica declarabatur simili quasi errore cum Concilio Ariminensi deficeat à veritate: Legati Pontificii nunquam passi sint formulam illam inseri actis Concilii, sed tametsi murmur inter Patres fuerit, aliam conceperunt formulam, ut habetur *Actor.* 5. *tom.* 2. *Concilior.*

Quartò Synodus Constantinopolitana nuncupata Quinisexta sub Sergio Pontifice, & Justiniano Juniore Augusto, anno 692. etiam erravit: ut enim narrat Balsamon in Nomocanone Legati Apostolici interfuerunt, & ejus Canones præsertim 82. Adrianus Papa in Epistola quam ad Tharasium direxit plurimum laudat: error tamen hujus Synodi œcumenicæ in eo fuit, quia cœlibatum Sacerdotum, & sabbathi jejunium expunxit, ut liquet ex canone 13. & 55. idque causa fuit, ut à Patribus Synodus vocaretur erratica, nec unquam Sergius Romanus Pontifex voluit eam approbare teste Anastasio in Sergio, quod etiam affirmat Venerabilis Beda de sex ætatibus in Justiniano Minore.

Quintò erravit etiam anno 449. Synodus secunda Ephesina, cui sub Leone Pontifice Romano, & Theodosio Juniore interfuerunt Episcopi centum viginti octo unà cum interventu Legatorum Sedis Apostolicæ: in hac enim Synodo Eutiches absolutus fuit, & damnati plures Episcopi Catholici, inter quos Flavianus sanctitate percelebris, qua de causa, quia Patres in hac Synodo dolosè, & per fraudes processerunt, fuit à Majoribus Prædatoria, & latrocinalis vocata, & Leo ejus memoriam omnino deletam voluit.

Sextò erravit Consilium Basileense à Martino V. & Eugenio IV. indictum anno 1431. quod propterea ab Eugenio, & Leone X. in Concilio Lateranensi consentiente Ludovico Rege Christianissimo l'amustum fuit, & Ludovicus declaravit suos Legatos regio diplo-

diplomate in publico conventu recitato, se Lateranensi Concilio adhæsurum. Ex quibus constat sine consensu capitis, & sine approbatione, & confirmatione Romani Pontificis concilia quantumvis universalia esse erroribus obnoxia ac indigere corrigi à Romano Pontifice, qui propterea non est infra, sed supra Concilium Generale, idque causæ cur in Jure canonico sancitum persæpe sit, ut nulla sit Conciliorum authoritas, nisi quæ à Pontifice Romano approbata, & confirmata fuerit: quæ confirmatio necessaria non esset, si concilia non forent erroribus obnoxia, etenim S. Julius Pontifex Maximus epistola 1. quæ legitur Tom. 1. Concilior. & cujus etiam meminit Sozomenus lib. 3. cap. 7. ait: *Ipsi verò primæ Sedis Ecclesiæ convocandarum generalium Synodorum jura, & judicia Episcoporum singulari privilegio Evangelicis & Apostolicis atque canonicis concessa sunt institutis, quia semper Majores causæ ad Sedem Apostolicam multis authoritatibus referri præcepta sunt. Nec ullo modo potest major à minori judicari. Ipsa namque omnibus major, & prælata est Ecclesiis, quæ non solummodo Canonum & sanctorum Patrum decretis, sed Domini Salvatoris nostri voce singularem obtinuit principatum, tu es, inquit, Petrus &c. Porro dudum à sanctis Apostolis successoribusque eorum in privatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hactenus sancta, & universalis tenet Ecclesia non oportere præter sententiam Romanis Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari, quoniam Romanam Ecclesiam primatum omnium Ecclesiarum esse voluerunt, & sicut beatus Petrus primus fuit omnium Apostolorum ita & hæc Ecclesia ipsius nomine consecrata Domino instituente prima & caput sit cæterarum, & ad eam quasi ad matrem atque apicem omnes majores Ecclesiæ causæ, & judicia Episcoporum recurrant ejusque justâ sententia terminum sumant, nec extra Romanum quidquid ex his debere decerni Pontificem.* Rursus Gelasius Papa in epistola ad Episcopos Dardaniæ, quam allegat Gratianus *in cap. Confidimus 25. quæst. 1.* scribit: Privilegium Ecclesiæ Romanæ esse ut sit caput omnium Ecclesiarum, & universali Ecclesiæ sit propterea præferendus, cujus est Judex. Nicolaus I. Papa in epistol. ad Mediolanenses, & habetur *in cap. Omnes distinct. 22.* scribit: *Qui autem Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur, & cum ille vocetur injustus, hic est procul dubio dicendus Hæreticus. Fidem quippe violat, qui adversus illam agit, quæ mater est fidei; & illi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis non prætulisse cognoscitur. Unde & ipse S. Ambrosius se in omnibus sequi Magistram sanctam Romanam profitetur Ecclesiam.* Rursus Julius Papa in cap. Regul. dist. 17. ait: *Regula vestra nullas habet vires, nec habere poterit; quoniam nec ab orthodoxis in hoc Concilium actum est, nec Romanæ Ecclesiæ Legatus interfuit, Canonibus præcipientibus sine ejus authoritate concilia fieri non debere. Nec ullum ratum est, aut erit unquam Concilium, quod non fulcitum fuerit ejus authoritate.* Hoc idem sanxerunt, & declarârunt Concilia ipsa œcumenica præsertim Concilium Chalcedonense Act. 6. & Nicænum secundum Act. 1. Et Concilium Romanum sub Sylvestro Pontifice, & imperio Coostantini numero 244. declaravit: *Romanam Sedem à nemine nec quidem toto Clero judicari posse, ab ipsa verè judicari omnes*, ut habetur Tom. 1. Concil. post Concilium Nicænum, quod etiam idem decreverat: siquidem Patres Concilii Nicæni I. num. 318. expresè asserunt Papam esse Vicarium Christi super omnes populos & universam Ecclesiam Christianam, ut habetur Tom. 1. Concilior. in Actis Concilii Nicæni Can. 39. Concilium Sinuesse congregatum etiam fatetur num. 180. *non posse alterius ore, sed suo tantùm Papam judicari, illum reum, illum Judicem sui esse*, ut habetur in Actis concilii Sinuessani Tom. 1. concil. Rursus concilium Romanum sub Symacho Papa, ac Theodorico Rege Italiæ num. 115. declaravit Papam esse summum Pastorem, nullius extra casum hæresis judicio subjectum Tom. 2. concilior. & luculenter narrat Anastasius in Symacho. Concilium Romanum sub Leone III. & Carolo Magno fatetur rem inauditam esse Romanum Pontificem concilio reum sisti, qui nunquam alium quàm se Judicem habuerit, ut narrant Baronius anno Christi 800. Anastasius in Leone, & Æmilius de rebus Francorum in Carolo Magno. Patres itidem octavæ Synodi œcumenicæ sub Adriano II. Pontifice numero 202. asserunt ne quidem à generali concilio posse in Romanum Episcopum sententiam dici, ut habetur tom. 4. concil. canon. 21. Tandem Concilium Lateranense sub Leone X. numero 114. expresè declarat: *Papa authoritatem Concilio præcellere* sess. 11. & huic Concilio Rex Christianissimus professus fuit per suos oratores interfuisse, & huic adhærere.

Ex sanctis Patribus S. Anacletus Papa, & Martyr ait depositionem summi Pontificis soli DEO reservatam esse epistola 1. Anacleti, & habetur *Tom. 1. Concilior.* S. Julius Papa epistola 1. ad Episcopos Orientales, quæ habetur *Tom. 1. Concilior.* scribit: *Papam à nullo posse judicari, & majores causas ad eundem esse referendas, & extra ejus sententiam nihil posse definiri.* S. Bonifacius Martyr *in cap. si Papa. dist. 40.* rescribit *Papa judicio omnes subjacere, ipsum nullius excepta hæresi.* S. Gelasius cap. Nemo. cap. Cuncta 9. quæst. 3. ait: *Hæc præscripta Canonum ab omnibus posse Romanam Sedem appellare: sed ab ista nullam esse provocationem ejusque sententias nullius examini, aut judicio submitti.* S. Symachus apud Ennodium & habetur Tom. 1. concilior. in Symacho, ait: *Successores beati Petri cœlo tantùm suam debere innocentiam, & præter Deum sine Judice esse.* S. Nicolaus Papa ad Michaelem imperatorem, & habetur Tom. 3. concilior. & in cap. Pater. 9. quæst. 3. scribit: *Papæ judicium ultimum & peremptorium esse; neque majorem pontificia authoritate in mundo dari.* Rursus S. Damasus Papa epist. ad Episcopos Ilyriæ & habetur apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. & epistol. 2. ad Stephanum, & Concil. Afric. ait: *Nullo Episcoporum numero decreta firmari, quibus Romanus Pontifex assensum non præbuit, & hujus ante omnia expectandam sententiam esse: nec ulla unquam rata Concilia legi, quæ non sunt fulta Apostolica authoritate.* Prætetea Patres Concilii œcumenici Sardicensis sub Julio Romano Pontifice numero 300. asserunt: *A Synodo condemnato posse Romanam Sedem appellare, hujusque arbitria petere, velut ipsam causam cognoscere, ac Judices in partibus delegare:* ubi Concilium generale expresè fatetur à Synodo Oecumenica posse ad Romanum Pontificem appellari, & quia explorati est juris majorem esse illum ad quem appellatur eo, à quo appellatur, eò quia Judex ad quem possit corrigere, rescindere sententiam Judicis à quo, & ejus jurisdictionem suspendere, vel imperare executionem sententiæ, quæ omnia non possunt fieri nisi à majore Judice, proinde Concilium Oecumenicum Sardicense sub Julio num. 300. declaravit, *Romanum Pontificem esse supra Concilium Generale, & ab hoc ad illum dari appellationem*, ut à minore Judice ad majorem, ut constat ex actis ejusdem Concilii cap. 4. & 7. Concilium Chalcedonense Oecumenicum sub Leone numero 630. declaravit. *Imperari sibi à Pontifice Roma-*

Romano, legesque dari, & fides formam, ut constat ex Actis ejusdem Concilii Act. 1. 3. 16. patres Concilii Niceni 2. an. 350. sub Adriano I. asserunt. *Execrabilem, profanam, & adulterinam esse septimam Synodum Constantinopolitanam, quia non habuit cooperatorem Romanum Pontificem, neque illius Sacerdotes, neque per Vicarium, neque per provinciales literas convocatam esse quemadmodum in Synodis fieri debet*; ita legitur in Actis ejusdem Concilii Act. 6.

Præterea S. Athanasius epist. ad Felicem II. papam scribit: *Majores suos dogmata, & ordinationes à Sede Romana accepisse, ad eamque quasi ad Matrem recurrisse ejus uberibus nutriendos: Canonibus quippe sancitum esse, ut absque Romano Pontifice in majoribus causis decerni nihil debeat.* Anastasius patriarcha Hierosolymitanus ad Felicem papam scribit: *Antiquis regulis sancitum esse, ut quidquid, quamvis in remotis provinciis ageretur, non prius tractandum esset, quàm ad notitiam almæ Sedis esset deductum, ut juxta ejus auctoritatem, aut firmaretur, aut infirmaretur.* Imò Carnotensis epist. 183. *Judicia Romanæ Ecclesiæ à nemine retractari posse: & si quis aliquando hujus Ecclesiæ authoritate prægravatum se senserit, non debere in Ægyptum descendere propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam refugere, & inde expetere levamen, unde se conqueritur accepisse gravamen.* S. Isidorus Hispalensis præfat. in opus Conciliorum: *Epistolas Romanorum Pontificum, eorumque decreta pro eminentia Sedis Apostolicæ, nec imparis esse cum conciliis auctoritatis, nec ullam Synodum legi ratam fuisse, quæ non fuerit auctoritate Apostolicæ Sedis congregata, vel fulta.* B. Augustinus Triumphus: *Sententia Papæ, & sententia Dei est una sententia; sicut sententia Papæ & sui Auditoris est una ac eadem sententia: cùm igitur appellatio semper fiat à minori ad majorem; sicut nullus est major se ipso, ita nulla appellatio tenet facta à Papa ad Deum*, ita loquitur in tract. de potest. papæ q. 6. a. 1. S. Bernardinus Senensis in Mariali part. 3. serm. 3. ait: *Cùm Papa sit Christi Vicarius, & gerat vicem Dei in terris: sequitur, quod habeat plenitudinem potestatis, & illud quod facit, præsumitur facere auctoritate Dei ideo ipso approbante aliquid. & nos approbare debemus. Immò ipsius sententiæ est magis standum, quàm sententiæ totius mundi.*

Quinimò dissentientes à Romano pontifice mulctantur pœnâ, notanturque censurâ S. Antoninus in summa 3. part. tit. 23. c. 3. ait: *Quoniam quidam hostes veritatis, & unitatis adversarii dicere præsumpserunt, quòd licet à Romano Pontifice ad Successorem ipsius, vel ad generale Concilium appellare: idcirco in correctione Sedis Apostolicæ intendo probare, quod sentire, quod à Romano Pontifice possit ad quemcunque appellari, sit hæreticum manifestè: & hoc probo unica ratione, quæ est talis: Quicunque privilegium à Christo concessum Romanæ Ecclesiæ auferre conatur est hæreticus: sed dicens, & tenens, quod liceat appellare à Pontifice Romano ad ejus Successorem, auffert privilegium Romanæ Ecclesiæ à Christo traditum: ergo talis manifestè est hæreticus. Major ponitur ex decreto D. 22. cap. omnes ubi dicit sic: Non dubium est, quia quisque cuilibet Ecclesiæ jus suum detrahit injustitiam facit: qui autem Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum auferre conatur: hic procul dubio in hæresim labitur: & cùm ille vocetur injustus, hic est dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui adversus illam agit, quæ est Mater fidei: & ipsi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur.* Elegantes S. Hieronymus in epist. ad Damasum quæ à Gratiano allegatur cap. quoniam 24. quæst. 1. *quoniam vetusto oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam, & desuper textam per frusta discerpit; & Christi vineam vulpes exterminant, ut inter lacus contritos, qui non habent aquam, difficilè, ubi fons signatus & hortus ille conclusus sit, possit intelligi, ideo mihi cathedram Petri, & Fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, unde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi.* Et nonnullis interjectis subdit: *Cum successore Piscatoris & Discipulo crucis loquor. ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, quicunque extra hanc domum agnum comederit profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. Et quia pro meis facinoribus ad eam solitudinem commigravi, quæ Syriam juncto barbariæ fine determinat, nec possum sanctum Domini tot interjacentibus spatiis à sanctimonia sua semper expetere, ideo hic collegas tuos Ægyptios Confessores sequor, & sub onerariis navibus parva navicula delitesco non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est qui Christi non est Antichristi est.* Addendus hic est Joannes Turrecremata, qui cum concilio Basileensi interfuisset, loquens de ejusdem concilii decreto, quo Concilium Pontifici præferre conati sunt Patres, ait lib. 2. de Eccles. cap. 100. *Licèt Basileenses cum maximo studio repetitis vicibus supplicaverunt, oraverunt & requisiverunt per Oratores suos ut Dominus Eugenius eorum decreta approbaret, & confirmaret, nunquam tamen talem approbationem, aut confirmationem obtinere potuerunt. Et meritò, quia Sedes Apostolica, in qua Religio Christiana semper immaculata permansit, & permanebit, talia decreta, quæ ab Evangelica veritate & Sanctorum Patrum doctrina aliena videbantur, nullo modo ab eo passa fuisset confirmari.* Et infra subjungit: *Non parum admirandum est adversarios Basileenses tanta mentis caligine involutos & excæcatos malitia in materiis fidei definiendis, & declarandis maluisse sequi homines ab Ecclesia Dei in doctrina sua damnatos, sicut fuit Marsilius de Padua, Gulielmus Ocka, & aliquorum fraticellorum opiniones erroneas renovantes, quàm Doctores sanctos ab Ecclesia approbatos, & alios præstantissimos Doctores antiquos, & reputatissimos in Schola Theologica, quorum doctrina fulget in Ecclesia ut sol, & luna. Contra quos ait Augustinus & habetur in Canone, non Afferamus 24. q. 1. Non afferamus stateras dolosas, neque appendamus, quod volumus pro arbitrio nostro, dicentes, hoc grave, hoc leve est: sed afferamus divinam stateram ex Scripturis sacris tanquam thesauris dominicis & in illa quid sit gravius appendamus.*

Hæc eadem veritas evincitur etiam rationibus, quarum prima desumitur ex regimine Monarchico, quod cæteris antecellit utilitate subditorum: Christus enim quia Ecclesiam selegit suam sponsam dilectam, eidem optimè censendum est voluisse consulere, cùm enim Dei amor non sterilescat in cortice, sed uberi fructuum copia foras se explicet, ideo non optimè consultum voluisset suæ sponsæ, si optima regiminis formâ noluisset gubernari, & dirigi in suum finem, hæc autem optima gubernandi forma cæteris præferenda est Monarchica uno Principe ad clavum sedente, quia quæ ab uno tantùm dependent, facilius simul colligantur, & amico fœdere uniuntur, unus enim Princeps præsto semper est &

accinctus operi, & si quid devium contingat, statim ad pristinam redigit rectitudinem, si enim plures sint Principes cum æquali potestate difficulter conveniunt, præsertim si loco distent, si moribus sint dissimiles, quisque enim suæ adhærescit opinioni, & interim malum fit gravius, magisque invalescit non absque gravi populorum detrimento: unus autem secum facilius convenit, sibique obstrictos imperio, & potestate ad exequenda mandata legesque observandas facilius impellit: plures enim sicut ingenio, moribus, doctrina & affectibus discrepant, ideo in unam sententiam difficulter coeunt, & per tot remotas difficilius in unum bonum communitatis conspirant, quinimò persæpe in factiones scinduntur Ecclesiæ, ac Reipublicæ perniciosæ, ut contigit in Conciliis Pisano, & Basileensi, quibus Ecclesia in schismata scindebatur. Secus sub uno capite omnia magis ex ordine proveniunt, & subditi mutuis amoribus confœderantur. Si enim sit navis sine Rectore, exercitus sine supremo Præfecto, oves sine Pastore omnia periclitantur, & sua deque vertuntur in navi, exercitu, & ovili. Et revera nullum hactenus fuit Concilium celebratum, in quo plura orta non fuerint dissidia, ac dissensiones de loco, modo, & rebus ipsis, ac plures fuerunt auditæ sententiæ discrepantes, ac difficulter potuerunt Patres diversa sentientes simul componi; & non sine ope divina, & instinctu Spiritus Sancti: Secus ubi unus tantùm præest facilior patet ad ipsum accessus, promptiùs causa discutitur, sententia pronuntiatur, & negotium absolvitur. Sub uno Principe regnum est firmius, ac diuturnius, & pacis olea felicius virescit. Secus ubi plura capita, ibi & multæ æmulationes, invidia enim pectora torquet, & dissidia excitat, ex quibus persæpe bella oriuntur civilia. Hinc si percurramus omnia regnorum, Rerumpublicarumque regimina facilè deprehendimus, Monarchicum regimen fuisse magis diuturnum, ac cæteris validius, magisque præpotens, quapropter credendum est voluisse Christum suam Ecclesiam, quam summè diligit, gubernari meliori ac perfectiori regimine ad unitatem fidelium, pacemque servandam & eorum profectum in spiritualibus promovendum: ergo concludendum est Christum voluisse suam Ecclesiam Monarchicè gubernari: sin autem summa potestas non esset in solo Romano Pontifice, sed in Concilio generali, ubi ex singulis mundi partibus, & Provinciis confluunt Patres talis authoritatis, non gubernaretur Ecclesia monarchicè ab uno tantùm Principe, sed Aristocraticè à pluribus Optimatibus, inter quos facilè oriuntur dissidia, quæ nonnisi difficulter componuntur, ut in Conciliis Antiocheno Ariminensi, Ephesino II. Constantinopolitano sub Leone Isaurico, & sub Copronymo in Pisano, quæ tametsi viris abundarent qua doctrina, qua sanctitate clarissimis, quia tamen à Romano Pontifice non ducebantur, in plures abierunt errores, quos corrigere pertinuit ad Romanos Pontifices, qui propterea coacta Concilia non approbârunt, sed irrita effecerunt. Præterea quia natura ipsa regi ab uno tantùm desiderat, hinc D. Hieronymus Epist. 4. *Multa animalia & ferarum greges ductores sequuntur suos: in apibus Principes sunt, grues unam sequuntur ordine litterato: Imperator unus, Judex Provinciæ unus. Roma ut condita est, & duos simul fratres Reges habere non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebecca utero Esau & Jacob bella gesserunt. Singuli Ecclesiarum Episcopi singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi & omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur. In navi unus gubernator: in domo unus Dominus: in quovis grandi exercitu unius signum expectatur, & ne plura replicando fastidium legenti faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam te non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere sub unius disciplina Patris, consortioque multorum.* Hinc D. Thomas 1. part. quæst. 110. art. 3. ait: *Optimè gubernatio quæ fit per unum, cujus ratio est, quia gubernatio nihil aliud est, quàm directio gubernatorum ad finem qui est aliquod bonum. Unitas autem pertinet ad rationem bonitatis. Probatur per hoc, quòd sicut omnia desiderant bonum, ita desiderant unitatem sine qua esse non possunt. Nam unumquodque in tantum est, in quantum unum est, unde videmus quòd res repugnant suæ divisioni quantum possunt, & quod dissolutio uniuscujusque rei provenit ex defectu illius rei, & ideo id, ad quod tendit intentio gubernantis est unitas sive pax. Unitatis autem causa est per unum. Manifestum est enim, quod plures multa unire, & concordare non possunt, nisi ipsi aliquo modo uniantur. Illud autem quod est per se unum, potest esse unitatis convenientius, quàm multi uniti. Unde multitudo melius gubernatur per unum quàm per plures. Relinquitur ergo, quòd gubernatio mundi, quæ est optima sit ab uno gubernatore. Et hoc est, quod Philosophus dicit in 12. Methaphys. Entia nolunt disponi malè, nec bonum pluritas principatuum, unus ergo Princeps.* Rursus lib. 4. contra gentes cap. 66. ait: *Sic igitur in uno spirituali populo unius Ecclesiæ requiritur unus Episcopus, qui sit totius populi caput: ita in toto populo Christiano requiritur, quòd unus sit totius Ecclesiæ gubernator, & caput. Item ad unitatem Ecclesiæ requiritur, quòd omnes fideles in fide conveniant. Circa verò ea quæ fidei sunt contingit quæstiones moveri: per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quòd sit unus qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem, quòd Christus Ecclesiæ in necessariis non deficit, quam dilexit, & pro ea Sanguinem suum fudit, cùm & de Synagoga dicatur per Dominum quid ultra debui facere vineæ meæ & non feci Isaiæ 5. non est igitur dubitandum, quin ex ordinatione Christi unus toti Ecclesiæ præsit. Adhuc nulli dubium esse debet, quin Ecclesiæ regimen optimè sit ordinatum, utpote per eum dispositum, per quem Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt: Optimum autem regimen multitudinis est, ut regatur per unum, quod patet ex fine regiminis, qui est pax, pax enim est unitas subditorum, est finis regentis, unitatis autem congruentior causa est unus quàm multi. Manifestum est igitur regimen Ecclesiæ sic esse dispositum, ut unus totá Ecclesiæ præsit. Amplius Ecclesia militans ex triumphanti Ecclesia per similitudinem derivatur, unde & Joannes in Apocal. vidit Jerusalem descendentem de cœlo: & Moysi dictum est, quòd faceret omnia secundùm exemplar ei in monte monstratum. In triumphanti autem Ecclesia unus præsidet, qui etiam præsidet in toto universo scilicet Deus. Dicitur enim Apocal. 21. Ipsi populus ejus erunt, & ipse cum eis erit eorum Deus. Ergo in Ecclesia militante unus est, qui præsidet universis. Hinc est quod Oseæ 1. dicitur. Congregabuntur filii Juda, & filii Israel pariter, & ponent sibi Caput unum. Et Dominus dicit Joan. 10. Fiet unum ovile, & unus Pastor. Si quis autem dicat, quod unum Caput & unus Pastor est Christus qui est unus unius Ecclesiæ Sponsus, non sufficienter respondit. Manifestum est enim quòd Ecclesiastica Sacramenta ipse Christus perficit. Ipse enim est, qui baptizat. Ipse est, qui peccata remittit. Ipse est,*

verus

verum Sacerdos, qui se obtulit in ara Crucis, & cujus virtute corpus ejus quotidie in Altari consecratur: & tamen quia corporaliter non cum omnibus fidelibus præsentialiter erat futurus, elegit Ministros per quos prædicta fidelibus dispensaret, ut supra dictum est. Eadem igitur ratione, quia præsentiam corporalem erat Ecclesiæ subtracturus, oportuit, ut alicui committeret, qui loco sui universalis Ecclesiæ gereret curam, hoc est, quod Petro dixit ante Ascensionem: pasce oves meas Joan. 10. & ante passionem tu iterum conversus confirma fratres tuos Luc. 22. & ei soli promisit: Tibi dabo claves regni cælorum, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiæ unitatem. Non potest autem dici, quòd etsi Petro hanc dignitatem dederit, per eum tamen ad alium non derivatur. Manifestum est enim, quod Christus Ecclesiam sic constituit, ut esset usque ad finem sæculi duratura secundùm illud Isaiæ 9. Super solium David & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud & corroboret in judicio, & justitia, amodo usque in sempiternum: Manifestum est igitur, quod ita illos, qui tunc erant in ministerio constituit, ut eorum potestas derivaretur ad posteros pro utilitate Ecclesiæ usque ad finem sæculi, præsertim cùm ipse dicat Matth. ult. Ecce ego vobiscum usque ad consummationem sæculi. Per hoc autem excluditur quorundam præsumptuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia, & subjectione Petri, Successorem ejus Romanum Pontificem universalis Ecclesiæ Pastorem non recognoscentes.

Sanderus lib. 5. de visibili Monarchia cap. 5. plures congerit rationes, ut probet cur unus Pastor cæteris fidelibus à Christo præpositus putari debeat, quarum prima est ne longè præclarissimum gubernationis genus (ut est Monarchia) à Christi Ecclesia abesse censeatur, in qua secundùm ordinem omnia fieri debere Apostolus docet. Secunda ut status Ecclesiæ cohæreat cum eo gubernationis modo, qui observatur in cæteris omnibus creaturis, quæ ad unum suæ naturæ conditionisque principium referri solent, ut experimento deprehendimus in cœli syderibus, animalibus, plantis, & corporibus omnibus. Tertia ut Ecclesia militans in suo genere sit similis triumphanti, quam nemo negat ab uno Christo ita gubernari ut Christus ab eadem Ecclesiis facie ad faciem videatur. Quamobrem & huic militanti Ecclesiæ unus militans Pastor præesse debuit, qui ab eadem Ecclesia videri potest. Quarta ut regimen Ecclesiæ Christi respondeat statui, quem eadem Ecclesia sub Patriarchis habuit, quorum nonnisi unus eadem ætate, eodemque tempore primas tenuit, & cui cæteri omnes veluti primati cedebant, sicut constat de Melchisedech, qui benedixit Abrahæ tanquam inferiori Patriarchæ. Quinta ut status Ecclesiæ Christi respondeat statui legis Mosaicæ, sub qua unus tantùm Pontifex omnibus, quæ in mundo erant, synagogis præfuit. Sexta ut status Ecclesiæ Christi non dissentiat à Prophetarum doctrina, qui prædixerunt eam fore similem acici castrorum ordinatæ, in qua unus est primus Dux, seu Præfectus, à quo totus exercitus dependet, & cui omnes parent. Septima ut respondeat Christi doctrinæ, qui Ecclesiam comparavit regno, ovili, hospitio, seu diversorio, in quo unus Rex, unus Dominus, unus Pastor isque visibilis, & ejusdem conditionis cum subditis. Octava ut respondeat doctrinæ Apostolorum, qui Ecclesiam dixerunt similem corpori, cujus unum est præcipuum membrum; & similem domui, in qua unus Paterfamilias dominatur. Nona ut Ecclesiæ gubernatio consentiat ipsi cœlum, sitque non minus in tota militante Ecclesia unus militans Pastor, quàm in singulis militantibus provinciis, & Parochis singuli sunt militantes Pastores. Decima ut æterna Monarchia DEI per unum ad tempus Pastorem demonstretur, nam Ignatius Martyr tradit, Episcopum figuram Dei in Ecclesia gerere, in epistola ad Smirnenses: sit ergo unus in Ecclesia summus Pontifex, qui figuret unitatem DEI. Undecima ut visibilis Monarchia, quam Christus in terris agens per se ipsum inchoavit, & qua in hodiernum diem Ecclesiam gubernet in terris per Vicarium ipsius continuetur, & perseveret: nec alia nunc Ecclesia esse putetur, quàm sub Christo fuit. Esset quippe alia, & non una eadem Ecclesia, si forma regiminis, quæ sub Christo in terris agente nonnisi regia fuit, nunc in Aristocratiam, vel democratiam mutaretur. Duodecima ut Christi unica in æternum Pastoris unitas hoc modo figuretur, quia cum Ecclesia sit imago ipsarum rerum, quæ in cœlis splendent: sicut unum Christum esse totius Ecclesiæ suæ æternum Pastorem credimus, sic oportuit illam Christi præsidentiam per unius Pastoris primatum in terris figurari. Tertiadecima ut etiam invisibilis unitas Ecclesiæ hoc visibili unius Pastoris primatu designetur, quæ ratio est Cypriani de unitate Ecclesiæ: ex illa enim visibili connexione, qua cohærent inter se Presbyteri, Episcopi, Primates, & summus Pontifex facilè intelligitur, quanta sit illa spiritualis unitas, quæ intercedit Ecclesiæ tam cum Christo capite, quàm cum reliquis ipsius membris. Quartadecima ut militantis Ecclesiæ externa unitas, & pax per unum Pastorem conservetur, ac schismata tollantur, & est ratio Optati *in lib. 2. de Schismat. Donatistar.* Et D. Hieronymi adversus Jovinianum. Quintadecima ut non desit in Ecclesia, qui jure divino peccata inferiorum Pastorum Ecclesiæ puniat, & negligentiam Prælatorum suppleat, estque ratio Gregorii Magni *lib. 7. epist. 8.* Sextadecima ut quando Synodus propter externam persecutionem congregari non potest; sit tamen qui pro authoritate sua causas singulorum cognoscat, & decidat, estque argumentum S. Basilii in *epistol.* 78. Decima septima ut cum singulis Pastoribus portio gregis aliqua sit assignata, nec illi teneantur curam suscipere eorum, qui non sunt ipsis commendati: non desit tamen qui & propagandi Evangelium curam gerat, & Episcopos novos illis constituat, qui de novo ad fidem convertuntur. Hæc enim cura nonnisi ad unum aliquem ante alios debuit spectare, alioquin tot nationes & gentium diversitates post Apostolorum ex hac vita migrationem difficulter Christi Fidem suscepissent. Decima octava ut sit, qui Episcopatus antea constitutos vel dividat, vel uniat, prout res ipsæ videntur postulare. Quod nisi ab eo præcipuè fieret, qui authoritate cæteris omnibus præesset, vix sine Ecclesiasticorum dissidiis, & absque scandalo fieri posset. Decima nona, ut certum sit, quæ Concilia generalia sint legitima, & quæ illegitima: & qui ea congreget, sicut oportet, vel quis è contra dissipet, & est argumentum Damasi Papæ contra concilium Ariminense. Vigesima ut quæ de uno inter Apostolos majore, & prædecessore in Evangelio scribuntur, vera & in Ecclesiæ gubernatione perpetua esse credantur, ut quæ de primatu Petri tam perspicuè in Evangelio narrantur, & à Sanctis Patribus ita exponuntur vana esse non existimentur. Vigesima prima ut Ecclesia Christi dæmonum societate infe-

inferior non judicetur, si ea visibili unius primatu careat, quem Princeps dæmoniorum sortitus est.

Sed respondet Calvinus *lib. 4. Instit. cap. 6. §. 9.* quod tametsi Monarchia diceretur optimum regimen negat tamen inde sequi debere Ecclesiam ab uno aliquo homine gubernari, quia totius Ecclesiæ Monarcham, ac Regem asserit esse solum Christum, qui eam instituit, & gubernavit, & etiamnum gubernat. Unde non est necesse, ut Papa Romanus dicatur Monarcha Ecclesiæ militantis, sed contra, quia tametsi Christus unus fuerit, & adhuc sit proprius Ecclesiæ Catholicæ Rex & Monarcha, adhuc necessitas exigebat, ut in Ecclesia militante daretur Vicarius aliquis Monarcha qui esset visibilis, vicesque gereret Christi: siquidem Christus cùm sedeat in cœlis ad dexteram Patris spiritualiter & invisibiliter suam in terris moderatur Ecclesiam, quæ tamen cùm sit corporalis & visibilis, indigebat uno aliquo visibili summo Judice, à quo lites de religione exortæ componerentur, & qui omnes inferiores Præfectos in officio, & unitate contineret: alioquin si ex eo, quòd Christus fuit Monarcha militantis Ecclesiæ, non deberet ejus Vicarius in terris visibiliter eam gubernare, inde sequeretur, quòd omnes Episcopi, Pastores, Doctores essent supervacanei, quia ut dicitur 1. Petri 2. *Christus Pastor est & Episcopus animarum Sanctarum.* Ipse ut dicitur Matth. 17. *Unicus est Magister, quem audire jubet Pater cœlestis*, & Joan. 1. *Christus est, qui baptizat in Spiritu Sancto*, ergo sicut non obstante, quòd Christus sit Monarcha in Ecclesia militante, Episcopi, Doctores, & reliqui Ministri supervacanei non sunt, ita neque frustraneus erit ejus Vicarius, qui vices ipsius gerens totius Ecclesiæ curam visibilem habeat, quamvis Christus principaliter Ecclesiæ curam gerat.

Secunda ratio est desumpta ex eo quòd Ecclesia in terris militans præseferat similitudinem cum Ecclesia Angelorum in cœlis, sic procedit ex S. Gregorio *lib. 4. epist. 12.* Certum est Ecclesiam militantem in terris quandam esse ideam triumphantis in cœlis, ut videtur indicare Apostolus *ad Hebræ. 8.* & explicat S. Bernardus *lib. 3. de consid. ad Eugenium*, ubi asserit militantem Ecclesiam significari per Joannem in Apocalypsi *per Hierusalem novam descendentem de cœlo*, eò quia ad similitudinem cœlestis illius civitatis instituta fuerit: sed in Ecclesia triumphante præter summum Regem omnium Deum, adest aliquis Angelus qui reliquis præest; & tunc ab initio fuisse Luciferum adstruunt Tertullianus lib. 2. contra Marcionem. S. Gregorius homil. 34. in Evang. & lib. 32. Moral. cap. 24. V. Beda in cap. 40. Job. Isidorus lib. 1. de summo Bono cap. 12. & deduci etiam potest ex Scripturis Job 40. ubi Behemot, seu diabolus dicitur; *principium viarum Domini*, & Isaiæ 14. ubi comparatur *Lucifero*, seu stellarum maximæ, & pulcherrimæ, saltem quoad apparentiam & speciem extimam, ad quam solent Scripturæ se accommodare: hunc autem Luciferum esse diabolum docent S. Hieronymus, & Cyrillus in hunc locum, & D. Augustinus lib. 11. de civit. Dei cap. 15. & Ezechiel 28. ubi dicitur: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, & recensentur novem lapides quibus significantur novem chori Angelorum, ut explicat D. Gregorius lib. 32. moral. cap. 25. qui hunc Angelum veluti principem suum circumstabant: & post casum Luciferi in ejus locum, Michaelem principem Angelorum suffectum fuisse colligitur ex cap. 12. Apocal. ubi dicitur *Michael & Angeli ejus.* Quòd si Angeli dicuntur esse Michaelis ad ipsum pertinent, ut milites ad ducem; ut exercitus ad Imperatorem: sicut cùm dicitur diabolus, & Angeli ejus; intelliguntur omnes Angeli mali subjecti diabolo: quod si in Ecclesia triumphante præter Deum datur in Hierarchia Angelorum unus, qui reliquis præsit; ita in Ecclesia militante, & hierarchia ecclesiastica dari debuit unus Rector, & gubernator, qui reliquis omnibus præesset; quique vices Christi in terris gereret.

Respondet secundò Calvinus in Ecclesia veteris testamenti Aaronem non fuisse figuram Romani Pontificis, sed Christi: & quia Christus figuram illam in se ipso jam explevit, non est necesse ob figuram veteris testamenti detur in Ecclesia novi Romanus Pontifex, qui sit caput totius Ecclesiæ. Sed contra quia Aaron non fuit figura Christi simpliciter, sed ut capitis Ecclesiæ militantis in terris, quo pacto etiam Aaron fuit Caput Ecclesiæ in veteri lege, proinde gessit figuram Christi ut Capitis Ecclesiæ in novo testamento, & Petri ejusque Successorum, quia tum Petrus tum ejus Successor fuit Caput visibile totius Ecclesiæ, Petrus enim vices in terris gessit Christi ut Capitis Ecclesiæ, & Successores Petri easdem prorsus vices gerunt, suntque veri Christi Vicarii, consequenter Aaron figuram gessit Pontificis novi testamenti. Tum, quia sicut sacrificia legis veteris, & sacrificium Crucis significabant, & typi erant sacrificii, quod nunc offertur in Ecclesia, ita summus Sacerdos Testamenti veteris legis non solùm Christum summum Sacerdotem figuravit, sed simul typus fuit ejus Sacerdotii, quod nunc esse videmus in Ecclesia, est enim eadem ratio Sacrificii, & Sacerdotii, proinde Sacrificia veteris legis non solùm Christi passionem, sed etiam nostram designarunt oblationem, ut asserit D. Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 18. ubi ait: *Hebræi in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis, & variis modis, sicut re tanta dignum erat prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit, unde jam Christiani peracti ejus sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione, & participatione Corporis, & Sanguinis Domini.* Rursus lib. 1. contra advers. leg. & Prophet. cap. 18. ait: *Quòd totum fideles in Ecclesia sacrificio sciunt, hujus umbra fuerunt omnia priorum genera sacrificiorum.* Et lib. 3. de Baptismo cap. 19. *Ipse inquit Dominus quos mundavit à lepra, misit ad Sacerdotes, ut pro ejus sacrificium offerretur, quia nondum eis sacrificium successerat, quod ipse postea voluit in Ecclesia celebrari pro illis omnibus quia illis omnibus ipse prænuntiabatur.*

Objiciunt primò Sectarii Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum; si autem te non audierit, adhibe unum, vel duos testes, quòd si non audierit eos dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit sit tibi tanquàm Ethnicus, & publicanus: amen amen dico vobis; quæcunque alligaveritis super terram &c.* Ubi Christus alloquitur Apostolos, & suos Successores, quibus injungit, ut Christianos incorrigibiles Ecclesiæ denuntient, & ab hac damnatos non remittit ad alium Judicem; eò quia Ecclesia sit ultimum tribunal à quo non detur appellatio ad aliud majus: ex quo inferunt à Petro, à Romano Pontifice ad Ecclesiam dari appellationem. Sed contra est, quia cùm Christus dixit Apostolis ut corrigerent errores fratrum, seu Christianorum, quibus modum etiam aperuit correptionis adhibendæ; & injunxit incorrigibiles manifestari Ecclesiæ à qua pariter corrigantur, & si se non emendaverint judicet incorrigibes, & habendos ut Ethnicos,

nicos, & Publicanos, per Ecclesiam non intelligitur Ecclesia materialiter, neque formaliter cœtus fidelium omnium suo adhærens sacerdoti, neque concilium generale; sed intelligitur judex supremus Ecclesiæ, ad quem pertinet judicare de erroribus, & controversiis pertinentibus ad fidem, & à quo non datur appellatio ad aliud majus tribunal, adeo ut à Papa ad Concilium universale non detur appellatio. Ad illum pertinet in Ecclesia corrigere, punire, damnare, cui à Christo injunctum est officium supremi pastoris; hoc autem soli Petro commissum est Joan. 20. *Pasce oves meas.* Neque obstat quod Christus Matth. 18. elloquatur Apostolos in communi; quia exploratí est juris, locutione generali non includi casus speciali notâ dignos, neque privilegiatos. Præterea, nomine Ecclesiæ Christus eos omnes intelligit, quibus potestas ligandi, & solvendi concessa est, ut patet ex fine denuntiationis, quæ est correctio: & emendatio delinquentis: & etiam ex adjuncta causali, *quæcunque enim alligaveritis super terram:* hæc autem potestas ligandi & solvendi à Christo conferebatur non concilio universali, sed soli Petro primario, & principaliter ab ipso derivanda in alios subordinatos Episcopos, aliosque Ecclesiæ prælatos. Quòd si per Ecclesiam intelligeretur Matth. 18. Concilium generale hoc sequeretur absurdum, quòd quoties Christianus esset superiori accusandus ob patrata delicta furti, adulterii, homicidii, scandali deberet ad corrigendum peccantem congregari concilium generale, quod videretur impossibile, neque bene consultum fuisset Ecclesiæ, si quoties corrigendus esset Christianus, eo quia perversè vivat, congregandum esset Concilium generale, cum enim hoc non possit colligi nisi post multum temporis, multoties delinquentes decederent antequam à Concilio corrigerentur, vel haberentur ut Ethnici, & Publicani. Præterea esto concederemus per Ecclesiam intelligi concilium generale; non tamen concilium acephalum, sed cum suo capite, seu Romano Pontifice, consequenter non esset concilium supra Papam, quia membra cujusvis corporis non sunt supra, sed infra caput. Hinc constat quantum à veritate aberrent Sectarii illi qui per *fratrem* intelligunt Romanum Pontificem, qui si peccaverit sit accusandus ad Ecclesiam, seu concilium generale: *Si peccaverit in te frater tuus.* verus enim hujus textus sensus est quod si frater tuus, seu Christianus peccaverit, & secretæ, & fraternæ tuæ admonitioni non acquieverit, dic Ecclesiæ seu pastori proprio, qui Ecclesiæ præest, sive Episcopus sit, sive Parochus, ut explicat S. Chrysostomus *homil. 61. in Matth.* S. Thomas *in 4. dist.* 19. *&* 2.2.*q.* 24. & Innocentius III. *in cap. novit de Judic.* cui explicationi adhærent Theophilactus, Euthimius, & alii passim: quia Prælatus Ecclesiæ quoties agit, non ut privata persona, sed ut publica utitur potestate ecclesiastica, & vocetur Ecclesia, quam tunc repræsentat. Perperam igitur per præfatum textum Matth. 18. Concilium generale anteponitur Papæ, cum in textu nullum fiet verbum de Papa, nec de concilio. Demum licèt Papa peccaret, & ejus delictum deferretur ad concilium generale non tamen ab hoc possit judicari, quia nullam habet in Christi Vicarium jurisdictionem, nullam præeminentiam. Peccârunt plures Romani Pontifices, ut Marcellinus, Sixtus III. Symmachus, Leo III. Damasus, Leo IV. quorum delicta fuerunt ad concilia delata, à quibus tamen nunquam fuit sententia lata contra Pontifices. Imò in Synodo Oecumenica octava definitum fuit: *Posse quidem Synodum universalem cum convenienti reverentia quamlibet quæstionem de Romana sede exortam audire, & in ea proficere, non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere:* ut habetur tom. 3. concil. in actis octavæ Synodi; & refertur à Platina in vitis Marcellini Sixti III. Symmachi, Leonis III. & IV. Damasi. Juvat tamen adnotare aliquot Pontifices causa propriæ innocentiæ tuendæ, seque ipsos purgandi ex calumniis sibi afflictis; Synodorum particularium judicio discretivo tamen, & arbitrario, nunquam tamen coactivo, quod non poterant, se subjecisse.

Objiciunt secundò illud Luc. 22. *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major? Dominus autem ait: Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic:* ex quo textu infert Calvinus lib. 4. Instit. cap. 20. §. 7. regimen Ecclesiæ non esse, sicut illud regni, in quo unus est rex, qui reliquis omnibus in regno præest, eisque dominatur: ait Calvinus, *Hanc vanam eorum ambitionem, ut compesceret Dominus, eorum ministerium non esse regnis simile docuit, in quibus inter cæteros unus eminet.* Sed contra quia tantùm abest, quòd Christus abstulerit regimen monarchicum Ecclesiæ ut potius per fundamentum humilitatis illud firmiùs stabiliverit: ut enim notat Bellarminus lib. 1. de Rom. Pont. cap. 9. Christus non dixit non præsidebitis ullo modo; sed non eodem modo sicut præsident reges gentium id est cum tumore ambitionis, cum vana gloria superbiæ; sed cum humilitate sine superbia; unde subjungit: *qui inter vos major est, fiat sicut minor, & præcessor sicut ministrator:* quod etiam exemplo suo declaravit inquiens: *Sicut ego non veni ministrari, sed ministrare* licèt de se dicat Joan. 13. *Vocatis me magister, & Domine, & bene dicitis sum etenim.* Se fatetur Dominum, & magistrum, qui reliquis omnibus præsit, sed ut magister humilitatem exemplo fortiùs quàm verbo docuit: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde* præcessit, sed ut aliis ministraret: pari pacto vult unum ex suis verè præesse, sed sine ambitione dominandi, quæ ambitio solet in regibus gentium esse; qui omnia referunt in proprium commodum, & emolumentum, etiam cum dispendio subditorum. Imò etiam reges, qui tyranni non sunt in id incumbunt studii, ut ærarium impleant, ditionem suam dilatent & filios relinquant præpotentes: sed non sic Apostoli, neque alii Ecclesiæ præsules, quia non debent divitiis inhiare, sed DEO & proximo inservire.

Objiciunt tertiò 2. ad Corinth. cap. 13. v. 10. ubi D. Paulus scribit: *Potestatem sibi à Deo datam esse in ædificationem, non destructionem ecclesiæ* ex quo inferunt potestatem papalem datam esse propter Ecclesiam, quam propterea dicunt majorem, ac perfectiorem esse Papa; proinde à Papa ad ecclesiam dari appellationem; quia ecclesia est finis, & dignitas papalis medium; & finis est præstantior mediis: quod si medium tendat ad destructionem finis, tunc ut inutile removendum est.: ita si Papa sua authoritate abuteretur in destructionem ecclesiæ, tunc esset removendus ut medium nocivum. Sed contra, quia inde non sequitur ecclesiam, & concilium universale repræsentans totam Ecclesiam esse supra pontificem. Est enim Papa propter ecclesiam, sicut rex propter regnum, Pastor propter oves; caput propter corpus: & sicut rex non dicitur subditis subjici, neque comitiis regni, neque Pastor ovibus; neque caput membris aliis corporis: ita neque Romanus Pontifex subjicitur Ecclesiæ, neque ejus conciliis generalibus. Potestas igitur Papæ est quidem propter Ecclesiam, seu est medium tendens

 ad

ad ejus ædificationem non destructionem; sed inde tantum sequitur quod si Pontifices abutantur propria potestate sibi à Christo data, & moliantur Ecclesiæ destructionem, non licitè operentur, & irritum sit quod agunt: non verò sequitur, quòd subjiciantur concilio universali, & possint à subditis judicari, idque defectu jurisdictionis in superiorem, quod si Pontifex non potest judicari, neque minus deponi. Instat Calvinus quia si Papa est propter ecclesiam, sequitur ecclesiam esse finem, & papam medium ad illius conservationem: sed finis est semper perfectior medio ergo saltem Ecclesia est perfectior Papa, sed concilium generale est ipsa Ecclesia, ergo ut perfectius præferendum est Papæ. Sed contra quia cum dicitur ecclesiam esse perfectiorem Papa vel intelligitur ecclesia cum suo capite inclusivè; & tunc ecclesia non est perfectior Papâ, quia istum includit, & nemo est perfectior se ipso: sin verò intelligatur ecclesia exclusivè à papa, tunc papa ut Christi Vicarius, & Pastor totius Dominici gregis est perfectior ecclesia; perinde ac pastor est perfectior, ac superior ovibus. Præterea si ab ecclesia excludatur summus pontifex non amplius ecclesia, sed una tantùm multitudo sine capite sine Rectore: Definitur enim ecclesia à D. Cypriano cœtus fidelium quos una fides suo alligat sacerdoti; qui si excludatur non amplius cœtus fidelium ei adhæserit, consequenter non habetur essentia ecclesiæ.

Objiciunt quartò cap. 15. in Act. Apostol. ubi legimus ob controversiam subortam circa legalia Apostolos indixisse Jerusolimis concilium, & in epistola quàm ad fideles direxerunt, ac sancita illis manifestarent, scripserunt, *Visum est Spiritui Sancto, & nobis* ubi nulla fit mentio Petri, nullum profertus verbum de pontifice, sed solius Spiritus Sancti, & concilii: ergo solum concilium instinctu Spiritus Sancti definivit circa legalia. Sed contra quia in omnibus conciliis hæc eadem adhibetur loquendi forma, quamvis ad sit Romanus Pontifex per se, vel per suos legatos; neque est necesse quod decreta concilii expediantur nomine Papæ, quia hic semper subintelligitur adesse ut caput concilii, & sine quo non haberetur concilium. Moris est ut decreta concilii nomine ejusdem Concilii expediantur, ut patet etiam in ultimo Concilio universali celebrato Tridenti, in quo non excluditur auctoritas pontificis; sicut cum dicimus *Paulus scripsit ad Romanos*, quamvis nulla fiat mentio de capite Pauli, non propterea excluditur influxus capitis, sed semper ut necessarius, & principalis subintelligitur. Cæterum in illo primo Concilio *Act. 15*. Auctoritas Petri supra reliquos in eodem congregatos satis apparuit ex eo, quod primus omnium sententiam suam dixit; præscripsit quid definiri debuit; composuit vota discordantia, & mox pronunciato oraculo silentium omnibus indixit, quæ omnia clarè Petri auctoritatem supra reliquos congregatos evincunt.

Objiciunt quintò Actos. cap. 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam DEI*, ex quo textu inferunt curam, & regimen ecclesiæ non soli Papæ, sed etiam ecclesiæ, seu concilio universali commissum esse. Sed contra quia inde non sequitur concilium generale præesse summo pontifici; alioquin si cui cura ecclesiæ Dei commissa est debet Romano Pontifici præesse, non solùm hæc prærogativa deberetur concilio generali, sed etiam provinciali, & cuilibet Episcopo, imò, & Parocho, siquidem quilibet ex istis propriam regit ecclesiam, & mediante ecclesia particulari etiam universalem, cujus illa dicitur esse pars; bonum enim partis dicitur cedere in bonum totius, perinde ac bonum, & malum unius membri dicitur cedere in bonum, vel malum totius corporis: & nihilominus caput influit in motus omnium membrorum, quæ moventur ex directione capitis à quo dependent, & influxum, ac spiritus accipiunt: perinde papa ut caput totius corporis ecclesiæ influit, ac dirigit omnes ecclesias particulares quotquot sunt in orbe terrarum; quæ à capite influxum accipiunt & spiritum: unde ex eo quod cura ecclesiæ demandetur Episcopis, non inde sequitur hos esse supra papam, neque paris auctoritatis cum ipso, quia possunt utram habere ecclesiæ, ac dependere à summo pontifice. Respondet Calvinus lib. 4. Inst. cap. 6. §. 9. Christum esse caput ecclesiæ ut Apostolus ad Ephes. 4. ex quo infert injurium eum esse Christo, qui aliud s ominat ecclesiæ caput. Sed contra negatur sequela, tantum enim abest quòd injuriam Christo inferat, ut potius inde ejus insecta gloria augeatur. Non enim dicimus papam esse caput Ecclesiæ cum Christo, quasi ecclesia duo habeat capita; sed asserimus papam in ecclesia gerere vices Christi capitis primarii, cum enim ecclesia sit visibilis indigebat regi, & gubernari per caput visibile, quod vicariam haberet Christi potestatem, ac esset caput secundarium post Christum totius ecclesiæ visibilis. Cum Christus sedeat in cœlis ad dexteram patris; non est fidelibus in militante ecclesia visibilis, proinde requirebatur vicarius visibilis, qui visibiliter ecclesiam regeret. Præterea Christus Joan. 8. dixit *ego sum lux mundi* & nihilominus Matth. 5. ait suis discipulis: *Vos estis lux mundi* & sibi non derogat quidquam gloriæ. Rursus Apostolus Paulus scribit ad Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod est Christus*: & tamen ad Ephes. 2. ait: *Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum.* Rursus 1. Petri dicitur *Pastor, & Episcopus animarum nostrarum*: & tamen in ecclesia adhuc sunt pastores, doctores, episcopi: ergo ex eo quod papa dicatur sitque caput visibile ecclesiæ visibilis inde non derogatur Christi gloriæ, quia potestas pontificia est Vicaria Christi, cui subordinatur. Hinc ecclesia dicitur corpus Christi non Petri, nec Romani Pontificis; quia solus Christus est caput principale, & perpetuum totius ecclesiæ: sicut regnum non dicitur esse proregis, sed regis, quia prorex est vicarius regis: ita quia Romanus Pontifex est in ecclesia Christi Vicarius, dicitur ecclesia esse corpus Christi non D. Petri nec Romani Pontificis, qui tantùm ad tempus vices gerit Christi, cujus vicariam exercet potestatem: Christus verò est caput principale perpetuum. Respondent sectarii hanc vicariam potestatem non inesse tantùm Romano Pontifici, sed etiam omnibus Episcopis; & consequenter etiam Concilio generali: proinde solus papa non est caput quia solus non influit in omnes Christi fideles; non enim inquiunt potest unus solus homo gubernare totum mundum sine insigni miraculo. Sed contra, quia quamvis fieri non possit, ut unus homo per se solum gubernet totam ecclesiam propagatam per singulas mundi partes. Potest tamen unus homo sine miraculo gubernare totam ecclesiam per ministros sibi subordinatos, ac subjectos. sicut Imperator dicitur gubernare plura regna etiam inter se dissita non per se, quia ipsis non est præsens, sed per suos proreges; ac alios ministros: in quo sensu etiam Apostolus scripsit 2. Corinth. 11. se habuisse *solicitudinem omnium ecclesiarum* neque loquitur tantùm de ecclesiis à se plantatis, sed de omnibus simpliciter ecclesiis, ut explicat D. Joannes Chrysostomus, & tamen non per se immediatè illas regebat, sed per suos ministros. Præterea plures principes sæculares habuerunt regna amplissima, ut Nabuchodonosor de cujus regno amplissimo loquitur

Daniel.

Daniel. 2. & Cyrus de quo Isaiæ 45. Rex Asvetus, de quo Esther c. 1. legitur regnâsse supra centum viginti septem provincias: unde sine miraculo fieri potest, ut ab uno solo possint plures provinciæ gubernari, si sibi subordinet ministros ad id idoneos. Instant Sectarii, quia, si mundus deberet ab uno solo gubernari maximè in iis, quæ ad religionem pertinent; utile etiam esset, ut regeretur ab uno in iis, quæ ad politicum ordinem pertinent: sed hoc nunquam fuit factum, neque expedit, ut fiat; quia ut docet D. Augustinus lib. 4. de civit. Dei cap. 15. *Feliciores essent res humanæ, si omnia regna parva essent, & concordi vicinitate lætantia.* Sed contra quia est discrimen de politico sæculari, & ecclesiastico regimine: non enim regnum sæculare debet esse unum, sicut ecclesiasticum, cujus fides, & religio est una tantùm, & ecclesia ex Cypriano sit cœtus fidelium summo adhærescens Sacerdoti; hinc tota Ecclesia dicitur una civitas, una domus, & ideo debuit ab uno tantùm regi.

Objiciunt sextò Concilium Constantiense sess. 15. ubi Concilium omnes cujuscunque dignitatis etiam papalis, qui venientes ad concilium impediunt anathemate percutit, ex quo inferunt concilium esse supra Papam cum illum excommunicet, rursus sess. 17. variis honoribus Gregorium XII. afficit, eo quia sponte renunciasset Pontificiæ dignitati, ac privilegiia donat & declarat iisdem non posse privari à concilio generali, neque à futuro Pontifice, ex quo inferunt concilium generale coarctare dignitatem papalem, proinde præesse Papæ, eique posse imperare, Rursus sess. 39. præcipit futuris Pontificibus ut singulis decenniis concilium generale congregent; & si contingat duos simul eligi summos Pontifices, jubet sub interminatione divinæ maledictionis statim se abdicare tali dignitate; & nisi obediant, eos privat omni jure, quod ad Pontificiam dignitatem habebant, & inhabiles declarat ad omnes in futurum dignitates. Demum sess. 45. initio oratores Regis Poloniæ, ac magni Ducis Lithuaniæ supplicant Papæ Martino V. jam electo, ut velit libellum quendam, & propositiones Joannis de Falcbenberg in publico concilio hæreticas declarare, & ut tales damnare, & nisi fecerit, ajunt nomine suorum principum se appellaturos ad futurum concilium: & his omnibus inferunt concilium Constantiense definivisse, concilium generale esse supra Papam ac posse ejus auctoritatem coercere nisi concilio paruerit. Sed contra quia concilium Constantiense non limitat, nec minuit auctoritatem Papæ, sed illam propugnat ac tuetur, si legantur acta concilii tempore schismatis, quando nullus erat Pontifex canonicè electus, tunc enim pertinebat ad Concilium generale consulere necessitatibus Ecclesiæ; & ea, quæ agebantur post electionem canonicam Martini V. quo tempore in Ecclesia fuit legitimus Papa Petri verus successor, Siquidè cum primùm fuit Pontifex canonicè electus, nihil amplius concilium definivit, ut antea, nec prohibuit: sed omnia nomine electi canonicè Pontificis, & ab ipso impostèrum sacro approbante concilio sunt constituta. Quod verò ad Gregorium XII. attinet concilium non coegit futurum Pontificem, ne quidquam de collatis illi honoribus adimeret, sed tantùm cogavit, ne ulla superveniente justa nova causa quidquam de favoribus ei concessis detrahere-tur; non enim propriè jussit, sed suasit, quo pacto potest inferior superiori suadere aliquid ut conveniens. Cæterum semel electo canonicè legitimo Petri successore authoritas Concilii cessavit, nec ullam habuit potestatem supra Pontificem electum, quia superior potestas non cessat adstante minore, quæ illi cedit, hinc *sess.* 15, & 17. futuro Pontifici canonicè electo reservatur potestas dispensandi in iis, quæ à Concilio statuta sunt, & relaxandi censuras: & *sess. ult.* expressè definit supremam in Ecclesia potestatem non esse penes Concilium, sed Pontificem canonicè electū, unde non Concilium Papæ præfertur, sed Papa Concilio Generali adeò ut Concilium nonnisi tempore schismatis, & Pontificis dubii ante electionem canonicam decreta illa statuerit, quæ electo legitimo Petri successore ab illo tantùm vim obtinuerunt, si quæ fuerunt ab ipso probata, & confirmata, ut repertis vicibus, se explicant Patres Concilii Constantiensis. Ad aliud petitum ex *sess.* 39. ubi dicitur: Concilium statuere, ut singulis decenniis Concilia universalia indicantur, respondetur id futuro Pontifici non imperari à Concilio, sed tantùm suaderi: potest enim Concilium leges sancire, quæ etiam Pontificem, quoad vim directivam obligent maximè si ordinentur ad observantiam divini, & naturalis juris, & earum violatio lædat pacem, & quietem publicam: quo pacto tametsi nemo sit subjectus sibi, neque se ipso inferior, communior tamen sententia asserit, Principem suis legibus ordinatis ad bonum commune promovendum, vel servandum obligari, ut docent D. Thomas 1. 2. *quæst. 96. art 5 ad. 3.* D. Ambrosius *lib. 5. epist.* 32. & desumitur ex Matth. *cap. 23. cap. quæ contra dist.* 8. Lex digna vox Cod. *de legibus L. 23. de Legat. 3.* Ad aliud, quod addebatur *de sess.* 45. in qua Oratores Regis Poloniæ, & Magni Ducis Lithuaniæ Martino V. jam electo Pontifici supplicârunt, ut vellet declarare hæreticas & ut tales damnare propositiones Joannis de Falcbenberg, & nisi fecerit suorum Principum nomine appellaturos ad futurum Concilium, respondit ipse Martinus V. sess 45. Qui cùm animadvertisset Legatos Poloniæ, & Lituaniæ ex Synodi Constantiensis doctrina animos sumpsisse ita appellandi ad futurum Concilium statim respondit: *Si qua in puncto fidei contra Wicleffum, & Hussum à Patribus essent conciliariter decreta, sanctè observaturum, & rata, ac confirmata habere, non verò quæ ad fidem non pertinent, aut quæ non conciliariter hoc est, cum debito examine, discussione, ac initis suffragiis essent definita.* Et hanc responsionem voluit in acta publica Concilii referri, & à concilii Notariis solemnia, & authentica instrumenta confici, & in Bulla ipsa confirmatoria Concilii, quæ habetur in calce illius sess. 45. nihil aliud confirmavit, quàm damnationem errorum Wicleffi, & Hussi à Patribus Concilii synodaliter factā; & in hoc Martinus V. imitatus est exempla suorum Prædecessorum, nam etiam S. Leo Papa laudatus à patribus Concilii Chalcedonensis noluit Concilium illud approbare, nisi quoad ea, quæ in materia fidei sancita fuerant, ut legitur in epistola ejusdem S. Leonis ad patres Concilii 61. & in epist. ad Anatolium, quæ habentur *Tom. 2. Concilior.* Quòd Martinus V. non omnia approbaverit, quæ tempore schismatis statuta fuerunt a Concilio Constantiensi clarè constat ex his, quæ habentur *sess. 45. sub initium: Quibus sic factis, sanctissimus Dominus noster Papa dixit respondendo ad prædicta, quod omnia & singula determinata, conclusa, & decreta in materia fidei per præsens Concilium, conciliariter tenere, & inviolabiliter observare volebat & nunquam contra ire quoquo modo, ipsaque sic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo: Et illud idem iteratò fecit dici per organum. D. Augustini de Pisis, fiscalis, & sacri Consistorii advocati prædicti, qui nomine Papæ à Protonotariis, & Notariis ad scribendum acta Concilii ordinatis, & deputatis petiit instrumenta publica fieri.* Cùm igitur sententia præferens Concilium Pontifici non faveat, sed deroget fidei, & à sanctis Patribus graviter perstringatur, quamvis in Concilio Constantiensi fuisset à Patribus

illis

illis asserta, nunquam tamen fuit confirmata à Martino V, Legitimo Pontifice canonicè electo, cùm expresse profiteatur sibi animum non inesse consilium confirmandi nisi quoad illa, quæ pertinent ad fidem, non verò quæ ad fidem non pertinent, nec multò minùs quæ eidem derogent, cujusmodi est opinio præferens Concilium universale authoritati Pontificis, unde tametsi tempore schismatis concilium generale plura statuat, ac sanciat, quæ ad fidem non pertinent adhuc nullius sunt valoris, donec approbentur, & confirmentur à futuro Pontifice canonicè electo, concilium enim sine capite non potest statuere quidquam independenter à futuro Pontifice: neque concilium Constantiense contrarium statuit, quin potiùs hoc idem confirmat, habetur enim *sess.* 4. *Ipsa Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata disponit, statuit, decernit, declarat, ut sequitur; & primò quod quilibet cujuscunque status, vel dignitatis etiam Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem ejusdem schismatis & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite membris*: & eadem reperiuntur *sess.* 5. unde Concilium non limitat nec coarctat potestatem pontificiam, quando adest Pontifex canonicè electus.

Objiciunt septimò *cap. Legimus* 24. *dist* 93. ubi ex Hieronymo epist. ad Evagrium Episcop. habetur: *Sed dicis, quomodo Romæ ad testimonium diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi præfers unius urbis consuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges Ecclesiæ vendicat? si authoritas quæritur, orbis major est urbe*, ex quibus verbis inferunt Concilium universale repræsentans totum orbem Christianam esse majoris authoritatis, quàm urbem, seu Romanum Episcopum urbis Romæ, unde Glossa in hunc locum ait: *Est hic argumentum, quòd statuta Concilii præjudicant statutis Papæ.* Rursus in cap. Nemo. 9. quæst. 3. habetur: *Cùm Papa peccat, potest ejus peccatum etiam Ecclesiæ denuntiari.* & in cap. si Papa dist. 40. *Certè credo, quòd si notorium est crimen Papæ, & inde scandalizatur Ecclesia, & incorrigibilis est, quòd inde possit accusari, nam contumacia dicitur hæresis*, & cap. si qui Presbyteri dist. 81. *Et contumax dicitur Infidelis, cap. Nullus dist.* 38. Sed contra quia D. Hieronymus in can. cit. non loquitur de potestate Romani Pontificis, neque movet quæstionem, quòd non sit major potestas solius Papæ, ac Concilii universalis, sed tantùm calamum acuit in superbientes diaconos, qui se Presbyteris æquabant, imò & præferebant, ex eo, quod bonorum Ecclesiæ administratio iisdem concredita esset, & Romæ præessent causis, ut testatur D. Augustinus *in quæst. ex utroque mixtis quæst.* 101. Ex hac enim administratione bonorum sequebatur, quòd populus ab iisdem lucrum speraret, proinde non dignitatem Diaconi, sed lucri utilitatem coleret, inde Diaconi supercilium attollentibus, eò quia hoc honore viderent se à populo affici, quem Presbyteris non exhibebant: quorum igitur arrogantiam D. Hieronymus epist. illa ad Evagrium perstringit, ac computat, & probat non propterea esse Romanos Diaconos Presbyteris majores, quamvis consuetudinem in abusum vertissent, & ante Hieronymum Concilium Nicænum cap. 17. statuerat, ut Diaconi, sicut dignitate, ita & honoribus cederent Presbyteris, quinimo consuetudo Romanæ Ecclesiæ invaluit, ut stante Diacono sederet Presbyter, quamvis præsente fastu etiam Diaconi sederent: quod verò ad Glossam attinet, respondetur Glossam ibi in utramque partem argumenta & textus conficere, ut moris est apud Jurisconsultos: cæterum in cap. Nemo. 9. quæst. 3. expressè ait: *Etiamsi totus mundus sententiaret in aliquo negotio erga Papam videtur, quòd sententiæ Papæ standum esset.* Præterea aliud est Papam denuntiari collegio Cardinalium aut Concilio generali, & aliud ab eodem judicari, potest enim fieri denuntiatio ad effectum charitativæ reprehensionis, ac ut media emendationi necessaria parentur: opus charitatis potest exercere inferior in superiorem, non ita judicium, quia hoc supponit jurisdictionem, quam non habet inferior in superiorem. Præterea in iis, quæ ad doctrinam Theologicam pertinent Glossa non est magnæ authoritatis, idque liquet ex eo, quia quærens *pro quo peccato* deponi possit Imperator? Respondet pro quolibet, si est incorrigibilis; unde deponitur, si est minus utilis, quæ opinio Glossæ communiter rejicitur ut erronea, ac fovens dissidia, & seditiones, & ut repugnans Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ *Matth.* 23.

Objiciunt octavò, *cap. Confidimus.* 25. *quæst.* 1. *cap. contra cap. Prima salus. cap. Ideo. eadem causa & quæst.* ubi expressè dicitur, quòd Romanus Pontifex alligetur sacris canonibus, ac decretis universalium Synodorum, habentur enim hæc verba: *Ea* (scilicet decreta Synodorum universalium) *nullam magis exequi sedem, quam primam oportere*, ex quo inferunt Concilium esse supra Papam, eò quia Leges illi imponat, & necessitatem parendi, quæ subjectio est quædam. Sed contra quia sacris Canonibus, & Conciliis universalibus plerumque leges sanciuntur, & statuta fiunt, quæ ad Jus divinum, & naturale pertinent, quæque propterea etiam obligent Romanum Pontificem, qui tenetur & ipse indemne servare Jus divinum, & naturale, & præcitati Canones de hisce juribus tantùm loquuntur, ut liquet ex *C. Sunt quidam* 25. *quæst.* 1. *c. omne. & c. satagendum eodem.* Secus quæ sunt juris humani, illa vel ex honestate obligant Pontificem vel ex convenientia, non verò ex necessitate *L. ex imperfecto ff. de Legat.* 3. & *l. digna vox. cod. de legibus*: unde quæ à Conciliis generalibus sanciuntur, & respiciunt jus humanum, respectu Romani Pontificis habent tantùm vim directivam, non coactivam, ut explicat D. Thomas 1. 2. *q* 96. *art.* 5. *ad* 3. quia cum Principis exemplum plurimum valeat ad flectendum populum in partem illam, in quam Princeps propendet, difficulter ab illis lex illa observatur, quam Princeps contemnit, habetque ludibrio; hinc ex convenientia, & honestate, etiam Papa servat sancita per Concilia non verò coactivè, alioquin Romanus Pontifex non solùm Conciliis universalibus subjiceretur, verùm etiam Provincialibus, quia de his omnibus præcitati canones loquuntur: hinc ait Gratianus: *Sacrosancta Romana Ecclesia jus & authoritatem canonibus impertitur, sed non eis alligatur. Habet enim jus condendi Canones, utpote qua caput est, & Cardo omnium Ecclesiarum à cujus regula nemini dissentire licet:* Ita ergo canonibus authoritatem præstat, ut se ipsam eis non subjiciat. Sed sicut Christus, qui legem dedit, ipsam legem carnaliter implevit, octava die circumcisus, quadragesimo die in templo cum hostiis præsentatus, ut in se ipso eam sanctificaret; postea verò ut se Dominum legis ostenderet, contra legis literam leprosum tangendo mundavit; Apostolos quoque contra literam sabbathi per sata prætergredientes spicas vellentes, & confricantes manibus suis, probabili exemplo defendit & excusavit: dicens: *Non legistis, quid fecerit Abimelech, quando venit ad eum David, & dedit ei panes propositionis, de quibus non licebat edere, nisi solis Sacerdotibus, & comedit ipse, & pueri ejus.*

Obji-

Objiciunt nonò *can. 21. octavæ synodi Oecumenici*, ubi habetur: *Universalis Synodus cùm convenienti reverentia quamlibet quæstionem de Romana Sede exortam audire tenetur & in ea proficere, non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere*, quòd si non audacter, sed cum debita reverentia, adhuc sequitur Concilium universale posse procedere contra Romanum Pontificem, & sententiam in eam ferre non temerè, & audacter, sed cum debita submissione, & reverentia. Sed contra, quia si tantùm sermo sit de modo sententiæ ferendæ in Pontificem, eumque judicandi, & non ipsum judicium prohiberetur, Concilium nihil speciale circa Pontificem disponeret, præterea audax, & temerarium judicium generatim prohibetur in omnibus causis, neq; quoad hoc est discrimen inter examen, definitionem, & judicium temerarium, utrumque enim prohibetur, & tamen Synodus citata concedit, posse quidem Synodum Universalem cognoscere de controversiis, notoriis delictis, & abusibus, quæ in Summo Pontifice notantur, non tamen judicium ferre, quia hoc temerarium, & audax nimis foret. Vult igitur octava Synodus Oecumenica, ut quæstiones exortæ de Romano Pontifice audiantur quidem, non tamen judicentur, quia Synodus sicut jurisdictionem non habet in summum Pontificem, ita neque potestatem illum judicandi. Potest igitur Concilium Universale suscipere causas Romani Pontificis, ut eas cognoscat, examinet, non tamen quoad effectum judicandi, sed tantùm admonendi, si data fuerit occasio: quod etiam asserit D. Gregorius *lib. 7. epist. 1. in 2. Januarium*, & habetur in *cap. Paulus 2. quæst. 7.* ubi habetur: *Paulus dicit seniorem ne increpaveris, sed hæc ejus regula in eo servanda est, cum culpa senioris exempla suo non trahit ad interitum corda juniorum. Ubi autem senior juvenibus exemplum ad interitum præbet ibi districta interpretatione feriendus est. Nam scriptum est: laqueus juvenum omnes vos, & rursus Propheta dicit: Maledictus puer centum annorum.* Neque obstat quod Sanctus Gregorius in cap. Sicut Sancti dist. 17. dicat: Ne quidem à summo Pontifice solvi posse, quos quinque Concilia Oecumenica ligârunt, aut ligare, quos illa solverunt. Nam ibi sermo est de Hæreticis, quos illa Concilia damnârunt, quia non est in potestate Pontificis efficere, quod non sit Hæresis, quæ revera hæresis est, & quod sit hæresis, quæ non est, quia hæc sunt de jure divino, quæ mutari non possunt: quinimo si sermo esset de jure merè humano, neque hoc mutari posset à Pontifice sine gravi & publica causa, in quo sensu ea dicuntur fieri non posse, quæ honestè & licitè non fiunt.

Objiciunt decimò Romanus Pontifex est Minister Ecclesiæ, ut scribit Apostolus *1. ad Corinth. 4. & Matth. 20.* quapropter D. Thomas 2. 2. *quæst. 100. art. 1.* docet Papam non esse Dominum sed dispensatorem rerum Ecclesiæ, adeo ut Ecclesia non sit propter Papam, sed hic propter Ecclesiam, ad cujus ædificationem, non destructionem claves, & potestatem accepit à Christo, ut scribit Apostolus 2. *ad Corinth. 13.* hinc ex eo, quòd Papa sit Minister, & dispensator Ecclesiæ inferunt esse infra Ecclesiam, & infra Concilium universale repræsentans Ecclesiam. Sed contra, quia ex eo, quòd Papa sit Minister Ecclesiæ, ac dispensator rerum Ecclesiæ non sequitur subesse Ecclesiæ, & Concilio, sicut & ipsi Apostoli tametsi non subjicerentur reliquis fidelibus, adhuc eorum Ministri vocabantur, scribit enim Apostolus 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi.* Ita Romanus Pontifex dicitur Minister Ecclesiæ, quatenus in ejus ædificationem, & bonum fuit à Christo institutus, cujus voluit vices gerere: at hoc genus ministerii tantùm abest, quòd inferat subjectionem & inferioritatem, ut potius præeminentiam, ac superioritatem ostendat, quatenus Minister hoc pacto est Christi Vicarius, & fideles gubernat, quibus bona Ecclesiæ dispensat, & Sacramenta ministrat: quilibet enim Pastor sive Episcopus sit seu Parochus Sacramenta ministrat, & bona spiritualia Ecclesiæ dispensat suis ovibus, & tamen sunt superiores earundem ovium, quæ suis subjiciuntur Pastoribus: hinc etiam Angeli ad Hebr. 1. dicuntur missi in ministerium propter eos, qui capiunt hæreditatem salutis, quales sunt homines, & tamen Angelus est supra non infra hominem, & tantùm est infra Deum, cujus propriè Ministrum agit, perinde Romanus Pontifex est quidem Minister Christi, cujus vices gerit in pascendis ovibus dominici ovilis, non verò est servus ovium, nec illis subjicitur, sed eisdem præficitur, ut Pastor. Id enim videbatur exigere pax, tranquillitas, & unitas Ecclesiæ ad quam ordinatur dignitas Papalis, unde licet Papa sit propter Ecclesiam, non tamen est infra, sed supra Ecclesiam ac Concilium generale, quemadmodum in castris supremus Præfectus, cui milites obediunt dicitur esse propter exercitum scilicet dirigendum, instruendum: Pontifex etiam dicitur esse propter Ecclesiam ut illam regat, gubernet, ac Christi oves pascat, & sicut supremus Præfectus non subjicitur exercitui, ita nec summus Pontifex Ecclesiæ. Præterea quia magis expediebat Ecclesiæ uni tantùm subesse, quàm pluribus, & magis obedire, quam imperare, quando igitur subjectio est majus bonum, quàm ejus carentia, non valet ejus consequentia ex eo, quòd Papa sit propter Ecclesiam, hæc non subjiciatur Papæ, sed Papa Ecclesiæ. Præterea cùm Papa dicitur esse propter Ecclesiam, & quod Ecclesia plus à Deo diligatur, quàm solus Papa, id tantùm verum est de Ecclesia non acephala, sed integra & cum suo Capite, quia si Ecclesia sejuncta sit à suo Capite eique opposita, non est amplius Ecclesia Christi, sed tumultuans schisma, in quo homines non subjiciuntur Christi Vicario, & dissolvunt ordinem à Deo institutum, quæ confusio & schisma non potest DEO placere. Sed instabis Ecclesia errare, ac deficere non potest, quia ut scribit Apostolus 1. Timoth. 3. *Est columna, & fundamentum veritatis*, secus Papa est errori obnoxius, & potest deficere ac hæresi coinquinari *cap. si Papa dist. 48.* propterea judicium Ecclesiæ est firmius certiusque judicio Papæ. Sed contra quia dupliciter potest Ecclesia considerari, primò ut sejuncta à suo capite, & destituta ejus directione, & hoc pacto est errori obnoxia, & in pluribus Conciliis, præsertim Ephesino II. & Basileensi erravit, quia sicut corpus capite diminutum vel à capite non directum impingit, & cadit, perinde Ecclesia, & Concilium, sejunctum à capite, seu summo Pontifice est errori obnoxium. Sin verò consideretur Ecclesia cum suo capite, à quo dirigatur, tunc non potest deficere ob assistentiam Spiritûs Sancti, & tunc Spiritus Sanctus per Ecclesiam dicitur loqui, ut testatur Christus Marci 13. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Sanctus, qui loquitur in vobis*: Hinc Pontifex potest etiam dupliciter considerari, primò ut est Pastor dominici gregis, & ut docens ex Cathedra, seu cum debito prævio examine, ac discussione causæ, & tunc non est errori obnoxius juxta promissionem ei factam à Christo;

sto: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua:* & ut est persona quædam privata, seu particularis Doctor, & sub hac consideratione error personalis potest super Pontificem cadere, quinimò faciliùs in illum, quàm in Concilium: siquidem facilius est unum quàm plures decipi: Secus si Papa authoritate Pontificia à Christo sibi impertita, & ex Cathedra sententiam ferat, & in fide aliquid definiat, quia tunc non est Papa, qui loquitur, sed Spiritus Sanctus in Papa, alioquin error Pontificis esset error totius Ecclesiæ, perinde ac vitium capitis est vitium corporis: & certum est Ecclesiam in rebus fidei non posse errare, estque propterea juxta Apostolum columna, & fundamentum veritatis. Præterea dato etiam & non concesso, quòd Papa posset errare in materia fidei, non tamen inde sequeretur esse Concilium supra Papam, quia vel error in fide esset vincibilis, & tunc Pontifex vincibiliter errans esset Hæreticus, proinde non ut Pontifex, sed ut Hæreticus sejunctus ab Ecclesia, cujus non amplius esset membrum, posset à Concilio judicari, ac illi subjici. Vel error est invincibilis, & tunc à Concilio docendus esset veritatem, ut habetur in *cap. Paulus quæst.* 7. non verò judicandus: quòd si adhuc Pontifex Concilio non acquiesceret error fieret vincibilis, & ipse esset Hæreticus formalis, proinde separatus ab Ecclesia, cujus non esset amplius membrum, & tunc subjicitur Concilio, à quo potest judicari, & condemnari.

2 Objiciunt undecimò. quia Ecclesia ex Christi ordinatione est constituta Judex Papæ juxta illud Christi Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus corrige eum inter te, & ipsum solum. Sin verò non se correxerit, adhibe duos, vel tres testes, quos si non audierit, dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* Ex quo argumentantur vel Papa frater non est, neque eundem cum reliquis Christianis Patrem Deum habet, neque eandem Matrem Ecclesiam: vel frater noster est, & sic ab Ecclesia judicari potest, quam si non audierit, habendus veluti Ethnicus, & Publicanus. Sed contra quia vel adversarii volunt citatum Matthæi textum intelligi de fratre Ecclesiæ subjecto, & in hoc sensu Pontifex non est frater, sed Pater, quia non est ovis, sed Pastor: vel intelligitur, esse frater non subjectus Ecclesiæ, neque Concilio eam repræsentanti, & in hoc sensu dicitur frater, distinctus tamen ab aliis fratribus, quia isti subsunt Ecclesiæ à qua judicari possunt, Pontifex verò non subest, sed præest Ecclesiæ, a qua nequit judicari, sed tantùm, si erraverit, moneri potest, alioquin si adversarii intelligant Papam esse fratrem subjectum Ecclesiæ, deberent prius ostendere hanc subjectionem quam supponunt, quod enim probandum est non supponitur. Quamobrem Papa est quidem frater Christianorum, sed etiam Princeps Ecclesiæ, perinde ac si Princeps natu major plures haberet fratres, esset illorum frater, quatenus omnes fuerunt geniti ab eodem Patre, non tamen natu major subjiceretur aliis fratribus sed illis præesset, cùm ipse solus esset Princeps absolutus, & gubernaret suas ditiones non verò alii fratres minores natu. Rursus cùm dicitur, quòd si peccaverit frater, dicatur Ecclesiæ, vel intelligitur Ecclesia cum suo capite, & sic perinde esset, ac dicere si peccaverit Papa, dic Papæ; vel Ecclesia intelligitur seorsim à Papa, & sine capite, & tunc non est amplius Ecclesia, sed purum schisma discissum à capite.

Objiciunt duodecimò, quia potestas Papalis non solùm est in Romano Pontifice, sed multò principaliùs in tota Ecclesia, & Concilio universali eam repræsentante: quod si Ecclesia eandem habet authoritatem, ac Papa, non est necesse ut Papam eligat, proinde Papa in Ecclesia non est necessarius, & potest hæc gubernari sine Papa: quòd si Papa perpetua laboraret amentia: vel perpetuò detineretur inclusus carcere, in hoc casu Ecclesia gubernaretur, sed non à Papa: & authoritas Ecclesiæ esset infallibilis, & non obnoxia errori, ergo authoritas Papalis est in Ecclesia, & Papa non est necessarius. Sed contra, quia hoc argumento probatur Concilium esse tantùm paris authoritatis & potestatis cum Papa, non verò esse supra Papam, quia par in parem non exercet jurisdictionem. Quòd verò authoritas Papalis insit Concilio gratis asseritur, & falsum est, quia si illi inesset deberet assignari, à quo eam haberet, certò non à se, quia hæc potestas Papalis est supernaturalis, quæ ab hominibus non habetur, nisi iisdem à Deo detur, nec eam habet à Christo, quia nullibi legimus in sacris literis Christum dixisse Ecclesiæ, vel Concilio generali: *Tibi dabo claves regni cælorum.* Nunquam Concilio dixit: *Super te ædificabo Ecclesiam meam*, nunquam Ecclesiæ dixit: *Pasce oves meas*, quia perinde fuisset ac dicere ovibus: vos ipsas pascite. Hæc autem verba soli Petro Christus dixit, qui propterea solus est Christi Vicarius habens claves regni cœlorum, & supremus pastor dominici gregis, ex quibus constat, potestatem papalem soli Romano pontifici fuisse à Christo collatam, seu Petro, & ejus Successoribus, ut superius demonstratum fuit, non verò Ecclesiæ, aut Concilio repræsentanti Ecclesiam, præterea, quia si potestas papalis inesset Concilio repræsentanti Ecclesiam sequeretur in Ecclesia duas esse supremas potestates, perinde ac in regno duo Reges paris potestatis, in uno corpore duo capita, quod monstruosum foret, & regnum duos Reges non capit, ut jam pluries vicimus: siquidem bene instituta Reipublicæ qualis est Ecclesiastica à multiplici abhorret capite, & uno solo gaudet, cujus sententiæ cives acquiescant, alioquin si plura essent capita paris authoritatis, quorum unum alteri non subjiceretur, in plures statim discinderentur factiones, & pars civium uni adhæreret capiti, & altera alteri, hinc orirentur dissidia, quibus non posset ritè Respublica gubernari. Præterea Concilio universali non inesse potestatem papalem ex eo etiam ostenditur, quia Concilium, quamvis universale, nullius est authoritatis, nulliusque valoris, donec confirmetur à Romano pontifice, seu à capite, ergo quia non est paris potestatis cum papa, hinc rejicitur etiam error asserentium supremam potestatem non esse in papa principaliter, sed tanquam in Ministro Ecclesiæ & Concilii, proinde petere Concilium confirmationem à papa ut à Ministro, quia eo ipso, quod ut Minister Christi dat authoritatem Concilio, est supra Concilium, perinde ac Vicarius confirmans mandatum superioris, illudque corroborans non dicitur subesse, sed præesse aliis religiosis. Neque ex eo, quod Ecclesia papam eligat, sequitur inesse Ecclesiæ authoritatem papalem, quia etiam à Capitulo Canonicorum in Germania eligitur Episcopus, & tamen potestas Episcopalis non inest Capitulo, sed tantùm Episcopo electo, & consecrato. Tum quia ipsa forma eligendi, & ipsi Electores subjacent legibus pontificum qui modum, & formam eligendi præscripserunt: neque electores eligendo conferunt potestatem papalem electo, sed tantùm nominant personam, cui potestas im-

mediatè

mediatè à Deo confertur; sicut nemo proregi dat vicariam potestatem regendi, quam ipse Rex cujus nomine prorex regnum gubernat absente Rege: ita vicariam potestatem seu papalem nemo dat Pontifici, quàm ipse Christus, qui eam statim confert personæ canonicè electæ in summum Pontificem, hinc in Concilio Constantiensi Sess. 8. Papa dicitur immediatus Christi Vicarius, quatenus vicariam potestatem regendi Ecclesiam immediatè accipit à solo Christo. Quòd verò si Pontifex perpetua laboraret amentiâ vel perpetuò detineretur inclusus carcere, agendum tunc esset in Ecclesia non est hujus loci definire, ipsa enim Ecclesiæ praxis, quid in similibus casibus fieri debeat satis apertè ostendit, legatur Cajetanus *in Opuscul. de authorit. Papæ, & Concil. cap.* 16. ubi asserit Pontifice capto, vel relegato, cujus conveniendi nulla spes affulgeat, non esse eligendum alium Pontificem, sed ad imitationem primitivæ Ecclesiæ, cùm Petrus ab Herode detrusus in carcere detineretur, oratio ab Ecclesia sine intermissione ad DEUM pro eo fundenda esset, & ut Ecclesiæ suæ subveniret. Sin verò Papa perpetua laboraret amentia, cujus curandæ spes nulla affulgeret ex Medicorum consensu, tunc Papa habendus esset veluti mortuus quoad vitam rationalem, & intellectualem, non ita tamen ut tantùm in actu intelligeretur mortuus, ut contingit in ebrio, dormiente, & phrenetico, verùm etiam in potentia naturali, ut docet Suarez *de fide disp.* 10. *Sect.* 6. Cæterum in hisce casibus pertineret ad divinam providentiam non permittere evenire, quod suis adversaretur promissionibus; Et Divus Thomas 1. 2. q. 100. a. 8. docet ea, quæ sunt de jure divino, & ab ipso Deo determinata non solùm in communi ratione justitiæ, sed etiam quantùm ad determinationem ad singulos actus non esse ab Ecclesia dispensabilia, sed à solo DEO, nec in illis habere locum; Epykiam sicut in legibus humanis, in quibus non potest Legislator humanus singulos actus particulares prævidere, ac illis providere, proinde admittitur interpretatio voluntatis Legislatoris, quid statueret in casu talibus vestito circumstantiis. Quòd si casus contra Christi institutionem contingeret aliquis, utique ordinem à DEO impositum confunderet, ac repugnantiam respectivam, seu consequentem ex suppositione divinæ voluntatis, & providentiæ statuentis rem hoc & non alio modo fieri, secum traheret: etenim absolutè potest contingere, ut Romanus Pontifex non sit validè baptizatus, consequenter nec verus Pontifax, & ea quæ circa fidem & canonizationem Sanctorum ab eodem statuta sunt æquè invalida fuisse, sed supposita DEI providentia, qua voluit Ecclesiæ visibili caput præponi visibile, & quæ ad fidem spectant certa & indubitata esse, ideo repugnat tale occultum impedimentum à Deo permitti, hinc ad Dei curam pertinet impedimentum illud non permittere.

Objiciunt tertiodecimò, quia Papa potest à Concilio deponi propter hæresin *cap. si Papa dist.* 40. sed non posset à Concilio deponi nisi subjiceretur jurisdictioni Concilii, ac esset illo inferior, siquidem sine jurisdictione Judex neminem potest condemnare, quia judicium, & sententia supponunt jurisdictionem, & jurisdictio subjectionem in judicato. Quòd si Papa hæreticus judicari ac puniri potest à Concilio, cur non etiam publicus usurarius, simoniacus, blasphemus, & perjurus, hæc enim peccata partim sunt hæresi graviora, & partim plus nocent Ecclesiæ quàm privata aliqua hæresis, ut quod Spiritus Sanctus à Filio non procedat, ergo si propter hæresim potest Papa à Concilio deponi, etiam propter alia delicta hoc idem præstare poterit, consequenter Papa subjicitur jurisdictioni Concilö, & Ecclesiæ. Tum quia potest Ecclesia etiam invito Papa, aut non consentiente Pontifice Concilium congregare, ut cum Papa est mortuus, vel relegatus, vel amentia correptus, ut docent Felinus *in cap. super litteras de rescript.* Alex. *in can. Synod. dist.* 17. Ex quibus inferunt saltem Ecclesiæ inesse potestatem papalem. Sed contra ad primum respondetur, Concilium propter hæresim propriè non deponere Papam, sed tantùm declarare Papam depositum, quia eo ipso, quòd Papa incidit in hæresin, separatur à corpore Ecclesiæ, cujus propterea non est amplius caput, nec membrum consequenter neque Pontifex. Neque ob alia peccata deponitur Papa, est enim discrimen inter hæresin, & alia delicta, quia hæresis, per se, & ex sua natura fovet falsam doctrinam, evertit fundamentum gratiæ, & salutis, ac veluti in sua radice omne meritum, & virtutem inficit, hinc cuilibet peccato potest suum adhiberi remedium, quo curetur: sed semel extincta fide omnia simul remedia tolluntur, quia singula fidem supponunt, sicut enim vita est necessaria ægroto, cui applicatur medicina, ita fides, ut Sacramenta aliquid operentur, hinc *Matth.* 23. & *Luc.* 12. jubemur obedire Prælatis etiam discolis, & peccatoribus; ab Hæreticis autem, & infidelibus omninò separari, quòd si tenemur ab ipsis separari non possumus eos habere Pastores, & instructores. Ad aliud quod addebatur de Ecclesia invito Papa, vel relegato aut amentia correpto congregante Concilium, respondetur potestatem congregandi Concilia ordinariam ad solum Pontificem pertinere, ut habetur *cap. Significasti de elect.* Sicut enim ad solum Principem spectat convocare status generales, & si alius quispiam id moliretur suspectus foret perduellionis in Principem, ita ad solum Pontificem pertinet Concilia generalia congregare de potestate ordinaria. Cæterum in casibus particularibus, & extraordinariibus potest Ecclesia congregare quidem Concilium, non tamen potestate papali, quia hæc potestas non est universalis, neque extenditur ad ordinandam Ecclesiam universalem, sed tantùm particularem in illo casu. Potestas enim papalis est ordinaria perpetua universalis nec communicatur Ecclesiæ, alioquin Pontifex esset Vicarius Vicarii, & non immediatus Christi Vicarius, quod absurdum est.

Objiciunt quartodecimò, si Papa innocentem gladio aggrederetur ad eum occidendum; vel res domesticas illius & facultates invaderet, vel alio modo injuriam illi inferret in hoc casu licitum esset innocenti gladium invadenti extorquere, eumque prout posset compescere, ne sibi damnum inferret, imò si innocens non posset aliter mortem effugere, nisi occidendo injustum aggressorem, posset ipsum occidere, quia propriam vitam tueri est lex naturæ, ergo à fortiori poterit Pontifex coerceri si beneficia ecclesiastica divendat, si indignos ad dignitates promoveat, si pernicioso exemplo sit Ecclesiæ scandalo, si injustis, ac iniquis legibus eam opprimat, quo pacto Paulus ursit contra Petrum ad Gal. 2. *Cogis gentes Judaizare, exemplo mala conversatio-*

nus, ut notat Glossa; ergo si Pontifex perperam agens non posset aliter cohiberi, nec corrigi, posset à Concilio expoliari pontificatu. Sed contra negatur consequentia, quia aliud est se defendere ab injusta aggressore, & aliud jurisdictionem exercere in Papam: Defensio cùm sit juris naturæ non solùm Concilio universali, sed cuilibet etiam privato permissa est, secùs jurisdictio ad solos pertinet superiores: licet invadendem servato moderamine inculpatæ tutelæ occidere si non aliter possis mortem evadere: non tamen authoritativè potest quis quantumvis innocens sententiam mortis in pontificem proferre, quia hic actus est jurisdictionis quæ non inest Concilio generali, nec cuilibet alteri sive Regi, sive Imperatori in Romanum Pontificem. Rursus potestas spoliandi pontificem primatu Ecclesiæ pertinet potiùs ad majorē offensionē Ecclesiæ, quam defensionem ob periculum schismatis, & aliorum malorum, quæ facilè sequuntur, unde remedium esset multo deterius malo; perinde ac si ad tollendū dentis dolorē velles caput amputare; & quamvis Christus nos monuerit: *Si pes, manus, vel oculus scandalizat te, erue eum, & projice abs te*: nunquam tamen dixit: si caput tuum scandalizat te amputa illud, & projice abs te, curatio morbi capitis infecti soli divino medio reservatur. Si dicas posse papam renuntiare papatui, consequenter posse concilium generale eum deponere, præsertim si noxius sit ecclesiæ; negatur consequentia; quia cum regimen ecclesiæ subjiciatur Papæ potest hic eidem renuntiare; non autem ecclesia Papæ, quia non est in arbitrio inferioris se eximere à potestate superioris, alioquin omnes subditi possent legitimè se eximere à potestate sui Principis: hinc quia vir est caput uxoris, poterat vir uxori dare libellum repudii; non uxor viro Deuter. 24. Josephus lib. 15. c. 11. Præterea ex pontificia renuntiatione non sequuntur illa mala, quæ docuit experientia, quoties ecclesia per concilia generalia ab obedientia pontificis se subduxit: dices: ergo supervacanea, ac inutilia sunt concilia generalia, quæ tanto incomodo & sumptu congregantur; si Papæ authoritas est supra concilium, & ejus judicium infallibile, ac incorrigibile, qui posset per se dirimere controversias fidei, expedire negotia; & tamen praxis ecclesiæ est contraria; quæ docet ab initio ecclesiæ fuisse semper concilia œcumenica necessaria. Sed contra, quia non est necesse ut quidquid agitur semper agatur: plura enim fiunt, non quia necessaria, sed quia commodiora. Hinc concilia non sunt in ecclesia simpliciter necessaria, cum in primitiva ecclesia post concilium Apostolorum Act. 15. circa legalia per trecentos subsequentes annos nullum fuerit concilium congregatum; tametsi plures ortæ fuerint hæreses, ut fuerunt errores Græcorum, & Armenorum, Simonianorum à Simone Mago nuncupatorum, Gnosticorum, Cappocratianorum, Corinthianorum tempore Apostolorum, seu anno Christi 40. Nazaræorum, Hebionitarum tempore Lini Papæ, Valentianorum, circa annum Christi 145. tempore Elesphori Papæ, Senandrianorum, Marcitanarum anno Christi 155. tempore Hygini Pontificis; & plures aliæ quæ sine concilio generali extirpatæ fuerunt; & fides nunquam lætius floruit quàm in hisce exorientis Ecclesiæ procellis, ac fluctibus: & è contra concilia interdum non voluerunt hæreses extinguere: incendium Arianorum post Concilium Nicænum magis invaluit, & tunc latiùs cœpit grassari per orientem occidentem Africam, Hispaniam, Italiam: hoc idem contigit post Concilium Chalcedonense, Ephesinum, & alia. Cæterum Concilia ad id congregantur ut controversiæ subortæ diligentiùs examinentur, discutiantur, cum Concilium generale constet ex Patribus, qui ex qualibet mundi parte illuc veniunt, sunt pietate, & doctrina aliis excellentiores; quæ causa semper fuit, cur auctoritas conciliorum maximi semper fuerit habita & medium efficacissimum ad emolliendam duritiem hæreticorum, ac eorum pervicaciam frangendam.

Objiciunt ultimò eo quia juris naturæ sit ut membra illa, quæ totum corpus inficiunt amputentur; ne totum corpus corrumpatur, & pereat: pars enim est propter totum, cui debet cedere: ergo si Pontifex est membrum præcipuum Ecclesiæ; si totum corpus ecclesiæ inficiat moribus suis corruptis, pravoque suo exemplo sit aliis scandalo; ne malum in totum ecclesiæ corpus irrepat, ac dilatetur, ob bonum commune poterit amputari, seu separari, vel deponi à Concilio generali. Sed contra Respondetur enim hanc curandi corpus methodum esse prorsus inauditam nec ab ullo hactenus deducta fuit ad praxim: quia ita demens ut caput amputet à corpore, eo quia caput vitio aliquo, vel morbo laboret, qui redundet in detrimentum corporis? per capitis amputationem non consulitur sanitati reliqui corporis, sed ejus interitus accersitur: idque non solùm in physicis, sed etiam in politicis locum habet: in regimine siquidem ecclesiæ per separationem membrorum à capite oritur schisma, quo membra à capite separata corrumpuntur erroribus, ac intereunt: quamobrem quando caput gravi aliquo morbo inficitur, & periculum imminet, ne morbus in reliqua ecclesiæ membra dilatetur, tunc ecclesiæ morbus non dicitur carere remedio, tametsi caput non amputetur, nec separetur à reliquo corpore: remedium tunc est, preces ad Deum fundere, eumque enixim rogare, ut suam præstet ecclesiæ opem, suumque auxilium; vult Deus ab ecclesia rogari; Cùm promiserit se illam exauditurum cum expedit: orationibus igitur potest ecclesia caput infirmum curare. Regitur enim ecclesia regulis divinæ providentiæ, quæ suaviter disponit omnia: vult Deus à nobis rogari *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Psal. 109. & Christus Luc. 22. *Ego rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua*, meliùs ac tutius morbus capitis ecclesiæ oratione curatur, quàm coactione, & violentia, quem morbus capitis non sustinet; sicut in corpore physico nil nocentius est quàm separatio unius membri ab aliis; ita in politico nil perniciosius ipsa divisione partium, & membrorum; quòd si papa à Concilio generali ob corruptos mores, ob vitia quibus indulget, & est aliis scandalo, deponeretur, inde pejus esset malum timendum scilicet schismata, dissidia, bella, populorum tumultus, & ambientium papatum factiones, quibus omnia in ecclesia sus deque verterentur: esto igitur Pontifex malus magnum sit in ecclesia malum; schisma tamen est longè pejus malum.

CAPUT VII.

An dentur casus excepti, in quibus concilium generale prævaleat Romano Pontifici.

CONstat ex præcedentibus Romanum Pontificem esse supremum Pastorem totius Dominici gregis constitutum à Christo verbis illis Joan. 21. *Pasce oves meas*, & fuisse illi collatum primatum in ecclesia militante, cujus propterea est caput quod influit in singula ecclesiæ membra, & in Concilium ipsum generale repræsentans totam ecclesiam; adeò ut concilium quantumvis universale nisi influxum accipiat à capite à quo approbetur, ac confirmetur nullius sit roboris, nulliusque valoris; cum Concilium subsit papæ, & hic ut caput præsit Concilio. quæritur nunc an dentur aliqui casus, in quibus Concilium possit papam deponere, ac in ipsum prævalere.

Primus casus de quo potest dubitari est hæresis si Pontifex esset hæresi infectus, seu hæreticus, ut refertur de Honorio I. in octava Synodo act. 7. posset tunc à Concilio generali judicari, ac deponi. Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. c. 30. plures circa hunc casum recitat Auctorum sententias; quarum prima est Alberti Pichi lib. 4. Hierarchiæ ecclesiasticæ c. 8. ubi docet Papam non posse hæresi infici, proinde neque deponi ex eo, quòd sit hæreticus; hæc opinio licèt à plerisque censeatur probabilis est tamen contra sententiam communem. Secunda est, Papam eo ipso, quòd in hæresim incidit etiam internam in mente tantùm, esse extra ecclesiam, & si non à Concilio generali, à Deo immediatè depositum, ac privatum prærogativa primatûs ecclesiæ, ac propterea subjici Concilio, ac posse ab hoc judicari, ac extrinsecè declarari exutum pontificia dignitate jure divino; quod si Papa nolit declarationi Concilii cedere possit à Concilio de facto deponi. ita docet Joannes de Turrecremata *lib. 4. part. 2. cap. 2.* hæc tamen sententia videtur aliquam pati difficultatem: quia tametsi jurisdictio detur à Deo Pontifici, non tamen excluso quolibet humano medio; sed mediante opera hominum concurrentium ad illius electionem, quâ mediante qui antea non erat Papa fit Romanus Pontifex; consequenter non deponitur nisi mediante operâ hominum, ut eadem operâ quâ ponitur super cathedram Petri deponatur, sed hæreticus occultus, ac purè mentalis non potest ab hominibus judicari: quia homines non judicant nisi de iis, quæ cadunt sub sensus; & hæresis merè interna non cadit sub sensus; neque Papa hæreticus vult sponte se pontificatu abdicare, consequenter quandiu non deponitur ab Ecclesia depositione externa, & sensibili non obstante hæresi interna censetur esse Pontifex. Tum quia hæretici occulti non sunt extra ecclesiam, quæ cum sit sensibilis habeatque caput sensibile, quandiu non constat sensibiliter per auctum aliquem exteriorem aliquem fidelem esse hæreticum, censetur esse in ecclesia, in qua reperitur per signa sensibilia. Tertia sententia ex diametro opposita docet Romanum Pontificem neque per hæresin occultam, neque per manifestam, & sensibilem esse depositum aut deponi posse; quæ opinio ut improbabilis impugnatur à Turrecremata. Primò quia Papam hæreticum posse à Concilio judicari habetur expressè *can. Si Papa dist.* 40. & docetur ab Innocentio serm. 2. de Consecrat. Pontif. imò habetur etiam in octava Synodo Act. 7. in qua recitantur Acta Concilii Romani sub Hadriano in quibus continebatur Honorium Papam jure videri anathematizatum, quia de hæresi fuerat convictus, ob quam solam causam licitum est minoribus judicare majores: & quamvis non desint qui Honorium ab hæresi purgent asserentes Adrianum II. Papam deceptum ex corruptis exemplaribus septimæ Synodi falsò putâsse Honorium fuisse hæreticum: nihilominus Adrianus cum Romano Concilio generali asseruit in causa hæresis posse Papam hæreticum judicari à Concilio ac deponi.

Quarta sententia est Cajetani tract. de auctoritate Papæ, & Concilii cap. 20. & 21. ubi docet Papam manifestè hæreticum non esse ipso facto depositum, sed esse ab Ecclesia deponendum, quæ sententia aliquot etiam videtur difficultates pati, quia Hæreticus manifestus, cùm non sit Catholicus, quamvis Christianus sit ob characterem Baptismi, non potest esse Caput Ecclesiæ Catholicæ: consequenter neque Papa, quia hic est Pastor & Caput totius Ecclesiæ Catholicæ, sicut enim Ecclesia sensibilis exigit Caput sensibile, ita quia est una, & Catholica exigit Caput, quod sit Catholicum, & non sufficit si simpliciter ob impressum Baptismi characterem sit Christianus, quia eo ipso, quod non est Catholicus seu fidelis Fide integra, non est membrum Ecclesiæ Catholicæ, quamvis sit membrum purè Ecclesiæ Christianæ. Hinc D. Paulus in Epist. ad Tit. 3. jubet hæreticum post duas correctiones, seu postquam manifestè apparet pertinax, esse vitandum, idque intelligit ante omnem excommunicationem, & sententiam Judicis, ut expendit D. Hieronymus asserens alios peccatores per sententiam excommunicationis excludi ab Ecclesia; Hæreticos verò per se discedere ac separari à corpore Christi, seu Ecclesia Catholica: Sin autem Papa manifestè Hæreticus maneret Papa, non videretur quomodo posset vitari, cùm membra sequantur Caput, cui subjiciuntur. Hinc Papa manifestè Hæreticus per se cessat esse Caput Ecclesiæ Catholicæ, à qua præciditur. Ratio etiam id suadet, quia, qui non est Christianus Catholicus, nequit ullo modo esse Papa, quia non potest esse Caput, quod est membrum, & is non est membrum Ecclesiæ Catholicæ, qui non est Christianus Catholicus, & quia Hæreticus manifestus, tametsi ratione characteris per Baptismum impressi Christianus sit, non tamen est Catholicus, ergo non potest esse membrum Ecclesiæ Christianæ Catholicæ ut docent D. Augustinus *lib. de Gratia Christi cap.* 20. D. Hieronymus *contra Luciferianos* Athanasius *serm. 2. contra Arianos.* Quando igitur Papa est manifestè hæreticus, desinit esse Papa & Caput Ecclesiæ Catholicæ, eò quia non sit ipse Catholicus: siquidem duo concurrunt ad constituendum Christianum Catholicum Fides, & character, & quamvis Hæreticus amissâ Fide retineat characterem, ratione cujus aliquo modo adhæret Christo, cujus doctrinam in parte sequitur, est quidem Christianus, non tamen Catholicus, quia Fides integra, & non mutila est quæ constituit Christianum Catholicum. Hinc Papa eo ipso, quòd est Hæreticus manifestus non servat Fidem integram, quam amisit, consequenter non est amplius Catholicus, neque ullam potest jurisdictionem exercere in Ecclesiam Catholicam, cujus

caput debet essentialiter esse catholicum, consequenter Papa eo ipso, quod est hæreticus manifestus, cessat esse membrum, & caput Ecclesiæ Catholicæ. Fides enim est dispositio necessaria simpliciter ad hoc ut aliquis sit Papa, unde sublata hac dispositione per hæresin Papa desinit esse Papa, cum non possit forma conservari sine necessariis dispositionibus. Quod si dicas fidem esse tantùm dispositionem ad bene esse. Contra est, quia inde sequeretur, quòd propter hæresin non posset Papa deponi à Concilio generali, alioquin deberet etiam deponi propter ignorantiam, improbitatem, & alia id genus, quia hæc omnia sunt dispositiones ad bene esse, cum Papa meliùs se habeat cum scientia, & probitate aliisq; virtutibus, quam sine illis. Quòd si dicas fidem esse dispositionem partialem non verò totalem, consequenter amissa fide adhuc Papa maneret Papa, eò quia perseveret in ipso alia pars dispositionis simpliciter necessariæ, scilicet baptismi character. Contra est, quia dispositio essentialiter, & simpliciter necessaria, ut quis sit Papa, non est solus character per baptismum impressus, est etiam fides integra, ratione cujus Christianus constituatur Catholicus, seu fidelis fide integra: cùm enim Papa sit caput Ecclesiæ catholicæ, quam regit, & gubernat, debet essentialiter & ipse esse catholicus ac fidelis fide integra: character per baptismum impressus constituit baptizatum tantum Christianum, non verò catholicum, quia ut quis sit catholicus ultra characterem impressum per baptismum requiritur, ut sit fidelis fide integra, seu quòd in nullo deficiat fidei articulo. Quamobrem totalis dispositio simpliciter necessaria est character & fides integra simul, adeò ut remota fide non amplius remaneat dispositio necessaria simpliciter, quia totalis erat necessaria simpliciter, & cum non amplius sit totalis, non est amplius dispositio necessaria simpliciter; hinc deficientes in fide, seu Hæretici, quamvis retineant characterem baptismi, carent omni jurisdictione, & dignitate in Ecclesia catholica, ut communiter docent sancti Patres præsertim Cyprianus lib. 1. epist. 6. ubi ait: *Dicimus omnes omnino hæreticos, atque schismaticos nil habere potestatis, ac juris*, & *lib. 2. epist.* 1. asserit Hæreticos ad Ecclesiam revertentes suscipiendos esse ut Laicos, quamvis antea Presbyteri, vel Episcopi fuerint. Optatus *lib. 1. contra Parmenianum* asserit Hæreticos, & Schismaticos habere non posse claves regni cœlorum, nec solvere, aut ligare. D. Ambrosius *lib. 1. de Pœnit. cap. 2.* Augustinus in *Enchirid. cap. 65.* & D. Hieronymus contra Luciferianos hoc idem docent, & Cælestinus Papa I. in epistola directa ad Joannem Antiochenum, quæ habetur in Concilio Ephesino *Tom. 1. Concil. cap. 19.* scribit: *Si quis ab Episcopo Nestorio, aut ab aliis, qui eum sequuntur, ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus, vel exutus est, seu Antistites, seu Cleri dignitate, hunc in nostra communione & durâsse, & durare manifestum est, nec judicamus eum remotum; quia non poterat quemquam ejus removere sententia, qui se jam præbuerat ipse removendum.* Et in epistola ad Clerum Constantinopolitanum ait: *Sedis nostra sanxit authoritas nullum sive Episcopum sive Clericum seu professione aliqua Christianum, qui à Nestorio, vel ejus similibus, ex quo talia prædicare cœperunt vel loco suo vel communione dejecti sunt; vel dejectum vel excommunicatum videri, quia neminem dejicere, vel removere poterat, qui prædicans talia titubavit.* Hoc idem repetit, & confirmat Nicolaus I. in epist. ad Michaelem.

Dicendum est ergo Papam Hæreticum manifestum per se desinere esse Papam, & caput Ecclesiæ Christianæ Catholicæ, consequenter posse à Concilio generali perinde judicari, ac puniri, sicut judicantur, & puniuntur Hæretici, & ita docent communiter sancti Patres & nominatim S. Cyprianus lib. 4. epist. 2. ubi de Novatiano, qui fuit Papa in schismate cum Cornelio ait: *Episcopatum tenere non posset, etsi Episcopus primus factus est à Coepiscoporum suorum corpore, & ab Ecclesia sua unitate discederet*, ubi asserit Novatianum, quamvis fuisset verus Pontifex canonicè electus, ex tamen ipso, quod se separaret ab Ecclesia, casurum fuisse à pontificatu, hinc si Papa, ut privata persona, fiat Hæreticus, ut de Honorio I. dicitur in sexta Synodo, ac septima, judicari potest à Concilio, & declarari exutus pontificia dignitate, ac privatus Ecclesiæ primatu, ut etiam docent sanctus Antoninus *in sum. 3. part. tit. 23. cap. 3. §. 4.* Bellarminus de *Roman. Pontif. lib. 2. cap. 30.* Suarez *de fide part. 10. sect. 6.* & fuit id definitum in octava Synodo generali *Act. 7. cap. audivimus 24. q. 1. cap. si Papa d. 40. cap. Novatianus 7. q. 1. cap. Didicimus cap. Achatius 24. q. 1. cap. oves 2. q. 7.* Ratio est, quia Papa est pastor ovium Christi seu Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, consequenter debet & ipse essentialiter & necessariò esse Catholicus, atqui non solus character per baptismum impressus constituit virum catholicum, sed ulteriùs requiritur fides integra, quo vir catholicus credat, & profiteatur omnes fidei articulos, quos docet Ecclesia catholica, adeo ut fides sit forma veræ, & catholicæ Ecclesiæ, per quam ab omni alia Ecclesia infidelium distinguitur, & in viro catholico duo concurrant ad ejus constitutionem, character baptismi & fides integra, ille se habens veluti materia, & hæc ut forma, qua distinguitur ab omni eo, qui non est catholicus, scilicet ab Hæretico, Turca, Gentili, Judæo: & sicut homo amissa anima, quæ est ejus forma, desinit esse homo, ita & Catholicus amissa fide desinit esse Catholicus, consequenter etiam membrum Ecclesiæ Catholicæ, seu universalis informatæ fide integra, ergo si Papa incidat in hæresin, quia fidem amittit, desinit esse membrum Ecclesiæ catholicæ, cùm non sit ipse Catholicus, cum enim Ecclesia à Christo fundata, si tota catholica & informata fide integra omnia illius membra debent per fidem integram gaudere nomine Catholici, ergo cùm Pontifex Hæreticus desinat esse membrum, cessat esse caput Ecclesiæ catholicæ, & potest à Concilio priùs declarari jure divino depositus à dignitate pontificia, & postea judicari, ac puniri non amplius ut Pontifex, sed ut persona privata infecta hæresi, Idque causæ, cur Christus non priùs primatum Ecclesiæ Catholicæ Petro contulerit, eique claves regni cœlorum concrediderit, quàm ab eodem professionem veræ fidei exegerit, ut habetur *Matth. 16.* ut significaret fidem integram esse simpliciter necessariam, ut quis primatum habeat in Ecclesia Catholica, sitque caput ejusdem.

Secundus casus exceptus est, quando tempore schismatis Papa est dubius, eò quia plures sint Pontifices, & ex pluribus electis nescitur, quis eorum sit canonicè electus, ac legitimus Papa: & hic casus expressè definitus fuit in Concilio Constantiensi *sess. 4. & 5.* quia tempore schismatis ad Concilium generale pertinet inquirere, quis sit verus Pontifex canonicè electus, cum non suppetat aliud medium, neque detur tunc in Ecclesia Judex major, qui possit de hac causa cognoscere, & judicare, unde ex necessitate tempore schismatis Concilium generale sit supremus Judex in ordine ad cognoscendú, quis ex pluribus Pontificibus electis sit canonicè electus, ac legitimus Pontif. quòd si

omnes

omnes electiones deprehendantur dubiæ, & non possit cognosci, quis eorum sit legitimus Papa, tunc ad Concilium pertinet novum Papam canonicè eligere, ut in Concilio Constantiensi electus fuit Martinus V. Ratio hujus necessitatis est, quia ubi plures Pontifices sunt electi; vel oporteret omnes cum summa potestate præesse Ecclesiæ, quod superiùs ostendimus esse contra rectum regimen, vel deberent aliqui ex electis deponi: atqui non est ratio, cur unus potius quam alter debeat deponi, cùm de omnibus æquè dubitetur, unde ex necessitate in hoc casu deponendi sunt omnes, non quòd Concilium exerceat authoritatem in Papam, sed tantùm in eum, quem credit non esse Papam, siquidem Papa dubius, de quo non constat, an sit Papa, non habetur Papa, quia in jure paria sunt, non esse, & non apparere, *L. duo sunt Titii. 30. ff. de testam. Tut. l. in lege 77. ff. de contra empt. l. omnia 32. § specios. ff. de legat. 2.*

Tertius casus est, si contingat Papam spontè se abdicare Pontificatu, tunc enim eatenus dignitate Pontificia desinit esse caput Ecclesiæ catholicæ, & subintrat Concilium generale, quod si non possit commodè congregari ad Cardinales spectat repræsentantes Ecclesiam universam alium eligere. Posse Papam resignare papatum etiam nullo capitulo consensu Ecclesiæ habetur *in cap. 1. de Renunt. in 6.* ubi Glossa & supponitur in Constantiensi Concilio *sess. 2. & 6.* Imo extant etiam exempla in Gregorio VI. & Cælestino V. Ille enim pacis, & tranquillitatis inducendæ in Ecclesia causa papatui renuntiavit; & Cælestinus amore solitudinis, ac contemplationis se pontificia dignitate abdicavit, & Ecclesia eorum successores pro legitimis Papis semper habuit. Cùm enim Pontifex nullo naturali vel positivo jure prohibeatur renuntiare, nil impedit, quin si velit sibi attendere, & privatam tantùm personam agere, possit papatui renuntiare, præsertim si ex tali resignatione nullum in Ecclesia damnum redundet, & inde speretur vel tranquillitas in Ecclesia, vel majus in eadem bonum.

Quartus casus est, si Pontifex vi, vel legibus injustè latis, aut alio quovis modo niteretur Ecclesiam destruere, vel etiam si aliorum bona, & jura iniquè, & injustè invaderet, quia tunc moneri, ac cogari posset, ut desisteret ab hisce damnis Ecclesiæ inferendis, quod si per preces non flecteretur, sed magis persisteret in sua iniquitate, tunc etiam bello, & armis possat compelli ad desistendum, quia id pertinet ad propriam defensionem, quæ juris est naturalis, ut notat Joannes de Turrecremata *lib. 2. cap. 106.* & ratio est, quia in isto casu non Papæ ut Ecclesiæ capiti, sed ut personæ privatæ, ac iniquo invasori resistitur, quippe non tenemur obedire Papæ, nisi quando agit ut Papa, seu ut primus & caput Ecclesiæ, nec tunc ulla in Papam exercetur jurisdictio, sed tantùm jure defensionis agitur, quod non fundatur in jurisdictione ulla alterius, sed in solo præcepto, & jure naturali: Jus autem naturale non potest à Pontifice solvi, nec ab ullo alio tolli, quia etiam ipse Pontifex subjicitur juri naturali, ac divino, ut habetur *in tota causa 25. q. 1.* Hinc si Papa omnino injustè alium aggrederetur, quem districto gladio interimere tentaret, posset hic alius cum moderamine inculpatæ tutelæ se defendere, ac illi ut iniquo invasori obsistere, quia propria defensio pertinet ad jus naturale, cui vel ipse Pontifex subjicitur, hinc si non posset aliter mortem effugere posset illum interimere.

Quintus casus est, cum causa aliqua præsertim fidei tam gravis esset, ac tam magni momenti, ut sine Concilio universali non videatur posse sufficienter de ipsa cognosci, tunc enim teneretur Pontifex Concilium generale convocare, nec sine illo posset causam illam expedire, nec ex cathedra illam decernere, quia si doceat ex cathedra, tenetur præmittere illud causæ examen, quod videatur sufficere, quòd si requiratur ad causam examinandam concilium generale, tenetur Pontifex in hoc casu illud convocare, ut causa diligenter examinetur à tota Ecclesia repræsentata in Concilio, & postea sententiam ex cathedra pronuntiare: Sancti Patres de hoc præsertim casu loquuntur, cùm asserunt Concilia generalia necessaria esse in Ecclesia & præsertim Gelasius Papa in Tom. de vinculo anathematis, ubi ait: *Si præcessit consensus Pontificis doceatur à quibus, & ubi illo sit gestus: si secundùm Ecclesiæ regulam celebratur, si paterna traditione profectus. si majorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus, ubi procul dubio requirendum est, si synodali congregatione celebratur, quod in receptione damnati, & abjectione Catholici, quia nova est causa, fieri certissimum est.* Hoc idem asserunt alii sancti Patres præsertim Cyprianus *lib. 2. epist. 1. ad Stephanum*, S. Augustinus *lib. 1. de baptis. contra Donatistas cap 7. & 18.* Ratio desumitur ex eo, quia tametsi in decidendis rebus fidei promissa sit Pontifici docenti ex cathedra assistentia Spiritus Sancti, ne erret in definiendis rebus fidei, ac pertinentibus ad bonos mores; hæc tamen promissio supponit illud prævium causæ examen, quod dignitas causæ videtur exigere. Est enim necessaria ea major diligentia, quæ potest haberi, ut habetur *Actor. 15.* Non enim quidquid docet Papa, statim est dogma fidei, quia potest dupliciter Papa considerari, ut est persona privata, ac privatus Doctor, & ut est caput Ecclesiæ; ut privata persona & Doctor est errori obnoxius, non ita ut est caput totius Ecclesiæ, si doceat ex cathedra cum sufficienti discussione causæ, ac prævio examine ejusdem, quapropter si gravitas causæ tanta esset, ut exigeret examinari per Concilium generale, teneretur Pontifex illud convocare, & præmissa per Concilium diligenti excussione postea sententiam pronuntiare ex cathedra, sub hac enim conditione assistentia Spiritus Sancti promissa fuit Petro, & ejus in militanti Ecclesia successoribus: etenim etiam sacramentis novæ legis promissa est gratia sanctificans, sed non nisi pluribus adhibitis necessariis conditionibus, & præsertim ut præcedat verus dolor de patratis peccatis & eorum sincera confessio. Cæterum in hoc casu Concilium nullam exerceret jurisdictionem in Pontificem, sed potius Pontifex in Concilium, quia illud congregaret, & adhiberet ad discutiendam causam, quam postea solus Pontifex docens ex cathedra definiret juxta Concilii examen. Pertinet tamen ad Dei providentiam, qui primatum Ecclesiæ Petro & ejus successoribus contulit, ut à Romana Sede finis omnibus controversiis imponeretur, nec unquam permittere, ut Pontifex docens ex cathedra perperam definiat, tametsi non præmisserit Concilium generale, alioquin nulla haberetur securitas, & daretur semper locus dubitandi de rebus fidei, quod absit, unde ex eo, quod Deus voluerit talem finem scilicet ut à Pontifice Romano finis imponeretur controversiis, quæ de rebus fide suboriuntur, etiam ad ipsum pertinet necessaria media disponere, ut ad talem finem perveniatur.

Sextus casus ponitur à Panormitano, *2. part. consil. q. 1.* & Gardinale Montiliano *de Concil. Oecum. cap. 33.* estque, si in materia fidei solus Pontifex con-

tra

tra omnes Concilii Patres sentiret, in hoc enim casu teneretnt eorum votis accedere, quia si contra omnes definiret, non videretur hæc definitio rationabilis, neque nixa debito examine, & veritatis inquisitione, nec Pontifex adhiberet Concilium ad causam examinandam, & si contra Concilium definiret, id censeretur præstare, ut privatus Doctoe errori obnoxius, quod si contra omnium Patrum seotentiam aliquid definiret, tunc definitio censererut temeraria, & ut profecta à privato Doctore, non vero à publico docente ex cathedra: & in hoe sensu asseruot aliqui authoritatem directivam Concilii majorem esse illâ solius Pontificis, quamvis non teneatur illi parti accedere, quæ ploribus juvatur suffragiis, siquidem quandoque sententia paucornm potest melior, & sanior esse, *L. Nemo Judex Cod. de sent. & interlocut. cap. sanc. dist. 9.* ut enim loqunntur Theologi, sunt opiniones instae monetæ, cujus valor non ex numero, sed ex metalli pretiositate, & pondere censetur: Doctoeum enim opiniones non numerus commendat, sed major ratio, & veritas simul & prudentia celebrant.

Septimus casus ponitue, si Pontifex non esset eanonicè electus, sed vi intrusus in pontificatum, quo pacto Joanoes XII. vitiosum potiùs monstrum, quàm homo rationalis ab Othone Imperatore depositus est, ut non legitimè electus. Potest multipliciter electio Pontificis invalida esse, & electus intrusus, ut si electio facta fuerit præter formam eanonicam in Concilio Lateranensi præscriptam Can. 1. & jure novissimo contra Bullam Gregorii XV. Cui initium est *æterni Patris*, editam anno 1621. Si defectus aliquis juris divini, aut naturalis intervenist electioni, ut si electus usu esset destitutus rationis, vel Hæreticus, aut suæ electioni oon consentiret. Si electio esset simoniaca data, vel accepta, vel promissa pecunia vel re alia pretio æstimabili. *cap. si quis pecunia dist. 79.* Idque saltem verum est de jure novo post Bullam Julii II. editam anno 1505. cui initium est: *Enim tam divino*, quia electio Papæ Juri canico subjacet, quamvis electus Papa sit postea omni jure humano major; Crimeo autem Simoniæ jure eanonico hæresi pariatur *cap. Eos qui. 1. quæst. 1. cap. ult. 1. quæst. 7.* Rursus si electio fuerit per metum gravem incussum ac injustè peracta, quod tameo intelligitue de metu ad certam, & determinatam personam eligendam iojustè incusso, hæc enim electio in Concilio Constantiensi irrita fuit habita. Et demum si electio ab iis fiat, qui Jus eligendi non habent, & Cardinales non sunt *cap. licet. de Elect.* & Bulla Gregorii XV. superiùs citata. in prærecensitis casibus electio Pontificia invalida est; & taliter electus sit ut non est Pontifex, ita nec privilegiis gaudet Papæ, neque capitis Ecclesiæ, consequenter subjacet concilio generali, à quo potest judicari, & puniri ob delicta, perinde ac alius reus, ut statuitur in Concilio Coostantiensi sess. 39. Liqoet ex hactenus prærecensitis nullum dari casum, in quo Papa manens Papa subjiciatur Concilio. In casu enim hæresis manifestæ per se desinit esse Papa, & à concilio prius declaratur privatus dignitate Papæ ob hæresim manifestam, postea, ut non amplius Papa judicatur; & ita de aliis casibus, in quibus à Concilio geoerali non jodicatur, nisi ut destitutus dignitate papali: quia enim Romanus Pontifex sit verus Petri successoe, & Christi Vicarius in militante sua Ecclesia est Pastor ovium Christi, seu Rector, caput, fundamentum Ecclesiæ, & supremus in Ecclesia visibili Judex à Deo constitutus, proinde superior, & princeps in Ecclesia; & sicut ab homine puro hanc non accepit dignitatem, sed à Christo Deo & homine, ita non potest illâ privari ab hominibus, nec ab iisdem judicari: quòd si historias volvas ecclesiasticas non reperies Pootifices tot inquinatos sceleribus, sicut fuerunt Scribæ, & Pharisæi, & Pontifices Deicidæ intee Judæos, quorum vitia describit Christus longo cathalogo Matth. 25. adjectâ singulis comminatiooe æterni supplicii; & tamen tantùm abest, quod pati voluerint à subditis judicari, coerceri, ac in ordinem redigi; ut potius in iis, quæ ad doctrioam pertinent, omnem præceperint ipsi observantiam: *super cathedram Moysis sederunt Principes, & Pharisæi: quæ ergo dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite.* Quod si hoc dixit Christus de Scribis & Phaeisæis, quando magis diceret de suo in militante Ecclesia Vicario, si vitiis deturparetur.

CAPUT VIII.

De regula infallibili, quæ in Ecclesia proponit, & declarat res fidei.

SOlet Ecclesia multipliciter sumi. Primò universalissimè, quatenus oon solùm homines, sed etiam Angelos, & non solum homines viatores, sed etiam comprehensores includit, & in hac latissima significatione definitur Ecclesia esse: *Societas creaturarum rationalium supernaturali cognitione Deo adhærentium, ejusque vero cultu inter se communicantium:* dicitur *Societas*, quia Ecclesia est cœtus plurium; exigit enim plures, qui simul confœderentur; non enim in uno tantum potest Ecclesia consistere, adduntur illæ particulæ *creaturarum rationalium*; quia complectitur angelos & homioes utentes ratione; additur *adhærentium Deo:* quia si societas Deo non adhærescit, est tantùm societas humana, non divina, qualis esse debet Ecclesia: ponuntur illæ particulæ *supernaturali cognitione* generatim, quia tam visio beata, quàm fides obscura comprehenduntur in cognitione supernaturali, adduntur postremæ particulæ *inter se communicantium*; quia non sufficit sola multitudo ad constituendam Ecclesiam; sed ulterius requiritur aliqua communicatio, qua constituatur ex pluribus partibus uoum corpus: hine in damnatis, quamvis sit multitudo, non tamen est societas; quia damnati mutuis officiis intee se non communicant: præterea hæc communicatio inter membra Ecclesiæ debet esse circa verum Dei cultum, est enim in Ecclesia religio, quæ significat societatem eorum, qui vocantur ad Dei cultum. Secundò sumitur Ecclesia pro quacunque multitudine, seu cœtu homioum aliquo modo vel ordine aggregatorum: in quo seosu Psal. 25. dicitur: *Odivi ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo* Act. 19. *Erat enim Ecclesia confusa, & plures nesciebant, qua ex causa convenissent.* Tertiò pro congregatione, & cœtu fidelium viatorum, & id diversimodè, interdum universaliter pro omnibus, qui in fide noius Dei congregantur: unde David Psal. 21. *Apud te laus mea in Ecclesia magna, vota mea reddam in conspectu timentium eum.* Aliquando pro coogregatione fidelium in una provincia, civitate, aut domo Apocal. *Joannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia*, 1. Corinth. 1. *Ecclesia Dei quæ est Corinthi.* Nonnunquam pro Prælatis Ecclesiæ Matth. 8. *dic Ecclesiæ*, id est. præla-

Prælatis ejusdem: *si Ecclesiam non audierit*, id est, Prælatos Ecclesiæ: *sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus.*

Quartò plerumque pro loco ipso, ubi fideles conveniunt, Deuter. 23. *Non intrabit Eunuchus attritis, & amputatis testibus, & abscisso veretro Ecclesiam Domini.* Thren. 1. *Vidit gentes ingressas Sanctuarium suum, de quibus præceperat, ne intrarent in Ecclesiam tuam.* 1. Corinth. 11. *Convenientibus vobis in Ecclesiam audio scissuras esse inter vos.*

Quintò etiam sumitur Ecclesia generatim pro cœtu fidelium, ceu congregatione visibili, ac signis sensibilibus manifesta, prout ab Abrahamo & Abel justo cœpit, & cum lege naturæ, & Synagoga Judæorum cucurrit: in quo sensu definitur esse *convocatio seu cœtus fidelium, ex divina institutione signis sensibilibus, ordine debito Christo capiti cohærens, ad vitam æternam mediis ordinatis capessendam.* Dicitur *convocatio*, quia convocari plus est, quam congregari, quia congregari est quid commune hominibus, & bestiis, ut etiam iis, quæ vi, & virgis in unum instar pecudum adunantur: convocari vero proprium est hominis ratione præditi, qui amore, vel libertate Spiritûs ad vocem vocantis convenit cum aliis: hinc D. Augustinus in expositione inchoata epistolæ ad Romanos expendens verba illa, *Paulus vocatur Apostolus*, ait. *Duobus verbis Ecclesia dignitatem à Synagoga vetustate discernit: Ecclesia quippe ex vocatione est appellata: Synagoga vero ex congregatione: convocari enim magis hominibus convenit:* idque causæ, cur in toto novo testamento fideles sub nomine vocatorum intelligantur, ut ad Roman. cap. 1. *Vocati JESU Christi: Vocatis Sanctis*; & 2. ad Timoth. 1. Introitus in Ecclesiam dicitur *vocatio sancta*, dicitur cœtus, quia homines à DEO vocati constituunt unam societatem, quamvis Ecclesia nonnisi ab uno possit incipere, à pluribus tamen suam sortitur nomenclationem, qui debent fideles esse, sitque cœtus fidelium, adeo ut sub nomine fidei comprehendantur aliæ duæ virtutes Theologicæ, charitas, & spes: quia fides fundat, spes erigit, & charitas unit; quo fit, ut ab Ecclesia excludantur, quotquot à fide veri DEI sunt alieni, sive fidem nunquam habuerint ut Pagani, Turcæ, gentiles; si eam habuerint, sed errore aliquo ab eadem deflexerunt, ut sunt hæretici, qui excluduntur ab Ecclesia Catholica, quæ servat custoditque fidem integram: imò excluduntur etiam schismatici, quia unitatem discindunt charitatis, & vestem Christi inconsutilem in partes dilacerant. Adduntur particulæ *ex institutione divina signis sensibilibus, & ordine debito Christo capiti adhærens*, quia Ecclesia in terris militans fuit instituta à Christo per signa, veluti symbola sensibilia: neque ullo unquam tempore Ecclesia exstitit sine sensibili signo, in quo fideles adunarentur, perinde ac in castris milites sub propriis signis congregantur, quo pacto in lege naturæ remedium contra peccatum originale fuit protestatio externa fidei Mediatoris, Sacrificia itidem ab initio creaturæ instituta fuerunt, quibus fideles DEUM colerent debita eidem præstantes obsequia; imò fuerunt & positiva præcepta præter interiora legis naturæ intimantia cuilibet quid agere, quidque omittere quisque debeat, sub quibus etiam DEO uniebantur, ut liquet Genes. 2. & 3. & plerisque aliis in locis, præsertim in vitis Patriarcharum, usque ad Moysem, & in lege Mosaica, usque ad Christum variæ fuerunt institutiones rituum sacrorum, ac sacrificiorum, diversæ sensibiles cæremoniæ, legis quoque præcepta referuntur, quibus in uno cœtu Judæi continebantur. Præterea debitus etiam servabatur ordo, quia in DEI Ecclesia quovistempore aliqui eminentiores viri veluti majores habiti sunt, per quos in fide unius DEI, & veræ religionis exercitio fideles continerentur: quo pacto in lege naturæ authoritas continendi populum in religionis exercitio à DEO fuit concessa primogenitis ac viris virtutum præstantiâ eminentioribus. Rursus hic fidelium cœtus Christo ut capiti adhærebat: quia omnes ab Adamo, quotquot fideles fuerunt, sunt, & erunt, Christo vel ut venturo, vel ut jam nato tanquam capiti adhæserunt, omnésque cum Christo constituunt unum corpus, in quo singula membra vivunt de Spiritu Christi, quia ut scitè D. Augustinus de peccato originali contra Pelagianum cap. 26. ait: *Fideles vivificari in Christo, quoniam ad corpus pertinent Christi, & ideo pertinent ad corpus Christi, quia ipsi caput est Christus: ideo vere ipsis quoque caput est Christus, quia unus Mediator est DEI, & hominum: homo Christus JESUS:* hinc constat vel ab ipso mundi exordio extitisse Christi Ecclesiam, de qua ajebat David Psalm. 37. *Memento congregationis tuæ, quam possedisti ab initio*: hinc Apostolus primæ Ecclesiæ fundamenta asserit ab initio posita, & Ecclesiam non solùm ædificatam supra fundamenta Apostolorum, sed etiam Prophetarum, quos inter recensetur Adam, qui magnum mysterium revelavit in Christo, & Ecclesia, Genes. 7. *Propter hoc relinquet homo Patrem suum, & Matrem suam, & adhæret uxori suæ, & erunt duo in carne una*: quia mysterium hoc magnum est, ut scribit Apostolus ad Ephes. 5. *In Christo, & Ecclesia*, quia Ecclesia inseparabiliter adhæret ejus Sponso Christo: Demum adduntur postremæ particulæ, *ad vitam æternam mediis ordinatis capessendam*, quia assecutio vitæ æternæ est finis totius nostræ vocationis, ut in Christo vivificemur, & cum Christo in cœlesti Patria glorificemur, quapropter D. Petrus cap. 5. ait: DEUS omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo JESU. Media verò opportuna ad assecutionem æternæ gloriæ sunt fides, spes, charitas, usus Sacramentorum, & exercitium bonorum operum, quæ indicantur in sacris scripturis.

Verùm quia in præsenti loquimur de Ecclesia, prout hæc specialius continetur in lege evangelica ideo pressius, ut facit ad præsens institutum, definitur Ecclesia: *Cœtus, seu societas hominum vera in Christo, fide, & communione ejusdem Sacrificii, & Sacramentorum sub uno communi capite Christo, & sub ejus Vicario, Pontifice Romano colligatus*: *Cœtus hominum* est veluti materia, ex qua constituitur corpus ecclesiasticum. *Vera in Christo fide*, veluti forma intrinseca, & constitutiva. Aliæ particulæ sub uno communi capite Christo, & ejus Vicario, Romano Pontifice, ipsam unionem, qua materia & forma simul uniuntur ad constituendum corpus Ecclesiæ, unde dicitur cœtus plurium hominum, quia isti constituunt corpus Ecclesiæ, de quibus propterea ait D. Paulus, vos estis corpus Christi, & membra de membro, seu invicem membra corporis Ecclesiæ. Cæterum forma intrinseca constituens hoc corpus ecclesiasticum est in Christum fides juxta illud Apostoli ad Ephes. 4. *Unum corpus, unus Spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ, unus DEUS, & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Unio partium ad invicem est ipsa externa professio fidei, & participatio ejus-

ejusdem Sacrificii, & eorundem Sacramentorum sub eodem visibili capite, qui est Pontifex Romanus, & invisibili, qui est Christus, juxta illud Apostoli ad Ephes. 4. *Veritatem autem facientes crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus*: & quia Schismatici, & Hæretici sunt extra unionem unius Sacrificii, & Sacramentorum, ac fidem rejiciunt, in qua reliqui fideles conveniunt, ideo dicuntur esse extra Ecclesiam, à qua tamen possunt puniri, eò quia cùm aliquando fuerint sub speciali Sacramentorum signo fidem professi, inest jus Ecclesiæ, eos inquirendi, & puniendi, non secus ac inquiruntur, ac puniuntur desertores è castris. Cathecumeni verò quamvis fidem ratam habeant, non tamen propriè sunt membra Ecclesiæ, quia nondum profitentur fidem sub speciali signo Sacramentorum. Tum quia Baptismus est janua, per quam homo Ecclesiam ingreditur, & cum Cathecumeni nondum susceperint Baptismum, non dicuntur Ecclesiam ingressi, cujus propterea non sunt membra, hinc Augustinus *Tract.* 49. *in Joan.* distinguit Cathecumenos à Fidelibus non ex eo, quòd Cathecumeni non credant, sed quia per susceptionem Baptismi nondum sunt fidem professi: qui verò per Baptismum flaminis, seu voti, vel contritionis, vel per Baptismum sanguinis, seu Martyrium salvantur, quamvis sine charactere non pertineant ad Ecclesiam; ad hanc tamen pertinent ex privilegio capitis Christi, quatenus fide Christi, & professione Baptismi in voto vel sanguinis effusione profitentur Christum, & salutem consequuntur: peccatores verò, & excommunicati sunt quidem membra Ecclesiæ, sed puttida, juxta illud *Matthæi* 13. ubi Ecclesia nomine regni cœlestis comparatur Sagenæ missæ in mare, & omnis generis piscium congreganti, seu concludenti bonos, & malos. Item decem Virginibus, quarum quinque erant prudentes, & quinque fatuæ, item areæ habenti triticum, & paleas, item domui in qua sunt vasa alia in honorem, & alia in contumeliam. Ratio est, quia peccatores verè sunt baptizati, & profitentur quidem Christi fidem sub eodem signo Baptismi, & aliorum Sacramentorum, consequenter nihil ipsis deest, quo minus dicantur esse in Ecclesia, quod dicendum est etiam de excommunicatis. Sunt igitur etiam membra Ecclesiæ, sed mortua, eò quia destituantur gratia sanctificante, quæ est vita spiritualis, tum quia peccatores contriti, & pœnitentes possunt esse membra viva, & Christo invisibiliter unita per charitatem.

Dicendum est, omnino necessariam esse fidelibus ad credendum pro præsenti rerum statu authoritatem aliquam omnino infallibilem, quæ sit regula universalis omnium credendorum, seu quæ proponat ea, quæ fideles tenentur immobiliter credere, idque ex eo suadetur, quia nemo potest credere infallibiliter, & omnino immobiliter ea, quæ DEUS revelavit, nisi discernat eadem infallibiliter ab iis, quæ DEUS non revelavit, sed nisi daretur regula aliqua infallibilis credendorum, nemo pro præsenti statu rerum posset infallibiliter scire, quæ sunt credenda, nec ea discernere ab iis, quæ non sunt credenda: quia vel deberent immediatè hæc eadem ab ipso DEO addiscere, per signa extrinseca sensibilia, quod tamen non contingit, nec convenit statui, in quo sumus, quia esset hoc obnoxium maximis incommodis, cùm posset quisque privatim falsas credere revelationes, vel deberet illas addiscere à privato aliquo Doctore, quod absque imposturæ periculo non posset fieri, nisi per regulam propenere tur infallibilem, vel novum aliquod ostenderet miraculum, quæ cum facta fuerint initio Ecclesiæ, & nunc non urgeat eadem necessitas, ut iterum fiant, nec de facto amplius fiunt, sequitur evidenter supposito præsenti rerum statu, in quo sine miraculis eadem credimus, quæ olim revelata sunt, necessariam esse aliquam regulam universalem, & omnino infallibilem credendorum.

Dicendum secundò hanc universalem, & infallibilem regulam fidei, debere esse authoritatem aliquam vivam præsentem, & sensibilem, seu ipsam solam Ecclesiam præ nentem, & declarantem infallibiliter, quæ omnino immobiliter sunt fide divina credenda, & in hoc differunt Hæretici à Catholicis, ut notat Sanctus Cyprianus lib. de unit. Ecclesiæ, quia Hæretici hanc regulam infallibilem fidei non habent, quæ carentia est radix omnium errorum in ipsis. Ratio igitur est, quia ut fideles infallibiliter credant, quæ continentur in sacris scripturis ex Apostolicis traditionibus, necesse est, ut duo cognoscant, scilicet quænam sit vera scriptura, & quæ vera traditio, & quisnam sit utriusque legitimus, ac verus sensus, sunt enim hæc duo valde obscura, & fuerunt semper variis controversiis obnoxia: consequenter ut fideles omnino immobiliter crederent, quæ fide divina sunt credenda, necessum fuit ut scirent, quænam sint veræ scripturæ, & traditiones, & quæ legitimus utriusque sensus: sed absque regula aliqua viva præsenti, & sensibili, quæque sit authoritatis omnino infallibilis, non possunt fideles alterutrum eorum cognoscere, neque discernere veras scripturas, & traditiones ab iis, quas falso fingunt Hæretici, nisi enim id à regula sensibili, & infallibili definiatur, ac declaretur, semper fidelis hæret anceps, quænam sit vera scriptura, & traditio, quisque verus utriusque sensus: ergo ut fideles omnino immobiliter credant fide divina, quæ credenda sunt, erat omnino necessaria authoritas aliqua, quæ esset magistra fidei, & regula universalis viva, præsens, sensibilis, & omnino infallibilis. Tum quia in omnibus dubiis fidei circa scripturas, & traditionem debent fideles consulere authoritatem aliquam infallibilem, quæ si non fuerit viva præsens, & sensibilis non possent fideles eam consulere, quapropter hæc authoritas est omnino necessaria. Quod verò hæc authoritas viva sensibilis, & infallibilis, & magistra fidei sit Ecclesia, quæ propterea sit Judex controversiarum fidei, ac regula universalis, ac infallibilis omnium credendorum fide divina, facile evincitur: siquidem Ecclesia Catholica Romana à Spiritu Sancto gubernatur, adeo ut assistentiam, & protectionem habeat Spiritus Sancti, ratione cujus, nec falli possit, nec fallere, siquidem est Ecclesia Apostolica, ut ait D. Paulus 1. ad Timoth. 3. *Columna ac fundamentum veritatis*, à quo fundamento excluditur omnis error, adeo ut non possit Ecclesia universalis culpabiliter errare in fide, alioquin si falli, & fallere posset, non esset certa regula, nec columna, nec fundamentum veritatis, quod adversatur Apostolo, unde hæc authoritas viva, præsens, sensibilis, omnino infallibilis, quæque sit universalis regula credendorum, est sola Ecclesia Catholica Romana, & in ipsa supremus Pastor, seu Romanus Pontifex, cui Christus Matth. 16. dixit in persona Petri: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Per portas inferi denotatur Dæmonis astutia, quæ vel maximè in disseminandis hæresibus, vel erroribus versatur: sed Christus expressè asserit, nullas hæreses adversus Ecclesiam fundatam super petram prævalituras:

ergo,

ergo Ecclesia, & in hac supremus Pastor est regula viva sensibilis, & infallibilis credendorum, hinc Augustinus lib. 1. de symbol. ad Cathec. cap. 6. loquens de Ecclesia ait: *Pugnari potest, expugnari non potest: hæreses omnes de illa exierunt tanquam sarmenta inutilia de vite præcissa, ipse autem manet in radice sua, portæ inferi non vincent eam.* Et Sanctus Cyprianus lib. de unit. Eccles. cap. 5. ait: *Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est, & pudica.* Neque ullum facessit negotium, quod respondent Hæretici: Ecclesiam ab Apostolo vocari columnam, & firmamentum veritatis, eò quia sit fides custos Verbi DEI, quia hæc interpretatio est expressè contra propriam significationem verborum Apostoli quia si ad Ecclesiam tantùm pertineret custodire Verbum DEI, perperam Apostolus eam vocâsset fundamentum, & columnam, sed potius dixisset arcam, vel cistam, cujus proprium est custodire. Præterea juxta hanc interpretationem etiam Judæi licèt infensissimi hostes Christianæ Religionis essent columna & fundamentum veritatis: siquidem diligenter custodiunt vetus Testamentum continens Verbum DEI.

Ostenditur ulterius, quia si Ecclesia non esset authoritas hæc infallibilis fidei, sed posset errare, hujusmodi error redundaret in Christum, & Spiritum Sanctum, quia Christus est caput Ecclesiæ, & Spiritus Sanctus eidem assistit, cujus dicitur esse cor, unde Isa. 59 *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, usque in sempiternum*; & Apostoli Actor. 16. congregati in Concilio dixerunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Tum quia Christus Joan. 14. & 16. apertè promisit Ecclesiæ Spiritum Sanctum, qui eidem suggereret omnem veritatem, & maneret nobiscum pro semper, nec se relicturum nos Orphanos: quapropter si Ecclesia posset errare, refunderetur talis error in Christum, qui est caput Ecclesiæ, & in Spiritum Sanctum, qui est cor Ecclesiæ, ut docet D. Thomas 3. part. quæst. 8. art. 1. ad 3. inquiens: *Caput habet manifestam eminentiam respectu cæterorum exteriorum membrorum; sed cor habet quandam influentiam occultam, & ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat, & unit, capiti autem comparatur ipse Christus secundum visibilem naturam, secundùm quam homo hominibus præfertur*; & cum sit naturaliter evidens defectus actionum internarum corporis tribui capiti, & cordi, utique si posset Ecclesia errare in fide, talis error refunderetur in Christum, & Spiritum Sanctum, quod repugnat. Quòd si dicas perinde Christum esse caput, & Spiritum Sanctum cor totius universalis Ecclesiæ, ac cujusvis fidelis in particulari: sed error cujusvis fidelis in particulari non refunditur in Christum, nec in Spiritum Sanctum, consequenter neque error universalis Ecclesiæ. Contra est negata paritas, est enim discrimen, quia fidelis particularis potest desinere esse membrum ipsius Christi, & Ecclesiæ per errorem culpabilem, non ita tota Ecclesia universalis quæ supposita Christi promissione Oseæ 2. *Desponsabo te mihi in fide in sempiternum*, non potest Ecclesia universalis desinere esse corpus mysticum Christi: hinc liquet Ecclesiam universalem nec culpabiliter, nec inculpabiliter per ignorantiam invincibilem posse errare, alioquin contra sponsionem Christi portæ inferi prævalerent adversus eam, & Ecclesia non esset columna, & fundamentum veritatis, quia si posset errare etiam inculpabiliter errorem fulciret, non veritatem sustineret, neque Spiritus Sanctus eam edoceret omnem veritatem, quod adversatur *Joan.* 14. *& Matth.* 15. Præterea si posset Ecclesia errare etiam inculpabiliter proponendo aliquid falsum per ignorantiam invincibilem, tota ejus authoritas redderetur dubia, & fideles possent prudenter suspicari, ne forte per ignorantiam deciperentur in aliis, quæ proponit credenda fide divina.

Quamobrem Ecclesia ita est infallibilis in credendis, & proponendis rebus fidei, ut nunquam nec culpabiliter, nec inculpabiliter possit errare, adeo ut hoc sit de fide contra Hæreticos Theodosianos, Arianos, Donatistas, Luciferianos, Iconomachos, Calvinistas, Lutheranos, aliosque Sectarios nostri temporis: fuit enim hæc veritas definita in Concilio Nicæno Act. 3. cap. 3. & in symbolo Apostolorum: *Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam*: quòd si Ecclesia sancta est, sequitur non posse errare in fide, ut definierunt omnia Concilia proponentia ab initio confessionem fidei, & desumitur ex præcitatis scripturis, præsertim ex illo 2. Matt. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, ubi Christus promittit Ecclesiæ suam assistentiam usque ad finem mundi, & eo ipso, quòd Christus assistit Ecclesiæ, sequitur evidenter hanc non posse ullo pacto errare, alioquin error tribueretur Christo, ut inferunt Sancti Patres, Chrysostomus *Homil.* 11. *ad populum.* Augustinus *conc.* 2. *in Psal.* 101. Tum quia Christus Joan. 7. ait: *Pater sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est, & ego pro eis sanctifico me ipsum, ut sint ipsi sanctificati in veritate, non pro eis rogo tantùm, sed pro iis etiam, qui credituri sunt per verba illorum in me*; & cap. 14. *Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritus veritatis*, ergo cum expressè constet, Christum rogâsse Patrem pro Ecclesia, ut maneret semper in veritate, seu in fide, & ipse promiserit assistentiam Spiritus Sancti in perpetuum, donec duraret, fatendum est, non posse ullo pacto errare, neque deficere, ea ratione, quia regatur à Spiritu Sancto, cui propterea tribueretur error Ecclesiæ. Quòd verò Ecclesia regatur à Spiritu Sancto fassi sunt ipsi Apostoli congregati in primo Concilio Ecclesiæ: siquidem significaturi Spiritum Sanctum esse authorem illarum Sanctionum, quæ ab Ecclesia fiunt, apertè dixerunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, ergo sicut repugnat Spiritum Sanctum posse falli, vel nos fallere, ac esse authorem erroris, vel mendacii, ita impossibile est Ecclesiam in iis, quæ pertinent ad fidem, posse errare, ac esse errori obnoxiam. Si dicas, Ecclesiam in scripturis parari Lunæ, quæ sicut deficit à claritate, ita & Ecclesia potest deficere à veritate, præterea quia constat Ecclesiam persæpe defecisse à fide, etenim in ipso mundi exordio Ecclesia consistebat in duobus primis parentibus Adamo, & ejus uxore Eva, & tamen uterque fidem amisit, quia DEO non credidit, & à DEO apostativit, ut docent Sancti Patres, præsertim Ambrosius *lib. de paradis. cap.* 9. Augustinus *in Enchirid. cap.* 45. rursus tempore Moysis etiam defecit Ecclesia, quia Aaron cum toto populo erravit Exodi 31. *Hi sunt Dii tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti*: Item erravit Synagoga tempore Judicum, & tempore Eliæ, adeo ut nullus remanserit fidelis, nisi solus Elias, ut ipsemet conqueritur 3. *Reg.* 9. Et Ecclesia non constat ex una tantum persona, sed ex pluribus, ut ostendimus in ejus definitione, unde revera Ecclesia etiam tunc defecit. Demum tempore Christi etiam defecit Ecclesia, quia erraverunt Apostoli dicente Christo

Matth. 26. *Omnes scandalum patiemini*, ex quibus liquet, Ecclesiam plures defecisse, ac esse errori obnoxiam. Sed contra ad primum, in quo Ecclesia dicitur in scripturis pariari Lunæ deficienti, respondetur Ecclesiam non comparari Lunæ in defectu lucis, adeo ut sicut potest Luna deficere in claritate, ita possit Ecclesia deficere in veritate, hoc enim impossibile est, ut satis claret ex dictis: Ecclesia igitur comparatur Lunæ, primo quia sicut Luna initio mensis exigua est, deinde gradatim crescit in lumine, donec pleno orbe splendeat, perinde Ecclesia sub mitium exiguam terræ occupabat partem, & postea ita crevit, ut toto orbe splendeat, ut explicat D. Augustinus in Psalm. 103. expendens verba illa: *Fecit Lunam in tempora*. Rursus comparatur Ecclesia Lunæ, quia sicut hæc à sole suos mutuat nitores, quibus in cœlis splendet; ita Ecclesia lumen fidei, & sanctitatis à Christo, quo in terris coruscat, ut explicat Sanctus Augustinus in Psalm. 10. *Luna intelligitur Ecclesia, quia suum lumen non habet; sed ab unigenito DEI Filio, qui multis in locis in sacris scripturis allegoricè Sol est appellatus, illustratur*. Demum quia sicut Luna est mutationi obnoxia; ita Ecclesia interdum pace fruitur; & subinde persecutiones patitur, quibus affligitur, nunquam tamen potest à veritate fidei deficere, ut explicat Sanctus Ambrosius lib. 4. exam. cap. 2. inquiens: *Ecclesia tempora sua habet persecutionis, & pacis, nam videtur sicut Luna deficere; sed non deficit: obumbrari potest; deficere non potest*. Ad id quod addebatur, de facto Ecclesiam pluries defecisse, respondetur id omnino falsum esse. Quod enim ad lapsum attinet primorum parentum, respondent plerique, tunc nondum fuisse Ecclesiam; eo quia hæc sit multitudo, seu congregatio, quæ in duobus tantum hominibus nequit consistere; asserunt tunc tantùm incepisse Ecclesiam, quando fuit Abel. Sed quidquid sit an congregatio, & Ecclesia possit in duobus consistere: Respondetur, Ecclesiam tunc non defecisse in fide, non enim protoparentes peccarunt peccato infidelitatis, sed inobedientiæ per transgressionem sibi injuncti præcepti. Nec tempore Moysis defecit à fide, quia tametsi plures defecerint à fide, non tamen Moyses, qui tunc erat Pontifex; nec defecerunt filii Levi, qui ad viginti duo millia ascenderant, ut habetur Numer. 8. hi omnes perseverârunt in fide, & cultu veri DEI cum Moyse, ut habetur Exod. 32. Moyses autem tunc summus Pontifex cum filiis Levi constituebant Ecclesiam, quæ propterea non defecit in fide: unde dixit Moyses: *Si quis est Domini, jungatur mihi*. Præterea, censent plures, Aaronem non peccasse infidelitate, sed ex eo, quòd morem gessit populo. Ad aliud de tempore Eliæ, & Judicum, respondetur plures tunc permansisse in vera fide; & Eliam non fuisse loquutum de populo Judæorum; sed tantum de illa parte, quæ subjiciebatur Regi Samariæ: siquidem tunc temporis duo regna pertinebant ad Synagogam, unum Juda, alterum Israel; istud erat sub Rege Samariæ; illud sub Rege Hierusalem; & Propheta non fuit loquutus de Rege Hierusalem, quia tempore Heliæ regnârunt in Hierusalem optimi Reges, ut Aza, & Josaphat, sub quibus Sacerdotes, & populus perseverârunt in vera fide, ac cultu veri DEI. Ad ultimum exemplum desumptum à tempore Christi, respondent communiter, Synagogam tunc defecisse, non tamen eo sensu, quod à fide quam antea profitebatur, apostataverit: sed quia tunc repudiata fuit cum suis ceremoniis, & sacrificiis, & in ejus locum successit Ecclesia Christi. Ad aliud de Apostolis, quòd omnes erant passuri scandalum, respondetur non omnes Apostolos in triduo necis Christi fuisse scandalum passos, nec defecisse in fide: Petrus non corde, sed ore tantùm Christum negavit, seque excusavit, dicens se hominem non novisse; idque ex eo infertur, quia Christus rogaverit Patrem, ne ejus fides deficeret: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: illa igitur Christi verba: *Omnes vos scandalum patiemini hac nocte*; fuerat quædam prædictio peccati, quod commiserunt Apostoli fugientes ex nimio timore sumpta occasione ex Dominica passione, quod peccatum non fuit infidelitatis. Neque obstat, Christum objurgâsse eorum incredulitatem, quia inde non ritè infertur defecisse in fide, sed tantùm fuisse tardos ad credendum resurrectionem Christi; unde licèt peccaverint, non tamen peccato infidelitatis.

Dices tempore Antichristi Ecclesia deficiet: scripsit enim D. Paulus, quod Antichristus sedebit in templo Dei; & Daniel. dicitur: *Deficiet hostia, & Sacrificium*: ex quo infertur, Ecclesiam posse deficere in fide. Sed contrà, quia tametsi tempore Antichristi sint plures defectuti à fide, non tamen omnes, sed potior fidelium pars erit perseveratura in fide, consequenter non deficiet Ecclesia, sed tantum aliqui de Ecclesia, sicut etiam nunc deficiunt, qui hæresi inquinantur. Dicitur Antichristus sessurus in DEI templo, quia conabitur ex scripturis, se Deum ostendere. Verba Danielis intelliguntur de Synagoga. Quod si velis intelligi de Ecclesia, respondent plures hanc tempore Antichristi defecturam tantùm extrinsecè, quatenus publicè ob tyrannidem Antichristi non poterit hostiam offerre, nec Sacrificium adhibere.

Dices secundò, si Ecclesia in proponendis rebus fidei esset infallibilis auctoritatis, sequeretur quemlibet concionatorem privatum sufficienter proponentem objecta fidei obligare auditores ad credenda, quæ proponit, quia foret infallibilis authoritatis. Tum quia posita sufficienti propositione per motiva credibilitatis obligantur auditores credere: sed privatus concionator potest sufficienter proponere, quæ sunt credenda; consequenter fieret infallibilis authoritatis. Sed contra, quia privatus concionator tunc tantùm potest obligare ad credendum, quod dicit, quando illud proponit nomine Ecclesiæ volentis tunc obligare; & tunc concionator non ut persona privata, sed ut minister publicus Ecclesiæ illud proponit; adeo ut sit ipsa Ecclesia, quæ per suum ministrum obliget populum ad credendum. Concionator privatus tunc tantùm potest obligare auditores ad credendum, quod dicit, si illa proponat nomine totius Ecclesiæ volentis obligare; vel cum aliquo signo divino: non verò si id proponat ex se ipso, & absque ullo manifesto miraculo: quia authoritas privati Doctoris loquentis ex se non potest obligare ad credenda quæ dicit. Præterea verum est, facta sufficienti propositione homines obligari ad credendum: sed hæc sufficiens propositio pro præsenti statu non fit, nisi per regulam Ecclesiæ; quia omnia motiva credibilitatis ostendunt, nos teneri immediatè sequi regulam Ecclesiæ Catholicæ, quæ si tolleretur, nullum superesset sufficiens motivum credibilitatis.

CAPUT IX.

An in Eccleſia Principes ſæculares aliquam habeant poteſtatem judicandi de doctrina Religionis.

ASſerunt, docéntque Sectarii Principes ſæculares habere poteſtatem judicandi de rebus eccleſiaſticis pertinentibus ad Religionem: & Brentius apud Bellarminum lib. 3. de Verbo DEI cap. 3. Principi ſæculari meſſe publicam poteſtatem judicandi de rebus pertinentibus ad Religionem, & de Doctrina Religionis: & hanc poteſtatem non ineſſe perſonis privatis: quia iſtæ per Spiritum internum habent tantùm cognoſcere ex ſcripturis, quæ ad earundem pertinent ſalutem, ſuntque ad illius aſſecutionem neceſſaria; adeo ut beneficio interni luminis ſecernant ſcripturas veras à falſis.

Dicendum eſt Principes ſæculares in Eccleſia nullam habere poteſtatem judicandi circa controverſias fidei: ita docent Catholici omnes; & præ cæteris hac ſuper propoſitione egregiè, & doctiſſimè diſſerit Cardinalis Perronius in ſuo opere quod ſcripſit, & direxit ad Regem Angliæ. Ratio ex eo petitur, quia poteſtas judicandi de rebus fidei eſt ſupernaturalis, & per ſe ordinata ad finem ſupernaturalem, ſeu ad æternam hominum ſalutem: ſed Principes ſæculares non habent poteſtatem ſupernaturalem, quia tota poteſtas Principum ſæcularium eſt naturalis, & civilis ordinata ad bonum politicum ſervandum vel promovendum, ergo nullam habent poteſtatem judicandi de rebus eccleſiaſticis, neque poſſunt in Eccleſia judicare de controverſiis fidei: idque cauſæ fuit, cur Theodoſius junior in epiſtola ad Synodum Epheſinam ſcripſerit: *Illicitum eſt. eum, qui non ſit ex ordine SS. Epiſcoporum, eccleſiaſticis immiſceri tractatibus.* Et Conſtantinus Magnus apud Ruffinum lib. 10. hiſtor. cap. 10. alloquens Epiſcopos, qui in Nicænam Synodum venerant, ait: *DEUS vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit, de nobis quoque judicandi; & ideo nos à vobis rectè judicamur:* tametſi Conſtantinus Nicænæ Synodi interfuerit, non tamen ut ſuffragium ferret, ut de rebus eccleſiaſticis judicaret, vel ut cauſas ſpirituales propriâ ſententia definiret, vel legem aliquam circa res Eccleſiæ ſanciret, ſed tantùm ut refert Euſebius apud Baronium: Ut paci ſtuderet, faveret veritati, foveret Concilii tranquillitatem, patrumque concordiam promoveret, & tumultus comprimeret: hinc D. Ambroſius epiſtola 32. ad Valentinianum Imperatorem ſcribit: *Si conferendum ſit de fide, Sacerdotum debet eſſe iſta collatio, ſicut factum eſt ſub Conſtantino Auguſtæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante præmiſit, ſed liberum dedit judicium Sacerdotibus.* Minor itidem oſtenditur, quia poteſtas tota derivatur in Principes ſæculares ab hominibus, qui iiſdem ſubjiciuntur, non enim habent à natura hanc poteſtatem, neque quod naſcantur Principes; natura enim tantùm intendit hominem generare, non Marchionem, Principem, Regem; hi enim tituli, & poteſtas iiſdem adnexa eſt ab hominibus, qui non poſſunt conferre poteſtatem ſpiritualem, & ſupernaturalem, niſi ſint & ipſi ſpirituales, & eccleſiaſtici: ergo cum Imperatores eligantur ab hominibus, à quibus accipiunt poteſtatem; nequeunt de rebus eccleſiaſticis, & ſpiritualibus judicium ferre, eo quia ſint diverſi ordinis, & fori. Etenim Principes ſæculares non poſſunt ſe extendere ultra ſuam poteſtatem; ſicut nec ulla alia potentia poteſt ſe extendere ultra propriam ſphœram, quia repugnat unam potentiam exercere actus alterius, quippe non operaretur ampliùs ut talis potentia ſecundùm proprium ſpecificativum, non enim potentia viſiva, poteſt actus elicere auditionis: ſed quæ fidem ſupernaturalem concernunt, ſunt ultra ſphœram poteſtatis Principis ſæcularis: conſequenter non poteſt Princeps ſæcularis judicare de rebus eccleſiaſticis, nec de controverſiis fidei. Minor liquet, quia poteſtas Principis ſæcularis ad ea tantùm ſe extendit in ordine ad quæ accipit poteſtatem; ſeu in ordine ad conſervandum, vel promovendum ſua auctoritate bonum publicum, quod eſt quid temporale, & naturale, non ſupernaturale; accipit enim Princeps ſuam poteſtatem à Republica, quæ non poteſt aliam poteſtatem conferre, quàm in ordine ad conſervandum, & promovendum bonum commune ſua authoritate, & Reipublicæ tranquillitatem: ergo ultra hunc finem, & media proportionata non extenditur poteſtas Principis ſæcularis: ſed poteſtas judicandi de rebus fidei eſt ſupernaturalis, & per ſe ordinata ad finem ſupernaturalem, ſeu aſſecutionem æternæ ſalutis; conſequenter debet hæc auctoritas eſſe ab authore ſupernaturali, qui valeat illam conferre: author vero ſupernaturalis eſt DEUS, qui talem poteſtatem confert immediatè non Reipublicæ politicæ, ſed ordini eccleſiaſtico: alioquin ſi eam contuliſſet Reipublicæ politicæ, fruſtra inſtituiſſet ordinem eccleſiaſticum diſtinctum à politico contra Apoſtolum 1. *ad Corinth* 12. & *ad Epheſ.* 4. ubi D. Paulus recenſens membra eccleſiaſtici corporis nullam mentionem facit Principum ſæcularium, eò quia ſæculares non pertinent ad ordinem eccleſiaſticum, nec debent ſe in rebus eccleſiaſticis, & controverſiis fidei immiſcere, qua ratione in veteri Teſtamento ordo Levitarum, & Sacerdotum erat diſtinctus à politico: hinc cum Principes ſæculares habent dignitatem diſtinctam à dignitate eccleſiaſtica, & ſacerdotali, nullo pacto eorum poteſtas ſe poteſt extendere ad judicandum de controverſiis fidei.

Probatur ulterius ex continua Praxi & perpetuo uſu Eccleſiæ: ſiquidem conſtat in controverſiis fidei, & dubiis circa religionem nunquam fuiſſe vocatos Principes ſæculares ad judicium ferendum, & per ſententiam terminandam controverſiam, ſed vocati ſemper fuerunt Præſides Catholicæ Eccleſiæ, & ſupremus Judex in Eccleſia, qui eſt Romanus Pontifex. Etenim in ipſis naſcentis Eccleſiæ cunabulis in ſuborta illa controverſia, an Moſaicæ cæremoniæ eſſent à Chriſtianis recèns converſis ad fidem obſervandæ, judicium non ad Principes ſæculares delatum fuit, ſed ad Apoſtolos, qui hac ſuper re Concilio Jeroſolymis coacto hanc controverſiam terminarunt aſſiſtentiâ Spiritus Sancti Actorum 10. *Viſum eſt Spiritui Sancto. & nobis.* In controverſia orta, an paſcha celebrandum eſſet cum Judæis in una quinta decima, vel poſt illos ſequenti dominica non fuerunt vocati hujus contro-

versirx Judices Principes fæculares, sed Ecclesiæ præsides, & post plura Concilia statutum fuit à Victore I. Pontifice Romano, anno Christi 198. ut celebraretur pascha die dominico proximè sequenti, ut ex traditione Apostolorum decreverat Pius I. anno 159. & qui huic decreto parere recusaverunt, fuère Hæretici ab Ecclesia habiti, & vocati quartodecimani. Io controversia à Novato excitata, vel ut censet D. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum à Montano, an possent lapsi post baptismum à peccato absolvi, decisio petita fuit à Prælatis Ecclesiasticis, & definitum à Cornelio Papa, in Concilio Romæ celebrato anno 255. posse ac debere post baptismum lapsos absolvi à peccatis. Rursus exorta gravissima difficultate post plures annos in Oriente, & Africa, & tempore Sancti Cypriani agitata, an rebaptizandi essent, qui ab Hæreticis fuissent baptizati, post plura Concilia celebrata in Africa decisum tandem fuit non ab ullo Principe sæculari, sed à Stephano Papa anno 255. non esse baptizatos ab Hæreticis iterum rebaptizandos, dummodo vera baptismi forma fuerit adhibita: quinimo Hæretici habiti sunt, qui in oppositum pertinaciter sentireot. Controversia illa excitata ab Ario de Consubstantialitate Filii, quæ totum fere orbem infecit, decisa tandem fuit non à Principibus politicis, & sæcularibus, sed ab Episcopis Ecclesiæ, qui anno 318. in Concilio Nicæno congregati præsidentibus Legatis nomine Sylvestri. Romani Pontificis, damnarunt ut hæreticam propositionem Arii asserentis, Filium non esse consubstantialem Patri, sed primam, & nobilissimam creaturam. Ad examinandam hæresim Macedonii asserentis, Spiritum Sanctum esse creaturam, non fuit judicium delatum ad Principes sæculares, sed ad Præsules Ecclesiæ, qui congregati usque ad centum, & quinquaginta authoritate Damasii Papæ in Concilio Constantinopolitano anno 381. eam damnârunt. Ad examinandam, & judicandam Pelagii hæresim vocati non fuerunt Principes sæculares, sed Episcopi Ecclesiarum, qui primo in Palæstina, postea Romæ, deinde Carthagine, ac demum in Concilio Milevitano sub Innocentio I. & Zosimo Romanis Pontificibus anno 415. & anno 418. eam damnârunt. Errores Nestorii, & Eutychetis non Principes sæculares, sed Judices Ecclesiastici in Concilio Ephesino primo anno 430. sub Cœlestino I. damnârunt. Ad examinandam, & judicandam hæresim Monothelitarum non fuerunt accersiti Principes sæculares, sed Præsides Ecclesiarum, qui eam damnarunt cum Severino Papa anno 639. Sic in pluribus aliis Conciliis coactis in Italia, Africa, Gallia, Anglia, & etiam à sexta Synodo generali coacta Constantinopoli sub Agathone Papa anno 980. & quamvis in ea Synodo Imperator interfuerit, non tamen ad sententiam examinandam, neque ad suffragium ferendum, ut constat ex responsione ejusdem ad Synodum, in qua testatur Imperator Act. 18. se Patres inviolâle ad examinandas scripturas, Concilia, & statuta majorum, ut juxta illa judicarent, de Cothohca fide intemerata. Ad damnandum errorem Iconomachorum à Leone Hisaulico Imperatore excitatum, & ab ejus filio Copronymo pertinaciter propugnatum accersiti fuerunt non Principes sæculares, sed 350. Episcopi, qui eum in septima Synodo Nicæna præsidentibus Legatis Adriani I. Pontificis perpetuo anathemate damnarunt anno 787. qui etiam declararunt illegitimum Conciliabulum à Copronymo coactum Constantinopoli. Hæresim Berengarii non Principes sæculares, sed Ecclesiastici damnarunt præsidente Leone IX. Pontifice primò in Synodo Romana, & iterum in Vercellensi anno 1050. Hæresim Petri Abailardi non Principes sæculares examinârunt, & judicârunt, sed Præsules Ecclesiastici in Concilio Rhemensi sub Innocentio II. damnata fuit anno 1140. ut etiam error Gilberti Porrethani. Error Abbatis Jochimi non à Principibus sæcularibus, sed ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi generali damnatus fuit anno 1274. Ab Eugenio IV. in Synodo Oecumenica Florentina anno 1439. non à Principibus sæcularibus damnati fuerunt errores Græcorum. Ut etiam à Clemente V. in Concilio generali Viennensi anno 1311. confutati fuerunt errores Beguardorum, & Beguinorum. Errores itidem Joannis Wicleffi & Huss à Martino V. in Concilio Constantiensi rejecti, & damnati fuerunt anno 1418. Tandem ad damnandos errores Lutheri, & Calvini non fuerunt accersiti Principes sæculares, sed Judices vocati fuerunt; Episcopi, & Præsules Ecclesiarum, in Concilio Tridentino inchoato sub Paulo III. & absoluto, ac confirmato post octodecim annos à Pio IV. anno 1564. Et quoties ab initio Ecclesiæ ad nostra usque tempora exortæ fuerunt controversiæ circa fidem ad eas dirimendas non Principes sæculares, sed Præsules Ecclesiastici accersiti semper fuerunt, ut inde inferamus potestatem judicandi de controversiis fidei ad solam pertinere Ecclesiam ex inolita consuetudine, & praxi à tempore Apostolorum, quia Principes sæculares persuasi semper fuerunt ad ipsos non pertinere in rebus spiritualibus, & ecclesiasticis se immiscere, eò quia eorum potestas non se extendat ultra bonum politicum Reipublicæ ad illud servandum, vel promovendum.

Quinimò etiam in veteri Testamento causas pertinentes ad Ecclesiam, & religionem soli Ecclesiastici, & Sacerdotes dirimere poterant, etenim Exodi 18. in dubiis ortis circa legem divinam populus non ad Judicès sæculares, sed ad Moysem recurrebat, legitur enim loco citato: *Venit ad me populus quærens sententiam DEI: cumque acciderit eis aliqua disceptatio veniunt ad me, ut judicem inter eos*, erat enim tunc Moyses summus Pontifex, qui propterea munus judicandi exercebat ex imperio DEI, ut liquet ex eodem capite 18. Neque valet, quòd respondent Sectarii Moysem judicasse non ut Sacerdotem, sed ut Principem sæcularem, siquidem Moyses fuit Sacerdos, ut liquet ex munere offerendi Sacrificia, initiandi Sacerdotes, ac conservandi sacerdotalem supellectilem *Exod cap. 28. & 29.* consequenter non ut Princeps politicus, sed ut Sacerdos ad id fuit à DEO constitutus, ut judicium ferret in dubiis, quæ populo occurrebant circa legem divinam, consequenter non ut Princeps politicus, sed ut Sacerdos ad id fuit à DEO constitutus, ut judicaret circa dubia, quæ populo occurrebant in lege divina. Neque urget, quod respondent Hæretici, populum Judaicum non solum in causa religionis, verum etiam in qualibet alia civili fuisse obligatum accedere ad Sacerdotes, & ab iisdem sententiam requirere in dubiis juris civilis. Nam id non obstat, quia Sacerdotes, ut constat *Ezech. cap. 44.* etiam de causis civilibus, quæ dependebant à lege, poterant judicium ferre, ac causas decidere, & lites dirimere. Sed instant Novatores, quia hoc præceptum adeundi Sacerdotes in dubiis occurrentibus circa religionem, & acquiescendi eorum judicio, non fuit absolutum, sed tantùm conditionatum, si Sacerdotes sententiam dixissent juxta legem. Nam contra est, quia inde sequeretur, non fuisse

bene

bene provisum populo, quia si adhuc potuisset dubitare, an Sacerdos juxta legem judicasset, nec ne, adhuc lites, & controversiae potuissent excitari, & ad quorum votum non fuit sententia pronuntiata, ad alium possent Sacerdotem appellare, & rursus si hic non tulisset sententiam juxta desiderium alterius partis, adhuc potuisset haec ad alium Sacerdotem appellare, & ita in infinitum, ex quo sequeretur, non fuisse à Deo populo illi bene provisum, quod regimini adversatur bene ordinatae Reipublicae. Quamobrem Deus ad haec incommoda removenda, & confusiones compescendas statuit, ut in dubiis populus judicio staret Sacerdotis, & ejus sententiae acquiesceret, nisi manifestè esset contra legem. Praeterea lib. 2. Paral. cap. 10. Josaphat, Rex Juda, constituit in Jerusalem Sacerdotes, qui judicarent causas sacras, & hi distinguebantur à judicibus civilibus, & postquam praecepisset omnibus judicibus, ut nonnisi justas ferrent sententias, subdit: *Amasias autem Sacerdos & Pontifex vester in iis, quae ad Deum pertinent*, (scilicet in causis ecclesiasticis) *praesidebit, porro Zabadias, filius Ismael, qui est Dux in domo Juda, super ea opera erit, quae ad Regis officium pertinent*, ex quo constat manifestè in veteri testamento potestatem judicandi causam religionis pertinuisse tantum ad Sacerdotes, & non ad Principes saeculares, quibus primariò, & directè concredita est cura rerum temporalium, propterea Ecclesia illos ut justitiae Administros, & ut propugnatores jurium ecclesiasticarum, semper in honore habuit, ac speciali aestimatione tanquam *sexaginta illos fortes, qui custodiunt lectulum Salomonis, omnes accincti gladiis propter timores nocturnos, & ad bella fortissimos*, adeo ut ex Apostoli praescripto Principibus non tantum bonis & modestis, sed etiam malis omnis honor, reverentia, & subjectio praestetur in iis, quae ad regimen civilis Reipublicae pertinent, caeterum non possunt Principes saeculares jura ecclesiastica sibi usurpare, id enim esset in alienam messem propriam falcem immittere. Hinc quoties retroactis saeculis aram religionis invaserunt, ac potentiam à DEO acceptam in Ecclesiae perniciem, rerumque sacrarum eversionem exercuerunt, à summo Pontifice id temporis dominicum gregem pascente admoniti priùs, deinde exarmati, & demum ne Christi nocerent ovibus regnis, & principatu spoliati sunt, dicente Apostolo: *Si enim Angelos judicabimus, quantò magis saecularia?* est siquidem Pastoris officium morbidas, ac infectas oves sejungere ab integris, & lupos ovibus vorandis inhiantes non solùm voce, verùm etiam pastorali baculo arcere, & compescere, ne noceant ovibus.

Stat igitur, non pertinere ad Principes saeculares, se immiscere in rebus ecclesiasticis, neque judicare de fidei controversiis, sed hoc judicium esse ferendum ab Ecclesiasticis, imò neque omnibus, adeo ut facultas judicandi in dubiis religionis non pertineat ad unamquamque personam privatam ex interno Spiritus Sancti ductu, ac lumine, quatenus possit unusquisque discernere beneficio talis luminis veram scripturam à falsa, verum sensum à non vero, siquidem in Ecclesia erat necessarius Judex aliquis, cui inesset authoritas & potestas dirimendi controversias, quae oriuntur circa religionem, & res fidei: id enim pertinet ad bene ordinatam Rempublicam, hinc experimur, quamlibet Rempublicam politicam suum sibi eligere Judicem idoneum, qui emergentes lites spectantes ad bonum commune, & ad quietem populi valeat propria authoritate prudenter, & sapienter dirimere: & quia Christus suam ad rectas regulas melioris regiminis instituerit Ecclesiam in terris militantem, recta ratio exigebat, ut in ipsa Judicem aliquem constitueret, qui esset infallibilis authoritatis, & occurrentia dirimeret dubia: hic autem Judex non potest esse privatus uniuscujusque Spiritus, ut censent Sectarii, putantes unumquemque interno Spiritus Sancti ductu ac lumine sufficienter cognoscere ex scripturis, quae ad ipsius salutem necessaria sunt, etenim non dari hoc lumen in Haereticis, est probatu facilè, quia eadem scripturae verba explicant in sensus contradictoriè oppositos, & inde sequeretur, Spiritum Sanctum per lumen internum testificari falsum, cum ex duobus contradictoriis, si unum verum est, necesse sit, aliud esse falsum. Etenim Ariani, & Nestoriani verba illa Christi, *Ego & Pater unum sumus*, explicant secundùm unitatem affectus, & voluntatis, & alii nostri temporis Haeretici secundùm aliam unitatem contradictoriè oppositam unitati ab Arianis, & Nestorianis assignatae. Rursus Sabelliani verba illa scripturae, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, explicant secundùm diversa munia, & officia, & alii Haeretici secundùm realem distinctionem personarum. Anabaptistae verba illa: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*; asserunt tantùm intelligenda de adultis ad excludendos parvulos, quos dicunt incapaces baptismi, è converso Lutherani, & alii communiter Haeretici volunt esse etiam intelligenda de parvulis, unde Anabaptistae asserentes non esse intelligenda de parvulis, contradictoriè opponuntur Lutheranis, & aliis Haereticis, & cum ex duobus contradictoriis, si unum verum est, aliud est necessario falsum, sequitur manifestè, quòd si quisque interno ductu Spiritus Sancti ac lumine dirigeretur, in ordine ad intelligendas scripturas suggereret falsitatem, quod impium & blasphemum est. Praeterea Calvinistae Zvvingliani contendunt, sibi verum Spiritum infundi, & verba illa Christi, *hoc est corpus meum*, in Sacramento Eucharistiae volunt esse intelligenda figuratè, & tropicè, è converso Lutherani censentes verum etiam sibi lumen à Spiritu Sancto infundi, asserunt non tropicè, sed litteraliter esse intelligenda, quamvis non permanenter, & per realem conversionem, sed transeunter, & cum reali permanentia substantiae panis cum corpore Christi: & plures alias habent Haeretici contradictorias oppositiones in explicandis iisdem sacrae scripturae verbis, quamvis singuli eorum censeant, verum sibi infundi Spiritum, quod manifestè deprehenditur falsum, non enim potest Spiritus Sanctus inspirare duo contradictoria simul vera, quin testificetur falsum, cum ex duobus contradictoriis, si unum est verum, aliud sit necessariò falsum, est siquidem naturae lumine evidens, idem secundum idem non potest simul esse, & non esse, consequenter manifestè, & evidenter apparet, non duci unumquemque interno Spiritus Sancti ductu in intelligendis, & explicandis scripturis. Praeterea quia Judex debet certus esse, & omnibus notus, & Spiritus proprius ad summum tantùm ei innotesceret, qui talem Spiritum haberet. Rursus hic modus est omnino alienus à consueto ordine, quo utitur Deus cum suis creaturis intellectualibus, quas non immediatè, & per se ipsum, sed per alias solet instruere, ut etiam in Angelica Hierarchia Angeli inferiores illuminentur per superiores. Demum quia cum sit homo, obnoxius illusionibus ac facilè possit à Daemone decipi, videtur necessarius aliquis Judex sensibilis, qui in sententiis ferendis non posset fallere.

Obji-

Objiciunt tamen Hæretici in oppositum aliquot scripturæ loca, præsertim Jerem. 21. *Dabo legem meam in cordibus eorum, & in corde eorum scribam eam, & non docebit ultra vir proximum suum.* Joan. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt.* 1. ad Cor. 2. *Spiritualis autem judicat omnia, & ipse à nemine judicatur.* 1. ad Thessal. 5. *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Luc. 11. *Pater vester de cælo dabit Spiritum bonum petentibus se.* Joan. in sua Canonica c. 4. *Nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex Deo sint:* & cap. 2. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos sed unctio ejus docet vos de omnibus.* Sed contra ad primum petitum ex Jeremia respondet D. August lib. de Spiritu & litt cap. 24. & 25. verba Jeremiæ tantum significare discrimen inter legem veteris & novi testamenti, eò quia illam in tabulis lapideis, & hanc in cordibus fidelium Deus inscribat per Spiritum vivificantem: ait August. *Ut quod ibi forinsecus terret, hic delectet intrinsecus; ibique fiat prævaricator per occidentem litteram, hic delector per vivificantem Spiritum; & quod ibi forinsecus insonat sensibus, hic intrinsecus incrementum dat diffundendo charitatem in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* Non igitur Jeremias loquitur de Spiritu, cujus lumine possit quisque judicare circa dubia, quæ occurrunt in fide, ac discernere veram scripturam à falsa. Ad ultima Jeremiæ verba: *non docebit vir proximum suum,* respondet Augustinus, esse intelligenda de vita æterna, ubi ut Deum agnoscamus, non indigemus aliorum instructione, quia omnes beati vident ipsum sicuti est. Præterea totus Jeremiæ textus potest commodè intelligi de lege amandi Deum, quam Deus infundit in cordibus Beatorum; ut plures Patres textum illum explicant. Ad secundum desumptum ex Joan. 10. respondetur, Christum ibi non excludere ministros, & vicarios, quos ut pastores dat ovibus, ait enim Jerem. 15. *Et dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia doctrinâ.* Ad tertium petitum ex 1. ad Corinth. respondet D. Hieronymus, virum spiritualem judicare omnia: *Quia judicat vana esse, in quibus carnales homines delectantur, & ipse ita se gerit, ut à nemine judicetur.* In eundem sensum respondet D. Chrysostomus, spiritualem hominem per magisterium superiorum cognoscere, quæ sunt Dei, & carnalem eadem ignorare, adeoque spiritualem à nemine carnali posse judicari. Ad aliud petitum ex epist. ad Thessal. 1. respondetur, Apostolum ibi tantùm velle, ea esse discutienda, quæ à veris, & falsis Prophetis dicuntur: siquidem erant apud Thessalonicenses falsi Prophetæ, à quibus ne primi illi fideles recèns conversi deciperentur; eos Apostolus cautè monet, ut prius examinent, quæ ab ipsis dicuntur, si conformia sint iis, quæ ab ipso per Evangelium acceperunt: deinde non asserit D. Paulus, hoc examen debere fieri ab omnibus; sed ab iis tantùm, qui in Ecclesia Dei authoritatem habent. Ad aliud desumptum ex Luc. 15. & 1. Jacob. respondetur facilè, nos non semper posse esse certos, an infallabiliter ea simus impetraturi, quæ per preces à Deo petimus, quia non semper eas ponimus conditiones, quas oratio, ut grata sit Deo, exigit. Præterea respondet D. Augustinus tract. 202. in Joan. Nos non consequi infallabiliter, quidquid à Deo petimus, etiam si ponantur conditiones requisitæ, sed tantum ea, quæ ad salutem pertinent; & Spiritus interpretandi scripturas non videtur pertinere ad salutem, quia non pertinet ad gratiam gratum facientem: alioquin hæretici, qui scripturas interpretantur, & explicant, salutem consequentur: & plures rudes, & innocentes excluderentur à vita æterna, quia nescientes literaturam hunc Spiritu interpretandi scripturas destituuntur: quod si rudes innocentes æternam consequuntur salutem, talis Spiritus non pertinet ad gratiam gratum facientem; sed potius ad gratiam gratis datam. Ad aliud petitum ex 1. epistol. Canonica D. Joannis respondetur, ibi tantùm velle, quòd fideles debeant sedulò examinare, quæ dicuntur à falsis Prophetis, an conformia sint Evangelio. Ad ult. desumptum ex eod. cap. 2. respondetur, sensum ibi non esse, ut unusquisque interno tantùm Spiritu privato instruatur à Deo; sed tantùm eos monet, ne ab iis instruantur, qui se simulant ex schola Christi, & de facto falsa docent, ut deducitur ex verbis præcedentibus. *Hæc scripsi vobis, de iis, qui seducunt vos.*

C A P U T X.

An Authoritas summi Pontificis in definiendis, & declarandis rebus fidei, in ferendis sententiis & legibus pro tota Ecclesia, & iis statuendis, quæ ad bonos mores pertinent, sive in Concilio, sive extra sit infallibilis, idque sit de fide?

NOn procedit quæstio de Pontifice, ut est privata persona, & Doctor. quia certum est, ut privatum Doctorem esse errori obnoxium; sed quæstio est de Pontifice, ut persona publica, Christi Vicario, & supremo Pastore totius dominici gregis, seu Ecclesiæ universalis, & docente, ac definiente authoritativè ex Cathedra. Tunc dicitur docere ex Cathedra, quando sive in Concilio, sive extra Concilium docet, ut Pater universalis aliquid, quod præmisso prævio examine authenticè proponit toti Ecclesiæ, ut credendum fide divina. Ostendimus *cap.* 9. dari in Ecclesia regulam aliquam infallibilem veritatis, quæ doctrinam credendam fide divina proponat fidelibus; quæque controversias fidei dirimat; id siquidem vel maximè ad DEI providentiam videbatur pertinere: quia cum nemo sit, qui sibi fidere possit in rebus dubiis pertinentibus ad fidem; neque omnes controversias, quæ oriuntur, dirimere; necessarium erat medium aliquod, cujus authoritate hæc omnia superarentur, dubia solverentur, ac controversiæ fidei dirimerentur: alioquin DEUS non satis de mediis necessariis suæ providisset Ecclesiæ; & jubens immobiliter eredi res fidei, impossibilia juberet, quod est absurdum. Quæritur, an hæc regula infallibilis sit in Pontifice? Ostendimus superius Concilium quantumvis generale seorsim à capite esse errori obnoxium, & plures errâsse; neque esse infallibilis authoritatis, nisi ratione capitis, vel confirmationem ejusdem; neque ullam in Pontificem habere potestatem corrigendi, judicandi, recipiendi appellationes, adeo ut à sententia Pontificis docentis ex Cathedra extra Concilium, non detur appellatio ad Concilium generale; ex quo sequitur necessitas asserendi hanc infalli-

infallibilem authoritatem inesse Romano Pontifici docenti ex Cathedra, seu præmissa matura ac seria rei discussione, fusisque ad Deum precibus rem illam ut supremo Pastori dominici gregis proponenti omnibus Christi fidelibus credendam de fide: alioquin nisi hæc infallibilis authoritas inesset Romano Pontifici ita docenti omnia in Ecclesia fluctuarent, nullo judice certo, à quo fidei controversiæ dirimerentur, dubia declararentur.

Unde dicendum primò: Summum Pontificem Romanum ita esse regulam infallibilem veritatis, ut nullo modo errare possit in proponendis rebus fidei, legibusque ferendis pro tota Ecclesia: ita communiter Catholici cum D. Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 10. Idque evincitur ex Sacris Scripturis Deuter. 17. *Si difficile atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter causam, & causam, lepram, & lepram, & judicum intra portas tuas verba videris variare; surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotem Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis qui judicabunt tibi judicii veritatem. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Judicis morietur.* Quæ verba cùm perpendisset Josaphat Rex Sacerdotem alloquens ait Paralip. 2. cap. 19. *Omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum; ubicunque quæstio est de lege, & de mandato, de ceremoniis, de justificationibus ostendite eis, ut non peccent in Dominum; Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* Juvat adnotare, causas legales alias fuisse sacras, & ceremoniales quæ versabantur circa fidem, sacrificia, lepram; & istæ ad Sacerdotale judicium pertinebant. Alias judiciales de homicidio sanguine, aliisque delictis; & hæ causæ dirimendæ relinquebantur magistratui sæculari, qui in singulis civitatibus ad hunc finem instituebatur, ut habetur *Deuter.* 16. *num.* 8. Sin verò lis & controversia adeò erat ambigua, ut ab hoc sæculari magistratu ubique obvio dirimi non posset; tunc Hierosolymam deferebatur, definienda à Concilio Sacerdotum, præsertim à summo Pontifice ex tribu Levi; omnes itidem causæ judiciales ex lege explicabantur interprete summo Pontifice, cui in dubiis non tantùm causæ sacræ, verùm etiam civiles committebantur *Deuter.* 21. *v.* 5. *Ezech.* 44. *v.* 24. & narrat Josephus Hebræus lib. 2. contra Apionem, & Philo lib. 3. de vita Moysis: Semel pronunciata à summo pontifice sententiâ Judex sæcularis eandem exequebatur; & ex hujus decreto, nollentes summo pontifici obtemperare extremo supplicio multabantur, ut explicant Lyranus, Cajetanus, Cornelius, & alii.

Probatur igitur assertum: Vel in lege veteri Summi Sacerdotis sententia erat infallibilis, & irreformabilis: vel erat fallibilis, ut corrigi posset: si primum habemus intentum: non enim privilegium in lege veteri concessum Synagogæ, denegandum est in lege Evangelica Ecclesiæ militanti Christi Sponsæ toto orbe diffusæ; quæ propterea uno ac infallibili Judice magis indigebat, quàm Synagoga coarctata inter angustiores limites. Sin verò auctoritas summi Pontificis in lege veteri dicatur fuisse fallibilis, ac corrigibilis, ab illa debuisset admitti appellatio ad alium Judicem superiorem, cujus sententia fuisset infallibilis; alioquin semper fuisset concedenda appellatio ad alium superiorem Judicem in infinitum. Præterea si detrectantes acquiescere sententiæ summi Sacerdotis mulctabantur extremo judicio; sequitur ejus sententiam fuisse infallibilem, quia non merentur capite plecti, qui in rebus dubiis non acquiescit uni vel alteri parti; consequenter, neque qui in rebus fidei dubiam, & incertam sententiam non admittit; cùm fides debeat omne dubium excludere; unde nonnisi injustè extremo punirentur supplicio nollentes acquiescere sententiæ dubiæ, ac incertæ summi Sacerdotis. Tum quia à sententia dubia, & incerta conceditur appellatio ad Judicem sententiæ certæ, cui partes teneantur acquiescere, ne lites & controversiæ protrahantur in infinitum. Neque obstat si dicas, pontificis sententiam fuisse quidem certam, sed prolatam à pontifice in Concilio, & ex Concilii suffragiis latam, quia Scriptura loc. cit. loquitur de pluribus non de solo summo pontifice; qua de causa Sigonius *lib.* 6 *de Republic. Hebra. cap.* 7. explicat citatum textum de magno Concilio Sanhedrim quod 70. viris sapientibus constabat: unde ex textu non videtur posse deduci sententiam summi Pontificis in veteri lege extra Concilium fuisse authoritatis infallibilis, sed ad summum cum Concilio simul. Sed contra, quia Concilium Sanhedrim non fuit generale, cùm eidem tantum interfuissent septuaginta viri, quorum plures sacerdotio non erant initiati: unde ex hoc loco non potest adduci argumentum in favorem Concilii generalis, quod debet constare ex Patribus omnium provinciarum & aliis ecclesiasticis; adeo ut sæculares non ferant suffragium. Præterea dato etiam quòd Sanhedrim fuerit Concilium generale, huic tamen sententia Pontificis non erat alligata: quia sacra Scriptura de solo summo Pontifice loquitur cùm ait: *Qui autem superbiens noluerit obedire imperio Sacerdotis, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, morte morietur.* Idque causæ fuit cur solus summus Pontifex rationale, & oraculum Urim & Thummim ad pectus gestaret addita inscriptione *Judicium, & veritas*; & solus sine Concilio Sanhedrim oraculum consuleret in controversiis dubiis, rebusque obscuris 1. *Reg.* 23. & 30. Præterea dato etiam quòd in veteri Testamento Synagoga augustis clausa limitibus non expectaret ultimam sententiam à Pontifice Maximo sed à Concilio, adeo ut à sententiis Pontificis ad Concilium daretur appellatio. Non tamen hoc posset de Christi Ecclesia asseri, quia cum toto sit terrarum orbe diffusa, non nisi difficulter, cum pluribus incommodis, ingenti sumptu, & post multum temporis posset Concilium generale convocari: & si quoties hæresis aliqua oriretur; non posset damnari, nec coerceri nisi auctoritate generalis Concilii; prius hæresis per totum propagaretur orbem, quàm Concilium congregaretur; & nimis serò pharmacum morbo pararetur. Ad hæc removenda incommoda voluit Christus soli Petro concedere regimen suarum ovium, ut plures hæreses sine Concilio possent statim ab Ecclesia radicitus evelli, antequam virus ulterius serperet, pluresque inficeret oves; & qui Pontifici docenti ex Cathedra non acquiesceret, habendus esset pro hæretico, ut docet D. Augustinus epist. 162. & in Psal. contra partem Donati.

Probatur secundò quia Romano Pontifici in definiendis rebus fidei debet eadem inesse authoritas, quæ fuit in D. Petro instituto à Christo pastore suarum ovium: sed authoritas D. Petri in proponendis rebus fidei fuit omninò infallibilis: ergo etiam cuilibet Romano Pontifici canonicè electo, ut vero D. Petri successori inest eadem authoritas infalli-

fallibilis. Major constat, quia D. Petrus non habuit infallibilem authoritatem definiendi res fidei, ut fuit privata Persona, sed ut Christi Vicarius, ut publicus universalis Ecclesiæ Pastor Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* ideo Petrus accepit à Christo hanc auctoritatem, ut esset in bonum, & utilitatem Ecclesiæ universalis; ut clarè significant verba illa Christi: *ædificabo Ecclesiam meam*; consequenter ut continuandam in successoribus canonicè electis, ac Petri successoribus pro toto eo tempore, quo erat Ecclesia perseveratura, & quia D. Petrus erat brevi moriturus, & Ecclesia usque ad consummationem sæculi seu ad finem mundi perseveratura, ne daretur ædificium sine fundamento; debuit hoc fundamentum seu dignitas Pontificia transire in Petri successores, quibus inesset eadem authoritas in definiendis rebus fidei, quæ fuit à Christo D. Petro collata, proinde si Petri authoritas fuit infallibilis; etiam Romani Pontificis authoritas debuit in definiendis rebus fidei esse infallibilis: quia quilibet D. Petri successor est pastor totius dominici gregis, & illi convenit eadem authoritas ut possit oves pascere. Christus enim dixit Petro indefinitè: *Pasce oves meas:* sed nos etiam sumus oves Christi de quibus Christus loquebatur; & cum Petrus corporali præsentia, & visibiliter nos non pascat; ut verificentur verba Christi, debet nos pascere aliquis, qui succedat Petro in officio supremi Pastoris totius dominici gregis, & cui insit eadem authoritas infallibilis quam Christus dedit Petro ut continuandam in Successoribus. Minor scilicet authoritatem Petri fuisse omninò infallibilem, constat ex iis omnibus promissionibus quæ à Christo fuerunt factæ Petro ut supremo dominici ovilis Pastori, omnes enim factæ fuerunt Petro soli ut futuro Ecclesiæ pastori, proinde etiam successoribus fungentibus eodem officio primarii Pastoris in Ecclesia universali Matth. 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris super terram erit solutum & in cœlis.* Hinc

Tertia ratio eruta ex sacris Scripturis desumitur ex verbis Christi Luc. 22. ubi Christus ait, se rogasse æternum patrem pro Petro, ejusque Successoribus in officio supremi pastoris dominici gregis, seu in dignitate Pontificia, ne unquam illorum fides deficeret: *Simon Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Certum est, Christum hæc verba ad solum Petrum direxisse; quamvis Sathan omnes Apostolos expetiverit, non tamen dixit Christus: *Ego pro vobis rogavi*; sed *pro te* innuens se privilegium aliquid speciale Petro impetrasse; neque Petro tantùm, sed illius etiam successoribus: sicut enim Ecclesia semper impetitura à Sathana, ac pluribus pulsatur tentationibus, ita indiget semper, & quovis tempore confirmari: sicut enim ex communi Sanctorum Patrum sententia reliquæ promissiones factæ Petro transeunt ad successores canonicè electos, ita etiam ista: neque aliter Concilia, & Patres hunc textum intellexerunt; ut non vacet temeritate aliter verba Christi intelligere: quamvis Christus pro perseverantia Petri in gratia, & pro ipsa Ecclesia oraverit; specialiter tamen pro Petro, ejusque successoribus ne deficerent in fide; quo pacto aliquod speciale privilegium impetravit Petro, & ejus successoribus, ut explicat sexta Synodus universalis Constantinupolitana, & ex SS. Patribus S. Augustinus *lib. de corrept. & gratia c.* 18. Sanctus Chrysostomus *homil.* 83. *in Matth.* S. Leo *serm.* 3. *de assumpt. sua ad Pontif.* Sanctus Bernardus *epist.* 190. *ad Innoc.* & reliqui SS. Patres: Quòd si sententia Romani Pontificis docentis è Cathedra non foret infallibilis, esset errori obnoxia, possetque falsa esse, consequenter ejus fides posset deficere: consequenter non esset verum quod Christus rogaverit pro supremo Pastore dominici ovilis, ne in pascendis ovibus ejus fides deficeret. Si dicas hoc privilegium fuisse à Christo tantùm concessum Petro, non verò ejus successoribus etiam canonicè electis. Contra est, quia hæc responsio est temeraria utpote contra explicationem Sanctorum Patrum, qui hanc promissionem explicant non Petro tantùm factam, sed ejus Sedi, ac pontificiæ dignitati; quæ cùm transeat in successores canonicè electos, etiam ipsis nomine Petri facta fuit promissio. Idque colligitur ex ipsis Christi verbis, qui hoc donum perpetuæ, ac indefectibilis fidei contulit Petro in utilitatem Ecclesiæ, cùm jussit statim Petrum suos confirmare fratres, seu Ecclesiam: Sed Ecclesia perseveravit post obitum D. Petri, & perseverabit usque ad finem mundi, & quia post gloriosum Petri martyrium pluribus fuit persecutionibus pulsata; & plures quovis tempore exortæ hæreses, magis indiguit à supremo Pastore confirmari, firmiusque stabiliri in fide contra persecutiones, & hæreses: sin autem hoc privilegium non transivisset ad successores Petri; post Petri obitum non fuisset amplius à quo Ecclesia confirmaretur, quæ propterea millies jam tota defecisset. Si respondeas, promissionem factam Petro principaliter dirigi in Ecclesiam repræsentatam per Concilium generale. Contra est, quia verba Christi adeo sunt clara, ut non possint in Ecclesiam repræsentatam per Concilium generale distorqueri: dixit iteratò: *Simon Simon* ut significaret, se ad solum Petrum loqui, postea subdit: *Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua*, non dixit rogavi pro Ecclesia repræsentata per Concilium generale, sed pro te in secunda persona, quia alloquebatur solum Simonem Petrum, non Concilium generale, cujus nulla fit mentio. Quòd si dicas hoc privilegium à Christo concessum Petro & ejus successoribus canonicè electis, mediatè fuisse etiam collatum Ecclesiæ repræsentatæ per Concilium generale id non inficior, si Concilium suum includat Caput à quo totum influxum accipit, & sine quo sua destitueretur infallibilitate, quia ut superius ostendimus Concilium quantumvis generale sine capite, seu nisi influxum accipiat à summo Pontifice à quo congregetur, approbetur, & confirmetur, est errori obnoxium: quidquid enim boni natura capiti concessit, illud totum in bonum & directionem corporis tedundat, ita privilegium à Christo concessum capiti in utilitatem redundat totius corporis Ecclesiæ. Dices ex verbis Christi Luc. 22. non haberi Romanum Pontificem extra Concilium generale docentem ex Cathedra esse infallibilem. Contra est, quia cùm Christus nec unum proferat de Concilio verbulum, multò minus Petri & ejus successoris infallibilitatem illi alligat; si Christus Concilii non meminit quomodo eidem adstringit Pontificis infallibilitatem? Præterea Christus Matth. 16. ait soli Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram* (seu dignitatem pontificiam, ac officium supremi pastoris, ut explicant SS. Patres) *ædificabo Ecclesiam meam*: dignitas autem Pontificia & officium supremi pastoris transit in Suc-

Successores in quibus perseverat; manet itidem Ecclesia, & manebit usque ad consummationem sæculi: ergo manet etiam ejus fundamentum, ac authoritas infallibilis pontificis Romani, ne ædificium Ecclesiæ sit sine fundamento: & oves sine pastore, Joan, ult. *Petre amat me? Pasce oves meas.* Si igitur Petrus, & ejus in dignitate pontificia successor est fidei petra, oportet illum publicè & ex Cathedra docentem Ecclesiam, non posse concuti in fide, nec minus frangi, alioquin non esset petra, sed argilla, aut vitrum, neque fuisset Petro speciale privilegium à Christo concessum.

Si asseras Petrum repræsentâsse Ecclesiam, consequenter hanc promissionem non tam Petro, quàm Ecclesiæ factam esse, id non inficior, si firmitas, & constantia fidei promissa Petro intelligatur in Ecclesiam redundare, quia tota Ecclesia unà cum capite non est errori obnoxia: sicut Concilium quantumvis generale sine capite seu sine approbatione, & confirmatione Romani Pontificis est fallibile, & pluries erravit ut constat ex præcedentibus; ita unà cum Pontifice approbante, & confirmante non est errori obnoxium: sicut soliditas fundamenti, est soliditas ædificii; ita infallibilitas Romani Pontificis docentis ex Cathedra est infallibilitas Ecclesiæ: Sicut caput totum hominem repræsentat; ita summus Pontifex totam Ecclesiam orbe toto diffusam; in cujus rei figuram in veteri testamento summus Sacerdos totum terrarum orbem vesti Pontificiæ descriptum gestare consueverat Sapient. 18. *In veste Poderis totus erat orbis terrarum.* Et tempora Salomonis Regis, præter gemmas splendentes in rationali summi Sacerdotis coruscabat etiam adamas binis cinctus smaragdis ut in firmitate adamantis firmitas in fide, ac infallibilitas præsignaretur summi Sacerdotis. Cæterum Petrus non ita dicitur Ecclesiam repræsentasse, ut infallibilitas fidei ad Ecclesiam pertineat sine capite; id enim apertè repugnat Evangelio; in quo clarius meridiano jubare constat, Christum non ad Ecclesiam, neque Concilium loqui, sed ad Petrum, ejusque in Ecclesia pro tempore successorem canonicè electum. Voluit Christus Petrum ob ejus amorem à reliquis distinguere Apostolis Joan. ult. *Petre amas me?* & cum exploratus ei esset illius amor, illi injunxit officium supremi Pastoris totius dominici gregis: *pasce oves meas*, fuit hæc dignitas, & authoritas infallibilis præmium amoris, neque ullam mentionem facit Concilii repræsentantis Ecclesiam. Respondent Sectarii per petram non intelligi dignitatem Pontificiam, cui sit adnexa auctoritas infallibilis; sed Ecclesiam: sed contra hæc enim explicatio est cæteris absurdior: Sensus enim esset: Tu es Petrus & super hanc Ecclesiam ædificabo Ecclesiam meam: quo pacto Ecclesia fundaretur super Ecclesiam; domus super domum: vel essent duæ Ecclesiæ, quarum una esset fundamentum alterius; vel Petrus ut Pontifex est fundamentum Ecclesiæ.

Alia ratio itidem est, quia si summus Pontifex in proponendis rebus fidei, & morum erraret, posset tota universalis Ecclesia in errorem contra fidem, & doctrinam Christi induci: siquidem Ecclesia, & fideles omnes ut membra tenentur obedire capiti seu summo Pontifici, & ut oves adhærere suo pastori, & illum sequi, proinde si summus pastor, seu Pontifex falsum aliquid contra fidem posset proponere credendum, tota Ecclesia induceretur in errorem, atqui repugnat posse totam Ecclesiam errare, & in errorem induci, cùm Christus Matth. 16. promiserit, quòd *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, & D. Paulus 1. ad Timoth. 3. scribat: *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis.* Sin autem esset errori obnoxia non esset columna, quæ staret, & fulciret veritatem, quia ipsa caderet in errorem dilapsa, si igitur repugnat Ecclesiam universalem posse in errorem induci, eò quòd portæ inferi non sint prævalituræ adversus eam, & ipsa sit columna veritatis, perinde ac est impossibile posse DEUM testificari falsum, sequitur manifestè authoritatem pontificis Romani esse omnino infallibilem, & non posse errare in proponendis rebus fidei. Firmatur ex eo potest, quia eo ipso quòd summus Pontifex credendam proponit fidelibus veritatem aliquam, tenentur fideles eam credere; alioquin non haberet Pontifex potestatem efficacem gubernandi Ecclesiam militantem in terris: sed nequit Ecclesia obligari, ut assentiatur propositioni falsæ, alioquin tota universalis Ecclesia posset in errorem induci contra Christi promissionem asserentia spiritum veritatis fore semper in Ecclesia mansurum: Ergo neque potest pontifex in rebus fidei errare, & sequitur ejus auctoritatem esse omninò infallibilem. Hinc Cyprianus lib. 1. epist. 3. ad Cornel. scribit: *Petri Cathedram esse Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, atque eos esse Romanos quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum:* Et Petrus Chrysologus ad Eutychium ait: *Hortamur te frater, ut his quæ à Beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam Beatus Petrus, qui in propria vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem*, hoc idem etiam docent reliqui Sancti Patres S. Irenæus lib. 3. cap. 3. adversus hæreses ait: *Quoniam igitur valde longum esset omnium hinc Ecclesiarum enumerâsse successiones maximæ, & antiquissimæ, & ab omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo fundatæ Ecclesiæ eam, quam habet ab Apostolis, & annuntiatam omnibus fidem per successiones Episcoporum ad nos usque pervenientem judicantes confundimus omnes, qui quoquo modo vel per sui placentiam, vel vanam gloriam vel per cæcitatem & sententiam malam præter quam oportet, colligunt, ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est qui sunt ubique fideles, in qua ab his, qui sunt undique conservata est ea, quæ ab Apostolis traditio.* Est dignum observatu, quòd Irenæus dicat oportere omnem Ecclesiam in rebus fidei cum Ecclesia & Sede Romana convenire, per fidem, & doctrinam successorum Petri confundi omnes hæreticos; & tandem in hac Sede semper conservatam fuisse Apostolicam Fidem, & traditionem; quæ omnia satis apertè infallibilitatem inferunt Romanæ Cathedræ. S. Ambrosius orat. funeb. de excessu fratris sui Satyri ait: *Advocavit ad se Satyrus Episcopum, nec ullam veram putavit nisi veræ fidei gratiam, percunctatusque est ex eo utrumnam cum Episcopis Catholicis hoc est cum Romana Ecclesia conveniret.* Sanctus Augustinus epist. 157. *In verbis Apostolicæ Sedis tam antiqua atque fundata, certa & clara est Catholica Fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano*, & lib. 2. cap. 3. contra duas Epistolas Pelagianorum ait: *Per Papæ rescriptum causa Pelagianor. finita est, totoque orbe post ejus damnationem damnati sunt ac litteris Innocentii tota de hac re dubitatio sublata est.* Sanctus Hieronymus epist.

57. ad Damasum Papam scribit : *Ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ id est Cathedræ Petri communione consocior , super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit , profanus est. Si quis in Arca Noe non fuerit , peribit regnante diluvio. Et quia pro meis facinoribus ad eam solitudinem commigravi , quæ Syriam juncto barbariæ fine disterminat , nec possum Sanctum Domini interjacentibus spatiis à sanctimonia tua semper expetere , ideo hic collegas tuos , & ipsius confessores sequor , & sub onerariis navibus parva navicula delitesco , non novi Vitalem , vel etiam respuo , ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit , spargit , hoc est , qui Christi non est , Anti-Christi est.* Et contra Ruffinum lib. 3. cap. 5. *Et tamen miror , quomodo probaverit Italia , quod Roma contempsit , Episcopi susceperint , quod Sedes Apostolica condemnavit.* Et cap. 6. *Innocentem te vocas ad cujus interpretationem Roma contremuit , absentem , qui accusatus respondere non audes , & tantum Romanæ Urbis judicium fugis , ut magis obsidionem barbaricam , quàm pacatæ urbis velis sententiam sustinere.* Theodoretus Epist. ad Leonem Papam scribit : *Est enim ipsa Sedes Romana amplissima splendidissima , & orbi præsidet. Præterea ipsa principatum Imperatorium profudit , ac nomen suum , id est Romanum etiam iis , qui in ditione ejus sunt , communicavit. Fides verò præcipuè eam ornat. testis est Paulus , qui clarissima voce ait: Fides vestra annunciatur in universo mundo &c.* Et nonnullis interjectis subdit : *Ego verò suffragium Sedis Apostolicæ expecto , & supplex oro , atque obsecro sanctitatem vestram , ut me tribunal vestrum justum & rectum appellantem defendat , ac protegat , jubeatque ut ad vos accurram , & doctrinam meam vestigiis Apostolicis insistentem ostendam ; vestram sententiam expecto : quòd si sententia eorum , qui condemnarunt acquiescere jusseritis acquiescam nulli deinceps futurus molestus , quin potius expectabo incorruptum DEI , & Salvatoris nostri tribunal.* Tertullianus de præscript. ait : *Inde à Romana Sede authoritas præsto est , hæc enim felix Ecclesia est , cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Sanctus Fulgentius lib. de Incarnat. Verbi , & gratia ac liber. arbitr. ait : *Id enim , quòd duorum Magnorum luminarium Petri scilicet Paulique verbis tanquam splendentibus radiis illustrata eorumque decorata corporibus , Romana quæ caput mundi est , tenet , & docet Ecclesia ; totus cum ea Christianus orbis & ad justitiam nihil hæsitans credit , & ad salutem non dubitat confiteri.* Sanctus Gregorius Magnus lib. 4. Epist. 52. *Si quam verò contentionem , quod longè faciat divina potentia , de fidei causa evenire contigerit , aut negotium emerserit , cujus vehemens sit fortasse dubietas & pro sui magnitudine , judicio Sedis Apostolicæ indigeat ; examinata diligentius veritate relatione sua ad nostram perducere studeat cognitionem quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari.* Sanctus Theodorus Studita Epist. ad Paschalem Papam scribit : *Audi , Apostolicum Caput Pastor ovium Christi à Deo electe , claviger cœli regnorum , petra fidei , super quam ædificata est Ecclesia Catholica &c. huc adest , ab Occidente exurge , & ne repellas in finem. Tibi namque dixit Christus DEUS noster : Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Sanctus Bernardus Epist. 190. ad Innocentium Papam scribit : *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque , & scandala emergentia in Regno DEI : ea præsertim , quæ de fide contingunt , dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei , ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est : Ego pro te rogavi Petre , ut non deficiat fides tua. Ergo quod sequitur à Petri successore exigitur : & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Id quidem modo necessarium , tempus est , ut vestrum agnoscatis , Pater amantissime principatum , probetis zelum , ministerium honoretis. In ea planè Petri impletis vicem , cujus tenetis & sedem , si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis : si vestra authoritate conteritis fidei corruptos.* Sanctus Bernardinus Senensis part. 3. sermone 3. ait : *Cùm Papa sit Christi Vicarius , & gerat vicem Dei in terris , sequitur quod habet plenitudinem potestatis , & illud , quod facit , præsumitur facere authoritate DEI. Ideo ipse approbante aliquid , & nos approbare debemus , imò ipsius sententia est magis standum , quàm totius mundi sententia.* Sancti igitur Patres cùm novissent authoritatem infallibilem Sedis Apostolicæ Romanique Pontificis statim ejus sententiæ acquieverunt , cui ut indubitatæ veritati adhæserunt : Hinc Augustinus hæresin Pelagianam toties victam , toties pugnæ restitutam , tunc demum profligatam omnino esse , ac deletam , dicit , ubi Pontifex se prælio miscuit , eamque truncatam voluit. Sanctus Athanasius , & Patres Africani hanc eandem Apostolicam Sedem adeo erroris expertem asserunt ut ab illa dogmata fidei majores sui perinde ac lac suxerint tanquam à matre sinceræ doctrinæ. S. Cyrillus non prius ausus fuit Nestorium hæreticis accensere , quàm à Cœlestino Papa damnatum viderit ; & Sanctus Cyprianus ingenuè fatetur non posse perfidiam accessum habere ad Petri Cathedram. Et Sanctus Fulgentius , quæ à Pontifice Romano decernuntur asserit certissima esse , ut quod ille tenet , & docet , totus Christianus orbis nihil hæsitans teneatur credere. Sanctus Agatho & cum illo Patres sextæ Synodi Oecumenicæ asserunt , nullum omnino errorem , nullamque hæresin Petri Cathedram insedisse , nec unquam deinceps futurum , ut Petri Successores pro quibus tam seriò Christus oravit à vera fide deficiant,

Quòd si dicas Patres non clarè loqui de authoritate infallibili summi Pontificis ; contra est , quia ipsi non possunt clarius loqui , an non clarum est illud Fulgentii? *Quòd Romana , quæ mundi cacumen est , tenet , & docet Ecclesia , totus cum ea Christianus orbis nihil hæsitans credit ,* & illud Augustini: *Quid potuit vir ille S. Innocentius Papa Africanis respondere Conciliis ; nisi quod antiquitus Apostolica Sedes & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia.* Et illud Hieronymi : *Ego beatitudini tuæ , hoc est Cathedræ Petri communione consocior , quicunque extra hanc domum agnum comederit , profanus est , quicunque tecum non colligit spargit , apud vos solos incorrupta Patrum servatur hæreditas.* Et illud Agathonis Papæ , sextæque Synodi : *Sedes Romana à tramite Apostolicæ traditionis nunquam erravit , & in ea vera fidei lumen nullâ Hæreticis erroris nec falsitatis nebula fuit confusdata , sed illibata sincerius permanet juxtà pollicitationem Petro factam : pro te rogavi , ut non deficiat fides &c.* Episcopi Dardaniæ ad Gelasium Papam , *desiderii enim & voti nostri est jussionibus vestris in omnibus obedire , & quemadmodum à Patri-*

huc

bus nostris accepimus, Sedi Apostolicæ, quæ vna & meritis vestris delata est, intemerata servare, atque religionem orthodoxam, cujus estis Prædicatores, fide, & inculpata devotione, prout rusticitatis sensus patitur, custodire &c. Si qui forsè prava intentione (quod neque arbitramur, neque optamus) à Sede Apostolica se crediderint segregandos, ab eorum nos alienos esse consortio profitemur: quoniam, ut dictum est, Patrum in omnibus custodientes præcepta, & inviolabilia sanctorum Canonum instituta sectantes Apostolica, & singulari illi sedi vestra communi fide & devotione parere contendimus.

Dicendum est secundò non posse summum Pontificem errare in ferendis legibus pro tota Ecclesia: Ratio est, quia cum certum sit non posse Pontificem errare in pascendis ovibus, & oves pascantur non solùm doctrina fidei, sed etiam legibus, & statutis in ordine ad mores informandos, ac dirigendos ad assecutionem æternæ salutis, sequitur non posse Pontificem in ferendis legibus pro tota Ecclesia errare. Præterea quia de fide est non posse in Ecclesia deficere Spiritum veritatis: sed si Pontifex præciperet observari, quæ adversantur legi divinæ, utique deficeret in Ecclesia Spiritus veritatis, quia per errorem Pontificis induceretur falsitas veritati opposita, ergo non potest Pontifex in suis institutis ac legibus sanciendis pro tota Ecclesia errare. Quòd si dicas talem errorem non videri damno esse Ecclesiæ, quia fideles eum amplectendo non peccarent. Tum quia Petro, & ejus successoribus promissa duntaxat fuit firmitas fidei non verò morum honestas, ergo tametsi non possit errare in fide, potest tamen circa morum honestatem, quæ non pertinet ad fidem, sed tantùm ad rectè regulandas humanas actiones. Contra est, quia quamvis fideles obedientes pravis institutis à Pontifice emanatis non peccarent adhuc perniciosio errore inficeretur Ecclesia, in qua tamen Christus promisit permansurum semper Spiritum veritatis, qua promissione stante tenetur Christus eam liberare ab omni errore veritati opposito, ergo etiam morum honestatem. Præterea quia quando Christus promisit Petro ejus fidem non defecturam ei etiam & suis successoribus pro tempore existentibus injunxit, ut salubri doctrina rectisque morum institutis, ac legibus suas pascerent oves.

Dicendum tertiò hanc infallibilem authoritatem Summi Pontificis in proponendis rebus fidei esse objectum fidei divinæ, ratio id suadens est, quia quoties in propositione aliqua explicitè revelata continetur alia implicitè, hæc implicitè contenta perinde est de fide, ac explicita, in qua continetur, non quidem ut deducta per discursum, sed ut explicata. Sed in hac propositione explicitè revelata divus Petrus habet infallibilem authoritatem in proponendis rebus fidei continetur hæc alia implicitè, quilibet legitimus Petri successor habet infallibilem authoritatem in proponendis rebus fidei, ergo hæc secunda propositio, non ut deducta, sed ut explicata pertinet ad eandem, ad quam pertinet prima propositio explicitè revelata. Major constat ex omnibus promissionibus à Christo factis Petro, ut Pastori Ecclesiæ universalis. Minor etiam liquet ex fine, propter quem Christus talem authoritatem contulit Petro, scilicet ut eam perpetuaret in Ecclesia, in cujus utilitatem collata fuit authoritas illa Petro ejusque successoribus.

Objiciunt tamen Sectarii plures Pontifices, qui visi sunt à fide defecisse, ac erràsse. Dicunt enim errâsse Zepherinum, eò quia approbaverit Montani hæresin, ut refert Tertullianus contra Praxeam. Secundò objiciunt Liberium, qui ut referunt Athanasius, & Hieronymus tædio pertæsus exilii Arianæ hæresi subscripsit. Rursus etiam Felicem II. quem divus Hieronymus vocat Arianum in Cathol. Eccles. script. Tertiò Leonem I. qui epistola 79. ad Nic. excusat à culpa illas mulieres, quæ censentes proprios maritos in captivitate detentos nunquam reversuros aliis nupserunt: quinimò tametsi earum viri redierint, posse cum secundo marito eas manere, si prior noluerit amplius suam uxorem habere. Quartò Gelasium lib. contra Eutych. ubi docuit in sacramento Eucharistiæ unà cum corpore Christi perseverare veram panis substantiam, quæ est hæresis nunc Lutheranorum. Quintò Anastasium Papam, qui communicavit cum Photino Diacono Thessalonicensi communicante cum Achatio Hæretico propter quod crimen dicitur à DEO punitus. Sextò Vigilium Pontificem, qui referente Liberato epistolam scripsit ad Theodoram Augustam, in qua Monothelitarum hæresin confirmat, & Honorium Primum, qui ut Monothelita damnatus fuit in sexta Synodo, & à pluribus Romanis Pontificibus. Septimò Gregorium III. qui concessit, ut posset vir aliam uxorem ducere, si propter aliquam infirmitatem non possit conjugale debitum reddere, quod etiam concesserat Gregorius I. Anglia recens ad fidem conversis. Octavò Stephanum VI. & Sergium III. qui irritaverunt omnia acta Formosi prædecessoris: & Joannem IX. qui irritavit acta Stephani VI. & Sergii III. & approbavit acta Formosi, consequenter necessariò erravit, & falsum dixit. Nonò Cælestinum III. qui docuit matrimonium altero conjuge in hæresin dilapso dissolvi, cùm tamen oppositum definitum sit sub anathemate in Tridentino sess. 24. can. 5. *Si quis dixerit propter hæresim dissolvi posse matrimonii vinculum anathema sit.* Decimò tandem Joannem XXII. qui docuit animas Sanctorum ante diem judicii non esse DEUM visuras in Patria, cujus oppositum definitum fuit in Concilio Florentino in decreto Eugenii IV. his verbis. *Illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam vel in suis corporibus prout supra dictum est, sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum DEUM trinum & unum sicuti est.* Ob similes errores, non defuerunt, qui putaverint Pontificem extra Concilium generale etiam ut Pastorem universalem posse errare.

Sed contra ad primum de Zepherino quod attinet, respondetur non esse certum Zepherinum approbâsse Montani errorem, plures enim gravissimi Authores id negant; & solus Tertullianus cum alio quodam Rhenano, qui in eundem erant errore, hoc asserunt, quamobrem non plus roboris habet authoritas hæc, quàm haberet alia alterius privatæ personæ. Sed dato etiam & non concessò quòd Zepherinus approbaverit hæresin Montani, non tamen inde sequitur errâsse in proponendis universali Ecclesiæ rebus fidei, cum talem errorem nunquam proposuerit Ecclesiæ, unde ad summum tantùm posset inferri, ut privatum Doctorem, ac privatam personam approbasse hæresin Montani. Ad secundum de Liberio, qui pertæsus exilii dici-

 tur

tur subscripsisse Arianorum hæresi, respondetur id præstitisse tantum ut privatam personam ad se eximendum ab exilii pœna, nunquam tamen legitur id docuisse ex cathedra, nec fidelibus proposuisse hæresin Arianorum: quamobrem tantum extrinseco signo, & ut privata persona ex metu pœnæ assensum præstitit, quod etiam Marcellinus fecit, cum falsis diis thus obtulit, quòd verò de Felice II. dicitur, manifestè probat Bellarminus lib. 4. de Roman. Pontif. Eum nunquam Arianum fuisse, tametsi cum Arianis communicaverit eo tempore, quo adhuc in exilio vivente Liberio verus Pontifex non erat. Cæterum cum primum esse caput verus Pontifex non solum à communione Arianorum abstinuit, verùm etiam Constantium Imperatorem ut Hæreticum damnavit, ut ex antiquis monumentis probat Bellarminus. Ad tertium respondetur Leonem I. in cit. epist. tantùm asserere potuisse eam mulierem alteri viro nubere, ex suppositione, quòd existimaverit priorem maritum mortuum. Cæterum revertente priori marito, expressè ait teneri conjugem primo marito adhærere relicto posteriore. Ad quartum respondet Bellarminus lib. 4. cap. 10. librum illum non fuisse Gelasii, sed Genadii, qui talem librum direxit ad Gelasium Papam. Ad quintum Anastasium communicâsse cum Photino Diacono Thessalonicensi communicante cum Achatio; non tamen ut Pontificem docuisse ex cathedra talem errorem; quia imo potuit ut privata persona communicare cum hæretico, & ejus hæresim non approbare. Ad sextum, quòd tametsi Vigilius erraverit scribens epistolam illam ad Theodoram Augustam, si verum est, quod narrat Liberatus; non tamen illam scripsit, ut Pontifex obligando fideles, ut adhærescent hæresi Monothelitarum; quia scripsit illam epistolam tempore schismatis, quando fuit Anti-Papa. Opera enim Bellizarii ex mandato Theodoræ expulsus à Sede Apostolica Sylverius verus Pontifex ac in exilium missus fuit; & intrusus Vigilius, qui ut rem gratam præstaret Imperatrici, ei statim scripsit præfatam epistolam ante obitum Sylverii, proinde tempore schismatis, quando nondum erat verus Papa: cæterum defuncto Sylverio; & cum primum ut legitimus Papa cæpit docere ex cathedra ut legitimus Petri successor nullum docuit errorem: quin imò ut refert Platina ex mandato Theodoræ Romæ captus, & Constantinopolim ductus, tantùm abest, ut petitioni Imperatricis adhæserit, ut eam cum reliquis omnibus hæreticis excommunicaverit. Ad aliud de Honorio I. respondet Bellarminus loc. cit. cap. 11. illum non errâsse. Præterea etiam si consensisset in errorem Monothelitarum, non tamen ut Pontifex in illum consensit, nec illum ex cathedra docuit, demum ut notat Bellarminus, non negavit Honorius duas operationes in Christo; sed tantùm nomina duarum operationum; ne novitas vocabulorum scandalo esset fidelibus. Ad septimum falsum esse Gregorium I. concessisse Anglis ob quamcumque infirmitatem posse uxorem dimitti; sed tantum propter illam infirmitatem, quæ reddit naturaliter conjugem impotentem ad reddendum debitum conjugale. Gregorius I. tantùm concessit Anglis recens ad fidem conversis ut contrahentes in quarto gradu consanguinitatis non deberent separari, in quo impedimento potest Papa dispensare; quia est impedimentum juris positivi ecclesiastici. Ad octavum, respondetur Stephanum VI. & Sergium III. non errasse in quæstione juris, sed tantùm facti, de quo dubium non est, quia possit Pontifex errare; sed hoc non impugnat nostrum assertum. Ad nonum Cælestinum III. nihil de tali solutione matrimonii statuisse; sed tantum ut privatum doctorem suam indicâsse sententiam, ut solent Pontifices in privatis colloquiis suas significare opiniones contrarias plerumque pluribus aliis doctoribus, quas tamen opiniones non docent Ecclesiam, neque docent ex cathedra; Sed sunt opiniones privati doctoris, quæ ab aliis citra periculum errandi in fide impugnantur, ut sunt opiniones Hadriani VI. qui cum prius fuisset publicus Lovanii sacræ Theologiæ Professor, etiam electus Pontifex illas propugnavit, ut privatus doctor, & ab aliis impugnantur. Ad decimum Joannis XXII. Licèt ut doctor privatus censuerit animas Sanctorum ante diem judicii non esse visuras intuitivè Dei essentiam, ut colligitur ex extravag. quæ incipit *Benedictus Deus*, quam refert Alphonsus de castro lib. 4. adversus hæreses verbo *Beatitudo hæres.* 6. circa finem: non tamen id docuit ex cathedra ut Pontifex, nec proponit fidelibus credendum: quia cum hanc quæstionem examinandam dedisset Cardinalibus in ordine ad illam proponendam fidelibus morte præventus est, ut refert Benedictus XII. qui fuerat unus ex examinatoribus, qui postea assumptus ad pontificatum definivit; Animas hinc demigrantes sine peccato ullo purgando, statim videre intuitivè Deum.

CAPUT XI

An Authoritas infallibilis Papæ in definiendis rebus fidei sit supra, & extra Concilium generale.

Constat ex præcedentibus Romanum Pontificem docentem ex cathedra habere authoritatem omnino infallibilem in definiendis rebus fidei, superest resolvenda gravior difficultas, quæ hisce temporibus in Ecclesia ab aliquibus solet quandoque excitari; an Pontifex hanc habeat infallibilem authoritatem sine Concilio, & supra Concilium, adeò ut independenter à Concilio generali possit Romanus Pontifex docere ut Pontifex ex cathedra, ac definire res fidei authoritativè: vel ad hujusmodi definitiones debeat præcedere Concilium generale.

Dicendum est primò Romanum Pontificem canonicè electum etiam extra Concilium generale habere authoritatem omninò infallibilem in proponendis ex cathedra rebus fidei. Est sententia communis, ac constans omnium catholicorum paucis exceptis, qui ob Concilium Constantiense & Basileense audent asserere Pontificem non nisi cum Concilio generali habere authoritatem infallibilem: quin imò non defuerunt, qui ob præfata Concilia putaverint, Pontificem ita non nisi cum Concilio habe-

habere authoritatem infallibilem; ut hæc primariò sit in Concilio generali repræsentante universalem Ecclesiam; & secundariò tantùm in Pontifice ex defectu Concilii.

Papæ docentis ex cathedra infallibilitas in definiendis rebus fidei evincitur ex sacris Canonibus, quibus summa debetur reverentia, & quorum authoritatem nonnisi temerarius inficiatur: quia cum summi Pontifices adhibitis viris consultissimis diligenti discussione, seduloque examine eos ediderunt, & Ecclesia eos suscepit, ut à magistris catholicæ Ecclesiæ dicatis, qui doctrina, & sanctitate floruerunt; ideo nemo nonnisi temerarius inficiabitur sacrorum Canonum authoritatem. Itaque Leo I. ad Episcopos Viennenses epist. 87. in cap. ita Dominus dist. 16. & habetur in tom. 2. conciliorum; hæc scribit: *Ita Dominus noster Jesus Christus humani generis Salvator instituit ut veritas, quæ antea Legis & Prophetarum præconio continebatur, per apostolicam tubam in salutem universitatis exiret, sicut scriptum est: in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed hujus muneris sacramentum, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit; ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret; ut ab ipso quasi quodam capite dona sua veluti in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat voluit nominari dicendo: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Ut æterni ædificatio templi mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret, hàc Ecclesiam suam corroborans firmitate, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent. Verum hanc petræ istius sacratissimam firmitatem Domino ut diximus ædificante constructam nimis impia vult præsumptione violare, quisquis ejus potestatem tentat infringere favendo cupiditatibus suis, & id quod accepit à veteribus non sequendo.* Ubi summus Pontifex non loquitur de Petro, ut de persona privata, sed ut insignita primatu in Ecclesia, & ut summo Pastore pascendi dominicum gregem, & quia primatus, & officium pastoris transit in successores, ideo D. Leo etiam loquitur de successoribus Petri, ut liquet ex toto contextu epistolæ, ubi ait: Qui Petri, & successorum decretis resistunt, exortes fiunt mysterii divini. S. Hieronymus in cap. Hæc est fides 24. q. 1. ita scribit: *Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamque semper tenuimus, & tenemus: in qua si minus peritè, aut parum cautè fortè aliquid positum est: emendari cupimus a te, qui Petri & fidem, & sedem tenes. Sin autem hæc nostra confessio Apostolatus tui judicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non catholicum, non me Hæreticum comprobabit.* Postea subdit: *Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino providente, ac beato Petro Apostolo opem ferente in futuro manebit sine ulla Hæreticorum insultatione firma, & immobilis omni tempore persistet.* Vult enim, Romanum Pontificem docentem ex cathedra non esse erroribus obnoxium, sed immobilem in veritate fidei permansurum.

Rursus idem sanctus Hieronymus in cap. Quoniam 24. quæst. 1. ait; *Quoniam vetusto oriens inter se populorum furore collisus in discissam Domini tunicam, & desuper textam per frusta discerpit, & Christi vineam vulpes exterminant, ut inter lacus contritos, qui non habent aquam, difficile, ubi fons signatur, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi, ideo mihi cathedram Petri, & sedem Apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepit.* Pelagius Papa in cap. schisma 24. quæst. 1. ait: *Id ipsum enim magis est, propter quod schismatici sunt, quia non eos diversa sentiendi judicium, sed quædam apud se delata, sibi tamen incognita metuentes, & contra Apostolicam Sedem temere credentes pessima divisit opinio. Quod schisma specialiter esse. Beatus denuntiat Augustinus dicens de talibus: adversus authoritatem illarum Ecclesiarum, quæ ab Apostolica Sede epistolas accipere meruerunt, temerè credendo immanissimum schismatis crimen à se propulsare non poterit.* Declarant Pelagius, & Augustinus eum schismaticum esse, qui non credit, quæ Pontifex Romanus docens ex cathedra proponit, sequitur esse authoritatis infallibilis, & non esse errori obnoxium in illis, quæ ex cathedra proponit credenda circa materiam fidei, alioquin si posset errare, posset non schismaticus esse, qui cum illo errante non sentiret, & quia Pelagius, & Augustinus eum asserunt schismaticum, qui non credit, quæ Romanus Pontifex docens ex cathedra credenda proponit; sequitur manifestè non posse Pontificem ita proponentem errare. Quòd si dicas Pontificem errare non posse, si juxta Dei verbum doceat, non verò si secus fecerit.

Respondetur hanc exceptionem non esse ad rem, quia non est speciale privilegium Pontificis, quòd non possit errare, si juxta verbum Dei doceat, est enim hoc privilegium commune omnibus Episcopis, & Doctoribus, imò & tonsoribus, & textoribus, si enim doceant juxta Dei verbum non errant, proinde æquè schismaticus aut hæreticus esset, qui contra tonsorem, & textorem, quàm qui contra Romanum Pontificem docentem ex cathedra sentiret. Præterea si Romanus Pontifex assereret se verbo Dei fulciri, consequenter esse schismaticum cum ipso non sentientem: in hoc casu, quis judicium ferret in Pontificem, cùm nullus sit Judex superior? neque Concilium generale posset Papam judicare cum Concilium Papæ, non Papa Concilio subjiciatur, & sine jurisdictione non datur judicium, Præterea Pelagius, & Augustinus non eum dicunt schismaticum esse, qui Concilio, sed qui Papæ proponenti ex cathedra res fidei repugnat.

Rursus Nicolaus I. in epist. ad Phocium cap. si decreta, dist. 20. scribit: *Si decreta Romanorum Pontificum non habetis, de neglectu atque incuria estis arguendi, sin verò habetis, & non observatis de temeritate estis corripiendi, & increpandi.* Et in cap. omnes dist. 22. ait: *Qui autem Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, is procul dubio in hæresin labitur: & cum ille vocetur injustus, hic est procul dubio dicendus Hæreticus.* Et in cap. si Romanorum dist. 19. Nicolaus Papa scribit: *Si Romanorum Pontificum decreto, & cæterorum opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur: ita ut quod Sedes Apostolica probavit, hodie teneatur acceptum: quod illa repulsit, hactenus inefficax habeatur: quando potiùs quæ ipsa pro catholica fide profanis dogmatibus pro variis & multifariis Ecclesiæ necessitatibus, & fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni debeant honori præferri,*

& ab

& ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus discretione vel dispensatione Magistra reverenter assumi. Gregorius IV. Papa in cap. præceptis dist. 12. *Præceptis Apostolicis non dura superbia resistatur; sed per obedientiam, quæ à sancta Romana Ecclesia, & Apostolica authoritate jussa sunt, salutiferè impleantur, si ejusdem sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ est caput vestrum communionem habere desideratis.* Innocentius Papa in cap. Quoties 24. quæst. 1. ait: *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est sui nominis, & honoris authorem referre debere, (veluti nunc retulit vestra dilectio) quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in communi prodesse.* Agatho Papa in cap. sic omnes dist. 19. ait: *Sic omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius divini Petri voce firmatæ sint*, & Stephanus Papa in cap. Enim verò, dist. 19. ait: *Enim verò quia in speculum & exemplum sancta Romana Ecclesia, cui nos Christus præesse voluit, proposita est ab omnibus, quidquid statuit, quidquid ordinat, perpetuò & irrefragabiliter observandum est.* Adrianus Papa in cap. Generali 25. quæst. 1. ait: *Generali decreto constituimus, ut execrandum anathema sit, & veluti prævaricator catholicæ fidei semper apud Deum existat, quicunque Regum, seu Episcoporum, vel potentum deinceps Romanorum decretorum censuram in quocunque crediderit, vel permiserit violandam.* Lucius III. Papa in cap. Ad absolvendam de Hæret. scribit: *Universos qui de sacramento corporis & sanguinis Domini JESU Christi, ut de baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quàm sacrosancta Ecclesia prædicat, & observat: & generaliter, quoscunque eadem Romana Ecclesia vel singuli Episcopi per diœceses suas cum Consilio Clericorum, vel Clerici ipsi sede vacante cum Christo (si oportuerit) vicinorum Episcoporum hæreticos judicaverint: vinculo perpetui anathematis innodamus.* Et denique Paschalis Papa in cap. significasti de election. hæc habet. *Aliud in Conciliis statutum non invenitur, quasi Romana Ecclesia legem Concilia ulla præfixerint, cum omnia Concilia, quæ Romani Pontificis authoritate & facta sunt, & robur acceperint, in eorum statutis Romani Pontificis patenter accipiant authoritatem. Cum igitur à Sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exhibitis, quæ à beati Petri tantùm corpore assumuntur: justum est, ut vos quoque Sedi Apostolicæ subjectionis debita signa solvatis, quæ vos cum beato Petro tanquam de membro habere, & Catholici capitis unitatem servare declarant.*

Neque obstat omnes allegatos Canones fuisse à summis Pontificibus editos in causa propria, non enim Pontifices debuerant contra se quidquam statuere; Nam contra quia vel prærecensiti Canones admittuntur vel respuuntur, si hoc secundum sunt valde temerarii respuentes doctrinam canonicam, quam omnes sancti Patres venerantur, & sequuntur; & doctrina canones respuentium canonica non est, quia exorbitans à recta regula, consequenter est doctrina obliqua, ac erronea perinde, ac oratio contra regulas Rhetoricæ, aut Grammaticæ necessariò est aliquis error vel solœcismus, vel barbarismus; navigatio contra regulas artis nauticæ temeraria habetur, & naufragio proxima: argumentum contra regulas Logicæ distortum, & falsum habetur, & demum quidquid contra regulas artis agitur, id impolitum, plerumque erroribus habetur; pari pacto quævis doctrina contra sanctos canones seu sacras regulas concepta necesse est, sit falsa, siquidem si canon regula est, & dicitur, & de ratione regulæ est rectitudo oportet & rectum non esse, quod à regula discedit, perinde ac quod à linea recta declinat, est necessario curvum: consequenter vel canon non est canon, seu recta regula; vel doctrina à sacris discedens canonibus vera non est, neque à Spiritu Sancto profecta. Si verò adversarii sacros concedunt Canones, quos admittunt, sequitur eos teneri etiam admittere decreta, & statuta Pontificum, quia hoc canones jubent, nec possunt illo prætextu eos rejicere, eò quia Pontifices erraverint in iisdem sanciendis. Præterea si sub prætextu, quod pontifices erraverint in sacris sanciendis canonibus possent sacros rejicere canones, inde sequeretur, quod frustra pontifices statuerent decreta, & leges, frustra juberent sacri canones iisdem parere: quia semper qui obedire detrectat, posset ad eundem prætextum recurrere, & asserere pontificem potuisse errare, unde in pontificum decretis, nunquam deessent rationes tergiversandi, & quærendi, ut vulgò dicitur, nodum in scirpo. Præterea sacri canones eos inurunt nota schismatis, qui à pontifice Romano docente ex cathedra definita non recipiunt. Oportet igitur ad rectum Ecclesiæ regimen pontificum sanctiones ratas esse & omnino certas à quavis erroris suspicione liberas, quia hæreticus non est nec schismaticus, qui non recipit incerta, non credit, quæ dubia sunt, quæque probabili doctrinæ adhærent, deinde si ex allegatis canonibus ostenditur in re dubia, & utrinque disputata sententiam Romani Pontificis esse necessariò tenendam: cum semper hujusmodi Pontificum sententiæ, sanctiones, & definitiones sint de re, quæ prius erat dubia, & propterea utrinque disputata: si accesserit Romani Pontificis sententia hæc omnem excutit dubitationis umbram, & lucem invehit certitudinis. Si dicas non esse adhærendum Papæ in definitionibus, pugnantibus cum verbo & doctrina Dei, eò quia tunc magis est Deus, quàm Papa, magisque Deo obediendum quàm hominibus. Respondetur non posse contingere, quòd Papa docens ex cathedra pugnet cum veritate, & fide, seu cum verbo & doctrina Dei, quia Christus rogavit æternum Patrem, ne fides Petri, & ejus successorum unquam deficeret: *Ego rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua, & tu aliquando confirma fratres tuos.* Tum quia repugnat Deum non esse fidelem in suis promissis, consequenter repugnat, Romanum Pontificem docentem ea cathedra posse deficere in fide, & errare ob assistentiam Spiritus Sancti, quapropter à divo Paulo dicitur Ecclesia columna veritatis, quæ semper stat veritati innixa. Quòd si dicas, quemlibet in sua propria causa esse suspectæ fidei, & tales esse canones productos à summis Pontificibus; nam contra est, quia hic non agitur causa Pontificum, sed Ecclesiæ, ac fidei, consequenter agitur causa omnium fidelium: in qua causa ex sacrorum canonum sancitis non solum Prælatus potest testis esse, sed etiam Judex: siquidem ad summos Pontifices pertinet Principum controversias dirimere, lites componere, eò quia supra Pontificem non detur in militante Ecclesia Judex superior. Præterea hæc exceptio non tantùm Pontificem Romanum, sed etiam Episcopos, & Concilium generale excluderet, quia de ipsis etiam ageretur, quoties in materia fidei, vel circa bonos mores esset aliquid definiendum, semper enim posset objici Concilium generale processisse in causa propria. Demum

quia

quia ex Pontificibus, qui sacros Canones sanxerunt, plures gloriosum consummârunt Martyrium, & non est probabile voluisse in Canonum sanctione mendacio infici, vel tumore ambitionis inflari.

Hanc eandem infallibilitatem Papæ docentis ex Cathedra in definiendis rebus fidei haberi supra, & extra Concilium generale fatentur etiam ipsamet Concilia, etenim Concilium Nicænum coactum anno Christi 325. cap. 18. expresse ait: *Omnes Episcopi in gravioribus causis liberè Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, cujus dispositioni omnes majores Ecclesiasticas causas Apostolorum authoritas reservavit.* Quòd si Concilium decrevit debere Episcopos in gravioribus causis non Concilium generale, sed Apostolicam Sedem appellare, sequitur Concilium existimâsse Romanum Pontificem etiam extra Concilium esse authoritatis infallibilis: Hunc Nicænæ Synodi Canonem citat Sanctus Julius I. in epist. 2. contra Orientales pro Athanasio, & habetur Tom. I. Conciliorum statim post Concilium Nicænum, hoc idem etiam adfert Pelagius II. in cap. Multis. dist. 17. Quamobrem si majores causæ, quæque plures præseferunt difficultates, quas inter recensentur causæ fidei, Sedi reservantur Apostolicæ, oportet hujusmodi sententias infallibilis esse authoritatis, alioquin nulla suppeteret ratio, cur reservarentur Pontifici, & non Concilio, & quemadmodum fides est certa, ut omnem excludat dubitationis umbram, perinde sententia, cui causæ fidei reservantur, debet certa esse, atque dubii expers, quia ubi sententia non est certa, neque pronuntiatum per sententiam est certum, & quod certum non est, repugnat esse forma fidei.

Synodus Alexandrina hanc eandem Romani Pontificis infallibilitatem extra Concilium in rebus fidei definiendis asserit. Huic Synodo interfuit Athanasius, ut præses, & Episcopi Ægypti, Libyæ, Thebaidos, & in epistola directa ad Sanctum Felicem II. Papam, & Martyrem Anno 359. Quæ extat Tom. I. Conciliorum. Hæc Patres illi scribunt: *Ideo Pater Beatissime, quia semper Antecessores nostri, & nos à vestra Sancta Apostolica Sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnovimus, præfatam Apostolicam & summam expetimus juxta Canonum decreta Sedem, ut inde auxilium capiamus, unde Prædecessores nostri ordinationes, & dogmata ceperunt:* asserit Athanasius qui nomine Concilii epistolam scripsit: Concilium in rebus fidei expectare authoritatem infallibilem summi Pontificis juxta Canonum decreta, ut suos imitentur prædecessores, qui nonnisi à Sede Apostolica ordinationes, & dogmata acceperunt; & nonnullis interjectis subdit: *Similiter à supradictis Patribus Concilii Nicæni est definitum consonanter, ut si quisquam Episcoporum Judices suspectos habuerit, vestram Sanctam Romanam interpellet Sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi ac solvendi speciali privilegio super alios concessa. Ipsa enim firmamentum à Deo fixum, & immobile percepit, quoniam ipsam formam universorum lucidissimam Dominus JESUS Christus vestram Apostolicam constituit Sedem. Ipsa est etiam sacer vertex, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur, sustentantur, revelantur: Tu profanarum hæresum, atque omnium infestantium depositor, ut Princeps, & Doctor, Caputque omnium orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei existis, &c.* Censet Synodus Alexandrina Papam ob authoritatem infallibilem extra Concilium posse res fidei definire, omnesque hæreses profligare, imò & teneri, quia cùm sit Pastor supremus totius dominici gregis, obligatio ei inest coercendi lupos longiusque fugandi, ne Christi ovibus sint damno. Quòd si summus Pontifex extra Concilium dicitur à Synodo esse Princeps Doctor, & Caput orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei, sequitur ejus authoritatem esse infallibilem, & ab ipso definita non posse rejici ex eo prætextu, quia errare possit, alioquin laudes, quas S. Athanasius nomine totius Synodi dat Romano Pontifici essent vanæ adulationes.

Concilium Carthaginense Anno 402. celebratum eandem asserit veritatem, & juvat hic attexere fragmentum epistolæ Sancti Innocentii I. Papæ ad Concilium Carthag. & habetur Tom. I. Concilior. ubi hæc scribit: *Antiquæ traditionis exempla servantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, nostræ religionis vigorem non modo nunc in consulendo, quam antea cum pronuntiaretis, veneratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium, scientes, quid Apostolicæ Sedi (cùm omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur à quo ipse Episcopatus, & tota authoritas nominis hujus emersit. Quem sequentes tam mala jam damnare novimus, quàm probare laudanda: vel id verò, quod Patrum instituta sacerdotali officio custodientes non censetis esse calcanda: quod illi non humana, sed divina decrevere sententia: ut quidquid, quamvis de disjunctis remotisque Provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus authoritate (justa quæ fuerit) pronuntiatio firmaretur: indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ (velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diversas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manarent) quid præcipere, quos abluere, quos veluti in cœno inemundabili sordidatos mundi digna corporibus unda vitaret.* Expresse Innocentius ostendit Concilio Carthaginensi ultimam fidei definitionem spectare ad Papam à quo perinde ac à natali fonte sana, & sincera doctrina fluit, & in totam propagatur Ecclesiam, quatenus Episcopi, & Ecclesiæ omnes suam debent ab hoc fonte doctrinæ aquam haurire, hæc autem falla essent, si Pontifex in definiendis rebus fidei & ut docens ex Cathedra posset errare, quia tunc posset ab aliis corrigi, & ipse doceri, nec illius sententia utpote incerta posset fidei quæstiones definire; cùm fides certissima sit.

In Concilio Ephesino celebrato Anno 431. Cælestinus Papa cùm hæresim Nestorianam in Romana Synodo jam damnâsset, legatos quidem Ephesum ad Concilium misit; sed ut sententiam Romæ datam exequerentur, ac certam Patribus regulam præfigerent, juxta quam Nestorium in suis persistentem erroribus damnarent, ut hæreticum contumacem tom. I. Conciliorum in Actis Concilii Ephesini Tom. 2. cap. 15. hoc idem narrat Evagrius lib. Histor. cap. 4. Epist. Synodali Cælestini in versione Cresconiana apud Baronium ad annum 431. Quòd si Romanus Pontifex ante Concilium damnat hæresim, & regulam præscribit quâ Patres Concilii debeant se gerere: sequitur Papam esse supra Concilium, & extra Concilium habere authoritatem in definiendis rebus fidei infallibilem: alioquin non Papa Conciliis; sed Concilia Papæ præscriberent. Rursus in Concilio Chalcedonensi coacto Anno 451. quod citat D. Thomas in opuscul. contra errores Græcorum habetur: *Si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad Beatissimum Episcopum antiquæ Romæ; quia habemus Petrum petram refugii, & ipsi soli libera potestate loco Dei sit jus discernendi secun-*

dùm claves à Domino sibi datas, & omnia ab eo definita teneantur tanquam à Vicario Apostolici Throni. Quinimo in condemnatione Dioscori Patres Concilii acclamarunt dicentes: *Sanctissimus Archiepiscopus magnæ Romæ* unà cum ter *Beatissimo Petro, qui est petra Catholicæ Ecclesiæ, & ille qui est rectæ fidei fundamentum, nudavit eum Episcopatus dignitate.* Vocant Successorem Petri petram Catholicæ Ecclesiæ & rectæ fidei fundamentum, quia censuerunt Romanum Pontificem etiam independenter à Concilio esse infallibilis authoritatis in definiendis rebus fidei, alioquin si posset errare, non esset fundamentum rectæ fidei. Et in epistola Synodali ad Patres Concilii Leo Papa negat, dogma fidei à se contra Eutychen, & Dioscorum semel declaratæ in dubium aut disputationem vocari posse, ac debere: neque Legatos à se mitti, qui rem decisam, definitamque in literis ad Flavianum datis, examini iterum subdi permittant, sed qui jam definita exequantur. Hæc autem apertè ostendunt Romanum Pontificem in definiendis rebus fidei non esse errori obnoxium; & sententiam, quam semel Papa protulit ex Cathedra non posse amplius corrigi, nec emendari.

Rursus in sexta Synodo generali celebrata anno 681. ut habetur in tertio Tomo Conciliorum S. Agatho Papa in Epist. ad Constantinum Augustum non permittit Concilio, ut Patres aliter in causa fidei pronuntient, quàm suis Legatis Pontifex injunxerat, suæque definitioni nihil addi, nihil minui, sed juxta traditionem Apostolicæ Sedis, ut à prædecessoribus suis conservata est omnia definiri: ex quo infertur Pontificem extra Concilium esse infallibilem; imò non solùm non posse errare; sed ulterius regulas etiam Concilio præscribere quomodo Patres in illo debeant se gerere; ex quo claret Concilium generale esse sub jurisdictione Papæ, ut supremi Pastoris dominici gregis, ad quem pertinet etiam Concilium generale. Pontificis authoritatem infallibilem extra Concilium expressit Agatho in præcitata epistola ad Constantinum ubi ait: *Cujus adveniente præsidio, hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est. Cujus authoritatem utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes in cunctis sequutæ sunt, omnesque venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi*, & paulò infra. *Sancti quidem Doctores orthodoxi venerati, atque sequuti sunt: Hæretici autem falsis criminationum odiis insecuti.* Postea subdit: *Hæc Apostolica Christi Ecclesia per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur; nec Hæreticis novitatibus depravata succubuit: sed ut ab exordio normam fidei Christianæ percepit ab Auctoribus suis Apostolorum Principibus, illibata finetenus manet, secundum divinam Salvatoris pollicitationem, quam suorum Discipulorum Principi in sacris Evangeliis fecit: Petre inquiens, ecce Sathanas expetivit, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Consideret igitur vestra clementia, quoniam Dominus, & Salvator omnium, qui fidelis est, & fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres admonuit.* Hoc idem asserunt alia Concilia Africana, præsertim Synodus coacta Anno 646. quæ epistolam Synodalem ad Theodorum Papam scripsit, in qua inter alia hæc habet: *Antiquis regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis, vel longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum esset, nisi ad notitiam almæ Sedis Apostolicæ fuisset deductum, ut ejus authoritate justa, quæ fuisset pronunciatio, firmaretur; indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de naturali suo fonte prædicationis exordium, & per diversas totius mundi regiones, puritatis incorruptæ manarent fidei Sacramenta salutis.* In quinta generali Synodo coacta Anno 553. Act. 4. in sententia, quam contra Anthymum Mennas Patriarcha Constantinopolitanus pronuntiavit hæc leguntur: *Nos Apostolicam Sedem sequimur, & ei obedimus, sicut charitas vestra scit, & ipsius communicatores habemus, & condemnatos ab ipso, & nos condemnamus*, ratam habet Concilium condemnationem profectam à Papa extra Concilium, quod non præstitisset, nisi ei innotuisset, Romanum Pontificem extra Concilium habere authoritatem infallibilem. In Concilio generali Romæ habito anno 1059. sub Nicolao II. habetur hic canon: *Si quis dogmata vel decreta pro Catholica fide, aut ecclesiastica disciplina à Sedis Apostolicæ Præsule promulgata contempserit, anathema sit:* & habetur hic canon *in c. Si quis 25. quæst. 2.* & *cap. ad abolendam de Hæreticis.* Concilium Lugdunense celebratum Anno 1245. sub Innocentio IV. & habetur etiam *in cap. unic. de homicidio in 6.* ait: *Pro humani redemptione generis, de summis cœlorum ad ima mundi descendens, & mortem tandem subiens temporalem DEI Filius JESUS Christus, ne gregem sui pretio Sanguinis gloriosi redemptum ascensurus, post Resurrectionem ad Patrem absque pastore desereret, ipsius curam Beato Petro Apostolo (ut sua stabilitate fidei, cæteros in Christiana Religione firmaret, eorumque mentes ad salutis opera sua accenderet devotionis ardore) commisit.* In Concilio Lugdunensi 2. Legati Michaelis Palæologi Imperatoris, & Ecclesiæ orientalis hanc ediderunt fidei professionem, quam etiam recitat Odoricus Raynaldus ad Annum Christi 1274. n. 24. inter alia hæc habentur: *Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum, & plenum primatum, & principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet: quem ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe, sive vertice, & humiliter recognoscit, & sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerunt quæstiones, suo debent judicio definiri.*

Neque ullius est momenti quod respondent aliqui, sententiam Romani Pontificis circa res fidei esse quidem irreformabilem, & infallibilem si accesserit consensus Ecclesiæ repræsentatæ in Concilio generali; non ita si Ecclesiæ consensus non accesserit, quia Ecclesia non potest in rebus Fidei errare, & ab illius consensu dependet infallibilitas Papæ in definiendis controversiis, quæ circa Fidem oriuntur. Nam contra est, quia ut claret ex præcitatis Conciliis hæc expressè asserunt, hanc infallibilitatem in definiendis rebus Fidei esse specialissimam prærogativam concessam à Christo D. Petro, & ejus pro tempore Successoribus verbis illis; *Ego rogavi pro te Petre ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando confirma fratres tuos*, & in persona Petri brevi morituri, etiam pro suis Successoribus canonicè electis. Præterea promissio clavium non Ecclesiæ repræsentatæ in Concilio, sed soli Petro & ejus Successoribus fuit facta: *Tu es Petrus & super hanc petram* seu dignitatem Pontificiam, officiumque summi Pastoris *ædificabo Ecclesiam meam*: ubi Christus fuit in singulari solum Petrum alloquutus: non verò Ecclesiam repræsentatam in Concilio generali. Quòd si definitio Pontificis hauriret suam infallibilitatem dependenter à consensu Concilii generalis, non fuisset à

Christo

Christo speciale privilegium concessum D. Petro, sed commune omnibus Episcopis, imò & Doctoribus, qui si definiant, vel proferant aliquam propositionem circa mysteria Fidei, cui Concilium generale assentiatur, à quo etiam definiatur est talis propositio infallibiliter certa, & extra suspicionem erroris cùm ab Ecclesia quæ est *Columna veritatis* recipiatur: unde doctrinam aliquam proferre, quæ tunc primùm fit certa, & extra suspicionem erroris, cùm ab Ecclesia primùm recipitur, non est solius Petri, & Romani Pontificis ejus successoris prærogativa, sed cujuslibet Episcopi, ac privati Doctoris: Hæc autem certitudo non est privilegium cujuslibet Episcopi, neque Doctoris privati; sed Ecclesiæ. Rursus si definitio Pontificis in controversiis Fidei non est certa nisi post Ecclesiæ, seu Concilii generalis consensum, sequitur ante talem consensum fuisse incertam, & errori obnoxiam, consequenter poterat à Concilio recipi, vel rejici: sed Concilia quæ decreta Romani Pontificis non accipiunt habentur pro Schismaticis; ac deficientibus in fide: ergo Concilia debent supponere definitiones Romani Pontificis circa controversias Fidei certas, & infallibiles; adeo ut respui non possint à Concilio generali. Deinde præcitata Concilia vocant Romanum Pontificem Ecclesiæ Magistrum, Doctorem, Pastorem supremum, ut in Concilio Constantinopolitano Sess. ult. in Florentino Sess. ult. Lugdunensi cap. ult. de S. Trinit. in 6. Si ergo est Magister Ecclesiæ, hæc ut discipula totam suam doctrinam recipit à Magistro seu Romano Pontifice, non enim plus doctrinæ potest discipulo inesse quàm Magistro, alioquin discipulus non edoceretur à Magistro, proinde esset, & non esset discipulus.

Si dicas Concilia generalia non tribuere Romani Pontificis definitionibus in materia Fidei omnimodam infallibilitatem, sed tantùm primas partes, & magnam authoritatem, non tamen necessariam. Contra est, quia eo ipso, quòd Concilia non recipientia definitione Pontificis Romani in materia fidei habentur pro schismaticis, nihil possunt authoritatis tribuere quia separantur ab Ecclesia, & ejus supremo Pastore cum quo propterea eùm non communicent, non possunt quidquam illi communicare authoritatis. Præterea quia Concilia generalia non solùm dicunt Papæ sententias in causis Fidei majoris authoritatis, sed etiam fatentur esse definitivas, & quæ litem omnem absolvunt, controversiam dirimant, & dubiis finem imponunt, quod si ita est nihil authoritatis possunt Concilia generalia eidem addere, nec detrahere, cùm independenter à Conciliis habeat sententiam definitivam. Tum quia Sancti Patres extra aliqua Fidei dubitatione, ut certa aliqua nota ab Hæreticis distinguerentur, ac certi essent, se veram Fidem servare; id credere profitebantur, quod crederet Sedes Petri cui suam Fidem submittebant, damnabantque, quos Romana Sedes damnabat, cujus doctrinam veram omninò esse, ac certissimam, & incapacem erroris etiam extra Concilium arbitrabantur: quia cùm Fides certissima sit, omnemque excludat dubitationis umbram, necesse est, ut Fidei regula sit itidem certissima, alioquin Fides principio innixa dubio, dubium & ipsa reciperet, & quia repugnat Fides dubia, ita & Fides quæ innitatur principio dubio. Si igitur Sanctis Patribus doctrina Romani Pontificis erat certissima regula credendi in quam Fidem suam tutò collocârunt, debuit etiam in sententia eorundem Patrum doctrina illa Romani Pontificis esse fixa immobilis, & infallibilis. Hinc D. Ambrosius Epist. 11. ad Ageruchiam; *In omnibus Romana Ecclesia formam & typum sequimur*: Sanctus Basilius Epist. 77. *Cùm ad hunc modum habeant res nostra, debebant continuò à vestra dilectione ex sinceris fratribus aliqui mitti, qui nos afflictos, & oppressos inviserent, & multò crebriùs amica ad nos vestra destinari littera, quibus vel in proposito confirmarémur, vel si qua in re offendamus, corrigeremur, non enim negamus innumeris nos obnoxios erroribus esse, cùm homines simus, & in carne vivamus: parati hac in re vestram institutionem amplecti.* Sanctus Hieronymus Epist. ad Damasum de tribus Hypostatibus: *Idcirco obtestor beatitudinem tuam per Crucem Domini, per necessarium fidei nostra decus, per passionem Christi: ut mihi litteris tuis apud quem in Syria communicare debeam significes, noli despicere animam pro qua Christus mortuus est. Discernite obsecro, non timebo tres hypostases dicere si jubetis. Quamobrem obtestor beatitudinem tuam per crucifixum, mundi salutem, per Homousion Trinitatem, ut mihi epistolis tuis sive tacendarum sive dicendarum hypostasium detur authoritas.* Hinc suborta aliqua hæresi in Ecclesiis non prius disputationibus finis imponebatur, quam pronunciata à Sancto Pontifice Romano fuisset sententia: tunc enim illa audita statim acquiescebant, eique proni adhærebant, & hæresis habebatur conclamata, quia scilicet persuasum semper fuit fidelibus sententias Romani Pontificis in quæstionibus Fidei certissimas esse, nullique obnoxias errori, alioquin si putâssent definitiones à Romano Pontifice emanatas circa Fidei controversias esse incertas non potuissent ipsi certi fieri, & omnino acquiescere, ut testantur Sancti Patres Prosper contra Collatorem & in Chronico ubi ait: *Tunc Pelagianorum machina fracta quando beata memoria Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit.* D. Augustinus lib. 2. contra Pelagium, & Cœlestium cap. 7. ait: *Cœlestius beati Papæ Innocentii non est ausus litteris obsistere, imo se omnia quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.* Et lib. 1. cap. 1. ad Bonifacium Papam habito Concilio apud Carthaginem in quo interfuerunt Episcopi 217. *Ad Pontificem Zosimum Synodalia decreta perlata sunt, quibus probatis per totum mundum hæresis Ariana damnata est*, ait Augustinus decreta illa Synodalia quamvis emanata à Concilio generali nondum tamen fuisse certa, & infallibilia, neque efficacia ad evertendam, ac evellendam Arianam hæresin, donec approbata, & confirmata fuerint à Romano Pontifice, à quo Fidei infallibilitatem susceperunt, non verò à Concilio generali, hinc Patres Milevitani Epist. ad Innocentium I. rescripserunt: *Arbitramur adjuvante misericordia Christi qui te regere consulentem & orantem exaudire dignatur, authoritati sanctitatis tua de Sanctarum Scripturarum authoritate depromptæ faciliùs eos, qui tam perversa sentiunt, esse cessuros.* Et Cyrillus Epist. ad Cœlestinum Papam de hæresi Nestorii: *Porro tua integritatis mens, & super hac re scientia non modo religiosissimis Deoque pijssimis, devotissimis Macedonia Episcopis, sed totius quoque Orientis Antistitibus perspicuè per litteras exponi debet, nam cupientibus illis ansam dabimus, ut omnes uno animo in una sententia persistant, rectaque fidei, qua jam impugnatur, opem ferant.* Tandem D. Hieronymus de Irenæo Romam misso scribit in Cathalogo. *Omnium doctrinarum curiosissimus explorator non moles ædificiorum urbem circumeundo contemplabatur, sed Apostolica Ecclesiæ fidem, ritus, mores, ac disciplinam, quam illi Petrus, & Paulus Apostolorum Principes tradidissent, perscruta-*

scrutabatur, nullusque ibi Apostolicas traditiones integras, & illibatas, ut ab Apostolis tradita fuerant, vigilantissime custoditas, & integerrimè conservatas, ad eas omnes, quos scriptis exagitat, exinde provocavit Hæreticos, quos sciret eo solo tam patenti testimonio (si qua in eis reliqua esset ratio veritatis) posse convinci.

CAPUT XII.

Eadem Romani Pontificis infallibilitas extra Concilium in controversiis Fidei definiendis rationibus asseritur.

Prima igitur ratio ex eo petitur, quia si certitudo definitionum in Fidei controversiis, quas Pontifices ediderunt, à consensu Ecclesiæ dependeret, non Ecclesia in Petro, & eius successoribus fundaretur, sed potius Petrus fundaretur in Ecclesia, neque Petrus esset fundamentum Ecclesiæ, sed potius è converso Ecclesia Petri fundamentum, quod adversatur Scripturis Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, cùm potius juxta Adversariorum responsionem debuisset Christus dicere, & super Ecclesiam fundabo Petrum. Rursus Luc. 22. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, in sensu autem Adversariorum debuisset potius dicere, & tu Ecclesia confirma Petrum, quæ omnia inaudita sunt, contra verum & clarissimum sensum Scripturarum, ac mentem Sanctorum Patrum, & Conciliorum.

Deinde explicandum superest quid nomine Ecclesiæ intelligatur, quando Pontificiom definitiones dicuntur fieri certæ per assensum Ecclesiæ, vel enim intelliguntur particulares aliquæ Ecclesiæ, & hoc non potest intelligi, quia particulares Ecclesiæ sunt erroribus obnoxiæ, possuntque à vera Fide deficere, ut satis liquet de Ecclesiis Patriarchalibus Antiochena, Alexandrina, Constantinopolitana, & aliis, non enim possunt Pontificium sanctiones, ac definitiones reddi infallibiles, & à quovis errore immunes ab illis Ecclesiis, quæ erroribus obnoxiæ falli possunt, & alios fallere? non enim curvum potest esse regula recti: sin autem per assensum Ecclesiæ intelligatur assensus universalis Ecclesiæ, seu Concilii generalis, id etiam falsum est, quia etiam ipsa Concilia generalia sunt erroribus obnoxia, possuntque falli, & fallere, ut de facto plura Concilia, ut constat ex præcensitis, errarunt in Fide, eò quia vel non fuerunt congregata authoritate Pontificis, vel ab eodem non fuerunt approbata, nec confirmata; sed tantùm redduntur Concilia infallibilia, eò quia congregentur, ac confirmentur authoritate pontificia, quia soli Petro, & ejus successoribus promissa fuit infallibilitas, non autem Concilio generali sejuncto à suo capite. Hoc idem expressè fatetur septima Synodus *Act.* 6. & octava *Act.* 2. & *septimo*, Romana sub Symacho, altera etiam Romana sub Damaso, & demum Florentina in decreto unionis. Hoc idem etiam statuerunt plures pontifices doctrinâ, & sanctitate clarissimi, & quibus nemo unquam contradixit, scilicet Alexander I. Epist. 1. Sixtus I. Epist. 2. Anicetus Epist. 1. Melchiades & alii plures siquidem praxis ab initio Ecclesiæ fuit, ut Concilia authoritatem infallibilem non haberent, nisi prius à summo pontifice confirmarentur, ut liquet ex Actis omnium Conciliorum. Moris enim fuit, & consuetudo semper viguit in Ecclesia, ut Conciliorum decreta statim mitterentur ad pontificem, à quo confirmarentur: Hinc primum Concilium Nicænum confirmatum fuit à Sylvestro, primum Constantinopolitanum à Damaso, Ephesinum à Cœlestino, Chalcedonense à Leone, & ita de reliquis, quorum nullum habuit authoritatem in Ecclesia, nisi postquam approbatum, & confirmatum fuerit à Romano pontifice. Tum quia plura Concilia etiam legitimè congregata pec authoritatem pontificiam & præsentibus etiam subinde pontificis legatis celebrata, erraverunt contra Fidem, ut Concilium Ariminense, in quo sexcenti Episcopi subscripserunt in favorem Arii, Secunda Synodus Ephesina legitimè congregata præsentibus Legatis Apostolicis, adeo ut nil planè defuerit ad omnimodam Concilii rationem, nisi sola Pontificis approbatio; & nihilominus in illa Synodo approbatus fuit error Eutychetis de una in Christo natura. Errârunt etiam alia Concilia præsertim duo Constantinopolitana sub Leone I. & Nicolao I. quæ Concilia quamvis conditiones habuerint requisitas ut essent Concilia generalia, ex eo tantum quòd iisdem defuit authoritas Pontificis Romani, à quo non fuerunt approbata, neque confirmata, ideo errârunt, & à Fide defecerunt: unde satis apertè constat, Concilium quantumvis generale non esse infallibile in definiendis Fidei controversiis, sed esse erroribus obnoxium, cùm pluries erraverint. Præterea, quia nisi authoritas Pontificis esset omnino infallibilis absolutè, ac independenter à Concilio generali in declarandis, ac definiendis rebus Fidei non possent decreta Pontificum desumere suam certitudinem, ac infallibilitatem à Conciliis Generalibus, quia quod est fallibile, & errori obnoxium non potest esse regula certitudinis omninò infallibilis; repugnat enim curvum esse regulam recti: ergo satis apertè constat Pontificem extra Concilium Generale in definiendis rebus Fidei habere authoritatem omninò infallibilem.

Secunda ratio ex eo desumitur, quia si Romanus Pontifex in definiendis rebus Fidei, ac dirimendis controversiis non esset infallibilis authoritatis inde sequeretur Ecclesiam destitutam esse omni Judice controversiarum, & perinde ac navis in medio mari furente procella fluctuaret in undis sine clavo, absque gubernatore, quæ propterea passim impingeret, & in errorum scopulos collisa infelix naufragaretur: vel nunquam certa esset veritatis, nec aliter dubia dissolveret, & controversias dirimeret, quàm ex interno instinctu, & privato entusiasmo Lutheranorum, siquidem Concilia nonnisi difficulter possunt convocari, & hoc nonnisi post multum temporis defluxum, neque sæpe possunt convocari, ut contigit in primativa Ecclesia per trecentos primos annos; quòd si convocentur plura occurrunt ob quæ possent semper vocari in dubium an sint universalia, an legitimè celebrata, an quæ illic decer-

nuntur

numtur fuerint conciliariter, hoc est cum sufficienti præmisso examine, ac diligenti inquisitione examinata, ac pluribus suffragiis decreta, & demum quod caput est, an fuerint à Romano Pontifice approbata, & confirmata. Quinimò si Prælati unius nationis Catholicæ detrectent interesse Concilio, ac recusent intervenire, vel si intervenerint statim ob prætextum aliquem coloratum abscedant, quamvis sufficientes eis non suppetant causæ discessûs, generalitas Concilii semper potest impugnari, eò quia Prælati ex universa Ecclesia Catholica ei non interfuerint: tota enim Conciliorum authoritas ex hisce omnibus circumstantiis dependet, quarum si una absit, vel dubitetur an abfuerit, Concilii definitio evadit incerta, ut experimentum nos docuit in multis Conciliis, præsertim Francofurtiensi sub Carolo Magno, Pisano, Constantiensi, Basileensi, Florentino, Lateranensi, & aliis, quibus cùm deficeret una vel altera circumstantia ex præcensitis statim dubitari cœpit an fuerint universalia. Præterea si Concilium impediretur, vel ob dissidia Patrum dissolveretur, quid tunc agendum? ad quem Judicem esset recursus, quis tunc finem controversiis imponeret? an non ad rectum Ecclesiæ regimen videbatur pertinere, ut authoritas Papæ esset infallibilis, & appellatio à Concilio Generali ad ipsum fieret, ut ad supremum in Ecclesia Judicem, qui propterea etiam extra Concilium Generale posset Fidei controversias dirimere, adeo ut antequam convocaretur Concilium eadem authoritas fuerit in Pontifice, quæ in Concilio, & extra Concilium. Tum quia hæreses, & falsæ, ac corruptæ doctrinæ consueverunt super oraturas imitari venenorum, quibus festinata remedia subveniunt, & tarda plerumque sunt inutilia, tò quia inveniunt præcordia jam corrupta; hinc subinde hæreses exigunt statim radicitus evelli ne si radices fixerint, extirpari amplius non possint, nisi difficulter & cum plurimo Ecclesiæ detrimento: ad hoc igitur adhibendum subitum pharmacum requirebatur, ut in supremo Ecclesiæ Pastore daretur authoritas hæc infallibilis in definiendis rebus Fidei, & dirimendis controversiis, quæ plerumque solent in Ecclesia oriri.

Tertia ratio petitur ex eo, quia Pontifici definienti res Fidei etiam extra Concilium Generale tenetur tota Ecclesia parere, ac ejus sententiæ acquiescere, ut omnes hactenus concesserunt; nec ullus fuit ex Catholicis, qui id negaverit: siquidem tenetur Ecclesia suum sequi Pastorem & illi obsequi, alioquin corrueret totum Ecclesiasticum regimen situm in debita subordinatione omnium fidelium in unum supremum Caput; sed si authoritas Pontificis extra Concilium Generale non esset omnino infallibilis, & foret errori obnoxia, possetque errare in proponendis rebus Fidei, posset cum ipso etiam tota Ecclesia in errorem contra Fidem induci, siquidem Ecclesia tenetur sequi definitionem Pontificis, quando eam proponit ex Cathedra universali Ecclesiæ, sed perinde repugnat totam Ecclesiam posse errare in Fide, ac implicat posse DEUM testificari falsum; DEUS enim id promisit Ecclesiæ portas inferi non prævalituras adversus eam, hinc D. Paulus 1. ad Timoth. 3. ait: *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis.* Si est columna veritatis, ergo stat in veritate, & nunquam cadit, nisi cesset esse columna, quia tunc eidem non amplius inniteretur veritas, & contra Apostolum non esset columna, & firmamentum veritatis. Præterea si posset in rebus Fidei tota Ecclesia errare, vel non esset necessaria ad salutem vera Fides, quod adversatur Apostolo scribenti ad Hebræ. 11. *Sine Fide impossibile est placere DEO:* vel tota Ecclesia posset damnari, quia nemo sine Fide potest salutem consequi: ergo Pontifex Romanus canonicè electus etiam extra Concilium Generale debet ad rectum regimen Ecclesiæ habere authoritatem omnino infallibilem in proponendis rebus Fidei, alioquin negata Pontifici Romano hac infallibilitate, quando è Cathedra pronuntiat, nullibi esset hæc authoritas infallibilis, quibus in controversiis dirimendis, rebusque Fidei definiendis acquiescerent fideles, etenim Concilia nisi sint legitima, & universalia, nihil in fide statuere possunt, ut liquet de Concilio Ariminensi, Ephesino secundo, & aliis; & quòd sint legitima, & universalia potest semper dubitari saltem ex aliquo prætextu, præterea quia Concilium nisi congregatum, approbatum, & confirmatum fuerit è Romano Pontifice suum non haberit valorem, nec potest esse infallibilis authoritatis, consequenter si hæc authoritas infallibilis non esset in solo Romano Pontifice etiam extra Concilium Generale, nullibi in Ecclesia daretur hæc infallibilis authoritas. Quòd si dicas Romanum Pontificem posse quidem errare, non item Concilium generale. Contra est, quia si ita esset, non oporteret acta Concilii à Papa approbari & confirmari, sed potius è contra acta & decreta Pontificis à Concilio Generali confirmanda essent, quod nullus hactenus somniavit, & est contra perpetuam Ecclesiæ praxin & communem Sanctorum Patrum doctrinam; Est enim contra rectam rerum ordinem, rectamque rationem, ut ab eo, qui errare potest ejus sententiæ confirmentur, & acquirant infallibilitatem, cùm nemo det alteri, quod in se non habet.

Quarta ratio est, quia DEUS quantumvis sit rerum omnium prima, eaque potentissima causa, quæ nullius consortio nec præsidio indigeat, accommodat se nihilominus causarum secundarum exigentiis, & operatur accommodatè ad illarum naturas; adeo ut calefaciat per ignem non per aquam; illustret per lucem non per sonum, videat per oculos non per aures; descendat deorsum per gravia non per levia, & quæ naturis congruunt singulorum, non quæ iisdem adversantur munifica impertitur largitate: hæcque indoles est divinæ providentiæ, à sacris paginis passim commendatæ, molientis omnia in ordine, pondere, & mensura, ac disponentis singula suaviter, seu juxta eorundem naturas, ac innatas propensiones in ordine ad proprios fines attingendos: & cùm constituerit D. Petrum, ejusque pro tempore successorem canonicè electum supremum totius Ecclesiæ Catholicæ Pastorem, ac Magistrum, adeo ut sit Pastor non solùm omnium Ecclesiarum in particulari, verùm etiam universalis Catholicæ Ecclesiæ, ut declaratum fuit in Concilio Constantiensi *Sess.* 8. *art.* 37. *Sess.* 15. *& ult.* in Florent. *Sess. ult.* Lateranensi *Sess.* 11. & aliis oportet ut infallibilem authoritatem in definiendis rebus Fidei, ac dirimendis controversiis tribueret Ecclesiæ, vel Romano Pontifici, aut utrique, vel neutri: hoc ultimum non dices, quia inde sequeretur nil certi nos in Ecclesia habere, & Fides divina in opinionem mutaretur humanam: si utrique Ecclesiæ & Pontifici simul: Sequitur authoritatem Papæ esse infallibilem. Si Ecclesiæ non Pontifici: sequitur plus doctrinæ fuisse discipulis impertitum, quàm Magistro; plus certitudinis

Zzzz 3 con-

contulisse doctrinæ scholaris, quàm præceptoris; & qui noluit oves posse errare, voluisse pastorem posse, & cæcum, lapsuique obnoxium ducere oculatum: quid hoc esset quam plus stabilitatis dedisse ædificio quàm fundamento? quid magis contra naturam fundamenti, contra ordinem pastoris, & Doctoris, contra rationem magisterii; eadem ratione si Ecclesia falli non posset, & Romanus Pontifex esset errori obnoxius, pastor ducendus, & corrigendus esset ab ovibus, quod est absurdum: præsertim cùm Christus dixerit Petro, & ejus pro tempore Successori: *Pasce oves meas: Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua.*

Quinta ratio petitur ex usu & praxi Pontificum, qui multa Fidei dogmata sine Concilio definiverunt: quæ enim fieri possunt aliquando facta sunt; nec ulla est potentia assignabilis, quæ aliquando non erumperit in actum, quia ignis potest calefacere, nullum reperies ignem qui non calefaciat: planta ideo germinat quia habet potentiam germinandi, & si fructus non producit, est quia sterilescit & destituitur potentia; è converso quæ nunquam in aliqua specie deprehenduntur facta, fieri non posse creduntur; ratio est quia alioquin talis potentia esset frustranea; ac perpetuò torpesceret otio: cùm igitur è Cathedra D. Petri nulla unquam hæresis prodierit, nimis imprudenter diceretur hæresim posse prodire à Sede Apostolica, à qua nunquam prodiit: ex eo quod arbor annosa nunquam produxerit ullum fructum nonnisi imprudenter diceretur esse fœcundam, ac posse fructus producere, & non sterilitate laborare. Alias Cathedras ideo asserimus potuisse errare, quia de facto errârunt, & plures hæreses ab iisdem eruperunt: in Cathedra Constantinopolitana sederunt Macedonius, Nestorius, Sergius Heresiarchæ, in Alexandrina Gregorius & Lucius Ariana hæresi infecti, Dioscorus Eutichiana, & Cyrus Monothelitana corrupti. In Antiochena Paulus Samosatenus, Petrus Eutychianus, Macarius Monothelita. In Hierosolymitana Joannes Origenista, Irenæus, & Hilarius Ariani. Romanam verò Sedem, quia propriam D. Petri, ejusque successorum nulla unquam hæresis infecit, nulla erroris labes maculavit; idque causæ, cur à D. Hieronymo epist. ad Damasum vocetur fons signatus, hortus conclusus: *Et apud quam solam incorrupta Patrum servatur hæreditas.* Tametsi contra hanc Sedem insurrexerint Pagani, contra hanc pugnaverint Hæretici, irruerint Schismatici & dolis, armis, suppliciis adnixi sint eam expugnare, evertere, immobilis tamen semper stetit nunquam cecidit expugnata. Quid non egerunt Ethnici Imperatores ut illam sole æquarent, quid non Græci, Wandali, Gothi: totus propemodum orbis se armavit contra hanc inermem; quæ sine sanguinis fusione vicit; quia juxta sui sponsi vaticinium *portæ inferi non prævalebunt adversus illam.* Cùm igitur Romana Sedes licèt impetita à Schismaticis, Hæreticis, Gentilibus immobilis in Fide semper steterit, nunquam defecerit, cùm aliæ omnes Patriarchales Cathedræ defecerint, concludendum est eam non posse deficere, quia si posset, jam defecisset.

Sexta ratio evincens infallibilem authoritatem Ecclesiæ supra & extra Concilium petitur ex eo quòd Romani Pontifices independenter à Concilio Generali de facto definierint plura dogmata Fidei, condemnaverint plures hæreses & tota Ecclesia semper Romanorum Pontificum definitionibus acquievit. Etenim Stephanus Papa in celebri illa controversia orta tempore Sancti Cypriani Anno 256. An Hæretici ad Fidem Catholicam universi essent rebaptizandi; definivit Pontifex propriâ authoritate sine Concilio, Baptismum Hæreticorum ministratum cum debita forma esse validum & non esse iterandum. Damasus I. hæresin Apollinaris, & simul Timothæum, & Vitalem Apollinaris discipulos negantes divinitatem Spiritûs S. sine ullo Concilio generali sola propria authoritate damnavit, & sententiæ Pontificis statim omnes fideles acquieverunt, ut infallibili ex Christi promissione: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua:* Omnes fatentur Damasum extra Concilium damnâsse Apollinarem, & illius discipulos Timotheum, & Vitalem: ait Theodoretus lib. 5. cap. 6. *Damasus simul ut exortam hanc hæresim accepit non Apollinarem solùm, verùm etiam Timotheum ejus discipulum abdicavit, quam rem etiam Episcopis orientalibus significavit.* Rursus Anastasius Papa sine Concilio propria authoritate Ruffinum Origanistarum Coriphæum damnavit. Innocentius I. hæresim Pelagianorum damnavit extra omne Concilium propria authoritate, qui propterea ut ait in ejus commendationem D. Augustinus: *Insigne Pontificiæ dignitatis, ac infallibilitatis documentum post se reliquit.* Theodorus Papa hæresim Monothelitarum, ejusque præcipuos authores, & fautores ante omne Oecumenicum Concilium propria authoritate anathematizavit, ut scribit Anastasius in vita Theoduti inquiens: *Sanctissimus Papa Theodorus scripsit Paulo Patriarchæ; sed cùm non posset à suo conamine revocari; justâ ab Apostolica Sede depositionis sententia percussus est.* Innocentius II. hæresim Abailardi absque Oecumenico Concilio anathemate percussit: qualis fuerit hæc hæresis explicat D. Bernardus Epist. 192. inquiens: *Cùm de Trinitate loquitur Arium sapit; cùm de gratia sapit Pelagium; cùm de persona Christi sapit Nestorium.* Sixtus IV. Petri Osmanni Professoris Salmanticensis errores sine Concilio generali propria authoritate damnavit: Osmanni errores erant: Confessionem non esse Sacramentum, sed rem humana lege non divina inductam: Secundus Ecclesiam Romanam posse in hæresin prolabi contra Apostolum asserentem Ecclesiam esse *columnam, & fundamentum veritatis*; cùm Sixtus Papa hos errores hæresis notasset Petrus Palinodiam canens his verbis, statim Fidem suam expressit ut habet Rainaldus Anno 1479. *Consentio S. Matri Ecclesiæ Romanæ, & Sedi Apostolicæ, & ore, ac corde confiteor, illam me fidem tenere, quam Dominus Sixtus Papa authoritate Apostolica, & Evangelica tenet; & omnes qui contra hanc Fidem tenuerint, dignos æterna damnatione pronuntio.* Gregorius XIII. Michaelis Bai Lovaniensis Universitatis Cancellarii septuaginta novem propositiones ut hæreticas anathematizavit, quas postea Bajus retractavit sequenti anno dixitque Bajus: *Mallo se porcos pascere, quàm ulla in re Romani Pontificis judicio repugnare.* Innocentius X. quinque Jansenii propositiones, quarum prima fuit: *Aliqua DEI præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt servatu impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Secunda: *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Tertia: *ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos*

actus

actus etiam ad initium fidei; & in hoc erunt Heretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. Quinta *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Has quinque propositiones absque ullo Concilio generali propria authoritate Apostolica ut falsas, temerarias, scandalosas, impias, blasphemas, contumeliosas, hæreticas, & ut divinæ pietati derogantes damnavit, anathematizavit. Et demum Innocentius XI. anathemate inussit pernitiosissimas ac fœdissimas propositiones Ludovici Molinos, & quidem sine Concilio propria authoritate Apostolica, ex quibus apertè infertur praxi in Ecclesia invaluisse, ut Pontifices propria authoritate apostolica sine concilio definiverint res fidei, & pontificiis definitionibus universalis Ecclesia acquieverit ob infallibilem ejus authoritatem. Præterea Pontificis authoritatem infallibilem esse supra & extra Concilium declaravit ipsum Concilium Lateranense, quod fuit Generale, & inchoatum à Julio II. & ad finem perductum sub Leone X. In hoc enim Concilio non solùm authoritas infallibilis Papæ extra Concilium verùm etiam ejus superioritas supra Concilium ac infallibilitas in causis fidei definita fuit sess. 10 ubi & pluribus stabilitur rationibus, & præsertim quia ex Dei voluntate per Scripturas declarata, & ex exigentia recti regiminis ecclesiastici necessaria videbatur hæc in summo Ecclesiæ Pastore infallibilitas in definiendis rebus fidei, Scriptura enim iisdem verbis, quibus asserit Ecclesiam errare non posse hoc idem adstruit de Romano Pontifice: etenim catenus Ecclesia errare non potest, quia ut scribit Apostolus 1. ad Timoth. 3. Ecclesia est *columna, & firmamentum veritatis, & qui Ecclesiam non audit, est instar Ethnici, & Publicani habendus*, atqui hoc pari jure de Petro dici debet, qui fundamentum dicitur Ecclesiæ, cui claves regni cœlorum traduntur, pro cujus fide ne deficiat, Christus orat, & cui soli tertiò præcepit: *Si amas me, pasce oves meas*, unde vel verba Scripturæ Ecclesiæ infallibilitatem non probant, vel si evincunt etiam Petri, & ejus successorum infallibilitatem ostendunt. Bonum itidem regimen Ecclesiæ quod attinet, certum est Ecclesiæ magis conducere, ut Pastor ei præsit, qui sit infallibilis authoritatis independenter à Concilio, & cujus doctrina nihil falsitatis admittat, quam ut præsit Pastor errori obnoxius, quia inde oil certi posset in Ecclesia haberi circa fidem, posset quis semper dubitare, num Pontifex in declarandis fidei articulis, vel condemnandis hæresibus erraverit, unde quod Pastor totius Ecclesiæ sit infallibilis, & non possit errare in definiendis rebus fidei nemini obest, omnibus prodest, quod verò sit errori obnoxius pluribus nocet, ergo cum ad rectum Ecclesiæ regimen pertineat, ut in supremo Pastore sit infallibilitas in doctrina, quam docet ex cathedra, & Christus instituerit suam Ecclesiam, ut perfectò gubernaretur regimine, sequitur evidenter dari hanc infallibilitatem in Romano Pontifice docente ex cathedra, qui enim dicunt Pontificem errare posse in judicandis rebus fidei non id tantùm asserunt, ut de hac controversia disputent in scholis, sed ut illam ad mores corrumpendos extendant, & ad praxim deducant, adeò ut Pontifice aliquid constituente contrarium statim ipsi asserant, & sentiant, negantes posse fidem suam certam dubiæ sententiæ Pontificis alligari, ex quo putido fonte plures scaturiunt errorum rivuli plurimæ in mores, & religionem corruptelæ, posset enim hoc pacto quisque agere judicem Pontificis, & eos damnare, quos ipse absolvit, & econtra absolvere, quos damnavit, hinc supremus Pastor à Christo constitutus in sua Ecclesia subjiceretur quodammodo suis ovibus, à quibus impugnaretur, & iisdem esset contemptui, ex victoria enim vel vera vel putata contemptus oritur victi ut paris, vel inferioris, hinc totum Ecclesiæ regimen confunderetur, ut nullus adesset amplius ovium Christi Pastor visibilis. Quòd si dicas Pontificem extra Concilium esse quidem errori obnoxium ejus tamen decreta esse interim à fidelibus observanda, donec in Concilio rescindantur. Contra est, quia si sententia Pontificis posset à Concilio generali rescindi jam Pastor subjiceretur jurisdictioni ovium, & potiùs diceretur ab ovibus, quàm oves duceret, ac regeret, inferiores enim Episcopi, ex quibus coalescit Concilium generale sunt omnes Christi oves, & reguntur à summo Pastore seu Romano Pontifice, cujus jurisdictioni subjiciuntur, ac ab ejus imperio dependent, præterea si ut dicunt Romani Pontificis decretis est interim obediendum, donec in Concilio rescindantur: Cur non obediunt Leoni X. in concilio Lateranensi; cur non Eugenio IV. in Florentino, cur non Pio II. & aliis pluribus, qui ex cathedra definierunt Concilium generale subesse Pontifici, & ejus sententias quas docet ex cathedra nulli esse errori obnoxias præsertim cum nullum Concilium generale se illis opposuerit, nullum ausum fuit contrarium definire, sed omnia Concilia acquieverint. Hinc Gregorius IV. in epistola, quam direxit ad Episcopos Galliæ, Germaniæ, & totius Europæ, & quæ habetur in cap. præceptis dist. 12. scribit: *Præceptis Apostolicis non dura superbiâ resistatur, sed per obedientiam, quæ a sancta Romana Ecclesia, & apostolica authoritate jussa sunt, salutiferè impleantur si ejusdem sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ est caput vestrum, communionem habere desideratis.* Pelagius Papa in cap. Quoniam 24. quæst. 1. ait: *Contra Apostolicam Sedem temerè credentes pessima dividit opinio, quod schisma specialiter esse denuntiat Augustinus dicens de talibus; Adversus authoritatem illarum Ecclesiarum, quæ ab Apostolica Sede epistolas accipere meruerunt, temerè credendo, immanissimum schismatis crimen a se propulsare non poterit.* S. Leo Papa IX. epist. ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum, quam recitat Baronius ad annum 1054. n. 14. *Quid hoc menstri est frater charissime? Romana Ecclesia caput & mater Ecclesiarum membra & filias non habet, & quomodo potest dici caput & mater, credimus enim propter quod & loquimur atque constanter profitemur: Romana Ecclesia adeò non est sola vel sicut tu putas una, ut in toto orbe terrarum, quæcunque natio dissentit superbè ab ea non sit jam dicenda, vel habenda Ecclesia aliqua, sed omninò nulla, quia potius conciliabulum Hereticorum, aut conventiculum schismaticorum, & synagoga sathanæ.*

CAP.

CAPUT XIII.

Proponuntur, & diluuntur, quæ in oppositum opponuntur.

DIces si authoritas Pontificis sine Concilio est infallibilis, & authoritas Concilii sine Pontifice nullius est authoritatis sequitur in Ecclesia Christi frustra congregari Concilia Generalia, quia ex illis non habetur major authoritas decretorum, quàm si à solo Pontifice emanarent, sed praxis, & usus Ecclesiæ etiam à tempore Apostolorum fuit, ut ad extinguendas hæreses congregarentur Concilia, ergo authoritas Pontificis sine Concilio non videtur omnino esse infallibilis si enim esset omnino infallibilis supra, & extra Concilium, non debuissent Pontifices ab initio Ecclesiæ tot Concilia congregare in rebus fidei definiendis, quod praxi Ecclesiæ adversatur. Sed contra quia tametsi authoritas Pontificis sine Concilio sit omninò infallibilis adhuc authoritas Conciliorum est in Ecclesia saluberrima, ut ostendit D. Augustinus epist. 118. quia præ cæteris utilitatibus hæc est una ex præcipuis, quia Concilium efficax est motivum credibilitatis, quo hæretici convertuntur, & Catholicorum fides magis propagatur, ac stabilitur. Quamvis Concilia non sint per se utilia ut regulæ fidei, sunt tamen motiva credendi cum capite, & ratione capitis sunt regulæ fidei non verò ratione Concilii sejuncti à capite. Prætarea Pontifex in definiendis rebus fidei solet semper Consultores adhibere, qui res examinent, ac discutiant, ut procedat humano modo. Cæterum ex nullo capite colligi potest Pontificem ad definiendas res fidei teneri semper Concilium generale convocare, quia ex verbis Christi satis apertè constat hanc potestatem collatam fuisse Petro, & ejus successoribus absque dependentia à Concilio, adeò ut non nisi temerè, & sine ullo fundamento, & contra naturam privilegii limitetur authoritas pontificia in ipso Concilio generali, & non concedatur extra tale Concilium.

Sed instabis in Ecclesia debet semper esse authoritas aliqua infallibilis, ergo debet hæc saltem mortuo Pontifice inesse Concilio, alioquin nullibi esset; ergo authoritas Concilii etiam sine Pontifice est infallibilis. Sed contra negatur consequentia, quia mortuo Pontifice non est in Ecclesia ulla authoritas infallibilis in ordine ad condenda fidei decreta: sed tantùm adest authoritas ad illa ordinanda, quæ ad electionem Pontificis pertinent. Quando nullus habetur Pontifex vel est dubius, ut persæpe contigit in schismate, vel si esset manifestè Hæreticus, tunc inest Ecclesiæ potestas decernendi, quæ necessaria sunt, ut eligatur, vel ut manifestus fiat verus Pontifex, vel etiam ut declaretur depositus ob hæresim. Sed urgebis Concilium generale legitimè congregatum repræsentat Ecclesiam universalem: atqui Ecclesia universalis teste Paulo, est columna, & fundamentum veritatis, consequenter non potest errare, & ejus authoritas est infallibilis, ex quo sequitur authoritatem Concilii Generalis esse infallibilem, sed contra distinguitur major: Concilium generale unà cum capite repræsentat universalem Ecclesiam, & est authoritatis infallibilis; conceditur, seorsim à capite, & quando Concilium est acephalum, negatur; & concesso minore de Ecclesia cum capite negatur consequentia. Patres Concilii non nisi cum suo capite, seu Romano Pontifice constituunt corpus mysticum Ecclesiæ; ne[illegible] non nisi cu[illegible] habent infallibilem a[illegible] se[illegible] biliter, u[illegible]

teneretur eis credere, vel obedire in iis, quæ non spectant ad electionem Pontificis, quia authoritas Conciliorum seorsim à capite, seu Pontifice est merè humana, quāvis derivata à divina, quæ tota residet in Pontifice.

Dices secundò sancti Patres & sacri Canones asserunt, Pontificem in hæresim lapsum debere à Concilio judicari, eò quia supponunt posse Romanum Pontificem in hæresim prolabi. Sed contra quia Canones expressè loquuntur de errore personali, non judiciali, seu posse Pontificem Hæreticum esse, non tamen posse hæresin publicè, & è cathedra docere. Quia tunc erraret, ut supremus Pastor, & Magister totius Ecclesiæ contra Christi promissionem, *ego rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*, unde tantùm loquuntur de errore personali, quia hic error aut occultus est, aut privatis scriptionibus à Pontifice, & sine imperio & suprema authoritate inspersus, hic enim error personalis non officit Ecclesiæ, quia omnes fideles sciunt, Pontificem extra cathedram posse errare, & tunc tantùm suas pronuntiare opiniones ut provenientes à Doctore privato, quæ opiniones tantum præseferunt certitudinis, quantùm includunt ponderis & rationum. Hujus luculentum exemplum nobis exhibet sacra Scriptura Numer. 14. ubi Balaam Propheta licèt vellet ac maximè cuperet populo Israëlis maledicere, nunquam tamen Deo prohibente potuit: ajebat: *Non potero præterire sermonem Domini Dei mei, ut vel boni quid vel mali proferam ex corde meo, etiamsi dederit Balach plenam domum suam argenti, & auri, sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquor*, & in eodem veteri testamento summo Sacerdoti oraculum non canebat, nisi esset sacris indutus, & Pontificem ageret: pari pacto Spiritus Sanctus non assistit Romano Pontifici in definiendis rebus fidei, nisi cum agit summum Pontificem, & docet ex cathedra, ut Magister universalis Ecclesiæ, & omnium fidelium. Quòd si dicas, inde perpetuum fieri miraculum, quo homo non posset errare cum vel maximè humanum sit errare, unde Pontifex cum semper homo sit etiam cum docet ex cathedra potest errare consequenter, si sit illi impossibile errare, id miraculo est tribuendum. Sed contra quia si per miraculum res intelligatur superior naturæ conceditur, neque hoc in Ecclesia est novum, imò & quotidianum in justificatione peccatorum administratione sacramentorum, sacrificio incruento, aliisque pluribus, quæ vires excedunt naturæ, non enim Ecclesiam natura, sed gratia corroborat, & munit, neque Deo est difficilius supra quàm juxta naturam agere, cum solo nutu & voluntate operetur ad extra quidquid vult, & naturæ nil magis proprium ac innatum, quàm Deo volenti obtemperare, adeò ut quidquid agente Deo naturæ supra naturam accidit, magis sit illi consentaneum quàm ipsa natura, ut enim docent Philosophi, inest cuilibet creaturæ potentia obedientialis ad parendum Deo jubenti.

Dices tertiò assistentiam Spiritus Sancti sub ea conditione fuisse Romano Pontifici promissam, ut in rebus fidei declarandis prævium præmitteret examen, ac sufficientem diligentiam præcederetque humano modo, ut exigunt res arduæ, & summi momenti. Ut autem huic necessariæ diligentiæ satisfiat, necessarium videbatur Concilium generale, quia ejus congregatio fit ex viris, & Patribus toto orbe illustrioribus pietate, & doctrina clarioribus

fitque

fitque propterea supremus humanæ diligentiæ gradus, quò major adhiberi non poteit. Rursus quia nobis non potest innotescere, an Pontifex Romæ sine Concilio sufficientem adhibuerit diligentiam veritati inveniendæ, consequenter non potest nobis constare de veritate decisionis ab eo factæ, eò quia non constet nobis de sufficienti examine, eidem alligato. Sed contra quia fatemur teneri Romanum Pontificem adhibere pro qualitate, & gravitate negotiorum proportionatum examen Doctorum, qui maturè de veritate investigent, neque sufficit unus vel alter Doctor sed plures requiruntur pietate, & doctrina insigniores, quique suas sententias aperiant summo Pontifici, qui non illico definit ex cathedra, sed post diligentissimum examen etiam preces funduntur, ut Spiritus sanctus doceat veritatem juxta promissionem à Christo factam: ad hæc autem non est necesse Concilia Generalia semper congregare, præsertim cum periculum immineat, ne hæresis venenum latius diffundatur, & plura Ecclesiæ membra inficiat: dantur enim ægritudines, quæ lenta remedia non admittunt, idque vel maximè in hæresi extinguenda, cujus favillam nisi statim extinguas, in incendium erumpit. Quòd si casum aliquem ponas, in quo sit opus Concilio, sicut Deus nunquam Ecclesiæ suæ deest in necessariis, ita neque deerit in hisce casibus. Neque tunc sententia Pontificis est alligata plurium suffragiis, sed illi parti, quæ æquior visa fuerit, quamvis minoribus suffulta suffragiis: non enim ad prudentiam pertinet pluribus semper adhærere, sed melioribus. Quòd si quæras unde nam possit nobis innotescere, quòd Romanus Pontifex talem adhibuerit diligentiam, qualem exigit gravitas causæ? Respondetur hoc idem posse etiam opponi Concilio, quod in facto ac examine sufficienti errare potest. Dantur enim aliqua, quæ licet spectent factum, quia tamen à Deo revelata sunt, vel saltem cum revelatis connexa, & spectant ad publicum Ecclesiæ bonum in iis æque ac in juris quæstionibus, nec Pontifex nec Ecclesia errare potest, aut deficere; ad Deum enim pertinet ne desint fini à se præfixo media accommodata: cùm igitur voluerit Deus ut definitiones factæ à Romano Pontifice ut Magistro universalis Ecclesiæ essent infallibiles veræ, & absque ullo errore ad ipsum etiam pertinet impedire, ne sint temerariæ & cæco impetu, & absque sufficienti pravio examine è cathedra prolatæ ad universam Ecclesiam: qui enim vult finem tendit etiam media necessaria ad assecutionem illius, unde non permittit Deus summum Pontificem quidquam definire de fide ex cathedra, quin prius sufficiens præcesserit examen.

Dices quartò S. Cyprianum in Synodo octuaginta Episcoporum contra expressam Stephani Papæ definitionem statuisse Hæreticos rebaptizandos esse, & in eundem Stephanum fuisse acriter invectum ut liquet ex illius epistola ad Pompejum, unde censuit Cyprianus non esse omnino certa quæ à Papa definiuntur, ac propterea posse integra fide impugnari. Sed contra ut huic argumento satisfiat recolenda est origo dissensionum, quæ Cyprianum contra Stephanum Papam concitarunt acriori quidem agitatione quàm S. Martyrem decuisset. Novatus in Africa Episcopus gravium delictorum illic accusatus Romam concesserat, homo fuerat ingenii inquietissimi diffidiis, ac turbulentiis natus, & ut loquitur Cyprianus, *fuit homo curiosus ut proderet, adulator ut falleret, nunquam fidelis, ut diligeret, pax, & ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo, & tempestas ad cienda fidei naufragia*: ubi igitur Romam appulit schisma excitavit Clerumque Romanum in partes, & factiones divisit, Cornelio Legitimo Pontifici Novatianum sacerdotem Romanum opponit, quem etiam à paucis Episcopis Pontificem denuntiari curat. Imò schismati etiam hæreses immiscuit: negavit lapsos, quamvis resipiscentes & patrati peccati pœnitentes recipi debere: hinc se & suos Catharos, seu mundos & ab omni macula defæcatos vocabat, candidam enim induebat ipse vestem in symbolum puritatis & sanctitatis, & quod nollet peccantibus immisceri, eos qui à Catholicis baptismum suscepissent, baptizari iterum jubebat, eò quia ob immunditiam indignos judicabat ut suis condiscipulis confœderarentur. Hinc orti fuerunt Cypriani lites cum Stephano, negabat baptismum ab Hæreticis collatum validum esse, sed necessario esse repetendum, eò quia Hæretici extra Ecclesiam essent, ubi nec sacramenta nec fidei sigilla sunt, nec dantur. Ad hunc errorem stabiliendum tria in Africa fuerunt concilia celebrata, in quibus Cypriani potissimum auctoritate damnatus hæreticorum baptismus jussus est reiterari in recens conversis; & Concilium Carthaginense cui interfuerunt Episcopi octoginta septem per datas epistolas Stephanum Papam de iis, quæ in Africa contigerunt fecerunt certiorem. Improbavit, damnavit Stephanus, quæ in Africana Synodo fuerunt acta circa reiterandum præsertim baptismum hæreticorum in recens conversis ad fidem Catholicam: respondit que Romanus Pontifex: *Si quis à quacunque hæresi ad Ecclesiam venerit, nihil innovetur: nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Hoc responsum cum non fuerit juxta Cypriani votum majorem in illo excitavit contentionis ardorem ægre ferens suam, & plurium sententiam Conciliorum à Romano Pontifice reprobari damnarique; idque causæ cur Cyprianus calamum in Stephanum magis acuerit, ac scripserit ad Pompejum Sabratensem Episcopum epistolam illam 74. in qua exaranda non semel calamus charitatem vulneravit sed & atramentum patientiam delevit martyris. Ante tamen Cyprianum hunc errorem de rebaptizandis hæreticis recens ad fidem conversis invexerant Montanistæ, & Tertullianus, & plures itidem orientis Synodi ante Africana dissidia confirmârunt præsertim Synodus Iconiensis, cui Firmilianus Cæsareæ Episcopus interfuit, ut legitur in *epist* 75. Cypriani, & refert Eusebius lib. 7. 4. & 6. Veritas tamen in hisce oppositionibus victrix evasit ac de prostrato errore triumphavit: omnes quippe Catholici cum Stephano Romano Pontifici adhæserunt, Cypriani sententia condemnata fuit in Concilio Arelatensi I. can. 8. & testatur S. Hieronymus lib. contra Luciferianos etiam in Concilio Nicæno c. 19. fuisse damnatam; inquiens, *Synodus Nicæna omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis*: quinimo principaliores fautores sententiæ Cypriani, contra eandem acriùs postea pugnarunt, eamque expugnarunt, adhærentes Stephani definitioni, & S. Augustinus epist. 48. ad Vincentium existimat Cyprianum ipsum postea sententiam mutâsse: [illegible] Stephanus, & Cyprianus ut [illegible] hæreticis damnatet & monet Augustinus lib. [illegible] contra Donatistas cap. 4. De S. Cypriano [illegible] ex Epistola Synodica ad Stephanum [illegible] Augustinus non [illegible] Cypriani errorem [illegible] contra Donatum cap. [illegible] tat Stephanum [illegible] minatum repetendum baptismum, & [illegible]

ipsa Stephani sententia ad Concilium Carthaginense; quam refert Eusebius loc. cit. ubi Stephanus tantum ait: *Nihil ab antiquis traditionibus quoad hæreticos, qui resipiscunt, redeuntque ad Ecclesiam, innovandum esse:* unde Stephanus nullius hæresis nota Cyprianum inuit. Hisce prænarratis respondetur ad objectionem in qua dicebatur, quòd Cyprianus expressam definitionem Stephani Papæ de non rebaptizandis hæreticis recens conversis ad fidem impugnaverit; Cyprianum sensisse quidem contra Stephanum; non tamen hæreticum fuisse. Quia Stephanus nil adhuc ex cathedra definierat, nec opinionem suam ad fidem pertinere dixerat, & contrariam esse hæresi, unde non potuit Cyprianus hæreticus esse, cum ejus opinio nondum fuerat hæresis declarata. Rursus quia nondum tot Conciliorum, Patrum, & Canonum emerserant decreta, neque praxis satis claré ostenderat Papam extra Concilium errare non posse. Præterea quia exploratum nondum fuerat an sententia illa Stephani emanata fuerat è Stephano ut persona publica, vel ut privato Doctore. Cæterum in hoc erravit Cyprianus quia se Stephano opposuit, cum debuisset ejus sententiæ acquiescere, & quod immunis non fuerit ab omni culpa, edocuit postea Ecclesiæ praxis, quæ Cypriani sententiam hæresin esse censuit: & sancti Patres Cyprianum licet sanctitate illustrem, & martyrio gloriosum intempertantiæ redarguerunt, quos inter D. Augustinus lib. 1, contra Donatistas cap. 58. ubi ait: *Hanc culpam Cypriani falce martyrii fuisse amputatam, & proprio sanguine prorsus deletam:* & cap. 19. asserit fuisse Cypriani peccatum, *quasi nævum in candore sanctæ illius animæ, quam ubera charitatis tegebant.*

Dices quintò, Pontificem posse pluribus aliis se temerare peccatis, & incidere in peccata Simoniæ, avaritiæ, superbiæ, luxuriæ, & aliorum, quæ dispositiones sunt ad hæresim: ergo poterit etiam hæresin incurrere, cum hæc ad alia sequatur peccata. Sed contra, quia tametsi possit pluribus se peccatis Pontifex inquinare, nunquam tamen ex cathedra hæresin docere universam Ecclesiam Deo id non permittente & ob assistentiam Spiritus sancti, qui eum docet omnem veritatem: reliqua peccata quibus potest se Pontifex inquinare sunt personalia & respiciunt Pontificem non ut magistrum universalis Ecclesiæ sed ut privatum Doctorem, posse itidem opiniones hæreticas asserere, non tamen eas docere ex cathedra universalem Ecclesiam: quia ad id requiritur prævium diligens examen, consultatio plurium Doctorum, & diuturna piecum fusi, ad Deum quibus præmissis assistit Spiritus sanctus Ecclesiæ, & suo Pastori supremo ne deficiat in fide, sed Ecclesia stet semper firque *columna, ac fundamentum veritatis.* Christus non pro Petri pietate, amore, humilitate rogavit, sed ne deficeret in fide; quia in hac Petri, & suorum successorum fide Christus suam voluit Ecclesiam fundatam; unde licet Pontifices Romani variis possint se peccatis maculare nunquam tamen Ecclesiam universalem hæresin docere: hinc Christus non dixit, quæ faciunt facite, sed quæ dicunt facite: unde debuit eorum doctrina esse incorrupta. Neque obstat si dicas, Petrum bis, & gravissime errasse etenim Matth. 26. Christum magistrum suum negavit, & ad Galat 2. coëgit gentes judaizare, fueritque propterea à D. Paulo graviter reprehensus. Quod si Petrus errare potuit, à fortiori Rom. Pontifex ejus successor. Nam respondent SS. Patres non corde, sed ore tantùm Christum negasse & quidem eo tempore quo nondum erat Pontifex, nec supremus Ecclesiæ magister: quamvis enim primatus Ecclesiæ promissus illi fuerit ante passionem, & antequam Christum negâsset Matth. 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum*, hoc est de futuro, non de præsenti *do*: Collatus tamen illi non fuit nisi post passionem Joan. ult. *Petre amas me? pasce oves meas.* Fuit igitur Petri negatio culpa Petri piscatoris, non error Ecclesiæ Doctoris è cathedra docentis: adeo ut non fuerit error doctrinæ, & cathedræ, sed privatæ personæ, de qua non procedit quæstio. Quis dicat Petrum docentem à cathedra definivisse, *Christum negandum esse*, cum semper & verbo, & exemplo docuerit, *esse summè amandum?* Ad aliud quod Petrus coëgerit gentes judaizare, respondetur non esse certum, Petrum revera errasse. Plures enim ex Græcis Patribus eum quibus etiam D. Hieronymus *epist. 89.* ad Augustinum nullum in Petro errorem inveniunt, asserentes omnia ex composito, & simulate non verò serio inter Petrum, & Paulum acta fuisse, ad bonum finem, ut æquè gentes, ac Judæos ad fidem Jesu Christi traherent: cum igitur incertum sit, an Petrus tunc erraverit, non potest quidquam certi ex illo deduci. Ab errore excusatur Petrus ab Origene, Didymo, Apollinari, Eusebio, Theoduro, Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto, Cassiano collat. 17. & plerique alii excusant Petrum ab errore asserentes nonnisi simulatè fuisse à Paulo redargutum: alioquin si serio id contigisset, majori fuisset Paulus reprehensione dignus, qui legales ceremonias multò frequentius quàm Petrus adhibuit, & accuratius fuit iisdem usus ut Judæorum sibi compararet benevolentiam: etenim *Actor. 16.* Timotheum ex parte gentili natum circumcidit, quod perinde fuit ac judaizare, legalesque servare ceremonias. *Act. 18.* caput more Nazaræorum totondit. Actor. 21. Hierosolymis cum Judæis se purificavit. 1. ad Corinth. cum Judæis dicitur factus Judæus: an non pluries Paulus legales servavit ceremonias, quàm Petrus? an non acriori fuisset dignus reprehensione: quod si in Petro Paulus reprehenderit, quod ipse pluries usurpavit, dicendum est ex composito, & simulatè id contigisse ut traherent ad fidem æque gentes ac Judæos: alioquin si seriò id Paulus egisset, multo acriùs fuisset ipse corripiendus, quod tamen à Petro factum non fuit: quòd si uterque erravit absolvendus potius esset Petrus qui minus erravit, quam Paulus. Sed non fuit Paulus reprehensus quia non nisi simulatè objurgavit Petrum, nec Petrus erravit: & cum neuter peccaverit uterque absolvitur à præcitatis Patribus Græcis. Patres vero Latini asserunt Petrum errasse non in ipsa rei substantia (siquidem non credebat necessarium usum legalium, cum ipse in Concilio Hierosolymitano Actor. 15. contrarium definierit) sed tantùm errasse in modo, & circumstantiis loci, & temporis: etenim à gentibus discesserat, eorum cibis abstinebat, & totus cum Judæis erat? adeo ut inscius suo exemplo plures in errorem induceret, eo quia crederent necessario à gentilium cibis abstinendum esse, cum Petrus tanto studio ab iisdem se abstineret, ac ritibus uteretur Judæorum, non sine gentilium scandalo qui propterea Christianos aversabantur; idque causæ fuit cur Petrus seriò fuerit à Paulo objurgatus, ita censent Augustinus lib. 2. de Bapt. contra Donatist. cap. 2. S. Cyprianus epist. 71. & alii. Sed quidquid sit de hac opinionum varietate inter Patres Græcos, & Latinos concludendum est Petrum reprehensum à Paulo non errasse in doctrina, sed ad summum exemplo: quia Petrus non definivit ex cathedra, nec docuit judaizandum; sed

tantum

tantum exemplo, quo pluribus erat occasio errandi, quod ansam dedit Paulo eum redarguendi, ne gentiles ab ipso averterentur.

Dices sextò, plures Romanos Pontifices de facto erravisse non quoad modum & circumstantias, sed circa fidei substantiam, etenim Zephirinus ementitis vaticiniis, fictisque à Montano miraculis captus eidem communicavit, & in ejus errores incidit referente Tertulliano lib. adversus Praxeam cap. 11. Liberius Papa teste Athanasio in Epistola ad solitariam vitam agentes hæresi subscripsit Arianæ factus & ipse Hæreticus. Felix II. opera Arianorum, ut testatur Div. Hieronymus in Cathalogo scriptorum in Achaia Episcopus fuit Arianus, & Gelasius I. docuit in Sacramento Eucharistiæ una cum carne Christi etiam substantiam panis post consecrationem perseverare, quam hæresin Lutherus iterum excitavit, ex quo Gelasius contra Eutychen argumentum desumit, ac infert, quod sicut post consecrationem utraque substantia inconfusa perseverat carnis, & panis, ita post incarnationem utraque natura divina, & humana. Verba Gelasii sunt: *Certè Sacramenta quæ sumimus corporis & sanguinis Christi divina res est, propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ, & tamen esse non desinit substantia seu natura panis & vini.*

Sed contra negatur Zephyrinum Papam incidisse in errores Montani. Tertullianus enim, qui id asserit, Montanista fuit, neque in hoc est illi fides præstanda cum præter Tertullianum nullus citetur alius, qui hoc de Zephyrino adstruat. Refert Eusebius lib. 5. cap. 3. Montanistas prius quam in eam incidissent hæresin viros fuisse pietate, miraculis & vaticiniis claros, adeo ut etiam in hæresin prolapsi specimina dederint pietatis, & plures sanctus viros ad se traxerint, atque deceperint, eò quia quidquid apud Catholicos pluris fiebat, hoc exactè & ipsi exercebant, etenim protrahebant jejunia, opitulabantur pauperibus, adversa æquo animo tolerabant, imò & ipsum martyrium subibant, & hac pietatis larva etiam ipse Tertullianus deceptus, quamvis in Libr. de Præscript. cap. decimo quinto Eos fuit acerrimè insectatus postea tamen dexteram iisdem porrigens totis virbus eos propugnavit specie miraculorum, ac vitæ austerioris, quam profitebantur, deceptus: hinc licèt Zephyrinum circumvenerint non tamen ipsum ad ullum traxerunt errorem & cognita eorum fraude nullam cum iisdem communionem habuit, non igitur Zephyrinus ante cognitam fraudem in hæresin incidit Montani, sed tantum mendacio deceptus Montanistas viros credidit pietatis studio insignes virosque culturâ virtutum commendatos: nos verò non negamus posse Pontificem ab uno vel altero Hæretico ita decipi, sed asserimus non posse ut Magistrum Ecclesiæ eam docere ex cathedra errores contra fidem. Ad secundum de Liberio respondetur totam Liberii culpam in eo sitam fuisse, quod tædio pœnarum, ac diuturni exilii, & spe resumendi Pontificiam dignitatem victus primæ fidei formulæ, quam Syrmii ediderant Ariani subscripserit, consenseritque in Athanasii condemnationem. Hæc sola subscriptio totum fuit Liberii delictum, neque alterius criminis ab ullo accusatur. In eodem Concilio Syrmiensi producta fuit etiam alia formula confessionis plena blasphemiis, & impietate in qua Dei Filius non solum non dicitur ejusdem esse substantiæ cum Patre, sed nec etiam ei similis, cujus formulæ adeo ipsos puduit Arianos ut in Concilio Ancirano tertiam ediderint formulam Catholicæ omnino similem omissa tantum voce consubstantialis, quam Constantius fuit amplexus, & secundam expunctam & deletam voluit Imperator, ut scribunt Sanct. Hilarius *lib. de Synod.* Epiphanius *hæresi* 73. Socrates *lib. 2. cap. 29.* Formulam igitur fidei, cui Liberius subscripsit, fuisse plane catholicam & in qua Photini hæreses damnabantur, fatetur S. Hilarius, licet vox illa consubstantialis reticeretur, vel potius ab illa rescinderetur, unde Liberius non approbavit nec docuit ex Cathedra hæresin Arianorum, imò in litteris, quas dixerit ad Orientales Episcopos, indicat eatenus se cum Hursatio, & Valente communicâsse, eo quia eorum fidem catholicam esse agnovisset, liberam ab omni suspicione arianismi: quinimo Augustinus, quamvis acerrimus Arianorum hostis adversus Pascentium Arianum agens ait se illius fidei subscripturum, si nihil aliud catholicæ veritati contrarium inveniat, quàm quod in illa reticeatur vox consubstantialis, ita scribit epistola 174. Sed Liberius ei tantum formulæ fidei subscripsit, in qua vox illa consubstantialis reticebatur seu potius ab ipsa præscindebatur, quod sanè non fuit negare, & docere ex cathedra Ecclesiam universalem Filium non esse consubstantialem Patri, ergo Liberius quamvis formulæ illi subscripserit non tamen approbavit, neque ex Cathedra docuit hæresin Arianorum. Non enim formulæ, cui subscripsit Liberius ullam continebat hæresin & Episcopi, cum quibus communicavit id ipsum credere asserebant, quod in illa continetetur: quamobrem Liberius non potest hæresis redargui, neque quod approbaverit hæresin Arianorum. Cæterum Sanct. Hieronymus eatenus scripsit Liberium hæreticæ pravitati subscripsisse, eò quia Athanasii condemnationi assensus fuit, cujus causa adeo fuit cum fide conjuncta ut fidem damnare videretur, qui Athanasium condemnaret, & quia vocem consubstantialis, quæ tunc erat Catholicorum symbolum, quo ab Arianis distinguerentur omitti passus fuit, & rursus cum Arianis communicaverit, hæ fuerunt causæ, quæ Hieronymum moverunt, ut scriberet Liberum hæreticæ pravitati subscripsisse: Verum licèt graviter Liberius peccaverit ob scandalum Catholicis datum, non tamen professus fuit Arianam hæresin nec illam ex cathedra docuit: ex eo autem quod communicaverit cum Arianis fuisse ipsum Ariana hæresi infectum: quidni veniunt Romam saltem curiositatis causa Lutherani, Calvinistæ & alii ejusdem hominis, cum quibus Catholici Romani communicant, quamvis eorum errores non approbent, imo & condemnent: in civitatibus imperialibus per germaniam communicant Catholici cum Lutheranis aliisq; acatholicis, qui tamen Lutherani non sunt, nec ulla alia infecti hæresi. Quamobrem ex eo, quod Liberius necessitatis causa communicaverit cum Arianis non sequitur fuisse ipsum Arianum. Præterea si qua ei culpa tribuitur hanc totaliter delevit, cum præscidit ac damnavit acta Concilii Ariminensis, eò quia Arianæ hæresi se Patres illi subscripserint, ob quam rescissionem à sede Apostolica iterum pulsus pluribus ærumnis confectus, delitescere maluit in sepulchris, quam cum male viventibus conversari, ut refert Sozomenus lib. 4. cap. 10. Sed dato etiam & non concesso formulam cui Liberius subscripsit, hæreses comprehendisse, adhuc contra nostrum assertum nil posset inferri, quia ex eo, quod subscripserit hæresin non sequitur eam docuisse ex cathedra, sicut Petrus licet Christum negaverit, & Marcellinus thus Idolis obtu-

obtinuerit, neuter tamen ex cathedra id docuit, neque enim Petrus docuit Ecclesiam negandum esse Christum, neque Marcellinus adolendum esse Idolis; pari pacto licèt Liberius subscripserit formulæ illi non tamen ex Cathedra eam docuit Ecclesiam. Ad Felicem secundum, quod attinet, refert Rufinus *lib. decim. histor. cap. 22.* & cum ipso Theodoretus *lib. 2. cap. 17.* & Sozomenus *lib. 4. cap. 10.* antequam eligeretur Romanus Pontifex liberè cum Arianis communicasse non tamen fuisse Arianum, quinimò electum Pontificem omnem cum Arianis societatem abrupisse, & Constantium Augustum eo quod baptismum ab Arianis accepisset, sacris interdixisse, & ob id fecisse Felicem capite diminutum, ut refert Baronius ad Annum 357. Gelasium Papam quod attinet, negant plures ipsum docuisse post consecrationem perseverare in Eucharistia substantiam panis, & inficiantur Gelasium Papam fuisse Authorem illius libri, in quo leguntur præcitata verba. Idque pluribus ostendunt rationibus. Primò quia liber, quem contra Nestorium & Eutychen Gelasius Papa composuit fuit volumen spissum digestum in quinque libros, & præfata verba deprompta sunt ex quodam exiguo libello, ut testatur Genadius de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Anastasius Bibliothecarius. Secundò quia Author libelli de duabus naturis in ipso exordio altercationem de duabus naturis novam & recentem & nuperrimam asserit, & ad illam extinguendam calamum suscepisse, & scriptionem illam incepisse: sed quo tempore Gelasius sedebat Eutychiana hæresis non fuit nova & recens, sed jam rancida, & decrepita, ac veluti pœnè emortua ob plura Concilia, quæ jam dudum illam damnaverant, præsertim Constantinopolitanum, cui Leonis Papæ Legati adfuerunt anno 450. Chalcedonense Oecumense anno 451. postquam à Martiano, & Leone Imperatoribus exterminati sunt Eutychiani, unde Gelasius Papa electus anno 492. non potuit Eutychianam hæresin asserere recens natam. Tertiò quia Author illius libelli inter alios Orthodoxos Pattes citat Eusebium Episcopum Cæsariensem, quem Gregorio Nazianzeno anteponit scil. hominem impium præfert. S. Eusebius enim in Diocletiani persecutione defecit, & Athanasium fuit insectatus, & Arianam hæresin plerisque in locis disseminavit, in qua ipse vitam miserè clausit, & cujus historiam plorimo tinctam venèno, Gelasius Papa inter Apocrypha scripta rejecit. Quartò quia ut testatur Cassiodorus consueverunt Hæretici, & Pelagiani suis in libris Gelasii Pontificis nomen prætexere, ait Cassiodorus lib. de divin. lect. cap. 8. ut res vitiosas gloriosi nominis authoritate defenderent. Hinc pluta adscribuntur ab Hæreticis Gelasio Pontifici, quæ ad alium pertinent Gelasium ex nominis similitudine fraudem quærentes. Quintò quia Cardinalis Baronius observat Authorem illius libelli de duabus naturis contra Eutychen, & Nestorium Gelasium illum fuisse, cujus in bibliotheca meminit Phocius, & qui acta Nicænæ Synodi contra Eutychianos tribus tomis digessit: hic enim scripsit tempore, quo hæresis Eutychiana quamvis pluries jam impugnata, & extincta potentiâ Basilisci tyranni iterum cœpit excitari, quæ causa fuit, ut contra Eutychianos recens natos scripserit. Quòd si libellus ille diceretur etiam à Gelasio Pontifice scriptus, non propterea quidquam contra nostrum assertum inde posset inferri, non enim negamus posse Papam ut privatam personam privatumque Doctorem plura dicere, & scribere, quæ tamen non tenetur Ecclesia credere ut fidei articulos, quia ut privatus Doctor potest in suis opinionibus errare, non verò ut publicus Doctor, & Magister totius Ecclesiæ, cum à Christo concessa est autoritas infallibilis, quoties docet ex Cathedra, rogavit enim Christus Patrem, oe Petri fides deficeret, consequenter nec fides suorum successorum. Pontificis enim doctrina in eo tantùm casu infallibilis est, & libera à quovis errore, quando eam Pontifex docet è Cathedra hoc est cum aliqua inter Christianos exorta controversia, Pontifex rebus omnibus maturè examinatis, & à pluribus viris pientissimis ac doctissimis discussis, ac fusa ad DEUM prece sententiam pronunciat, declaratq; propositionem aliquam ad fidem pertinere, & aliam hæresin sapere. Hæc enim solemnis, & authoritativa declaratio ad universam Ecclesiam directaus actio est propria soli Pontifici, & in hanc doctrinam asserimus cadere non posse errorem, quo tota Ecclesia decipiatur, ac erret, cùm sit columna, & fundamentum veritatis, & Christus rogaverit Patrem, ne deficeret fides Petri, & ejus successoris docentis ex Cathedra. Quod si dicas Gelasium Papam docuisse sacram Eucharistiam sumendam esse necessario sub utraque specie, nec posse sine sacrilegio unam speciem sejungi ab alia; & hanc assertionem esse hæresin Joannis Huss, & Calvini, consequenter Gelasium Papam non posse ab hæresi excusari cujus decretum recitatur à Gratiano in cap. Comperimus de Consecrat. dist. 2. ubi hæc habentur verba: *Comperimus quod quidam sumptâ tantummodo corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant: qui proculdubio (quoniam nescio, qua superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio provenire non potest.*

Sed contra quia Gelasius loquitur tantum de sacerdotibus, qui communicantes post consecrationem non possunt abstinere ab alterutra specie, eò quia sacrificium debet integrè confici, & ita explicant textum præcitatum plures cum Gratiano glossa & rubrica illius Canonis. Alii etiam respondent Gelasium fuisse locutum de illis, qui non ex præcepto Ecclesiæ vel aliqua infirmitate; aut alia necessaria causa abstinebant à binis speciebus, sed tantum ex superstitione ut ibi Gelasius explicans se ipsum fatetur, eo quia inter Manichæorum hæreses ea etiam fuit qua superstitiosum esculentorum delectum inducerent, & abstinerent à carnibus & vino, quibus divinam non inesse substantiam asserebant, sed à malo principio proficisci: & ob hanc causam Manichæi abstinuerunt in Eucharistia à speciebus vini, & tantum ne hæresi notarentur cum aliis Catholicis Eucharistia sub panis speciebus fruebantur, ut refert Sanct. Leo Papa *sermon. 4. de quadrages.* ut testis oculatus: unde opottuit id temporis usum calicis fuisse Catholicis liberum, & aliquando eo non consuevisse uti: si enim sub utraque specie Catholici necessariò sumpsissent Eucharistiam statim qui essent Manichæi apparuissent, unde ex monitu Pontificis ad evellendam Manichæorum hæresin, qui sub una tantum panis specie communicabant Manichæis accensebantur, quapropter Gelasius Papa in *cap. Comperimus* non absolutè eos damnat, qui sub una tantùm specie Eucharistiam sumunt, sed qui ex superstitione, & sacrilegio hoc modo communicabant sicut Manichæi. Certum est fideles sub Ecclesiæ initiis consuevisse communicare vel sub una tantum, vel sub utraque specie, ac in potestate Ecclesiæ fuisse præcipere communionem modo sub una, & modo sub utraque specie

prout

prout magis congruum visum eidem fuit ad evellendos, ac confutandos errores Hæreticorum ut ex Conciliis & SS. Patribus liquet. Quia Nestorius docuit fideles sub speciebus panis sumere tantum corpus Christi sine sanguine, & sub speciebus vini solum sanguinem sine corpore. Ecclesia in Concilio Ephesino ad extinguendam hanc hæresim licet fideles antea communicaverint sub utraque specie, præcepit, ut imposterum sub specie tantum panis communicarent, quò crederent totam Christi humanitatem, seu corpus cum sanguine sumi sub una tantùm specie panis. Verbum divinum quod semel assumpsit nunquam dimisit, unde si sub specie panis reperitur cum corpore, necesse est, ut ibi etiam cum sanguine. Tum quia Apostoli in ultima cœna communicantes sub specie panis non sumpserunt Christi corpus sine sanguine, nec corpus mortuum, seu Christi cadaver. Cum nondum esset mortuus, sed corpus vivum, proinde cum sanguine: & fideles nunc communicantes sumunt idem corpus Christi, quod in ultima cœna sumpserunt Apostoli, consequenter sumunt corpus vivum & cum sanguine: corpus enim humanum sine sanguine non vivit: hæc igitur Nestorii hæresis ansam dedit Ecclesiæ præcipiendi fidelibus communionem sub sola specie panis.

E converso, quia Manichæi asseruerunt Christum non habuisse verum corpus humanum, sed tantum phantasticum; Ecclesia ad extinguendam hanc hæresim præcepit fidelibus communionem sub utraque specie, ut crederent se sumere verum ac reale corpus, verum ac realem sanguinem; & Gelasius Papa *cap. Comperimus de consecrat. dist.* 2. vocat sacrilegos communicantes sub sola specie panis, eò quia cum Manichæi crederent à se sumi corpus phantasticum Christi: hæcque communio à Gelasio dicitur sacrilega in hoc sensu. Hinc patet posse Ecclesiam præcipere communionem sub una, vel sub utraque specie juxta circumstantias temporum, personarum, ac exigentiam Ecclesiæ ad expugnandas hæreses. Leges enim Ecclesiasticæ conduntur vel mutantur prout bonum commune Ecclesiæ, & fidelium exigit, perinde ac leges civiles sanciuntur vel abrogantur à Principibus sæcularibus juxta exigentiam boni publici. Hinc Ecclesia quia Nestorius negavit Mariam Virginem esse Matrem Dei, sed tantum Jesu hominis non Dei, præcepit in Concilio Ephesino, ut à fidelibus *Mater Dei* vocaretur. Quia Donatistæ iterabant baptismum, licet hoc Sacramentum ab Ecclesia per trinam immersionem conferretur; in Concilio Toletano sub Gregorio Magno statutum fuit, ut deinceps non nisi per unicam infusionem aquæ ministrari deberet, ad abolendam hæresim Donatistarum. Imo & Apostoli, ne cum Judæis convenirent festum Sabbathi transtulerunt in diem Dominicum.

Dices septimo Vigilium Papam non posse excusari ab hæresi Euthychiana cum anathema illis dixerit qui duas in Christo naturas faterentur ut luculenter narrat Liberatus Archidiaconus Ecclesiæ Carthaginensis in suo Breviario cap. 22. ubi etiam recitat Epistolam Vigilii directam ad Theodoram Augustam, & habetur in *2. Tom. 2. Concil.* ergo nulli potest dubium esse, quin Pontifex possit in hæresim prolabi. Sed contra quia quando Vigilius fuit verus Papa omnem cum Eutychianis communionem rescidit, seque Theodoræ Augustæ opposuit faventi Eutychianis, & ob id fuit Vigilius ex ira Imperatricis pulsus è Cathedra Petri, & in exilium missus ubi pœnis, & ærumnis confectus gloriosè obiit à sanctis Patribus laudatus. Casus enim Vigilii tametsi turpis fuerit, contigit tamen antequam esset verus Pontifex. Res ex Liberato ita se habuit: Theodora Augusta cum hæresim Eutychianam animo foveret, ac doleret à Romanis Pontificibus suæ fidei Episcopos præsertim Anthimum fuisse sede expulsos ac deportatos; Vigilium Agapeti olim Diaconum subornat, ei offert multiplicem auri copiam, imo & papatum pollicetur, si vellet Chalcedone acta rescindere, & Eutychianam fidem approbare, ac Anthimum restituere. Quidni Vigilius æquè auro, ac Pontificatui inhians omnia juxta Theodoræ Augustæ vota spopondit, hinc Sylverio tunc legitimo Pontifice in exilium pulso, accusatoque, quod cum Gottis colluderet, præpotentia Belizarii exulanti Sylverio sufficitur Vigilius, qui statim ad Theodoram Augustam secreto Chirographo professus est Eutychianam hæresim monita Imperatrice ut omnia inviolabili silentio obtegeret, ne si res vulgaretur, Romani palam deficerent, ex quo liquet Vigilium hæresi Eutychianæ tunc tantùm subscripsisse, quando fuit intrusus in Petri Cathedra, & nondum foit verus Pontifex cum adhuc Sylverius verus Pontifex in exilium pulsus, cum verò postea decessisset Sylverius, & Theodora Augusta à Vigilio peteret, ut fidem servaret jam pridem occultis literis obstrictam, restitueret suæ sedi Anthimum Patriarcham, ac servaret, quæ promiserat, tunc Vigilius ut verus Pontifex negavit posse à se servari, quæ temerè promiserat; excanduit ira Theodora Imperatrix in Vigilium, quem expulsum statim è Petri Cathedra voluit, & in exilium egit, ubi ærumnis confectus sanctè obiit, ut referunt Paulus Diaconus in vita Justiniani Sanct. Gregorius M. lib. 2. epist. 36. ad Episcopos Hiberniæ. Hinc ex historia Vigilii claré ostendat ipsum ut Papam non docuisse, nec fuisse Professum ullam hæresim, quin potius maluerit Pontificia dignitate & sede expelli, & ærumnis absumi, quam hæresim profiteri, & servare, quæ Theodoræ Augustæ promiserat.

Dices octavo, Honorium I. Romanum Pontificem fuisse hæreticum Monothelitam fatentur testes omni exceptione majores, & eandem hæresin docuisse in duabus epistolis ad Sergium, adeo est certum ut ob eam causam damnatus fuerit à sexta generali Synodo Constantinopolitana sub Agathone Papa, & inter hæreticos recensitus. Verum hujus Pontificis causa videtur dubia: si testes spectemus Monothelita fuit; sin verò causas, & rationes, necesse est ut eam ab quavis hæresis labe absolvamus: etenim si authoritatem ponderes eum accusantium hæreseos, inficiari non poteris eum fuisse hæreticum Monothelitam: cum id fateantur plura Concilia œcumenica sexta, septima, & octava, & præsertim hoc ultimum act. 7. quibus omnibus semper interfuerunt legati Apostolicæ sedis, qui si eum novissent innocentem proculdubio reclamassent: quin imo præter Concilia hæreseos illum accusatunt Hadrianus II. Papa, ut habetur in actis octavæ Synodi generalis. Leo Papa in litteris ad Constantinum Augustum, Agatho Papa ad eundem Augustum. Leo Papa II. epist. 2. ad Episcopos Hispaniæ & epist. 5. ad Eunigium Regem Hispaniæ. Nicephorus patriarcha Constantinopolitanus epist. ad Leonem III. papam. Tharasius ad summos sacerdotes Antiochiæ, & Alexandriæ, & sanctæ urbis. Theodorus cum Synodo sua Hierosolymitana ut habetur in 7. Synodo act. 3. Beda de natura rerum cap. 61. Nonne producti hactenus testes dixeris omni exceptione majores, quorum Authoritati sit pro-

propterea fides præstanda? quod si eorum fidem in dubium verteris, nulli erit historiæ ampliùs præstanda fides cum earum authores minoris habentur authoritatis: sublatis autem historiis, & traditionibus nulla suppetunt arma quibus Catholici machinas valeant hæreticorum evertere: unde si testibus innitimur. Honorius I. Romanus Pontifex ab hæresi non potest Monothelitarum excusari. Sin verò causas, & rationes attendamus necesse est eum à quavis hæresis nota liberemus; ejusque fateamur innocentiam. Ut autem veritas sine ullo fuco splendeat clarior, erit res repetenda ex ipsa historia, & litteris Sergii Monothelitæ ad Honorium Papam directis. Heraclius Imperator postquam fugasset, ac vicisset Persas, & intra Tigrim coërcuisset, oneratus palmis, & victrici coronatus Lauro Hieropolim ingressus est; ubi ab Athanasio Jacobitarum Patriarcha officii causa invisitur: hunc Heraclius benignè monuit ut tandem depositâ cum suis asseclis Eutychiana hæresi, quæ unam tantùm in Christo naturam fatebatur, velit in gratiam cum Ecclesia reverti, & Decretis Concilii Chalcedonensis acquiescere. Athanasius siquidem hæresi Monothelitarum jam infectus erat, qui ex Eutychianis progeniti duas in Christo naturas admittebant, sed unam tantùm voluntatem, unam duntaxat operationem, quæritque ex Imperatore quid ipse de Christo sentiat; an duas in ipso concedat voluntates, duasque operationes; vel unam duntaxat? Heraclius ad hanc Athanasii interrogationem hærens anceps per epistolas consulit Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, & Cyrum Phasidis Episcopum; ab utroque responsum accepit, unam duntaxat in Christo esse voluntatem, unam operationem; idque adeo Cæsari persuasum ab illis Episcopis fuit, ac altè menti impressum Imperatoris, ut publico edicto, quod ecthesis, seu expositio vocabatur; unam tantùm in Christo voluntatem, unam operationem esse promulgari per totum orientis imperium jusserit, ac ab omnibus credi. Sergius favore munitus Imperatoris congregata Synodo novam hæresin Patrum suffragiis firmiùs stabilire conatus est, ac Imperatoris edictum ab Episcopis subscriptum spectante populo ad fores templi S. Sophiæ coram omnibus affixit, ut singulis innotesceret: quod etiam Cyrus Alexandriæ exequutus est. Sophronius tamen sanctitate, & doctrina tunc clarus se opposuit nascenti, & exultanti novæ hæresi, & ex Monacho Episcopus Hierosolymitanus postea creatus Monothelitas anathemate percussit, & hæreticos pronunciavit. Sergius tunc Catholicorum, & præsertim Sophronii authoritatem veritus Honorio Pontifici epistolas dedit, quibus simulata hæresi, quam publicè in Synodo professus fuerat, & edictum Imperatoris ab Episcopis subscriptum; novas scribit à Sophronio excitari turbas, ac omnia inter Catholicos dissidiis lacerari, ac turbulentiis, discordiisque misceri, novis vocularum disputationibus animos turbari, ac fideles non sine gravi vulnere charitatis mutuis sejungi dissentionibus: ad morbum coërcendum, simulque curandum oportunum fore pharmacum si nec una in Christo voluntas diceretur, nec duæ, sed ab hisce quæstionibus, quæ faces sunt discordiarum præscinderetur; & jubeatur id de Incarnatione Verbi divini credi à fidelibus, quod Patres, & Synodus Chalcedonensis definiverunt, & ultra Concilii Decreta nihil esse innovandum. Huic Sergii epistolæ, quæ recitata fuit in sexta Synodo *act.* 12. & habetur tom. 3. Concil. respondit Honorius, ut habetur in sexta Synodo act. 12. & 13. in 3. tom. Concil. *Duas esse in Christo naturas, easque discretas, inconfusas, non permixtas; sicque hæreticum esse Eutychen, qui illas confunderet. Utramque naturam operari, divinam quæ Dei sunt, humanam, quæ hominis. Abstinendum tamen à vocibus duarum vel unius voluntatum idque pluribus de causis. Primò quia voces illæ hactenus inauditæ, & ideo partim essent simplicibus suspectæ, partim offendiculo, cum eas non satis intelligerent. Secundò quia qui unam voluntatem diceret videri posset, unam quoque naturam admittere, sicque in hæresim Eutychianam elabi: qui verò duas voluntates, duasque operationes diceret, suspectus fieret hæresis Nestorianæ, quasi in duas operationes, ita duos operantes, & consequenter duas in Christo personas agnosceret. Tertiò. Quæstionem de una, aut duabus voluntatibus in nulla Synodo, nec à Patribus definitam esse; non ergo ad dogma fidei pertinere. Quartò. Videri hanc quæstionem vel ad Grammaticos, vel ad Philosophos pertinere, cur ergo illius causa fideles turbentur? Quintò. Cum duæ in Christo voluntates esse dicuntur, aliquos sic intelligere, quasi duæ contrariæ, pugnantes, discordes in Christo voluntates fuerint; ita ut humana nollet, quod vellet divina: id vero falsum, & absurdum esse: sed in hoc sensu unam tantum in Christo voluntatem; hoc est non diversam, nec contrariam dari, cum Christus naturam hominis, non culpam, aut repugnantiam naturæ cum divina voluntate assumpserit.* Hæc fuit responsio Honorii I. Romani Pontificis ad Sergium, & propter quam hæresis Monothelitarum accusatus, ac ut reus damnatus fuit à pluribus ut constat ex citatis testibus; & tota Honorii responsio, & sententia extat *tom. 2. Concil. in actis sextæ Synodi act. 12. & 13.* ubi facilè à quovis legi potest. Verùm tantùm abest ut ex hac responsione Honorius incurrerit hæresim Monothelitarum, ut potiùs illam damnet; non eam adstruit, sed destruit: Etenim Monothelitæ duas negarunt in Christo voluntates, duas operationes; sed unam tantum adstruebant, ut constat ex ecthesi ab Heraclio Imperatore vulgata: & Honorius in sua ad Sergium responsione expressè ait non esse dicendam unam voluntatem, nec unam operationem, sed unum operantem, & non duos operantes, quia una tantum in Christo datur persona non duæ, & Honorius monet Sergium ut inposterum desistat unam in Christo dicere voluntatem: Monothelitæ siquidem eatenus unam in Christo asserebant voluntatem, ut ex illa unam tantùm inferrent naturam, cum natura humana sine voluntate esse non possit; inde dolosè naturam divinam negabant in Christo, quem cum Arianis putant assererent creaturam licèt cæteris nobiliorem: ne igitur lateret anguis in herba Honorius expresse asseruit dari in Christo duas naturas distinctas, inconfusas, & discretas. Rursus Monothelitæ nullam propriam, ac humanam operationem in Christo agnoscebant; sed tantùm divinam: asserebant enim ex duabus operationibus duos inferri operantes, & ex duobus operantibus duas personas. Honorius verò in secunda ad Sergium epistola expressè duas confitetur inesse Christo naturas, & singulis naturis suam propriam tribuit operationem, quamvis ad evitandam ex novis vocibus offensionem in rudioribus satiùs censeret reticere duas operationes; ait Honorius: *Pro una quam quidam dicunt, operatione, oportet nos operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veraciter confiteri: & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo ipsas potius duas naturas in una persona inconfusè, indivisè nobiscum prædicare propria operantes.* Satis apertè expressit Honorius in Christo duas naturas divi-

divinam, & humanam cum suis propriis operationibus, & unam tantùm personam divinam, ut docet fides Catholica. Si enim quælibet natura habet propriam operationem divina divinam, humana humanam, duæ habentur in Christo voluntates quarum una non est alia; perinde ac volitio divina non est humana, cum illa sit infinita, & increata; hæc finita, & creata unà cum anima rationali: & sicut repugnat idem esse simul finitum, & infinitum; creatum, & increatum; ita implicat voluntatem divinam esse eandem cum humana; bene tamen humana voluntas dicitur divina non per identitatem, quia non est eadem entitas cum ipsa; sed per conformitatem; quatenus voluntas humana in Christo nihil aliud voluit, quàm quod voluit divina. Non igitur Honorius Romanus Pontifex ex eo quòd dixerit in Christo unam esse voluntatem per conformitatem humanæ ad divinam adeo ut non fuerint pugnantes, & oppositæ voluntates fuit Monothelita cum ipse negaverit quod Monothelitæ docebant, & affirmaverit, quod ipsi negarunt. Testis hujus sententiæ Honorii est S. Maximus Abbas, & Martyr, qui floruit dum viveret Honorius in celebri illa cum Pyrrho Monothelita disputatione quam ex Græcn in Latinum translatam recitat Baronius *in calce tom.* 8. *Annalium*, ubi Pyrrho authoritatem Honorii alleganti respondit: Honorium non negâsse duas in Christo voluntates divinam, & humanam; sed tantum negâsse duas voluntates contrarias, & inter se pugnantes, quales in hominibus plerumque reperiuntur, quando spiritus concupiscit adversus carnem, & caro adversus spiritum; in quo dixerat Apostolus, *sentio in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meæ.* Quod si dicas Honorium in duabus illis epistolis consensisse cum Pyrrho Monothelita, respondetur consensisse quoad ea, quæ erant juxta sanam doctrinam fidei Catholicæ; non verò in aliis quæ hæresim redolebant. Scripserat Pyrrhus Honorio causâ dissidii componendi necessarium sibi videri, ut nec duæ in Christo voluntates dicerentur; neque una, sed duæ tantùm naturæ, ad quæ respondit Honorius sibi placere quod in Christo duæ dicantur inesse naturæ divina & humana, quia hoc fides catholica docet, hoc sacræ scripturæ affirmant, hoc Apostoli & sancti Patres semper in Ecclesia asseruerunt: sed in illis duabus naturis duæ continebantur voluntates, secus cum Pyrrhus scripsit unam tantum in Christo voluntatem, unam operationem, Honorius se opposuit, & hanc sententiam, quam Pyrrhus nitebatur inter Episcopos disseminare, expressè impugnavit. Præterea quidquid sit an Honorius senserit, opinatusque fuerit, dari in Christo unam tantum voluntatem; non tamen hanc sententiam docuit ex cathedra Ecclesiam, neque ut supremus Pastor proponit illam fidelibus credendam; sed ad summum errasset ut Doctor privatus, quia responsiones illæ ad litteras Sergii fuerunt privatæ directæ ad Sergium ut personam privatam; neque in illis quidquam dicit de una vel duabus voluntatibus: bene tamen expressè fatetur dari in Christo duas naturas cum propriis suis operationibus, & quia quælibet natura propriam sibi identificat voluntatem; si non explicite, certè implicitè fatetur dari in Christo duas voluntates. Quamobrem constat Romanum Pontificem docentem à cathedra nunquam errasse, nec posse errare. Hæc regula est semper præ oculis habenda: Definitiones Romani Pontificis tunc esse certas, infallibiles, & nulli obnoxias errori, & quibus propterea reluctari non licet: quando quæstione aliqua ad sedem Apostolicam delata, eaque maturè perpensâ discussis utrinque argumentis, ac examinatis diligenter meritis causæ; fusisque pluries ad Deum precibus, ac ope implorata Spiritus sancti, Pontifex sententiam pronuntiat, & illam non ad unam, vel alteram dirigit personam sed ad universalem Ecclesiam ad omnes fideles dirigit, quos ut Pastor Dominici gregis obligat ut ita credant: non quod ipsa Pontificis sententia sit causa credendi; sed tantùm applicatio certa, & infallibilis divinæ revelationis cui fides nostra solùm innititur: hæc enim Pontificis propositio, est applicatio certa divinæ revelationis ob promissionem Christi factam Petro, & ejus successoribus quod portæ inferi non essent prævalituræ adversus Ecclesiam; & quia rogaverit Patrem ne deficeret fides Petri & ejus successorum docentium à cathedra fideles: hæc sententia eum authoritate, & imperio aliquid definiens ac proponens toti Ecclesiæ ut dogma credendum de fide est proprius actus summi Pontificis, ut est supremus Pastor totius Dominici gregis. Alii actus, cujusmodi sunt epistolæ, rescripta, responsa ad quæstiones privatorum, vel etiam particularium Ecclesiarum non sunt actus supremi Pontificis, ut summi Doctoris, & Pastoris totius Ecclesiæ Catholicæ; sed sunt actus privati Doctoris, & magistri quem posse errare non diffitemur: siquidem scimus plures Romanos Pontifices hoc modo ut privatos Doctores errâsse, ut Gregorius III. qui in epistola ad Bonifacium, quæ habetur tom. 3. Concil. & in c. quod proposuisti 32. q. 7. ob infirmitatem uxoris permittit marito aliam ducere. Nicolaus I. qui docuit Baptismum in nomine Christi valere sine expressione trium personarum *c. à quodam de consecrat. d.* 4. contra Canonem *multi*, & Canonem *in Synodo ead. dist.* Alexander III. & alii Pontifices concedentes matrimonium ratum dirimi per aliud matrimonium consummatum *in cap. licet de sponsa duorum.* Innocentius III. *in c. per Venerabilem*, ubi ait legem veterem nec dum plenè esse abrogatam. Nicolaus III. *in cap. exiit de V. S. in* 6. ubi docet, Christum perfectam docuisse paupertatem, quæ consistit in abdicatione omnis Domini tam in particulari, quàm in communi: quam propositionem esse definit Joannes XXII. *extravag. ad Condit. & quia quorundam de V. S.* Et Joannes XXII. negavit animas Beatorum ante resurrectionem visuras intuitivè Deum teste Gersone serm. de Paschate. Cœlestinus III. in cap. quanto de Divortiis, ubi Innocentius III. testatur eum existimatum matrimonium dissolvi altero conjugum in hæresim delapso. Hi omnes fuerent errori obnoxii ut Doctores privati; non verò ut summi Pastores docentes universalem Ecclesiam ex cathedra: nullus enim ex prærecensitis Pontificibus suam opinionem proposuit ex cathedra toti Ecclesiæ ut credendum de fide. Sed dices, plura à summis Pontificibus, imo etiam Conciliis fuisse statuta, non ut explorata fidei, sed tanquam magis probabilia: ergo non quia sunt definita sunt certa, sed tantùm magis probabilia: etenim *in cap. Firmiter de summa Trinitate* Concilium Lateranense ita loquitur: *Firmiter credimus & simpliciter confitemur, quod unus est solus verus Deus creator omnium visibilium, & invisibilium corporalium, & spiritualium, qui simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam corporalem & spiritualem, angelicam videlicet, & mundaneam.* Sed non est certum de fide fuisse angelos conditos simul cum creaturis corporeis; adeo ut sententia asserens Angelos fuisse creatos ante mundum corporeum non sit contra fidem, neque propositio hæretica; licèt temeraria esset

esset id asserens ut docet Div. Thomas 1. part. quæst. 61. act. 3. Ita etiam in clementina *unica de sanctissima Trinitate* : ea opinio ut probabilior eligitur, quæ habet in baptismo gratiam, & virtutes infundi. Sed contra, quia cum Concilia & Pontifices aliquid definiunt, & addunt propositionem sic definitam esse credendam de fide divina, vel anathemate percutiunt sententes contrarium; vel volunt eam firmiter à fidelibus credi, & non ita credentes pronunciant hæreticos; tunc non tantum ut magis probile volunt à fidelibus credi definitum, sed ut certum de fide: est enim fides de certis veris, sicut hæresis de certo falsis quavis probabilitate exclusâ, ut habetur in cap. damnamus de summa Trinit cap. unic. eodem in 6. clement. unic. eod. §. 2. Secus quæ in Conciliis, vel Pontificum decretis adducuntur explicandi tantum causâ propositionem, de qua est quæstio, vel ad objecta respondendi, vel rationes aliquas in confirmatione veritatis afferendi, vel incidenter solum, & præter causam principalem; hæc non proponuntur tunc ut credenda de fide, ad quam non pertinent, sed solum ad uberiorem Pontificum doctrinam: conciliis verò ac summis Pontificibus ea tantùm certitudo data est, quæ Ecclesiæ erudiendæ necessaria fuit. Quòd si summus Pontifex sententiam aliquam non anathemizat, nec hæresis notet, sed tantum velit eam doceri sub pœna excommunicationis, vel eandem prohibeat sub eadem pœna, tunc propositio caret omni probabilitate practica, adeo ut non possit licitè deduci ad praxin, quamvis non sit propositio hæretica: exempla plura habemus in jure canonico in cap. com Christus, & in cap. ad abolendum de hæret. cap. gaudemus de divortiis; & in pluribus propositionibus, quas recentiores Pontifices damnarunt, quæ quamvis non sint hæreticæ accedente tamen prohibitione privantur omni probabilitate practica, nec possunt licitè exerceri.

Dices nonò Romanum Pontificem in quæstionibus facti esse errori obnoxium, ut communis, fert doctorum sententia: ergo poterit etiam errare in quæstionibus juris, ac in fidei decretis ac generalibus morum præceptis: etenim plura sunt, quæ ad fidem pertinent & consistunt in facto, ut sacramentū pœnitentiæ fuisse à Christo institutum; & sacramenta militantis Ecclesiæ esse septem sunt quæstiones facti pertinentes ad fidem: quin imo in omnibus definitionibus, quæ ad fidem moresque spectant non aliter summus Pontifex à Spiritu sancto dirigitur, nisi præmissa prævia discussione, ab diligenti examine: sed ea diligentia in quæstione facti est erroribus obnoxia; potest enim contingere ut non sufficienter quæstio examinetur, vel non doctiores, ac peritiores ad concilium vocentur, & non bene perceperint, quæ in oppositum objiciebantur, vel unam tantum audierint partem non aliam; hæc omnia sunt facti, & errori obnoxia: ergo etiam decreta Pontificia circa res fidei ac morum, quæ ab aliis quoad examen & discussionem pendent, sunt errori obnoxia. Sed contra, quia quæstiones facti sunt duplicis generis: quædam enim sunt facta immediate à Deo per scripturas, vel traditiones apostolicas revelata, vel cum revelatis inseparabiliter connexa; ut quod Christus realiter sub speciebus Eucharisticis existat, & ex vi verborum consecrationis substantia panis tota mutetur in substantiam corporis Christi perseverantibus tantum iisdem accidentibus panis: & in hæc facta nobis per scriptutas vel traditiones revelata non potest cadere error, quia Deus non potest in suis revelationibus falli nec nos fallere, & repugnat Deum in re ulla facti, vel juris posse errore capi, vel mentiri. Alia sunt facta mediatè tantum revelata, & ad hæc requiritur illa prævia diligentia in examine, & discussione, quæ in rebus fidei definiendis necessaria est. Cum Christus voluerit suam Ecclesiam non posse errare, voluit etiam nihil eidem deesse ex iis, quæ desiderabantur ne erraret: idque causæ cur sexta Synodus contra Monothelitas ex eo quod in Christo essent duæ naturæ, rectè intulerit duas itidem esse voluntates, duasque operationes ob connexionem voluntatis cum natura, cuilibet enim naturæ adnexa est propria voluntas cui identificatur, unde ex eo quod dicuntur esse in Christo duæ naturæ, divina & humana, implicitè dicuntur esse duæ voluntates, duæ operationes. Cæterum in illis quæstionibus facti, quæ nec immediatè nec mediatè revelatæ sunt nobis à Deo, sed ex testimonio tantum pendent humano æque concilia ac Pontifices possunt errare: quia cum fides divina testimonio & verbo Dei innitatur; & vox Papæ sit vox hominis non vero Dei, non potest quæ neque immediatè nec mediate revelata sunt proponere toti Ecclesiæ ut fidei dogmata: quæ verò sunt facti, non sunt revelata, quia defacto ut sunt contigerunt, & ideo dependent à testimoniis humanis quæ errare possunt in facti narratione non quod error cadat supra factum, sed super ejus narrationem, eo quia varientur circumstantiæ: hinc Bonifacius VIII. *in cap. 1. de Constitutionibus* ait, Romanos Pontifices ignorare, quæ sunt facti: & cum ignorantia errori obstetricetur, sequitur, laborantem ignorantiâ posse errare. Et Eugenius IV. qui ex certis magnisque causis dissolvit Concilium Basileense per Bullam, cui initium *Inscrutabili* emanatam Anno 1433. Veritatem facti postea edoctus, per aliam Bullam, quæ incipit *Dudum*, editam sequenti anno 1434. quæ prius statuerat revocavit; non quia Concilium non posset dissolvere; sed quia non ex veris causis, quæ postea illi innotuerunt id egerat: habentur hæ bullæ Eugenii in Actis Concilii Basileensis sect. 16.

Cæterum summus Pontifex errare non potest in ferendis legibus pro tota Ecclesia: quia ex Christi promissione Pontifex non potest errare in pascendis ovibus, *ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Sed oves pascuntur non solum doctrina fidei, verum etiam legibus ac institutis: consequenter non potest Pontifex errare in ferendis legibus pro tota Ecclesia. Præterea quia certum est, non posse in Ecclesia deficere Spiritum veritatis, est enim Ecclesia ut scribit Apostolus ad Titum columna, & fundamentum veritatis: sin autem Pontifex leges conderet divinæ legi adversantes, deficeret in Ecclesia Spiritus veritatis; quod cum sit impossibile ob divinam promissionem, sequitur non posse Pontificem in legibus sanciendis pro tota Ecclesia errare. Si dicas, hunc errorem non videri Ecclesiæ damno, eo quia fideles eam amplectendo non peccarent & procederent bona fide. Tum quia Petro & ejus successoribus promissa tantum fuit firmitas fidei, non ipsa morum honestas: unde potest esse error circa morum honestatem, licèt non circa res fidei. Contra, quia tam etsi fideles obedientes pravis institutis à Pontifice emanatis non peccarent, adhuc tamen pernicioso errore macularetur Ecclesia, cui Christus promiserat Spiritum veritatis in illa semper mansurum: ex hac enim permissione tenetur Christus eam liberare ab omni errore opposito veritati. Præterea quando Christus promisit Petro ejus fidem non defecturam, imperavit etiam Petro & ejus successoribus, ut salubri doctrina & rectis morum institutis suas pascerent oves.

CAP.

CAPUT XIII.

Quomodo evincatur, Pontificem è Cathedra docentem non esse errori obnoxium, & quid propriè sit Papam docere ex Cathedra.

Ostendimus in præcedentibus Romanum Pontificem ita esse regulam infallibilem veritatis, ut errare nequeat in proponendis ex cathedra universali Ecclesiæ rebus fidei ac legibus condendis pro tota Ecclesia, si eas sanciat ac proponat non ut privata persona; sed ut publicus, ac supremus Pastor, cui Christus suas concredidit oves & ut docens ex Cathedra. Dupliciter potest Romanus Pontifex considerari, ut est privatus Doctor, & opinatur circa res dubias, perinde ali privati Doctores, & in hoc sensu certum est posse errare, & de facto errasse plures Pontifices ut personas privatas, liquet ex antedictis. Secundo potest considerari ut supremus ac publicus totius Ecclesiæ catholicæ Magister, Doctor & Pastor docens ecclesiam ex cathedra; & tunc asserimus non esse errori obnoxium. Hæc enim distinctio, qua Pontifex Romanus consideratur vel ut privata persona, ac privatus Doctor, & ut publicus Magister solemniter authoritativè ex Pontificia potestate & ex cathedra docens, non est recens inventa, nec ullum figmentum Catholicorum ut objiciunt Sectatores, sed fuit antiquissima, & in summo Sacerdote veteris Testamenti necessaria, siquidem in veteri Testamento fuit percelebre oraculum Uri & Thümmin, quod in ambiguis, & obscuris quæstionibus summum edocebat sacerdotem, à quo propterea ad pectus gestabatur, neque domesticæ, ac privatæ, sed solemni & Pontificali inscriptum erat, ut habetur Exodi 22. qua ratione voluit Deus ostendere, quomodo esset Ecclesia instruenda, & in ambiguis controversiis, ad quem pertineret judicium certum dare ad summum scilicet sacerdotem id officii tantum demandari, sed non semper, & ubique, sed tunc tantum cum Pontificem agit, quia tunc à Deo, ne erret in regimine Ecclesiæ in rebus fidei proponendis illustratur, & quid proponere debeat, ei suggeritur. Idque causa fuit, cur in veteri lege sacerdotes nunquam consulere oraculum consulere, nec ab ipso responsum accipere nisi prius Ephod induissent, ut legimus 1. *Reg. cap.* 23. & 30. Erat Ephod vestis auro intexta, & variis ex serico coloribus distincta cui oraculum insertum erat 1. Reg. cap. 23. *Cum David rescivisset, quia prepararet ei Saul clam malum dixit ad Abiathar sacerdotem applica ad me Ephod.* Et 1. Reg. cap. 30. *Confortatus est autem David in Domino Deo suo, & ait ad Abjathar sacerdotem filium Achimalech applica àd me Ephod, & applicavit Abjathar Ephod ad David, & consuluit David Dominum.*

In lege itidem Evangelica Christus *Matth* 23. jussit scribas & Pharisæos audiri, ac eorum doctrinam servari, non quod rectâ semper, ac proba docerent, sed quia tunc vera populum docuerunt, cum sedentes super Cathedram Moysis, & Prophetarum vanam doctrinam pronuntiabant, quasi tota radix, & origo authoritatis, probabilitatis & certitudinis eorum in docendo cathedræ adnexa esset, in qua cum publicè populum docerent, sedebant. Quatenus igitur personas agebant publicas veritatem ex cathedra docebant, & jubebat Christus eos audiri, ac eorum doctrinam servari, alioquin ut personæ privatæ erroribus & falsis doctrinis erant Pharisæi & Scribæ obnoxii, & Matth. 23. constat pleraque docuisse impia, erronea, quæ bonis adversabantur moribus, ac legi divinæ. Hanc igitur eandem distinctionem, qua Romanum Pontificem consideramus ut privatam personam, & publicam solemniter authoritative ex Pontificia potestate docentem ex cathedra, docuerunt etiam Concilia præsertim sextum Constantinopolitanum sub Agathone Papa: siquidem Concilium approbat, quæ Agathon Romanus pontifex ut persona publica docens Ecclesiam ex cathedra authoritate pontificia scripserat, & sess. 18. fatetur Agathonem docentem authoritativè ex cathedra, & Sanct. Petrum, ut Christi Vicarium ejusdem esse authoritatis ac infallibilitatis in rebus fidei proponendis, ac controversiis dirimendis, quæ ad fidem pertinent. Secus sess. 13. reprobat, quæ Honorius I. R. Pontifex decreverat ac docuerat, ut privata persona: siquidem non latuit Concilium Rom. Pontificem ut privatam personam esse erroribus obnoxiam; non ita ut publicam docentem authoritativè ex cathedra. Hanc eandem distinctionem docuit expressè Div. Augustinus epist. 165. disputans enim contra Donatistas distinguit in Romano Pontifice cathedram seu personam publicam à privata; & errorem personalem concedit posse cadere in Petri successores, non ita errorem cathedralem, ne Ecclesia, quæ ex Div. Paulo est columna & fundamentum veritatis errori esset obnoxia, idque causæ cur in Canticis describitur sine ruga, & tota pulchra, & sancta, quia tametsi plures in Ecclesia sint peccatores, ut habetur 1. Joan. 1. *Qui dicit se sine peccato ille mendax est:* nihilominus dicitur Ecclesia tota pulchra, quia in ipsa non sunt privatæ personæ attendendæ, sed publica spectanda, quæ fideles omnes docet veritatem. Non enim considerari debent, quæ in Ecclesia à privatis personis aguntur, sed ipsius Ecclesiæ leges, doctrinæ, sacramenta, quæ ad omnes pertinent fideles, & omnia in Ecclesia sancta sunt, ac immaculata: perinde in eadem Ecclesia Romanus Pontifex verus Petri successor, quamvis ut privata persona sit errori obnoxia, & subinde erret, non ita ut publica docens ex cathedra.

Cùm igitur dicimus Romanum Pontificem ut docentem ex cathedra in controversiis fidei non nisi veritatem docere, ac esse authoritatis infallibilis, errori non obnoxium, sermo est de Romano pontifice non quatenus est privata persona, & particularis Doctor, quia hoc pacto ut reliqui Doctores suas proprias opiniones scribit, docet, propugnat & sicut alii Doctores plerumque errant, ita & ipse potest errare; sed sermo est, de Romano pontifice ut est persona publica Doctor & Magister omnium fidelium, ac pastor totius Dominici Gregis docens ex pontificia authoritate universam Ecclesiam sive in Concilio, sive extra Concilium, vel aliquid authenticè proponit toti Ecclesiæ ut credendum fide divina re prius maturè discussâ, & à pluribus peritis, ac doctioribus examinata, quam postea fusis precibus ad Deum & implorata Spiritus Sancti ope definit autho-

authoritativè ex cathedra ut Pastor Dominici gregis, & Doctor omnium fidelium & jubet tanquam fidei veritatem haberi, & qui eam non credunt, Hæreticos esse declarat. In hoc sensu quæ à Romano Pontifice ut docente ex cathedra definiuntur omnem excludunt errorem, ac omnem abigunt dubitationis umbram, non quia hominis voces sint, sed quia sunt Dei decreta loquentis per os sui in Ecclesia militantante Vicarii, unde Pontificis decreta non ea ratione infallibilia sunt, quia Ecclesia ea acceptat, creditque fide divina quasi infallibilitas ab Ecclesia in Pontificis decreta derivetur; sed quia in se sunt Dei decreta pronuntiata per suum in militante Ecclesia Vicarium, & proposita omnibus fidelibus ut credenda fide divina, adeo ut fiant infallibilia, quia vera, certa, & divina, ut consensu unanimi semper docuerunt sancti Patres, definiverunt Concilia, & universalis Ecclesia semper asseruit. Sicut igitur in veteri testamento non omne Pontificis responsum semper oraculum fuit, ita neque omne, quod docet Romanus Pontifex infallibilis est authoritatis, sed ea tantùm sunt infallibilia, quæ Romanus Pontifex, ut persona publica, & Christi Vicarius docet è cathedra. Non tamen ut dicatur Pontifex aliquid ex cathedra definivisse, debemus illum certo alicui medio alligare, sed sufficit, si authoritativè, ut Pastor universalis Ecclesiæ aliquid ei proponat præmisso maturo examine ut credendum fide divina: alioquin inutilis redderetur in Romano Pontifice, & inefficax hæc authoritas: nullus enim posset error à summo Pontifice damnari, quin semper posset quispiam asserere fuisse se illegitimè damnatum, eò quia summus Pontifex vel non sufficienter examinaverit ejus causas, vel paucos in examine adhibuerit Consultores, & hos minùs peritos, vel odio ac passione ductos, quo pacto omnia summi Pontificis Decreta semper illuderentur. Quamobrem ut dicatur Romanus Pontifex ex cathedra docere sufficit, si authoritativè, ut supremus Pastor totius Dominici gregis aliquid proponat toti Ecclesiæ ut credendum fide divina, & non constet Romanum Pontificem temere processisse, tunc ad Dei providentiam pertinet non permittere, ut Pontifex absque sufficienti examine, ac prævia prudenti discussione rei sententiam dicat: qui enim finem constituit, debet & media suppeditare necessaria ad assecutionem ejusdem alioquin frustra *Deuter*, 17. *Matth.* 23. *Luc.* 10. juberentur fideles Ecclesiæ, & sacerdotis imperio obtemperare etiam sub pœna mortis, quia semper à subditis opponi posset præceptum illud fuisse sibi injunctum absque sufficienti examine, ac imprudenter sine sufficienti discussione causæ impositum: hinc in Tridentino *sess.* 25. *de Reform. cap. ult. in fin.* Romani Pontificis prudentiæ, ac discretioni committitur, quem modum adhibere velit in rebus ambiguis definiendis: ait Concilium: Quòd si in his recipiendis difficultas aliqua oriatur, aut aliquam inciderint, quæ declarationem, aut definitionem postulant: præter alia remedia in hoc Concilio instituta confidit S. Synodus beatissimum Romanum Pontificem curaturum ut vel evocatis ex illis præsertim Provinciis, unde difficultas orta est, iis quos eodem negotio tractando viderit expedire; vel etiam Concilii Generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quacunque ratione ei visum fuerit Provinciarum necessitatibus pro Dei gloria, & Ecclesiæ tranquillitati Consulatur. His præmissis

Dicendum est summum Pontificem docentem ex cathedra sive in Concilio, sive extra Concilium non posse obnoxium esse errori in definiendis rebus fidei, aut proponendis authoritativè toti Ecclesiæ credendis fide divina: etenim in Ecclesia militante Concilium à summo Pontifice non confirmatum fallibilis est authoritatis, & potest errare, ut de facto errarunt præsertim Ariminense in quo sexcenti Episcopi subscripserunt in favorem Arii, Constantinopolitanum sub Leone I. & alia; & Concilium nullam in Pontificem corrigendi judicandi ac recipiendi appellationes potestatem habet, necesse est, ut in Ecclesia Romani Pontificis judicium, quod est supremum & ultimum sit infallibilis authoritatis, alioquin omnia in Ecclesia fluctuarent, essent dubia & sub nullo certo Judice, qui subortas fidei controversias totaliter dirimeret, ac dubia omnia abscinderet, quo pacto non rectè à Christo fuisset consultum suæ militanti Ecclesiæ, si in ipsa quæ oriuntur fidei controversiæ non possent plenè solvi, & omnia abscindi dubia, unde oportuit, ut Pontificis judicium, quod est ultimum esset infallibile non quidem judicium Pontificis ut privati Doctoris, sed ut publici docentis authoritativè ex cathedra totam universalem Ecclesiam.

Probari solet hæc infallibilis authoritas Pontificis docentis ex cathedra ex variis scripturæ locis præsertim *Deuter.* 17. ubi summus sacerdos, quæ circa Religionem dubia oriebantur, ea authoritate dirimebat, ut populus teneretur ejus judicio tanquam infallibili & omnino certo acquiescere, & detrectantes parere punirentur ultimo supplicio habetur enim Deuter. 17. *Si difficile, atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter causam & causam lepram, & lepram, & judicum intra portas tuas verba videris variare, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus venies que ad sacerdotem Levitici Generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore quæresque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem: Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo ex decreto Judicis morietur:* hæcque religiosè observans Josaphat Rex 2. Paral. cap. 19. alloquens sacerdotes ait: *Omnem causam, quæ venerit ad vos, fratrum vestrorum ubicunque quæstio est de lege, & de mandato, de cæremoniis, de justificationibus ostendetis eis, ut non peccent in Dominum Amarias autem sacerdos, & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent præsidebit.* Et Ecclesiast. 12. habetur: *Verba Sapientum sicut stimuli, & sicut clavi in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à Pastore uno. His amplius fili mi ne requiras.* Ad clariorem horum textuum captum juvat observare, causas legales fuisse duplicis generis alias sacras, & ceremoniales, quæ versabantur circa Religionem, fidem, sacrificia, & alia id genus, de quibus judicium ferre ad summum tantùm pertinebat sacerdotem, & alias fuisse judiciales circa homicidia, furta, fusionem sanguinis, & alia hujusmodi; & has causas quia civiles magistratus laicalis dirimebat, qui singulis inerat urbibus, ac ob majus populi commodum in portis jus cuique dicebat, ut ab omnibus etiam exteris posset facilius adiri, ut constat ex *Deuter*, 16. Quòd si hæ adeo difficiles, & ambiguæ orirentur, ut ab hoc sæculari magistratu in singulis urbibus obvio definiri non possent; tunc diffidentes causas suas Jerosolymam deferebant, ubi à Concilio Sacerdotum, & præsertim à summo Pontifice, à quo non dabatur appellatio ad aliud tribunal definiendæ erant: omnes siquidem causæ etiam Judiciales ex lege explicabantur, & legis Interpres erat summus Pontifex, cujus sententia incorrigibilis erat, eò quia inconcussam contineret veritatem, ut con-

liter ex *Deuter.* 21. & *Exech* 24. & ex Josepho lib. 4. contra Apionem, & Philone lib. 3. de vita Moysis, Quinimò Sæculares, qui detrectabant summi sacerdotis sententiæ acquiescere ex legis præscripto ultimo mulctabantur supplicio: quo posito ita construitur argumentum, vel in prærecensitis controversiis summi sacerdotis sententia erat infallibilis, vel adhuc falsitati subjecta, & errori obnoxia. Si primum, ergo à fortiori etiam in novo testamento, seu in lege Evangelica debet supremus sacerdos, seu Romanus Pontifex verus in Ecclesia militante Christi Vicarius, & supremus Pastor universi Dominici gregis aliquid docere è cathedra seu proponere authoritativè ut Pontifex toti Ecclesiæ ut credendum fida divina, etenim si hoc privilegium situm in speciali Dei assistentia, ne summus sacerdos erraret in definiendis rebus pertinentibus ad Religionem fuit à Deo Synagogæ concessum, quantò magis congruum erat, ut hoc idem privilegium concederetur in lega Evangelica longè nobiliori veteri summo sacerdoti, præsertim cum iste vices deberet ipsius Christi in militante Ecclesia gerere, ac ejus personam agere? non enim decebat Christi Vicarium docentem è cathedra & agentem personam Christi privari hac speciali assistentia Spiritus sancti præsertim cum Ecclesia sit longè lateque in toto orbe diffusa, & plures eam hæreses impugnent, plures in ipsa oriantur controversiæ, & dubia circa declarationem, ac definitionem rerum fidei, ad quæ dirimenda necessitas exigebat, ut hæc speciali Dei assistentia Christi concederetur Vicario, ut in Ecclesia militante unus adesset Judex infallibilis, qui controversias dirimeret & finem dissidiis imponeret, & à quo ad alium Judicem non daretur appellatio. Si dicatur secundum scilicet summi sacerdotis veteris legis sententiam adhuc fuisse errori ac falsitati obnoxiam, cur ab illa negabatur appellatio? cur erat sententia irreformabilis ut corrigi non posset, cum errorem contineret: cur detrectantes ei parere ultimo efficiebantur supplicio cum non sit dignus morte, qui in rebus fidei sententiam non admittit dubiam, & incertam, cum fides debeat omnino certa esse, omnemque excludere dubietatem. Non igitur justè potuissent morte puniri non acquiescentes summi sacerdotis sententiæ; si hæc adhuc dubia & fallibilis esset, quia nemo tenetur credere, ut certum, quòd in se adhuc est incertum, & ut tale cognoscitur à Judice proferri, etenim etiam in Ecclesia novæ legis, quando controversiæ ita utrinque propugnantur, ut summus Pontifex nondum è cathedra quidquam definierit, nullus damnatur ut hæreticus, nullus punitur, tametsi per multum temporis agitaretur controversia, quia tunc neutra pars est contumax utraque suis nititur rationibus. Non enim fieri potest ut hujusmodi controversiæ oriantur, cùm hominis opiniones variæ sint, ac inter se pugnantes: hinc vel ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio, hujusmodi controversiæ inter viros æquè doctrina, ac sanctitate conspicuos oriri cœperunt, vix Christus Dominus cœlos ascenderat, cum Apostoli ipsi, & primi fideles, quamvis Spiritu sancto pleni & à Magistro Christo edocti acriter cœperunt inter se altercari opinionum dissidiis circa legalium observantiam, ut habetur *Actor.* 15. Et rursus certum est ingentem de eodem argumento intentionem fuisse Petrum inter & Paulum, quamvis uterque Spiritu sancto fervesceret ad *Galat.* 2. Rursus è terris ad cœlestem patriam ereptis Apostolis an in sanctissima Trinitate dici tres hypostases deberent dici inter sanctissimos Orientis, & Occidentis Episcopos pugnatum est, ut sanctus Basilius aliàs modestissimus, & cautissimus ne proximo quidquam detraheret honoris hæresi notavit Orientales Præsules, eò quia eas voces admittere recusaverint, quia crederent idem esse hypostasin quod substantiam innitentes authoritate Nicænæ Synodi in qua anathema in eo dicitur, qui assereret *Filium esse ex alia Usia, seu hypostasi.* Præterea Hæreticos rebaptizandos esse plures Africæ, & Orientis Episcopi pietate, & doctrina insignes existimârunt, fueritque eorum Coriphæus S. Cyprianus neque pugna cum contrarium sentientibus cessavit donec Stephanus Papa litem dirimeret, ac definiret è cathedra: Hæreticos semel debita forma & materia baptizatos, non esse amplius rebaptizandos si convertantur ad fidem Catholicam, cui sententiæ ut omnino infallibili plenè postea acquievit S. Cyprianus, qui suum fassus errorem non verbis tantùm, sed & proprio exemplo cæteros edocuit irrefragabilem summi Pontificis authoritatem in definiendis è cathedra rebus fidei, & quam propugnaverat sententiam proprio sanguine delevit. Rursus orta Semipelagianorum hæresi reque in Ecclesiæ nondum definita per Pontificis sententiam eidem adhæserunt viri doctissimi pietate, & sanctitate in toto orbe illustres, quos inter recensetur Cassianus Presbyter Ecclesiæ Massiliensis & antea S Joannis Chrysostomi discipulus, Gennadius postea promotus ad Infulas Massilienses, Severus Sulpitius Episcogus Bituricensis, quinimo eodem furfure conspersum fuisse S. Joannem Chrysostomum pluribus nititur ostendere Vasquez 1. *p. disp.* 9. *cap.* 8. quamvis alii communiter eum vindicent à tali suspicione: sed Cassianum quod attinet certum est fuisse in singulari sanctimoniæ existimatione, & cum eadem opinione sanctitatis ultimum suum clausisse diem, idque ex eo facilè conjicitur, quia etiam nunc ejus Calvaria Massiliæ in theca argentea interjectis Chrystallis conspicua populo singulis annis colenda exhibetur, eò quia ante ejus obitum nondum Romanus Pontifex quidquam definierit de illa controversia, quæ tunc temporis acriter inter viros doctrina, & sanctitate toto orbe clarissimos agitabatur. Quibus exemplis satis perspicuum est extitisse in Ecclesia inter viros pietate, & doctrina insignes de rebus gravissimis etiam ad fidem pertinentibus actas quæstiones ac diuturnas controversias salva semper fidei unitate, quam tunc omnes profitebantur; nemo hæresis notam contrahit nisi qui pertinax est, & nullus dicitur pertinax, nisi qui convictus, & post summi Pontificis docentis è cathedra definitionem adhuc oppositum propugnat, litemque intendit adversario, & quia in præfatis controversiis nondum veritas erat explorata, & sufficienter expensa, nec sententia prolata, non poterant hæreseos labe notari, qui utrinque altercabantur: ergo si in Synagoga summi sacerdotis sententia in rebus fidei, & religionis non fuisset infallibilis, non fuissent morte puniendi, qui detrectarent acquiescere illi sententiæ: ergo si summus Sacerdos veteris legis in judicandis rebus ad religionem pertinentibus infallibilis fuit authoritatis, multò magis debuit in lege Evangelica hac donari prærogativâ summus Pontifex verus Christi Vicarius, cum Synagoga fuerit figura legis Evangelicæ, in qua potior urgebat ratio constituendi summum Pontificem, qui in rebus definiendis infallibilis foret authoritatis, alioquin omnia in Ecclesia essent incerta, ac fluctuarent dubia, nec unquam hæreses damnarentur, quæ propterea grassarentur vegetiores.

Neque obstat quod respondent aliqui in Synagoga Pontificis sententiam fuisse quidem certam, non tamen simpliciter, sed ut prolatam à Pontifice in Concilio, & ex suffragiis Concilii; non enim scriptura loquitur de uno tantùm Pontifice, sed de pluribus, quæ causa fuit ut Sigonius lib. 6. de Republica *Hebræ. cap.* 7. explicuerit sacrum textum de magno Concilio Sanhedrin, quod ex septuaginta constabat viris in lege peritissimis: ex quo inferunt non posse ex præcitatis textibus inferri sententiam Romani Pontificis infallibilem esse extra Concilium. Nam contra est quia Concilium illud Sanhedrin, cum constiterit ex duodecim duntaxat viris, quotum plures sacerdotes non erant, non fuit œcumenicum, proinde non potest inferri regula infallibilitatis in definiendis controversiis, quæ circa religionem oriebantur, quia non erat generale, neque purè Ecclesiasticum, sed mistum ex Ecclesiasticis, & sæcularibus. Præterea licèt Concilium illud fuisset generale & purè Ecclesiasticum, adhuc nihil concluderetur, quia sententia Pontificis non erat alligata illi Concilio, nec ab ipso erat dependens: siquidem de solo summo sacerdote dicitur: *Qui autem superbiens noluerit obedire imperio sacerdotis, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, morte morietur:* quia scilicet sola summi sacerdotis sententia erat ultima irreformalis, & infallibilis ultra quam non concedebatur appellatio, & tenebantur diffidentes illi acquiescere, & detrectantes illi parere supplicio multabantur extremo: & hæc causa etiam fuit, cur solus summus sacerdos oraculum Urim, & Thummim juxta pectus gestaret additâ illa inscriptione: *Judicium, & Veritas*, quia solus sine Concilio in rebus ambiguis oraculum consulebat, proinde etiam sine Concilio sententiam proferebat.

Probatur secundò authoritas Romani Pontificis extra Concilium infallibilis ex novo testamento Luc. 22. ubi Christus absolutè testatur, se rogasse pro Petro, ejusque successoribus, ne unquam eorum fides deficeret: *Simon Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem pro te rogavi, ut non deficeret fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos:* quæ verba Christus specialiter ad Petrum direxerat: tametsi Satanas omnes expetiverit Apostolos; non tamen dixit Christus: *ego pro vobis rogavi:* sed *pro Te*, significans se speciale aliquod privilegium Petro, ut suo Vicario expostulâsse; & non Petro tantùm utpote brevi morituro sed etiam suis successoribus, Christi vices in militante Ecclesia gerentibus: Ecclesia siquidem quoties impetitur à Sathana debet ita confirmari, ut ejus fides in dirimendis controversiis & definiendis rebus dubiis circa religionem non deficiat. Cum sciret Christus, Petrum brevi moriturum, & suam in terris militantem Ecclesiam usque in finem mundi perseveraturam; & privilegium concessum fuerit Petro, ne fides illius, & totius Dominici gregis deficeret; sed firma semper, & immobilis perseveraret; necesse fuerat ut etiam Petri successores participes fierent ejus authoritatis infallibilis, quæ fuerat Petro concessa: alioquin si Romani Pontifices docentes ex cathedra, seu proponentes authoritativè universali Ecclesiæ aliquid ut credendum fide divina, possent errare, falli ipsos, & fallere Ecclesiam eorum fides deficeret, nilque certi haberetur in Ecclesia, omnia in dubiis fluctuarent, & sus deque verterentur. Præterea cæteræ promissiones factæ Petro, ut Christi Vicario ad ejus transeunt successores ad quos pertinent: consequenter imò à fortiori etiam ista, in qua veritas fundatur religionis; & ratione cujus Ecclesia ab Apostolo Paulo dicitur columna, & fundamentum veritatis. Hinc falsum est quod opinantur Sectarii hoc privilegium fidei non deficientis fuisse soli Petro concessum, pro quo solo Christus æternum Patrem rogavit. Contra est, hæc responsio communi Sanctorum Patrum adversatur sententiæ præsertim Augustini *lib. de corrept. & gratia c.* 11. Chrysostomi *homil.* 83. *in Matth.* Gregorii Magni *lib.* 6. *epist.* 37. *ad Eulogium.* Bernardi *epist.* 190. *ad Innocentium*, & D. Thomæ 2. 2. quæst. 1. art. ult. imò & VI. Synodi Constantinopolitanæ *Act.* 4. omnes enim præcitati Patres, & alii communiter docent, hanc Christi promissionem fuisse Petro factam non prout erat particularis persona; sed ut erat Christi Vicarius; adeo ut Christi promissio non fuerit facta soli Petro, ut privatæ personæ, sed ut vices gerenti Christi in sede Pontificia in qua sedens docebat Ecclesiam; fuerit propterea hoc privilegium factum sedi Apostolicæ, ut sedentes in ea, & docentes Ecclesiam ex cathedra illo gauderent: sed etiam Petri successores canonicè electi vices gerunt Christi, sedent in eadem Petri sede, & è cathedra docent Ecclesiam, ergo nulla potest ratio assignari cur non debeant Petri successores eodem gaudere privilegio. Si dicas, promissionem factam Petro principaliter in totam Ecclesiam fuisse directam, quatenus hæc à Concilio œcumenico repræsentatur: consequenter post Petrum solum Concilium generale gaudere privilegio ne possit à fide deficere, quo pacto deficiente Romano Pontifice à Fide adhuc Ecclesiam esse columnam, & fundamentum veritatis, & non deficere à fide. Contra est, quia ut liquet ex contextu, verba Christi fuerunt ad solum Petrum directa, nec ulla fit Concilii, vel Ecclesiæ mentio; unde absque ullo fundamento, & omnino temerè talis promissio dicitur facta Ecclesiæ vel Concilio generali repræsentanti Ecclesiam. Fuit tale privilegium immediatè concessum Petro, & ejus successoribus canonicè electis, & mediatè tantùm ipsi Ecclesiæ, quatenus hæc ut regitur à Petro, & ejus successoribus non est errori obnoxia circa ea, quæ ad fidem pertinent; non ita sine Petro, ejusque successore; cum certum sit plura Concilia sine capite seu Papa errâsse, ut Ariminense, quod adhæsit Arianæ Hæresi, & alia: in hoc sensu quidquid boni conceditur capiti derivatur in reliqua membra, & mediante capite totum corpus eodem participat. Cæterum hoc privilegium infallibilitatis uni tantùm concedi debuit non pluribus, ex quibus componitur Concilium generale: ratio desumitur ex causa efficiente potestatis Ecclesiasticæ, quæ cum versetur circa decisiones dogmatum, quæstiones fidei, & declarationes dubiorum, quæ occurrunt, exigebat in supremo judice verum intellectum scripturarum, ut leges posset circa mores condere, quæ conformes divinæ totum populum Christianum obligarent: neque hæc potestas Ecclesiastica potuit hominum voluntate institui, sed sola Dei voluntate deponentis in alium qui vices suas in terris gereret suam authoritatem, & potestatem: hic autem cui Christus suam authoritatem dedit non est Concilium, quia non potest assignari à quo, quando, & ubi Concilium hanc supremam potestatem acceperit: Scriptura nil meminit Conciliorum, Patres omnes tacent, Traditio, & Ecclesiæ praxis contraria est. An Concilio generali fuit Christus loquutus cum dixit Petro: *Tibi dabo claves regni cælorum?* nonne Petro soli loquebatur cum dixit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; si significâsset Ecclesiam in Concilio generali repræsentatam, sensus fuisset, &

super

super hanc Ecclesiam ædificabo Ecclesiam meam; quo nil aburdius. Non ne cum solo Petro loquebatur cum dixit: *si amas me pasce oves meas : & ego pro te rogavi, ut non deficeret fides tua.* Præterea, vel concilium generale pertinet ad Oves Christi, vel ad pastorem ovium : hoc secundum non dixeris, quia non potes indicare à quo fuerint oves Christi concreditæ concilio generali; à quo concilium mandatum acceperit pascendi dominicum gregem: imo stante Christi promissione, hæc cura non potuit concilio demandari, cum apud Joannem dixerit: *& erit unus pastor, & unum ovile:* in concilio præscindendo à capite, tot habentur pastores, quod intersunt episcopi scilicet ducenti, trecenti & plures. Quod si concilium & qui eidem intersunt pertinent ad oves: ergo non supra, sed infra pastorem sunt: ergo diriguntur & gubernantur à Pastore, non verò Pastor dirigitur à concilio seu ab ovibus: ergo hæc potestas infallibilis inest soli Romano pontifici, cui in persona Petri fuit à Christo tradita. Neque asserere possumus concilium generale hanc potestatem sibi usurpare, quàm à Christo non accepit: alioquin in patres concilii retorquerentur querelæ Oseæ prophetæ cap. 8. *Ipsi regnaverunt, & non ex me : principes extiterunt, & non cognovi.*

Si instes neque ex præcitatis scripturis haberi, judicium Romani pontificis docentis ex cathedra esse infallibile extra concilium generale. Contra est, quia cum Christus in sacris scripturis nullam mentionem faciat Concilii, sequitur infallibilitatem ecclesiæ non alligasse Concilio generali, nec multò minus infallibilitatem Petri illi adstrinxit. Et quia solum Petrum fuit Christus allocutus, ut sui vices in Ecclesia gerentem, & non ut personam merè privatam; perspicuum est Christum soli Petro ejusque successoribus gerentibus pro tempore in Ecclesia vices Christi dedisse hoc privilegium, ne possent errare in definiendis rebus fidei è Cathedra; alioquin si Petri fides à Concilii directione non è converso Concilii fides à Petro dependeret, non tam Petrus fratres suos confirmaret, quàm ipse à fratribus confirmaretur. Firmari hoc idem potest, quia ut communiter docent omnes Catholici Matth. 16. & Joan. ult. ex eo, quòd Christus soli Petro ut suo in Ecclesia Vicario dixerit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : & portæ inferni non prævalebunt adversus eam*, & illud aliud. *Petre amas me, pasce oves meas*, non Concilium generale, sed solum Petrum, & ejus successores canonicè electos constituit supremum pastorem, & caput universalis Ecclesiæ: consequenter etiam privilegium non errandi in definiendis è cathedra rebus fidei soli Petro ut suo Vicario, suisque successoribus vices Christi gerentibus concessit: in omnibus enim scripturis verba CHRISTI directa fuerunt ad solum Petrum. Rursus ex eo, quod non Concilium generale, sed solus Petrus dicatur petra, & fundamentum Ecclesiæ, non ut erat particularis persona, sed ut Christi Vicarius implicitè complectebatur suos successores, quia hi debuerunt necessariò includi in ipsa petra, ut essent infallibilis authoritatis in definiendis ex cathedra rebus fidei, alioquin non fuisset firma petra, nec fundamentum stabile Ecclesiæ, quia si successor Petri fuisset errori obnoxius, hoc Ecclesiæ fundamentum non esset constans, sed ruinosum, quia posset corruere, seu deficere à fide: neque petra fuisset firma, cùm potuisset in fide concuti, ac in plures dissilire errores. Præterea, quia Petrus per hoc quod fuisset à Deo institutus firma Ecclesiæ petra ac fundamentum nullam accepisset specialem prærogativam supra cæteros Episcopos, quoad firmitatem, siquidem æque ac cæteri Episcopi potuisset à fide deficere in errores impingere, & eos docere totam Ecclesiam; quod etiam nunc contingeret, si in docendo, quæ ad fidem pertinent, Romani Pontificis, & aliorum Episcoporum æqua esset authoritas, & par conditio: quod si Romanus Pontifex ejusdem non est conditionis quoad definiendas res fidei sicut reliqui Episcopi, sequitur necessario plus in rebus fidei docendis & definiendis concedi Romano Pontifici, quam reliquis Episcopis, & quod ita debuisset contingere ex eo liquet, quia Romanus Pontifex si docens è Cathedra non possit in errorem ullum illabi, id provenit, eo quia promissa ei fuit à Christo specialis assistentia Spiritus S. Luc. 22. *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, cùm reliqui Episcopi impingere possint in errores, & non nunquam erraverint æque in Conciliis ac extra; & plures hæreses ab Episcopis suam traxerint originem, ideo soli Petro dixit Christus super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam: si igitur Petrus & ejus successores sunt fundamentum Ecclesiæ contra quam portæ inferi non prævalebunt, eò quia nunquam in errorem impinget, neque corruet; multò magis necessitas exigebat, ut ejusdem Ecclesiæ fundamentum non possit deficere in fide neque corruere; cum deficiente fundamento non possit ædificium stare, neque ulla res fundata possit firmior esse fundamento, quo nititur: unde si Christus constituit Petrum & ejus successores fundamentum Ecclesiæ, si hæc non potest in fide deficere à fortiori neque ejus fundamentum, alioquin si hoc cadetet, non possit non labi Ecclesia tota hinc Augustinus sermone de cathedra ait: *Petra ergo pro devotione Petri dicitur, eo quia primus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque contineat.* Quòd si dicas Petrum Ecclesiam repræsentâsse, proinde hanc promissionem non tam Petro quàm Ecclesiæ factam fuisse. Respondetur id verum esse, si sumatur Ecclesia cum suo capite ut etiam Concilium repræsentans Ecclesiam simul cum Romano Pontifice. In hoc enim sensu firmitas & Constantia fidei promissa Petro, etiam ad Ecclasiam extenditur, quinimò propter Ecclesiam facta fuit hæc promissio Petro, ut mediante infallibilitate capitis infallibile esset totum corpus sicut soliditas fundamenti est soliditas ædificii, & hoc docuerunt sancti patres asserentes hanc promissionem factam fuisse Petro, & Ecclesiæ, quia sicut caput influit in membra totius corporis ita & Romanus Pontifex in Ecclesiam toto orbe propagatam, cujus rei figura testis fuit summi sacerdotis in veteri Testamento: siquidem totus orbis terrarum in veste pontificia videbatur delineatus juxta illud Sapient. 18. *In veste sua totus erat orbis terrarum*, & referente Epiphanio lib. de lapid. & Gemm. Idem pontifex tempore Salomonis Regis præludens valuti ibi constantiæ, ac lapidei firmitati, quam Christus Vicario suo spopondit, prærer gemmas Rationalis, Adamantem binis munitum Smaragdis ad pectus gestabat, qui in signum placati Numinis serena luce perfundebatur; & sanguineus micabat quoties Deus populo irasceretur. Non verò ita Petrus Ecclesiam repræsentavit, ut tota firmitas, & indeficientia veræ fidei ad Ecclesiam pertineat, excluso capite, seu Romano pontifice, id enim Evangelio repugnat, & verbis Christi, cum meridiano jubare sit clarius Christum ad solum Petrum fuisse locutum, ac eidem pollicitum fidem in præmium ejus con-

confessionis ut communiter docent sancti patres. Præterea quia sensus verborum Christi non posset non includere absurditatem, esset enim: tu es Petrus, & super hanc Ecclesiam, quam repræsentas ædificabo Ecclesiam meam. Vel igitur Ecclesia sibi ipsi fundamentum esset, vel duæ darentur Ecclesiæ, quarum una fundamentum esset alterius. Quòd si Petrus dicatur Ecclesiæ fundamentum non potest Ecclesia stare, si Petri fides deficiat, si ejus doctrina sit erronea, non enim stat ædificium, si ejus fundamentum deficiat. Si dicas, fundamentum Ecclesiæ non esse ipsam personam Petri, sed fidem divinitatis Christi quam Petrus professus est, hæc responsio adversatur Evangelio in quo verba Christi ad Petrum non ad fidem Petri diriguntur: fuit enim fides, & confessio Petri occasio, qua Christus verba sua ad Petrum dirigeret.

CAPUT XIV.

Infallibilitas Romani Pontificis docentis è Cathedra asseritur Authoritate Canonum, Conciliorum, & SS. Patrum.

POst sacras scripturas summa authoritas Ecclesiasticis deberi canonibus, nemo est, qui eat inficias, eo quia sacros canones ediderint primi Ecclesiæ Catholicæ Magistri doctrina, & pietate celeberrimi omniumque veneratione insignes, idque causæ, cur non solum Ecclesia catholica eos ut regulas dirigendi humanas operationes receperit, ac approbaverit, verum etiam ac incorruptam doctrinam ab omnibus haberi voluit, quamobrem ex sacris hisce canonibus probanda superest infallibilitas Rom. Pontificis in definiendis rebus fidei è cathedra. Juvat igitur argumentari, quidquid sacri canones docent, verum est, & oppositum falsum, plerumque erroris, quia sacri canones sunt regulæ rectæ morum, & doctrinæ, & quod conforme est rectæ regulæ debet necessario esse rectum ac verum, sicut è converso illud non potest rectum esse, quod à regula deflectit, illudque est necessario curvum, quod à recta linea abscedit: quo fit, ut omne quod sacri Canones docent, habeatur ut verum ab Ecclesia, & quidquid iisdem adversatur rejiciatur ut falsum ac damnetur: sed sacri Canones expressè docent summum Pontificem Romanum docentem ex cathedra, seu authoritativè, ut Christi Vicarium proponentem toti universali Ecclesiæ aliquid ut credendum fide divina non esse errori obnoxium, & ejus judicium ob sibi promissam assistentiam Spiritus sancti, non sinentis ut portæ inferi prævaleant adversus ecclesiam catholicam esse infallibile ac irreformabile: consequenter Romanus Pontifex quoties ut Christi Vicarius aliquid docet è catheda, seu authoritativè ut pastor universalis Dominici gregis proponit universæ Ecclesiæ, ut credendum fide divina non est errori obnoxius sitque verissimum quidquid definit certumque certitudine fidei divinæ omnemque excludat errorem, omne depellat dubium, non quia sit aliquid ab homine definitum, sed quia est aliquid à Deo revelatum, est enim Deus, qui tunc per os sui Vicarii loquitur Ecclesiæ, & proponit, quæ sunt credenda, & quæ agenda, unde non ideo sententiæ pontificis docentis è Cathedra certæ & firmæ sunt, quia illas Ecclesias credit, & ut credendas acceptat: sed è contra ideo Ecclesia eas acceptat & credit, quia veræ sunt, ut asserunt divinæ scripturæ, profitentur Concilia, & docent sancti patres. Major & consequentia tenent, minor ostenditur scilicet sacros canones docere authoritatem Romani pontificis docentis è Cathedra esse infallibilem, nec posse errare in proponendis rebus pertinentibus ad fidem & religionem etenim S. Hieronymus in cap. Hæc fides 24. quæst. 1. ait: *Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Ecclesia catholica didicimus, quamque semper tenuimus & tenemus, in qua si minus peritè aut parùm cautè forte aliquid positum est emendari cupimus à te, qui Petri, & fidem, & sedem tenes. Sin autem hæc nostra confessio Apostolatus tui judicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non catholicum non me Hæreticum comprobabit.* Subjecerat Hieronymus propriam fidei confessionem censuræ Romani pontificis paratus acceptare illius correctionem, si in aliquo defecisset à sensu catholico, idque ne ab adversariis posset ulterius erroris accusari: quia approbata ac definita à Romano pontifice docente ex cathedra infallibilia esse putabat, ac irrefragabilia, & eos non esse catholicos, qui oppositum sentiunt.

Sanct. Leo Papa I. ad Episcopos Viennenses epistol. 87. in cap. ita Dominus dist. 19. & habetur Tom. 2. Concilior. Hæc habet: *Ita Dominus noster JEsus Christus humani generis Salvator instituit, ut veritas, quæ antea legis, & Prophetarum præconio continebatur, per Apostolicam tubam in salutem universitatis exiret: sicut scriptum est, in omnem terram, exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua veluti in corpus omne diffunderet; ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere, hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominare dicendo: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ut æterni ædificatio templi mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret, ac Ecclesiam suam corroborans firmitate, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent. Verum hanc petræ istius sacratissimam firmitatem Domino ut diximus ædificante constructam nimis impia vult præsumptione violare, quisquis ejus potestatem tentat infringere, favendo cupiditatibus suis, & id, quod accepit à veteribus non sequi.* Neque Divus Leo loquitur de sola Petri persona, verum etiam de suis successoribus canonicè electis, ut patet ex toto epistolæ contextu, ait enim: Qui Petri & successorum decretis resistunt exortes sunt mysterii divini.

Venerabilis Beda *cap. Quicunque eodem* hanc eandem docet veritatem inquiens: *Quicunque ab unitate fidei vel societatis Petri Apostoli quolibet modo semetipsos segregant, tales neque vinculis peccatorum absolvi, nec januam possunt regni cœlestis ingredi*: atqui segregare se ipsum à societate Petri Apostoli perinde est ac non adhærere Christi Vicario docenti ex cathedra, seu proponenti universæ Ecclesiæ authoritativè propositiones credendas fide divina. Pelagius Papa *in cap. Schisma 24. quæst. 1.* hanc eandem adstruit veritatem inquiens: *Id ipsum enim magis est*

propter

propter quod Schismatici sunt, quia non eos diversa sentiendi judicium, sed quadam apud se delata sibi tamen incognita metuentes & contra Apostolicam sedem temerè credentes pessima divisit opinio. Quòd schisma specialiter esse beatus denuntiat Augustinus docens de talibus adversus authoritatem illarum Ecclesiarum, *quæ ab Apostolica sede epistola accipere meruerunt, temere credenda immanissimum schismatis crimen à se propulsare non poterit*, ubi asserit eos schismatis incurrere crimen, qui, qood Pontifex authoritativè ut Christi Vicarius credendum proponit Ecclesiæ, non credunt, quòd si quæ Romanus Pontifex docens è cathedra proponit Ecclesiæ ut credenda suot de fide divina, & Catholici omnes tenentur ea credere, adeo ut oppositum sentientes sint schismatici, sequitor manifestè juxta sacros Canooes Romanum Pontificem docentem esse authoritatis infallibilis, & ejus definitionem non esse errori obnoxiam. S. Lucius Papa ad Episcopos Galliæ & Hispaniæ *in cap. A recta 24. quæst.* 1. ait: *Hæc sancta, & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errâsse probatur nec hæreticis novitatibus depravata succubuit: sed ut in exordio normam fidei Christianæ percepit ab Auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus illibata finetenus manet.* Sixtus Papa II. *in cap. Memor sum 24. quæst.* 1. *Memor sum me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cujus à Domino JesuChristo est Confessio glorificata, & cujus fides nullam hæresim unquam fovit, sed omnes quidem hæreses destruit.* Innocentius Papa *in cap. Quoties 24. q.* 1. *Quoties fidei ratio ventilatur arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est sui nominis & honoris authorem referre debere (velut nunc retulit vestra dilectio) quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in communi prodesse.* Gregorius IV. Papa *in cap. Præceptis dist.* 12. *Præceptis Apostolicis non durâ superbia resistatur, sed per obedientiam, quæ à sancta Romana Ecclesia & Apostolica authoritate jussa sunt salutiferè impleantur, si ejusdem S. Dei Ecclesiæ, quæ est caput vestrum, communionem habere desideratis.* Agatho Papa *in cap. Sic omnes dist.* 19. *Sic omnes Apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt tanquam ipsius divini Petri voce firmatæ sint.* Stephanus Papa *in cap. Enim vero dist.* 19. *Enim verè quia in speculum, & exemplum S. Romana Ecclesia cui nos Christus præesse voluit, proposita est ab omnibus quidquid statuit, quidquid ordinat perpetuò & irrefragabiliter observandum est.* Nicolaus I. in epist. ad Phocium *cap. Si Decreta dist.* 20. *Si Decreta Romanorum Pontificum non habetis de neglectu, atque incuria estis arguendi. Si verò habetis, & non observatis de temeritate estis corripiendi & increpandi.* Et in cap. Omnes dist. 22. Idem Pontifex ait: *Qui autem Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur is procul dubio in hæresin labitur: & cum ille vocetur injustus hic est procul dubio dicendus Hæreticus.* Calixtus Papa *in cap. Non decet. d.* 12. ait: *Non decet à capite membra discedere, sed si juxta sacra scripturæ testimonium omnia membra caput sequantur, nulli verò dubium est quòd Apostolica Ecclesia mater est omnium Ecclesiarum à cujus vos regulis nullatenus convenit deviare, & sicut Dei Filius venit facere voluntatem Patris, sic & vos voluntatem vestra impleatis Matris, quæ est Ecclesia cujus caput ut prædictum est Romana existit Ecclesia. Quidquid ergo sine discretione justitiæ contra hujus disciplinam actum fuerit, ratum haberi ratio nulla permittit.* Innocentius IV. *in cap. Majores de baptis. Majores Ecclesiæ causas præsertim articulos fidei contingentes ad Petri sedem referendas intelligit qui eum quærenti Domino quem discipuli dicerent ipsum esse respondisse notabat. Tu es Christus Filius Dei vivi & pro quo Dominum exorasse ne deficiat fides ejus.* Adrianus Papa *in cap. Generali* 25. *q.* 1. ait: *Generali decreto constituimus ut execrandum anathema sit, & veluti prævaricator Catholicæ fidei semper apud Deum existat, quicunque regum, sive Episcoporum vel Potentum deinceps Romanorum decretorum censuram, in quocunque crediderit, vel permiserit violandam.* Sexcenti alii possent Canones adferri hanc eandem inconcussam adstruentes veritatem à quibus tameo supersedendum arbitror, cum ab aliis congerantur Authoribus. Quòd si dicas ex sacris Canonibus tantùm inferri Romanum Pontificem non posse errare quoties juxta verbum Dei proponit ex cathedra, quæ sunt credenda fide divina, & ea docet Ecclesiam. Nam contra est, quis enim dicat Pootificem tuoc errore quoties docet vel loquitur juxta verbum Dei cum sit hoc infallibile necesse est sit etiam verum quod eidem est conforme: hinc Christus quando Luc. 22. dixit Petro: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, non majus illi à Patre privilegiom impetrasse, quam viro nequam vel sycophantæ si quidem nullus est nebulo, nullus histrio, qui si loquatur juxta verbum Dei mentiator vel erret. Si instes inde secuturum esse semper standum definitiooibus Romani Pootificis etiamsi adversaotur verbo, & doctrinæ Dei. quod dici nequit, tunc eoim magis Deo, quàm homini fidendum. Sed contra, quæ hæc hypothesis est impossibilis: onn enim sententia Pontificis docentis ex cathedra potest esse falsa, consequenter neque adversari verbo, & doctrinæ Dei. Cæterum si Pontifex prnponeret Ecclesiæ ot credendum fide divina aliquid contrarium Evangelio, tunc illud proponeret ut privata persona non verò ut docens è cathedra cum speciali assistentia Spiritus S. cùm hic non concurrat ad mendacium, quoties enim Pontifex non docet cum hac speciali assistentia Spiritus S. non docet authoritativè è cathedra ut Christi Vicarius, sed ut persona privata obnoxia errori, consequenter non est ei tunc credendum, quia ut scribit D. Paulus ad Gal. 1. *Licet nos aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Unde si Romanus Pontifex aliquid contrarium Evangelio, & sacræ scripturæ doceret, idque constaret, credendum non esset, sed quamdiu non constat tenentur fideles ea credere, quæ docet ex cathedra adeo ut oppositom sentientes sint schismatici, & hæreseos labe habeantur infecti.

Dices, ex præcitatis scripturæ, & sacrorum Caoonum locis taotùm inferri, Rnmanum Pontificem in Concilio universali non esse errori obnoxium; non ita quod extra Coocilium sit infallibilis authoritatis; adeo ut non Pontifex ex se, sed Concilium universale, ut repræsentans Ecclesiam Catholicam sit infallibilis, ac irrefragabilis authoritatis. Sed contra quia scripturæ hanc prærogativam non errandi in definiendis rebus fidei soli tribuit Pontifici, ut Christi Vicario Matth. 16. Christo Apostolos interroganti: *Vos autem quem me esse dicitis;* respondit Petrus: *Tu es Christus filius Dei vivi*, & subdit Christus: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi: sed Pater meus, qui in cælis est: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum, & in cælis; & quodcun-*

que

tota Ecclesia cum suo fundamento, seu de Ecclesia innixa suo fundamento, alioquin non steulset, & portæ inferi prævaluissent.

In Synodo Alexandrina præsida magno Athanasio Episcopi Ægypti, Thebaidos, Lybiæque ad S. Felicem II. Papam celebrata circa annum 359. scripserunt, quorum epistola habetur tom. 1. concil. cujus fragmentum placet hic asserere. *Ideo, Pater beatissime, quia semper antecessores nostri, & nos a vestra sancta apostolica sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnovimus; præfatam Apostolicam, & summam expetimus juxta canonum decreta sedem, ut inde auxilium capiamus, unde prædecessores nostri ordinationes, & dogmata ceperunt.* Quod si Alexandrina Synodus testatur prædecessores suos non solum à sede Apostolica accepisse ordinationes, verùm etiam dogmata fidei, quæ fide divina credere deberent; fatetur proculdubio sedem Apostolicam independenter à Concilio in definiendis à cathedra rebus fidei esse infallibilis authoritatis. Subdit nonnullis interjectis Alexandrina Synodus. *Similiter à supradictis Patribus Concilii Nicæni est definitum consonanter, ut si quisquam Episcoporum judices suspectos habuerit, vestram sanctam Romanam interpellet sedem, cui ab ipso domino potestas ligandi, ac solvendi speciali privilegio super alios concessa. Ipsa enim firmamentum à Deo fixum, & immobile percepit, quondam ipsam formam universorum incidissimam Dominus Jesus Christus vestram Apostolicam constituit sedem. Ipsa est enim sacer vertex, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur, sustentantur, relevantur: tu provanarum hæresum, atque omnium infestantium depositor, ut princeps & Doctor, caputque omnium orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei existis &c.* Hactenus nomine concilii Athanasius ad Felicem Romanum Pontificem, quibus Alexandrina Synodus fatetur Romanum pontificem condere fidei dogmata; esse firmamentum à Deo fixum, ac immobile, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur, simulque sustentantur; esse hæresum profligatorem, Principem, Doctorem, & caput omnium orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei; consequenter esse infallibilis authoritatis in definiendis ex cathedra rebus fidei; alioquin omnes illæ Synodi Alexandrinæ, & Athanasii laudes Romano tributæ pontifici, essent vanæ adulationes, ac verba supervacanea sensu vacua concinnata non veritatis aperiendæ gratiæ, sed captandæ benevolentiæ causa.

Concilium Carthaginense circa annum Christi 402. celebratum in Epistola, quam direxit ad illud Innocentius I. Romanus pontifex; & habetur inserta Concilio Carthaginensi tom. 1. Concil. hanc eandem testatur veritatem inquiens: *Antiqua traditionis exempla servantes, & Ecclesiastica memores disciplina, nostra religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronunciaretis, veneratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium, scientes quid Apostolica sedi (cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur, à qua ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emersit, quam sequentes tam mala jam damnare novimus, quam probare laudanda; vel id vero quod Patrum instituta sacerdotali officio custodientes, non censetis esse calcanda, quod illi non humana sed divina decrevere sententia: ut quicquid quamvis de disjunctis, remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate (justa qua fuerit) pronunciatio firmaretur: indeque sumerent cætera Ecclesiæ (veluti de natali suo fonte aqua cuncta procederent, & per diversas totius mundi regiones puri capitis incorrupta manerent) quid præcipere, quos abluere, quos veluti in cœno inemundabili sordidatos mundi digna corporibus unda vitaret.* Ubi pontifex testatur, ultimam fidei definitionem ad Papam spectare, à quo veluti natali fonte sana, & sincera doctrina fluit; & reliqui omnes Episcopi discunt quos absolvant, & quos damnent ut hæreticos: quæ omnia aliena à veritate essent, si pontifex è cathedra Ecclesiam docens errare posset, quia tunc non ipse alios, sed ab aliis ipse corrigeretur, ac doceretur: neque pontificis è cathedra docentis sententia utpote incerta, & errori obnoxia fidei quæstiones posset definire; sed à Papæ sententià ad alium superiorem judicem appellatio esset dirigenda.

In Concilio Ephesino anno 431. cum Cœlestinus Romanus Pontifex in Romana Synodo jam antea damnasset hæresin Nestorianam, Legatos quidem Ephesum misit, sed ita ut sententiam jam Romæ ex Cathedra pronuntiatam, utpote inemendabilem, ac infallibilem dictatam à Spiritu sancto exequerentur, & certam patribus regulam præfigerent juxta quam Nestorium contumaciter suis insistentem erroribus damnarent, ut legitur in Tomo 1. Concil. in Actis concilii Ephesini, & Tom. 2. cap. 15. In Evagrio lib. 1. histor. cap. 4. & in Epistola Synodali cœlestini in versione Cresconiana apud Baronium ad annum Christi 431. & spondanum ibid. Quod si Romanus pontifex hæreses ante Concilium damnat, & quos semel docens è Cathedra damnavit ut hæreticos vult pro hæreticis haberi, & damnari à concilio œcumenico, & universali ecclesia, sequitur manifeste Romanum pontificem docentem è Cathedra extra, & supra concilium esse authoritatis infallibilis in definiendis rebus fidei; alioquin non posset obligare totam Ecclesiam ad habendum aliquem ut contumacem, quia sententia Romani pontificis si esset fallibilis, non esset certa, sed incerta, & dubia, quæ non posset obligare ad habendum aliquem pro certo hæreticum; posset enim semper dubitari an sententia pronunciata à pontifice esset vera, necne: unde oportuit ut authoritas Romani pontificis docentis è cathedra universalem ecclesiam esset infallibilis. Præterea si Papa sententiam præscribit conciliis quam sequantur; debet necessariò esse supra concilia, & majoris authoritatis: alioquin non posset regulam præfigere conciliis, cum inferior in superiorem, imò nec in parem habeat authoritatem: cum igitur sit Ecclesia columna, & fundamentum veritatis ex Apostolo, adeo ut non possit deficere in fide, hæc infallibilis authoritas debet inesse Petro ut pastori, & Doctori publico totius ecclesiæ, & ejus successoribus canonicè electis, cum Christus dixerit Petro, & ejus successoribus: *ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando confirma fratres tuos.*

In Concilio Carthaginensi sub Damaso Papa, qui anno 368. electus decessit anno 384. Patres aperte profitentur hanc pontificis Romani infallibilem authoritatem ut legitur in 1. Tomo Conciliorum ajentes: *Sedi Romanæ Episcoporum judicia, & summorum finem ecclesiasticorum negotiorum & sententiam de divinis rebus reservatam esse. Apostolicam hanc sedem firmamentum esse à Deo fixum, & immobile omniumque verticem Ecclesiarum.*

In Concilio Chalcedonensi anno 451. ut refert Div. Thomas in opuscul. contra Græcorum errores, habetur. *Si quis episcoporum prædicetur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad beatissimum Episcopum antiquæ Romæ, quia habemus Petrum pe-*

tram refugii, & ipsi soli liberâ potestate loco Dei sit jus discernendi secundum claves à Domino sibi datas, & omnia ab eo definita teneantur tanquam à Vicario Apostolici throni. In eodem Concilio Patres Dioscorum condemnantes dixerunt: *Sanctissimus Archi-Episcopus Magnæ Romanæ cum beatissimo Petro, qui est petra, & crepido catholicæ Ecclesiæ, & ille qui est rectæ fidei fundamentum nudavit eum Episcopatus dignitate.* Vocant Patres Concilii rectæ fidei fundamentum, eò quia doceos è cathedra Ecclesiam infallibilis sit authoritatis, qua veritas fidei nititur, si enim est fundamentum fidei rectæ debet ejus sententia è cathedra pronuntiata infallibilis esse veritatis, alioquin fundamentum esset imbecillius, ac infirmius re fundata seu recta fide, quia hæc est infallibilis certitudinis, & si talis oon esset sententia Romani pontificis è Cathedra pronunciata nequiret rectæ fidei dici fundamentum: præterea io epistola Synodali ad Leonem patres Concilii aggratulantur ejus promotioni, eo *quod tantum Antistitem Apostolicæ sedi unde religionis nostræ fons & origo manat, Dominus dederit:* ubi vocant Romanum pontificem nostræ Religioois fontem & originem, & quia Ecclesia, seu religio cathulica ex Apostolo, est columna & fundamentum veritatis, hæc dimanat velut rivulus ab hoc fonte. Non enim potest fons, quod in se non continet foras emittere. Et in Epistola Synodali ad Patres Concilii Leo Papa scribit: Dogma fidei à se contra Eutychen & Dioscorum semel declaratæ in dubium, aut disputationem non debere ulterius vocari: Neque Legatos à se mitti, qui reo jam decisam ac definitam in litteris ad Flavianum datis examini iterum subdi permittant, sed qui definita exequantur: eo quia si semel fidei controversia definita fuerit à Romano puntifice docente è cathedra Ecclesiam nequit amplius in dubium revocari, eo quia sententia ita pronunciata infallibilis sit veritatis & si deberet iterum examinari id oriretur, eò quia aliqua superesset dubitatio. Hæc omnia clarè ostendunt Romanum pontificem in causis fidei non esse errori obnoxium alioquin liceret Concilio examini revocare sententiam à papa pronunciatam, & eam emendare si capax esset correctionis. Hinc scribit Leo papa: *Neque enim abjuncta est à vobis mea præsentia, qui nunc in Vicariis meis adsum, & jam dudum fidei catholicæ prædicatione non desum, ut qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiam. Unde, fratres charissimi, rejectâ penitus audacia disputandi contra divinitus inspiratam doctrinam vana errantium infidelitas conquiescat, cum non liceat defendi, quod non liceat credi cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces, Apostolicamque doctrinam plenissimè & lucidissimè per litteras, quas ad beatæ memoriæ Flavianum Episcopum misimus fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Domini nostri JEsu Christi, pia & sincera confessio.*

In sexta Synodo generali celebrata anno Christi 681. quæ extat in tom. 3. Concilior. Sanctus Agatho papa in Epist. ad Cunstantinum Augustum non permittit Concilio, ut aliter in causa fidei patres pronuncient, quam suis Legatis pontifex injunxerat, & suæ definitioni non vult quidquam addi, vel minui, sed juxta traditionem Apostolicæ sedis, sicut à prædecessoribus suis conservatum est, omnia definiri. Supponit enim Romanum pontificem docentem ex cathedra Ecclesiam authoritatis esse infallibilis, & ejus regulam credendi, & docendi esse concilio præscribendam: sed audienda sunt, quæ Agatho papa scripsit ad sextam Synodum generalem à qua fuerunt etiam approbata, adeo enim Agatho hanc veritatem clarè expressit, ut nil dilucidius possit desiderari, ait ipse: *Cujus annitente præsidio hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est.* Cujus authoritatem utpote Apostolorum omnium Principis *semper omnis Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes in cunctis secuta sunt, omnesque venerabiles Patres apostolicam ejus doctrinam amplexi &c. & sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati, atque secuti sunt. Hæretici autem falsis criminationum odiis insecuti,* & aliquibus interjectis subdit: *Hæc Apostolica Christi Ecclesia per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errâsse probabitur nec hæreticis novitatibus depravata succubuit: sed ut ab exordio normam fidei Christianæ percepit ab Authoribus suis Apostolorum Christi principibus illibata finetenus manet secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum Discipulorum Principi in sacris Evangeliis fecit: Petre inquiens, ecce Sathanas expetivit, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra clementia, quoniam Dominus, & Salvator omnium qui fideles est, & fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum Fratres admonuit.* In conciliis itidem Africanis quæ anno 646. celebrata fuerunt, quatuor Primates Africæ epistolam synodalem miserunt ad Theodorum Romaoum pontificem cujus fragmentum placet hic attendere, ajunt enim: *Antiquis regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis vel longinquo positis ageretur provinciis non prius tractandum esset nisi ad notitiam almæ sedis Apostolicæ fuisset deductum ut ejus authoritate justa, quæ fuisset pronunciatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ velut de natali suo fonte prædicationis exordium, & per diversas totius mundi regiones puritatis incorrupta manerent fidei sacramenta salutis.* Meminit hujus Epistolæ spondanus in annum Christi 646. Rursus in quinta Synodo generali coacta anno 553. Act. 4. in sententia quam Mennas Patriarcha Constantinopolitanus pronunciavit contra Antimum hæc habentur: *Nos apostolicam sedem sequimur & obedimus sicut charitas vestra scit, & ipsius communicatores habemus & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus,* & in septima Synodo Act. 2. suscepta & approbata fuit communiter epistola Adriani II. ad Tharasium Patriarcham. ubi clarum testimonium habetur Pontificiæ infallibilitatis: præ cæteris hæc leguntur: *Cujus etiam sedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet omniumque Ecclesiarum Dei caput existit, unde & ipse beatus Petrus apostolus Dei jussu Ecclesiam pascens nihil omnino omisit, sed ubique principatum obtinuit & obtinet, cui etiam & nostra beata, & apostolica sedes, quæ est omnium Ecclesiarum Dei caput: velim beata vestra sanctitas ex sincera mente & toto corde agglutinetur, utpote quæ revera sit rectè sentiens, & pietatis incorrupta conservatrix. Hoc sacrificium primum omnipotenti Deo exhibeatur. Vestraque beatitudo magnos & piissimos Imperatores supplicibus verbis admonebit ut Ecclesiæ nostræ vestigia sequentes coram Deo ejusque horribili judicio venerandas imagines in regia civitate, & omni loco in antiquum statum restituendas curent, jubeantque nimirum servantes traditionem hujus sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ nostræ.* In generali Concilio Romæ celebrato anno 1059. sub Nicolao II. præ cæteris canonibus id etiam habetur: *Si quis dogmata vel decreta pro catholica fide aut Ecclesiastica disciplina sedis apostolicæ Præsule pro-*

mulg

mulcta contempserit anathema sit. Et habetur etiam in Jure canonico *in cap. Si quis 25. quaest. 2. & cap. ad abolendam de Haereticis.* In concilio itidem Lugdunensi primo sub Innocentio IV. anno 1245. Hoc idem etiam definitur, & habetur *in cap. unic. de Homicid. in 6.* ubi legitur: *Pro humanae redemptione generis de summis caelorum ad ima mundi descendens & mortem tandem subiens temporalem Dei Filius JESUS Christus ne gregem sui pretio sanguinis glorioso redemptum ascensurus post resurrectionem ad Patrem absque Pastore desereret, ipsius curam Petro apostolo (ut sua stabilitate fides caeteros in Christiana Religione firmaret, eorumque mentes ad salutis opera sua accenderet devotionis ardore) commisit.* Hoc idem etiam confirmatur in secundo Concilio Lugdunensi celebrato sub Gregorio X. anno 1674. & extat etiam *in cap. unic. de summa Trinit. in 6.* ubi legitur: *Fideli ac devota professione fatemur, quòd Spiritus S. aeternaliter ex Patre, & Filio non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit, hoc professa est hactenus, praedicavit, & docuit. hoc firmiter tenet, & praedicat, profitetur, & docet sacrosancta Romana Ecclesia Mater omnium Fidelium, & Magistra.* Ubi Concilium generale in eo vim ponit, quia id definitum sit ab Ecclesia, seu Romano Pontifice docente ex cathedra, si enim non esset infallibilis veritatis in definiendis rebus fidei, Concilium non plenè acquievisset. Rursus in eodem Concilio Lugdunensi Legati totius Ecclesiae Orientalis, & Michaëlis Paleologi Imperatoris professionem fidei pronuntiarunt, quae à Concilio Lugdunensi praecepta fuit, eò quia infallibilitati pontificiae fuerat suffragata, & prae caeteris haec habet: *Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia, summum, & plenum primatum, & principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum Principe sive vertice cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter, & humiliter recognoscit, & sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere sic & si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri.* Si, quae de fide vel religione oriuntur controversiae dirimendae sunt à sede Apostolica, seu Romano Pontifice sedente in eadem, ac docente Ecclesiam, sequitur Romanum Pontificem in rebus fidei definiendis esse infallibilis authoritatis, quod etiam declaratum fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. anno 1215. *in cap. Damnamus de summa Trinit.* ubi habetur: *Maximè cùm ipse Joachim omnia sua scripta nobis assignari mandaverit Apostolicae sedis judicio approbanda, seu etiam corrigenda, dictans epistolam, quam propria manu subscripsit in qua firmiter confitetur, se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quae disponente Domino cunctorum fidelium Mater est & Magistra. Reprobamus etiam & condemnamus perversissimum dogma impii Amarci, cujus mentem sic Pater mendacii excaecavit, ut ejus doctrina non tam haeretica, quàm insana sit censenda.* Demum Concil. Lateranense sub Julio II. & Leone X. cui omnia fermè Europae Regna, & Provinciae missis Legationibus adhaeserunt scilicet Germania tota, Spania, Anglia, Dania, Norbegia, Scotia, Italia, & Hungaria, ut refert Odoricus Ragnaldus ad annum Christi 1512. num. 53. Quinimmò & ipse Ludovicus Rex Galliae per suos Oratores acta condemnans Concilii Pisani hoc Lateranense pro legitimo, & generali agnovit, cui se propterea adhaerere professus est, ut habetur in actis ejusdem Concilii sess. 8. Tom. 5. Concilior. & exemplo Regis Praelati Gallicarum Pisanum Conciliabulum execrati professi sunt, se Concilio Lateranensi adhaerere, ac jugiter adhaesuros. In hoc igitur Concilio sess. 11. ex professo definitum fuit summum Pontificem esse supra Concilium Oecumenicum à quo non dependet; & docentem ex cathedra seu definientem fidei dogmata infallibilis esse authoritatis, & in eadem sess. 11. deleta ac rescissa fuit fatalis illa pragmata sanctio, quae in Bituricensi Conventu Rege Carolo VII. vigente adhuc Basileensi schismate lata fuerat contra infallibilem Romani Pontificis authoritatem. Igitur ex sacris scripturis sacrisque Canonibus, & Conciliis, satis apertè evincitur authoritas infallibilis Romani Pontificis in definiendis rebus fidei.

Neque ullius est momenti quod respondent aliqui Concilia tantùm approbasse, sententiam summi Pontificis in fidei quaestionibus esse infallibilem, & irreformabilem accedente tantùm Ecclesiae consensu non verò si talis consensus non accesserit. Nam contra est, quia praecitata Concilia hanc praerogativam non errandi in definiendis è cathedra rebus fidei soli tribuunt Romano Pontifici legitimo Petri successori, quia ipsi soli dixit Christus ejusque successoribus canonicè electis: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam:* non fuisset firma petra si Christi Vicarius esset errori obnoxius, quapropter Christus ut hoc fundamentum crederetur omnino stabile, ut non posset nutare subdidit: *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua*, unde judicium Romani Pontificis definientis è cathedra res fidei independenter ab Ecclesia repraesentata in Concilio generali est infallibile, quia Christus rogavit, ne deficeret fides Petri, & nomine Petri comprehendit ejus successores canonicè electos. Contra secundò quia si Pontificis è cathedra docentis definitiones ac sententiae non fierent infallibiles nisi accedente consensu Ecclesiae, quaero an ante hunc consensum essent fallibiles, & errori obnoxiae, vel infallibiles, si hoc secundum ergo independenter ab Ecclesia repraesentata in Concilio Generali, cui propterea authoritas infallibilis Romani Pontificis docentis è cathedra non est alligata: sin autem ante talem consensum dicatur esse fallibilis jam possent à fidelibus non recipi, eo enim ipso, quòd aliqua propositio non est certò vera, sed falsitati obnoxia, non possunt obligari fideles ad illam recipiendam ut veram cùm sint certi de ejus veritate, atqui Concilia anathemate percutiunt eos imò & pro schismaticis in naufragis in fide habent, qui Pontificum decreta non recipiunt, ut enim superius innuimus, Concilium generale habitum Romae anno 1059. definivit, si quis dogmata, vel decreta pro Catholica fide, aut Ecclesiastica disciplina à sedis Apostolicae Praesule promulgata contempserit anathema sit. Supponit enim Concilia definitiones Romani Pontificis docentis è cathedra infallibiles esse independenter à consensu Ecclesiae repraesentatae in Concilio generali, & fideles teneri ad definitiones suscipere, & credere fide divina non quòd Romanus Pontifex novos ex se constituat fidei articulos, sed quia quando oriuntur controversiae, & dubia circa scripturas sacras & alia revelata explicitè vel implicitè, tunc declaratio Pontificis docentis è cathedra est applicatio divinae revelationis circa illa dubia, & propterea est infallibilis ob assistentiam Spiritus sancti revelantis, cum Christus rogaverit, ne tunc deficeret fides sui in militante Ecclesia Vicarii. Contra tertiò quia solos Petrus, & ejus successores canonicè electi sunt Pastores universalis Ecclesiae & publici, ac supremi Magistri, quia Christus non

non collegio Apostolorum, neque Ecclesiæ, sed soli Petro dixit: *Pasce oves meas:* & quia fideles comprehensi in tota Ecclesia sunt oves, ideo pasci debent à Petro ejusque successore canonicè electo atqui si definitiones Romani Pontificis docentis è cathedra non essent infallibiles nisi per consensum Ecclesiæ, inde sequeretur; quod doctrina Magistri corrigeretur à discipulis, quod oves pascerent Pastorem approbando doctrinas, quas debet Pastor docere, & reprobando, quas non debet docere, atqui omnino absurdum est asserere eandem Christum qui dixit, & docuit, non esse discipulum supra Magistrum, ita instituisse suam in terris Ecclesiam, ut in eadem voluerit Magistri doctrinam pendere à doctrina discipulorum, ac hos esse supra Magistrum id enim destruit rectum ordinem, & divinæ advertatur providentiæ, quæ omnia suaviter disponit, ut singulorum naturis accommodata, neque videtur probabile voluisse Deum plus doctrinæ, & certitudinis impertire discipulo, quàm Magistro, quæ absurda cum novisset Constantinus Magnus in edicto, cui initium est: *Ea qua Salvator noster*, & habetur in Codice quatuor Conciliorum, edito Coloniæ anno 1530. fol. 58 ubi Imperator ait: *Pontifex qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit Celsior & Princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat. & eius judicio quæque ad cultum Dei vel fidei Christianorum stabilitatem procurandam fuerint, disponantur; justum quippe est, ut ibi lex sancta caput teneat principatus, ubi sanctarum legum Institutor Servator noster beatum Petrum Apostolatus obtinere præcepit cathedram, ubi & crucis patibulum sustinens beatissimum mortis sumpsit poculum, suique Magistri, & Domini imitator apparuit.*

Hanc in Romano Pontifice prærogativam infallibilem independenter à quovis alio consensu inconcussâ semper asseruerunt sancti Patres firmitate. D. Augustin. lib 2. contra Pelagium, & Cœlestium cap. 7. ait: *Cœlestius beati Papæ Innocentii non est ausus litteris obsistere: imò se omnia, quæ sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.* S. Prosper contra Collatorem, & in Chronico ait: *Tunc Pelagianorum machina fracta sunt, quando beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit.* S Bernardus in epistol. 190. scribit: *Habemus in Francia novum de veteri Magistro Theologum qui ab ineunte ætate sua in arte Dialectica lusit, & nunc in scripturis sanctis insanit. Olim damnata, & sopita dogmata tam sua videlicet, quam aliena suscitare conatur, insuper & nova addit, qui dum omnium quæ sunt in cœlo sursum, & quæ in terra deorsum nihil præter solem nescio quid nescire dignatur, ponit in cœlum os suum, & scrutata alta Dei, rediensque ad nos refert verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui.* Et aliquibus interjectis subdit: *Ego Prophetas & Apostolos audio, obedio evangelio secundùm Petrum. Tu nobis novum condis evangelium? quintum Ecclesia non recipit Evangelistam. Quid lex, quid Propheta, quid Apostoli? utrique Apostolici nobis aliud evangelizant, quàm quod solus tu negas Deum videlicet factum hominem ut hominem liberare? & si Angelus de cœlo aliud nobis evangelizaverit, anathema sit. Sed qui venerunt post Apostolos Doctores non recipis, homo qui super omnes docentes te intellexisti, denique non erubescis dicere quod adversum te omnes sentiant, cum ad invicem dissentiant. Frustra proinde illorum tibi fidem doctrinamque proponerem: quos jam proscripsisti.* S. Cyprianus lib. 1. epist. 3. ait: *Post ista adhuc insuper Pseudo Episcopo sibi ab Hæreticis constituto navigare audent, & ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis litteras ferre nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides Apostolo prædicante laudata est) ad quos perfidia non possit haberi accessum.* Augustin. epist. 157. *In verbis Apostolicæ sedis tanquam antiqua atque fundata certa, & clara est Catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano:* per verba Apostolicæ sedis intelligit definitiones Pontificis docentis è cathedra, quapropter lib. 2. c. 3. contra duas epistolas Pelagianorum ait: *Per Papæ rescriptum causa Pelagianorum finita est, totoque orbe post ejus damnationem damnati sunt, ac litteris Innocentii tota de hac re dubitatio sublata est,* quod non contigisset nisi sententia Pontificis proponentis è cathedra res fidei infallibilis esset anthoritatis, eò quia Christus pro Petro rogaverit ejusque successoribus, ne deficerent in fide. S. Hieronymus epist. 8. ad Demetriadem c. 9. scribit: *Et quia verior imo rumore cognovi, in quibusdam adhuc vivere, & pullulare venenata plantaria, illud te pro charitatis affectu præmonendum puto, ut S. Innocentii, qui Apostolicæ cathedræ, & supra dicti viri successor & filius es, teneas fidem, nec peregrinam quamvis tibi prudens, callidusque videaris doctrinam recipias.* D. Irenæus lib. 3. cap. 3. adversus Hæreses loquens de Apostatica sede ait. *Ad hanc propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam; hoc est qui sunt ubique fideles:* ait Irenæus; oportere omnem Ecclesiam in rebus fidei cum Ecclesia, & sede Romana convenire; per fidem, & doctrinam successorum Petri confundi omnes hæreticos: & in hac eadem sede conservatam semper fuisse Apostolicam fidem, & traditionem, quæ omnino infallibilitatem arguunt Romanæ cathedræ. S. Ambrosius orat. funeb. de excessu fratris sui Satyri: *Advocavit ad se Satyrus Episcopum, nec ullam veram putavit, nisi veræ fidei gratiam percunctatusque est ex eo, utrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia conveniret.* Et Epist. 11. ad Ageruchiam; *In omnibus Romana Ecclesia formam, & typum sequimur.* Tertullianus lib. de Præscript. *Inde a Romana sede nobis authoritas præsto est: Hæc enim felix Ecclesia est, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* S. Gregorius Magnus lib. 4. epist. 52. *Si quam verò contentionem, quod longè faciat divina potentia, de fidei causa evenire contigerit; aut negotium emerserit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine judicio sedis Apostolicæ indigeat, examinatâ diligentius veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari.* S. Petrus Chrysologus epist. ad Eutychen: *In omnibus hortamur Te, frater honorabilis, ut his, quæ à Beatissimo Papa Romanæ civitatis præscripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria sede, & vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Hoc est in propria sede sedens, ac docens præstat quærentibus fidei veritatem: quod si docet fidei veritatem: ejus authoritas est infallibilis; cum fides non sit errori obnoxia. S. Fulgentius in lib. de Incarnat. Verbi, & gratia ac lib. arbitrio ait: *Quòd Romana, quæ mundi caput est, tenet, & docet Ecclesia; totus cum ea Christianus orbis, & ad justitiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.* S. Cyrillus Alexandrinus epist. ad Cœlestinum Papam: *Quamvis hæc ita se habeant, non priùs tamen Nestorii communionem confidenter deserere ausi sumus, quàm hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hic sentias, declarare, quò liquidò nobis constet communicare,*

ne

ne nos cum Nestorio oporteat, an verò liberè eidem denunciare neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat. Theodoretus epist. ad Leonem Papam. *Est enim ipsa sedes Romana amplissima, splendidissima, & orbi præsides, Præterea ipsa principatum imperatorium profudit, ac nomen suum, idest Romanum, cum iis qui in dictione ejus sunt, communicavit. Fides verò præcipue eam ornat: testis est Paulus, qui clarissima voce ait: Fides vestra annunciatur in universo mundo &c. Ego verò suffragium sedis apostolicæ expecto, & supplex oro atque obsecro sanctitatem vestram, ut eam e tribunal vestrum justum, ac rectum appellantem, defendat, ac protegat, jubeatque, ut ad vos occurram, & doctrinam meam vestigiis apostolicis insistentem ostendam; vestram sententiam expecto, quod si sententia eorum, qui condemnarunt acquiescere jusseritis, acquiescam, nulli deinceps futurus molestus. Quin potius expectabo incorruptum Dei, & Salvatoris nostri tribunal.*

Patres Tarraconenses in epist. ad Hilarium Papam scribunt. *Ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam: inde responsa quærentes unde nihil errore, nihil præsumptione, sed pontificali totum deliberatione præcipitur.* Episcopi Xardaniæ ad Eclasium Papam. *Desiderii enim, & votis nostri est, jussionibus vestris in omnibus obedire, & quemadmodum à Patribus nostris accepimus, sedi apostolicæ, quæ vitii, & meritis vestris delata est, intemeratam servare, atque Religionem Orthodoxam, cujus estis prædicatores, fide, & inculpata devotione, prout rusticitatis sensus patitur custodire;* & nonullis interjectis subdunt. *Si qui fortè prava intentione (quod nec arbitramur neque optamus) à sede apostolica se crediderint segregandos, ab eorum nos alienos esse consortio profitemur: quoniam ut dictum est, Patrum in omnibus custodientes præcepta, & inviolabilia sanctorum canonum instituta sectantes, apostolicæ, & singulari illi sedi vestræ communi fide & devotione parere contendimus.* S. Leo IX. Epist. ad Petrum Antiochenum, quæ habetur in quarto tomo Conciliorum scribit: *Siquidem ab unanimi tua sede nostram apostolicam sedem consulendo, perpendimus tuam dilectionem nolle devinre à Dominico, & omnium sanctorum Patrum concordi decreto, quo inviolabiliter cunctis in toto orbe terrarum Ecclesiis, sancta Romana, & apostolica sedes caput præponitur, ad quam majores, & difficiliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ referantur, sicut omnia veneranda concilia, sic leges humanæ promulgant, sic ipse sanctus sanctorum, & Dominus Dominantium confirmat, quatenus ibi principalis dignitatis & totius Ecclesiasticæ disciplinæ venerabilis apex præfulgeat, & præstat, ubi est vertex atque cardo Apostolorum Petrus carnis suæ beatam resurrectionem in novissimo die expectat. Nimirum solus est ille, pro quo ne deficeret ejus fides, Dominus & Salvator ait se rogasse dicens. Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hucusque fides Petri non defecit, neque defectura creditur in throno illius usque in sæculum sæculi, sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit.* Hinc sanctus Cyrillus apud Div. Thomam in catena Lucæ 22. ait: *Secundum hanc Christi promissionem Ecclesia apostolica Petri ab omni seductione, & hæretica circumventione manet immaculata.* Sanct. Gelasius Papa epist. ad Anastasium Imperatorem, quæ habetur tomo 2. Concil. *Hoc est, quod Sedes Apostolica magnopere cavet, ut quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur: Nam si (quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus) tale aliquid proveniret, unde cuiquam resistere auderemus errori? vel unde correctionem errantibus posceremus? proinde si pietas tua unius civitatis populum negat posse pace componi, quod nos de totius orbis terrarum summus universitate facturi, si (quod absit) nostra fuerit prævaricatione deceptus.* Sanct. Bernardus epist. 190. ad Innocentium Papam. *Oportet ad vestrum referri apostolatum pericula quæque & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt, dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa sedis, cui enim alteri aliquando dictum est, ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: ergo quod sequitur à Petri successore exigitur, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Id quidem modo necessarium. Tempus est ut vestrum agnoscatis Pater amantissime principatum probetis zelum ministerium honoretis. In eo plane Petri impletis vices, cujus tenetis & sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra authoritate conteritis fidei corruptores.* Tandem ut concludam placet adjicere fragmentum depromptum ex confessione Catholicæ fidei Stanislai Hosii cap. 38. ubi expresse asserit Romanum Pontificem docentem è Cathedra Ecclesiam non esse errori obnoxium & apostolicam sedem incorruptam semper perstitisse in fide; cum reliquæ sedes defecerint ait ipse: *Sola Romana Ecclesia quam ab exordio fidei Christianæ normam accepit in ea semper illibata permansit. Defecit Jerosolymitana Ecclesia cui præsedit Jacobus: defecit Achaia ubi Andreas. defecit Asia ubi Joannes, defecit India ubi Thomas, defecit Persia ubi Judas. defecit Æthyopia ubi Matthæus; defecit Phrygia ubi Philippus, defecit Græcia ubi Paulus. Sola fuit & est Romana Ecclesia ad quam sicut præclarè scribit Cyprianus nunquam accessum habere potuit perfidia, quæ mille jam quingentis & amplius annis ita est catholica semper & Apostolica habita, nunquam ut ulla fuerit hæreseos labe maculata, in qua videre etiam nunc licet viros & vita sanctissimos, & doctrina præstantissimos, neque enim existimandum est, si quando ad Petri cathedram de causis majoribus refertur solum esse Paulum & Julium Pontificem, qui de illis judicet, habet ille lateri suo assidentes totius orbis viros doctissimos, quibus ipse minimè doctrina secundus præsidet, de quorum consilio de rebus gravioribus pronunciat. Quamobrem ferendi non sunt, qui pontifici se dicto audientes fore profitentur, non autem Paulo, aut Julio sibique hoc arrogant summum ut esse velint judicium quando is pontifex, quando ut Julius decernit, quæ si semel admissa fuerint captiones omnis est, & erit obedientia sublata.*

Authoritatem Pontificis docentis è cathedra esse infallibilem independenter à Concilio generali docet etiam usus & praxis Ecclesiæ, constat enim Romanos Pontifices retroactis sæculis independenter à Conciliis & consensu Ecclesiæ definivisse de fide plures propositiones, & damnasse hæreses ac obligasse fideles totius Ecclesiæ catholicæ eas itidem damnare, ac pro damnatis haberi quod fieri non potuisset, nisi emanassent à suprema authoritate errare nescia, quia sicut hæresis ut ostendit Div. Bernardus epist. 190. ad Innocentium est rei certo falsæ, & cui verum nequit subesse; perinde fides est de re omnino certa, & quæ non possit obnoxia esse falso, adeout declarationes Pontificum qui independenter à quovis alio consensu damna-

 tunt

runt hæreſes, ita fuerunt veræ, ut non potuerint falſo ſubeſſe, proinde fuerunt omnino infallibiles: quia ſicut propoſitio hæretica eſt omnino falſa, ita declaratio pontificis, quæ ſaltem virtualiter eidem contradictoriè opponitur debet ita eſſe vera, ut non poſſit falſitati ſubeſſe, hinc aſt quod definitiones Pontificis docentis è Cathedra ſunt omnino infallibiles. Quod verò Pontifices independenter à conſenſu Eccleſiæ & ſeorſim à Concilio plures damnaverint hæreſes non cadit ſub dubio: etenim Cœleſtinus Papa an. ab orbe reparato. 430. propria tantum authoritate damnavit hæreſim Neſtorianam anno 390. Syriacus Papa damnavit hæreſim Joviniani & Pelagii anno 639. Severinus Papa damnavit, & radicitus amputavit hæreſim Monotelitarum anno 1148. Eugenius delevit propoſitiones hæreticas Gilberti Pictavienſis Epiſcopi anno 1569. Pius V. damnavit propoſitiones Michaelis Baij Cancellarii Univerſitatis Lovanienſis anno 1652. Innocentius X. damnavit ut Hæreticas quinque Janſenii propoſitiones in eo ſenſu, quem verba ipſa exhibent quarum prima erat, *aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires ſunt ſervatu impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.* Secunda, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Tertia, *ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Quarta, *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus etiam ad initium fidei & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Quinta, *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe.* Has enim propoſitiones, ut temerarias impias blaſphemas anathemate damnatas, & hæreticas declaravit Innocentius III. independenter à Concilio generali, & propria authoritate Pontificia, & è cathedra, ut tales eas damnavit, & injunxit omnibus Chriſti fidelibus utriusque ſexus, ne de dictis propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quam in ſua definitione continetur ſub cenſuris & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis ex quibus ſatis apertè ex uſu & praxi Eccleſiæ evincitur, quod Pontificis Romani docentis è cathedra authoritas ſit infallibilis independenter à conſenſu Eccleſiæ repræſentatæ in concilio generali, & ratio etiam id ſuadet, quia quoties medium aliquod eſt unicè neceſſarium ad aſſecutionem alicujus finis non poteſt quis intendere ejusdem finis aſſecutionem, quin etiam velit tale medium propter eſſentialem connexionem cum tali fine, quoties enim duo ſunt eſſentialiter connexa omne ſecum trahit aliud & explicita volitio unius eſt implicita volitio alterius, atqui authoritas infallibilis in Chriſti Vicario docente ex cathedra erat medium omnino neceſſarium, & eſſentialiter connexum cum aſſecutione illius finis, ob quem Chriſtus inſtituit in Eccleſia Vicarium qui ſui vices in ejus regimine gereret: conſequenter eo ipſo, quod Chriſtus inſtituit in Eccleſia Vicarium ſuum, ut eam regeret, debuit ita illum inſtituiſſe, ut infallibilis eſſet authoritatis nec poſſet errare in proponendis è cathedra authoritativè rebus pertinentibus ad fidem. Major & conſequentia tenent, minor oſtenditur, quia Chriſtus ad hunc unicè finem inſtituit in Eccleſia ſuum Vicarium, ut hæc per hunc gubernaretur, hinc Chriſtus Joan. ult. dixit Petro: *Paſce oves meas*; per hæc enim verba Petrus & ejus ſucceſſores canonicè electi conſtituti ſunt Chriſti Vicarii ſeu Doctores, & Paſtores totius Eccleſiæ catholicæ: ſed ad rectum Eccleſiæ regimen, quod Chriſtus intendebat, deſiderabatur neceſſario authoritas infallibilis in ipſo ſupremo Paſtore Chriſti Vicario, quod cum non lateret Chriſtum pro Petro ejusque ſucceſſoribus ſe rogaſſe dicit: ne unquam eorum fides deficeret, ſeu nunquam in deffinendis è cathedra authoritativè rebus fidei errarent. Luc. 22. *Simon Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum; ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus fratres tuos:* non dixit omnibus Apoſtolis, *ego pro vobis rogavi*, ſed ſoli Petro, *ego pro te rogavi*, ſed non tantum pro perſona Petri ſimpliciter, quia erat brevi moriturus, ſed pro pontificia dignitate in Petro, & ejus ſucceſſoribus, etenim quoties Eccleſia impetitur à Sathana, indiget ita confirmari, & Chriſti præcepto debet confirmari: ergo ſemel quod Chriſtus inſtituit Romanum pontificem ſupremum Eccleſiæ univerſalis paſtorem erat eidem neceſſaria authoritas infallibilis: quia vel Eccleſia tenetur audire Romanum pontificem ut docentem authoritativè è cathedra vel non, ſi primum ergo Rom. Pontifex ut docens è cathedra authoritativè non poteſt errare, alioquin erraret etiam tota Eccleſia, quæ tenetur acquieſcere doctrinæ Pontificis: hinc Eccleſia non eſſet contra Apoſtolum columna, & fundamentum veritatis, & portæ inferi contra Chriſti promiſſionem prævalerent adverſus eam. Si dicatur ſecundum ſcilicet non teneri audire, ergo perperam fuiſſet à Chriſto conſtitutus paſtor totius Eccleſiæ, quia in eo non poſſet oves paſcere, ſemel enim quòd oves poſſent obſequi paſtori, poſſent etiam ei non obedire, conſequenter non poſſet Paſtor ſeu Pontifex eas ducere, & paſcere. Præterea ſi non teneretur Eccleſia ea credere, quæ ſummus Pontifex ex verbo Dei proponit fidelibus credenda fide divina, vel id oritetur, quia ſic definita adhuc poſſent falſitati ſubeſſe, vel eſſent infallibilia: ſi dicas hoc ſecundum ergo Eccleſia tenetur ea credere, & Pontificis authoritas eſt infallibilis: ſi dicantur ſubeſſe falſitati inde ſequitur quod non Petrus Eccleſiam, ſed Eccleſia Petrum paſceret, ſeu oves Paſtorem, non Paſtor oves, ſiquidem Eccleſia Pontificem errantem corrigeret, & pertineret ad Eccleſiam judicare, an Romani Pontificis ſententia conveniat cum verbo Dei nec ne: quod perinde eſſet, ac corrigere ejus ſententias & ipſum errantem docere, conſequenter non debuiſſet Chriſtus Petro dixiſſe, *paſce oves meas:* ſed potius Eccleſiæ, & fidelibus, ſeu ovibus, *ſi amatis me paſcite ſupremum veſtrum in mea Eccleſia Paſtorem:* quia hic errare poteſt, & falſa pro veris edocere, quo nil abſurdius, quia diſcipuli docerent Magiſtrum, & oves paſcerent Paſtorem: ne igitur hæc abſurda admittantur neceſſum eſt concludere Pontificis authoritatem independenter ab Eccleſia repræſentata in Concilio generali eſſe authoritatis infallibilis, quapropter D. Auguſtinus ſerm. de cathedra ait: *Petrus ergo pro devotione Petrus dicitur, eo quod primus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem molemq́; ſuſtineat.*

Sed dices ſi authoritas infallibilis ſoli ineſſet Romano Pontifici eò quia Petro tantùm & ejus ſucceſſoribus concreditæ ſint oves Chriſti ſuperfluum videretur Concilia generalia congregare, & ſupervacaneum Præſules è ſuis Eccleſiis evellere? Patres & Doctores è diſſitiſſimis terrarum Regnis ac Provinciis ingenti ſumptu nec minori incommodo evocare,

care, ut Concilio intersint generali quia Romanus Pontifex ex se, & extra Concilium non est errori obnoxius, neque errare potest in definiendis rebus fidei. Ad quid ergo Concilia congregare Ecclesiæ Præsules itinerum periculis, & incommodis exponere, & particulares Ecclesias suis destituere Præsulibus? sufficeret enim si Romanus Pontifex, quæ occurrunt dubia circa fidem & religionem solus definiret è cathedra, hæc enim prævia esset via, & Episcopi & Doctores pluribus parcerent sumptibus nec tot subjicerentur periculis, & incommodis. Sed contra quia tametsi autoritas infallibilis soli Romano insit Pontifici adeo ut ille solus in rebus fidei definiendis non sit errori obnoxius, eò quia Christus rogaverit, ne fides sui Vicarii in militante Ecclesia deficiat, ac propterea Concilia in rebus fidei definiendis non sint simpliciter ac absolutè necessaria cum à nemine negatur posse sine Conciliis res fidei definiri; cum per trecentos & amplius annos sub Ecclesiæ exordium definitæ fuerint à solis Romanis Pontificibus sine Conciliis, & ultimis temporibus Innocentius X. damnavit paulo ante recentitas quinque Propositiones Jansenii ut hæreticas independenter à Conciliis, & à S. Pio V. & Gregorio XIII. damnatæ itidem fuerunt propositiones Michaëlis Baij, ut etiam ab Innocentio XI. propositiones Molinos: non tamen ire inficias possumus esse Concilia secundum quid in Ecclesia plerumque necessaria, ut nimirum res ad fidem pertinentes à Patribus, & Doctoribus omnium Regnorum & Provinciarum diligentius discutiantur ac maturiùs examinentur, priusquam definiantur, ac confirmentur à summo Pontifice. Quamobrem non sunt Concilia censenda inutilia quamvis possit Pontifex independenter à Conciliis res fidei definire. Etenim etiam rheda, & equis possum pedester iter suscipere, & tamen nemo dixerit, rhedam & equos esse mihi inutiles, & frustra à me desiderari ad iter instituendum. Etiam ipsa Roma ut refert Plinius lib 29. cap. 1. per sexcentos annos Medicis caruit, & quisque ad propriam tuendam valetudinem ea adhibebat pharmaca, quæ magis viderentur consentanea inconsultis Medicis, ars nautica annis multo pluribus absque usu magneticæ acûs æquora trajecit, & militaris absque tormentis bellicis, & cuniculis urbes expugnavit antequam tormentalis pulvis esset in usu, & tamen nemo dixerit magnetem, artem medicam, & tormentalem pulverem res esse frustraneas, & nullius in Republica utilitatis. Pontifex igitur Concilium interdum congregat non quia sine Concilio non possit res ad fidem pertinentes definire absque errandi periculo; sed quia in Conciliis Prælati, ac Doctores singularum Provinciarum possunt, quas habent, difficultates proponere, ut maturius à singulis examinentur ut enim parœmialiter dicitur, quo plura sunt capita, eo plures sunt oculi, ac linguæ. Conciliis Oecumenicis omnium nationum intersint Patres, & Doctores qui singularum Provinciarum varias necessitates, conditiones, ac mores exponunt, & accommodata singulis remedia suadent, & quæ non congruunt aperiunt. Præterea in Conciliis feruntur leges pro tota Ecclesia agiturque de modò eas sanciendi, & exequendi: & quia omnes audiuntur, & ex communi omnium consilio, & consensu feruntur, & omnes obligantur absque eo, quòd detur ulli exceptioni locus, quo pacto cessant querelæ subditorum cum singula ex consensu propriorum delegatorum fuerint conclusa: hæc enim sunt commoda quæ Concilia generalia adferunt toti Ecclesiæ.

Sed instabis tametsi Romano Pontifici Christi vices in militante Ecclesia gerenti promissa sit assistentia Spiritus sancti in iis definiendis, quæ ad fidem pertinent, fuit nihilominus hæc assistentia promissa sub illa conditione ut in declarandis rebus fidei non temerè nec inconsultus procedat, sed ut præmittat necessarium examen, & adhibeat sufficientem diligentiam pro ut in rebus arduis, ac summi momenti solent homines ea qua possunt majori diligentia uti: voluit enim Christus ut summus Pontifex utpote purus homo humano procederet modo præmissis scilicet requisitis pro rei qualitate non verò quidquid exciderit, statim pro fidei dogmate declarare. Ut huic majori diligentiæ & examini satisfiat necessarium omnino est congregare Concilium generale in quo singularum Nationum Patres & Doctores diligenter examinent, & sedulis discutiant, quæ sint proponenda toti Ecclesiæ ut credenda fide divina, adhibetur tunc in Concilio eo major diligentia, quæ humano modo potest adhiberi: ergo Concilium requiritur necessariò ut res fidei definiantur saltem ratione prævii examinis, ac requisitæ diligentiæ. Idque vel maximè quia si aliter procederetur nobis non posset constare, an summus Pontifex sufficientem adhibuerit diligentiam ad veritatem inveniendam, consequenter nobis essent dubiæ definitiones Pontificis neque tenerentur fideles iisdem acquiescere. Sed contra quia tametsi non diffiteamur teneri Romanum Pontificem præmissis pro negotiorum gravitate Doctorum consiliis, ac diligenti maturoque examine, ac sedula veritatis discussione res fidei definire, ut humano modo procedat juxta humanæ conditionis exigentiam, inficias tamen imus ad has omnes humanæ conditionis industrias explendas necessaria esse Concilia, siquidem constat sub Ecclesiæ initiis non fuisse Concilia convocata, quamvis tunc temporis persecutiones acrius sævirent & grassantes hæreses periculosius turbarent Ecclesiam. Quod si id temporis solus Romanus pontifex absque generali concilio res fidei definivit, hæreses damnavit; perspicuum est ad præfatas humanæ industriæ explendas partes necessaria non esse concilia. Præterea quia non sine gravissimo totius Ecclesiæ incommodo congregantur Concilia generalia ad quæ multum prærequiritur temporis ut ubique terrarum moneantur patres, certiores fiant principes, accedant eorum Legati, antequam hæc præambula præparatoria in ultimo Tridentino Concilio absolverentur multum fuit temporis impensum, & priusquam clauderetur Concilium integri octodecim fluxerunt anni, qua de causa Concilia plerumque sunt potius impedimento præsertim tunc quando vis morbi lenta non admittit remedia ut solet contingere in hæresi extinguenda, hæc enim indolem imitatur favillæ depascentis siccum stramen in sylva, quæ nisi quavis disrupta mora extinguatur in perniciosum illico gliscit incendium, quo tota propemodum sylva flante vento in cineres solvitur. Quòd si res Ecclesiasticæ eo quaterentur hæresum turbine ut procella vix sedari posset, nisi congregato œcumenico Concilio, tunc Deus, qui nunquam Ecclesiæ deest in necessariis suis præsto esset auxiliis: neque propterea pontifex à concilio, sed concilium à pontifice dependeret, quia concilium nisi confirmetur, & corroboretur à Romano pontifice, ut capite ejusdem, semper erroribus est obnoxium, & pluries errasse superius ostendimus. Quòd si urgeas adhuc non constare, an Pontifex sine concilio œcumenico sufficientem adhibuerit diligentiam in veritatis inquisitione ad eam de-

definiendam è cathedra. Respondetur, quòd hæc quæstio sit facti, quia tamen dantur pleraque pertinentia ad quæstionem facti, à Deo revelata sunt, vel revelatis adnexa & spectant ad publicum Ecclesiæ bonum tunc in his perinde ac in quæstionibus juris Pontifex errare non potest, neque deficere in fide, quia Deo tunc purè est, ne media à se ordinata ad finem deficiant in ejus assecutionem; & quia Deus voluit, ut sententiæ fidei à Pontifice è Cathedra latæ ratæ haberentur à fidelibus, neque ullo unquam corrumperentur errore: ideo ad specialem Spirit. S. assistentiam pertinet impedire ne hujusmodi Pontificis definitiones temerariæ sint aut erroneæ, sic quia Deus promiserat Abrahæ filium, & ex filio perpetuam successionem, quinimo etiam ipsum Messiam; ad eundem Deum etiam pertinuit facere, ut à Sara sterili filius nasceretur, nec ante tempus quartis occidi jussus & imminente gladio morti proximus moreretur, sed per susceptam prolem Dei impleret promissionem, quod observans Div. Paulus scribit ad Romanos cap. 4. *Et non infirmatus est Abraham fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo plenissimè sciens, quia quæcunque promisit potens est & facere.*

CAPUT XV.

Qualem Romanus Pontifex in Principes sæculares habeat jurisdictionem si necessitas urgeat propugnandi fidem Catholicam.

NUlli dubium quin temporalium rerumque civilium cura primariò & directè principibus sæcularibus concredita fuerit, quas propterea Ecclesia ut Christi advocatos, protectores causarum Ecclesiasticarum, & justitiæ administros veneratа est tanquam illos, *qui à Deo gladium acceperunt ad defensionem bonorum, & vindictam malorum.* Sunt enim Principes sæculares, veluti *septuaginta illi fortes, qui custodiunt lectulum Salomonis, omnes accincti gladiis propter timores nocturnos, & ad bella fortissimi,* quid Ecclesia in terris militans est, quàm cœlestis Sponsi lectulus, non tamen simplex, sed floridus, quia ornatus quovis virtutum genere. Imò si Prophetæ attendamus vaticinium dixeris principes sæculares, Ecclesiæ nutritios, & altores, quorum lacte, seu divitiis, ac donariis alitur Ecclesia, & pinguescit; ideoque principibus omnibus sæcularibus non bonis tantùm, & modestis, sed etiam dyscolis suffragante Apostolo omnis sit debita reverentia, & præstandum obsequium; & nullo pacto ab Ecclesiasticis in illorum jura & administrationem, veluti in alienam messem sit falx immittenda, quandiu ipsi Ecclesiam, ac veram religionem, cujus filiatione, & ipsi gloriantur in discrimen non adducunt, nec illius audent exitium intentare, quia tunc naturale insurgit præceptum propriæ defensionis, qua ratione minutissima quæque insecta totis viribus nituntur fortioribus imo & maximis obsistere animalibus, ut ab eorundem se vendicent violentiâ. Ubi enim Principes sæculares Ecclesiam invaderent quam everterent, & in cujus exitium potentiam à Deo acceptam admoverent, tunc possent à supremo Ecclesiæ Pastore, cujus & ipsi sunt oves coërceri, & si vires non supperterent, aliis etiam confœderari principibus sæcularibus, ut mutuis fœderibus auctæ vires essent lædenti obstaculo, ùno possent etiam armis spoliari ne perniciem, exitiumque inferant; præsertim si præmissis monitionibus non acquieverint: quia *si* (ut loquitur Apostolus) *etiam Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia.* Est enim Pastoris officium oves pascere, custodire ac defendere à lupis ne quid damni iisdem contingat; & si quæ morbidæ sunt & infectæ eas ab integris, sanisque sejungere; ne aliæ corrumpantur. Unde si Princeps sæcularis non solum hæresis labe inficeretur ipse, verum etiam suos vellet catholicos subditos in hæresim trahere, ad Romanum Pontificem pertineret oves Christi defendere ne tali labe inficerentur; quòd si aliud non suppeteret medium; posset catholicos ab obedientia quoad ea, quæ æternam respiciunt salutem, subditos subtrahere, ut communiter docent sancti Patres, sacri canones, & Concilia. Hinc perperam sentiunt qui omnem in principes sæculares potestatem adimunt Christi Vicario, unam tantùm ei clavem concedentes quâ possit cœlum aperire, non aliam quâ possit in terris principibus claudere fores Ecclesiæ si illam nitantur invadere, ac evertere; potest enim principes anathemate percutere si noceant Christi ovibus, si bona Ecclesiæ sibi usurpent, si profectum spiritualem animarum impediant. Plurimum affert damni pravum Principis exemplum, præsertim si hæresis labe inficiatur, facilè subditi prava sequuntur Principis exempla. Plura possent exempla adduci quibus, ex Principis erroribus, inertia, mutatione Religionis, eadem mala fuerunt statim in populos derivata; & cum enormi animarum clade fides Catholica radicitùs avulsa, ac deleta, ut tempore Clementis VII. & Leonis X. aliorumque modernorum Pontificum contigit *in Germania, Dania, Suecia, Hollandia, & Anglia*, cum Principes religionem Catholicam deseruerunt; statim subditi exempla sequuti Dominorum à fide defecerunt, & culturam negligentes virtutum, vitiorum se cœno macularunt: ut in Angliæ regno præ cæteris provinciis exploratum habemus; quantum enim sub Henrico VIII. rege schismatico religio Catholica est detrimenti passa, tantum sub Maria regina Catholica religio reflorutt, & sub Elisabetha omnino extincta est: memorabili exemplo ex principum nutu non facultates tantum subditorum, sed etiam ipsæ animæ visæ sunt pendere. Pari pacto cum Eustarus Erichsonius Sueciæ Rex erroribus cæpit Lutheri adhærere, ea præsertim inductus ratione ut regium ærarium Ecclesiasticorum impleret pecuniis, ejus exemplum totam propemodum Germaniam corrupit, infecit. Id contigit etiam regno Daniæ Christiano III. ad partes transeunte Lutheri. Si igitur Principes Catholicæ fidei Desertores adigere vellent subditos catholicos errores amplecti hæreticorum, ac hæreticis adhærere quia catholici sunt oves Christi, officium Romani Pontificis, tunc esset ea adhibere media opportuna, quibus esset impedimento ne oves Christi perirent, quarum cura fuit à Christo illi concredita.

Fuit enim hoc pastorale officium tunc Petro, ut capiti Ecclesiæ militantis, ut ejus successoribus canonicè

nonicè electis à Christo injunctum cum Joan. 21. dixit Petro: *Pasce oves meas.*: officium verò pastorale non coarctatur ad solam pasturam, sed extenditur ad earum regimen, ac ovium incolumitatem procurandam, impediendumque damnum, quod timetur posse iisdem contingere; hinc ad munus Pastoris pertinet lupos arcere ne ovibus noceant; morbidas, infectasque oves sejungere à sanis, ne istæ pari morbo inficiantur, & ex omnia abigere animalia, quæ possent Christi ovibus esse nocumento: hinc si principes vellent suos subditos Catholicos hæresim aliquam profiteri, officium Romani Pontificis, ut supremi ovium Christi Pastoris est id totis viribus impedire; seque conatui Principis opponere, eumque sic possit adigere ad desistendum, quod est aliquam jurisdictionem indirectam exercere in illos. Præterea Principes Christiani pertinent & ipsi ad oves Christi; unde eorum aliquis si fieret hæreticus Ecclesiam invaderet, oves Christi vellet ad hæresim pertrahere, & per vias abruptas iniquitatis ducere ad præcipitium æterni exitii; & præmissis iteratis monitionibus nollit desistere, detrectetque legibus parere divinis, & naturalibus, pertinet tunc etiam ad officium supremi Pastoris, nulla spe emendationis illucente, hunc principem ab ovili Ecclesiæ separare, & potestatem nocendi veluti furioso gladium arripere, quia id non esset directè jurisdictionem in principem sæcularem, sed tantùm indirectè exercere, quatenus Pastor suas intendit primario oves defendere, ne grave iisdem damnum contingat, unde non nisi secundariò, & indirectè intendit exclusionem Principis ab ovili. Neque obstat si dicas, spoliare principem suis subditis, perinde esse ac ipsum destituere bonis temporalibus: & Pontificem Romanum in spiritualibus tantum esse Pastorem principum: ergo non videtur, quomodo Romanus Pontifex possit Principes sæculares privare suis subditis: etenim Petro, & ejus successoribus traditæ tantùm fuerunt claves regni cœlorum, non verò bonorum temporalium. Sed contra, quia potestas spiritualis adeo adnexa est temporali, ut ambæ potestates separari non possint, & si separentur vix possunt diu subsistere: perinde ac corpus si sit malè affectum non potest anima in eodem suas perfectè functiones exercere: ita nec potest religio culturâ virtutum florere nec conservari si fuerit malè in membris suis affecta; & præsertim si morbus in capite grassetur, quia tunc una cum capite languet totum corpus. Et tunc ad supremum Medicum pertinet morbum capitis curare, ne totum corpus detrimentum patiatur. Tametsi Deus militantem in terris Ecclesiam per miracula, & specialissimam providentiam instituerit, noluit tamen eam Principibus Ethnicis diu subjici, sed illis per Constantinum deletis imperium ad Christianos transtulit, sub quibus Religio Catholica floruit, & toto orbe propagata fuit: Spectata enim humana fragilitate non potuisset contingere fidem Catholicam conservari, & florere sub Principibus Ethnicis, quorum persecutionibus vexabatur, & ad interitum insequebatur. Victa enim patientia tandem diuturnis territa suppliciis cessisset, nisi Deus nova semper perpetrâsset miracula. Id nos docent Suecia, Dania, Anglia, Græcia, quæ à fide pravo imperantium exemplo defecerunt. Sunt igitur religio & imperium adeo arcto colligata fœdere ut una potestas sine altera Christi Vicario, summoque Pastori committi vix potuisset. Hinc sicut Pastori ovium tantùm non luporum aut furum regimen committitur: si tamen lupi oves invadant eos procul abigere officium est Pastoris: perinde quamvis nulla in Principes, & regna sit à Christo Petro, & ejus Successoribus potestas, ac jurisdictio directa tradita; si tamen Principes nitantur oves Christi in hæresin pertrahere, Ecclesiam adoriri, ad supremum Pastorem pertinet Christi oves defendere, & totis viribus impedire ne per viam perditionis trahantur, & ad æternum perducantur exitium: quapropter monere tenetur Principes quatenus à tali conatu desistant, quod si præmissis iteratis monitionibus, & adhibitis aliis mediis, quæ visa fuerint opportuniora adhuc contumaces persistant, tunc utriusque juris lata sententia est, se defendere, & suam jurisdictionem propugnare. Semel enim quod alicui conceditur jurisdictio intelliguntur etiam concessa omnia, quæ ad illam sunt necessaria, & sine quibus non posset efficaciter exerceri L. fin. ff. de officio ejus cui mandat. Jurisdic. & *l.* x. *ff. de jurisdic. omn. Judic.* & *cap. Præterea de offic. Judic. Delegat.* atqui jurisdictio in oves Christi concessa à Deo Petro ejusque Successoribus Romanis Pontificibus canonicè electis à quibus reddendæ sunt rationes de animabus omnium fidelium, si Principes sæculares hanc jurisdictionem velint impedire, & oves à suo ovili dispergere, & ab obedientia, & cura proprii Pastoris subtrahere, tunc Pontifex potest suam defendere jurisdictionem, seque Principibus sæcularibus opponere præmissis priùs monitionibus, & adhibitis omnibus iis mediis quæ visa sunt opportuniora, alioquin, si Principes sæculares vellent oves Christi à cura sui Pastoris abstrahere, non posset Pastor eas pascere, neque regere, sicque Dei providentia non bene suis ovibus consuluisset, ex quibus constat, fuisse potestatem indirectam supremo Pastori Ecclesiæ necessariam. Hinc D. Bernardus lib. 1. de considerat. cap. 6. ad Eugenium Pontificem scribit: *Non monstrabunt puto, quando quispiam Apostolorum Judex sederit hominum aut divisor terminorum aut distributor terrarum. Stetisse denique lego Apostolos judicandos sedisse judicantes non lego, erit illud non fuit. Itane imminutor est dignitatis servus si non vult esse major Domino suo, aut discipulus, si non vult esse major eo, qui se misit: aut filius si non transgreditur terminos quos posuerunt Patres sui? Quis me constituit Judicem ait ille Dominus & Magister, & erit injuria servo, discipuloque nisi judicet universos*, & nonnullis interjectis subdit: *Habent hæc infima, & terrena Judices suos Reges, & Principes terræ, quid fines alios invaditis, quid falcem vestram in alienam messem extenditis? non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis. Denique ubi necessitas exigit, audi, quid censeat non ego sed Apostolus, si enim vobis judicabitur hic mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? sed aliud est incidenter incurrere in ista causa quidem urgente, aliud ultro incumbere istis tanquam magnis, dignisque talis, & talis intentione rebus.* Geminam D. Bernardus constituit potestatem rerum temporalium, unam ordinariam; quam Regibus, & Principibus adscribit, aliam incidentem & ex causa urgente, quam in Romano Pontifice non diffitetur esse, ut oves Christi pascat, & tueatur ne ullum iisdem inferatur detrimentum. Prima potestas est directa, & Principibus sæcularibus convenit, alia est indirecta, quæ eatenus competit Romano Pontifici quatenus ad ipsum spectat pascere, & defendere dominicum gregem eumque per semitas æternæ salutis ducere. Hinc idem Mellifluus Doctor lib. 4. de considerat. ad Eugenium cap. 3. Pontificem alloquens pulchrè ait: *Pastorem te populo huic certè aut nega, aut exhibe: non negabis, nec hujus sedem*

tenes, te neges hæredem. Petrus hic est qui nescitur processisse aliquando, vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absque his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum, si amas me, pasce oves meas. In his successisti non Petro, sed Constantino, consulo toleranda pro tempore, non affectanda pro debito. Ad ea te potius incito, quorum te scio debitorem. Etsi purpuratus, etsi deauratus incedens, non est tamen quod horreas operam, curamque pastoralem Pastoris hæres: non est, quod erubescas evangelium: quanquam si voles, evangelizare inter Apostolos quidem gloria est tibi? evangelizare, pascere est. Fac opus Evangelistæ, & Pastoris opus implesti. Dracones inquis me mones pascere, & scorpiones non oves. Propter hoc inquam magis aggredere eos non ferro, sed verbo. Quid tu denuo usurpare gladium tentes, quem semel jussus est ponere in vaginam. Quem tamen qui tuum negat non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic: Converte gladium tuum in vaginam, tuus ergo & ipse tuo forsitan nutu, etsi non tua manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret, & is dicentibus Apostolis: Ecce gladii duo hic, non respondisset Dominus satis est, sed nimis est uterque: ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis sed hic quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exerendus est, ille sacerdotis, hic militis manu, sed sanè ad nutum sacerdotis, & jussum Imperatoris. Evincit S. Bernardus ex verbis Apostolorum & Christi duos inesse Romano Pontifici gladios spiritualem unum exerendum ab Ecclesia in suas oves & alium nudandum pro Ecclesia, scilicet in ejus defensionem contra Principes sæculares, si audeant Ecclesiam aggredi, & oves Christi mactare, vel dispergere. Ratio etiam hunc gladium materialem evagandum pro Ecclesia defendenda contra Principem conatus evincit, & est jurisdictio indirecta in Principes sæculares, siquidem potestas ex Apostolo 2. Corinth. 10. v. 8. *Data est Pontificibus in ædificationem non in destructionem Ecclesiæ.* Sed esset in destructionem si pro libitu instar ordinariæ, & directæ jurisdictionis ad temporalia se extenderet siquidem impediret curam spiritualem, & regimen Ecclesiasticum, quod in omnes rorius mundi Ecclesias ex officio Romanus Pontifex exercet, quanto enim plus curæ temporalibus tanto minus impenderet spiritualibus distractis viribus in diversa proinde diminutis in singulis, & id contingeret non sine ingenti animarum pernicie; quod si Romani Pontifices incumbentes unicè in solam rem Ecclesiasticam, & causas Religionis dirimendas adhuc plura videntur negligi, eò quia ad singula vix possit attendi, saltem ea solertia, quam res exigerent multo minus possent res Ecclesiasticæ rectè administrari; si regnorum accesserit cura rerumque temporalium administratio, unde Apostolus 2. ad Timoth. 2. v. 4. scribit: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Præterea rectum Ecclesiæ regimen exigit promovere tranquillitatem inter fideles, pacemque servare, ac Reges inter, & Romanum Pontificem amicum fœdus inire mutuisque auxiliis se juvare, sin verò jurisdictio directa in Regna temporalia Principum pertineret ad Romanum Pontificem, inde orirentur dissidia, foverentur discordiæ lites, simultates, & bella excitarentur inter Romanum Pontificem, & Principes sæculares, & excitata hæc inter jurgia plurimum pateretur Ecclesia detrimenti, & fideles in partes diversas distraherentur, & qui Principibus sæcularibus adhærerent facilè mutuis odiis à supremo Pastore ovium Christi averterentur. Idque causæ cur rarissimè summi Pontifices etiam indirectam in Principes sæculares potestatem exercuerint, & rarissimè jurisdictionem indirectam usurpaverint, & quidem nonnisi pura impellente necessitate. Principes enim utpote cæteris delicatiores gravissimè offenduntur si tantùm à Romano Pontifice tangantur, hinc regna commoventur, populi turbantur, & subditi atmantur, à quibus nonnisi fatale potest exitium spectari religionis, quæ omnia ostendunt non fuisse necessariam Romano Pontifici hanc directam jurisdictionem, & potestatem in Principes sæculares. Neque ex eo, quod Romanus Pontifex sit Christi Vicarius omnia potest, quæ ipse Christus: siquidem Vicaria potestas Romano Pontifici concessa suis clauditur limitibus suisque coarctatur terminis intra animarum salutem promovendam, & Ecclesiæ utilitatem, ut habetur *in cap. sunt quidam, & cap. contra statuta 22. quest. 1.* & de utilitate Ecclesiæ habetur 2. *ad Corinth.* 10. *v.* 8. Non enim Vicarius omnia potest, quæ Principalis, neque se extendit Vicaria potestas ad ea quæ expressum mandatum exigunt *cap. 3. de offic. Vicarii in 6. cap. 1. eod.* Neque dixeris omnia posse Papam, quæ Christus, non enim nova sacramenta potest instituere, neque antiqua abrogare, neque novam Ecclesiam fundare, neque bigamiam simultaneam concedere, neque plura alia, quæ pertinent ad potestatem excellentiæ, ut loquuntur Theologi, quia hæc potestas adeo est Christo propria, ut nulli hominum nec D. Petro consequenter nec ejus Successoribus concessa fuerit.

Quamobrem dicendum est in Ecclesia, & Romano Pontifice tantùm dari potestatem indirectam urgente scilicet necessitate defendendæ religionis, & tuendi Dominici gregis in Reges eorumq; bona temporalia. Idque evinci potest satis scripturis præsertim, 2. Paralip. 26. ubi Ozias Rex quamdiu obtemperavit mandatis Pontificis Azariæ ejusque consilia fuit executus victoriis onustus floruit; sed ubi sacerdotis officium incepit sibi usurpare illico à Numine Vindice fuit lepra percussus & non solùm templo, sed etiam Regno à Pontifice pulsus, & imperium filio traditum: si Azarias Pontifex non habuisset indirectam potestatem, & jurisdictionem in Oziam Regem, non potuisset eundem Regno destituere, sceptro spoliare, verba sacræ scripturæ hæc sunt: 2. Paral. 26. *Sed cum roboratus esset Ozias elevatum est cor ejus in interitum suum & neglexit Dominum Deum suum, ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare Thymiamatis, statimque ingressus est post eum Azarias sacerdos, & cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi restiterunt regi atque dixerunt: non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino sed sacerdotum hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium, egredere de Sanctuario ne contempseris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo, iratusque Ozias tenens in manu thuribulum ut adoleret incensum minabatur sacerdotibus, statimque orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis, cumque respexisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui sacerdotes viderunt lepram in fronte ejus & festinato expulerunt eum. Sed & ipse perterritus acceleravit egredi, eo quod sensisset illico plagam Domini, fuit igitur Ozias Rex leprosus usque ad diem mortis suæ, & habitavit in domo separata plenus lepra. Ob quem ejectus fuerat de domo Domini. Porro Joatham filius ejus rexit domum Regis, & judicabat populum terræ.* In hoc textu dignum est observatu pertinuisse ad sacerdotes cognoscere de lepra Principis,

pis, quem non tantùm monuerunt, vel rogarunt, ut è templo exiret, sed etiam vi voluerunt expulsum, & à reliquo populo summi sacerdotis arbitrio sejunctum, à quo etiam fuit regno expoliatus ob indirectam saltem jurisdictionem quam habuit, & propterea exercuit in Regem Oziam sibi usurpantem officium sacerdotis adolentis incensum super altare thymiamatis ad quem ausum coërcendum Deus ipsum leprâ percossit, qua debuit à reliquis separari juxta illud Levitici 13. v. 44. *Quicunque ergo maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium sacerdotis, solus habitabit extra castra:* ex quibus liquet in veteri lege ad sacerdotes pertinuisse de lepra Principis cognoscere, & si eum reperisset infectum à consortio, & societate cæterorum excludere, ac inhabilem regendis populis declarare regnoque destituere: hinc à fortiori in novo lege debet ad summum sacerdotem, seu Romanum Pontificem pertinere de lepra spirituali judicare, quòd si periculum immineat, ne fideles eadem inficiantur, potest Principem sejungere à populo fideli, ne suo exemplo vel potentia aut etiam jussu eos trahat in eundem morbum: idque causa fuit Adriano, Leoni, & Stephano, Romanis Pontificibus separandi Imperatores Græcos à Latinis, & cæteris Orthodoxis eò quia in hæresin lapsi fuerint, quam decretis, & suppliciis propagatam etiam voluerunt, non solum per Orientales ditiones, verùm etiam per Regiones Occidentales. Neque obstat, si dicas esse discrimen de lege veteri & Evangelica, quia præceptum illud de lepra corporali à sacerdote cognoscenda in lege veteri fuit judiciale, non ita in Evangelica, quia etiam in lege nova potest locum habere & quoad lepram spiritualem est in lege Evangelica præceptum morale, quod fundatur in jure divino naturali, & in defensione propriæ jurisdictionis. Aliud exemplum habetur etiam 2. *Paralip. cap. 23. & 4. Reg. cap. 11.* ubi Jojada Pontifex Athaliam, quæ regnum injustè sibi usurpavervat puniri jubet, & legitimum Regem suo restituit throno, fuit Athalia Achabi & Jezabelis filia, cumque justa Ochozia recèns defuncto instituerentur, mulier regnum invadit, simul & thronum putans non aliter posse stabiliri, quàm si Nepotes suos Ochoziæ filios, & totum Leviticum stemma evelleret è vivis, hinc occupato regno illud violanta, & crudeli superbia ministrat, ac promiscua cæde, quidquid erat regii sanguinis effuodit extinctura Davidicam stirpem, ejusque stemma deletura, in has enim cruentas iras cupiditas dominandi Athaliam pertraxit. Hæc crudelitas sexennio grassata fuit Nepotibus ex filio Ochozia omnibus crudeliter interemptis præter unum Joam anniculum infantem à Jojada Pontifice clam subtractum, quem uxoris industria, ac pia fraude Josabæ sororis Ochoziæ educandum tradidit, regnat interea Athalia Megera potius ab inferis emersa, quàm mulier è Regio sanguine orta, gementibus populis: interim puer Joas septennis erat, cum Jojada Pontifex vir ingentis spiritus ac laudatæ prudentiæ doluit, cives non tantùm à Regno, sed à famulitio itidem degenerâsse, & hactenus fuisse obsecutos fœminæ tyrannidi, quæ causa fuit, ut inceperit cogitare de pellenda à throno Athalia, illoque restituendo legitimo suo Principi, ad quem finem Primates Regni fortissimos tribunos, ac Centuriones in secretum templi deductos postulata priùs secreti Religione illos alloquitur, objiciens lugubrem Regni statum; sacra detestabili cultu temerata, & oppressa ferro jura regnante contra patrias leges muliere extranea orta de gente hostili, ac Idolorum cultrice, & nihil magis illi propositum quàm omnia concutere, permittere omnia cadere, ut ipsa stet, & omnia perdere, ne ipsa pereat, nihil esse quod avidissimè ipsa cuperet, quam Regium omne semen extinctum, superesse tamen ex veneranda illa Davidica progenie parvulum unum legitimum Regem, quem potestati asserere totis deberent viribus. Rem totam præsto esse, dum ipsi vellent contra mulierem imbellem pugnare, nihil illis ab Israëlitico Regno expectandum auxilii. Expectari tantùm percussorem, nec Dei defuturam opem; hisce effatis, septennem educit è latebris infantem, ad cujus aspectum lætitia omnes, ac veneratione perfusi sacramentum præstant mori pro dilecto capite potius velle, quàm Athaliæ fœminæ adhærere; tunc Pontifex ordinem conjurationis aperuit, & quem quisque locum obtinere, quid exercere debeat, præscribit arma itidem in templo præsto esse; monet tantùm desiderari viros, qui adversus fœminam pugnare velint. Negotium præsertim Levitis committitur, qui ingenti numere ex omnibus Judæ urbibus confluxerunt, & omnes templi aditus armata manu occupârunt, & neminem in atrium exterius, quod Levitarum dicebatur intrare patiuntur, ne ulla suspicio ad Athaliam perveniret, & ii, qui constituti erant in excubiis per alternas vices mutabantur. Stato igitur tempore omnes præstò fuerunt Rex septennis valida septus custodià in templum ducitur vestibus ornatus Regiis, legisque divinæ volumen manu tenens inungitur; & profusis, iteratisque clamoribus hæres Sceptri Judaici proclamatur, quo tumultu excitatâ regiâ templo proximâ, Athalia cum familiari comitatu, suaque prætoriana cohorte nititur templum ingredi, & inter confusam turbam, clamoresque pupulorum ad aram penetrat ubi cum vidisset Joam sedentem in suggestu, simulque arma, & tubas chorosque Musicorum audivisset attonita ex rei novitate furibunda vestes scindit, & exclamat, conjuratum populum esse contra se, ut suos provocaret ad resistendum, sed tollente populo vocem, novoque Regi felicitatem apprecante Pontifex præcipit militibus, ut vociferantem fœminam extra templi septa abripiant, ac interficiant: extracta igitur è loco sacro juxta Regium palatium interimitur à militibus. Verba scripturæ sunt: *Produxitque Jojada filium Regis, & posuit super eum diadema, & testimonium feceruntque eum Regem, & unxerunt, & plaudentes manu dixerunt vivat Rex*, & nonnullis interjectis: *Præcepit autem Jojada Centurionibus qui erant super exercitum & ait eis: educite Athaliam extra septa templi & quicunque eam secutus fuerit feriatur gladio: pepegit ergo Jojada fœdus inter Dominum & inter Regem & inter populum, ut esset populus Domini, & inter Regem & populum.* Liquet ex hac historia Pontificem maximum Reginam in primis damnare tyrannidis, & patrati criminis in semen Davidicum quod proprio sanguine adnixa est extinguere, ac radicitus delere; & non solùm Reginam damnavit, sed & milites conscripsit legitimum Regem solio imposuit & fœdus non solum inter Deum & Regem, sed etiam inter Regem & populum inivit, conditiones posuit, remque civilem justa & militarem curavit, quòd si quæras quo jure summus sacerdos Athaliam Reginam è solio dejecerit & Regno spoliaverit, non alio credas quam naturæ, & necessitatis, ne scilicet imperante fœmina vitiis indulgente Religio sacerdotibus concredita detrimentum pateretur. Quòd si dicas Athaliam ob tyrannidem quam exercuit potuisse non à sacerdote tantùm, sed à quolibet subditorum Regno privari, quod injuria occupaverat, respondetur, quod Athaliam

summus Pontifex regno ejecit, quia nullo jure regnabat, eodem pacto si Princeps aliquis ita regnum administret, ut religioni & fidei detrimentum inferat deponi imperio poterit, quia tunc jus regnandi, vel deperdit, vel illo se ostendit indignum, potest siquidem aliquis ab ipsis initiis indignus esse regno, qui nullum regnandi jus habuit, ut est tyrannus. Et rursus potest fieri indignus, quia tametsi regnum fuerit legitimè ingressus, postea tamen jus regnandi amisit vel saltem meretur ut eo privetur, utroque casu nullo jure regnatur. In primo quia jus regnandi non habuit, in secundo quia licet habuerit, illud amisit, verum hoc judicium cùm sit de re gravissima, tangatque Reipublicæ capita, quibus omni jure debetur veneratio soli summo Pontifici reservatur, cum in persona Petri dixerit Christus: *Pasce oves meas.* Alioquin si hoc judicium ad quemlibet pertineret, omnia plena essent latrocinitis, ac parricidiis, possetque quisque vim Principi inferre prætextu publicæ civium salutis. Simile exemplum de Phineës summi sacerdotis filio habetur *Numer.* 25. cujus factum D. Thomas 2. 2. quæst. 60. ad 2. ex eo excusat, quia tametsi non esset summus sacerdos, erat tamen summi sacerdotis filius, ad quem hoc videbatur pertinere, sicut ad alios Judices quibus hoc præceptum erat. Verùm in lege Evangelica non licet sacerdotibus, multo minus Pontifici Maximo sanguinem alicujus, præsertim Principis fundere, imò nec consulere illius effusionem, ut habetur *in cap. his à quibus. c. si in morte* 23. *q.* 8. & eleganter Gratianus post *cap. nos* 2. *q.* 7. inquiens: *Multa concedebantur tunc, quæ nunc penitus prohibentur, miracula enim, & maximè veteris testamenti, sunt admiranda, non in exemplum nostræ actionis trahenda. Tunc enim Samuel Agag pinguissimum Regem Amalec in frusta dividendo conscidit: nunc nulli Ecclesiasticorum judicium sanguinis agitare licet. Tunc Phineës Judæum congressum cum Madianita interfecit & reputatum est ei in justitiam: hodie sacerdotibus in perniciem sui officii vertetetur.* In commendationem Eliæ prophetæ ait Spiritus S. Ecclesiastici cap. 48. *Quis potest similiter sic gloriari tibi? qui dejecisti reges ad perniciem, & confregisti facilè potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo; qui ungis reges ad pœnitentiam, & prophetas facis successores post te.* Reges ab Elia uncti fuerunt Azael Rex Syriæ, & Jehu Rex Israël, 4. *Reg.* 19. & licèt Elias id fecerit jussu Dei, non sua sponte; idem tamen Dei mandatum etiam summi Pontifices acceperunt, cum iisdem concreditæ sunt oves Christi, quarum custodia exigit in pastore potestatem arcendi lupos ovium neci inhiantes, & eos viribus destituendi, qui Ecclesiam, Christi ovile invadunt, ne noceant, ne damnum, quamvis velint, possint inferre; idque jure naturalis defensionis; cum id omnibus sit à natura inditum, ut à volentibus nocere se defendant, arceantque sibi inimicum: multo magis id supremo in Ecclesia Pastori convenit, ut eos abigat, coërceatque, qui Ecclesiam, & oves Christi adoriuntur, ut damnum inferant; in hoc casu potest summus sacerdos principes coërcere ne Christi ovibus noceant, ne damnum inferant Christi ovili, seu Ecclesiæ militanti, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 60. art. 6. ad 2. ubi ait: *Qui non repellit injuriam à socio cum potest, tam est in vitio, quàm ille, qui facit.* Tenetur supremus Pastor ex officio impedire ne injuria suis irrogetur ovibus, tenetur lupos abjicere, ne damnum inferant. Hinc Apostolus Paulus scribens ad Corinth. 6. ait: *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, & non apud sanctos: an nescitis, quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? & si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? nescitis quoniam angelos judicabimus, quanto magis secularia?* Agnoscit Apostolus in sacerdotibus, & à fortiori in Romano Pontifice potestatem judicandi de rebus sæcularibus: idque evincit argumento ducto à majori ad minus: si enim spiritualia sacerdotes judicant, quanto magis sæcularia ait: *Nescitis quoniam angelos judicabimus, quanto magis secularia:* ac si diceret, qui potestatem habet ad majora, multo magis eamdem poterit ad minora exercere, quòd si spiritualia sunt majora, & longè excellentiora, sæcularibus, qui idoneus habetur ad judicium inferendum de spiritualibus, habebitur itidem idoneus ad judicanda sæcularia: ait D. Thomas expendens verba Apostoli: *Qui idoneus est ad majora, multo magis erit idoneus ad minora;* idque ob periculum, ne ex crebro cum infidelibus commercio, eorumque gratiam captandi causa fideles subvertantur. Sed Apostolis circa majora, & excellentiora occupatis, hanc potestatem judiciariam vult ab aliis rerum forensium peritis exerceri, & hi sunt quos D. Paulus vocat in Ecclesia contemptibiles: relativè ad alios qui in propagando Evangelio, populisque ad Christum convertendis occupantur, ut explicat S. Clemens in Constitutionibus Apostolicis lib. 2. cap. 51. inquiens: *Quod oporteat in secunda sabbatorum cognoscere causas, adsint autem judicio Diaconi, & Presbyteri integrè judicaturi, veluti Dei homines cum justitia. Cum utraque persona venerit, prout lex jubet, ambo, qui litigant, statuantur in medio tribunali, iisque auditis, sanctè judicium pronuntiate: studentes ante sententiam Episcopi eos conciliare, ne exeat supra terram judicium in peccatorem, prout in tribunali consortem, participemque causæ habet Christum Dei.* Judicium de rebus sæcularibus possunt quidem Ecclesiastici: si temporalia sint spiritualibus detrimento, si principes sæculares profectui spirituali animarum sint impedimento, si Ecclesiam invadant, quam evertere conentur; sed procedendum magnâ cautela, & prudentia, ne à remediis adhibendis plus mali hauriatur, quàm boni. Primò monendi sunt principes per literas, per legatos, imo etiam per preces rogandi quatenus cognitâ justitiâ causæ velint desistere à damnis Ecclesiasticis inferendo: quòd si hæc non prosint; nec possint res aliter componi, tunc ait Clemens, sanctè est judicium pronunciandum, ut principum sæcularium violenta potestas coërceatur, imò & suppetiæ ab aliis etiam principibus sæcularibus petendæ ut præstitit Gregorius II. Romanus Pontifex contra Leonem Isauricum Imperatorem, qui tota Græcia, imò & Oriente sacras insequeretur imagines: & eos qui detrectarent hæresi adhærere suppliciis torqueret, exiliis, ac proscriptionibus vexaret; postquam plures collectas B. Virginis, & Sanctorum imagines, Icones, ac statuas tradidisset flammis in urbe regia; etiam Italiam invasit, Sicariis in Pontificem missis, ferali itidem evulgato edicto, quò juberentur Itali omnes delere sacras imagines, & sederet tunc Romæ Gregorius II. Pontifex Maximus, qui neque à Græcis, neque à Longobardis, nec aliis finitimis principibus posset auxilia sperare quibus Imperatoris violentiæ posset obsistere, nec monitiones per legatos per preces, quidquam profuerint; pro tuenda Christi militante in terris Ecclesia fœdus inivit cum Carolo Martello, & Gallis contra Imperatorem Leonem Isauricum, quem si preces, & monitiones non potuerunt flectere, saltem vires accersitæ coërcerent, ne majora inferret Ecclesiæ damna.

Gregorius igitur consulatum Carolo principi exhibet, qui juncto cum Romano Pontifice fœdere in Italiam cum suis armatis copiis venisset nisi præmatura morte deletus ipse è vivis fuisset. Erat consulatus dignitas supremæ proxima, si Patriciatus excipiatur, & solus Imperator consulatum conferebat. Plura erant hujus dignitatis jura, præsertim senatum cogare, jus dicere, tutores date, annis nomen tribuere, manumittere servos, locare vectigalia, ludos præsertim Circenses permittere: togâ pictâ seu palmata uti, quæ olim triumphantium dumtaxat propria erat, purpura, auroque intexta, quæ etiam trabea diceretur, Martellus igitur oblatum sibi à Romano Pontifice consulatum acceptavit, & Romam misit Abbatem Corbeiensem, qui fœdus cum Pontifice iniret, ac petitum spouderet auxilium. Gregorius interea nihil omisit, ut Leonis duritiem emolliret flecteretque in favorem justitiæ, plures ad Imperatoram supplices direxit epistolas, legatos misit, mediatores adhibuit, & integrum quinquennium impendit ut Imperatorem flecteret; sed cum pervicacior semper in incœptis sacrilegis persisteret, duriorque fieret, nec aliud amplius suppeteret remedium Gregorius Romæ coacta Synodo Imperatorem Leonem Isauricum anathemata percussit, ut testatur Zonaras tom. 3. in Leone circa finem. Hæc Gregorius adversus Leonem Imperatorem, quæ ut fiant clariora audiendus est Fredegarius qui in scribendis Chronicis floruit, & scripsit jussu Caroli Martelli, & prosecutus fuit historiam Gregorii Turonensis: hic *in Chron. cap. 110. fec. 8.* hæc habet. *Eo tempore B. Papa Gregorius bis à Roma claves venerandi sepulchri cum vinculis S. Petri, & muneribus magnis, & infinitis legatione memorato Principi destinavit eo pacto patrato, ut ad partes Imperatoris recederet, & Romanum consulatum præfato principi sanciret. Ipse itaque Princeps mirifico, & magnifico honore ipsam legationem accepit, munera magnifica obtulit, atque cum magnis præmiis cum suis sodalibus missis Grimonem Abbatem Corbeiensis Monasterii, & Sigebertum Reclusum S. Dionysii Romam ad limina SS. Petri, & Pauli destinavit.* Ceduenus in Leone ad annum 9. ait: *Anno nono Leo Imperator impius cœpit de sacris imaginibus evertendis sermonem facere, quo cognito Gregorius Romæ Papa tributis Italiæ, & Roma eum prohibuit.* Et rursus ubi de evecto Anastasio in cathedram Germani agit ita loquitur. *Romæ autem Gregorius Apostolicus vir à Leone ob ejus impietatem defecit, & pacto cum Francis icto tributa Leoni denegavit.* Et Zonaras Tom. 3. annal. in Leone Isaurico ait: *Qua de causa Gregorius qui tum Romæ veteris Ecclesiam gubernabat, repudiatâ præsidis novæ Romæ societate, nec non eorum qui illum sequebantur, illos cum illorum Imperatore Synodico anathemate obstringit, & vectigalia, quæ ad illud usque semper inde pendebantur inhibuit, icto cum Francis fœdere.* Gregorius igitur Romanus Pontifex suam indirectam jurisdictionem exercuit adversus Imperatorem sæcularem causâ Ecclesiæ defendendæ vimque vi propulsavit, cum aliud non suppeteret remedium sacras servandi imagines, & Ecclesiam custodiendi. Hinc S. Bernardus de consideratione lib. 1. cap. 6. *Mihi tamen videtur bonus æstimator rerum, qui indignum putat Apostolis seu Apostolicis viris non judicare de sæcularibus, quibus datum est judicium in majora. Quidni contemnant judicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in cœlestibus, & Angelos judicabunt.* Et postea paucis interjectis subdit: *Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere quippe potioribus occupatis. Denique ubi necessitas exigit, audi quid censeat, non ego sed Apostolus: si enim in vobis judicabitur hic mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis.*

Hæc eadem jurisdictio Romani Pontificis in principes sæculares, quando præsertim agitur de tuendis Ecclesiæ juribus, de impedienda religionis eversione, & de ovibus Christi defendendis, ne quicquam patiantur à lupis detrimenti colligitur ex verbis Christi ad Petrum Matth. 16. v. 18. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris super terram erit solutum, & in cœlis:* per hæc verba SS. Patres Latini æquè ac Græci intelligunt supremum, ac Monarchicum Ecclesiæ regimen concreditum S. Petro in his quæ respiciunt bonos mores, & sanam doctrinam: finis igitur horum verborum fuit ut Petrus & ejus pro tempore successor gubernaret Ecclesiam, eamque defenderet, ne quidquam pateretur detrimenti: atqui intendens finem aliquem intendit etiam media essentialiter, ac necessariò connexa cum assecutione talis finis: unde una cum fine promissa etiam sunt necessaria media sine quibus assecutio finis non potest obtineri; alioquin promissio, & intentio finis supervacanea, otiosa & inutilis foret: sed sine jurisdictione saltem indirecta in principes sæculares Romanus Pontifex non posset Christi oves pascere, nec Ecclesiam defendere, quia si principes sæculares eam invaderent ut everterent non posset Romanus Pontifex eos propellere, neque Christi oves tueri, ne à lupis exitium paterentur. Sicut concessio alicui militari officio, datur eidem facultas arma gestandi, & in conflictu occidendi impunè hostem, ita semel concesso Petro, ejusque successoribus officio supremi Pastoris, ut injunxit Christus Petro Joan. 21. *Pasce oves meas*, conceditur eisdem facultas defendendi oves à lupis, aliisque animalibus volentibus nocere ovibus Christi & nitentibus evertere, diruere, Christi ovile, seu Ecclesiam; neque hæc consequentia illata ex verbis Matthæi 16. est imaginaria, sed essentialis, & desumpta ex natura rei: hinc *l. 2. ff. de Jurisdict. Cui jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potest*, quapropter Gregorius VII. *lib. 8. epist. 21.* ait: *Habet Ecclesia Romana potestatem singulari privilegio concessam aperire, & claudere januas regni cœlestis, quibus voluerit; cui ergo aperiendi, claudendique cœli data potestas est, de terra judicare non licet? Absit. Num retinetis, quod ait Beatissimus Paulus Apostolus: nescitis, quia angelos judicabimus, quanto magis sæcularia.* Et D. Gregorius M. 2. *part. Pastor. c.* 2. ex allegato Apostoli textu infert datam potestatem pastoribus ovium Christi in sæcularia; sed ea uti minimè opportunum ne secularibus se rebus immisceant, ut tanto spiritualibus negotiis attentius operam navent. Et Jacobus Tyrinus expendens verba Apostoli 1. Corinth. 6. *Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia*, ait: *Nota hæc judicia causarum sæcularium inter Christianos commissa consuevisse Episcopis, vel delegatis ab Episcopo presbyteris, ut constat ex Clemente Romano & lege Theodosii, & Caroli Magni; & ex antiquo Ecclesiæ usu, Judices enim in his causis sederunt Gregorius Thaumaturgus Neocæsariensis, SS. Ambrosius, Augustinus, Sinesius, aliique Episcopi: sed crescente nimis numero Christianorum, simul & litium, onus hoc rejectum in humeros Judicum sæcularium jam Christianorum, ne ut ab initio S. Petrus apud eundem Clementem rectè monuit, Episcopus*

præfocatus sæcularibus negetiis non possit vacare verbo Dei.

Suffragatur itidem huic jurisdictioni indirectæ concessæ Romano Pontifici in principes sæculares, munus ipsum supremi Pastoris à Christo injunctum Petro, & ejus successoribus Joan. ult. *Dixit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis diligis me plus his? dicit ei, etiam Domine tu scis quia amo te, dicit ei: Pasce oves meas*, cumque fuisset hoc ter repetitum; confirmavit officium supremi Pastoris non soli Petro, sed & ejus successoribus canonicè electis: atqui omnes Christiani sive mendici sint, & pannosi; sive divitiis affluentes, & auro gemmisque ornati, sive privati, sive ministri publici, Principes, Duces, Reges, Imperatores sunt oves Christi, & pertinent ad ovile Ecclesiæ, suntque sub custodia, & regimine in spiritualibus supremi Pastoris à Christo constituti seu Romani Pontificis; & sine jurisdictione in Pastore non potest regimen exerceri in oves: siquidem plerumque saluti ovium expedit, ut etiam sit necessarium eas in ordinem redigere si à recto tramite deflectent, & nonunquam etiam coërcere illam potestatem, quâ sibi, & aliis nocent; & sine jurisdictione non possunt oves coërceri ne sibi & aliis sint nocumento: ergo cum hæc potestas coërcitiva requiratur in Pastore ut possit oves regere, pascere, ac earum curam gerere hæc jurisdictio, & potestas coërcitiva de facto concessa à Christo fuit D. Petro, & ejus successoribus; alioqnin defuisset in necessariis Christus injungendo Petro & ejus successoribus custodiam, & curâ suarum ovium sine hac jurisdictione, quia imperasset finem, & denegasset media necessaria ad illius assecutionem. Quod verò Christus non denegaverit hæc media; sed concesserit Petro, & ejus successoribus hanc indirectam jurisdictionem in principes, clarè colligitur ex illo Matth. 18. v. 15. ubi Christus ait: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum, sin autem te non audierit; adhibe tecum adhuc unum, vel duos ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: sin autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus: amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram erunt ligata, & in cœlo.* Perspicuum est ex hoc textu inesse Apostolis, eorumque successoribus judiciariam potestatem circa omnia delicta patrata, injurias proximo irrogatas; & damna sive corporalia sive spiritualia illata aliis; adeo ut in defectu Magistratûs sæcularis non administrantis justitiam, possit ad Ecclesiasticum tribunal, veluti ad asylum innocentiæ appellari, ut ab Ecclesia justitia administretur. Insigne hujus provocationis exemplum nobis exhibent Historiæ tempore Theodosii Cæsaris. Auriga id temporis nobilis cujusdam adolescentis pudicitiam fœdavit, accusatus enormitatis delicti à præfecto militum detruditur in carcerem. Dies advenerat quadrigarum decursui destinatus. Cives Thessalonicenses Aurigam exposcunt libertati restituendum ut certamini cum aliis interesset; sed negat militum præfectus tam turpis flagitii reum posse impunè dimitti. Irascitur præfecto populus, quem cives armata manu invadunt, & per inflicta vulnera interimunt. Defertur civium insolens ausus ad Theodosium Imperatorem, qui exardens furore in eos, qui cædi interfuerunt, jussit omnes à militibus trucidari; quo decreto innocentes æquè ac nocentes interempti fuerunt. Ambrosius clade audita Thessalonicensium evulgato diplomate patratæ stragis Authorem accusat declaratque Imperatorem, quem tamen emollir, flectitque ad veniam populo petendam: sed vix è palatio egreditur populo satisfacturus; Aulici contrarium Principi suadent, asserentes, hac indulgendi facilitate populum ad paria, imò & pejora audenda invitari; delicta non esse sine pœna permittenda, ne vitia latius grassentur; veniam unius delicti, aliud secum trahere enormius: patratam cædem non solum præfectum militum respexisse, sed Cæsaream etiam Majestatem injuriâ affecisse, cujus minister fuerat interemptus præfectus. Ad hæc Theodosius acrius populo irascens sæviri iterum jubet in cives, idque tantâ fuit sævitie peractum ut trium horarum spatio septem millia quorum plurimi innocentes cruenta clade ceciderint enecti. A lacrymis non potuit se temperare Ambrosius audita enormi clade civium, Theodosium ab ingressu Ecclesiæ prohibuit, sacrisque arcuit, & vix post longam delicti expiationem, gemebundum admisit, cui Ambrosius: *Quam tu pœnitentiam post tam grave scelus ostendis, quæ medicamenta ad vulnera tam difficilia adhibuisti?* reposuit Imperator in genua provolutus: *Tuum est medicamenta præscribere, meum accipere, tibique obtemperare.* Cui Ambrosius: *Quoniam non rectâ ratione, sed animo irato obsequiosus sententiam pronunciasti, conscribe legem, quâ deinceps sententia per iracundiam pronunciata irrita sint, & nullius momenti, earumque executio ad triginta dies suspendatur.* Paruit Imperator Ambrosio, legem sancivit, ut liquet *l. 2. c. de Pœnis.* Annon Ambrosius potestatem coërcitivam, ac jurisdictionem quam Pastor in suas oves habet exercuit in Principem sæcularem? An non Imperatoris delictum ab Episcopo judicatum, & punitum fuit? sive jurisdictione non potuisset Ambrosius procedere ut Judex, neque judicium ferre, nec multo minus punire Imperatorem sæcularem. Neque Theodosius litem ullam in Episcopum judicem incompetentem movit, quasi non pertineret ad forum Ecclesiasticum judicare de principibus sæcularibus. Neque Imperator excepit justè in populum perduellem fuisse sævitum, nec se inscio milites modum excessisse punitionis opposuit; neque injunctæ sibi ab Episcopo pœnitentiæ fuit obluctatus; neque excepit Episcopum non posse principem sæcularem obligare ad legem conscribendam, ac promulgendam quâ sæculares obligarentur, & sententiarum executiones differri deberent, quia hæc omnia ad forum politicum pertinent, sed humilis, & resipiscens omnia sibi ab Episcopo injuncta fuit executus. Quòd si dicas præcitatum textum Matthæi 18. loqui tantùm de correctione fraterna, & occulta, ut honori, bonæque famæ proximi consulatur. Contra est, quia textus loquitur etiam de publica, & coërcitiva, qualem exercuit D. Ambrosius in Theodosium Imperatorem ob cruentam cladem Thessalonicæ patratam; & ita communiter docent SS. Patres & D. Thomas in 4. sent. dist. 18. q. 2. art. 1. idque etiam clarè infertur ex verbis textûs, si enim adhibendi sunt testes jam delictum corrigendum patet pluribus, sitque publicum; præsertim si reus Ecclesiam non audiens separandus sit ab illa tanquam Ethnicus quod non potest fieri, nisi ut separatus reus innotescat aliis, à quibus vivere debet separatus; & hoc perinde est ac publicè condemnare reum, & Episcopum exercere jurisdictionem in principem secularem: etenim si Ecclesiam non audit, judicandus est ut ethnicus, & habendus ut separatus ab aliis Christi fidelibus, ne suam scabiem aliis communicet, suumque delictum aliis affricet, adeo ut D. Paulus 1. *ad Corinth.* 5. non permittat eum salutari, & epist. 2. v. 10. Joannis *amittat etiam jurisdictionem*

dictionem & auctoritatem judicialem, *c. ad probandum de sent. & re judic. c. nos Sanctorum, alusque eadem causa* 15. q. 6. & *cap. Gravem de pœnis*, dummodo non sint tolerati, quia tolerati jurisdictio non admittur, cujusmodi sunt nostris temporibus plures principes hæretici per Germaniam, & alias regiones; & antiquitus prisci Romani Cæsares, quibus obediendum omnino est *c. Julianus quæst.* 3. *cap. Sacerdos causa* 3. *quæst.* 7. Cautè tamen procedendum in percutiendis anathemate Christianis Principibus, hi enim ob dignitatem, quâ insigniuntur donantur privilegio, quò minus ab aliis, quàm Romano Pontifice mucrone anathematis feriantur, aliisque censuris coërceantur *cap. ne aliqui de Privileg. in* 6.

Evincitur itidem hæc indirecta jurisdictio Romani Pontificis in Principes sæculares ex illo Luc.22. ubi Christus alloquens Apostolos ait: *Qui habet sacculum tollat similiter, & peram, & qui non habet vendat tunicam suam, & emat gladium; dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: cum iniquis deputatus est; etenim ea quæ sunt de me finem habent. Et illi dixerunt: Domine ecce duo gladii hic: & ille dixit eis, satis est.* Per duos gladios utramque potestatem, & jurisdictionem significari spiritualem, & temporalem docent communiter SS. Patres: ait D. Bernardus *lib.* 4. *de consid. ad Eugenium Papam: Voluisse Christum Dominum duplici gladio duplicem potestatem exprimere Petro commissam, spiritualem videlicet, & temporalem: istum verò in vaginam recondi, hoc est non manu, sed nutu, & præcepto Petri; nec vindicta, sed necessitatis causâ exerendam*: in eodem sensu explicant præfatos duos gladios S. Anselmus in cap. 27. Matthæi. Bonifacius VIII. *in Extravag. unam Sanctam de Major. & Obed.* Abbas *in c. Novit de judicus*, & Cornelius à Lapide in cap. 26. Matthæi nu. 5. allegoricè ait: *Interpretes passim per duos gladios accipiunt duplicem Ecclesiæ potestatem spiritualem videlicet, & temporalem.* Liquet igitur Christum per præfata verba voluisse indicare duplicem potestatem, seu jurisdictionem, spiritualem exercendam circa ea quæ ad profectum, & regimen spirituale animarum; & aliam temporalem, qua exigente necessitate, & urgente charitate defendendi Ecclesiam, & Christi oves utetetur in principes sæculares; & hanc duplicem potestatem suis commisisse Apostolis, neutram vindictæ causa usurpandam, sed charitatis, & Ecclesiæ utilitatis gratia exercendam.

CAPUT XVI.

Evincitur authoritate canonum indirecta jurisdictio Romani Pontificis in Principes sæculares.

INesse Romano Pontifici jurisdictionem, & potestatem in principes sæculares illustri exemplo edocuit universalem Ecclesiam Innocentius III. Romanus Pontifex in cap. Novit. 13. de Judiciis, ubi prolixam scribit decretalem ad Galliæ Prælatos ob diuturnum, cruentumque bellum, quod grassabatur inter Philippum Augustum Galliæ, & Richardum Angliæ Reges, qui operâ Innocentii III. quinquennales inducias pacti fuerunt sopito potius bello, quàm extincto. Richardus Aquitaniam invadens telo ictus interiit; sed Joannem successorem habuit; qui cædis, quam Arcturo Nepoti obtulisse dicebatur, ac injuriarum in magnates Aquitaniæ postulatus à Philippo Galliæ Rege accersitur suam dicturus causam: comitatum siquidem Pictaviensem, aliasque in Galliis provincias jure beneficiario obtinebat. Sed quia stato tempore Joannes non adfuit, omni jure quo gaudebat in gallia privatur armisque invaditur; appellavit Joannes ad Innocentium III. qui missis Legatis Pacem utrique imperat, & non armis sed judicio litem discuti jubet, sed Philippus victoriam sibi è manibus rapi agnoscens à Legato ad Pontificem provocat, & causam armis prosequitur; Nordmanniam, & quicquid Franciæ ditionis Anglus antea occupaverat in fidem recipit, adigitque Joannem in Angliam reverti, ut refert Spondanus ad annum 1100. & 1203. Moretus in Theatro Historico Gallicè scripto in vita Philippi Augusti. In illa igitur decretali Innocentius III. declarat ad Papam pertinere cognoscere de quocunque peccato, præsertim de perjurio, fractione pacis publicæ: & corripere quemlibet peccantem etiam regem, & Imperatorem, servata priùs correptione evangelica: nec tum Pontificem dici derogare jurisdictioni Principum, nec cognoscere de feudis, quia quæstio feudi pertinet ad Dominum feudi, nisi consuetudo, vel privilegium præjudicet: ex hac decretali & historia constat, quod quamvis Romanus Pontifex diversè, & immediatè non se immisceat causis civilibus Principum sæcularium; debere tamen iisdem se immiscere, quoties id Ecclesiæ interest, cum scilicet agitur de peccato, perjurio, & fœdere non servato, pactisque violatis: tunc pertinet ad Pontificem dissidentia principum capita reconciliare, belli accensas faces extinguere; inducias saltem indicere, & eorum causas cognoscere, ut non ferro, sed jure lites dirimantur. Potest etiam Romanus Pontifex appellationes ad se directas à Principibus sæcularibus recipere de causis temporalibus, ut moris erat in lege veteri in qua summus Pontifex judicium ferebat de causis etiam civilibus, & etiam in lege Evangelica id posse fieri constat Matth. 18. ut edisserit D. Thomas 2. 2. quæst. 85. & ex edicto Valentiniani Imperatoris, & habetur in historia tripartita lib. 7. c. 8. Nec hanc jurisdictionem Philippus re negavit Pontifici Romano, cum & ipse referente Paulo Æmilio lib. 6. appellaverit ad Papam, ut suam cognosceret causam, eamque judicaret juxta leges justitiæ; non potuisset Pontifex sine jurisdictione in causa Philippi regis procedere ut judex, nisi in principes sæculares habuisset jurisdictionem cum judicium hanc essentialiter supponat.

Secundus canonicus textus ostendens hanc in Romano Pontifice jurisdictionem in principes sæculares ex cap. Licet, 6. de Votis, ubi Innocentius III. Decretalem scripsit ad Andream Ducem Regis Hungariæ filium natu minorem, cujus tenor est: Quod si hæres promittat implere votum ultramarinum defuncti possit adigi excommunicatione, & privatione hæreditatis ad impletionem voti. Et in hac Decretali Innocentius III. compellit Regem Hungariæ. Plura Bellarminus lib. 7. de Pontif. cap. 8. congerit exempla Pontificum, qui deposuerunt Imperatores, & Reges quando fuerunt rebelles Deo, & Ecclesiæ. Urgebat id temporis Innocentius III. expeditionem Principum Christianorum in Palæstinam, & terram sanctam à Saracenis, ac infidelibus occupatam; & plures initio sui Pontificatus moverat

Prin-

Principes ad ſanctum bellum dignum viro principe; & inter hos Bela III. Hungariæ rex voto ſe obſtrinxit ſuas in Palæſtinam ducendi copias, ſed lethali morbo correptus imminente jamjam præmaturæ mortis periculo accerſivit ad ſe Andream filium ſuum natu minorem, cui injungit voti à ſe emiſſi executionem, & niſi illud adimpleat minatur paternam maledictionem. Defuncto ex morbi violentia Bela Henricus natu major frater Andreæ regno Hungariæ potitur. Andreas ſpecie votum paternum exequendi militum copias conſcribit, crucis accipit vexillum, cumque contra infideles expeditionem bellicam ſuſcipere creditur, ex inſperato arma in fratrem natu majorem regnoque potitum vertit, regnum quod natura denegaverat armis occupaturus. Henricus ſuos collegit milites ſuum parat exercitum contra fratrem jus ſuum propugnaturus. Jam utrinque acies in conſpectu ac procinctu pugnandi ſtabant, quando Henricus depoſitis armis, & ſceptrum manu quatiens non alio munimine tectus, quàm propria innocentiâ protectus ad fraternas acies proſilivit, & alta voce inclamavit: Num eſſet inter ipſos aliquis qui violentas manus in ſuum legitimum Regem inferre auderet regioque ſanguine manus fœdare, cui propugnando deberet ipſe cruorem fundere, quid ad has Regis voces non tam ſupplicantis, quàm imperantis victi milites inermi ſe dedunt eumque proprium acclamant Regem contra quem arma ſuſceperant. Hæc ubi Innocentius Romæ audivit decretalem ad Andream direxit, juſſitque ut ſe voto cognoſcat obſtrictum cui propterea parendum injungit, & ſi detrectet, minatur dira, & excommunicationem. Obſecutus Pontifici Andreas, bellum quidem ſacrum ſuſcepit, ſed ſtatim abrupit, & in Hungariam reverſus fuit, causâ ſedandi excitatos in regno tumultus. Decretalis Innocentii oſtendens juriſdictionem Romani Pontificis in Principes ſæculares, placet hic attexere: *Innocentius III. Andreæ Duci. Accepimus quòd cum Rex Hungariæ Pater tuus agens in extremis votum, quod voverat Domino Hieroſolymitanam Provinciam in forti manu humili corde viſitare, ſub interminatione maledictionis paternæ commiſerit tuæ fidei exequendum, & tu aſſumpto crucis ſignaculo te id impleturum ſine dilatione qualibet promiſiſti. Verum eodem Patre tuo ſublato de medio, cum Hieroſolymitanum hoc iter te arripere ſimulâſſes, aſſumpta peregrinationis oblitus, quoniam contra inimicos crucis dirigere debueras, in fratrem tuum, & Regnum Hungariæ convertiſti aciem bellatorum, & multa contra ſerenitatem regiam malignorum uſus conſilio commiſiſti. Nos autem quos diebus iſtis ad Pontificatus officium licèt immeritos nobilitatem tuam rogamus, & monemus, & exhortamur in Domino, ac per Apoſtolicam ſedem mandamus, quatenus poſtpoſitis cæteris ſolicitudinibus usque ad feſtum exaltationis ſanctæ crucis debitum acceptæ crucis exolvens, propoſitum iter arripias, & humiliter proſequaris, ne ſi tuum tibi à Patre injunctum, & à te ſponte ſuſceptum occaſione qualibet detrectaveris, paterna te reddas ſucceſſione indignum, & hæreditatis emolumento priveris, cujus recuſaveris onera ſupportare ſciturus ex tunc anathematis te vinculo ſubjacere, & jure, quod tibi, ſi dictus Rex ſine prole decederet in Regno Hungariæ competebat, ordine genituræ privandum, & regnum ipſum ad minorem fratrem tuum appellatione poſtpoſita devolvendum.* Exercuit Innocentius authoritatem Pontificiam, & juriſdictionem in Principem ſæcularem, nec ſolas pœnas ſpirituales denunciavit, ſed & temporales addidit. quos Principes fortaſſis magis timent ut bonorum temporalium ſpoliationem, regni privationem.

Tertium teſtimonium deſumitur ex *cap. Venerabilis de elect.* ubi Romanus Pontifex declarat electionem Imperatoris pertinere ad ſeptem Principes Germanos, & ad Papam examinare an dignus ſit, eumque conſecrare, & coronare, & in defectus ſupplere, & data qualitate vocum gratificare cui vult. Antiquitus Romanorum Imperator Romæ degebat, poſtea relicta Italia ſedem ſuam in Oriente poſuit, adeo ut Romanum imperium Orientem ſimul, & Occidentem complecteretur, hinc nonnunquam ab uno tantùm regebatur, & interdum à pluribus, indiviſim tamen donec Conſtantinus fundato, & ædificato Bizantio Conſules Senatum, & omnes dignitates, ac privilegia, quæ antea Romæ fuerant tranſtulerit Bizantium imperiumque inter filios diviſerit, Occidentem Conſtantino juniori partitus, & Conſtanti Orientem verò Conſtantio, idque contigit anno 337. & inde Romana Aquila biceps apparuit in duo diviſa capita, verùm ita ſciſſum fuerat imperium, ut utrumq; in unum iterum uniretur, ſi alterius linea deficeret in prole: & anno 364. Valentinianus ſolo Occidente contentus Valenti fratri ſuo imperium ceſſit Orientis, à quo tempore usque ad Auguſtulum Occidentis Imperatoris ſcilicet usque ad annum 476. Imperium duobus paruit Principibus, donec anno 476. Odeacer Dux Erulorum ſeu Scitarum Ariana in hæreſi infectorum in Italiam venit vocatus ab iis, qui Nepoti Imperatori favebant, ubi Venetos bello laceſſivit, & expugnavit Auguſtulum itidem prælio victum, captumque adegit imperio renuntiare. Cauſa verò occupati imperii ab Odeacre fuit, quia Nepos Imperator Oreſtem Patritium militiæ, & Copiis præfecerat. Hic majoribus inhians dignitatibus Nepotem Imperatorem fugavit, & filio imperium detulit, qui verò ex parte erant Nepotis ulturi injuriam Principi illatam Odeacrem Erulorum Ducem in Italiam accerſunt, qui Nepote, & Auguſtulo in ordinem redactis imperium occupat, potiturque regno Italiæ donec an. 489. Theodoricus Gothorum Rex etiam ipſe Arianus Italiam bello invadit, & quia Odeacrem Ravennæ biennio obſeſſum vincere non valuit, maluit cum ipſo Italiam dividere. Fuit Theodoricus bello impiè, & Conſulatum triumphum ac equeſtrem ſtatuam à Zenone Imperatore ob proſtratos perduelles, ac deletas victorias accepit imò & in filium fuit adoptatus, quamvis beneficiis ſatur, cum Orientale imperium bello fruſtra invaliſſet, in Italiam reverſus cum Gothis, & Wandalis tota propemodum potitur aliisque Regionibus etiam extra Italiam. Theodoricus an. 493. prætextu amicitiæ, ac benevolentiæ Odeacrem regni Italiæ ſocium ad epulas invitat, & nihil ſiniſtri ſuſpicantem trucidat, interemitque, & miſſis ad Anaſtaſium Imperatorem Legatis pacem ab ipſo impetrat, ac pacificè regnum Italiæ adminiſtrat. Interea Juſtinus Imperator Arianos in Oriente agitat, ac perſequitur, adigitque Eccleſias occupatas deſerere, & Theodoricus Conſtantinopoli Legatos mittit Arianis pacem impetraturus à Juſtino, ſed quamvis pax fuerit Arianis conceſſa, non tamen Eccleſiæ Catholicis reſtitutæ, quæ cauſa fuit, ut Theodoricus Legatos mori compulerit, & ſecutæ paulo poſt fuerunt cædes Severini Boëtii, & Symmachi. Ambo erant Senatoria dignitate inſigniti, & non multo poſt ſecuta itidem fuit funeſta mors Theodorici, & regnum Italiæ Athalerico Nepoti ceſſit gubernante interim matre, donec ipſe adoleſceret. Verum Athalericus adoleſcens moribus corruptis in flore moritur ætatis an. 804. & Theodatus Theodorici ex ſorore Nepos ſuccedit, & ſceptrum Italiæ rexit. Qui Malaſumptham Athalerici matrem exilio primùm poſtea capite plectit, cujus violentam mortem vindicaturus Imperator Juſtinianus Theodati petentes pa-

cem

cem domum remisit bellumque in Gothos paravit, & paulo post infert Duci Bellizario, qui occupata utraq; Sicilia Romam expugnat, & Gothos debellat. Verùm Totilas cum parva Gothorum manu bis collatis signis Græcos vincit, prosternitque dissipata acie, ac potiorem Italiæ partem occupat. Sed Totilam Victoriis insolentem & exercitu ferocem Justinianus Mersete Duce vincit, adeo ut Imperator Justinianus opera duplicis belli fulminis Bellizarii, & Narsetis Barbaros Italia expellit & Occidentem iterum Orienti conjungit uno Principe imperante utrique parti, & an. 567. Justinus junior per Præfectos Italiam gubernare cœpit, quos Exarchos vocari voluit, sed horum dominatione expugnata potius quam propugnata fuit Italia, quam eodem tempore dissidia orta inter Narsetem, & Romanos, totaliter perdiderunt: invidebant Romani Narsetis congestis opibus gloriæ, & authoritati, quem propterea accusarunt apud Justinum Imperatorem & Sophiam conjugem, qui Narsetem in Græciam revocant, ubi tantis divitiis dicunt affluxisse ut amplam cisternam thesauris impleverit, quos Italiæ extulerat occisis etiam Consciis, ne ubi laterent, prodederent. Narsetem verò acrius vulneravit Imperatricis Scomma, quæ per contemptum jusserat Narsetem Gynecæum ingredi, & illic cum puellis lanas texere. Sed ille ulturus hanc injuriam misit per Legatos optimos fructus Italiæ, quibus Longobardos ex Pannonia in Italiam evocavit, quam Alboino Duce Saxonum, Bulgarorum, & Salmatarum, Suevorumque auxiliis invadunt, & occupant, & Ticinum post triennalem obsidionem ad deditionem adigunt, sed Alboinus dolo Rosimundæ uxoris ab armigero, quem deperibat, infeliciter cæditur. Fuerunt Longobarti populi Germaniæ partes incolentes Albis fluvii, ubi nunc Magdeburgum, & Albestadium jacent, sed opera Theodolindæ Reginæ convertuntur Longobarti ad fidem Catholicam & sub Ariovaldo Rege in Italiæ florent, quamvis plures ad partes deflexerit Arianorum, cumq; non placeret Imperatoribus Italia à Longobartis occupata, iisdem Constans Imperator bellum indicit, sed irrito conatu, Romam enim tantùm venit, & omnia ex ore urbis monumenta Constantinopolim transtulit. Et Crimoaldus Longobartorum Rex Catholicam fidem profitetur, & Luithbrandus anno 712. regni sui initio Romanæ Ecclesiæ donationem confirmat, vel potius restitutionem alpium Cottiarum jam antea ab Ariberto factam.

An. 725. Carolus Martellus Francorum Princeps, regiique palatii Præfectus Saracenos vicit, ac delevit cæsis una die cum Rege Abdirama ter centies septuagies quinquies mille cum Gallorum nonnisi mille quingenti ceciderint, & cum iterum ausi fuerint in Galliam trajicere iterum prælio prosternuntur recepta Avenione quam Saraceni occupaverant, fuit Martellus Pipini Francorum Principis filius ex pellice Alpaide, qui à Patre hæres scriptus Eudone Aquitaniæ Duce victo Gallias moderabatur, hinc Gregorius II. qui Romæ tunc sedebat victoriis Martelli incitatus, se & suam Ecclesiam defendendam commisit implorata etiam ope contra insidias Leonis Isaurici, ut superius innuimus. An. 739. Luithbrandus Romam invadit, obsidet, causa hujus belli fuit, quia Gregor. III. nollet Transamundum Ducem Spoletanum tradere, quem Regis crudelitatem fugientem hospitio acceperat, sed Gregorius III. iterum Martellum urget Luithbrando jam urbi imminente & extremum exitium parante, & bis in litteris ad eum datis filium Christianissimum appellat, quo titulo gloriati Reges Galliæ veluti immortale Religionis elogium semper servârunt, sed Martellus præmatura morte præventus non potuit Pontificis vota exequi. Reliquit Martellus duos filios, Pipinum, & Carolum M. qui Romæ Monasticam vitam suscepit Pipino moderante Regnum authoritate regia non nomine. Pipinus anno 751. ad Zachariam Pontificem Legatos mittit qui exposita Childerici Regis inter otia, & voluptates marcescentis vecordia populorum consensu Pipinum Regem optantium, rogant Romanum Pontificem velit regnum in eundem Pipinum transferre, & solvere Francos sacramento quod Childerico dixerant ultimo Rege Merovingicæ stirpis, eò quia Childericus incapax esset regni administrandi, & scribunt ad Zachariam hoc omnium esse votum qui pro stupido, pacisque & belli ignaro Principe alium sapientia, victoriis, & gloria florentem caperent. Cumque Romæ fuisset hæc causa per multum temporis agitata, & utrinque discussa, Zacharias Papa tandem Francos juramento solvit, & sua authoritate, ac Procerum consensu regno Galliæ Childericum utpote incapacem spoliat, & Pipinum induit. De hac regni translatione à stirpe Merovingica in Pipin. plura scribunt historici illius temporis præsertim Paulus Æmilius, & Eginardus in vita Caroli M. non procul ab initio, interim an. 752. moritur Zacharias qui ut pietatem, & beneficia Regum Francorum præmio aliquo donaret, nominationem Episcoporum in Galliis vacantiũ concessit, ut notat Spondanus ad an 753. Quòd si Romanus Pontifex potestatem habet transferendi regnum quod est quid temporale de una stirpe ad aliam, quando justæ suppetunt causæ, quis inficias ibit inesse Romano Pontifici jurisdictionem, & potestatem in Principes sæculares, quando utilitas Ecclesiæ id exigit. Non unum tantùm jurisdictionis actum, sed plures Romani Pontifices exercuerunt in Reges & Principes sæculares: siquidem Gregorius II. Leoni Isaurico persequenti Catholicos prohibet à Romanis solitum pendi tributum Car. Martel. protectionem implorat, cui Romanum consulatum etiam defert, ut armet in hostes Ecclesiæ. Zacharias itidem Romanus Pontifex hanc exercuit jurisdictionem cum transtulit à Childerico stupito ultimo Merovingicæ stirpis in Pipinum regium sceptrum Galliarum: Stephanus itidem qui Zachariæ successit Pipino, & ejus filiis regnum confirmat, & Regni Proceres solemni juramento adigit nunquam ex alia, quam Pipini, seu Carolina stirpe Regem admissuros. Hanc jurisdictionem itidem exercuit Adrianus Roman. Pontifex cum Carolum, & Carolum M. Reges à nuptiis cum Longobartis severè prohibuit, & cum idem Adrianus à Desiderio Longobartorum Rege sæpe pulsatur ut Nepotes ex filia legitimos regni hæredes pronunciet, si enim Desiderius Rex non existimasset inesse Pontifici hanc jurisdictionem in Reges sæculares eum pluries non rogâsset ut Nepotes ex filia regni hæredes declararet. An non jurisdictionem in Principes sæculares exercuit Leo III. cum imperium Orientis transtulit in Occidentem & spoliato Imperatore Orientis Carolum Augustum pronuntiavit, quem corona & imperio Occidentis donavit. Hanc translationem factam fuisse authoritate Leonis III. summi Pontificis probat Bellarminus testimoniis 35. historicorum, quorum verba ipse rescribit, & adducit duodecim Imperatores, & alios Principes, & suffragia septem summorum Pontificum, quorum testimonia rejici non possunt, tametsi sint in propria causa, quia supremus Princeps potest esse testis, & Judex etiam in sua causa *l. unic. Cod. si quis Imperatori maledixerit l. 54. Cod. de Decurion. cap. cum venissent. 12. de Judic.* & ibi Canonistæ præsertim Abbas *num. 6. ad cap. ne quis in causa.* Godofredus. Nec ab alio lites pontificiæ dignitati motæ dirimi possunt quàm ab eodem Papa, cujus testimonium propterea omni vacat suspicione.

Ut autem hæc translatio imperii in Carolum M. fa-

cta per Pontificem Romanum omni suspicione careat, non abs re erit aliquot testimonia hic afferere Historicorum etiam qui Romano Pontifici visi sunt adhæsisse, etenim Zonaras historicus Græcus Tom. 3. annal. in vita Constantini, & Irenæ ait: *Roma prorsus Francis potita sunt Carolo à Leone coronato Romanorum Imperatore appellato:* & nonnullis interjectis addit: *Sub Constantino & Irene Papa Leo Francos etiam Romanis admisit.* Otto Frisingensis historicus ab omnibus veridicus habitus ad an. 801. hæc habet de hac translatione imperii; *Carol. Rex à summo Pontifice ablato Patritii nomine coronatus, omni populo tunc acclamante Carolo Augusto à Deo coronato magno, & pacifico Romanorum Imperatori vita, & victoria.* Paulus Diaconus, qui tempore Caroli M. floruit lib. 23. *Rerum Romanarum ait: Leo vicem Carolo recompensans in Imperatorem coronavit eum.* Ubi notandum hanc coronationem vocari beneficium Leonis, eò quia facta fuerit ejus voluntate, & jusso. Lupoldus Bambergensis in Proœmio lib. de Juribus Imperii ait: *De sacri Regni & Romanorum Juribus à tempore translationis ipsius Imperii de Græcis Imperatoribus ad Reges Francorum, & ad German. per sacrosanctam Eccles. facta tractaturus &c.* ubi expressè asserit hanc translationem de Græcis ad Reges Francorum factam fuisse per sacrosanctam Ecclesiam seu per ipsum Leonem III. qui tunc temporis Romæ sedebat. Abbas Urspergensis in Chronico an. 796. ait: *Leo Papa ordinatur, hic Carolum fecit Imperatorem*, & anno 801. subdit: *Carolus M. Rex Francorum consecratus est Imperator. cum enim natale Domini Romæ celebraret in ipsa die sacratissima missarum solemnia auditu veniens nihilominus sperante Leo Papa coronam imposuit, & Imperatorem Romanum pronuntiavit.* Joan. Tritemius: *Leo Papa III. natione Romanus sedit annis 20. vita sanctimonia clarissimus Carolum cognomento, & opere Magnum ad imperium Romanum unxit, & hanc dignitatem à Græcis in Francos transtulit.* Albertus Kranzius: *Non habetur Imperator nisi quem Romanus Pontifex confirmaverit, & consecraverit, Domini enim est terra, & plenitudo ejus: ipse transfert regna, & imperia, dignissimeque ad suum Vicarium hoc sacrum ministerium delegavit.* Spondanus approbans, quæ Baronius de hac translatione imperii facta à Leone III. à Græcis ad Carolum M. ad an. 800. ita loquitur: *Non tantum Eginhardus, aut Anastasius de collata per Leonem Romanum Pontificem dignitate Carolo M. sunt testes; sed fatentur id ipsum Latini omnes, & Græci authores. Quod autem hujusmodi translatio Imperii ab Oriente in Occidentem divino consilio facta fuerit magno Christianæ Reipublicæ emolumento, & imperii Orientalis desolatio, & alia eventa satis, superque demonstrarunt.* Non solùm Catholici, sed vel ipsi hæretici hanc adiguntur veritatem fateri. Cluverus hæreticus, seu reformatæ (ut ajunt) religionis ad an. 798. ita loquitur: *Leo III. Hadriano Pontifici successor datus populum in Caroli verba adegit, vexillo Romanæ urbis ad ipsum transmisso: ob id, & ob crimina, quæ illi objectabant æmuli indignissimè habitus oculorum suorum privatione damnatur*, & nonnullis interjectis ad annum 800. *Leo gratiam relaturus Benefactori tanto; Carolum in D. Petri Basilica solemniter pronuntiat Augustum, coronâ capiti impositâ, acclamantibusque Romanis: Carolo Augusto à Deo coronato, magno, & Pacifico Imperatori Romanorum vita, & Victoria:* quæ postrema verba recitantur etiam ab Ottone Frisingensi. Daniel Pareus & ipse hæreticus, ac religionis reformatæ agens de Leone Isaurico ait: *Extinctis bellis Leo in religionis reformationem incumbens idola omnia destruit, templisque Christianorum ejici jussit* (homo Lutheranus sacras imagines vocat idola) *Propterea Iconomicum ipsum vulgus appellavit. Gregorius III. Pontifex Romanus ea in re tantum offensus est, ut excommunicationis fulmine feriendum Leonem censuerit; subditos etiam Imperatoris in Italia, hoc est regionibus exarchorum omni tum fidei nexu tum tributorum pendendorum necessitate solvit, quod avellendæ à Græcis Italiæ Francosque ad imperium vocandi initium fuit.* Ecce vel ipsi hæretici nolentes adiguntur veritatem fateri; & confiteri Romanos Pontifices exercuisse potestatem, & jurisdictionem in principes sæculares: an non fuit actus jurisdictionis Imperatorem Orientis spoliare imperio, illudque transferre in Occidentem, & Carolo M. dare, eumque consecrare, & corona insignire imperiali? An non fuit actus jurisdictionis quem exercuit Gregor. III. Romanus Pontifex cum Imperatorem Leonem Isauricum anathemate percussit, eumque subditis destituit ac inhibuit ne tributa penderentur? Quid clarius, quid manifestius exercitio hujus jurisdictionis in Romanis Pontificibus adversus principes sæculares nitentes tranquillitatem Ecclesiæ perturbare, illique damna inferre? sed testimonium omni exceptione majus superest adferendum in conformationem eorum, quæ hactenus diximus: testem producimus Basilium Macedonem Orientis Imperatorem, qui anno 871. scribens ad Ludovicum II. Caroli M. pronepotem literas per Joannem Patritium ad eum direxit: Quibus cum eodem Ludovico acriter conquestus est, quod dignitatem & nomen Imperatoris, & Basilei usurparet: unum tantùm Imperatorem esse, qui Orienti, & Occidenti imperet: rogavitque deinde, ut hisce titulis imposterum abstineret sibi, nec aliis debitis. Sed Ludovicus Aukptaudum Constantinopolim Legatum cum literis misit Basilio quas Baronius ad annum 871. recitat, & præ cæteris hæc habet: *Et ipsi patrui nostri gloriosi reges absque invidia Imperatorem nos vocitant attendentes ad unctionem, & sacrationem, quâ per summi Pontificis manus sumus ad hoc culmen provecti*, & nonnullis interjectis subdit: *Præterea mirari se dilecta fraternitas tua significat, quòd non Francorum, sed Romanorum Imperator appellemur: sed scire te convenit, quia nisi Romanorum Imperator essemus, utique neque Francorum; à Romanis enim hoc nomen, & dignitatem assumpsimus, quorum gentem, & urbem divinitus gubernandam, & matrem omnium Ecclesiarum Dei defendendam, atque sublimandam suscepimus, ex qua & regnandi prius, & postmodum imperandum authoritatem prosapia nostra seminarium sumpsit. Nam Francorum principes primò reges, deinde verò Imperatores dicti sunt, ii duntaxat qui à Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt &c. Præsertim cum tales sæpe ad imperium sint adsciti, qui nulla divina operatione per Pontificum ministerium propositi, solùm à Senatu, & populo imperatoria dignitate potiti sunt: nonnulli verò nec sic, sed tantùm à militibus sunt clamati, & in imperio stabiliti, aut alio modo ad imperii Romani sceptra promoti sunt. Porrò si calumniaris Romanum Pontificem, quod gesserit, calumniari poteris, & Samuel, quod spreto Saule, quem ipse unxerat, David in regem ungere non renuerit. Sed interim paginas revolvas Græcorum Annalium; & si quæ è vestratibus Pontifices Romani pertulerunt, perscrutaris, profectò invenies, unde illos justè non valeas redarguere; unde meritò apostatis desertis adhæserunt genti adhærenti Deo, & ipsius regni fructus facienti.* Apertè fatetur Ludovicus Imperator, se Romani Pontificis opera promotum fuisse ad Imperatoriam dignitatem, & ad culmen provectum imperii, & Romanum imperium à majoribus sui non usurpatum, sed Dei nutu, & Ecclesiæ judicio, summique Pontificis obtentum esse. Non dicit imperii dignitatem in se derivatam jure belli, vel

hære-

hæreditario, vel electione à populo, & Senatu facta, sed sola authoritate Romani Pontificis, operâ scilicet Zachariæ Papæ, qui Childerico ob inhabilitatem administrandi regnum, diadema regium ad Carolinos transtulit. Audiendus est Spondan. ad an. 871. ubi scribit loquens de Ludovico. *His literis acceptis Ludov. misso ad Basil. Imperat. Legato autem satis dedit Epistolam apologetic. quâ inter alia multa fuisè ostendit ejusmodo appellat. Basil. non esse peculiarem Græcis imperator. sed etiam competere aliis principibus; maximè verò Franciæ, qui eam dignitatem accepissent à Sede Apostolica ob egregiam ipsorum fidem in Deum, & eccles. Romanam.* Quamobrem quòd Imperium nunc sit in occidente & apud Germanos operâ contigit Leon. III. Roman. Pontificis, qui à Græcis illud transtulit ad Carol. Magn. & quamvis olim tempore Constantini non fuerit necesse ut Papa confirmaret Imperator. neque ut Imperator præstaret juramentum fidelitatis Pontifici; à tempore nihilominus translati Imperii in German. utrumque requiritur, ut constat ex Innocentio III. *cap. Venerabilem extra de Electione, & ex clementina unica de jurejurando.* Idque videtur æquitati consonum, ut qui potuit Imperium Germ. conferre ob utilitatem, & propugnationem eccles. has adderet conditiones, ut imperator. memores suscepti beneficii proprie non deessent officio protegendi, ac defendendi ecclesiam Catholic. & ne unquam electio caderet in hæreticum, vel schismaticum. Hanc translationem imperii factam à Pontifice fatentur etiam communiter ipsi hæretici ne apertæ veritati ab omnibus confirmatæ scriptoribus videantur refragari, quamvis ex ipsis non desint, qui eam non approbent bene factam ut Magdeburgenses qui centuria 8. c. 10. colum. 751. ajunt: *est hæc translatio præcipuum ex Miraculis Antichristi.* Verùm hanc translationem fuisse legitimè factam à Leone III. Roman. Pontifice constat primò ex communi consensu populorum qui pro vero, ac legitimo Imperatore cognoverunt Carol. M. ejusque successores. Neq; fuit unquam Rex ullus Christian. qui Imperator. contenderit præcedere, omnes Christiani reges præcedentiam semper Imperatori concesserunt. Secundò quia ex hac translatione plurima in Ecclesiæ, & fidelium faverem resultarunt commoda, plures Carolus de profligatis hostibus detulit victorias quibus Deus visus est approbasse hanc translationem, præsertim cum fuerit Carolus pluribus Christianis ornatus virtutibus & in Cathalogo à plerisque recenseatur Beatorum: quod si Juvenis nimius honesto in sequiorem sexum fuerit amore desurpatus, maturus tamen ætate contractas à juvene maculas lacrymis eluit pœnitentiæ, cilicio, flagellis excussit quidquid pravi contraxerat adolescens. Tertiò ex ipsa confessione Imperator. Græcor. qui pluries confessi sunt Romanum Pontific. jure potuisse imperium transferre in occidentem. Nam Irene imperatrix eum primum audivit à Leone Carol. unctum Imperator. non solùm non reclamavit; sed ejus nuptias exoptavit, petiitque illi nubere. Et mortua Irene Nicephorus imperator, qui illi successerat Legatos ad Carol. M. ut ad verum, ac legitimum Imperator. misit ut referunt Zonaras, & Cedren. & præsertim Ado in Chronico an. 803. Imò defuncto Nicephoro, Michael ejus successor similes legatos ad eundem Carolum ut verum in occidente Imperator. expedivit, qui ut scribit Ado an. 810. palam eum salutarunt Imperator. & non solum Græci, verum etiam Persæ legatos miserunt ad Carolum ut legitimum occidentis Imperator. ramenti unctus, & consecratus fuerit à solo Romano Pontifice, qui Imperio occidentis spoliavit imperator. orientis eo quia nollet Italiam defendere ab hostium incursionibus, & violentia in occupandis urbibus ac evertendis regionibus, ut referunt Rhegin. l. 2. & Otto Frisingens. l. 5. c. 31. ut etiam Platina in vita Alexandri III. Quòd verò videtur notatu dignum. Cum Emanuel Imperator Græcor. vidisset Alexand. III. Roman. Pontific. à Friderico Imperatore ad arctiores redactum angustias, ratus opportunam sic dari occasionem recuperandi imper. Occidentis obtulit illi auxilia & pecunias ea conditione ut imperium occidentis orientalibus restitueret Imperatorib. cui respondit Pontifex, nolle se ea conjungere, quæ prædecessores sui de industria, ac optima ratione divisissent: neque Emanuel quid aliud petierat quam purum ac simplicem titulum imperatoris occidentis, cum sciret possessionem ipsam ditionum non posse à pontifice dari; sed hanc esse armis occupandam. Neque verum est quod asserit Marsilius de Padua præfatam imperii translationem factam fuisse non à Leone III. Rom. Pontifice, sed à Populo Romano, qui Carolum salutavit Imperatorem occidentis? hæc enim est pura cogitatio ficta nulli innixa fundamento, & adversatur omnibus historicis Græc. & Latin. qui tempore Leonis III. & Caroli scripserunt, quæ illis temporibus contigerunt. Deinde Emanuel non à Romano Pontifice Alex. III. petiisset restitui imperium occidentis Imperatoribus Constantinopolitan. sed à populo Romano, à quo fuisset divisum; petiit restitui à Romano Pontifice, quia à Leone III. facta fuit imperii translatio. Præterea quia populus Roman. nunquam habuit potestatem creandi imperatorem: Etenim antiqui Imperatores hanc obtinuerunt dignitatem vel jure hæreditario, ut octavianus, Tyberius, Cajus vel ab exercitu creabantur, ut Claud. Vespasian. & alii Imò refert D. Hieron. epist. ad Evagrium fuisse ordinariam consvetudinem ut Imperator. ab Exercitu crearentur & habetur etiam hæc consvetudo in *Can. legimus dist.* 93. At tempore Caroli Magni nullus in occidente fuit Romanor. exercitus qui eum create posset Imperator. erant enim tunc tantum exercitus Græcor. & Longobardor. qui omnes erant Carolo infensi & hostes. Unde cum Carol. neque à populo Romano, nec ab exercitu nec jure hæreditar. habuerit Imperium Occidentis manifestè deprehenditur verum, quod asserunt omnes Historici illius temporis, & quotquot scripserunt vitam Caroli M. eum à Leone III. Roman. Pontifice imperium eccepisse: hinc Innocentius III. in c. Venerabilem de elect. ait. *Ad eos jus & potestas hujusmodi ab Apostolica sede pervenit quæ Roman. Imperium in persona Magnifici Caroli à Græcis transtulit in German.* & subdit: Principes Germaniæ id apertè recognoscere, & ipse Carolus M. hoc idem testatus est in testamento à se scripto, quo filios suos hæredes imperii relinquebat, quódque misit ad Leon. Papam, ut sua firmaretur subscriptione, ut scribit Ado in Chronico anni 804.

Sed ann. 814. Carol. Aquisgrani pleuritide correptus emoritur quem Magnum effecerant dotes naturales religio, veneranda bellica fortitudo, omnesque politicæ, ac militares scientiæ ut vix alius Princeps possit ei coæquari. Refert Theganus evulgata Caroli morte omnea in luctu tristitia, & lachrymis jacuisse, ac si communi Patre mundus totus orbatus fuisset. Sed Carolo successit in imperio Ludov. cognomento Pius ejus filius, qui an. 817. in Commitiis Aquisgranum invictis confirmat omnia, quæ à Pipino avo, & Carolo Patre Romanæ Ecclesiæ dono fuerant data, vel restituta, additis etiam Romana civitate cum suo Ducatu, exarchatu Ravenensi, & Regnis Sardiniæ, Siciliæ, & Corsicæ cum Ducatu Beneventano, Spoletano. Neapoli, & Calabria, ut habetur in c. *Ego Ludov. Dist.* 63. & referunt Sigonius l. 4. de Regno Italiæ, Baronius ad an. 830. Hostiensis l. 1. Chron. & Anathas. Bibliothecar. In iisdem Commitiis Aquisgranensibus Ludov. Lothar. filium diademate ornat, & Nepotem conjurationis reum, & convectum oculis destituit, sed an. 803. nova excitatur in Ludov. conspiratio à Pipino filio Rege Aquitaniæ ea de causa, quia quendam Bernard. Hispan. hominem custodiæ, & cubili præfecisset, id ægrè ferentibus Gallis, qui dolebant exterum hominem præferri filio Impera-

toris. Sed Lotharius filius, & Collega imperii adveniens cum exercitu Patrem liberat ab imminente periculo. Et quia tunc suspicio orta fuit contra Bernard. Hispanum minus honestè vixisse cum Imperatrice, Juditha eam Lotharius in Monaster. detrusit, ac velavit sed an. 833. iterum armantur in Ludov. Imperator. Pipin. Lothar. Luduvic. & utrinqoe multum sanguinis fusum fuisset, nisi Gregorius IV. Roman. Pontifex tumultus sedasset, pugnamque impedivisset, sed Gregor. in Ital. reverso exorta iterum fuerunt in Galliis dissidia, & in conventu Lugdunensi imperium Augusto ademptum fuit: quod tamen decretum à Romano Pontifice statim cassatum fuit, ac rescissum, & Archiepiscopi Lugdunens. mulctata audacia, ut narrat Paul. Æmil. de rebus Franc. in Ludov. Pio, hinc an. 834. Ludov. dignitati, & imperio restitutus, ac filii in gratiam recepti, quamvis perduelles mitius quàm mererentur puniuntur. Ex quibus iterum constat Romanum Pontific. exercuisse jurisdictionem in Principes seculares, alioquin non potuisset Ludovicum restituere dignitati imperatoriæ.

7. Quartus textus canonicus desumitur ex Tridentino unica de Jurejurando, ubi Roman. Pontif. declarat Reg. Romanor. Succedentes in imperio, debere obligari ad jurandam fidelitatem Eccles. Roman. ut fuit juramentum Henrici, & successorum. Quo autem tempore Jus elegendi Romanum Imperator. ad Principes German. fuerit devolutum variè scribunt Historic. Aventin. Bavar. *l. 5. Annal.* Onuphrius Pamphin. *l. de Comitiis* censent colleg. electorale in German. institut. fuisse à Frid. II. & confirmatum à Gregor. X. Romanu Pontifice. Et quia Frid. II. obiit an. 1250. & Gregor. an. 1264. ideo Onuph. credit jus eligendi Imperator. restitutum fuisse ad septemviros in Concilio Lugdunens. an. 1264. celebrato authoritate Gregor. X. Alii verò Jus hoc asserunt derivatum ad Princip. German. à Gregor. V. oatione itidem Germano, & Nepote Otton. III. qui an. 909. obiit, & huic opinioni adhærent plures inter quos Bellarmin. & Morer. in suu dictionario histor. in histor. Gregor. V. & hæc opinio ex eo evincitur quia Sigebert. ad an. 1002. refert Ott. III. præ cæteris cum Papa Gregor. V. de his egisse, quæ ad imperii Jura spectant. Secundò qui Ott. I. & alii usq; ad Otton. III. privilegio Leon. IIX. qood habetur in c. *Synodo dist. 63.* successorem elegerint, & postea jus elegendi ad Princip. German fuit devolutum facta aliqua mutatione circa imperium alioquin Imperator. hoc tam grandi privilegio eligendi sibi successorem non se privâssent, unde ex conventione inter Principes German. & Roman. Pontific. statutum fuit ut deinceps Imperator eligeretur per suffragia Principum German. ad promovendam tranquillitatem, & qnietem popolorum, & tunc putant aliqui contigisse, cum Otto III. imperatur decessit absque liberis, ne causâ electionis dissidia orirentur. Sed numerus septem Electorum non à Gregor. V. institut9. fuit, sed ab Innocentio IV. in primo Concil. Lugdunensi an. 1245. ubi inter Electores Ecclesiast. positus fuit Archiepiscopus Salisburgens. ut habetur in actis Concilii Lugduoens. editis à Severino Binio *Tom. 3. Concil. part. 2. fol. 167. edit. Collon.* ubi hoc ordine enumerat Electores scilicet Sæculares Ducem Austriæ Ducem Bavariæ Duc. Saxon. Duc. Brabant. & ex Ecclesiastic. Archiepiscop. Colloniens. Archiepiscopum Moguntin. & Salisburgens. hi enim ducebantur in qoandam Insulam Rheni, soliq; dimittebantur io ea, omnesque naviculæ amovebantur, ut tractarent de electione Imperatoris, & nemo ad eos veniret, donec concordes eligerent Imperatorem, ut referunt acta Concilii Lugdunensis, & narrat Baronius ad annum 906. num. 64. & Matthæus Paris Monachus S. Albani, in Anglia, qui historiam suam perduxit usq; ad an. 1259. revixit tempore, quo primum Concilium Lugdunense celebratum fuit, notat etiam Moretus in suo Dictionar. histor. Sed quidquid sit de tempore, quo Jus elegendi Imperatorem concessum fuit Principibus German. sufficit hoc unum certum esse hoc Jus à summo Pontifice Romano translatum ad septemviros German. fuisse, neque hoc diffitentur etiam ipsi Hæretici. Legatur Bellarmin. l. 3. c. 3. de translatione imperii, ubi plurimos recitat scriptores asserentes Jus elegendi Imperatorem à Romanu Pontifice Principibus Germaniæ concessum fuisse, etenim Centuriatores Centur. 10. c. 10. ajunt *Gregorius suam patriam (Germaniam) insigni aliqua dignitate ornaturus sanxit, ut penes solos Germanos esset jus elegendi Regem qui post diadema à Romano Pontifice acceptum Imperator, & August. appellaretur.* & *Centur. 10. c. 16.* addunt: *Paulo enim postquam rediérat (scilicet Gregor. Papa) eam fecit de Imperatore electione Sanctionem, quam hucusque super an. 400 servatam videmus solos licere Germanos, qui inde Electores dicti sunt Principem eligere.* Et infra subjungunt: *annum, in quo hæc sanctio à Pontifice Gregorio facta est, secundum supra millesimum Christianæ salutis fuisse invenimus.* hæc Lutherani Centuriatores, quibus veritas non potuit non innotescere, & quamvis Ruman. Puntificibus infensi ipsis tamen noo pussuot denegare privilegium eligendi Imperatorem datum Principibus Germaniæ. Quod si velimus testem veridicum omni exceptione majorem, huc adducimus D. Thomam in Tractat. de regimine Principum ubi l. 3. c. 9. ait. *Ex tunc (hoc est post Ottones) ut historia tradunt per Gregor. V. genere similiter Theutonicum provisa est electio, ut videlicet per septem Principes Allemaniæ fiat: quæ usque ad ista tempora perseverat, & tantum durabit, quantum Romana Eccles. quæ supremum gradum in principatu tenet, & Christo fidelibus expediens judicaverit: in quo casu ut ex verbis Domini supra inductis est manifestum, videlicet pro bono statu universalis Eccles. videtur Vicarius Christi habere plenitudinem potestatis.* De hoc extant etiam documenta, quæ Principes Electores dederunt, & leguntur in litteris Marchionis Brandenburg. Duc. Sax. & Comit. Palatin. apod Baron. ad an. 996. n. 44. Imò adest etiam documentum Alberti Imperatoris qui in litteris directis ad Bonifac. IIX. an. 1303. & regni sui quintò. 16. Kalend. August. inter reliqua hæc habet: *Profiteor Beatissime Pater me bonorum omnium largitori, ac vobis, & Sanctæ Ecclesiæ teneri fore pro innumeris misericordiis, & immensis beneficiis obligatum;* & nonnullis interjectis subdit: *Recognoscens igitur, quod Romanum Imperium per sedem Apostolicam de Græcis translatum est in persona Magnifici Caroli in Germanos, & quod jus eligendi Romanor. Regem in imperatorem postea promovendum certis Principibus Ecclesiasticis & Sæcularibus est ab eadem sede concessum, à qua Reges & Imperatores qui fuerunt, & erunt pro tempore recipiunt temporalis gladii potestatem ad vindictam malefactorum.* Hinc Innocent. III. in cap. Venerabilem de electione ait: *Unde illis Principibus Jus, & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promovendum recognoscimus ut debemus præsertim cum ad eos jus & potestas hujusmodi ab Apostolica sede pervenerit.* Hoc idem documentum exhibet Rudolph. Imperat. in publico Instrumento ad Nicolaum Roman. Pontific. scripto an. 1279. Indictione 7. an. sui imperii 6. ubi Principes Electores Germaoiæ ita loqountur: *Nos Principes Imperii universis præsentem paginam inspecturis. Complectens ab olim Romana Mater Eccles. quadam quasi germana Charitate Germaniam, illam ex terrenæ dignitatis nomine decoravit, quod est super omne nomen temporaliter præsidentium super terram; plantans in eâ Principes tanquam arbores præelectas, aliud eis dedit incrementum miranda potentia, ut ipsius ecclesiæ authoritate suffulti per ipsorum electionem illum, qui frena Romani teneret imperii germinarent.* Integrum hoc instrumentum exhibet Bellarmin. l. 3. de translat. Imper. c. 3. legatur Gretser. in defensiooe Bellarmini c. 28. quod si hæc testimonia non censerentur valida adhuc aliud superesset Concilium scilicet Generale Vien. in Galliis celebratum an. 1311. cui interfuerant Reges Galliæ, Angliæ, Aragon. & Patriarchæ, Alexandr. & Antioch. & Episcopi centum quatuordecim vel ut alii oumerant treceoti præter Abbates, & Doctor. & præsedit Clem. V. oatione Gallus, qui sedem Pontificalem Avenioοem transtulit. Et in eod. Concilio hanc scripsit Decretalem, cujus verba sunt: *Romani Principes Orthodoxæ fidei Professor. SS. Roman. Eccles. cujus Caput Christus Redemptor noster, ac Romanum Pontific. ejusdem Redemptoris Vicarium fervore fidei venerantes, eadem Ro-*

num Pontifici, à quo approbationem persona ad imperialis celsitudinis apicem assumenda, nec non unctionem, consecrationem, & imperii coronam accipiunt sua submittere capita, non reputabant indignum, seque illi, & eidem Ecclesiæ, quæ à Græcis imperium transtulit in Germanos, & à qua ad certos eorum Principes jus, & potestas eligendi Regem in Imperatorem postmodum promovendum pervenit adstringere vinculo Juramenti prout tam nos observationis antiqua temporibus novissimis renovata, quam forma juramenti hujusmodi sacris inserta Canonibus manifestavit. Testatur iterum Concilium hoc generale Imperium à Græcis in Germanos non ab ullo exercitu non à populo acclamante, sed authoritate sedis Apostolicæ translatum fuisse, & ab eadem jus eligendi constitutum & antiquissimo more electos Imperat. Pontifici R. se juramento adstrinxisse: Reges & Imperat. R. sedis Advocatos, & defensores esse, & juramenta sedi Apostolicæ à Principibus præstanda esse vera juramenta fidelitatis. Causa scribendi hanc Clementinam hæc fuit. Occiso per insidias Alberto Cæsare Austriaco Clementis V. Pontif. Maximi favore, & consilio electus à Principibus Germaniæ fuit Henricus septimus Dux Luceuburgensis an. 1307. qui Docem Bavariæ, & Comitem Namurcensem Legatos ad Clementem mittit, qui nomine electi obedientiam, & juramentum præstent, ac petant confirmationem. Pontifex perhumaniter Legatos excepit, quibus omnia petita concessit. Rogavit etiam Pontifex Imperatorem, ut in Italiam tunc Pontifici rebellem ob factiones Gibellinorum, & Guelviorum veniret cum suo exercitu, obsecutus Henricus novus Imperator venit Romam, & more Majorum juramento se obstrinxit defendendi Romanam Ecclesiam, sed conflagrante adhoc civili bello in Italia Pontifex pacem imperat, monetque Henricum ut præstiti recordetur Sacramenti, sed hic bellum prosequitur, & negat jusjurandum à se præstitum, quo Ecclesiæ se obstrinxerit. Sed præmatura morte Henricus moritur veneno ut potant plures extinctus, vel ut aliis placet, putrida febri, & hæc causa fuit scribendi præfatam Clementinam.

Quintus Canonicus textus habetur in cap. Ad Apostolicæ 2. d. sent. & re judicat. ubi Innocentius III. rescribit Papam ex certis causis posse deponere Imperatorem, & Reges, & in illa decretali deponit Fridericum II. quem spoliat imperio, & regnis, & absolvit ejus subditos ab obedientia ob gravissima scelera, in quibus pertinaciter persistebat. Causa scribendi hanc decretalem hæc fuit an. 1209. Otto IV. ab Innocentio III. coronatus fuerat Imperator, sed vix Roma digressus plures ditiones pertinentes ad Ecclesiam, ut Flaminiam, Faliscos, Apuliam, & alias regiones armata manu occupat regnumque Neapolitanum minatur, eui propterea Innocentius III. irascens diris percutit, & Fridericum à Principibus electoribus curat Cæsarem renuntiari, quam electionem Innocentius ratam habuit. sed an. 1210. Otto bellum movet Friderico, & memorabili pugna cæditur, fugaturque: qui propterea mundi pertæsus, & præteritorum criminum dolens, ac pœnitens à Romano Pontifice rogat, & obtinet absolutionem, moriturque notis, signisque veræ pœnitentiæ. Post annos aliquot Fridericus contra Richardum, & Thomam Anagniæ Comites, ac Principes Etruriæ Innocentii fratres arma movet, bellumque illis indicit, ac utrumque vincit uno in carcerem detruso, & altero in fugam acto, neque contentus fregisse hos Principes sæculares Episcopos etiam curatæ seditionis conscios exilio proscribit, aliosque subornat; & contumax nititur propugnare id totum jure à se factum, eò quia potestas Imperatoris ad Episcopos etiam in certis casibus se extenderet, nec alium Imperator Judicem haberet præter solum Deum. Sed Honorius Pontifex Friderici se opponens audaciæ & contumaciæ ait Imperatori nullum jus esse in Ecclesiasticos, & Imperatoribus palatia non ecclesias commisit, Siciliæ regnum jure beneficiario à Pontifice Romano Fridericum tenere, & hoc se constituisse indignum, spoliandum etiam nisi à cœptis desisteret: sed quia hæc tantum fuerunt verba, quæ purum aërem verberarent, non Fridericum tetigerunt, quem propterea Pontifex anathemate percussit, sed quia expeditionem in terram sanctam magno cum apparatu instituit statim à Pontifice absolvitur: sed vix per tres dies marinos fluctus trajecerat cum suo exercitu fingens morbum, vel etiam revera passus in portum revertitur. Audito Cæsaris reditu, & arma crucis exuisse, & reliquos expeditioni jam accinctos fuisse perterritos ex Friderici reditu, Gregorius IX. Imperatorem violatæ fidei, & juramenti reum iterum anathemate ferit. Sed iterum an. 1228. in Palæstinam proficiscitur, Hierosolyma autem occupata una cum aliis locis à Sultano Babylonico Fridericus indignas cum Barbaro conditiones init, & pacem cum Romano Pontifice instaurat, & an. 1235. Filium ad mortem compellit, Ecclesiæ evertit ditiones Episcopos Galliæ, Hispaniæ & Angliæ Romam ad Concilium venientes unà cum Legatis Cardinalibus, & triremibus duabus, & viginti per insidias capit. Idque tanto affecit Gregorium dolore, ut oppressus decesserit, & Cœlestinus IV. fuit Pontifex electus, sed octava decima die ab electione etiam ipse moritur, cui successit Innocentius IV. qui Fridericum bello totam Italiam evertentem veritus in Galliam secessit, & Lugdunum generale Concilium indicit, an. 1245. in quo Pontifex apparatu Pontificio indutus, & faces accensas cum aliis Prælatis, qui aderant, manu quatiens, & mox in humum allidens solemniter lugubres diras pronuntiavit. imperio abdicavit, ac Principibus Electoribus injunxit alium eligere, & sequenti anno electus fuit Imperator Henricus Thuringiæ Dux, & ab hoc tempore fortuna quæ semper Friderico faverat, eundem reliquit, in deteriora semper prolapsus, & tandem à Manfredo filio notho in lecto occisus periit, factorum impœnitens. Idque causa cur Innocentius IV. decretalem hanc in Concilio Lugdunensi evulgaverit, sicque se habet: *Cum dura bellorum commotio nonnullas professionis Christianæ Provincias diutius afflixisset, nos ad Fridericum præcipuum Principem sæcularem hujusmodi dissensionis & tribulationis authorem, à felicis recordationis Gregorio Papa IX. Prædecessore nostro pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum speciales nuntios, & magna authoritatis viros duximus destinandos &c.* Postea. *Nos itaque super præmissis, & quàm pluribus aliis ejus nefandis excessibus cum fratribus nostris & sancto Concilio deliberatione præhabita diligenti (cum Jesu Christi vices licet immeriti teneamur in terris, nobisque in beati Petri persona sit dictum: Quodcumque ligaveris super terram ligatum erit & in cælis) memoratum Principem, qui se imperio, & regnis omnique honore, & dignitate reddidit tam indignum, omni honore, & dignitate privatum à Domino ostendimus denuntiamus, & nihilominus sententiando privamus omnes, qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti à juramento hujusmodi perpetuo absolventes: authoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cætero sibi tanquam Imperatori vel Regi pareat, & intendat. Decernendo quoslibet, qui ei deinceps velut Imperatori vel Regi consilium, vel auxilium præstiterint, seu favorem ipso facto excommunicationis sententiæ subjacere. Illi autem ad quos Imperatoris spectat electio.* Ecce iterum Roman. Pontifex suam in Principes sæculares exercet potestatem, suâ utitur jurisdictione adversus imperatorem, quem dignitate spoliat imperatoria, jubetque Principes Electores alium eligi; quis igitur neget inesse R. Pontifici jurisdictionem indirectam in principes sæculares.

Sextus Canonicos textus quo evincitur hæc indirecta potestas, & jurisdictio in R. Pontifice desumitur ex extravagante unica *si fratrum*. Ne sede vacante, in qua Joan. 22. statuit declaratque, ut qui mortuo Imperatore, te retinent, vel de novo sumont nomen vicarii, vel alterius officii imperialis in aliqua orbis parte, vel eâ utuntur

ut sine licentia sedis Apostolicæ, excommunicentur, & qui eosdem sub hoc titulo recipiunt, vel eis obediunt, vel alios obedire permittunt, vel in hoc eis præstant auxilium, consensum, aut favorem etiam excommunicentur: immo horum singuli, & eorum terræ & loca subjiciuntur interdicto, aliisque arbitrariis pœnis, & eorum subditi absolvuntur à juramento in hoc, si quid præstiterunt: imo dissolvuntur etiam omnia juramenta, ac fœdera, eo quia sint fœdera iniquitatis. Fuit hæc decretalis condita, & promulgata Avenione in Provincia à Joan. XXII. Pontifice, qui ex Episcopo Avenionensi, & Galliæ Cancellario Pontifex creatus est an. 1316. ut refert Spondanus, plura hic Pontifex reliquit posteris documenta supremæ potestatis, & jurisdictionis in Principes sæculares. Causa hanc sanciendi decretalem fuit Electio Lud. Bavari & simul Frid. Austriaci in Imperatorem. Plura Electorum suffragia in Ludovicum collimarunt, pauciora in Frid. Austriacum Lud. consobrinum; uterque imperator coronatur Lud. Aquisgrani, Frid. Romæ; & imperium in binas scissum partes diuturno civili bello conflagravit. Fomitem dissidiis suppeditarunt Electores ecclesiastici non vocati ad Electionem, quique Austriaco adhærebant; vel quod Austriacus duo tantum suffragia certa haberet scilicet Archiepiscopi Colon. & Rodolphi Bavariæ ducis, & Com. Palatini, quibus accedebant alia duo incerta Ducis Carinthiæ qui se regem Bohemiæ dixerat, & aliud Marchionis Brandeb.: ab utroque electo legati mittuntur Avenionem ad Joan. 22. Pontif. fidelitatem, & obedientiam eidem promissuri. Pontifex cum legatos utriusque electi audivisset; Regium titulum utrisque concessit, donec lis inter ipsos excitata dirimeretur, ac finiretur; diem tamen utrique assignat ad jus suum coram Apostolica sede proferendum juxta decretum Innoc. III. *in cap. venerabilem de electione.* Interea Lud. Gibellinos in Italia fovere videbatur, ut eorum armis Joannem flecteret in sui favorem. Sed Pontifex Frider. magna pecuniarum copia, ac promissione Imperii in Italiam contra Lud. evocat non solùm gladio, verum & calamo Pontifici infestum; præ cæteris ad partes Lud. Gulielmus Okamus celeberrimus eo tempore Theologus transivit, pluribusque libellis Pontif. authoritatem impugnavit; donec Lud. & Frid. in Germaniam reduces Mildorfii in Bavaria conflixerint pro corona Imperii. Pugna utrinque cruenta fuit, in qua plura ceciderunt millia; sed tandem victoria pro Lud. stetit, & Frid. Austriacus captus, dolore, & ærumnis confectus decessit è vita liber dimissus post triennalem carcerem: Imperium cessit Lud. extincto æmulo. Sed Ludovicus à Gibellinis Italiam evertentibus imploratus illac sua iterum arma movit, misitque militares copias in suppetias Gibellinorum contra Guelfos Pontificios. Pontifex instante ac suadente Carol. IV. Franc. Rege Lod. monet ut à cœptis desistat, copiasque in Pontif. missas revocet; imperiali titulo, dignitate, & functionibus abstineat, donec de legitima electione doceat, & nisi paruerit ipso facto excommunicationem incurrat, data fuit hæc decretalis Avenione. Sed Lud. indicto Norimb. episcoporum, ac principum conventu protestatus est se catholicæ, Romanæque ecclesiæ filium esse, omnem reverentiam Christo Vicario se debere, & ad concilium universale appellare jus illud suum demonstraturus. Joannes videns Ludovicum propositis tenacem censuras in ipsum vibrat. Sed mortuo Joanne Pontifex eligitur Benedictus XII: ad quem missis legatis absolvi petiit si forsan censuras incurrerit ecclesiasticas à suo prædecessore promulgatas. Verba Ludovici in suo diplomate ad Romanum Pontificem dato die octavo Martii anno 1336. præ cæteris fuerunt: *Quod si intra tres menses alios prædictos monitioni prædictæ non paruerimus cum effectu; & per alios tres menses prædictos novem menses immediate sequentes de gratia expectati monitioni non paruerimus ut præfertur, liberum sit Romano Pontifici, prout sibi expedire videbitur ad alias pœnas procedere contra nos, privando etiam nos, si sibi videbitur, imperiali, regia & qualibet alia dignitate &c.* Sed responsio Benedicti XII. Romani Pontificis data Legatis Ludovici fuit: *Quod si Ludovicus cum ecclesia, & Deo vellet in gratiam redire Ochamum Bonamgratiam, & Michaelem Casenatem folles discordiarum dederet: calumnias suorum instinctu in Joannem Pontificem passim, & publice vulgatas corrigeret; edicto caveret neminem deinceps imperatorem esse, ac vocari posse, cujus electionem sedes Romana improbaret: Ipse Ludovicus, se suumque imperium nova electioni committeret: pacta denique cum Anglorum rege aliisque Regis Christianissimi hostibus rescinderet.* Sed cum flammæ dissidiorum viderentur extinctæ mortuo Benedicto, sequenti anno decessit etiam Ludovicus anno 1347. dum in venatione ursum insequens equo delabitur; eodem anno moritur etiam Ochamus qui flammas dissidiorum si non oleo, attramento tamen, & calamo fovebat, excitabat. Fuit Ludovicus Bavarus imperio dignus, ejusque regendi capacissimus, in quem artes omnes regnandi, ac virtutes æque civiles, ac morales, bellica fortitudo, invicta animi constantia, munificentia, Pietas, Clementia aliæque virtutes dignæ viro Principe confluxerant, præsertim illuxit exercitio patientiæ in adversis, qua cæteros superavit Imperatores, seque ipsum suasque passiones, quod victoriarum censetur maxima. Ludovico successit Marchio Moraviæ dictus Carolus IV. qui Romæ coronatus fuit anno 1355., qui ad rescindendas dissensiones, quæ in electionibus Imperatorum frequenter oriebantur imperio perniciosæ Norimbergæ celebrem illam edidit constitutionem, quam Bullam auream vocant. Ex hac decretali & historia iterum clarè evincitur jurisdictio Romani Pontificis in principes sæculares saltem indirectè quando agitur de promovendo, vel conservando bono communi Ecclesiæ, vel impediendo ejus damnum. Notandum tamen non fuisse mentem meam examinare quæ inter Ludovicum Bavarum, & Romanos Pontifices Joannem 22. antea Cancellarium Franciæ, Benedictum XII. & Clementem VI. contigerunt, id abundè præstiterunt alii, sed tantùm præfatos Pontifices Avenione tum immorantes à Gallis incitatos fuisse contra Ludovicum, quatenus Galli hanc jurisdictionem indirectam agnoverunt in summo Pontifice.

Septimus textus desumitur *ex cap. Grandi de Supplenda neglig. Prælat. in 6.* ubi Innocent. IV. aliud præclarum exhibet documentum jurisdictionis indirectæ quâ gaudent Romani Pontifices in Reges & principes seculares. Declarat enim, quod si qui regit est negligens, vel remissus in administrando regimine, Superior, seu Rom. Pontifex debeat eidem dare idoneum Coadjutorem, qui vices gerat principis remissi, vel negligentis: id autem non posset à Rom. Pontifice præstari nisi in eo caso ob conservationem totius regni, & subditorum haberet in principes sæculares jurisdictionem, & potestatem iisdem adimendi regimen, & alteri concedendi ut de facto præstitit Innocentius IV. qui in hac decretali regem Portugalliæ Sancium nomine privat regni administratione, quam committit Alphons. ejus fratri, causam hujus translatæ administration. refert Mariana l. 12. c. 4. inquiens. *Per id temporis Sancio Capello Regi Lusitano Mencia reguli filia conjugio juncta fuit, viri usque adeo* potens ut Sancius non principem ageret, sed potius ministrum fœminæ cupiditatis; apud quam qui minus potentes fuerunt ex subditis plus aliis nobilibus possent

&

essent ex plebe infimiores potentes auctoritate in aula, & participes omnium consiliorum; neque sine illis quicquam agebatur in aula, nec in regni provinciis. Viriqne propterea plebei, ac infimæ notæ viderentur regoum administrare, & proceres aliique nobiles ab iisdem vexarentur, qui diuturna patientia læsi rem totam ad Romanum Pontificem detulerunt, ut regem moneret, sed nihil ea diligentia profuit; erat Sancio ætate proximus frater natu minor Alphonsus, eximia indole. Hunc Episcopi Bracharensis & Conimbricensis Romano Pontifici nominarunt, quem loco fratris Sancii ad regni promoveret administrationem; voto Episcoporum, ac Prænobilium adhætit Pontifex qui ad hunc finem Lugdum in Galliis concilium congregavit, ad quod Lusitani Proceres legatos miserunt, qui persvaderent Pontifici qui personaliter interfuetat concilio ut vellet Sancium ratione inidoneitatis a regno pellere; quod tamen legati à Pontifice non impetrarunt: Sed id tantum concessum, ut Alphonsus quamdiu viveret regnum gubernaret. Fuit Clemens IV. natione Italus, patriâ Genuensis de quo Spondanus ad annum 1248. ait. *Fuit Patria Genuensis insignis juris Consultus, tantique à multis æstimatus ut Patrem veritatis appellare non dubitaverint*, cumque regibus Galliæ fuisset addictus ad ipsos confugit sibi timens à Friderico II. tunc Ecclesiasticos persequente, & D. Thomas in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 3. ait, hunc Pontificem concessisse indulgeotiarum decem dies orantibus pro Rege Christianissimo: verba D. Thomæ sunt: *quicunque orat pro Rege Franciæ decem dies habet indulgentia à Papa Innocentio IV.* in eodem Concilio Clemens IV. Romanus Pontifex Fridericum Imperatorem, ut molestum ecclesiasticis, damnumque inferentem ecclesiæ dignitate imperatoria privauit, nimirum cum aliud medinm coërcendi violentiam Friderici præsto non esset, neque impediendi damna ecclesiæ, eum expoliavit imperio, quod perinde fuit ac exercuisse jurisdictionem indirectam in Imperatorem. Cæterum decretalis Innocent. ita se habet: *Mandamus, quatenus dilectum filium nobilem virum præfati Regis portugalliæ fratrem de devotione, probitate, ac circumspectione multipliciter commendatum, præsertim cum ad defensionem ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque piorum locorum Regni præfati, & personarum ecclesiasticarum, nec non viduarum, orphanorum, & vetororum degentium sit assumptus, cum ad nos accesserit (fidelitate, homagio, juramento, seu pacto, si aliquibus fortè præfato Regi, vel cuicunque alii persona tenemini, aut etiam ipsius regis prohibitione nequaquam obstantibus) in civitatibus, & munitionibus Regni prædicti, cum omnibus suis recipere absque difficultate qualibet procuretis. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Bracharensi episcopo, & episcopo Conimbricensi damus in præceptis, ut vos per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Per hoc autem non intendimus memorato Regi, vel ipsius legitimo filio prædictum regnum adimere: sed potius sibi, & eidem regno destructioni exposito, ac vobis ipsis consulere.* Ex hac decretali iterum evincitur indirecta potestas, & jurisdictio summi Pontificis in principes & reges sæculares, eorumque regna; alioquin non potuisset Innocentius IV. spoliare regimine, ac provinciarum administratione Sancium regem Lusitaniæ, & Alphonsum ejus fratrem natu minorem instituere.

Octavus sextus desumitur ex celebri decretali Bonifacii VIII. in extravagante *Unam Sanctam* ubi Pontifex declarat: Omnes Christi fideles de necessitate salutis subjici Romano Pontifici habenti duplicem gladinm scilicet spiritualem, qui est in manu sacerdotis & exercetur ab ecclesia; & temporalem qui est in manu regum, & principum sæcularium, ac militum ad nutum; & secundum gladium esse sub primo; & non esse potestatem nisi à Deo; & quæ sunt à Deo ordinata esse; proinde secundum Gladium esse sub primo, & judicari à primo, & eum qui exercet temporalem judicari à Papa, & Papam à nemine judicari nisi a Deo. De Bonifacio VIII. scribit Spondanus ad annum 1303. *Moritur Bonifacius animi mœrore anno 1303. Pontificatus sui nono, in quem licet scriptores Franci stilum acuant; laudatur tamen ab aliis, tanquam ecclesiasticæ libertatis egregius defensor, observatque Genebrardus: Philippum IV. cognomine pulchrum Galliæ regem nunquam deinceps prosperè habuisse, ut ab Episcopo Morantensi viro Sanctissimo prædictum fuerat, tribus etiam ejus filiis absque prole mascula breviextinctis.* Quotiès principes sæculares ecclesiasticos vexarunt divinam ad se traxerunt Nemesin, ut illos pœnituerit infestos fuisse divino cultui in ecclesia addictis. In veteri testamento Oziæ regi omnia prospere contigerunt, quamdiu sacerdotum Consilio paruit; plura gloriosè egit. Arcem Ailam in finibus Idumæorum ædificavit, quâ prædones vagos coerceret. Subactis sæpe in acie Philistæis muros Azoti, Gethæ, Jabniæ Solymis infensos detraxit, & ibi oppida munita à fundamentis sibi erexit; Arabes & Amononitas debellavit; finitimas regiones quà nominis sui terrore, quà reverentiâ composuit. Et postquam alta pax rebus fuit, agriculturam promovit, artesque liberales fovit; sed cum primum sacris se immiscuit, voluitque officio sacerdotis fungi; manumque thuribulo admouit, & propria felicitate tumuit, & regia non contentus dignitate voluit etiam sacerdotalem exercere non obstante suasione Axariæ Pontificis ut nollet manus profanas sacris admouere ministeriis, leprâ à divina Nemesi percutitur, quæ fœde in fronte sparsa, horrorem movit spectantibus; & eodem tempore Jerosolima horrendo terræ motu concutitur, ut testatur S. Hieronymus cum Hebræis. Ozias hisce prodigiis attonitus festinus egreditur de templo impellentibus etiam sacerdotibus in solitudinem secedit suum errorem lacrymarum fusu deleturus, & paulo post emoritur anno ætatis sexagesimo octavo. Cadaver aliorum regum quasi horrorem incureret ossibus extra eorum mansoleum humatur.

Post Christum in terris natum Arcadius Imperator qumadiu debita sacerdotibus præstitit obsequia victoriis totum implevit imperium, Rufinum debellavit, Persas vicit, Gainam superavit, sed cum primum Chrysostomum aliosque Episcopos persecutionibus vexavit, molestiis affecit, ac pluribus modis afflixit præmatura morte ærumnis, ac doloribus pressus è vivis rapitur vix trigessimum primum ætatis annum egressus, ut refert Socrates l. 6. c. 17. Sed infelicior fuit ejus uxor Eodoxia ob persecutiones, quibus molestissima fuit S. Joanni Chrysostomo; siquidem ex fœtu nimium retento, & emortuo in utero ac jam putrescente; unà cum eodem fœtu animam effudit; quæ in urna ubi cadaver fœtidissimum conditum erat visa est ad multum temporis agitari, ac obstrepere, ut refert Nicephorus lib. 17. c. 31. Quin & ipse Belisarius Justiniani in castris, & exercitu supremus præfectus: post victam Africam, Persiam, Siciliam, & Italiam, dum sævienti Theodoræ Imperatrici obsequitur, & Sylverium Romanom Pontificem in exiliom mittit, in suspicionem affectatæ tyrannidis in aula cæsaris lapsus, non solum dignitatibus, ac congestis divitiis spoliatur verùm etiam orbatus oculis adigitur mendicatò vivere, ac ærumnis confectus ad extremas redactus incitas infeliciter emori; neque felicinrem è vita exitum sortitus fuit Justinianus Imperator, qui post prostratos Gothas,

& Wandalos in Italia, devictam Africam, & Persiam ac bellica fortitudine glotiosissimus, Theodotæ blanditiis captus, permisit à muliere suaderi ad persecutionibus vexandum Vigilium Papam & ad pellendum in exilium Episcopum Antiochemum cum aliis sacerdotibus in hæresin labitur & repentina morte occumbit.

Theodorico Gothorum Regi felicitas favit cum R. fuit Pontifici obsequutus; sed postquam Joannem Pontif. iotrusit in carcerem, & ærumnis oppressum mori compulit; tunc novercantem, & non amplius fortunam expertus faventem mente capitur & delirio extinguitur ut narrat Procopius de bello Gothico.

Frid. Ænobarbus post pluries vexatam afflictamque Rom. ecclesiam, factorum pœnitens suscepir in terram sanctam bellicam expeditionem, Saracenos debellavit, fugavitque, sed dum æstum meridianum natatu levar infeliciter mergitur extinguiturque. Plures alii recensentur qui qoamdiu R. Pontifici adhæserunt, & pro ecclesia pugnârunt victoriis fuerunt illustres; & cum primùm R. Pontifici fuerunt adversari fortunam fuerunt adversam experti. Bonifacius igitor Papa VIII. in sua decretali clarè potestatem R. Pontificis & indirectam jurisdictiooem in principes sæculares explicat: neque erit abs re illam proferre ait ipse: *Unam sanctam ecclesiam catholicam, & Apostolicam urgente fide credero cogimur, & tenere. Igitur ecclesiæ unius unum corpus, unum caput, non duo capita, quasi monstrum. Christus videlicet, & Christi Vicarius, Regusque Successor, dicente Domino ipsi Petro: Pasce oves meas; non singulariter has, vel illas; sed generaliter, per quod commisisse sibi universas intelligitur &c. In hac, ejusque potestate duos esse gladios spiritualem videlicet, & temporalem evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis: Ecce duo gladii hic, in ecclesia scilicet, cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus; nimis esse, sed satis. Certè qui in Petri potestate temporalem gladium esse negas, male verbum intendis Domini proferentis: Converte gladium tuum in vaginam. Uterque ergo est in potestate ecclesiæ spiritalis scilicet gladius & materialis. Sed is quidem pro ecclesia, ille vero ab ecclesia exerendus: ille sacerdotis, is manu regum, & militum; sed ad nutum, & patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati. Nam cum dicat Apostolus: non est potestas nisi à Deo, quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt; non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium in suprema. Nam secundum B. Dionysium, Lex divinitatis est, infima per media in suprema reduci, ergo si deviat terrena potestas judicabitur à potestate spirituali: sed si deviat spiritalis minor à suo superiori; si verò suprema à solo Deo non ab homine poterit judicari &c. Porrò subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus esse de necessitate salutis.* Declarat Bonif. in hac sua extravagante utrumque gladium spiritualem, & temporalem fuisse à Christo datum Petro, & in persona illius etiam suis successoribus; & gladium materialem seu potestatem temporalem sive regiam sive imperatoriam subesse spirituali tanquam digniori; & si contingat temporalem errare à spirituali corrigendam esse, & judicandam; Pontificiam verò dignitatem à nemine judicari nisi à Deo. Fuit hæc constitutio edita à Bonifac. an. 1302. seu eo tempore quo inter R. Pontificem, & Philipp. regem Galliar. simultates excitatæ fuerant, quas præsens decretalis ardentius accendit, fuitque veluti oleum accenso igni injectum: & quia opinio apud proceres Galliæ invaluit, voluisse Bonifac. regnum Galliæ etiam temporaliter sibi subesse, illudque à Papa recipere oportere; & non per legitimam successionem à Patre transire in filium; ideo Clem. V. ad delendam hanc suspicionem mitiùs explicavit Extravagantem Bonif. in sua pariter Extravagante *meruit: de Privilegiis* ubi ait: *Meruit Charissimi filii nostri Philippi Regis Francorum illustris sincera affectionis ad nos, & ecclesiam Romanam integritas, & progenitorum suorum præclara merita meruerunt. Meruit insuper regnicolarum puritas, ac devotionis sinceritas, ut tam Regem, quam regnum favor benevolo prosequamur. Hinc est quod nos Regi, & regno per definitionem, & declarationem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. quæ incipit Unam sanctam: nullum volumus, & intendimus præjudicium generari, nec quod per illam Rex, & regnum, ac Regnicolæ prælibati amplius Ecclesiæ sint subjecti Romanæ, quàm antea existebant, sed intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam.* Hæc decretalis Clementis V. quamvis nihil immutaverit, neque abstulerit de extravagante Bonifacii VIII. omnem tamen dubitutionis umbram excussit à Gallorum mentibus. Non enim mens Bonifacii fuit sibi subjicere regnum Galliæ quoad temporalia; Sed tantùm declaravit inferiora subesse superioribus, & temporalia esse inferiora superioribus, perinde ac pluris sit anima quàm corpus: ait Clemens V. in sua constitutione, per extravagantem Bonifacii non magis regnum Galliæ subjectum esse Romanæ ecclesiæ, quam antea fuerit: unde agnoscit aliquam antiquam subjectionem temporalem, & de bac tantum dubitabatur non de spirituali; illa verò antiqua subjectio non est juris humani, sed divini, ac naturalis, ac regnis coæva, & necessaria ad veram fidem, & religionem io regnis conservandam, & finem spiritualem consequendum, quem omnia regna, & imperia spectant. Non enim possunt regna subjici in spiritualibus Romano Pontifici ut Pastori universali totius Dominici gregis, quin indirectè subjiciantur etiam in temporalibus. Si enim Princeps fieret hæreticus, ut vellet suos subditos eidem hæresi adhærere tunc ad supremum Pastorem pertineret arcere lupum ab ovili, ne Christi ovibus noceret, & oves sejungere à lupo, seu solvere à juramento subditos, & principem suo destituere imperio in subditos, si non posset alio modo impediri damnum spirituale ovium; est enim officium, & obligatio Pastoris pascere, ac defendere oves ne pereant. Cæterum absolutè Romanus Pontifex non habet temporalem potestatem in regna, imperia, & ditiones principum sæcularium; sicut nec unus princeps habet potestatem nec jurisdictionem temporalem in ditiones alterius: hæc enim potestas Romani Pontificis in regna principum temporalium est tantùm indirecta, subsidiaria, per accidens, & sub conditione si principes sæculares velint damnum inferre religioni, si traherent popolos in hæresim: potestas autem conditionata, & per accidens non denominat absolutè subjectum tale. Denominatio enim fit à forma, quæ plerumque habetur; non ab illa, quæ tantùm rarò *L. 3. ac 4. ff. de leg.* & in hoc sensu loquitur Innocentius III. in c. per Venerabilem qui filii sint Legitimi, & cap. novit de judiciis, ubi negat sibi inesse potestatem temporalem in Reges Galliæ; absolutè Romanus Pontifex non potest quidquam disponere de bonis temporalibus Principum sæcularium: expresse fatetur Romanum Pontificem in provinciis locisque suo temporali Dominio subiectis plenam habere jurisdictionem temporalem ac potestatem, perinde ac alius princeps in suis provinciis: in aliis verò locis subjectis aliis principibus sæcularibus, non habere plenam nec absolutam potestatem, sed tantum limitatam, certisque ex causis, idque non tantum jure voluntarii compromissi de quo nequit dubium esse; sed etiam jure divino expresse Deuter. cap. 17. & ad Corinth. 1.

CAP.

CAPUT XVII.

Indirecta subsidiaria potestas Romani Pontificis in Principum sæcularium bona temporalia authoritate Conciliorum, & Pontificum exemplis asserta, & Patrum sententiis confirmata.

HUjus ecclesiasticæ potestatis in Principes sæculares, eorumque bona temporalia illustre documentum dedit Concilium Oecumenicum Constantiæ celebrari cœptum anno 1414. eo scilicet tempore, quo diuturno schismate afflicta languebat Ecclesia; coacta fuit hæc Synodus Constantiæ operâ Joannis XXIII. Neapolitani, & Sigismundi Imperatoris, & celebrari cœpit die 5. Novembris anno 1414. cui interfuerunt Joannes XXIII. Sigismundus Imperator, quatuor Patriarchæ, viginti novem Cardinales, quadraginta septem Archiepiscopi, Episcopi 160. vel, ut placet aliis 170. Prælati, & Doctores quingenti sexaginta quatuor, & productum fuit Concilium in tertium annum ob pertinacissimum schisma, quod per annos quadraginta misere vexaverat Ecclesiam pluribus monstrosam capitibus, ut nescirent fideles, cui deberent superiori obedire. Sederant Pontifices Avenione in provincia per annos 72 quorum absentia causa fuit plurium in Italia dissidiorum, præsertim Guelfos inter & Gibellinos, ac feracium bellorum, aliarúmque calamitatum; cum tandem afflante divino Spiritu Gregorius XI. sedem Pontificiam Romæ restituere cogitavit, promisitque Deo se id facturum, si vitæ illi sufficiens concederetur spatium; Votum quo Pontifex se obstrinxerat, revelaverat Deus Virgini Catharinæ Senensi, quæ in Galliam profecta Pontifici suasit quamprimum votum adimplere, & cum non cessaret S. Catharina stimulos addere anno 1376. è Galliis evadens, Romam Sedem transtulit, sed vix biennium effluxerat, emoritur Gregorius XI. Electores novi Pontificis in partes scissi, obstinatum in Ecclesia causarunt schisma, quod per totos quadraginta annos Ecclesiam vexavit. Optarunt Itali Pontificem Italum, qui Romæ sederet; Galli autem Gallum; sed tandem electus fuit Bartholomæus Neapolitanus Barensis Archiepiscopus, qui Urbanus VI. nominari voluit; hic Pontifex sancto accensus zelo mores vix cœpit reformare corruptelas, & abusus delere, varias in ecclesiasticis laxitates coarctare, errores corrigere, defectus emendare, ac pluribus mederi inolitis morbis, etiam ferro & igne, prout morbi pertinacia postulaverat, ipsos ægrotos contra se concitavit, præsertim Cardinales, qui vix tertio ab electione Urbani dilapso mense freti potentiæ Reginæ Joannæ, quæ regnum tunc Neapolitanum moderabatur, Robertum Cardinalem Gibbenensem collatis suffragiis Pontificem elegerunt, quem Clementem VII. nominarunt; hic metu schismatis Avenionem proficiscitur, Cardinales asserentes, se metu compulsos elegisse Urbanum VI. cujus propterea electio irrita fuit: interea Itali, Germani, Angli, & Hungari Urbano adhærebant: Galli & Scoti Clementi: Hispani verò utriqui. Sed Urbano emortuo successerunt eidem Bonifacius IX. Innocentius VII. Gregorius XII. Alexander V. & Joannes XXIII. E vivis etiam sublato Clemente Antipapa, successit eidem Petrus de Luna, quem Benedictum XIII. nominarunt, qui licet pacem Ecclesiæ sanctè promiserit, nullus tamen ita pertinaciter eidem obstitit. Gregorius XII. tranquillitatis dandæ Ecclesiæ causa Pontificatu se abdicasset, si Benedictus idem præstitisset, sed recusante Benedicto, uterque larvam retinuit suæ dignitatis; sed in Concilio Pisano uterque depositus est, surrogato Alexandro V. & post hunc Joanne XXIII. Et tunc triceps Ecclesia monstrosè apparuit, tria enim fuerunt Ecclesiæ capita, Gregorius, Benedictus, & Joannes, nescientes fideles, cui deberent legitimo capiti obedire. Ad hoc igitur diuturnum schisma tandem evellendum ab Ecclesiæ vinea in qua nonnisi tribulos, & spinas germinavit operâ Joannis XXIII. & Sigismundi Imperatoris, convocatum fuit Concilium generale Constantiense, quod aperiri cœpit anno 1414. die 5. Novembris, & continuavit usque ad annum 1417. in hoc igitur Concilio Joannes XXIII. pacis gratiâ dignitati Pontificiæ renuntiavisset, sed pluribus accusatus criminibus à Concilio illius electio declaratur irrita, ut & illa Benedicti XIII. seu Petri de Luna, qui neque à Sigismundo Imperatore flecti potuit, ut sponte renuntiaret. Gregorius sponte cessit, ut promiserat: sublatis monstrosis hisce capitibus, & à schismate diuturno tandem liberata Ecclesia, Patres in Concilio Constantiensi ad novam, validam, ac legitimam electionem processerunt, fuitque verus ac legitimus Pontifex electus Martinus V. Romanus ex illustri Colonensium familia. In hoc igitur Concilio cum Georgius Episcopus Tridentinus graviter fuisset conquæstus per datas literas contra Fridericum Austriæ Ducem, eo quia jura, & bona ecclesiastica invaserit: Concilium ad eundem Austriæ Ducem Monitorium direxit in hæc verba, quæ habentur sess. 20. *Sacrosancta generalis Synodus Constant. universos, & singulos Venerabiles Patres, Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos &c. requirimus, movemus primo, secundo, tertio, & peremptoriè, quatenus præfatum Fridericum Austriæ Ducem, & alios occupatores prædictos requirant, & moneant, quos nos etiam tenore præsentium monemus, requirimus, ipsique Friderico Duci in virtute sanctæ obedientiæ, & sub anathematis, sacrilegii, privationis omnium bonorum feudalium, quæ ab Ecclesia, seu imperio obtinet, & inhabilitationis suæ, & filiorum suorum masculorum ad obtinendum tam feuda, quàm officia, & beneficia usque ad secundam generationem, & honoris, & famæ, ac communionis in Conciliis principum &c.* Et sess. 28. contra eundem Fridericum habetur: *Eadem Synodus declarat, Fridericum, & alios occupatores, cujuscunque status, gradus, & conditionis, aut præeminentiæ, etiamsi Ducalis fuerint, sententias, & censuras in dicto monitorio comprehensas incidisse.* Et infra subdit: *Committit ergo præfata S. Synodus charissimo filio Ecclesiæ defensori, & Advocato Sigismundo Regi Romanorum semper Augusto, cujus specialiter interest ad requisitionem Ecclesiæ contritas, & oppressas Ecclesias restaurare &c. eandem sententiam executioni demandare.* Plura alia subdit, quibus potestatem, & jurisdictionem exercet indirectam in Principes sæculares, & eorum bona temporalia, eò quia damna inferre Ecclesiis ausi fuerint. Cum enim pertineat ad Rom. Pontificem defendere Ecclesias, & bona Ecclesiastica conservare, oritur in ipso obligatio coercendi per censuras nitentes damna inferre. Rursus sess. 42. imperavit Concilium Sigismundo Imperatori, & Ludovico Bavariæ Duci,

Duci, ut Joannem XXIII. custodirent in fuga captum; nec prius hoc custodiendi onere solvi potuerunt, quàm ex licentia Martini V. summi Pontificis, quo electo cessavit omnis jurisdictio in Concilio. Habetur enim in Bulla Martini V. sess. 42. præ cæteris hæc: *Martinus Episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Sigismundo, Roman. Regi &c. Cum nuper nos instanter, & sæpe requisierit, quatenus personam ipsius Balthasaris de sua custodia recipere, téque, & eundem Ducem de prædicta custodia liberare, & exonerare vellemus; nos attendentes quantis laboribus, & studiis pacem, & unionem Ecclesiæ omnipotentis Dei nostri fueris prosecutus Te volentes, ac eundem Ducem ab eo onere liberare, decernimus, & ordinamus* &c. Rursus Martinus V. in sua Bulla, quæ habetur post sess. ultim. mandat, injungit, præcipit, omnibus Principibus, ac Dominis temporalibus, ut inquisitoribus hæreticæ gravitatis omne auxilium, & favorem præbeant, eosque quærendo, capiendos, ac custodiendos curent: & post recensitas hæreses Wicleffi, & Hussii idem Pontifex in eadem bulla ait: *Volumus insuper, ac statuimus, & decernimus, ut omnes, & singulos hæreticos, etiamsi regali, aut alia quavis ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, auctoritate nostra diligenter inquirere studeatis, & eos, quos per inquisitionem hujusmodi diffamatos, vel alias hujusmodi hæresis, & erroris labe respersos reperietis, auctoritate prædicta, etiam per excommunicationem, nec non privationem dignitatum, ac etiam bonorum, ac dignitatum sæcularium pœnas faciatis.* Hoc idem exercitium indirectæ jurisdictionis ecclesiasticæ in Principes sæculares, eorumque bona temporalia, habetur etiam in Constitutione Carolina auctoritate Concilii Constantiensis edita; & est inserta eidem Concilio in fine. Quamobrem ex Concilio Constantiensi liquet invadentes bona, & jura ecclesiastica posse à summo Pontifice, & Concilio universali jurisdictione privari, & infamia notari, tametsi Ducali sint dignitate insigniti, qualis fuit Fridericus Austriæ Dux, qui jura Tridentinæ Ecclesiæ sibi usurpavit. Et sess. 28. omnibus bonis, dignitatibus, honoribus, non tantum ecclesiasticis, sed etiam temporalibus destituuntur infensi Ecclesiæ, quamvis regali sint dignitate insigniti. Et sess. 37. circa finem præcipit Ducibus, ac Imperatoribus, ut ad arbitrium Pontificis aliquem custodiant, quæ omnia sine ulla jurisdictione fieri, mandari, præcipi non potuissent.

Hanc eandem indirectam, & subsidiariam jurisdictionem Ecclesiæ in principes sæculares, eorúmque bona temporalia disertis verbis declarat, statuitque Concilium generale Lateranense IV. quod per antonomasiam, & excellentiam *magnum Concilium* nuncupatur, eo quia nullibi fuit celebratum Concilium, cui tot interfuerint infulati, ac principum Legati: de hoc Concilio loquens Spondanus ad annum 1215. ait: *Celebratum est Concilium generale Lateranense Kalendis Novembris, omnium, quæ hactenus in Europa habita fuerunt celeberrimum, cui videlicet interfuerunt cum Innocentio Papa Archiepiscopi septuaginta, Episcopi quadringenti, Abbates duodecim, Priores Conventuum octingenti, quos inter extiterunt Patriarchæ, Constantinopolitanus, Hierosolymitanus, & Legati Alexandrini, & Antiocheni, itemque Oratores Imperatorum Orientis, & Occidentis, Regum Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Hierosolymorum, & Cypri.* Præter ecclesiasticos præfatos Moterus refert, confluxisse Romam ad hocce Concilium Oratores utriusque Imperatoris Orientis, & Occidentis, & Regum Galliæ, Angliæ, Hongariæ, Hierosolymorum, Cypri, Aragoniæ, & Bzovius addit Legatos Regum Bohemiæ, & Daniæ, adeo ut Concilium isto universalius non fuerit in Europa hactenus celebratum. Causa hoc celebrandi Concilium fuit bellica expeditio, quam Innocentius III. Romanus Pontifex meditabatur in Orientem contra infideles. Regnum Jerosolymitanum quod è manibus Saracenorum armorum vi recuperaverat Godofridus Bullonius post annos octoginta octo in potestatem Mahumetanorum relabitur Urbano III. Romano Pontifice, quum ultimus Christianorum Regum Guido Lusinianus à Saladino victus regno illo excidit. Sed electus Innocentius III. ad regimen universalis Ecclesiæ, animum ad terræ sanctæ recuperationem adjecit, cui acri fuit stimulo insignis victoria, qua Latini bello sacro fœderati Constantinopoli fuerunt potiti, & creaverunt Græciæ Imperatorem Balduinum Flandriæ Comitem sub ipsius Innocentii Pontificatu, qui ut ardentiùs urgeret bellicam expeditionem, ad propagandam in partes Orientis Religionem Concilium indixit Lateranense, de quo scribit ætatis illius Historicus Abbas Urspergensis, quòd celebratum fuerit anno millesimo ducentesimo decimo quinto Romæ in Ecclesia Constantiniana dicta Salvatoris mense Novembri, præsidente Innocentio III. anno decimo octavo sui Pontificatus, cujus singularis sapientia, & pia solicitudo vel maximè in hoc Concilio affulget; exactè enim consuluit rebus fidei, ordinis, ac disciplinæ ecclesiasticæ, & omnia septuaginta breviter capitulis comprehendit, quibus adjicit decretum pro sacra in Palæstinam professione, & de pace inter Christianos componenda, aut saltem quadriennii firmandis induciis, & de subsidiis suppeditandis pro bellica hac expeditione. Quod verò ad rem nostram attinet, & confirmat indirectam, ac subsidiariam jurisdictionem Romani Pontificis in Principes sæculares, et eorum bona temporalia, est caput 3. cui initium est *Excommunicamus*, ubi Concilium generale hæc habet: *Si vero Dominus temporalis requisitus, & monitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate per Metropolitanum excommunicationis vinculo innodetur, & si satisfacere neglexerit, vel contempserit infra annum; significetur hoc summo Pontifici, ut ex tunc ipse Vasallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam.* Anathemate percutere Principes sæculares, nisi obediant Ecclesiæ præcipienti expurgari provincias ab hæresi: solvere à vinculo juramenti fidelitatis servandæ principi, & destituere principem bonis temporalibus, quid aliud esse dixeris, quàm exercere in Principem sæcularem, ejusque bona temporalia jurisdictionem indirectam, ac subsidiariam potestatem necessariam ad defendendam Ecclesiam; ad arcendos lupos, ne Christi ovibus damnum inferant, ac ovile dissipent?

Neque obstat, si dicas, Canones fuisse statutos, ac promulgatos à summis Pontificibus, & cum hic agatur de causa propria Pontificum, seu eorum jurisdictione, ac potestate quamvis indirecta, & subsidiaria in Principes sæculares, eorumque bona temporalia allegare Canones ad probandam hanc indirectam jurisdictionem perinde est, ac judicem accersere hujus litis, & quæstionis Roman. Pontificem, qui cùm sit pars duorum litigantium, non potest esse judex, cum nemo in causa propria sit judex. Nam contra est, quia in præsenti controversia agitur de jurisdictione indirecta, ac subsidiaria Romani Pontificis in Principes sæculares, eorúmque bona temporalia; si velint nocere Ecclesiæ, ac Christi ovibus, quarum custodia, ac defensio fuit à Christo commissa D. Petro,

D. Petro, & ejus successoribus canonicè electis: & explorati est juris, quemlibet judicem, ordinarium, vel delegatum posse cognoscere, & judicare, an talis jurisdictio ad se pertineat, *L. si quis ex aliena 5. ff. de judiciis. L. 2. ff. si quis in jus vocatur.* Idque saltem in Judice supremo, qualis est Romanus Pontifex, non potest difficultatem pati, quia judex respectu personæ, quam judicat, quamdam dicit superioritatem, cui persona judicata subjicitur; & supra Judicem supremum non datur alius judex, alioquin non esset Judex supremus; hac de causa in Synodo Sinuessana, cui interfuerunt trecenti Episcopi, in causa Marcellini Romani Pontificis Patres noluerunt judicium ferre, ea ducti ratione, quia prima sedes à nemine judicetur *L. 1. in pr. ff si quis jus dicenti c. nunc autem 7. dist. 21.* quapropter Patres non fuerunt ausi in Marcellinum sententiam dicere, ut habetur in 1. Tom. Concil. Nullus tamen eorum proferre sententiam in eum ausus est, dum ei sæpissimè omnes perhiberent: *Tuo ore judica causam tuam, non nostro judicio.* Et iterum: *Noli, ajunt, audire nostrum judicium, sed collige in sinu tuo causam tuam*; & rursus inquiunt: *Quoniam ex eo justificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis.* Et infra subdunt: *Prima sedes non judicabitur à quoquam.* Aliud illustre exemplum exhibet Leo III. Romanus Pontifex, cujus jussu cum Romæ in Basilica S. Petri Italiæ, & Galliæ Prælati convenissent judicaturi de Innocentia Papæ, quam æmuli criminabantur, variisque delictis ejus denigrabant candorem; unanimes uno ore dixerunt Patres infulati; *se Apostolicam sedem, quæ est caput omnium Ecclesiarum, judicare non audere, ut refert Anastasius in Leone.* Quod si Concilium jus non habet judicandi Romanum Pontificem, in quem nullam habet jurisdictionem, sequitur à fortiori, non posse hoc jus ulli alteri inesse, non Imperatori, aut Regi, quia potestas sæcularis est extra forum ecclesiasticum, & nullam habet jurisdictionem circa res Ecclesiæ. Hinc oritur necessitas, qua supremus Judex teneatur in propria causa cognoscere, ac judicare, an talis jurisdictio ad ipsum pertineat, nec ne, necessitas enim ipsum absolvit à qualibet umbra suspicionis. Præterea in casu nostro Romanus Pontifex propriè non est Judex in propria causa, sed in illa Christi, quam tenetur propugnare, & illius oves defendere, ne ab ullo detrimentum patiantur: ut enim superius diximus, potestas est jurisdictio, quæ Romano Pontifici inest, non est absoluta, & directa in Principes sæculares, eorúmque bona temporalia, sed tantùm indirecta, & subsidiaria, scilicet quando Ecclesiæ publica causa id exigit, quia tunc tenetur supremus Pastor ovium Christi, seu Romanus Pontifex oves conservare, ac defendere, ne damnum illis inferatur: & tunc insurgit jus naturale defendendi se ab iniquo aggressore, & conservandi jura sua.

Præterea hanc indirectam potestatem, ac jurisdictionem Romani Pontificis in Principes sæculares, ac eorum regna temporalia, certum est summos Pontifices exercuisse: siquidem anno 751. Zacharias Romanus Pontifex Childericum III. ob imperitiam, & inidoneitatem regendi populos à regno deposuit, & Pipinum bellica virtute, & potentia insignem in Galliarum thronum provexit, ut narrat Æmilius in histor. rer. franciæ, & in vita Childerici III. fol. 46. ubi ait: *Pipinus Burcardum Wurzburgensem Episcopum ad Zachariam Pontificem Maximum Oratorem misit, ut Franci solverentur jusjurandi religione, qua se Childerico devinxerant, is Romam profectus, ac ad Pontificem Maximum admissus ita locutus est: Tu autem beatissime Pater sic apud animum tuum constitue, eo ano ex edicto solvendisque jurisjurandi religione Francis plus gloria inventuram, quàm ex impietate victa Martellus reportavit. Oratione Episcopi motus Zacharias initio minimè audebat tam magni momenti cogitationem suscipere; sed tandem Francos sacramento Regi Childerico dicto solvit.* Hoc idem etiam testatur Eginhardus in vita Caroli Magni, ubi ait: *Gens Merovingorum, de qua Franci Reges sibi creare soliti erant usque in Childericum Regem, qui jussu Stephani Romani Pontificis depositus, ac detonsus atque in monasterium trusus est durasse putatur*, & infra subdit: *Pipinus autem per authoritatem Romani Pontificis ex Præfecto Palatii Rex constitutus est.* Hoc idem referunt alii Historici illius temporis, ut Otto Frisingensis lib. 5. cap. 22. ubi ait: *Zacharias consultus respondit, & ipsius authoritate Pipinus à Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, & aliis regni Principibus in Regem eligitur.* Fregedarius ad annum 751. fol. 161. ait: *Quo tempore una cum consilio. & consensu omnium Francorum missa relatione à sede Apostolica authoritate percepta præcelsus Pipinus electione totius Franciæ in sedem regni sublimatur.* Abbas Urspergensis ad annum 743. circa finem: *Sic ergo Pipinus ex Præfecto Palatii authoritate Apostolica sublimatus, & unctus in sedem regni, regnavit annis quindecim absolutus per eundem Papam Stephanum à juramento, quod Regi Childerico cum cæteris regni Primatibus fecerat.* Franciscus Pithæus in annalibus Franciæ ad annum 752. ait: *Zacharias Papa ex authoritate Petri Apostoli mandat populo Francorum ut Pipinus, qui potestate regia utebatur, nominis quoque dignitate frueretur.* Igitur ob incapacitatem Childerici Regis Romanus Pontifex Pipinum, & reliquos Proceres, imo & omnes Francos, à juramento fidelitatis, & subjectionis præstito Childerico absolvit, & Pipinum bellica virtute celebrem substituit in Regem, ut Ecclesiam defenderet contra Longobardorum violentiam, qua damna plurima sedi Apostolicæ, totique Italiæ inferebant, & extremum videbantur exitium minitari. Hanc ob causam defendendi Ecclesiam usus fuit Zacharias Pontifex indirecta jurisdictione, & potestate subsidiaria, qua Childericum deposuit ob incapacitatem regendi, & Pipinum promovit, à quo plura & summa beneficia Romani Pontifices acceperunt, siquidem è vivis avulso Zacharia Stephanum III. successorem honorificè excepit in Galliis, quo ut ad sacram aram, tutúmque asylum confugerat. Alpes cum suo exercitu pertransivit cæsis, qui itinera obsederant: Aistulphi Longobardorum Regis copias prostravit, delavitque Regem Ticini obsedit, & ad conditiones compulit, quibus adactus fuit restituere, quæ Ecclesiæ ademerat, adjuncta insuper exarchia Ravenata, quam Pipinus Pontifici dono dedit, sed Pipino vix in Galliam reverso Aistulphus omnia ferro, & igne evertere, ac vastare iterum cœpit, copiásque suas Romam dirigere, ac ipsum Pontificem obsidione ad ultimas redigere angustias, quæ causa fuit, ut refert Baronius ad annum 755. cur Stephanus Pontifex iterum Pipinum rogaret, ut suppetias mitteret; sed Pipinus iterum Alpes transgressus Romam venit, obsidionem solvit, Aistulphum fugat, & iterum Ticino includit, quem ad petendam pacem adegit non aliter concessam, quam ut quæ proximè lapso anno convenerant, exactè impleret, concederétque Ravenatem Exarchatum Pontifici, cui addidit, & dono dedit Pentapolim, Ariminum Pisaurum, Anchonam, Auximum, Urbinum, & totam Æmiliam, adeo ut Romanus Pontifex non solum libertatem

debuerit Pipino, verùm etiam temporalem ditionem, ac pingues proventus, quos Ecclesia ab iisdem civitatibus, & locis quotannis accepit.

Rursus anno 754. Stephanus III. Parisiis Pipinum regiâ insignit corona, ungitque una cum filiis, & Proceres Gallos, populúmque adigit, ut nunquam imposterum ex alia stirpe, quam Pipini Regem eligant, ut refert Æmilius in vita Pipini prope init. inquiens: *Pipinus ad tertium Acharisiace oppido lapidem Stephano obviam progressus pedes, ut ferunt, exosculatus coërceri non potuit, quin in equo sedentem ipse pedibus ad frænum profectus in regiam deduceret. Per aliquot dies nullum genus honoris, religionis, comitatis prætermissum fuit. Antea ad Cæsares ibant Pontifices Maximi, hic primus ex Italia ad exteros Reges se contulit. Ad eum visendum, adorandúmque tota ex Gallia, & finitimis gentibus concursus omnium mortalium fuit. Hac celebritate Pipinum coronavit, sacraque unctione imbuit.* Et nonnullis interjectis addit Æmilius: *Eundem, filiósque Carolum, & Carolum Magnum injunctos benedixit, omniaque fausta in omne tempus sacris cæremoniis apprecatus, simul diris detestationéque infectatus est, si quis contra moliri auderet. Ita priùs acceptum jus regnandi, tunc quasi divinitus confirmatum, & immortale factum in ea familia videbatur: ut in Pipino non magis invictas vires formidarent mortales, quam religionem revererentur.* Ludovicus Imperator Caroli Magni filius in epistola ad Hilduinum, quæ habetur in Areopagiticis scribit: *Gesta sunt autem hæc à beato Stephano Papa adjuvantibus Sanctis Apostolis Petro, & Paulo anno ab Incarnatione Dominica 754. quo inter celebrationem, & oblationem sacratissimi Sacrificii unxit in Reges Francorum florentissimum Regem Pipinum, & duos filios ejus Carolum, & Carolum Magnum atque Francorum Proceres authoritate beati Petri sibi a Domino Jesu Christo tradita obligavit, & obtestatus est, ut nunquam de altera stirpe Regem super se præsumant aliquo modo constituere, quos & divina providentia ad sanctissimam, & Apostolicam sedem tuendam eligere dignata est.* Abbas Urspergensis ad annum 753. ait: *Francorum Proceres una cum populo authoritate beati Petri Apostoli obligavit, & protestatus est eos, ut nunquam de alia stirpe sibi Regem præponerent, nisi ex eorum propagine, quos divina providentia in defensionem Ecclesiæ est dignata sublimare,* & ita testantur omnes Historici hæc referentes, præsertim Eginhardus, qui Carolo Magno à secretis fuit, nec unquam ab ejus latere discessit, multóque minus ignorare potuit, quæ ipso præsente fiebant. Quòd verò Zacharias, & Stephanus fuerint sanctitate, & cultura virtutum insignes, quique propterea nonnisi ex justitia, & pro bono totius Christianitatis transtulerint Regnum Franciæ in Pipinum satis notum est, neque in ipsos potuit nota ulla injustitiæ cadere, nec multo minus poterant redargui ignorantiæ divinæ, & naturalis legis in re tanti momenti, quam nunquam deliberâssent, nisi propriæ potestatis, & jurisdictionis in Principes sæculares, eorumque regna temporalia fuissent certi, etenim Zachariam relatum esse inter Sanctos, & annua cultum memoria refert Anastasius in ejus vita, ut etiam Baronius, & Spondanus ad annum 755. Æmilius in vita Pipini, Neque hi duo Pontifices consilio tantùm Pipinum ad regium Franciæ thronum provexerunt, sed etiam propria authoritate, & jussu, ut testantur præcitati scriptores, qui omni exceptione habentur majores: & hoc exemplo excutiuntur omnes dubitationum umbræ, & luce meridiana apparet clarius inesse Romano Pontificis jurisdictionem indirectam, & potestatem subsidiariam in Reges sæculares, & eorum regna temporalia, quando agitur de Christi ovibus defendendis, & ovili, seu Ecclesia propugnanda.

Neque desunt pleraque alia documenta hujus subsidiariæ jurisdictionis in Romano Pontifice. etenim Carolus Magnus anno 774. cum expugnâsset Ticinum, suique juris fecisset Desiderium Regem Longobardorum, ab Hadriano Papa declaratur Romanorum Patritius, ut refert Sigebertus in Chronico ad eundem annum, & habetur etiam *in cap. Hadrianus dist. 63. & cap. sequen.* fuit hæc dignitas patritialis olim amplissima, ac longè major consulatu, ac imperiali proximior, adeo ut illâ insigniti Patres vocarentur Imperatorum, ut habetur in *l. 5. & ult. Codic. de Consul.* fuit autem Hadrianus, qui hanc dignitatem patriciam in Carolum contulit, qua ad imperium occidentis præparabatur in opinione sanctitatis habitus, proinde si hanc potestatem talem dignitatem temporalem conferendi cognovisset, se non habere minime illam contulisset, testatur enim Spondanus ad annum 772. tantæ fuisse justitiæ, & sanctitatis Hadrianum, ut credi non possit eum alienam potestatem, & jurisdictionem sibi usurpasse. Anno 730. Gregorius II. indicta Synodo Romam Leonem Isauricum sacras evertentem imagines bellúmque crudele Ecclesiæ indicens, quam sanguine, & cædibus Catholicorum fœdavit, & cum monitus detrectâsset desistere à inchoato bello, ac persecutione sacrarum imaginum Gregorius in Concilio cum anathemate percussit subditos per Italiam à Sacramento fidelitatis, ac juramento subjectionis solvit, prohibetque ne tributa amplius illi suppeditent, & per Legationem missam ad Carolum Martellum ei periclitantem Ecclesiam commendat, ac offert consulatum titulúmque protectoris, si cum exercitu in Italiam quavis disrupta mora properet. Non spoliâsset Gregorius Imperatorem Leonem suis ditionibus per Italiam, nec suis ipsum destituisset subditis, nisi novisset se potestatem, & jurisdictionem indirectam, & subsidiariam habere in Principes sæculares, & eorum bona temporalia, fuit enim Gregorius XII. vir sanctissimus in cathalogo Sanctorum relatus, quique annua celebritate in Ecclesia colitur. Agebatur tunc temporis de Ecclesia defendenda à violentia Leonis Isaurici Imperatoris, & ad sacras imagines defendendas, cujus obligatio Romano Pontifici ut supremo Pastori ovium Christi, & ovili, seu Ecclesiæ inerat, & quis vires humanæ ei non suppederent ad coërcendam violentiam Leonis Isaurici, eum dignitate Imperatoria destituit; tributis, & subditis privat, & alium Principem Christianum, seu Carolum Martellum in suppetias invitat, ut cum exercitu veniat. Alud documentum hujus subsidiariæ potestatis exhibuit S. Gregorius Magnus anno 593. de quo ait Spondanus ad eundem annum: *Beatus Gregorius Magnus monasterio Suessionensi S. Medardi in Gallia privilegium concedit, quo illud constituit caput Monasteriorum totius Galliæ, & nullius voluit ditioni subjici præterquam sedis Apostolicæ. In fine verò privilegii Regibus, Antistitibus, Judicibus, & aliis, quicunque hoc privilegium violare præsumerent excommunicatio, & dignitatis privatio denunciatur. Initium hujus privilegii ita se habet: Pretiosissimis lapidibus in diademate Christi merito renitentibus omnibus sancta Dei Ecclesia membris Gregorius, licèt sanctæ Romanæ sedis Pontificio sublimetur humillimus tamen servorum Dei servus &c.* & paucis interjectis: *Si quis autem Regum, Antistitum, Judicum hujus Apostolicæ authoritatis, & nostræ præceptionis decreta violaverit aut contradixerit, vel aliter ordinaverit, cujuscunque*

digni-

dignitatis vel subliminatis sit, honore suo privetur; hactenus Spondanus ad annum 593. Meminit hujus privilegii Gregorius VII. *lib.* 8. *epist.* 2. & *lib.* 4. *epist.* 2. & a 5. Baronius ad annum 593. & huic privilegio subscripserunt postea Theodoricus Rex Francorum, & alii Episcopi, & habetur etiam hoc privilegium *lib.* 11. *epist.* 38. *nova edit.* & anno 603. Reges Galliæ solemnem miserunt Legationem ad S. Gregorium Magnum, qua petebant, ut Romanus Pontifex Ecclesiis S. Martini, & monasterio ancillarum Dei, & Xenodochio à Regina constructis privilegia indulgeret, quæ à beato Gregorio concessa fuerunt addita clausula, *ut si quis Regum, Sacerdotum, Judicum, personarúmque sæcularium hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire tentaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reumque divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat*, habetur hoc privilegium lib. 11. epist. 10. indictione 6. ubi notat Spondanus ad annum 593. num. 6. non intendisse Pontifices ob quamcunque privilegiorum violationem pœnam adeo gravem infligere; sed tunc cum Violatores id in odium seu detestationem sedisque Apostolicæ contemptum obstinato in eorum perniciem animo perpetrarent, adeo ut non tam privilegiorum causâ, quam ipsius Romanæ Ecclesiæ, & fidei Catholicæ agerent. Quamobrem authoritas, & potestas Romani Pontificis in Principes sæculares, & ejus bona fuit tantum subsidiaria in ordine ad defendendam Ecclesiam, ac servanda ejusdem jura; ob quam causam idem S. Gregorius Magnus, quia Mauritius Imperator legem ediderat, qua publicis de causis militiæ obligati Sacramento prohibebantur Monachos fieri: edictum Imperatorium correxit, ut rationibus liberi, & militia nec dum expleta, si tamen seriò constanterque mondo renuntiarent, admitti possent, & diploma Cæsareum ita correctum transmisit Episcopis ita observandum, & non aliter. Quòd si S. Gregorius, vir doctissimus, & sanctissimus non cognovisset sibi inesse hanc potestatem subsidiariam, & jurisdictionem indirectam in Principes sæculares non potuisset Mauritii diploma corrigere, sed quia in damnum vertebatur religionis, ideo in defensionem Ecclesiæ hanc exercuit indirectam jurisdictionem, legitur Baronius ad annum 593. num. 22. Rursus celebratum fuit in Hispania Concilium Tholetanum octavum anno 653. cui præter Abbates, & Vicarios absentium interfuerunt Episcopi quinquaginta duo, præfuitque Oronzius Emeritensis Metropolitanus, in quo Patres decreverunt, ut emortuo Rege Episcopi Hispani, & Magnates Regni successorem eligerent, ut habetur in cap. 10. ejusdem Concilii, atqui formam præscribere eligendi Regem sæcularem est actus politicus pertinens ad jurisdictionem Principum sæcularium, & aliorum Magnatum, vel etiam populi sæcularis, & oibilominus Episcopi Hispaniarum ad præcavenda plura incommoda, quæ in electionibus contingere consueverant, ut recensentur in eodem capitulo 10. ejusdem Concilii, existimâront Patres ad ipsorum potestatem subsidiariam, & jurisdictionem iodirectam pertinere hisce incommodis occurrere; quam non exercuissent, nisi exploratum iisdem fuisset eam habere, ac posse ipsam exercere. Rursus anno 800. Leo III. Pontifex Maximus imperium à Græcis abstulit, & in Carolum Magnum transtulit, ut superiùs fusios ostendimus. Anno 904. Joannes IX. Lambertum, & Berengarium coacta Romæ Synodo de imperio contendentes audit, & discussa seriò causa imperium Lamberto adjodicat, & Berengarium, quod metu egisset, in ordinem redigit, ut referunt Baronius ad annum 903. num. 22. & Spondanus ad eundem annum, ut etiam Sigebertus ad eundem annum, ubi scribit huic Synodo interfuisse 73. Episcopos, & Francorum Archiepiscopos. Imperavit tamen Lambertus ad annum 910. per insidias enim ab Hugone Comite Mediolanensi occisus fuit; & ei subvectus Berengarius anno 915. & coronatus à Joanne X. Romano Pontifice, eo quia juvisset Christianos contra Saracenos, etiam ipse à suis interemptus fuit ob evocatos in Italiam Honos contra Rudolphum electum Francorum Regem, à quo in conflictu superatus fuerat, ut narrat Loitprandus lib. 2. cap. 14. & cum ipso Sigonius de regno Italiæ lib. 6. ad annum 915. Rursus quia Boleslaus Rex Poloniæ anno 1079. beatum Stanislaum, Cracoviensem Episcopum, in proprio templo occidisset à Gregorio VII. Romano Pontifice anathemate perculsus regnoque, & omni dignitate privatus fuit, quam sententiam approbavit DEUS Rege insania correpto, & à canibus dilacerato, ut narrat Longinus in Polonica historia, cujus verba sunt: *Tam lugubri, & crudeli in sanctum DEI per Boleslaum, Poloniæ Regem, occisione ad notitiam summi Pontificis perlata, ipse Pontifex maturæ deliberatione temporis tereus tandem generale interdictum in universam Gnesnensem observari præcepit Regem insuper Boleslaum, & Poloniæ Regnum omni honore, dignitate, & excellentia Regali privavit, & omnes Principes, & subditos ab ejus ditione absolvens obedientiam, & subjectionem solitam exhibere vetuit*, ut refert Baronius ad annum 1079. Sanctitas Gregorii VII. ob plura patrata miracula est toto orbe nota, inter quæ illud habetur insigne, quod post 500. ferme annos incorruptum ejus corpus præservatum fuit absque ulla læsione; & numero adscriptus Sanctorum, qui in vitæ extremo jamjam animam acturus in hæc fertur erupisse verba: *Dilexi justitiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Otto Frisingensis de Gregorio VII. ait lib. 6. cap. 36. in fine: *Porro Gregorius Salerni manens appropinquante vocationis suæ tempore fertur dixisse: Dilexi justitiam, odi iniquitatem, propterea morior in exilio. Quia ergo in principe suo regnum ab Ecclesia præcisum graviter percussum fuit, Ecclesia quoque tanto Pastore, qui inter omnes Sacerdotes, & Romanos Pontifices præcipui zeli, & auctoritatis erat, orbata dolorem non modicum habuit.* Annoo Gregorius VII in depositione Boleslai à dignitate Regia, & spoliatione bonorum temporalium exercuit jurisdictionem ad vindicandam violentam mortem illatam S. Stanislao? quis igitur dubitet inesse Romano Pontifici jurisdictionem indirectam, ac potestatem subsidiariam in Principes sæculares, ac eorundem bona ut jura defendat ecclesiastica? Idem Gregorius VII. votis Episcoporum Galliæ pulsatus querela contra Philippum Francorum Regem, eo quia dignitates ecclesiasticas pretio venderet, ob quam causam recusaret admittere Episcopum Masticonensem ad Rodericum Cabilonensem Episcopum, ac Regi peccatum scripsit: *Moneat Regem tam turpi mercimonio, quæstuque absistat; Episcopo Matisconensi legitimè, ac Regio etiam unita electo negotium, & moras ne faciat, alioquin censuris feriendum, regnoque casurum.* Minatur Regem spoliare Regia dignitate, ac regno destituere, nisi destiterit ab exhibendis venum Ecclesiæ dignitatibus, & permiserit Matisconensem Episcopum liberè suo fungi officio in sua Diœcesi, deinde scribit Pontifex lib. 1. epist. 35. *Quòd si facere noluerit, indubitanter noverit, nos hanc Ecclesiæ ruinam nequaquam diutius toleraturos, nam aut Rex ipse repudiato turpi*

Simoniacæ hæresis mercimonio idoneas ad sacrum regimen personas promoveri permittet, aut Franci pro certo, nisi fidem Christianam abjicere maluerint, generalis anathematis mucrone percussi illi ulterius obtemperare recusabunt: Flexerunt hæc Gregorii verba Philippum Regem, qui Gregorio monenti paruit, ad quem etiam Legatos misit, ut certiorem facerent Romanum Pontificem, se ejus mandatis obsequuturum.

Quid plura? anno Christi millesimo Sylvester II. Romanus Pontifex S. Stephano, Hungariæ Duci jus, & dignitatem Regiam concedit, ac Hungariæ Ducatum regni titulo, juribusque condecorat, ut refert Cartuitius Episcopus in vita S. Stephani ad Colemannum Regem apud Surium die 20. Augusti, ubi inter alia hæc habet: *Quartò à Patris obitu Stephanus Astricum præsulem ad SS. Apostolorum limina misit petiturum, ut recèns conversa Pannonia largam benedictionem impertiret, & ipsum Ducem regio diademate cohonestaret, & ut eo fulsus honore, quæ divina gratia adjutorio cœpisset, ea magis magisque promovere posset.* Instituere autem Reges, perinde est ac jurisdictionem exercere in Principes sæculares. Quid ni etiam Gregorius VII. anno 1076. per suos Legatos indicta Synodo in Dalmatia, & Solonæ celebrata Demetrium, Croatiæ & Dalmatiæ Ducem, Regem instituit, Regióque diademate ornavit, accepto annuo tributo sponte oblato à Rege, ut refert Baronius ad annum 1076. & adfert monimentum decerptum ex bibliotheca vaticana in calce ita Demetrius loquitur: *Ego Demetrius DEI gratiâ, & Apostolicæ sedis dono Rex. ab hac hora, ut antea Sancto Petro, & Domino meo Papæ Gregorio, suisque successoribus canonicè intrantibus ero fidelis.* Huc iterum Romanus Pontifex in Principes sæculares jurisdictionem exercet anno itidem 1076. Idem Gregorius VII. Henricum IV. Germaniæ Regem in Synodo Romana, eo quia mercatui dignitates ecclesiasticas exponeret; subditorum facultates prædaretur; appellationes ad sedem Apostolicam impediret, & quia in conventu Wormatiæ habito ausus esset in Gregorium sententiam dicere, eumque Papatu spoliare, & ob alia pleraque flagitia anathemate percutit, regnoque indignum declarat, ac destituit, & subditos à vinculo solvit præstiti juramenti, sententia Pontificis ita se habet: *Beate Petre, Apostolorum princeps, inclina quæsumus pias aures tuas nobis, & audi me servum tuum, quem ab infantia nutristi, & usque ad hunc diem de manu iniquorum liberasti, qui me pro tua fidelitate oderunt, & odiunt. Hac itaque fiduciâ fretus pro Ecclesia tuæ honore, & defensione ex parte omnipotentis Dei Patris, Filii, & Spiritus Sancti, per tuam potestatem, & authoritatem Henrico Regi, qui contra tuam Ecclesiam inauditâ superbiâ insurrexit, totius regni Teutonicorum, & Italiæ gubernaculo contradico, & omnes Christianos à vinculo Juramenti, quod sibi fecêre, & facient absolvo, & nullus ei sicut Regi serviat interdico.* Hortatus etiam fuit Gregorius omnes Principes Germaniæ, ut alium eligerent Regem, à quibus propterea indicto Triburiam Conventu de alio Rege eligendo consilia ineunt: sed cum Henricum pœnituisset factorum, Legatos misit ad Conventum principum, qui præterita excusarent, & in futurum debita sponderent obsequia Ecclesiæ, & Romano Pontifici, quibus tamen Germaniæ Principes, ut refert Lambertus Schafnaburgensis illius temporis Scriptor haud obscurus, responderunt: *Cum ab Ecclesiæ corpore propter flagitia sua Apostolici anathematis mucrone præcisus sit Imperator, & ei communicare sine fidei jactura non possimus, cum fidem nostram multis apud Deum Sacramentis implicitam, Romanus Pontifex Apostolica auctoritate explicuerit, extrema profectò dementia esset, divinitus oblatam salutis occasionem non obviis manibus excipere; quapropter immobiliter animo fixum tenemus, ut absque ulla dilatione virum nobis provideamus, qui præcedat nos, & præliëtur bellum Domini ad expugnandam, & destruendam omnem cujuscunque hominis altitudinem elevantem, & extollentem se adversus justitiam, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ authoritatem.* Henricum iterum insolescentem flagitiis Principes coërcent, adiguntque intra limites ordinis, ac debiti; & Rudolfum Sueviæ Ducem in Regem eligunt Germaniæ, cui à Gregorio diadema mittitur addita inscriptione: *Petra dedit Petro: Petrus diadema Rudolfo.* Ecce iterum Romanus Pontifex suam in Principes sæculares, & Reges exercet jurisdictionem indirectam, & subsidiariam potestatem, quâ anathemate prius percutit, postea Regia destituit dignitate, privat regno, ac subditis, quos à vinculo solvit præstiti juramenti. Legatur Spondanus ad annum 1076. & Abbas Urspergensis ad annum 1075. Non solum Romanus Pontifex Reges expellit è Regio throno, spoliatque Regia dignitate; verùm etiam pulsos restituit: siquidem anno 808. Rex Nordhanhumbrorum à propriis subditis regno pulsus authoritate Leonis III. & viribus Caroli Magni restitutus fuit suo throno, Regiæque dignitati, ut testatur Aimoinus in Annalibus Regum Galliæ, ubi hæc habet: *Interea Rex Nordhanhumbrorum reductus est in regnum suum*; legatur Spondanus ad annum 808. Anno 1166. Fridericus Ænobarbus, cum in Italiam suum movisset exercitum, omnia sacrilegiis, & rapinis impleret, oppida & civitates expilaret, & Guidonem Antipapam opponeret Alexandro III. canonicè electo, adsunt Constantinopoli ab Emanuele Comneno Imperatore Legati unionem cum Romana Ecclesia spondentes, & suppetias, auro & ferro promittentes, si Pontifex vellet imperium occidentis Orienti restituere, legantur in Baronio ad hunc annum acta Alexandri, & constabit Principes accepisse à Romano Pontifice imperium, ut à Leone III. Carolum Magnum; regnum à Zacharia Pipinum; & plures alii Romani Pontifices Principibus sæcularibus regna vel fuerunt impertiti, vel regno eos privarunt, quod non præstitissent, nisi novissent ipsis inesse jurisdictionem indirectam, & subsidiariam in Principes sæculares, eorumque bona temporalia, quando agitur de Ecclesia defendenda, & conservanda.

Rursus anno 1179. Alphonsus I. Dux Portugalliæ ab Alexandro III. ob res adversus Arabes præclarè gestas, titulo Regio insignitur, unà cum regalibus juris, omnia accipit, quæ Regem constituunt; & annuum censum solvendum Romanæ Ecclesiæ statuit, ut narrant Baronius, & Spondanus ad annum 1179. Exhibet Baronius epistolam Innocentii III. directam ad Sancium Regem Portugaliæ, in qua meminit hujus tituli regii collati avo suo ab Alexandro III. Romano Pontifice, quæ ita se habet: *Innocentius &c. Nos attendentes tuam personam ornatam prudentia, justitia præditam, atque ad regni gubernationem idoneam; eam sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & regnum Portugallense cum integritate honoris, regni, & dignitate, quæ ad Reges pertinet, nec non & alia loca, quæ de Saracenorum manibus eripueris, in quibus jus sibi non possunt Christiani Principes circumpositi vendicare ad exemplar Alexandri Papæ, qui hæc avo tuo per privilegii paginam concessisse dignoscitur, tuæ sublimitati concedimus, &*

auctori-

auctoritate Apostolica confirmamus, & hæc ipsa hæredibus suis duximus concedenda, eosque super iis, quæ concessa sunt pro injuncto nobis Apostolatus officio defendemus. Vide epistolas Innocentii III. lib. 2. epist. 144. & 151. Anno 1210. Otto IV. Imperator cum Friderico Juniori Regi Neapolitano, & simul toti Italiæ bellum indiceret, neque à Pontifice admonitus, imo & rogatus, ut à male, ac injustè cœptis desisteret ab Innocentio III. anathemate percutitur, privetúrque imperio, & permissu ejusdem Pontificis Fridericus, Henrici V. Imperatoris, filius à Germaniæ Principibus ad supremam imperii dignitatem promovetur, ac eligitur, ut scribit Abbas Urspergensis ad annum 1210. ubi ait: *Sanè ne tanta perturbatio fieret in Ecclesiis, & populo Christiano voluit Dominus Papa sustinere omne damnum, quod sibi Imperator in terris Ecclesia Romana intulisset, aut inferret, hanc formam compositionis cum recusasset Imperator admittere, Dominus Papa tanquam vir animosus, & confidens in Domino tria ardua negotia simul explere disposuit. Anno enim Domini 1212, laboravit super depositione Ottonis Imperatoris, quod fuit arduum negotium &c.* Narrant hanc depositionem Ottonis factam à Romano Pontifice Spondanus Bzarius, Nanclerus, & alii, quòd si Romanus Pontifex potuit Imperatorem deponere ob damna, quæ inferret Ecclesiæ, sequitur evidenter inesse Pontifici jurisdictionem in principes sæculares, quia cum teneatur indemnem conservare Ecclesiam, & ejus officium sibi à Christo injunctum sit oves, seu fideles defendere à lupis, ne exitium patiantur, non posset has tueri, ac defendere, nisi potestatem heberet arcendi lupos, & coercendi volentes eisdem nocere, consequenter, nisi illi inesset jurisdictio indirecta, & potestas subsidiaria in principes sæculares, ac eorum bona temporalia, nisi Romanus Pontifex posset Reges, & Imperatores deponere, si damna inferunt Ecclesiæ, nisi posset à vinculo præstiti juramenti solvere subditos, non posset defendere oves Christi, nec ejus ovile conservare indemne, quia principes sævius grassarentur, absque ullo obice oves Christi, seu fideles in exitium traherent absque ullo impedimento, proinde non à Christo consultum fuisset ejus Ecclesiæ, nisi supremo ejus pastori hanc dedisset jurisdictionem indirectam, ac subsidiariam potestatem in principes sæculares, & eorum bona temporalia, quoties vellent Ecclesiæ damna inferre. Hinc quia Romani Pontifices noverunt hanc potestatem subsidiariam sibi à Christo traditam, illa data occasione fuerunt usi. quapropter anno 1239. Gregorius IX. interdixit imperio, & sacris Fridericum II. quem postea solemni ritu in Concilio generali Lugdunensi anno 1245. Innocentius anathemate percussit, & imperio spoliavit, ut narrat Spondanus ad eundem annum, cujus verba sunt: *Inter Gregorium Pontificem, & Fridericum Imperatorem publicatur toto orbe dissidium, & diverso utrinsque diplomate excommunicatur Fridericus, & imperio privatus declaratur.* Et anno 1273. mandat Gregorius Principibus Germaniæ, ut alium eligant Imperatorem, nisi velint à se ipso eligi, ait Spondanus: *Gregorius mandat Principibus Germanis, ut tandem Imperatorem creent, nisi vellent aliquem à se imponi. Convenientes igitur Francofurti primum Ottocaro, Regi Bohemiæ, imperium deferunt, sed recusante eo, consensum est in Rudolphum Comitem Habspurgensem armis, & consilio potentem.* Testatur Murerus in suo dictionario historico hanc Rudolphi electionem in Imperatorem confirmatam fuisse à Gregorio X. adeo ut opera hujus Sancti Pontificis in domum Austriacum primum ob pietatem Rudolphi imperium devenit. Et ob gratitudinem Rudolphus, ut refert Murerus, accepta magna aureorum copia Italiæ, quæ imperio adhuc serviebat, libertatem dedisse. Et Platina in Gregorio X. ait: *Gregorius iter in Italiam faciens, absoluto Lugdunensi Concilio obviam habuit Alfonsum Castellæ Regem conquerentem, quòd imperium Rudolpho mandasset. Verùm accepta Pontificis satisfactione jus omne suum Rudolpho concessit.* Quòd Alfonsus postulaverit à Gregorio Pape imperium, ac fuisset conquestus, quòd Rudolpho hanc dignitatem concesserit, eámque confirmaverit, refert etiam Mariana lib. 13. cap. ult. ubi Alfonsum in cœtu Procerum inducit ita loquentem: *Nunc filio in patria relicto gemina jam prolis patria imperium te auspice, atque Adjutore Gregori Pontifex Maxime capessemus, inane quidem, & sine proventu nomen, sed publicum Hispaniæ decus respicere, nostramque ignominiam repellere cogimur, quod utinam sine armis præstare possimus, alioquin quodcunque periculum retinendi honoris studio subire est animum.* Sed hoc desiderium dignitatem imperalem habendi postea deposuit Alfonsus suasu Gregorii X. Sanctissimi Pontificis, cui propterea Alfonsus fuit statim obsecutus. Quòd si Pontifex sanctitate, & miraculis toto orbe illustris Fridericum Imperatorem deposuit, privavitque dignitate imperiali, argumento est novisse hanc sibi potestatem inesse ob defensionem Ecclesiæ, quam Fridericus II. sus deque vertebat, alioquin si sibi usurpâsset jurisdictionem, quæ illi non competeret, à nota non potuisset excusari injustitiæ, quatenus sibi usurpâsset potestatem, qua caruisset. Rursus anno 1307. cum Albertus Imperator interemptus fuisset Philippus IV. cognomento pulcher Galliarum Rex solemnem direxit Legationem ad Clementem V. tunc in Galliis commorantem, seu Avenione, ubi Pontifices tunc temporis sedem fixerant, & imperium sibi impertiri, vel Carolo fratri suo enixim postulat, ut imperium, quod à Gallis in Germanos transierat, iterum Gallis restitueretur, inter enim alias rationes hæc etiam producebatur, ajebat enim Philippus: Nemini fieri injuriam, si vacantis imperii conditio permutetur, cum notum sit hoc idem alios Pontifices fecisse. Sed Clemens veritus potentiam Philippi si viribus imperii eugeretur, respondit Legatis, se circa petitum deliberaturum: & interea Pontifex monuit Electores, ut sine mora eligerent Imperatorem, & obsecuti Pontifici elegerent Comitem Lucenburgensem Henricum VII. Imperatorem, quæ electio statim à Senatu confirmata fuit. Hanc electionem fusè referunt Bzorius ad annum 1307. & Æmilius in Philippo Pulchro, sed hic tantùm confirmatæ electionis à Pontifice meminit, fusiùs cæteris narrat hanc historiam Conredus Vecerius in *lib. de gestis Henrici VII.* Quòd si Philippus Pulcher Rex Galliæ non cognovisset inesse Pontifici hanc potestatem conferendi imperium juxta majorem Ecclesiæ utilitatem non misisset ad Clementem V. eam solemnem Legationem, neque petiisset ab ipso sibi impertiri, vel fratri suo imperii dignitatem.

Rursus anno 1310. idem Clemens Papa V. Venetos interdicit sacris, eò quia occupaverint civitatem Ferrariam, eorumque bona ubique terrarum primo occupanti offert, quinimo excitavit etiam in Venetos milites sacri belli, à quibus fracti. ac debellati Veneti Franciscum Dandalum miserunt Avenionem rogaturi per eorum Legatum veniam, ut refert Spondanus ad hunc annum 1310. & Sabellicus *Ennead. 9. lib. 8.* & Platina in vite Clementis V. qui etiam refert, Gallos hanc Clementis sententiam non

solum

solum non improbâsse, verùm etiam impigrè fuisse executos: & Platina in vita Clementis prope init. ait: *Quamobrem gens ipsa* (scilicet Venetæ) *mercature admodum dedita in Anglia, & in Gallia maxima incommoda perpessa est.* Anno 1420. Martinus V. in Concilio Constantiensi creatus Pontifex arma Ducis Sforciæ incitat contra Joannam Reginam Neapolitanam, & transfert jus illius regni in Ludovicum III. Andium Ducem, ut referunt Spondanus, & Pandulphus ad hunc annum. Et nisi Romano Pontifici potestas fuisset transferendi jus hoc regni temporalis in Ludovicum minimè id præstitisset in detrimentum Reginæ Joannæ. Rursus anno 1512. Julius II. anathemate perstrinxit Joannem Alibretanum, cujus regnum primò occupanti donavit, eò quia Alfonso Ferrariæ Duci, & Ludovico XII. Regi Galliarum suppetias misisset, & hæc est origo, cur Navarræ regnum transierit ad Hispanos, seu ad Ferdinandum V. Arragoniæ Regem. Refert Spondanus ad hunc annum Joannem Alibretam, Navarræ Reginam ob odium, quod in Pontificem foverat, & Hispanos Catholicam Religionem ejurâsse, vocatis etiam Hæreticis, qui Henricum Borbonium unicum filium docent Calvinismum: & ob id etiam aliquot Navarrici principatus provinciæ ad Reges Galliæ derivârunt: & quamvis non desint, qui negent id jure potuisse fieri à Pontifice; ob tamen ejuratam religionem, ac defectionem à fide Catholica nulli est dubium, quin potuerit à juramenti vinculo solvere subditos, ne & ipsi hæresi inficerentur. tenebatur enim Pontifex oves Christi, seu fideles à lupis Hæreticorum liberare, nec poterat id præstari nisi per hanc solutionem à juramento præstito, & spoliationem principatus Navarrici, unde jure subsidiario, & jurisdictione indirecta id præstitit Julius II. ut propriæ satisfaceret obligationi, qua tenebatur oves Christi defendere, ac impedire, ne hæresi inficerentur unà cum eorum capite. Anno 1534. Clemens VII. pronuntiavit anathematis sententiam in Henericum VIII. Angliæ Regem, quem etiam regno destituit ob repudiatam Catharinam legitimam uxorem, & Bolenam admissam in thalamum, & cum Cardinalem Roffensem præciso capite interemisset, ac tota Anglia Catholicorum innocentum maderet sanguine, Cœnobia, Ecclesias, religiosos igne, ferro delevisset, & S. Thomam Archiepiscopum Cantuariensem miraculis illustrem, sanctitate clarissimum vita jam functum in jus vocâsset, & sacros cineres in aquam mersisset. Anno 1563. inter alia documenta, quibus Vicecomitem suum in Hispaniam Nuntium Pius IV. instruxit, illud etiam fuit, ut Regem doceret de affixo libello, quo Regina Navarræ in jus vocabatur sex mensium spatio concesso ad se purgandum, quo elapso eam regio diademate privatam intelligi:, destituere autem Reginam suo regno, est actus potestatis superioris in inferiorem, consequenter potest subsidiaria in Pontifice esse superior ad quoscunque Principes sæculares. Hinc S. Pius V. anno 1569. Elisabetham Reginam excecratus, anathemate percussit, & regnum Angliæ proscripsit, ut refert Spondanus ad hunc annum, quæ proscriptio repetita, & firmata fuit à Sixto V. ut narrat Thuanus lib. 89. ad annum 1587. Imò idem S. Pius V. anno 1570. Cosmum Mediceum Ducem Florentiæ Magni Ducis Etruriæ titulo condecoravit, non sine aliorum Principum obtrectatione, ut refert Spondanus ad hunc eundem annum. Rursus Sixtus V. anno 1585. Henricum Navarræ Regem Hæreticum declarat, ac incapacem regni Galliæ, ut refert Spondanus ad hunc annum, cujus verba sunt; *Hinc verò gravissimum ortum est bellum, & inaudita rerum confusio, ac animorum dissensio secuta, quæ nobilissimum, ac christianissimum regnum haud dubiè in extremam deduxissent perniciem, nisi idem ipse, à quo destructio timebatur, potenti tandem manu restitutionem operatus esset.*

Quòd si summi Pontifices quovis tempore pro defendenda Ecclesia custodiendisque ovibus Christi, seu fidelibus jurisdictionem indirectam in Principes sæculares, & eorum bona temporalia, quibus etiam ipsos destituerunt, exercere potuerunt non contradicentibus aliis Principibus, imò & ipsum Romanum Pontificem implorantibus, ut sibi dignitas imperii, vel Regis conferretur, nulli potest dubium superesse, quin hæc potestas insit Romano Pontifici, ut etiam communiter asserunt Sancti Patres, & Doctores, præsertim D. Thomas 22. *quæst.* 12. *art.* 2. *in corpor.* ubi ait: *Ad Ecclesiam non pertinet, punire infidelitatem in iis, qui nunquam fidem susceperunt, sed infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt, potest sententialiter punire, & convenienter in hoc puniuntur, quòd subditis fidelibus dominari non possunt, hoc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem, quia homo Apostata pravo corde machinatur malum, & jurgia seminat intendens homines separare à fide, & ideo quàm citò aliquis per sententiam denuntiatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti à dominio ejus, & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.* Docet D. Thomas inesse Romano Pontifici potestatem solvendi in subditis vinculum juramenti præstiti, quo fidelitatem suis Principibus sæcularibus profitebantur, si isti à fide deflectent, si in hæresim delabantur, si Ecclesiæ damnum inferant, si à Catholica Religione deficiant: sed id perinde est, ac concedere Romano Pontifici jurisdictionem indirectam in Principes sæculares, ac eorum bona temporalia. Hoc idem etiam docet S. Antoninus part. 3. sum. tit. 22. cap. 5. §. 13. ubi ait: *Imperator est Minister Papæ, & eo ipso quod est Minister Dei, cujus vices gerit juxta Apostolum ad Rom. 13. Est autem principalis agentis eligere ministros, & instrumenta ad suum finem, unde puto, quòd Papa cum universos fideles in præsenti Ecclesia ad pacem habeat ordinare, & ad spiritualem finem consequendum dirigere, & destinare, justa causa, & rationabili existente per se ipsum possit Imperatorem eligere, aut propter eligentium negligentiam, vel discordiam, aut propter populi Christiani, & patris providentiam, aut propter coercendam Hæreticorum, & Paganorum audaciam, & potentiam, potest enim Papa quatenus debet esse fulcitus veritate justitia, & æquitate: non enim potest adversus veritatem &c.* & nonnullis interjectis subdit: *Potuit etiam Papa Electores Imperatoris instituere, & institutos mutare ex causa rationabili, sicut etiam Imperatorem Electum potest non confirmare & confirmatum deponere:* & paulo infra addit: *Item Papa posset providere de Imperatore per hæreditariam successionem, quando videret populo Christiano pacem dari magis per hæreditariam successionem imperii.* Hoc idem etiam docet celebris ille Cancellarius Universitatis Parisiensis, Joannes Gerson, qui in diuturno illo Ecclesiæ schismate interfuit Concilio Constantiensi, ubi ejus sapientia, & libertas cæteris patribus fuit admirationi: hic igitur Doctor toto orbe celebris part. 4. ser. de pace, & unitate Græcorum considerat. 5. ait: *Homines per hoc, quòd unicum principale caput habent ad tenendos ipsos tam in bonitate voluntatis, quàm bonitate morali, & spirituali convenientius, & divinius se hoc modo in unitate tenent, nec est allo modo in præjudicium cujuscunque Dominii temporalis, vel spiritualis, sive Regum, sive Prælatorum. Hic*

sunt

sunt duo extremi errores, dicunt aliqui homines ecclesiasticos, Papam vel alios non posse ullam tenere temporalitatem, vel jurisdictionem, alii dicunt terrenos Dominos nullum prorsus jus habere in temporalitate, sed hoc verum non est, nec dicere oportet omnes Reges vel Principes hæreditatem eorum, vel terram tenere à Papa, ut Papa habeat superioritatem civilem, & juridicam super omnes, quemadmodum imponunt aliqui Bonifacio VIII. omnes tamen homines Principes, & alii subjectionem habent ad Papam in quantum eorum jurisdictionibus, temporalitate & dominio abuti vellent contra legem divinam, & naturalem, & potest superioritas illa nominari potestas directiva, & ordinativa potiùs quàm civilis, vel juridica. Quamvis Gerson deneget Romano Pontifici potestatem juridicam civilem, & ordinariam, qualem habet Rex in suos subditos, & Dominus directus in Vasallos, adeo ut non sit potestas Pontificis in Reges sæculares, & Principes sicut potestas Regis in suos subditos concedit tamen jurisdictionem indirectam, & potestatem subsidiariam, qua Principes subjiciuntur Romano Pontifici, etiam quoad Principatum sæcularem, & bona temporalia, *si jurisdictionibus*, ut loquitur Gerson, *temporalitate, & dominio abutantur.* Tunc enim potest Pontifex eos coërcere, & impedire, ne noceant Ecclesiæ, & fidelibus: quam potestatem Gerson vocat directivam, & ordinativam, & nos eam dicimus indirectam, & subsidiariam, imò & casualem, quatenus non semper contingit, sed rarò, quòd Principes noxii sint Ecclesiæ, non enim hæc potestas casualis, seu subsidiaria excludit coërcitivam, sed eam includit ut necessariam ad impedienda damna Ecclesiæ, & fidelium. Et Gerson pro hac sententia commendatur ab omnibus Doctoribus, & præsertim à Cardinale Peronio apud Gramundum *lib.* 1. *historiar.*

S. Bernardus pro hac sententia egregiè calamo pluries secto pugnat, de quo propterea ait Baronius ad annum 1154. *Vir fuit Apostolicus, imò verus Apostolus missus à Deo potens opere, & sermone illustrans ubique, & in omnibus suum Apostolatum sequentibus signis, qui apud Imperatores, & Reges, aliosque Principes pro omnium sublevatione, atque ipsorum Principum salute tot, & tanta peregit; & qui dicendus sit totius Ecclesiæ Catholicæ ornamentum simul, & fulcimentum Gallicana verò in primis Ecclesiæ prædicandus sit summum decus, summa gloria, & felicitas.* Hic igitur loquens de potestate pontificia ita fatur lib. 1. de considerat. cap. 6. *Mihi tamen videtur bonus æstimator rerum, qui indignum putat Apostolis, seu Apostolicis viris non judicare de talibus, (scilicet causis temporalibus) quibus datum est judicium in majora: quidni contemnant de terrenis possessiunculis hominum judicare. qui & Angelos judicabunt. Habent hæc infima, & terrena judices suos, & Reges Principes terræ. Quid fines alios invaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere; quippe potioribus occupatis: denique ubi necessitas exigit, audi quid sentiat non ego, sed Apostolus: si enim in vobis judicabitur hic mundus indigni estis, qui de minimis judicetis?* & lib. 4. cap. 3. alloquens Eugenium Papam ait: *Quid tu denuo usurpare gladium tentas, quem semel jussus es ponere in vaginam, quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis: converte gladium tuum in vaginam: tuus ergo, & ipse tuo forsitan nutu. & si non tua manu evaginandus alioquin si nullo modo ad te pertineret dicentibus Apostolis: Ecce gladii duo, hic non respondisset Dominus satis est, sed nimis est, uterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus est, ille sacerdotis, is militis manu, sed sanè nutum sacerdotis ad jussum Imperatoris.*

Alexander Alensis Anglus cognomento Doctor irrefragabilis p. 3. summæ q. 48. membro 1. art. 5. §. 2. in resolut. ait: *Respondeo secundùm Hugonem de S. Victore, spiritualis potestas terrenam potestatem habet instituere, ut sit, & judicare habet, si bona non fuerit. Ipsa verò à DEO primum instituta est, & cum deviat à solo Deo judicari potest, sicut dictum est; spiritualis, qui judicat omnia, & à nemine judicatur. Inde est, quod summa potestas sacerdotalis qualis est in summo Pontifice, non potest ab homine judicari, sed habet de omnibus judicare, & de personis, quæ vice spirituali deputata sunt, ut universaliter sunt omnes persona ecclesiasticæ, & de personis, quæ ad vitam terrenam deputata sunt.* Præ cæteris B. Augustinus Triumphus quæst. 1. de potest. ecclesiast. p. 5. art. 7. hæc habet: *Papa gerit vicem Christi saltem quantum ad potestatem, & jurisdictionem officii, sed in Christo plenum est, fuisse potestatem regalem, & sacerdotalem, quod ostensum est primò in ejus Incarnatione. Secundò in ejus conservatione. Tertiò in ejus passione, & resurrectione.* Et art. 8. ait: *Bona temporalia, & spiritualia ad tria possunt comparari, Primò ad eorum productionem. Secundò ad eorum ordinationem. Tertiò ad eorum motionem, & actionem, & secundùm ista tria tribus rationibus ostendi potest, in Papa esse potentiam super omnia.* Primò quidem propter eorum productionem, quia non ab alio producta sunt temporalia, & ab alio spiritualia, ut putarunt Manichæi: sed ab eodem Deo, à quo producta sunt spiritualia, ab eodem sunt etiam producta temporalia, & corporalia: Papa ergo, qui gerit vicem DEI in terris, ex quo habet potestatem spiritualem, habebit quoque potestatem temporalium, & corporalium. Secundò hoc potest propter eorum ordinationem: ordinantur enim ipsa bona temporalia, & corporalia ad bona spiritualia tanquam organa, & tanquam instrumenta. Unde Philosophi posuerunt, quod sine exterioribus bonis, quorum fortuna putabatur Domina, non contingit esse felicem, & virtuosè operari. Componitur enim homo ex anima, & corpore. Unde sicut ipsum corpus ordinatur ad animam, & est instrumentum ejus, mediante quo exercet operationes suas: sic ipsa bona temporalia ad bona spiritualia ordinantur mediante Papa. Papa ergo, qui habet providere suis fidelibus de spiritualibus, habet eodem modo providere de temporalibus, & corporalibus, sine quibus spiritualia in vita ista politica exerceri non possunt. Unde Apostolis dicentibus: Dimitte turbas, ut sibi emant escas, dictum est: Non habent necesse, ite, date vos illis manducare. Tertiò hoc potest propter eorum motionem, & operationem: videmus enim quòd temporalia, & corporalia moventur, & regulantur in eorum operationibus per ipsas intelligentias in tantum, ut Philosophi secundùm numerum mobilium corporum posuerint numerum motorum, sicut patet 12. Metaphysicæ: istos etiam motores posuerunt omnes regulari, & moveri ab uno motore primo, qui est Deus. Augustinus etiam dicit: omnem substantiam temporalem, & corporalem administrari per Angelos. Papa ergo, in quo est potestas spiritualis, habebit per ipsam potestatem spiritualem similiter disponere, & ordinare de temporalibus.

Non solùm hanc indirectam jurisdictionem, & subsidiariam potestatem Romani Pontificis in Reges

& Principes ſæculares, ac eorum bona temporalia, ac dignitates evincunt Concilia generalia, probant exempla plurima quovis tempore producta à Romanis Pontificibus, qui illam exercuerunt in Imperatores, quos imperatoria dignitate vel deſtituerunt, vel ornarunt: in Reges, quos à regio throno expulſerunt, vel ad illud promoverunt: in Duces & Principes, quos ſuis ſpoliarunt dignitatibus, verùm etiam ratio ipſa demonſtrat, ſuadetque. Semel enim quod Romano Pontifici injunctum eſt officium ſupremi Paſtoris, cui concreditæ ſunt Chriſti oves, ſeu fideles, & regimen totius ovilis, ſeu militantis Eccleſiæ, Joan. 21. *Paſce oves meas*, una cum officio paſtoris, conceſſa itidem fuit hæc indirecta juriſdictio, & ſubſidiaria poteſtas in Principes ſæculares, eorumque bona temporalia: non enim officium paſtoris reſtringitur ad ſola paſcua, quibus oves nutriunt, fovent, ducunt, & regunt, ſed etiam in arcendis lupis inhiantibus ovili carni, & irruentibus in oves quas interiment; in ſeparandis ovibus morbidis à ſanis, & integris, ne iſtæ morbum contrahant, ac corrumpantur ex ſocietate cum infectis: & quia Principes omnes ſemel quòd per ſuſceptum baptiſmum ingreſſi ſunt ovile Chriſti, ſeu Eccleſiam fiunt, & ipſi oves Chriſti ſubjiciuntur directè in ſpiritualibus ſupremo Paſtori, ſeu Romano Pontifici, & indirectè, ac ſubſidiariè in temporalibus, & corporalibus: quòd ſi Principes Chriſtiani ex ovibus Chriſti naturam induerent luporum, fierent hæretici, ac vellent ſuos ſubditos eidem adhærere hæreſi: in hoc caſu ad officicium ſupremi Paſtoris, ſeu Romani Pontificis pertinet, omnia illa adhibere media, quæ viſa fuerint opportuna ad impediendum damnum ſpirituale ovium Chriſti; quòd ſi monitiones, fraternæ correctiones, adhortationes non proſunt; neque principes flecti poſſunt ad reſipiſcentiam; ſed pertinaciter inſiſtunt in prævertendis ſubditis; tunc officium ſupremi Paſtoris eſt oves ſanas, & integras ſeparare ab infectis, nè & ipſæ inficiantur; ſeparantur autem per ſolutionem vinculi juramenti, quo alligabantur ſuo principi per fidelitatem, & obedientiam; & per ſpoliationem dignitatis in principe, ac ditionum, ſeu bonorum temporalium, ut præſtitit Julius II. Romanus Pontifex, qui ob hæreſim anathematizavit Joannem Reginam Navarræ, regnoque ſpoliavit ſolutis ſubditis à juramento fidelitatis, eo quia vellet ſubditos eadem inficì hæreſi; & Henricum Borbonium unicum filium Calviniſmo erudiri: tunc principem privare poteſtate prævertendi Chriſti fideles perinde dixeris eſſe, ac furioſo gladium eripere, ne obvium quemque vulnere, interimat. Quòd ſi dicas, Romanum Pontificem eſſe tantum ſupremum Paſtorem Regum, & Principum in ſpiritualibus; & eidem datam tantum clavem regni cœlorum, non terrarum. Contra eſt, quia Chriſtus utramque clavem cœli & terræ illi tradidit, Matth. 18. *Quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis*; dedit enim poteſtatem ſolvendi, & ligandi in terra, & in cœlo. Præterea quia hæ duæ poteſtates ſpiritualis, & temporalis ita ſimul nectuntur, ut ſeparari non poſſint; & ſi ſeparentur, facilè deſtruuntur, perinde ac anima in corpore male affecto, organiſque corporeis indiſpoſito ſuas non poteſt perfectè functiones exercere defectu ejuſdem corporis: perinde religio vix conſervari poteſt ſine hac juriſdictione indirecta, & poteſtate ſubſidiaria in ſupremo ejus moderatore; cujus beneficio ſi principes à recto ordine in Eccleſia deflecterent, poſſent coerceri, ne damna inferrent: exempla enim principum ſubditos movent, trahuntque ad ſimilia depromenda: idque cauſæ, cur Chriſtus licèt militantem ſuam in terris Eccleſiam miraculis fundaverit, & ſpeciali providentia dilataverit, noluerit diu Ethnicis ſubjacere principibus, ſed illis per Conſtantinum deletis ad Principes Chriſtianos cultura virtutum florentes eam tranſtulerit, quorum innixa exemplis diu ſervaretur in ſubditis: hinc neceſſe erat ſupremus Paſtor, & Chriſti in terris Vicarius hac ſubſidiaria muniretur, qua principibus volentibus Chriſti oves lædere, damnúmque Eccleſiæ inferre, poſſet obſiſtere. Exploratum eſt in utroque jure, eum, qui dat aliquam juriſdictionem alteri, concedere itidem omnia neceſſaria ad illam exercendam, & conſervandam; alioquin ſupervacanea foret ſine exercitio *L. fin. ff. de offic. ejus qui mandat juriſdict. & L. 2. ff. de juriſdict. omnium judicum*, & in Jure Canonico *C. præterea de offic. judic. delegati*: ſed Romano Pontifici tradita eſt juriſdictio directa in omnes fideles, quoad ſpiritualia, & hæc juriſdictio non poſſet exerceri ſine poteſtate ſubſidiaria, qua ſi Princeps ſæcularis velit Eccleſiæ nocere, poſſit à Romano Pontifice coerceri; etenim ſi non poſſet impedire damnum. Princeps in hæreſim lapſus ſubverteret ſuos ſubditos, qui deficientes à fide Catholica non poſſet amplius Romanus Pontifex in ſpiritualibus exercere ſuam in eoſdem directam juriſdictionem; ut illam non exercet in Anglia, Suecia, Græcia, & aliis regnis, quorum Principes defecerunt à fide Catholica, & ſecum ſuos traxerunt in perniciem animarum ſubditos: qui ſupremo Paſtori Eccleſiæ, ac Chriſti Vicario non amplius obediunt, reddúntque irritam ſuam in ipſos directam juriſdictionem quoad ſpiritualia. Rurſus ſi Principes ipſi ſæculares Chriſtiani per baptiſmum ingrediuntur Chriſti ovile, ſeu Eccleſiam, & pertinent etiam ipſi ad oves Chriſti perinde ac veteres fideles, eorum cura incumbit ſupremo Paſtori, qui æquè de animabus Principum Chriſtianorum, ac de reliquis fidelibus tenetur Deo reddere rationes, tanquam de præcipuis Eccleſiæ membris, proinde debuit ſupremo Paſtori omnis illa poteſtas concedi, quæ neceſſaria erat ad paſcendos, regendaſque Chriſti oves, alioquin Chriſtus non ſufficienter providiſſet ſuæ Eccleſiæ; poteſtas autem paſcendi, & regendi Chriſti oves, exigit poteſtatem arcendi lupos, & impediendi, ne quid damni Chriſti ovibus obtingat, conſequenter eſt poteſtas ſubſidiaria in Principes ſæculares, ſi velint Chriſti ovili, ſeu Eccleſiæ damnum inferre.

Immo Ipſum jus naturale hanc impertitur Romano Pontifici poteſtatem ſubſidiariam: cum enim illi concredita ſit cura Eccleſiæ, tenetur eam defendere, & conſervare, ut aliquid pertinens ad ſe ipſum: at quiſque jure naturæ poteſt coercere volentem ſibi nocere, ne ſibi damnum inferat, occres ad ſe pertinentes eripiat, diſſipet, corrumpat, quemadmodum quia cura gubernandi ſubditos demandata à Deo eſt Principibus; tenentur iſti non ſolum ſuos regere ſubditos, verum etiam eos defendere, ſi alius Princeps velit eos invadere, vel publica eorum commercia impedire, vel turbare, vel alio modo ſit iiſdem infeſtus, adeo ut poſſit impedire, ne illius ſubditi quidquam ab alio Principe patiantur detrimenti in vita, rebus, commerciis, quòd ſi alius Princeps non obſiſtat, poteſt etiam illi bellum indicere, imò & regno privare: idque multo magis poterit Romanus Pontifex in Principes ſæculares, qui ſunt Eccleſiæ filii, & quorum temporalis poteſtas ſubordinatur ſpirituali, ſi Eccleſiæ, & religioni vel per omiſſionem officii debiti, vel per commiſſionem delictorum noceant,

ceant,

ceant, ac jusjurandum violent, quo matri Ecclesiæ se obstrinxerant, coercere, ne tale damnum inferant, quod si monitionibus, & suasionibus nolint acquiescere etiam regno, & dignitatibus sæcularibus privare, idque jure propriæ defensionis: etenim quòd Ecclesia non solùm pœnis spiritualibus, verùm etiam temporalibus suos possit inimicos compescere, dummodo ipsa Ecclesia per se non exequatur, & pœna sit extra sanguinem explorati est juris. *cap. Inter.* 33. *q.* 2. & habentur etiam authoritates Sanctorum Patrum in *cap. de liguribus* 34. & *cap.* 44. & *cap. Non vos hominum* 42. *causa* 23. *quæst.* 5. Cùm enim persæpe viri nequam & vitiis obdurati floccifaciant pœnas spirituales, quas habent contemptui, neque istis acquiescant, ac resipiscant, ideo Ecclesia ulterius procedit ad privationem regni temporalis, ad solutionem subditorum à juramento fidelitatis, hæ siquidem pœnæ infligendæ ab Ecclesia videbantur necessariæ, ut supremus Pastor posset pascere, regere, ac defendere à lupis Christi oves.

Suadetur etiam ratione finis, quem intendit regimen temporale, & ex subordinatione ad finem regiminis spiritualis: etenim finis gubernationis temporalis est ipsa felicitas itidem temporalis sita in tranquillitate & pace subditorum, divitiis, quibus affluunt, mutuis commerciis, quibus sibi illas comparant, & in pacificia possessione rerum suarum, & aliis quibus cives possint contenti, & felices consistere, ita tamen ut hæc ipsa felicitas temporalis dirigatur ad finem supernaturalem per professionem veræ Fidei, & religionis per cultum vero DEO præstandum, per exercitia Christianarum virtutum, & quibus ad æternam felicitatem nobis viam sternunt. Sunt enim regna à Deo constituta, proinde debet finis regnantium esse idem cum fine, quem intendit Deus, qui alius esse non potest, quàm omnia intendere propter se ipsum, & suam gloriam extrinsecam promovendam, ad quem finem tantùm potuit constituere regna, ut docet D. Thomas *lib.* 1. *de regimine Princip. art.* 7. inde fit, quòd Principes sæculares ante, & supra omnia tenentur quærere regnum Dei, & ejus justitiam, & postea bona temporalia spiritualibus subordinata, ac dirigenda ad Dei gloriam, quæ est finis omnium bonorum spiritualium, & temporalium, ut habetur *Deuter.* 17. v. 18. quòd si potestas regia, & quævis alia temporalis dignitas per se ordinatur ad religionem, & cultum Dei, ut ad medium idoneum in ordine ad assecutionem finis, seu gloriæ Dei, sequitur supremum Pastorem seu Romanum Pontificem ex eo, quòd sit Caput religionis, esse itidem caput regiæ potestatis, & omnium dignitatum sæcularium, quatenus istæ pertinent ad religionem, & respiciunt cultum Dei tanquam medium ad finem supernaturalem consequendum, adeo ut dignitates regiæ, imperatoriæ, & aliorum Principum, ordinentur ad religionem, & cultum Dei, ut quid minus perfectum ad magis perfectum: ex eo autem, quòd potestas regia sit medium ad assecutionem æternæ felicitatis mediante vero Numinis cultu, & religione, sine qua non dirigitur ad finem supernaturalem, ideo cui ex officio cura injungitur Ecclesiæ, & religionis etiam committitur cura ut regia dignitas dirigatur ad felicitatem æternam, qui enim vult medium ad finem vult etiam quæ sunt connexa cum iisdem mediis, & dicuntur utilia ad assecutionem finis, ex eo enim, quòd sanitas sit finis medicinæ, quidquid ad sanitatem perducit, cujusmodi sunt herbæ, pharmaca, potiones ad eamdem medicinæ artem spectant, ac subjacent ejus directioni: & quia potestas regia mediante vera religione, & cultu Dei est medium ad assecutionem æternæ felicitatis, cui committitur cura dirigendi fideles, ad talem finem etiam committitur cura dirigendi regiã potestatem, & quamlibet aliam dignitatẽ sæcularem, qua insigniuntur Principes Christiani, ad eandem assecutionem æternæ felicitatis. Idque luculenter evincit D. Thomas 1. *p. q.* 82. *art.* 4. *in corp.* inquiens: *In omnibus potentiis activis ordinatis illa potentia, quæ respicit finem universalem, movet potentias, quæ respiciunt fines particulares, & hoc apparet tam in naturalibus, quàm politicis: Cœlum enim quod agit ad universalem conservationem generabilium, & corruptibilium, movet omnia inferiora corpora, quorum unumquodque agit ad conservationem propriæ speciei, vel etiam individui. Rex quia intendit bonum commune totius regni, movet per suum imperium singulos Præpositos civitatum; qui singulis civitatibus curam regiminis impendunt. Sed objectum voluntatis est bonum, & finis in communi: qualibet autem potentia comparatur ad aliquod bonum proprium sibi conveniens, sicut visus ad perceptionem coloris, intellectus ad cognitionem veri. Et ideo voluntas per modum agentis movet omnes animæ potentias ad suos actus præter vires naturales partis vegetativæ quæ nostro arbitrio non subduntur.* & 1. p. q. 57. art. 2. ait: *Hoc enim rerum ordo habet, quòd quanto est aliquid superius, tantò habeat virtutem magis unitam, & ad plura se extendentem sicut in ipso homine patet, sensus enim communis, qui est superior quàm sensus proprius, licèt sit unica potentia omnia cognoscit, quæ quinque sensibus exterioribus cognoscuntur, imò & quædam alia, quæ nullus sensus particularis exterior attingit scilicet differentiam albi, & dulcis. Et simile etiam est in aliis considerare, unde cùm Angelus natura ordine sit supra hominem inconveniens est dicere, quòd homo quacunque sua potentia cognoscat aliquid quod Angelus per unam vim suam cognoscitivam, scilicet intellectum non cognoscat. Unde Aristoteles pro inconvenienti habet, ut litem quam nos scimus, Deus ignoret, ut patet in primo de anima & 3. metaph.* Ex eo igitur, quòd finis ultimus omnium dignitatum temporalium sive sint imperatoriæ, sive regiæ, sit æterna felicitas sita in clara, & intuitiva DEI visione, & vera religio, verusque cultus Dei sint media ad assecutionem hujus finis, ordo à Deo in rebus omnibus positus, & ab iisdem observatus exigit, ut cui religionis, & æternæ felicitatis cura demandatur, sit etiam cura regnorum ac Principum demandata, quatenus ordinantur ad æternam felicitatem. Hinc Principes sive Imperatores, sive Reges sint, obligantur ad veram religionem suscipiendam per veram Fidem Catholicam, & & ad cultum veri Dei: quòd si quispiam ex Principibus velit hanc religionem evertere, vel ab eadem fideles subvertere, supremo Pastori incumbit totis viribus id impedire, & si alia media non sufficiunt etiam eos privare regia, & imperatoria dignitate, cùm enim teneantur omnes jure divino procurare sibi æternam felicitatem, eodem jure tenentur religionem nostram Catholicam amplecti, & in eadem Dei mandata observare, virtutes colere, vitia declinare, quia sine istis non potest obtineri æterna felicitas; quotquot hæc omnia impediunt, possunt à Romano Pontifice puniri non solùm pœnis spiritualibus, si per istas non resipiscant, & emendentur ac desistant à malè cœptis, verùm etiam privatione dignitatum sæcularium, ac bonorum temporalium, hinc si Princeps aliquis Christianus, & Catholicus fiat Hæreticus, velitque suos subditos adhærere suis erroribus ac trahere in perditionem, ad supremum Ecclesiæ Pastorem pertinet id impedire, & putridum mem-

membrum præcidere à reliquis membris adhuc sanis, & integris, ne totum corpus inficiat, idque ex Christi doctrina: *Si oculus tuus aut pes tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Natura enim ipsa docet; satius esse partem unam perdere, quàm totum, proinde si Princeps Catholicus Hæreticus fiat, velitque in suam hæresin suos subditos trahere, Romanus Pontifex, cui ut supremo Pastori ovium Christi est cura demandata, tenetur impedire, ne subditi fideles sui Principis adhæreant erroribus, & si non possit aliis mediis id assequi, tenetur etiam ex præcepto naturæ præcidere Principem à subditis, & solvere à vinculo juramenti præstiti ipsos subditos, ne obediant suo Principi, quem Pontifex etiam principatu privat; id enim est oculum eruere, ac procul projicere, ne scandalizet totum corpus, quæ ratio cùm sit naturalis tam in novo, quàm veteri testamento locum semper habuit, hinc D. Thomas 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. asserit Romanum Pontificem etiam infidelibus & nullo pacto subjectis Ecclesiæ posse bellum indicere si velint fideles impedire, ne in sua Religione Catholica habeant exercitia: quapropter multò magis poterit impedire Regem, vel Principem Catholicum titulo juramenti subjectum Ecclesiæ, si subtrahere fideles velit à vero cultu Dei & in errores perducere. Reges enim, & Principes sæculares, se juramento obstringunt Ecclesiæ, & subditis eum juramento se obligant, ad eorum privilegia non infringenda; jurant enim, ac protestantur velle defendere Ecclesiam contra ejus inimicos, ut liquet in juramento præstito à Carolo Magno apud Spondanum Anno 800. & in juramento Ottonis Imperatoris in *cap. Tibi* 33. *dist.* 63. Hinc si Fidem datam violant, & juramentum præstitum frangant authoritate publica coerceri possunt, & ad promissum servandum ut docet D. Thomas de regimine Principum lib. 1. cap. 6. fidem enim frangenti impunè Fides non servatur *cap.* 3. *de Jurejur. cap.* 28. *de Simonia.* Tum quia causa juramenti & perjurii est fori ecclesiastici ut declaratur in *cap.* 13. *de Judic.* & *cap.* 34. *de Elect.* Quapropter si juramenta frangantur ad summum Pontificem pertinet de hoc delicto judicare & pœnis coercere violatores juramenti præstiti, quapropter etiam ex hoc capite Principes sæculares subjiciuntur Romano Pontifici à quo possunt judicari ac puniri pœnis non solùm spiritualibus, si non resipiscant, sed etiam privatione dignitatis sæcularis & bonorum temporalium. Præterea quia Principes sunt defensores Ecclesiæ, & Advocati, quatenus tenentur ipsam defendere, ac eidem patrocinari, ut habetur in *cap. Venerabilem de elect.* & Albertus Austriacus Imperator ad Bonifacium VIII. hoc protestatus fuit, se velle Ecclesiam defendere à quovis hoste, qui vellet ipsi damnum inferre: & ipse Rex Christianissimus per Archiepiscopum Parisiensem Anno 1533. Massiliæ Clementem VII. ita alloquitur, ut habetur in Tom. 2. libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 3. num. 3. *Beatissime Pater cùm Serenissimus Dominus Franciscus Rex Christianissimus animadvertens quantis in periculis Christianitas per hos annos sit versata, jam pridem desideravit cum sanctitate vestra Christianorum omnium summo Pastore, & parente aliquo in loco utrique commodo colloqui, idque ab eadem S. V. instanter petierit, ut cum ea præsens in commune bonum consulere posset: nec hujus voti compos benignitate V. S. effectus agit eidem S. V. maximas gratias, non solum quod à proximo morbo debilis, & jam annis gravis laborem viæ, & maris discrimen non defugerit, sed & quod in ejus regnum venire dignata sit, unde verò quod ipse semper optavit, personaliter exequi, eidem S. V. tanquam vero Christi Vicario, & Petri Successori obedientiam personaliter præstat, seque & sua regna, & dominia omnia pro S. V. & Sacrosancta Romana Ecclesia, cujus ipse primogenitus Filius existit, tuitione, & augmento piè offert, & pollicetur: rogans ut filialem hanc obedientiam, & oblationem paterna benignitate suscipere dignetur.* Hanc obligationem defendendi Ecclesiam, quæ inest præsertim Imperatoribus, & Regibus exprimit etiam D. Leo Epistola 73. ad Leonem Augustum, cui scribit: *Debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & quæ benè sunt statuta defendas, & veram pacem his, quæ sunt perturbata, restituas.* Similia etiam repetit D. Gregorius Papa in Epist. 6. directa ad Mauritium Imperatorem lib. 2. Indict. 11. ubi ait: *Ad hoc potestas super omnes homines Dominorum meorum pietati cœlitus data est, ut qui bona appetunt, adjuventur; ut cœlorum via largius pateat, ut terrestre regnum cœlesti regno famuletur.* Et hanc Principum obligationem defendendi Ecclesiam, eique favendi, ac ministrandi visus est prædixisse Isaias c. 49. inquiens: *Et erunt Reges nutricii tui, & reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent:* quia Principes sæculares utriusque sexus humili obsequio debent Ecclesiam prosequi, seque humiliare, ac demittere in venerationem. Et cap. 60. loquens Isaias de Ecclesia, quam futuram prævidebat in terris militantem post Christi Adventum ait: *Et aperientur portæ tuæ jugiter, die, ac nocte non claudentur: ut afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim & regnum quod non servierit tibi peribit, & gentes solitudine vastabuntur:* debent Ecclesiæ portæ quovis tempore patere ut ad ipsam ingrediantur gentes, & Reges adducantur, qui eidem serviant: qui enim Ecclesiæ non serviunt, nec illam ingrediuntur æternum exitium sibi maturant, quia janua cœli est porta Ecclesiæ in terris, quam qui non ingrediuntur, non transeunt per cœli januam. Cùm igitur Principes sæculares sive imperatoria sive regia dignitate insigniti sint defensores, nutricii, & Ministri Ecclesiæ, cui tenentur inservire, eamque defendere; & ad hunc finem fuerit potestas regia, & imperatoria instituta, si postea proprii obliti officii velint Principes Ecclesiæ nocere, eamque opprimere, poterit Romanus Pontifex eos, velut suos Ministros coercere, ac in debito officio continere, quia ut rectè argumentatur Innocentius III. *in cap. Venerabilem de electione. Nunquid enim Ecclesia Advocato, & defensore carebit, eorumque culpa ipsi redundabit in pœnam*, neque id est novum in jure, ut qui ex una ratione liber, & exemptus sit sub alio titulo subjectus, etenim matrimonium ut contractus civilis in officium naturæ institutum ad forum ecclesiasticum non pertineret, & tamen sub ratione Sacramenti spectat ad Ecclesiam judicare de matrimonio: personæ itidem ecclesiasticæ utroque jure divino, & humano sunt extra jurisdictionem civilem, & tamen si à Principe sæculari feudum aliquod accipiant foro civili quoad feudum subjiciuntur, ut habetur *cap. 6. de foro competenti.* Pari pacto si filiusfamilias præses Provinciæ sit prout est filiusfamilias non potest manumittere, benè tamen ut præses Provinciæ. *l. si consul. ff. de adopt.* ita Principes sæculares Catholici quamvis ut personæ simpliciter sæculares non pertineant ad forum ecclesiasticum, ut tamen sunt charactere Baptismi insigniti, & juramentum præstiterunt defendendi Ecclesiam sub hoc titulo eidem subji-

ciun-

ciuntur, quia judicare de juramento perinde pertinet ad forum ecclesiasticum ac judicium ferre de matrimonio, quod ut contractus civilis non pertinet ad Ecclesiam, sed ob annexam rationem sacramenti, ad ipsam pertinet de illo judicare. Et sententia communis inter Juristas posse unam eandemque personam plurium vices sustinere, dummodo exercitium unius actus non obstet exercitio alterius, ut fusè probat Abbas *in cap. ex litteris de probat.* Si igitur Princeps sæcularis ex Dei institutione est Ecclesiæ advocatus, Defensor, Minister, quamvis sit persona sæcularis poterit ab Ecclesia judicari, & coërceri, quoties non fungitur suo munere, seu Ecclesiam non defendit, imò obnititur eidem damnum inferre. Neque dignitas temporalis est impedimento, quin Princeps sæcularis subjiciatur judicio Ecclesiæ: Siquidem ecclesiastica dignitas est longè superior, quam sæcularis, quia illa spiritualia respicit, & hæc temporalia, illa æterna, hæc transitoria, & inferiora, ut sint rectè ordinata, superioribus debent subordinari, ac ab iisdem dependere, ut probat D. Thomas 1. part. q. 57. art. 2. *Hoc enim rerum ordo habet, quòd quantò est aliquid superius, tantò habeat virtutem magis unitam, & ad plura se extendentem.* Hoc idem etiam docuit Innocentius III. in decretali ad Constantinopolitanum Imperatorem, *cap. solitæ de majorit. & obedient.* ubi ait: *Præterea nosse debueras, quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento, cœli luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur cœli, hoc est, universalis Ecclesiæ, fecit DEUS duo magna luminaria, seu duas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis authoritas, & regalis potestas, sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus major est, quæ verò carnalibus est minor, ut quanta sit inter solem & lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur.* Hoc idem scribit sanctus Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem, inquiens: *Duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur; authoritas sacra Pontificum, & regalis potestas, in quibus tantò gravius est pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti enim fili clementissime, quòd licèt præsideas humano generi dignitate rerum, tamen Præsulibus divinarum devotus colla submittis: atque ab eis causas salutis tuæ expetis, inque sumendis cœlestibus sacramentis eisque ut competit disponendis subdi te debere cognoscis religionis ordine potiùs, quam præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam redigi velle voluntatem. Et si cunctis generaliter Sacerdotibus rectè divina tractantibus fidelium convenit corda submitti, quantò potiùs sedis illius Præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis Sacerdotibus divinitas summa voluit præeminere, & subsequens Ecclesiæ generalis pietas jugiter celebrabit?* Liquet ex hisce ecclesiasticam dignitatem præesse sæculari cuilibet, & hanc illi subordinari perinde ac inferiora sunt superioribus subordinata, consequenter dignitas ecclesiastica ut superior potest sæcularem ut inferiorem coërcere, ac in debitum adigere ordinem, si velit exorbitare, & Ecclesiam invadere, eique nocere. Præterea tantùm debemus ad minus concedere ecclesiasticæ potestati in bona sæcularia & personas, quantum potestati temporali conceditur in bona & personas ecclesiasticas: atqui Principes sæculares hanc indirectam potestatem in personas & bona ecclesiastica passim sibi usurpant, & exercent, tametsi bona ecclesiastica omni jure divino, & humano exempta à quavis jurisdictione & potestate sæculari; etenim si agatur de bello instituendo amplis tributis onerant Ecclesiasticos non alia ratione nisi quia agatur de bono publico, & ipsi Ecclesiastici sunt membra Reipublicæ, consequenter ejus necessitatibus sublevandis obstricti. Cur ergo Romanus Pontifex pro communi utilitate Ecclesiæ pro defendendis ejus juribus non habebit hanc indirectam jurisdictionem in Principes sæculares eos adigendo ad necessaria subsidia exhibenda, cum & ipsi sint de ovibus Christi, & comprehendantur in ejus ovili, seu in militante Ecclesia. Quòd si Principes sæculares velint Ecclesiæ damnum inferre, cur non poterit Pontifex non solùm jure superioritatis, sed etiam jure naturæ se defendere, & coërcere injustum aggressorem? ut etiam si valit oves Christi in perditionem trahere? ergo nulli dubium, quin Romano Pontifici insit jurisdictio indirecta, & potestas subsidiaria in Principes sæculares. Idque firmatur ex continua & perpetua rerum omnium inductione, in quibus constat esse aliquid majus, ac nobilius quod minoribus, ac imperfectioribus dominetur. Angelis quia spirituales sunt, ac superiores corporeis datum est dominium in omnes species rerum sensibilium ut ostendit Augustinus lib. 83. quæstionum quæst. 76. Damascenus lib. 2. c. 4. Experimur lucidiora sydera efficaciorem vim habere movendi inferiora, Sol quia cæteris lucidior planetis in hæc sublunaria efficaciùs agit: ergo cum potestas ecclesiastica sit superior, & longè excellentior potestate sæculari debet huic præesse, hanc sibi subjicere: & cum potestas ecclesiastica sit spiritualis, est procul dubio superior, & excellentior quavis dignitate temporali, quæ propterea illi subjicitur. Gratia quia donum Dei spirituale non solum animam, sed etiam corpus perficit, per virtutes morales temperantiæ, & continentiæ, quæ plurimum conferunt corpori emolumenti, suntque media opportuna ad assecutionem æternæ felicitatis.

Possent tamen aliqua objici contra hactenus dicta. Primò quia potestas imperatoria dicitur immediatè tradita hominibus à Deo, ut habetur *novel. 6. init. & novel. 23. §. 1.* non ergo confertur à Pontifice, sed à Deo; adeò ut non possit à Papa restringi, nec adimi. Secundò quia præcipimur dari Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei, Matth. 22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei Deo,* & D. Paulus scribit ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus superioribus subjecta sit* & Petri 2. *Obedite Regibus etiam dyscolis.* Ergo Romanus Pontifex nequit regno spoliare Regem quamvis inimicum. Tertiò quia potestas ecclesiastica tantùm extenditur ad spiritualia, & distinguitur à potestate temporali; adeò ut DEUS utramque hominibus concesserit, illam ecclesiasticis, hanc sæcularibus, qui sicut non possunt se immiscere spiritualibus, ita neque ecclesiastici dignitatibus sæcularium dicente Apostolo: Nemo militans Deo se immiscet negotiis temporalibus. Quartò quia Romanus Pontifex est Christi Vicarius, non tamen ut Dei, non enim potestas divina communicatur Papæ, qui propterea non potest nova sacramenta instituere, neque quæ sunt immediatè de jure divino; unde est Vicarius Christi ut hominis, & Ecclesiæ capitis: nec habet majorem potestatem, quàm ipse Christus ut homo; Sed Christus ut homo non habuit jurisdictionem in regna temporalia, neque potestatem in principatus cum dixerit Joan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo* & Luc. 12. *O homo, quis me constituit judicem, aut divisorem inter vos.* Ergo Romanus Pontifex cum sit vicarius Christi ut hominis, non Dei, non habet jurisdictionem in Principes sæculares. Quintò quia

erna Sacerdotum sunt orationes, & opera pietatis, & charitatis exercendæ in proximum, non verò armati exercitus vis ut habetur in cap. convenior quæst. 8. & dist. 36. c. ult. cap. porrò 16. q. 3. Sextò quia hac potestate Romanorum Pontificum in Principes sæculares plura contigerunt, quæ magis Ecclesiæ obfuerunt, quàm profuerint: etenim censuræ, & anathemata in Regem Angliæ Henricum VIII. totum perdiderunt regnum Angliæ, excusso enim jugo, toto regno religio catholica proscripta fuit: & plura alia recensentur exempla, quibus apparet, potestatem quam Romano Pontifici concedunt Theologi magis esse in destructionem, quàm ædificationem Ecclesiæ, plus damni inferre, quàm utilitatis.

Sed contra, ad primum respondetur, quòd tametsi concedamus regiam, vel imperatoriam dignitatem, authoritatem, & potestatem derivari in homines à Deo, à quo procul dubio est omne bonum, quod in homines redundat; non tamen potestas imperatoria, vel regia immediatè confertur à DEO; sed tantùm mediatè, seu mediantibus hominibus saltem ut instrumentis, quo pacto in veteri testamento non nisi per Prophetas voluit inungi in Reges Israëlis Saulem, & Davidem; quia cum hæc potestas sit merè temporalis, & dirigatur ad actum, cujus respublica est capax; & aliquando hæc potestas fuerit penes communitatem, à qua in Principes fuit translata; quarenus respublica ex pluribus civibus unum sibi elegerunt capaciorem, magisque idoneum, qui cæteros regnet omnibusque præesset, ut habetur in jure §. 6. *Inst. de I. N. & G. & l. 1. de const Principum*; ideo cum asseritur, Imperatores, & Reges suas à Deo accepisse dignitatem, & potestatem, verum est originativè, & fundaliter, quia Deus est prima origo & primarius fons, à quo scaturiunt hujusmodi dignitates; quibus Principes ex speciali Dei providentia, quæ principib⁹ maximè invigilat, potiuntur, & insigniuntur; non verò ita dicuntur donari à Deo principes, ut Deus non utatur hominibus ut instrumentis; quia cum hæc potestas gubernandi, & regendi populos sive vocatur regia & imperatoria, possit inesse communitati, ut de facto, plures respublicæ per regimen Aristocraticum, vel Democraticum se ipsas regunt, ac gubernent, nulli dubium, quòd si hæ respublicæ vellent regimine monarchico gubernari, ac sibi eligere Regem; hæc potestas regia derivaretur in electum, ac constitutum Regem à populo illius reipublicæ; quod tamen non posset contingere in pontificia dignitate, quia hæc nunquam est, neque fuit penes totam communitatem, sed tantùm penes unum canonicè electum sive à clero, sive à solis Cardinalibus, quique sit verus D. Petri successor, & Christi vicarius in Ecclesia in terris militante. Præterea quamvis dignitas principibus conferretur immediatè à Deo; non tamen sine subordinatione ad potestatem spiritualem, quia Deus operatur ad extra ordinatè, & rectus ordo exigit ut temporalia, & corporalia subsint æternis, & spiritualibus, ad quæ ex sua natura diriguntur ut media ad finem; est enim hæc subordinatio indita rebus temporalibus, quæ ad æterna referuntur & spiritualia, quibus debent subesse; non enim res temporales debent expeti propter se, sed propter Deum, qui est principium, & finis rerum omnium; & cùm Deus sit Spiritus, debent corporalia, & temporalia ex sua natura ordinari ad spiritualia, ac illis subordinari. Proinde ac terra, & omnia sublunaria, tametsi à Deo simul creata cum corporibus cœlestibus; voluit tamen ab influxibus cœlestium sublunaria dependere, ac moveri. Ad secundum. Esse debitum justitiæ reddere cuique suum, proinde esse reddenda, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Neque potest quilibet privatus obtentu principatus malè administrari in principem armari, neque ullum ei damnum inferre; alioquin nullibi Princeps tutus esset, & omnia plena essent furtis. Si Princeps perperam administret rempublicam, si plurima subditis inferat damna, si omnia susdeque evertat, non ad quemlibet privatum pertinet remedium hisce malis applicare, sed tunc populus ad Romanum Pontificem rem totam debet deferre, ut ipse ut Pastor supremus totius Dominici gregis Principem moneat, eique suadeat emendationem, suggeratque obligationem promovendi bonum, & utilitatem subditorum; quòd si hæc media non prosint, & Princeps perniciem subditorum intendat, & præsertim animarum, tunc ad supremum Pastorem pertinet Christi oves defendere, ne quidquam in spiritualibus præsertim patiantur damni. Alioquin ut monet D. Petrus tenentur subditi obedire Regibus etiam discolis, adeò ut ex qualibet privata causa non possint principatu spoliari, quod pluribus esset incommodis obnoxium, quam illud privatum damnum illatum uni, vel alteri subdito, unde non nisi ex causa publica, & damno communi, quod detrimentum inferat toti Ecclesiæ, ac religioni potest Romanus Pontifex Principem illum coërcere, & media ille omnia præmittere, quæ opportuniora sunt ad impediendum damnum Ecclesiæ & religionis, cujus cognitio pertinet ad solum caput Ecclesiæ, seu Romanum Pontificem, ut supremum Pastorem totius dominici gregis, & cui cura incumbit ovium Christi, & obligatio eas defendendi à lupis nitentibus nocere. Ad tertium respondetur potestatem ecclesiasticam, & temporalem fuisse quidem utramque a Deo institutam & concessam, scilicet temporalem Principibus sæcularibus, & ecclesiasticam Romano Pontifici nec illam posse ad temporalia extendi, nec sæcularibus commisceri, utraque enim habet suos limites, extra quos non fertur, sed sicut temporalia subordinantur æternis, & sublunaria cœlestibus à quorum influxibus dependent, & moventur, ita potestas temporalis subordinatur spirituali, & ecclesiasticæ ex natura sua cum sint temporalia propter spiritualia, & licèt potestas ecclesiastica suos non debeat limites transire, si tamen potestas temporalis velit ecclesiæ nocere, & contra ipsam insurgere, tunc quia ipsa non continetur intra suos terminos, quos transgreditur se immiscendo ecclesiasticis, tunc quia omnia turbantur, ideo potestas ecclesiastica in sui defensionem, & ne damnum ei inferatur, insurgit contra potestatem temporalem, & ea omnia adhibet media, quibus valeat impedire, ne noceat Ecclesiæ, & Christi ovibus, quòd si adhibita media non sufficiant, quia propria defensio est juris naturalis, potest Romanus Pontifex Principem spoliare principatu, & subditos à vinculo juramenti præstiti solvere. Expediebat enim Principum potentiæ terminum aliquem præsignâsse, ut non excurreret ultra suos limites, & aras sacras non tangeret, Ecclesias non læderet, oves Christi in perniciem non traheret, alioquin non bene provisum fuisset Ecclesiæ, neque Christus suis ovibus opportunè consuluisset, cum ecclesiasticis non possent impedire, nec præcavere damna iisdem inferenda. Ad quartum respondetur cum D. Thoma, & communi sententia Theologorum Christo Domino etiam ut homini utramque dignitatem sacerdotalem, & regiam fuisse communicatam, ait enim D. Thomas 3. *part. quæst.* 59. *art.* 4. & *lib.* 1. *de regim. Princip. cap.* 12. perspicuum esse Christo ut homini potestatem judiciariam ex regia consequentem quoad omnes res humanas communicatam fuisse, & adferens rationem subdit, *cuique committitur principale, committitur & accessorium, omnes autem res humanæ*

ordi-

ordinantur in finem beatitudinis, quæ est salus æterna, ad quam omnes homines admittuntur, vel etiam repelluntur judicio Christi, ut patet Matth. 25. habetur Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, quòd si Christo ut homini data est omnis potestas utique etiam regia, & sacerdotalis, alioquin si alterutra ei deesset, non fuisset illi data omnis potestas, hinc D. Paulus ad Hebræos scribit: *Quem constituit hæredem universorum*; & Joannes Apocal. 6. loquens de Christo ut homine ait: *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Quòd si potestas, quam Christus habuit ut homo, fuit communicata Petro, quem Christus constituit suum Vacarium in militante Ecclesia, procul dubio utramque potestatem regiam, & sacerdotalem eidem communicavit, ut & suis successoribus canonicè electis. Hoc autem jus regium in Christo ut homine docent Theologi oriri ex unione hypostatica, quia si cui communicatur forma aliqua, eidem communicatur etiam proprietates ejusdem. eò quia se habeant essentialiter consecutivè ad ipsam formam, ita quia Christi humanitati communicata fuit forma Dei, debuit participare Christus ut homo omnes divinas proprietates, quarum humanitas erat capax, consequenter etiam supremum rerum temporalium dominium, & regiam authoritatem, quam tamen Christus noluit exercere, eò quia venerat ministrare, non ministrari, servire, non dominari, ut exemplo pœnitentiæ, humilitatis ac contemptus mundi ubique relinqueret, & fortius operibus, quàm verbis doceret homines sola cœlestia desiderare, sola æterna appetere, & temporalibus, ac fluxis mundique vanitatibus non adhærere. Præterea humanitati Christi collatum fuit dominium rerum temporalium saltem donec necessarium videtur ad gubernandam Ecclesiam, & perficiendum opus nostræ redemptionis, quia cui principale committitur, etiam accessorium intelligitur esse commissum. Tum quia Christus hoc ipsum dominium interdum exercuit, cum ita expedire visum fuit, etenim mulierem adulterii accusatam, & convictam contra præscriptum legis absolutam dimisit, quod non fecisset, nisi dominium habuisset supra legem. Rursus Matth. 21. ficulneam in alterios bono arefecit, eò quia fructus non dedisset, id autem sine consensu Domini ficulneæ, & vineæ non potuisset agere, & quia inconsulto Domino fundi id præstitit, sequetur evidenter habuisse supremum dominium in vineam illam, & ficulneam quam arefecit, alioquin sine tali dominio fuisset injurius homini illi, ad quem ficulnea pertinebat, unde Christo, ut homini inerat dominium in res omnes temporales, & sancitas à Principibus leges, hinc Matth. 8. immisit Dæmones in gregem porcorum, qui ad alios pertinebant, quos & præcipites in aquas egit, idque ob dominium regium in res omnes temporales, alioquin alien. sibi usurpasset. Non tamen Christus ut homo Herodem voluit destituere suo principatu, neque Augustum Cæsarem suo imperio, ut Religionis Christianæ promotores ad tales dignitates eveheret, quia voluit Ecclesiam humilitate patientiæ, & exercitio reliquarum virtutum præsertim contemptu rerum humanarum crescere, & miraculis, ac virtute clarescere, non bello, & armis propagari, ut tanto illustrius divina potentia splenderet, quanto humanis subsidiis destituta Ecclesia latiùs extenderetur, & veritas fidei, quam homines pauperes, ac rudes per totum mundum propagarunt, foret omnibus indubitata: semel tamen Ecclesia ubique terrarum propagata, & religione constituta, voluit postea DEUS suam Ecclesiam in terris mediis naturalibus conservari: sicut natura humana tametsi immediatè à Deo producatur, semel tamen producta per naturales causas vult conservari. Ad quintum respondetur, sacerdotum arma esse quidem preces, & lachrymas fundendas DEO, non verò homines Sacramento addictos militiæ, sed ubi præter lachrymas, ac preces alia desiderantur remedia ad conservationem Ecclesiæ hæc adhibenda sunt, quia & ipsi Apostoli ea adhibuerunt, etenim D. Petrus repentina morte Ananiam, & Azariam interfecit, Paulus orbitate hominem mulctavit, & plura alia reliquerunt Apostoli exempla, quibus aliorum potentiam coërcuerunt. Quòd si Pontifex ab aliquo Principe armorum vi aggrederetur, suisque bonis, ut spoliaretur, an non liceret tunc Pontifici, se armis tueri, & injustum aggressorem compescere, cùm id jus ipsum naturæ præscribat, non igitur lachrymis, non precibus, si non essent media sufficientia, deberet Romanus Pontifex vim sibi illatam propellere, sed etiam armis, quæ necessaria tunc essent ad se, & bona sua temporalia defendenda. Quòd si pro conservatione bonorum temporalium potest Romanus Pontifex jure naturæ se armis defendere, quanto magis si Princeps sæcularis vellet ipsam Ecclesiam aggredi, & Christi oves dissipare, quia tunc præter jus naturæ etiam jus divinum persuaderet Pontifici armorum violentia Christi ovile defendere, & lupos arcere, ne ovibus Christi, seu fidelibus damnum inferret, quidquid enim virium Romanus Pontifex à DEO accepit, id omne defendendæ religioni tenetur ex officio impendere, consequenter & etiam exercere potestatem sibi communicatam in Principes sæculares ad eos compescendos, si veliot Ecclesiæ nocere, si in perniciem trahere oves Christi: hæc enim [illegible] est accessoria ad officium supremi Pastoris, [illegible] incumbit cura pascendi, & defendendi oves, alioquin si esset destitutus hac potestate coercendi Principes sæculares, volentes evertere Christi ovile, seu Ecclesiam, & oves, seu fideles in perniciem trahere, non posset oves Christi defendere à lupis, nec illas conservare. Ad sextum respondetur illa incommoda, quæ fuerunt secuta à potestate exercita à summis Pontificibus in Principes sæculares, non ex intentione Pontificum contigerunt, sed ex prava voluntate eorundem Principum, qui propriis satisfacturi concupiscentiis maluerunt jugum excutere, Ecclesiam evertere, Henricus enim octavus, ut in exemplo allato adfertur, veram uxorem voluit repudiare adhæsurus Bolenæ non suæ, & quia id non sine injuria Catharinæ veræ uxoris, ac sine violatione justitiæ permitti non poterat, ideo jugum excussit; Ecclesiam destruxit, & religionem toti regno proscripsit, quod & præstitit multo perniciosius, ac sævius Elisabetha Angliæ Regina, quæ furore percita in Catholicos feralius fuit grassata, nec priùs destitit, quam regio sanguine Stuartæ stirpis secures maderent. & Catholicorum neces totum regnum applerent barbarie velata prætextu, quòd Catholici seditionem in Reginam, & regnum molirentur, cæterum potestas, quam Romanus Pontifex à Christo accepit in Principes sæculares non est adhibenda, nisi in extremis malis, quando adhibita alia omnia remedia nihil profuerunt, quia tunc justitia, & propria defensio, seu jus naturale, & divinum præscribunt, ut mala, quæ nobis imminent, eo modo quo possumus, caveamus. Sunt enim censuræ ecclesiasticæ veluti pharmaca ex helleboro compacta, quæ si opportunè conferantur, plurimum juvant ad pellendos morbos, sed si intempestivè exitium accersunt, ut notavit Cassianus *Collat.* 17. *cap.* 17. quòd si imminente exitiali morbo sumptum

sumptum fuerit quid salubre, cæterum absque sum- ui discriminis necessitate perceptum præsentis exitii est. Quamobrem nonnisi raro, & cum summa circumspectione, & sola urgente necessitate adhibenda est hæc potestas iu Principes sæculares, ut observarunt Patres Concilii Tridentini sess. 25. de reform. cap. 3. ubi ajunt; *Quamvis excommunicationis gladius nervus ecclesiasticæ disciplinæ, & ad condinendos in officio populos valdè salutaris, sobriè tamen, magnáque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temerè, aut levibus ex causis incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potius parere, quam salutem.*

C A P U T XVIII.

In quibus possit Romanus Pontifex dispensare legibus, & quibus servandis sit ipse obstrictus.

TAmetsi Rnmano Pontifici, ut Christi in militanti Ecclesia Vicario summa sit potestas à Deo concredita, non tamen hæc ad ejusdem Ecclesiæ evetsionem extenditur, sed ad solam ædificationem protenditur, non enim pugnat contra veritatem, sed tantùm pro veritate, quævis enim potestas in terris suos habet limites, quibus continetur. aër suam regionem, qua comprehenditur, mare sua litora, quibus clauditur, & ultra quæ non excurrit, flumina suas ripas, supra quas nnn redundant, sol suos periodos, suósque motus, & suos motuum terminos, quos non transgreditur, sed cum primum ad signum capricorni devenit recedendo à signis borealibus, iterum revertitur usque ad signum cancri, ad quod cum accesserit, iterum recedit, malè enim publico bono consultum esset, si potestas Principum nullis coerceretur limitibus, esset enim eorum potestas exlex efrænis, ac inverecunda, quam Apostolus oon admisit volens potestatem summo Pontifici communicatam esse tantùm pro veritate, non contra veritatem, sed ædificationem taotùm non destructionem, imò & ipsi Pontifices hanc limitationem asseruerunt, etenim Urbanus Papa *in cap. sunt quidam 25. quæst. 1.* ait: *Sunt quidam dicentes Romano Pontifici semper licuisse novas condere leges, quod, & nos non solum non negamus, sed etiam valdè affirmamus. Sciendum vero summopere est, quia inde novas leges condere potest, unde Evangelistæ aliquid, & Prophetæ nequàquam dixerunt: ubi vero apertè Dominus, & ejus Apostoli, & eos sequentes Sancti Patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, sed potius quod prædicatum est usque ad animam, & sanguinem confirmare debet si enim quod docuerunt Apostoli, & Prophetæ destruere, (quod absit) niteretur non sententiam dare, sed magis errare conviceretur. Sed hoc procul sit ab eis, quæ semper Domini Ecclesiam contra luporum insidias optimè custodierunt.* Alexander III. *in cap. super eo 4. de usur. Cum usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus,* unde Pootifex assignat limites suæ potestatis, ut non excurrat ad ea, quæ in sacris paginis detestantur, & Innocentius III. *in cap. litteras de restit. spoliat.* ait: *Opinioni autem ultima non videtur incongruè adaptari, ut in gradibus consanguinitatis divina lege prohibitis restitutioni aditus præcludatur, sed constitutione interdictis humana restitutio locum habeat cum effectu, cum in illis dispensari non possit, & in istis valeat dispensari, sicut beatus Gregorius, & multi alii dispensarunt.*

Quamobrem Romanus Pootifex nequit in lege divina, & naturali dispensare, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 97 art. 4. ad 3. ubi ait: *Ad legem divinam ita se habet quilibet homo, sicut persona privata ad legem publicam, cui subjicitur: unde sicut in lege humana publica non potest dispensare, nisi ille, à quo lex authoritatem habet. vel is, cui ipse commiserit, ita in præceptis juris divini, quæ sunt à Deo, nullus potest dispensare nisi Deus, vel is, cui ipse specialiter committeret,* & in quodlibet 4. quæst. 8. art. 3. ait: *Circa ea verò quæ sunt juris divini, vel naturalis, dispensare non potest Papa, quia ista habent efficaciam ex institutione divina, jus autem divinum est, quod pertinet ad legem novam, & veterem: sed hæc est differentia inter legem utramque; quia lex vetus determinabat multa tam in præceptis cæremonialibus pertinentibus ad cultum Dei, quam in præceptis judicalibus pertinentibus ad justitiam inter homines conservandam: quæ verò in novo testamento non obligant, nisi assumantur ab Ecclesia, vel aliqua civitate pro suo statuto: & hoc quoad judicialia: nam quoad cæremonialia ex toto cessant. Sed lex nova, quæ est lex libertatis, hujusmodi determinationes non habet: sed est contenta præceptis moralibus naturalis legis, & articulis fidei, ac Sacramentis gratiæ: unde etiam dicitur lex fidei, & lex gratiæ propter determinationes articulorum fidei, & efficaciam sacrorum. Cætera verò, quæ pertinent ad determinationem judiciorum, vel determinationem divini cultus liberaliter promisit Christus, qui est novæ legislator, Prælatis Ecclesiæ, & Principibus populi Christiani determinandi. Unde omnes hujusmodi determinationes pertinent ad jus humanum, in quo potest Papa dispensare. In solis vero his, quæ sunt de lege naturæ, & in articulis fidei, & Sacramentis novæ legis dispensare non potest: hoc enim non esset posse pro veritate, sed contra veritatem.* Hanc eandem sententiam docent S. Antuninius 3. *part. tract.* 22. *cap.* 7. §. 23. D. Bonaventura in 4. *dist.* 38. *art.* 2. & communiter Theologi, & ratio etiam id suadet, quia tota dispensandi ratio in lege humana ex eo desumitur, quia humanus legislator utpote limitatæ cognitionis, cùm non possit omnes casus, omnesque prævidere circumstaotias, quæ possunt contingere, & in quibus satius sit juxta æquitatem, si lex non sit quam si jam sancita servetor: imò tametsi prævideret legislator talem specialem casum cum illis circumstantiis, adhuc non posset omnibus subvenire, ideo in iis, quæ plerumque, & in pluribus contingunt, & fuerunt à legislatiore prævisa, non dispensat, secus in iis quorum circumstantiæ nnnnisi rarissimè contingunt, nec potuerunt à legislatore prævideri, tunc datur locus dispensationi, ut docet D. Thomas io 3. *dist.* 37. *quæst.* 1. *art.* 4 *sub init.* adeo ut dispensationis causa sit ignorantia legislatoris, qui non potuit prævidere, nec cognoscere omnes circumstantias, & impotentia defectu legis, quæ non potest semper in omni casu publico, & privato bono accommodari, hæcque est ratio, cur in lege humana possit legislator dispeusare, quia lex sancitur in publicum commodum, & utilitatem populorum, quibus si plus damni in aliquibus circumstantiis inferat quàm emolumehti, tunc à Principe legislatore solvitur, & dispen-

dispensare, quia lex sancitur in publicum commodum, & utilitatem populorum, quibus si plus damni in aliquibus circumstantiis inferat quam emolumenti, tunc à Principe legislatore solvitur, & dispensatur, ne tota communitas detrimentum patiatur. Secus dicendum de lege divina sive positiva, sive naturali, quia cùm Deus sit omniscius, & omnia prævideat, omnesque futuros eventus ante oculos distinctissimè habeat, & leges suas pro omnibus casibus, & circumstantiis omnibus personis adaptet, ideo semel, quòd lex divina sive positiva sive naturalis est sancita, semper obligat, & non potest dari casus in quo Princeps humanus sive ecclesiasticus, sive sæcularis possit in illa dispensare, quia Deus non tantùm præcipit, quod fieri velit, sed etiam suis præceptis, & legibus gratiam, & vires adjungit, quibus adimpleantur, adeo ut nulla sit necessaria dispensatio ex defectu virium, vel non prævisæ circumstantiæ; adeo ut si necessaria fuerit aliqua dispensatio hæc soli Deo sit reservata, quia ipse solus cognoscit modum, finem, & terminos suarum legum, ut explicat D. Thomas exemplo causarum naturalium, quarum ordinem, & nexum à Deo institutum nemo mutare potest, nec suspendere, & si necessitas urgeat aliquid immutandi non hominibus hæc mutatio permittitur, imò nequidem ipsi naturæ, sed à solo Deo operante supra naturam sit expectanda.

Secunda ratio desumitur ex innata immutabilitate legis divinæ, & naturalis. Quod est immutabile ex intrinsecis suis principiis, non potest ulli subjacere dispensationi; quia simul obligat & est immutabile necesse est, quod semper obliget; alioquin si non obligaret, mutaretur, & transiret de prædicato obligandi ad aliud non obligandi; ideo jura humana possunt dispensari, quia sunt mutationi obnoxia, & pro varietate temporum, vel urgente necessitate aut evidente utilitate possunt dispensari, ne obligent in tali, vel alia circumstantia, unde ex principiis intrinsecis non sunt jura immutabilia; sed mutabilia, ut constat *ex cap. non debet 8. de consanguinitate, & affinitate:* Sed jura divina, & naturalia sunt immutabilia *arg. dict. cap. debet, & cap. fin. de consuetudine:* Ex eo autem quòd lex divina, & naturalis sit ex intrinsecis principiis, & vi obligandi est immutabilis, sequitur non posse dispensari: alioquin deperderet vim, & efficaciam obligandi; sicque mutaretur; quod si non possit mutari, neque potest dispensari, quia dispensatio non solùm mutat obligationem legis, sed illam etiam delet. Quòd si dicas legem naturalem esse, ac dici immutabilem; eò quia non possit tota mutari, nec sæpe pati dispensationem; sed rarissimè. Contra est quia hoc pacto etiam leges humanæ dici possent immutabiles, quia multæ sunt leges humanæ, quarum obligationem neque totam convenit deleri; & non nisi rarissimè dispensantur; ut liquet in gradu secundo consanguinitatis, & primo affinitatis quoad matrimonium contrahendum; quod enim in illis gradibus non possit contrahi est lex humana, quæ tamen rarissimè tantùm dispensatur, neque tota lex abolетur, unde hæc prohibitio seu lex humana dici etiam posset immutabilis, sicque lex humana positiva non distingueretur à divina, & naturali. Præterea si Pontifex posset dispensare in lege divina, vel naturali, utique id præstaret aliqua authoritate, divina, vel humana; sed neutrum dici potest: non humana, quia humana authoritas est inferior lege divina, & naturali, & inferior non prævalet in lege superioris, neque potest in illa dispensare, alioquin inferior prævaleret superiori, minor majori, imbecillior fortiori; & quod Princeps ligaret subditus solveret: Quod inferior non possit dispensare in lege superioris, habentur in jure canonico textus luce meridiana clariores *in Clement. c. ne Romani de elect. c. Cum inferior. de major. & obed.* Unde non potest Pontifex humana potestate solvere legem divinam, & naturalem, quia utraque est immediatè à superiore, fortiore, seu Deo. Neque potest dispensare authoritate, & potestate divina; quia tametsi Pontifex sit in militante Ecclesia Christi Vicarius, non tamen illi data est potestas tota quæ fuit in Christo; alioquin posset Pontifex nova instituere Sacramenta, sicut Christus instituit, quod est falsum. Neque obstat si dicas, Christum dedisse D. Petro, & ejus Successoribus potestatem solvendi quodcunque, Matth. 16. *Quodcunque solveris super terram erit solutum & in cælis*, quia verba hæc sunt generalia, quæ non includunt casus specialissimos: alioquin deberent etiam extendi ad potestatem illam privilegiatam, solique Christo concessam, quæ à Theologis dicitur potestas excellentiæ, quæ est potestas instituendi nova Sacramenta, immutandi materiam institutorum; obligandi ad ea quæ sunt simplicis consilii, id autem nullus hactenus Theologorum Papæ concessit. Neque urget si dicas Vicarii, & principalis esse unum, ac idem tribunal; quia licet Vicarii tribunal sit illud principalis; & utriusque eadem authoritas, adeo ut à sententia Vicarii non detur appellatio ad Episcopum; non propterea potest Vicarius dispensare in lege speciali ab Episcopo lata; ad id enim indiget speciali mandato, neque sufficit generale *c. quid agendum 4. cap. qui generaliter 5. de Procur.* Idque constat itidem in collatione libera beneficiorum *c. 3. de officio Vicarii in 6.* & in casibus, quos Episcopus sibi soli reservavit, qui à Vicario sine speciali concessione non possunt dispensari. Demum quia nec traditio Apostolica, neque doctrina Sanctorum Patrum, neque sententia Theologorum tribuerunt Pontifici hanc potestatem dispensandi in lege divina, & naturali; unde nec possumus nos ei tribuere. Hinc D. Bernardus Epist. 179. contra tribuentes Papæ, quæ illi non competunt ait: *Miramur satis, quod visum fuerit hoc tempore quibusdam Doctorum mutare colorem optimum novam inducendo opinionem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio: nunquid Patribus doctiores, aut devotiores sumus? periculosè præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentiam præterivit. At valde honorandus est Papa inquis, quia Vicarius est Christi, bene mones: sed honor Pontificis judicium diligit. Non eget falso honore veris cumulatus honorum titulis, infulis dignitatum: Libenter gloriosus hoc honore carebit, quo falsa induci videtur prærogativa. Alioquin nulla ex ratione placebit contra Ecclesiæ usum præsumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis.* Quòd Pontifices hanc non habeant potestatem dispensandi in lege divina & naturali id argumento est, quia Pontifices nunquam hac fuerunt usi; nullus hactenus fuit Pontifex, qui dispensaverit in Polygamia, in repudio sterilis uxoris, quando de conservanda Regis, vel Imperatoris familia agitur, tametsi inde pendeat conservatio Catholicæ religionis in regno, vel Imperio: quia explorati est juris, inferiorem non posse contra authoritatem, ac potestatem superioris, consequenter neque dispensare in ejus legibus: Præsertim cùm leges divinæ, & naturales sint regulæ, & exemplaria omnium honestarum actionum, adeo ut teneantur homines ne deflectant ab honestate, devientque

à bonitate morali iisdem suas conformare operationes, quæ si ab hisce regulis erraverint rectitudine destituuntur & distortæ ac obliquæ fiunt, seu peccaminosæ; quapropter si Pontifex dispensaret in legibus divinis, & naturæ deleret regulas honestatis, & aditum aperiret peccatis; virtutes amoveret; & vitia promoveret, quod esset invertere totum naturæ ordinem; seu vitium & peccatum destituere sua turpitudine; & virtutes privare sua honestate. Hinc non potest Pontifex nisi bonum commune, & utilitas ingens reipublicæ urserit derogare juri alterius c. de ecclesiasticis 25. quæst. 2. idque vel maximè in pactis, & transactis *c. ex multiplici 3. de decimis:* imò neque potest derogare in privilegiis, quæ in vim, & naturam pacti transierunt c. privilegia. c. de ecclesiasticis, c. quod vero. c. ducenti. c. privilegia s. & 2. 25. quæst. 2. adeo ut nec per clausulas motu proprio, vel ex certa scientia, aut ex plenitudine potestatis juri quæsito præjudicetur; & hoc idem declarant ipsi Pontifices in regulis Cancellariæ de jure non tollendo, *& cap. 15. de offic. Judicis delegati. l. si quando 35. C. de inoffens. testam.* Quinimò nisi Pontifices id exprefsè declarent, & exprimant non præsumuntur ordinariè velle uti plenitudine potestatis; sed rescribere conformiter ad jus commune.

Verùm Papam non posse dispensare in lege divina, & naturæ solet multipliciter limitari. Primò ut verum sit de jure naturæ præceptivo; quia in jure naturæ permissivo Papa, & alius supremus Princeps dispensat; quia jus permissivum potest abrogari, à fortiori dispensatione aliqua restringi *Can. 1. d. 8.* Secundò in votis, & juramentis, quia eorum obligatio dependet à voluntate hominis, & actibus ab eadem imperatis, legi humanæ subjiciuntur, in qua potest Pontifex dispensare: imò vota, & juramenta sub hac implicita conditione emittuntur, ut potestati, ac dispensationi humanæ subjsceant; hinc usus invaluit, ut Pontifices semper in iisdem dispensaverint ad majorem DEI gloriam; & Ecclesiæ utilitatem; usus autem perpetuus optimus est legis interpres c. quanto 18. de jurejur. Non tamen desunt, qui negent, Pontificem propriè posse dispensare in voto, & juramento; sed tantùm declarare in hoc vel illo eventu non obligare. Limitatur tertiò ut possit Papa, vel alius Princeps dispensare in conclusionibus quæ inferuntur ex lege divina, & naturali; non tamen naturaliter, sed inferuntur dependenter ab humana voluntate, ut quòd fur sit ultimo supplicio plectendus, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 97. art. 4. ad 3. Limitatur quartò ut quamvis Pontifex non possit dispensare in jure divino; possit tamen in præceptis Apostolicis, quæ non ex naturali, & divina lege, sed ex humana tantùm potestate ab Apostolis sunt constituta, quo pacto dispensatur cum bigamo *c. Lector. d. 34.* cum ordinato absque titulo c. 6. de Præbend. Limitatur quintò ut possit Pontifex divinam, & naturalem legem quando sunt dubiæ interpretari, & an in particulari aliquo eventu obligent vel non: utrum præceptum residendi in suis beneficiis obliget in hoc vel illo eventu ecclesiasticos vel non; an lucrum seu fœnus supra sortem possit licitè exigi: quia in hisce dubiis constituendus est aliquis Judex, qui lites dirimat, & aliquis interpres qui declaret mentem legislatoris in talibus circumstantiis; & aliquis Magister qui veritatem doceat; neque potest quis aptior eligi, quàm Romanus Pontifex, quam in militante Ecclesia Christi Vicarius, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 2. art. 3. & habetur in c. quanto de jurejur. & c. Licet 13. de testibus.* Quòd si dicas ad solum Legislatorem pertinere legem suam interpretari *l. fin ff. de legibus l. 1. & l. Sacratissimæ C. de leg.* ergo Romanus Pontifex non videtur posse esse interpres legis divinæ, & naturalis, cùm non sit illarum Author. Sed contra quia tametsi Romanus Pontifex non sit Author legis divinæ, & naturalis, in rebus tamen fidei declarandis; & in iis, quæ ad bonos mores pertinent, stabiliendis non ducitur spiritu humano, sed divino, quia tunc operatur ex instinctu Spiritûs Sancti, qui non sinit eum fallere, nec falli; quapropter Apostolus vocat Ecclesiam *Columnam veritatis:* & quia Spiritus Sanctus est Deus, & author legis divinæ, & naturalis; ideo est ipse Deus qui dispensat, vel interpretatur legem divinam mediante Pontifice. Præterea quia non semper potest Princeps adiri, solet hic Judices constituere inferiores, quibus dat potentiam interpretandi legem in dubiis occurrentibus; & hæc potestas à Deo data fuit Christi Vicario in militante Ecclesia, estque potestas accessoria ad officium supremi Pastoris ovium Christi, desiderabatur enim in supremo Judice visibili, ut dubia circa legem divinam, & humanam posset solvere ad lites dirimendas.

Immò limitatur etiam ut Romanus Pontifex possit dispensare in gradibus Levitici 18. prohibitis ut definitum fuit in Concilio Tridentino *de matrim. Sess 24. can. 3.* & Julius II. dispensavit cum Henrico VIII. Angliæ Rege, ut posset ducere in uxorem Catharinam Austriacam viduam Arcturi fratris natu majoris ipsius Henrici. Juvat observare quòd tametsi matrimonium inter uxorem mariti defuncti, & ejus fratrem sit prohibitum lege divina, non solùm cæremoniali, & judiciali, sed etiam morali, ob pudorem, & honestatem naturalem repugnantem tali matrimonio, ut dicitur in *dicto cap. 18. Levit.* & 20. quia tamen hæc repugnantia naturali honestati, seu indecentia tanti non fiebat, ut urgente aliqua causa promovendi privatum aliquod insigne bonum vel publicum non dispensaretur; sed factâ veluti compensatione aboleretur; ita hæc eadem indecentia ex se potest deleri, ac dispensari in gradu matrimonii, ut uxor vidua possit nubere fratri germano demortui primi mariti, sitque eadem mulier uxor duorum fratrum, successivè; etenim Levit. 18. permittitur marito, non quidem vivæ, sed mortuæ uxoris, ut sororem defunctæ suæ uxoris possit ducere. sed idem est gradus primus in linea transversali, si uxor primi mariti defuncti nubat ejus fratri; est enim idem gradus affinitatis sive idem vir ducat successivè duas sorores, sive eadem fœmina successivè nubat duobus germanis fratribus: eadem ratio naturalis pudoris, ac indecentiæ quæ uni inest casui, reperitur in alio, consequenter si ratio indecentiæ est ex se dispensabilis in uno, poterit etiam aboleri in alio, cùm sit utrimque par ratio. Rursus Deuter. 25. permittitur, ut Levir, seu frater uxoris ducat fratriam, seu uxorem fratris; idque ea de causa, *ut frater fratris sui semen excitet, illique domum, & familiam ædificet:* Quod si ob bonum tam exiguum, ac incertum etiam, quodque unam tantùm familiam respicit, ejusque prolem est causa sufficiens delendæ indecentiæ, quæ concipitur in illo gradu affinitatis; quantò magis ob bonum publicum verum, ac reale pertinens ad pacem, & tranquillitatem totius regni, vel principatus poterit hæc indecentia deleri ac dispensari, ut in eodem affinitatis gradu possit matrimonium contrahi, & ut eadem fœmina uxor sit successivè duorum fratrum? adeo ut defuncto primo fratre marito, nubat secundo? & verecundia affinitatis per

dispen-

dispensationem factam à superiore cesset : ob pacem, & tranquillitatem Regnorum Hispaniæ, & Angliæ Julius II. dispensavit ut mortuo Arcturo Angliæ Rege Catherina Austriaca ejus uxor vidua nuberet Henrico VIII. fratri germano natu minori Arcturi. Ob bonum publicum totius regni lex divina, & naturalis non prohibet contrahi matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ transversæ. Præterea cùm casus particulares sint propemodum infiniti ; & leges nonnisi paucas esse expediat ; ideo ex casu unius legis ad casum alterius ob identitatem rationis proceditur *l. 12. & sequent. ff. de leg.* Quòd si dicas ibi non esse necessariam dispensationem ubi lex non obligat ; proinde non debuisse Papam dispensare. Contra est quia Pontifex non dispensavit in lege divina, & naturali ; sed tantùm in lege humana prohibente matrimonium iniri inter personas junctas in primo gradu affinitatis etiam obtentu publici boni ; adeo ut non liceat ex quacunque causa transgredi legem, quæ propterea indiget dispensari quæ servat obligationem, quæ in aliquibus casibus debet aboleri, ut matrimonium licitè contrahatur. Secus quoad legem divinam Pontifex propriè non dispensat ; sed tantùm declarat in tali casu non obligare.

Cæterum Romanus Pontifex non solvitur à qualibet lege humana, quamvis sit supremus Legislator, quia quoad vim directivam obstringitur legibus suorum prædecessorum, ut docent communiter Theologi, imò & ipsi Pontifices, siquidem ut docet Sanctus Zozimus Papa ad Episcopos Ecclesiæ Narbonensis teste Ivone in Epist. ad Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem in cap. contra statuta 25. q. 1. *Contra statuta Patrum condere aliquid vel mutare nec hujus quidem Sedis potest authoritas, apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxêre reverentiam.* Sanctus Leo Papa in cap. Ideo 25. quæst. 2. *Permittente Domino Pastores hominum sumus effecti, ut quod Patres nostri sive in Sanctis Canonibus sive mundanis affixere legibus excedere minimè debeamus, contra eorum quippe saluberrima agimus instituta, si quod ipsi divino statuerunt consulto intactum non conservamus.* Sanctus Gregorius lib. 12. Epist. 31. ad Felicem Episcopum in cap. si ea 25. quæst. 2. *Si ea destruerem quæ Antecessores nostri statuerunt non constructor, sed eversor esse juste comprobarer testante veritatis voce, quæ ait : unde in regnum in se ipso divisum non stabit : & omnis scientia, & lex adversum se divisa destruetur.* Et lib. 7. Epist. 17. in cap. *Institutionis* 25. *quæst.* 2. ait : *Institutionis nostra decreta, quæ pro defensorum suorum privilegiis & ordinatione disposita perpetua stabilitate, & sine aliqua constituimus refragatione servari, sive quæ scripta decrevimus, sive quæ in nostra præsentia videntur esse disposita, nec à quoquam Pontificum in totum, vel in partes ea qualibet occasione convelli decernimus vel mutari. Nam nimis est asperum, & præcipuè bonis Sacerdotum moribus inimicum, uti quempiam quacunque rationis excusatione, & quæ benè sunt ordinata rescindere, & exemplo suo docere cæteros, sua quandoque post se constituta dissolvere.* Pelagius Papa ad Armentarium Magist. Milit. in cap. posteaquam 22. quæst. 2. ait : *Postea quam Ecclesiæ jura, documentorum quoque intercedentium fuerint authoritate firmata, nullatenus ab his descendendi liberam Pontifex, vel si vult permittatur, habere licentiam.* Sanctus Leo Papa in cap. Nos si incompetenter 2. quæst. 7. ait : *Nos si incompetenter aliquid & egimus, & subditis justa legis tramitem non conservavimus vestro, ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio : quoniam si nos qui aliena debemus corrigere peccata pejora committimus certè non veritatis discipuli (sed quod dolentes dicimus) etiam præ cæteris erroris Magistri. Inde Magnitudinis vestræ magnopere clementiam imploramus ut tales ad hæc, quæ diximus, perquirenda missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, & cuncta (quemadmodum si vestra præsens imperialis gloria) diligenter exquirant, & non tantùm hæc sola, quæ superius diximus, quærimus ut ex amussim exagitent sed sive minora, sive etiam majora illis sint de nobis indicata negotia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus imposterum nihil sit, quod ab eis indiscussum, vel indefinitum remaneat.* Gelasius Papa in Epistol. ad Cresconium, & Joannem Episcopos rescribit in cap. decessorum 25. quæst. 2. *Decessorum statuta sicut legitima & justa Successorem custodire convenit, ita debet etiam malefacta corrigere.* Hoc idem etiam docet D. Thomas. 1. 2. *quæst. 96. art. 5. ad 3.* ubi ostendit Principem dici tantùm solutum esse à legibus quoad vim coactivam earundem : nullus enim propriè cogitur à se ipso, & lex vim totam coactivam à sola Principis potestate habet in se derivatam. Dicitur etiam Princeps esse solutus à lege, quia nullus in ipsum potest sententiam condemnationis ferre, si legem transgrediatur : & notat D. Thomas in Psal. 50. à Glossa explicari illud Davidis resipiscentis : *Tibi soli peccavi*, tametsi peccaverit contra justitiam coinquinando adulterii macula alienum thorum, & peccaverit in Uriam, quem jussit interimi, nihilominus ait ; David se soli DEO peccâsse, eò quia solus DEUS judicet peccata Regum. Verùm quoad vim directivam etiam Rex subditus legi propriâ voluntate, quia ut dicitur *cap. Cùm omnes de constitut. Qui juris aliquid in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet.* Hinc Sapiens alloquens Principem ait : *Patere legem quam ipse tuleris.* Quamobrem quoad DEI judicium Princeps non est solutus à lege quoad vim directivam illius, sed tenetur voluntarius non coactus legem implere. Cæterum dicitur Princeps esse supra legem, quatenus juxta exigentiam boni communis potest legem humanam mutare, vel etiam in ea dispensare pro loco, & tempore. Quòd si dicas Pontificem non esse inferiorem suis prædecessoribus, sed habere eandem potestatem, consequenter neque quoad vim directivam obligari ad observantiam legum, quas sui Prædecessores sanxerunt. Contra est, quia tametsi par non habeat potestatem in parem, nec in se ipsum, adeo ut non possit homo sibi legem ponere : si tamen lex respiciat bonum commune, cujus conservatio, & promotio maximè ad summum Pontificem pertinet, & nihil magis conservet bonum commune, quàm legis observantia, nilque sit illi magis noxium, quàm ipsa transgressio legum, ideo non tantùm subditi, & inferiores, verùm etiam ipsi Legislatores quoad vim directivam suas debent sancitas leges observare, quas si subditi videant à superiore transgredi, sunt etiam iisdem contemptui, & facilius non sine pernicie boni communis ab iisdem violantur, quapropter ait Sanctus Isidorus lib. 1. sententiarum de summo bono cap. 53. in cap. Justum. dist. 9. *Justum est Principem legibus obtemperare suis. Tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reverentiam*

præbet. Principes legibus teneri sunt; nec in se convenie posse. damnare jura quæ in subjectis constituunt. Justa est enim vocis eorum authoritas, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur. Et Innocentius III. in cap. Magnæ de voto ait: *Præterea non videbatur expedire cùm ex absolutione tanscandalum posset laicorum mentibus generari licentiam ubi est Deus Clericorum? Et hoc exemplum credentium se ad voti observantiam non teneri; quod enim agitur à Prælatis facilè trahitur à subditis in exemplum, juxta quod Dominus inquit ad Moysem in Levitico: si Sacerdos qui est unctus peccaverit, faciet delinquere populum.* Quia igitur exempla Principum efficacius subditos movent; quàm verba, tenentur Principes saltem quoad vim directivam leges servare, quas sanxerunt, idque causæ, cur D. Ambrosius lib. 5. Epist. 35. scripserit ad Valentinianum Imperatorem; *Quod cùm præscripsisti aliis, præscripsisti etiam tibi, leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.* Hinc Plinius in panegirico Trajani ait: *Vita Principis perpetua censura est, ad hanc dirigimur, nec tam nobis imperio, quàm exemplo opus est,* & Pacatus in paneg. Theodos. ait: *Exasperat homines imperata correctio blandissimè jubetur exemplo.* Quòd si dicas, hoc pravum exemplum non dari à Principe nisi cùm publicè sit legum transgressor, quia suo exemplo tunc tantùm movetur populus ad faciliorem earundem legum transgressionem, non verò si privatim, & occultè inscio populo leges sancitas à se suisque Prædecessoribus non servet, quia tunc ex malo Principis exemplo non possunt subditi trahi ad legum transgressionem. Contra est, quia si lex semel sancita fuerit, & posita materia gravis certæ virtuti; quemadmodum lex servandi jejunii ponit materiam gravem virtuti temperantiæ; pro gravitate hujus materiæ obligantur omnes qui possunt obligari, ac debent, & Princeps ut constat ex prædictis obligatur, & ipse pro gravitate materiæ ad ejusdem legis observantiam. Quòd verò non publicè, sed tantùm privatim leges transgrediatur, inde tamen sequitur, quòd actus ille occultus, vel etiam rarus non offendat subditos graviter, non verò quòd non offendat legem in materia gravi, alioquin sequeretur, quòd nec ipse subditus peccaret, si non publicè transgrederetur legem, sed tantùm in occulto peccaret, quod nemo concesserit, quia actus occultus non impedit, quin lex violetur in materia gravi, quæ cùm graviter obliget, per quemlibet actum semper graviter violatur, & peccatum committitur. Hinc Romanus Pontifex pro gravitate materiæ etiam ipse peccaret, si lex, quam posset servare sine incommodo gravi, ab ipso violaretur, nisi fortassis eum sa ipso dispensarat, hinc tenetur stare pactis initis, & contractibus celebratis, quia eorum obligatio est naturalis *l. 1. §. de pactis.* Verumtamen est, Papam non obligari ad observantiam earum legum, quæ ipsum dedecent, quia tunc respectu Papæ, lex deficit ab honestate & justitia, quæ duo necessaria sunt; ut leges sanciantur, ac suam sortiantur vim obligandi ut habetur in *l. sancimus Cod. de donat.* Neque Papa tenetur suis legibus vi coactiva; ut docet D. Thomas 1. 2. *quæst. 96. art. 5. ad 3.* quia cùm careat in terris superiore à nemine cogi potest; quòd si haberet, jam non sua, sed aliena lege cogeretur; non verò à se ipso, cùm nemo dicatur se ipsum invitum cogere, eo enim ipso, quòd quis vult aliquid agere non cogitur ad illud agendum, sed ad illud voluntariè ac liberè movetur: cæterum sicut Papa ex justa, & rationabili causa potest alios per privilegium vel dispensationem eximere ab observantia legis, ita etiam se ipsum cùm non sit deterioris conditionis: Leges enim obligant ex voluntate legislatoris, qui si potest alios eximere à legis observantia, poterit etiam se ipsum ex justis, & rationabilibus causis, ut docet D. Thomas in *4. dist. 20. quæst. 1. art. 5. quæstiunc. 5. ad 3.* potest enim quis voluntariam jurisdictionem in se ipsum exercere, ut habetur in *l. si consul. ff. de adopt. & l. ann. ff. de offic. Consul. cap. ex litteris 21. de probat.* & *cap. fin. de instit.* Lumen itidem naturale hoc ostendit, quia si Papa suis legibus potest obligare, potest etiam eas solvere: potestas siquidem legislativa non ita est alligata uni, quin ad alterum excurrat. Præterea quia in voluntaria jurisdictione, ubi de damno tertii non agitur, potest quis ex permissione legum duas distinctas agere personas agentis, & patientis, dummodo jure quia non prohibeatur ex specialibus rationibus, quo pacto Capitulum potest Ecclesias sibi unire *Clement. 2. de reb. Ecclesiast. non alienand.* & sibi etiam beneficia conferre *cap. fin. de Instit.* in quibus casibus dat, & accipit, agitque utramque personam agentis, & patientis.

Cæterum quia leges canonicæ sunt ecclesiasticæ, & sancitæ à summis Pontificibus potest summus Pontifex ex justis causis, in qualibet lege canonica dispensare, hinc Leo Papa Epist. 85. cap. 1. ad Episcopos Africæ, & habetur in cap. Exigunt. 1. quæst. 7. scribit: *Exigunt causæ non solùm in tales Præsules, sed etiam in ordinatores eorum ultio competens proferatur. Sed circumstant nos hinc mansuetudo clementiæ, hinc censura justitiæ, ut credamus delicta quædam utcumque toleranda; quædam verò penitùs amputanda. Illos ergo quorum provectio hoc tantùm reprehensionis incurrit, quòd ex Laicis officium Episcopale delecti sunt, locum suum tenere permittimus: non prajudicantes Apostolicæ Sedis statutis, nec beatorum Patrum regulas solventes: quia remissio peccati non dat licentiam delinquendi, nec quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit amplius impunè committi, ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, justa posthac ultione plectamus.* Et Innocentius III. ad Archidiaconum Bituricensem in cap. litteras 13. de restitut. spoliat. ait: *In gradibus consanguinitatis divina lege prohibitis restitutionis aditus præcludatur; sed constitutione interdictis humana restitutio locum habeat cum effectu, cùm in illis dispensari non possit, & in istis possit dispensari sicut Beatus Gregorius, & multi alii dispensarunt,* & in Epist. ad Archiepiscopum Cantuariensem; quæ habetur in cap. Innotuit 20. de elect. ait: *Quamvis autem canon Lateranensis Concilii ab Alexandro Prædecessore nostro editus non legitimè genitos adeo persequatur, quod electionem talium omnino esse nullam; nobis tamen per eum adempta non fuit dispensandi facultas, cum ea non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari post eum, imò eadem functuris potestate.*

Adrianus II. Papa in Epist. ad Basilium Imperatorem, quæ recitatur in octava Synodo Act. 1. & à Patribus approbatur, ait: *Verùm quia pietas tua cum ecclesiastica misericordia nos circumollos ad id, quod humanius est, exhortatur: volumus ignorare, quoniam ultra quam dici possit. Hinc fateor, mœrore comprimimur, immensoque dolore constringimur, cùm universam non solùm beatæ memoriæ decessoris mei Papæ Nicolai, quibus & ipse subscripsi, justis sanctionibus creberrimè præcellentibus, verùm etiam Sanctorum Patrum regulis severissimè, seu quodammodo peremptoriè punientibus, veruntamen propter pacem facilius obtinendam, propterque tantam multitudinem, si tamen resipuerint, misericorditer liberandam (ut cum S. Gelasio Papa dicamus) necessaria rerum compensatione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine convenimur; sic canonum paternorum decreta liberare, & retro Præsulum decef-*

decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti quantum potest fieri temperemus: quod & nos æqua possumus prolucrandis, si atribus ratione prosequi, & temporum necessitati consulendo penitus imitari: Photii duntaxat ordinationem ab hujus moderamine pietatis interim prorsus excipientes, eamque passim, & præter examen nullatenus admittentes. Et D. Bernardus lib. 3. de consideratione cap. 4. ait: *Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis sive Primatibus, bonáne species hæc? mirum est, si excusari queat vel opus, sic factitando vos probatis habere plenitudinem potestatis, non itidem plenitudinem justitiæ. Facitis hoc, quia potestis, sed utrum & debeatis quæstio est. & quomodo? Non indecens tibi voluntate pro lege uti? Et quia non habes ad quem appelles, potestatem exercere, negligere rationem?* D. Thomas expendens naturam, & Ethymologiam dispensationis 2. 2. quæst. 96. art. 4. ait: *Dispensatio propriè importat commensurationem alicujus communis ad singulas, unde etiam gubernator familiæ dicitur dispensator in quantum unicuique de familia cum pondere. & mensura distribuit, & operationes, & necessaria vitæ, sic igitur & in quacunque multitudine ex eo dicitur aliquis dispensare, quia ordinat, qualiter aliquod commune præceptum sit a singulis adimplendum. Contigit autem quandoque quod aliquod præceptum, quod est ad commodum multitudinis ut in pluribus, non est conveniens huic personæ, vel in hoc casu: quia per hoc vel impediretur aliquid melius. vel etiam induceretur aliquod malum, sicut ex supra dictis patet. Periculosum autem esset, ut hoc judicio cujuslibet committeretur: nisi fortè propter evidens & subitum periculum ut supra dictum est: & ideo ille quia habet regere multitudinem habet potestatem dispensandi in lege humana, quæ sua innititur authoritati, ut scilicet in personis, vel in casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat ut præceptum legis non servetur. Sin autem absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat noneris fidelis in dispensatione, aut erit imprudens: infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune, imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret, propter quod dicit Dominus Luc. 12. Quis putas fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* & in quodlibet 4. quæst. 8. art. 3. ait; *Non est dubitandum quòd Papa habeat plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita ut quæcunque sunt instituta per Ecclesiam, vel Ecclesiæ Prælatos sint dispensabilia ab ipso.*

Quòd verò hæc potestas dispensandi justis de causis in legibus canonicis insit Romano Pontifici liquet ex usu & praxi, qua Pontifices pluries dispensarunt, etenim Anno 434. Cœlestinus Papa ad petitionem Theodosii Imperatoris contra Canones Niceni Concilii Proclum Episcopum Cyzicenum transtulit ad Sedem Constantinopolitanum, ut referunt Baronius ad hunc annum n. 1. & Socrates *lib. 7. cap. 39.* & habetur etiam in causa 7. quæst. 1. Rursus anno 479. Simplicius Papa dispensavit cum Stephano Episcopo Antiocheno, ut contra canones Niceni Concilii non Antiochiæ, sed Constantinopoli eligeretur ob turbas, & pericula, quæ ab Eutichianis imminebant, unde periculi vitandi causa sine ullo præjudicio Antiochenæ Ecclesiæ pro illa vice tantùm electio facta fuit Constantinopoli absque ullo jure acquisito à Patriarcha Constantinopolitano, ut liquet ex Epistola Simplicii Pontificis 13. ad Zenonem Augustum, & Achazium Patriarcham usque 15. & utramque recitat Baronius ad annum 479. Rursus anno 871. Ignatius Patriarcha per Legatos Romam missos petiit ab Adriano II. dispensari, laxarique octavæ Synodi decreta, quibus à sacris dignitatibus prohibebantur, quos Photius promoverat, quique ausi essent sententiæ in Nicolaum Pontificem subscribere. Verum Adrianus negavit tam graves sibi causas videri, ob quas statuta à Patribus octavæ Synodi oporteret rescindi, sed mortuo Stephano à Formoso Pontifice concessa fuit gratia Orientali Ecclesiæ, quæ preces in communem causam sociaverat. Rursus plures alii Pontifices ex justis causis dispensarunt in legibus canonicis, ut S. Martinus Papa contra canonem Apostolicum in casu necessitatis bigamum ad minores ordines, imò etiam ad subdiaconatum admittit in *cap. Lector. dist.* 34. S. Gregorius Magnus 601. contra antiquos canones & statuta in Concilio Lugdunensi, quibus contrahere matrimonia usque ad septimum consanguinitatis gradum prohibebatur, cum Anglis dispensavit, ut habetur in *cap. quædam lex. 35. qu. 3.* ex quibus liquet, usum fuisse etiam sub initiis Ecclesiæ, quo Papæ doctrina, & pietate celeberrimi justis de causis dispensaverint in legibus canonicis; siquidem quæ leges uno tempore sunt proficuæ, & promovent bonum commune, alio tempore, & occurrentibus aliis circumstantiis non videntur amplius hanc utilitatem præseferre, præsertim cum una vel altera persona privata, leges enim sicut locis, & hominibus ac temporibus aptantur, ita variatis locis hominibus ac temporibus variari etiam possunt ipsæ leges: siquidem eadem lex, quæ pluribus profuit, non paucis nunc obest, unde in Republica necesse est sit aliquis superior, cujus authoritate subinde leges dispensentur juxta exigentiam boni communis.

Non tamen potest Romanus Pontifex in omni lege canonica ad libitum, & sine causa dispensare; quia ut rectè monet Papinianus *lib. 15. ff. de conditionib. Instit. quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram & contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum*, ut etiam habetur *l. 29. ff. de jure dotium.* Quòd si ethoico viro non omnia licuerunt, præsertim quæ virtuti sunt dissona, & honestati adversantur, à fortiori neque licita erunt Romano Pontifici, cujus authoritas fuit à Christo instituta in munimen honestatis, in præsidium virtutis. Pontifex ea tantum potest quæ decent, quæque licita sunt; adeo ut teneatur semper operari conformiter ad rectam rationem, quæ dictat ea tantùm agenda esse quæ honesta, & ea rejicienda quæ virtuti repugnant, honestati adversantur; & sicut est homo, seu animal rationale ita nunquam debet contra rationem agere, sed jugiter rationi conformari in suis actionibus. Unde Papa non potest in iis dispensare, quæ sunt fundamenta quibus honestas nititur, & nervus ecclesiasticæ disciplinæ fundatur, alioquin esset in destructionem non ædificationem Ecclesiæ. Hinc S. Leo Papa Epist. ad Rusticum Episcopum Narbonensem in c. 2. dist. 14. ait: *Sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione convelli; ita multa sunt, quæ aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione ætatum oporteat temperare; illa consideratione semper servata, ut in iis, quæ vel dubia fuerint, aut obnoxia, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inveniatur adversum.* Quamobrem non potest Romanus Pontifex sine legitima, honesta, & urgente causa dispensare in lege canonica; quia non est dissipator bonorum Ecclesiæ, sed dispensator prudens: & dispensatio in lege canonica sine justa legitima causa esset imprudens, quia noxia Ecclesiæ, & contraria disciplinæ ecclesiasticæ; imò repugnaret obligationi, quâ tenentur Pontifices proprias, & antecessorum leges observare, & officio etiam Pontificis ad quem perti-

pertinet canones cuſtodire, & invigilare, ut à Chriſti fidelibus ſerventur ad quod jure jurando cum primum creatur Pontifex ſe obſtringit: quapropter Clemens Romanus in Epiſt. ad S. Cyprianum Epiſcopum in c. abſit 50. ait: *Abſit à Romana Eccleſia vigorem ſuum tam profana facilitate dimittere, & nervos ſeveritatis everſa fidei majeſtate diſſolvere, ut cùm adhuc non tantùm jaceant, ſed & cadant everſorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum utique non profutura præſtentur, & nova per miſericordiam falſam vulnera veteribus transgreſſionis vulneribus imprimantur, ut miſeris ad everſionem majorem eripiatur, & pœnitentia. Ubi enim poterit indulgentia medicina proficere, ſi etiam ipſe medicus intercepta pœnitentia indulget periculis? ſi tantummodo aperit vulnus, nec ſinit neceſſaria temporis remedia conducere cicatricem? hoc non eſt curare; ſed dicere verum volumus occidere.* S. Damaſus Papa Epiſt. ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum & habetur Tom. I. Concilior. invehens in violatores Canonum ait: Violatores voluntarii canonum graviter à Sanctis Patribus judicantur, & à Spiritu S. (cujus inſtinctu ac dono dictati ſunt) damnantur: quemadmodum blaſphemare Spiritum Sanctum non incongruè videntur, qui contra eoſdem ſanctos Canones non neceſſitate compulſi, ſed libenter (ut præfixum eſt) aliquid aut protervè agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſponte conſentiunt. Talis autem præſumptio manifeſtè unum genus eſt blaſphemantium Spiritum Sanctum, quemadmodum (ut jam prælibatum eſt) contra eum agit, cujus impulſu, & gratia idem Sancti editi ſunt Canones, diabolica verò nequitia plerumque ſubtiliter fallere ſolet, & ita quorundam imprudentiam per ſimilitudinem pietatis ſæpiſſimè illudit, ut pro ſalutaribus nocitura perſuadeat. Idcirco norma Sanctorum Canonum, qui ſunt ſpiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia conſecrati fidaliter à nobis eſt ſcienda, & diligenter tractanda; ne quovis modo Sanctorum Patrum ſtatuta abſque inevitabili neceſſitate, quod abſit, transgrediamur; ſed fideliſſimè per ea gradientes, cum eis, qui eos inſtinctu divino condiderunt, mercedis gloriam, & laboris cumulum, eorum meritis auxiliante domino habere mereamur. Hactenus S. Damaſus Papa. Et Concilium Tridentinum Seſſ. 26. de Refor. cap. 18. ait: *Sicut publicè expedit legis vincula relaxare, ut plenius evenientibus caſibus, & neceſſitatibus pro communi utilitate ſatisfiat: ſic frequentius legem ſolvere, exemploque potius, quàm certo perſonarum rerumque delectu petentibus indulgere, nihil aliud eſt quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter ſciant univerſi ſacratiſſimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus tenorem fieri poterit diſtinctè obſervandos. Quòd ſi urgens & juſta cauſa, & major quandoque utilitas poſtulaverint, cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſa cognita, & ſumma maturitate atque gratis quibuſcunque ad quos diſpenſatio pertinebit erit præſtandum: aliterque facta diſpenſatio ſurreptitia cenſeatur.* Quòd ſi agatur de jure divino, vel naturali ut de votis, & juramentis, diſpenſatio abſque legitima cauſa, ſi fiat, non ſolùm eſt illicita, ſed etiam irrita, ac nullius valoris etiam in foro externo, quia cùm in jure divino, vel naturali diſpenſatur, præſumitur ſemper juſta cauſa quæ debet probari. Neque ad diſpenſationem ſufficit ſola ſuperioris diſſimulatio, quia diſſimulatio ad permiſſionem poteſt quidem pertinere, non verò ad diſpenſationem, quæ debet inniti juſtæ cauſæ, quæ conſtet c. ult. de Reſcriptis in 6. l. 1. c. de petition. bon. ſublatorum. Cauſæ legitimæ diſpenſandi in legibus canonicis variæ ſunt; & præcipuæ ad quas reliquæ reducuntur, ſunt neceſſitas, & utilitas *c. etſi illa 1. quæſt 7. c. 2. de translat. Epiſcop.* Alia legitima cauſa eſt mutatio temporum, & perſonarum *c. 2. & 3. d. 29. c. non debes de conſanguinitate.* Quòd enim uno tempore, & aliquibus perſonis convenit, alio tempore, & aliis perſonis non congruit. Tertia legitima cauſa eſt virtus eminens, & habilitas ſupplicantis *c. 13. & 14. d. 56. cap. tali, 1. q. 7.* Quarta eſt ſi periculum imminent diſſenſionum, vel etiam bellorum inter Principes, vel alicujus publici damni *c. 25. d. 50. c. diſpenſationes 1. q. 7.* Quinta ſcandalum puſillorum, eorumque lucrandi ſpes *c. quadam 35. q. 3.* Sexta ſimplicitas delinquentis *c. tanta 1. q. 7.* Septima multitudo delinquentium *c. quoties 1. q. 7.* Octava temporum ac hominum malitia, ac malignitas aſperiantium duriora, ac habentium contemptui pœnas eccleſiaſticas c. quoniam 1. q. 7.

CAPUT XXI.

An Epiſcopi in Eccleſia ſint de jure divino.

EGimus de ſupremo dominici gregis Paſtore, ſupereſt inquirendum breviter de aliis inferioribus Paſtoribus ſubordinatis ſupremo, ſeu Romano Pontifici, cujuſmodi ſunt Epiſcopi; An ſint in Eccleſia de jure divino, vel tantùm eccleſiaſtico. Certum eſt ea eſſe de jure divino, quæ immediatè inſtituta, vel præcepta ſunt à Deo ſive reperiantur in Scripturis Sacris, ſive non, & tantùm habeantur per traditiones ab Apoſtolis derivatas, ut liquet in materia, & forma Sacramentorum, quæ procul dubio ſunt de jure divino, quamvis alicujus Sacramenti materia, & forma non reperiatur in Scripturis, ut forma extremæ Unctionis, & Confirmationis, quæ habentur in Eccleſia per traditionem ab Apoſtolis derivatam. Ut igitur aliquid ſit de jure divino, ſufficit ſi ſit immediatè inſtitutum à Deo ſive contineantur in Sacris Scripturis, ſive non. Ea verò non ſunt de jure divino, quæ licèt reperiantur in Scripturis, non tamen ſunt nobis tradita immediatè à Deo, ſed mediantibus hominibus: ut abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato præcipitur in Scripturis *Act. Apoſtol. c. 15.* & tamen quia hoc præceptum non eſt nobis immediatè à Deo traditum, ſed mediantibus hominibus, ſeu Apoſtolis congregatis in Concilio Jeroſolymæ habito non eſt de jure divino, alioquin ſemper obligaviſſet fideles ad ipſius obſervantiam; quod non contingit, cùm nunc non adſit in Eccleſia hoc præceptum abſtinendi à ſanguine, & ſuffocato; & cùm non fuerit de jure divino potuit diſpenſari ab Eccleſia. Licèt fuerit à Spiritu S. non tamen immediatè, ſed tantùm mediantibus hominibus, ſeu Apoſtolis *Act. 15. Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* Rurſus Reges & eorum leges ſunt à DEO cum dicatur Sapient. *Per me Reges regnant, & potentes juſta decernunt*, & tamen non omnes leges à Regibus ſancitæ ſunt de jure divino. Quamvis Divus Paulus præcipiat, Epiſcopos eſſe unius uxoris viros, & mulieres nonniſi velato capite ingredi Eccleſiam, non tamen hæc

prece-

præcepta quamvis contineantur in Scripturis sunt de jure divino, eò quia non sint immediatè à Deo, sed tantùm ab homine. Præterea quemadmodum plura in Scripturis & sanctis Patribus tribuuntur Deo, eo quia ad ea concurrat per suum influxum, quamvis id præstet; mediantibus creaturis, ut in Psal. *Qui dat escam jumentis*, seu mediante terra producente herbas & fructus, ita plura præcepta tribuuntur Deo, quæ tamen non sunt de jure divino, ut eorum D. Basilius vocat jejunium præceptum divinum, eò quia Deus præcipiat generatim corporis mortificationem, & dat Ecclesiæ seu hominibus jurisdictionem præscribendi jejunium, quod tamen, ut præscriptum ab Ecclesia non est de jure divino, sed tantùm ecclesiastico, eò quia immediatè præcipiatur ab Ecclesia. Rursus est de jure divino ex primo præcepto Decalogi ut Deum colamus, sed modus & tempus colendi Deum diebus festis, quia præscribitur ab Ecclesia non est de jure divino, sed ecclesiastico. Communicare, ac refici spiritualiter sacramento Eucharistiæ est de præcepto divino, eò quia à Christo hoc sacramentum fuerit immediatè institutum, sed quòd tali tempore debeant fideles sumere Eucharistiam scilicet in paschate est præceptum tantùm ecclesiasticum, eò quia hoc tempus sit statutum immediatè ab Ecclesia. Aliqua itidem dicantur à Deo provenire immediatè, & mediatè, & illa, non hæc dicuntur de jure divino, sic Lex Decalogi dicitur de jure divino, quia immediatè fuit à Deo. Lex verò cæremonialis dicitur Mosaica, & non est de jure divino, quia emanavit quidem à DEO, sed mediante homine seu Moyse, ut ejus Ministro: & ideo Lex Moysis seu cæremonialis, quia non fuit immediatè à Deo Judæis tradita, sed mediante Moyse, non fuit de jure divino, proinde unà cum morte Christi fuit & ipsa mortua, & abrogata per Legem evangelicam; Secus Lex moralis seu Decalogi, quia immediatè fuit à Deo, & de jure divino adhuc viget, vigebitque semper, quia quæ sunt de jure divino immediatè, nequeunt ab hominibus abrogari. Etiam in operibus naturæ, quæ Deus voluit immutabilia esse per se ipsum immediatè fecit; quæ verò mutationi sunt obnoxia mediantibus aliis creaturis effecit, quapropter præcepta evangelica eatenus sunt immutabilia, quia immediatè præcipiuntur à Deo, seu fuerunt à Christo promulgata.

Præterea hominum potestas alia est civilis, alia ecclesiastica, illa promovet bonum publicum, ac statum felicem civium; hæc salutem animæ, & est duplex una, quæ immediatè per efficaciam sacramentorum promovet homines ad vitam æternam, alia tantùm mediatè, & per ecclesiasticas constitutiones; illa dicitur potestas ordinis, hæc jurisdictionis; illa impertitur, cum ordines ecclesiastici ab Episcopo conferuntur: hæc verò non datur in consecratione, seu susceptione ordinum; sed simpliciter committitur, & potest exerceri ab Episcopo electo, licèt nondum consecrato; & subdividitur in jurisdictionem liberam, & contentiosam, hæc non nisi in proprio territorio exercetur; illa verò sequitur personam in quovis loco. Potestas ordinis, quia immediatè à Deo est de jure divino non ita potestas jurisdictionis, eò quia sit à Deo mediante homine exercente authoritatem, ac imperium, & hanc jurisdictionem impertiente aliis cum minore, vel majori limitatione, quapropter potestas jurisdictionis est mutationi obnoxia, & potestas ordinis immutabilis, est enim homo causa immediata jurisdictionis, quæ propterea est à Deo non immediatè, sed mediante homine.

Si igitur dignitas episcopalis quoad potestatem jurisdictionis, & ordinis sumatur, ut determinatè alligata huic vel illi personæ, & loco, seu Ecclesiæ est tantùm de jure ecclesiastico, & pontificio, quia ad summum Pontificem pertinet eligere personas idoneas tanto muneri exercendo, & loca statuere, in quibus debeant Episcopi residere. Sin verò dignitas episcopalis sumatur veluti genericè, & quoad suam institutionem procul dubio est de jure divino, adeo ut ordo episcopatus sit de jure divino institutus, consequenter etiam Episcopi sunt de jure divino instituti, & est sententia communis Canonistarum, & Theologorum: siquidem Christus immediatè instituit Episcopos Apostolos, & in ipsis Episcopos successores creavit, quapropter summus Pontifex non potest in Ecclesia omnes Episcopos, & ordinem episcopalem delere, unde Sotus in 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 4. ait: Cave, ne subinde hinc elicias Episcopos, & Presbyteros esse de jure positivo, sunt enim de jure divino, adeò ut Papa facere nequeat, ut nulli sint in Ecclesia Episcopi aut Sacerdotes, quia illos Christus instituit immediatè, & quæ sunt de jure divino, non possunt humana potestate immutari.

An verò præter dignitatem episcopalem sit etiam de jure divino potestas, quæ ut diximus bipartitur in potestatem ordinis & jurisdictionis, & dicimus potestatem ordinis continere plura, quæ sunt de jure divino, ut conficere chrisma, & oleum pro ungendis infirmis creare, & consecrare Sacerdotes, ministrare sacramentum confirmationis hæc enim omnia de jure divino sunt adnexa potestati ordinis episcopalis: alia verò tantùm de jure humano pontificio eidem adnectuntur, ut consecrare Ecclesias, altaria, calices, vestes altari inservientes, ac Virgines, quæ omnia ab Ecclesia reservata sunt solis Episcopis. Hinc potestas ordinis quoad priora recensita non solùm est à Christo Domino instituta, sed etiam accipitur per consecrationem, qua Episcopus instituitur, & consecratur, adeò ut hæc potestas ordinis immediatè accipiatur à Christo, qui ut actor principalis illam confert per consecrationem, qua Episcopus consecratur mediante Ecclesia ut Christi administra, adeò ut Christus sit principalis Actor immediatus, quia Ecclesia non consecrat Episcopos ut causa principalis, sed tantum ut ministra, quæ non tollit consecrationem principalis: sicut enim Ecclesia sacramenta non instituit, ita neque materiam nec formam, nec ministros ordinarios eorundem, consequenter neque potestatem ea conferendi quamvis ministerio Ecclesiæ sacramentorum Ministri ordinentur, ut consecrentur, quia in his consecrandis Christus est semper principalis Actor, & Ecclesia Christi Ministra. Hinc Episcopi quoad potestatem ordinis sunt de jure divino. Ratio est, quia corpus mysticum Ecclesiæ fuit immediatè institutum à Deo, seu Christo cum suis membris, atqui Episcopi sunt membra hujus corporis mystici, cujus caput est summus Pontifex, à quo propterea dependent Episcopi, eique subordinantur, ac obediunt: Quoad verò potestatem jurisdictionis non sunt de jure divino, sed tantùm ecclesiastica, quia jurisdictio solùm in supremo Pastore, seu D. Petro, & ejus successoribus est de jure divino, quia Christus soli Petro & in persona Petri ejus successoribus canonicè electis, dixit immediatè Joan. 21. *Pasce oves meas*, unde solus summus Pontifex accipit à Deo immediatè utramque potestatem ordinis & jurisdictionis cum Matth. 18. dixerit soli Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, scil. super pontificiam dignitatem

tem, quia cum brevi esset Petrus moriturus, hæc petra seu dignitas pontificia debuit perseverare unà cum Ecclesia, cujus est fundamentum) *& quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis:* Quia verò summus Pontifex non potest ubique in singulis terrarum partibus esse, ideo Episcopi accipiunt ab ipso immediatè jurisdictionem, & mediatè à Deo, quò fit ut in ipsis jurisdictio non sit de jure divino, sed tantùm ecclesiastico, & potest à Pontifice variari ac variari ex justa causa. Quòd si dicas ex sanctis Basilio, & Ambrosio, Christum injunxisse omnibus Apostolis, ut suas pascerent oves. Respondetur Christum verba illa Joan. 21. *Pasce oves meas*, direxisse principaliter soli Petro, & in persona Petri etiam Apostolis, quia cùm Petrus non posset ubique locorum dominicum gregem pascere immediatè & per se ipsum, fuit ei necessaria opera Apostolorum, ut Cooperatorum. Alioquin si æquè principaliter dixisset Apostolis, ut pascerent suas oves, perinde ac immediatè, ac directè dixit Petro: *Pasce oves meas*, sicut ad Petrum pertinuit pascere Apostolos ut sibi subditos, ita ad Apostolos pertinuisset pascere Pontificem ut sibi subditum, quod est hæreticum: eodem pacto intelliguntur verba illa à Christo directa Apostolis: *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata in cœlis*, scilicet principaliter directè soli Petro, & in persona Petri etiam aliis Apostolis. Neque obstat Christum protulisse hæc verba, antequam constitueret Petrum suum vicarium, & caput Ecclesiæ, seu antequam illi diceret, *pasce oves meas*, nam inde infert D. Thomas: Christum non dedisse per verba illa jurisdictionem Apostolis saltem quoad exercitium; quia Christus hanc voluit includi in clavibus, quas soli Petro immediatè tradidit, & per Petrum voluit derivari in alios Apostolos. Non enim Christus tunc intendebat instituere corpus mysticum Ecclesiæ sine capite, nec Hierarchiam cum jurisdictione in multis membris sine capite, unde per verba illa tantùm promisit Apostolis jurisdictionem non præsentem, sed ut futuram. Quòd si dicas Apostolos accepisse immediatè à Christo jurisdictionem, consequenter etiam Episcopos successores Apostolorum. Contra est, negatur consequentia, quia Episcopi non sunt successores in omnibus Apostolorum, quamvis Episcopus Antiochenus, & Ephesinus successerint, ille D. Petro, & iste Joanni Apostolo, non tamen eandem fuerunt consecuti jurisdictionis amplitudinem, quæ inerat Petro, & Joanni: siquidem Apostoli in mundum universum habuerunt jurisdictionem, & Episcopi tantùm intra propriam diœcesin. Sunt ergo Episcopi successores Apostolorum in potestate consecrandi, & conferendi ordines: Secus Romanus Pontifex est successor Petri in integra potestate ordinis, & jurisdictionis, cùm sit summus Pontifex Christi Vicarius generalis in militante Ecclesia, propterea ipse solus accipit jurisdictionem immediatè à Deo; & Episcopi à Pontifice, perinde ac Prorex solus accipit totam potestatem, & jurisdictionem à Rege, quam communicat aliis, quos constituit particulares Gubernatores locorum. Si dicas ex D. Paulo ad Ephes. Christum constituisse in Ecclesia Pastores, seu Episcopos, & servum fidelem, & prudentem super familiam suam, seu Romanum Pontificem. Respondetur Deum constituisse Pastores, & Episcopos non immediatè ex se, sed mediante Pontifice, quoad jurisdictionem, vel antiquitus mediante populo, aut clero, unde enim jurisdictio non detur Episcopis immediatè à Deo non est in ipsis de jure divino. Parabola de servo fideli, & prudente intelligitur de Pontifice, quatenus præest toti familiæ Christi, seu omnibus fidelibus. Si instes Christum constituisse Episcopos Pastores, consequenter cum jurisdictione, respondetur distinguendo consequens: cum jurisdictione data ipsis immediatè negatur, data illis mediatè, sed mediante Pontifice conceditur, sed inde tantùm sequitur esse de jure ecclesiastico. Si urgeas in Episcopis jurisdictionem esse inseparabilem à potestate ordinis, respondetur esse quidem inseparabilem, sed non datam immediatè à Deo Episcopis, sed tantùm mediatè seu mediante summo Pontifice. Præterea quamvis dicatur inseparabilis quoad habitum, non ita quoad exercitium, alioquin sequeretur, quòd non posset Pontifex suspendere Episcopum delinquentem ab exercitio jurisdictionis. Adde jurisdictionem in Episcopis inferioribus non esse essentialiter & inseparabiliter à potestate ordinis: quia tota jurisdictio ecclesiastica est immediatè à Deo data summo Pontifici, à quo Episcopi accipiunt antequam consecrantur, seu antequam accipiunt potestatem ordinis: siquidem Episcopus electus habet potestatem jurisdictionis antequam consecretur non verò potestatem ordinis: illam accipit à Deo, mediante Pontifice per Electores: hanc à Deo mediante consecratione, & Pontifice non ut causa principali, sed ut Ministro Dei, qui non tollit immediationem. Deus igitur constituit Episcopos Pastores, quibus & voluit conferre jurisdictionem non tamen per se immediatè, sed mediante Pontifice, à quo participarent partem suæ jurisdictionis: cum sit Pontifex Episcopus totius Ecclesiæ catholicæ, illi convenit jurisdictio in universam Ecclesiam, sed quia ipse per se immediatè non potest esse præsens in singulis mundi partibus, ideo eam communicat Episcopis, quibus & dirigit suas oves ab iisdem pascendas. Rursus ut Episcopus universalis audit causas omnium fidelium, & ut Episcopus urbis Romæ est particularis, & permittit alios Episcopos in aliis Ecclesiis, in quo sensu S. Gregorius noluit vocari Episcopus universalis.

Quamvis potestas jurisdictionis sit & ipsa spiritualis sacra & divina, seu à Christo instituta, non tamen est essentialiter annexa ipsi consecrationi sicut potestas ordinis, & datur Episcopis aliarum ecclesiarum à Romano Pontifice ut Christi Vicario, & D. Petri successore, adeò ut tota jurisdictio, quæ in est inferioribus Prælatis dimanet, ac dependeat à summo Pontifice. Id enim interest discriminis inter jurisdictionem summi Pontificis & aliorum, quod illa sit universalis in totam Ecclesiam, & de jure divino à Christo immediatè instituta, & suscepta à Petro, inferioribus verò Prælatis est à Romano Pontifice, ut Christi Vicario, & primo totius Ecclesiæ Catholicæ Pastore, ad quem propterea pertinet omnis jurisdictio Ecclesiæ Catholicæ, consequenter omnium Ecclesiarum particularium: unde summus Pontifex jurisdictionem, quam habet, communicat inferioribus Prælatis, & Episcopis, qui propterea habent potestatem jurisdictionis dependenter à summo Pontifice eam principaliter immediatè communicante. Quò fit, ut nulla humana potestas possit abrogare, aut ex parte minuere, restringere, aut variare jurisdictionem summi Pontificis, bene tamen summus Pontifex potest tollere, minuere, & variare jurisdictionem inferiorum Prælatorum. Si dicas Christum restituisse ac creasse Apostolos Episcopos, & Apostolos postea suos successores & postea Ecclesias suis viduatas Episcopis proprios elegisse Pastores, consequenter Episcopos à Christo institutos fuisse, ac esse de jure divino. Contra est, respondetur Christum instituisse, ac creasse Apostolos & Episcopos, quia ipse fuit autor ecclesiæ, & hanc facultatem dedit

dedit D. Petro ut sui Vicario, qui propterea potestate ordinaria instituit Episcopos, sicut Christus instituit Apostolos Episcopos, & quamvis Apostoli instituerint Episcopos successores, ut S. Paulus Titum, & Timotheum id præstiterunt potestate sibi à Christo delegata non ordinaria: unde fuit speciale privilegium ipsis à Christo concessum, cujus virtute Apostoli instituerunt Episcopos suos successores potestate scilicet sibi à Christo delegata, & quia hoc privilegium fuit personale, cessavit cum ipsis Apostolis, sed potestas ordinaria instituendi Episcopos, est annexa dignitati Vicarii Christi, & non fuit privilegium personale, sed annexum dignitati, quæ in Ecclesia eum perseveret, manet etiam privilegium. Neque obstat, quòd jurisdictio in Episcopis dicatur esse ordinaria, quia fuit ipsis à summo Pontifice delegata, à quo habetur, ac dependet, & dicitur ordinaria, quia Pontifex ordinariè eam delegat Episcopis. Adde, quòd quævis potestas à Christo collata Apostolis fuit subordinata D. Petro ut capiti totius Ecclesiæ, quapropter jurisdictio à Romano Pontifice in Episcopos derivatur.

Neque obstat, quòd D. Paulus Actor. 20. loquens ad Episcopos, & Presbyteros Ephesinos dicat: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI:* quia Episcopi dicuntur constituti, & positi à Spiritu Sancto non solitariè, & simpliciter, sed per interpositam Romani Pontificis personam, à quo proximè accipiunt jurisdictionem, unde Episcopi, quos Paulus alloquebatur, erant quidem positi à Spiritu Sancto non tamen immediatè, & proximè, sed ab Apostolis, à quibus acceperunt jurisdictionem, præterea quia quod Ecclesia facit, hoc idem dicitur Spiritus Sanctus facere non proximè, sed per interpositam Ecclesiam, quæ in Conciliis, quando condit Canones dicit: *Visum est nobis, & Spiritui Sancto*, & tamen non omnes Canones dicuntur esse de jure divino, nec proximè esse à Spiritu Sancto, sed tantùm mediante interpositione Ecclesiæ. Rursus etiam Spiritus Sanctus à Deo promittitur doctorus Ecclesiam omnem veritatem, non tamen immediatè, & proximè, sed per interpositos ejusdem Ecclesiæ Doctores, & Antistites. Quòd si dicas inde sequi potestatem ordinis, perinde ac potestatem jurisdictionis esse à Romano Pontifice, eò quia omnes Episcopi nunc ordinentur ac consecrentur ab Ecclesia, & non proximè, ac immediatè à Deo. Contra est, quia ut docet D. Thomas 22. *quæst. 39. art. 3.* Potestas ordinis datur per ipsam consecrationem, cujus principalis Actor est Deus, & Ecclesia tantùm administrat, quæ propterea non tollit immediationem, at jurisdictio datur per simplicem hominis electionem sine ordinatione, & consecratione, adeo ut Episcopus, antequam consecretur, habeat quidem jurisdictionem, non tamen potestatem ordinis, quam tantùm accipit ab ipsa consecratione, cui de jure divino essentialiter nectitur: quamobrem potestas ordinis proximè, & immediatè à Deo derivatur in Episcopum, quia quando datur Episcopo tantùm inter Deum, & Episcopum interponitur ipsa consecratio, & quoddam instrumentum, quo Deus confert potestatem ordinis, quia Episcopus consecrans tantùm interponitur ut Minister, per quem ut DEI instrumentum ponitur consecratio, & simul cum ipsa confertur potestas ordinis, cujus Deus est semper causa principalis proximè, & immediatè, quo fit, ut potestas ordinis non possit minui, tolli, nec immutari. Secus quando Episcopus accipit potestatem jurisdictionis inter Deum, & Episcopum, interponitur Rom. Pontifex. in quo est tota ecclesiastica jurisdictio, quæ aliis communicatur Episcopis, adeo ut Rom. Pontifex sit causa principalis hujus secundæ communicationis. Si dicas Apostolos elegisse Episcopos, & postea clerum, & populum sine Rom. Pontifice in propriis suis Ecclesiis, suos particulares elegisse Episcopos, qui propterea non potuerunt habere potestatem jurisdictionis à Rom. Pontifice, sed eam acceperunt simul cum dignitate Episcopali, eò quia officium Episcopi ex sua natura exigit jurisdictionem, quam exercuerunt Episcopi electi à clero, & populo. Contra est, quia tunc temporis clerus, & populus ex tacito, vel fortassis etiam expresso consensu Rom. Pontificis suos eligebat Episcopos, quos Rom. Pontifex confirmabat, & tunc iisdem conferebat potestatem jurisdictionis, & postea permittebat eos consecrari, & tunc accipiebant potestatem ordinis adnexam consecrationi: unde jurisdictio semper fuit communicata à Rom. Pontifice Prælatis inferioribus, quibus si vellet, posset adimere, minuere, vel ampliare, non ita potestatem ordinis quoad ea, quæ sunt de jure divino. Neque obstat, si dicas, non posse Rom. Pontificem facere, ut nulli sint Episcopi in Ecclesia, quia ordo Episcopalis est de jure divino, quem non potest Pontifex abolere, propterea mandatum habet à Christo, ut in partem suæ curæ, Episcopos ereet, hinc Concil. Trident. *sess. 23. cap. 6.* asserit, Hierarchiam constare in militante Ecclesia ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris esse de jure divino.

CAPUT XX.

Evincitur contra Hæreticos Romanum Pontificem non esse Antichristum.

Dupliciter potest Antichristus sumi, quia significat omnes illos, qui Christum oppugnant, negantes Filium Dei assumpsisse carnem humanam, & fuisse Deum simul, & hominem: & ut indicat illum magnum Christi adversarium, qui in fine mundi erit venturus. Utramque significationem amplectitur Joannes epist. 1. cap. 2. inquiens: *Filioli novissima hora est; & sicut audistis, quia Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt, unde scimus, quia novissima hora est*; per multos Antichristos intelligit Hæreticos negantes Christum, vel ejus divinitatem, & ex eo, quod inferat ex Antichristo novissimam horam jam instare, intelligit per Antichristum Christi adversarium venturum in fine mundi, cujus nunc multi sunt præcursores, qui parantes illi viam, nunc Christū oppugnant. Hæretici per Antichristum, cujus fit mentio in scripturis, volunt Rom. Pontificem intelligi, adeo ut asserant, unum ex summis Pontificibus futurum Antichristum, & alii per Antichristum volunt intelligi omnes summos Pontifices, adeo ut tota series Pontificum, qui per plura sæcula ab initio Ecclesiæ fuerunt, eruntque in finem sæculi, constituant Antichristum. Quia verò Hæretici concedunt Petrum, & plures Romanos Pontifices non fuisse Antichristum, dissertio est inter ipsos, quandonam sedes Apostolica inceperit esse sedes Antichristi. alii ex ipsis putant, id statim contigisse post tempora Apostolorum; alii circa annum post Christum natum sexagesimum; alii circa septingentesimum nonagesimum tertium; alii circa millesimum, quæ differentia opinionum satis prodit sententiæ falsitatem. Unde

Dicendum est Antichristum non esse Romanos Pontifices, quotquot hactenus Romæ sederunt in Cathedra D. Petri. Assertio est probatu facilis, quia Antichristus est unus tantùm, perinde ac Christus est unus tantum, cui opponitur Antichristus: Sin autem Pontifices quotquot extiterunt essent Antichristus, hic non esset unus, sed multiplex, tot scilicet, quot fuerunt Romani Pontifices, eruntque usque ad finem mundi futuri, quod adversatur scripturis ac communi Sanctorum Patrum sententiæ 1. Joan 2. *Audistis, quia Antichristus venit*, vocat Antichristum in numero singulari, ut significet quendam fore certum hominem; non verò aggregatum ex pluribus hominibus; unde subdit: *Et nunc Antichristi sunt multi facti:* hoc est, quamvis Antichristus nondum venerit: plures tamen sunt Antichristi, seu multi seductores, qui differunt ab Antichristo propriè dicto, quia hic erit homo unus singularis, Joan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Hæc verba esse intelligenda de verò Antichristo, docent communiter Sancti Patres, Chrysostomus, Cyrillus in hunc locum; Ambrosius *in 2. ad Thessalon.* 2. Hieronymus epist. ad Algasiam *quæst.* 11. Augustinus *tract.* 29. *in Joan.* Irenæus: sed Christus Joan. 5. opponit sibi ut homini singulari alium hominem itidem singularem. quòd si hic homo oppositus Christo est singularis, & Antichristus ex communi sententia SS. Patrum: sequitur manifestè, Antichristum non esse omnes Romanos Pontifices, quotquot fuerunt, eruntque. Præterea illæ voces *ego* & *alius* judicant personas singulares: & sicut illud *ego* seu Christus significat hominem singularem: ita illa vox alius significat hominem singularem. Tum quia Christus asserit, Antichristum à Judæis recipiendum esse pro Messia: sed Judæi credunt, Messiam unum tantùm futurum hominem singularem. Antichristus igitur erit unus homo singularis, sicut unus propriè est, qui dicitur Christus. Hinc D. Hieronymus in cap. 7. Danielis ait: *Ergo dicamus, quod omnes scriptores ecclesiastici tradiderunt: in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum decem, futuros Reges, qui orbem Romanum inter se divident, & undecimum surrecturum esse Regem parvulum, qui tres Reges de illis decem Regibus superaturus sit, id est Ægyptiorum Regem, & Africæ, & Æthiopiæ, quibus interfectis, etiam septem alii Reges victori colla submittent. Et ecce in Daniel oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, ne eum putemus juxta quorundam opinionem, vel Diabolum esse, vel Dæmonem, sed unum de hominibus, in quo totus Satanas habitaturus sit corporaliter.* D. Augustinus lib. 20. de civit. cap. 23. ait: *Antichristi adversus Ecclesiam sanctissimum regnum, licèt exiguo temporis spatio (nempe tres annos cum medio) sustinendum, donec DEI ultimo judicio Sancti regnum accipiant sempiternum, qui vel dormitans hæc legit, dubitare non sinitur.* Cum Hieronymo, & Augustino sentiunt reliqui Sancti Patres asserentes unicum fore Antichristum; sicut unus est qui propriè dicitur Christus; ita unus erit homo, qui dicitur Antichristus: unde Apostolus 2. ad Thessalon. 2. ait diem Domini non venturum, nisi revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur supra omne, quod dicitur DEUS: & nonnullis interjectis subdit: *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus JESUS interficiet Spiritu oris sui*, scilicet Antichristum. Erit igitur Antichristus unus tantum homo, quem Apostolus vocat hominem peccati, & filium perditionis, ac Christi adversarium, quem JESUS interficiet Spiritu oris sui, quatenus divinitus erit præscitus, & nobis revelatus. Et Joannes Apocal. 13. ait, Antichristum esse bestiam illam, quam vidit ascendentem de mari habentem capita septem, & cornua decem, quia Antichristus septenis capitalibus vitiis coinquinabitur, & decem præcepta decalogi transgredietur; & in id incumbet studii, ut ad similia scelera gentes pertrahat: hæc autem bestia est unica, & singularis; & quæ de ipsa narrantur, non possunt nisi uni convenire homini; ex quibus constat, non posse nomine Antichristi intelligi Romanos Pontifices.

Hisce convicti rationibus nonnulli ex Acatholicis, respondent nomine Antichristi non intelligi omnes Romanos Pontifices quotquot fuerunt, cum plures fuerint pietate, sanctitate, & doctrina insignes, & plures alii gloriâ Martyrii illustres; hi, quia pugnarunt pro Christi fide, non fuerunt Christo adversati; consequenter non possunt nomine Antichristi significari; sed tantum tunc ajunt incæpisse Cathedram D. Petri fieri Romæ Cathedram Antichristi, cum cæpit in illa sedere Papa vitiis coinquinatus: & ex eo tempore cæpisse fieri sedem Antichristi. Sed contra, quia debet tempus assignari, quando facta fuit hæc mutatio in sedem Antichristi; & quisnam fuerit ille Romanus Pontifex, qui incæperit esse Antichristus, seu ex vero Pastore Ecclesiæ, & Christi in militante Ecclesia Vicario hostis Ecclesiæ, & Christi adversarius: & ex supremo dominici gregis Pastore, ejusdem lupus rapacissimus, necibus tantum inhians ovium. Neque ullus hactenus scriptor extitit ex tota antiquitate, qui hujus meminerit mutationis, non enim potuisset tanti momenti mutatio tot historicos, & scriptores latuisse, præsertim cum nequeat majus intervenire discrimen, quàm inter regnum Christi, & Antichristi, cum ex diametro opponantur; neque absque notabilissima mundi perturbatione potuisset hujusmodi mutatio obtigisse.

Respondent Hæretici, hanc mutationem obtigisse non uno temporis momento, neque sub uno tantum vel altero Pontifice, sed successive sensim sine sensu post plures annorum series, qua de causa non potuit hæc mutatio à scriptoribus observari, quemadmodum motus solis non fit nobis sensibilis, solem tamen ivisse, seque movisse experimur, ac videmus, cum non amplius in eodem maneat loco, sed sedem mutaverit matutinam in meridie; & meridianam vespere, ajunt paulatim varias fuisse introductas superstitiones, ut cultum Sanctorum, venerationem imaginum, missas pro defunctis, & alia id genus, quæ sensim fuerunt introducta. Sed contra, quia hæc mutatio debuit incæpisse sub aliquo Pontifice, qui eam incæperit introducere, vel permiserit, qui tamen non assignatur, nec potest assignari. Quod verò ad cultum Sanctorum, venerationem imaginum, & missas pro defunctis attinet, hæc & alia similia, quæ ab Hæreticis vocantur superstitiones, ab initio semper fuerunt in Ecclesia, ut testantur Apostolorum Lyturgiæ, & antiquiores Sancti Patres. Quòd si nulla fuit hæresis orta, cui statim totis viribus non se opposuerint Sancti Patres, & Ecclesiæ Catholicæ Doctores, & omnium hæresum assignantur initia, & earundem authores, quanto magis se opposuissent huic tam essentiali mutationi, ac illius auctori. Præterea non potuisset non esse notabile discrimen inter illum Pontificem, qui primus fuit in Anti-

christum mutatus, & alios prædecessores, neque hoc potuit non innotuisse, ut etiam tempus quo contigit; & tamen nemo reperitur, qui hujus meminerit mutationis, ex tot scripturis, qui ortas in Ecclesia hæreses, & quæcunque in ea singulis temporibus contigerunt, exactè scripserunt. Sunt ex Hæreticis, qui asserunt, Bonifacium III. Romanum Pontificem fuisse primum Antichristum, eò quia sibi usurpaverit titulum Episcopi universalis, ac propterea D. Gregorium Papam, qui vitam usque ad annum tertium ante Pontificatum Bonifacii produxit, prædixisse eum futurum Antichristum. Sed contra, quia inter Gregorium, & Bonifacium vix intercessit triennium, ut ipsi Hæretici fatentur, asserentes eundem Gregorium sanctitate, & doctrina toto orbe fuisse clarissimum, quod si Bonifacius fuisset primus Antichristus, maximum non potuisset non intercessisse discrimen inter vitam, & mores Gregorii, & Bonifacii, siquidem regimen Bonifacii ut Antichristi non potuisset esse sine ingenti in Ecclesia perturbatione; fuisset enim regimen Bonifacii tyrannicum Evangelio directè oppositum. Sed nullum fuit eo tempore notatum in Ecclesia discrimen; neque Bonifacius quod attinet ad vitam, & mores fuit Gregorio dissimilis, & licet nono mense sui Pontificatus obierit, Synodum convocavit, in qua plura constituit, quæ ad profectum sanctitatis, ac perfectionis Christianæ conducunt, & ad Ecclesiæ promovendam utilitatem plurimum valent. Neque ex eo quòd titulum assumpserit Episcopi universalis potuit fieri Antichristus, alioquin etiam D. Petrus, ejúsque successores omnes, & singuli fuissent Antichristi, quia omnes fuerunt Episcopi universales omnium fidelium per universum orbem; fuerunt enim Pastores totius dominici gregis, ad quem pertinent omnes fideles, qui sunt oves Christi. Præterea si titulus Patriarchæ, seu Episcopi universalis constitueret Antichristum, plures olim fuissent simul Antichristi in Ecclesia, siquidem etiam Patriarchæ Constantinopolitani per plures annos eundem titulum sibi usurpârunt, consequenter fuerunt & ipsi constituti Antichristi. Neque Bonifacius hunc titulum accepit à Phoca, quia omnes sui prædecessores eundem habuerant, cum fuerit ipsis ut legitimis sacerdotibus D. Petri concreditum officium pascendi Christi oves, ad quas pertinent omnes fideles. Bonifacius igitur à Phoca tantum impetravit, ut tandem finis imponeretur diuturnæ liti inter Pontificem Romanum, & Patriarcham Constantinopolitanum circa eundem titulum Episcopi, vel Patriarchæ universalis, quem Patriarchæ Constantinopoli contra consuetudinem, & traditionem Sanctorum Patrum sibi usurparunt, & Phocas jussit, ut honor primatûs sedi Apostolicæ D. Petri reservaretur, ac solus Romanus Pontifex titulo Episcopi universalis insigneretur; eò quia illi soli deberetur, juxta primævam Ecclesiæ consuetudinem, ac priscorum in Ecclesia Pontificum usum. Unde Bonifacius hunc titulum à Phoca non impetravit, sed à Christo in persona D. Petri, cum illi injunxit officium pascendi suas oves, Joan. 21. *Pasce oves meas*: hinc Phocas non vocavit Bonifacium III. *Patriarcham Oecumenicum*, sed *caput Ecclesiæ*, declaravit Phocas primam, & universalem sedem in Ecclesia Catholica esse solam illam Romani Pontificis juxta Apostolicam traditionem, usum, & consuetudinem Ecclesiæ, & doctrinam Sanctorum Patrum: hanc Phocæ declarationem refert Paulus Diaconus lib. 4. cap. 11. Historiæ Longobardicæ. Beda, de ratione temporum, Ciaconus in Bonifacio III. Rursus falsum est, Gregorium prædixisse Bonifacium futurum Antichristum; tantum dixit Gregorius usurpatorem tituli universalis *sua elatione præcurrere Antichristum*: aliud est, esse Antichristum; & aliud esse præcursorem Antichristi: verba D. Gregorii lib. 6. epist. 30. sunt hæc: *Ego autem fidenter dico, quia quisquis se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris anteponit.* Non personam dicit Antichristi præcursorem, sed vitium, elationem, ac superbiam. Bonifacius autem non superbia elatus ambivit titulum Sacerdotis universalis propter suam personam, sed tantum optavit ut titulus universalis soli relinqueretur sedi Apostolicæ D. Petri, cui soli dixit Christus: *Pasce oves meas*, scilicet universas, seu omnes fideles, sive sint principes, sive privati, sive pannosi, sive divitiis affluentes. Hinc non Bonifacius III. sed Patriarchæ Constantinopolitani potius dicendi fuissent Antichristi, qui hunc titulum sibi iniquè usurpârunt, ac injuste ex elatione sibi arrogârunt.

Præterea falsum est numerum nominis bestiæ, qui dicitur esse 666. Bonifacio Romano Pontifici competere; non enim Bonifacius hunc numerum reddit, neque Romanus Pontifex, nec Latinus, quia est nomen genericum applicabile cuique nato in Latio, imo & Europeo, quia ab aliis nationibus, præsertim Orientalibus, Turcis, Persis vocantur Latini. Monstrosa est etiam sententia, quam Samosateni invexerunt, scilicet Antichristum statim incæpisse post tempora Apostolorum, quando Papæ cœperunt promulgare, Christum non fuisse purum hominem, sed DEUM simul, & hominem; tunc primus post Petrum Papa cœpit personam inducere Antichristi, quia abolita DEI unitate, DEUM trinum invexit; quasi Apostoli non docuerint, Christum fuisse verum Deum, & hominem; cum Petrus alloquens Christum dixerit: *Tu es Filius Dei vivi*; & Christus non docuerit, tres esse personas divinas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, cum injunxit Apostolis, ut baptizarent omnes gentes *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quinimo ipsi Samosateni sunt potius Antichristi, cum negent, Christum Deum esse: habetur enim 1. Joan. 4. *Omnis enim Spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Illi autem dicuntur solvere Jesum, qui Deum negant, vel diffitentur Deum esse, negántque unionem personæ divinæ cum humanitate, tunc enim dicuntur solvere Jesum, quia negant unionem hypostaticam. Non igitur Romanus Pontifex est Antichristus, quia hic ex diametro Christo opponitur, seque ejus adversarium esse profitetur, siquidem asserit, se verum esse Messiam in lege promissum, & Christi religionem conabitur evertere, ac radicitus evellere, ut docent Sancti Patres, & colligitur ex scripturis Joan. 5. Antichristus enim idem sonat ac contra Christum, perinde ac Antipapa idem significat ac contra verum, ac legitimum Papam, unde Antichristus in omnibus erit Christo contrarius, alioquin non esset ejus adversarius, & non tantùm occultè, verùm etiam manifestè; atqui Romani Pontifices non profitentur se Christi adversarios, nec ipsi contrarios, sed gloriantur Ministros esse Christi, ejúsque in militante Ecclesia Vicarios, & etiam humili obsequio ejus institutis, & præceptis obtemperant, sacrificium illi offerunt, fatentúrque se indignos esse tanto ministerio, & toti in eo sunt, ut & ipsi, & omnes Christiani humillimis obsequiis Christum venerentur, ejúsque cultum per singulos terrarum tractus propagent. Præterea nullus hactenus Pontifex Romanus se dixit Messiam in lege promissum, atqui Antichristus verum se faciet Messiam, imò & verum DEUM, ut innuit Christus

Joan. 5. inquiens: *Si aliūs venerit in nomine ſuo illum recipietis*, hoc eſt tanquam Meſſiam, ut explicant Sancti Patres, & exigit etiam antitheſis, quam ibi producit Chriſtus: & non poteſt recipi pro Meſſia, niſi ipſe Meſſiam ſe eſſe aſſerat. Hinc Antichriſtus erit venturus in nomine ſuo non ut miſſus ab alio, à quo authoritatem acceperit, ſicut Chriſtus venit in nomine Patris ſui, ſed veniet in nomine ſuo, ut habetur Joan. 5. ſcilicet à ſe ipſo authoritatem habens, quam propterea ab alio non accepit, hinc Chriſtus ait Joan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis*, unde id intereſt diſcrimiois inter Chriſtum, & Antichriſtum, quia hic regnet in nomine ſuo quaſi habens ex ſe authoritatem independentem ab alio, Chriſtus verò venit in nomine Patris ſui: ſed Romanus Pontifex non venit in nomine ſuo quaſi tanquam à ſe ipſo authoritatem habeat, ſed ut ſervus, & Miniſter Chriſti, à quo profitetur accipere totam authoritatem, & officium paſcendi ejus gregem. Rurſus cùm primùm erit Antichriſtus venturus recipietur à Judæis pro Meſſia, ut indicat Chriſtus Joan. 5. *Si alius venerit in nomine ſuo*, ſeu propria authoritate, ut Antichriſtus, *illum recipietis*, hoc idem aſſerit etiam Apoſtolus 2. ad Theſſal. 2. ubi ait: *quia charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent, mittet illis DEUS operationem erroris, ut credant mendacio*, ſeu quia Chriſtum ſuſcipere noluerunt, nec eum cognoſcere, ideo permittet Deus, ut ſeducantur ab Antichriſto, queoi pro Meſſia cognoſcant. & accipiant. Apoſtolum verò hîc loqui de Antichriſto, clatet ex præcedentibus verbis: *Cujus eſt adventus ſecundùm operationem Sathanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis, mendacibus, & in omni ſeductione veritatis iis, qui pereunt, eò quod charitatem veritatis non receperunt:* qoibus verbis etiam indicaotur Judæi, qui detrectârunt Chriſtum recipere, eúmque cognoſcere verum Deum, & hominem. Sancti Patres etiam intelligunt communiter de Antichriſto, quem Judæi erunt ſuſcepturi ut Meſſiam promiſſum in lege, D. Hieronymus ad Algaſiam quæſt. 12. expendens verba Apoſtoli 2. ad Theſſal. 2. ait: *Faciet hæc omnia non ſua virtute, ſed conceſſione Dei propter Judæos, ut qui noluerunt ſuſcipere charitatem veritatis, ſeu Spiritum Dei per Chriſtum &c. mittet illis Deus non operatorem, ſed ipſam operationem, id eſt fontem erroris, ut credant mendacio.* Et nonnullis interjectis ſubdit: *Nunc autem ideo judicandi ſunt, imò procul dubio condemnandi, quia Chriſti veritate contempta poſtea mendacium, id eſt Antichriſtum ſuſcepturi ſunt.* Unde expreſsè aſſerit verba Apoſtoli ad Theſſal. eſſe intelligenda de Antichriſto. Cyrillus itidem Catecheſi 15. loquens in eundem ſenſum ait: *Si tanquam Chriſtus ad Judæos veniet, à Judæis ſanè adorari volet, ut illos maximè decipiat, ſtudioſiſſimum ſe oſtendet illius templi, ut ipſe de progenie David eſſe videatur.* Ejuſdem opinionis eſt Auguſtinus Tract. 29. in Joan. ubi ait: *Ego veni in nomine Patris mei, & non ſuſcepiſtis me*, loquitur Chriſtus ad Judæos, qui noluerunt ipſum cognoſcere Filium æterni Patris, in cujus nomine venerat, neque voluerunt illum ſuſcipere negantes eſſe Filium Dei, poſtea ſubdit: *Alius veniet in nomine ſuo. & tunc ſuſcipietis. Significavit eos Antichriſtum ſuſcepturos, qui gloriam nominis ſui quæſiturus eſt.* Unde Auguſtinus expreſsè aſſerit Apoſtolum per illa verba, *alius veniet in nomine ſuo*, loqui propriè de Antichriſto, ut etiam fatetur S. Irenæus lib. 5. de hæreſib. cap. 15. inquiens: *Et Dominus hoc idem non credentibus ſibi dicebat; ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me: cum autem alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis. Alium dicens Antichriſtum, quoniam alienus eſt à Domino*; explicant enim verba Chriſti Joan. 5. loco conditionis *ſi*, quæ aliquam præfefert incertitudinem eventus, ponit particulam *cum*, quæ certitudinem ſignificat eventûs, ut & perſonam certam. Et hunc Antichriſtum aſſerit eſſe à Judæis recipiendum, quorum regnum ſuſcitabit, ut loquitur Hipolitus Martyr de conſummatione ſæculi, ubi ait: *Antichriſtum ſuſcitaturum regnum Judæorum*, & nonullis interjectis ait: Ipſum naſciturum ex Judæis, ſeu ex tribu Dan, & templum Hieroſolymis excitaturum, quem propterea Judæi ut eorum ſalvatorem ſuſcipient, & S. Ephrem Syrus loqoens de conſummatione ſæculi, & de Antichriſto ait: *Supra modum Judæorum gentem honorabit, quod ſcilicet maximè expectent illius adventum, tanquam veri Meſſiæ.* Honorabit Antichriſtus Judæos, & compellet omnes populos judaizare, eò quia Judæi, vel maximè ſint addicti Aotichriſto, quem expectant ut verum Meſſiam, hinc D. Hilarius Can. 25. in Matth. loquens de Antichriſto ait: *A Judæis ſuſceptus loco ſanctificationis inſiſtet.* & D. Gregorius lib. 11. epiſt. 3. ait: *quia Antichriſtus populum judaizare compellit, ut exterioris legis ritum revocet, & ſibi Judæorum perfidiam ſubdat, coli vult Sabbathum.* Hinc communiter Sancti Patres aſſerunt Antichriſtum fore Judæum, ac inſtauraturum templum Hieroſolymitanum, Sabbathum introducturum, ac circumciſiones aliáſque cæremonias promoturum, hinc Nazianzenus orat. 47: ait loquens de extremo judicio, *quod ad hunc locum attinet: abominatio deſolationis ſtans in loco ſancto ajunt fore, ut Hieroſolymitanum templum rurſus extruatur, atque Antichriſtus à Judæis Chriſtus credatur &c.* Atqui nullus hactenus ex ſummis Pontificibus ſe Meſſiam promiſſum in lege dixit, neque pro Meſſia fuit à Judæis receptus, nec ullus ex tribu Dam, imò neque ex Judæis natus fuit.

Sed dices Antichriſtus juxta Danielis Prophetiam cap. 11. *Elevabitur, & magnificabitur adverſus omnem Deum*: atqui Romanus Pontifex hanc elationem affectat, & ſe extollit ſupra omne, quo dicitur Deus, quatenus ſe extollit ſoper Reges, & ſopra Epiſcopos omnes, de quibus ait David: *Ego dixi Dii eſtis.* Sed contra, quia in nullo Pontifice ex iis, qui hactenus fuerunt, fuit jactantia tanta, ut ſupra Deum ſe extulerit, nullus qui ſe Deum eſſe fuerit faſſus, nullus qui ut DEUS coli voluerit, bene tamen omnes, & ſinguli fuerunt gloriati titulo ſervorum Dei, imò & dici voluerint ſervi ipſorum ſervorum DEI, & Miniſtri Chriſti: & nullus hactenus fuit Princeps vel Rex, qui in ſuis diplomatibus humili hoc titulo uſus fuerit. Neque hactenus ullus fuit ex Cathólicis tam vecors, ut Romanum Pontificem aſſeruerit eſſe colendum ut Deum, quamvis metaphoricè, & impropriè fuerit quis in terris Deus dictus, eò quia vices DEI in terris geſſerit, quo pacto DEUS Exodi 7. dixit Moyſi: *Conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus*, ſimili modo Principes, & Judices Pſal. 81. *Dii vocantur.* Quamobtem oullus Pontifex ſe elevavit ſupra omne, quod dicitur Deus, conſequenter nullus hactenus propter hanc elationem fuit Antichriſtus. Quòd ſi extollere ſe ſupra id, quod dicitur Deus, aliud non intelligatur eſſe, quàm extollere ſe ſupra Reges Chriſtianos, & Prælatos eccleſiaſticos, id non eſt quidquam per ſe malum, quia de facto D. Petrus fuit à Chriſto conſtitutus Paſtor totius dominici gregis Princeps Apoſtolorum, eò quia vices Chriſti geſſerit: de ratione

autem

autem summi Pastoris est præesse omnibus ovibus Christi, & quia Reges, Principes, & Prælati omnes ecclesiastici, sunt oves Christi, & pertinent ad ejus ovile, ideo Romanus Pontifex, cui est injunctum officium pascendi dominicum gregem, debet in spiritualibus præesse omnibus Regibus Christianis, & Principibus, ac aliis Prælatis ecclesiasticis, in quos omnes potest exercere suam euthoritatem, ec potestatem utriusque gladii. Præterea Antichristus perinde se faciet Deum sicut Principes Æthnici, vincet enim impietate, & superbia omnes, sed ex Principibus Æthnicis plures fuerunt, qui non solùm extulerunt se supra utriusque gladii potestatem, verùm etiam honores divinos sibi arrogârunt, & ut Numina voluerunt adorari, ut legitur de Nabuchodonosore, Caligule, Nerone, aliisque Æthnicis Principibus: unde Christus non solùm supremam Principis euthoritatem affectavit, cui omnes mortales subsunt, verùm etiam pro vero DEO, quia divinis volet obsequiis edoriri, ut indicat Apostolus inquiens: *Ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit DEUS*, nimirum ut adoretur, quinimo Apocal. 13. omnes adiguntur divine obsequia illi exhibere, & detrectantes cultum divinum ei dare jubentur occidi, non secus ac tres pueri Hebræorum sub imperio Nabuchodonosoris. Neque hoc nomen DEUS eb Apostolo 2. ed Thessal. 2. sumitur metaphoricè pro Principe vel Judice, sed propriè pro eo, cui solet hoc nomen in propria significatione tribui, ait enim Apostolus, *qui adversatur, & extollitur supra omne id, quod dicitur DEUS*: atqui hactenus nullus fuit Romenus Pontifex, qui somniaverit, se esse supra Deum, cum quilibet titulo glorietur servi servorum Dei; unde quamvis ratione officii supremi Pastoris præsint omnibus fidelibus, consequenter Principibus omnibus Christianis, & Episcopis, inde nullus se jactavit esse supra Deum, consequenter ob hanc jactantiam nullus hactenus ex summis Pontificibus fuit Antichristus. Rursus quie Antichristus negabit Christum esse Deum, seque ipsum esse Messiam fatebitur, qui enim negat Christum esse Deum, hic Antichristus est, eit enim Joan. 2. Eum esse Antichristum, qui negat Jesum esse Christum, scilicet Messiam in lege promissum, quia ducitur spiritu Antichristi, qui hoc penitus erit negaturus, ut se Messiam in lege promissum faciat. Sed Romani Pontifices tantum abest, quòd Christum negent esse Deum, ut plurimi pro tuende hac veritate sanguinem fuderint, & martyrium gloriosè consummaverint, & omnes Pontifices hactenus semper promoverunt cultum præstandum Christo vero DEO, & homini, consequenter nullus hactenus fuit Antichristus. Tum quie Danielis 3. de Anchristo dicitur: *Elevabitur adversus omnem Deum, neque quemquam Deorum curabit, quia adversus universa consurget*, quod de nullo ex Romanis Pontificibus asseri potest, nullus enim fuit, qui præsumpserit elevari adversus DEUM, cum omnes humili obsequio fuerint semper prosecuti; consequenter ex hoc capite nullus ex Romanis Pontificibus fuit hactenus Antichristus. Prætere quia Antichristus, ut loquuntur Sancti Patres, jactabit se esse verum Deum, & adiget homines ad eum adorandum ut verum Deum: & nullus Romanus Pontifex fuit hactenus ita vecors, & stolidus, ut voluerit ab hominibus DEUM censeri, tametsi Vicarius sit Christi. Sed dices, si Antichristus haberi volet pro DEO, & omnibus aliis Diis edversebitur, quos propterea erit exterminaturus, non videtur quomodo Daniel. 11. dici poterit: *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur*, sed respondent communiter, quòd tametsi Antichristus publicè se gerat pro Deo, privatim tamen in loco aliquo remoto, vel in arce clausa, vel etiam domo poterit Diabolum colere, cujus operâ in omnibus utetur, à quo propterea omnem successum erit expectaturus.

Objiciunt tamen Acatholici, primò quia Paulus 2. ad Thessal. esserit, suo tempore cœpisse in mundo versari Antichristum, ait enim *Mysterium jam operatur iniquitatis*: sed non potuit loqui de vero Antichristo, sed tantùm de præcursore Antichristi, qui tunc fuit Pontifex, siquidem eit Antichristum in fine mundi esse à Christo occidendum. Neque de ullo tantùm Pontifice verbe Apostoli intelligenda sunt, sed etiam de omnibus successoribus, ut eit Beza in 2. Thessal. 2. inquiens: *Manifestè sunt hallucinati, quicunque de uno quopiam homine putârunt hoc intelligi, nisi dent mihi quempiam, qui à Pauli seculo ad diem usque judicii superstes maneat.* Et firmat hanc sententiam ex illo Joan. 1. cap. 4. *Omnis Spiritus, qui solvit Jesum, ex DEO non est, & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc jam in mundo est.* Secundò nititur Beza ex eo, quia Daniel. 7. per nomine singularum bestiarum ursi, leonis, parthi non intelliguntur singulares Reges, sed singula regna, quorum unum quodque multos Reges continet. Hinc etiem Paulus 2. Thessal. 2. per hominem peccati, & filium perditionis non intelligit unam singularem personem, sed corpus compactum ex pluribus tyrannis. Terriò etiam Calvinus hoc idem docet in cap. 2. 1. epist. Joan. ubi asserit: Eos delirare, ac sponte errare, qui unum certum hominem futurum credunt Antichristum, cum D. Peulus 2. Thessal. 2. asserat Apostasiam venturam, & ejus caput Antichristum futurum: etenim Apostasia est defectio quædem generalis à fide, quæ unum corpus, unúmque regnum complectitur, & non est opus unius tantum vel alterius enni, sed plurium, quod à pluribus completur paulatim. Hæc sunt fundamenta, quibus Hæretici nituntur, ut probant Romenos Pontifices à tempore D. Pauli fuisse Antichristos. Sed quàm falsò id esserant statim liquebit: Ad primum desumptum ex D. Paulo respondetur, Apostolum scripsisse ad Thessal. *Mysterium jam operatur iniquitatis*, eò quia tunc temporis cœperit occultè grassari Antichristus, non quidem in sua proprie persona, sed in suis præcursoribus, seu hominibus iniquis scelera sceleribus adglutinentibus, quique errores docebant ad subvertendos fideles: etenim dicimus Christum ab origine mundi cœpisse in mundum venire, non quidem in proprie persona, sed in Patriarchis, & Prophetis, qui ejus doctrinam annontiabent, posîtque propterea Diis Christus ab initio mundi cœpisse operari opera redemptionis nostræ, tametsi nondum in sua propria persona venerit: ita tametsi tempore D. Pauli nondum fuerit Antichristus in mundo, cœpit tamen in suis præcursoribus operari iniquitatem in Hæreticis, ac Principibus persequentibus Ecclesiam Dei, ut fuerunt Nero, Caligula, qui omnium primi cœperunt oppugnare Christi Ecclesiem, ut etiam Simon Magus, qui se Christum esse fatebetur, quamvis Antichristus in propria persone non sit in mundum venturus, nisi in fine sæculi, per mysterium igitur iniquitatis, de quo loquitur D. Paulus 2. ed Thessal. 2. intelligitur non solùm persecutio spiritualis Simonis Magi, sed etiam temporalis Neronis, ambæ enim persecutiones fuerunt figuræ persecutionis Antichristi. Hunc fuisse verum sensum D. Pauli esserunt S. Patres intelligentes per mysterium iniquitatis persecutionem Neronis, ut D. Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, & alii.

Alii verò per mysterium iniquitatis intelligunt Hæreticos, qui tempore Apostolorum cœperunt grassari, clam decipientes fideles, & retrahentes à cultu Christi, & veri Dei, ut explicat D. Augustinus *lib. 20. de civit. Dei cap. 19.* Præterea si, ut objiciunt Hæretici, Antichristus in propria persona natus fuisset tempore Apostolorum, inde sequeretur Petrum, & Paulum propriè fuisse Antichristos saltem occultos, & Neronem, ac Simonem Magum fuisse verum Christum: siquidem tempore Apostolorum Romæ non fuerunt nisi Petrus, & Paulus. Neronem autem fuisse Christum, est manifestissima insania, ut & Simonem Magum, ambo itaque fuerunt præcursores Antichristi propter utramque persecutionem spiritualem Simonis, & temporalem Neronis in Ecclesiam, & Christi fideles. Ad illud, quod addebatur ex Joanne, respondetur omnem Spiritum solventem Jesum, seu negantem ejus divinitatem, ac unionem personæ divinæ cum humanitate non esse ex DEO; unde cum Hæretici negaverint hanc in Christo divinitatem isti, si non in persona fuerunt Antichristus, præcursores tamen extiterunt Antichristi: unde cum Joan. 1. dicitur, *hic est Antichristus*, intelligitur, quòd sit præcursor Antichristi propter iniquitatem, & hæresim, qua nititur populos seducere. Loquitur enim Joannes eo modo, quo loquitur Dominus de Elia Matth. 17. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia; dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum*, non quidem quòd venerit Elias in sua persona, sed in suo simili, id est in Joanne Baptista præcursore Christi. Ad aliud desumptum ex Daniele respondetur, non semper per singulares bestias intelligi singula regna. Siquidem per unam bestiam interdum significatur unum regnum, ut in capite 7. ubi per Leonem intelligitur regnum Assyriorum, & per ursum regnum Persarum, ut etiam per pardum regnum Græcorum, per aliam bestiam innominatam regnum Romanorum: interdum per unam bestiam non integrum regnum, sed una tantum Regis persona significatur, quo pacto per hircum significatur Alexander Magnus. Præterea negatur consequentia, quia D. Paulus per *hominem peccati* non intelligit unam ex quatuor bestiis descriptis à Daniele; sed intelligit illud cornu parvulorum, quod prævaluit apud Danielem decem cornibus quartæ bestiæ, seu unum illum Regem, qui licèt parvus adeo erevit, ut omnes alios Reges suo subjecerit imperio. Ad tertium respondetur, Apostasiam multipliciter posse intelligi, quo pacto plures Patres Græci per Apostasiam significatam à D. Paulo volunt ab Apostolo indicari Antichristum, vel præcursores Antichristi, quia sicut per Apostasiam homines se separant à vera religione, ita Antichristus, & ejus præcursores sejunguntur à cultu veri Numinis; ita sentiunt Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius. Sed D. Augustinus *de civit. cap. 19.* per Apostasiam metonymicè tantùm asserit intelligendum esse Antichristum, quatenus hic pluribus erit causa recedendi à verò Deo, veraque religione; vel sumendo abstractum pro concreto; quia erit tam magnus Apostata, ut dici possit ipsamet Apostasia. Deinde aliquando per Apostasiam intelligitur defectio à Romano imperio, & ita intelligunt D. Paulum Ambrosius Sedulius, & alii. Quod si per Apostasiam velimus intelligere defectionem à vera Christi fide, ac religione, ut exponit Calvinus; adhuc D. Paulus fuit locutus de Hæreticis, qui sub Ecclesiæ initio defecerunt à fide Jesu Christi, quique trahebant alios in eosdem errores; per quam Apostasiam fuerunt imitati Antichristum venturum in fine sæculi, seu mundi, qui propterea similitudinariè hæc Apostasia vocatur à D. Paulo Antichristus, qui in id incumbet studii, ut plures seducat. Neque D. Paulus loquitur de Apostasia plurium sæculorum; sed de illa Apostasia, quâ suo tempore plures defecerunt à vera fide, & quam vocat Antichristum similitudinariè. Quòd si concederemus, Apostolum fuisse locutum de Apostasia plurium annorum, non tamen inde sequeretur Papam esse Antichristum, quia deberet assignari quisnam ex Pontificibus Romanis defecerit à vera fide Jesu Christi; & quia hactenus nullus defecit in Papa, ideo nullus hactenus fuit Antichristus: eo ipso quòd Papa deficit à fide, non est amplius de corpore Ecclesiæ, consequenter nec caput Ecclesiæ; unde repugnat, posse Papam fieri Antichristum, & simul esse Papam, quia esset, & non esset caput Ecclesiæ. Quod si Antichristus dicitur, qui deficit à vera fide, Lutherani, & alii Acatholici dicendi potius sunt Antichristi, quàm Catholici, quia Hæretici defecerunt à fide, ac religione [illegible] suorum majorum.

CAPUT XXI.

Ostenditur Antichristum nondum venisse, nec esse venturum, nisi usque in finem mundi, consequenter nullum Romanum Pontificem hactenus fuisse Antichristum.

Plures irrepserunt in vulgus de tempore adventus Antichristi errores, plures tam Catholicorum, quàm Hæreticorum opiniones; illi quamvis asseruerint, Antichristum non venturum nisi in fine mundi, quod veritati est consonum; erraverunt tamen circa tempus quo sit mundus dissolvendus, putarunt plures, finem mundi esse propinquiorem, quàm revera sit. Hæretici verò censent Antichristum venturum multo ante finem mundi, quorum plures credunt jam venisse, ac esse Romanum Pontificem, quod delyrium rejecimus in præcedenti capite. Ex Catholicis asserentibus Antichristum non venturum nisi in fine mundi, censuerunt plures statim sub initium Ecclesiæ tempore Apostolorum debuisse mundum dissolvi, eo quia ex sex mundi ætatibus quinque jam dulapsæ fuerint, & sexta, quæ incepit cum Christi nativitate, sit cæteris brevior; præsertim cum malitia super terram cresceret semper major, hos tamen Apostolus 2. ad Thessal. 2. reprehendit: & S. Cyprianus lib. 3, epist. 1. ait: *Imminente Antichristo paret ad prælium milites.* Et lib. 4. epist. 6. *Scire debetis, ac pro certo credere, ac tenere, pressuræ diem super caput cœpisse esse, & occasum sæculi, atque Antichristi tempus appropinquasse.* D. Hieronymus epist. ad Ageruchiam de Monogamia scribit: *Qui tenebat de medio fit, & non intelligimus Antichristum appropinquare.* Quòd si temporibus S. Cypriani, & Hieronymi finis mundi jam imminebat, post tot sæcula, quæ à temporibus illis fluxerunt, debuisset jam contigisse, præsertim cum sexta mundi ætas sit præcedentibus brevior, D. Gregorius Papa lib. 4. epist. 38. scripsit: *Omnia*

Omnia quæ prædicta sunt fiunt, Rex superbiæ est, seu Antichristus. Et homil. 1. in evangelia expressè asserit; finem mundi instare; & tamen nondum post tot sæcula mundi finis advenit. Non tamen Sancti Patres errârunt, sed quod ipsi fuerunt suspicati, & ex variis signis potuerunt conjicere, ex zelo, ac desiderio retrahendi homines à vitiis, & peccatis, & vocandi ad pœnitentiam promulgarunt, non quod fuerint mentiti, quia quod credebant, & ut in animo sentiebant, dixerunt, quod non fuit ire contra mentem.

Quidam tamen audaciores prædicere præsumpserunt, quo tempore, & etiam anno esset mundus finiendus. Fuit referente D. Hieronymo lib. de viris illustribus, qui asseruerit mundum finiendum anno post partum Virgineum ducentesimo. Et Lactantius lib. 7. cap. 25. divinar. Institut. ait: *Omnis expectatio non amplius quàm ducentorum videtur annorum.* Censuit Antichristum venturum ante annum ducentesimum à sua ætate, & cum ipse vixerit imperante Constantino anno Christi 300. ex ejus opinione debuisset finis mundi contigisse anno à Christo nato 500. unde & ipse ex signis, & conjecturis malè intulit, quo tempore debuisset contingere finis mundi. D. Augustinus lib. 18. de civit. cap. 53. recenset errorem aliorum, qui asseruerunt mundum finiendum anno 400. ab ascensione Domini, & aliorum adstruentium mundum perseveraturum usque ad annum 1000. & non ultra, qui tamen omnes luculenter errârunt, quo pacto etiam fuerunt decepti quidam Æthnici, qui referente Augustino ex nescio quo responso divino collegerant Christianam Religionem non perseveraturam, nisi annis 365. Refert etiam Platina in vita Paschalis II. fuisse Florentiæ Episcopum, qui promulgavit finem mundi futurum anno 1105. & asseruit Antichristum tunc natum fuisse, & ea de causa fuisse Florentiæ Concilium congregatum à Paschali II. cui interfuerint Episcopi 340. Fuit etiam celebris alia sententia multorum opinantium, mundum duraturum sex millibus annorum additis diebus sex, quia cùm Deus mundum condiderit diebus sex, & mille anni apud Deum perinde sit ac dies una, hinc inferunt numerum millenarium apud Deum esse tanquam diem externum, proinde ex senario numero dierum, quos Deus impendit in mundo condendo, ajunt mundum duraturum annis sex millibus, ut referunt Justinus *quæst.* 71. *ad Gentes*, Irenæus *lib.* 5. Lactantius *lib.* 7. *cap.* 14. Hilarius *in cap.* 17. *Matth.* Hieronymus *in Psalm.* 89. & huic sententiæ non est dissona opinio Thalmudistarum asserentium suum vaticinium hausisse ab Elia Propheta. Quæ opinio nondum potest falsitati redargui, quia à mundo condito fluxerunt anni quinquies mille, & circiter septingenti, & licet alii asserant fuisse elapsos à mundo condito supra sex mille annos, id tamen ab aliis non approbatur, hinc D. Augustinus hanc sententiam probabilem putavit, quam ut probabilem etiam secutus est *lib.* 20. *de civit. cap.* 7. Verùm cùm non fuerit revelatum, quo anno sit mundus dissolvendus, quælibet opinio de tempore futuro videtur probabilitatem aliquam secum trahere, quia eum nesciamus an hoc vel illo anno sit mundus finiendus, hæremus semper ancipites, nec quidquam certi possumus affirmare, quapropter Augustinus acriter eos reprehendit, qui asserunt certo aliquo tempore mundum finiendum, cum Dominus dixerit Actor. 1. *Non esse nostrum scire tempora, & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Hæretici Samosateni degentes in Transylvania putârunt Antichristum paulò post tempora Apostolorum apparuisse, nimirum quando cœperunt homines promulgare, Christum esse Filium Dei æternum, censent enim ipsi, Christum esse purum hominem, & in Deo unicam tantùm esse personam, & hanc fidem à Christo, & Apostolis fuisse edoctam gentes: sed post mortem Apostolorum Romanum Antichristum seu Papam abolevisse in Christo suam naturam, & introduxisse alium Christum æternum, qui non esset amplius purus homo, sed Deus, & homo, ac docuisse Deum non esse unum ac trinum. Verùm hæc sententia quàm falsa, quàm vana, & ab omni probabilitate aliena sit, statim apparet, etenim Antichristus cùm primùm venerit, se ipsum venditabit Deum, ut facilius homines decipiat, trahátque in suam perditionem, ut scribit Apostolus 2. *ad Thessal.* 2. Secus Romanus Pontifex nunquam se ipsum fecit Deum, sed tantùm Christum constare ex humana natura, & divina persona hypostaticè eidem unita gentes edocuit. Rursus asserentes post Christi, & Apostolorum mortem extinctam fuisse penitus veram Christi fidem per Antichristum, & in toto mundo adoratum postea fuisse Christum ut Deum, adversantur sacris scripturis, quia Christus prædixit contra Ecclesiam suam, non prævalituras portas inferi *Matth.* 16. Et Angelus Luc. 1. prædixit regnum Christi æternum futurum, seu nunquam mutandum, unde apparet, quàm falsa, & vana sit opinio Samosatenorum: si ex scripturis portæ inferi non sunt prævalituræ adversus Ecclesiam, si Christi regnum est perseveraturum in æternum non potuit statim post necem Christi immutari, & desinere. Illyricus putavit Antichristum venisse, quando cœpit Romanum imperium declinare, ac diminui, & ex historiis constat hanc diminutionem cœpisse Romanum imperium experiri post annum decimum Honorii, seu anno 412. juxta computum Blondi *lib.* 1. *dec. Historiar.* ab inclinatione Romani imperii, quia tunc Roma ab hostibus capta plurimum fuit detrimenti passa, & ejus imperium divisum. Verùm Illyricus non videtur loqui de nativitate Antichristi, sed potius de ejus conceptione, quia ipse *Centuria* 6. *cap.* 1. asserit Antichristum conceptum fuisse initio anni 400, postea animatum, formatum, ac enutritum materna in alvo circa annum 50. & postremo anno 406. natum sub Phoca imperante, quando hic Imperator Romano Pontifici concessit, ut caput diceretur totius Ecclesiæ. Rursus *Centur.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. asserit Antichristum regnaturum annis 1260. gladio tamen spirituali, quo cladibus animarum infernum opplebit, quia gladio temporali, ut ipse loquitur, erat regnaturus annis 466. & inde concludit mundi finem adfuturum, primum numerum infert ex cap. 2. Apocal. ubi ait Joannes, tempus Antichristi duraturum diebus mille ducentis sexaginta, putat Ilyricus esse hic sumendum diem pro anno. Posteriorem numerum deducit ex 13. cap. Apocal. ubi numerus bestiæ dicitur esse 466. Hæc verò sententia revellitur à Bellarmino *lib.* 3. *de Roman. Pontif. cap.* 3. quia inde sequeretur, Antichristum non solùm natum fuisse, verùm etiam & mortuum, consequenter mundi finem jam advenisse, idque ex eo probat, quia Pontifex Romanus cœpit gladium temporalem, seu dominium bonorum temporalium anno 499. quia tunc Aripertus dono dedit Romano Pontifici alpes Cocias, ubi nunc est Liguria, quam donationem anno 714. confirmavit Luitbrandus, ut refert Ado Viennensis in Chronico illius temporis: & non paulò post anno scilicet 755. Pipinus Romanis Pontificibus Exarchatum Ravenatem cum non exigua Italiæ portione etiam dono dedit, ut narrant Reginus, Ado, Sigebertus, Blondus, & alii,

alii, unde si anno 755. incœpit regnum Antichristi, & duravit annis 666. sequitur cessasse anno Christi 1421. adeo ut jam fluxerint fere trecenti anni, à quo tempore Antichristus obierit. Rursus hic error ex eo etiam dejicitur, quia inde sequitur posse dignosci, quo die erit mundus finiendus, quod adversatur scripturis *Actor.* 1. *& Matth.* 24. cum enim Discipuli interrogâssent Magistrum Christum, quando dies judicii futurus erit, respondit Christus de die illa neminem scire, nec filium hominis, quòd verò Sectatoribus hujus sententiæ innotesceret, ex eo ostenditur facile, quia exploratum est apud ipsos, quo tempore cœperit Antichristus regnare gladio spirituali scilicet anno 406. Rursus iisdem innotescit, quòd erit regnaturus tantùm annis 1260. & tunc statim venturum Dominum ad judicium, unde scirent extremum judicium futurum anno 1866. quòd si dies illa est nobis incerta, quam Christus nec suis Discipulis revelatam voluit, necesse est fateantur se nescire, quo tempore erit Antichristus nasciturus.

Chytræus in comment. 9. Apocal. cum Illyrico asserit, Antichristum jam venisse in mundum anno scilicet à Christo nato 600. & expressè ait D. Gregorium fuisse primum Pontificem Antichristianum. Verùm quoad tempus durationis Antichristi Chytræus non videtur assentiri Illyrico, sed tantùm in eo quòd asserat, Antichristum venisse in mundum anno 600. idque probat, quia eo tempore Gregorius invexit in Christi Ecclesia invocationem Sanctorum, & missas stabilivit pro defunctis. Tum quia anno 606. Bonifacius III. Papa impetravit à Phoca Imperatore titulum Episcopi universalis. Tum quia hic annorum numerus congruit cum numero nominis Antichristi, quod continet numerum 666. ut habetur in Apocal. cap. 13. quinimo Chytræus addit ex hoc numero nominis Antichristi inferri tempus, quo confirmatum fuit à Pipino regnum Antichristi. Verum hæc sententia etiam facilè revellitur, quia falsum est, fuisse D. Gregorium, qui primus in Ecclesia Sanctos jusserit invocari, & missas pro defunctis offerri, id enim moris fuit in Ecclesia tempore Apostolorum, & D. Ambrosius, qui ducentis annis vixit ante Gregorium in lib. de viduis, ait: *Observandi sunt Angeli Martyres, obsecrandi*, & lib. 2. epist. 8. ad Faustum de obitu Sororis hæc habet: *Itaque non tam deplorandam, quam prosequendam orationibus reor; nec mœstificandam lachrymis tuis, sed oblationibus animam ejus DEO commendandam.* Quòd si tempore D. Ambrosii cultus Angelis, & Sanctis Martyribus exhibebatur, si Sacrificia pro defunctis offerebantur, hæc Sanctorum invocatio, & pro defunctis missæ inventæ non fuerunt à D. Gregorio, sed multis seculis antea moris fuit in Ecclesia, ut Sancti invocarentur, ac missæ pro defunctis celebrarentur. Lutherus in supputatione temporum utriusque adventus Antichristi, duos enim ponit ipse adventus, unum cum gladio spirituali post annum Christi 600. quando Phocas Romanum Pontificem caput omnium Ecclesiarum voluit vocari, & asserit, Gregorium fuisse ultimum Romanum Pontificem. Alterum adventum ait esse cum gladio temporali post annum Domini 1000. quòd etiam docet Bibliander in Chronico tabul. 11. & 13. adeo ut in primo adventu conveniant simul Lutherus, & Bibliander cum Centuriatoribus, nisi quòd Lutherus, & Bibliander asserant, Gregorium fuisse Sanctum Pontificem, Centuriatores verò cum Chytræo velint, Gregorium præ omnibus introduxisse Antichristum. In secundo autem adventu Lutherus apertè dissentit à Centuriatoribus. Hæc sententia quàm falsa sit, etiam statim apparet, falsum enim est, quod ait Lutherus, adventum Antichristi contigisse anno 600. id enim jam rejectum est superiùs. De anno 1000. etiam facilè rejicitur, etenim Lutherus eatenus eo tempore ponit initium regni temporalis Antichristi, quia tunc Gregorius VII. Romanus Pontifex deposuit Imperatorem Henricum IV. qui temporaliter dominabatur. Sed certum est, ante id temporis consuevisse Romanos Pontifices ut supremos Pastores dominici gregis ad defendendas Christi oves Principes seculares anathemate percutere, regnóque temporali spoliare, sic Gregorius II. anathematizavit Leonem Imperatorem, quem etiam regno Italiæ spoliavit, ut narrant Cedrenus, & Zonora ad annum 715. Præterea ut omnes Historici scripserunt dominium temporale cœpisse Romanos Pontifices possidere anno 700. seu trecentis annis ante millesimum, unde falsum est, initium regni temporalis incœpisse in Romano Pontifice anno millesimo. Bullingerus in præfatione ad humilias suas in Apocal. censet, Antichristum apparuisse anno 763. & ex eo deducit hanc suam sententiam, quia in Apocal. cap. 13. ubi ponitur numerus nominis bestiæ 666. dicit significari eo numero tempus adventûs Antichristi, hoc est, quòd esset venturus post annos 666. post scriptam Apocalypsim: ex Irenæo autem constat, Apocalysin illam scriptam fuisse circa finem imperii Domitiani, seu circa annum Christi 97. ex quo infert, Antichristum venisse anno 763. Non enim Joannes per bestiam illam intellexit Romanum Pontificem, ut perperam somniant Hæretici. Neque per Antichristum voluit significari supremum in Ecclesia Pastorem, quapropter Hæretici absque ullo fundamento interpretantur scripturas, prout ipsis magis placet.

Dicendum est, Antichristum nondum advenisse, neque esse venturum, nisi post finem mundi, seu paulò ante diem extremi judicii. Quòd nondum advenerit, habetur in sacris scripturis, siquidem 2. ad Thessal. 2. monet Apostolus, ut nemo sibi persuadeat instare diem Domini, nisi revelatus fuerit Antichristus. Quòd si revelatio Antichristi est signum extremi judicii, & finis mundi, quia extremum judicium nondum advenit, ita neque Antichristus, cujus revelatio, seu nativitas ponitur ab Apostolo signum extremi judicii jam imminentis. Rursus Matth. 24. cùm Discipuli à Magistro Christo petiissent aliqua signa dignoscendi secundum adventum, & consummationem seculi, Christus numeravit quinque signa, quæ debent antecedere, quorum primum est, magna perturbatio inter homines, inquiens: *Surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum. & erunt pestilentia, & fames, & terra motus per loca. Hæc sunt initia dolorum.* Secundum est, quia plures à Pseudo-Prophetis seducentur, & in perditionem trahentur: *Et multi Pseudo-Prophetæ surgent, & seducent multos*, quia sicut Christus ante suum adventum plures præmisit præcursores, qui eidem in hominum mentibus viam pararent, hominésque disponerent ad illum recipiendum: perinde Antichristus habet plures præcursores, quales sunt Hæresiarchæ, qui plures seduxerunt, ac traxerunt in proprios errores, hi enim dicuntur Antichristi præcursores. Tertium signum est Evangelii prædicatio, & promulgatio per singulas mundi partes: *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Quartum signum erit maxima tribulatio, qualis ab initio mundi inter homines non fuit, & cujus symbolum fuit calamitas, quæ Judæos pressit in urbis Hierosolymitanæ excidio; hæc enim calamitas proximum indicabit adventum

extremi

extremi judicii diem, ait enim Irenæus lib. 5. cap. 30. *Cum vastaverit Antichristus omnia in hoc mundo regnans annis tribus mensibus sex, & sederit in templo Hierosolymis, tunc veniet Dominus de cœlis in judicium*; & Tertullianus de resurrectione carnis cap. 27. *Hoc scribit, hoc ipso, quod ait, donec ira prætereat, quæ extinguet Antichristum, post iram ostendit processuram carnem è sepulchris, in qua ante iram fuerit illata*; & oonnullis interjectis subdit: *Post Antichristi eradicationem agitabitur resurrectio.* Quintum signum erit perturbatio elementorum, ac siglorum cœlestium, quæ statim post inchoatam persecutionem incipient moveri, simúlque immisceri; Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, neque erit multa mora inter adventum Christi, & finem sæculi, ot etiam colligitur ex Apocal. cap. 6. v. 13. Undecrm primum hæc signa apparebunt, statim aderit Antichristus, & hoc etiam videtur significari cap. 7. Daniel. ubi postquam Propheta vidit cornu parvulum orrum inter decem cornua quartæ bestiæ loquens grandia contra altissimum, statim vidit thronos positos, & antiquum dierum sedentem ad judicandum orbem. Per hoc autem cornu significari Antichristum, asserunt Sancti Patres, quia ut habetur Daniel. 7. *Aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum adversus Sanctos, & prævalebat eis, donec venit antiquus dierum, & judicium dedit Sanctis.* Hinc D. Hierooymus in cap. 11. Daniel. ait: *Nostri & melius interpretantur, & rectius, quod in fine mundi hæc sit facturus Antichristus, qui consurgere habet de modica gente, id est, de populo Judæorum*; & expressè asserit, hanc esse sententiam commnnem Christianorum, & assentitur eidem Augustinus lib. 20. de civit. cap. ult. inquiens: *Isto itaque judicio, vel circa illud judicium has res didicimus esse futuras, Eliam Thesbitem. fidem Judæorum, Antichristum persecuturum Christum venturum judicaturum, & mortuorum resurrectionem*; nonnullis interjectis subdit: *Quæ omnia quidem ventura esse, credendum est, sed quibus modis, & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia.*

Quòd si dicas, signa illa extremi judicii jam præcessisse: siquidem in toto mundo jam prædicatum fuit Evangelium juxta illud Matth. *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe, & tunc veniet consummatio.* Sed contra, quia hæc prædicatio noodum fuit completa, etenim non circa annum Christi 600. vel 700. quo tempore solent Hæretici ponere adventum Antichristi, quia postea fuerunt conversi ad fidem Catholicam Wandali, Poloni, & & plures alii, quos constat non audivisse aotea Evangelii prædicationem, & tantùm eam cœpisse audire circa annum Christi 800. etiam fatentur Centuriatores *Centur. 9. cap. 2. col. 15. & 18.* Neque fuit completa prædicatio Evangelii tempore Bernardi, quo Musculus putat, Antichristum advenisse in mundum, quia ipse Bernardus lib. 3. de consideratione asserit, adhuc suo tempore fuisse plures gentes, quæ nondum audierant Evangelium, imò neque hac nostra ætate fuit per totum orbem hæc Evangelii prædicatio completa, siquidem dietim Inveniuntur in Oriente, & Occideote Regiones, in quibus nulla extat Evangelii memoria. Neque videtur probabile in vastis illis Americanis Regionibus floruisse fidem Catholicam, cujus nunc nullum superstes apparet vestigium: si enim ibi fuisset fides Catholica, aliqua saltem ibi superessent signa, uode absque ulla probabilitate id asseritur, præsertim cum novus orbis tantum tempore Columbi fuerit detectus, nec innotuerit Apostolis, qui tantùm prædicarunt Evangelium in Asia, Africa; & Europa. Quòd si dicas, Evangelium esse prædicandnm in toto orbe, non esse intelligendum de toto orbe simpliciter, & rigorosè, sed tantùm sumendo totum pro parte, quæ figura est usitata in scripturis sacris. ut cum Luc. 2. dicitur: *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*, non enim per universum orbem intelligitur novus orbis in America, cum Americana regio non fuerit descripta. Præterea quia Paulus ad Roman. 10. scribit: In omnem terram exivisse soo tempore sonum Apostolorum scilicet in partem terræ Asiæ, Africæ, & Europæ. Rursus ad Colloss. 1. scribit *à spe Evangelii, quod pervenit usque ad vos, sicut & in toto mundo est fructificans, & crescens*, & infra, *quòd prædicatum est in universa creatura, quæ sub cœlo est.* Sed respondetur, Evangelium non per figuram, sed propriè, ac simpliciter esse prædicandum in toto mundo, ac in omnibus gentibus, ut ubique locorum constituantur Ecclesiæ, ut docet D. Augustinus epist. 80. ad Hesychium, & communiter sentiunt cæteri Sancti Patres, idque etiam potest ratione evinci. Primò, quia Christus prædixit prædicationem universo mundo signum fore consommationis sæculi, cum postea subdat: *Et tunc veniet consummatio*, sin autem non propriè, sed tropicè prædicandum esset Evangelium in toto mundo, hoc signum parum haberet ponderis, quia Apostoli per se ipsos prædicârunt in toto mondo. Præterea D. Augustinus observat, omnes gentes esse Christo promissas, Psal. 71. *Omnes gentes servient ei*; & Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, 1. ad Rom. 5. v. 18. & 19. *Sicut per unius delictum omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam omnes homines in justificationem vitæ, sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituentur multi.* Paulina antithesis tota est, ut ostendat, quòd sicut justitia, seu meritum Christi ad omnes homioes se dilataverit, quibus profuit; ita Adæ peccatum omnibus obfuit, excepta una Deipara Virgine repugnante Concilio Tridentino, à quo excipitur ab avita labe; hinc Apocal. cap. 7. describuntur electi ex omnibus gentibus, & tribubus, & linguis; onde prædicatio itidem debet esse generalis. Demum quia Matth. 24. dicitur, Evangelium esse prædicandum in toto mundo, in testimonium omnibus gentibus, oe scilicet gens olla in die judicii suam possit infidelitatem excusare prætextu ignorantiæ; unde ante generale judiciom debet Evangelii prædicatio in omnes prorsus gentes præcedere. Neque obstant textus D. Pauli ad illud ad Rom. 10. *In omnem terram exivit sonus eorum*; respondent interpretes, Apostolum accepisse præteritum pro futuro, sicut præstitit etiam David, cujus illa sunt verba. Neque enim tempore David prædicatores Evangelii extiterunt, neque futuri erant, nisi post Christum in terris natum: unde æque David, ac Apostolus Paulus usurpârunt præteritum pro futuro: & cum ad Coloss. 1. scripsit, Evangelium esse in toto mundo, id non intellexit actu, sed virtute; quatenus per Apostolos satum jam fuerat semen verbi divini in mundo, in quo deboit germinare, ac optatos parere fructus. D. Thomas cap. 10. ad Rom. ait, duobns modis pervenisse Evangelium ad omnes gentes per famam, & per proprios prædicatores; & ait priori modo pertinoisse Evangelium ad omnes gentes totios mundi tunc noti, scilicet tempore Apostolorum, asseritque de hoc modo loqui Apostolum. Secundò modo non pervenisse actu, sed tantùm virtualiter in semine, ac perventurum postea actu.

Ex eo itidem evincitur, Antichristum nondum advenisse, quia Antichristus perniciosissimam movebit persecutionem in Christi militantem Ecclesiam in toto orbe, eritque persecutio generalis, qualis antea non fuit, ut omnes Christi fideles seducat, ac in perditionem pertrahat: quinimo sibi adhærentibus certum imprimet signum, ut nemo se profiteatur ejus cultorem, nisi qui hoc signo fuerit notatus: Matth. 24. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modò neque fiet:* Sed hactenus nullus ex summis Pontificibus hanc persecutionem movit in Christi Ecclesiam, imò eam defenderunt ab iniquis aggressoribus, ornarunt virtutibus, illustrârunt doctrina: ergo nullus ex summis Pontificibus hactenus fuit Antichristus; neque nondum hic venit in mundum. Quod enim Christus Matth. 24. loquatur de ultima tribulatione, quam erit Antichristus excitaturus in universam Christi Ecclesiam, ex eo liquet, quia subdit: *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur*, quia tunc erit dies extremi judicii, & mundi machina dissolvetur: unde Apocal. 20. dicitur: *Cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas*, hoc est, persequendam Ecclesiam: unde acrior tunc erit tribulatio, quàm unquam fuerit ab ullo tyranno in Ecclesiam, & martyres excitata. Erit enim persecutio generalis per totum Antichristi imperium, ut colligitur ex verbis illis: *Et circuierunt castra Sanctorum, & dilectam civitatem*, per quæ verba significatur Ecclesia ubique diffusa per singulas mundi partes, & ab Antichristo vexanda, ac molestiis affligenda; ad eum finem, ut Christi fideles ad suum perducat cultum, ac in æternam trahat perditionem, constat ex cap. 13. *Et data est ei potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adoraverunt eum omnes inhabitantes terrarum, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ*; & aliquibus interjectis additur: *Et datum est ei, ut faciat, ut quicunque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur*, per imaginem bestiæ adorandæ intelligitur Antichristus, qui ad sui cultum studebit omnes pertrahere. Atqui nihil horum hactenus ab ullo summo Pontifice legitur factum: ergo nullus hactenus Romanus Pontifex fuit Antichristus, qui propterea nondum venit in mundum. Non enim Romani Pontifices retrahunt populos à cultu veri DEI, quin potius ad illi debita præstanda obsequia pertrahunt; & per Apostolicos Missionarios gentes convertunt ad cultum veri Dei, ad Christi cognitionem, ac venerationem, ejusque religionis professionem. Respondent Hæretici novi, Romanos Pontifices tunc excitâsse horribilem persecutionem in Ecclesiam, quàm jusserunt occidi eorum socios: exaggerant ipsi hanc persecutionem, quam tamen sibi absque ullo fundamento imaginantur: siquidem quando Imperatores Romani persecuti sunt Ecclesiam, & jusserunt occidi Romanos Pontifices, hæc persecutio non fuit Antichristi, quia non fuit universalis. Alii respondent, tunc Pontifices ipsos excitâsse persecutionem Antichristi, quando Acatholicos jusserunt vel flammis extingui, vel ferro obtruncari: sed neque ista persecutio fuit universalis, sed solum paucis in locis, ubi degebant Hæretici infestantes Christi ovile, ac in perditionem trahentes Christi oves. Præterea Antichristus persequetur Catholicos, quia avitæ sunt religioni addicti, quam fideliter servant; sed Romanus Pontifex persequitur Hæreticos, quia deseruerunt avitam religionem, & fidem veram. Antichristus persequetur Christi fideles, quos avertat à cultu veri DEI, & Christi, & eos adigat ad cultum sui: Pontifex verò nullum adigit ad sui cultum, sed insequitur Hæreticos, ut revertantur ad veram fidem, verúmque cultum Jesu Christi, quem sui majores fuerunt professi. Antichristi persecutio toti orbi innotescet, quem susdeque evertet, omnesque mundi partes concutiet: sed persecutio Romani Pontificis contra Hæreticos pacem mundi non turbat, neque illos persequitur ut perdat, vel perniciem patiantur, seu ut reversi ad veram fidem bene vivant, & æternam salutem consequantur: imo persecutio Pontificis in Hæreticos extinguit fomenta dissensionum, seu delet errores, & veritatis splendore dissipat caligines hæresum, ac invehit tranquillitatem. Rursus Antichristus sua persecutione totam turbabit Ecclesiam, quam pressuris affliget, angustiabit, adeo ut vix possit illi obsistere: quia Antichristus, donec interimatur, prosperabitur, & singula ipsi contingent ad vota, ut habetur Daniel. 7. *Roborabitur fortitudo ejus, & supra quam dici potest, universa vastabit, & prosperabitur, & faciet, & interficiet robustos, & populum Sanctorum secundùm voluntatem suam.* Persecutio verò Pontificis in Hæreticos fermè nullum habet optatum effectum, quia Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ, & alii Sectarii hujus temporis, quamvis veritas illis aperiatur, & hæc ab iisdem agnoscatur, difficulter ad avitam fidem revertuntur; ut perspicuum est in pluribus Transylvaniæ, Hungariæ, Germaniæ, Hollandiæ, ac Angliæ regionibus, in quibus Catholici sunt populis illis exosi.

Præterea si persecutio Pontificis adversus Lutheranos, Puritanos, Calvinistas, & alios Acatholicos esset persecutio Antichristi, inde sequeretur præfatos Hæreticos esse sanctos Dei altissimi, qui ab Antichristo conteruntur juxta Prophetiam Daniel. 7. *Ipsi sunt castra Sanctorum, & civitas dilecta*, quam Sectatores Antichristi obsidebunt, prement, affligentque, ut habetur Apocal. 20. Sed quia hoc idem ipsi affirmant, seque asserunt Sanctos, ut & eorum Sectam civitatem dilectam perpendendum est, an Illustres hæ nomenclationes conveniant omnibus Hæreticorum Sectis Calvinistarum, Anabaptistarum, Zvvinglianorum, vel uni tantum ex ipsis, sed neutrum est verum, ergo utrumque falsum, non enim possunt convenire omnibus, quia cum vera religio, vera fides, & veritas sit una tantùm, quæ homines sanctos constituit, & sine qua est impossibile DEO placere, nequit hæc sanctitas inesse omnibus Hæreticorum Sectis, quarum fides, & religiones sunt perquam diversæ, ac inter se pugnantes, adeo ut quod una affirmat, hoc idem altera negat, dissentiunt enim in primariis fidei articulis, seque vicissim hæreseos damnant; etenim Calvinistæ negant in sumptione Eucharistiæ sumi veram, & realem Christi Domini humanitatem: secus Lutherani affirmant, in ipsa manducatione esse sub speciebus Eucharisticis veram Christi humanitatem, & hanc à sumentibus comedi; utraque propositio impossibile est, sit vera, alioquin idem simul esset, & non esset, quod est luculenta contradictio, & implicantia in terminis, ergo si Lutherani verum asserunt, Secta Calvinistarum necesse est, sit falsa, eò quia falsitatem doceat, consequenter non omnes Sectæ Hæreticorum sunt Sanctæ, non omnibus conveniunt prærecensitæ illustres nomenclationes: pari pacto Calvinistæ protestantes dissentiunt à Puritanis, & hi omnes ab Anabaptistis, ab Arianis, ex quibus clarè constat, non posse omnes has Sectas esse castra Sanctorum, & civitatem illam dilectam, de qua loquitur Daniel. Quòd nec etiam una ex his possit dici hæc civitas dilecta assignanda est, quænam illa sit, quia

singulæ

singulæ Sectæ æque asserunt, esse hanc civitatem, eò quia quemlibet asserat, suam doctrinam esse purum Dei verbum, hoc est enim unicum fundamentum, cui nituntur singulæ Sectæ, cum non possit ullum è sacris scripturis textum adferre in probationem suæ sententiæ, sed si Calvinistæ velint hanc gloriam sibi vendicare, statim insurgunt contra ipsos Lutherani, & hoc ipsi negant ob plures, ac enormes errores, quos in iisdem deprehenderunt: quòd si Lutherani velint ipsi sibi arrogare hunc titulum, insurgunt contra ipsos Calvinistæ, non pauciores errores Lutheranis objicientes; & ita de quacunque alia Secta in particulari, adeò ut nulla possit adferri ratio, cur potiùs una; quàm alia dicenda sit hæc civitas dilecta cùm singulæ singulis adversantur, & errores contra fidem, contra scripturas, contra Evangelium, & veritatem sibi invicem objiciunt. Quòd si Calvinistæ sibi arrogent hunc titulum civitatis dilectæ, sequitur Antichristi etiam esse antiquiorem Ecclesiam Christi, eò quia multis sæculis ipse Calvinista antecesserit, ut & Lutherus, si enim quæratur, ubi erant Sectæ Calvinistarum, & Lutheranorum, antequam nascerentur Calvinus, & Lutherus, respondent hujusmodi Sectas fuisse tunc invisibiles, eò quia non fuerint ausæ metu Pontificis Romani suam profiteri religionem. Quòd si erant invisibiles, quæritur quanto tempore fuerint in tali statu, & quandonam inceperint, antequam nascerentur Calvinus, & Lutherus, cùm non possit initium assignari, neque quanto tempore extiterint, sequitur sine principio, & fine vel fuisse infinitas, & extitisse ante Christi Ecclesiam, vel quòd fuerint mera somnia adinventa, ut possent aliquo pacto respondere, quòd si hujusmodi Sectæ dicantur fuisse visibiles, tenentur assignare, ubinam fuerint immoratæ, & quomodo Pontifices per Inquisitores curaverint eos apprehendi, ac puniri? deinde quomodo sciant eas ante Lutherum, & Calvinum extitisse, cùm nullus sit scriptor, nullus Historicus, qui ita referat, neque ullum hujus rei sit vestigium. Tum quia sciunt omnes, Lutherum fuisse antea Catholicum, & Religiosum, ut etiam Calvinum Presbyterum sæcularem, & Sacerdotem, & utrumque defecisse ab avita, ac vera Religione, quòd si ab initio Lutherus, & Calvinus fuerunt Catholici, & Romano Pontifici obsecuti, non potuerunt eorum Sectæ nisi post eorum defectionem à fide Catholica incepisse. Quòd si antequam deficerent à fide, erat vera Ecclesia Jesu Christi, cujus & ipsi membra erant, sequitur ante ipsos fuisse veram fidem, cui cum Lutherani, & Calvinistæ non conformentur, sequitur manifestè eos fuisse deceptos, & manere in errore, consequenter Romanum Pontificem non esse Antichristum, sed verum supremum Pastorem totius dominici gregis, quem vera doctrina pascit. Tum quia Antichristi persecutio non erit diu duratura, ut colligitur ex illo Matth. 24. *Nisi enim breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro.* Persecutio autem Pontificis in Hæreticos statim ab initio Ecclesiæ incepit, & semper duravit, quoties nova surrexerunt hujus hydræ capita, ergo neque ex hoc capite persecutio Romani Pontificis est persecutio Antichristi, præsertim quia Antichristus ita erit persecuturus omnes Christi fideles, ut satagat omnes publicum Christi cultum delere, ut colligitur ex *cap. 12. Daniel.* & Romanus Pontifex non tollit, nec minuit Christi cultum, sed admititur illum semper adaugere, ac firmiùs stabilire, ac propagare in omnes mundi regiones, quod ex diametro opponitur Antichristo, qui innumerabili veluti exercitu premet Ecclesiam, ut colligitur ex Apocal. 20. ubi dicitur, *quòd Sathanas tunc solutus exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris, & ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt castra Sanctorum, & civitatem dilectam, & descendit ignis de cœlo, & devoravit eos:* atqui nullus hactenus ex Romanis Pontificibus talem exercitum congregavit, nec illo fuit persecutus Lutheranos, Calvinistas, Anabaptistas, & alios Hæreticos, cujus persecutio propterea nondum fuit illa Antichristi.

Præterea de Antichristo dicitur, quòd varia erit miracula patraturus, apparentia tamen quatenus speciem externam operis miraculosi videbuntur habere; cum re ipsa inania, & falsa erunt, eò quia præstigia Diaboli, ac ejus ope fient. Habebit itidem Ministros varios, & quemdam primarium Pseudo-Prophetam, qui similia erit patraturus, & quidem eo fine, ut omnes homines credant, Antichristum esse verum Messiam, quem pro vero DEO cognoscant, eique debitum obsequium exhibeant: atqui nihil eorum competit Romano Pontifici, pauci enim sunt, qui miracula patrârunt, & qui miracula fecerunt, fuerunt Pontifices singulari sanctitate insignes, vel martyrio, pro Christo tolerato gloriosi: rursus nemo illorum hominum, qui mortem simulaverit, visus est excitare, nemo ignem de cœlo in terram evocare: nemo vocem imagini tribuere, hæc enim tria speciatim recensentur, quorum primum tribuitur Antichristo, & reliqua duo ejus Pseudo-Prophetæ. Demum quia Pontifices nunquam habuerunt aliquem primarium Pseudo-Prophetam, qui homines compelleret sub pœna mortis ad ipsius adorationem, neque ad eum finem signa miraculosa effecerunt: quòd verò Antichristus sit hujusmodi miracula præstigiis, & ope Diaboli patraturus, liquet ex scripturis: 2. ad Thessal. 2. *Cujus est adventus secundum operationes Sathanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus:* siquidem munitus erit tota Diaboli potestate, alioquin ejus adventus non esset in omni virtute Sathanæ. Hæc tamen prodigia, & signa Apostolus vocat mendacia, eò quia erunt vera signa supernaturalia, sed tantùm illusiones oculorum, ac præstigiæ. Rursus Apocal. 13. de bestia Antichristi dicitur: *Dedit illi Draco virtutem suam, & potestatem magnam: & vidi unum de capitibus suis,* (seu, ut interpretantur expositores, videbitur signari unus de septem Principibus, qui se illi sponte submittent, cum tres alios prælio vicerit, ut habetur Daniel. 7.) *quasi occisum in mortem, & plaga mortis ejus curata est, scilicet bestia, & admirata est universa terra post bestiam, & adoraverunt Draconem, qui dedit potestatem bestiæ, & adoraverunt bestiam.* se enim Antichristus Deum faciet, & hominem, ac suam asseret humanam naturam assumptam à divinitate in unionem hypostaticam. Ex his omnibus constat, quàm falsò Hæretici asserant, Romanum Pontificem esse Antichristum, quod etiam evinci potest ex sede Antichristi, quæ erit Jerosolymis: siquidem Antichristus erit Judæus, seque Judæorum dicet Messiam in lege ipsis promissum, à quibus pro tali recipietur juxta scripturas sacras, & Sanctos Patres, unde sedem suam constituet in Judæa, seu in terra divinitus promissa, & in urbe Hierosolyma, de cujus gloria plura narrantur in scripturis, quæ à Judæis tribuuntur terrenæ Jerosolymæ, qualis erit sub Messia. Quòd si Antichristus suam Romæ sedem figeret, non posset se Judæis Messiam venditare in lege promissum, quia non occuparet sedem David, neque eam adimpleret, quæ de gloria, & imperio urbis, ac templi instaura-

staurationе putant prædicta fuisse à Prophetis, præterea quia Judæi arbitrantur, Romam esse contaminatam idololatriâ gentilium in antiquis Imperatoribus, & cultu Christi in Romanis Pontificibus, & est civitas ipsis exosa, eò quia à Romanis eorum principatus fuit deletus oppida, & civitates solo æquata templum, & Sacerdotium sublatum, ex quibus, si Antichristus suam Romæ sedem figeret, non posset Judæis se eorum Messiam venditare. Tum quia id infertur ex cap. 11. Apocal. ubi de Antichristo dicitur: quòd erit bellum moturus contra illos duos Prophetas, & illos occisuros: *Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magna, qua vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est.* Sed Dominus non Romæ, sed Hierosolymis fuit cruci affixus. Neque obstat, quòd Hæretici asserant, hæc esse intelligenda tropicè, ut solent, quando verborum proprietas iisdem adversatur, asserunt enim hic signari Romam, quia ibi Dominus magis quàm usque alibi per peccata crucifigitur. Sed contra, quia juxta regulam generalem Sanctorum Patrum verba scripturæ, quando non sequitur inconveniens, debent intelligi in sensu proprio, & uti sonant, alioquin nihil certi possemus ex iisdem habere, possent enim semper omnia detorqueri in sensus tropicos improprios, & metaphoricos, idque adeo est necessarium, ut Lutherus ipse hanc regulam servandam suis Sectatoribus præscripserit, etenim in captivitate babilonica cap. de Sacramento panis ait: *Verbis divinis non est ulla vis facienda, neque per hominem, neque per Angelum, sed quantum fieri potest servanda sunt in simplicissima significatione, & nisi manifestè circumstantia cogat extra grammaticam, & propriam accipienda non sunt, ne detur adversariis occasio universam scripturam eludendi: quo consilio rectè Origenes olim repudiatus est, quod ligna, & omnia, qua de paradiso scribuntur contempta grammatica locutione in allegorias vertit.* Quamobrem cum nullum sit inconveniens assignabile, quo cogamur à proprietate verborum recedere standum eidem erit. Præsertim quia scriptura voluit clarè insinuare, ubinam essent illi occidendi, cùm enim dixisset, *qua vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus*, quia id videbatur quid involvere obscuri, ne in errorem fuissemus lapsi, quæ esset illa civitas, clarius expressit per signum notissimum mortis Christi, addidit enim *ubi Dominus eorum crucifixus est*, omnes enim sciunt, Christum Hierosolymis fuisse cruci affixum, quòd si fuisset locutus de crucifixione per peccata, res fuisset longè obscurior, quia peccata, quæ Romæ perpetrantur, non sunt tanta, & talia, quæ finguntur ab Hæreticis, neque sunt manifesta, alioquin punirentur, proinde si de crucifixione per peccata intelligerentur verba Apocalypsis, res fuisset longè obscurior, ac implicatior. Tum quia tempore Antichristi Roma amplius non erit, ut colligitur ex Apocal. 13. ubi ait Joannes: Decem illos Reges, qui brevi tempore regna possidebunt, odio habituros fornicariam, eámque igne composturos, & regnum suum tradituros bestiæ, scilicet Antichristo. Postea explicans, quænam mulier hæc fornicaria sit, ait: *Mulier, quam vidisti, est civitas magna, qua habet regnum super Reges terra:* his enim verbis clarè exprimitur Roma, qualis fuit tempore S. Joannis, & qualis futura sit sub finem mundi, ut interpretantur Expositores: ergo cum Antichristus suam non sit sedem fixurus Romæ, sed Jerosolymis, sequitur sedem Apostolicam non esse, nec dici posse sedem Antichristi, ut communiter asserunt Sancti Patres, Irenæus lib. 5. cap. 30. loquens de Antichristo ait: *Sedebit in templo Hierosolymis*, cui adheret Hipolitus Martyr de consummat. sæculi, ubi loquens de Antichristo ait: *Templum construet Hierosolymis confestim extructum tradet Judais.* Et addit: Fore Antichristum suscipiendum à Judæis pro Messia, Cyrillus *Catechef.* 15. similia profert inquiens: *Antichristus in templo Dei sedet, quale autem hoc templum dicit? In templo, quod reliquum est Judaorum.* Hylarius Can. 25. in Matth. *A Judais susceptus loco sanctificationis insistet*, scilicet in templo Hierosolymitano, & hisce Sanctis Patribus adhæret in cap. 11. Daniel. ubi ait: *Nostri & melius interpretantur, & rectius, quòd in fine mundi hac facturus sit Antichristus, qui consurgere habet de modica gente, id est, de populo Judaorum, & tam humilis erit, atque despectus, ut ei non detur honor regius, & per insidias, & fraudulentiam obtineat principatum, & brachia pugnantis populi Romani expugnentur ab eo, & conterantur, & hoc faciet, quia simulabit se esse faderis, hoc est legis, & testamenti DEI &c.*

Ex brevitate iidem regni Antichristi clarè evincitur, Romanum Pontificem non esse, nec dici posse Antichristum, siquidem ejus regnum erit perbreve, & solum per tres annos cum medio illud possidebit, est enim certum ipsum non regnaturum, nisi tres annos cum medio postquam omnia obtinuerit, cœperitque Ecclesiam generatim persequi, idque colligitur ex Daniel. 7. *Tradentur in manus ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Prophetam ibi loqui de Antichristo, fatentur etiam ipsi Hæretici. significat enim illum persecuturum Sanctos ad tempus scilicet ad tempora, hoc est, duos annos, ut legit D. Hieronymus, & dimidium temporis, hoc est, medium annum, unde ad tres annos cum medio tantùm erit regnaturus, per tempus enim D. Hieronymus intelligit annum unum, & per tempora in plurali annos duos, quibus additus unus, & medius constituunt annos tres cum medio, quòd etiam Daniel didicit ab Angelo, à quo petiit *usque quo finis horum mirabilium*, quæ ipse in superiore visione viderat regni, & persecutionis Antichristi, tunc enim juravit Angelus, quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis significans tres annos cum medio, quibus elapsis erunt cessatura mirabilia illa, quæ viderat Daniel. Hoc idem etiam innuitur Apocal. cap. 11. ubi ait Joannes: *Calcabunt gentes civitatem sanctam per menses quadraginta duos*, hoc est, tres annos cum medio oppriment impiè Ecclesiam sub Antichristo. Et cap. 12. ait: *Mulier* (scilicet Christi Ecclesia) *quam persequitur Draco* (scilicet Antichristus) *fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum à Deo, ut ibi pascat eam diebus mille ducentis sexaginta.* seu usque prope finem persecutionis, hoc idem etiam significatur paulò infra sobdens: *Data sunt mulieri ala dua Aquila magna, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alatur per tempus, & tempora. & dimidium temporis*, scilicet per tres annos cum dimidio. Hoc idem etiam adstruunt Sancti Patres. Irenæus lib. 5. cap. 3. *Cum vastaverit Antichristus, hic omnia in hoc mundo regnans annis tribus, & mensibus sex, & sedebit in templo Hierosolymis. Tunc veniet Dominus.* Lactantius lib. 7. divin. Instit. cap. 17. *Dabitur ei desolare orbem terrarum mensibus quadraginta duobus.* Hyppolitus orat. de consummat. sæculi ait: *Dimidium hebdomata pradicabunt Propheta*, (scilicet Enoch, & Elias) *dimidium hebdomata, hoc est, tres annos cum dimidio regnabit Antichristus super terram, postea auferetur regnum ejus, & gloria.* D. Hieronymus in cap. 7. Danielis explicans illa verba *usque ad tempus*, ait:

Tempus

Tempus annum significat, tempora juxta hebraici sermonis proprietatem, qui & ipsi dualem numerum habent, duos annos præfigurant, dimidium autem temporis sex menses, quibus sancti potestati Antichristi permittendi sunt, ut condemnentur Judæi, qui non credentes veritati susceperunt mendacium: & in cap. 12. subdit: *Tribus enim medio anno, hoc est, mille ducentis nonaginta diebus Sanctos persecuturus est; & postea corruiturus in monte inclyto, & sancto.* Augustinus itidem lib. 11. de civit. cap. 23. explicans locum Danielis 7. *Et tradentur in manus ejus usque ad tempus Antichristi, adversus Ecclesiam sævissimum regnum licèt exiguo temporis spatio sustinendum, donec Dei ultimo judicio Sancti regnum accipiant sempiternum, qui vel dormitans hæc legit, dubitare non finitur.* Censet Augustinus, neminem, qui ratione utitur, posse de hac veritate dubitare. Theodoretus etiam in idem cap. 7. Danielis asserit hanc phrasin per tempus, & tempora &c. explicari in fine capitis 12. Per dies mille ducentos nonaginta, & ita etiam sentiunt reliqui Patres.

Accedit etiam evidens demonstratio nostræ assertionis ex adventu Enoch, & Eliæ, qui adhuc vivunt ad eum finem, ut venienti Antichristo opponantur, simulque conservant Electos in fide Christi, & tandem Judæos convertant, quod cum certum sit, nondum id contigisse, certissimum est Antichristum nondum venisse, consequenter nullum hactenus ex summis Pontificibus fuisse Antichristum. Quòd verò adventus Enoch, & Eliæ nondum sit impletus, ac debeant ad prædictos fines venire, habetur in scripturis Malach. 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniet dies Domini magnus, & convertet corda Patrum ad filios, & corda filiorum ad Patres eorum.* Eccles. 48. de Elia legitur: *Qui receptus est in turbine ignis, in turbine equorum igneorum, qui inscriptus est in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor Patris ad Filium, & restituere tribus Jacob*: & cap. 44. *Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.* Matth. 17. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Apocal 11. *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus* 1260. Hos textus esse intelligendos de Henoch, & Helia fatentur omnes interpretes, qui Prophetæ in fine mundi tempore Antichristi venturi sint in propriis personis, quia verba Malachiæ non possunt intelligi de aliis Doctoribus, quia Malachias expressè asserit, ab Helia convertendos esse Judæos, & propter Judæos præsertim mittendum, ut constat ex illo, *mittam vobis*; & ex Ecclesiastico: *Restituere tribus Jacob*; recentiores verò Hæretici Judæos non converterunt, propterea non possunt præcitati textus intelligi de Luthero, Calvino, aliisque Eresiarchis, ut putant Hæretici. Neque possunt intelligi de Joanne Baptista ad literam, quia Malachias loquitur de secundo adventu Domini, in ordinem ad judicandum mundum: quia ait: *Antequam veniet dies Domini magnus, & horribilis*; seu dies extremi judicii. Primus enim adventus non dicitur dies magnus, & terribilis; sed *dies salutis, tempus acceptibile*; & Joannes Baptista fuit Christi præcursor in primo adventu, non verò in secundo, de quo subdit: *Ne forte veniens feriam terram anathemate*; seu ne veniens ad judicium, & inveniens omnes iniquos, omnem terram condemnem, ideo mittam Heliam, ut habeam aliquos, quos salvem. In primo autem adventu Christus non venit judicare, sed judicari, nec homines damnare, sed salvare. Quòd etiam Ecclesiast. 48. sermo sit de Henoch, & Helia, non de aliis personis, ex eo liquet, quia Ecclesiasticus dicit Henoch venturum, *ut det gentibus pœnitentiam, qui translatus est in paradisum*; & Heliam venturum ad restituendas tribus Israel, qui in curru equorum igneorum raptus fuerat: quæ omnia non conveniunt, nisi ipsis personis Henoch, & Heliæ, cum describantur in scripturis cum hisce circumstantiis. Quòd vero Jansenius asserat, ex hoc loco non posse convinci Heliam venturum, eò quia posset responderi, Ecclesiasticum id scripsisse juxta receptam suo tempore opinionem, quà credebatur ex verbis Malachiæ, Heliam in propria persona venturum ante Messiam, quamvis id non esset adimplentum in propria persona; sed tantum in eo, qui venturus erat in Spiritu, & virtute Heliæ, quod est contra communem sensum Sanctorum Patrum. Sed Jansenius fuit postea aliter opinatus, quia in cap. 17. Matth. docet, locum Malachiæ non posse intelligi ad literam, nisi vero Helia; & quia Ecclesiasticus Malachiam explicat, adigitur etiam ad intelligenda verba Ecclesiastici de vera, & propria persona Heliæ. Ut etiam verba Christi Matth. 17. intelligi debent de vera, & propria persona Heliæ, non verò de Joanne: quia Joannes jam venerat, & absolverat cursum suum; & nihilominus Christus dixit: *Helias venturus est.* Tum quia Apostoli, qui quæstionem moverunt de Helia, fuerunt Petrus, Jacobus, & Joannes sumpta occasione ex transfiguratione Domini, ubi viderunt Moysem, & Heliam stipantes latera Christi; propterea interrogabant: *Quid ergo Scribæ dicunt, quia Heliam oportet venire primum*; loquebantur enim de Helia, quem viderant in vertice montis Thaboris; quibus respondit Christus: *Helias quidem venturus est, & restituet omnia*; loquebatur de illo Helia, qui apparuerat in transfiguratione, quia discipuli de illo particulari interrogarant; idque etiam declarant illa verba, *& restituet omnia*, quod non præstitit Joannes Baptista, nec ullus alius: siquidem restituere omnia, perinde est, ac omnes Hæreticos, Judæos, & etiam plures ab Antichristo deceptos convertere ad veram fidem. Rursus Enoch, & Heliam esse venturus in ultimis diebus obstituros Antichristo, fatentur communiter Sancti Patres, D. Gregorius *lib. 21. cap. 36. & lib. 9. cap. 4. Moral.* D. Augustinus *lib. 9. cap. 6. de Genes. ad literam.* Damascenus lib. 4. cap. 28. Beda Richardus, & reliqui Doctores, ad eum siquidem finem rapti fuerunt, ac vivi servantur in carne mortali, aliquando tamen morituri; ut venirent, seque opponerent Antichristo: hinc Irenæus *lib.* 5. loquens de Henoch, & Helia ait: *Dicunt Presbyteri, qui sunt Apostolorum discipuli; eos qui translati sunt (scilicet in paradisum terrestrem) illuc translatos esse, & ibi manere usque ad consummationem, conspicantes incorruptionem.* Et Tertullianus lib. contra Judæos cap. 1. de Henoch ait: *Qui necdum mortem gustavit, ut æternitatis candidatus.* Epiphanius in Ancorato de Henoch, & Helia ait: *Illi duo permanent in corpore, & anima propter spem.* Cum igitur Henoch, & Helias nondum redierint, concludendum est, Antichristum nondum venisse, consequenter nullum hactenus ex summis Pontificibus fuisse Antichristum.

Idque ex eo potest itidem evinci, quia Antichristus non erit venturus, nisi paulo ante universale judicium, cum non sit regnaturus ante mundi solutionem, nisi tribus annis cum medio: si igitur Antichristus jam diu venisset, ut asserunt Hæretici, & fuisse Romanum Pontificem jam diu judicium universale fuisset peractum, & mundus solutus, utrumque esperimento deprehenditur falsum: ergo Antichristus

christus nondum venit, nec ullus ex Romanis Pontificibus fuit Antichristus. Antichristum esse tantùm venturum in fine mundi, constat ex sacris scripturis, Daniel enim cap. 7. his loquitur de Antichristo, una vice narrat visionem suam; & alia vice illam explicat: & utraque vice subjungit post Antichristum illico extremum sequuturum judicium, ait Daniel: *Considerabam cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum est, & tria de cornibus primis avulsa sunt à facie ejus. Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquum dierum sedit.* Nonnullis interjectis explicans hanc visionem subdit: *Bestia quarta quartum regnum erit. Porro cornua decem, decem Reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit*; & postea subdit: *Et tradentur in manu ejus per tempus, tempora, & dimidium temporis*, scilicet ut superius ostendimus, per annos tres cum dimidio, quo tempore erit duraturum Antichristi regnum. Danielis visioni consonat illa Joan. 20. *Post hæc oportet illum solvi modico tempore, & vidi sedes, & sederunt super illas, & judicium datum est eis.* Præterea Daniel cum dixisset cap. 12. Antichristi regnum duraturum diebus mille ducentis, & nonaginta, subdit: *Beatus qui expectat, & pervenit usque ad dies mille trecentos, & triginta quinque*, seu usque ad dies 45, post mortem Antichristi: quia tunc Christus veniet ad judicium, daturus victoribus coronas gloriæ, ut explicant Sancti Patres, præsertim D. Hieronymus in commentario hujus loci. Hoc idem indicatur in novo testamento Matth. 24. *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo mundo in testimonium omnibus gentibus, & tunc erit consummatio*; seu paulo post erit finis mundi. Addit enim post aliqua interjecta: *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur; & luna non dabit lumen suum; & tunc apparebit signum filii hominis*; & D. Paulus scribens ad Thessal. 2. scribit: *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus JESUS interficiet Spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui.* Asserit Apostolus immediatè post Antichristum, venturum Christum, quatenus brevissimum intercedet tempus, & fraudes, ac doli Antichristi, per Enoch, & Heliam destruentur; sed per ipsum Christum mox venturum totaliter delabuntur. Si igitur ex scripturis Enoch, & Helias tempore Antichristi sunt redituri in mundum, & nondum fuerunt in mundum reversi, sequitur Antichristum nondum venisse. Rursus si Antichristi regnum erit brevi tempore duraturum annis tribus tantum cum dimidio, evidens est regnum summorum Pontificum non esse regnum Antichristi, cum duraverit jam per tot sæcula, & sit duraturum usque ad consummationem sæculi.

CAPUT XXII.

Expediuntur reliqua de Antichristo, quibus demonstratur futurus verus homo.

Sunt qui putant, Antichristum futurum Dæmonem incarnatum teste Damasceno lib. 4. cap. 27. Beda Hieronim, quia si esset Dæmon incarnatus, deberet suppositum creatum Dæmonis uniri naturæ humanæ; & creatum suppositum utpote finitum, ac limitatæ virtutis non potest hypostaticè uniri alteri naturæ: consequenter Antichristus dici nequit Dæmon incarnatus. Sed erit purus, & verus homo, quia D. Paulus 2. ad Thessal. 2. scribit de Antichristo: *Ille homo peccati* vocat hominem peccati, quatenus plura erit enormissima peccata patraturus, ac gentes seducturus: & Daniel. 7. *Ecce oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia*: eritque morti obnoxius, quia interficietur à Christo. Et Dominus *JESUS interficiet eum Spiritu oris sui.* Calvinus in 1. Joan. 2. vult nomine Antichristi non significari ullum specialem hominem, sed generalem quandam defectionem, & apostasiam, inquiens: *Sponte errant, ac delirant, qui unum credunt hominem fore Antichristum*: quia Apostolus 2. ad Thessalon. 2. significat esse apostasiam, seu defectionem generalem constituentem unum corpus per aggregationem plurium apostatantium. Verum id rejicitur, ut à vero prorsus alienum: quia sicut Christus nunc pro JESU solo intelligitur, & nunc pro ipsius Christi sectatore: ita vox hæc Antichristus propriè sumitur pro uno singulari certo Christi hoste: & communiter pro quocunque Christi adversario, 1. Joan. 2. *Antichristus venit, attamen Antichristi nunc multi sunt*: quia sicut mysterium pietatis Christi cæpit operari ab initio mundi in Sanctis: ita opus Antichristi in impiis.

Generationem quod attinet Antichristi plures irrepserunt errores, quidam enim arbitrati sunt, Antichristum nasciturum de virgine opera Diaboli, non secus ac Christus de Virgine opera Spiritus Sancti, tribuitur hic error Robano in *Tractat. de Antichristo*, qui tamen facilè rejicitur, quia producere hominem absque viro est opus solius DEI, potentis supplere omnes causas efficientes ob infinitam suam virtutem, quæ continet virtualiter omnem perfectionem creaturarum. Dæmon verò cum sit creatura finita, & limitata, tametsi possit plura mira peragere applicando activa passivis, supplere tamen virtutes activas causarum non potest, & præsertim opus viri in ordine ad generandum hominem ex virgine, hinc Augustinus epist. 3. ad Volusianum ait: Nasci de virgine fuit tale miraculum in Christo, ut majus à DEO non potuerit expectari. Non tamen esset error asserere, Antichristum nasciturum ex Diabolo incubo, & muliere, eo facto, quo dicitur de nonnullis, qui putantur nati ex Dæmone incubo, quia potest à viro semen accipere, & in uterum injicere mulieris, sicque hominem gignere, ut docet D. Augustinus *lib. 12. de civit. DEI cap. 23.* ubi etiam addit id experimento comprobatum esse, & hoc negare daretur impudentiæ. Alii putant, Antichristum esse ipsum Diabolum, qui de falsa virgine falsam erit assumpturus carnem, quia sicut Verbum DEI de vera Virgine veram carnem assumpsit: ita Dæmon, qui Pater est mendacii, mendacem carnem ex virgine assumpturus erit: quæ tamen sententia ex eo rejicitur, quia Antichristus à D. Paulo 2. Thessalon. 2. dicitur, esse purus homo, cui etiam assentiuntur propemodum omnes Sancti Patres; sin autem esset Dæmon ex muliere carnem humanam assumens, non esset purus homo, perinde ac Christus non est purus homo, sed DEUS, & homo simul, ita Antichristus

christus esset Dæmon, & homo simul. Referunt hanc sententiam beatus Hippolytus Martyr, & alii, qui eam refellunt. Arbitrati sunt alii, Antichristum futurum quidem verum hominem, sed simul etiam Diabolum, eò quia hic sit assumpturus humanam carnem, quam sententiam docuit possibilem Origenes siquidem *Tom. 2. in Joan.* fatetur aliquot Angelos ferè assumpsisse humanam carnem, quam tamen sententiam refellit D. Hieronymus in præfat. in Malach. & in cap. 1. Aggei, quia una ac eadem persona creata, & limitata non potest duas naturas perfectas simul terminare, & complere in ratione subsistendi, eatenus secunda persona divina supplevit in humanitate assumpta rationem subsistentiæ creatæ, & simul fuit complementum naturæ divinæ, quia fuit persona infinita. Omnes enim Doctores in eo conveniunt, ut viribus naturæ non possit id fieri, & cum Dæmon sit agens naturale, agit viribus naturæ, consequenter non potest simul per unionem hypostaticam cùm natura humana simul complere propriam naturam spiritualem, & simul sustentare, ac perficere in ratione subsistentiæ naturam humanam. Fuerunt etiam, qui putaverint, Antichristum futurum quidem purum hominem, sed hunc fore Neronem redivivum, asserentes Neronem Imperatorum crudelissimum ante extremi judicii diem resurrecturum, & hunc futurum Antichristum refert hanc sententiam Sulpitius *lib. 2. sacra historia.* Sed ipse in lib. 2. Dialogi, ubi recenset virtutes Sancti Martini, expressè asserit, non ipsum Neronem futurum esse Antichristum, sed tantùm cum Antichristo venturum, & ab Antichristo occidendum: hæc tamen sententia, quia nulli innituntur fundamento ab Augustino *lib. 20. de civit. DEI*, vocantur miræ præsumptiones. Quamobrem omissis hisce imaginationibus duæ extant sententiæ præseferentes aliquam probabilitatem, & quibus videntur Sancti Patres non dissentire circa Antichristi generationem, quarum prima est, ut Antichristus de muliere fornicaria sit nasciturus, proinde non nasceretur è legitimo matrimonio, eritque purus homo nothus, ita videtur asserere Damascenus lib. 4. cap. 28. verùm quia non potest ex scripturis probari, non habet certitudinem, sed quandam tantùm præsefert probabilitatem, hinc alia sententia docet Antichristum nasciturum de Tribu Dan, consentiunt huic sententiæ plures Sancti Patres, præsertim D. Ambrosius *lib. de benedictionibus Patriarcharum cap. 7.* D. August. *quæst. 22. in Josue.* S. Prosper *de promissionib. & prædictionib. Dei part. 4.* Theodoretus *quæst. 109. in Genes.* Gregorius *lib. 31. Moralium cap. 18.* Irenæus *lib. 5.* Hippolytus Martyr *in orat. de mundi consummat.* D. Anselmus in *Apocal. cap. 7.* & solet hæc sententia probari ex illo Genes. 49. *Fiat Dan coluber in via, Cerastes in semita*, ut etiam ex illo Jeremiæ 8. *Ex Dan audivimus fremitum equorum ejus*, ut etiam ex *cap. 7. Apocal.* ubi Joannes describit ab Angelo signari duodecim millia ex omni Tribu filiorum Israël, & omittitur Tribus Dan in odium Antichristi. Hæc sententia saltem ob authoritatem Sanctorum Patrum eidem adhærentium est perquam probabilis, non tamen omnino certa, quia plures ex Patribus judicant, id tantùm probabile esse, & plures illorum asserunt Genes. 49 esse sermonem de Samsone, siquidem habetur: *Fiat Dan coluber in via, Cerastes in semita, & mordeat ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retrò.* Samson enim fuit de Tribu Dan, & fuit Philisthæis veluti coluber in via, quia ubique ei Philisthæi obviarunt, eos egregiè vexavit, ac eorum plures occidit, & hæc expositio est D. Hieronymi in quæstionibus hebraicis. Sin autem allegoricè intelligatur de Antichristo, sequitur argumentum non posse limites probabilitatis transilire. Ad aliud scripturæ textum desumptum *ex Jerem. 8.* respondetur, Jeremiam ibi non fuisse locutum de Antichristo, neque de Tribu Dan, sed de Nabuchodonosore, qui venturus erat ad evertendam Hierosolymam, per illam regionem, quæ dicebatur Dan, ut ibi exponit D. Hieronymus. Ad tertium textum desumptum *ex cap. 7. Apocal.* respondetur, nos non posse certò scire, ob quam causam Tribus Dan omissa fuerit, asserere autem in odium Antichristi, eò quia ex illa Tribu sit nasciturus, est causam incertam, & sine sufficienti fundamento producere. Tum quia etiam Ephraim fuit omissus, tametsi ejus Tribus fuerit una ex præcipuis.

Sententiæ igitur certæ sunt, Antichristum nasciturum præsertim propter Judæos, à quibus suscipietur ut verus Messias promissus in lege. Est etiam certum Antichristum nasciturum ex gente Judæorum, proinde circumcisioni subjicietur, ac promovebit observationem sabbathi, hæc enim duo fundantur in sacris scripturis, etenim Joan. 5. ait Christus de Judæis: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum recipietis:* per alium esse intelligendum Antichristum, docent communiter Interpretes, & colligitur etiam ex D. Paulo 2. ad Thessal. 2. ubi scribit: *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fiant; ideo mittet illis DEUS operationem erroris, ut credant mendacio;* Apostolum loqui de operatione Antichristi nitentis per mendacia populos seducere, intelligunt communiter Sancti Patres, unde Hieronymus quæst. 11. ad Algasiam ait: *Faciet hæc omnia Antichristus non cum virtute, sed concessione DEI propter Judæos, ut quia noluerunt recipere charitatem veritatis, hoc est Spiritum DEI per Christum, ut Salvatore suscepto salvi fierent: Mittet illis DEUS non operatorem, id est, fontem erroris, ut credant mendacio;* & quidem D. Paulum fuisse locutum de Judæis, ex eo claret, quia ipse asserit mittendum Antichristum ad eos, qui Christum recipere noluerunt, & isti procul dubio fuerunt Judæi, qui non solùm noluerunt Christum recipere, verùm etiam fuerunt ipsum persecuti, & voluerunt eum flagellis pulsatum spinea coronâ redimitum, cruci affixum, & cum latronibus occisum. Tum quia Apostolus ait: Eos non recepisse veritatem in præterito, eò quia prædicante Christo, & Apostolis noluerunt Judæi credere, cum gentiles è converso libenter ipsum audierint, veritatem receperint, & ad eum fuerunt conversi. Hinc Antichristus Judæis se adjunget, ex quorum semine erit nasciturus, hinc Hebræi expectant Messiam Regem temporalem, qualis erit Antichristus, gentiles enim nullum expectant, quapropter solis Judæis se adjunget, quos etiam quodam signabit charactere. De quo tamen duæ extant sententiæ, quarum prima est Hæreticorum docentium, hunc charectetem Antichristi esse signum aliquod obedientiæ, & conjunctionis cum Romano Pontifice, quamvis non eodem modo explicent hoc signum siquidem Bullingerus serm. 61. in Apocal. censet, hoc signum esse ipsam unctionem Chrismatis, quo Christiani Romano Pontifici obsequentes signantur in fronte, adeo ut per hanc sententiam character Antichristi dicatur esse sacramentum confirmationis, quo nil horribilius, nilque detestabilius somniari potest. Bibliander in Chronico tabula 10. vult characterem Antichristi esse professionem Romanæ fidei, cui Chytræus addit esse juramentum fidelitatis,

tis, quod plures præstant Romano Pontifici, ut etiam unctionem sacerdotalem, quæ fit in vertice, & manu, imprimitque characterem indelebilem. Alii etiam addunt panem consecratum, & missis pro defunctis interesse, sed hæc omnia vana sunt somnia, quia ex scripturis constat, characterem Antichristi esse unum tantum, & non plures, quia scriptura semper loquitur de charactere in singulari, unde unus tantùm erit Antichristi character, perinde ac nomen Antichristi est tantùm unum, cùm igitur Acatholici plures multiplicent characteres, satis apertè indicant, se nescire quid sit character ille, de quo loquitur Joannes. Tum quia character iste communis erit omnibus hominibus, quia Antichristus faciet omnes pusillos, & magnos, divites, & pauperes, liberos, & servos accipere characterem. Juramentum autem obedientiæ, & unctio sacerdotalis non convenit omnibus, sed nonnisi paucis. Præterea scriptura ait, characterem hunc posse sine discrimine in manu dextra, vel in fronte geri. Habetur enim loco citato: *Faciet omnes accipere characterem in dextera manu, vel in frontibus suis.* Sed unctio chrismatis non potest fieri in manu dextera, & professio Romanæ fidei non potest fieri in manu, nec in fronte, sed tantùm in ore per confessionem, & in corde per fidem: ita juramentum fidelitatis præstatur quidem manu, & ore, sed in fronte gestari nullo modo potest. Rursus unctio sacerdotalis, nec in dextera manu, nec in fronte proprie recipitur, sed tantùm supra caput, & in digitis utriusque manus. Adorare autem Eucharistiam, & interesse missis defunctorum, non sunt officia frontis, nec manuum, sed totius corporis, unde liquet, quàm vanæ, quàm futiles sint Hæreticorum opiniones. Tum quia scriptura asserit, in regno Antichristi neminem permittendum emere, aut vendere, nisi characterem ostenderit, aut nomen vel numerum nominis ejus, sed plures emunt ac vendunt in statu pontificio; seu in ejus Provinciis, qui nec sunt inuncti Chrismate, nec juramentum præstiterunt fidelitatis, nec sunt Sacerdotes; an non Romæ plura sunt Judæorum millia, qui publicè negotiantur, emunt, & vendunt, tametsi careant prærecensitis signis. Præterea hæc omnia signa, quæ ab Hæreticis dicuntur character Antichristi, fuerunt in Ecclesia pluribus annis, antequam Antichristus nasceretur, & ille character supponit Antichristum natum, ut enim superius demonstratum est, Antichristus nondum est natus, nec erit nasciturus nisi tribus annis cum medio ante diem judicii, unde omnia illa signa, quæ ab Hæreticis dicuntur constituere characterem Antichristi, absque ullo fundamento assignantur. Hinc ex Catholicis quidam putant, hunc Antichristi characterem esse literas, quibus scribetur nomen Antichristi, ita censent Rubertus, Primasius, Beda, idque deducunt ex eo, quod in scripturis habeatur: *Nisi qui habuerit characterem nominis bestiæ, aut numerum nominis ejus*, verùm per characterem nominis bestiæ non intelliguntur litteræ, quibus exprimitur nomen Antichristi, siquidem non est character bestiæ conjunctim, sed character vel nomen bestiæ disjunctivè, ut habet D. Joannes: *Nisi qui habuerit characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus.* Hinc alii Catholici asserunt, characterem bestiæ futurum non signum crucis, quod potius Antichristus execrabitur, & abolere studebit. Alii licet concedant Antichristum habiturum characterem, ut opponatur Christo habenti signum crucis, dicunt tamen ut characterem non posse nobis innotescere, nec à nobis sciri quid sit, donec Antichristus veniat.

Circa Antichristi sedem Hæretici volunt Antichristum suam Romæ figere cathedram, eò quia erit ipse invasurus sedem D. Petri, eámque occupaturus, ut inde toti Ecclesiæ præsideat. Probant Romam urbem esse regiam Antichristi ex illo Apocal. 17. ubi Joannes loquens de sede Antichristi, eam vocat urbem magnam, sedentem super septem colles, & habentem regnum super Reges terræ; urbs verò Roma est magna, seque extendens supra septem colles, & in spiritualibus præest omnibus Regibus terræ, qui fidem Christi profitentur. Rursus asserunt, immoraturum Antichristum Romæ, non tamen in palatio Neronis, sed in ipsa Christi Ecclesia, idque probant ex D. Paulo 2. ad Thessal. 2. ubi ait Antichristum sessurum *in Templo DEI*, cum enim absolutè dicat in templo DEI, asserunt Hæretici id esse intelligendum de vero templo veri DEI, & hoc templum est sola Christi Ecclesia, non enim Ethnicorum templa sunt vera templa, sed fana Dæmonum: & quamvis templum Judæorum olim fuerit verum templum DEI, quia tamen fuit solo æquatum, & desierit Sacrificium, & Sacerdotium Judaicum, nequit intelligi, nunc esse templum DEI, in quo Antichristus erit immoraturus. Præterea templum illud Hierosolymitanum semel destructum, & deletum non erit amplius ædificandum ex Prophetia Danielis cap. 9. *Et usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio.* Quòd si perseverabit usque in finem, non reædificabitur, unde Apostolus non videtur fuisse locutus de templo Hierosolymitano, sed tantùm de templo Romano. Idque ex eo firmant, quia Hieronymus quæst. 11. ad Algasiam scribit: *In templo DEI sedebit vel Hierosolymis, ut quidam putant, vel in Ecclesia, ut verius arbitramur:* & Theodoretus Bibliander adfert etiam authoritatem D. Gregorii, qui lib. 4. epist. 38. ad Joannem Constantinopolitanum scribit; *Rex superbiæ propè est. & quod dicere quoque nefas est, Sacerdotum ei præparatur exercitus*, unde ex Gregorio Joannes Constantinopolitanus est præcursor Antichristi, eò quia velit appellari Episcopus universalis, ex quo inferunt Hæretici, eum esse Antichristum, qui se faciat Episcopum universalem, & sedet in Ecclesia tanquam caput omnium, & cùm hic sit Romanus Pontifex, inferunt hunc esse Antichristum. Secundò argumentantur, quia ex D. Gregorio exercitus Antichristi coalescet ex sacerdotibus, proinde supremum Præfectum hujus exercitus, seu Romanum Pontificem esse Antichristum.

Catholica tamen est vera sententia, esse Antichristum nasciturum in Judæa, & in urbe Jerosolymam positurum suam sedem, adeo ut urbs Hierosolyma futura sit sedes Antichristi, non verò Roma, & templum Salomonis, ac solium Davidis fore illius sedem, non verò templum S. Petri, aut sedem Apostolicam, ratio est, quia Antichristus in Christi Ecclesia sedebit, velut caput, & Princeps totius Ecclesiæ, in qua magistratum & officia constituet, ut asserunt Hæretici, præsertim Melancthon in Apologia, art. 6. *Confess. Augustan.* Calvinus *lib. 4. Instit. cap. 2. §. 12.* & ferè omnes alii Sectarii. Sed Rom. Pontifex sedet in Ecclesia ut caput ejusdem, ergo est Antichristus. Sed subsumitur Antichristus in Ecclesia Christi sedebit tanquam caput, atqui Rom. Pontifex sedet tanquam caput, ergo sedet in vera Christi Ecclesia, cujus est ipse Princeps, & caput ex confessione Hæreticorum, sed Christi Ecclesia non potest esse, nisi una, perinde ac Christus est unus tantùm, ergo sequitur evidenter ex confessione Hæreticorum, ipsos Sectarios Lutheranos, Calvinistas, Anabaptistas, Zvvinglianos, & alios, non communicantes cum Ro-

mano

mano Pontifice esse extra veram Christi Ecclesiam. Cæterum sedem Antichristi non Romæ, sed Hierosolymæ extituram patet ex scripturis, quia Apocal. cap. 11. Joannes asserit: Enoch, & Eliam pugnaturos cum Antichristo in Jerusalem, & ibi occidendos ab eodem Antichristo, ait enim Joannes: *Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est.* Hinc Arethas expendens textum hunc Apocal. ait: *Corpora eorum insepulta projiciet in plateis Jerusalem. In ea enim regnabit tanquam Rex Judæorum*, unde omnes interpretes per civitatem magnam intelligunt Jerusalem, non verò Romam, & Chytræus qui civitatem magnam interpretatur Romam studio omittit illa verba (*ubi & Dominus eorum crucifixus est*) eò quia satis apertè significent urbem Jerusalem non verò Romam, ut ipse sine fundamento interpretatur. Ad aliud ex D. Hieronymo asserente posse Jerusalem vocari Sodomam, eò quia fuerit urbs sancta civitas electa, ac Dei sanctuarium: siquidem Hieronymus in illa epistola persuadet Marcellæ, ut relicta Roma veniat in Palæstinam, idenque congerit omnia quæ potest in laudem Jerusalem, conaturque modis omnibus commendare Hierosolymam, & reprehendere Romam, & scripsit epistolam illam, ut placeret Paulæ, & Eustochio, quæ Marcellam in Palestina desiderabant, ut cum ipsis simul viveret in monasterio ab iisdem extructo, & fundato, unde ex D. Hieronymo non probatur Antichristum fixurum suam sedem Romæ, neque obstat Hieronymum dicere Romam vocari a Joanne Babylonam, & purpuratam meretricem propter Ethnicos Imperatores, & tamen eandem esse sanctam propter ecclesiam Christi, & sepulchra Apostolorum Petri, & Pauli: proinde Jerosolymam esse civitatem sanctam propter Prophetas, & Apostolos qui ibi prædicaverunt, & propter Christi sepulchrum crucem & alia ibi à Christo peracta; & nihilominus adhuc dicitur Sodoma, & Ægyptus ob flagitia Judæorum, eorumque veritatem, & pervicaciam: unde nil obstat quod Jerosolyma dicatur ob peccata Judæorum Sodoma, & Ægyptus. Tum quia Antichristus erit Judæus, ac Messias Judæorum promissus in lege, & Judæorum rex: proinde suam sedem constituet in Hierusalem, & templum Salomonis restituere curabit. Nil enim magis desiderant Judæi quam Hierusalem, & templum instaurare; neque erunt ullum unquam accepturi in Messiam, quin sederit in Hierusalem, & templum aliquo modo restauraverit. Hinc Lactantius lib. 7. cap. 15. ait: tempore Antichristi summum regnum futurum in Asia: occidentem serviturum, & orientem dominaturum; & cap. 13. speciatim asserit, hanc partem orientis in qua erit hoc regnum, futuram Syriam, in qua est Judæa quæ Syriæ pars est, & à Latinis Syria dicitur, hoc inferunt sancti Patres præsertim Hieronymus, & Theodoretus ea cap. 11. Danielis, ubi ajunt, Antichristum fixurum tentoria sua in regione Hierosolymorum; & tandem esse ipsum in monte Oliveti occidendum. Ireneus itidem lib. 5. ait Antichristum regnaturum in terra Hierusalem.

Ad primum fundamentum oppositæ sententiæ desumptum ex cap. 17. Apocal. Respondent sancti Patres præsertim Augustinus in Psal. 26. Rupertus in cap. 17. Apocalypsis Beda, & alii per meretricem sedentem supra montes septem, & habentem regnum supra reges terræ non esse intelligendam urbem Romam, sed universam Diaboli civitatem, quæ persæpe in scripturis vocatur Babylon, & opponitur civitati Dei, seu ecclesiæ, quæ solet etiam dici Hierusalem; & per septem colles universitatem intelligi superborum, & præsertim regum terræ. Quod si dicas Tertullianum lib. contra Judæos, & lib. 3. contra Marcionem cum D. Hieronymo epist. 17. ad Marcellam per meretricem intelligere Romam: respondetur intellexisse Romam antiquam Ethnicam, non verò Christianam; seu idolis servientem, non Christo mancipatam; Christianos persequentem, non Christo obsequentem; Cum Roma Ethnica contraria fuerit Romæ Christianæ ideo ab illis Patribus vocatur meretrix. Ad secundum petitum ex D. Paulo respondetur, Apostolum per templum Dei intellexisse templum Jerosolimitanum, de quo loquebatur scribens ad Thessalonicenses. Ad aliud quod addebatur cessante sacrificio, & sacerdotio desiisse esse templum Dei, respondetur tunc desiisse tantum esse templum Judæorum; non verò templum Dei, quia potuit templum illud esse postea Christianorum, tametsi ob cessationem sacrificii, & sacerdotii veteris legis non fuerit amplius templum Judæorum; & de facto fuit postea templum Christianorum, cum Judæi in ipso suas habuerint conciones, suas ad Deum fuderint preces, ac sua habuerint spiritualia exercitia, ut habetur Luc. ult. *Erant semper in templo laudantes, & benedicentes dominum*: & Actor. 3. *Petrus & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* Ad aliud petitum ex Daniele 9. Respondetur, Prophetam tantùm significâsse templum non esse re ædificandum nisi in fine mundi: quia Antichristus non nisi in fine mundi veniet restauraturus templum Judæorum, quia erit & ipse Judæus. Vel potest dici, desolationem templi mansuram semper, quia tametsi restauraretur, semper tamen postquam civitas illa fuit eversa à Tito, & templum profanatum non potest amplius fieri quin fuerit profanatum: & quando restaurabitur ab Antichristo, tunc crescet major desolatio, & abominatio. Ad illud petitum ex S. Hieronymo respondetur, Antichristum sessurum in templo Christianorum, non tamen ut Episcopum sicut perperam arbitrantur hæretici, sed ut idolum, ut Numen ut à populis adoretur, quos decipiat; in id Antichristus incumbet studii ut Ecclesias omnes Christianorum in propria fana convertat, in quibus ipse colatur à cunctis populis, ait Chrysostomus: *Jubebit ipse pro Deo coli, & venerari, & in templo collocari, non Hierosolimitano solum, sed etiam in ecclesiis.* Ad id quod addebatur ex D. Gregorio Hæretici inferunt, Episcopum Constantinopolitanum fuisse præcursorem Antichristi eo quia se faceret Episcopum universalem; ex quo iterum deducunt Antichristum futurum aliquem Episcopum universalem; sed Romanus Pontifex vult esse Episcopus universalis: ergo ipse est Antichristus; qui modus argumentandi est plenus erroris, & falsitatis. Primò quia præcursor cum dicatur relativè ad eum, quem præcurrit; necesse est ab ipso distinguatur cum idem ad se ipsum non referatur: ergo si est præcursor Antichristi non est ipse Antichristus. Secundò si præcursor Antichristi is dicitur qui vult esse Episcopus universalis; sequitur Episcopum universalem non esse Antichristum; cum præcursor distinguatur ab eo quem præcurrit. Tertiò si Antichristus distinguitur ab eo à quo præcurritur non est Episcopus universalis, quia hic tantum dicitur præcursor in sententia hæreticorum, consequenter erit quid majus: quia se extollet supra id quod dicitur Deus. Quartò si dicant, ipsum Episcopum universalem esse Antichristum; ergo ille Joannes Episcopus Constantinopolitanus qui se faciebat Epi-

scopum universalem non erat præcursor Antichristi, sed ipse Antichristus, quod neque Gregorius asserit, neque ipsi hæretici fatentur. Sensus verborum Gregorii hic erat: quia, sicut Antichristus erit superbissimus, imò caput omnium superborum adeo ut velit singularis esse, cæteris omnibus præesse, ut non patiatur parem: ideo qui indebito modo hanc præeminentiam sibi usurpat, Antichristum videtur præcurrere; & quia talis erat Joannes Episcopus Constantinopolitanus rectè dicitur præcursor Antichristi: neque inde sequitur etiam Romanum Pontificem esse talem procursorem, cum talem titulum non sibi usurpat modo indebito; sed ei debeatur ex eo quod sit Pastor totius dominici gregis, ac verus successor D. Petri, cui Christus commisit officium pascendi suas oves generatim absque exceptione Joan. 21. *Pasce oves meas:* & quia oves perseverant, ac erunt perseveraturæ usque in finem mundi; debuit etiam earum Pastor post mortem D. Petri perseverare in successoribus: hinc titulus Pastoris, seu Episcopi universalis est jure divino adnexus officio, ac dignitati Romani Pontificis. Quod verò Gregorius dixerit *sacerdotum ei præparatur exercitus* sensus non est quod sacerdotes, ut sacerdotes, sint exercitus Antichristi, ut falsò putant hæretici; sed sacerdotum ut superborum.

Ad doctrinam quod attinet Antichristi, constat ex scripturis quatuor principaliora fore capita ejus doctrinæ, primò inficiabitur JESUM esse Christum ejusque propterea impugnabit instituta, & sacramenta, docebitque adhuc vigere circumcisionem, & celebrationem Sabbathi, aliasque veteris legis cæremonias ut colligitur. 1. Joan. 2. *Quis est mendax nisi qui negat JESUM esse Christum, & hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium.* Secundò ubi persuaserit JESUM Salvatorem non esse verum Christum seu unctum divinitate asseret se esse verum Christum & Messiam in lege Prophetis promissum Joan. 5. *Si quis venerit in nomine suo, illum recipietis,* scilicet pro Messia. Tertiò affirmabit se DEUM esse, & pro DEO coli volet. 2. Thessal. 2. ita ut in templo DEI sedeat ostendens se tanquam sit DEUS: Quartò se solum dicet esse DEUM impugnabitque reliquos omnes, qui aliqua gloriantur divinitate, scilicet tam Deum verum, quàm Deos falsos, & idola, idque colligitur ex D. Paulo 2. ad Thess. 2. ubi scribit de Antichristo: *Qui extollit se super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur:* & Daniel 11. *Et Deum Patrum suorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit, quia adversum universa consurget.* Hæc quatuor doctrinæ Antichristi capita, ut & textus scripturarum è quibus deducuntur à Catholicis, intelliguntur simpliciter, & ut verba scripturæ sonant, adeo ut Antichristus sit negaturus verum Christum, seque ipsum facturus Christum, seque verum DEUM prædicaturus, & reliquos omnes DEOS, seu idola execraturus. Et ex iisdem capitibus deducuntur validissima argumenta, quibus luce meridiana clarius ostenditur: quòd Romanus Pontifex non sit Antichristus. Primò quia Pontifex non negat JESUM esse Christum, nec ullus ex hactenus sedentibus Romæ Pontificibus somniavit circumcisionem introducere locò baptismi, & sabbathum loco diei dominicæ; ergo ex hoc capite Romanus Pontifex nequit Antichristus dici. Pari pacto constat nullum Pontificem Romanum se Christum fecisse, neque DEUM, quinimò quilibet Romanus Pontifex apertè Christum coluit, & Trinitatem adoravit, ut & imagines sanctorum, consequenter neque ex isto capite Romanus Pontifex dici potest Antichristus. Hæretici verò aliter interpretantur hæc capita doctrinæ asserentes Antichristum non negaturum verbo & palam JESUM esse Christum, neque baptismum & alia sacramenta, sed tantùm opere, quatenus sub specie Christianismi corrumpet doctrinam quæ in Ecclesia habetur de sacramentis, & aliis à Romanis Pontificibus institutis ait Calvinus lib. 4. cap. 7. §. 25. *Colligimus tyrannidem Antichristi talem esse, quæ nec Christi nec Ecclesiæ nomen aboleat, sed potius Christi prætextu abutatur, & sub Ecclesiæ titulo velut larvâ delitescat.* Rursus asserunt Hæretici Antichristum non se ipso verbo facturum esse Christum, vel Deum; sed opere, quatenus occupabit locum Christi, & DEI in Ecclesia, seque faciet caput omnium fidelium, quod solum convenit Christo, & ita docent Magdeburgenses Centur. 1. lib. 2. cap. 4. ubi ajunt: *Ostendet se pro DEO, ut qui sit Christi Vicarius & caput Ecclesiæ, & possit figere, atque refigere articulos fidei.* Docent itidem Antichristum non rejecturum idola, quæ potiùs erit apertè adoraturus, idque probant ex Daniele cap. 11. ubi cum Propheta dixisset Antichristum contra omnes Deos surrecturum subdit: *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur, & Deum quem ignoraverunt Patres eorum colet auro, & argento, & lapide pretioso.* per vocem illam *Maozim* intelligunt templorum ornatum, missas, imagines sacras, sanctorum reliquias, & similia, quæ Ecclesiæ asservantur, & ita præsertim interpretatur vocem Maozim Illyricus. Quòd verò Apostolus 2. Thessal. 2. asserat Antichristum elevaturum se supra omne, quod dicitur DEUS id interpretantur de Romano Pontifice asserente se esse Christi Vicarium, & sibi usurpantem majorem authoritatem, quàm Christus habuerit, quatenus ait Illyricus Christus Matth. 24. declaravit, nil aliud esse ostendere se esse DEUM, imò efferre se supra DEUM, & ejus cultum, quàm in nomine Christi venire, ex quo infert Romanum Pontificem asserentem se Christi Vicarium verum esse Antichristum. Rursus quia Christus subjiciebat se sacris scripturis, ajebat enim se facere & pati ut implerentur scripturæ, secus Romanus Pontifex asserit se posse dispensare contra Apostolum & Evangelistam, recta facere prava, & prava recta. hæc est Hæreticorum doctrina innitens scripturis perperam tamen ab ipsis explicatis.

Quòd enim dicant Antichristum non verbo, sed opere tantùm negaturum Christum ejusque sacramenta ex en facilè deprehenditur falsum, quia Antichristus genere, & religione, ut superius demonstratum est, erit Judæus, & à Judæis recipiendus pro Messia & quia Judæi nolunt Christum regnoscere, quem cruci affixerunt, Antichristus non opere tantùm sed etiam verbo, & apertè ut opinioni conformetur Judæorum illum oppugnabit. Præterea quia Joan. 1. 2. habetur: *Quis est mendax, nisi qui negat JESUM esse Christum. Et hic est Antichristus:* siquidem Hæretici dicuntur Antichristi, qui aliquo modo JESUM esse Christum inficiantur, unde ipse verus Antichristus omnibus modis negabit JESUM esse Christum, Tum quia externus Diabolus dicitur ab Hæreticis operari mysterium iniquitatis, quia occultè negat Christum, sed Antichristi adventus dicitur revelatio quia ille non occultè, sed palam verbo, & opere erit Christum negaturus. Hinc D. Hieronymus in cap. 11. Da-

nielis

nielis ait: *Consurgere habet Antichristus de modica gente, seu de populo Judæorum, & tam humilis erit, atque despectus, ut ei non detur honor regius, & per insidias, & fraudulentiam obtineat principatum. Et hoc faciet, quia simulabit se Ducem esse fœderis, seu legis, & testamenti Dei.* Asserit Hieronymus Antichristum acquisiturum regnum apud Judæos ob Zelum, & desiderium servandi legem Judaicam. & Sedulius in 2. Thessal. 2. asserit Antichristum instauraturum omnes Judaicas cæremonias, ut Evangelium Christi solvat, & D. Gregorius lib. 11. Epistol. 3. ait: Quia Antichristus populum judaizare compellit, ut exterioris legis ritum revocet, & sibi Judæorum perfidiam subdat, coli vult sabbathum. Præterea falsum est, quod asserunt Hæretici Antichristum sub pallio Christianismi depravaturum Christi doctrinam, non enim occultè, sed palam, & apertissimè id erit præstiturus: quomodo enim occultè, & sub pallio Christianismi, si ob acrem persecutionem publica cessabunt officia divina, & functiones ecclesiasticæ, ut & ipsa sacrificia, id enim perinde est ac apertissimè legem Christi oppugnare, ac Christianismum evertere, quapropter apertissimè Christi nomen, & sacramenta oppugnabit, & Judaicas promovebit cæremonias: atqui nil horum hactenus Romanus Pontifex fecit, consequenter sequitur evidenter nullum ex Romanis Pontificibus esse Antichristum. Quòd etiam Antichristus nominatim sit se dicturus Christum non verò ejus Vicarium, ac Ministrum, claret ex verbis Christi Joan. 5. *Si alius venerit in nomine suo illum recipietis*, ait enim in nomine suo, quia Antichristus nomine proprio erit venturus, seque facturus DEUM. Hinc Irenæus lib. 5. ait: *Tentavit se Christum ostendere.* Cyrillus Catechef. 15. *Inducet quendam hominem falso se ipsum Christum appellantem, ac per hanc Christi appellationem Judæos, qui venturum expectant decipientem.* Quia Judæi Antichristum pro Messia à lege & Prophetis promisso recipient, proinde non occultè & opere tantùm sed etiam verbis, & omnibus modis se Christum faciet & Messiam in lege promissum promulgabit. Atqui nullus hactenus ex Romanis Pontificibus se Christum esse dixit, nec Messiam in lege promissum, consequenter nullus hactenus fuit Antichristus. Quòd se ipsum Antichristus nominabit Deum, & pro vero DEO adorari volet colligitur ex illo Apostoli 2. Thessal. 2. *Ita ut in templo DEI sedeat ostendens se tanquam sit DEUS*, non tantùm Apostolus asserit Antichristum sessurum in templo, sed etiam explicat modum, quo erit sessurus scilicet *tanquam sit Deus*, quia exiget cultum DEO debitum, unde Irenæus lib. 5. loquens de Antichristo ait: *Existens Apostata, & latro, quasi Deus vult adorari*, & Chrysostomus in eundem locum ait: *Jubebit se pro DEO coli, ac in templo collocari*, & humil. 40. in Joan. ait: *Se omnium DEUM professebitur*, & nonnullis interjectis subdit: *Se maximum Deum esse gloriabitur*, & Ambrosius in 2. Thess. 2. ait: *Ipsum Deum se asseret non Filium Dei*, ex quo iterum inferimus Romanum Pontificem non esse Antichristum ut somniant Hæretici, quia tantùm abest, ut se DEUM venditet, vel dicat, ut potiùs glorietur titulo servi servorum DEI. Rursus Antichristum esse eversurum ac deleturum verum DEUM ac reliquos DEOS falsos ac Idola etiam colligitur ex epist. 2. ad Thessal. 2. ubi Apostolus loquens de Antichristo ait: *Qui extollitur super omne quod dicitur DEUS, aut quod colitur*: ubi per quod dicitur DEUS, significatur verus DEUS; & per omne id, quod disjunctivè colitur, significantur idola. Hinc Daniel cap. 11. ait: *Nec quemquam Deorum curabit, sed contra universa consurget.* Ubi D. Hieronymus asserit: Non posse hæc Prophetæ verba adoptari Antiocho; ut censuit Porphyrius, eo quia constet Antiochum adorâsse Deos Græcorum, sed esse intelligenda de Antichristo, qui nulli DEO cultum erit exhibiturus, quia ut ait Irenæus lib. 5. *Idola quidem seponet ad suadendum, quod ipse sit DEUS: se autem extollet unum idolum.* Cyrillus Catechef. 15. *Idola odio habebit Antichristus*, & ita explicant reliqui sancti Patres. Quòd verò Daniel cap. 11. asserat ab Antichristo esse adorandum DEUM Maozim auro argento, & lapidibus pretiosis, respondetur sanctos Patres interpretes Danielis per DEUM Maozim intelligere fortitudinem: siquidem ut notat Bellarminus lib. 3. de Roman. Pontif. cap. 14. Illud verbum *venerabitur* Hebraicè non significat adorabit, sed glorificabit perinde ac Psal. 90. ait: *Deus Eripiam eum, & glorificabo eum*, hoc est exaltabo illum, unde si Antichristus se ipsum glorificabit extollet se supra reliquos omnes Deos, ac exiget cultum divinum ab omnibus, ut exponit Theodoretus apud Bellarminum inquens: *DEUM fortem, & potentem, hoc enim significat Maozim se ipsum appellat. Illud enim in loco suo pro se ipso posuit. Eriget enim sibi ipsi templa auro, & argento, & lapidibus pretiosis ipse exornabit.* Bellarminus autem censet Antichristum Magum futurum, & more aliorum Magorum occultè adoraturum Diabolum cujus ope plura efficiet mirabilia, & ait hunc vocari DEUM *Maozim.* Præterea censet *Maozim* non esse nomen DEI, sed loci cujusdam secreti, in quo delituerunt præcipui Antichristi thesauri, & in quo erit Diabolum adoraturus.

Neque argumenta ab Illyrico allata ullius sunt momenti, ait enim verba Pauli explicari à Christo quod falsum est, cùm potiùs è converso debuerit Paulus Christi verba explicare. Rursus asserit venire in nomine Christi Matth. 24. idem significare: ac esse Christi Vicarium, id enim est contra Christi explicationem, qui cùm dixisset: *Multi venient in nomine meo*, postea addit *dicentes ego sum Christus.* Quamobrem ex Christi explicatione venire in nomine Christi ibi perinde est, ac sibi usurpare Christi nomen ut præstitit Simon Magus teste Irenæo cap. 20. ut etiam erit præstiturus Antichristus secus Romanus Pontifex cum non se Christum dicat, nec ejus nomen sibi usurpet, sed tantùm ejus Vicarius, & Minister se asserat, sequitur evidenter ipsum non esse Antichristum. Rursus fallitur Illyricus quia Christum declarat ineptum interpretem Pauli, quia non rectè exponit illud Pauli (*Extollit se super omnem Deum*) per istud *Multi venient in nomine meo*, seu Vicarios meos se facient: siquidem Vicarius non est super omnem Deum, sed infra omnem DEUM, perinde ac Prorex est infra Regem, cui vices gerit, & à quo ipse dependet Minister est inferior Principali. Ad aliud, quod addebat Illyricus Papam sibi usurpare authoritatem majorem, quàm habeat Christus, id falsum est, ut etiam quod ex illo deducitur, etenim falsum est, Christum se subjecisse scripturis: siquidem ipse est author scripturarum, & supra scripturas, quibus propterea non potest se subjicere: quod verò dicatur plura præstitisse, ut implerentur scripturæ, illa particula *ut*, non denotat causam, sed tantùm indicat eventum, ut interpretantur Sancti Patres, præsertim Chrysostomus, Augustinus, & alii in cap. 12.

Jusum, quòd si Christus subjiceretur scripturis, sequeretur, quod ideo mortuus esset, quia Isaias hoc scripserit: quod est falsum, quia ideo Isaias hoc scripsit, & prædixit, quia revera Christus pro redimendo humano genere erat moriturus. Falsum est iridem, quod asserit Illyricus Pontificem dixisse verbo aut facto, se posse dispensare contra Evangelistam, aut Apostolum, quia quæ sunt de jure divino asserunt Romani Pontifices non posse ab iisdem dispensari, quo pacto non possunt immutare materiam, & formam sacramentorum, quia hæc fuerunt à Christo instituta immediatè, suntque propterea immediatè de jure divino. Quamvis Romanus Pontifex possit dispensare in præceptis positivis Apostolorum, id tamen non est contra Apostolum, sed secundùm ejus doctrinam, qui cùm novisset Apostolicam potestatem, qua ipse prædictus erat pro tempore, aliquid in Ecclesia statuerat, sit enim *cætera cum venero disponam*, scilicet in Ecclesia prout opus erit, unde si ipse hanc potestatem noverat futuram in successoribus, ut possent & ipsi juxta temporum circumstantias illa eadem moderari, vel immutare, sequitur posse Pontificem juxta Apostolum in præceptis positivis Apostolorum dispensare. Secus in evangelio, quæque fuerunt immediatè à Christo instituta, nullus Catholicorum hactenus docuit posse à Romano Pontifice dispensari.

Si quæras quale futurum erit Regnum Antichristi, & quæ prælia initurus, respondetur ex scripturis Antichristum ex humili loco nasciturum, & per fraudes, dolosque Judæorum Regnum adepturum, & pugnaturum contra tres Reges Ægypti, Lybiæ, Æthiopiæ, & iisdem devictis occupaturum eorum regna, imò & debellaturum etiam alios septem Reges, ac Monarchiam totius mundi eversurum, ac innumerabili exercitu toto orbe Christianos persecuturum, & hoc dici prælium *Gog*. & *Magog*, etenim Daniel cap. 11. innuit ipsum nasciturum ex humili loco per fraudes occupaturum regnum, sit ipse: *Stabit in loco ejus despectus, & non tribuetur ei honor regius, & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia*, & quamvis D. Hieronymus asserat, hæc posse aliquo modo dici de Antiocho Epiphane longè tamen perfectiùs affuturur de Antichristo in quo omnia expressiùs implebuntur: perinde ac quæ dicuntur in Psal. 71. de Salomone perfectiùs impleta fuerunt de Christo, unde Hieronymus cùm exposuisset locum hunc Danielis de Antiocho juxta sententiam Prophyrii postea subdit: *Nostri autem & melius & rectius interpretantur, quòd in fine mundi hæc sit facturus Antichristus. Qui consurgere habet de modica gente, id est, de populo Judæorum, & tam humilis erit atque despectus, ut ei non detur honor regius, & per insidias, & fraudulentiam obtineat principatum*. Et asserit hanc esse communem Doctorum Catholicorum sententiam, qua de causa Daniel cap. 7. comparat Antichristum cum cornu parvulo, ut significet ejus natale solum obscurum, & vile. Hoc autem de dignitate Pontificia non dicitur, quia ut ait Augustinus epist. 162. *In Romana Ecclesia semper viguit Apostolicæ cathedræ principatus*, & D. Prosper lib. 2. de vocat. cap. 6. ait: *Roma per sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis, quàm solio potestatis*. Unde neque ex hoc capite Romanus Pontifex dici potest Antichristus, quia hic non solùm per fraudes erit regnum occupaturus verùm etiam Reges Ægypti, Lybiæ, & Æthiopiæ prostraturus, & eorum regna sibi usurpaturus: & de nullo Romano Pontifice dici potest, quòd occiderit Reges Ægypti, Lybiæ, & Æthiopiæ sibique usurpaverit eorum regna. Neque obstat, quòd asserit Theodorus Biblianderr Romanum Pontificem tanquam cornu parvulum excussisse primum cornu de illis decem, quando Gregorius II. anathematizavit Leonem Jchonomacum Imperatorem Græcum, & prohibuit, ne consueta tributa Itali ipsi darent, & paulatim ejus principatum id est exarchatum Ravenæ obtinuit. Secundum cornu asserit excussisse, quando Zacharias Papa, deposuit Childericum Regem Francorum, eique substituit Pipinum. De tertio cornu tametsi apertè non loquatur, videtur tamen aliquo pacto innuere tunc fuisse excussum, quando Gregorius VII. deposuit Henricum IV. Imperatorem, & asserit extare epistolam quandam Friderici II. Imperatoris scriptam contra Pontificem, in qua asserit tria cornua ab Antichristo evulsa esse regnum Italiæ, Germaniæ, Siciliæ, quæ sibi potissimum subjecit Romanus Pontifex. Sed hæc quæ afferuntur apud Bellarminum nihili fiunt, quia Daniel, ut notat idem Bellarminus non fuit locutus de Regno Galliæ, aut Germaniæ, sed de Regnis Ægypti, Lybiæ, Æthiopiæ, quorum Reges nullus Pontifex occidit, & Antichristus tres illos erit interfecturus, & eorum regna occupaturus, non ut aliis tradat, sed sibi retineat. Secus Zacharias quando deposuit Childericum, ut inhabilem regimini non sibi regnum Galliæ usurpavit, sed Pipino tradidit, & Gregorius VII. quando deposuit Imperatorem, non sibi retinuit imperium sed jussit alium eligi. Similiter quando privavit Gregorius II. Leonem Imperatorem principatu Ravenæ non illum sibi retinuit, sed Regibus Longobardorum retineri permisit, quamvis postea Pipinus debellatis, fugatisque ex Italia Longobardis Exarchatum Ravenæ dono dederit Pontifici. Præterea si deponere Principes perinde, ut opinatur Bibliander, ac excutere cornua Antichristus non solum tria, sed etiam plura alia excutiet. Et ex historiis constat à Romanis Pontificibus fuisse depositas præter Leonem III. Imperatorem Græcum, Childericum Regem Franciæ, Henricum IV. à Gregorio VII. liquet etiam fuisse depositum Othonem IV. ab Innocentio III. Fridericum II. ab Innocentio IV. hi enim omnes imperium amiserunt, & tamen nullus hactenus fuit Pontifex, qui Regem aliquem vel Imperatorem occiderit, ejusque Regnum vel imperium occupaverit, consequenter nullus Pontifex hactenus fuit Antichristus, qui Reges erit debellaturus, ac eorum regna occupaturus. Lactantius enim *lib. 7. cap. 16*, & Irenæus *lib. 5.* asserunt de Antichristo, quòd postquam occiderit tres Reges ex decem, tum ipsum omnium Principem futurum: & Cyrillus Catech. 15. ait, Antichristum Monarchiam adepturum, & deducitur ex cap. 17. *Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt. Hi autem consilium habent, & virtutem, & potestatem suam bestiæ tradent*.

CAP.

CAPUT XXIII.

De electione, & continuata serie Pontificum in utroque Testamento & de Cardinalibus.

Forma eligendi summum Pontificem legitimum D. Petri Successores varias subiisse mutationes pro diversitate temporum legimus in Historiis tum ecclesiasticis, tum aliis, adeo ut historia temporum intra mille centum, & quinquaginta novem annos septendecim mutationes recenseat seu usque ad electionem Alexandri III. Senensis, quæ contigit anno 1159. à viginti, & duobus Cardinalibus, cui tres alii Cardinales Antipapam opposuerunt Victorem nomine; idque causæ, cùm Alexander verus summus Pontifex, & legitimus D. Petri Successor legem sanxerit, quæ in Concilio Lateranensi suscepta fuit, ut in electione Summi Pontificis non sufficiat major suffragiorum pars, sed desiderentur, sintque necessariæ duæ tertiæ partes convenientium Cardinalium, quæ lex etiam nunc viget. Primus igitur modus eligendi Romanum Pontificem fuit ut Pontifex adhuc vivens suum eligeret Successorem, quod præstitit D. Petrus ob plenam à Christo susceptam jurisdictionem. Cum enim intra viginti quatuor annos menses quinque, & dies duodecim, quibus exercuit Christi vicariatum, & sedit Romæ varias in finitimas civitates, ac provincias susciperet profectiones pro fidei propagatione, & ad erudiendas gentes, in ordine ad suscipiendum baptismum; Linum, qui fuerat D. Pauli diaconus, ut coadjutorem Romæ in Pontificalibus sibi adjunxit, Censent aliqui non solum Linum, sed etiam Cletum fuisse adjunctum Petro, ambos tamen ante Petrum martyrio sublatos, ex quo inferunt Linum & Cletum fuisse tantum Chorepiscopos, seu Vicarios Petri, non verò Pontifices & Petri Successores, Sed S. Ignatius Martyr qui vixit tempore Apostolorum in Epistola directa ad Mariam Cassobolitem testatur, Petrum nominavisse sibi Successorem Clementem, qui tamen cum noluisset acceptare Pontificatum nisi post mortem Lini, & Cleti, eò quia fuissent Coadjutores, & Chorepiscopi Petri, ideo post mortem Petri successit in Pontificatu Linus, & post hunc Cletus, postea Clemens, qui in Chersonensi Insula exilio & martyrio coronatus est in subjectum mare præcipitatus cum anchora ferrea collo appensa, ne possent Christiani ejus corpus tollere, illudque venerari, adeo ut mortuus fuerit Clemens anno post Christum natum 102. & Trajani Imperatoris II. tertio, unde quod vulgariter dici solet Petrum nominasse successorem Clementem dici debet de Lino, ut censent D. Hieronymus *lib. de script. Eccles. martyrolog. Roman. die 23. sept.* Eusebius *lib. 3. histor. cap.* 28. Nicephorus *lib. 2. cap.* 18. imò & Canon Missæ, & sedit annos 11. menses 2. dies 23. capite dimidiatus anno Vespasiani Imperatoris nono. Cletus verò sedit annos 12, mensem unum, dies duodecim, & martyrio coronatus obiit gloriosè anno Christi 93. & fertur ex præcepto S. Petri ordinâsse 25. presbyteros in Urbe Roma: & post hos duos Pontifices subvectum fuisse Clementem Romanum antiquum discipulum Sanctorum Petri, & Pauli liquet *ex cap. 4. ad Philipp.* communiter fert opinio.

Modus postea eligendi summos Pontifices introductus primum fuit anno salutis 102, cum enim clerus augeretur, ut constat ex variis in variis partes ordinatis Episcopis, & presbyteris, hi Romæ conveniebant, & Episcopus à duobus vel tribus Episcopis audita morte Papæ Romam veniebat, & simul congregabantur Episcopi, qui per electionem subrogabant alium Pontificem successorem demortui, quo pacto fuit electus Anacletus natione Græcus: & quia sub illis initiis numero pauci recensebantur Christiani etiam populus, & clerus ad ferendum suffragium accersebatur. Hinc tertius modus eligendi fuit ex additione populi ad clerum, qui modus idem in electione localium Episcoporum diu viguit, ut patet ex variis historicis, Et testantur Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Leo, Gregorius. Imperatores non inquirebant de electionibus cleri, sed Constantius Filius Constantini favens Arianis misit in exilium Julium I. Papam per decem menses, & Athanasium, qui Arium in Concilio de suo errore convicerat, jussit, ut in conciliabulo Tyrio ab Eusebianis condemnaretur, in illo enim conciliabulo prævaluerunt Ariani opera Constantii Imperatoris: imo in Concilio Mediolanensi omnes Catholici proscripti fuerunt, cum Liberio Papa, qui relegatus fuit in Beræa Thraciæ: cui clerus Felicem II. substituit ea de causa, quia Liberius subscripsisset proscriptionem Athanasii, Usque enim ad hunc Pontificem non impediebatur clerus, & populus eligere summum Pontificem, imò neque in ipsa inductione Damasi, quæ contigit anno 367. & anno 419. Bonifacius eligitur acclamatione totius populi à septuaginta presbyteris, & novem Episcopis, sed dissensio orta fuit in clero, cujus pars minor cum plebe Eulalium elegit, qui tamen pulsus à Sede D. Petri fuit, & in codice vaticano legitur Eulalium depositum fuisse in Concilio 252. Episcoporum ex Italia, & cæteris vicinioribus provinciis. Sed nunc ritus eligendi Pontificem fit in conclavi. Morbo extremo correptus Pontifex mittit Prælatos quosdam ad Cardinales, & Legatos Principum, ut ipsis innotescat obitum summi Pontificis imminere, & tunc qui in carceribus detinentur jussu gubernatoris in arcem Sancti Angeli deducuntur, eò quia defuncto Pontifice Senatus vel populus Romanus solet carcerum januas infringere, & libertatem in iisdem detentis dare. Defuncto Pontifice Cardinales & Magistratus, qui in palatio Pontificio morabantur alio se conferunt excepto Cardinali Camerario, qui de jure tenetur non exire. Numerus Cardinalium per constitutiones Sixti V. est septuaginta, quorum tres sunt præcipui, & eorum officia non vacant per mortem Papæ, scilicet Cardinalis Cancellarius, pœnitentiarius, & Camerarius, qui est Præses in ratione computorum, & vectigalium sanctæ Sedis. Datarii, Secretarii, & hi omnes, qui sigillum habent Pontificium, illud deferunt Cardinali Camerario, qui coram Auditore, aliisque Cameræ, ac Generali Custode illud frangi jubet, ut etiam annulum aureum piscatoris, qui pondo ut plurimum ad centum nummos excrescit, & ejus fragmenta pertinent ad Magistrum cæremoniarum. Cardinales in tres partiuntur classes, in quarum prima sunt Episcopi, in secunda Presbyteri, & in tertia Diaconi: pro Episcopis sunt tituli sex, pro Presby-

tertis quinquaginta, & pro Diaconis quatuordecim Decanus sacri Collegii reliquos inferiores assignat, ut se conferant ad aulam consistorii, ipso die obitus summi Pontificis circa vesperam, vel saltem manè secundi diei, ut consulatur officiis vacantibus, & eligatur Gubernator Conclavis, & Burgi sancti Angeli. Mortuo Papa Cardinales incedunt discooperto supparo, estque genus togæ levis, & angustæ, ut ostendatur, quòd suprema authoritas spiritualis sit penes illos, & utuntur vestibus violaceis, quarum tamen fimbriæ, & paramenta rubra sunt. Eleemosynarii Papæ: & Pœnitentiarii Sancti Petri cadaver defuncti Papæ lavant, & disponunt, ut pateat populo crux argentea imponitur vestibus Pontificibus ad regionem pectoris cum duobus pileis Cardinalitiis ad pedes ejus, quibus designatur utraque authoritas Papæ spiritualis, & temporalis, nulla tamen superimponitur umbela toto triduo, quod in Ecclesia Sancti Petri exponitur, & post triduum sepelitur, interim per novem subsequentes dies Cardinales & Prælati constituunt capellas, sacra faciunt, & ultimo die habetur oratio funebris justis illis persolutis die 10. eliguntur Ministri Conclavis, & die undecimo unus ex Cardinalibus Missam celebrat de Spiritu Sancto, ac pronuntiatur oratio de novo Pontifice eligendo, inde ordinatur processio ad conclave, & cantatur hymnus: *Veni Creator Spiritus*: neque è conclavi Cardinales egrediuntur donec electus sit Papa. Quod superest hujus diei curiositati permittitur populo, qui potest conclave perlustrare, circa vesperam unus ex cursoribus pellit è conclavi populum clamando extra omnes, & mox à Magistris cæremoniarum clauditur conclave ex parte interiori ex mandato Cardinalis Camerarii, & ex parte exteriori per Principem Sabelli, cui hoc jus competit, ut etiam præficere custodes ad januam & ad rotas ostiarias ciborum, quibus explorandis deputatur Prælatus, qui quolibet die mutari solet. In conclavi quilibet Cardinalis duos tantùm habet famulus inclusos, qui conclavistæ nuncupantur; includuntur etiam ad commune servitium Magister cæremoniarum, Secretarius, Pœnitentiarius, Sacrista, Medicus, Pharmacopola, Chirurgus, faber lignarius muri structor. Adsunt & alii circiter viginti famuli, ut reliqua exequantur officia viliora, quæ passim in conclavi occurrunt. Cellulæ Cardinalium ligneæ sunt, & quilibet unam tantùm habet angustam, & luminis parcam, adeo ut per diem necessariæ sint lucernæ pro lectura, quia obducta sit fenestra cancello ligneo, post clausuram conclavis Decani, seu capita trium classium unà cum Camerario, & Magistro cæremoniarum, qui internas conclavis habet claves totum diligenter cum accensis facibus visitant, ne fortè quis intus lateat. Die 12. peractâ conclavis clausurâ, quæ à Gregorio X. fuit statuta in Concilio Lugdunensi anno 1274. inchoatur electio, quæ sic procedit: Mane celebratur Missa de Spiritu S. in qua omnes Cardinales communicant.

Hæc autem electio tribus potest modis fieri. Juxta Constitutionem Gregorii XV. & Urbani VIII. scilicet per viam inspirationis compromissi, scrutinii, & accessus. Primus modus contingit, quando Cardinales absque ulla prævia contestatione nullo præcedente tractatu unâ voce, unoque animo eligunt Papam: hæc autem electio ad propriam validitatem exigit, ut fiat post publicationem clausuræ conclavis, & intra ejusdem muros, debet itidem fieri nullo Cardinali discrepante, & quòd non præcesserit propositio eligendi aliquem in particulari. Secundus modus eligendi per compromissum contingit, quando partes non concordantes unum vel plures eligunt, quibus totam suam tradunt authoritatem, ut quem ipsi admiserint, sit electus & hoc jus necesse est tradatur in scripto selectis compromissariis, ex quibus nemo potest sibimet suffragari, & oportet itidem ut bis per diem conveniant. Tertius modus est per viam scrutinii, & accessus, cujus author fuit Alexander III. in Concilio Lateranensi celebrato anno 1179. & ut electio valida sit, necesse est habeat duas tertias partes suffragiorum. Hæc scrutatio bis singulis diebus fieri solet, manè post Missam semel, & iterum vespere semel post hymnum: *Veni Creator*, fit autem scrutinium hoc pacto: Magister cæremoniarum tot ponit schedulas in disco supra mensam coram Altari quot sunt Cardinales, quod etiam repetit pro accessu, & sunt hujusmodi schedulæ vacuæ, dein eliguntur tres scrutatores, & tres infirmarii, & tot ponuntur in crumena pilæ, seu orbiculi lignei, quot sunt Cardinales in conclavi; orbiculi perforati sunt in medio, in quo schedula memorata reponitur, tum Diaconus Cardinalis postremus tres orbiculos accipit in crumena, & hi qui educuntur inclusi censentur scrutatores. Iterum tres alios educit orbiculos, & ii, quorum nomina inclusa inveniuntur, censentur infirmarii, hisce absolutis singuli Cardinales ordine servato dignitatis accipiunt schedulam in disco scrutinii, & recedentes juxta mensam scriptioni aptatam, scribunt singuli sua nomina, & nomen illius, quem eligunt in Pontificem hoc pacto: ego Cardinalis N.N. eligo in summum Pontificem Reverendissimum Dominum meum, Dominum Cardinalem Albani, & sigillo munitur schedula, & in parte inferiori illius additur aliqua sententia deprompta ex sacris Scripturis ad libitum. Interim tres scrutatores supra dicti stant erecti ad mensam illis paratam, ad quos accedens Cardinalis suam fert schedulam sigillo munitam, manu digitisque erectis hæc dicens: testor Christum Dominum, qui me judicaturus est me eligere, quem secundùm DEUM judico debere eligi, & quod idem in accessu præstabo. Quæ verba in tabella quadam ab omnibus videnda scripta sunt juxta Altare facto jurejurando ponit schedulam supra patenam Calicis, qui est super Altare, eamque recondit in Calice: & cum gravitate & modestia revertitur ad suum locum, quòd si aliquis ex Cardinalibus usque ad Altare nequeat incedere, tertius scrutator assumpto disco schedulis repleto ad ipsum accedit, qui unam accipit schedulam, eique secreto suffragium suum inscribit, suoque sigillo munit, ac porrigit scrutatori præstito jurejurando, ut supra qui talem schedulam refert ad Altare, & reponit supra patenam, ac injicit in Calicem. Cardinales verò qui ægritudine aliqua detinentur in cellulis per infirmarios invisuntur, quorum suffragia referunt hoc pacto. Infirmarii accipiunt à scrutatoribus pixidem in superiori parte perforatam, quæque seram habet, ac claviculam, & hanc ipsi primò aperiunt coram omnibus, quibus ostendunt vacuam, & mox eam claudunt, removentque clavim, quam superimponunt Altari, infirmarii deferunt pixidem cum disco argenteo, in quo tot sunt schedulæ, quod Cardinales infirmi, ad quos accedunt; qui singulariter unam depromentes schedulam suo replent suffragio, & jurejurando immittunt pixidi. Sin autem gravitas ægritudinis non permittat, hæc præstari, eligit infirmus, quem vult, ut vicem suam gerat, & electus à Cardinali tenetur

ad scru-

ad servandum decretum. Infirmarii postea accedunt ad sacrarium, & scrutatores aperta pixide projiciunt schedulam in calicem bis absolutis primus scrutator concutit calicem, ut misceantur schedulæ. mox tertius scrutator eas numerat, reponitque in alio calice, quorum numerus, si peccet in excessu, vel in defectu, comburuntur, deinde primus scrutator accipit unam schedulam ex calice, quam aperit, & legit, datque legendam secundo scrutatori, & hic tertio, qui alta voce suffragium legit, & enuntiat electum. Interim singuli Cardinales notant nominatum in cathalogo Cardinalium, quem habent: sin verò sint duæ schedulæ ita annexæ, ut præsumantur istæ ab uno, si item legatur in utraque, censentur pro unico suffragio, sin verò varia pronunctient, supponunt pro diversis, & tunc comburuntur, scrutinium tamen est semper in bona forma. Expedita hac promulgatione suffragiorum tertius scrutator omnes schedulas filo interserit cum acu, & recitat reponens sub altari. Quando non sufficit scrutinium pro electione, sequitur accessus, qui quoad schedulas, & publicationem fit, sicut scrutinium, ita ut nemo possit sibi tam in scrutinio, quàm in accessu suffragari, & quia accessus est iterata suffragatio votum non potest dari, nisi illi Cardinali, qui saltem unum habuit in scrutinio, & hoc suffragium non potest dari illi per Cardinalem, qui in scrutinio jam dedit. Infirmarii deferunt ad singulos ægrotos unam tabellam, in qua continentur data suffragia, & cuilibet deferunt etiam schedulas accessus, ut videant, quod in electione procedatur canonicè. Scrutatores conferunt schedulas scrutinii filo illigatas cum schedulis accessus, quas ritè examinant, num idem sit sigillum, & scriptura, & tertius scrutator publicat alta voce suffragia collecta in accessu, in quo inscriptio schedulæ est talis. Ego Cardinalis Pamphilius accedo Reverendissimo Domino meo, Domino Cardinali Pinatelli. Post computum suffragiorum, qui habet duas partes ex tribus censetur canonicè electus Papa: quòd si plures habeant duas tertias partes suffragiorum, vel plures tunc nulla est electio, & iterum inchoatur. Constituuntur etiam per sortem tres commissarii, qui examinant schedulas scrutinii, & accessus, & vocantur recognitores, & post recognitionem sive sit electio, sive non, comburuntur schedulæ omnes. Hæc omnia expressa habentur in Bulla de electione summi Pontificis edita à Gregorio XV. anno Domini 1621, quæ postea confirmata fuit ab Urbano VIII. anno 16[illegible]5. & contravenientes incurrunt excommunicationem, à qua non possunt absolvi nisi à Papa. Electo canonicè Papa duo Cardinales cum Decano rogant electum, ut electionem sui acceptet, & electus consulto Deo per orationem respondit affirmativè, & sibi assumit nomen, quomodo ipsi magis placuerit mox Papalibus indutus vestibus deducitur ante altare, ibique sedens super cathedram suscipit salutationem, quæ vulgò adoratio dicitur Cardinalium eum in pedibus, manibus, & genis exosculantium: mox effringitur conclave, acclamatur in jubilo, & post aliquot dies coronatur, ac possessionem suscipit sui episcopatus, qui est in Ecclesia S. Joannis Lateranensis. Semel canonicè electum Papam non possunt Cardinales, imò nec Reges eum amplius deponere, quia Pontifex nulli humano judicio subjicitur, neque ab hominibus judicatur, quòd si fieret Hæreticus, tunc quia non esset amplius membrum Ecclesiæ per se ipsum cessaret esse caput ejusdem. Idque professæ sunt variæ Synodi, ut Synuessana sub Marcellino, & Romana sub Sylvestro pronuntiavit enim Concilium. *Nemo judicabit primam sedem, quoniam omnes sedes à prima sede justitiam desiderant temperari, neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo Judex judicabitur.* Hinc nec Cardinales possunt privare Papam potestate papali, quia subditus non habet authoritatem in Principem in judicem, nec membra in caput, ut neque oves in Pastorem, & Cardinales sunt oves Christi sub directione summi Pastoris, seu Romani Pontificis, quinimò quamvis Pontifex esset dubius adhuc non pertinet ad Cardinales illum judicare, sed ad Concilium generale, si dubium esset fundatum, & schisma excitaret, neque obstat, quod Cardinales eligant Papam, quia tametsi electio canonica procedat à Cardinalibus, hâc tamen posita potestas pontificia de jure divino annectitur tali canonicè electo in Papam. Tria considerantur in Papa electo pontificatus, qui est veluti forma quædam, secundò ipsa persona, quæ est subjectum pontificatus, & tertio conjunctio unius cum altero, cum persona. Ex his tribus dignitas Pontificatus est à solo Christo, qui eam instituit, ac dedit D. Petro, & ejus successoribus canonicè electis; persona seu subjectum talis dignitatis est absoluta à suis causis naturalibus, ut est talis persona scilicet electa, & designata ad Pontificatum est ab Electoribus, ad quos pertinet designare personam, ipsa verò conjunctio est à Christo mediante actu humano electorum, qui eum aligunt certam personam concurrunt ad conjunctionem Pontificatus cum illa persona, quo pacto Electores verè dicuntur eligere Pontificem.

E contra quando Papa creat Cardinales, per se illis confert authoritatem, quam ipsa plenam habet de jure divino, cùm sit Pastor Ecclesiæ universalis Joan. 21. *Pasce oves meas*, quæ verba nomine Petri inerunt etiam dicta ejus successoribus. Circa Cardinales Urbanus VIII. anno 1630, ex decreto Consistoriali eos titulo Eminentiæ condecoravit, ad quos etiam devoluta est totalis potestas eligendi Pontificem, ac dicuntur ejus Consiliarii, & conjudices orbis terrarum, Institutio Cardinalium antiqua est in Ecclesia, ut liquet ex canone 6. Concilii Romani celebrati à Sylvestro Papa immediatè post Nicænum, & cui interfuit Constantinus Imperator, ibi enim statuitur, ut Diaconi non essent plures per parochiatum examen nisi duo, & Cardinales urbis Romæ septem, ita tamen ut Dalmaticis uterentur, & Palla Linostima læva eorum tegeretur: in hoc autem Concilio nomen Cardinalis non instituitur sed supponitur jam institutum, & debet referri ad Evaristum Papam, qui sedit anno Christi 96. cum certum sit illum statuisse septem Diaconos in urbe, qui custodirent Episcopum prædicantem, seu ei assistentem propter stilum veritatis, seu ut interpretatur Spondanus ob muneris majestatem, functionisque amplitudinem, perseveravit hic ordo usque ad Higinium Papam scilicet ad annum 138. quia hic Pontifex auxit numerum Presbyterorum ac Diaconorum, & plures uni Ecclesiæ aptavit, quibus Fabianus Papa anno 237. id postea muneris addidit, ac dignitatis, ut præessent regionibus urbis, id est Parœciis, seu Ecclesiis, in quibus sacramenta ministrarentur, & illis injunxit, ut curam haberent pauperum earundem, quapropter Diaconi regionarii, seu titulares dicti sunt a nomine, & titulo Ecclesiæ, & isti sunt, qui sub Sylvestro tempore Constantini Imperatoris vocantur diaconi Cardinales, adeò ut nomen hoc Cardinalis idem verè significet, ac Principalis, sive is à quo pendent alii, ut à Cardine solent ostia pendere, quo pacto etiam virtutes principaliores dicuntur Cardinales. Hoc igitur nomen Cardinalis primo imposi-

tum

rum loco seu Ecclesiæ, quæ singularem titulum, ac denominationem habens Cardinalis censebatur, seu una ex principalibus, idque ad differentiam aliorum locorum minus principalium. Hinc Presbyter, qui eandem regebat cardinalis vocabatur. Eodem pacto diaconiæ erant quædam loca principalia in urbe distincta juxta numerum regionum, quique in ea residebant diaconi, cardinales vocabantur, ab Ecclesia scilicet cardinali, quam tenebant: eodem modo dicti sunt episcopatus cardinales sex Romæ propinqui, qui ad elegendum Pontificem conveniebant, & ejus erant consiliarii; quam hoc nomen cardinalis à loco derivatum fuit ad personam, ut constat ex Concilio Medensi can. 54. quod ita statuit. *Ut titulos cardinales in urbibus, vel suburbiis constitutos episcopus canonicè ordinet, & disponat*; ut etiam ex Joanne diacono in vita sancti Gregorii lib. 3. cap. 11 ubi ait: *Cardinales violenter in paræciis forensibus ordinatos Gregorius in pristinum cardinem revocavit*; vocat cardinem titulum, seu Ecclesiam cardinalem. Horum numerus titulorum paulatim Romæ increvit juxta mensuram propagationis fidei. Dionysius Papa circa annum 260. titulos auxit, quos Presbyteris distribuit, & extra urbem paræcias, & diæceses limitavit: ut etiam Marcellum titulum quintum decimum instituit, & sedente Julio viginti octo fuerunt instituti, qui numerus habens suos Presbyteros præfectos perseveravit usque ad Honorium II. qui anno 1125. statuit septem Episcopos cardinales ad utilitatem, & majorem splendorem Ecclesiæ, & principaliter ut summo Pontifici celebranti solemniter in Ecclesia Lateranensi assisterent, quorum nomina adhuc perseverant; suntque Episcopus Ostiensis, cujus officium est consecrare Romanum Pontificem; & tunc pallium archiepiscopale defert Episcopus Portuensis. Secundus est Episcopus sanctæ Ruffinæ. Tertius Episcopus S. Sabinæ, quartus Episcopus Prænestinus, quintus Episcopus Tusculus, sextus Episcopus Albanensis, & septimus Episcopus Velletrensis. Hi septem Episcopi extiterunt sedente Victore & anno 1057. & dicebantur Cardinales Collaterales, & Hebdomadarii, & quia per singulas hebdomadas alternis vicibus explerent munus Pontificis. Sed Honorius II. creavit alios octodecim Cardinales, & diaconos juxta numerum diaconiarum, qui omnes cum præfatis fuerunt numero quinquaginta tres; verùm hic numerus fuit postea imminutus adeò ut cardinales postea non excesserint numerum quadragenarium sub Pontificatu Innocentii II. & Cœlestini II. anno 1143. imò fuit ulterius imminutus, & decrevit ad triginta quinque, postea ad viginti, ac demum ad solos quindecim, imò etiam ad decem; idque ut impedirentur schismata, ac dissidia in collegio Cardinalium: & electioni Nicolai III. anno 1278. ut refert Coronus nonnisi septem interfuerunt Cardinales. Panuinus tamen refert Nicolaum III. ex familia Orsina electum fuisse cum ingenti cardinalium contestatione, unde non videtur probabile, à tam exiguo numero fuisse electum, inibat enim pro Pontifice, qui natione esset Gallus Carolus Rex Gallorum, qui conclave custodiebat. Postea in electione Nicolai IV. post fluxum decem annorum opertum fuit conclave ob mortem plurium Cardinalium, & electus Nicolaus IV. Minorita, qui varios creavit religiosos Cardinales, & ejus successor Cœlestinus V. antequam pontificiæ dignitati renuntiaret duodecim creavit Cardinales. Concilium Constantiense sessione 40. reformationem numeri cardinalium ab eligendo Pontifice proposuerat, sed numerus à Concilio Basiliensi ad viginti quatuor reductus fuit excludendo nepotes ex fratre, vel sorore pontificis, & non crearentur Cardinales nisi ætate triginta annorum. Xystus IV. iterum numerum auxit Cardinalium, ut etiam Alexander VI. sub cujus Pontificatu fuerunt Cardinales quinquaginta tres; & alios etiam promovit Leo X. usque ad sexaginta quinque & Paulus IV. Theatinus numerum Cardinalium voluit ascendere usque ad septuaginta, qui numerus postea retentus fuit ad imitationem septuaginta seniorum, quos Moyses selegit de consilio Jetro soceri sui, vel ad exemplar septuaginta idiomatum, quæ in Ecclesia numerabantur: vel septuaginta Seniorum Concilii Sanhedrin Judæorum, vel potius ad imitationem Christi qui septuaginta habuisse discipulos dicitur: unde tituli fuerunt multiplicati, ut numerum æquarent Cardinalium, qui tripartitus in numerum Episcoporum, Presbyterorum, ac diaconorum, qui omnes vocantur, seu denominantur à titulis iisdem assignatis, quatenus à prima sui institutione fuit vel diaconia, vel presbyteratus, vel Episcopatus; non quod Cardinales presbyteri non sint Episcopi, plures enim qui sunt in classe presbyterorum sunt præcipuis insigniti Episcopatibus: imò etiam ex iis qui in classe sunt diaconorum, sunt Sacerdotio initiati, imò al qui etiam Episcopi; sed quia talis fuit institutio; ut quidam titulum haberent Episcopi, alii Presbyteri, & alii diaconi; & ex qualibet classe potest Pontifex eligi: modernus enim Pontifex Clemens undecimus ex classe diaconorum fuit assumptus ad pontificatum, quamvis nondum esset sacerdotio initiatus.

In classe Cardinalium Presbyterum, qui primus omnium creatus fuit vocatur S. Rom. Ecclesiæ Archipresbyter Cardinalis. Antiquior verò promotione inter Episcopos Cardinales nominatur simpliciter decanus sacri collegii Cardinalium. Privilegia cardinalium plura sunt. Primò in ecclesiis sui tituli habent jurisdictionem spiritualem, & quasi episcopalem. Secundo dicuntur esse à consiliis summi Pontificis, adeò ut non sit amplius convocare Episcopos ad expediendu negotia respicientia Ecclesiam universalem, quia Cardinales Romæ immorantes ad id sufficiunt, & semper præsto absque alio incommodo inferendo aliis diœcesibus, quæ olim suis ad multum temporis destituebantur pastoribus, ex qua absentia non modicum patiebantur detrimentum. Tertiò sunt tantæ authoritatis, ut terminent ultimatè negotia, quibus præficiuntur; suorque levamini Papæ, cui cura incumbit totius Christiani orbis; ad id instituuntur Romæ variæ congregationes pro varietate negotiorum, quæ solent occurrere, in quibus admittuntur etiam Prælati inferiores, & Theologi religiosi, & claustrales: in his enim ut plurimum semper præsident Cardinales. Quartò sunt factæ Romanæ Ecclesiæ Principes. Quintò eorum dignitas, & eminentia honorat regna, ad quæ mittuntur Cardinales legati, vel ad tractanda negotia; vel ad exorta dissidia componenda, Reges enim, & Principes dignitatem cardinalitiam venerantur; & purpuræ splendor non parum hæreticos perstringit. Sextò demortuo Papa sede vacante per Cardinales Ecclesia universalis regitur. Septimò regales, & graviores agunt legationes, in quibus personam Papæ specialiùs repræsentant, quàm alii qui ex officio sunt legati vel nati, vel missi. Hinc cum Cardinales legatione funguntur, insignibus utuntur apostolicæ dignitatis ex statuto Concilii generalis *cap. Antiqua de privilegiis*. Vexillum crucis ante se ubique deferri faciunt in omnibus Provinciis eorum subjectis jurisdictioni, & ad ipsos quoties necessitas urget appellatur; quia ut habetur *in decretalib.*

tit.

tit. 15. de offic. Legat. Habentur Legati tanquam Ordinarii, quorum officium est instar Proconsulum, ac cæterorum Præsidum, quibus certæ Provinciæ concreduntur, quas regant, & ubique evellant, dissipent, ædificent, plantent. Rursus Cardinales Legati vocantur Legati à latere, seu Collaterales summi Pontificis, quinimò *in can. si quis 6. quæst.* 1. Cardinales dicuntur esse pars quædam Papæ. Octavò munus Cardinalium est invigilare, ne à consanguineis Papæ patrimonium S. Petri dispendium patiatur, & ut facilius, si quid fortassis alienatum fuerit, recuperetur. Demum Cardinales nunc reputantur fundamenta publicæ quietis, soboles supremorum Pontificum, eò quia nunc ex eorum tantùm collegio soleant assumi Pontifices, qua propter jure merito vocantur Cardinales, cum revera sustineant pondus, & unus Ecclesiæ, cujus propterea sunt veluti cardines.

Quod verò ad præcedentiam attinet Cardinalium certum est ipsos sub initium Ecclesiæ non præcessisse Episcopos, sed iisdem fuisse inferiores, idque causæ cur etiamnum summus Pontifex scribens ad Episcopos eos vocet fratres venerabiles; & cardinales filios dilectos, ut apparet in litteris apostolicis directis ad eosdem, unde si quæratur, num Cardinales sint digniores Episcopis eosque præcedant, adhibenda est distinctio, si consideretur Episcopus ratione characteris ordinis, & potestatis spiritualis, est dignior Cardinale non Episcopo, ratio est, quia potestas Episcopi se extendit ad ordinandos Presbyteros, confirmandos baptizatos, & alia id genus, quæ Cardinales non Episcopi, sive Presbyteri sint sive Diaconi facere nequeunt. Rursus si consideretur jurisdictio in propriam Ecclesiam jurisdictio Episcopi extenditur in totam diœcesim, & jurisdictio Cardinalis tantùm in Ecclesiam sui tituli, vel in suam diaconiam, quapropter jurisdictio Episcopi est amplior illa Cardinalis non Episcopi, siquidem extensior, & amplior est diœcesis episcopalis, quàm titulus cardinalitius. Tum quia in tota diœcesi Episcopus plenam habet jurisdictionem, ut proprius & ordinarius Pastor, potest enim ferre leges, punire delinquentes, quoad leges suæ diœcesis, secus Cardinalis non Episcopus cum in Ecclesia sui tituli sit veluti Parochus subjectus Episcopo, qui nil potest, nisi prout ei permiserit Episcopus. Sin verò consideramus Cardinalem quoad statum & œconomiam Ecclesiæ universalis dignior habetur, & major, sive Presbyter tantùm sit sive diaconus Episcopo non Cardinali, ratio est, quia Episcopi simplices nonnisi rarissimè adhibentur ad regimen universalis Ecclesiæ extra generale Concilium. Cardinales verò quotidie assistunt Pontifici, nec ullum magni momenti peragitur negotium sine consilio, & suffragio Cardinalium, quo fit, ut Episcopi à Cardinalibus veluti Papæ Assessoribus creentur, judicentur, deponantur; non vice versa Cardinales ab Episcopis. Hinc absolutè & simpliciter Cardinalis præcedit Episcopum non Cardinalem, quæ est ratio Eugenii IV. in epistola ad Archiepiscopum Cantuariensem, qua ostendit Cardinalem esse digniorem Episcopo, vel Archiepiscopo non Cardinali. Verùm hæc præcedentia non semper extitit in Ecclesia: siquidem olim Episcopi omnes præferebantur Cardinalibus, ac dicebantur fratres Pontificis, sed ex quo ad Cardinales devoluta est electio activa vel passiva Romani Pontificis, obtinuerunt præcedentia supra Episcopos cùm antea neque soli, neque primarii essent? Primis enim seculis Papa ad graviora negotia, quæ occurrebant, judicanda, & finienda consueverat concilia Nationalia Episcoporum Italiæ convocare, quibus tametsi interessent Presbyteri Cardinales, sedebant nihilominus post Episcopos, cui præcedentiam cedebant. Verùm cùm primùm Ecclesia Romana cœpit principatum temporalem possidere, ex dono Pipini, & Caroli Magni, quia negotia creverunt, & multò frequentius indiguit Pontifex assistentia consiliatiorum & concilia Nationalia non possent tam frequenter congregari ob incommoda plura, quæ inde oriebantur Ecclesiis, ideo omitti cœperunt convocationes Conciliorum, & totum negotium ad Senatum Cardinalium devolvebatur ob majus commodum, & ut expeditius subortæ controversiæ dirimantur. neque Senatus iste Cardinalium fuit perperam institutus, quia fundatur in sacra Scriptura in usu & praxi veteris testamenti, siquidem inter Judæos duplex fuit tribunal, & Concilium unum majus, quod Sanhedrin dicebatur, fuitque Concilium 72. Seniorum, à Deo per Moysem institutum, ut habetur *Numer. cap.* 11. & hujus Concilii tanta erat authoritas, ut Seniores cognoscerent de lege, de Prophetis, de doctrina, ac simul de Principibus. Alterum concilium erat minus, ac inferioris authoritatis à Jetro Moysi suggestum, ut habetur *Exodi cap.* 18: utrumque tamen fuit postea antiquatum, ac penè deletum, sed Rex Josaphat utrumque renovavit, restauravit, restituit, ut habetur 2. *Paralip. cap.* 19. Primum Concilium erat Hierusolymæ, cui præsidebat Pontifex veteris testamenti, & ad illud majores controversiæ deferebantur. Minus erat in singulis civitatibus, & constabat ex viginti tribus personis, & ab ejus sententia provocabatur ad Concilium majus, seu concedebatur appellatio ad Sanhedrin. Perinde in Ecclesia ad evellendas radices hæresum, quæ succrescunt, solent convocari generalia Episcoporum Concilia, ut etiam pro definiendis controversiis vel negotiis pertinentibus ad totam Ecclesiam universalem: alioquin si negotia non respiciant totam Ecclesiam, sed unicum tantùm regnum vel Provinciam, vel Principem aut ordinem res tota defertur ad Consistorium Cardinalium, quà de causa Cardinalibus singularibus demandata est singularium regnorum protectio, ut cura paterna eorum commoda, & utilitates promoveant, & summum Pontificem promovent in determinationibus, & sententiis ferendis. Antiquitus Ecclesiæ Cardinales in vestibus exterioribus nullo discrimine à Presbyteris simplicibus distinguebantur, sed Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi congregato anno 1246. dignitati cardinalitiæ pileum rubrum adjunxit, quo Cardinales cœperunt distingui ab aliis Præsbyteris simplicibus, concessit etiam Cardinalibus, ut equitantes incederent per urbem: & ad hæc duo privilegia concessa Cardinalibus motus fuit Pontifex, eò quia à Frederico Imperatore, quem in dicto Concilio Lugdunensi spoliaverit imperio, & anathemate percusserat, aliquos detinebat Cardinales, ut contradicerent Pontifici, quibus voluit Pontifex significare officium Cardinalium esse Ecclesiam usque ad sanguinis effusionem intrepidè protegere, Postea Paulus II. ad majorem ornatum, & decorem dignitatis cardinalitiæ iisdem concessit, ut vestes purpureas adhiberent, idque contigit an. 1464. & ex tunc dignitas cardinalitia cœpit æquivocari regiæ. Creationem Cardinalium quod attinet, quando Papa eam intendit in consistorio die Mercurii quatuor temporum exponit, & sequenti die nomina eorum & merita proclamat, qui si digni admittantur à summo Pontifice creantur hoc pacto die sabbatho quatuor temporum Papa ornatus thiara, & præeunte cruce post cœtum cardinaliū ingreditur consistoriale con-

conclave, ubi publicè præconizat merita alectotū ad dignitatem cardinalitiam quos nominatim vocat; & quos contingit adesse per Cardinales Diaconos accersit, & ascitos alloquitur Papa: *Maxima dilectissimi filii & excellentissima dignitate donati estis, ad consilium Apostolicum vocati, Consiliarii nostri, & Conjudices orbis terrarum eritis, successores Apostolorum circa thronum sedebitis.* Ita præconizati per ordinem ad Papam accedunt, cujus pedem, & manum exosculentur, quos tamen elevat, eisque in faciem figit osculum, inde singulos Cardinales ordinatè osculentur, & cantatur Te Deum laudamus accedentes ad sacellum palatii Papalis, ubi Cardinalis Decanus preces fundit, quas terminat, recitando orationem *Omnipotens sempiterne Deus miserere famulis tuis*, dein singuli Cardinales revertuntur ad Papam stantes coram illo circulatim; & primus nominatus genuflexus recipit in caput galerum rubrum à Papa dicente: *Ad laudem omnipotentis Dei, & sanctæ sedis Apostolicæ accipe galerum rubrum insigne singulare dignitatis Cardinalatus, per quod designatur, quod usque ad mortem, & sanguinis effusionem inclusivè pro exaltatione sanctæ fidei pace, & quiete populi Christiani augmento, & statu sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ te intrepidum exhibere debeas in nomine Patris,* & id repetitur cum singulis dat galerum, hisce absolutis per ordinem honorificè ad proprias domos ducuntur per primarios Cardinales. In primo autem consessu Consistoriali Papa iisdem impertitur facultatem suffragandi, quæ functio dicitur apertio oris, & Pontifex hæc verba profert: *Aperimus vobis os tam in collationibus, quàm in consiliis, atque in electione summi Pontificis, & in omnibus actionibus tam in consistorio, quàm extra in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et illis assignat titulum in Ecclesiis Romæ, datque eis annulum, & ait: *Ad honorem sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli sanctæ Cæciliæ, vel Laurentii, vel Chrysogoni committimus tibi Ecclesiam S. Cæciliæ cum clero, & populo.*

Quod verò ad seriem, & successionem continuatam Pontificum attinet certum est, primum in lege veteri Pontificem institutum fuisse Moysem anno ab orbe condito 2483. ætatis suæ anno 80. fuit enim à Deo institutus Dux Israëlis, quem ex Ægypto eduxit, & legem à Deo accepit in deserto, adeo ut Moyses fuit simul supremus Princeps in politicis & summus Pontifex in sacris constitutus. Quoad pontificatum Aaronem habuit successorem in politicis Josue suffectus fuit, cùm mortalitatem exuit anno circumductionis per desertum quadragesimo, & exinde fuit continuata successio Pontificum veræ fidelium Ecclesiæ usque ad Jesum Christum. A Moyse usque ad Machabæos, hæc fuit successio Pontificum, post Moysem primus fuit Aaron, 2. Eleazar, 3. Phinees, 4. Heli, 5. Achitoph, 6. Abiathar, 7. Sadoch. 8. Achimas. 9. Azarias. 10. Azarias tempore Oziæ. 11. Urias. 12. Sobne tempore Ezechiæ. 13. Eliachimus tempore Menassæ. 14. Helcias tempore Josiæ. 15. Satea occisus à Nabuchodonosore. 16. Josedech in captivitate. 17. Jesus ejus filius. 18. Joacim. 19. Eliasib. 20. Joadas, 21. Joannes. 22. Jaddus. 23. Onias. 24. Simeon. 25. Eleazar II. 26. Manasses. 27 Onias II. 28. Simeon II. 29. Onias III. 30. Alcimus. 31. Judas Machabæus. Omnes isti fuerunt fidi custodes veræ religionis, & summi Pontifices veteris legis ab anno orbis conditi 2520. usque ad annum orbis conditi. 3823. Tenuerunt sacra, qua præscripta quà tradita sub Ducibus Quindenis. Continuata fuit itidem successio à primo anno Juda seu ab orbe condito. 3823. sub ducibus quatuor usque ad Aristobolum per annos 58. & sub Regibus 9. per annos 373, usque ad Caipham sub quo crucifixus, mortuus fuit Christus, & resurrexit hoc est anno ab orbe condito 4016. Aristobolus autem anno ab orbe condito. 3882. primus post Regem Sedeciam diadema sibi regium imposuit ut refert Josephus lib. Antiquitatum cap. 18. & defecit sceptrum Judæ cum Agrippa Juniore anno ab orbe condito 4055. & à Christo nato anno 72. & tunc cœpit religio Christiana propagari sub Vespasiano Cæsare, & Judæorum imperium, & sceptrum defecit, & cum sceptro etiam dignitas Pontificia, & religio apud ipsos cœpit corrumpi, ac totaliter immutari, ac discindi ob varias sectas, uti fuerunt Pharisæi non multo ante Christi adventum orti Authoribus Samei, & Hillel ex quibus etiam suam traxerunt originem scribæ ita nuncupati, eò quia scripturas interpreterent, & dogmatizarent privatas traditiones legis non curantes. Hi omnia adscribebant fato, animarum judicio sub terra fieri asserebant; propugnantes transanimationem pithagoricam, sed bonorum tantùm hominum volentes malorum animas æternum cruciari. Scripturas vitiosè interpretabantur, & sub specie sanctitatis lucrum nundinabantur. Præter Pharisæos, & scribas aliæ etiam fuerunt Sectæ tunc exortæ, ut Sadducæi à Sadoch orti, hi enim inficiabantur resurrectionem asserentes animam unà cum corpore extingui. Esseni inter se divisi Samaritæ erant, qui cum Judæi nec templū, nec sacrificia nec cæremonias communes habebant solum Pentateuchum agnoscentes negantes & ipsi carnis resurrectionem, & Spiritum S. Sebusæi, & Cathenitantùm dissidebant ob varias festivitatum celebrationes. Dossithæi ab animatis abstinebant: superstitiosè sabbatbizabant, adeo ut quo quo loco vel situ sabbatbum deprehendisset, eodem per totum diem immotus staret. Monogamiam imò & plures illorum virginitatem colebant. Emerobaptistæ coalescebant ex Pharisæis, & Sadducæis existimabant vivere non posse hominem nisi singulis diebus aquis immergaretur. Nazaræi Pentateuchum non recipiebant, & ab animatis, ut ab immundis abstinebant. Osseni, & Herodiani asserebant Herodem esse Messiam, eò quia Judæorum sceptrum excepisset, sed has inter Judæorum Sectas adhuc vera religio intacta servabatur, ac singularis sanctitatis odore florebat in sacra familia Christi Redemptoris ut in Sene Simeone, Anna, Zacharia, Elisabetha, Josepho, & Mariæ Virgine, hinc statim cœpit post defectionem summorum Pontificum, ac templi Hierosolymitani, & Sacrificiorum Pontificatus legis evangelicæ, seu novi testamenti cujus summus sacerdos secundùm ordinem Melchisedech & Pontifex ter optimus, terque Maximus fuit Jesus Christus verus Deus, & verus homo, solus per excellentiam, qui vicarium sibi delegit Petrum Apostolum super quem fundavit Ecclesiam in terris militantem, non tamen super personam quæ brevi erat moritura, sed super dignitatem summi Pastoris, & capitis totius Ecclesiæ, adeo ut Petrus sit Pontificatum ingressus, & Monarcha factus universalis Ecclesiæ anno Christi nati 34. seditque Romæ annos 24. Menses 5. dies undecim, cui successit anno Christi nati 51. S. Linus, eò quia Claudius Imperator Christianos omnes proscriberat, & Petrus Hierosolymam confugerit, adeo ut Linus suppleverit absentiam Petri Romæ donec reverteretur anno 68. cumque fuisset reversus Petrus unà cùm D. Paulo, ut opem ferret afflictis Christianis ob persecutionem Neronis. Unde D. Petrus cœpit regere Ecclesiam Romæ anno Christi 44. cum antea sedisset

Hie-

Hierosolymis annis 5. Antiochiæ annis 7. Romæ 24. mens. 5. dies 12. sederitque universim annos 36. mens. 5. dies 12. S. Linus Petri successor sedit annos 11. mens. tres dies 12. ab anno salutis 69. ad annum 80. S. Cletus S. Petri Corepiscopus, & Coadjutor sedit in Pontificatu annos 12. mens. 7. dies 2. ab obitu Lini die 25. Septembris anno salutis 80. usque ad 93. die 26. Aprilis sub Domitiano. Clemens Martyr sedit ab anno 10. Domitiani qui fuit salutis 93. usque ad annum Christi 102. seu per annos novem menses sex dies 4. vacavit sedes Apostolica dies 21. Anacletus sedit in Pontificatu annos 9. menses sex dies 29. creatur Pontifex anno salutis 103. vacavit sedes dies 13. S. Evaristus Martyr sedit in Pontificatu annos novem menses 3. decessit die 26. Octobris anno salutis 121. vacavit sedes dies 18. S. Alexander Martyr Pontifex Romanus sedit in Pontificatu annos 10. menses 5. dies 20. creatus die 13. Novembris anno salutis 121. moritur die 3. Martii anno 132. vacavit sedes dies 25. S. Sixtus Martyr Pontifex Romanus sedit annos 10. minus uno mense diebus 22. creatus 29. May anno salutis 132. moritur 8. idus Aprilis anno salutis 142. vacavit sedes dies 2. S. Telesphorus martyr sedit in Pontificatu ab 8. die Aprilis anno salutis 142. usque ad 5. Januarii anno 154. rexit ecclesiam per annos 11. menses 9. minus tribus diebus vacavit sedes dies 7. Hyginus martyr sedit ab anno 154. die 15. Januarii usq; ad diem 11. Januarii anno salutis 158. per annos 4. duobus diebus vacavit sedes dies 3. Pius Martyr sedit in potificatu à die 25. Januarii anno salutis 158. ad 5. Idus Julii 167. sedit annos 9. menses sex detractis diebus tribus vacavit sedes dies 14. S. Anicetus Martyr sedit à die 23. Julii anno salutis 167. usque ad diem 17. Aprilis anni salutis 175. rexit ecclesiam annis octo mensibus novem diebus sex vocavit sedes diebus septemdecim S. Concordius Soter martyr sedit in Pontificatu à die 4. Maji anni salutis 175. usque ad 10. Calendas Maji anno 179. rexit ecclesiam per annos 4. minus diebus duodecim vacavit sedes dies 11. S. Abundius Eleutherius martyr sedit à die 5. nonas Maji anni 179. usque ad 7. Calend. Junii anno salutis 194. sedit per annos 15. dies 23. S. Victor martyr sedit à Calend. Junii anno 194. usque ad diem 28. Julii anno salutis 203. seu per annos 9. mensem 1. dies 28. S. Zepherinus martyr sedit à die 8. Augusti anni salutis 203. ad 7. Calendas Septembris anni 221. rexit ecclesiam per annos 18. dies octodecim, vacavit sedes dies sex S. Calistus martyr sedit in pontificatu annis quinque mense 1. diebus duodecim ab anno salutis 221. die 2. Septembris usque ad pridie Id. Octobris anni salutis 226. vacavit sedes dies 6. S. Urbanus martyr sedit in pontificatu annos sex menses 7. dies 4. à die 21. Octobris anni salutis 226. usque ad diem 25. Maji anno 233. vacavit Ecclesia diebus triginta S. Calpurnius sedit in pontificatu à die 8. Calend. Julii anno salutis 233. usque ad diem decimum nonum anno salutis 237. rexitque Ecclesiam annos 4. mens. 4. dies 25. vacavit sedes dies 13. S. Fabianus martyr sedit in pontificatu annos 15. dies 3. vacavit sedes annum unum, & menses tres. S. Cornelius martyr sedit annum unum menses 5. dies 14. à die prima Aprilis anno salutis 254. usque ad 18. Calendas Octobris anno 255. vacavit sedes dies 35. S. Lucius martyr sedit in cathedra Apostolica à die 20. Octobris anno 255. usque ad 4. nonas Martii anno 257. rexitque ecclesiam anno 1. menses 4. dies 12. vacavit ecclesia dies 35. S. Stephanus martyr sedit in Pontificatu annos 3. menses 3. dies 22. à die 19. Aprilis anno salutis 257. usque ad 4. nonas Augusti anno salutis 260. vacavit ecclesia dies 22. S. Sixtus II. martyr sedit in cathedra D. Petri uno anno minus octodecim diebus fuit creatus die 24. Augusti anno 260. martyrium gloriosè consummavit 8. Idus Augusti anno 261. vacavit sedes dies 35. S. Dionysius sedit in Pontificatu annos 11. menses 3. dies 14. à pridie idibus Septembris anno salutis 261. usque ad 6. Calendas Januarii anno 272. S. Felix martyr sedit in Pontificatu annos 2. menses 5. detracto uno die martyrii coronam accepit 3. Calendas Junii anno 275. vacavit sedes dies 5. S. Eutychianus martyr sedit annos 8. menses 5. dies 4. vacavit sedes dies 9. creatus fuit Pontifex pridie nonas Junii anno 275. martyrium consummavit 6. Idibus Decembris an. 283. S. Caius martyr sedit in Pontificatu anno 12. menses 4. dies 5. creatus Pontifex 16. Calendas Januarii anno 283. martyrii coronam accepit 10. Calendas Maji anno 296. vacavit sedes dies 11. S. Marcellinus martyr sedit in Pontificatu annos 8. minus mense uno & diebus sexdecim electus 5. nonas Maji anno 296. martyrium consummavit anno 304. die 6. Calendas Maji vacavit sedes menses septem dies 25. S. Marcellus martyr creatus Pontifex 21. Novembris anno 304. Martyrio coronatus 18. Calendas Februarii anno salutis 309. vacavit sedes Apostolica dies 20. S. Eusebius sedit annos duos menses 7. dies 21. vacavit sedes diebus septem. S. Melchiades martyr sedit annos 2. menses 2. dies 8. vacavit sedes mensem unum dies 21. S. Sylvester sedit annos viginti & unum menses 10. à die electionis Calendas Februarii anno 313. ad diem obitus pridie Calendas Januarii anno 335. vacavit sedes dies 15. S. Marcus creatus Pontifex die 17. Calendas Februarii anno salutis 336. obiit die 7. Octobris ejusdem anni vacavit sedes dies 20. S. Julius sedit annos 15. menses 5. dies septemdecim fuit electus die 26. Octobris anno 336. obiit 12. Aprilis anno 352. vacavit sedes dies 25. S. Liberius sedit annos 15. menses 4. à die electionis quæ contigit 8. Maji anno 352. ad diem obitus, qui fuit 5. Idus Septembris anno 367. vacavit sedes dies 6. S. Damasus sedit annos octodecim minus mensibus diebus 4. Fuit electus die 15. Septembris anno 367. obiit 3. Idus Decembris anno 384. vacavit sedes dies 31. S. Siricius sedit annos 13. mensem unum dies 14. à die electionis quæ fuit pridie Idus Januarii anno 385. ad diem obitus qui contigit 8. Calendas Martii 398. vacavit sedes dies 20 S. Anastasius sedit annos quatuor mensem unum dies 13. à pridie Idibus Martii anno 398. ad diem obitus qui fuit 5. Calendas Maji anno 402. S. Innocentius Papa 41. sedit annos 15. mensem unum, dies 10. electus 15. Calendas Junii anno 402. obiit 5. Calendas Augusti anno 417. vacavit sedes dies 21. S. Zosimus Papa 42. Eligitur 19. Augusti anno 417. sedit annum unum menses 4. dies 7. obiit 7. Calendas Januarii 418. vacavit sedes diem unum S. Bonifacius I. Papa 43. eligitur die 5. Calendas Januarii anno 418. sedit annos 5. minus duobus mensibus, & tribus diebus, vacat sedes dies 9. S. Cœlestinus Papa XLIV. eligitur 3. Nonas Novembris anno 423. sedit annos 8. menses 5. dies 3. obiit idus Aprilis anno 431. Xystus III. Papa 45. eligitur, 6. Calendas Maji anno 431. sedit annos 8. minus triginta diebus obiit 5. Calend. April. an. 440. vacavit sedes dies 42. S. Leo

Magnus Papa 46. eligitur 6. Idus Maji anno 440. sedit annos 21. minus diebus 32. obiit 3. Idus Aprilis Anno 461. vacavit sedes menses 7. die uno. S. Hylarius Papa 47. eligitur pridiè Idus Novembris anno 461. sedet annos 6. menses decem minus duobus diebus obiit 4. Idus Septembris anno 467. vacavit sedes dies decem. S. Simplicius Papa 48. eligitur die 27. anno 467. sedit annos 15. menses 5. dies 10. obiit anno 483. I. Martii vacavit sedes 6. dies S. Felix Papa 49. dictus junior aligitur anno salutis 483. die 8. Martii, sedit annos 9. minus diebus 12. obiit anno 492. die 5. Kalend. Martii, vacavit sedes dies 6. S. Gelasius Papa 50. eligitur die 2. Martii anno 492. sedit annos 4. menses 8. dies 19. obiit anno 496. die 21. Kalend. Decembris, vacavit sedes dies 7. S. Anastasius junior Papa 51. eligitur die 28. Novembris anno 496. obiit 13. Kalend. Decembris, postquam sedisset annos 2. minus diebus 9. anno 498. vacavit sedes dies 4. S. Symmachus Papa 52. eligitur die 10. Kalend. Decembris anno 498 eanit mortalitatem 14. Xalend. Augusti anno 514. cùm sedisset annos 15. menses 8. minus diebus 4. vacavit sedes dies 7. S. Hormista Papa 53. eligitur anno 514. 7. Kalend. Augusti sedit annos 9. dies 10. obiit anno 523. vacavit sedes dies 7. S. Joannes I. Martyr Pontifex 54. eligitur anno 523. Idibus Augusti regnavit annos 2. menses 9. dies 14. obiit anno 525. die 6. Kalend. Junii, vacavit sedes dies 58. S. Felix III. Papa 55. eligitur anno 526. die 24. Julii moritur 4. Idus Octobris anno 530. cùm sedisset annos 4. menses 2. dies 22. vacavit sedes dies tres. S. Bonifacius Papa 56. eligitur anno 530. die 15. Octobris, decessit ea hac vita anno 531. die 17. Octobris cùm regnâsset annum 1. diem 1. S. Joannes junior Papa 57. eligitur anno salutis 531. regnavit annos circiter 5. obiit anno 535. die 6. Kalend. Julii vacavit sedes dies 6. S. Agapetus Papa 58. eligitur anno 535. hujus Pontificis annus electionis, & mortis incertus est, ut etiam dies electionis, aliqui enim asserunt fuisse electum anno 534. unde via sedit annum integrum S. Sylverius Papa 59. eligitur anno 536. sedit annos circiter 4. obiit anno 540. die 12. Kalend. Junii. Vigilius Papa 60. eligitur anno 540. die 4. Kalend. Julii, & cùm sedisset annos circiter 15. obiit anno 555. vacavit sedes menses tres, dies 5. Palagius Papa 61. eligitur anno 555. obiit, cùm regnasset annos 4. menses 10. dies octodecim anno 559. vacavit sedes menses 3. dies 25. Joannes III. Papa 62. eligitur anno 559. die 21. Julii, & cùm sedisset annos 13. minus diebus 11. obiit anno 572. die 3. Idus Julii vacavit sedes menses 10. dies 3. Benedictus Papa 63. eligitur anno salutis 573. die 16. Maji, sedit annos 4. menses 2. dies 16. obiit anno 577. vacavit sedes menses 3. dies 10. Pelagius II. Papa 64. eligitur anno 577. die 11. Novembris moritur 6. Idus Fabruarii anno 590. cùm sedisset annos 22. menses 3. minus 4. diebus sedes vacavit circiter menses 7. S. Gregorius Papa 65. eligitur 3. Nonas Septembris anno 590. & cùm sedisset annos 14. minus mensibus 5. dies 19. obiit anno 604. die 12. Martii vacavit sedes menses 5. dies 19. Sabinianus Papa 66. eligitur anno 604. Kalend. Septembris sedit annos 2. dies 17. obiit anno 606. die 11. Kalend. Martii vacavit sedes menses 11. dies 26. Bonifacius III. Papa 67. eligitur anno 606. die 15. Kalend. Martii sedit menses 9. minus uno die moritur eodem anno die 12. Novembris vacavit sedes menses 10. dies 6. Bonifacius IV. Papa 68. eligitur anno 607. die 18. Septembris, sedit annos 6. menses 7. dies 20. obiit anno 614. die 8. Maji, vacavit sedes menses 5. dies 12. S. Deusdedit Papa 69. eligitur anno salutis 614. die 13. Novembris, sedit annos 3. minus tribus diebus, obiit anno 617. die 8. Novembris, vacavit sedes mensem unum dies 16. Bonifacius V. Papa 70. eligitur anno 617. die 14. Decembris sedit annos 7. menses 9. dies 20. obiit anno 625. vacavit sedes menses 6. dies 18. Honorius I. Papa 71. eligitur anno salutis 626. die 14. Maji sedit annos 12. menses 5. minus diebus tribus, moritur anno 638. die 4. Idibus Octobris, vacavit sedes annum 1. menses 7. dies 17. Severinus I. Pontifex 72. eligitur anno 638. obiit anno 639. die 4. Nonas Augusti, vacavit sedes menses 4. dies 29. Joannes IV. Papa 73. eligitur ultimo die anni 639. sedit annum 1. menses 9. dies 12. moritur 4. Id. Octobris anno 641. vacavit sedes mensem 1. diebus 13. Theodorus I. Papa 74. eligitur die 25. Novembris anno 641. obiit pridiè Id. Maji anno 649. cùm sedisset annos 7. menses 5. dies 28. vacavit sedes mensem 1. dies 16. S. Martinus Papa 75. eligitur 1. Julii anno 649. cùm sedisset annos 5. menses 4. dies 12. obiit 12. Novembris anno 654. S. Eugenius I. Papa 76. eligitur die 13. Novembris anno 654. moritur anno 655. die 2. Junii, cùm sedisset menses 6. dies 20. vacavit sedes mensem unum dies 29. S. Vitalianus Papa 77. eligitur die ultimo Augusti anno 656. obiit 27. Januarii anno 669. cùm sedisset annos 13. menses 5. minus tribus diebus, vacavit sedes menses 2. dies 13. S. Adeodatus Papa 78. eligitur 9. Aprilis anno 669. obiit die 6. Kalend. Augusti anno 676. cùm sedisset annos 7. menses 2. dies 16. vacavit sedes menses 4. dies 6. Domnus Papa 79. eligitur anno 676. Kalend. Novembris obiit anno 678. cùm sedisset annum 1. S. Agatho Papa 80. eligitur anno 678. obiit die 9. Januarii anno 681. cùm sedisset annos 3. menses 4. vacavit sedes menses 7. dies 5. S. Leo II. Papa 81. eligitur anno 682. die 15. Augusti obiit 4. Kalend. Junii anno 684. sedit annum unum menses 10. dies 13. S. Benedictus II. Papa 82. eligitur anno 684. die 20. Augusti, obiit anno 685. die 8. Maji, cùm sedisset menses 8. dies 18. vacavit sedes mensem unum dies 15. Joannes V. Papa 83. eligitur anno 685. die 22. Julii obiit anno 686. die 2. Augusti, cùm sedisset annum unum dies 10. Conon Papa 84. aligitur anno 686. die 28. Jan. obiit anno 687. die 22. Septembris cùm sedisset menses 11. diem 1. vacavit sedes mensem unum dies 13. S. Sergius Papa 85. eligitur anno 687. die 5. Decembris obiit anno 701. die 9. Septembris cùm sedisset annos 13. menses 9. dies 4. vacavit sedes mensem unum dies 20. S. Joannes VI. Martyr Papa 86. eligitur anno 701. die 29. Octobris, obiit 10. Januarii, anno 705. cùm sedisset annos 3. menses 2. dies 12. vacavit sedes mensem unum dies 18. Joannes VII. Papa 87. eligitur 1. Martii anno 705. obiit 25. Kalend. Novembris anno 707. cùm sedisset annos 2. menses 7. dies 17. vacavit sedes menses 3. Sicinnius Papa 88. eligitur 25. Kalend. Februarii anno 707. sedit dies 20. obiit die 7. Februarii anno 707. vacavit sedes dies 9. S. Constantinus I. Papa 89. eligitur die 7. Martii anno 707. obiit anno 714. die 9. Aprilis, cùm sedisset annos 7. dies 2. vacavit sedes dies 40. S. Gregorius II. Papa 90. eligitur anno salutis 714. die 21. Maji obiit anno 731. die 3. Id. Februarii cùm sedisset annos 16. menses 8. dies 20. vacavit sedes dies 5. Sanctus Gregorius III. Papa 91. eligitur anno 731. die 16. Februarii obiit anno 741. die 9. Kalend. Decembris cùm sedisset annos 10. menses 9. vacavit sedes dies 4. Sanctus Zacharias I. Papa 92. aligitur anno 741. Kalend. Decembris obiit anno 752. Idibus Martii cùm sedis-

sedisset annis 10. menses 5. dies 15. vacavit sedes dies 12. Stephanus junior Papa 93. eligitur anno 752. die 27. Martii sedit dies 3. Stephanus III. Papa 94. eligitut eodem anno 752. obiit anno 757. die 6. Kalend. Maji, cùm sedisset annos 5. dies 20. vel ut placet aliis 22. quo verò die ignoratur, quamvis asserant Mense Aprili fuisse electum vacavit sedes diebus 30. Sanctus Paulus I. Papa 95. eligitur anno 757. die 26. Maji sedit annos decem mensem unum dies 2. obiit die 28. Junii anno 767. vacavit sedes annum unum, & mensem unum. S. Stephanus IV. Papa 96. eligitur anno salutis 768. Nonis Augusti, obiit anno 772. Kalend. Februarii, cùm sedisset annos 3. menses 5. dies 28. vacavit sedes dies 8. Hadrianus Papa 97. eligitur anno 772. die 9. Februarii obiit anno 795. die 7. Kalend. Januarii cùm sedisset annos 22. menses 10. dies 15. & eodem die fuit sedes impleta. Leo III. Papa 98. eligitut anno 795. die 7. Kalend. Januarii obiit anno 816. pridie Id. Julii, cùm sedisset annos 20. menses 5. dies 23. Hic Anastasius videtur errâsse asserens Leonem fuisse electum 7. Kalend. Januarii & mortuum pridie Idibus Junii, hisce enim diebus supputatis sunt dies 21. non verò 17. vacavit sedes dies 10. S. Stephanus V. Papa 99. eligitur anno 816. die 24. Junii, sedit menses 7. obiit 27. Januarii. Paschalis Papa 100. eligitur anno 817. die 26. Februarii obiit anno 824. pridie Idibus Maji, cùm sedisset annos 7. menses 2, dies 16. & vacavit sedes dies 4. Eugenius II. Papa 101. electus fuit anno 824. die 19. Junii sedit annos tres mensem 1. dies 17. obiit anno 827. vacavit sedes una tantùm die. Valentinus I. Papa 102. creatur anno 827. die 9. Augusti obiit die 21. Septembris, cùm sedisset dies 40. vacavit sedes dies tres. Gregorius IV. Papa 103. eligitur anno 827. die 24. Septembris, obiit anno 843. cùm sedisset annos 16. Sergius Papa 104. eligitut anno salutis 844. die 4. Februarii obiit anno salutis 847. pridie Id. Aprilis cùm sedisset annos 3. mensem unum, dies 3. sedes eodem die impleta fuit. S. Leo IV. Papa 105. eligitur anno 847. pridie idibus Aprilis obiit anno 855. die 16. Kalend. Augusti, cum sedisset annos 8. menses 4. dies 4. Benedictus III. Papa 106. eligitur anno 855. die 16. Julii obiit anno 858. die 26. Januarii cum sedisset annos 2. menses 6. dies 10. vacavit sedes duobus mensibus, & diebus 27. Nicolaus I. Papa 107. eligitur anno 858. die 8. Kalend. Maji obiit Idibus Novembris ex Anastasio vel Idibus Decembris ex Frodoardo, sedit annos 9. menses 6. dies 20. vacavit sedes mensem unum, Hadrianus II. Papa 108. eligitur anno 867. die 19. Kalend. Januarii sedit annos 4. menses 10, dies 17. obiit anno 872. vacavit sedes usque ad 19. Kalend. Januarii. Joannes VIII. Papa 109. eligitur 19. Kalend. Januarii anno salutis 872. obiit anno 882. die 18. Kalend. Januarii, cum sedisset annos 10. minus uno die vacavit sedes diebus tribus. Marinus I. Papa 110. eligitur anno 882. die 5. Kalend. obiit anno 884. cum sedisset annos 2. vacavit sedes dies 2. Hadrianus III. Papa III. eligitur anno 884. die 13. Kalend. Februarii, obiit 6. Id. Maji anno 885. cum sedisset annum unum, menses 3. dies 19. vacavit sedes aliquot dies. Stephanus VI. Papa 112. eligitur anno 885. & moritur 891. cum sedisset annos 6. vacavit etiam sedes per aliquot dies. Formosus Papa 113. eligitur anno 891. & obiit 896. die 19. Kalend. Januarii, seditque annos 5. cum aliquibus mensibus, & diebus. Bonifacius VI. Papa 114. intruditur anno salutis 896. mense Decembri, & tenuit sedem diebus 15. Stephanus VII. Papa 115. Intruditur anno 897. mense Januarii & strangulatur anno 900. tenuit sedem annos 3. Romanus Papa 116. pariter intruditur anno 900. sedit per menses 4. dies 20. Theodorus Papa 117. anno 901. sedit dies 20. Joannes IX. Papa 118. eligitur eodem anno 901. die 5. Idibus Septembris obiit anno salutis 905. cum sedisset annos 4. dies 15. vacavit sedes die uno. Benedictus IV. Papa 119. eligitur anno 905. cum reliqua sint incerta, & varia, obiit anno 907. Leo V. Papa 120. sedit anno 907. dies 40. reliqua habentur incerta. Christophorus Papa 121. eligitur anno 908. sedem tenuit mensibus 7. Sergius III. Papa 122. eligitur anno 908. & sedit annos duos. Anastasius III. Papa 123. eligitur anno 910. sedit annos 2. menses 2. Lando I. Papa 124. eligitur anno 912. sedem tenuit mensibus 4. ut refert Marianus Scotus. Joannes X. Papa 125. eligitur anno salutis 912. in carcerem truditur anno 928. vixit ad annum 929. Leo III. Papa 126. eligitur anno 928. sedit per sex menses & dies 15. Stephanus VIII. dictus V. Papa 127. eligitur anno 929. sedit annos 2. mensem unum, dies 15. Joannes XI. dictus XII. Papa 128. intruditur anno 931. tenuitque sedem annos ferè 6. Leo VII. Papa 129. eligitur anno 936. obiit anno 939. cum sedisset annos tres, menses sex dies 10. Stephanus IX. Papa 130. eligitur anno 943. cùm sedisset annos 3. menses 4. dies quinque, quo die obierit incertum, Marinus II. Papa 131. dictus Martinus tertius eligitur anno 942. sedit annos 4. quo die fuerit electus, & obierit reticetur. Agapetus II. Papa 132. eligitur anno 946. die 18. mensis Maji, obiit 6. Kalend. Januarii anno 955. cum sedisset annos 10. menses, & dies 10. juxta Baronium. Joannes XII. Papa 133. intruditur anno 956. obiit anno 964. pridie Idus Maji. Benedictus V. Papa 134. eligitur anno 964. pridie Idus Maji, obiit 5. Nonas Julii anno 965. Joannes XIII. Papa 135. eligitur anno 965. obiit anno 972. octavo Idus Septembris, sedit annos sex, menses 11. Donus II. Papa 136. eligitur anno salutis 972. die 12. Kalend. Octobr. obiit 14. Kalend. Januarii ejusdem anni cum sedisset quinque dies 11. Benedictus VI. Papa 137. eligitur anno salutis 972. die 13. Kalend. Januarii quo anno & die obierit ignoratur. Benedictus septimus Papa 138. eligitur anno 975. obiit anno 984. die 10. Julii, cum sedisset annos 9. Joannes quartus decimus Papa 139. eligitut anno 984. obiit 985. die 20. Augusti. Joannes XV. Papa 140. eligitur anno 985. sedit annos 10. obiit anno 996. Gregorius V. Papa 141. eligitur anno 996. die 11. Junii sedit annos duos menses 8. dies 5. obiit anno 999. die 12. Kalendas Martii. Sylvester II. Papa 142. eligitur anno 999. obiit anno 1003. die 12. Maji sedit anno 4. completos, Joannes XVI. Papa 143. eligitur 1003. sedit menses quinque, & dies aliquot. Joannes XVII. Papa 144. eligitur anno 1003 die 12. Kalend. Decembris sedit annos 8. menses 7. minus tribus diebus obiit anno 1009. vacavit sedes mensem 1. dies 13. Sergius IV. Papa 145. eligitur anno 1009. pridie Kalendas Septembris sedit annos duos menses 8. dies 13. obiit anno 1002. die 13. Maji juxta Marianum Scotum, & Sigibertum ex suo tamen epitaphio obiit anno 1013. Benedictus VIII. Papa 146. eligitur anno 1013. quo die incertum, obiit anno 1024. die 3. Kalendas Martii, cum sedisset annos 11. vacavit sedes diem unum. Joannes XX. dictus XXI. Papa 147. eligitur anno 1024. pridie Kalendas Martii, sedit annos novem menses 8. obiit anno 1033. quo die incertum. Benedictus nonus Papa 148. intruditur anno 1033. die 6. Idus No-

die S. Luciæ Sacro, postquam sedisset menses 5. dies 9. Bonifacius VIII. Papa 192. eligitur anno 1294 die 23. Decembris, sedit annos 8. menses 9. dies 19. obiit anno 1303. die 10. Octobris, vacavit sedes dies 11. Benedictus IX. dictus XI. Papa 193. eligitur anno 1303. die 22. Octobris, sedit menses 9. dies 29. obiit anno 1304. Idibus Julii. Clemens V. Papa 194. eligitur anno 1305. die 5. Junii, coronatur 11. Novembris, obiit anno 1314. die 12. Kalend. Maji, cum sedisset annos 9. minus diebus 17. vacavit sedes annos 2. menses 3. dies 23. Joannes XXI. dictus XXII. Papa 195. eligitur anno 1316. die 7. Augusti, coronatur die Dominica Nonas Septembris, sedit annos 18. menses 3. minus duobus diebus, obiit anno 1334. vacavit sedes dies 16. Benedictus XII. Papa 196. eligitur anno 1334. die 20. Decembris, coronatur Kalendas Januarii anno 1335. obiit anno 1342. die 25. Aprilis, cum sedisset annos 7. menses 4. dies 6. vacavit sedes dies 13. Clemens VI. Papa 197. eligitur anno 1342. die 9. Maji, sedit annos 10. menses 7. minus duobus diebus, obiit anno 1352. die 8. Idus Decembris, vacavit sedes dies 13. Innocentius VI. Papa 198. eligitur anno 1352. die 14. Kalend. Januarii, sedit annos 9. menses 8. dies 25. obiit anno 1362. die 12. Septembris, vacavit sedes dies 45. Urbanus V. Pontifex 200. eligitur anno 1363. die 28. Octobris, sedit annos 7. menses 2. diem unum, obiit anno 1370. die 19. Decembris, vacavit sedes dies 11. Gregorius XI. Papa 201. eligitur anno 1370. die 30. Decembris, obiit anno 1378. die 6. Kalend. Aprilis, cum sedisset annos 7. menses 3. minus diebus 5. vacavit sedes usque ad diem 8. Aprilis. Urbanus VI. Papa 202. eligitur anno 1378. die 4. Idus Aprilis, sedit annos 10. menses 6. dies 7. obiit anno 1389. die 3. Idus Octobris, vacavit sedes usque ad 4. Nonas Novembris. Bonifacius IX. Papa 203. eligitur anno 1389. die 4. Nonas Novembris, sedit annos 14. menses 11. obiit anno 1404. Kalendas Octobris, vacavit sedes usque ad 14. Kalend Novembris. Innocentius VII. Papa 204. eligitur anno 1404. 16. Kalend. Novembris, sedit annos 2. dies 21. obiit anno 1406. die 7. Novembris, vacavit sedes dies 25. Gregorius XII. Papa 205. eligitur anno 1406. die 2. Novembris, sedit annos 3. menses 8. dies 2. cum renuntiasset Papatui, obiit Cardinalis anno 1417. cùm enim inter Gregorium XII. legitimum Ecclesiæ Pontificem, & Joannem, & Benedictum Pseudo Pontifices pro ineunda concordia Joannes, & Benedictus Antipapæ fuerunt inclusi, & quia Gregorius legitimus Pontifex audivisset Pontificatum dividendum, se potiùs voluit tali dignitati abdicare, quàm Christi dividere tunicam inconsutilem. Alexander V. Papa 206. eligitur anno 1409. die 26. Junii, coronatur die 7. Julii, obiit anno 1410. die 4. Maji, cùm sedisset annum unum minus 22. diebus. Joannes XXII. dictus XXIII. Papa 207. eligitur anno 1410. die 14. Maji, coronatur die 25. sed depositus ut Papa dubius in Concilio Constantiensi anno 1416. die 29. Maji, cum sedisset annos 6. dies 12. obiit anno 1419. die 11. Kalendas Januarii. Martinus V. Papa 208. post varia schismata in Concilio Bisann pacem tandem restituit Ecclesiæ in Concilio Constantiensi, ubi fuit ipse electus Romanus Pontifex anno 1417. die 11. Novembris, & coronatur 21. Novembris sub auroram diei, sedit annos 13. menses 3. dies 9. in ejus tamen epitaphio ponuntur dies 22. obiit anno 1431. die 20. Februarii, vacavit sedes menses 3. Eugenius IV. Papa 209. eligitur anno 1431. die 5. Nonas Martii, sedit annos 16. minus diebus -. obiit anno 1447. die 7. Kalend. Martii, vacavit sedes dies 12. Nicolaus V. Papa 210. eligitur anno 1447. pridie Nonas Martii, sedit annos 8 dies 18. vel 20. obiit anno 1455. die 20. Martii, vel 25. ut alii computant, hinc incertum, quot dies vacaverit sedes. Calistus III. Papa 211. eligitur anno 1455. die 8. Aprilis, coronatur die 1. Maji, sedit annos 3. menses 4. minus duobus diebus, obiit anno 1458. die 8. Idus Augusti, vacavit sedes dies 13. Pius II. Papa 212. eligitur anno 1458. die 14. Kalendas Septembris, coronatur 3. Nonas Septembris, sedit annos 6. minus 4. dies, obiit anno 1464. in Pervigilio Virginis assumptæ in cœlum, quot dies vacaverit sedes, variant Historici. Paulus II. Papa 213. eligitur anno 1464. die 30. Augusti, coronatur die 16. Septembris, sedit annos 7. minus uno mense, & quatuor diebus, obiit anno 1471. vacavit sedes dies 13. Sixtus IV. Papa 214. eligitur anno 1471. die 5. Idus Augusti, coronatur 8. Kalendas Septembris, sedit annos 13. dies 4. obiit anno 1484. vacavit sedes dies 15. Innocentius VIII. Papa 215. eligitur anno 1484. die 4. Kalendas Septembris, coronatur 12. Septembris, sedit annos 7. menses 10. dies 28. obiit anno 1497. vacavit sedes dies 16. Alexander VI. Papa 216. eligitur anno 1492. die 3. Idus Augusti, coronatur die 26. Augusti, sedit annos 11. dies 8. obiit anno 1503. vacavit sedes dies 30. Pius III. Papa 217. eligitur anno 1503. die 22. Septembris, sedit dies 26. obiit eodem anno 15. Kalend. Novembris, vacavit sedes dies 14. Julius II. Papa 218. eligitur anno 1503. die 1. Novembris, sedit annos 9. menses 3. dies 20. obiit anno 1513. vacavit sedes usque ad diem 5. Idus Martii. Leo X. Papa 219. eligitur anno 1513. die 5. Idus Martii, coronatur 3. Idus Aprilis, sedit annos 8. menses 8. dies 22. obiit anno 1521. vacavit sedes usque ad diem 5. Idus Januarii. Hadrianus VI. Papa 220. eligitur anno 1521. Idus Januarii, ætatis suæ anno 64. sedit anno uno, mensibus 8. diebus quinque, obiit anno 1523. vacavit sedes usque ad diem 19. Novembris. Clemens VII. Papa 221. eligitur anno 1523. die 19. Novembris, sedit annos 10. menses 10. dies 7. obiit anno 1534. die 25. Septembris, vacavit sedes usque ad diem 11. Octobris. Paulus III. Papa 222. eligitur anno 1534. die 12. Octobris, sedit annos 15. dies 28, cùm vixisset ipse annos 91. obiit anno 1549. vacavit sedes usque ad 7. diem Februarii. Julius III. Papa 223. eligitur anno 1549. die 7. Februarii, sedit annos 6, mensem unum, dies 17. obiit anno 1555. vacavit sedes dies 17. Marcellus II. Papa 224. eligitur anno 1555. die 5. Idus Aprilis, sedit dies 22. obiit eodem anno, & mense die 27. vacavit sedes usque ad diem 10. Kalend. Junii. Paulus IV. Papa 225. eligitur anno 1555. die sacræ ascensionis 10. Kalend. Junii, sedit annos 4. menses 2. dies 24. obiit anno 1559. vacavit sedes menses 4. dies 7. de pietate, sanctitate, & doctrina hujus Pontificis amplum testimonium perhibuit S. Pius V. Pius IV. Papa 226. eligitur anno 1560. hora noctis post diem natalem Redemptoris mense Decembri, coronatur die festo Epiphaniæ, sedit annos 5. menses 11. dies 15. vacavit sedes dies 29. S. Pius V. Papa 227. eligitur 7. Idus Januarii anno 1566. sedit annos 6. menstres, dies 24. obiit anno 1572. Kalend. Maji, vacavit sedes dies 13. Gregorius XV. Papa 228. eligitur anno 1572. die 13. Maji, sedit annos 12. menses 10. dies 28. obiit anno 1585. vacavit sedes duos dies. Sixtus V. Papa 229. eligitur anno 1585. die 12. Aprilis, coronatur die Mercurii 1. Maji, sedit annos

annos 5. menses 4. dies 14. obiit 27. Augusti anno 1590. vacavit sedes usque ad diem 17. Kalend. Octobris. Urbanus VII. Papa 230. eligitur anno 1590. 17. Kalend. Octobris, sedit dies 12, obiit anno 1590. die 5. Kalend. Octobris, vacavit sedes mensem unum, dies 19. Gregorius XIV. Papa 231. eligitur anno 1590. Nonis Decembris, sedit menses 10, dies 10. obiit anno 1591. Idibus Octobris, vacavit sedes dies 17. Innocentius IX. Papa 232. eligitur anno 1591. die 3. Kalend. Novembris, sedit menses duos, obiit eodem anno 1591. die 30. Decembris, vacavit sedes usque ad diem 2. Februarii anno 1502. Clemens VIII. Papa 233. eligitur anno 1592, die 11. Februarii, sedit annos 13. mensem unum, dies 5. obiit anno 1605. die 6. Martii, & vacavit sedes usque ad diem 1. Aprilis. Leo undecimus Papa 234. eligitur anno salutis 1605. die 1. Aprilis, obiit die 27. ejusdem mensis vacavit sedes dies 20. Paulus V. Papa 235. eligitur anno 1605. die 16. Maji, sedit annos 15. menses 8. dies 12. obiit anno 1621. die 28. Januar. vacavit sedes dies 5. Gregorius XV. Papa 236. eligitur anno 1621. die 5. Idus Februarii, obiit anno 1623. die 8. Julii, sedit annos duos, menses 5. dies 29. vacavit sedes dies 20. Urbanus VIII. Papa 237. eligitur anno 1623. die 6. Augusti, obiit die 29. Julii anno 1644. postquam sedisset annos 21. minus octo diebus, vacavit sedes usque ad diem 14. Septembris. Innocentius X. Papa 238. eligitur anno 1644. die 14. Septembris, obiit die Jovis septima Januarii 1655. ætatis suæ 80. mensibus octo, cum sedisset annos 10. menses 3. dies 22. vacavit sedes usque ad diem 7. Aprilis. Alexander VII. Papa 239. eligitur anno 1655. die 7. Aprilis, obiit anno 1667. die 22. Maji, cum sedisset annos 12. mensem unum, dies 26. vacavit sedes usque ad diem vigesimum Junii. Clemens IX. Papa 239. eligitur anno 1667. die 20. Junii, obiit anno 1669. die 9. Decembris, cum sedisset annos duos, menses 5. dies 19. Clemens X. Papa 241. eligitur anno 1670. die 29. Aprilis, obiit anno 1676. sedit annos sex, menses 11. dies 23. obiit anno 1676. die 22. Julii, vacavit sedes usque ad diem 21. Septembris. Innocentius XI. Papa 242. eligitur anno salutis 1676. die 21. Septembris, coronatur die 4. Octobris, sedit annos 13. Alexander octavus Papa 243. eligitur die 6. Octobris D. Brononi sacra anno 1689. sedit annum unum, & dies aliquot. Innocentius XII. Papa 244. eligitur die 12. Julii anno 1691, coronatur die 15. ejusdem mensis, sedit annos 9. obiit anno 1700. Clemens XI. Papa 245. eligitur anno 1700. die 23. adhuc vivit. Hæc est successio continua Romanorum Pontificum à D. Petro primo Christi Vicario in militante Ecclesia ad nostrum usque diem; & quamvis non omnes æquales fuerint in sanctitate, & meritis; pares tamen fuerunt in fide, religione, & doctrina ab Apostolis in Ecclesiam derivata, omnésque docuerunt, propugnaverunt, defenderuntque, quando opus fuit etiam proprio sanguine doctrinam, quam Apostoli acceperunt à Magistro Christo, adeo ut eadem semperviguerit in Ecclesia à D. Petro ad nostrum usque diem, ex quibus primi septuaginta Pontifices, qui floruerunt per sex integra sæcula, proprio sanguine eam confirmarunt, ac gloriosum consummarunt Martyrium, & alia doctrina, & sanctitate toto orbe claruerunt, quibus & Sancti Patres, qui omni sæculo quovis tempore semper eminuerunt in Ecclesia se adjunxerunt, ut illibata, ac incontaminata semper servaretur Apostolorum doctrina: hinc Vincentius Lyrinensis scriptor antiquissimus, qui vixit anno 430. in tractatu adversus hæreses ait: *Eorum duntaxat Patrum sententia conferenda sunt, qui in fide, & communione Catholica, sanctè sapienter constanter viventes, docentes, & permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo meruerunt, quibus tamen hac lege credendum est, ut quidquid vel omnes, vel plures uno eodemque sensu manifestè, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concione, accipiendo, tenendo, tratendo firmaverint, id pro indubitato, certóque habeatur.*

FINIS *hujus Tomi.*

